

R. P. Fr. VINCENTII CONTENSON,

ORDINIS PRÆDICATORUM

Sacræ Theologiæ Professoris,

THEOLOGIA MENTIS ET CORDIS,

SEU SPECULATIONES UNIVERSÆ SACRÆ DOCTRINÆ, pietate temperatæ, è Patribus, Sancto potissimùm Augustino; ac Doctore Angelico D. Thoma derivatæ;

IN QUIBUS OMNIA QUÆ AD PROFUNDISSIMAM THEOLOGIÆ tum Speculativæ, tum Practicæ intelligentiam, acutissimam Polemicæ Dissertationem, piissimum Affectivæ exercitium, copiosam Oratoriæ facundiam pertinent, stylo feraci, & acuto, solida claraque energiâ disseruntur.

THEOLOGIS NON SOLUM, SED ET DIVINI VERBI PRÆCONIBUS, animarum quin etiam Rectoribus Opus perutile, in duos Tomos commodiùs divisum:

HAC POSTREMA EDITIONE HACTENUS DESIDERATO Supplemento de Extrema-Unctione, Ordine & Matrimonio, adauctum, & locupletatum.

TOMUS PRIMUS.




LUGDUNI,

Sumptibus PETRI BORDE, JOANNIS, ET PETRI ARNAUD.

M. DC. LXXXVII.

CUM APPROBATIONE, ET PRIVILEGIO REGIS.





REVERENDISSIMO PATRI P. JOANNI THOMÆ

DE ROCABERTI,

UNIVERSI PRÆDICATORUM
Ordinis Magistro Generali.



CURSUS hic Theologicus, ut pupillus patre jam orbatus recenti Authoris sui jacturâ, quem in ipso ætatis & ingenii flore, inter utilissimarum Concionum labores, heu nimiùm cita mors! magno Literarum damno è vivis nuper eripuit, gemens & anxius Patronum quærit, cujus nomine ac præsidio fretus è typis nostris Lugdunensibus in lucem securior prodeat, ut proborum studiis, utilitatibusque inserviat, ac à malevolorum injuriis protegatur. Quem verò posset aut invenire promptiorem, aut magis propitium optare, quàm Te (PATER REVERENDISSIME) *qui clarissimo Prædicatorum Ordini præpositus, ut benignum quoddam sidus & tutelare Numen cuncta ad illum pertinentia providentiæ tuæ radiis collustras, curâ & singulari solicitudine feliciter promoves, authoritate ac protectione vigilantissimâ defendis? Addidit præterea nobis quærendi, impetrandique tui præsidii fiduciam nota & toties experta in ipsius Operis Authorem paterna illa tua benignitas, quæ ut omnibus sub cura tua degentibus communis est, ita erga illum extitit singularis. Tu enim clarissimum hoc ingenii lumen in tot & tantos maturioris eruditionis radios primo conatu effusum benignis oculis semper aspexisti: Tu illum in hac Studiorum palæstra laborantem adhortatione crebra firmasti: Tu variis agitatum fluctibus humanissimè consolatus es: Tu demùm innumeris beneficiis ac paternæ benevolentiæ officiis fovere nunquam destiti; adeo ut vir gratus & memor inter hujus lucubrationis sudores nullum jucundiorem fructum ceperit, quàm quod in hoc Opere observantiæ suæ, ac grati animi publicum, duraturùmque monimentum Tibi pararet. Sed quanquam hæc præjudicia defuissent, est in ipsa hujus Operis ratione aliquid, quo se Tibi debitum sentit, ac gratum acceptumque fore sperare audeat; quòd nempe rerum divinarum notitiam complectatur, non qualem ferè hactenus exhibere Scholasticis Scriptoribus*

suus fuit, jejunam, aridam, succo suo ac gustu destitutam; quæ animum inflet, non pascat; torqueat, non reficiat: sed qualem Tu primùm moribus, deinde verbis ac scriptis docuisti, nunc verò sanctissimis institutis Te unicè probare ac mirificè amare demonstrasti; nempe conditam pietatis affectu ac sapore, quæ ita mentem erudiat & illustret, ut cor emolliat & incendat; quæ totum hominem salvum faciat, quæ ad divina mentem erigat & affectum rapiat; cui sit lucere vanum, ardere parum; lucere *verò* & ardere perfectum. *Talem doctrinæ formam complexum Opus Te Patrono dignum est. In Te non modò azylum reperiet, sed etiam vivum & exactum exemplar, in quo Theologiam Mentis & Cordis spirantem, animatamque videre præclariùs possint, qui illam in his paginis exaratam legent. Patere igitur, ut Tibi tam affinis Liber nobilissimo tuo Nomine, quod Avorum virtute & gloriâ toto orbe illustre factum novis decoris cumulasti, insigniatur; ut piissimi ac eruditissimi Theologi auspiciis in lucem erumpat, pietatem cum eruditione inspiraturus; ut demùm Te protectorem, Patronumque sentiat, ab eo scriptus, quem in tutelam tuam toties receperas; & ab illis nunc in lucem datus, quibus nihil magis cordi erit, quàm se officiis omnibus exhibere*

Reverendissimæ Tuæ Paternitati

Addictissimos, obsequentissimosque clientes,

LAURENTIUS ARNAUD, ET PETRUS BORDE.

BIBLIOPOLÆ
AD LECTOREM.



RODIIT jam ſequioribus annis Opus hoc, licèt invidente fato, non omnibus numeris abſolutum; quod præmaturam Authoris mortem dolentes, quale habuimus, tibi (BENEVOLE LECTOR) exhibuimus. Hic ſicut indeclinabilem Magiſtrum S. Thomam ad unguem ſequutus eſt in Operis hujus doctrina: ita etiam illud, ſicut ille Summam ſuam morte etiam præventus, imperfectum reliquit. Dolorem tamen noſtrum de tam acerbo caſu juſtè piéque conceptum non mediocriter lenitit, quod fœtum hunc, etſi paulò immaturum, Lectoribus tamen benevolis non parum placuiſſe, & cum plauſu acceptum fuiſſe jam nobis notum eſt. Inſignis ejus Authoris merita, quia nota ſatis & pervulgata, perque clariſſimos tum Ordinis Prædicatorii, tum alios etiam Approbatores teſtata, ſingula recenſere non ſuſcipimus. Sed quia vitam hanc variis itinerationibus, ſtudiis aſſiduis, laboribus indefeſſis, concionibus fervidis, & innumeris tum animi mœroribus, tum corporis preſſuris conſummavit; arctioriſque Regulæ irrefracta cuſtodia, ſupererogationis auſteritatibus, perpetuiſque Chriſtianæ Religionis exercitiis in brevi multa explevit tempora, tandem obdormientem in Domino meliorem ſuſcepiſſe piè credimus. Opus igitur tam præclari viri à nobis non ita pridem publici juris factum, & à Te (CHARISSIME LECTOR) benignè ſuſceptum, nunc denuò majoribus ſumptibus, elegantiorique forma excuſum, & accuratiùs emendatum, addito etiam Supplemento, in quo quæ de Extrema-Unctione, Ordine & Matrimonio hactenus deſiderabantur, breviter quidem, ſed dilucidè ſuppeditantur, feliciter in lucem prodit à Te ex toto corde, ut ſperamus, complectendum ubi doctrinam ejus eleganti loquutione floridam, cum ſoliditate Scholaſtices acutam, pietatis facibus corda ſuccedentem, adeoque tam Theologiæ candidatorum Magiſtris, quàm Animarum Paſtoribus ad conciones & directiones perutilem primoribus labris deguſtaveris; ubique ſiquidem doctrinæ cœleſtis exhalat odorem, animum ad ſpiritualia ſuſtollit, & ſtimulo amoris Divinorum excitat, præſertim in aſceticis Reflexionibus, quæ cuivis in Operis decurſu Speculationi cordatè ſubnectuntur. Hæc ſunt de quibus Te præmonitum volumus, ut curas & ſumptus noſtros æqui bonique conſuleres, quibus dum frueris, gratias bonorum omnium Largitori agens, pias ad eum preces effunde, ut Authoris anima tranquilla pace lætetur, & nos cæleſti benedictione repleamur. Vale.



APPROBATIO DOCTORUM Sacræ Facultatis Pariſienſis.

EGo infraſcriptus Doctor Almæ Facultatis Pariſienſis, Librum cui titulus eſt, *Theologia Mentis & Cordis, &c.* de mandato Reverendiſſimi mei Generalis Ordinis Prædicatorum legi & examinavi; nihil diſſonum ſanæ doctrinæ in eo reperi, ſed veritates Thomiſticas claritate ſumma perſpicuas reddi, & ad pietatis promiſſæ finem feliciter pervenientes notavi; quem Lectoribus devotis & doctis æqualiter gratum futurum, & dignum prælo judicavi. In cujus fidem ſubſignavi, Camberii in Sabaudia, die 4. Febr. 1668.

Fr. HUGO NOE' MARCHAND, Magiſter Pariſienſis, Ordinis Prædicatorum.

EGo Frater Carolus Gaud Prædicator Camberiensis, Magister Parisiensis, & Regiæ Celsitudinis Sabaudiæ Ducis à Consiliis & Concionibus ordinarius, de mandato Reverendissimi mei Generalis Tractatum legi & examinavi, cui titulus est, *Theologia Mentis & Cordis*; in quo fulgent ad mentem, & ardent ad cor veritates Thomisticæ, lucent consilia, selecti scintillant passim Patres: improbumque nihil cùm contineat, sed probatissima omnia, censeo in Ecclesiæ decus, in Concionatorum utilitatem, in sanctarum Scholarum pium affectum atque clarum munimen typis mandandum esse. In cujus fidem his subsignavi. Camberii die 5. Februarii 1668.

Fr. C. GAUD.

Licentia Reverendissimi Patris universi Prædicatorum Ordinis Generalis.

NOs Frater Joannes Thomas de Rocaberti, Sacræ Theologiæ Professor, Ordinis FF. Prædicatorum humilis Magister Generalis & Servus. Harum serie, nostrique authoritate Officii, Tibi Reverendo Patri *Fr. Vincentio Contenson*, Provinciæ nostræ Tolosanæ, licentiam facimus & facultatem edendi in lucem, typisque mandandi brevem Cursum Theologicum à Te editum, si priùs à RR. PP. FF. Natali Marchand, Carolo Gaud, & Vincentio Baron, in sacra Theologia Magistris & Professoribus recognitus fuerit & approbatus, aliaque de jure juxta sacros Canones, Decreta Summorum Pontificum, & Statuta Ordinis nostri servanda servenrur; sicut etiam Tibi concessum fuit à Prædecessore nostro. Datum Romæ in Conventu nostro Sanctæ Mariæ super Minervam, die 5. Julii, anno 1670.

Fr. JOAN. THOM. DE ROCABERTI, Magister Ordinis.

Registr. fol.2. Fr. STEPHANVS DE THORO, Magister & Socius.

Approbatio R. P. F. Vincentii Baronii, Ordinis Prædicatorum Sacræ Theologiæ Professoris, & Inquisitoris Tolosani.

QUem Author *Theologiæ Mentis & Cordis*, suo titulum inscripsit Operi, illud mihi authoritate & imperio Reverendissimi Patris Generalis sedulò relegenti cumulatè visus est tantum Nomen implevisse reconditâ eruditione cum pari pietate conjunctâ. Singulæ enim Libri paginæ (præ cæteris quibus abundant elegantiæ, brevitatis, & accuratæ Patrum Lectionis) has potissimùm dotes spirant inter se concordes, aut sic invicem certantes, ut incertum apud me sit utra utram vincat. Nec dubito quotquot seposito partium studio, pii & eruditi hæc legerint, quin mihi assentiantur, multoque plura & majora hac meâ testificatione sint bona hac in Theologia reperturi. In primis, ut omittam quæ in omnium oculos incurrunt, cùm D. Thomæ vestigia ubique premat, & Magistrum fidissimus Interpres docentem indicat, ab omni nævo contra Fidem, aut bonos mores erroris alienissimus est. Hoc etiam ausim polliceri, benè de Theologia his lucubrationibus meruisse; plures namque & gravissimas, quibus illa jure vel injuriá vexabatur, accusationes visus est feliciter depulisse. Multi à sanctissimæ disciplinæ cultu deterrebantur, vel longioris studii spatio & decursu, vel nodis quæstionum subtilium intricatissimis, & vix aliud quàm temporis jacturam, aut quod multò periculosius, nec minùs frequens malum accidit, pietatis fastidium allaturis. Has omnes criminationes, aut veriùs calumnias longissimè amovet hæc Theologia mentis & cordis, perpetuâ pietatis cum eruditione, brevitatis cum rerum ubertate concordiâ, & selectis Sanctorum Patrum locis, quibus nimia Scholastices subtilitas ad bonam & sanctam mentem temperatur. Datum Parisiis, die 18. Septembris anni 1673.

Fr. VINCENTIVS BARONIVS, Ord.Præd. Theologus, & Inquisitor Tolosanus.

Alia Approbatio Doctorum Sacræ Facultatis Parisiensis.

THeologiam Mentis & Cordis à R. P. Vincentio Contenson Ordinis Prædicatorum compositam, Opus quidem Mentis, ut penè subtile & eruditum; Cordis, quia jucundum & amabile, judico Ego infrascriptus Doctor Almæ Facultatis Parisiensis Theologicæ prælo, luceque dignum. In quorum fidem, &c. Datum Lugduni die Maii octava anni 1675.

F. VIAL.

IDem & Ego infrascriptus Doctor Parisiensis sentio. Datum eadem die quâ suprà.

F. PAVLVS LOMBARD, Exprovincialis Carmelitarum.

INDEX



INDEX
LIBRORUM, DISSERTATIONUM, Capitum, Speculationum, & Reflexionum, quæ in hoc priori Tomo Theologiæ Mentis & Cordis continentur.

LIBER PRIMUS.

CAP.

DISSERTATIO IV.

DISSERTATIO V.

DISSERTATIO VI.

LIBER SECUNDUS.

DISSERTATIO I.

Capitum, Speculationum, & Reflexionum.

LIBER QUARTUS.

De Deo primo principio, & de creaturis ejus, scilicet Angelo, corpore & homine. p. 236

DISSERTATIO I.

DISSERTATIO II.

DISSERTATIO III.

DISSERTATIO IV.

Specul.

Capitum, Speculationum, & Reflexionum.

LIBER QUINTUS.

Index Librorum, Differtationum,

DISSERTATIO II.

De ultimo fine & beatitudine objectiva hominis. p.348

DISSERTATIO III.

De essentia & proprietatibus formalis beatitudinis. 358

LIBER SEXTUS.

De Deo prima regula vitæ humanæ. pag. 376

DISSERTATIO I.

DISSERTATIO II.

De bonitate & malitia actus moralis. p.402

SPECUL.

Capitum, Speculationum, & Reflexionum.

DISSERTATIO III.

De novello probabilitatis commento. 435

LIBER SEPTIMUS.

De Deo primo exemplari: seu de virtutibus quibus divinam perfectionem exprimimus. pag. 1

DISSERTATIO I.

De virtutibus generatim & singulatim. pag. 1

DISSERTATIO II.

De virtutibus theologicis: & primùm de Fide. 22

DISSERTATIO III.

DISSERTATIO IV.

Capitum, Speculationum, & Reflexionum.

DISSERTATIO V.

APPENDIX.

DISSERTATIO VI.

APPENDIX.

APPENDIX UNICA

DISSERTATIO I.

DISSERTATIO II.

DISSERTATIO III.

Septimus

LIBER OCTAVUS.

De Deo Primo Motore, & de Gratia ipsius. pag. 193

DISSERTATIO I.

DISSERTATIO II.

DISSER

Capitum, Speculationum, & Reflexionum.

DISSER



R. P. Fr. VINCENTII

CONTENSON,

ORDINIS PRÆDICATORUM

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS,

THEOLOGIA MENTIS ET CORDIS.



LIBER PRIMUS.

De Deo fonte perfectionis, & de plenitudine essentiæ ejus.

PRÆLOQUIUM.



IN Theologiæ dignitate extollenda, erudite Lector, non immorabor; cùm ipsum Theologiæ nomen divinum aliquid spiret, atque ad sui amorem alliciat. Nam ut egregiè tradit S. Thomas lib. 1. cont. Gent. cap. 2. *inter omnes hominum curas, studium divinæ sapientiæ est perfectius, jucundius, & utilius.* Perfectius quidem, quia per divinorum contemplationem homo magis ad Dei similitudinem accedit. Utilius, quia per veritatis notitiam ad veram beatitudinem pervenitur. Jucundius, quia nihil suavius veritate, quam omnis homo naturaliter concupiscit, & quâ adeptâ felicitas invenitur, dicente sancto Augustino lib. 10. confess. cap. 23. *Beata vita est gaudium de veritate.*

Ex his etiam, quæ dissertatione præambula delibabo, ita te sacræ doctrinæ amore capiendum arbitror, ut pleniora quæ tibi vel ad legendi voluptatem honestam, vel ad fervidi studii concipiendam voluntatem inserviant, exhibere, vel stimulis concitare, vel præludiis properantem retardare minimè opus sit.

Hoc solùm in hujus Tractatus commendationem advertas peroptem, quod sicut Deus Optimus Maximus in se spectatus cætera omnia, quæ Theologia contemplat ur, infinito præcellit intervallo; sic tractatio ista, cujus materia Deus est, cæteras quasqu e in immensum dignitate antecedit. Unde spectabilior & commendabilior per seipsam est h æ c materies, quàm ut aliquam laudis adjectionem postulet, vel mutuari egeat, quæ se nativa nobilitate commendat. Siquidem in tota sacra Doctrina, nec ad veritatis discussionem aptiu s, nec ad Catholicam Fidem defendendam solidius, nec ad illustrandum animum splendidius, nec ad veram contemplationem fovendam fundatius, nec ad ciendos pietatis affectus suavius, nec ad mores formandos securius, nec ad omne virtutis officium salubrius, nec ad prægustan-

dam in hac lachrymarum valle felicitatem Sanctorum auspicatius quicquam invenitur. Dum legeris, intelliges.

Porrò antequam ipsum Divinitatis pelagus ingrediamur, sistendum est parum in littore, ut ipsius, quam tradimus, scientiæ necessitatem, naturam, ac prærogativas varias præmittamus; jaciendum enim prius est fundamentum, quàm ut theologicum ædificium superstruamus.

DISSERTATIO PRÆAMBULA.

Commendatio Theologiæ.



PER Theologiam idem intelligimus, quod S. Doctor nomine sacræ Doctrinæ: cùm enim Theologia divinæ revelationi innitatur, ex articulis Fidei discurrat, de Deo, ac de rebus omnibus sacris sermonem habeat, meritò sacræ Doctrinæ nomenclaturâ insignitur. Hujus autem Facultatis cumulatam notitiam habebimus, si ejus existentiam, naturam, & proprietates exponamus.

CAPUT I.

De necessitate & natura Theologiæ.

EXistentiam sacræ Theologiæ demonstravero, si ejus necessitatem suadeam; sicut enim natura, ita nec gratia deficiunt in necessariis.

SPECULATIO I.

Theologia, seu facultas quæ de Deo rebusque divinis tractat, est necessaria in Ecclesia Dei.

PRobatur duplici ratione D. Thomæ, art. 1. Prima sic proponitur. Homo qui ad finem supernaturalem ordinatur, indiget aliqua facultate, quæ eum dirigat ad talem finem vires naturales ingenii excedentem: Atqui hoc præstari nequit per scientias humanas, vel philosophicam ullam disciplinam; cùm earum objectum intra naturæ limites circumscribatur: Ergo ad hunc finem necessaria est facultas superior, quam Theologiam nominamus.

Nec dicas, ad finem illum ascisendum sufficere fidem. Nam fide quidem detegitur finis supernaturalis, sed minimè explicatur: igitur præter fidem opus est Theologia, per quam fides nostra *gignitur, nutritur, roboratur, defenditur*, ut ait August. lib. 19. de Trinit. cap. 7. quâ poscenti fidei nostræ ratio redditur, juxta præceptum Principis Apostolorum; quâ Fides Religioque Orthodoxa credibilis omni genere argumentorum fit, & defenditur adversus hæreticos, qui propterea totis viribus Theologiam impetunt, ejusque interpretibus maledicunt. Nec mirum, quia ut lepidè ait Melchior Cano, *agnoscunt lupi canes, & eos odio prosequuntur*: sic Theologorum nomen hæreseon fautoribus invisum est, & exosum Novatoribus, quorum insidias Scholastici præcavent.

Secunda ratio S. Thom. sic ampliori forma declaratur. Etiamsi homo non esset ad finem supernaturalem ordinatus, nec indigeret edoceri mysteria quæ sola fide innotescunt, tamen necessaria esset illi Theologia, qua erudiretur de veritatibus etiam illis, quæ de Deo naturali lumine cognosci possunt: ergo Theologia est simpliciter necessaria. Probatur antecedens: Veritates de Deo naturaliter cognoscibiles, & per solam rationem investigatæ, & à paucis, & post longum tempus, & cum admixtione multorum errorum obtentæ sunt. A paucis quidem, tum propter complexionis indispositionem, quâ multi naturaliter ad scientias inepti sunt: tum propter pigritiam humani ingenii à labore abhorrentis. Post longum tempus, tum quia scientia de Deo omnium scientiarum naturalium apparatum supponit, & ideo Metaphysica, quæ de rebus divinis disputat, ultimò addiscitur: tum quia status juventutis variis passionum motibus fluctuans, non parum impeditur; nam animus quiescendo fit sciens, ut ait Philosophus: tum propter multiplicia vitæ civilis negotia, quibus animus à studiis divertatur necesse est. Denique cum admixtione multorum errorum illi pauci post incredibiles exantlatos labores ad divinorum notitiam pervenirent, tum propter humani intellectus in judicando debilitatem, tum propter diversas Sapientum opiniones, tum propter Sophistarum argutias. Unde ipsi scientiarum humanarum Patres & Coryphæi in tot & tantos errores lapsi sunt. Ergo necessaria est aliqua Facultas divinæ revelationi innixa, quâ veritates divinæ etiam naturaliter cognoscibiles, & à multis, & per breve tempus, & absque permixtione erroris comparentur. Quod promiserat Isaias in lege nova futurum, dum ait *cap. 54. Ponam universos filios tuos doctos à Domino.*

Objicies: Multi sunt abusus in Theologia scholastica, tot nimirum inutiles subtilitates quæ citra salutis dispendium ignorari possent & deberent; cui enim bono tam spinosa metaphysicarum difficultatum altercatio, quibus docentur disputare, non vivere? Scholæ namque factionibus plenæ sunt. Ergo Theologia non modò non est necessaria, sed potiùs est inutilis & noxia.

Respondeo cum sapientissimo Theologo Melchiore Cano *lib. 8. de locis*, plures in multorum Theologorum tractationes irrepsisse abusus. *Sunt enim* (inquit) *quidam Theologi adscriptitii, qui universas quæstiones frivolis argumentis absolvunt, & pondus rebus gravissimis detrahunt.* In illis Bibliorum testimonia rarissima, Conciliorum mentio nulla; nihil redolet ex antiquis Patribus, nihil ex gravi Philosophia: & tamen, si Superis placet, Theologi vocari sunt, cùm nihil aliud egerint, quàm sophismatum fæces in Scholas inferre. Imò fuerunt, & adhuc sunt nonnulli quasi ad discordiam nati, qui tunc optimè dissensisse se putant, cùm contra Doctores dixerint; nec tam verum invenisse velle videntur, quàm concertationibus rixisque totas chartas implere. Sed hic defectus, & mala similia, si quæ sint, non Scholæ, sed hominum vitio contingunt, & propter nonnullorum excessus non est omnium corona traducenda. Sed hos abusus, Deo benè dante præcavebimus. Cæterùm Theologia in se spectata, non potest non esse utilis, cùm doceat quemadmodum Fides Catholica & piis opituletur, & adversus impios, qui eam expugnare moliuntur,

moliuntur, defendatur. *Disputationis disciplina* (inquit August. lib. 2. de Doctrina Christiana, cap. 31) *ad omnia genera quæstionum, quæ in litteris sanctis sunt, penetranda & dissolvenda plurimum valet: tantum ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.*

Dices: Apost. 1. *Cor.* 1. disertè docet, quod Deus *stultam fecit sapientiam hujus mundi*, quod *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* Et *cap.* 2. addit: *Sermo meus non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis; ut fides nostra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Ergo ad salutem sufficit simplex prædicatio fidei, nec requiritur in Ecclesia tanta Theologorum sapientia.

Respondetur, Deum in nascentis Ecclesiæ exordio ad demonstrandam suæ virtutis omnipotentissimam potestatem noluisse adhibere ad conversionem orbis prudentes & sapientes sæculi, sed humiles piscatores, ut soli gratiæ divinæ, non hominum industriæ tam grande opus tribueretur. Sed in decursu temporis, religione jam propagata, sacri Doctores materias fidei alii cum omnigenis eloquentiæ floribus, alii cunctis argumentorum nervis adornarunt. Addit D. Bern. *serm.* 36. *in Cant.* Apostolum non id dixisse in sugillationem scientiæ, quasi reprehenderet doctos, aut prohibere studia litterarum voluerit; sed solùm damnavit nimis affectatam, vel ambitiosiùs quæsitam humanæ sapientiæ operam & gloriam. *Non ignoro* (inquit) *quantum Ecclesiæ profuerint litterati sui, sive ad refellendos eos qui ex adverso sunt, sive ad simplices instruendos: legi enim, Quia tu repulisti scientiam, r pellam & ego te: legi, Qui docti fuerint, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates.* Non prohibet ergo Apostolus sapere, sed sapere vult ad sobrietatem: non reprobat scientiam, sed vult nos scire quomodo oporteat scire, nempe quid, quo studio, quo ordine, quo fine, ut ibi mirè prosequitur Bernardus.

REFLEXIO.

Si adeò necessaria est Theologia in Ecclesia, vide quàm damnanda sit incuria tua, si sacris dicatus, vel in Ecclesiastica dignitate constitutus, vel saluti animarum instituti tui vocatione addictus scientiam, & sacræ Doctrinæ studium negligis. Quomodo, uti teneris, poteris esse *sal terræ*, *lux mundi*? Quomodo requiretur lex ex ore tuo? & parvulis doctrinæ panem petentibus quomodo franges? Sanè sicut recta hominis constitutio duobus oculis, ambabus manibus, binis auribus, utroque pede consurgit: sic vir omnis, sed præcipuè Ecclesiæ minister, scientia & pietate constare debet. Hæ sunt duæ alæ Seraphim juxta expositionem Bernardi serm. 4. de verb. Isai. *Opinor*, inquit, *non incongruè per pennas istas agnitionem & devotionem intelligi posse, quibus in eum qui supra cœlos est, Seraphim rapiuntur.* Citò ruet qui unâ tantùm alâ volare contendit: ubi verò intelligentiam charitas, agnitionem devotio comitatur, volet securè quisquis hujusmodi est, volet sine fine, quia volat in æternitatem.

SPECULATIO II.

Theologia est vera scientia, cujus objectum formale est Deus.

Prior pars probatur. Theologia est cognitio certa parta per discursum: ergo est vera scientia. Antecedens constat. Nam Theologia discurrit circa res divinas majori certitudine & firmitate, quàm ulla scientia naturalis circa suum objectum, quia reducit suas conclusiones ad principia omnem naturalem certitudinem excedentia, nimirum ad articulos fidei. Conseq. verò probatur. Sufficit ad rationem scientiæ ut per ipsam intellectus firmiter adhæreat vero; nam cùm veritas sit finis omnium scientiarum, tunc profectò scientia censenda est habere suam essentialem perfectionem, quando per illam intellectus consequitur veritatem, eique firmiter adhæret. Imò ideo solùm evidentia actualis exigitur ad perfectionem scientiæ, quia per eam juvatur intellectus ad hoc ut habeat certiorem & immobiliorem veritatis assensum. Unde si absque evidentia haberi potest talis firma certitudo, sine illa etiam obtinebitur perfectio essentialis scientiæ. Ergo si Theologia sit cognitio certa parta per discursum, est etiam vera scientia.

Ex quibus solutum manet præcipuum argumentum oppositæ sententiæ, quod in illa carentia evidentiæ innititur. Nam quamvis ad perfectum statum scientiæ exigatur evidentia, ut intellectus adhæreat veritati, non solùm fortiter, sed etiam suaviter; tamen hoc non requiritur ad perfectionem essentialem, modò certitudine immobili gaudeat. Adde quod licèt Theologia per accidens sit obscura, quia in nobis conjungitur fidei, quæ est *argumentum non apparentium*, ut ait Paulus, & *lucerna lucens in caliginoso loco*, ut dicit Petrus, tamen Theologia per se postulat evidentiam, & conjungi cum lumine gloriæ, cui subalternari posteà dicemus. Unde non desinit habere veram scientiæ rationem: sicut habitus qui per accidens ex dispositione subjecti esset facilè mobilis, non desineret esse verus habitus, si per se exigeret firma & immobilia principia. Ex quibus etiam intelligas, quid sibi velint Aristoteles & D. Thom. cùm ad scientiam requirunt evidentiam. Nam vel loquuntur de scientia in statu perfecto, vel de evidentia aptitudinali, quam debet habere omnis scientia inclinando ad evidentiam actualem.

Objicies. Illa facultas non est scientia, sed opinio, quæ elicit actus opinativos: Sed Theologia elicit multos actus opinativos, ut cùm discutit circa conclusiones probabiles, de quibus sunt tot Doctorum sententiæ: quæ sanè discordia argumento est, de illis dari solam opinionem, non certitudinem convincentem: Ergo Theologia non est scientia.

Huic argumento respondent multi, etiam Thomistæ, habitum scientiæ elicere actus opinativos, non primariò, sed secundariò, & minùs principaliter, non defectu scientiæ, sed fuentis: sicut generans non semper producit effectum perfectum, sed aliquando imperfectum & monstruosum, ob aliquod impedimentum, vel incapacitatem materiæ. Verùm hæc solutio ingentes patitur difficultates. *Primò* ex illa sequitur, nullum dari habitum opinativum, contra omnes Dialecticos in libris posteriorum; siquidem scientia omnis poterit secundariò se extendere ad actus opinativos intra sphæram sui objecti. *Secundò* implicat, potentiam vel habitum ferri extra suum objectum formale specificativum: Objectum autem formale & specificativum scientiæ est verum certò, & immobiliter notum per medium infallibile; objectum verò opinionis est verum cum formidine cognitum, & per medium fallibile & nutans. *Denique* actus opinativi sæpe repetiti generant habitum, vel perficiunt præcedentem: Sed non perficiunt habitum scientiæ: Ergo generant habitum opinionis, qui posteà similes actus opinionis elicit. Unde

Resp. Theologiam & cæteras omnes scientias habere sibi adjunctos habitus opinativos subordinatos, & veluti ministrantes, quorū est elicere actus opinativos pertinentes ad objectum talis scientiæ. Nec propterea

dicendum erit, dari plures Theologias; quia habitus opinativus scientifico subjicitur, & deservit in ordine ad idem objectum; & teste Philosopho, *ubi sunt plura propter unum, ibi est unum tantum.*

Objicies iterum: Scientia non agit de singularibus, nec de contingentibus; sed tantùm de universalibus, & necessariis: At Theologia agit de Deo entium singularissimo, & de actibus humanis, utique contingentibus: Ergo non est scientia.

Respondeo, quod licèt non possit dari scientia de singularibus creatis, quæ infallibilem certitudinem non habent, sed variabilem & contingentem; potest tamen dari scientia de singulari necessario, qualis est Deus: imò & de aliis quibuscunque singularibus revelatis, quibus divina veritas immobilem præbet certitudinis firmitatem. De actibus autem humanis agit Theologia in communi; de casibus verò particularibus, ex principiis inconcussis legis æternæ, Evangelii, & traditionis Ecclesiæ, quibus nihil firmius & fundatius.

Posterior pars, quæ tradit objectum Theologiæ, sic ostenditur: Illud dicitur à Philosophis objectum formale, & specificativum alicujus scientiæ, cujus cognitio principaliter quæritur, & ad quod reducuntur omnia quæ traduntur in tali disciplina: Atqui id quod principaliter inquirit Theologia, est cognitio Deitatis; & ea quæcunque tractat, reducit ad Deum, vel tanquam pertinentia ad ipsummet per modum proprietatis, ut cùm agit de attributis, & personis Divinis; vel per modum effectus, cùm ad creaturas descendit; vel tanquam media ad Deum perducentia, vel abducentia, ut cùm edisserit de virtutibus, gratia, legibus, Sacramentis, vitiis & peccatis: Ergo Theologia habet Deum pro objecto formali & specificativo.

Objicies: Ad rationem objecti specificativi & totalis requiritur quod possit prædicari de omnibus partibus scientiæ, sicut ens naturale prædicatur de omnibus partibus Physicæ, ens rationis de omnibus & singulis Logicæ partibus: Atqui Deus non potest prædicari de omnibus partibus Theologiæ, imò de nullo, nisi de seipso: Ergo licèt sit præcipua pars objecti Theologiæ, non est tamen objectum formale totale, sed potiùs ens Divinum cognoscibile per revelationem, ut etiam tradit S. Thom. *quæst.* 1. *prologi lib.* 1. *Sent.*

Respondeo: Non esse necesse, ut objectum formale prædicetur in recto de omnibus quæ traduntur in scientia, sed sufficere quod prædicetur in obliquo, ut loquuntur: id est, requiritur ut omnia, quæ Theologus tractat, in ordine ad Deum consideret, v. g. non est necesse, quod Deus prædicetur de virtutibus, sed requiritur ut Theologus agat de virtutibus, prout dicunt ordinem ad Deum, aliàs pertinet ad Ethicam de eis disputare. Sicut licèt charitas præter Deum alia amet, de quibus Deus non prædicatur; solus tamen Deus summè dilectus est objectum charitatis, quia nihil diligit, nisi in ordine ad Deum. Fateor tamen objectum extensivum, prout amplectitur formale & materiale, esse ens Divinum, vel ens revelabile, & de hujusmodi objecto loquitur S. Thom. loco citato Sentent.

Reflexio.

Vide quàm pura sit & immaculata Theologiæ nostræ occupatio. Deum solum quærit, nec aliud quodcumque objectum qualibet dignitate insigne, ne quidem inspicere dignaretur, nisi in illo divinus quidam ordo, & veluti radius emicaret. Vera divinæ scientiæ æmulatrix, quæ primariò essentiam divinam tanquam objectum unicum contemplata, inde ad creaturas divinam eminentiam deficienter adumbrantes secundariò fertur. Hic etiam unicus Christianæ perfectionis scopus, *Quærere primùm regnum Dei*; cæteris verò eatenus attendere, quatenus ad gloriam Dei perducunt. Eleganter, nec minùs piè D. Leo serm. 5. de jejun. 7. mens. cap. 3. *Duo amores sunt, ex quibus duæ prodeunt voluntates, ita diversis qualitatibus sicut dividuntur authoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi: in dilectione Dei nulla nimia; in amore mundi cuncta sunt noxia: & ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter utendum est, ut peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi huius occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis.*

Speculatio III.

Theologia sub divina revelatione virtuali, & veluti magisterio procedit: unde est una simpliciter scientia.

PRima pars ut intelligatur, sciendum præter formale objectum *Quod*, quod consideratur ab aliqua scientia, debere etiam assignari rationem *sub qua* procedit, seu lumen, & principia quibus dirigitur ad tale objectum contemplandum. Sicut potentia visiva considerat pro objecto formali coloratum, ratio verò *sub qua* illud inspicit, est lux. Sic Physica considerat corpus sub ratione mobilis; Medicina sub ratione sanabilis. Quo supposito

Probatur ex discrimine, quod fidem inter, visionem beatam, Metaphysicam, & Theologiam nostram invenitur, quæ enumerata licèt in hoc conveniant, quod Deum respiciunt; in hoc tamen differunt, quod diverso calle procedunt, & sub diverso lumine ad Deum tendunt. Fides enim Deum inspicit sub lumine immediatæ revelationis; nullo enim inclinatur motivo, ut credat Deum esse trinum, nisi quia Deus revelavit. Visio beata Deum intuetur per lumen gloriæ, quo perfunditur intellectus beatus, divinam essentiam ut in se est, detegens. Metaphysica verò de Deo disputat, lumine ex creaturis mendicato. At verò Theologia nostra circa Deum occupatur lumine ex principiis revelatis mediante discursu emanante. Ergo meritò diximus, revelationem virtualem, seu mediatam, esse rationem *sub qua* Theologiæ, quia virtus & efficacia assensus fidei circa articulum revelatum fluit, & transit mediante discursu usque ad assensum conclusionis legitimè deductæ: v. g. isti propositioni, *Christus est homo*, assentior immediatè per fidem, quia conceptis verbis habetur in Scripturis: isti verò *Christus est risibilis*, assentior, quia Deus revelando primam, revelavit etiam virtualiter secundam, quæ per discursum necessariò ex prima profluit; & hoc est quod intelligimus nomine *revelationis virtualis, & Magisterii Divini.* Ex quibus sine ullo negotio solves quidquid opponi posset contra hanc partem.

Secunda pars habet plures adversarios extra scholam S. Thom. qui credunt omnem scientiam totalem, subindeque Theologiam ipsam constare multis habitibus partialibus, qui diversis demonstrationum actibus gignuntur, & uniuntur inter se, vel per realem unionem, ut quidam volunt, vel per aggregationem solùm, cum aliqua tamen subordinatione,

dinatione, eo ferè modo quo temperamentum hominis dicitur unum, licèt constet ex multis realiter distinctis. Sententia tamen quam tradit D.Thom.hîc, *art.3.* & ubicumque tractat de unitate habituum & scientiarum.

Probatur & à priori, & à posteriori. A priori quidem, quia Theologia licèt agat de multis, ea tamen omnia considerat in ordine ad Deum, & quatenus divinâ revelatione innotescunt: Ergo verè est una specie scientia. Antecedens patet ex dictis speculat. præced. & 1. parte istius. Consequentia verò probatur. Habitus non distinguuntur, nec multiplicantur, nisi penes distinctionem objectorum formalium, & penes diversam rationem sub qua illa attingunt, ut est communis doctrina Philosophorum, qui nunquam adinvenerunt certiorem regulam ad discernendam diversitatem vel unitatem scientiarum, vel habituum, vel potentiarum: Sed si Theologia omnia considerat in ordine ad Deum, & sub lumine divinæ revelationis, unicum habet objectum formale, ut ex hactenus dictis est apertum: Ergo est unica specie, & indivisibilis scientia.

Confirmatur à posteriori, & simul præoccupantur adversariorum objecta. Sufficit indivisibilis qualitas in Theologia, ut se extendat ad omnes conclusiones, quas elicit in toto suo decursu: Ergo non sunt plures admittendi habitus. Consequentia patet, frustra enim fit per plura, quod potest fieri per pauciora, nec sunt multiplicanda entia sine necessitate. Antecedens verò ostenditur. Vna & eadem potentia intellectiva realiter indivisibilis potest se extendere ad plura & diversissima intelligibilia, licèt unum sit alio difficilius: eadem potentia visiva ad omnia visibilia: unus habitus infusus ad plura contenta intra suum objectum, putà eadem fides ad omnia credibilia, licèt distinctæ sint in diversis articulis difficultates: eadem charitas ad omnia diligibilia, licèt difficilius sit diligere inimicum quàm amicum: eadem prudentia ad omnia agibilia, quantumvis in diversis materiis novæ occurrant difficultates evincendæ. Ergo similiter una & eadem indivisibilis Theologia poterit se extendere ad omnes conclusiones contentas intra sphæram sui objecti:nam ideo illa omnia recensita sunt unica qualitas, quia feruntur in objecta sua partialia sub una ratione formali omnibus communi, quantumcumque emergant diversæ difficultates. Quidni similiter Theologia erit una, licèt feratur ad plures conclusiones intra ambitum sui objecti comprehensas, quantumvis una sit aliâ difficilior? In quâ nova difficultate innititur præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum, ad quod proinde responsum manet.

Confirmatur amplius. Si Theologia non esset simplex qualitas, sed constaret pluribus partialibus, non esset ens per se, sed per accidens, & per aggregationem; siquidem constaret pluribus habitibus completis: nam primus habitus per primam demonstrationem generatus, verè ponitur in prædicamento qualitatis, & similiter secundus; ex pluribus autem entibus completis non potest fieri ens per se, sed per accidens: Atqui Theologia non potest dici ens per accidens, & per aggregationem (quidquid dicant aliqui moderni, id ultrò admittentes de omni scientia totali) eo modo quo acervus lapidum, vel temperamentum; quia sic destruitur omninò unitas scientiarum, & eadem facilitate dicere poterunt, omnes scientias esse unicam scientiam, omnes virtutes esse unicam virtutem, utpote in eodem intellectu, vel voluntate congregatas: Ergo.

Pro pleniori solutione objectionum, habeto semper præ oculis, omnia adversariorum argumenta posse in ipsos retorqueri, quatenus admittunt potentias naturales, & habitus infusos esse simplices qualitates.

Objicies: Illa scientia non est unica, quæ habet multiplicitatem partium: Sed Theologia habet multiplicitatem partium; alia enim pars agit de Deo, alia de Angelis, alia de hominibus, &c. Ergo Theologia non est unica.

Confirmatur: Vbi sunt diversæ difficultates, ibi ponendi sunt diversi habitus; non enim dantur habitus, nisi ad eas superandas: Atqui sæpè Theologus habet facilitatem ad unam conclusionem, patiens difficultatem circa aliam, ut experientiâ compertum est: Ergo in Theologia sunt diversi partiales habitus.

Confirmatur secundò: In Theologia dantur plures actus & demonstrationes diversissimæ: Sed quælibet demonstratio producit suum habitum partialem facilitantem ad similes actus; non enim est potior ratio, cur una producat habitum magis quàm altera: Igitur idem quod prius.

Respondeo, quod si hæc argumenta aliquid probarent, concluderent etiam, dari unum intellectum de universalibus, alium de singularibus; aliam charitatem circa amicum, aliam circa inimicum, cùm sint diversi actus eliciendi, distinctæque difficultates in eliciendis illis actibus: & certè si in moralibus tot essent virtutes, quot sunt earum actus diversi & materiæ distinctæ, admittendæ essent innumeræ misericordiæ, & justitiæ; quod est reddere virtutes monstruosas. Nam, ut lepidè ait Soto, quis diceret esse plures habitus justitiæ in mercatore, alium ad emendum frumentum, alium ad vendendum vinum, & singulis nundinis novos sibi habitus comparare? Itaque sufficit unicus habitus, qui semel acquisitus ad omnia alia se extendit, quæ in eadem ratione formali objecti conveniunt; sicque idem habitus Theologiæ agit de Deo, Angelis, & hominibus.

Ad primam confirmationem respondeo, habitus non multiplicari propter novas difficultates accidentales, quæ proveniunt ex defectu applicationis rationis formalis ad tale objectum, vel defectu exercitii removentis impedimenta, vel ex alia circumstantia, quæ se tenet ex parte operantis, qui fortè nondum comparavit; vel ordinavit sufficientes species; aliàs tot essent habitus quot species rerum ordinandæ: solùm ergo debent multiplicari habitus propter novam difficultatem essentialem, & est illa quæ provenit ex diversa ratione formali objecti. Difficultates autem allegatæ sunt tantùm accidentales, quæ non exigunt novi habitus productionem, sed usum, & exercitium præcedentis. Quæ difficultas accidentalis non est contra rationem habitus, ut patet in virtutibus infusis, in Sacramentis, & justificatione, quæ non tollunt hujusmodi accidentalia impedimenta.

Ad secundam confirmationem simili distinctione respondetur, dari in Theologia plures demonstrationes pertinentes ad idem formale objectum, non ad diversum; unde secunda demonstratio, si invenit habitum productum, ipsum non generat, sed extendit ad novam conclusionem, sicut lux extenditur ad illustrandos diversos colores, non additione lucis, sed nova sui applicatione: sicut anima extenditur ad informandas diversas partes materiæ, non additione sui, sed incremento materiæ cui applicatur: sicut relatio prædicamentalis fertur ad plures terminos materiales, invariata manens: sicut charitas amans amicum, inimicum etiam amplectitur, & sic de aliis. Ex quo fit etiam, quod cùm quis amittit facilitatem

facilitatem circa primam conclusionem, cujus obliviscitur, remanente memoria circa alias, non propterea corrumpitur habitus, sed solùm desinit se extendere ad illam; sicut non perit anima, dum desinit informare brachium aridum.

R e f l e x i o.

Si Theologia nostra Deum unicè considerat, si omnia reducit ad Deum, si divino solùm lumine procedit, ut per hoc una sit; profectò non Theologus dicendus es, si aliquid extra Deum tuis in studiis, vel actibus quæras: nec unicus eris, sed multiplex; foris Theologus, intus Paganus, similis his de quibus dicitur, *in corde & corde loquuti sunt*; & rursum, *væ duplici corde*: quia dum ad multa cor nostrum dilabitur, continuò dividitur, & multiplex evadit. Vetus Theologus D. Thomas, qui Christo opera sua inauguranti, & quam vellet mercedem sciscitanti respondit, *non aliam nisi teipsum*. Vide etiam quo lumine procedebat, de quo scriptum est, *Nunquam se lectioni aut scriptioni dedit, nisi post orationem*. Legerat nimirum præclarum illud Augustini monitum in Psalm. 146. *Ex luce Dei consilium nobis demus*. Id est, omnia lumine divino inspiciamus, singula præviâ oratione resolvamus, in dubiis non fallacem humanæ rationis regulam, vel mendaces filiorum hominum stateras, sed Deum consulamus, ut impleamus illud Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Sic erimus veri Theologi, & sub divino magisterio unitatem illam obtinebimus, quâ Deum ipsum vulnerabimus; dicit enim de anima contemplante & quærente se, *vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum*.

CAPUT II.

Variæ Theologiæ dotes percensentur.

TAm nobilem Theologiæ naturam, quæ ex objecti dignitate pensatur, non potest non comitari innumerabilis honestas proprietatum. Eas ad quinque reduco. *Primò*, scientiæ Dei & Beatorum subalternatur. *Secundò*, est formaliter eminenter speculativo-practica. *Tertiò*, est vera sapientia. *Quartò*, est certior omni habitu & scientia naturali. *Quintò*, est entitativè supernaturalis.

S p e c u l a t i o I.

Theologia scientiæ Dei, & Beatorum subalternatur, estque formaliter simul, & eminenter speculativo-practica.

PRima pars, seu prima prærogativa ut suadeatur, sciendum quod sicut scientia subalternans est illa quæ sub se aliam continet, ita subalternata est ea quæ sub alia continetur. Tribus autem modis potest una scientia contineri sub alia. *Primò*, ratione finis, quando scilicet finis unius subordinatur fini alterius, v. g. finis artis dolandi lapides subordinatur fini artis ædificatoriæ, quod est ædificium. *Secundò*, ratione principiorum, quando una scientia mutuatur aliquod principium ab altera, licèt habeat sua propria. Sic omnes scientiæ possunt dici subalternatæ Metaphysicæ, à qua omnes aliquod principium desumunt. Quod si omnia omninò principia ab alia accipiat, ei strictè subalternabitur. *Tertiò*, ratione objecti, quando objectum unius continetur sub objecto alterius, vel potiùs est ipsummet objectum scientiæ superioris, addens aliquam differentiam accidentalem: sic Musica subalternatur Arithmeticæ, quia supra numerum, qui est objectum istius, addit differentiam harmonici, vel sonori; objectum enim Musicæ est numerus sonorus. Iam

Probatur. Theologia habet illa omnia enumerata respectu scientiæ Dei, & Beatorum, quæ diximus convenire scientiis subalternatis. Nam habet eundem finem, qui est cognitio summæ veritatis, ut est in se: desumit etiam omnia sua principia à Deo, qui nobis illa communicat per fidem; habet etiam idem objectum cum aliqua differentia accidentali, nempe Deum sub lumine revelationis virtualis cognitum: accidentale enim est Deo cognoscibili, quod cognoscatur vel per lumen gloriæ, vel per lumen fidei: Ergo Theologia propriè scientiæ Dei, & Beatorum subordinatur.

Sed dices: Si Theologia subordinaretur scientiæ beatæ, maneret in patria; omnis enim scientia subalternata petit naturaliter conjungi suæ subalternanti, ut ab ea perficiatur, utque sibi innotescant principia, quæ credit: Sed Theologia non perseverat in patria, quia cùm sit filia fidei, est habitus obscurus, proindeque incompatibilis cum clara visione: Ergo Theologia non subalternatur scientiæ Beatorum.

Respondeo fatendo, Theologiam nostram perseverare in patria, juxta tritum illud Hieronymi *epist. ad Paul.* pronuntiatum: *Discamus in terris talem scientiam, quæ nobiscum perseveret in cælis.* Neque enim Theologia est essentialiter obscura, sicut fides, sed per accidens, ratione status quem habet in intellectu nostro, qui quandiu peregrinatur à Domino, divina cernit in ænigmate: quas omnes obscuritatis tenebras ab ea expellet visio clara Dei. Et tunc implebitur illud Apostoli, *sive scientia destruetur*; quod tamen permissive, non absolutè pronuntiat: sed quidquid sit, id intelligitur de destructione imperfectionis scientiarum nostrarum, quæ tunc evacuabitur.

Vrgebis: Habitus productus per actus essentialiter obscuros est essentialiter obscurus; omne enim agens producit sibi simile: Sed Theologia gignitur mediis actibus fidei, qui sunt essentialiter obscuri: Ergo Theologia est essentialiter obscura, sicut fides.

Respondeo: Actus fidei non generare habitum Theologiæ ratione obscuritatis quam habent, sed per tendentiam in objectum, quam important, & in qua producunt sibi simile, unde Theologia non est essentialiter obscura, sicut est fides. Quemadmodum habitus charitatis gignitur ab actibus amoris Dei, non prout sunt liberi, sed prout tendunt in Deum summè dilectum. Vnde habitus charitatis non est essentialiter liber, sed tantùm id habet in via: in patria verò, in qua perseverat (nam *charitas nunquam excidit*) actus ejus fit necessariò, cùm appareat omnimoda ratio boni.

Secunda pars, seu alterum Theologiæ privilegium, sic probatur. Theologia non sistit in sola contemplatione sui objecti, sed insuper se extendit ad operationes, quas dirigit: neque enim divinas veritates otiosè solùm speculatur, sed etiam tradit normam bonæ & christianæ operationis, atque principia rectè vivendi. Quorum omnium radix est, quia Deus, qui est ejus objectum, est prima veritas, & ultimus finis, supremum intelligibile, & summum bonum. Ergo est simul objectum speculationis, & regula indefectibilis actuum humanorum, qui à fine diriguntur. Atqui rationes quæ sunt in objecto formali, resplendent in habitu ipsum contemplante.

plante. Ergo utramque rationem speculationis & praxeos Theologia adunat.

Et sanè si Metaphysica est speculativa, quia primam veritatem contemplatur; si Moralis est practica, quia de ultimo fine, mediisque ad ipsum ducentibus differit, Theologia quæ utrunque præstat, dicetur speculativo-practica, eo pacto quo anima rationalis est formaliter eminenter vegetativa, sensitiva, & intellectualis; & quo lux Solis dicitur virtus calefactiva, liquefactiva, & illuminativa.

Objicies. Illa scientia non est practica, cujus objectum non est operabile: Sed Deus, qui est objectum Theologiæ, non est operabilis: Ergo Theologia non est practico-speculativa.

Respondetur, quod sicut teste D. Augustino, ad Deum non accedimus gressibus corporis, sed mentis affectibus; ita Deus non est operabilis physicè, sed moraliter, quatenus est bonis & christianis actibus assequibilis, visione tandem & fruitione possidendus. Vnde Bernard. ponderans illud Psalm. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur,* ait serm. 31. in Cant. *Accedendum ad eum, non irruendum, ne irreverens scrutator majestatis opprimatur à gloria. Nec locis sunt accedendum, sed claritatibus, ipsisque non corporeis, sed spiritualibus, tanquam à Domini spiritu. Qui itaque clarior, ille propinquior: esse autem clarissimum, pervenisse est.*

Fateor quidem cum D. Thoma Theologiam esse magis speculativam quàm practicam, quia magis & diutiùs in divinis contemplandis immoratur: non tamen illis asseotior, qui credunt in quolibet actu theologico relucere rationem speculationis & praxis. Quid enim praxeos habet hæc speculatio, *In Deo sunt quatuor relationes?* Neque est necesse quod adæquata ratio formalis objecti & habitûs in quolibet actu resplendeat, sicut nec quilibet actus animæ rationalis est simul vegetatio, sensatio, & intellectio.

R e f l e x i o.

Si Theologia speculativa simul & practica sit, certò scias te nunquam absolutum Theologum evasurum, quandiu theoriam non reduces ad opus. Theologia est filia fidei quæ sine operibus mortua est; & ejus disciplina præceptores qui *cœpit facere & docere.* Illis qui dicunt & non faciunt, applicat Greg. illud Ezech. 34. *Cum ipsi limpidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris turbabatis, & oves meæ quæ pedes vestri turbaverunt, hæc bibebant.* Quæ sic explicat 1. part. Past. cap. 2. *Aquam limpidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis rectè intelligentes hauriunt. Sed eandem aquam pedibus conturbare, est sanctæ meditationis studia malè vivendo corrumpere. Aquam eorum turbatam pedibus oves bibunt, cum subjecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed solùm quæ inspiciunt opera pravitatis imitantur.* Succinit egregiè Bern. serm. 69. in Cantic. *Dabis voci tuæ vocem virtutis, si quod suades, illud prius tibi noveris persuasisse. Validior operis, quàm oris vox.* Et serm. 36. *Cibus indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, & corrumpit corpus, & non nutrit. Ita multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atque actus transfusa, nonne illa scientia reputabitur in peccatum? An non inflationes & torsiones in conscientia sustinebit qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum, & non faciens?*

S p e c u l a t i o II.

Theologia est certior omni habitu & scientia naturali: est etiam vera sapientia.

Prima pars tradit tertium Theologiæ encomium, & probatur. Illa scientia est certior, quæ utitur medio magis vero, infallibili, & invariabili: Sed Theologia in deducendis suis conclusionibus utitur medijs infallibilioribus, quàm sint quæcumque principia naturaliter nota, nempe articulis fide divina creditis, & revelatis à Spiritu sancto, qui est causa firmior & immobilior quàm natura, quæ nos inclinat ad assensum primorum principiorum: Ergo certitudo Theologiæ transcendit omnem certitudinem scientiæ & cognitionis cujusvis naturalis, cùm sit innixa verbo Dei immutabili.

Confirmatur. Assensus fidei est certior omni assensu naturali, ut aliàs dicetur, & de eo sic loquitur Bern. in epist. ad Innoc. 190. *Oportet*, ante med. *Absit ut putemus in fide aliquid dubiâ æstimatione pendulum, & non magis totum quod in ea est, certâ ac solidâ veritate submixum, oraculis & miraculis divinitus persuasum, stabilitum & consecratum partu Virginis, sanguine Redemptoris, gloriâ Resurgentis. Testimonia illa credibilia facta sunt nimis. Scio cui credidi, & certus sum, clamat Apostolus: & tu mihi ambiguum garris, quo nihil est certius. Academicorum sunt istæ æstimationes, quorum est dubitare de omnibus, scire nihil.* Ergo & assensus Theologiæ; nam firmitas principii diffunditur & communicatur conclusioni ex ipso legitimè deductæ.

Confirmatur rursus præclarâ doctrinâ D. Thomæ, quâ tota hæc difficultas elucidatur. *Dicendum* (inquit secunda secundæ, quæst. 4. art. 8.) *quod cæteris paribus visio est certior auditu. Sed si ille à quo auditur, excedit visum videntis, sic certior est auditus quàm visus: sicut aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quàm de eo quod sibi secundùm suam rationem videtur. Et multò magis homo certior est de eo quod audit à Deo qui falli non potest, quàm de eo quod videt propriâ ratione, quæ falli potest.* Igitur certitudo Theologiæ quæ fundatur in articulis auditis à Deo, vel ab Vnigenito qui est in sinu Patris, major est certitudine cujuscumque cognitionis naturalis. Vnde intrepidè dicebat Aug. lib. 7. confess. cap. 10. *faciliùs dubitarem vivere me,* (quæ tamen est veritas omnium naturalium notissima, & maximè sensibilis) *quàm esse vera quæ audivi.*

Objicies. Theologus interdum patitur nonnullos dubitationis motus, tum circa principia fidei, tum circa conclusiones ex iis necessariò illatas, quos non experitur habens scientiam naturalem, cujus intellectus quietè adhæret veritati: Sed ubi est motus vacillationis & fluctuationis, non est firmitas: Ergo Theologia non habet omnimodam firmitatem.

Respondeo, illos titubantis animi fluctus non ex debilitate motivorum Theologiæ, quæ immobilia sunt, provenire; sed ex infirmitate intellectus, qui solet esse inquietus donec videat, & clarè veritatem intueatur. Certitudo autem scientiæ, sicut & naturæ habituum, non ex subjecti dispositione, sed ex motivorum & principiorum stabili & inconcussâ firmitate pensanda est. Itaque argumentum probat dumtaxat certitudinem scientiæ naturalis esse connaturaliorem & conformiorem intellectui, qui semper prætendit veritatem videre; quod obscuritas fidei non permittit, cùm potiùs in sui obsequium intellectum captivet; & captivando non ita suaviter pacet facultatem subjectionis impatientem, perspicuitatis amicam.

Secunda pars quæ tradit quartum Theologiæ characterem, probatur. Sapientia est cognitio rerum per altissimas causas, ut in genere ædificii ille dicitur sapiens, qui præsidet ministris inferioribus qui dolant ligna vel parant lapides; in moralibus ille dicitur sapiens qui ordinat actus humanos in ultimum finem: Atqui Theologia considerat causam omnium altissimam, scilicet Deum; & per altissimas rationes, scilicet per articulos fidei, quos caro & sanguis non revelavit, sed Pater qui est in cœlis, per Vnigenitum qui est in sinu suo, cognoscit suas conclusiones, in quibus continentur motiva omnem humanam rationem transcendentia: Ergo Theologia est vera sapientia.

Confirmatur. Proprium est sapientiæ ferre judicium de aliis, juxta illud Apostoli 1. Corinth. 2. *Spiritualis homo judicat omnia, & ipse à nemine judicatur.* Et ratio est, quia cùm sapiens res omnes in altioribus principiis consideret, ad ipsum pertinet de inferioribus ferre sententiam: Atqui hoc præstat Theologia, quæ non solùm infert conclusiones ex principiis & articulis fidei, quod proprium est scientiæ; sed etiam principia aliarum scientiarum examinat, & in fidei obsequium captivat. Quin etiam ipsorum articulorum fidei credibilitatem explicat, declarat, defendit: qua in re licèt absolutè fidei discipula sit, quoddam tamen in ipsam fidem exercet magisterium, quatenus illam suasibilem reddit, ejus difficultates explanat, hæreticorum oppositionibus resistit, ut omnes perveniant ad notitiam veritatis, quæ est ultimus finis creaturæ rationalis, & consequenter vera sapientis occupatio. Ergo Theologia est perfectissima sapientia.

REFLEXIO.

Si sapientia de omnibus judicat, ille verè sapiens erit & solidus Theologus, cui res sapiunt prout sunt, ut scilicet meliora pluris, minora minùs, minima minimè æstimet: quia igitur Deus summum bonum est, & ea meliora quæ magis ad Deum accedunt, profectò ille sapiens est cui Deus super omnia, cætera verò in ordine ad Deum sapiunt, implens præceptum Apostoli dicentis Coloss. 3. *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Hanc solidæ sapientiæ Maximam tradit Bern. serm. 50. in Cant. *Quis sapiens, & intelliget hæc? Da mihi hominem, qui ante omnia quidem ex toto se diligat Deum, se verò & proximum, inquantum diligunt ipsum Deum, inimicum autem tantum aliquando forsitan dilecturum: porrò parentes carnis suæ germaniùs, propter naturam; spiritnales verò eruditores suos profusiùs, propter gratiam: atque in hunc modum ad cætera quæque Dei ordinato intendat amore, despiciens terram, suspiciens cœlum, utens hoc mundo tanquam non utens, & inter utenda & fruenda intimo quodam sapore discernens, ut transitoria transitoriè, & ad id duntaxat quod opus, & prout opus est, curet; æterna desiderio amplectatur æterno: talem, inquam, da mihi hominem, & ego audacter illum sapientem pronuncio: cui minirum quæque res revera sapiunt prout sunt, & cui in veritate atque securitate competit gloriari & dicere, Quia ordinavit in me charitatem. Sed ubi ille, aut quando ista?* Examina te, & responde Lector.

SPECULATIO III.

Habet insuper Theologia quod sit entitativè supernaturalis.

HÆc quinta Theologiæ excellentia est magis controversa. Plures enim asserunt Theologiam esse duntaxat radicaliter, originativè, & præsuppositivè supernaturalem, quatenus tota innititur articulis fidei utique supernaturalibus, circa quos exponendos illustrandosque occupatur, & ex quibus suas deducit conclusiones: cæterùm negant ipsam esse entitativè supernaturalem. Sed nos opinamur quod si sit radicaliter supernaturalis, est etiam entitativè talis. Nam ut dicitur Rom. 2. *Si radix sancta, & rami.*

Probatur primò à priori. Illa scientia est entitativè supernaturalis, cujus objectum specificativum est supernaturale, & cujus ratio formalis sub qua illud considerat est etiam supernaturalis: Atqui objectum Theologiæ est supernaturale; ratio etiam sub qua illud contemplatur est pariter supernaturalis: Ergo Theologia est entitativè supernaturalis. Major est in confesso apud omnes, quale enim objectum formale, talis est scientia & habitus; & planè repugnat quod aliqua potentia vel habitus entitativè naturalis respiciat objectum supernaturale tanquam sibi proprium, connaturale, & proportionatum. Minor etiam videtur manifesta: nam objectum Theologiæ est Deus consideratus secundùm illas rationes quæ superant omnem naturam creatam vel creabilem, uno verbo prout cognoscitur à fide, quæ utique fertur ad Deum ut authorem supernaturalem. Ratio etiam sub qua Theologia Deum contemplatur, est quoque supernaturalis, per hoc enim distinguitur à Metaphysica, quòd ista agit quidem de Deo, sed lumine à rebus naturalibus mutuato, & quoad rationes ex creaturis cognoscibiles: at verò Theologia de Deo tractat sub lumine divinæ revelationis, nec aliis principiis, mediis, aut motivis utitur quàm articulis supernaturalibus fidei.

Confirmatur. Præmissæ verè & realiter influunt in conclusionem in genere causæ efficientis, ut docetur in Logica: Ergo præmissa supernaturalis non potest non influere supernaturalitatem in conclusionem à se derivatam, causa enim efficiens id dat quod habet, & producit sibi simile quantum potest: Atqui præmissæ Theologiæ sunt supernaturales, cùm sint ipsi articuli fidei divinæ: Ergo conclusiones Theologicæ ex eis necessariò deductæ erunt verè supernaturales. Atque adeò habitus Theologiæ hujusmodi assensibus productus, & similes producens erit entitativè supernaturalis; facultas enim quæ habet & objectum supernaturale, & motiva supernaturalia, si supernaturalis non sit, nihil erit quod entitativè supernaturale dici possit.

Respondent, Theologiam agere quidem de Deo rebusque supernaturalibus, atque etiam ex articulis fidei procedere, sed mediante discursu naturali, idcóque ipsam esse entitativè naturalem. Adduntque articulos fidei dupliciter considerari: primò in se, ut dicunt ordinem ad primam veritatem revelantem; secundò quatenus dicunt ordinem ad conclusiones: primo modo aiunt principia Theologiæ esse supernaturalia; non secundo, prout scilicet dicunt ordinem ad conclusionem.

Sed contrà. Licèt Theologus utatur discursu, tamen ratio & motivum assentiendi conclusioni deductæ non est discursus, sed veritas fidei per discursum applicata; sicut ratio calefaciendi in igne non est approximatio, sed calor per approximationem applicatus: atqui ratio formalis scientiæ pensanda est ex motivo formali assentiendi, non ex discursu applicante, ut patet in syllogismo probabili producente opinionis habitum, & in demonstrativo producente scientiam; quia licèt uterque habitus producatur per discursum, medium tamen in utroque syllogismo est diversum, ex quo promanat diversus habitus;

habitus : Ergo Theologia, cujus ratio formalis, & motivum unicum propter quod assentitur conclusionibus, supernaturale est, supernaturalitatem obtinebit, quamvis discursus sit naturalis.

Confirmatur, radicitusque evellitur æquivocatio, quâ opposita sententia laborare videtur. Certum est quod Theologia discurrit. Quid mirum? vel quid inde? hoc enim omnibus omninò scientiis commune est. Physica v. g. discurrit circa ens naturale; Metaphysica circa ens reale: Anne propterea discursus est ratio formalis hujusmodi scientiarum? Minimè sanè; sed media uniuscujusque scientiæ & principia quibus innititur, habent quod sint ratio formalis illius. Ita similiter Theologia discurrit circa divina & supernaturalia: Ergóne propterea discursus est ratio formalis Theologiæ? Nequaquam. Sed est lumen divinæ revelationis, & firmitas articulorum fidei, qui debent quidem applicari per discursum, sicut & principia omnium scientiarum ex directione Logicæ in conclusiones derivantur; sed ipse assensus articulorum producit assensum conclusionis, & in scientiam influit. Ergo quod Theologia utatur discursu, hoc prorsus nihil facit ad naturalitatem vel supernaturalitatem habitus, quæ potiùs venanda est ex objecto formali, & ex motivis quibus scientia innititur.

Res exemplo fiet illustrior. Ad deducendam hanc conclusionem, *Christus est risibilis*, ex hoc principio fidei, *Christus est homo*, assumitur propositio universalis, *Omnis homo est risibilis*, tanquam ministra & conditio quâ applicatur, & simul explicatur præmissa supernaturalis, & hoc propter statum intellectus nostri qui indiget hujusmodi forma artificiosa. Itaque assentitur intellectus conclusioni theologicæ per discursum quidem, sed non propter discursum, sed solùm propter motivum fidei discursu applicatum: Ergo si tale motivum sit supernaturale, quantumvis applicatio sit naturalis, non potest non infundere supernaturalitatem conclusioni theologicæ.

Quod verò addunt, principia Theologiæ esse supernaturalia in se & per ordinem ad veritatem revelantem, non verò per ordinem ad conclusiones, omninò infirmum est. Tum quia operari sequitur esse; unde si esse hujusmodi principiorum sit in se supernaturale, operari ipsorum, qui est influxus in conclusionem, erit supernaturale. Tum quia omninò falsum est, in demonstratione theologica dari duplicem assensum præmissarum, alterum qui feratur in præmissas secundùm se, alterum qui feratur in præmissas ut sunt causæ conclusionis; hunc enim duplicem assensum negat manifesta experientia, nec ullus unquam Dialecticus excogitavit. Vnde eodem planè assensu Theologus fertur in præmissas secundùm se, & in easdem ut inferunt conclusionem: Sed assensus præmissarum secundùm se est supernaturalis: Ergo & assensus earundem, ut inferunt conclusionem, supernaturalis quoque est.

Probatur secundò à posteriori. Theologia iis insignitur dotibus, quæ non nisi scientiæ supernaturali competere possunt: Ergo Theologia est entitativè supernaturalis. Probatur antecedens. Scientia quæ subalternatur habitui supernaturali, debet esse supernaturalis; scientia enim subalternans & subalternata sunt ejusdem ordinis, & repugnat aliquid naturalis ordinis per se pendere ab aliquo supernaturali, & postulare illi naturaliter conjungi; nam hoc est contra ea quæ communiter docentur in materia de gratia, ubi monstratur nihil pertinens ad ordinem entitativè naturalem, per se disponere, vel connecti cum ente supernaturali. Scientia quoque cujus certitudo transcendit omnem certitudinem naturalem creatam & creabilem, est planè naturali major, proindeque supernaturalis; sicut si daretur numerus omni finito numero producibili major, procul dubio esset infinitus. Demùm scientia quæ est ita eminens, ut adunet differentias divisivas habituum & scientiarum naturalium, scilicet rationem speculationis & praxeos, profectò debet esse ordinis superioris ad scientias naturales.

Atqui Theologia his omnibus proprietatibus tanquam specialibus characteribus & singularibus monilibus fulget, ut ex hactenus dictis constat, nec inficiantur Authores qui ex adverso sunt: nam Theologia per se subordinatur scientiæ Beatorum, & fidei supernaturali, tanquam ejus vicariæ, postulatque Theologia visioni beatæ conjungi; pollet etiam certitudine supra omnem naturalem etiam primorum principiorum elevata: denique rationem speculationis & praxis in sua perfectione conciliat, & ideò est impressio scientiæ Dei, ut loquitur D. Thomas. Ergo Theologia habet omnes proprietates facultatis intrinsecè supernaturalis: & cùm proprietates sapiant conditionem essentiæ, Theologiæ essentiam supernaturalem esse necesse est.

Hanc Theologiæ supernaturalitatem, & singularis eminentiæ prærogativam præclarè illustrat Angelicus Præceptor in prolog. lib. 1. ad Annibal. in hoc quod Theologia omnes scientias præcedat quatuor privilegiis, nimirum *altitudine, pretiositate, communitate, & fructuositate*. Altitudine quidem, quia aliæ scientiæ versantur circa ea quæ subsunt judicio rationis: in Theologia verò traduntur ea quæ vim rationis excedunt. Vnde de illa usurpari potest illud Ecclesiastici 24. *Ego in altissimis habito*. Artes mechanicæ habitant in infimis, quia versantur circa singularia corporea. Scientia naturalis, scilicet Physica, habitat in altis, quia licèt agat de corporalibus, tamen ea considerat in universali. Metaphysica habitat in altioribus, quia agit de rebus etiam insensibilibus, sequendo rationis ductum. Sed Theologia habitat in altissimis, quia considerat ea quæ rationis intuitum transcendunt. Pretiositate verò propter suæ inquisitionis puritatem, omnem vanitatem & omne mendacium detestata: unde de ea intelligit ibidem S. Thomas illud Proverb. 31. *Pretiosior est cunctis opibus, & omnia quæ desiderantur, huic non valent comparari*. Communitate etiam, seu universitate, quia dum aliæ scientiæ circa determinata objecta occupantur, hæc doctrina de omnibus judicat. Vnde Augustin. epist. 3. ad Volusian. *Hic Physica, quia omnium causæ in Deo sunt: hic Ethica, quia vita bona & honesta non aliunde formatur, quàm cùm ea quæ diligenda sunt, diliguntur: hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis non nisi Deus est*. Fructuositate demùm, quia aliæ scientiæ non habent fructum, nisi in intellectus illustratione, hæc verò doctrina & intellectum sublimiter illuminat, & affectum dulciter accendit.

SOLVVNTVR OBIECTA.

Objicies. Theologia non est habitus infusus, sed acquisitus studio & labore humano: Sed habitus qui naturaliter acquiritur, non est supernaturalis; cùm habeat causas naturaliter ipsum acquirentes: Ergo Theologia non est habitus supernaturalis.

Respondeo fatendo Theologiam esse habitum acquisitum, non infusum: per hoc enim differt à Sapientia infusa, quæ est de sursum descendens, quòd Theologia vero studio humano comparatur. Cum quo stat Theologiam esse supernaturalem, utpote assensibus supernaturalibus articulorum fidei partam.

partem. Cùm enim non assentiamur conclusioni nisi propter præmissas, quando assensus præmissarum est supernaturalis, assensus conclusionis non potest esse naturalis.

Instabis: Virtutes supernaturales non possunt nostris actibus gigni, ut docent Theologi in materia de virtutibus, fundati in Augustino dicente, quod virtus est *bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Ergo si Theologia sit supernaturalis entitativè, non potest nostris actibus comparari.

Respondeo duplicem esse differentiam inter virtutes infusas & Theologiam. Prima est, quia virtutes morales infusæ sunt proprietates gratiæ, ad quam se habent ut passiones ad essentiam; nam sicut gratia est participatio divinæ naturæ, ita virtutes sunt expressiones divinorum attributorum. Vnde sicut repugnat gratiam produci nostris actibus, ita & virtutes; quia passiones postulant fieri per eandem actionem qua producitur essentia, cujus sunt veluti corollarium. At verò Theologia non est proprietas gratiæ, cùm non habeatur ab omnibus bonis.

Secunda differentia est, quia virtutes infusæ dant simpliciter posse in ordine supernaturali: unde sicut potentiæ nec gignuntur, nec augentur actibus nostris, sed ab eo infunduntur qui dat essentiam: ita virtutes illæ nec generantur, nec incrementum accipiunt actibus nostris, etiam supernaturalibus. At Theologia non habet rationem potentiæ in ordine ad cognoscenda supernaturalia, cùm supponat fidem; sed habet solùm rationem habitus, qui & ingenerari, & intendi actibus potest.

Insistes. Non est melior Theologus qui meliùs credit, sed qui meliùs discurrit, & penetrantiùs concipit veritates, ut subtiliùs eas deducat ex articulis fidei: Sed meliùs ratiocinari est effectus habitûs naturalis: Ergo Theologia est habitus naturalis.

Respondeo, falsum esse prorsus, illum esse meliorem Theologum qui acutiùs ratiocinatur; nam hæreticus interdum profundiùs materiam aliquam intelligit, subtiliusque quandoque philosophatur: Absit tamen, ut hæretici boni Theologi dicantur, cum in illis Theologia non sit, sicut nec fides, à qua non minùs essentialiter pendet, quàm pendeat assensus conclusionis ab habitu principiorum, quo pereunte, scientiam destrui necesse esset. Quare in hæreticis est tantùm Theologiæ cadaver & aurichalcum; vel meliùs, est in illis Dialectica sophistica rebus divinis se immiscens, quibus non assentiuntur ex motivo supernaturali, sed ex propriæ voluntatis electione. Melior ergo Theologus ille censendus est, qui veritates fidei profundè meditatus, eo firmiùs adhæret conclusionibus deductis, quo videt eas ex revelatis proximiùs emanare. Et evidenter insto in scientia infusa Christi: nam secundùm discipulos S. Thomæ, Christus per scientiam infusam poterat ad libitum discurrere: imò per scientiam infusam Sancti discurrunt (cùm habitus infusi in potentiis recipiantur & operentur ad modum facultatis recipientis) & inter Sanctos unus alio meliùs, acutiùs, sublimiùs ratiocinatur. Ergo evidens est discursum non impedire supernaturalitatem Theologiæ, nec meliorem discursum aliquorum suadere ejus naturalitatem. Addo non solùm ingenii acumen, sed etiam auxilium Dei oratione obtentum, ad Theologiam veram conducere, ut viam veritatis eligat, & omnia decidat Theologus non regula Lesbia probabilismi, sed lumine divino.

Persistes: In discursu demonstrationis Theologicæ potest adhiberi præmissa naturalis, & quamvis utraque præmissa sit supernaturalis, tamen intellectus qui est potentia naturalis, proximè & immediatè deducit conclusionem Theologicam: ergo assensus illius conclusionis est naturalis, & consequenter ipsa Theologia per talem assensum parta. Antecedens patet: probatur consequentia. De supernaturalitate alicujus effectus non est judicandum ex causa radicali, remota, & mediata, sed ex proxima, quæ si sit purè naturalis, effectum naturalis ordinis producet: quia nimirum virtus causæ remotæ modificatur per influxum causæ proximæ, sicut virtus Solis determinatur per actionem causarum sublunarium: & generaliter omnis causa superior, cum causa secunda forti fortiter, cum infima debiliter agit; unde & in Logica communiter dicitur, quod *conclusio sequitur debiliorem partem.* Atqui præmissa naturalis est debilior pars in demonstratione Theologica, & quando utraque præmissa est supernaturalis, intellectus tamen qui immediatè producit assensum conclusionis, est ordinis naturalis: Ergo assensus conclusionis Theologicæ est entitativè naturalis, & consequenter habitus Theologiæ per talem assensum productus est etiam naturalis.

Respond. ex hoc argumento potiùs demonstrari, quod quando utraque præmissa est supernaturalis & revelata, tunc assensus conclusionis est supernaturalis, quod sanè sufficit ut Theologia sit habitus supernaturalis, quia habitus scientiarum pensandi sunt ex perfectionibus demonstrationibus, quibus producuntur. Nec obest quod intellectus agat in illo assensu conclusionis; nam non agit immediatè, sed mediante assensu præmissarum: in hoc enim differt assensus conclusionis ab assensu primorum principiorum, quod iste est immediatus, assensus verò conclusionis elicitur mediante assensu principiorum. Vnde jam instantia facta magis urget adversarios sic: Supernaturalitas assensus venanda est ex principio immediato & proximo, non ex remoto: Sed principium immediatum conclusionis est assensus præmissarum, qui est supernaturalis: Ergo assensus conclusionis est supernaturalis, quamvis intellectus sit naturalis, sicut generaliter omnes actus cognitionis supernaturalis, licèt procedant ab intellectu, tamen supernaturalitatem obtinent ex principio proximo.

Quando autem una præmissa est naturalis, altera verò revelata, dicimus etiam quod assensus conclusionis est supernaturalis. Nec obest illa maxima Dialecticæ, *conclusio sequitur debiliorem partem.* Tum quia illa intelligitur de parte debiliore quoad affirmationem, vel negationem; universalitatem, vel singularitatem; ut sit sensus, quod quando duarum præmissarum una est affirmativa, altera negativa; una universalis, altera particularis, conclusio debet esse negativa, vel particularis, vel singularis tantùm, ut sit legitima: contingit autem sæpe, quod præmissa naturalis est universalis, præmissa verò supernaturalis est singularis, ut in isto syllogismo: *Omnis homo est risibilis: Christus est homo: Ergo Christus est risibilis.* In quo minor est debilior pars, logicè loquendo, sed non entitativè: unde conclusio illa, quæ sequitur partem logicè debiliorem, sapit naturam illius quæ supernaturalis est.

Tum etiam, quia quando præmissa supernaturalis est universalis, & præmissa naturalis est particularis, tunc etiam sustineri potest, conclusionis assensum esse supernaturalem, ut in hoc syllogismo: *De omni verbo otioso reddenda est ratio: Sed aliqua Petri verba sunt otiosa: Ergo de aliquibus verbis Petro ratio reddenda est.* Assensus conclusionis illius est supernaturalis, quia licèt altera præmissa sit naturalis,

tamen

tamen ex conjunctione quam habet cum supernaturali, elevatur; nec deprimit supernaturalem, sed ab ea attollitur, & roboratur, sicut natura non ioficit gratiam, sed perficitur à gratia. Præsertim quia Theologia non assumit principia naturalia,nisi modo architectonico, judicando de illis tanquam superior, illisque utendo absque ulla subalternatione, vel inferioritate; quia Theologia est vera sapientia, à qua principia scientiarum inferiorum judicantur, approbantur, perficiuntur, & dum opus est, corriguntur. Adde quod præmissa naturalis non influit nisi ut elevata, nec assumitur nisi ut serviat tanquam conditio applicativa, seu explicativa principii supernaturalis, ob statum intellectus nostri indigentis adjumento præmissæ naturalis, non propter deficientiam luminis superioris, sed propter innatam suam debilitatem, cui magis accommodantur res divinæ per applicationem luminis naturalis.

Hanc doctrinam sic expressit S.Thomas q.1.art.5. ad 2. *Non accipit hæc scientia sua principia ab aliis scientiis, sed immediatè à Deo per revelationem; & ideo non accipit ab aliis scientiis tanquam superioribus, sed utitur eis tanquam inferioribus & ancillis: sicut architectonicæ utuntur subministrantibus, ut civilis militari; & hoc ipsum quod sic utitur eis, non est propter defectum, vel insufficientiam ejus: sed propter defectum intellectus nostri, qui ex his quæ per naturalem rationem (ex qua procedunt aliæ scientiæ) cognoscuntur, faciliùs manuducitur in ea quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur.* Ex qua doctrina mirum in modum confirmatur nostra sententia, & convelluntur omnia fundamenta adversariorum. Nam si Theologia esset entitativè naturalis, profectò subordinaretur principiis naturalibus, à quibus naturalitatem acciperet; omnis enim scientia naturalis continetur in habitu primorum principiorum, tanquam in seminario omnium scientiarum naturalium, à quo omnes scientiæ naturales derivantur, cui proinde subordinaretur Theologia, contra D. Thomam.

In forma ergo illa propositio, *Conclusio sequitur debiliorem partem*, distinguenda est: si debilior pars sit causa principalis assensûs, concedo: si sit tantùm conditio, seu applicatio præmissæ supernaturalis non influens in conclusionem theologicam; vel si influit, concurrit tantùm ut subjecta & elevata à præmissa supernaturali, tanquam ministra & instrumentum ipsius, nego; effectus autem non assimilatur instrumento, sed causæ principali. Hîc agendum esset de Locis Theologicis, è quibus sacra doctrina veluti totidem armamentariis arma defensiva & offensiva desumit. Sed de his aliàs.

R E F L E X I O.

Deplorandum sanè, nonnullos Theologiam ad superna proclivem ad humana deflectere, qui omnes difficultates tum speculativas, tum morales, non divinarum rationum momentis, sed humanæ probabilitatis fallacibus stateris appendunt, & cupiditatis, utilitatisque regula planè Lesbia metiuntur. Fateor Theologiam illam non esse supernaturalem, quæ talibus, tamque fluxis principiis innixa est. Quin nec naturalis censenda est, quæ non solùm Christianismi, sed etiam ipsius naturæ omnibus impressas boni malique notitias corrumpit. Vera Theologia, qualem admirimus, supernaturalis est; quia non modernorum Doctorum turbæ à veris purisque fontibus evaganti confidit; nec eam dirigit retortidorum semidoctorum acervus, vel incondita volaticarum opinionum farrago; sed traditionis non segnis eruditio, antiquitatis investigatio, Patrum diligens evolutio, jugis & sine intermissione oratio, humilis Scripturarum meditatio. Ex his limpidis fontibus Theologiam derivamus, & ideo supernaturalem prædicamus. Summa pietate, nec minori elegantia monet aliàs laudatus, & omni laude superior Melchior Cano, hanc regulam Theologis servandam: *Regula hæc erit & rationi & Sanctorum auctoritati maximè consentanea, ut omnis Theologus nomen Theologiæ secum ipse reputet, titulumque suum, hoc est Theologi, frequenter legat: Quærat à se non semel, sed sæpius, quorsum cœpit disputare? Sciatque nullam quæstionem asciscendam, nisi ad veram, quæ supra naturam est, Christi, Apostolorum, & Prophetarum Philosophiam referatur.*

Ab illis etiam supernaturalitas Theologiæ incutvatur, qui aliquid naturale in studiis suis sordida intentione quærunt, quos sic describit S. Bernardus serm.36.in Cant. *Sunt qui scire volunt eo tantùm fine ut sciant, & curiositas est: & sunt qui scire volunt, ut sciantur, & turpis vanitas est: & sunt qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, & quæstus est: sed sunt quoque qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est.* In istis Theologia & speculativè, & practicè supernaturalis est: in illis verò sæcularis est, quæ ut ait idem Pater serm.9. in Cant. *Inebriat, sed curiositate, non charitate; implens, non nutriens; inflans, non ædificans; ingurgitans, non confortans.* Tali scientiæ ignorantia præferenda est, & hujusmodi Pseudo-Theologis melior est rusticus qui Deo servit.

APPENDIX PRIMA.

Oeconomia & partitio Theologiæ.



AD Theologiæ commendationem non parum conducit ejus distributio. Ordo autem seu methodus in Theologia tradenda dividendaque aliunde repeti non debet quàm ex D. Thoma, qui licèt cæteris Theologis in materiis tractandis, veritatibus roborandis, & opinionibus seligendis facilè antecellat; tamen in rerum partitione, oeconomia, & distributione seipsum in Summa Theologica superasse fatendum est. Tanta est enim Partium, Tractatuum, Quæstionum, & Articulorum ejus connexio, harmonia, & consonantia, ut posteriora à prioribus nedum pendeant, sed etiam novam lucem, novumque robur accipiant, simul & adjiciant; ut vix, ac ne vix quidem major sit inter radicem, & ramos; inter fontem, & rivos; inter solem, & radios; inter caput, & membra affinitas, & cohærentia. Denique adeò respondent extrema primis, media utrisque, omnia omnibus, ut solam Angelicæ Doctrinæ concatenationem intellexisse, non mediocris sit in Theologia profectus.

Sicut autem tecta corporis constitutio, & ordinata membrorum compages ex perenni capitis unius influxu pendet: sic œconomia & præclara illa veritatum colligatarum structura, quam in tam divino opere S. Doctor concinnat, uni principio innixa est. Ut sapiens Architectus fundamentum ponit, & quidem inconcussum, cui totam Sacræ Doctrinæ molem superstruit. Illud autem non est aliud præter id quod à nobis infrà statuetur, *Deus est ens per essentiam*, qui, ut docet *in proœmio quæst.2. 1. part.*

sub

sub triplici veluti facie à nobis cognosci potest. Primò, ut est in se plenus & perfectus, & extra se diffundens perfectionis plenitudinem, tanquam principium creaturarum. Secundò, ut est ultimus finis creaturæ rationalis. Tertiò, prout ipsemet factus est nobis via per Incarnationem, quâ ad talem finem perveniremus. Vnde Sacram Doctrinam in tres partes secavit.

Dicebat Salvator, Ioan. 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* His tribus verbis triplex Divi Thomæ Summæ pars comprehenditur. Nam prima parte contemplatur Deum ut est *veritas prima* omnigenâ perfectione ornata, & in creaturis veluti totidem speculis enitens. In secunda, Deum considerat, ut est vita beata, & ultimus finis ad quem tendimus actibus humanis, & virtutibus; à quo deflectimus vitiis, & peccatis; ad quem dirigimur legibus, cui unimur per gratiam, & quem meritis obtinemus, si serio virtutum singularum praxi operam demus. Demùm in tertia parte Deum intuetur ut factus est nobis *via*, quâ ad ipsum revertimur per Christum Dominum, qui factus est nobis ostium, per quod si quis introierit, pascua inveniet in Sacramentorum usu, in quibus ejus merita continentur & effunduntur. Vno verbo prima parte tradit quomodo ab ente per essentiam esse participamus; in secunda, quo pacto ad summum bonum tendimus: in tertia, qua ratione à Deo per peccatum sejuncti, ad ipsum per Christum revertimur, ut in ipso suavissimè quiescamus. Ecce auream Angelicæ Doctrinæ catenam, ratione cujus meritò S. Thomæ attribuitur illud Isai. 54. *Ego sternam per ordinem lapides tuos.* Et illud Ambros. in Psalm. 118. *Ille qui didicerit mysteria Dei, deinde ordinem mysteriorum, exercetur in mirabilibus Dei.*

Licèt autem hæc nostra exigua opella ad instar exacti commentarii omnes & singulos hujus sacræ catenæ annulos non prosequatur, ne contra instituti nostri scopum opus excresceret in immensum: tamen si rectè consideres, quidquid in littera D. Thomæ laborem tibi facessere possit, ex ejusdem S. Præceptoris principiis vel testimoniis collatis lucem accipiet. Seriem autem quæstionum & articulorum non sequi coëgit me tum brevitas cui studeo, tum consuetudinis habita ratio: nam cùm S. Doctor more sui sæculi multa philosophica permisceat, quæ hac ætate à Philosophis ventilantur, in meris theologicis seligendis operam navavi.

Propositum etiam nostrum fuerat non solùm doctrinam tanti Magistri ubique fidelissimè sectari (nec ab ea, dante Deo, ne latum quidem unguem discedemus,) sed etiam consilium nostrum erat, mirificum ejusdem ordinem in Tractatibus totius Summæ absque interruptione, vel omissione prosequi: sed sapientissimorum hominum suasu consilia nostra mutata sunt; eis enim operæpretium esse visum est, priùs integram Theologiam speculativam, posteà moralem totam adornare, ut diversorum hominum ingeniis fieret satis, quorum aliis mysteriorum speculatio, & veritatum contemplatio arridet; aliis verò solius Ethicæ Christianæ studium non solùm magis placet, sed etiam ratione ministerii, ad quod vocati sunt, prorsus conveniens est ac necessarium. Quia igitur opuscula nostra, lucubrationes, & labores aliorum utilitatibus devovi, idcirco integrum Theologiæ Speculativæ cursum præmittam, cui integra & defæcata Moralis, atque ex limpidis Patrum fontibus hausta succedet, si opus istud tibi, Lector, minimè displicuisse, vel emolumentum aliquod attulisse audiero.

Stylus tibi fortassis jejunior apparebit; sed materiebus scholasticis ubertas orationis, aut lepor adhiberi nec potest, nec debet, ne Lectorem sublimitate rerum satis impeditum oneret insuper exquisitus verborum circuitus. Elegantiæ inopiam claritate compensare studebimus; nam de rebus arduis atque ad exponendum difficilibus, omne quod dilucide dicitur, egregiè dicitur. Non curamus verba, sed fructus, quia scriptum est Proverb. 19. *Qui tantùm sectatur verba, nihil habebit.* Nos etenim qui Christiana nedum, sed & Sacerdotali Regularique professione, indigni licèt, censemur; rerum magis quàm verborum amatores, utilia potiùs quàm plausibilia sectamur. Et Salvianum *lib. 5. de provident.* sequuti non id quærimus, ut in nobis inania sæculi ornamenta, sed ut salubria rerum emolumenta laudentur, quæ scilicet non tam otiosorum oculis placeant quàm ægrotorum mentibus prosint. Quod si fortè fructua nullus provenerit, id ipsum infructuosum non erit, quod prodesse tentavimus. Non morosis, vel fastidiosis, & ad singula nauseantibus scribo, sed studiosis; non concinna quærentibus, sed utilia; non scientiarum flosculos, sed catholicarum veritatum fructus; non ad audientiæ sæcularis illecebram culto sermone fucata, sed ad divina declaranda simplici perspicuitate aperta.

Si æternus Pater (discursus est sublimis August. *lib. de catechiz. rudib.*) Verbum substantiale & æternum, ut captui nostro accommodaret, & usibus hominum addiceret, demisit; cur pigeat Doctorem verba & conceptus mentis suæ deprimere, & vulgaribus, demissis, imò & abjectis sermonibus subjicere, & Lectorum omnium mentibus attemperare? Non alium optamus Theologiæ nostræ ornatum, quàm veritatem, quia ut eleganter dixit Isidorus Pelusior. lib. 3. epist. 64. *veritas omnibus artibus & disciplinis ornamentum affert. Verborum venustas invenusta est, & inelegans qualibet elegantia, ubi veritatis decor abest, quo vel ipsa sermonis rusticitas nobilitatur.* Veritatem autem nos assequuturos speramus, si à D. Thomæ doctrina ne latum quidem unguem discedamus, ut alibi operosiùs monstrabimus.

Claritati, quantum fieri poterit, brevitatem adjungemus, & semotis æquivocationum ambagibus, & importunis metaphysicarum spinarum diverticulis, multa paucis complectemur: longum & inutilem rationum, argumentorum, & cavillorum tractum amputabimus: materias sus deque non miscebimus, repetitiones iteratas fugiemus, quælibet suis locis tractaturi, nec illos imitaturi, qui quæstionem aliquam numeris omnibus absolutam non credunt, nisi totius Theologiæ sartaginem advocent. Sed potiùs divinam providentiam sequemur, quæ suum cuique rei servat locum, ut apparet in elementorum situ: terra quippe infimum locum tenet, hanc inundat aqua, supereminet aër, & ignis altiùs adhuc extollitur. Proderit etiam hæc brevitas Clericorum & Regularium communitatibus, quæ sæpe sæpiùs peroptarunt cursum typis mandatum, ut adolescentes ab scribendi onere levarent, quod hactenus non potuere ob editorum cursuum prolixitatem. Quibus autem hoc nostro uti placuerit, non solùm totum intra breve tempus docere poterunt, sed etiam suis additionibus illustrare, & si fuerint adversæ sententiæ, discipulis excipientibus suam mentem aperire; unusquisque enim in suo sensu abundet. Neque enim opto ne meis, Lector, opinionibus, sed soli notæ veritati adhæreas. Quin etiam in veritate, infirmitatis meæ conscius, assero quod præ humilitate Gregorius Magnus scriptum reliquit lib. 30. Moral. cap. 18. *Libenter ego Lectorem meum subtiliùs verinsque sentientem velut magistrum discipulus sequar, quia mihi propriè donatum credo, quidquid illum meliùs sentire cognosco.*

Brevitatem

Brevitatem soliditate firmare conabimur, doctrinæ Patrum & tutioribus opinionibus ac saloti vicinioribus adhæsuri. Sed præcipuè modestiam ubique respirare æmulabimur, omnis dicacitatis, dicterii, scommatis, convicii, vel aculei ipsam umbram procul amandaturi. Vnde more Aquinatis nostri Doctorum omnium modestissimi, in variis sententiis referendis confutandisque non moltùm immorabimur. *Acutè enim disputantis* (ut Cicero tradit) *illud est, non quod quisque dicat, sed quid cuique dicendum sit, videre.* Quod si interdum gratiâ elucidandæ veritatis nonnullorum placita recensere opus sit, id favente Deo cum debita reverentia præstabimus, ut decet Sanctos, Sacerdotes, Theologos, solius veritatis amantes. Vt enim dicitur Iacob. 3. *Quæ de sursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis.* Faxit Deus, ut soli obediamus veritati, eique consentientes reperiamur. Ipsa nos adjuvet, ipsa illuminet, ipsa confirmet: ab ipsa postulo doceri multa plura quæ nescio, à qua accepi pauca quæ scio. Ipsa in his, quæ ignoro, erudiat; in his quæ vera novi, custodiat; in quibus, ut homo fallor, corrigat; in quibus titubo, fulciat; & demùm ea faciat de ore calamoque meo procedere, quæ sint coram ipsa grata, & Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ utilia. Nam, ut ait August. in Psalm. 57. *Quid gloriosius quàm subjici, aut vinci à veritate?*

APPENDIX SECVNDA.

Commercium Theologiæ, & pietatis.

PLURES doctrinæ Thomisticæ studiosi sæpe sæpius peroptarunt brevem ac dilucidum Angelicæ doctrinæ cursum, quique foret immunis & expeditus à tantis, & ad fastidium usque importunis Scholæ tricis, quibus ita ad nauseam repleatur nonnullorum tractationes, ut eas potiùs Dialecticam, quàm sacram Doctrinam appellare meritò possis. Quo factum est, ut nobilissimæ, & juxtà utilissimæ Theologiæ materies omitti cogantur, ut in illis futilissimè occupentur, in quibus nihil aliud fermè est; nisi occasio rixarum; & inanissimæ contentionis: de quibus pulchrè Bartholomæus Medina q. 2. introduct. in 3. part. *Exsibilandus est Theologiæ Magister, qui rigidas & valdè implexas quæstiones agitat, ostendens quantum in palæstra litteraria profecerit; quæ verò ad charitatem & pietatem conducunt, tanquam pervia & exposita negligens. Si quid explicandum est ex D. Paulo, aut vero ex sacro Eloquio, videtur in alium mundum translatus: si de instantibus, si de hacceitatibus velis aliquid, plura dabit quàm quæ tribus onerariis navibus vehi possint. Hi sunt sanè de quibus dicit Apostolus Paulus, quod languent circa quæstiones & pugnas verborum, quòd conversi sunt in vaniloquium.*

Ediderunt quidem nonnulli jamdudum Theologiæ compendia suis sanè laudibus digna, sed ita à D. Thom. mente aliena, ut nihil aliud quàm oppositæ S. Doctori doctrinæ Idea, & Medulla (sic inscribuntur quorumdam Neotericorum opera) esse videantur. Itaque desideratur Theologiæ Thomisticæ integræ *Elixir*, & veluti quinta essentia, quæ de omnibus quæ S. Thomas tam quoad dogmata, quàm quoad mores pertractat, nihil Theologo dignum prætermittens agat. Et hoc est quod cum confidentia divini auxilii in hoc opere tentamus.

Observes rursum, pie Lector velim, multos omnigena virtutum supellectile ornatos viros à Theologiæ scholasticæ studio deterreri, quia diuturna veritatum speculatio sterilis pietatem veluti exsiccat, & penè extinguit. Cui damno sanè non contemnendo pro virili medebimur, si speculativas tractationes piis, brevibus tamen reflexionibus condiamus, & temperemus. Nam certè melius & satius foret theologicas veritates ignorare, si non alia ratione sciantur, quàm ut curiositatem, quæ concupiscentia oculorum est, pascant. Vt enim ait August. lib. 1. de doct. Christ. cap. 36. *Quisquis Scripturam, vel quamlibet ejus partem intellexisse sibi videtur, ita ut eo intellectu non ædificet, istam geminam charitatem nondum intellexit.*

Et hoc est quod alibi deplorat idem Sanctus lib. 4. Confess. cap. ult. *Quid Domine Deus proderat mihi ingenium per omnes doctrinas agile, & tot nodosissimi libri sine ullo humani magisterii adminiculo enodati, cùm deformiter in doctrina pietatis errarem?*

Accedit quod pietas non parum juvat ad arcana theologica penitiùs indaganda; pietas enim, quæ teste Apostolo, *ad omnia utilis est*, huic instituto necessaria videtur; etenim gustanda sunt priùs divina mysteria quàm videnda per speculationem; quia soli *mundi corde Deum videbunt*, & in hoc sæculo, & in futuro. Vnde & dicitur 1. Ioan. 2. *Vos unctionem habetis à Sancto, & nostis omnia.* Et infrà: *Non necesse habetis ut aliquis doceat vos, sed unctio ejus docet vos de omnibus.* Quod divinis his verbis explicat prælaudatus August. serm. 139. de temp. *Ille tenet & quod patet, & quod latet in divinis sermonibus, qui charitatem tenet in moribus: amore petitur, amore quæritur, amore pulsatur, amore revelatur, amore denique in eo quod revelatum fuerit, permanetur.* Hac sacrâ pietatis & doctrinæ temperaturâ, felicique lucis & ardoris commercio, illam D. Paulini *epist. 30.* exprobrationem declinabimus: *Vacat tibi ut Philosophus sis, non vacat ut Christianus, hoc est Dei sapientiam, discas? Verte potiùs sententiam; sis Dei Philosophus, esto Peripateticus Deo.*

Hac de causâ post singulas quasque speculationes, brevem ex Scripturis, aut Patribus opportunam reflexionem ex ipsis quæstionum visceribus, quantum fieri poterit, natam subjiciemus, quâ animum speculatione fatigatum solabimur; arescentem irrigabimus, divagantem convertemus ad cor. Aureum Gregorii Magni *in prolog. Mor. cap. 2.* monitum sequuti: *Quisquis*, inquit, *de Deo loquitur, curet necesse est, ut quidquid audientium mores instituit, rimetur; & cùm opportunitas ædificationis exigit, ad eo se, quod loqui cœperat, utiliter derivet. Sacri enim tractator eloquii morem fluminis debet imitari, fluvius quippe dum per alveum defluit, si valles concavas ex latere contingit, in eas protinus sui impetus cursum divertit; cumque illas sufficienter impleverit, repentè se in alveum refundit. Sic nimirum, sic divini verbi debet esse tractator, ut cùm de aliqua re disserit, si fortasse juxtà positam occasionem congrua ædificationis invenerit, quasi ad vicinam vallem linguæ undas intorqueat, & cùm subjectæ instructionis campum sufficienter infuderit, ad sermonis propositi alveum recurrat.* Hoc solùm advertas, multas alias ex veritatibus theologicis reflexiones posse unumquemque pro modulo suo colligere; sed mihi satis fuit tibi thesaurum detegere, & veluti indigitare, eruere tuum erit.

Hac arte sapientia nostra erit sapida scientia, non solùm discens, sed *& patiens divina*, ut loquitur Dion. *cap. 2. de Div. nom.* Nec suspiceris nos propterea

B ullas

ullas in Scholis disceptatas difficultates prætermissuros. *Oportet enim hac facere, & alia non omittere.* Sed nostri propositi fuit veterem nonnullorum obtrectatorum calumniam, & toties in Theologiam decantatam cantilenam retundere, qui eo titulo Scholasticam eliminandam causantur, quòd jejuna nimis sit, atque pietati importuna; cùm potiùs ea ratione venerandam & colendam arbitrer, quòd de se à nimiis contentionibus immunis, radix sit sanctitatis, & omnium virtutum copiosissima scatutigo, ut patebit in discursu. Cæterùm omnia theologica dubia breviter quidem, sed tamen (quantum per vires licuit) accuratè, nervosè, & solidè pertractare in votis fuit: an autem assequutus, judicium sit, Lector, penes te. Nihil enim optavi, vel fategi magis unquam, quàm divini viri S. Thomæ Angelicam, putam, orthodoxam, & nulla satis commendabilem laude doctrinam, à nonnullis oppugnatam vindicare, sincerè intelligere, omnibus impensè amandam proponere, devotè revereri, constanter animoseque defendere, in hæreticos impugnantes indignari, à nonnullis Catholicis in transversum actam acerbè dolere, & quantum Deus dederit, ad praxim redigere.

Denique hac methodo, ut speramus, votis illorum satisfacientes, qui Theologiam solidam quidem, sed pietatem redolentem concupiscunt, ut videre est apud illustrissimum D. Goddeum Ecclesiæ Gallicanæ decus immortale, *tract. de Seminariis, pagina mihi* 130. Et quamvis eorum expectationibus me imparem experiar, nihilominus tot & tantorum virorum pro Ecclesia collaborantium desideriis meam quantulamcunque operam & industriam commodasse, vel saltem pro mea tenuitate tentasse nullus, ut arbitror, sinistrè interpretatus in malam partem accipiet: sicut enim, teste Apostolo, Dei adjutores sumus: ita & Ecclesiæ, cujus judicio & correctioni me, & omnia Opera totâ animi demissione subjicio.

Non dubito, quin plures mihi succenseant (difficile enim, imò impossibile est placere omnibus; nec tanta vultuum, quanta sententiarum diversitas est:) & objiciant, Opus hoc nostro sæculo librorum feracissimo redundare, & post tot & tantos, qui tam copiosè, tamque excellenter de sacra Theologia scripserunt, frustra me *in sylvam ligna ferre*, vel *aquas asportare mari*. Siquidem jam impletum videmus Isaiæ *cap.* 2. vaticinium: *Repleta est terra scientiâ Domini, velut aqua maris operientis.* Præsertim cùm nihil sub sole novum sit, nec dicatur quidquam, quod non fuerit dictum priùs.

Verùm huic censuræ non solùm non obsisto, sed verè subscribo. Sed considera, benigne Lector, quod si juxta legis mandatum, *Deut.* 23. *& Levit.* 19. ab aliena messe præcipimur abstinere, ejusdem tamen legis præscripto, pauperum usui spicæ relictæ conceduntur: sic quamvis ante nos innumeri præstanti ingenio & doctrina viri de re theologica accuratè graviterque scripserint, & tanquam primi messores in Ecclesiæ aream messem uberrimam congesserint; nihilominus in tam uberi rerum copia legendas spicas reliquere, quas veluti in manipulos alligare mihi pauperi licebit. Omnibus & singulis retroacti temporis Scriptoribus primas defero, nulli non cedo, aliis quidem soliditatem, aliis nitorem, aliis copiam, imò omnibus omnia: sed ut Hieronymi verbis utar in prolog. super Genes. *In tabernaculo Dei unusquisque offert quod potest, alii aurum & argentum & lapides pretiosos. Nobiscum benè agitur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos.*

Accedit quod sacra Scriptura, in qua illustranda declarandaque operam dant Theologi, tanta altitudine sapientiæ reconditæ prædita est, *ut annosissimis* (verba sunt August. epist. 3. ad Volus.) *acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem Scriptura habet, ut cùm consummaverit homo, tunc incipiet.* Denique qui ex scholasticis spinis pietatis rosas ex professo collegerit, neminem vidimus: & quamvis eam alii provinciam susceperint, noster tamen conatus inutilis non erit. Nam de lucubrationibus theologicis, pietatem præsertim spirantibus, dicere licet, quod de bonis operibus pro mortuis offerendis August. *lib. de cura pro mort.* scriptum reliquit: *Melius supererunt ista eis quibus non absunt, nec prosunt; quàm eis deerunt, quibus prodesse possunt.*

DISSERTATIO II.

De existentia, & natura unius Dei.



Unius Dei existentia basis est sacræ Doctrinæ, quæ nisi firma fuerit, & inconcussa, quidquid in Theologia superstruxerimus, corruet. Natura etiam divina, seu quid Deus sit, universæ Theologicæ Tractationi præmitti debet. Supponi enim debet in scientiis objectum illud, de quo sermo habetur, ut posteà proprietates ejus discurrendo demonstrentur. Qua de causa existentiam, unitatem, & naturam Dei in hac dissertatione probanda connectimus. Sit igitur

CAPUT I.

Demonstratur existentia unius Dei.

Quamvis ejusdem sacrilegii sit Deum negare, & plures invehere; tamen in Atheis impietas, in Polytheis falsa pietas meritò arguitur: quare confundenda est prima; secunda verò corrigenda sequentibus speculationibus.

Speculatio I.

Licèt Deum esse non sit per se notum quoad nos, est tamen ita facilè cognoscibile, ut non possit dari ignorantia invincibilis de Dei existentia.

Prior pars explicatur, & probatur. Licèt Deum esse sit per se notum quoad se, quia scilicet, ut ait D. Thomas *art.* 1. in illa propositione *Deus est*, prædicatum intimè & essentialiter includitur in ratione subjecti, cùm essentia & existentia Dei nullatenus distinguantur; talis tamen identitas prædicari cum subjecto existentiæ cum Deo non est nobis nota ex penetratione terminorum, sed solùm per discursum, quo ex istis visibilibus invisibilia Dei conspicimus, ut dicitur *Rom.* 1.

Potest tamen quodammodo dici, Deum esse nobis per se notum, ut observat D. Thomas *lib.* 1. *contra Gent. cap.* 2. propter consuetudinem quâ homines ab incunabilis soliti sunt nomen Dei audire & invocare: consuetudo autem, & præcipuè quæ est à principio, vim naturæ obtinet; ea enim quibus à pueritia animus imbuitur, ita firmiter tenentur, ac si essent naturaliter nota. Et ideo tam citò in repentinis, & quando humana destituimur ope, ad Deum confugimus; quem recursum eleganter vocat Tertullian. lib.

lib. de teſt. anim. *teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ*. Hac de cauſâ ſæpiùs Patres docent, cognitionem Dei eſſe nobis *inſitam, ingenitam, implantatam*, & ut ait Damaſcenus lib. de fide, cap. 3. *inſeminatam*; quia naturaliter ad Deum, de quo à pueritia audivimus, confugimus.

Objicies: Nomine Dei intelligimus id quo nihil melius eſſe, aut excogitari poteſt: Ergo Deus in ſuo conceptu importat exiſtentiam, quâ ſi careret, poſſet eſſe melior: Ergo per ſe notum eſt, Deum exiſtere; illud enim dicitur per ſe notum, quod explicatis terminis innoteſcit; in explicatione verò Deitatis importatur exiſtentia.

Reſpondeo, quod licèt Deus in ſuo conceptu importet exiſtentiam in actu ſignato, ut loquuntur, id eſt ſuppoſito quod admittatur Deus, neceſſariò ſequatur quod exiſtit; non tamen per ſe notum eſt, illam in actu exercito importare, ſeu quod de facto exiſtat, ſed hoc relinquitur demonſtrandum per diſcurſum.

Dices: In ſententia D.Thomæ, homini in primo uſus rationis exordio intimatur præceptum convertendi ſe ad Deum lumine illo vultus Dei ſignato ſuper nos: In illa autem prima rationis aurora nondum comparatus eſt demonſtrationum uſus, quem vix Philoſophi poſt longum tempus aſſequuntur: Ergo inſculpta nobis debet eſſe notitia Deitatis, ad quam potiùs ſumus nati quàm docti.

Reſpondeo, puerum teneri ſe convertere ad Deum ſtatim ac eum novit: in primo verò uſu rationis debet ſe convertere ad Deum impliciiè, quatenus tenetur deliberare de ſeipſo, & intendere bonum, tanquam finem totius vitæ moralis & rationalis, de quo alibi.

Poſterior pars indicatur in Scriptura, quæ imprecatur maledictionem Deum ignorantibus. Pſalm. 78. *Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt*. Quod ſanè non faceret Propheta divinitùs inſpiratus, niſi illa ignorantia foret culpabilis. Paulus etiam 2. *Theſſ*. 1. non diceret Chriſtum judicem venturum in flamma ignis dare vindictam iis qui non noverunt Deum, ſi hæc ignorantio poſſet eſſe innoxia. Sancti etiam Patres docent paſſim, totam naturam divinitatem prædicare *tam clarè, ut & Scytha & barbarus, & Indus & Ægyptius, & omnis homo ſuper terram incedens hanc vocem audiat*, ut ait Chryſoſt. *homil*. 9. *ad Pop.* & Gregorius exponens illud Iob, *omnes homines vident Deum*, ait lib. 27. Mor. cap. 3. *Omnis homo ex hoc ipſo quod rationalis eſt conditus, debet ex ratione colligere eum qui ſe condidit Deum*. D. Auguſtinus in *Pſalm*. 74. pulchrè addit: *Deus ubique ſecretus eſt, ubique publicus; quem nulli licet, ut eſt, cognoſcere; & quem nemo permittitur ignorare*. Denique Minut. Felix in Octav. *Parentem omnium non minoris ſceleris eſt ignorare, quàm lædere*. Et D. Cyprian. lib. de vanit. idolorum: *Hæc eſt ſumma delicti, nolle agnoſcere quem ignorare non poſſit*.

Probatur ratione, quâ ſimul fit ſatis fundamento Molinæ oppoſitum ſentientis. Licèt ſint homines valde hebetes, inculti, & veluti plumbei, proindeque incapaces demonſtrationis perfectæ, quales ſunt in ſylvis, & terris aut montibus incognitis enutriti; in nullo tamen quàmlibet ſtupido ita extincti ſunt omnes rationis radii, ut perſpecto univerſo, in ſupremi Moderatoris notitiam non poſſit aſſurgere; ſicut perſpecta benè ordinata civitate, nullus eſt ita ſtupidus qui non inferat, ibi adeſſe ſapientes incolas: nam ut ut dicitur Sap. 9. *A magnitudine ſpeciei & creaturæ poterat cognoſcibiliter Creator eorum videri*. Saltem non poteſt non habere vir ille incultus cognitionem probabilem & conjecturam hujus veritatis, qua prælucente tenetur inquirere, quis ſit ille ſupremus Rector, qua ratione colendus, eique agendæ gratiarum actiones? Quod ſi hoc ſpernat vel negligat, habebit ignorantiam vincibilem & culpabilem, non invincibilem & excuſabilem: igitur licèt poſſint dari infideles negativè, id eſt inculpabiliter ignorantes myſteria Religionis Catholicæ; non tamen quos ſine peccato, Dei exiſtentia lateat. Et certè hoc Philoſophos Gentiles non latuit, quorum variis omiſſis ſententiis, placet ſolùm Plutarchi verba exſcribere. Peregrinantibus multas contingit occurrere abſque mœnibus urbes, abſque ſtudiis litterarum, abſque Regibus, abſque auri & argenti uſu, quibus ignota proſus theatra, & gymnaſticæ omnes exercitationes; quin etiam quibus nullæ ſint domus, ſed tuguria duntaxat & mapalia. Nuſquam autem extat urbs aut oppidum, quibus nullus ſit Deus, nulla juramenta, nullæ preces, nulla ſacrificia ad bona curanda, & mala impendentia prævertenda. Talem urbem nemo unquam vidit, aut verò videre potuit, potiuſque ſine ſole ac religione urbem quis conſpexerit.

Reflexio.

Obſervant Theologi, quod licèt Deum eſſe non ſit per ſe notum; tamen per ſe notum eſt Deum eſſe colendum: ſuppoſito enim quod Deum eſſe conſiteamur, illi ſupremos deferre honores ipſa veritate coacti tenemur. Ille igitur infideli & Atheo deterior, qui cùm Deum cognoſcat, non ſicut Deum glorificat. *Cui nec juſtitiam ſapit Deus per timorem, nec miſericordiam per amorem*, inquit Bern. in parvis, ſerm. 37. *is planè dicit in corde ſuo, Non eſt Deus. Deum enim non putat quem nec juſtum, nec pium reputat*. Numquid præſtatet, ſatiuſque foret Deum penitus ignorare, quàm cognitō non obtemperare. Vnde ſeriò Salvian. *lib*. 3. & 4. *de Provid*. inquit: *Quid eſt quod nobis de Chriſtiano nomine blandiamur, cùm utique hoc ipſo magis per nomen ſacratiſſimum rei ſimus? Plus ſub religionis titulo Deum lædimus, quia poſiti in religione peccamus*. Chriſtiani nomen perdimus vitio pravitatis: omninò nihil prodeſt nomen ſanctum ſine moribus, quia vita à profeſſione diſcordans abrogat illuſtris tituli honorem per indigniorem actuum vilitatem. *Nam quid eſt dignitas in indigno, niſi ornamentum in luto*.

Speculatio II.

Neceſſariò confitendum eſt, Deum exiſtere, idque rationibus manifeſtis demonſtratur.

Melius ſuaderi nequit hæc veritas, quàm proponendo quinque rationes D.Thomæ, quibus veluti quinque lapidibus limpidiſſimis frons Atheiſmi ferietur. Nec enim opus eſt copias omnes in aciem educere; nam, ut præclarè Auguſt. *valet ad ſeipſam perſuadendam evidentia*. Valet ad homines avertendos ipſe Atheiſmi horror non occultus, ſed oculis ultrò ſe ingerens.

Prima ratio.

Sic formatur: Admittendus eſt unus primus motor omninò immobilis: Sed ille eſt Deus: Ergo exiſtit Deus. Minor conſtat; nomine enim Dei intelligimus ens perfectiſſimum, & actum purum, quæ puritas actus perfectiſſimi non convenit niſi enti omninò immobili: nam quod imperfectum eſt, poteſt moveri

acquirendo novam perfectionem, subindeque quod omnis mutationis est incapax, perfectissimum esse necesse est. Major verò probatur. Videmus multa moveri, ut patet experientia: Sed illa omnia debent moveri à motore omninò immobili, seu qui moveat, & non moveatur. Ergo admittendus est unus primus motor immobilis. Probatur minor: Omne quodquod movetur, ab alio movetur: Ergo vel ab agente immobili, vel moto; si ab immobili, habemus motorem immobilem, quem quærimus; si ab agente moto rursum ab alio, dabitur processus in infinitum, nisi perveniatur tandem ad unum motorem immobilem. Antecedens sic ostenditur: Omne quod movetur, est in potentia ad id quod movetur; omne quod movet, est in actu; moveri enim est recipere motum, movere est illud producere: Atqui repugnat idem esse in actu & in potentia respectu ejusdem: Ergo necesse est, quod omne quod movetur, ab alio moveatur; nec potest idem esse movens & motum respectu ejusdem.

Major & minor, imò & totus discursus sic possunt declarari, & suaderi. Quod movetur, vel movetur ad actum quem actu & formaliter habet, ut si ignis se moveret ad calorem quem in se calido produceret; & tunc manifestum est quod esset in actu, & in potentia; in actu quidem caloris, ut supponimus; in potentia verò, cùm nihil moveatur nisi ad habendum quod non habet; motus enim definitur, *actus entis in potentia prout in potentia*. Vel se moveret ad actum quem non habet formaliter, sed tantùm virtualiter, sicut si vinum, quod est virtualiter calidum, produceret in se formalem calorem; & tunc causa illa vel se moveret per modum causæ necessariæ, vel liberæ; si per modum causæ necessariæ, jam esset omninò in actu, & in potentia respectu ejusdem; in potentia quidem, utpote motum; in actu verò, quia causa necessaria habens vim producendi effectum, semper est in actu illius, sicut ignis semper est calidus, sol semper calefactivus.

Si verò ageret per modum causæ liberæ, ut cùm voluntas producit actus suos, quos virtute continet, idem sequitur; nam illa causa esset quidem in potentia, utpote mota; esset verò in actu, quia si non daretur Deus & primum movens, à quo in agendo penderet, illa causa operaretur independenter ab alia: operari autem independenter ab alio, non convenit nisi enti quod est independenter ab alio; operari enim sequitur esse. Quod verò est independenter ab alio, est ens à se, & actus purus; actus autem purus semper est in actu ultimo, ac proinde causa illa libera, quæ se moveret independenter à Deo, & non esset mota, esset in potentia & actu respectu ejusdem; in potentia, utpote mota; in actu, utpote independens, & actus purus in operando: Ergo cùm ex causis, quas videmus moveri, nulla sit actus purus, deveniendum est ad unam supremam, quæ omnia moveat immota manens, & actus purus sit. Hic est planus & facilis modus interpretandi hanc rationem D. Thomæ ex Aristotele desumptam, quo solvuntur omnes instantiæ quas nonnulli coacervant, de quibus in Philosophia.

Secunda ratio.

Sic proponitur: Videmus in universo dari causas efficientes, & quidquid cernimus, fatendum est ab alio factum, cùm nihil possit producere seipsum. Unde præclarè August. lib. 2. Conf. cap. 4. *Cœlum & terra clamant, quod facta sint, clamant quod seipsa non fecerint: ideo sumus, quia facti sumus; non enim eramus antequam essemus, ut fieri possemus à nobis.* Ergo alterutrum fatendum est, vel sistendum in una prima causa effectrice omnium, vel dari processum in infinitum in causis procedentibus: Sed non potest dari processus in infinitum in causis efficientibus: Ergo sistendum est in uno primo efficiente & in causa causarum, quam dicimus Deum. Probatur minor. In serie agentium unum potest esse alteri subordinatum dupliciter, per accidens, vel per se: tunc subordinatur alteri per accidens, quando ab eo accipit esse, sed non debet expectare ejus influxum ut agat: sic filius subordinatur patri à quo quidem accepit esse, sed non emendicat ab illo concursum quotiescunque agit. Tunc verò subordinatur per se, quando nequit agere, nisi agens cui subjicitur, cogat: sic instrumentum per se subordinatur artifici, quo movente, & non aliter, serra movetur.

Atqui non potest dari processus in infinitum neque in moventibus per se subordinatis, neque in moventibus per accidens subordinatis, si Deus non datur. Repugnat quidem absolutè in moventibus per se subordinatis, quia aliàs nulla posset effluere actio, nisi simul infiniti influxus concurrerent: quod non solùm inintelligibile est, cùm infinitum non sit in instanti pertransibile; sed etiam insulsum est, ut quoties musca movet pedem, infinitæ simul causæ moveant & moveantur: & certè absurdo ipso absurdius est, quod admittatur hæc fatuitas, quam ut non cogantur fateri, sistendum erit in una prima causa agente & movente. Non potest etiam dari processus in infinitum, si Deus non est, in causis per accidens subordinatis; quia licèt non repugnet processus ille causarum per accidens subordinatarum, quando est aliquod agens extra illam collectionem, & de facto daretur, si generationes ab æterno fuisse Deus voluisset; tamen id fieri nequit quando non datur causa superior extra illam collectionem, quia cùm quælibet causa sit ab alia, & non à se, tota etiam collectio est ab alio, & non à se, ut ratione sequenti ponderabimus: Atqui si non daretur Deus, non esset agens à quo tota illa etiam collectio penderet: Ergo non posset dari processus in infinitum in causis per accidens subordinatis, Deo non existente.

Tertia & quarta formantur.

Tertia ratio sic procedit: Datur aliquod ens necessarium, à quo omnia contingentia esse participant: Sed tale ens est Deus, ut patet: Ergo. Probatur major: Si nullum daretur ens necessarium, sed omnia contingentia & possibilia esse & non esse, nullum planè daretur à parte rei; illa enim quæ ex sua ratione dicunt solùm possibilitatem ad aliquid, non possunt reduci ad actum nisi per aliquam causam quæ ipsum contineat; sicut quia aër est in potentia ad lucem, & aqua ad calorem, ille non potest illuminari nisi à corpore lucido, nec ista calefieri nisi à calido: Ergo si omnia sint contingentia & possibilia esse & non esse, nullum potuisset reduci ad esse, nisi detur ens necessarium, à quo omne esse promanat. Quod si quodlibet ens contingens indiget esse ab alio, tota etiam collectio id petit. Nam licèt in illis prædicatis, quæ à quantitate continua, vel discreta desumuntur, non valeat consequentia à quolibet particulari ad collectionem, neque enim valet: Quilibet palmus lineæ infinitæ est finitus: Ergo linea est finita: Quælibet generatio, si mundus esset ab æterno, est in tempore: Ergo tota collectio est in tempore: Potest homo quodlibet mandatum per quamlibet horam servare: Ergo potest omnia per omne tempus sine gratia speciali servare. Illegitimæ enim sunt omnes istæ consequentiæ, quia in hujusmodi prædicatis major extensio vel numerus addit, & connotat aliquid supra quamlibet partem, unde non valet illatio à partibus ad totum.

Cæterùm

Cæterùm quando prædicata sunt essentialia, vel quando non conveniunt collectioni nisi quia conveniunt parti, tunc ea quæ dicuntur de unaquaque parte, toti collectioni conveniunt; unde valet: Quilibet homo est risibilis: Ergo tota collectio hominum id habet, quia omnes homines ideo sunt risibiles, quia quilibet homo id habet: Atqui hoc quod est esse dependens essentialiter, convenit cuilibet enti ratione sui, non ratione ullius quantitatis: Ergo tota collectio entium contingentium ab alio ente necessario esse petit. Certè sicut si darentur infinita cadavera, non haberent hoc supra quodlibet, quod sibi possent dare vitam, nec infinitæ extinctæ faces possent sibi restituere lumen, quia numerus indigentium penuriam non tollit, sed auget: ita infinita collectio entium ab alio non habet supra unumquodque singulare quod sit à se.

Quarta ratio ex August. *lib.* 8. *de Civit. cap.* 6. desumpta talis est: Admittendum est aliquod ens summè perfectum: Ergo datur Deus, per quem intelligimus ens, quo nihil majus esse, aut perfectius excogitari potest. Probatur antecedens ex gradibus entium, & diversitate perfectionum, quibus mundus ornatur; quæ sanè varietas reduci debet ad aliquod ens omni perfectione plenissimè cumulatum, quod sit causa & veluti dispensator earum: nam primum in unoquoque genere est causa cæterorum, vel efficiens, quæ bonitatem rebus effundat & distribuat: vel exemplaris, ex cujus accessu vel recessu, imitatione vel defectione mensuretur aliorum perfectio. Hinc præclarè August. lib. 10. Confess. cap. 6. *Nutus tui Domine sunt omne creaturarum decus: cælum & terram surdis loquuntur laudes tuas; exclamaverunt voce magna, ipse fecit nos, & non ipsi nos.*

Quinta ratio.

Hæc ultima ratio non minùs est plausibilis quàm efficax: Admittendus est summus provisor & gubernator: Ergo & Deus, quo intelligimus supremum aliquod numen quod cuncta regat. Probatur antecedens. Videmus ea quæ cognitione carent, dirigi ad certum finem boni universi, & eodem atque uniformi modo operari: Ergo diriguntur ab aliquo intelligente, sicut sagitta dirigitur ad scopum à sagittario. Et licèt quælibet res habeat certam propensionem, qua veluti pondere fertur ad centrum; hoc tamen dirigentis necessitatem non excludit, cùm sæpe appareat inanimata contra proprias inclinationes pro bono universi, sui oblita operari, ut cùm gravia ascendunt, descendunt levia ad vacuum propulsandum; quod argumento est, id non efficere ex suæ formæ propensione, sed ex directione supremæ intelligentiæ, cui parent.

Et hoc sanè confirmat formosa illa & omnium quantumvis rusticorum hominum oculis sese ingerens naturæ pulchritudo, decor, harmonia, consistentia, quæ in tanto rerum fluxu diuturna esse non possent, nisi res omnes in aliquod commune bonum, tanquam in finem, non à se quidem, sed à suprema intelligentia intentum conspirarent. Præsertim quia licèt diversis inter sese qualitatibus pugnent, ob bonum tamen universi in commune fœdus & amicitiam coïre videntur. Certè si absque supremi Ducis moderamine cuncta evenirent, nec eædem, nec eodem modo res in universo recurrerent; quod enim casu accidit, rarò fit, & intempestivè.

Quis credat in animantium formatione membra tam ordinatè elaborata, tam sapienter distributa, non ad elegantiam solùm, sed ad usum organis apparata, tot potentiis & facultatibus instructa, incerto & vago fluctuantis naturæ motu & materiæ occursu in tam speciem coaluisse? Quis arbitretur, fortuitam casumque brutis animalibus indidisse suspiciendum illud in educandis fœtibus ingenium, in fovendis amorem, in condendis nidis artem, in defendendis arma, bella, stratagemata, quibus hostem aut aggrediuntur, aut fugant, aut declinant.

In cujus mentem venire potest structuram orbis esse fortunæ beneficium, sicut & elementorum concordem discordiam, siderum per occasum atque ortum recursum alternum? Sanè ipsa terræ moles, decor, commoditas, in medio orbis suspensio stabilis & intrepida, partium distinctio, camporum patentium fusa planities, montium erecti in sublime vertices, fluviorum irriguus decursus, exterior florum, & arborum, quibus vestitur, ornatus; interior metallorum opulentia summam aliquam sapientiam effectricem prædicant, cùm summâ sapientiâ opus sit ad tam eximii opificii prodigia discernenda, ut ait Minut. Felix.

Mitto penè miracula maris, aspectu tam pulchri, fluxu & refluxu tam stupendi, commercio tam utilis, ad sobolem tam fœcundi, & præfixorum limitum adeo venerabundi. Mitto gloriam cœlorum inferiorem hunc orbem non tam ambientium quàm foventium; siderum splendorem, celeritatem, influxus; Solis majestatem, accessum & recessum annuas varietates quaternas inducentem, quotidianum ortum & interitum diem à nocte secernentem.

Mitto hominis, qui parvus mundus dicitur, fabricam, in quo omnes artus, membra, ossa, nervi, musculi, venæ ita compaginantur & disponuntur, ut sola oculi efformatio quosque rapere possit attentos: Sed quanto magis animæ rationalis capacitas, intellectualitas, sagacitas, amor, libertas id efficient? Quis autem ita mente cæcutiat, ut tot prodigia sapientissimi Gubernatoris, casui aut temeræ fortunæ adscribat? Certè stultus meritò diceretur, qui cernens civitatem præclaris legibus munitam; eam negaret à Magistratibus optimis regi; qui audiens suavem concentum citharæ, pulsantem dari citharœdum inficiaretur; qui videns regale palatium, illud fortuitâ lapidum, lignorumque congerie exstructum assereret; vel intuens imaginem lineamentorum ac pigmentorum omnium flore speciosissimam, ex contingenti colorum mixtione crederet efformatam; vel legens librum eruditum, ex characterum temerè projectorum fortuita coacervatione exaratum pronunciaret. Quis similiter, ait Lactantius, nisi totaliter cæcus, hanc vastissimam molem tot elementis, totque aliis corporibus compaginatam, ab aliquo præstantissimo & divino opifice constructam non judicet.

Argumenta Atheorum contra existentiam Divinitatis, nullius momenti sunt. Nihil enim aliud satagunt quàm rationes, quibus probatur divinitatis existentia, infirmare, uti consueverat Tolosæ Lucilius ibi combustus: nec ad suam impietatem tuendam rationibus moventur, sed vitiis, quibus ut liberè indulgeant, nec scelerum conscientiâ & angoribus credantur, potiùs malunt Deum non esse, quàm negant: unde ait Propheta Psalm. 13. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.* In corde, inquit, non in mente; quia nollent dari Deum, quem ignorare non possunt, quemve flagitiorum ultorem timent. Nam ut ait Bern. lib. 5. de consider. *Deus non minus pœna perversorum est, quàm humilium gloria, cui illisa omnis pravitas, conturbetur necesse est.* Et hæc est causa, quare Deum esse nolunt. Unde radicem tantæ insaniæ detegens Propheta, subdit: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis.* Quia nimirum falsæ libertatis & impunitatis libido parit odium legis, odium

legis tædium procreet legislatoris, tædium autem legislatoris in ejusdem exterminium prorumpit. Unde eleganter Minut. Felix in Octav. *Naturale est & odisse quem times, & quem metuis, infestare, si possis.* Et Ambros. lib. 1. de offic. cap. 24. *Nolunt supra se esse judicem, quem nihil fallat; nolunt ei dare occultorum scientiam, qui metuunt occulta sua prodi.* In summa eò collimant impii, ut securitatem sibi quærant atque licentiam faciendi quidquid libuerit, ut subintret impietas inverecunda, impavida regnet audacia, & timor omnis, sine quo fit homo sicut equus & mulus indomitus, penitus suferatur, dum nec pœna timetur, nec à Deo ullum commodum speratur. Arguunt tamen Athei ex prospero statu malorum, & infortunio bonorum. Sed hæc, dum de providentia & gubernatione Dei agetur, elucidabuntur infrà.

Dices: Existentia Dei pertinet ad objectum fidei; nam ut ait Apostolus, accedentem ad Deum oportet credere quia est: Ergo frustra laboramus in ea rationibus naturalibus demonstranda.

Respondeo, existentiam Dei fide tantùm cognosci ab iis qui demonstrationum vim non capiunt. Quod si fidelis habens fidem de existentia Dei, postea demonstrationes acquirat, non propterea amittet fidem circa alios articulos; sed fides non se extendet ad istum, nisi fortè indirectè, quatenus fertur ad articulos in quibus Dei existentia includitur, ut *Deus est trinus, incarnatus*, &c. Nec propterea fit deterioris conditionis acquirendo scientiam de Deo, quæ non est ita certa sicut fides: tum quia quod amittit de certitudine, compensatur per evidentiam. Tum quia firmitas certitudinis fidei perseverat, quatenus ex fide remanet in homine judicium & dictamen se in suis demonstrationibus non falli, & sic virtualiter manet certitudo fidei in hoc judicio: & certè conditio beatissimæ Virginis & Apostolorum videntium Christum, non erat deterior nostrâ, quæ solùm credit; sed longè fortunatior, cùm scriptum sit, Beati oculi qui vident quæ vos videtis. Sed de his alibi disputari solet.

Reflexio.

Horribilis sanè est Atheorum & libertinorum infelicitas, qui Deum esse nolunt, ut sine metu peccent; nam ut ait August. lib. 1. contra adversarium legis & proph. cap. 24. tom. 6. *Quis dignè eloqui possit, quam sit mentis execrabilior fœditas, pœnas exhorrescere meritorum, & merita non cavere pœnarum?* Tamen eorum nequitiam non æmulatur modò, sed superat qui Deum credens, effreni libertate sic impunè vitiis servit, ac si Deum non existere opinaretur. Irrisoria est ista Divinitatis professio; qui enim cognoscit Deum, & non timet, profectò Deum contemnit. Unde Eccles. 12. *Fili time Deum, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo*, id est, ut exponit Hieron. sed hoc natus est omnis homo. Quod si hoc est omnis homo: *Ergo sine hoc nihil est omnis homo*, ut mirè concludit Bernard. & rationem dat Hugo à S. Victore *serm.* 16. qui cognovit Deum, & non timet, magis dicendus est diabolus, quàm homo; si verò non cognoscit, magis est bestia, quàm homo. Quod si cognoscit & timet, verè homo est, & tali nomine dignus appellatur; quia ratione sua non utitur nisi ut ex visibilibus ad Dei invisibilem divinitatem ascendat & veneretur, Philosophis sapientior, qui Deum quidem cognoverunt, sed non sicut Deum glorificaverunt. Hic ergo sit noster unicus scopus, Deum fateri & revereri. Et ut ait August. *ipse solus quæratur, ubi nostra secura sunt omnia; ipse cernatur, ubi nostra certa sunt omnia; ipse diligatur, ubi nobis recta sunt omnia.*

Speculatio III.

Deus est ita unus & singularis, ut repugnet dari plures Deos.

Hujus prærogativæ, tanquam pretiosissimi Deitatis monilis, Deus in Scripturis zelantissimus est. Deut. 6. *Audi Israel, Dominus Deus tuus unus est.* Exod. 20. *Non habebis Deos alienos coram me.* Et c. 34. postquam Scriptura præmisit, *noli adorare Deum alienum*, subdit: *Dominus Zelotes nomen ejus, Deus est æmulator.* Ad Ephes. 4. *Unus Dominus, una fides, unum baptisma.* Hinc observat D. August. *lib.* 1. *de consens. Evangelist. cap.* 18. Romanos qui diligentissima superstitione omnes Deos collectos habebant, & omnium gentium servientes erroribus magnam sibi videbantur assumpsisse religionem, si nullam respuerent falsitatem, ut ait sanctus Leo; tamen Deum Hebræorum exclusisse, quia Socratis sententia est, verba sunt Augustini, *unumquemque Deum sic esse colendum, quomodo se ipse colendum esse præceperit; proinde Romanis summa necessitas facta est non colendi Deum Hebræorum, quia si alio modo eum colere vellent, quàm se colendum ipse dixisset, non utique illum colerent, sed quod ipsi finxissent: si autem illo modo vellent colere quo ipse diceret, alios sibi colendos non esse cernebant.*

Probatur ratione: Nomine Dei intelligimus actum purum & perfectissimum, ut patet ex modò dictis de existentia Dei. Sed repugnat tale ens multiplicari; nam si darentur duo entia summè perfecta, deberent distingui per aliquid quo alterutrum Deus careret, & subinde deberet esse in uno aliqua perfectio, quæ non esset in altero: Ergo necessariò Deus est unus.

Hanc rationem tradit Tertul. lib. 1. contra Marcion. cap. 3. *Deus si non unus est, non est; quia dignius credimus non esse quodcumque non ita fuerit, ut esse debebit: Deum autem ut scias unum esse debere, quære quid sit Deus, & non aliter invenies: nimirum summum magnum, quod unum sic necesse est, par non habendo, ne non sit summum magnum.*

Probatur secundò. Deus est ens necessarium omnia contingentia regens & moderans, & tot tamque diversa, quæ in unum universi ordinem conspirant, ad unum finem ordinans, ut suse declaravimus. Sed talis mundi rector debet esse unicus; nam si essent plures Dii in regimine universi, vel omnia fierent ab uno, vel pluribus; si ab unico, alii nec creatores, nec gubernatores sunt, proindeque nec Dii nostri. Si à pluribus, vel quilibet est potens gubernare mundum, vel impotens & infirmus. Si infirmus, qualis Deus! Si potentes omnes, omnium concursus superfluit, cùm unius sufficiat. Quid autem portentosius quàm ponere Deum superfluum, cùm Deus sit ens necessarium? Confirmant hanc rationem Patres. Cyprian. lib. de idol. vanit. *Si Rex unus est apibus, & dux unus in gregibus, & armentis rector unus, multò magis mundi unus est rector, universa quæ sunt, verbo jubet, ratione dispensat, virtute conservat.* D. Athanas. orat. contra gent. *Fieri non potest, ut hæc omnia invicem contraria in unum ordinem se colligerent, nisi aliquis esset summus moderator, qui simul ea sociaret.* Denique D. Thom. lib. 1. contra gent. cap. 42. rat. 17. *In quolibet principatu ille qui præsidet, unitatem desiderat; unde inter principatus est potissima Monarchia, sive regnum: multorum etiam membrorum unum est caput, ac per hoc evidentissimum apparet, Deum qui est omnium causa, oportere unum simpliciter constituere, & simpliciter confiteri.*

Atque ex his apparet quantum impegerit cæca gentilitas, quæ tot Deos admittebat, ut vix grandibus voluminibus possint recenseri, singulis enim rebus pro-

pria

pria dispertiebant numina, ut notat August. *lib.4. de Civit. cap.8.* qui sic eos lepidè carpit: *Vnusquisque domui suæ ponit ostiarium, & quia homo est, omninò sufficit: tres Deos isti posuerunt, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini.* Nec minùs arguetè Tertul. apol.5. *Apud vos de humano arbitratu divinitas pensitatur: nisi homini Deus placuerit, Deus non erit; homo jam Deo propitius esse debebit.*

Quot ergo, & quantæ Deo agendæ sunt nobis gratiarum actiones, quos è tam profundis tenebris, in quibus sepulti erant Patres nostri, misericorditer evexit. Præsertim quia corruptelâ nescio quâ magna inest hominibus ad idololatriam propensio, ut observat August. *epist.22.* quam opacam densarum tenebrarum, quibus circumfusus jacebat mundus, caliginem Evangelicæ prædicationis splendor fugavit, ut promiserat Isai. cap.4. *Elevabitur Dominus solus in illa die, & idola penitus conterentur.*

Quod si quæras, unde tanta in hominibus proclivitas ad idololatriam oriebatur.

Respondeo, duplicem fuisse causam. *Prima*, quia homines quærebant patronum, ad quem à Deo irato confugerent, & sic alium Deum confingebant, quem propitium invenirent, arbitrantes nullius creaturæ tutelam valere adversùs Deum stomachatum, & sic ut evaderent Deum verum minantem, fecerunt sibi Deos novos & recentes. Unde Ovid. *lib.1. Trist. eleg.2.*

Sæpe premente Deo, fert Deus alter opem.
Iuppiter in Troiam, pro Troia stabat Apollo:
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.
Oderat Æneam propior Saturnia Iuno:
Ille tamen Veneris numine tutus erat.
Et nobis aliquod, quamvis distemus ab illis,
Quid vetat irato numen adesse Deo.

Secunda ratio fuit, ut homines haberent criminum fautores, & eo faciliùs laxarent habenas, quo proclive est imitari quod non piget venerari; & facilè sibi quisque suadet id vacare culpâ, cui patrocinantur Deorum exempla, quibus crimina veluti consecrantur; & ideo Deos cruentos, & impudicos excogitarunt, aliisque vitiis deformes, ut hujusmodi sceleribus ingenita fragilitate præcipites & proni, sine remorsu indulgerent.

Dices: In Scripturis aliquando fit mentio de pluribus Diis: *Non est similis tui in Diis, Domine. Ego dixi, Dii estis.* Ergo Deus non est unicus.

Respondet appositè Catechismus Romanus his verbis: Neque verò nos moveat, quod interdum sacræ Litteræ Dei nomen creatis etiam naturis imponunt; nam quod Prophetas & Iudices Deos appellarunt, non gentium more factum est, quæ sibi plures Deos stultè & impiè finxeront, sed quadam loquendi consuetudine significare voluerunt excellentem aliquam virtutem vel functionem, quæ Dei munere illis concessa sit.

Reflexio.

Quoties vitiis inquinamur, toties Dei unitati bellum gerimus, dum ultimum finem in creatura reponimus. Vnde Apostolus avaritiam idolorum nominat servitutem, & gulosis ventrem pro Deo asserit, & idem de aliis dicendum est. Eleganter id prosequitur S. Leo serm.6. de Epiph. *Diabolus cruciatur vocatione gentium, dolens verum regem in locis omnibus adorari: ejus malignitas longo usu propria imbuta nequitia non deposuit odium, sed vertit ingenium, quo sibi mentes fidelium blandiùs subdat; inflammat enim concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis; serit discordias, accendit iras, excitat linguas, quia illi totius fraudis hic fructus est, ut qui immolatione pecudum & thuris incensione non colitur, quibuslibet ei criminibus serviatur.* Sanè pejus est erigere idolum in corde humano, quam in ligneo vel saxeo simulachro: & sceleratius longè est fieri idoli templum & dæmonis thronum, quàm struere idolo lapides templi, & dæmoni bestias offerre.

CAPUT II.

Quid sit Deus, & quodnam constitutivum naturæ ipsius.

QVamvis inter probandam Dei existentiam ejus etiam quidditatem tetigerimus, adstruendo quinque conditiones primi entis; nihilominus specialiùs investiganda est ratio illa veluti fontalis & primordialis, à qua cæteræ Dei perfectiones nostro modo intelligendi fluant; quamvis cæteroquin omnia, quæ in Deo sunt, sint ipse Deus, & divina excellentia omnium, quibus ditescit, perfectionum cumulum exigat; sed inquiritur quænam sit veluti ratio à priori earum omnium: pro quo intelligendo

Adverte aliquos distinguere in Deo essentiam à natura, diversumque utrique constitutivum assignare. Sed in hoc immorandum esse non arbitror, quia totum difficultatis momentum in hoc situm est, quænam sit perfectio nostro modo concipiendi prima, per quam Deus constituatur & distinguatur à quocumque alio ente creato vel creabili, & ex qua aliæ perfectiones veluti proprietates resultent. Vno verbo quærimus, quid sit Deus, quodnam sit constitutivum ejus: sicut cùm quærimus, quid est homo, & per quid constituatur, non involvimur, nec implicamur in his distinctionibus superfluis: Homo est hoc secundùm essentiam, est aliud secundùm naturam; sed planè & resolutoriè dicimus, Homo est animal rationale. An verò essentia & natura identificentur, vel distinguantur, tunc non expenditur.

Similiter ad tollendam omnis æquivocationis viam, quærimus impræsentiarum, quid sit Deus, seu quænam sit illa ratio, quâ Deus in se constituitur & distinguitur per se primò à creaturis, & ex qua alia attributa virtuali sequela consequantur. Hoc duntaxat inquirimus. Illam rationem voca essentiam, appella quidditatem, nomina naturam, periode mihi est, modò illud mihi constet, de quo est quæstio. Nam ut alicubi Tullius scripsit, in verborum usu faciles esse debemus, cùm de re ipsa constat.

Speculatio I.

Verum, & formale Dei constitutivum est ratio entis à se, seu per essentiam: unde si Deus describi deberet, sic exprimenda foret ejus notio: Deus est ens à se, & per se subsistens.

HAnc assertionem tradit ipsemet Deus, qui sicut seipsum perfectè cognoscit, ita & essentiam suam explicare solus potest: interrogatus autem à Moyse quidnam esset, ait *Exod.3.* suum veluti declarans constitutivum, *Ego sum qui sum*; eique injungit, ut dicat Pharaoni, *Qui est, misit me ad vos.* Quæ verba ponderans Hilarius *lib.14. de Trinit.* ait: *Miratus sum planè tam absolutam de Deo significationem; nihil enim Deo magis proprium quàm esse intelligitur.* Et D. Damasc. citans D. Thom. *quæst.13. art.11.* ait: *Principalius omnibus quæ de Deo dicuntur nominibus, est Qui est.* Et inde infert ibidem S. Thom. quod nomen, *Qui est*, est maximè Deo proprium. Ergo ex Scriptura &

Patribus nomen *Qui est*, exprimit Dei constitutivum, cùm significet rationem qua nihil magis proprium, quæ principalior, imò quæ maximè propria est.

Favet huic sententiæ perpetuò D. Thom. nam præter locum citatum, sic ait in proœmio quæstionis 14. *Post considerationem eorum quæ ad divinam substantiam pertinent, restat considerandum de his quæ pertinent ad operationem ejus.* Explicans verò hanc operationem, ait esse vel immanentem, quæ est intelligere & velle, vel transeuntem, quæ est potentia. Ergo apertè censet, priùs esse constitutam divinam substantiam, quàm concipiamus in illa intellectionem, quam dicit sequi ex entitate & immaterialitate Dei; sic enim concludit articulum primum illius quæstionis: *Cùm Deus sit in summo immaterialitatis, relinquitur quod sit in summo cognitionis.* Videri etiam potest infrà, *quæst. 26. art. 1. ad 1.* ubi ait, quod beatitudo convenit Deo, non *secundùm rationem essentiæ, sed magis secundùm rationem intellectus.* Ergo sentit essentiam & intellectum esse duas rationes virtualiter distinctas. Et in corpore dixerat: *In Deo non est aliud intelligere & esse secundùm rem, sed tantùm secundùm intelligentiæ rationem.*

Probatur ratione à priori: Vt aliqua ratio sit constitutiva alicujus, requiritur & sufficit quod sit prima nostro modo concipiendi, quæ intelligitur in re, & quod sit radix cæterarum perfectionum: Atqui rationi entis per essentiam conveniunt illæ duæ conditiones: Ergo Deus constituitur per rationem entis à se, seu per essentiam. Major patet, quia ratio quæ non est prima, sed alias anteriores supponit, ipsamet est proprietas, non essentia; si autem ita sit prima, ut non sit radix cæterarum, jam non erit essentia vel natura, quia ex essentia debent emanare proprietates. Si verò concurrant illæ duæ conditiones, illa ratio non potest non constituere essentiam, ut patet discurrenti per omnia entia. Minor verò videtur evidens: nam primum quod concipimus in Deo, est ratio entis à se, quâ nulla prior, vel anterior imaginabilis est. Vnde præclarè Divus Dionys. *lib. de Div. nomin.* hanc rationem vocat antiquiorem: *Ipsum per se esse antiquius est ipsâ per se vitâ, &c.* Illi etiam rationi debentur omnes aliæ perfectiones, quæ ex fontali plenitudine essendi per legitimam consequentiam deducuntur: Ergo illa ratio est prima in Deo, & radix cæterarum.

Respondent, non sufficere ad rationem constitutivi, quod sit priùs per modum prædicati communis; aliàs gradus substantiæ, viventis, corporis, qui priùs in homine concipiuntur quàm rationale, hominem constituerent. Exigitur ergo ad rationem constitutivi, quod sit primum inter prædicata specialia & propria, quale est rationale in homine.

Sed contrà: Ideò rationes illæ priores, quæ sunt in homine, non constituunt differentiam propriam hominis, quia sunt communes; nam si ratio substantiæ esset ita propria homini, ut nulli alteri conveniret, illa hominem primitus constitueret. Fateor itaque, de ratione constitutivi esse, ut sit ratio quâ primò res constituta distinguatur ab aliis, quia idem est constitutivum, & distinctivum; sed hinc instauro argumentum, & subsumo: Atqui ratio entis à se & per essentiam, non solùm primò concipitur in Deo, sed etiam est id per quod primò Deus distinguitur à quocumque ente creato & creabili, ut patet; neque enim illa ratio potest esse communis creaturis, quæ sunt essentialiter entia ab alio; sed est Deo propria, & characteristica: Ergo illa ratio est constitutiva; sicut si ex creaturis solus homo & accidentia essent possibilia, homo constitueretur per rationem per se subsistendi, quâ primò differret ab accidentibus, nec recurrendum esset ad rationem viventis, corporis, vel rationalis.

Probatur verò à posteriori: Gratia sanctificans est formalis participatio naturæ Divinæ, ut docetur communiter à Thomistis in materia de gratia, & fundatur eorum sententia in locis illis, in quibus dicitur, quod nobis Deus pretiosa donavit, ut consortes simus divinæ naturæ, & quod Filii Dei nominamur, & sumus: Ergo per id formaliter constituitur natura divina, quod participatur à gratia sanctificante: Atqui gratia participat solum esse divinum, non verò actualem intellectionem, sed dumtaxat radicalem, quæ est in Deo ipsa ratio entis à se immaterialis, & summè spiritualis: Ergo ratio entis à se, & summè immaterialis spiritualitas Dei præstant germanum ipsius constitutivum.

Nec valet respondere, intelligere divinum habere diversa munia inadæquata, ratione quorum potest à diversis perfectionibus creatis participari, & sic prout habet rationem naturæ & radicis attributorum, exprimi à gratia; prout gerit vicem operationis, à visione beata se imitandum præbere.

Sed hoc nullatenus satisfacit; nam in Deo aliud est cum fundamento quod exprimitur à gratia, & aliud quod à visione participatur. Sed illud quod à visione participatur est intelligere: Ergo gratia non exprimit intelligere; & tamen gratia exprimit naturam: Ergo intelligere non constituit naturam. Vel si formaliter constituat, ut vult opposita sententia, profectò visio beata erit perfectior expressio naturæ divinæ quàm gratia; siquidem delineabit id quod formaliter constituit naturam: consequens est apertè falsum; nam sicut à gratia fluit visio beata realiter, ita id quod imitatur visio beata, debet in Deo virtualiter consequi ad essentiam divinam.

Et cùm dicitur, quod gratia exprimit solum unum munus divini intelligere, sic insto. Munus illud radicis intellectionis, quod gratia imitatur, vel est formaliter intelligere, vel non. Si secundum, habemus intentum; primum verò dici non potest, quia intelligere est essentialiter operatio, nec ab eo potest præscindi, imò est omnium operationum perfectissima, quâ vivit natura intellectualis, vita verò consistit in operatione: Sed operatio necessariò supponit esse, & ab eo virtualiter distinguitur: Ergo intelligere divinum non solùm supponit esse tanquam diversum munus, sed etiam tanquam aliquid virtualiter distinctum pertinens ad diversam lineam; cùm manifestum sit, vel nihil in Deo virtualiter distingui, vel debere distingui lineam essendi & operandi.

Nec potest dici, naturam divinam constitui per intelligere, non prout est operatio, sed ut est ultimus actus naturæ intellectualis. Nam contrà est. Implicat concipere, *intelligere* posse præscindi à ratione operationis; quid enim est intelligere actuale, nisi percipere objectum, repræsentare illud, attingere illud actu? Hoc autem si non sit formaliter operari, planè nescio cui ratio operationis convenire possit. Et deinde: intellectio, ut est ultimus actus naturæ intellectualis, vel distinguitur formaliter à ratione operationis, vel non; si non distinguitur formaliter ab operatione: ergò ab ea non præscindit; si distinguitur: ergo intellectio non erit perfectissima, & actualissima; siquidem concipietur carere ratione operationis sibi propria.

REFLEXIO.

Sicut Deus describens naturam suam dixit, *Ego sum qui sum*; sic sapientissimus Præcursor sciscitantibus Iudæis, *Tu quis es?* respondit, *non sum*, ut habetur *Ioan. 1.* & David *Psal. 3.* dixit: *Substantia mea tanquam nihilum ante te*; quia nimirum creatura omnis quibuslibet perfectionibus aucta, plus habet de non esse, quàm de esse, ut alicubi ait S. Thomas. Quia

Deus

Deus est, *qui est*, omnem bonitatis plenitudinem in se veluti vastissimo sinu congregat: homo verò, qui teste Ioanne, *non est*, totius creatæ miseriæ compendium est, seu ut ait Psaltes, *universa vanitas omnis homo vivens*. Habet quippe sublunarium corruptionem, animalium laborem & dolorem, cœlorum mobilitatem, Angelorum apostatarum pravitatem. Cur ergo, ô homo stulte & insipiens, incircumscriptam totius perfectionis abyssum floccifacis, ut nihilum umbrasque prosequaris? Cur derelinquis fontem aquæ vitæ, ut fodias tibi cisternas dissipatas? Mihi crede, ne inhæreas creaturis, quæ sub te sunt; ne tibi innitaris, qui nihil es; ne vivas capite demisso, cui Deus os sublime dedit, ut cœlum intuearis. O homo ad immortalium cognitionem nimis mortalis! cur in amandis non entibus tempus teris, nec ad ens per essentiam assurgis? Solus *Qui est*, implere potest cor tuum, & tamen illud ventis reples, & fumis: è nihilo quidem es, sed ad magna natus. Audi Ethnicum admonentem: *Major es, & ad majora natus quàm ut sis mancipium corporis tui*, & terrenis occupetur animus tuus æternitatis candidatus.

Speculatio II.

Solutione objectionum magis illustratur hæc materia.

PRo solutione objectionum duo habe semper præ oculis: primum, quod licèt nomine Dei intelligamus id, quo nihil melius esse, aut excogitari potest, & ut loquuntur Patres, Deus sit *pelagus essendi* omnem omninò perfectionem ambiens, & implicitè importans: tamen dum indagamus Dei naturam, eamque nostro modo intelligendi ab attributis & proprietatibus secernere volumus, inquirimus quodnam ex tot & tantis, quæ in Deo cumulatissimè sunt, ornamentis habeat rationem naturæ, & veluti fontis cæteras perfectiones virtualiter profundentis.

Alterum est, quod licèt S. Præceptor frequenter inculcet, esse Dei non distingui ab intelligere, sed esse omninò idem cum illo; nihil tamen inde evincitur, cùm etiam passim asseveret, velle non distingui: imò *in 1. ad Annib. dist. 35. quæst. 1. art. 2. ad 3*: ait: *Sicut intelligere est idem cum essentia, ita & velle*. Quare hujusmodi loquutionibus prætendit solùm divinæ simplicitatis unitatem inviolatam servare, omnemque realem distinctionem eliminare: distinctionem verò rationis cum fundamento in re nusquam exclusit, sed potiùs antè recitatis locis apertissimè significavit. His prælibatis,

Objicies: Natura divina debet constitui per gradum intellectivum multò magis quàm Angelus, qui dicitur intelligentia, & spiritus, & quàm homo qui rationalis diffinitur; aliàs Deus non constitueretur per nobiliorem modum essendi, & creatura intellectualis creata, ex vi sui constitutivi, & gradus specifici & differentialis esset formaliter in perfectiori statu quàm Deus, qui à nobis constituitur per gradum entis, qui est omnium infimus, & communis cum lapidibus. Atqui, supposito quod Deus constituatur per gradum intellectivum, necessariò intelligere constituit ipsum, quia cùm Deus sit actus purus, si constituatur per gradum intellectivum, necessariò constituitur per ultimum actum illius ordinis, qui est intellectio actualis: Ergo intellectio actualis divinam naturam constituit.

Respondeo naturam divinam in constitutione sua importare gradum intellectivum, non formaliter, expressè, & explicitè, sed implicitè, & veluti in radice. Ens siquidem per essentiam, & actus purus est formaliter summè spiritualis & immaterialis, & consequenter intelligens. Quare gradus entis in Deo non est infimus & postremus, sicut in Angelo & in homine; sed supremus & plenissimus, quia est ipsum esse subsistens, & per essentiam, seu plenitudo essendi, id est omnem cujusvis entis possibilis perfectionem eminentissimè præcontinens. In creaturis verò gradus essendi est limitatus, utpote quia receptus in essentia, estque veluti nudus, nisi superadveniat alia perfectio, & ideò neque Angelus, neque homo per gradum entis ab alio constituuntur, benè tamen Deus. Est alia etiam disparitas, quia ratio entis ab alio in Angelo & homine est communis utrisque, aliisque omnibus creaturis: unde sicut non distinguit, ita nec constituit, cùm idem sit constitutivum & distinctivum. At verò ratio entis à se, & per essentiam est Deo propriissima, & prima: Ergo primitus per eam distinguitur ab omnibus aliis, proindeque constituitur.

Dices: Per hoc, quod concipimus in Deo rationem entis, & substantiæ immaterialis, spiritalis, & radicaliter intellectivæ, nihil apprehendimus quod non sit commune Deo & creaturis: Ergo nondum assignamus constitutivum, donec perveniamus ad intelligere actuale, quod est Deo proprium.

Respondeo, hoc argumentum, quod nonnullis placuit, valde frigidum esse; nam etiam intellectus actualis est etiam analogicè communis Deo, & creaturis intellectualibus. Vnde dicendum, rationem entis esse quidem analogicè communem, sed rationem entis à se esse Deo propriam, cæterisque incommunicabilem. Vnde rectè Iob de Deo dixit cap. 23. *Ipse solus est*.

Vrgebis: Ratio entis à se non distinguitur virtualiter ab intelligibilitate Dei; essentia siquidem divina est per seipsam formaliter intelligibilis hoc ipso, quod est actus purus & immaterialis: Ergo non distinguitur etiam virtualiter ab intellectione actuali. Probatur consequentia: Intellectio actualis Dei non distinguitur etiam virtualiter à specie expressa divini intellectus, qui aliàs non esset omninò perfectus in suo ordine; species autem expressa in Deo non distinguitur à specie impressa, cùm una sit actus alterius, & utraque sit actus purus in suo ordine. Atqui species impressa, & intelligibilitas divina idem sunt formaliter; aliàs essentia divina non esset per seipsam formaliter intelligibilis. Ergo essentia divina non distinguitur etiam virtualiter ab specie expressa divini intellectus, subindeque nec ab intellectione, cùm hæc omnia sint in linea intellectuali; ea verò quæ pertinent ad eandem lineam, nullatenus distinguuntur.

Hoc argumentum plurimùm magnificabat quidam eruditus Theologiæ Professor; sed plus habet acuminis quàm veritatis: tum quia essentia Angeli per se habet rationem speciei impressæ; & tamen realiter distinguitur ab intellectione, & specie expressa: Ergo non est inconveniens, quod distinguantur virtualiter in Deo. Tum quia omnes perfectiones divinæ sunt per seipsas intelligibiles, cùm quælibet sit actus purus in sua linea: ergòne propterea non distinguuntur virtualiter ab intellectione Dei?

Quare dicendum, quod licèt essentia divina sit per seipsam species intelligibilis, imò & intellectissima, quantum est de se, quia est actus purus; tamen distinguitur virtualiter ab intellectu & intellectione, cùm sit ejus objectum. Et cùm dicitur, quod species impressa pertinet ad lineam intellectivam, & quod ea quæ pertinent ad eandem lineam, non distinguuntur virtualiter: Respondeo quod illa quæ pertinent ad aliquam lineam, ut actus & potentia, non distinguntur, quia in Deo non est aliquid potentiale; sed ea quæ pertinent ad aliquam lineam solùm per modum objecti,



objecti, non solùm non identificantur cum illa, sed necessariò virtualiter distinguntur. Species autem, & intelligibilitas divina pertinent ad intellectualitatem divinam, dumtaxat ut objectum divinæ cognitionis, à qua proinde virtualiter distinguntur, cùm omnis cognitio nisi sit reflexa, supponat objectum suum à se distinctum, realiter quidem in creaturis, sed virtualiter in Deo; ex quo potiùs pro nostra sententia non parum efficax formari posset ratio, quam ingenioso Lectori indicasse sat est. Et certè, si ea quæ pertinent ad eandem lineam per modum objecti & potentiæ, essent idem absque distinctione virtuali, esse divinum non distingueretur virtualiter à velle; essentia quippe divina est objectum suæ voluntatis, & objectum amabile & bonum tam pertinet ad lineam voluntatis, quàm objectum cognoscibile & verum ad lineam intellectus.

Insistes: Illa ratio non constituit naturam divinam, prout distinguitur ab attributis, quæ invenitur in omni attributo; quod enim reperitur in omni attributo, non discernit inter naturam & attributum: Sed ratio entis à se invenitur in omni attributo divino, & in eo transcendentaliter imbibitur: sicut ratio entis ab alio imbibitur in omni perfectione creata: Ergo ratio entis à se non constituit naturam divinam.

Respondeo, hoc argumentum manifestè retorqueri in adversarios, qui ultro fatentur essentiam divinam transcendentaliter includi in attributis, imò & in relationibus; & tamen non negant propterea essentiam divinam distingui virtualiter ab attributis, vel relationibus: Ergo ex eo quod ratio entis à se transcendat omnia attributa, perperam inferunt, rationem illam non constituere naturam divinam. In forma igitur respondeo communi solutione Thomistarum: Illa ratio non constituit naturam, quæ invenitur in omni attributo explicitè, concedo; si inveniatur tantùm implicitè, nego. Ratio autem entis à se & per essentiam, quantumvis implicitè includatur in omnibus attributis, non tamen explicatur in illis; nam intellectus, sapientia, justitia in Deo sunt quidem ens à se, sed non explicant formaliter existentiam. Addi potest, rationem entis à se, & per essentiam, dupliciter intelligi posse: *primò* ut dicit negationem existendi ab alio, & sic convenit omnibus attributis hoc ipso, quod divina sunt: *secundò*, ut importat negationem radicis virtualis, à qua nostro modo concipiendi deriventur. Et sic soli convenit essentiæ Divinæ, quæ ex nulla priori ratione dimanat, sed à qua profluit omnis perfectionum comitatus.

Reflexio.

Ex nostra sententia consectarium deduci potest, non parum ad ciendos pietatis motus, & ad ingentis consolationis fontem uberem aperiendum conducens. Si enim Dei natura sit fontalis plenitudo essendi, si hæc sit essentialis disparitas inter naturam Dei & creaturarum quantumcunque excellentium, quod primordialis essendi necessitas sit primus character Divinitatis; dependentia verò, contingentia, & variabilitas sit prima creaturarum notio: planè consequitur, unicè spem nostram in eo esse ponendam, qui immobiliter est *Qui est*. Hoc corollarium egregie tradit D. Augustinus *expositione in Psal.9.* expendens enim illud, *sperent in te, qui noverunt nomen tuum*, ait: *Dominus dixit ad Mosem, Ego sum qui sum. Sperent igitur in te qui cognoscunt hoc nomen tuum. Ne sperent in rebus quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes nisi erit, & fuit; quoniam quod in illis futurum est, cùm venerit, fit statim præteritum, & expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliquid quasi nondum sit, nec fuit aliquid quasi jam non sit, sed est tantùm id quod est. Desinant igitur sperare, & diligere temporalia, & se ad æternam spem conferant, qui cognoscunt nomen ejus, qui dixit, Ego sum qui sum.*

Speculatio III.

Ad efformandam sublimem, & elevatam de Dei majestate ideam mirum in modum conducit sententia, quæ Dei naturam constituit per rationem entis à se, & per essentiam, seu per essendi plenitudinem.

Hanc tertiam speculationem, quâ nostra sententia non parum illustrabitur, de industria duabus prioribus adjecimus, quia nonnullos audivimus asserentes, sententiam quæ Deum per esse à se constituit, nimis deprimere Divinitatem, cùm eam per gradum essendi omnium infimum declarat. Contra quos

Probatur assertio: Illa Divinitatis descriptio plurimùm juvat ad altum de Deo conceptum efformandum, quæ in Dei admirationem rapit. Unde patri Samsonis interroganti quo nomine vocaretur Deus, respondit Angelus in persooa Dei, Iudic. 13. *Cur nomen meum interrogas, quod admirabile est?* Et certè sicut Tullius oihili faciendam illam eloquentiam judicavit, quæ id non efficit, ut auditores in admirationem rapiantur: sic nihilo melior est divinæ naturæ descriptio, quæ supremi Numinis admirationem non parit. Atqui descriptio divinæ naturæ per ens per essentiam constitutæ Dei admirationem ingenerat. Quis enim sibi repræsentans plenitudinem & pelagum essendi, tantæ majestatis eminentiâ attonitus non stupeat? Cùm enim dicimus, Deum esse *Qui est*, seu ens per essentiam, intelligimus immensam perfectionis amplitudinem, quæ omnem includit, omnem exsuperat superexcessu substantiæ suæ. Nam sicut ens omnia pervadit, ita nihil apprehendere, imaginari nihil possumus, quod in ente per essentiam veluti in fonte & centro non inveniatur. Ergo ratio entis per essentiam sublimiter de Deo sentiendi ansam præbet.

Confirmatur, & illustratur: Tunc perfectiorem de Deo conceptum formamus, cùm eum magis illimitatum apprehendimus; cùm Deus sit ens infinitum, nullisque perfectionis limitibus circumscriptum: Atqui ratio entis per essentiam, & esse à se, & per se subsistens, est omnium maximè illimitata; omnes enim aliæ perfectiones, sive intelligere, sive velle, sive posse, sive misericordia, sive justitia, specialem aliquem perfectionis modum designant: At esse subsistens, & plenitudo essendi, omnem entis perfectionem includit, quia nullam entis differentiam determinat. Vnde pereleganter Minutius Felix: *Nec nomen Deo quæras, illic vocabulis opus est, cùm per singulos propriis appellationum insignibus multitudo dirimenda est: Deo, qui solus est, Dei vocabulum totum est. Aufer additamenta nominum, & perspicies ejus claritatem.* Et Scoeca in præfat. ad qq. natur. *Quid est Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum. Sic demùm magnitudo sua illi redditur, quâ nihil majus excogitari potest.* Ergo notio entis à se altam cogitationem de Deo parit.

Hanc rationem egregiè adornat D. Bernardus lib. 5. de consid. cap. 6. *Si bonum, si magnum, si beatum, si sapientem, vel quidquid tale de Deo dixeris, in hoc verbo instauratur, quod est Est: nempe hoc est ei esse, quod hæc omnia esse. Si & centum talia addas, non recessisti ab esse; si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti. Si vidisti hoc tam singulare, tam summum esse, nonne in comparatione hujus, quidquid hoc non est, judicas potiùs non esse, quàm esse?* Vbi Doctor Mellifluus

rationem

rationem fundamentalem nostræ sententiæ tangit. Illud est constitutivum divinæ naturæ, quod divinam sapit perfectionem, & est tale, ut per illud Deus per se primò differat à creatutis omnibus possibilibus: Atqui ratio entis per essentiam est hujusmodi; est enim nobilissima, cùm in ea omnia alia attributa *instaurentur*; est talis, ut per eam per se primò differat Deus à creaturis, quæ esse divino comparatæ judicantur potiùs non esse quàm esse: Ergo hæc ratio est divinam naturam modo nobilissimo constituens.

Illustratur secundò: Illud ad præcelsam de Deo formandam ideam maximè confert, quo de Deo & altè sentimus, & simul incomprehensibilem profitemur, qui est verus modus concipiendi divina, juxta illud Psal. 63. *Accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus*; id est, ut rectè post Chrysostom. exponit Hugo Cardinalis, quantumvis conetur homo Deum cognitione attingere, hoc tandem invenisse se fateri debet, quod Deus incognoscibilis est. *Iob* 36. dicitur: *Vnusquisque* (sive Philosophus, sive Theologus quàmlibet oculatus) *intuebitur procul*. Et Psalm. 112. *Dominus Deus noster in altis habitat*. Ad quem cognitionis modum hortatur nos Ecclesiasticus cap. 43. *Glorificantes Dominum quantumcunque potestis, supervalebit adhuc, & admirabilis magnificentia ejus: benedicentes Dominum exaltate illum quantum potestis: major est enim omni laude. Exaltantes eum replemini virtute: multa abscondita sunt majora his*. Atqui dum divinam naturam per plenitudinem essendi constituimus, id præstamus; nam, ut egregiè prosequitur P. Ludovicus Granatensis *lib. 1. Catech. cap. ult.* tunc Deum non intelligendo intelligimus, & non cognoscendo cognoscimus, quia dum Deum esse à se dicimus, & eum profamur, & ineffabilem asserimus hoc ipso, quod plenitudinem essendi enunciamus; sicque implemus illud Psalm. 64. *Te decet hymnus Deus in Sion*; vel, ut alii legunt, *Te decet silentium*. Sed melius ad propositum nostrum Hieron. *Tibi tacet hymnus*. Sed si tacet, quomodo hymnus; vel si hymnus, quomodo tacet? Imò planè & tacet, & canit; quia finul & gloriam Dei pangit, & indicibilem proponit; quid enim tam ineffabile, quàm esse plenum, & illimitatum? Ergo nostra Divinæ naturæ constitutionis ratio Deo dignissima est.

Illustratur tertiò: Perfectior est illa Dei cognitio, quæ magis accedit ad visionem beatam, quâ Deus ut in se est, videtur; hæc enim est creatarum omnium notitiarum perfectissima, subindeque regula & mensura perfectionis aliarum; nam primum in unoquoque genere est causa & mensura cæterorum: Atqui cognitio de Deo, quam parit ratio entis per essentiam, maximè accedit ad perfectionem visionis Beatæ: Ergo sublimem de Deo ideam nobis proponit. Probatur minor: Præeminentia visionis beatæ in hoc consistit, quod Deum quidditativè videat, & simul ejus incomprehensibilitatem demiretur. Vnde dicitur, quod Angeli sancti in Deum desiderant prospicere, quia licèt quidditatem videant, tamen ad tanti objecti fundum non perveniunt: id autem imitatur cognitio Dei per rationem entis à se; nam in primis nomen *Qui est*, quidditatem Dei repræsentat; cùm secundùm plures coincidat cum nomine tetragrammaton, quod Dei substantiam propriissimè significat; quod licèt non admittant alii cum D. Thoma infrà, *q.* 13. concedunt tamen unum ab alio derivati. Simul etiam divinæ naturæ ineffabilem & incomprehensibilem perfectionem pronuntiat, cùm plenitudo essendi nullos habeat fines perfectionis. Ergo per esse à se, seu per plenitudinem essendi, digniori quo possumus modo Deus constituitur. Quia ut docent Patres, tunc Deus altiùs cognoscitur, quando incomprehensibilis cogitatur. Vnde Minutius Felix in Octavio: *Nobis ad intellectum Dei pectus angustum est, & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus*. Et Ambrosl. lib. 1. de fide Trinit. cap. 7. *Deus cùm dicitur, non potest dici; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm diffinitur, ipsa diffinitione crescit*.

Denique: Tunc in hac vita perfectiùs Deum apprehendimus quando in ipso cogitamus quatuor veluti perfectionis dimensiones, de quibus divinè tractat D. Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 13. *Quid est Deus?* (inquit) *Longitudo, latitudo, sublimitas, & profundum*. Longitudo sine protensione: latitudo sine distensione, locales excedens temporalesque angustias, sed libertate naturæ, non enormitate substantiæ: sublimitas inattingibilis: profunditas inscrutabilis. Has autem quatuor dimensiones contemplari licet in ratione entis à se, seu in plenitudine essendi. Est longitudo, quia nulla est perfectio creabilis, quam virtualiter non contineat: latitudo, quia omnes divinas perfectiones in immensum veluti dilatat; ex eo enim quod sint à se & per se subsistentes, sunt infinitæ in sua linea: sublimitas, quia omnem creaturarum bonitatem supra modum excedit: profundum, quia quanto meliùs ens per essentiam attingitur, tantò magis apparet esse incomprehensibile, ut anteà declaravimus. Ergo per rationem entis à se mens erigitur ad altiorem de Deo conceptionem habendam. Hinc nascuntur quatuor contemplationis species, de quibus ibidem Bernard. *cap.* 14. scilicet, *admiratio majestatis*; dum animus Dei esse tam plenum considerans, stupore suspenditur: *timor tantæ altitudinis*, dum pavido aspectu Deum tam perfectum veveremur: *amor bonitatis*, dum esse Dei, quod pura & subsistens perfectio est speculantes, memoriam abundantiæ suavitatis eructamus: *spes æternitatis*; nam in eo qui per se & à se est, nec præteritum, nec futurum est.

Sed dices: Tunc habetur perfectior de Deo conceptio, quando Deus apprehenditur secundùm gradum perfectiorem: Sed gradus intelligendi est omnium perfectissimus; sicut enim perfectius est vivere, quàm esse; ita intelligere est perfectius quàm vivere, vel esse. Ergo qui constituunt Dei naturam per intelligere actuale, perfectiorem Divinitatis ideam formant.

Respondeo, tunc solùm gradum intelligendi esse perfectiorem gradu essendi, quando gradus essendi est limitatus ad præcisam rationem entis: sicut est in lapide, cæterisque inanimaris. At vèrò cùm gradus essendi est infinitus; & omnem possibilem perfectionem implicitè importat, tunc est perfectior aliis gradibus, qui in illo sicut in radice continentur. Gradus autem essendi est in Deo infinitus. Imò (& est alia solutio) pertinet ad gradum intellectivum, non ut intellectus, vel ut intellectio; sed ut ens purissimè spirituale, & radicale principium intellectus. Eo enim ipso, quod est ens à se, & per se subsistens, importans plenitudinem essendi, excludit omnem materiam, & omne limitativum, quo determinetur esse. Ens autem summè immune ab omni materia, tam physica, quàm metaphysica, est principium, & radix totius intellectionis, ut infrà dum de scientia Dei cum D. Thoma dicemus.

Instabis: Intelligere Divinum includit etiam implicitè omnes alias perfectiones Divinas, inter quas non datur præcisio objectiva per modum excludentis & exclusi; sed tantùm formalis per modum impliciti & expliciti: Ergo etiam intelligere Divinum nostro modo concipiendi tam perfectè constituit naturam Divinam, quàm esse, quod solùm implicitè divinas perfectiones involvit.

Respondeo intelligere includere alias perfectiones divinas implicitè, non ex vi suæ lineæ formaliter; sic enim

enim importat tantùm omnem perfectionem ordinis intellectualis; sed identicè, quia hoc ipso quod divinum est, consequenter omnem imaginabilem perfectionem implicitè importare debet, nullamque excludere. Sicut processio amoris communicat Spiritui sancto naturam similem Patri, non quia amor est formaliter, sed quia est amor divinus. At verò esse à se, & per se implicitè involvit omnem imaginabilem perfectionem, non identicè, quia Divinum est, sed per se, id est ratione sui formaliter. Nam cùm omnis perfectio imaginabilis sit aliquod ens, debet implicitè, & simul per se involvi in eo quod est per se esse, quia ens à se, & per se ens, omnem rationem, modum, & formalitatem ex propria & characteristica ratione transcendit, & pervadit, & ut aiebat Bernard. suprà, *si centum talia addas, non recessisti ab esse.*

Aliud argumentum solet fieri contra nostram sententiam, petitum ex generatione Verbi Divini. Sed in materia de Trinitate demonstrabitur, hanc objectionem nobis quamplurimùm favere. Vide ibi dicta, *tom. 2. pag. 125.*

REFLEXIO.

Præcipua Christianorum tepiditatis radix, imò & peccatorum omnium germana scaturigo est, quod de Deo altè non sentimus. Nullus enim esset adeò hostis sui, nullus tam duro saxeoque corde, qui non totis artubus contremisceret, si tantæ majestatis celsitudinem reverenti animo evolveret, & corde recogitaret. Si columnæ cœli, id est supremi spiritus, qui portant orbem, tam reverendæ Deitatis cogitatione tremunt; unde quæso in filiis hominum tanta cæcitas, stupor tantus, ut infinitæ magnitudinis Deum, quem Principatus adorant, & quo tremunt Potestates, ipsi quotidianis excessibus vilipendant, & floccifaciant? Si attentè considerarent essendi plenitudinem, viderent in ea longitudinem dignitatis, latitudinem majestatis, sublimitatem potestatis, profundum judiciorum inscrutabilium sapientiæ investigabilis. Hæc verò contemplatus quis non paveat? Nam, ut ait Bernard. cap. ult. lib. de consideat. *Quid tam timendum quàm potestas, cui non potes resistere: quàm sapientia, cui abscondi non potes? Poterat minùs timeri Deus alterutro carens. Nunc autem oportet perfectè timeas illum, cui nec oculus deest omnia videns, nec manus potens omnia.* Hanc Divini numinis reverentiam concipies, si constitutivum naturæ divinæ à nobis assignatum, & nomen illud, *Qui est*, à Deo sibi impositum, mentis tuæ oculis jugiter obversetur. Quia ut rectè docet D.Bonavent. in expositione illios versus Psalm. 118. *Memor fui nocte nominis tui Domine, & custodivi legem tuam*, nomen illud Dei est *mirabile, horribile, & terribile.* Nam de eo dicitur Genes. 32. *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile.* Et iterum Malach. 1. *Nomen meum horribile in gentibus*, id est gentiliter viventibus. Et Deuter. 27. *Nomen ejus gloriosum & terribile.* Et Psalm. 110. *Sanctum & terribile nomen ejus.*

DISSERTATIO III.

De perfectionibus & attributis consequentibus esse divinum.

DEFINITOR communiter Attributum, *Ratio absoluta formaliter & necessariò in Deo existens, quæ ex modo intelligendi divinam naturam per modum proprietatis consequitur.* Ita colligitur ex D. Damasc. *lib. 1. de fide, cap. 12.* Nam licèt non sit in Deo realis perfectionum multiplicitas repugnans ejus summæ unitati, tamen plures ei attribuimus ob diversos effectus quos sentimus. Unde rectè Bernard. in parv. serm. 36. *Deus licèt unus sit, & unum sit; tamen non sui varietate, sed animi nostri mutatione gustantibus nobis diversos videtur habere sapores; sapit enim timenti justitiam, & potentiam; sapit amanti bonitatem, & misericordiam.* Exordiendum est autem à divina simplicitate, quâ removentur à Deo omnes defectus creaturarum, quia in cognitione divinitatis priùs per remotionem imperfectionis procedendum est, & posteà per affirmationem omnis perfectionis, ut dicimus explicando divina nomina.

CAPUT I.

De simplicitate & perfectione Dei.

HAnc utramque perfectionem meritò conjungimus, quia ut ait D. Thom. infrà citandus, simplicitas & perfectio se invicem comitantur; & eo aliquid est nobilius, quo simplicius. Unde sit

SPECULATIO I.

In Deo admittenda est omnimoda simplicitas per exclusionem omnis materiæ, corporis, & compositionis cujuscumque, sive ex natura & supposito, vel persona; sive ex essentia & existentia, sive ex subjecto & accidentibus, sive ex genere & differentia.

HAnc divinam perfectionem summè commendant SS. Patres. Hilar. *Non enim ex compositis, atque inanimis Deus qui vita est, subsistit; neque qui virtus est, ex infirmioribus continetur; neque qui lux est, ex obscuris coaptatur; neque qui spiritus est, ex disparibus formatus est. Totum in eo quod est, unum est.* Aug. lib. 11. de civit. cap. 10. *Deus ideò simplex dicitur, quia quidquid habet, hoc est.* Bernard. serm. 80. in Cant. *Deus hanc sibi vindicat miram singularemque suæ essentiæ simplicitatem, ut non aliud & aliud, non alibi quoque & alibi, sed ne modo quidem & modo invematur in eo: nempe in semet manens, quod habet, est; & quod est, semper & uno modo est: in eo & multa in unum, & diversa in idem rediguntur, ut nec numerositate rerum sumat pluralitatem, nec alterationem de varietate sentiat.*

Probantur simul omnes partes hujus asserti multimembris, quæ ex conditionibus primo enti assertis liquidò consequuntur. Si enim Deus est primum ens, actus purus, necessarius, & perfectissimus, necessariò à se excludit imperfectionem materiæ, distinctionem partium tum quantitativarum, tum physicarum materiæ & formæ, quæ debent conjungi ab aliquo alio ente superiori: removet etiam à se actus purus & necessarius omnem potentialitatem, imperfectionem, & contingentiam, quam importat essentia perfectibilis per existentiam, natura sustentabilis per subsistentiam, subjectum indigens accidentibus, & genus contrahibile & limitabile per differentiam, quam à suo conceptu excludit.

Confirmatur eleganti ratione D. Thom. lib. 1. cont. Gent. cap. 18. *In qualibet genere tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius, sicut in genere calidi, ignis qui non habet aliquam permixtionem frigidi: quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse in fine simplicitatis; hoc autem quod dicimus in fine nobilitatis omnium*

omnium entium, dicimus Deum : nulla igitur compositio ei accidere potest. Et licèt apud nos composita sint meliora simplicibus in corporibus quæ debent ex diversis integrari ; tamen omnis forma tanto est perfectior, quanto est purior, & minùs alteri immixta : sicut albedo tanto est perfectior, quanto minùs nigredini permiscetur : calor similiter, & generaliter inter illas formas substanciales illæ perfectiores sunt, quæ minùs sunt materiæ immersæ.

Atque ex his confutati manent varii antiquorum errores, qui ponebant elementa mundi & virtutes in eis existentes Deos esse, quia putabant Deum esse animam totius mundi, & ex hoc errore, ut ait D. Thom. *lib. 1. cont. gent. c. 27.* idololatriam defendebant, dicentes totum mundum esse Deum, non ratione corporis, sed ratione animæ : quo supposito sequi opinabantur, quod mundo & partibus ejus non indebitè divinus cultus exhibebatur. Excluduntur etiam deliramenta Anthropomorphitarum, qui Deum corporalibus lineamentis figurarunt : necnon & Manichæorum, qui quandam infinitam lucis substantiam per infinitum spatium distentam Deum existimabant. Quorum omnium errorum fuit occasio (ut observat D. Thom. *cit. c. 27.*) quod de divinis cogitantes, ad imaginationem deducebantur, per quam non potest accipi nisi corporis similitudo ; & ideò eam in incorporeis meditandis derelinquere oportet. Ex his etiam confunditur insania Davidis de Dinando, qui ausus est dicere Deum esse materiam primam. Contra quos omnes errores dicitur Ioan. 4. *Spiritus est Deus* : & ad Rom. 1. *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur* : quæ enim non visu, sed intellectu conspiciuntur, incorporea sunt.

Objicies : Divinæ simplicitati obesse videntur mysteria SS. Trinitatis & Incarnationis ; in primo enim admittitur Trinitas personarum, quam compati non potest summa & indivisa simplicitas ; in secundò verò persona Christi est composita ex personalitate Divini Verbi, & humanitate : quod autem venit in compositionem, non videtur actus purus simplicissimus. Ergo.

Respondeo : Neutrum mysterium officere divinæ simplicitati, ut suo proprio loco apparebit. Pro nunc sufficit notare doctrinam D. Thomæ *in 1. dist. 8. q. 1. art. 1. ad 4.* docentis, ideò tres personas non nocere divinæ simplicitati, quia non faciunt compositionem, quam ut efficerent, deberent uniri inter se sub ea ratione, quâ distinguuntur, vel distingui sub ea ratione, quâ uniuntur ; compositio enim est distinctorum unio : at personæ divinæ sub ea ratione quâ distinguuntur, non uniuntur ; distinguuntur enim per relationes, quæ non uniuntur, sed opponuntur ; uniuntur verò in essentia, à qua nullatenus distinguuntur. In mysterio verò Incarnationis Verbum Divinum non venit in compositionem per modum partis materialis, vel formæ inhærentis, quod diceret utique imperfectionem ; sed per modum termini complentis, & perficientis humanitatem, quam portat verbo virtutis suæ ; quod putam dicit perfectionem.

Dices : In Scriptura spiritus Dei dicitur multiplex, & omnibus mobilibus mobilior, ut patet *Sap. 7.* Ergo Deus non est simplex spiritus.

Respondeo spiritum Dei esse in se simplicissimum, sed in effectibus suis multiplicem, quod solùm intendit Scriptura, & peregregiè explicat Bernard. *serm. 3. Pentec. Verè multiplex spiritus, qui tam multipliciter filiis hominum inspiratur, ut non sit qui se abscondat à calore ejus ; siquidem conceditur eis ad usum, ad miraculum, ad salutem, ad auxilium, ad solatium, ad fervorem. Ad usum quidem vitæ bonis & malis, dignis pariter & indignis communia bona abundantissimè tribuens, ita ut videatur hic discretionis limitem non tenere ; & ingratus qui in his quoque beneficium spiritus non agnoscit. Ad miraculum in signis & prodigiis, in variis virtutibus, quas per quorumlibet manus operatur : ipse est antiqua miracula suscitans, ut ex præsentibus fidem adstruat præteritorum. Sed quia nonnullis hanc quoque gratiam sine propria utilitate largitur, tertio insinuatur ad salutem, cum in toto corde nostro revertimur ad Dominum Deum nostrum. Porrò ad auxilium datur, cùm in omni colluctatione adjuvat infirmitatem nostram. Nam cùm testimonium perhibet spiritui nostro, quod Filii Dei sumus, ea inspiratio est ad consolationem. Datur etiam ad fervorem, cùm in cordibus perfectorum vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solùm in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus glorientur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem.*

Reflexio.

Si Deus est pura mens, soluta, libera, & ab omni conceptione segregata, decet animum nostrum Deitatis imaginem mixtum nihil, concretum nihil, aut materiâ corporatum, quo cordis munditiæ contaminata maculetur, tedamate. *Impuritas enim uniuscujusque rei* (præclara est D. Thom. *2. 2. q. 7. art. 2.* observatio) *consistit in hoc, quod rebus vilioribus immiscetur; non enim dicimus argentũ esse impurum ex permixtione auri, per quam melius redditur, sed ex permixtione plumbi, vel stanni. Manifestum est autem, quod rationalis creatura dignior est omnibus corporalibus & temporalibus ; & ideo impura redditur ex hoc, quod corporalibus se subjicit per amorem, à qua quidem impuritate purificatur per contrarium motum, dum scilicet tendit in id quod est supra se, scilicet Deum.* En verum modum adipiscendæ puritatis, & exprimendæ divinæ simplicitatis.

Speculatio II.

Divina simplicitas excludit omnem omninò distinctionem actualem antevertentem operationem mentis ; compatitur verò solam distinctionem rationis, fundatam in distinctione virtuali, seu eminentiali : quæ distinctio rationis non est præcisio objectiva, sed formalis, ita ut unum attributum importetur in conceptu alterius, non explicitè quidem, sed implicitè.

PRima pars non solùm colligitur ex Concil. Florentino, asserente in divinis omnia esse unum, nisi ubi obviat relativa oppositio : & ex Rhemensi sub Eugenio III. omnem distinctionem actualem, contra Gilbertum Porretanum amandante : & ex Patribus *Speculat. præced.* relatis. Sed ex prædictis primi entis conditionibus evidenter convincitur contra Scotistas. Nam omnis distinctio actualis præveniens mentis operationem, quocumque nomine appelletur, divinam simplicitatem, puritatem actus, & infinitatem enecat : simplicitatem quidem, quia omnis actualis distinctio involvit compositionem, quæ est rerum actu distinctarum unio : puritatem actus, quia essentia divina se haberet ad suas perfectiones, vel una perfectio ad alteram, sicut potentia ad actum, & sicut perfectibile ad perfectivum : infinitatem demùm divinæ essentiæ ; illud namque infinitè perfectum non est, cui aliqua perfectio deest, vel pluribus à se distinctis eget ad suæ perfectionis integritatem. Unde præclarè dixit D. Dionys. omnem prorsus distinctionem eliminans, quod Deus est tam parvus, ut nihil sit (scilicet ex creaturis ;) tam magnus, ut omnia sit (eminenter ;) tam simplex, ut

nihil possit ab illo adimi; tam plenus, ut nihil possit illi adjici.

Confirmatur sublimi discursu D. Bernardi, qui fuit unus ex præcipuis Patribus Concilii Rhemensis, *serm.* 80. *in Cant.* Recedant à nobis, recedant novelli, non Dialectici, sed hæretici, qui à magnitudine qua magnus est Deus, Deum non esse impiissimè disputant. Divinitate, inquiunt, Deus est; sed Divinitas non est Deus. Forsitan non dignatur Deus esse quæ tanta est, ut faciat Deum? Sed si Deus non est, quid est? Aut enim Deus est, aut aliquid quod non est Deus, aut nihil. Equidem non das, Deum esse (cùm admittatur distinctio actualis ab adversario.) Sed ne nihilum quidem, ut opinor, dabis, quam usque adeò necessariam Deo esse fateris, ut absque ea Deus esse non possit. Quod si aliquid est, quod non est Deus, aut minor erit Deo, aut major, aut par: at quomodo minor, quâ Deus est? Restat ergo ut aut majorem fatearis, aut parem; sed si major, ipsa est summum bonum, non Deus; si par, duo sunt summa bona, non unum. Quod utrumque Catholicus refugit sensus. Qui discursus potest aliis attributis applicari: v.g. omnipotentia si distinguitur à Deo, vel est major, vel minor, vel par; non minor, cùm sine ea Deus non esset omnipotens, & omnipotentia infinita nihil se majus agnoscat: si major, ipsa est Deus, & summum bonum: si par, duo sunt summa bona.

Secunda pars explicatur & probatur. Licèt in Deo unica sit simplicissima perfectio, illa tamen est virtualiter multiplex, & æquivalet pluribus perfectionibus realiter distinctis in creaturis: Ergo distinctio rationis, quam concipimus in divinis attributis, habet fundamentum non solùm in imperfectione intellectus nostri, qui illa apprehendit ac si essent distincta, sed etiam in ipso Deo pro hoc statu cognito, cujus eminentia dat nobis occasionem plura ei attribuendi. Dico, *pro hoc statu cognito*, quia Beati intuentes divinas perfectiones, eas per rationem non distingunt, cùm intuitivè videant essentiam ut in se est.

Atque per hanc distinctionem virtualem solvuntur omnes difficultates & objectiones, quæ contra divinam simplicitatem opponi possent, & tollitur omnis apparens contradictio, quæ subinferri videtur. Nam quod intellectus paternus generet Filium, non voluntas; quod essentia sit communicabilis, persona incommunicabilis; quod justitia puniat, misericordia non puniat, sed parcat; hæc aliaque similia præoccupantur & concordantur distinctione illa eminentiali, quæ totum id præstat quod realis distinctio efficeret. Sicut eadem anima rationalis æquè benè gradum vegetativum, sensitivum & rationalem confert, ac præstarent tres animæ realiter distinctæ, quibus una rationalis æquipollet. Sic ergo infinitas divinæ essentiæ diversa & opposita præstat, quæ à diversis effici solent; quæ enim in inferioribus dispersa sunt, in superioribus, maximè verò omnium supremo Deo, unita subsistunt. Quam sanè eminentiam Divinitatis ipsa Scriptura indicat, *Sap.* 7. in qua spiritus divinæ sapientiæ dicitur unicus, & multiplex: multiplex, propter cumulum perfectionum, quibus adornatur: unicus, ob simplicitatem, quæ omnes illas perfectiones identificat.

Tertia pars, nimirum quod etiam admissa distinctione virtuali inter divinas perfectiones, non detur præcisio objectiva, sed tantùm formalis, est contra nonnullos, qui licèt negent præcisiones objectivas in creatis, putà gradus metaphysicos, quales sunt animal & rationale, & solas formales admittant; in divinis tamen præcisiones objectivas astruunt. Thomistæ verò è diametro eis opponuntur; nam in creatis præcisiones objectivas, in divinis verò solas formales admittunt.

Et hoc probatur, & simul explicatur: Tunc datur præcisio objectiva inter duas formalitates, quando una perfectè cognoscitur, nullatenus cognitâ alia; tunc datur formalis, quando dum cognoscitur una, alia quoque cognoscitur, non explicitè, sed implicitè: Atqui non potest cognosci unum attributum divinum, quin implicitè cognoscantur alia: Ergo inter divinas perfectiones non datur præcisio objectiva, sed formalis. Probatur minor: Quodlibet attributum, si concipiatur ut divinum, non potest non concipi ut actus purus, ut ens à se, & infinitum, & quocumque alio pacto cognoscatur, non cognoscitur ut divinum: Atqui de ratione actus puri est, quod non sit perfectibilis per ullum aliud ad quod sit in potentia, sed debet concipi ut numeris omnibus perfectus, licèt tota perfectio non explicetur; de ratione entis à se, & infiniti est ita portare omnem perfectionem entis, ut nihil possit ei addi: Ergo non potest cognosci unum attributum divinum, nisi aliis implicitè cognitis. Sicut enim in transcendentibus unum ita imbibitur in alio, verbi gratiâ verum in bono, ut distinguatur ab illo per rationem, non omninò abstrahendo vel excludendo à suo conceptu, sed non exprimendo: ita in attributis divinis.

Declaratur, & clariùs explicatur hæc difficultas. Cognosci quidem potest misericordia sine justitia, intellectus sine voluntate: Sed nequit concipi misericordia ut divina, quin implicitè in ea involvantur justitia, sapientia, cæterarumque divinarum perfectionum ornatus; quia misericordia ab his perfectè & objectivè præcisa non est misericordia divina. Ex quibus perspicuè intelliges differentiam inter attributa divina, & gradus, sive perfectiones creaturarum. Nam inter animal & rationale, v. g. mirum non est quod detur præcisio objectiva, cùm unus gradus comparetur ad alium ut potentia ad actum, neuter sit actus purus, neuter infinitus; unde inter animal & rationale datur distinctio virtualis diversæ rationis ab ea quam in Deo admittimus; prima enim est per modum actus & potentiæ, estque fundamentum distinctionis rationis per modum excludentis & exclusi; secunda verò, seu divina, est per modum actus puri, sicque fundat solùm distinctionem rationis penes implicitum & explicitum. Ex quo fit, quod licèt detur distinctio rationis inter divina attributa, non tamen datur in Deo compositio generis & differentiæ, quia genus est in potentia ad differentiam, quam à suo conceptu excludit; ista autem perfectio divina aliam implicitè includit.

R e f l e x i o.

Si spiritus est Deus, adeoque purus ut nullam nedum in se, sed nec in suo conceptu objectivo divisionem, vel rationis compositionem patiatur; igitur eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare, ut colligit ipsemet Salvator, *Joan.* 4. Parum sanè utilis est actuum externorum quàmlibet fulgida species, nisi ab interno pietatis spiritu intus concepta foris nascatur: *Spiritus enim est qui vivificat.* Joan. 6. *Et omnis gloria filiæ regis ab intus.* Psalm. 44. Sanè sicut natura in corporis humani structura ab internis partibus corde & hepate exorditur: ita omnis qui vult esse nova in Christo creatura, ab interiori homine renovando incipere necessum habet. Absque hoc renasci minimè potest, dicente Veritate, Joan. 3. *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus.* Quod si quæras cum Nicodemo, *quomodo possunt hæc fieri?* Respondet Chrysologus serm. 116. *Non nati tales, tales poterunt inveniri, non manendo quod nati sunt, sed quod renati sunt permanendo. Discutiatur à sensibus caligo tota pompæ sæcularis, abjiciatur à mentibus mundanæ cupiditatis illusio, tota sanctitas animæ*

custodiatur

custodiatur & corporis, ut imago Creatoris nostri (qui spiritus est) *portetur, & clarescat in nobis.*

SPECULATIO III.

Admittenda est in Deo summa & illimitata perfectio, ratione cujus omnes creatas perfectiones vel formaliter, vel eminenter praecontinet.

HUjus veritatis pleni sunt omnes Scripturarum & Patrum libri. Psalm. 41. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Per magnitudinem autem intelligitur perfectio, quia juxta regulam ex August. desumptam *lib.6. de Trinit. cap.8.* in his quae non mole magna sunt, hoc est majus esse, quod melius & perfectius esse. Notat verò S. Thom. tum *hic*, tum *lib.1. contra gent. c.18.* quod licèt nomen perfectum quantum ad primam nominis impositionem & originem Deo attribui non possit, quia impositum est ad significandum id quod est totaliter factum; per quamdam tamen nominis extensionem, perfectum dicitur non solùm quod factum pervenit ad actum completum, sed etiam quod est in actu completo absque omni factione, & sic Deum perfectum esse.

Probatur: Deus est suum esse, & actus purus, simplicissimus, irreceptibilis, & incontrahibilis per aliquam differentiam: Ergo omnem in se debet habere perfectionem possibilem; si enim aliqua careret, per illam posset perfici, per illam contrahi, & cum illa componi: ergo omnes omninò perfectiones in se praehabet, & ut ait D.Dionys. *de divin.nom.c.5.* Deus non quodammodo est existens, sed simpliciter & incircumscriptivè totum esse in seipso accipit, & praeaccipit: sicut si daretur corpus immensum & infinitum, intra sui ambitus amplitudinem interminatam, omnia spatia comprehenderet.

Confirmatur alia ratione D. Thom. Deus est prima rerum omnium causa, & creatarum perfectionum fons. Ergo in ipso praeexistunt rerum omnium perfectiones, vel formaliter, vel eminenter: formaliter quidem, si sint perfectiones simpliciter simplices, quae in suo conceptu nullam dicunt imperfectionem, & definiuntur communiter post Anselm. in Monol. cap. 14. *meliores ipsa quàm non ipsa*, ut sapientia, justitia & hujusmodi: eminenter verò, si sint perfectiones secundùm quid, quae licèt aliquam importent perfectionem, non tamen puram, sed involutam & admixtam multis defectibus; ut esse equum, leonem, hominem, quae eatenus in Deo sunt, quatenus eminenter in eo continentur, & ab eo possunt produci; sicut virtus calefactiva est eminenter in Sole, qui aequè adurit, ac si formaliter incalesceret.

Dices: Si perfectiones simpliciter simplices, quae in creaturis dispersae sunt, formaliter inveniantur in Deo: Ergo creatura similis erit Creatori, & è contra, quod repugnat Scripturae dicenti, Isai.40. *Cui similem fecistis Deum?* Et Psalm.54. *Deus, quis similis erit tibi?* Quasi diceret, *Nullus.*

Respondeo, id non sequi, quia ad veram & propriam similitudinem requiritur aequalitas perfectionis: In Deo autem perfectio invenitur cum infinito excessu. Unde creata perfectio non potest dici plenè similis Deo, sed deficienter divinas perfectiones adumbrans. Multò autem minùs debet Deus dici similis creaturae, quia divina perfectio est mensura, & exemplar creatae, quae est tantùm derivatio, & radius divinae bonitatis, exprimens etiam cum multis defectibus archetypum, qui non solet dici similis imagini.

Quaeres, primò: Utrum tanta sit divina perfectio, ut creaturae omnes cum Deo non sint aliquid perfectius quàm Deus solus?

Respondeo affirmanter, contra Durandum: & probatur. Deus in amplissimo suo sinu comprehendit omnes perfectiones creatas, etiam individuales, vel formaliter, vel eminenter, ut jam diximus; & omnis creatura, quantumvis licèt numeris omnibus absoluta, nihil addit supra divinam excellentiam, quàm dependentiam, limitationem, & defectum: Ergo sicut punctum additum lineae, instans aeternitati, umbra corpori non faciunt quid perfectius: ita tota rerum etiam possibilium universitas Deo nihil addit, sed solùm adumbrat deficienter perfectionem Dei infinitam. Unde dicit Isai. c.40. *Ecce gentes, quasi gutta situlae, & quasi momentum staterae reputatae sunt, omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatae sunt ei.* Et egregiè August. tract.11. in Ioan. *Si fueris sine Deo, minor eris: si fueris cum Deo, major Deus non erit: non ex te ille major, sed tu sine illo minor; reficeris, si accesseris; deficies, si non accesseris.*

Quaeres secundò: Utrum divina illa perfectio sit imitabilis.

Respondeo etiam affirmativè, ut traditur Matth.5. *Estote perfecti, sicut Pater vester caelestis perfectus est.* Et ne non credatur Christus Dominus ad solos Apostolos loquutus, addit Marc.13. *Quod autem vobis dico, omnibus dico.* Hac de causa docent Patres, hominem ad imaginem & similitudinem Dei conditum, ut eum moribus imitetur, cujus naturam exprimit. S. Leo serm. 1. de jejun. *Invenimus hominem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator sui esset auctoris, & hanc esse naturalem nostri generis dignitatem, si in nobis quasi in quodam speculo divinae bonitatis forma resplendeat.* Et D. Ambros. *Fecit (Deus) hominem rationis capacem, imitatorem sui, virtutum aemulatorem, cupidum caelestium gratiarum.* Peccavere Angelus & Adam, quia divinae naturae excellentiam superbo ambitu aemulari voluerunt. Utinam ad sanctitatis perfectionem aequaliter aspirassent, & nequaquam cecidissent.

Ratio hujus veritatis est multiplex: tum quia ideo Christiani in Baptismate ad novam vitam renascimur, in Confirmatione pleniori Spiritus sancti effusione roboramur, in Eucharistia caelesti pascimur cibo, ut supernaturalem vitam degentes divinos mores nostris in gestibus exprimamus: tum quia per gratiam diffusam in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, *filii Dei nominamur & sumus*, Ioan.3. quod ut impressum mentibus, & nusquam obliterandum maneret, voluit Salvator omnes orationes nostras ab hac voce exordiri, *Pater noster.* Filius autem paternam imitari perfectionem, nisi sit degener, tenetur. Unde Chrysol. serm. 68. *Qui se filium Dei credit, actibus, vita, moribus, honestate tanto generi respondeat.* Quam rationem tangit Christus, *Estote perfecti sicut pater.* Et Apost. Eph.5. *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi.*

REFLEXIO.

Licèt omnia creata opera in numero, ordine & mensura producta, perfecta sint, & Deo ipso attestante, valde bona; signanter tamen de homine dicit Scriptura, quod fecit illum *ad imaginem & similitudinem Dei.* Ubi praepositio *ad*, ut ingeniosè observat D.Thom. *1.p. q.93. art.1.* accessum quemdam significat qui competit rei distanti; ut nimirum non se statim perfectum credat homo ac natum, sed assiduo piorum actuum motu se divinam similitudinem obtenturum speret; aliàs se multùm distare arbitretur, quia ut aie August. lib. de vera innoc. c.91. & lib.9. de Civit. cap.16. *non locis, sed actionibus, aut longinqui, aut proximi sumus.*

Methodus autem imitandi divinam perfectionem non est illa, quam sequuntur impii, de quibus August. lib.2. conf. c.6. *Perversè te imitantur qui longè se a te faciunt,*

faciunt, & extollunt se adversum te. V.g. superbi & turgidi æmulantur Dei majestatem; avari plenitudinem & felicitatem; tyranni dominium, & sic de aliis. Sed tunc vere imitantur eam, si actus virtutum, quæ divinarum perfectionum imagines sunt, eliciamus. Sic actibus fidei, prudentiæ spiritus, orationis, Dei scientiam & sapientiam exprimimus: actibus charitatis in proximum, divinæ misericordiæ & liberalitatis æmulatores sumus: actibus ingenuæ sinceritatis, castitatis, pudoris, divinæ veritati, puritati, & simplicitati conformamur. Inspice ergo, & fac secundùm exemplar quod tibi monstratum est.

CAPUT II.

De bonitate & pulchritudine Dei.

Quia bonitas entitatis perfectionem comitatur, & pulchritudo est splendidus bonitatis radius, consequenter agimus de bonitate & pulchritudine divini Numinis.

SPECULATIO I.

In Deo est summa & omnimoda bonitas.

Hanc veritatem millies inculcat Scriptura. Ps. 72. *Quàm bonus Israel Deus his qui recto sunt corde.* Psalm. 135. *Confitemini Domino quoniam bonus.* Thren. 3. *Bonus est Dominus sperantibus in se, animæ quærenti illum.*

Probatur: Bonitas non solùm consistit in integritate & perfectione, quæ in Deo illimitata est, sed etiam in convenientia cum appetitu; bonum enim est id quod omnia appetunt, ut ait Philos. 1. Eth. Sed hoc maximè competit Deo, qui non solùm est plenus sibi, sed etiam supetplenus nobis, ut phrasi D. Bernardi utar; omnia ad se allicit, tanquam centrum, ad quod ingenito pondere tendunt universa, præsertim ratione prædita, quæ ab eo fluxerunt. Ergo Deus est summè bonus, imò ipsum summum bonum, & bonum per essentiam; quia ejus bonitas à nullo alio pendet, sicut omnis creata bonitas, quæ est effluxus divinæ: unde & Deus dicitur omnis boni bonū, quia est omnis boni creati causa, tū efficiens, tum finalis, tum exemplaris; non tamen formalis, quia creaturæ habent internam bonitatem sibi propriam, licèt à Deo effusam, juxta illud Aug. *Bonum hoc, & bonum illud; tolle hoc, & tolle illud, & vide ipsum bonum, si potes: ita Deum videbis, non alio bono bonum, sed omnis boni bonum.* Nempe quia rerum creatarum bonitas est effusio divinæ, sicut ea quæ calefacit ignis, uno eodemque calore calefiunt, sed singuli calorem suum, quo formaliter denominantur, in se habent.

Confirmatur. Dicitur communiter ex Dionys. *lib. de div. nom. c.* 4. quod bonum est sui diffusivum; non enim esset appetibile, nisi posset sese diffundere. Quod explicat idem Sanctus per exempla superiorum erga inferiora, inferiorū erga superiora, æqualium erga æqualia, quæ sibi invicem ex appetito & amore boni communicant, vel alia aliis provident, vel aliis alia se submittunt, ut se mutuò juvent: & Philosophus docet, quod signum perfectionis alicujus est, quod possit sibi simile producere. Atqui esse sui diffusivum maximè convenit Deo; ut enim ait idem Dion. *Vt sol eo ipso quod est, omnia illustrat quæ lumen pro suo modo capere possunt, sic ipsum bonum per se totum bonitatis radios emittit.* Quæ divina profusio apparet tum in emanationibus internis, tum in productionibus externis in quadruplici ordine, naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostaticæ, de qua ultima ait Apost. ad Tit. 2. *Apparuit benignitas Salvatoris nostri Dei*: quia (ut expendit Bern.) *non potuit amplius declarari, neque abundantius exprimi, neque evidentius commendari.*

REFLEXIO.

Meritò concludit Anselm. c. 25. proslo. *Cur ergo per multa vagaris homuncio, quærendo bona animæ tuæ & corporis tui? Ama unum bonum, in quo sunt omnia bona, & sufficit.* Terrena dici non possunt bona, quæ habentem bonum non faciunt. Illum ergo solùm appetamus, de quo scriptum est: *Nemo bonus, nisi solus Deus, cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui servire regnare est*, ut beoè D. Prosper *epist. 4. ad Dem. c. 4.* Sed diligenter observandum cum Bern. paucos sola Dei bonitate moveri, quæ sola tamen debet amari. Pauci confitentur Domino quoniam bonus, quibus dirigi potest illud Davidis improperium, *Confitebitur tibi dum benefeceris ei.* Audiamus Bern. epist. 11. *Est qui confitetur Domino, quoniam potens est, & est qui confitetur, quoniam sibi bonus est, & item qui confitetur, quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius, & cupit sibi: tertius filius, & defert patri.*

SPECULATIO II.

In Deo etiam est illibata bonitas moralis, seu sanctitas.

Ita tradunt Scripturæ. Exod. 15. *Magnificus in sanctitate.* Psalm. 144. *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur.* Et omnes Angeli incessabili voce proclamant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: quod trisagion ex Isai. *cap. 6.* desumptum est. Et sanè nomen illud adeò augustum est, ut dæmonibus Christo blandiri volentibus, ne ejicerentur ab obsessis, & hæc verba usurpantibus, Marc. 1. *Scimus quia Sanctus Dei es*, Salvator silentium imposuerit, quòd indignum foret tam sacrum nomen ab immundis spiritibus proferri, quod solis Seraphim concessum est, ut observat D. Cyril. citatus *in cat. D. Thom.*

Probatur ratione D. Thom. 2. 2. *q. 81. art. 8.* Aliquid potest dici sanctum tripliciter: *primò* ratione munditiæ; *ἅγιος* enim idem est ac sine terra, unde communiter sanctitas dicitur, *ab omni labe intemerata puritas*: secundò accipitur pro stabili firmitate in bono; dicitur enim Sanctum, quasi lege sancitum: *tertiò* sumitur pro summa conjunctione, & applicatione ad res divinas. Atqui hæc omnia eximiè in Deo repetiuntur; est enim *primò* purissimus actus immaterialis, & Spiritus mundissimus: *secundò* est firmissimus, & immutabilis in amore boni, quod ita redamat, ut si contingat aliquem meritis copiosissimis ornatum in unicum peccatum mortale labi, meritorum oblitus, æternis eum addicat suppliciis: *Denique* est sibi conjunctissimus, cùm sit sua regula infallibiliter operans in ordine ad suam gloriam. Vnde dicitur Psalm. 144. *Sanctus in omnibus operibus suis.* Ergo vera est in Deo sanctitas, imò & plenitudo sanctitatis per essentiam. Vnde Origen. *Possunt multi sancti fieri, sicut mandatum Dei dicit Levit. 19. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum*: sed quantumcunque quis in sanctitate proficiat, esse sanctus non potest sicut Dominus; quia ille largitor sanctitatis est, iste susceptor; ille sanctitatis fons est, hic autem sancti fontis potator; ille sanctitatis lux est, hic sanctæ lucis inspector, & ideo non est sanctus sicut Dominus, 1. *Reg.* 2.

REFLEXIO.

Hujus divinæ sanctitatis æmulationem disertè præcipit Scriptura: *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Et, *Sequimini sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Quâ igitur ratione securi sunt, qui aiunt se nolle quidem vitam flagitiis atrocioribus coinquinatam,

natam, & veluti in profunda vitiorum voragine immersam degere; sed minimè ad eximiam contendere sanctitatem, quâ plenè cumulatéque se totos devoveant Deo; qui tamen totum cor, totam animam, totas vires sibi præcipit ancillari. Sic loquentibus opponi debet Sanctorum exemplum, & illud egregium Tobiæ dictum: *Nolite ita loqui, quoniam filii sanctorum sumus*, Tob. 2. Pudeat audire Ethnicum Platon. *dial. de Sanct.* quod sanctitas est scientia Deo dandi, & ab eo petendi: id est, ut exponit Ficinus, ut aliquis sanctus fit, necesse est ut sicut Deum sibi dari petit, ita totum se Deo dedat, mutuâ inter Deum & hominem mercaturâ.

Speculatio III.

In Deo quoque invenitur egregia, & elegantissima pulchritudo.

Probatur: Pulchritudo est excellens gradus bonitatis summè placens intuentibus; pulchritudo enim supponit bonitatem. Vnde antiqui, ut refert Cælius Rhodiginus, aiebant bonitatem esse in centro, & pulchritudinem in circumferentia; quia fundamentum pulchritudinis est bonitas, sicut pulchritudo est perfectio, complementum, & corona bonitatis: hæc est semen, illa flos; ista radix, illa ramus; hæc fons, & illa fluvius: & Aristoteles aiebat, pulchritudinem esse *litteras commendatitias naturæ*; quia sicut epistola commendatitia dat testimonium meriti & bonitatis personæ, sic natura perfectionem & bonitatem internam pulchritudine attestatur. Et D. Thom. *hic, quæst.5. art.4. ad* 1. ait, quod pulchrum & bonum in subjecto sunt idem, quia super eandem rem fundantur, scilicet super formam; sed ratione differunt: nam bonum propriè respicit appetitum; est enim bonum quod omnia appetunt: pulchrum autem respicit vim cognoscitivam; pulchra enim dicuntur, quæ visa placent. Sed Deus est ipsa bonitas per essentiam: Ergo habet pulchritudinem infinitam.

Confirmatur: Pulchritudo, teste Augustino, est partium congruentia cum quadam coloris suavitate. Vnde sic proportionaliter dicere possumus, quod divina pulchritudo sita est in œconomia divinarum perfectionum, quarum tanta est harmonia, splendor, & consonantia, ut summè placeat videntibus: Atqui in Deo est summus ille perfectionum fulgor & harmonia; nam licèt in Deo sit realiter unica simplicissima perfectio, tamen eminenter continet infinitas, quas cum fundamento potest intellectus noster discernere, & unam ex alia mirâ connexione comprobare. Summè etiam placet hæc divina perfectio, tum contemplantibus illam in hac vita, juxta illud Cant. 1. *Ecce pulcher es, dilecte mi, & decorus*: tum maximè facie ad faciem videntibus eam, qui tam suaviter ea alliciuntur, ut eis semper nova appareat; & ideò dicitur 1. *Petr.* 1. quod Angeli desiderant eam semper prospicere, quia nullum generat fastidium, vel tædium hæc micantissima pulchritudo, sed semper inescat & inflammat appetitum. Ergo.

Confirmatur iterum: Ideò mundus iste dicitur pulcher, unde græcè dicitur κόσμος, seu ornatus & formosus, quia constat tribus. Primò quælibet pars universi habet sibi debitam perfectionem; nam Gen. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Secundò, in mundo est mira varietas perfectionum, quæ summè arridet. Tertiò inter partes universi est maxima concordia, ordo, & connexio. Atqui in Deo hæc eminentiùs resplendent: in primis quodlibet attributum est infinitè præcellens, nec eo potest esse aliquid melius, aut cogitari perfectius: deinde in Deo est varietas virtualis, quia simplicissima Dei perfectio æquipollet infinitis creatis, quæ pollent excogitari: denique illæ perfectiones in divina eminentia mirè concordantur, ut justitiæ misericordia non obsit, non adversetur immutabilitati libertas, unitatem trinitas comparatur. Igitur Deus qui produxit mundum pulchrum, pulchrior ipse dicendus est, juxta illud Boëtii: *Pulchrum pulcherrimus ipse mundum mente gerens, similique ab imagine formans.*

Confirmatur, & magis illustratur præclarâ inductione. Novem possunt distingui in universo pulchritudines. *Prima* est corporalis, quæ splendet in Sole, stellis, elementis, metallis, margaritis. *Secunda* est vegetativa, quæ collucet in plantis, floribus, arboribus, fructibus, quæ potentiâ nutritivâ, augmentativâ, & generativâ ornantur, tot colorum varietate pinguntur, saporibus condiuntur, odorum suavitatibus dulcescunt. *Tertia* est sensitiva, organis instructa, quinque sensibus prædita, veluti totidem nuntiis & rerum interpretibus, in capite veluti in arce ad omnes usus collocans, & denique potentiis internis locomotivâ, cogitativâ, memoriâ, aliisque vigens. *Quarta* est pulchritudo humana, corpore ad cœlum sublimiter erecta, anima rationali, spiritali, intellectivâ, liberâ, totius universi domina corusćans. *Quinta* est Angelica, qua cœlestes spiritus ab omni materia immunes, speciebus rerum omnium congenitis referti intelligunt sine discursu, liberè volunt sine inconstantia, primæ bonitatis specula munda, divinæ similitudinis signacula, *pleni sapientiâ, & perfecti decore sunt à die conditionis suæ*, ut dicitur Ezech. 28. *Sexta* est pulchritudo supernaturalis corporum gloriosorum Solis micantissimos radios ferè in immensum excedentium. *Septima* est pulchritudo gratiæ & virtutum infusarum, quibus homo divinæ factus consors naturæ, est veluti Deus contractus, juxta illud Psalm. 81. *Ego dixi, Dii estis.* *Octava* est pulchritudo gloriæ, quâ Beati amicti lumine sicut vestimento, similes sunt ei quem vident, sicuti est 1. *Ioan.* 3. & revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformantur à claritate in claritatem, 2. *Cor.* 3. *Nona* est divina pulchritudo, quæ cæteris omnibus eo longissimè antecellit, quo est pulchritudo per essentiam, immortabilis, & cæterarum omnium exemplar, finis, & principium.

Reflexio.

Hæc cùm ita sint, exclamare licet cum Aug. lib 10. conf. c.27. *Serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam nova, serò te amavi.* Si amor, juxta definitionem Platonis, nihil est aliud quàm *desiderium pulchritudinis*; et me cor tam saxeum, quod non rapiat divinæ pulchritudinis lepos suavissimus? Imitari etiam divinam illam pulchritudinem morum venustate cogitur. Eam verò amore potissimùm exprimimus, ut appositè idem August. *tom.9. tract.9. in epist.1. Ioan.* dixit: *Anima nostra fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur. Qualis est qui reddit pulchrum amantem? Amavit nos prior qui semper est pulcher; & quales amavit, nisi fœdos, & deformes? non ideo tamen ut fœdos dimitteret, sed ut mutaret. Quantum in te crescit amor, tantum in te crescit pulchritudo; quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.*

DISSERTATIO IV.

De modo perfectionis Divinæ.

EXplicata divinâ perfectione & bonitate, indagandus est modus ejusdem perfectionis, in hoc præsertim positus, quod nullis terminis, nec locorum spatiis claudi possit.

CAPUT I.

De infinitate & immensitate Dei.

PUlchrè & verè dixit Cajetanus, Deum esse ens, *infinitè modo infinities infinitum, in perfectionibus infinitis.* Unde infinitas maximè conducit ad explicandum modum divinæ perfectionis: sit ergo

SPECULATIO I.

Deus infinitus est, ejusque perfectio nullis limitibus clauditur, nec circumscribi potest, & hæc perfectio est ita illi propria, ut nullum aliud sit infinitum creatum; sed nec esse possit.

PRimam partem docent sacræ litteræ. Psalm. 144. *Magnitudinis ejus non est finis.* Baruch 3. *Magnus est, & non habet finem.* Imò ut observat D. Thom. 1. *contra gent. cap. 43. num.* 1. Huic veritati attestantur antiquissimorum Philosophorum dicta, qui omnes posuerunt primum rerum principium infinitum, quasi ab ipsa veritate coacti.

Probatur: Deus est actus purus & simplex, habens esse irreceptum & irreceptibile in subjecto. Ergo caret omni principio limitativo, tum materiali, hoc ipso quod non recipitur in materia, vel subjecto; tum formali, cùm actus purus sit incapax ulterioris perfectionis: solùm autem illud finitum dici potest, quod vel limitatur per subjectum, vel caret aliquo, quo ulteriùs perfici potest. Quibus si addas Deum esse ens à se omninò ab alio independens, planum erit, nullos in Deo posse concipi limites, nec intrinsecos, nec extrinsecos, à causa externa, à qua pendeat, præfixos.

Confirmatur duplici alia ratione D. Thom. *loco citato contra Gentes.* Prima est: Deus est illud, quo nihil melius esse, aut excogitari potest, cùm sit summum bonum, ens per essentiam, & cumulus omnis perfectionis. Sed si Deus esset finitus, posset aliquid concipi eo perfectius & melius. Igitur infinita est Dei perfectio. Secunda sic formatur: Talis est essentia qualis est virtus, cùm unumquodque agat per suam formam quæ vel est essentia, vel pars essentiæ, & generaliter operari sequitur semper esse. Sed virtus Dei est infinita, ut apparet ex creatione rerum, quas ex nihilo extraxit; unumquodque enim agens tanto virtuosius est in agendo, quanto potentiam magis remotam ab actu in actum reducit, sicut majori virtute opus est ad calefaciendum aquam, quàm aërem: Illud autem quod omninò non est, est infinitè distans ab actu: Igitur si mundus factus est, postquam omninò priùs non erat, oportet factoris virtutem esse infinitam: Ergo essentia quoque illius infinita est.

Secunda pars, quæ asserit, de facto non dari infinitum creatum, neque in quantitate, seu extensione, neque in multitudine, neque in qualitate, colligitur ex Scriptura; dicitur enim Sap. 11. Quod omnia facta sunt *in numero, pondere, & mensura.* Et certè id convincunt rationes D. Thom. *quæst.* 7. ubi solùm intendit, non dari actu infinitum, nec posse dari de potentia ordinaria, contra antiquos Philosophos, qui illud de facto admittebant. In primis non datur substantia infinita, quia omnis creatura habet perfectionem limitatam certis terminis; nec ulla est in mundo, quâ perfectiorem ex suis thesauris extrahere non possit divina potentia.

Non datur etiam infinita multitudo, vel magnitudo. Tum quia hæc esset contra ordinem universi, qui exigit ut una creatura seipsam alteri communicet, superior inferiori. Quod naturale commercium prorsus cessaret, si infinita multitudo, vel magnitudo, quæ pertransibilis non est, percurrenda foret. Tum quia omne quod producitur, *clauditur sub certa intentione creantis*, ut ait S. Thomas, id est, agens fertur ad effectus determinatos, propter certum finem, ut vitetur universi confusio.

Accedit, quod videmus omnem multitudinem, quantacunque sit, esse in aliqua specie numeri; nulla enim datur absolutè innumerabilis, si non in se, ut arenæ maris, quas computare non possumus, tamen absolutè ab Angelo numerari possunt: omnis autem species numeri est finita, cùm sit multitudo mensurata per unum, seu per unitatem sæpiùs multiplicatam. Deinde, omne corpus, quod sensibus experimur, vel ratione cognoscimus, & mobile, vel motu locali, vel motu alterationis, habet superficiem & figuram: corpus autem infinitum est immobile, cùm repleat omnia spatia, & careat superficie. Denique cùm omnis substantia creata sit finita, necessariò fatendum est, omne accidens illius, sive sit quantitas, sive sit qualitas, esse finitum; quando enim radix est limitata, rami non possunt esse infiniti: nec illimitatus effectus potest à causa limitata emanare.

Hæ sunt rationes, quas tradit D. Thom. quæ solùm evincunt, non dari, vel posse dari de potentia ordinaria infinitum quodcumque: an verò de potentia extraordinaria produci possit, non quærit S. Doctor, ut patet tum ex ejus verbis, tum quia ratò difficultates de potentia extraordinaria resolvit. Unde non est quod immoremur in illis rationibus vindicandis ab instantiis, quas accumulant Neoterici quidam, sed non advertenrunt intendisse solùm D. Thomam, non posse dari infinitum de potentia Dei ordinaria, quamvis nonnullam rationem afferat, quæ absolutam repugnantiam suadet, ut statim dicetur.

Tertia itaque pars, quæ asserit, omne infinitum creatum implicare contradictionem, sic ostenditur: primò, quod repugnet dari creaturam infinitam in ratione entis, facile probatu est; nam omnis creatura, quàmlibet perfecta, constat genere & differentia, seu ratione communi, & propria: per rationem autem propriam determinatur ratio communis ad certam perfectionem, per quam differt ab aliis, atque adeo non comprehendit totam perfectionem sub ratione communi contentam: Ergo finitam. Et certè illa substantia infinita in ratione entis deberet habere proprietates infinitè perfectas, sicque deberet habere infinitam sapientiam, potentiam: quid ergo illi deesset, ut Deus esset? Ergo nulla dabilis est substantia, quæ non sit finitæ perfectionis, & quâ non possit dari perfectior. Quorum omnium radix est, quia omnis creata perfectio est expressio, participatio, & veluti radius divinæ bonitatis, quæ à nulla creatura exæquari potest, sed ab ea infinitis distat intervallis: Ergo nulla potest dari tam perfecta, & Deo similis, quin possit dari perfectior, & Deo assimilatior.

Quod

Quod verò etiam repugnet infinita multitudo, magnitudo & intensio qualitatis, probari solet in Philosophia; unde solùm in præsenti paucis rem conficiemus, ad intellectum doctrinæ D. Thomæ. Sic ergo argumentor: Positio cujuscumque illius triplicis infinitatis destruit præcipua evidentiora principia lumine naturali nota, nimirum: Omne totum est majus sua parte: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: Res non possunt multiplicari, nisi per creationem, vel generationem: Potentia Dei est infinita, & inexhaustibilis. Primum quidem destrueretur; nam si daretur infinita multitudo, vel magnitudo, vel intensio gradualis, tot darentur in illa binarii, quot ternarii & millenarii, tot palmi, quot ulnæ, siquidem in infinitis binariis sunt infiniti millenarii; & in infinitis palmis sunt infinitæ ulnæ; si enim essent finitæ, multitudo non esset infinita: ergo binarii illius multitudinis, & palmi illius extensionis æquivalerent toti multitudini & extensioni, nec posset aliquid designari in infinitis ulnis, quod in infinitis palmis non reperiretur: Sed palmi extensionis, & binarii multitudinis sunt tantùm partes illius: Ergo pars esset æqualis toti.

Confirmatur: Si daretur corpus infinitè protensum, posset ex eo sumi linea infinita versus orientem: destruatur posteà reliquum corpus, & sola superficies linea extensa versus orientem, & deinde coacervetur in figuram rotundam; tunc illa linea in globum redacta vel occupabit spatium finitum, vel infinitum versus omnem partem: si finitum, ergo linea non est infinita: si infinitum, tantum spatium occupabit, quantum corpus præcedens immensum, cujus erat pars: Ergo pars non erit minor toto, sicut si daretur linea infinita versus orientem, cujus palmi alternatim essent picti albedine, alii nigredine, posteà verò si Deus extrahat solos albos, & faciat lineam priori parallelam, vel erit finita, vel infinita: si primum, cùm sit similis alteri, utraque erit finita; ex duplici verò finita non potest consurgere infinita: si secundum, pars erit æqualis toti.

De secundo principio idem facilè monstratur; nam si darentur infiniti homines habentes suos capillos & digitos ordinarios, vel multitudo capillorum esset major multitudine hominum, vel minor, vel æqualis: non æqualis, cùm quilibet homo habeat plures capillos; & multò minus potest dici minor, ut patet: non potest etiam dici major, quia quælibet multitudo, tam capillorum, quàm hominum, esset æqualis uni tertio, scilicet multitudini infinitæ: Ergo esset æqualis inter se. Quod tamen est falsum. Ergo falsum erit illud principium: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.

De tertio similiter principio suadetur; nam si darentur infiniti homines, quorum quilibet haberet pomum, quod in acervum projiceret, posset deinde unusquisque desumere decem, imò centum & mille poma; nam cùm ille acervus sit infinitus, essent in illo infiniti & inexhaustibiles millenarii; & tamen nulla esset facta productio, vel creatio: Ergo res sine productione, vel creatione multiplicarentur.

Denique quartum pariter principium destructum iri probatur; nam productâ infinitâ multitudine, vel quantitate, vel qualitate, non posset Deus aliquid aliud producere; nam infinitum non est, nec ut tale concipi potest, cui possit aliquid addi, vel quod potest ab aliquo alio excedi; sicut corpus illud non est immensum, cui restat aliquod spatium occupandum: Sed hoc posito exhaurietur divina potentia: Ergo ex positione infiniti exhaurietur divina omnipotentia.

Scio quosdam modernos hæc omnia inconvenientia devorare, dum aiunt in infinito non salvari prædicta axiomata, sed quod mutatâ dispositione, linea infinita modò majus, modò minus spatium occuparet; quod idem homo modò unum, modò mille poma posset habere; & quod pars modò minor esset toto, modò æqualis.

Sed contrà: Non debet admitti talis sententia ex cujus positione destruunnt principia, quibus non habemus clariora vel firmiora; aliàs quidquid libuerit, asseri fingique poterit. Quasi verò, inquit sapienter Sotus, assertio infiniti esset articulus fidei, ut quidquid inde sequatur, quantumcunque absurdum & inconceptibile, fide cæca sub pœna inferni concedendum sit. Certè si ex articulis Christianæ Religionis similia absurda evidenter colligerent infideles, gravissimè periclitaretur fides nostra.

Mitto alias implicantias quæ contra quamlibet speciem infinitatis urgeri possunt, quas videre poteris in libris Physicorum. In his enim philosophicis tricis nimium nobis immoratis ignosce Theologe Lector, te in his in posterum non detenturis; sed coëgit nos quorundam Divum Thomam impugnantium licentia.

Dices: Deus cognoscit omnem multitudinem possibilem esse infinitam: Ergo cognoscit aliquod infinitum esse possibile. Sed possibile non est inconveniens poni: Ergo non est inconveniens poni infinitum, v. g. videt Deus infinitas cogitationes per totam æternitatem futuras, quid ergo vetat eas de facto produci?

Respondeo, non esse inconveniens poni possibile eo modo quo est possibile, sed non eo modo quo est impossibile; collectio autem creaturarum possibilium non est possibilis collectivè, sed divisivè una post aliam: unde non videt Deus infinitam multitudinem possibilem, ut simul producibilem, sed videt quod quacumque producta, potest aliam & aliam producere majorem: unde non repugnat infinitum cognitum, sed factum. Seu videt Deus infinita factibilia, non simul ponenda, sed successivè. Alia vide in Philosophia, hæc enim tetigisse sat est, ut cognoscas infinitatem esse Deo propriam.

Reflexio.

Licèt Divina majestas nullis circumscripta limitibus infinita sit, observant tamen Patres, Deum posse à nobis magnificari, juxta illud Psalm. 66. *Magnificate Dominum mecum.* Et illud Beatissimæ Virginis, *Magnificat anima mea Dominum.* Quod fit, inquit August. in illum Psal. *laudando, & magnum fatendo.* Nonne semper Magnus Deus? Nonne semper magnificus? Nunquid perfectus non est, ut crescat? Nunquid deficit, ut aliquando minuatur? Absit ut hæc de incommutabili majestate cogitemus. Magnificatur ergo dum magnus apparet, dum nimirum ei summa mentis exultatione tantam amplitudinem gratulamur, eamque oris laudibus celebramus: Secundò magnificatur Deus per amorem, quo dilatatur cor, diviniqne regni, quod intra nos est, fines protenduntur. Tertiò magnificamus Deum bonis exemplis, quibus Christi bonus odor facti, videntur opera nostra bona, & glorificatur Pater, qui in cœlis est. Demùm, teste Origene, magnificatur Deus in anima nostra, quando virtutibus crescit, sicut Regem magnificat, qui Regis imaginem variis ornamentis decorat. Sed proh dolor! Deum, quem magnificare tenemur, quantum in nobis est, parvi facimus, dum ei cor negamus, ejusque dominium, quantum in nobis est, coarctamus.

Speculatio II.

Deus est ubique præsens & immensus; non tamen exigit divina immensitas, ut actu sit Deus in spatiis imaginariis.

PRimam partem non solùm docent Scriptura & Patres, sed etiam probant ex operatione Dei in omnes res producta. Psal. 138. *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam?* Idest, nunquam possum effugere conspectum divinæ præsentiæ tuæ. Et rationem annectit: *Si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Vbi ex manuductione & conservatione rerum colligit Dei præsentiam. Et Act. 17. *Non longè est ab unoquoque nostrûm:* Et rationem statim assignat: *In ipso enim vivimus, movemur, & sumus.*

Quæ ratio sic deducitur: Deus operatur in omnibus entibus esse, vitam, & operationem, aliàs non esset prima omnium causa: Ergo Deus est intimè præsens, & conjunctus rebus; omne enim agens debet conjungi cum passo, vel per se, vel per suam virtutem; virtus autem Dei est ipsa substantia Dei, cùm in Deo nulla sint accidentia: Ergo substantia Dei est immediatè conjuncta & illapsa rebus omnibus. Vnde Anselm. in Monol. cap. 22. *Quoniam nihil sine Deo potest aut esse, aut conservari, dicere cogimur Deum ubique, & semper esse.* Et August. lib. 4. de Gen. ad litt. cap. 12. *Creatoris potentia, & omnipotentis atque omnitenentis virtus, causa subsistendi est omni creaturæ; quæ virtus ab eis, quæ creata sunt, regendis si aliquando cessaret, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structor ædium, cùm fabricaverit abscedit, atque illo cessante atque abscedente, stat opus ejus; ita mundus vel ictu oculi stare poterit, si ei Deus regimen subtraxerit: & non ob aliud sumus in ipso, nisi quia id operatur.*

Hanc rationem desumptam ex Scripturis jure magnificant post D. Thomam omnes ejus discipuli, ut credant non solùm præsentiam Dei colligi ex operatione, sed etiam necessariò eam exigere & supponere, ita ut si Deus non operaretur in creaturis, illis præsens non esset. Quia nimirum essentia Dei est absoluta, & independens ab omni creatura; proindeque non est in illa, nisi quatenus facit eam pendere à se: quod utique præstat per suam actionem, quâ res omnes vel producit, vel conservat, vel movet, & quâ, ut ait S. Bernardus serm. 8. in Cant. *Loca omnia continet, & quæque suis ordinat locis, nusquam contenta locorum.*

Confirmatur hoc totum ex signis luculentis, quibus apparet, quod tunc Deus incipit esse novo modo alicubi præsens, quando in illo speciali modo operatur. Sic Deus dicitur specialiter præsens in anima justi, in qua gratiam & omnia bona pariter cum illa producit; dicitur singulariter præsens in anima Beati, cui gloriosum lumen communicat; dicitur peculiari ratione præsens in anima Christi, quam sublimat ad unionem hypostaticam, ex qua innumerorum, & sine mensura donorum copia consequitur; dicitur demùm novo modo in adorando Eucharistiæ Sacramento, in quo corpus Christi Domini per transsubstantiationem panis ponitur, ex quo mysterio jugiter tanquam ex fonte spiritualium charismata gratiarum promanant. Igitur si Deus tunc solùm novo modo præsens efficitur, cùm aliquid speciale operatur, profectò sola operatione tanquam ratione formali præsens ubique constituitur. Vnde August. lib. 2. de serm. Dom. in mont. c. 5. *Deus ubique est præsens, non locorum spatiis, sed majestate potentiæ.*

Objicies: Prius intelligitur aliquid esse in loco, quàm ibi operari; nam sicut operari sequitur esse, ita operari in loco sequitur esse in loco: Ergo Deus non est formaliter præsens per suam operationem, quæ pertinet ad attributum omnipotentiæ; sed per suam essentiam, suamque immensitatem, quâ Deus repleret omnia spatia, etiamsi in eis nihil ageret.

Respondeo, quod sicut in corporalibus, licèt prior sit substantia quantitate & ubi; tamen substantia corporea non est priùs in loco, quàm sit in ea quantitas vel ubi, quia non est in loco, nisi per quantitatem: ita similiter in entibus spiritualibus, licet in eis priùs admittatur & concipiatur esse absolutè, quàm operatio; non tamen esse in loco, quia in eo non sunt nisi per operationem. *Omne quod est in loco*, ait D. Thomas lib. 3. contra Gent. cap. 68. *vel in quacumque re, aliquo modo contingit ipsam; res enim corporea est in aliquo sicut in loco secundùm contactum quantitatis dimensivæ; res autem incorporea in aliquo esse dicitur secundùm contactum virtutis.* Quæ virtus prout est formaliter ratio agendi, constituit omnipotentiam, prout verò est ratio attingendi & illabendi in creaturas, constituit attributum immensitatis. Sicut eadem bonitas prout est ratio miserendi constituit misericordiam; prout est ratio puniendi, justitiam.

Altera pars propositionis sequitur ex prima; si enim Deus non est nisi ubi operatur, manifestè relinquitur, Deum non esse in spatiis imaginariis, seu in inanibus illis intervallis, quæ imaginamur extra cœlos, quæ nihil sunt nisi in imaginatione, nec in illis quidquam Deus producit. Itaque Deus eo planè modo est extra mundum, quo erat in hoc mundo antequam crearetur: at Patres non docent, Deum ante orbem conditum spatia vacua mundo correspondentia inhabitasse, sed in seipso fuisse sibi locum, templum, & omnia, ut loquitur Tertul. & Minut. Felix in Octav. *Ante mundum fuit sibi Deus ipse pro mundo.* Et August. quærens, *antequam Deus faceret cœlum & terram, ubi habitabat?* Respondet, *In se, & apud se habitabat*, in Psal. 122. Et Bernard. lib. 5. de consid. *Vbi erat Deus antequam fieret mundus? Vbi nunc est. Non est quod quæras ultrà, ubi erat: præter ipsum nihil erat: ergo in seipso erat.* Ergo similiter in spatiis imaginariis Deus actu non est. Et ideo August. *lib. 7. Conf. cap. 1.* expressè docet falsam esse hanc imaginationem, quâ Deus per infinita spatia cogitatur.

Dices: Scriptura & Patres docent, Deum non concludi in hoc universo, sed extra diffundi, 3. Reg. 8. *Cœli cœlorum non te capiunt.* Iob 10. *Excelsior cœlo est.* Et D. Gregor. *lib. 2. mor. cap. 12.* ait: *Ipse est intra omnia, extra omnia, infra omnia, supra omnia, extra circumdans, intra penetrans.* Et August. *lib. 8. sup. Gen. ad litt. cap. 26.* sic: *Deus est extra omnia, non exclusus; intra omnia, non inclusus; supra omnia, non elatus; subter omnia, non depressus; interior omni rei, quia in ipso sunt omnia; exterior omni rei, quia ipse est super omnia.* Et hoc exigit divina immensitas, ut ad omnia spatia imaginabilia se protendat; aliàs si Deus produceret novum mundum, mutaretur accedendo ad illum; vel si duos orbes distantes produceret, à seipso divideretur, sicut & illi orbes divisi; vel si lapis moveretur per illa inania, Deus cum illo cieretur, quæ inconvenientia sunt.

Respondeo, Deum non esse in hoc universo tanquam inclusum in illo, vel intra ejus ambitum, veluti in carcere coarctatum, cùm possit infinitos mundos producere & replere; & ita intelligendi veniunt Patres, qui volunt solùm, Deum locorum spatiis non circumscribi. Vnde D. August. *lib. de nat. bon. cap. 3.* docet

docet Deum eſſe extra mundum, non ſpatiis locorum, ſed ineffabili potentia. Hoc ergo ſolùm exigit divina immenſitas, ut omnia loca realia impleat, & poſſit replere omnia producibilia, ſicut de ratione omnipotentiæ non eſt, quod omnia poſſibilia producat, ſed producere valeat abſque fine. Nec Deus mutaretur, ſi novum orbem produceret, ſicut non fuit mutatus producendo mundum in tempore, ſed ſolùm mutavit orbem de nihilo ad eſſe; immotus enim omnia movet. Si autem orbes diviſos crearet, non tamen à ſeipſo ſepararetur; quia Deus non eſt in loco quantitativè, nec ab eo contentus, definitus, vel circumſcriptus; ſed potiùs continet locum, & *portat omnia verbo virtutis ſuæ*. Certè ſi corpus Chriſti non diſtinguitur à ſeipſo, licèt realiter ſit in diſtinctis altaribus, quia non eſt in eis modo locali, multò minùs Deus in diſcretis orbibus à ſeipſo ſecaretur; nec moveretur ad motum lapidis, ſicut nec de facto movetur, quando corpora in quibus eſt, cientur. Vnde dicitur Pſalm. 101. *Mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es.* Et Sapient. 7. *In ſe permanens omnia innovat.*

Quare oportet tranſcendere imaginationem dum de ſpiritualibus, maximè verò dum de ſupremo Spiritu agimus. Et præ oculis habenda eſt obſervanda D.Thom. doctrina *loc. cit. contra Gent.* Non eſt æſtimandum Deum eſſe ubique, quòd per locorum ſpatia dividatur, quaſi una pars ejus ſit hìc, & alia alibi; ſed totus ubique eſt: Deus enim, cùm ſit omninò ſimplex, partibus caret. Neque ſic ſimplex eſt ſicut punctum, quod eſt terminus continui, & propter hoc determinatum ſitum in continuo habet, unde non poteſt unum punctum niſi in uno loco indiviſibili eſſe; Deus autem indiviſibilis eſt, quaſi omninò extra genus continui exiſtens; unde non determinatur ad locum vel parvum, vel magnum ex neceſſitate ſuæ eſſentiæ, quaſi oporteat eum eſſe in aliquo loco, cùm ipſe fuerit ab æterno ante omnem locum; ſed immenſitate ſuæ virtutis attingit omnia, quæ ſunt in loco, cùm ſit univerſalis cauſa eſſendi. Sic igitur ipſe totus eſt, ubicumque eſt, quia per ſimplicem ſuam virtutem univerſa attingit. Hæc D.Thomas, hoc etiam explicat D.Auguſt.lib.de cogn. veræ vitæ, c.29. exemplo luminis. *Sicut*, inquit, *lumen lucernæ in oculis omnium aſtantium totum lucet, & in ſeipſo totum manet, non à ſeipſo recedit, ut ad præſentes perveniat: ſic Deus ubique & in omnibus eſt totus, & in ſeipſo permanet totus, & à ſe non recedit, ſed cuncta in ſe colligit.*

R e f l e x i o.

Quare ubi te non videat Deus, & fac quod vis, ait Auguſt. *ſerm. 46. de verb. Dom.* Magna ſanè impoſita eſt nobis neceſſitas benè vivendi, qui omnia agimus ante oculos Iudicis cuncta cernentis, & ubique præſentis. Radix omnium peccatorum, & ſtupiditatis genuina cauſa eſt, quia ante oculos Deum non habemus, quo ſpectante vivamus. Quod egregiè ponderat Chryſol. *ſerm. 1.* expendens illud Filii prodigi, *abiit in regionem longinquam*, & ait: *Conſidera quot malis, quotve miſeriis ſeſe objecerit infelix ille prodigus, ubi patris fugit præſentiam. Miſer qui neque convivit porcis, qui vivit porcis: miſer qui porcorum eſurit, & deficit in saginam. Paternæ præſentiæ fuga filium tulit è gremio patris, ejecit de domo, exemit patria, ſpoliavit fama, exuit caſtitate: quod vitæ, quod morum, quod pietatis, quod libertatis, quod eſt gloria, nihil reliquit. Civem denique in peregrinum, filium in mercenarium, in egenum locupletem, liberum mutavit in ſervum: junxit porcis, à patre piiſſimo quem ſejunxit, ut ſerviret cœnoſo pecori, qui patris oculos contempſit.* Et Clem. Alex. *lib. 3. Pædag. cap. 5.* ait: *Hac enim vel ſola ratione fit, ut quis nunquam labatur, ſi Deum ſibi ſemper adeſſe recogitet.*

S p e c u l a t i o III.

Varii ſunt modi divinæ præſentiæ.

PRobatur & explicatur. *Primò:* Deus eſt in rebus triplici illo generali modo, per potentiam, eo modo quo Rex dicitur eſſe in regno ſuo: Eſther 13: *Deus in cujus ditione cuncta ſunt poſita*: per præſentiam, eo pacto quo Rex dicitur eſſe in aula videns omnia quæ in ea fiunt: Hebr. 4. *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus.* Et ex hoc maximè aggravantur peccata noſtra, quòd Deo ipſo cernente patrentur. Vnde David ſe accuſans dicebat Pſalm. 50. *Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci.* Et prodigus Luc. 15. *Peccavi in cælum, & coram te. Quia videt*, ait Chryſ. ſerm. 2. *per totum mundum nuda Dei oculis delicta conſiſtere, non cœlum, non terram, non maria, non abyſſum, non ipſam noctem Deo velare poſſe peccata, ſentit quantum ſit ſceleris, quantum mali, in ipſo Dei peccare conſpectu; & ideo clamat, Tibi ſoli peccavi.* Per eſſentiam demùm, ſicut Rex dicitur eſſe in ſolio, quod corpore contingit: Ierem. 23. *Cælum & terram ego impleo.* Diſtinctionem horum trium modorum inde penetrabis, quia ſi per impoſſibile Deus eſſet duntaxat in cœlo per eſſentiam, immediatè ibi ſolùm reſidens; ſi tamen omnia inferiora ejus ditioni ſubderentur, eaque per Angelos alioſque miniſtros gubernaret, eſſet in mundo per potentiam: & rurſum, ſi per impoſſibile hæc inferiora ejus non eſſent ſubdita potentiæ, tegerinti, aut operationi; ſi tamen ea clarè intueretur, eſſet in omnibus per præſentiam.

Secundò dicitur Deus præſens in juſtis per gratiam, in quibus eſt tanquam amicus. Vnde ſi per impoſſibile Deus non eſſet ubique per immenſitatem, ad juſtos tamen deſcenderet, juxta illud: *Si quis diligit me, pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Quod ſanè exigit amicitia quæ inter Deum & hominem charitate initur; perfecta enim amicitia amicorum convictum, & ſocietatem omninò requirit. Vnde Gregor. hom. 38. in Evang. *Cælum eſt anima juſti, quia dum juſtorum corda in terra nihil ambiunt, per hoc quod ad cæleſtia ſuſpirant, jam in eis Dominus quaſi in cæleſtibus regnat*, juxta illud Luc. 17. *Regnum Dei intra vos eſt.* Et illud 1. Corinth. 3. *Neſcitis quia templum Dei eſtis vos, & Spiritus ſanctus habitat in vobis?* Sed de his iterum dum de miſſionibus divinarum perſonarum.

Tertiò dicitur Deus ſpecialiter præſens tum in Chriſto Domino per unionem hypoſtaticam; *in Chriſto enim inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*; Coloſſ. 2. vel quia, ut exponit D.Thomas 3. *part. q. 2. art. 10. ad 2.* divina natura unita eſt non ſolùm animæ, ſed etiam corpori; vel quia in ipſo habitavit realiter, & non umbratiliter, ſicut habitabat in Sacramentis veteris legis; vel quia ſicut corpus eſt in loco per trinam dimenſionem, ita Deus eſt tribus modis in Chriſto. Primò per eſſentiam, potentiam, & præſentiam, ſicut in cæteris creaturis: Secundò, per gratiam gratum facientem, ſicut in Sanctis: Tertiò per unionem perſonalem, quod eſt proprium ipſi Chriſto. Sed de his operosiùs ſuo loco.

Quartò demùm Deus dicitur ſpecialiter præſens in quibuſdam locis, ut in templo, in quo reſidet tanquam in propria domo, in qua vult ſpecialiter coli, & ſingularia dona conferre. Vnde Bernard. exponens illud Iacob, Geneſ. 28. *Verè Dominus eſt in*

loco isto, & ego nesciebam: non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli, ait: *Quomodo tantus Patriarcha nescire potuerat, quod non esset locus, ubi non esset Deus? Miratur gratiam, dignationis magnitudine expavescit, quod templa Deus specialiter sibi elegerit, ubi cum hominibus familiariùs conversetur.* Sic *serm. 6. in Dedic.*

Dicitur etiam singulari modo Deus præsens in cœlis, juxta illud Isai. 66. *Cœlum mihi sedes est.* Et Psalm. 114. *Cœlum cœli Domino.* Quod sic explicat D. Bern. serm. 1. in Psalm. Qui habitat: *Licèt Deum ubique esse non dubitem, sic tamen in cœlo est, ut ad ejus comparationem nec esse videatur in terris, propter quod & orantes dicimus, Pater noster qui es in cœlis: sicut anima enim in solo quoque sit corpore, excellentiùs tamen & singulariùs est in capite, in quo sunt omnes sensus.* Mitto Deum specialiter præsentem dici in quibusdam personis, ut in simul orantibus, qui in nomine Christi congregati Deum habent in medio, ut dixit Christus. Quod à fortiori verius est de Conciliis in Spiritu sancto congregatis, quibus Deus specialiter assistit. Idem dicendum de summo Pontifice, quem Deus speciali providentiâ regit. Idem etiam de superioribus legitimis credendum, quos Deus dirigit, quando subditi eos in veritate, & animi candore consulunt, juxta illud, *Qui vos audit, me audit.* Mitto etiam quomodo personæ divinæ sint sibi invicem præsentes, juxta illod, *Ego in patre, & pater in me est*, per circuminsessionem illam in tractatu de Trinitate explicandam.

REFLEXIO.

Summè consulunt Patres spirituales ad supremum contemplationis gradum (quem internam quietem & orationem passivam vocant) adipiscendum, ut Deum intra nos contemplemur, & meritò. Nullum enim est vel ad ciendos pios motus efficacius, vel ad modestiæ servandas normas utilius, vel ad stimulandam inertiam urgentius exercitium cogitatione illa, quâ credimus Deum esse intimo nostro intimiorem, in corde nostro totam residere Trinitatem, ibique Patrem gignere Filium, & utrumque producere Spiritum sanctum. Ita agebat August. *lib. 7. conf. cap. 5.* dum se totta Deum esse suadebat veluti spongiam, quam mare foris cingit, intus pervadit. Vnde alibi exclamat in Solil. cap. 34. *Eia, Domine Deus, inveni locum, in quo habitas: ego circuivi sicut ovis quæ perierat, quærens te extra me, & tu habitabas in me: & non inveni, quia malè quærebam foris, quod erat intus.* Hinc Deus per Ierem. cap. 23. *Deus appropinquans ego sum, & non de longinquo.* Et ipse Philosophus Moralis, epist. 41. *Non sunt ad cœlum elevandæ manus, prope est à te, tecum est, intus est. Ita dico, Lucili, sacer intra nos spiritus sedet, bonorum malorumque nostrorum observator & custos.*

CAPUT II.

De immutabilitate & æternitate Dei.

IMmutabilitatem & æternitatem conjungimus in hoc capite, quia hæc est corollarium illius.

SPECULATIO I.

In Deo admittenda est summa & omnimoda immutabilitas.

DOcent hanc veritatem Sacræ paginæ, Malach. 3. *Ego Deus, & non mutor.* Num. 23. *Non est Deus, sicut filius hominis, ut mutetur.* Iacob. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quod si nonnullæ sacræ Scripturæ loquutiones aliquam in Deo mutationem significare videntur, ut cùm Deus dicitur, Gen. 3. *tactus dolore cordis intrinsecus*, & pœnituisse eum fecisse hominem; hoc accipiendum est in sensu accommodato ad nostrum intelligendi modum. Vel meliùs dic cum Patribus, Deum dici mutari, pœnitere, retractare sententiam per ordinem ad effectus, quando eos producit, quos à nobis extorquere solet pœnitudo, dolor, & retractatio. Vnde egregiè August. in Psalm. 72. *Sol oculos sanos & puros recreat, lippos excruciat, non mutatus, sed mutatos: sic cùm cœperis esse perversus, tibi Deus perversus videbitur.* Et iterum lib. 1. Conf. cap. 4. *Immutabilis mutans omnia, nunquam novus, nunquam vetus; innovans omnia, & in vetustatem perducens superbos; amas, nec æstuas; Zelas, & securus es; pœnitet te, & non doles; irasceris, & tranquillus es; opera mutas, non mutas consilium.*

Probatur ratione: Deus est actus purus, simplicissimus, & infinitè perfectus; Ergo omninò immutabilis. Probatur consequentia. Vt aliquid mutetur, requiritur vel ut perdat aliquid quod habet, vel acquirat quod non habet; quod enim eodem modo semper est, mutationi obnoxium dici non potest. Sed simplicitas Dei non permittit ut aliquid ei dematur cùm sit indivisibilis; nec quod ei aliquid adjiciatur, aliàs faceret cum illo compositionem. Hoc etiam non patitur infinita Dei perfectio, quæ cùm habeat plenitudinem essendi, nihil ei advenire potest: Ergo cùm Deus sit simplicissimus & perfectissimus, omninò immutabilis est: sicut è contra omnis creatura vanitati & mutationi subjecta est non volens, quia est ens potentiale, defectibile, & dependens: & inter creaturas homo præ cæteris maximè mutabilis est, quia non solùm est ex nihilo, sicut cæteræ, proindeque cum illis tendit ad nihilum; sed quia præter nihilum naturæ habet etiam peccatum, seu nihilum gratiæ; & ideo dicitur Thren. 1. *Peccatum peccavit Hierusalem, & ideo instabilis facta est.* Solus ergo Deus habet perfectam immutabilitatem, seu immortalitatem, ut loquitur Apost. 1. *Tim. 6.* quia omnis mutatio est quædam mors, cùm de uno in aliud esse fiat transitus, ut optimè prosequitur D. Bernard. *serm. 82. in Cant.* Deus autem solus omnis mutationis est essentialiter expers.

Sed dices: Deus dicitur in Scripturis moveri de loco in locum. Genes. 11. *Venite, descendamus, & confundamus linguas eorum.* Verbum etiam dicitur descendisse de cœlis propter nos homines, & propter nostram salutem: Ergo Deus movetur, nec est immutabilis.

Respondeo, Deum non moveri, nec descendere, qui dixit, *Cœlum & terram ego impleo:* sed eatenus dicitur moveri, quatenus se creaturis aliquo speciali modo communicat, vel quatenus novum aliquem effectum sensibilem, vel inusitatum producit. Declaratur etiam hoc, modo loquendi de Dei providentia, quæ ad omnia etiam minima se extendit, & sic se habet ad similitudinem descendentis. Demonstratur etiam singularis Dei amor, cùm dicitur Verbum descendisse de cœlis, non quòd cœlos reliquerit, sed quia visibiliter in terris apparuit, & cum hominibus conversatus est. Vnde Chrysol. *serm. 3.* expendens illud, *Vidit eum Pater de longè, & misericordia motus est*, ait: *Movetur misericordiâ Deus, qui loco dimoveri non potest; accurrit, non progressu corporis, sed pietatis affectu; cecidit super collum ejus, non lapsu viscerum, sed compassionis, ut erigeret sic jacentem, ut amoris onere onus tolleret peccatorum.* Sic etiam explicat D. Thomas hic illud *Sap. 7.* ubi Divina Sapientia dicitur *mobilior omnibus mobilibus.* In quantum, inquit, Deus suam similitudinem diffundit usque ad ultima rerum; & in

quantum

quantum ſimilitudo Divinæ Sapientiæ gradatim procedit à ſupremis uſque ad infima : ſicut ſi dicamus Solem procedere uſque ad terram, in quantum radius luminis ejus uſque ad terram pertingit.

Reflexio.

Damnat ſanè hoc attributum volubilem mentis noſtræ mobilitatem, quâ ab inceptis bonis ſtatim deſiſtimus, nec gratiâ ſtabilimus cor, ut monet Apoſt. Imitamur homines illos, qui Baſilio teſte, *epiſt.* 82. ſunt ſimiles nubeculis, pro ventorum mutatione ad aliam atque aliam aëris partem jactatis : vel polypodio, qui colorem ſuſcipit terræ, quam attigerit. Ad reprimendas autem multiplices alternantium viciſſitudinum motus, quibus nunc illa, nunc iſta cogitamus, Deo incommutabili bono adhærere bonum eſt; *qui* enim *adhæret Deo, unus ſpiritus eſt* cum illo. Hac enim de cauſa Deus miſericordiâ motus ad nos venit, inquit Chryſol. *ſerm.* 3. ut *amoris pondere cordis levitatem firmaret.* Et alibi ſerm. 23. *Tibi paſtor, tibi ſacrificium, tibi ovis, tibi fons, panis tibi totus factus, & qui ſibi nunquam, tibi toties immutatur, propter te varias monſtratur in formas, qui manet unica ſua majeſtatis in forma.* Nihil in via ſpiritus proficere queunt inquieta mens, nec Deo firmiter agglutinata. Verè Seneca epiſt. 2. *Non prodeſt cibus, qui ſtatim ſumptus emittitur. Nihil æquè ſanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non convaleſcit planta, quæ ſæpè transfertur. Nihil tam utile eſt, quod in tranſitu proſit. Faſtidientis eſt ſtomachi multa deguſtare, quæ ubi varia ſunt, inquinant, non alunt : nuſquam eſt, qui ubique eſt.*

Speculatio II.

Deo etiam competit æternitas, quæ caret principio, & fine durationis.

HAbetur expreſsè hoc aſſertum in Scripturis & Patribus. Dan. 6. *Ipſe eſt Deus vivens, & æternus in ſæcula.* Deut. 32. *Vivo ego in æternum.* Pſal. 101. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Ad quem locum alludens Auguſt. *lib.* 1. *Conf. cap.* 13. ait : *Anni tui nec eunt, nec veniunt : anni tui omnes ſimul ſtant, nec euntes à venientibus excluduntur, quia non tranſeunt. Anni tui dies unus : & dies tuus non quotidie, ſed hodie, quia hodiernus tuus non cedit craſtino, neque ſuccedit heſterno : hodiernus tuus æternitas; ideo coæternum genuiſti, cui dixiſti, Ego hodie genui te.* Quare ipſemet Deus de ſeipſo loquens ait Exod. 3. *Ego ſum qui ſum : qui eſt miſit me ad vos.* Quod ponderans Hilar. *lib.* 1. *de Trin. non longè à princ.* inquit : *Admiratus ſum planè tam abſolutam Dei ſignificationem, quæ naturæ divinæ incomprehenſibilem cognitionem aptiſſimo ad intelligentiam humanam ſermone loqueretur; non enim aliquid magis proprium Deo, quàm eſſe intelligitur; quia idipſum quod eſt, neque deſinentis eſt, neque cœpti; & id quod incorruptæ beatitudinis poteſtate perpetuum eſt, non potuit, aut poterit aliquando non eſſe, quia divinum omne neque abolitioni, neque exordio obnoxium eſt.* Cui conſonat Auguſt. *in Pſalm.* 101. *Nihil eſt in Deo præteritum, quaſi non ſit; nihil futurum, quaſi nondum ſit; neque enim in Deo eſt, niſi eſt; non autem fuit, aut erit.* Denique id definivit Concil. Later. extra de ſum. Trin. & fide cath. *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus, æternus, incommutabilis.*

Probatur, & ſimul explicatur hæc perfectio. Æternitas dicitur communiter poſt Boëtium, Interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio. Hoc eſt, ad rationem æternitatis exigitur, ut nullum importet terminum initii vel finis, excludátque omnem fluxum; & ideò diſtinguitur à tempore, quod habet initium & finem, eſtque menſura rei variabilis quoad ſubſtantiam & accidentia, qualia ſunt omnia ſublunaria: diſtinguitur etiam ab ævo, quod habet quidem initium, ſed fine caret, eſtque duratio rei invariabilis quoad ſubſtantiam; variabilis tamen quoad accidentia, ut ſunt Angeli & corpora cœleſtia; at verò æternitas caret initio & fine, eſtque duratio per modum poſſeſſionis, ſeu rei omninò invariabilis. Atqui hoc ſummè competit Deo, hoc ipſo quod eſt immutabilis; nam immutabilitas exigit permanentiam & ſtabilitatem indeficientem & uniformem; ſi enim Deus aliquando non fuiſſet, mutatus eſſet de non eſſe ad eſſe; ſi deſineret, mutaretur de eſſe ad non eſſe; ſi verò operationes & duratio ejus eſſent ſucceſſivæ, quotidie mutaretur. Ergo Deo competit æternitas, ſicut & immutabilitas. Quod ſi interdum Scriptura Deo tribuit aliquas temporum differentias, ideo eſt, ut inſinuet durationem Dei omnibus temporibus correſpondere.

Confirmatur alia ratione D. Thom. *lib.* 1. *contr. Gent. cap.* 15. Si Deus aliquando non fuit, & poſtmodùm fuit, ab aliquo eductus eſt de non eſſe in eſſe, non autem à ſeipſo; quia quod non eſt, non poteſt aliquid agere. Si autem ab alio, illud eſt prius Deo; quod repugnat, cùm Deus ſit prima cauſa : non igitur Deus eſſe incepit. Vnde nec eſſe deſinet, quia quod ſemper fuit, habet virtutem ſemper eſſendi. Eſt igitur æternus. Vnde Deus propriè nec eſt novus, nec ſenex. Nam ut ait Tertul. lib. 1. contra Marcion. *Viva & germana divinitas nec de novitate, nec de vetuſtate, ſed de ſua veritate cenſetur. Deus ſi eſt vetus, non erit; ſi eſt novus, non fuit : novitas initium teſtificatur, vetuſtas finem comminatur. Deus autem tam alienus eſt ab initio & fine, quàm à tempore arbitro & metatore initii & finis.* Quod ſi Deus in Scriptura dicatur *antiquus dierum*, ideo eſt, quia ratione æternitatis omne tempus anteceſſit.

Reflexio.

Mirum eſt, homines immortali animo donatos mortalem hanc vitam adeo redamare, ut nihil niſi mortem reformident. Cùm tamen ex conſueta Eccleſiæ praxi Sanctorum obitus dies natalis appelletur. *Quo*, ut ait Chryſol. *ſerm.* 129. *naſcuntur de terra in cœlum, de labore ad requiem, de cruciatibus ad delicias*, non fluxas, ſed ſolidas, ſtabiles, & æternas. *Meritò planè*, inquit Euſeb. Emiſſ. *dicendi natales dies, per quos illi qui nati fuerant in hanc fragilitatis humanæ miſeriam, ſubitò renaſcuntur in gloriam, vitæ perennis initium mortis fine ſumentes.* Quod idem latè proſequitur Auguſt. *ſerm.* 113. *de diverſ. cap.* 4. & alii Patres. Saltem ſuppudeat audire ethnicum chriſtianè ſcribentem, & videre Chriſtianos ethnicè viventes, Senec. epiſt. 102. *Alia origo nos expectat, alius rerum ſtatus. Proinde intrepidus horam illam decretoriam proſpice : non eſt animo ſuprema & ultima, ſed corpori tranſeundum eſt. Dies iſte quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt.* Rectè dies mortis Sanctorum natalitia nuncupat Eccleſia, quia à vita iſta nos liberat, quæ vera mors eſt; nam ut ait Gregor. hom. 37. in Evang. *temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors eſt potius dicenda quàm vita : ipſe enim quotidianus defectus corruptionis, quid aliud eſt, quàm quædam prolixitas mortis.* Suſpiremus ergo ad æternitatem.

Spec

Speculatio III.

Omnia tempora fugitivè labentia sunt præsentia divinæ æternitati.

HÆc propositio est communis doctrina Patrum. August. lib. 11. Conf. cap. 11. *Quis tenebit cor hominis, & affiget illud, ut paululùm stet, & paululùm rapiat splendorem semper stantis æternitatis, ut videat esse incomparabilem, & videas longum tempus non nisi prætereuntibus motibus, qui simul extendi non possunt, longum fieri; non tamen præterire quidquam in æterno, sed totum esse præsens?* Et lib. 1. Conf. cap. 6. *Quam multi nostri jam dies, & patrum nostrorum per hodiernum tuum transierunt, & transibunt adhuc alii. Tu autem idem ipse es, & omnia crastina, atque ultra, omniáque hesterna & retro, hodie facies, hodie fecisti. Quid ad me, si quis non intelligat? Gaudeat & ipse, & amet non inveniendo invenire potiùs, quàm inveniendo non invenire te.* Succinit Bernard. serm. 8. in Cant. *Tempora sub ea (æternitate) transeunt, non ei: futura non expectat, præterita non recogitat, præsentia non experitur.* Et Petrus Damian. opusc. 36. cap. 8. *Omnipotenti Deo non est heri, vel cras, sed hodie sempiternum, cui nihil defluit, nihil accidit; cui nihil est vanum, nihil à se diversum. Illud hodie æternitas est incommutabilis, indefectiva, inaccessibilis; cui scilicet nihil addi, nihil valet imminui: & omnia quæ apud nos elabendo discurrunt, aut per temporum vicissitudines se variant, apud illud hodie stant, & immutabiliter perseverant; in illo scilicet hodie dies adhuc immobilis est, in quo mundus iste sumpsit originem; in illo jam & ille nihilominus est, quo judicandus est per æterni judicii æquitatem.* Quid expressius? Nec minùs apertè D. Anselm. lib. de concord. in principio: *Æterno præsenti simul clauditur omne tempus, & quæ sunt in quolibet tempore; non enim dico actionem meam crastinam nullo tempore esse, sed hodie tantùm nego esse, quæ tamen semper est in æternitate.* Denique D. Thom. infrà, q. 14 art. 13. *æternitas simul existens ambit totum tempus. Unde omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solùm ea ratione quâ habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno super omnia, prout sunt in sua præsentialitate*: id est, non solùm habet ideas rerum futurarum, sed ipsæ res futuræ sibi actu præsentes sunt.

Confirmatur: SS. Patres communiter asserunt in Deo non dari præscientiam. August. lib. 2. ad Simplic. quæst. 2. *Quid est præscientia, nisi scientia futurorum? Quid autem est futurum Deo, qui omnia supergreditur tempora?* Et Gregor. lib. 20. Mor. cap. 24. *Quomodo est præscius, dum nulla nisi quæ futura sunt, præsciuntur, & scimus quia Deo futurum est nihil.* Sed solùm admittunt scientiam intuitivam, & visionem futurorum, quia aliàs, ut arguit August. *ibidem*, aliquid temporaliter accideret scientiæ Dei, & bis Deus res sentiret, uno quidem modo secundùm futurorum præscientiam, altero secundùm præsentium scientiam, quod absurdissimum & falsissimum est: Atqui visio fertur ad præsentia: Ergo omnia futura sunt divinæ æternitati præsentia.

Probatur ratione. Æternitas est mensura infinita, & indivisibilis, ac tota simul. Quà infinita est, ad omnes durationes se extendit, sicut scientia ad omnes veritates: quà indivisibilis est, coëxistit tota omnibus rebus successivis, non totaliter secundùm omnem virtualem ejus extensionem, & omnes ejus veluti sinus. Sanè sicut anima indivisibilis & inextensa omnibus partibus corporis coëxistit, licèt una pars corporis non sit ubi est alia pars; sicut centrum indivisibile correspondet cuique puncto posito in circumferentia, & singulis lineis à centro ad circumferentiam ductis; sicut homines in via ambulantes succedunt quidem sibi, nec priores vident posteriores: ita æternitati tempora successivè fluentia præsentia sunt, non quòd creaturæ existant realiter ab æterno per anticipatam productionem distinctam ab ea qua in tempore creantur; sed quia æternitas divina ratione suæ infinitatis ad omnes temporum differentias se extendit, & omnes mensuras, ut statim magis explicabitur.

Sed dices: Intelligibile est, res quæ nondum sunt, posse concipi de facto præsentes æternitati. Certè si immensitas divina, quantumcunque infinita sit, non se extendit ad spatia imaginaria, quia nihil sunt, quomodo æternitas se extendet ad tempora futura, quæ nondum sunt?

Respondet in tantùm res esse præsentes æternitati, quia hoc ipso quod Deus decrevit ea producere, sunt terminus Divinæ Omnipotentiæ, & actionis, non quidem ab immutatus, & productus, sed connotatus: & sic quemadmodum decretum & actio divina sunt actu præsentia divinæ æternitati, ita & eorum termini. Non enim res priùs producuntur in se, antequam eleventur ad æternitatem; sed per hoc quod ab æterna Dei actione respiciuntur ut terminus in tempore quidem immutandus, sed ab æterno connotatus, dicuntur præsentes æternitati.

Hac explicatione, quam etiam tradit profundus Pater Ioannes à S. Thom. *tom. 1. disp. 9. art. 3. à num. 23. ad 30.* tollitur omnis hallucinatio in hac materia, in qua vix est dissensio nisi de nomine, & patet differentia inter immensitatem & æternitatem. Vt enim immensitas occupet aliquod spatium, requiritur ut illud contingat contactu virtutis, operando in illud; in spatiis autem imaginariis, quæ non sunt nisi in imaginatione, Deus non operatur: At verò ut æternitati præsentia sint tempora successiva, sufficit ut aliquando futura sint, quia hoc ipso quod futura sunt, habent rationem termini connotati à divina omnipotentia, decreto, & actione.

Aliter potest elucidari tota hæc materia, & omnia æquivocationis radix evelli. Considera igitur quod cùm Thomistæ post Sanctos Patres volunt omnia tempora successivè fluentia esse semper, & fuisse ab æterno Deo præsentia, nihil reale ponunt ex parte rerum creatarum, quod habeant creaturæ extra Deum: esset enim nimis crassa intelligentia, cùm extra Deum nihil reale sit in veritate existens, nisi in tempore; siquidem *in principio creavit Deus cælum & terram.* Non est etiam sensus, futura contingentia veloci retrotrahi, ut pertingant ad durationem æternam antequam existant; cùm enim duratio cujuslibet rei futuræ sit finita, & certo tempori addicta, nequit habere illam infinitam extensionem virtualem, quâ ambiat, contineat, & concludat omne tempus.

Cùm ergo realis illa præsentia nihil reale ponat ex parte creaturarum, liquidò constat legitimum sensum esse, æternitatem, quia omnibus durationibus sumtis æquivalet, easque eminenter includit, repræsentare intellectui divino omnes temporis durationes & differentias ex vi propriæ lineæ, & characteristicæ proprietatis. Ita ut sicut essentia divina repræsentat intellectui divino omnes essentias possibiles, essentia verò determinata per decretum, omnes creaturas futuras; ita æternitas ex formali sua ratione repræsentat omnes durationes possibiles; supposito verò decreto, eadem æternitas omnes durationes futuras exhibet intellectui divino. Quia cùm æternitas habeat veluti plures partes virtuales æquivalentes variis durationibus sibi succedentibus, in illis simul & semel resplendent labentium temporum decursus. Qua de causa

causa D. Thomas *opuscul. 68.* appellat æternitatem *speculum*; sicut enim speculum immotum manens, omnes in aula ambulantium motus & gestus exprimit: sic speculum infinitum æternitatis omnes circumfluentium successionum vicissitudines futuras, supposito decreto, intellectui divino videndas repræsentat in suo vastissimo sinu, virtualiter tamen multiplici.

Atque etiam ex his manifestè apparet, quomodo hæc præsentia sit realis, & non tantùm objectiva, & in esse intelligibili: nam juxta traditam expositionem, si per impossibile Deus non haberet ideas rerum futurarum, secundùm quas habet rationes rerum apud se præsentes; tamen eas cognosceret in sua æternitate, quæ omnia tempora divino conspectui præsentialiter intuenda offert. Ex quibus etiam planam S. Thomæ, *q.* 14. *art.* 13. intelligentiam habere licet, dum ait: *Omnia quæ sunt in tempore, sunt Deo ab æterno præsentia, non solùm ea ratione qua habet rationes rerum apud se præsentes, ut quidam dicunt; sed quia ejus intuitus fertur ab æterno supra omnia, prout sunt in sua præsentialitate.* Sensus enim perspicuus est, intellectum divinum videre res omnes futuras sibi præsentes, non solùm quia habet ideas rerum omnium, sed etiam quia omnes & singulæ durationes in eadem æternitate eminentissimè & unitissimè continentur: subindeque in ea resplendent res, prout unaquæque earum est actu in seipsa, & in propria duratione; cùm æternitas habeat multiplices veluti sinus æquivalentes, & correspondentes quibuslibet durationibus. Vnde tam præsentes videt Deus res futuras, ac si res futuræ essent præsentes & productæ in propria duratione. Vnde alibi millies docet & repetit S. Doctor, ideo Deum futura scientiâ visionis intelligere, quia ea videt in sua æternitate, infrà q 57. art. 3., *Deus videt omnia in sua æternitate, quæ cùm sit simplex, toti tempori adest, & ipsum concludit: & ideo unus Dei intuitus fertur in omnia quæ aguntur per totum tempus, sicut in præsentia.* Et idem inculcat aliis sexcentis locis, indigitans medium in quo Deus cognoscit durationes creatas, esse æternitatem.

Hinc etiam vides, quomodo rectè ubique probet Angelicus Doctor, Deum cognoscere futura, & non petere principium, sicut peteret, si explicaretur de sola præsentia objectiva, ut volunt moderni quidam: nam sic formatur ejus discursus, & simul tota hæc materia illustratur. Creaturæ omnes quæ in variis temporum differentiis sibi succedunt, sunt eminentissimè, & uniformiter inclusæ in Divina æternitate, & in ea relucent secundùm varios sinus quos habet, ratione quorum, indivisibilis manens, æquivalet omnium temporum successioni: Ergo Divina scientia intuitivè fertur ad omnia futura, tanquam in sibi subjecta præsentialiter. Ad cujus discursus efficaciam sicut non sufficit præsentia objectiva futurorum (aliàs idem per idem probaretur) ita non requiritur quod res existant vel producantur in mensura superiori antequam fiant (ut quidam non satis advertenter scripserunt) sed exigitur & sufficit, ut omnium temporum durationes in æternitate virtualiter inclusæ, & supereminenter veluti involutæ, formaliter, actu, & præsentialiter ab æternitate, ut æternitas est, divino conspectui repræsententur.

Denique idipsum penetrantiùs percipiemus si consideremus perfectiones divinas, illas præsertim quæ extrinsecum objectum vel terminum respiciunt, habere duplicem veluti latitudinem, intensivam scilicet, & extensivam: intensiva attenditur penes infinitum gradum excellentiæ, quem habent; extensiva verò penes ordinem ad creaturas, quas secundariò respiciunt, v. g. intensiva latitudo scientiæ divinæ consistit in lumine infinito, omnia in unica essentia divina penetrante: extensiva verò in hoc posita est, ut omnia possibilia ita distinctè & dearticulatè intueatur, ac si haberet infinitas cognitiones ad singulas quasque creaturas terminatas.

Ita in proposito nostro, æternitas habet & latitudinem intensivam, quatenus est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Vnde dicitur Psal. 89. *A sæculo & usque in sæculum tu es.* Vbi, ut ponderat Augustinus, *optimè non ait, à sæculo tu fuisti, & usque in sæculum tu eris; sed præsentis significationis verbum posuit, insinuans Dei substantiam omni modo incommutabilem, ubi non est fuit, & erit, sed tantummodo est: unde dictum est, Ego sum qui sum.* Habet etiam æternitas latitudinem extensivam, quatenus unica manens æquivalet & supereminet omnibus temporis continui & discreti, realis & imaginarii differentiis, tanquam exemplar & causa omnium durationum. Ergo sicut in essentia divina continentur, & splendent omnes possibiles cognitiones, in bonitate creabiles bonitates, in veritate essentiali veritates participatæ, in causa prima causæ secundæ: ita in æternitate omnes durationes possibiles, & in æternitate per decretum determinata omnes durationes præteritæ, præsentes, & futuræ, quantumvis sibi succedentes; sicut in mappa mundi unitim describuntur, & simul exhibentur provinciæ à se distitæ, & fluviorum labentium cursus; & sicut mappa illa stat & præsens est, ita à fortiori, *anni tui* (inquit sæpè laudatus Augustinus) *nec eunt, nec veniunt: isti nostri & eunt, & veniunt, ut omnes veniant: anni tui omnes simul stant, quoniam stant, nec euntes à venientibus excluduntur, quia non transeunt: isti autem nostri omnes erunt, cùm omnes non erunt: anni tui dies unus, & dies tuus non quotidie, sed hodie.*

REFLEXIO.

Sicut omnia æternitati præsentia sunt, sic menti nostræ semper debet æternitas obversari, ut animus noster æternitatis candidatus ad æterna semper inhians & suspirans, illud propheticum imitetur exemplum, *annos æternos in mente habui.* Sic facilè contemnet rapidum torrens transvolantium momentorum, quæ ut ait August. in Psalm. 38. *ante absunt penè quàm veniant; & cùm venerint, stare non possunt; junguntur se, sequuntur se, & non se tenent.* Sic etiam requie imperturbabili fruemur, quia ut ait Gregorius lib. 10. in Iob, *quisquis in solo æternitatis desiderio figitur, nec prosperitate attollitur, nec adversitate quassatur; dum nihil habet in mundo quod appetat, nihil est quod de mundo pertimescat.* Sit ergo illud viræ nostræ lemma, *pingo æternitati*: vel istud, *non est mortale quod opto.* Sed præcipuè fugiamos peccata, quæ licèt per pœnitentiam deleantur, sempet tamen æternitati præsentia erunt; nam ut eleganter ait Bern. lib. 5. de consid. cap. 12. *Transierunt, & non transierunt; à manu, sed non à mente; quod factum est, factum non esse non potest: proinde etsi facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet: non transibit cum tempore, quod tempora transiit.*



DISSERTATIO V.

De invisibilitate, incomprehensibilitate, & ineffabilitate Divinæ perfectionis.



AD cognoscendam Divinam perfectionem non parum juvat scire, quomodo Deus à nobis & à Beatis cognoscatur, quove pacto nominetur; eo enim major est, quo intellectûs captum exsuperat, & sermonis nostri angustias excedit.

CAPUT I.

De invisibilitate Dei, & simul de visione ipsius.

DEi invisibilitas cor nostrum affligeret, nisi solaretur ipsum spes beatæ visionis; ideo utramque conjunginus.

SPECULATIO I.

Deus est naturaliter invisibilis, ita ut nullus intellectus creatus, vel creabilis Deum ut in se est, clarè & intuitivè videre viribus naturalibus possit: unde repugnat substantia supernaturalis, cui connaturale sit videre Deum.

HAnc veritatem, quam definit Concilium Viconense, sub Clemente V. docet apertè Scriptura Isai. 64. *Oculus non vidit, Deus, absque te, quæ praeparasti diligentibus te.* Ad Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna.* Matth. 11. *Nemo novit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* 1. Timoth. 1. *Regi sæculorum immortali, invisibili.*

Probatur ratione S.Thomæ. Vt aliquid cognoscatur, debet esse proportio & commensuratio inter objectum cognitum & facultatem cognoscentem: Atqui inter Deum clarè visum, & intellectum creatum non datur proportio & commensuratio: Ergo. Major constat; nulla enim facultas naturaliter fertur nisi ad objectum sibi proportionatum. Minor verò probatur: talis est proportio inter objectum & potentiam cognoscentem, ut cognitum sit in cognoscente ad modum ipsius cognoscentis; Sed Deus cognitus ab intellectu creato ad modum intellectus creati, non est clarè & quidditativè cognitus, ut patet: Ergo Deus clarè cognitus excedit proportionem intellectus creati. Probatur major: tum ratione generali, quia quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur: tum inductione communi omnium facultatum cognoscitivarum.

Facultates sensitivæ, quæ sunt in infimo gradu cognoscentium, quia sunt addictæ organo corporeo, habent pro objecto ens sensibile corporeum. Anima rationalis, licèt sit spiritualis, & ideo possit considerare res universales; tamen quia pro hoc statu res non intelligit sine conversione ad phantasmata, & dependenter à corpore & imaginatione, habet etiam pro objecto connaturali ens materiæ conjunctum spiritali modo atractum, ut explicamt *in lib. de Anima*. Angeli, quia sunt spiritus omnis materiæ expertes, ideo habent pro objecto connaturali propriam substantiam, quæ est merè spiritalis; sed quia non sunt actus puri, sed entia potentialia, finita, & composita, non valent connaturaliter cognoscere ut in se est ens, qui sit actus purus, qui proinde videri solùm potest ab intellectu infinito, qualis est divinus, qui habet connaturalem proportionem cum sua essentia.

Confirmatur, & breviter totum hoc elucidatur: Vis cognoscitiva correspondet perfectioni entitativæ; operari enim sequitur esse, & ideo videmus, quod eo perfectior est modus cognoscendi, quo excellentior est natura; & infrà etiam ostendemus, quod immaterialitas & puritas perfectionis est radix intellectualitatis: atqui nullum ens creatum, vel creabile potest pertingere ad immaterialitatem, & perfectionem divini esse: Ergo nulla creatura potest Deum naturaliter intelligere, cùm tanta, nec minor debeat esse virtus intellectiva, quanta est intelligibilitas objecti cogniti.

Atque ex his corollariè deducitur & probatur secunda pars contra Molinam; si enim potentia cognoscitiva debet esse ejusdem immaterialitatis & perfectionis cum suo objecto connaturali & proportionato, quod semper attingit ad modum propriæ substantiæ, manifestè sequitur, repugnare substantiam supernaturalem, cui connaturalis sit gratia, lumen gloriæ, & visio beata; cùm nulla creatura produci possit, quæ sit ejusdem puritatis & immaterialitatis cum Deo, quæve Deum videat ut in se est, si illum videat ad modum propriæ substantiæ. Vnde D.Thomas optimè ait hìc, art. 5. *Dispositio ad formam ignis non potest esse naturalis, nisi habenti formam ignis; unde lumen gloria non potest esse naturale creaturæ, nisi creatura esset natura divina, quod est impossibile.*

Probatur insuper repugnantia substantiæ supernaturalis, tum à priori, tum à posteriori. A priori quidem, quia quidquid sit illud, in quo supernaturalitas consistit, in quo variant Authores; hoc tamen est in confesso apud omnes, quod ens supernaturale est communicatio, & consortium naturæ divinæ, quo disponimur ad operandum modo divino, & in eo ordine per gratiam collocamur, quo ens increatum creaturas suas excedit: Sed implicat, quod aliqua creatura sit radix & principium connaturale illius, quod est participatio naturæ superioris in eo in quo superior est, qualis est gratia, lumen gloriæ, & omnes formæ supernaturales, quæ evehunt ad consortium naturæ divinæ, ut divina est, & ut excedit omne ens creatum; Ergo omninò repugnat substantia supernaturalis, quæ sit principium connaturale operationum supernaturalium, sicut repugnat animam rationalem posse esse principium connaturale intellectionis superioris, putà Angelicæ.

A posteriori etiam idem convincitur; hæc enim substantia supernaturalis, si daretur, non nutu, & misericordia Dei ad supernaturalia vocaretur; non gratis, & ex indulgentia donis esset opima cœlestibus, sed ex suæ conditione naturæ esset impeccabilis; illi enim magis quàm charitati peccatum repugnaret; posset efficere gratiam æquè facilè ac ignis calorem; cognosceret naturaliter futura, cogitationes cordium; neque enim minus exigeret lumen propheticum, quàm gloriosum: quid ergo ei deesset, ut Deus esset, cùm scriptum sit Isai. 42. *Annunciate quæ ventura sunt, & sciemus quia Dii estis.*

Objicies: Non est major ratio cur Dei sapientia, aut amor, cæterarumque divinarum perfectionum ornatus virtutibus infusis participentur, quàm substantia per supernaturalem substantiam: Sed primum de facto fit: Ergo secundum fieri potest.

Respondeo, quod sicut attributa divina virtutibus super

supernaturalibus exprimuntur, sic etiam natura divina per gratiam veluti exscribitur, est enim gratia participatio naturæ divinæ,ut io se est: & sicut attributa Dei, licèt substentia sint, non participantur nisi per accidentia, ita nec substantia Dei exprimi quit, nisi per qualitatem supernaturalem.

Dices: Omne accidens petit inhærere alicui substantiæ tanquam subjecto connaturali: Sed Deus non potest esse subjectum accidentium supernaturalium: Ergo debet posse dari aliqua substantia, cui accidentia supernaturalia connaturalia fiot, & ex qua naturaliter fluant, veluti proprietates.

Respondeo, accidentia quæ suot derivationes naturæ superioris, & elevationes naturæ inferioris, non exigere subjectum connaturale, cùm sint essentialiter supra naturalem exigentiam: cujus rei habemus exemplum in ipsa natura; nam virtus, quam cœlum imprimit mari ad motum fluxus & refluxus, non potest recipi in cœlo, sed in mari; non tamen potest connaturaliter oriri ex mari, sed à cœlo. Illuminatio Angeli superioris in inferiorem non potest recipi in superiori, à quo procedit, nec procedere ab inferiori, in quo recipitur: quanto ergo minùs gratia & lumen gloriæ originari, & procedere poterunt à creatura; licèt in ejus potentia obedientiali necessariò recipi debeant, non in Deo, à quo effluunt?

Urgebis: Potest Deus producere intellectum creatum, qui habeat naturaliter tantas vires ad videndum Deum, quantas habet intellectus lumine gloriæ perfusus; nam intellectus glorioso lumine illustratus est aliquid finitum: quocumque autem effectu finito potest Deus perfectiorem producere: Sed ille intellectus connaturaliter Deum videret: Ergo.

Respondeo intellectum creatum lumine gloriæ præditum esse quidem finitum, sed ad ordinem superiorem & supernaturalem elevatum; unde nullus intellectus creatus ordinis naturalis, quamlibet perfectus, potest ad ejus perfectionem attingere; quia nulla res inferioris ordinis, quantumvis licèt perfecta, nusquam gradum superioris consequitur; sicut nulla res materialis potest Angeli perfectionem nedum excedere, sed nec assequi, vel exæquare. Objectiones contra primam partem solvuntur speculatione sequenti.

R e f l e x i o.

Sapientissimè monet Ecclesiasticus 3. cap. *Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus; non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre.* Indignandum sanè & indolescendum est, homines insano atque inepto labore ultra conditionis suæ terminos evagantes audaci cupiditate divina transcendere, cùm tamen adeo absit ab exploratione Divina humana mediocritas, nec scire sit datum, nec scrutari permissum.

Begardos & Beguinas Deum propriis viribus videre præsumentes unitantur nimii scrutatores majestatis opprimendi à gloria. Objectum proportionatum cujusque intellectus est quidditas propria: eligat ergo unusquisque solidè subsistere in se, *ne rapiatur inaniter supra se*, ut loquitur Gregor. *homil. 7. in Evang.* quia curiositas, ait Bernard. *Periculosa præsumptio est, & damnosa peritia ad hæresim provocat: in causis obscuris audaces reddit, in rebus ignotis facit homines præcipites.* Et August. *lib. de modo benè viv. cap. 54. ait: Curiosi esse prohibemur, quod magnum temperantiæ munus est.* Reprimat igitur se anima à vanæ cognitionis cupiditate, si se castam Deo servare disposuit. Dæmon quærens apros suo magisterio discipulos, seligit quos curiositatis vitio præ aliis cernit infectos. Omnium discutit consuetudines, ventilat curas, scrutatur affectus, & ibi causas quærit nocendi, ubi quemque viderit curiosius occupari. Sistamus igitur in objecto proportionato intellectus nostri, scilicet in virtute propria; & hinc humiliter consurgamus ad Deum.

S p e c u l a t i o II.

Intellectus creatus supernaturaliter adjutus Deum, ut in se est, videre potest.

HÆc propositio definita est in Concilio Flor. *in litt. union.* dicente, *Animas Sanctorum intueri clarè ipsum Deum trinum & unum, sicuti est.* Idem determinavit Benedict. XII. in Extravag. *Benedictus Deus*, & apertè tradit Scriptura 1. Ioan. 3. *Videbimus eum sicuti est.* 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Ioan. 3. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo; & ego diligam eum, & manifestabo meipsum ipsi.* Subscribunt SS. Patres huic veritati, in qua tota sita est ratio spei nostræ.

Nec obstat quod aliquando in Scripturis Deus dicatur invisibilis, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, atque inhabitare lucem inaccessibilem; hoc enim intelligitur vel respectu oculi corporei, vel per ordinem ad vires naturales ad Dei visionem ex propriis invalidas, vel de visione comprehensiva, quomodo explicat D. Thomas S. Chrysostomum similiter loquutum, quem immeritò erroris incusat Vasquez, ut excuset Anomæos hæreticos, quos ait incredibile, fuisse tam stolidos, ut assererent homines posse naturaliter comprehendere Deum, quasi non æquè desipuerint Manichæus, aut Montanus, cùm se Spiritum sanctum uterque dixit.

Maximè cùm id expressè referant, tum Theodoretus *lib. 4. hæretic. fabul. cap. 3.* dicens: *Eunomius ausus est dicere, se nihil ex rebus divinis ignorare, sed ipsam etiam Dei essentiam exactè nosse, eandemque notitiam de Deo habere, quam Deus ipse habet de seipso: ad quem furorem ab illo etiam perducti fuerunt, qui ejus pestem hauserunt; audent quippe ipsi apertè profiteri, se ita Deum nosse, ut ipse seipsum.* Tum S. Hieron. in cap. 11. Matth. *Erubescat Eunomius, tantam sibi notitiam Patris & Filii, quantam alterutrer inter se habeant, jactitans.* Idem refert Socrates, de quo vide Baron. anno 366. Unde Anomæos passim stolidos & amentes vocat Chrysost. qui plus satis se ab imposita calumnia vindicat, quàm ut nostro egeat patrocinio; ait enim multis locis, *epist. 5. ad Theodoret. tom. 3. in epist. ad Philipp. & homil. 69. ad popul.* Beatos, *Regem ipsum Deum intueri, non per introitum, non per ænigma, non per speculum, sed facie ad faciem.* Et expendens illud, *quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Vide*, inquit, *ardentem hominem, vide inflammatum; sciebat enim se, cùm hinc recesserit, Deum esse visurum, nec expectat quidem dilationem.* Quare facilè poterat, & sanè debebat Vasquez sibi à carpendorum Patrum prurítu temperare, & illius præsertim honori consulere, quem vocat Anastasius, *Christi fluvium*; Theodoretus, *magnum orbis lumen*; Isidorus Pelus. *Ecclesiarum omnium oculum*; Innocentius I. *Virum Divinum, cujus jacturâ orbis sub cœlo totus ad orbitatem redactus est.*

Dices: Dicitur de Angelis beatis, 2. Petr. 1. *In quem desiderant Angeli prospicere.* At si viderent Deum, non desiderarent ipsum videre: Ergo non vident.

Respondeo ex D. Gregorio *lib. 18. Moral. cap. 18.* quod cùm Christus dixerit, *Angeli eorum semper vident faciem Patris mei*, procul dubio veritati non contra

contradicit prædicator veritatis, sed utrumque concordatur; neque enim ita desiderant, ut non intueantur, quia desiderium sine fructu anxietatem habet; sed quia satietas solet fastidium generare, ut indicetur in Angelis non esse fastidium, semper desiderare dicuntur. *Et desiderant*, inquit, *sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur.* Optimè subjungit Gregor. *Sic quoque & nos erimus, quando ad ipsum fontem vitæ venerimus: erit nobis delectabiliter impressa sitis simul atque satietas: sed longè aberit ab hac siti necessitas, longè à satietate fastidium; quia & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus.* Non sic sanè bona temporalia plena sollicitudinis & fastidii, quæ cum labore acquiruntur, cum timore possidentur, cum dolore amittuntur: unde nunquam mentis inopiam expellunt, sed indigentiam nutriunt, & famem, sitimque, sicuti hydropicis ebibita aqua, vehementiùs accendunt. Hoc distare inter delicias corporis & cordis solet, ait idem Gregor. *homil.* 36. *in Evang.* quod corporales deliciæ, cùm non habentur, grave in se desiderium accendunt; cùm verò habitæ eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt: ac è contra spiritales deliciæ cùm non habentur, in fastidio sunt; cùm verò habentur, in desiderio; tantoque à comedente ampliùs esuriuntur, quantò & ab esuriente ampliùs comeduntur. Suspiremus ergo ad illam beatam visionem, quæ mirâ satietatis & desiderii temperaturâ & necessitatem excludet, & fastidium removebit.

Probatur duplici ratione D. Thomæ. Prima sic proponitur: Vnaquæque natura potest suam beatitudinem & ultimam perfectionem obtinere, à quâ justa è rebus omnibus insita expectatione depelli non debet homo, ne sit deterioris conditionis rebus sibi inferioribus, quibus sua quæque beatitudo designata est: Atqui beatitudo hominis in visione Dei posita est, cùm sit hominis altissima operatio, quâ possidetur summum bonum: saltem ad beatitudinem requiritur talis visio, ut abstrahamus ab illa quæstione, in qua consistit formalis beatitudo: Ergo possibilis est talis visio.

Illustratur hæc ratio doctrinâ illâ, quam toties inculcat D. August. desumpta ex dignitate imaginis creaturis rationalibus insculptæ. Licèt imago mortua, vel artificialis non desideret conjungi exemplari, à quo nequit perfici; imago tamen intellectualis & immortalis, sicut ad sui prototypi conspectum indesinenter anhelat, ita beata esse non potest, nisi illi per fruitionem & visionem conjungatur: & inde explicat August. *serm.* 14. *de verb. Apost. cap.* 6. pœnam damni, quia imago rationalis non potest in æternum à prototypo exulare absque grandi pœna. *Nam exulibus non esse in patria*, inquit, *si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna.* Et rursum lib. 5. contra Iul. cap. 5. *Natos ex Adam, transferri renatos oportet ad Christum, ne à regno pereant imagines Dei: quod sine malo fieri qui dicit, nec amorem habet, nec timorem Dei.* Quæ quidem inclinatio Deo fruendi ita indivulsa adhæret imagini Dei, ut dicat Bernard. serm. 1. de Annunc. *Imago in gehenna ipsa uri poterit, non exuri; ardere, sed non deleri.* Denique D. Thom. 3. *p. q.* 9. *art.* 2. *ad* 3. huic rationi suffragatur, dicens: *Scientia beata est quodammodo supra naturam animæ rationalis, in quantum propria virtute ad eam pervenire non potest; alio modo est secundùm naturam ipsius, in quantum scilicet secundùm naturam suam est capax ejus, prout scilicet est ad imaginem Dei facta, ut supra dictum est*, nimirum in corpore articuli, ubi sic apertissimè loquitur: *Homo est in potentia ad scientiam Beatorum, quæ in Dei visione consistit, & ad eam ordinatur sicut ad finem; est enim creatura rationalis capax illius beatæ cognitionis, in quantum est ad imaginem Dei.*

Secunda ratio S. Thomæ sic formatur: Inest homini naturale desiderium videndi Deum, qui est prima rerum omnium causa, sicut inest ei appetitus videndi causam, dum intuetur effectum, unde admiratio in hominibus consurgit: sed illud desiderium non debet remanere inane, sed summè conveniens est ut expleatur; desiderium enim à natura inditum non fertur ad aliquid impossibile, & ut ait August. lib. 4. cont. Iul. c. 3. *Naturali instinctu beati esse non vellemus, nisi esse possemus.* Ergo Deum videre possibile est.

Confirmatur, & illustratur hæc ratio ex doctrina Patrum: Homo qui est creatura intellectualis, sicut habet quandam plenitudinem essendi, hoc ipso quod est compendium universi, & omnis creaturæ, ut loquitur D. Gregor. *homil.* 20. *in Evang.* quia aliquid omnis creaturæ habet homo, esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum Angelis: ita gaudet quadam universalitate, amplitudine, & capacitate, qua potest non solùm cognoscere omne ens, sed etiam appetere summum bonum: quæ sanè capacitas & latitudo creaturæ rationalis expleri nequit, aut satiari, nisi videndo Deum, juxta illud, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*: & illud August. lib. 1. Conf. c. 1. *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Illud etiam D. Thom. lib. 3. cont. Gent. c. 50. *Nihil finitum desiderium intellectus quietare potest; non igitur intellectus quiescit per hoc quod cognoscit substantias creatas quantumcunque eminentes, sed adhuc naturali desiderio tendit ad intelligendam substantiam, quæ est altitudinis infinitæ.* Quorum omnium radix est, quia quælibet res connaturaliter appetit sufficientiam, quam in solo summo bono invenit profunditas cordis nostri. Vnde Hugo à S. Victore lib. 6. de Sacram. part. 6. cap. 6. *Magna dignitas humanæ conditionis, quod talis facta est, ut nullum ei bonum præter summum sufficiat.* Et D. Gregor. lib. 26. Moral. cap. 22. *Humana anima ab unaquaque re cui intenditur, fastidio repellente removetur, & qualibet posita, non requiescit: ad illum quippe suspensa est, à quo formata; & quia ad Deum solum appetendum facta est, jure ei non sufficit, quod Deus non est.*

Objectionum solutio.

Sed inquies: Appetitus naturalis non potest ferri in objectum supernaturale, qualis est visio beata, quæ non potest cognosci sine fide: quomodo ergo ad Dei visionem omnibus naturæ terminis sublimiorem potest se porrigere naturæ appetitus? cùm natura non largiatur inclinationem ad illud, ad quod tota natura perducere nequit.

Respondeo, Deum esse quidem extra objectum proportionatum intellectus creati, sicut excellens sensibile, putà Sol, in sua rota est extra proportionem potentiæ visivæ; non tamen esse extra objectum adæquatum & extensivum, quod est ens ut sic, & omne verum analogicè commune Deo & creaturis. *Divina substantia*, ait S. Thom. lib. 3. cont. Gent. c. 54. *Non sic est extra facultatem intellectus creati, quasi aliquid omninò extraneum ab ipso, sicut est sonus à visu, vel substantia immaterialis à sensu; nam ipsa divina substantia est primum intelligibile, & totius intellectualis cognitionis principium; sed est extra facultatem intellectus creati sicut excedens virtutem ejus, sicut excellentia sensibilia sunt extra facultatem sensuum.*

Ad cujus majorem lucem advertendum est, in intellectu nostro tres veluti gradus posse distingui.

Primus

Primus est specificus, quatenus est homanus & rationalis, intelligens cum discursu dependenter ab imaginatione, phantasia, sensibus, & corpore. Secundus est genericus, prout nimirum est intellectus creatus, subindeque alicujus objecti creati limitibus septus, in quo convenit cum Angelis. Tertius prout est intellectus analogicè conveniens cum divino. Itaque Deus clarè visus non continetur intra objectum intellectus nostri secundùm primum & secundum gradum spectati; sic enim objectum ejus est quidditas materialis spiritualiter attacta, vel ens creatum; sed tertio modo consideratus intellectus noster potest ferri ad omne ens, sive naturale, sive supernaturale, sive creatum, sive increatum: nam intellectus noster sublimatur ad divinam visionem, non ut humanus, sed ut intellectus & imago Dei, de quo sub ea ratione spectato verificatur præclarum illud August. dictum: *Nihil est majus mente humana, nisi Deus.*

Ex his dilucidè solvitur objectio. Neque enim est inconveniens in intellectu nostro tertio modo considerato admittere naturalem propensionem ad videndum Deum. Nec obest, quod natura non det vires ad illud objectum obtinendum, quas solùm confert quando illa inclinatio convenit ei secundùm gradum specificum. Sicut talpa (exemplum est Arist. *lib. 5. Metaph. cap. 22.*) secundùm gradum genericum animalis habet inclinationem ad videndum; nec tamen ei natura largita est instrumenta visui opportuna: *Ita similiter, quamvis homo* (verba sunt S. Thom. *opusc. 70.* observatu dignissima) *naturaliter inclinetur in finem ultimum, non tamen potest naturaliter ipsum consequi, sed solum per gratiam, propter eminentiam illius finis.*

Et quamvis sine fide explicitè non cognoscatur possibilitas visionis, hoc non vetat, quin intellectus in ipsam implicitè feratur, quatenus appetit summum bonum, in quocunque sit positum, & qualibuscumque tandem viribus acquirendum. Sic materia prima animam rationalem appetit sub ratione formæ, licèt eam solus Deus creare possit: sic ipsa anima corporis reunionem, omnes licèt naturæ vires excedentem, sub ratione proprii boni concupiscit. Nec universaliter verum est, actum vel appetitum non posse ferri in objectum supernaturale: nam hæreticus actu fidei humanæ fertur in mysteria revelata, v. g. in visionem Dei, quam etiam actu naturali appetit; & naturaliter cognoscimus Deum esse ens supra omnem naturam.

Dices: Si finis & beatitudo hominis sita sit in Deo clarè viso, homo erit deterioris conditionis, quàm sint aliæ res naturales, quæ viribus propriis suam beatitudinem assequuntur; homo autem non potest naturaliter consequi illam visionem.

Respondeo, satis communem solutionem esse, hominis duplicem esse beatitudinem, aliam naturalem, aliam supernaturalem. Prima in excellenti divinorum notitia, tum ex creaturis, tum ex Dei illustrationibus parta sita esl, & eam Deus daret, si homo non esset elevatus ad ordinem supernaturalem, careretque peccato. Secunda verò in visione posita est, & si non daretur, homo non esset deterioris conditionis, quia posset habere naturalem. Cæterùm hac distinctione (de qua modò non dissero) nullibi D. Thom. utitur ad hanc difficultatem solvendam: & S. Doctor 1. 2. *quæst. 5. art. 5. ad 2.* eandem sibi proponens difficultatem, longè aliter satisfacit, his præclarissimis verbis: *Nobilioris conditionis est natura, quæ potest consequi perfectum bonum, licèt indigeat exteriori auxilio ad hoc consequendum, quàm natura quæ non potest consequi perfectum bonum, sed consequitur quoddam bonum imperfectum, licèt ad consequutionem ejus non indigeat exteriori auxilio; sicut est melius dispositus ad sanitatem, qui potest consequi perfectam sanitatem, licèt hoc sit per auxilium medicinæ, quam qui potest consequi quandam imperfectam sanitatem sine medicina auxilio; & ideo creatura rationalis, quæ potest consequi perfectum beatitudinis bonum, indigens ad hoc divino auxilio, est perfectior, quàm creatura irrationalis, quæ hujusmodi boni non est capax, sed quoddam bonum imperfectum consequitur virtute suæ naturæ.*

Insistes: Ergo natura deficiet homini in necessariis; quid enim tam necessarium est, quàm beatitudinem suam comparare?

Respondeo, S. Thomam has omnes difficultates præoccupasse; ait enim ibidem ad 1. *Sicut natura non deficit homini in necessariis, quamvis non dederit arma & tegumenta, sicut aliis animalibus; quia dedit ei rationem & manus, quibus possit hæc sibi acquirere: ita nec deficit homini in necessariis, quamvis non daret ipsi aliquod principium, quo posset beatitudinem consequi; hoc enim erat impossibile: sed dedit ei liberum arbitrium, quo possit converti ad Deum, qui eum faceret beatum: quæ enim per amicos possumus, per nos aliqualiter possumus, ut dicitur in 3. Ethicor.*

Hæc dicta sunt in defensionem rationum D. Thomæ qui perpetuus est in hac doctrina, cujus etiam fidem facit inquietudo humani animi nullibi extra Deum requiescentis, quantocumque potiatur bono in rebus creatis. Et mirum est nonnullos etiam Thomistas ab hac fundatissima doctrina, quam ex August. desumpsit Angelicus Præceptor noster, tam facilè recedere, ut adhæreant in hac parte Molinæ, qui *in 1. p. q. 12. disp. 1. in princ.* ultro fatetur nostram, & veterum Thomistarum explicationem (de qua legendus omninò est Dominicus Soto *in 4. dist. 41. art. 1. &* 2. & *lib. 1. de nat. & grat. cap. 4.*) esse communiorem: Sic enim ait: *Communior Scholasticorum sententia asserit, esse in nobis appetitum naturalem ad beatitudinem in particulari, atque ea de causa illam dicendam esse finem nostrum naturalem, non quoad assequutionem & simpliciter; ea enim ratione omnes fatentur dicendam esse finem supernaturalem; sed quoad appetitum, atque potentiam passivam.* Sed de his ampliùs, dum de gratia.

Objicies iterum: Deus est objectum infinitum: Ergo non potest clarè videri ab intellectu finito; finiti enim ad infinitum nulla est proportio; præsertim quia, ut ex dictis patet, tanta debet esse virtus intellectiva, & in eodem gradu immaterialitatis, quanta est intelligibilitas, & perfectio objecti. Sed nulla vis intellectiva creata potest adæquare intelligibilitatem & perfectionem Dei: Ergo non ipsum videre.

Respondeo, quòd licèt Deus sit objectum infinitum, potest tamen uniri intellectui in ratione objecti & speciei intelligibilis, ut posteà dicemus; quâ divinâ specie fœcundatus intellectus creatus, & aliunde lumine gloriæ roboratus videre potest objectum illud infinitum, finito tamen modo. Et quamvis inter intellectum creatum & essentiam Dei non sit proportio æqualitatis, est tamen proportio habitudinis, ut loquitur D. Thom. *art. 1. ad 4.* id est, datur in homine capacitas fruendi Deo, quæ non arguit infinitam perfectionem creaturæ rationalis, sed veluti infinitam vacuitatem & indigentiam, ut scitè observavit D. Bonavent. *in 4. dist. 49. art. 1. q. 2.* dicens: *Duo sunt quæ faciunt appetitum, scilicet convenientia, & indigentia.* Quod verò nulla vis intellectiva creata divinam intelligibilitatem adæquare queat, probat solùm, Deum non posse à Beato comprehendi, cum quo stat, posse clarè videri.

Sequitur ex his, impossibile esse oculum corporeum, vel

vel potentiam sensitivam elevati ad videndum claré Deum.

Probatur: Deus claré visus est omninò extra objectum, non solùm proportionatum, sed etiam adæquatum potentiæ visivæ, vel sensitivæ, quod est ens materiale, vel corporeum: Sed nulla potentia potest ferri extra objectum adæquatum, sicut auditiva facultas non potest ferri ad colores, nec visiva ad sonos: Ergo potentia materialis, & addicta organo corporeo non potest claré intueri Deum, qui est purissimus spiritus. Præcipuè quia non est in illa amplitudo & capacitas, quæ in intellectu reperitur, quæ respicit ens ut sic, quæ est veluti ansa, quâ ad Dei visionem elevabilis est.

Dices: Ignis infernis agit in Angelos, & in animas rationales, quæ sunt entia spiritualia, subindeque extra sphæram potentiæ corporeæ: quidni ergo poterit potentia visiva ferri in Deum, quantumvis licèt spiritualem?

Respondeo non esse simile, quia ignis agit ut purum instrumentum, quod utique potest ferri extra objectum adæquatum, modò illud in quod agit, contineatur intra objectum principalis agentis, in cujus virtute operatur: potentia autem videns Deum, utpote vitalis, debet agere ut causa principalis, & movens se ad operationem à principio intrinseco. Verum quidem est, omnem causam principalem moveri à Deo; sed ad hoc movetur, ut ipsa se moveat, non verò ut agat præcisè ut mota, quod est proprium instrumenti inanimis. Nihil autem potest se movere, & principaliter agere extra suum objectum, quia agere principaliter est agere per virtutem propriam & intrinsecam; virtus autem agentis præcipui ferri nequit extra objectum suum, quia non est virtus nisi per ordinem ad objectum suum. Alia quæ possent objici facilia sunt: vide D.Thom. *hic, art. 3. ad argum.*

REFLEXIO.

Nullus est qui Deum, in quo est omne bonum, tacitè non concupiscat, cùm ipsi peccatores in ipso crimine, quo beatitudinem perdunt, felicitatem quæ in solo Deo est, inquirant, ut fusè discurrit August. *in Psalm. 115. conc. 1.* de singulis peccatoribus, quos omnes sic nervosè, & juxtà ferventè alloquitur: *Quò itis? Peritis, & nescitis; non illuc itur, quà pergitis, quò pervenire desideratis: nam utique beati esse cupitis, sed misera sunt, & ad majorem miseriam ducunt itinera ista quæ curritis. Tam magnum bonum quærere per mala nolite. Si ad illud pervenire vultis, huc venite, hac ite: viæ perversæ relinquite malignitatem, qui non potestis relinquere beatitudinis voluntatem. Frustra tendendo fatigamini, quò perveniendo inquinamini; non enim beati inquinati in errore, qui ambulant in perversitate sæculi; sed beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Nec minùs eleganter lib. 4. Confess. cap. 12. *Quò itis in aspera? Quò itis? Quærite quod quæritis, sed ibi non est ubi quæritis. Beatam vitam quæritis in regione mortis: non est illic. Quomodo enim beata vita, ubi nec vita?* Quid præclarius?

SPECULATIO III.

Licèt status hujus mortalis vitæ non sit aptus ad videndum Deum per essentiam, absolutè tamen illi non repugnat; imò D.Paulo & Moysi id concessum fuit.

PRima pars probatur ex art. 11. D.Thomæ, quia connaturalis modus animæ nostræ pro hoc statu est cognoscere res dependenter à sensibus, & ad modum rerum corporearum: qui sanè modus non est idoneus ad intuendum supremum omnium intelligibilium, quod est essentia Dei. Quare ut docet idem S. Doctor *art. 12.* in hac vita possumus dumtaxat ad Dei notitiam ex creaturis manuduci, non cognoscendo quid sit Deus, sed ab ipso removendo quoscumque defectus, & ei omnes quas possumus, excellentias asserendo.

Observat tamen idem Sanctus, quod perfectior de Deo habetur cognitio beneficio luminis divini infusi, quàm per rationem naturalem: tum quia hæc confortatur per accessum luminis gratuiti: tum quia ex revelatione divina multa detegimus, ad quæ ratio naturalis non pertingit. Ex quo obiter vides, quantum ad penetrandas res divinas studia nostra multùm juvet oratio, quâ pater luminum, à quo omne donum desursum est, imploratur.

Secunda pars explicabitur *in tract. de Incarn.* ubi apparebit, quomodo Christus Dominus sensibus corporeis utens, vitamque mortalem degens, continuò divina fruebatur essentia, viator simul & comprehensor. Igitur planum est, non esse impossibile Deum claré ab homine in hac vita mortali videri.

Tertia pars est controversa inter ipsos Patres; nam D.Cyrillus *lib. 1. in Joan. cap. 22.* Hieronymus *super cap. 6. Isai.* Chrysostomus *homil. 14. in Joan.* Gregor. tum Magnus *lib. 18. Mor. cap. 37. & 38.* tum Nazianz. *lib. 2. Theolog.* & Evaristus Papa *in epist. decretal.*, negant hoc privilegium videndi Deum per essentiam concessum fuisse Moysi & Paulo. Sed salvâ reverentiâ tot & tantis Patribus debitâ, maximè perstandum nobis est in sententia D.August. qui multis in locis *lib. 12. super Gen. ad litt. cap. 28. & epist. 127. ad Paul.* perspicuè docet hanc prærogativam Moysi & Paulo concessam: cujus solius authoritas par pondus habuit apud D.Thomam fidelissimum & constantissimum Augustini sectatorem, qui eam disertè docet ubique, *hic, art. 11. ad 2. & 2. 2. q. 174. art. 4. & q. 175. art. 3.*

Probatur: Ea quæ ex Dei voluntate pendent, non aliter possunt nobis innotescere, quàm ex sacris Scripturis, quibus voluntas divina aperta est: At Scripturæ tradunt hoc privilegium concessum fuisse Moysi & Paulo. Illi quidem *Num. 12.* ubi Maria & Aaron loquuti contra Dominum, dixerunt: *Num per solum Moysem loquutus est Dominus? nonne & nobis similiter loquutus est?* Deus autem volens ostendere Moysem singulari prærogativa donatum, ait: *Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis servus meus Moyses. Ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Qui textus videtur adeò clarus, ut ponderatione non egeat. De Divo autem Paulo sic scribit ipsemet Apostolus: *Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium cœlum; & scio hujusmodi hominem, quoniam raptus est in paradisum, & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Hæc autem ineffabilia sunt ea quæ pertinent ad visionem Beatorum, quæ excedit statum viæ, secundùm illud Isai. 66. *Oculus non vidit, Deus absque te, quæ præparasti diligentibus te.* Et sanè si essentiam divinam non vidisset Paulus, sed solùm per fidem cognovisset Trinitatis & Incarnationis mysteria, illa eloqui potuisset. Convenientiam autem affert D. Thom. quia sicut Moyses fuit primus Doctor Judæorum, ita & Paulus primus Magister Gentium; unde congruebat, quod anteà vidissent divina mysteria, ut essent testes oculati.

Objicies: *Joan. 1.* dicitur, *Lex per Moysen data est, gratia*

gratia, & veritas per Iesum Christum facta est. Deum nemo vidit unquam, sed Unigenitus qui est in sinu Patris, ipse enarravit. Vbi pro ratione cur lege per Moysem datâ, gratia & veritas per Christum facta sit, adducit Evangelista, quod Deum nemo vidit unquam, nisi unigenitus Patris. Vbi clarè videtur excludere Moysem ab hac prærogativa, cùm de eo faciat mentionem. Exodi etiam 33. postquam Moyses petiit à Domino ut ostenderet sibi gloriam divinæ majestatis, responsum est illi: *Faciem meam videre non poteris: non videbit me homo, & vivet.* De Paulo etiam idem videtur colligi ex illo ab ipso Apostolo asseverato, 1. Timoth. 6. *Lucem habitat inaccessibilem, quam nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Scilicet in hac vita.

Respondeo ad locum Ioan. nullum, nec etiam Moysem, vidisse essentiam Dei, quoad omnia mysteria quæ Christus nobis in lege gratiæ revelavit; & ideo convenientissimum fuit, ut Verbum, quod est in sinu Patris, ubi omnia comprehensivè videt, nobis secreta cœlestia, & novæ legis arcana revelaverit, quæ etiam Angelos Dei faciem videntes latuerunt. Excluditur ergo Moyses à visione, non solùm comprehensiva divinæ essentiæ, sed etiam à visione ita plena, ut omnia quæ ad legem gratiæ pertinent, agnoverit.

Ad locum Exodi respondeo verum esse, quod tunc denegata fuit Moysi intuitiva visio; sed inde non probatur, semper fuisse negatam. Vnde non colligimus hac gratia fuisse donatum Moysem, ex eo quod in eodem capite 33. Exodi dicitur de Moyse, quod loquebatur ei Dominus facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum; nam solùm colligit D. Thom. *loc. cit.* q. 174. *art.* 4. tum 1. 2. q. 98. *art.* 3. *ad* 2. ex vi illius loci habuisse eminentem contemplationem: sed hoc solùm colligimus cum D. Th. ex loco Numeri citato, quod ita dilucidè distinguit S. Doctor in secunda secundæ, loco mox citato, ut mirum sit modernum Annotatorem aliàs doctissimum de hoc ambigere, cùm semper S. Doctor Paulum & Moysem pares faciat. Quæstione autem 98. 1. 2. suprà relata, asserit solùm Moysi excellentem contemplationem infra visionem Dei ex vi loci illius capitis Exodi, ut dixi, & apertissimè insinuat 2. 2. *cit.* Ad ultimum locum ex Apostolo desumptum, dico intelligendum esse vel de visione comprehensiva, vel de via ordinaria sine privilegio. Et sanè nisi interpretemur illum locum, probaret Beatos in patria non videre Deum.

Dices: Si Paulus vidit essentiam Dei, amisit fidem mysteriorum Dei, quæ est incompatibilis cum clarâ visione: Atqui non est verisimile, Paulum amisisse fidem, quamdiu fuit in hoc mundo: Ergo non habuit claram visionem Dei in hac vita.

Respondeo cum D. Thom. *ibid.* 2. 2. *cit. quæst.* 175. *art.* 3. *ad* 2. Paulum habuisse lumen gloriæ, non per modum formæ permanentis, sed per modum passionis transeuntis. Vnde licèt tunc simul cum visione non habuerit actum fidei, fuit tamen in eo simul fidei habitus; sicut enim in lapide cum gravitate habituali potest esse levitas actualis, seu motus sursum; ita cum habitu fidei non est incompossibilis actus claræ visionis.

Vrgebis: Ex his sequeretur, Paulum etiam peractâ visione non potuisse elicere actum fidei circa mysteria visa, quæ se vidisse utique recordabatur, ut ipse attestatur; sicut qui recordatur se vidisse Romam, non potest habere fidem de existentia Romæ.

Respondeo, vel Paulum videndo divinam essentiam non vidisse omnes articulos fidei, ad quos non visos potuit se extendere ipsius fides, & circa illos exercere; vel etiam dicendum, potuisse exercere actus fidei circa omnia mysteria, quia peractâ visione non mansit in Paulo habitualiter lumen gloriæ, in quo differt ab illo qui vidit Romam, qui statim perdidit fidem, quia unico visionis actu producta in ipso fuit habitualis cognitio certa & infallibilis, opposita habitui fidei: sicut unico demonstrationis actu producitur scientia.

Quæres, quid opus fuerit, ut Paulus viderit essentiam Dei?

Respondeo cum D. Thom. *cit.* 2. 2. q. 174. *art.* 4. necesse fuisse, ut ejus intellectus abstraheretur à sensibus; quia cùm essentia divina excedat omnem intelligibilem creaturam, ad eam in hoc statu videndam requiritur, ut tota mentis intensio illuc advocetur; quod tamen non erit necessarium in intellectibus beatis post reassumpta corpora, nec erat in Christo hanc vitam mortalem agente; quia in illis fiet redundantia ex intellectu ad inferiores vires usque ad corpus; unde ex vi visionis sensus non solùm non impedientur, sed magis perficientur ad eliciendas suas operationes; quæ sanè redundantia non fuit in Paulo. In Christo verò subdebantur perfectissimè vires inferiores superiori, & miraculum erat quod suspenderetur gloria corporis, ut propter nos pateretur: unde sicut non utebatur phantasmatibus ex necessitate, ita nec ab illis debebat abstrahere. Paulus verò, sicut nos, ex necessitate utebatur ad intellectionem actibus potentiarum sensitivarum. An autem anima Pauli fuerit à corpore separata, ignoravit ipsemet Apostolus, dum professus est se nescire, an id in corpore, vel extra corpus contigerit. Et quamvis Doctores communiter credant Paulum non fuisse mortuum, quia nimirum non est necesse, quod in raptu fiat abstractio à viribus animæ vegetantis, quæ non operatur ex intentione animæ sicut vires sensitivæ, sed per modum naturæ; unde etiam in dormientibus, cessantibus sensitivis semper exercet suos actus: tamen in his magis conjecturaliter quàm per certitudinem loquimur, ut ait S. Thom. 2. 2. q. 175. *art* 6. *ad* 1. & , *dubitante de hoc Apostolo, quis nostrûm inde certus esse audeat?* ait August. *lib.* 12. *sup. Gen. ad litt. cap.* 8.

Quæres rursus: Vtrum hoc privilegium concessum fuerit aliis à Paulo & Moyse?

Respondeo ex Scripturis de nullo alio constare: nam quod illud alicui tribuunt Adamo in illo sopore immisso, quando Deus produxit Evam ex costa ejus, non est verisimile; ille enim sopor vel fuit somnus naturalis, vel ad summum ecstasis multis aliis Sanctis communicari solita. Quod verò illud nonnulli asserunt D. Benedicto in illa visione, in qua, ut refert D. Greg. *lib.* 2. *dial. cap.* 35. vidit fusam lucem desuper tanto splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset, & in qua totus mundus velut sub uno solis radio collectus ante oculos ejus adductus est; non est etiam probabile: tum quia D. Gregor. hæc referens senrit nulli, etiam Paulo datum fuisse hoc privilegium: tum quia, ut ait D. Thom. *quodlib.* 1. *art.* 1. quando visionem illam vidit Benedictus, nec mortuus erat, nec à sensibus alienatus, unde alium ad id videndum advocavit, ut refert Gregor. ibidem; quæ tamen alienatio requiritur, ubi non est mors. Vnde solùm intelligitur de gratia singulari, & extraordinaria illustratione. De Beatissima verò Virgine Maria, licèt non inveniatur apertè in sacris Paginis, quia tamen juxta receptam Catholicorum omnium sententiam asserendum est Deiparæ quidquid aliis invenitur concessum, piissimum est credere istud privilegium haud esse illi negatum, vel in momento Incarnationis Verbi, vel alio. Deus scit.

REFLEXIO.

Si ad Deum in hoc corpore videndum mentis à sensuum usu avocatæ alienatione, & veluti morte opus est,

est, juxta illud, *Non videbit me homo, & vivet;* hinc planè colligitur nos divina contemplari, & multò minùs pati, & suavi experimento prægustare minimè posse, quamdiu terrenis dediti, præsentium voluptatum blanditiis delinimur; delicata etenim est divina consolatio, nec patitur extraneam, ut ait D. Bernard. *Renuit*, inquit Propheta, *consolari anima mea, & delectatus sum.* Opportunè Gregor. lib. 18. Mor. cap. 37. *Quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vita funditus moritur, ne jam ejus amore teneatur; nullus quippe eam videt, qui carnaliter adhuc vivit, quia nemo potest Deum simul amplecti & sæculum: qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quo vel intentione cordis, vel effectu operis ab hujus vitæ delectationibus tota mente separatur. Vnde & Paulus Apostolus, qui adhuc Dei invisibilia, sicut testatur, ex parte cognoverat, etiam huic mundo totum se esse mortuum perhibebat, dicens: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.*

CAPVT II.

De incomprehensibilitate, & ineffabilitate Dei.

EX eo quod divina perfectio supernaturaliter videri possit, oritur difficultas, an possit etiam comprehendi? ideo de Divina incomprehensibilitate agendum est. Et quia unumquodque nominamus prout cognoscimus, ideo sermonem de ineffabilitate Dei annectemus.

SPECULATIO I.

Beati quantumvis clarè Deum intuentes, ipsum tamen comprehendere non possunt.

INcomprehensibilitatem Dei clarè docet Scriptura, Ierem. 32. *Dominus exercituum incomprehensibilis cogitatu.* Consonant Patres. Gregor. lib. 10. Mor. cap. 7. *Cum ad incircumscriptum lumen vel humana, vel Angelica mens inhiat, eo ipso quo est creatura, coangustat, & ejus fulgorem comprehendere nec dilatata sufficit.* Idem docent alii Patres, qui ex eo probant divinitatem Spiritus sancti, *quia omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* 1. Cor. 2.

Probatur ratione D. Thom. In tantum intellectus beatus essentiam divinam perfectiùs vel minùs perfectè cognoscit, in quantum majori, vel minori lumine gloriæ perfunditur, ut dicemus infrà. Sed lumine gloriæ in quocunque intellectu recepto non potest comprehendi divina essentia: Ergo. Probatur minor: Lumen gloriæ in quocumque intellectu creato receptum non est, nec potest esse infinitum, saltem infinitate adæquante, & exhauriente cognoscibilitatem Dei, aliàs esset actus purus: Atqui Deus non potest comprehendi, seu cognosci quantum cognoscibilis est, nisi per lumen infinitum infinitate adæquante divinam cognoscibilitatem: Ergo quocumque lumine producto, vel producibili, non potest Deus comprehendi. Et observa, quod hæc ratio præscindit à quæstione de possibilitate infiniti creati, quæ sub opinione est; veritas autem de incomprehensibilitate Dei est omninò certa, & fundatur in hoc, quod ut aliquid comprehendatur, tanta debet esse virtus cognoscitiva, quanta objecti cognoscibilitas; nulla verò via cognoscitiva creata adæquare potest divinam immaterialitatem & cognoscibilitatem.

Objicies: Beatus videt Deum intuitivè, & quidditativè, ita ut nihil sit formaliter & necessariò in Deo, quod lateat; rei namque simplicissimæ, & actua puri totum, vel nihil videtur: Sed tunc aliquid comprehenditur, quando ita videtur, ut nihil lateat videntem, ut ait August. *epist.* 112. *cap.* 27. Ergo Deus à Beatis comprehenditur. Nec satisfacit si dicatur, Beatum videre totum quod est in Deo, sed non totaliter; nam si videtur in objecto quidquid est visibile, quid impedit quominus totaliter videatur?

Respondeo, quod licèt Deus totus videatur, non tamen comprehenditur; quia ut aliquid comprehendatur, debet videri quantum naturaliter visibile est; quandiu enim nõ ita cognoscitur, nondum apparet, nec manifestatur perfectè & totaliter cognoscenti: sicut si propositio aliqua demonstrabilis (est exemplum D. Thom. hîc) per rationem probabilem cognoscatur, nihil est in propositione, quod lateat, nec subjectum, nec prædicatum, nec copula; non tamen illa propositio comprehenditur, quia non cognoscitur quantum cognoscibilis est. Ita similiter quidquid est in Deo, Beatus videt; sed modus objecti non est modus cognoscentis, idest modus intellectus in intelligendo, non pertingit ad illum modum, quo Deus naturaliter petit cognosci, scilicet infinito modo. Hac de causa D. Chrysost. *hom.* 3. *cont. Anom.* manifestationem divinæ essentiæ *condescensum* vocat, quia nimitum accommodatur, & veluti attemperatur divina essentia intellectui Beato, qui eam non videt quantum visibilis est.

Dices: Non est necesse, ut Deus comprehendatur, quod videatur modo perfectissimo, quo videri potest, aliàs nullus Angelus posset comprehendere creaturam, quia nullus eam cognoscit ita perfectâ notitiâ, quâ non possit dari excellentior, vel quæ accedat ad divinam. Angelus etiam inferior non cognoscit formicam modo æquè perfecto, nec specie ita universali, sicut superior.

Respondeo, rationem D.Thom. non fundari in hoc, quod ad notitiam comprehensivam requiratur cognitio omnium possibilium perfectissima; sed in hoc quod debeat dari cognitio adæquans, & correspondens entitati & immaterialitati objecti cogniti. Licèt autem Angelus inferior non ita perfectè cognoscat formicam ac superior; tamen cognitio inferioris Angeli non adæquat modò cognoscibilitatem ejus formicæ, sed longissimè antecellit. At verò nulla vis intellectiva creabilis assequi potest infinitam puritatem divinæ cognoscibilitatis.

Ex his sequitur, Beatos non posse videre omnes creaturas possibiles. Probatur ex art. 8. D. Thom. Beatus non potest cognoscere omnes creaturas possibiles in essentia divina, nisi divinam omnipotentiam comprehendat, subindeque ejus essentiam; neque enim potest cognosci effectus alicui virtuti adæquatus, eâ non comprehensâ, præsertim si effectus in ipsa causa intelligatur, seu intus legatur, & ex vi penetratæ essentiæ cognoscatur. Et certè, si tanto magis penetratur causa, quanto plures ejus effectus cognoscuntur; & tantò meliùs intelligitur principium, quanto in eo plures introspiciuntur conclusiones; relinquitur quod si omnes cognoscantur, ad intimum veluti fundum causæ devenitur.

Præsertim quia Deus potest infinita producere sese in perfectione excedentia, unde ad illa omnia cognoscenda opus esset lumine infinito, imò omnium possibilium perfectissimo; siquidem per illud cognoscerentur clarè omnia possibilia, ac proinde omnia lumina gloriæ possibilia, si autem non esset possibilium perfectissimum, quomodo omnia possibilia cognoscere posset? Illud enim possibile lumen, cui in perfectione cederet, utique non cognosceret: repugnat verò Deum producere lumen, quo non possit perfectius producere, & quo producto, sua exhauriatur omnipotentia: Ergo

Ergo etiam repugnat lumen, quo omnia possibilia cognoscantur.

Dices: Beati vident terminum adæquatum potentiæ generativæ Patris; & tamen hanc non comprehendunt: Ergo non benè intulimus, essentiam divinam à Beatis comprehensum iri, si in ea omnia possibilia attingerentur.

Respondeo, Beatos cognoscentes Divinum Verbum, non ipsum videre comprehensivè, & quantum visibile est; unde non cognoscunt terminum potentiæ generativæ quantum cognoscibilis est: At ille qui videret in divina essentia creaturas omnes possibiles, videret adæquatum terminum divinæ omnipotentiæ quantum cognoscibilis est ex natura sua, nec alio modo Deus videt adæquatum illum terminum: unde est magna differentia.

REFLEXIO.

Eruditè observavit D. Thom. Beatos, ex eo quod Deum non comprehendant, non solùm non esse anxios vel sollicitos, sed potiùs inde fieri ut nullum eis beata visio fastidium pariat. Pulchriora sunt verba ejus, quàm ut non exscribantur: *Nihil* (inquit lib. 3. cont. gent. cap. 62. rat. 8.) *quod cum admiratione consideratur, potest esse fastidiosum, quia quandiu sub admiratione est, adhuc desiderium manet. Divina autem substantia à quolibet intellectu creato semper cum admiratione videtur, cùm nullus intellectus creatus eam comprehendat.* Sic nos forte nostra contenti simus, & cùm prospero fortunæ flatu utentes ad exitus optatos provehimur, non extollamur; nec cùm reflat, ægrè feramus. Sic quantumvis varia sit instabilisque vitæ nostræ ratio, in vaga eventuum omnium volubilitate placidissima pace fruemur, & sola Dei voluntate contenti, illud æquo pacatoque animo cum Psalmista decantabimus: *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Et iterum: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Vbi bis paratum cor suum contestatur, quia quòcumque volvere, sive ad prospera, sive ad adversa Deus voluisset, æquo animo ferre paratus erat. Vnde rectè Hugo Cardinalis *in Psalm.* 107. ait: *Paratum cor meum ad adversa, paratum ad prospera; paratum ad humilia, paratum ad sublimia; paratum tibi Domine vacare, paratum proximo ministrare; paratum ad omnia quæcumque præcipis, unde non semel, sed secundò dicitur paratum.* Nisi mavis dicere cum altero Hogone, scilicet Victorino, lib. 2. de claustr. animæ: *Bis dicit paratum, id est intus ad cogitandum recta, foris ad faciendum utilia; interiùs in mente, & exteriùs in operatione.*

Adoranda etiam est, & totis viribus extollenda hæc divina incomprehensibilitas, ut quam Beati visione non pervadunt, hanc humili fide complectamur. Nam ut altè dixit Hilar. *lib.* 1. *de Trinit.* præcipuum munus & officium quod Deo præstare possumus, aliud non est, *quàm ut tantum eum esse intelligamus, quantus & intelligi non potest, & potest credi.* Vbi vides, fidem visione quodammodo capaciorem; quod enim non capit visio, hoc fides credit; & incomprehensibilitatem quam non penetrant Beati, fideles confitentur, & adorant. Hanc ineffabilem perfectionem, quâ sedet Deus super Cherubim, & sub qua curvantur qui portant orbem, profundè veneremur, certóque teneamus Dei perfectiones aliter esse in se, quàm cogitamus; nam non solùm auro, aut argento, aut sculpturæ artis, sed etiam *cogitationi hominis non debemus æstimare divinum esse simile,* Actor. 17. Quàm multi falluntur! dum divinam justitiam, vel misericordiam suo modo apprehendunt & confingunt, non ut sunt in se, & prout in Scripturis revelantur. Vnde meritò dixit Oseas 4. *Non est scientia Dei in terra.* Et quidam apud Dionysium Carthusianum: *Nemo credit, quàm exactè judicat, quàm severè condemnat.* Et Paul. Rom. 2. *Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus!* Et idem dicendum de aliis attributis. Hinc Sancti de eis non nisi cum formidine sermonem habent: *Lingua, & mente, & cogitatione horresco* (ait Nazianz. orat. in sanct. lumin.) *quoties de Deo sermonem habeo.*

SPECULATIO II.

Deus est ineffabilis, nec potest ipsi nomen quidditativum imponi à viatoribus, nec à Beatis: tamen multa adhibentur nomina ad ejus perfectionem declarandam.

Prima pars constat ex Scripturis, & Patribus. Iudic. 13. Manue quærenti, *quod est tibi nomen, ut honoremus te?* Respondit Angelus in persona Dei, *Cur quæris nomen meum, quod est mirabile?* Quod verò Angelus loquutus sit vice Dei, patet ex his quæ subjungit Manue: *Vidimus Deum.* Et primum nomen, quod Verbo Incarnato tribuit Isaias *cap.* 9. est quod *vocabitur nomen ejus Admirabilis.* Innuente Scripturâ divinam Majestatem potiùs à nobis esse admiratione suspiciendam, quàm verbis efferendam. Vnde August. *lib.* 7. de Trinit. c. 4. *Excedit supereminentia Divinitatis usitati eloquii facultatem; verius enim cogitatur Deus, quàm dicitur; & verius est, quàm cogitatur.* Et suâ solitâ subtilitate observat *lib.* 1. *de Doct. Christ. cap.* 6. quod cùm Deus dicitur ineffabilis, fit nescio quæ pugna verborum; quoniam si illud est ineffabile, quod dici non potest, non est ineffabile, quod vel ineffabile dici potest.

Ratio hujus primæ partis indicatur in secunda, & tertia, unde sic omnes simul comprobantur: Non potest Deo imponi nomen quidditativè illum significans, nec à nobis viatoribus, nec à Beatis: Ergo Deus est planè ineffabilis; sicut enim diceretur invisibilis, si non posset quidditativè videri, ita ineffabilis dicendus, si non possit quidditativè exprimi. Probatur antecedens: & quidem quod non possit à nobis quidditativè Deus nominari, ex eo patet, quia nomina significant res mediante conceptu; secundùm enim quod res cognoscimus, eas nominamus; cùm igitur nullus viator cognoscat Deum, ut in se est, sed ex creaturis, relinquitur quod nullum nomen quidditativum Deo imponere possit. Vnde pulchrè August. in Psalm. 85. *Quid quæris, ut ascendat in linguam, quod in cor non ascendit?*

De Beatis verò idem ostenditur, quia licèt Deum videant quidditativè, tamen ex illa visione non producunt verbum; audiunt enim arcana Divinitatis, sed non licet homini loqui, ut ostendemus infrà: Ergo non possunt nominare Deum quidditativè. Probatur consequentia: Non imponuntur nomina nisi loquendo; vox autem exterior est verbi interni nota, & expressio: Ergo ubi non formatur verbum, non profertur etiam nomen quidditativum. Et hoc maximè verum est in beatis spiritibus, qui non loquuntur nisi dirigendo verbum conceptum; ubi verò nullum concipitur, quomodo dirigitur, & veluti transmittitur? Vnde ex vi visionis possunt solùm extra verbum producere aliquam Dei similitudinem in specie creata relucentem, longè quidem perfectiorem iis quas habemus in via, sed Dei quidditatem non exhibentem.

Confirmatur: Beatus in visione beata non potest proferre nomen, neque sibi, neque alteri Beato. Non sibi, quia omnia manifestantur sibi per essentiam unitam, Deo supplente vicem verbi. Non alteri Beato, quia

si posset aliquid ei manifestare intra visionem in essentia Dei, quod antea latebat, posset augere ejus visionem & beatitudinem; eo enim major est visio, quo plura in essentia divina penetrantur: Consequens est apertè falsum: Ergo nullum Deo imponitur nomen quidditativum in patria.

Objicies: Viatores possunt proferre aliquod nomen, quod excitet in Beatis conceptum quidditativum Dei, sicut Rex potest imponere nomen civitati, quam nunquam vidit; quo audito qui eam videtunt, statim eam quidditativè intelligent. Sufficit verò ad nomen quidditativum, ut ille qui audit, intelligat rem significatam. Et hoc à fortiori videtur concedendum de Beatis, qui sicut Deum clarè cognoscunt ut est in se, ita possunt illi nomen quidditativum apponere, cùm res nominemus sicut cognoscimus: & ita indicat D. Thom. *in 1. dist. 2. q. 1. art. 3.* dicens: *Si intellectus noster De im per seipsum videret, illi posset imponere nomen unum, quod erit in patria; & ideo dicitur Zach. ultim. In illa die erit Dominus unus, & nomen ejus unum. Illud antem nomen unum non significaret bonitatem tantum, nec sapientiam tantum, aut aliquid hujusmodi; sed significata omnium istorum includeret.*

Respondeo, ad rationem veri nominis, & maximè ad impositionem illius requiri, quod ex ipsa notitia loquentis procedat; & ideo Protoparenti, cui infusa erat rerum omnium perfecta notitia, demandatum est jos condendorum nominum; aliàs psittacus vera nomina proferret, quia licèt non intelligat quæ effutit, excitat tamen in audiente cognitionem rei, cujus nomen profert. Quod si tamen quis contendat ad rationem nominis sufficere, ut excitet in audiente notitiam rei, non potest esse in hoc nisi de voce controversia.

Quoad Beatos verò idem dicendum, quia cùm non producant verbum ex vi visionis, non producunt etiam nomen, quia in spiritibus nomen est ipsum verbum directum & ordinatum. Solùm ergo formant nomen unum in patria, non ex vi visionis, sed extra visionem, sicut dum Paulus recordabatur eorum quæ viderat; non tamen potest dici illud nomen quidditativum, quia non est partus conceptionis quidditativæ. Hanc esse mentem D.Thomæ patet ex his, quæ verbis in objectione relatis subnectit: *Sed tamen si intellectus videns Deum per essentiam, imponeret nomen rei quam videret, & nominaret mediante conceptione, quam de ea habet, oporteret adhuc quod imponeret plura nomina* (utique extra verbum, quia intra illud non sunt volubiles cogitationes) *quia impossibile est, quod conceptio intellectus creati repræsentet totam perfectionem divinæ essentiæ.* Manifestè ergo dissolvitur fundamentum oppositæ sententiæ, quæ dicit quod sicut Deum cognoscunt Beati, ita & nominant; cùm asserat S.Doctor, quod mediante cognitione in Verbo non possunt imponere nomen unum.

Vltima pars indiget solùm expositione. Itaque licèt Deus sit simplicissimus, potest tamen diversis nominibus explicari, quia eminens Dei perfectio unico nequit conceptu repræsentari; onde sicut à multis perfectionibus creatis exprimitur, ita variis & multiplicibus conceptibus attingitur, & nominibus declaratur. Vnde dicitur communiter, quod Theologi in Dei natura indaganda imitantur artem tum sculptoris lignum continuò resecantis & runcinantis, donec appareat effigies; tum pictoris, colorum varietate tabellam adornantis. Cui affinis est illa doctrina Dionys. *lib. de myst. Theolog. c. 2.* docentis Deum à nobis triplici via cognosci. Primò per viam remotionis, elongando ab ipso omnem creatæ imperfectionis labem. Secundò vià affirmationis, quâ quidquid bonitatis in creaturis sparsum occurrit, colligimus, ut Deo asseramus; qui modus dicitur etiam via causalitatis, quia omnes creatorum effectuum dotes primæ causæ attribuimus. Tertiò viâ excessus, quâ omnes creatæ perfectiones defæcatæ, & ab omni nævo mundæ, Deo altiori modo ascribuntur. Illi triplici cognoscendi modo, triplex genus nominum correspondet; nam aliqua removent imperfectiones, ut incorporeus, immaterialis, impeccabilis; alia exprimunt perfectionem primæ causæ, ut Dominus, Omnipotens, Salvator, Provisor; alia denique perfectionis excellentiam denotant, ut superbonus, superessentialis, ut loquitur Dionysius. Hinc quidam Antiquus dicebat, Deum esse πανώνυμον καὶ ἀνώνυμον, quia omnium nominum significata eminenter continens, nullo potetat nomine satis declarari.

Reflexio.

Eadem arte qua Theologus Dei perfectionem inceffabilem profitetur, utamur & nos, ut ad Christianam solidamque pietatem perveniamus. Et priùs, quidquid in nobis asperum, quidquid est sordescens, veluti spirituali runcina expoliamus, juxta illud: *Exercitabar, & scopebam spiritum meum.* Ac deinceps animum omnigena virtutum venustate decoremus. Observare spiritualiores Partes, quamplures pietatis specie è putido peccatorum cœno vix emersos, statim ad divinos complexus aspirare. Sed multùm falluntur; sistendum est paululùm (inquit S. Franciscus Salesius) circa pedes Salvatoris cum Magdalena, antequam osculetur nos Sponsus osculo oris sui. Et divinè Bern. serm. 3. in Cant. *Nolo repentè fieri summus, paulatim proficere volo. Quantum displicet Deo impudentia, tantum pœnitentis verecundia placet. Altiora te ne quæsieris: longus saltus, & arduus est de pede ad os. Quid enim recenti adhuc pulvere respersus, ora sacra continges? Heri de luto tractus, hodie vultui gloriæ præsentaris. Per manum tibi transitus sit: illa primùm te tergat, illa te erigat. Quò eriget? dando unde præsumas. Quid istud? Decor continentiæ, & pœnitentiæ fructus.* Et infrà: *Hac via ad contemplationem, hic ordo: Primò ad pedes procedimus, & ploramus coram Domino, qui fecit nos, quæ fecimus nos. Secundò manus quærimus sublevantis, & roborantis genua dissoluta. Postremò cùm ista multis lachrymis & precibus obtinemus, tum demùm audemus forsitan ad ipsum os gloriæ caput attollere (pavens & tremens dico) non solùm speculandum, sed etiam osculandum.* Absque hac arte non pietas, sed impudentia gignitur, & funditus tollitur sacer ille timor & tremor, in quo Apostolus salutem præcipit operari.

Speculatio III.

Tria sunt præcipua supremi entis nomina, scilicet Deus, Qui est, & Iehova, seu Tetragrammaton.

Explicantur singula: Circa primum observandum, nomen Dei impositum esse ab universali rerum providentia; omnes enim loquentes de supremo numine, hoc intendunt nomine Dei. Vnde dicit Dionys. *cap. 12. de Divin. nom.* quod Deitas est, *quæ omnia videt providentia.* Vnde ex operatione Dei assumptum est illud nomen ad significandam ipsam naturam; nam per illud intelligimus ens super omnia existens, super cuncta erectum & eminens, rerumque universarum principium; hoc enim intendunt qui Deum nominant.

Quoad secundum nomen, scilicet *Qui est*, quod sibimet imposuit ipse Deus *Exod. 3.* dum Moysi quærenti, *Si dixerint mihi quod est nomen ejus, quid dicam eis?* Respondit, *Sic dices: qui est, misit me ad vos:* docet D.Thom. *art. 11.* esse Deo maximè proprium: tum quia significat ipsum esse subsistens, quod est Dei essentia,

essentia, modo fusè suprà explicato: tum quia illud nomen est universalius, nec determinat aliquam perfectionem particularem; sed est, ut ait Divus Damasc. *lib.* 1. *de fid. cap.* 2. velut quoddam *pelagus substantiæ infinitum, & indeterminatum.* Tum demùm, quia illud nomen significat esse in præsenti, & hoc maximè de Deo dicitur, cujus esse non novit præteritum, vel futurum, ut ait August. unde Apoc. 1. dicitur: *Pax vobis ab eo qui erat, qui est, & qui venturus est.* Quartam rationem addit D. Bernard. serm. 4. in Cant. *Sanè esse omnium dixerim Deum, non quòd illa sint quod est ille, sed quia ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.*

De tertio nomine, scilicet Tetragrammaton, quod erat ita sacrum & reverendum apud Iudæos, ut illud nunquam proferre auderent, & quoties inter legendum occurrebat, mutabant illud, aliudque substituebant, sic dictum est, quasi *quadrilitterum*, quia quatuor litteris constabat, Jod, he, vau, he, quas sic exprimunt Hebræi, יהוה Docet verò D. Thom. art. 11. ad 1. nomen illud esse Deo propriissimum, quia significat ipsam Dei substantiam singularem. Sunt quidem aliqui, qui confundunt hoc tertium nomen cum secundo; sed D. Thom. post D. Hieronym. *epist.* 136. aliosque Linguæ sacræ peritos, distingui docent, quanvis ab eo derivari non negent.

Sed adverte, nomen Tetragrammaton, quod D. Hieronymus *ineffabile*, Damasc. *ineloquibile*, Theodoret. *indicibile* appellant, esse adhuc valde ignoratum, & vix de ejus pronunciatione constare, cùm illud SS. Patres variè enuncient. Nam Irenæus illud *Iodiod* vocat: Clemens Alex. *Ivo.* Et quanvis receptum sit apud recentiores Hebræos, & hebraïzantes, nomen Tetragrammaton non aliter esse pronunciandum quàm *Ihova*, vel per contractionem *Iova*, unde deductum putant nomen Iovis, quem gentes pro summo Deo coluere: contendit tamen Doctissimus Genebrardus in secunda editione commentariorum in Psalmos, *præfat. ad Lector.* nomen illud neque esse Hebraïcum, neque Christianum, utpote ignotum eruditis omnibus, qui ante centum annos inter Hebræos vel Christianos floruerunt, quanvis plures integros libros de nominibus Dei Latinè, Græcèque scripserint. Cui consonat Cardinalis Bellarminus Hebraïcarum litterarum peritiâ clarus.

Mitto alia pleraque nomina, qualia sunt illa quæ recenset S. Hieronym. *epist. ad Marcell.* scilicet *El*, Deus fortis; *Eloha*, Deus gubernans; *Elohim*, in plurali, idest, Iudices, quod legitur in capite 1. Geneseos, ut sciant homines initium sapientiæ esse timorem Domini omnia judicantis, & à nomine Iudicia primò nominati: *Elion*, Excelsus; *Adonai Sabaoth*, Dominus exercituum; *Ia*, supremum numen; *Sadai*, sibi sufficientissimus, & in alios exuberans. Mitto alia plura, quæ exponit D. Dionysius *in lib. de Divin. nominibus*; quia licèt Deus sit *omninomius*, reverà tamen est *innominabilis*, ut ait Gregor. Theologus.

Reflexio.

Deus incircunscripta perfectionum varietate ornatus unicum sibi nomen imposuit, nempe *Qui est*: homo nudus & inops, turgentes titulos, honorificas inscriptiones, insignia lemmata, tesseras gentilitias, & epitaphia ambit avidissimè, & joxtà vanissimè. Sed quid prodest titulus sine re? Quid emolumenti affert animalculo cuidam minimo ampullatum cameleontis nomen, quo audito aliquid majus leone cogitares, ut acutè prosequitur Tertul. *lib. de pall. cap.* 3. Sciant superborum nominum amatores, quod *nomen impiorum putrescet*, & sicut eos Deus nescit, sic nec eos nominat. Pulchrè observat Gregor. Christum divitem epulonem non nominasse, sed pauperis Lazari nomen non tacuisse. Luc. 16. *Notandum*, inquit, *quia in populo plus solent nomina divitum, quàm pauperum sciri; Dominus autem nomen pauperis dicit, & nomen divitis non dicit, quia Deus humiles novit atque approbat, superbos ignorat. Gaudete & exultate*, ait Veritas, *quia nomina vestra scripta sunt*, non dixit, in columnis marmoreis, in palatiorum propilæis, & frontispiciis, non in platearum obeliscis, & pyramidibus, non in trichiniorum stromatibus & tabellis, sed *in cœlis.*



DISSERTATIO VI.

Faustissima beatæ visionis materia declaratur.



QUIA Deus, tametsi naturâ invisibilis, supernaturaliter tamen visibilis est, & ut ait Anselmus: *Deus inaccessibilis cùm sit nostris viribus, acceditur ad eum suis muneribus*; ideo naturam divinæ visionis explicare conandum est. Quanvis enim hæc fortunata scientia Sanctorum desiderari possit, explicari non possit, ut ait August. utile tamen est, & frequenter cogitare, & diu loqui de felici & securo illo statu, ubi totum nostrum bonum stat, & nihil fluit: ubi nec dignitas typhum, nec inæqualitas zelum, nec familiaritas contemptum, nec assiduitas fastidium, nec veritas odium parit: ubi est perpetuò flos juventutis, qui non marcescit; decor pulchritudinis, qui tabescit; vigor sanitatis, qui non hebescit; torrens voluptatis, qui non arescit; ardor charitatis, qui non tepescit; æternitas gaudii, quæ non veterascit. Tria autem considerabimus, quibus totam hanc uberrimam materiam complectemur. Primò principia beatæ visionis inquiremus. Secundò ejus inæqualitatum, inæqualitatisque radicem vestigabimus. Tertiò objectum illius contemplabimur; ampliora, quæ desiderari possent, in materia de beatitudine, vel de gloria Sanctorum tractaturi.

CAPUT I.

De gemino visionis principio, specie, & lumine gloriæ.

DUo necessariò ad quamcunque cognitionem concurrunt: alterum, ipsum objectum per se, vel per speciem sui vicariam: alterum, lumen intellectus, vel naturale, vel infusum. Utrum sigillatim speculemur.

Speculatio I.

Ut Deus intuitivè videatur, necessum est ut essentia divina uniatur intellectui immediatè in ratione speciei impressæ; repugnat enim creata in visione.

PRima pars explicatur, & probatur: Ut Deus videatur ab intellectu beato, necesse est ut essentia divina uniatur intellectui per modum objecti cognitis nam ex communi Philosophorum doctrina, quam etiam

etiam tradit August. lib. 9. de Trinit. cap. 12. *Ex objecto, & potentia pariter notitia*, sicut ex mare & fœmina gignitur fœtus; idest, ad hoc ut intellectus aliquid cognoscat, requiritur quod objectum intelligibile uniatur potentiæ intellectivæ; objectum enim debet esse præsens intellectui, qui in hoc differt à voluntate, quia hæc trahitur ab objectis, juxta illud August. *Amor meus pondus meum, eo feror quocunque feror?* Intellectus verò trahit res ad se, & illis debet assimilari, juxta axioma Aristotelis, *Intellectus intelligendo fit omnia*: quod fit beneficio specierum, quibus intellectus veluti in objecta transformatur: Atqui essentia divina non unitur intellectui beato per ullam speciem creatam: Ergo ipsamet essentia divina intellectui unitur seipsâ immediatè in ratione objecti.

Major supponitur vera, nisi velimus funditùs evertere principia, quæ traduntur *in lib. de Anima.* Minor probatur: Ideo requiritur species in intellectu nostro ad cognoscendum aliquod objectum, quia si est materiale, debet dari species spiritualis, in quo reluceat, per quam intellectui spirituali objiciatur; si verò sit spiritale, requiritur etiam species, ut sit præsens, quia nullum ens creatum potest illabi menti nostræ, ut dicetur dum de Angelis, & ideo opus est specie objecti vices gerente: Atqui Deus est summè immaterialis, & intimè præsens intellectui, imò ipso intimo intimior: Ergo seipso immediatè, & non per speciem unitur intellectui beato. Et certè si lux non videtur ab oculo per ullam speciem, quia seipsâ visibilis est, & ratio videndi alia, multò magis Deus, qui pura lux est, & *tenebræ in eo non sunt ullæ*, seipso videbitur, & non per aliud, juxta tritum axioma, *quod est tale per se, non debet fieri tale per aliud.*

Secunda pars, quæ asserit repugnare omnem speciem creatam impressam, seu qualitatem aliquam quam Deus immittat, quæ sit Dei similitudo, qua fœcundatus intellectus Deum ut in se est, videat, sic probatur *ex art. 2.* Species debet convenire cum objecto in eodem gradu immaterialitatis & perfectionis, aliàs ipsum ut in se est non repræsentabit; & hac de causa per species materiales nunquam possumus intelligere quidditativè Angelum: Sed nulla species creata vel creabilis pertingere potest ad gradum immaterialitatis, qui Deo convenit, aliàs illa species esset actus purus: Ergo repugnat omnis species Dei repræsentativa.

Et hoc est quod intendit Sanctus Doctor, cùm ait: *Per similitudinem inferioris ordinis nullo modo superiora posse cognosci, sicut per speciem corporis non potest cognosci essentia rei corporeæ; multò igitur minùs per speciem creatam quamcunque potest essentia Dei videri.* Consultò autem dixit D. Thom. *ordinis inferioris*, quia benè potest species inferioris Angeli repræsentare superiorem; quia licèt Angelus inferior non sit æquè perfectus, quia tamen est ejusdem ordinis cum superiore, potest illum cognoscere intuitivè, imò & comprehensivè, ut suo loco monstrabitur.

Dices: Illa etiam species creata erit ordinis divini, hoc ipso quod erit supernaturalis, sicut sunt aliæ qualitates infusæ: quidni ergo per eam Deus repræsentari poterit?

Respondeo quod licèt possint dari qualitates ordinis divini & supernaturalis divinam naturam & perfectiones ejus participantes, non tamen repræsentantes divinam intelligibilitatem ut in se est, quia intelligibilitas divina est intelligibilitas actus puri & infiniti, quæ proinde non potest relucere in eo quod non est actus purus & infinitus. Quod penetrantiùs intelliges, si observes in Deo dari duo veluti genera perfectionum: aliæ sunt communicabiles, ut natura secundùm rationem principii divinarum operationum, scientia, sapientia, amor, misericordia, & hujusmodi: aliæ sunt omninò incommunicabiles, ut ratio actus puri, infiniti, entis à se. Divina autem intelligibilitas est hujus secundi generis, cùm sit ipsa Dei puritas & actualitas immaterialis; & ideo per nullam formam etiam supernaturalis ordinis exprimi potest, sed solùm à Verbo Divino, quod est splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris.

Aliæ duæ rationes, quas affert S. Doctor, sunt tantùm confirmationes præcedentis, & earum robur tale est: Deus est suum esse infinitum, incircumscriptum, & illimitatum: Ergo ejus natura clarè & visibiliter relucere non potest in specie, quæ est accidens finitum, & determinatum ad certam perfectionem. Potest quidem fieri, quod species sit imperfectioris entitatis quàm sit objectum, sicut species repræsentans Angelum est illo inferior, cùm illa sit accidens, iste substantia; tamen in ordine intelligibili ejusdem perfectionis debet esse species & objectum in esse repræsentativo, ut suppono ex Philosophia: Atqui repugnat omni enti creabili esse ejusdem perfectionis cum Deo, etiam in esse intelligibili, tum quia nulla creatura pertingere potest ad Dei purissimam immaterialitatem, tum quia esse intentionale in specie est aliquid reale, ipsi intrinsecum, fundatum in ejus puritate & immaterialitate; manifestum verò est, repugnare aliquam creaturam convenire univocè cum Deo in aliquo esse reali: Ergo repugnat omnis species Deum, ut in se est, repræsentans.

Objicies: Si essentia divina uniatur intellectui beato in ratione speciei & objecti fœcundantis intellectum, duo sequerentur incommoda; primùm essentiam divinam habere rationem formæ inhærentis, non solùm in esse intelligibili, sed etiam in esse naturali, cùm in Deo esse intelligibile, & naturale non distinguantur; secundò essentiam divinam concurrere activè ad visionem, species enim est complementum potentiæ, & principium quo intellectus noster intelligit: hoc autem repugnat, quia species quæ est principium *quo* intellectionis, subordinatur intellectui, qui est principium *quod* agit: implicat verò essentiam Dei creato intellectui subordinari.

Respondeo, essentiam divinam unitam intellectui non inhærere, sed veluti objectari; sicut enim in unione hypostatica Verbum unitum humanitati non ei inhæret, vel eam informat, sed solùm terminat & perficit: ita essentia divina intellectui Sanctorum conjungitur, non inhærens, sed complens per modum actus puri: & sicut eadem personalitas Verbi complet humanitatem in ordine ad agendum, non tamen est in potentia ad actiones humanas, nec subordinatur humanitati, sed potiùs eam sibi subjicit, & portat verbo virtutis suæ, tota potentialitate ex parte humanitatis se tenente: ita proportionaliter essentia divina complens & fœcundans intellectum concurrit ad visionem, nec subordinatur intellectui; quia concurrit ipsum movendo, non mota ab ipso, nec ipsa est in potentia ad visionem, sed solus intellectus. Per quod patet ad utramque difficultatem.

Reflexio.

Meritò dixit Ægidius Roman. doctrinam D. Thom. negantem speciem in visione beata, esse *divinitus inspiratam.* Quid enim divinius potuit excogitari ad intimam Beatorum cum Deo unionem declarandam, affectione illa, quæ Deum sine medio illo nobis illabi edocet? Quid etiam ad ciendos pios motus divinius esse potest? Attentè ergo considera, Lector, quod sicut surculus alteri arbori insitus eadem cum ipsa arbor efficitur; sicut aquæ gutta vini dolio immersa in vinum

vinum convertitur; sicut ferrum in fornacem conjectum totum igne pervaditur; sicut in duobus speculis ex adverso positis unum ita imaginem alterius recipit, à quo & vicissim sua recipitur, ut speculum repræsentans repræsentatum videatur, & è converso: ita similiter, si rectè vixeris, in Deum transformatus, Deus eris. Quid mirum? Si enim albedo facit album, justitia justum, numquid Divinitas immediatè communicata Deum efficiet? Sed ut sis Deus in altera vita per claram visionem, necessum est ut in hac per gratiam sis divinæ consors naturæ, & Deus per charitatem: ait enim August. *Si terram amas, terra es; si Deum amas, Deus es.* Amore priùs transi in Deum, ut per visionem ad te transeat Deus, & sic implebitur illud Cant.7. *Ego dilecto meo*, per amorem, *& ad me conversio ejus*, per intimum essentiæ suæ illapsum in patria. Quàm dulce commercium! Quàm suavis fluxus & refluxus! Quàm felix repercussus primæ lucis! in quo scrutator majestatis non opprimetur à gloria micanti sine nube, sine medio splendenti.

SPECULATIO II.

Beati in patria non producunt speciem expressam, nec possunt; sed eam divina essentia supplet.

PRior pars probatur, quia ideò nos producimus verbum mentis in intellectionibus ordinariis, ut in illo intelligamus objectum, quod non est semper actu unitum intellectioni nostræ: Sed Deus non solùm est intelligibilis respectu intellectus beati, sed etiam est semper intellectissimus, & præsentissimus: Ergo Deus non videtur in aliqua specie producta, sed in seipso, sicut lux seipsâ cernitur ab oculo. Unde D. Thom. *hic, artic. 2. ad 3.* ait, *Essentia divina unitur intellectui creato, ut intellectum in actu.* Et certè id videtur exigere ratio cognitionis immediatæ, qualis est visio beata, secundùm Patres; & ideo comparatur illi quâ videtur homo facie ad faciem: non esset autem visio immediata, si essentia divina non inspiceretur in seipsa, sed in verbo producto, in quo essentia Dei reluceret; nam ut ait D. Thom. *in 4. dist. 49. q. 2. art. 1. ad 15. Medium* in quo *tollit immediationem cognitionis.*

Posterior pars iisdem rationibus suadetur, quibus speculatione præcedenti impugnata est omnis species creata Deum intuitivè & quidditativè repræsentans: & sanè cùm species expressa non sit repræsentatio cognitionis Beati (aliàs esset cognitio reflexa) sed ipsius objecti, necesse est ut quidditativè repræsentet Deum ut in se est, quod habeat eandem intelligibilitatem & puritatem cum objecto quod in ipsa relucet: quod esse impossibile ostendimus, & proprium solius increati Divini Verbi, qui est candor lucis æternæ, splendor gloriæ & figura substantiæ.

Dices: Licèt essentia divina sit intellectissima in actu secundo respectu proprii intellectûs, non tamen respectu beati, qui incipit Deum videre; unde rationes D. Thomæ non videntur militare contra speciem expressam, quæ habet rationem termini producti per actionem intellectus; unde commensuratur intellectui cognoscenti, non objecto, cujus non est imago, prout est in se, sed prout est in cognoscente. Species verò impressa habet rationem principii intellectivi, & gerit vices objecti, cui proinde commensuratur, & cum quo convenire debet in eodem gradu immaterialitatis, modo essendi, & infinitate, cùm sit imago ab objecto immissa: Ergo est magna differentia inter speciem impressam, & expressam.

Respondeo, quod sicut persona divina, licèt ab æterno non terminet humanitatem, tamen quia est actus purus, immediatè eam in tempore terminat: ita essentia divina licèt non fuerit semper intellecta, tamen hoc ipso quod intellectui beato obversatur, statim est intellecta seipsâ sine specie expressa, quæ æquè repugnat ac impressa: nam species expressa, cùm sit imago impressæ, est etiam imago objecti, quam impressa repræsentat; imò species expressa meliùs, & ut sic dicam, vividiùs, seu actualiùs repræsentat objectum quàm impressa, quæ tribuit tantùm intellectui vim ad eam efformandam; & proinde si repugnet impressa, ita & expressa, eo maximè quod inintelligibile est, Beatum posse videre in specie expressa Deum quidditativè, nisi illa Deum quidditativè repræsentet. Quod repugnare convincunt rationes D. Thom. & æquè urgent contra omnem omninò speciem.

Instabis: D. Thom. docet infrà, *q. 27. art. 1.* quod *quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est notitia rei intellectæ ex vi intellectiva proveniens.* Quid expressius & formalius, propter universale signum, *quicumque intelligit*; propter additam reduplicationem, *ex hoc ipso quod intelligit*; propter ingeminatam reduplicationis causam, *ex vi intellectiva proveniens?* ut ponderat P. Nicolai *ibid.* quod universaliter verum esse addit *quæst. 4. de verit. art. 2.* de omni quod à nobis intelligitur, *sive per essentiam videatur, sive per similitudinem.* Et sanè id videtur exigere ratio actionis, quæ necessariò producit terminum, cùm sit productio & fieri termini, sicut non potest dari calefactio sine calore. Ita argumentatur Ferrariensis.

Respondeo, maximam illam D. Thom. *quicumque intelligit, &c.* veram esse secundùm distributionem accommodam, pro generibus singulorum, non pro singulis generum: id est, in omni natura intellectuali datur processio verbi; non tamen necesse est, quod detur in quolibet intelligente, vel in quacumque intellectione; nam Verbum Divinum licèt intelligat, non producit verbum: & hoc sufficit ad intentum D. Thom. qui probat Deum producere Verbum intra se, quia est naturæ intellectualis. In alio verò loco loquitur S. Doctor de cognitione rei per essentiam, quæ non est actus purus; sicut Angelus vel anima separata, licèt intelligant se per suam substantiam gerentem vices speciei impressæ, producunt tamen verbum.

Ad rationem subjectam dicendum, non requiri ut actio immanens, qualis est intellectio, semper producat terminum, sed solùm esse de ratione actionis transeuntis, qualis est calefactio: idque præsertim verum est, quando terminus, quem actio nata esset producere, suppletur ab alio: Cujus clarissimum exemplum habemus in mysterio Incarnationis, in quo actio generativa Beatissimæ Virginis, productiva humanitatis, non se extendit ad productionem personæ humanæ, quæ nata erat effluere; quia personalitate divina suppleta est, & ut loquuntur Patres, consumpta personalitas creata. Similiter unione divinæ essentiæ impeditur, & veluti consumitur verbum creatum, quod erat producendum.

Insistes: Non est minùs de ratione cognitionis producere verbum, quàm de ratione amoris spirare impulsum, quo feratur in objectum amatum: Atqui amor beatus, quantumvis habeat bonitatem divinam sibi præsentem, unitam, & conglutinatam; tamen producit impulsum, seu pondus in illam: Ergo similiter visio beata producit verbum.

Respondeo esse magnum discrimen petitum ex natura intellectus & voluntatis; voluntas enim cùm non sit potentia assimilativa, sed tantùm, ut sic loquar, ponderativa, terminus voluntatis non petit terminum qui sit similitudo, sed pondus in objectum dilectionis suæ; & ideò Spiritus sanctus non proce-

dit ut similis, nec ut Filius, quia est divini amoris terminus. At verò intellectus est potentia assimilativa, unde verbum productum debet esse ita simile objecto cognito, ut sit ipsummet objectum in esse intelligibili. Sicut ergo repugnat quidditativa Dei similitudo, ita verbum creatum quidditativè Deum repræsentans.

Persistes fortiùs: Non est minùs de ratione verbi, seu speciei expressæ, quod sit terminus vitalis intelligentis, quam de ratione intellectionis, quod sit actus secundus vitalis intellectus; non enim minùs essentialiter exigit terminus vitalis, in quantum talis, esse à principio vitæ, quàm actus: v. g. non minùs petit Filius generatus esse à Patre, quàm ipsa generatio: Atqui essentia Divina non potest per seipsam supplere rationem actus vitalis intellectus nostri, secundùm omnes fermè Theologos, & suo loco demonstrabitur: Ergo non potest etiam essentia divina supplere rationem verbi, seu speciei expressæ, de cujus essentiali ratione est, quod sit terminus vitalis cognitionis; ideo namque dicitur expressa, distinguiturque ab impressa.

Respondeo, duplex esse munus & officium verbi in nobis; nam quia ab intellectu fœcundo procedit, & simul objectum repræsentat, ideo habet & rationem termini procedentis, & similitudinis repræsentantis objectum. Primum munus non est essentiale verbo, sed secundum, ut patet in essentia divina, quæ respectu proprii intellectus habet rationem verbi intellecti, tametsi non procedat. Sic igitur essentia divina supplet rationem verbi, non quoad expressionem, & processionem; sed quoad actualem repræsentationem, & veluti exhibitionem objecti cogniti. Ex quibus in forma distingue majorem; non est minùs de ratione verbi quod sit terminus vitalis intelligentis quoad munus expressionis, quod non est essentiale, concedo; quoad munus similitudinis repræsentantis, nego: nam istud munus suppleri potest, nec petit essentialiter procedere à potentia vitali, sicut intellectio, quæ cùm sit actus secundus & vita actualis, non potest non oriri à principio vitæ.

R e f l e x i o.

De industria Apostolus loquens de visione quam habuit in raptu, ait: *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Audire autem est ab alio accipere: in patria igitur verbum non dicitur, sed auditur, nec licet homini loqui, seu proferre verbum creatum Deum exprimens. Unde Psalmista ps. 74. *Te decet hymnus Deus in Sion.* Alii legunt, *te decet silentium Deus in Sion.* Aliquid simile experiuntur, qui ad supremum orationis gradum, qui passivus dicitur, provehuntur. In communi meditationis genere verbis quamplurimis utimur; in altiori affectivæ contemplationis methodo, paucis; quia statim concalescit cor, & exardescit ignis: sed in sublimi mentis quiete, nullis. Ibi anima ad instar mundissimi speculi objectata Solis justitiæ radiis, ita Deo perfunditur, ut nec loqui præ amore liceat, sed tantùm divinæ dulcedinis abundantia frui. Felix hora, sed brevis mora, quâ Deus dat dilectis suis somnum, eosque torrente voluptatis suæ inebriat vino illo, quod ut August. ait tract. 43. in Ioan. *non turbat, sed dirigit mentem, quo anima sæculo, & sibi dormit, Deo verò vigilanter intendit.* Qui potest capere capiat; nam animalis homo non percipit quæ Dei sunt. Ea autem percipiunt qui vel nocturnis vigiliis in convalle plorationis Deo psallunt, vel qui beatissimis orationum intervallis experiuntur quàm magna sit multitudo dulcedinis Dei: tunc docet unctio de omnibus, medullatas infundens delicias: tunc in se justi sentiunt quod Apostoli dictitabant, *nonne cor nostrum ardens erat?* Quod sic exponit Bern. serm. 2. Paschat. *O dulcis ardor, dulcis splendor, dulcis amor! Ardor confortans, splendor illuminans, amor inebrians, quam dulciter ardes, quam mirabiliter splendes, quam sufficienter totum cor hominis imples!*

S p e c u l a t i o III.

Ad visionem beatam requiritur lumen gloriæ ita indispensabiliter, ut repugnet sine eo elici visionem.

PRima pars definita est in Concilio Viennensi, in quo damnatur illa Begardorum propositio, *Anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum.* Eamque satis indicat Scriptura, psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Apocal. 17. *Claritas Dei illuminabit eam*, scilicet societatem Beatorum Deum videntium.

Probatur tota speculatio: Intellectus creatus est intrinsecè insufficiens & improportionatus ad eliciendam visionem Dei, utpote vires cujuscumque naturæ creatæ, vel creabilis excedentem: Ergo indiget roborari & confortari per aliquam virtutem in se receptam, per quam possit videre; quæ virtus lumen gloriæ dicitur: quantumcunque enim Deus dicatur specialiter assistere, vel concurrere simultaneè cum intellectu nostro, nisi superaccrescat intellectui aliquis vigor supernaturalis, Deus videri nequibit; si enim ex vi divinæ assistentiæ, vel concursus nihil derivetur in intellectum, semper permanebit intellectus intrinsecè impotens, & insufficiens, nec potentior evadet. Maximè quia concursus simultaneus nihil ponit in potentia, sed solùm influit in actum, cùm sit ipse actus prout à Deo, unde per illum causa non juvatur, aut fit potens, sed talis supponitur: Ergo requiritur aliqua virtus desuper infusa, quam lumen meritò vocamus, quia intellectus non juvatur nisi per illustrationem.

Confirmatur, & simul præoccupatur fundamentum oppositæ sententiæ. Verum quidem est, Deum posse supplere quidquid agit causa secunda in genere causæ efficientis; sed non potest facere, quod effectus aliquis producatur ab aliqua causa, nisi illa habeat virtutem ad illum efficiendum: v. g. potest producere lucem sine Sole, sed nequit efficere, quod Sol eam producat, nisi habeat virtutem ad eam producendam; implicaret enim apertam contradictionem, quia ut causa producat, debet posse producere: non potest autem producere sine virtute producendi, quæ dat posse producere: Atqui intellectus in proprio fundo non habet vim eliciendi visionem: Ergo si Deus velit quod illam producat, debet illi communicare virtutem supernaturalem, ut possit eam producere.

Objicies contra primam partem. Supposito quod essentia divina uniatur intellectui per modum speciei intelligibilis, superfluit lumen gloriæ; quod enim est per se lucidum, alio lumine non indiget, ut videatur: Deus autem lux est purissima; ad quid ergo requiritur adventitium lumen gloriæ ad videndum Deum? Si enim repugnat species Deum ut in se est repræsentans, æquè repugnabit lumen Deum ut in se est attingens; non enim minor requiritur virtus ad attingendum aliquid ut in se est, quàm ad illud repræsentandum. Non requiritur etiam ad disponendum intellectum, ut ait D. Thom. *hic, artic.* 5. sicut enim humanitas Christi sine prævia dispositione unita est Verbo Divino, quidni similiter essentia divina intellectui beato illabetur, absque

absque præparante luminis gloriæ dispositione?

Respondeo, quod licèt essentia divina uniatur intellectui per modum objecti, non tamen superfluit lumen gloriæ. Nam ut ait D. Thom. art. 2. *Ad omnem visionem duo requiruntur, scilicet virtus visiva, & unio rei visæ cum visu.* Et rursum: *Lumen creatum est necessarium ad videndum Dei essentiam, non quod per hoc lumen Dei essentia intelligibilis fiat, quæ secundum se intelligibilis est, sed ad hoc, quod intellectus fiat potens ad intelligendum, per modum quo potentia fit potentior ad operandum per habitum; sicut etiam & lumen corporale necessarium, est in visu exteriori, in quantum facit medium transparens in actu, ut possit moveri a colore.*

Est autem differentia inter speciem & lumen, quia lumen se tenet ex parte intellectus, unde non debet esse ejusdem immaterialitatis cum Deo; species verò se tenet ex parte objecti, quod reddit intelligibile, & cujus est formalis similitudo; repugnat vero aliquid creatum esse formaliter, & univocè Deo simile. Adde quod repugnat essentiam divinam, quæ per se est intelligibilis, intelligibilem reddi per aliquid aliud; non repugnat verò, sed necesse est intellectum fieri potentem ad intelligendum per aliquod donum infusum, cum quo intellectus aliunde divinâ essentiâ fœcundatus, Deum ut in se est, finito modo videre possit.

Ad id quod ultimò dicitur de humanitate Christi, respondeo multiplicem esse disparitatem. Prima, quia in unione hypostatica humanitas sublimatur ad esse, & subsistere divinum, ad quod nulla præexigitur dispositio, sed solùm impeditio propriæ substantiæ: at in visione beata attollitur homo ad omnium operationum altissimam, unde debet augeri virtus operativa ipsius. Secunda, quia in Incarnatione Verbum divinum unitur in esse entitativo, in visione verò unitur in ratione formæ intelligibilis; forma autem non potest uniri in ratione formæ intelligibilis, nisi potentiæ, quæ sit disposita ad utendum specie: sicut licèt species coloris possit in ratione accidentis uniri lapidi, & sic de facto uniatur aëri, non tamen in ratione visibilis uniri potest, nisi oculo benè disposito, & lumine illustrato. Ex quibus intelliges, quare D. Thom. requirat lumen gloriæ tanquam dispositionem necessariam ad eliciendam visionem.

Dices: Ipsum lumen gloriæ recipitur in intellectu absque prævia dispositione, & etiam gratia quam Deus baptizatis infundit: Ergo similiter visio non indiget dispositione prævia supernaturali.

Respondeo non esse simile, quia forma quæ est ultima in aliquo ordine, qualis est visio beata in ordine gratiæ, necessariò exigit præcedentis dispositionis apparatum, quem non exigunt illæ formæ, quæ se habent solùm ut dispositiones. Adde quod gratia & lumen dantur ut homo possit operari in ordine supernaturali: ergo non supponunt posse, sed ipsum dant, & secum afferunt. At visio, cùm sit actus, præsupponit completam virtutem potentiæ per lumen gloriæ communicatam vel per modum habitus, ut in patriâ, vel per modum passionis transeuntis, ut in raptu Pauli.

Objicies rursus contra secundam partem: Rationes D. Thom. convincerent quidem necessitatem indispensabilem luminis gloriæ, nisi daretur in rebus creatis potentia quædam obedientialis proximè & immediatè elicitiva effectuum supernaturalium cum solo Dei concursu: Atqui admittenda est hujusmodi potentia rebus omnibus congenita, ut indicat Scriptura *Sap.* 9. ubi Sapiens mirabiles ignis & aquæ effectus in obedientiam creaturarum refundit: *Omnis enim creatura deserviens tuis præceptis, ut pueri tui custodirentur illæsi.* Et D. August. lib. de Genesi ad litt. cap. 17. *Deus habet virtutem, ut possit facere quod sterilis pariat, & arbor arida floreat.* D. etiam Thom. *in* 4. *dist.* 8. *art.* 3. *ad* 4. ait: *Sicut creaturæ inest potentia obedientiæ, ut in ea faciat quidquid Creator disposuerit, ita etiam, ut eâ media fiat.* Id exigit etiam perfectissimum Dei dominium in omnes creaturas, quod tantum debet esse, ut non possit majus excogitari, quod tale non erit nisi admittatur præfata potentia: Ergo lumen gloriæ non necessariò requiritur.

Respondeo, quod licèt Theologi omnes admittant potentiam obedientialem passivam in omnibus creaturis, ratione cujus possunt recipere virtutem aliquam, ut agant supra vires naturales; potentia tamen obedientialis activa rebus omnibus implantata, est expressè contra D. Thom. dicentem 1. 2. quæst. 109. art. 1. *Forma ultra naturalem efficaciam non potest, nisi per aliquam formam superadditam.* Est etiam contra rationem; hæc enim potentia esset naturalis, utpote omnibus congenita; esset verò supernaturalis, utpote ad actus naturæ vires excedentes ordinata: esset finita, siquidem creata; esset etiam infinita, utpote productiva cujuscumque effectus in infinitum perfectioris, & perfectioris. Denique per illam potentiam semel admissam destruitur totus ordo gratiæ; frustra enim fit per plura quod potest fieri per pauciora. Si ergo per illam solam potentiam & concursum simultaneum homo potest supernaturaliter operari, frustra admittetur gratia ad benè agendum, superfluæ erunt virtutes infusæ ad sanctè vivendum, inutilis erit character in Sacerdotibus ad consecrandum, supervacaneum lumen gloriæ in Beatis ad videndum. Nec potest dici, illos habitus requiri ad connaturaliùs operandum; cùm enim hæc potentia sit ingenita & naturalis, mediante illa homo magis connaturaliter operabitur, quàm mediis qualitatibus adventitiis.

Neque oppositæ rationes, quæ moverunt Suarem, ut hanc potentiam obedientialem activam adinveniret, urgentes sunt. Hæc enim quæ afferuntur Scripturæ & Patrum testimonia, significant solùm Deum posse uti creaturis ad libitum, quo nihil verius: quod autem hoc faciat Deus absque creaturarum elevatione per alicujus accidentis virtutis accretionem, id non indicant. Nec hoc exigit divini dominii plena potentia; sicut enim non requirit, ut creatura agat sine actione, possit sine potentia, sine intellectione cognoscat: ita nec postulat, ut effectus supernaturales sine virtute supernaturali producantur.

R E F L E X I O.

Inter præcipuas honorum prærogativas quibus homines ab Ecclesia in albo Sanctorum inscripti insigniuntur, una est, quod possint & debeant eorum imagines cum radiis aut circulis luminosis caput ambientibus depingi, vel sculpi. Quid sibi vult signum illud specialis honorificentiæ? Ad hujus intellectum sciendum cum D. Thom. *3. p. q. 60. art. 3.* triplex esse signum, aliud est *rememorativum* ejus quod præcessit, aliud *demonstrativum* rei præsentis, aliud *prognosticum*, seu *prænuntiativum* rei futuræ. Itaque radians ille circulus Sanctorum capiti superpositus, signum est *rememorativum* sanctitatis, quâ in vita excelluere: & eo monemur, quod filii Sanctorum sumus, & quod si filii Abrahæ simus, Abrahæ opera faciamus necesse est. Est signum *demonstrativum* præsentis gloriæ, in qua amicti lumine sicut vestimento, habent coronam auream expressam signo sanctitatis. Est *prognosticum* futuri nostri gloriosissimi triumphi, si æquè fortiter in terris decertemus. Et hac de causa S. Leo *serm. de Transfig.* affirmavit, quod in Christi Transfigu-

rationé,

ratione, *spes sancta Ecclesia fundabatur* (& idem dicendum cum proportione in solemni canonizatione Sanctorum) *ut totum Corpus Christi agnosceret, quali esset commutatione donandum, & ejus sibi honoris consortium membra promitterent, quod in capite* (& in Sanctis ejus) *præfulsisset. De quo Dominus dixerat: Tunc fulgebunt Iusti sicut Sol in regno Patris eorum.* Cùm ergo radium veluti coronam in sacris Sanctorum imaginibus videmus, ad lumen, quo in cœlis amicti sunt, inspiremus, & ad bravium futuræ felicitatis accendamur.

CAPVT II.

De inæqualitate, & objecto visionis beatæ.

HOc est ultimum complementum hujus felicissimæ materiei, cui inhiare magis expedit, quàm disputare; nam ut melleis S. Bern. *serm. 33. in Cant.* verbis utar: *Quis non illic vehementer cupiat pasci, & propter pacem, & propter adipem, & propter satietatem? Nihil ibi formidatur, nihil fastiditur, nihil deficit. Felix regio, in qua pro libito oves ingrediuntur, & egrediuntur, & non est qui exterreat! Meritò sponsa illò suspirat, meritò inhiat loco pascuæ simul & pacis, sed quietis, sed securitatis, sed exultationis, sed admirationis, sed stuporis. Tuta habitatio Paradisus, dulce pabulum Verbum, opulentia multa nimis æternitas: festinemus proinde, festinemus ad locum tutiorem, ad pastum suaviorem, ad uberiorem, & fertiliorem agrum: festinemus ut habitemus sine metu, abundemus sine defectu, epulemur sine fastidio.* Testatur Veritas beatos esse qui esuriunt & sitiunt justitiam, beatos item qui propter eam patiuntur; si beatum sit pro Deo pati, quid erit pro Deo coronari? Si beatum sit esurire, quid erit Deo refici & satiari? Quid erit ponere spirituale os ad fontem Dei, & bibere sapientiam pro aviditate sua, ut ait August. *lib. 9. conf. cap. 3.*

SPECULATIO I.

Beatorum unus alio perfectiùs Deum videt.

PRimam partem negavit olim Iovinianus, ut referunt D. August. *lib. 1. de hæres. hær. 86.* & D. Hier. *lib. 1. & 2. advers. Iovinianum*, qui existimabat cum Stoïcis, tam merita, quàm peccata omnium esse æqualia, subindeque ejusdem præmii, vel supplicii digna. Negavit etiam Lutherus, quia credidit nullum hominem esse justum per justitiam sibi propriam, sed per justitiam Christi imputatam, & per fidem apprehensam: quæ Christi justitia cùm sit æqualis respectu omnium, par etiam est omnium felicitas. Nihilominus

Probatur veritas Catholica. Tum ex illo Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multa sunt*; quod non potest intelligi de Ecclesiis in toto terrarum orbe diffusis, ut interpretabatur Iovinian. cùm Christus subjungat, *Vado vobis parare locum, ut ubi ego sum, & vos sitis.* Vbi manifestè loquitur de regno cœlorum. Tum ex illo 1. ad Cor. 3. *Vnusquisque propriam mercedem recipiet secundùm proprium laborem.* Et 2. Cor. 9. *Qui parcè seminat, parcè & metet.* Tum ex perenni traditione Ecclesiæ, quæ distinctum honorem diversis Sanctis defert, ut Beatissimam Virginem supra Angelorum & Sanctorum coronam exaltatam specialiùs veneratur, deinde Apostolos, & sic de aliis nonnullis; unde planè semper sentit distinctam esse Sanctorum gloriam, & ita definivit Concil. Flor. *sess. ult.* dicens, Beatos intueri clarè ipsum Deum trinum & unum sicut est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectiùs. Et Trident. *sess. 6. can. 32.* docens justificatum bonis operibus mereri augmentum gratiæ, atque etiam gloriæ.

Probatur ratione ex ipsis sacris Paginis desumpta: Beatitudo in cœlis datur per modum mercedis coronæ, & secundùm distributionem justitiæ; dicitur enim Matth. 5. *Merces vestra copiosa est in cœlis.* Et 2. ad Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus.* Et certè si Deus distribuit supplicia juxta proportionem demeritorum, juxta illud Apoc. 18. *quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date tormentorum*; ita & præmia proportionaliter ad merita dispensat: sed merita Sanctorum æqualia non sunt; pluris enim faciendum est martyrium pro Christo perpessum, vel virginitas per totam vitam illibata, quàm sola mandatorum observatio: & opus ex ferventissima charitate factum magis placet Deo, quàm aliud non tanto amore patratum; nam Deus non quantum, sed ex quanto; non censum pensat, sed affectum: Ergo beatitudo & visio Dei inæqualis est in Beatis.

Objiciebat Iovinian. parabolam illam vineæ, quæ habetur Matth. 20. in qua operariis primæ, tertiæ, sextæ, nonæ, & undecimæ horæ unus denarius æqualiter redditus est, quantumvis diversus fuerit eorum labor.

Respondent unanimiter SS Patres, per unitatem denarii intelligi unitatem beatitudinis objectivæ, quæ est eadem in omnibus; omnes enim Beati eodem Deo fruuntur: cum quo stat, quod secundùm diversum gradum fruitionis sint etiam diversæ in beatitudine mansiones. Scio aliquibus non probari hanc Patrum expositionem, sed non advertunt id quod monet D. Chrys. *hom. 65. in Matth.* In parabolis non oportet nimiâ in singulis verbis curâ perangi: unde quod in illa parabola sit murmuratio operariorum (quæ utique non convenit Sanctis) explicandum est de admiratione, quæ est in Beatis: vel hoc dicitur, sicut & alia quæ sequuntur, ad declarandum radicem collationis præmii esse ex pura Dei misericordia; nam merita nostra, quibus gloriam meremur, sunt effectus divinæ miserationis coronantis opera sua.

Quæres, utrum sit tanta diversitas in divinis mansionibus, ut nullus Beatorum futurus sit alteri æqualis in gloria?

Respondeo, aliquos affirmare, quia (inquiunt) homines in cœlis Angelorum desertorum sedes reparaturi sunt; unde sicut Angeli apostatæ habuissent diversos gloriæ gradus, ita & homines. Sed oppositum videtur certius & securius, præsertim in pueris ante usum rationis in gratia æquali decedentibus: nec est inconveniens plures homines eandem Angeli lapsi ruinam implere.

Quæres rursum, utrum visiones beatæ differant specie?

Respondeo negativè; nam omnes beatæ visiones habent idem objectum formale, scilicet essentiam Dei clarè visam; eundem modum illam attingendi, scilicet immediatè sine ulla specie; & idem specie lumen gloriæ correspondens eidem specie gratiæ, & charitati: ergo nihil est per quod visiones illæ differant specie; distinctio siquidem specifica esse non potest, ubi objectum est idem, & principia eadem specie.

Dices: Sufficit quod intellectus Angelicus & humanus differant specie ad inducendam specificam differentiam in eorum visionibus; incredibile siquidem videtur visiones hominum pertingere ad perfectionem visionis Angelorum.

Respondeo non modò non esse incredibile visiones

humanas

humanas posse Angelicas adæquare, sed potiùs oppositum esse omninò certum, cùm scriptum sit Luc.20. *Filii resurrectionis erunt æquales Angelis in cælo.* Et Apoc.21. *Eadem mensura hominis & Angeli.* Imò S. Thom. 1.p. q.108. art.4. asserit, *erroneum esse asserere homines transferri non posse ad æqualitatem Angelorum.* Et certissimum est, visionem Christi Domini & sanctissimæ ejus matris omnium Angelorum visiones longè superare, quia nimirum visiones beatæ non procedunt ab homine, sicut procedunt (ex S. Thom. 1.p. q.62. art.6.) ab Angelo secundùm gradum specificum, ut suprà dictum est; sed ut conveniunt in ratione intellectus elevabilis per lumen gloriæ. Nec earum inæqualitas ex naturali facultate intellectus, sed ex diversitate luminis gloriæ pensanda est.

REFLEXIO.

Beati inæqualiter Deum vident, nec de aliorum majori bono, invidorum more, anguntur; quia, inquit August. tract.67. in Ioan. *ita Deus erit omnia in omnibus, ut quoniam Deus charitas est, per charitatem fiat, ut quod habent singuli, commune sit omnibus; sic enim quisque etiam ipse habet, cùm amat in altero, quod ipse non habet: non erit invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis.* Invidiæ ergo livorem extirpantes fratrum nostrorum bona æquabili dilectione amplectamur, quia amore fiunt nostra, juxta illud, *Particeps ego sum omnium timentium te.* Observa etiam, quanta alacritate bonis operibus insudandum nobis est, quibus promittitur æqualitas Angelorum. *Cupidi sumus ascensionis* (ait Bernard. serm.4. de Ascens.) *exaltationem concupiscimus omnes; nobiles enim creatura sumus, & magni cujusdam animi; ideo altitudinem naturali appetimus desiderio.* Sed miseri terreni vaporem honoris anhelamus, nec obtinemus; æqualitatem cum Angelis appetere, & serio appetendo pervenire possumus ad hæreditatem illam, quæ ut ait Aug. in Psalm.49. *non minuitur copiâ possessorum, nec fit angustior numerositate coheredum; sed tanta est multis, quanta paucis; tanta singulis, quanta omnibus.*

SPECULATIO II.

Tota visionis inæqualitas ex solius luminis gloriæ differentia procedit: luminis verò diversitas ex majori vel minori charitate, & gratia provenit.

PRima pars est contra nonnullos ingeniosos Theologos, qui de sui præstantia ingenii confisi suas partes naturali acumini in beatitudine dedere. Sed illis ingeniosior D. Thom. *art.6. per totum*, omnem diversitatem visionis beatæ in luminis inæqualitatem refundit, & ex eo probatur. Facultas videndi Deum non competit intellectui creato secundùm suam naturam, sed per lumen gloriæ: Ergo perfectior visio ex perfectiori solùm lumine procedit; sicut quia ratio occupandi locum est quantitas, ad occupandum majorem locum quantitate majore opus est. Probatur antecedens. Si facultas videndi Deum non totaliter refunderetur in luminis gloriæ intensionem, sed etiam in perspicuitatem naturalem intellectus, daretur aliquis gradus beatitudinis, qui non responderet meritis, sed naturæ; unde & Beati per sua naturalia se discernerent, quod plusquam Pelagianum est; pejus enim est dicere gloriam dari juxta vires naturæ, quàm gratiam conferri ex meritis liberi arbitrii, & est contra illud, *Gratia Dei vita æterna.*

Confirmatur, & simul præcluduntur fundamenta oppositæ sententiæ. Certum est, intellectum agere in visione beata, nec merè passivè se habere: Sed non agit nisi per lumen gloriæ, quæ est ratio totalis proxima, quâ intellectus agit in visione; habitus enim supernaturales licèt supponant principium radicale in natura, dant tamen totam vim proximam agendi; & ideo dicitur, quod dant simpliciter posse, habitus verò naturales faciliùs posse. Quorum omnium radix est, quia licèt actus ad quos dantur, sint vitales; illa tamen vitalitas est supernaturalis, & supernaturalitas est vitalis: Ergo major, vel minor perfectio actuum non in vires naturales, sed in principium supernaturale, quo natura elevatur, reducenda est.

Objicies. Gratia & charitas in subjecto meliùs conanti magis & intensiùs operantur; fortiùs enim agit charitas in Angelo, quàm diffusa in corde hominis: Ergo similiter intellectus sagacior, cum æquali lumine magis conabitur in visione elicienda, atque adeò perfectiorem producet.

Respondeo conatum, vel intensionem actuum supernaturalium correspondere soli gratiæ, & charitati, ac vigori auxilii actualiter moventis; diversa autem perfectio naturalis voluntatis angelicæ vel humanæ nihil confert ad meritum: quod multò magis verum erit in cœlis, ubi nobis promittitur æqualitas Angelorum. Adde quod licèt habitus infusi in hac vita se accommodent naturæ quam non destruunt, sed perficiunt, unde non tollunt modum intelligendi, discurrendi, & volendi, qui est in nobis diversus ab Angelis; tamen in visione gratia sibi naturam accommodat, & eam ad se rapit, ut omninò supra se operetur; ibi enim anima evehitur ad operandum modo æterno, incommutabili, omnis successionis & motus experte, ad quem sublimem cognoscendi modum tantùm abest quod juvet acumen intellectus humani; qui agit cum motu & successione, quod potiùs si misceret se visioni beatæ, eam magis deprimeret quàm ei opitularetur: sicut suavissimæ melodiæ concentum plus inficeret, quàm perficeret dissonus vocis raucescentis garritus, & aurum micantissimum inurbraret adjectio plumbi.

Dices: Ergo intellectus est purum instrumentum in visione beata, siquidem non agit in ea, nisi ut elevatus per virtutem à Deo derivatam, qui est tota ratio agendi proxima.

Respondeo negando consequentiam, quia intellectus in visione vitaliter operatur, atque adeo se movet à principio intrinseco; instrumentum verò non agit, nisi ut motum, unde semper elevatur extra latitudinem sui objecti, & nunquam producit effectum sibi similem; sicut aqua Baptismi non producit aquam; sed gratiam; medicina non medicinam influit, sed sanitatem: intellectus autem videns Deum, non elevatur ad aliquid quod sit extra objectum adæquatum; sed solùm extra proportionatum; ut anteà explicatum fuit, & producit sibi simile, scilicet intellectionem, in qua relucet vitalitas intellectus; & supernaturalitas luminis: nec demùm recipit lumen gloriæ, ut Deus per ipsum agat, sed ut sua virtus activa efficiatur proportionata, eo ferè modo quo voluntas auxiliis supernaturalibus prævenitur, ut ipsa actus supernaturales efficiat. *Aguntur, ut agant*, ait August. *non ut ipsi nihil agant.*

Secunda pars probata manet ex prima, atque ex præcedenti speculatione. Si enim tota visionis differentia ex meritorum disparitate provenit, manifestè sequitur, lumen gloriæ, quod visionis diversitatem causat, correspondere gratiæ & charitati, quæ est radix meritorum. Addit S.Doctor, præclarissimam aliam hujus veritatis rationem, quia inquit *art.6.* ubi est major charitas, ibi est majus desiderium, & desiderium quodammodo facit desiderantem aptum & paratum ad

susceptionem desiderati; unde qui plus habet de charitate, perfectiùs Deum videbit.

Reflexio.

Solidè dixit D. Bernard. *Sola est gratia, quâ egemus;* cùm illi soli correspondeat gloriæ graduum dissimilitudo. Quid tempus terimus, dum Deum non amamus? Quid prodest præcellens ingenium, tepescente voluntate, si visio quæ est tota merces, non mentis sagacitati, sed amoris solius intensioni respondeat? Deo igitur qui non intellectum, sed cor sibi præberi postulat, dicamus cum August. in solil. cap. 35. *O ignis sancte, qui semper ardes, & nunquam extingueris, accende me! O utinam arderem ex te! Ignis sancte, quàm dulciter ardes, quàm secretè luces, quàm desideranter aduris!* Vidit Ioannes *Apoc.* 12. mulierem amictam sole, ejusque caput splendido duodecim stellarum diademate redimitum; quia, inquit Hugo Cardin. lunam habebat sub pedibus, & temporalia omnia charitatis amore calcans, divinis solùm adhærebat. Donorum quidem naturalium rationem in distributione beatitudinis non habebit Deus, sed non propterea quoscumque indifferenter admittet. *An indifferenter admittet homines* (ait Bernard. serm. in calend. Nov.) *qui ne ipsos quidem Angelos indifferenter admisit? Non discernet inter glebas, qui discrevit inter stellas?* Solius charitatis rationem habebit.

Speculatio III.

Beati vident omnia quæ sunt in Deo necessariò, ita ut repugnet eos videre essentiam, quin simul personas & attributa videant. Item vident libera Dei decreta, secundum quod Deus voluerit manifestare. Vident etiam creaturas possibiles, tantò plures, quantò perfectior est visio. Denique vident nonnullas creaturas existentes, secundùm exigentiam sui status.

HÆc assertio multimembris uno veluti intuitu totum objectum visionis beatæ assequitur. Ne autem multitudo partium confusionem pariat, singula distinctè enucleabimus.

Primam partem definivit Florent. aliàs citatum, & tradit Scriptura, 1. Ioan. 3, *Videbimus eum sicuti est.* Deus autem sicuti est, est omnigena perfectione cumulatissimus, & trinus. Secundam verò asseverat D. Thom. 2.2. *quæst.* 2. *art.* 8. *ad* 3. dicens: *Summa bonitas Dei, secundum modum quo nunc intelligitur per effectus, potest intelligi absque trinitate personarum; sed secundum quod intelligitur in seipso, prout videtur à Beatis, non potest intelligi sine trinitate personarum.*

Probatur utraque pars ex triplici dote visionis beatæ, quæ debet esse intuitiva, quidditativa, & beatificans, aliàs non esset visio Dei ut in se est, nec possessio summi boni. Atqui visio intuitiva fertur in objectum præsens, & subsistens; Deus autem subsistit in tribus personis: cognitio quidditativa intuetur ipsam rei essentiam, & quidditatem; essentia autem & quidditas Dei est quod sit actus purus & simplicissimus; nec actus puri potest aliquid apparere, alio latente. Denique cognitio beatificans satiat & quietat Beati desiderium; qui autem videt essentiam, naturaliter desiderat videre proprietates, & modum quo existit, & subsistit. Visio etiam beatificans fertur ad summum bonum; summum autem bonum exigit omnem perfectionem & subsistentiam quæ ipsum decent: & licèt Deus non habeat esse summum bonum à relationibus & personis; non tamen illud habet sine illis, sed ex eodem infinito fonte, quo est summum bonum, est etiam fœcundum in personis. Ergo visio beata necessariò fertur in essentiam, attributa, & personas Dei.

Sed dices: Non obstante Dei puritate & simplicitate potest communicari natura, non communicata persona in æterna generatione, & una persona communicari sine alia in Incarnatione: Ergo similiter poterit essentia videri sine personis, vel una persona sine alia, cùm visio sit aliquid magis extrinsecum, quàm communicatio; visio nihil ponat in re, communicatio intra rem exerceatur.

Respondeo esse differentiam, quia clara & intuitiva visio est cognitio Dei ut est in se; Deus autem non potest videri ut est in se, si aliquid ejus lateat: manifestari enim aliquid actus puri, & manifestari totum, idem est. At verò communicatio realis non fit secundùm quod res est in se, sed secundùm exigentiam & capacitatem extremi, cui fit communicatio: Filius autem æternus non est capax paternitatis, cui relativè opponitur; neque humanitas Christi exigit subsistere per tres substantias, aut personas: Igitur non est mirum, quod communicetur essentia, non communicatâ paternitate, vel una persona sine alia, licèt non possit videri una sine alia; præsertim quia personæ constituuntur per relationes, quæ sunt simul naturâ & cognitione.

Addi potest, quod sicut non potest videri color parietis, nisi videatur quantitas, & figura, licèt sint accidentia realiter separabilia, quia non distinguuntur in ratione visibilis, hoc ipso quod per eandem speciem repræsentantur: ita licèt essentia possit communicari sine persona, non tamen potest sine illa videri, quia ab ea non distinguitur virtualiter in ratione visibilis; siquidem eadem essentia, quæ gerit vices speciei in intellectu beato, omnia quæ in Deo sunt necessariò repræsentat, nec est eorum speculum liberum, sed necessarium.

Alia argumenta opponi possent, sed redibunt cùm inquiretur *in tract. de Trinit.* ex quorum cognitione Verbum procedat.

Reliquæ partes, suppositis iis quæ de scientia Dei infrà stabiliemus, carent difficultate; cùm enim, ut ibi monstrabitur, Deus videat in sua voluntate sua decreta, & in sua essentia determinata per decretum creaturas futuras; manifestè relinquitur, quod Beatus videns essentiam Dei potest etiam ea decreta, & eas creaturas in illa intueri, quæ Deus voluerit manifestare, cùm visio Beati sit imago, imitatio & expressio scientiæ Dei. Hoc supposito singulæ partes egent solùm expositione.

Tertia pars sic aperitur: Vident Beati divina decreta, & consilia, suppositâ directione divinæ voluntatis; per hoc enim agentia spiritualia cordis cogitationes detegunt, quod ad alios eas ordinant, ut *in tract. de Angelis*, explicatur: Beati igitur cognoscunt libera Dei decreta, non ex vi penetrationis essentiæ, sed ex divina revelatione, directione, & manifestatione; unde potest minùs beatus plura videre, quia plura nosse pertinet ad statum suum, ut de creaturis existentibus dicemus.

Quarta pars, quæ asserit Beatos cognoscere creaturas possibiles in essentia divina, tantò plures, quantò perfectiùs Deus videtur, expressè docetur à D. Thom. *hic, art.* 8. quia nimirum quanto perfectiùs Beatus videt Deum, tanto meliùs penetrat omnipotentiam Dei; quo autem magis penetratur causa, eo magis attingitur ejus virtus productiva diversorum effectuum; sicut etiam quanto melius intelligitur aliquod principium, tanto plures inde eliciuntur conclusiones.

Supponit

Supponit autem hæc doctrina creaturas in Deo posse videri, quod dum de scientia Dei, demonstrabitur, ut diximus, & expresse docet August. qui duplicem agnoscit in sanctis Angelis creaturarum cognitionem, aliam matutinam in Verbo seu sapientia divina, tanquam in arte per quam facta sunt; aliam vespertinam extra Verbum per proprias rerum species. Sed de his operosiùs libro sequenti.

Sed dices: Non est potior ratio cur ex infinitis creaturis possibilibus aliquas præ aliis videat Beatus ex vi visionis.

Respondeo cum D. Thoma *q.9.de verit.art.4.ad* 1. causam hujus peti posse ex ipsarum creaturarum natura, quarum quædam sunt de se latentiores, quædam explicatiores. Sicut enim ex principiis demonstrationum statim aliquæ conclusiones veluti pullulant, nonnullæ verò nonnisi per multorum discursuum circuitum inferuntur: ita in proposito.

Quod si inquiras, quænam creaturarum apertiores, quænam autem sint occultiores? Respondeo, quod alii id explicant ex majori vel minori perfectione creaturarum, alii ex proportione cum intellectu. Sed meliùs alii credunt expectandam hujusmodi solutionem in cœlis. Hoc tamen observandum ad harum & plurium aliarum difficultatum elucidationem, quod sicut quando ignis debet producere alium ignem, Deus determinat ad individuum, ut scilicet potiùs producat ignem A, quàm ignem B, quem æquè potest ignis producere: ita ex infinita possibilium creaturarum serie Deus illas determinat, quæ habent majorem cum lumine gloriæ proportionem.

Insistes: Si Beatus ex vi penetrationis divinæ essentiæ videret creaturas, v. g. Angelum, cognosceret etiam infinitas ipsi inferiores, quas Deus potest producere, & quæ sine dubio non sunt ita latentes: Sed Beatus non potest videre infinitas creaturas possibiles in essentia divina per lumen finitum: Ergo nullam in ea videt ex vi visionis.

Respondeo essentiam divinam eo perfectiores repræsentare creaturas, quo perfectius est Beati lumen; sed non propterea repræsentare infinita inferiora, sed sufficere quod Beato constet illas omnes & singulas inferiores in infinitum producibiles excedere: sicut qui perfectè cognoscit hominem vel Angelum, non continuò cognoscit omnia corpora. Et licèt illæ inferiores creaturæ non ita lateant in essentia divina quoad gradum communem, v.g. quoad rationem corporis, benè tamen quoad omnes differentias individuales: quorum omnium distincta cognitio majus arguit lumen quàm cognitio gradus superioris; sicut qui perfectè agnosceret omnes virtutes plantarum & corporum inferiorum, censeretur profundior Philosophus eo qui solius hominis definitionem agnoscit. Et licèt daremus Beatum videre infinitas creaturas inferiores, non tamen propterea egeret lumine infinito, cùm nec eo egeat Christus ad cognoscendas infinitas cogitationes per æternitatem futuras.

Vltima pars de creaturis existentibus docetur à Concilio Senonensi in decreto Fidei, dicente: *Beatis pervium est uniforme illud Divinitatis speculum, in quo quidquid illorum interest, elucescit.* Et Bern. lib. 2. de consid. cap. 2. *Creatura cœli non indiget scala creaturarum, ut ascendat in cœlum, sicut creatura mundi. Quid enim opus scala tenenti solium? Videt Verbum, & in Verbo facta per Verbum.*

Vt autem hæc pleniùs intelligantur, debet considerari homo tripliciter. *Primò* ut est pars universi; & hoc modo conveniens est, ut cognoscat totum universum, præcipuas ejus partes, species, & etiam illa individua, quæ pertinent ad decorem universi; quia nimirum in vita beata satiatur omne honestum desiderium; horum verò cognoscendorum appetitus congruus est, unde etiam ad eorum notitiam adipiscendam ordinantur quædam artes, & studia. Et in hoc sensu verificari potest illud D. Greg. *Quid est quod non videant, qui videntem omnia vident?* Quia nihil eorum, quæ pertinent ad universi notitiam quoad præcipuas partes, vel quæ ad statum eorum exiguntur, eos latet, juxta illud D. Thom. 3. part. quæst. 10. art. 2. *Nulli Beato deest, quin cognoscat in Verbo omnia quæ ad ipsum spectant.*

Secundò potest considerari homo ut elevatus ad ordinem gratiæ, & sic exigit cognoscere prædestinationis, vocationis, redemptionis, & alia Religionis arcana quæ fide credidit, secundùm illud Psalm. 47. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum.* Et hæc, sicut præcedentia, vident Sancti in ipso Beatitudinis exordio, ut docet S. Thomas *art.* 10. quia ea quæ unica specie videntur, simul, & non successivè videntur; Beati autem vident prædicta per divinam essentiam. Vnde August. 15. de Trinit. cap. 15. *Non erunt ibi volubiles nostræ cogitationes, ab aliis in alia euntes, atque redeuntes.* Cujus etiam ulteriorem rationem dat idem D. Thomas *lib. 3. cont. Gent. cap.* 60. Vnaquæque res cùm venerit ad suum ultimum finem, quiescit; cùm omnis sit motus ad acquirendum finem: ultimus autem finis intellectus est visio divinæ essentiæ. Intellectus igitur divinam essentiam videns, non movetur ab uno intelligibili in aliud, sed omnia quæ per hanc visionem cognoscit, simul actu considerat. Vnde infert ibidem, *cap.* 61. visionem beatam mensurari æternitate participata, quia nullam compatitur variationem, aut successionem, sed constituit hominem in termino felicissimo, in quo nec deficere, nec proficere potest, saltem quoad res necessariò visas. *Nec enim* (inquit Bernard. lib. 5. de consid.) *jam tunc fragilis acies mentis nostræ, quantumlibet vehementer intendens, aliquatenus resiliet, desilietve in suam pluralitatem: colliget se magis, adunabit, conformabitque unitati illius, vel potius unitati illi, ut una uni facies respondeat faciei.*

Tertiò consideratur homo quatenus est talis persona, publica, vel privata, putà Papa, Episcopus, Fundator Religionis, Rex, Patronus loci; & sic quilibet exigit ea cognoscere quæ pertinent ad statum illum, & hac de causa cognoscit in Verbo quilibet Sanctos preces ad se fusas. Sed hæc omnia non vident Beati ab initio beatitudinis, sed paulatim & successivè de his illuminantur, secundùm quod exigit status eorum. Quod non tollit invariabilitatem visionis ipsorum, non quia illa quæ successu temporis eveniunt pertinentia ad suum statum, cognoscant extrà Verbum per speciales revelationes, hoc enim est expresse contra D. Thomam suprà citatum; sed quia horum notitia non sequitur per se ex visione, sed per accidens, supposita Dei revelatione. Sufficit autem ad visionis beatæ invariabilitatem, ut ea quæ per se cognoscit, sine successione attingat. Cum his tamen stat, Beatos sæpè ignorare consilia Dei de rebus ad suum statum pertinentibus, ut patet ex pugna Angelorum, quæ refertur *Dan.* 10. quia Deus non tenetur omnia secreta sua detegere; sed quidquid aperit, intus Verbum manifestat.

Sed quid immoror in illis creaturis recensendis, quas Beati intuentur? Nam ut præclarè ait D. Thomas art. 8. ad 4. *Si solus Deus videretur, qui est fons, & principium totius esse & veritatis, ita repleret naturale desiderium sciendi, quod nihil aliud quæreretur. Vnde dicit August. 5. Confess. Infelix homo qui scit omnia illa, te autem nescit; beatus autem qui te scit, etiamsi illa nesciat: qui verò te, & illa novit, non propter illa beatior, sed propter te solum beatus.*

Ex dictis etiam facilè inferet pius Lector, quanta cum pietate suffragia expediat implorare Sanctorum, qui miserias nostras precibus fusis detectas in fonte misericordiarum, & Deo totius consolationis vident. Hinc Bernard. serm. 2. de S. Victore: *Quilibet Sanctus in terris visus est, ut esset exemplo; in cœlum levatus est, ut sit patrocinio; hic informat ad vitam, illic invitat ad gloriam; factus est mediator, qui sibi jam postulat nihil; totum in nos transferre desiderat, & supplicantis affectum, & supplicationis fructum.* Sed præsertim totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus sacram Deiparam interpellemus & veneremur; ad ipsam enim, utpote matrem Dei & Salvatoris nostri, Reginamque cœli & terræ pertinet amplissima rerum universi notitia, quæ digna sit statu ipsius. Singularem notitiam comitatur potestas eximia; potestatem amor indicibilis. Vno verbo, omnia scit *Virgo prudentissima, sedes sapientiæ*; omnia potest *virgo potens*: quidni omnia volet, omniaq; dabit *mater amabilis, mater misericordiæ, virgo clemens? In omnibus siquidem* (ait Bernard. serm. de Nativit.) *& per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem.*

REFLEXIO.

Dictitare solebat quidam Philosophus interrogatus, cujus rei causâ natus foret, *se Solis ac Cœli videndi gratiâ natum.* Sublimior sanè Philosophia Christiana, & longè præclarius spectaculum proponit, dum ad Deum ut in se est, unum & trinum, solam laborum nostrorum metam nos natos docet, & tanquam ad unicum spei nostræ scopum præcipit collimare. Insitus est homini sciendi appetitus: benè est. Quid ergo moramur, cur ad eum non properamus, in quo omnia patent, dicente S. Bernard. lib. 5. de consid. cap 4. *Quidni videatur ibi cor Dei? Quidni ibi probetur quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta? Patent viscera misericordiæ, patent cogitationes pacis, divitiæ salutis, mysteria bonæ voluntatis.* Illum Solem intelligibilem aspectabilis Solis conditorem Sponsa videre satagebat, dum dicebat Cant. 1. *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie.* Vbi Bernard. serm. 33. *Vultum tuum Domine requiro, vultus tuus meridies; meridies clara tui, & intuitiva visio. O verè meridies! plenitudo fervoris & lucis, Solis statio, umbrarum exterminatio, desiccatio paludum, fœtorum depulsio! O perenne solstitium, quando jam non inclinabitur dies! O lumen meridianum! O vernalis tempestas! O æstiva venustas! O autumnalis ubertas! & ne quid præteriisse videar, ô quies & feriatio hiemalis.*

Væ nobis miseris, & cæcis! Patria nostra cœlum est, & terrena habitatio nos allicit. Concives sumus Angelorum, & delectat nos convictus brutorum? Nati sumus ad calcanda sydera, & volutari in luto lubet? Quis crederet hujus ævi Christianos aliam sperare vitam, qui præsentem tam ardenter concupiscunt? *Quid rogamus* (ait Cyprian. serm. de mort.) *& petimus ut adveniat Regnum Cœlorum, si captivitas terrena delectat?* Et August. *Væ animæ audaci, quæ speravit, si recessisset à te, se aliquid melius habituram. Non est mihi benè sine te, & omnis copia, quæ Deus meus non est, egestas est.*

LIBER SECUNDUS.

De Deo interiùs operante, seu de arcanis cordis Divini.

PRÆLOQVIVM.



ATIUS foret humanæ infirmitati profundum hoc secretorum Divinorum Pelagus venerari, quàm investigare: ut enim rectè cecinit D. Prosper *lib. de ingr. cap. 35.* Multa etenim benè tecta latent, nescitaque prosunt, dum mansueta fides quædam dilata modestè sustinet, & nullo ignorat non edita damno. Et graviter Salvianus: *Hoc ipsum genus sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias, quàm sinaris.* Nec minùs verè quidam alter: *Iusta Dei judicia nemo plenè comprehendit, nemo jure reprehendit.* Est verò scientiæ divinæ, voluntatis, & prædestinationis arcanum ita abditum, ut Ecclesia Spiritu sancto ducta ad ineffabilem Mysterii SS. Trinitatis celsitudinem declarandam ea usurpet verba, quibus Apostolus divinorum judiciorum altitudinem demiratur. *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ illius.* Quasi hæ duæ difficultates æquales sint & parallelæ.

Et certè S. Augustinus post Apostolum Doctorum omnium, in hoc præsertim implexissimo negotio extricando sine ulla controversia facilè princeps, ad admirationem veluti ad unicum asylum confugit. *Iam* (inquit lib. de spirit. & litt. cap. 34.) *si ad illam profunditatem*

tatem

ratem ſcrutandam quiſquis nos coarctat, duo ſolàm occurrunt, quæ reſpondere mihi placeat. O altitudo divitiarum! Et, Nunquid iniquitas eſt apud Deum? Cui reſponſio iſta diſplicet, quærat doctiores, ſed caveat ne inveniat præſumptores. Et ſerm. 11. de verb. Apoſt. cap. 12. *Diſputare vis mecum, imò mirare mecum, & exclama mecum, O altitudo divitiarum! Ambo expaveſcamus, ambo in pavore concordemus, ne in errore pereamus. Nemo quærat à me occultorum rationem. Ille dicit inſcrutabilia, & tu ſcrutari veniſti? Ille dicit inveſtigabiles, & tu inveſtigare veniſti? Si inſcrutabilia ſcrutari veniſti, crede, jam periſti. Tale eſt velle ſcrutari inſcrutabilia, quale eſt velle inviſibilia videre, & ineffabilia fari.*

His de cauſis fortè melius eſſet ea ſilentio præterire, quæ diſſolvere humanæ ignorantiæ non licet, & prudentiſſimo ejuſdem Patris conſilio obtemperare, dum ait lib. 4. de Doctr. Chriſt. cap. 28. *Ne moveamus quod auferre non poſſumus.* Tamen quia morem Theologis gerere & volumus, & debemus; ideò præſcientiam, prædefinitionem, & prædeſtinationem Dei toto hoc libro adorantes ſpeculabimur, memores quod ſi juxta Apoſtolicum mandatum, in timore & tremore ſalutem operari tenemur, quantò magis hæc ſalutis ſecreta & divini cordis arcana pavidi intuebimur? Quis enim invenietur tam perfrictæ frontis duritiâ, tanta impudentiæ incude occallens, tam adamantinæ pertinaciæ, qui tam altis iudiciorum Dei, quæ abyſſus multa ſunt, labyrinthis non ſtupeat, tantis molibus graviſſimis non ſuccumbat, tantis ponderibus oppreſſus non fatiſcat, tantis malleis iuſtitiæ divinæ non conquaſſetur, tantis poſtremò divinorum decretorum fulminibus non conteratur. Pulchrè Auguſtinus ſerm. 11. de verb. Apoſt. cap. 14. *Movet me, inquis, quod ille perit, non ille; movet tanquam hominem. Si verum vis audire, & me movet, quia homo ſum. Sed & ſi tu homo, & ego homo, audiamus dicentem: O homo, tu quis es, ut reſpondeas Deo? Si poſſet loqui pecus, & dicere Deo, quare iſtam hominem feciſti, & me pecudem? Nonne juſtè ſuccenſeres, & diceres: O pecus, tu quis es, ut reſpondeas Deo? Et tu homo es, ſed ad Deum pecus es, & utinam ſis pecus ejus, & ovis paſcua ejus!*

Itaque poſtquam egimus de perfectionibus conſequentibus eſſe divinum, modumque quo cognoſcitur tum à nobis, tum à Beatis explicuimus, tractandum reſtat de perfectionibus pertinentibus ad operationem Dei internam, inter quas primò occurrit divina intellectio & ſcientia, quam pertinere ad ordinem operativum ſupponentem eſſentiam conſtitutam, tam perſpicuè docet S. Thomas initio quæſtionis 14. ut mirum ſit aliquos de hoc ambigere. Sed de his ſatis egimus libro ſuperiori, *diſſ. 2. cap. 2.*

Porrò in his quæ ad divinam ſcientiam, voluntatem, & prædeſtinationem ſpectant, ſemper veridicam SS. Auguſtini & Thomæ doctrinam præ oculis habebimus, veluti amuſſim, ad quam omnes aſſertiones noſtras exigemus. In his enim tam periculoſis & ſalebroſis viis effluerent veſtigia, labilique gradu incederemus, niſi novitati antiquitas anteponeretur. Pelagianæ quippe calliditatis venenum tam facilè irrepit & proſerpit, ut eius fallaces flexus & deflexus detegere, vel vitare, niſi prælucente Patrum vetuſtate, non poſſemus. Nam ut eleganter, & opportunè Vincentius Lirinenſ. in comm. *Eſtne aliquis vel tanta audacia, qui præter id quod apud Eccleſiam annuntiatum eſt, annuntiet? vel tanta levitatis, qui præter id quod ab Eccleſiâ accepit, accipiat? Clamet, repetendo clamet, & omnibus, & ſemper, & ubique per litteras ſuas clamet ille ille vas electionis, ille Magiſter gentium, ille Apoſtolorum tuba, ille terrarum præco, ille Cælorum conſcius, ut ſi quis novum dogma annuntiaverit, anathematizetur. Et contrà reclament ranæ quædam, & cimphes, & muſcæ moritura, quales ſunt Pelagiani, & hoc Catholicis: Nobis, inquiunt, authoribus, nobis principibus, nobis expoſitoribus damnate quæ tenebatis, tenete quæ damnabatis, rejicite antiquam fidem, paterna inſtituta, majorum depoſita: & recipite. Quænam illa tandem? Horreo dicere, ſunt enim tam ſuperba, ut mihi non modò affirmari, ſed ne refelli quidem ſine aliquo piaculo poſſe videantur.* Vides quod niſi præeunte antiquitatis face non poſſumus hæc arcana reſerare, nec Pelagianum virus detegere, nec effugere. Hac cautione præmiſſa procedamus.

DISSERTATIO I.

De perfectionibus ad intellectum Divinum ſpectantibus.

AD intellectum Divinum pertinet ſcientia, cujus proinde exiſtentiam, objectum, & proprietates explicabimus. Ad ipſum ſpectant ideæ, veritas, & vita, de quibus pariter ſermo habendus eſt.

CAPUT I.

De exiſtentia, objecto, & prærogativis intellectus, & ſcientia Dei.

QUamvis intellectus & ſcientia in Deo realiter idem ſint; virtualiter tamen addit ſcientia ſupra intellectum, ſeu præciſam rerum notitiam, hoc quod eſt cognoſcere rem per cauſam: unde hæc duo monſtranda ſunt.

SPECULATIO I.

In Deo intellectus & scientia perfectissimè inveniuntur.

Hanc veritatem ubique inculcant Scripturæ, Psal.. *Qui fecit cælos in intellectu.* Esther 14: *Deus qui habet omnium scientiam. Et in tantum apud homines invaluit ista veritas* (verba sunt S. Thomæ lib. 1. cont. gent. cap. 44.) *ut ab intelligendo nomen Dei imponerent.* Nam θεὸς, quod secundùm Græcos Deum significat, dicitur à θεᾶσθαι, quod est considerare vel videre.

Probatur discursu D.Thom. Quanto aliqua substantia est supra conditiones materiæ elevata, tanto est potentior ad cognoscendum: Atqui Deus est in summo immaterialitatis gradu, cùm sit actus purus: Ergo Deus est in summo cognitionis, seu habet intellectum summè & perfectissimè cognoscentem. Major probatur, tum à posteriori; patet enim considerati gradatim ordines rerum, immaterialitatem esse mensuram & radicem intellectualitatis. Plantæ siquidem, licèt vivant, nihil cognoscunt, quia habent formas omninò materiæ immersas; forma siquidem plantæ est ita materiâ involuta & determinata, ut nullam alienam formam induere possit. Sensus verò, licèt sit organo corporeo addictus, habet tamen infimum gradum cognitionis, quia non est veluti ita alligatus circa propriam materiam, quin possit objectorum suorum species recipere & repræsentare. Anima autem humana cùm sit spiritualis & subsistens, non est organis addicta; & ideo habet vim cognoscitivam perfectiorem, unde & potest intelligere universalia. Sed quia pro hoc statu non intelligit sine dependentia à sensibus, sed convertit se ad phantasmata, ideò perfectior in Angelis cognitio invenitur, quia sunt & à materia, & ab ordine ad illam omninò immunes. Vides igitur vim cognoscitivam immaterialitati accommodari & commensurari.

A priori etiam id ostenditur: In tantum aliquid est cognoscitivum in quantum præter formam propriam natum est recipere in se formam alterius, non quidem per solam passivam sustentationem, sicut aër recipit lucem, vel etiam species objectorum quorum est delativum, sed per intimam transformationem, & in ratione objecti repræsentandi; & ideò dicitur, quod intellectus trahit res ad se, sicut voluntas trahitur ab objecto: Atqui in tantum aliquid potest recipere aliorum formas in esse repræsentativo, in quantum est supra materiam elevatum, quia per hoc habet majorem amplitudinem & illimitationem; materia enim limitat formam, & ut ait Scriptura, *corpus quod corrumpitur, aggravat animam.* Cujus etiam indicium habemus experientiâ; ut enim visus possit recipere species colorum, omni colore expers esse debet; & ideo icterici colores benè non discernunt, quia habent oculos æruginoso colore anteoccupatos; intus enim existens prohibet extraneum: Ergo ut substantia sit cognoscitiva, debet esse immaterialis, & quo magis est à materia immunis, eo perfectiùs intellectiva. Substantia, inquam, quia esse intellectivum non convenit nisi substantiis, non accidentibus, quantumvis spiritualibus; quia vivere, & operari solius subsistentis est. Debet autem accipi hic immaterialitas, non provt est mera negatio, sed ut includit ipsam spiritualitatem, quæ præter omnem exclusionem à materia importat etiam positivam perfectionem eo majorem quo propinquiùs accedit ad actum purum, qui est fons omnis perfectionis: & ideo est major in Angelis quàm in anima rationali, & in Angelis eo altior, quo sunt ordinis superioris. Ex quibus omnia quæ contra rationem D. Thomæ opponi possent prævenimus.

Probatur rursus speculatio duplici ratione Divi Thomæ *loc.cit.cont. gent. rat.5. & 6.* Prima sic formatur, Deo nulla perfectio deest ex his quæ in creaturis inveniuntur: Sed inter perfectiones creatas potissima est vis intellectiva; nam per hoc, quod aliquid sit intelligens, habet totum omnium perfectiones. Nam ut sublimiter discurrit idem S. Doctor *q. 2. de ver. art. 2.* res aliqua invenitur perfecta dupliciter: uno modo secundùm perfectionem sui esse, quod ei competit secundùm propriam speciem; sed quia esse specificum unius rei est distinctum ab esse specifico alterius, ideo in qualibet re creata tantum deest de perfectione simpliciter, quantum perfectionis in aliis speciebus invenitur: unde ut huic imperfectioni aliquod remedium esset, invenitur alius modus perfectionis in rebus creatis, secundùm quem perfectio, quæ est propria unius rei, in altera re invenitur; & hæc est perfectio cognoscentis in quantum est cognoscens, quia secundùm hoc à cognoscente aliquid cognoscitur, quod ipsum cognitum aliquo modo est apud cognoscentem; & ideo *in 3. de Anima* dicitur, animam esse quodammodo omnia, & secundùm hunc modum possibile est, ut in una re totius universi perfectio existat: Ergo Deus est intelligens, sicut & summè perfectus.

Alia ratio desumitur ex Dei gubernatione, & sic breviter formatur. Naturæ institutor & gubernator præstituit finem agentibus naturalibus, quæ tendunt semper in fines determinatos, & non ex casu: Ergo ipse cognoscit finem, quem ipsa non cognoscunt; non enim finem præstitueret, nisi intelligeret ejus convenientiam: Ergo intellectu præditus est.

Quod verò detur in Deo scientia propriè dicta, quæ est altera pars, probatur. Scientia est cognitio rerum per causam: Sed hæc cognitio nullam importat imperfectionem; nec enim de se exigit plures cognitiones, quas habet in nobis propter imperfectionem intellectus nostri; sed solùm ex sua formali ratione exigit rem in causa penetrare, & intelligere, seu intus legere, quod puram dicit perfectionem: Ergo in Deo est propriissima scientia, tum possibilium, quæ in essentia ut in causa cognoscit; tum futurorum, quæ in sua libera voluntate cognoscit, ut suo loco dicetur. Et licèt de contingentibus non detur scientia humana, benè tamen divina, quia contingentia in suo decreto infallibiliter cognoscit; divina enim providentia in sui dispositione non fallitur. Tum denique habet scientiam attributorum divinorum, quæ licèt non habeant causam, habent tamen rationem à priori, propter quam, & in qua cognosci possunt, ut immutabilitas in æternitate, amor in voluntate, & omnia attributa in natura.

Dixi, quod intellectus ac scientia sunt in Deo perfectissimè, idest per modum actus puri, ita ut in Deo potentia intellectiva non distinguatur cum fundamento in re ab intellectione, aliàs intellectus divinus esset potentialis, determinabilis, & perfectibilis per intellectionem. Unde solùm distingui possunt à nobis penes diversa munia quæ præstant, & per analogiam ad creaturas. Redibit sermo de his agendo de voluntate Dei.

Quæres, an sint in Deo virtutes intellectuales virtualiter distinctæ.

Respondeo affirmativè, quia licèt omnes pertineant ad ordinem intellectualem, tamen considerant suum objectum, scilicet divinam essentiam sub diversa ratione formali, v.g. intellectus essentiam divinam considerat sub ratione primæ veritatis, creaturas verò

ut

ut participant divinam veritatem: scientia considerat eandem essentiam divinam, prout est ratio à priori, & veluti radix divinorum attributorum, & causa creaturarum; prudentia verò, & ars respiciunt eandem essentiam divinam, ut est primæ, & supremæ regula benè agendi, & rectè procedendi in operibus ad extra. Sapientia tamen nihil scientiæ superaddit, quia est consideratio rerum per causas altissimas; unde licèt omnis scientia non sit sapientia, omnis tamen sapientia est scientia.

R E F L E X I O.

Quàm verè dixit Apostolus, *Animalis homo non percipit quæ Dei sunt.* Et ante ipsum Sapiens, *Corpus quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio sensum deprimit multa cogitantem.* Et post ipsum Tertull. lib. de Anima, cap. 20. *Opimitas sapientiam impedit, exilitas expedit.* Et August. *lib. 4. contra Julian.* illam Platonis sententiam commendat: *Non potest stare voluptas corporis cum cognitione & sapientia*, quæ mentibus pudicis sese maximè accommodat; sicut etiam ea corpora quæ maximè splendida sunt, facilius radiis solaribus illustrantur. Et D. Hieron. *lib. 1. contra Jovin.* observat ideò Ioannem Evangelistam plus dilectum à Christo supra pectus Domini recubuisse, ibique tanquam in fonte veritates divinas potasse, quia virgo erat: & post resurrectionem, cùm piscaretur in lacu Genezareth, Iesum stantem in littore non cognoscebant alii Discipuli: *solus Virgo Virginem agnoscit, & dicit Petro, Dominus est.* Immaterialitas est radix scientiæ. Quid ergo mirum, si tam pauci quæ sursum sunt, sapiunt, si purissimæ Evangelii leges frequentiori hominum, qui infixi sunt in limo profundi, numero sint invisæ? Oculis quippe ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis; & palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis. Carnis & sanguinis revelationes sequimur, & illius non tam hominis, quàm lutulentæ pecudis stuporem imitamur, qui ut refert Lucas, *Cogitabat intra se dicens, Quid faciam?* A seipso consilium exquirit, secum loquitur, seipsum audit, corpus suum adhibet in consiliarium: vide quam cœnosè concludat, *Anima mea requiesce, bibe, comede, epulare.* Vnde statim audit Deum dicentem sibi, *Stulte hac nocte animam tuam repetent à te. Benè stulte* (ait Chrysologus serm. 104.) *quia ibi totum de carne fuerat, nihil de corde: benè stultus, qui non rationis, sed passionis ductum sequebatur.*

S P E C U L A T I O II.

Intellectus divinus ad omnia cognoscibilia se extendit, & scientia ejus est omniscientia.

HÆc assertio postulat solùm, ut enucleatè explicemus objecta singula quæ attingit divina cognitio. In primis igitur Deus cognoscit seipsum; essentia enim divina est objectum formale divini intellectus, cùm sit ejusdem immaterialitatis & perfectionis cum illo, & ita illi unita, ut nullatenus realiter ab illo distinguatur: & quia essentia divina non distinguitur ab attributis & personis, inde fit, hæc omnia ab intellectu divino cognosci, quamvis non nisi ratione divinæ essentiæ attingantur. Quæ proinde est objectum primarium, & principale divinæ cognitionis, quæ terminatur ad suam essentiam prout est in se, id est prout possidet attributa & personas, quæ habent unam & eandem increatam intelligibilitatem, immaterialitatem, & veritatem, atque adeo primarii objecti rationem ingrediuntur.

Secundò attingit divina cognitio omne ens creatum, quod est objectum secundarium divinæ cognitionis: unde sicut Metaphysicus primariò considerat ens reale, secundariò ens rationis; & sicut charitas per se primò respicit Deum, deinde proximum: ita divina notitia principaliter fertur ad Deum, extensivè verò ad ens creatum, quod est divini esse effluxus. Hæc autem jam dicta, sive ens increatum, sive quodcumque creatum cognoscit Deus cognitione infinita & comprehensiva; quia tanta est virtus intellectus in cognoscendo, quanta est perfectio cognoscentis, quæ in Deo infinita est. Subindeque intellectus divinus cognoscit essentiam suam quantum cognoscibilis est: si autem Deus seipsum perfectè comprehendit, etiam summè penetrat suam virtutem & omnipotentiam; virtus autem perfectè cognosci non potest, nisi cognoscantur ea ad quæ se extendit, & sic Deus comprehensivè cognoscit omnes creaturas, quas potest producere.

Tertiò protendit se divina scientia non solùm ad ea quæ sunt, sed etiam ad futura & possibilia. Quod attingat futura, est veritas fidei, cujus *tot testes habet Deus, quot Prophetas*, ut ait Tertull. & passim docent Scripturæ. Psalm. 138. *Omnes vias meas prævidisti.* Dan. 13. *Nosti omnia antequam fiant:* & convincitur ex infinitate, æternitate, & immutabilitate divinæ scientiæ, quæ non subsisterent si Deus futura non præcognosceret. Finiretur enim ejus cognitio præsentium notitiâ; mutaretur, dum successivè futura addisceret, subindéque æternitate non mensuraretur ejus scientia. Vide supra de æternitate, cui omnia futura esse præsentia ostendimus. Quod verò se extendat ad possibilia quantumvis infinita sint, hinc patet, quia Deus comprehendit omnipotentiam suam, atque adeo videt ea omnia quæ sua potentia valet efficere, quæ utique sunt infinita. *Quantò enim aliquis intellectus* (ait D. Thom. lib. 1. cont. gent. cap. 69. txt. 6.) *est efficacior & limpidior in cognoscendo, tanto ex uno potest plura cognoscere:* sicut virtus quanto est fortior, tanto est magis unita. Intellectus autem divinus secundùm efficaciam est infinitus; potest ergo per unum, quod est sua essentia, infinita cognoscere.

Cognitio autem futurorum dicitur scientia visionis, & cognitio possibilium scientia simplicis intelligentiæ: quæ distinctio non est accipienda ex parte divinæ scientiæ, quia Deus omnia indivisibili cognitione attingit; sed ex parte objectorum, quæ per ipsam cognoscuntur. Quædam enim sunt à Deo cognita, quæ nulla temporis differentia habitura sunt esse; & respectu horum notitia Dei dicitur simplicis intelligentiæ, quia terminatur ad rem non ut conjunctam existentiæ, sed simpliciter ut in Deo est: quædam verò habent aliquando esse in seipsis, & extra Deum; & hæc notitia dicitur visionis, quia tunc solùm apud nos res videri dicitur, quando habet esse in seipsa.

Quartò diffundit se divina cognitio ad singularia quæcumque, non solùm secundùm esse eminens quod habent in Deo, verùm etiam secundùm esse particulare & singulare, quod habent in individuo: tum quia aliàs Deus haberet confusam rerum notitiam, quod repugnat perfectioni scientiæ ejus; nam cùm propria natura uniuscujusque, ait D. Thomas *art. 6.* consistat secundùm quod per aliquem modum divinam perfectionem participat, non Deus seipsum perfectè cognosceret, nisi cognosceret quomodocumque participabilis est ab aliis sua perfectio: nec etiam ipsam naturam essendi perfectè sciret, nisi cognosceret omnes modos essendi: unde manifestum est, quod Deus cognoscit omnes res propria cognitione. Tum secundò, quia Deus producit & conservat res secundùm esse singulare: ergo & illud debet cognoscere, aliàs cæco modo.

modo ageret. Maximè quia scientia Dei est causa rerum, subindéque est practica: practica verò cognitio (inquit idem S.Doctor *lib. 1. cont.gent.cap.95.*) non est perfecta nisi ad singularia perveniat; nam practicæ cognitionis finis est operatio, quæ in singularibus est. Et sic exclusos manet error Averrois & aliorum, qui perfectioni divinæ cognitionis singularium notitiam subtrahere nisi sunt, contra quos dicitur Hebr. 4. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus.* Et Eccles. 16. *Non dicas, Deo abscondar.*

Quintò porrigit se divina scientia ad omnia quantumvis vilia; & tantum abest, quod hoc nobilitati scientiæ ejus repugnet, quod potiùs attestetur, ut ait S.Thomas *cap.*7. & mirè probat: tum quia res quantumvis vilis, habet aliquam perfectionem & nobilitatem, cùm sit ens actu; dicitur verò vile respectu nobilioris: à Deo autem magis distant nobilissimæ rerum, quàm ultimæ creaturæ distent à supremis. Si igitur illa distantia rei vilis à nobiliori impediret Dei cognitionem, Deus nihil cognosceret; quod patet esse falsum. Tum secundò, si Deus solùm nobilia cognoscit, cognoscet ordinem universi, quod est omnium divinius: Sed ordo universi cognosci non potest, nisi attingantur nobilia & vilia, quia in eorum habitudinibus & distantiis ordo universi consistit: Ergo. Tum tertiò, quia tunc solùm cognitio vilium redundat in defectum cognoscentis, quando dum vilia considerat, à nobilioribus cogitandis abstrahitur, vel ex eorum consideratione in aliquas viles & indebitas affectiones inclinatur: sed neutrum in Deo esse potest, qui omnia simul cognoscit, & est bonum per essentiam; Igitur cognitio vilium non derogat perfectioni divinæ cognitionis. Denique virtus non judicatur parva, quæ in parva potest, sed quæ ad parva determinatur; nam virtus quæ in magna potest, etiam in parva potest: cognitio ergo quæ potest simul in nobilia & vilia, non est judicanda vilis, sed illa quæ in vilia tantùm potest: Deus autem & se & alia à se simul cognoscit: Ergo non maculatur ejus scientia vilia attingendo, sicut nec radii solis sterquilinii illustratione fœdantur. Vnde dicitur *Sap.*7. de divina sapientia, *quod attingit ubique propter suam munditiam, & nihil inquinatum incurrit in illam.*

Vltimò ad mala quoque extendit se divina cognitio, sive naturæ sint, sive pœnæ, sive culpæ. Dicitur enim Psalm. 138. *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Et Psalm. 85. *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo.* Psalm. 68. *Delicta mea à te non sunt abscondita.* Iob 11. *Ipse novit hominum vanitatem, & videns iniquitatem, nonne considerat?* Ratio est, quia cùm Deus cognoscat ordinem universi, quem ipse præscripsit, videt mala & nocumenta, quæ possunt quibusdam ex aliis provenire; unde & quædam animalia armis instruxit ad defensionem: videt ergo mala naturæ. Bonum etiam universi exigit ut peccatores puniantur: peccata ergo, & eorum pœnas Deus cognoscit. Vnde non refugit D.Thom. *hîc, art.16.* admittere Deum habere cognitionem practicam malorum; quia licèt mala, præsertim culpæ, non sint operabilia à Deo, cadunt tamen sub practica ipsius cognitione in quantum ea permittit, vel impedit, vel ordinat ad majora bona; sicut & ægritudines cadunt sub practica scientia Medici, in quantum per artem suam curat eas.

Nec cognitio malorum inducit in Deo aliquam deformitatem, sicut visio, aut pictura monstri non est deformis. Addit S. Doctor in illo libro toties laudato, nec satis unquam laudando, 1.cont.gent. c.71. *quod malorum cognitio nunquam vituperatur secundum id quod per se scientia est*; id est, secundùm judicium quod habetur de malis; sed per accidens, secundùm quod per considerationem malorum interdum aliquis ad malum inclinatur: hoc autem non est in Deo, quia immutabilis est: nihil igitur prohibet, quin Deus mala cognoscat. Quod si aliquando in Scripturis dicatur, Deum mala non cognoscere, hoc est vel quia ea dissimulat differendo punitionem; vel quia non cognoscit per propriam ideam, sed solùm per ideam boni, ut dicemus infrà; vel quia ea non cognoscit notitiâ approbationis, unde & Virginibus fatuis dixit, *Nescio vos.*

R e f l e x i o.

Intelligite insipientes in populo, & stulti aliquando sapite. Qui plantavit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non considerat? Psalm. 93. id est, ut interpretatur Genebrardus, estne verisimile, ut qui vim audiendi & cernendi hominibus tribuit, ipse res humanas nec videat, nec audiat? Vnde August. lib. 10. Conf. cap. 2. *Tibi Domine, cujus oculis nuda est abyssus humanæ conscientiæ, quid occultum esset in me, etiamsi nollem confiteri tibi? Te enim mihi absconderem, non me tibi.* Divina scientia ad omnia & singula se extendit. Quanta ergo est nobis necessitas indita probitatis, cùm ante oculos agimus Iudicis cuncta cernentis! Projectæ temeritatis argumentum est delinquere in conspectu Iudicis supremi, cujus judicium nulla exceptione declinari, nulla appellatione retardari, nulla revisione corrigi, nulla pœnitudine flecti potest: Iudicis, inquam, & simul legislatoris, cujus sanctiones violantur, leges spernuntur, edicta ipso intuente pessumdantur, flocci fiunt, profanantur. An fortè putas non videre, quia dissimulat? O cæcitas deploranda! Quàm vehementer arguit August. *in Regula*, in illum qui in mulierem figit oculum, arbitrans se à nullo videri! *Sed & si lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo desuper inspectore, quem latère nihil potest? An ideo putandus est non videre, quia tantò videt patientiùs quantò sapientius? Illi ergo vir sanctus timeat displicere.* Illi, inquam, cujus est (ut ait D. Bonav. in Psalm. 118.) *indicare, judicare, vindicare.* Ipse enim & indicat abscondita, & judicat merita, & vindicat illicita. Vnde dicitur 1.Reg. 29. *Domine Deus Israel, indica servo tuo.* Et 1.Cor. 4. *Qui judicat me Dominus est.* Et Iudith 16. *Dominus omnipotens vindicabit.*

S p e c u l a t i o III.

Duæ sunt præcipuæ excellentiæ divinæ scientiæ, quibus omni creata vel creabili antecellit: prima est, quod sit causa rerum, altera quod sit invariabilis.

Explicatur, & probatur primus scientiæ divinæ character. Et quidem nemo negat, scientiam Dei aliquo modo concurrere ad rerum productionem, saltem directivè, cùm id expressè doceat Scriptura Psalm. 103. *Omnia in sapientia fecisti.* Ad Ephes. 16. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Et Proverb. 8. dicitur de Sapientia, *Cum eo eram cuncta componens.* Et sanè cùm Deus sit agens intellectuale, nec cæco modo procedat in rerum productione, sed cum infinita sapientia omnia in numero, pondere, & mensura efficiat; fit inde, scientiam divinam prælucere omnibus operationibus divinis, juxta illud Proverb. 3. *Dominus sapientiâ fundavit terram, stabilivit cælos prudentiâ.* Et illud August. lib. 11. de civit. cap. 10. *Deus non fecit aliquid nesciens.* Sed in hoc nihil singulare habet divina scientia; hoc enim commune est omnibus agentibus intellectualibus.

Difficultas

Difficultas ergo restat, an scientia divina non solùm dirigat divinam voluntatem, sed etiam ipsum opus efficiat, supposita voluntate, atque adeò utrum non solùm scientia simplicis intelligentiæ speculativè concurrat ad opus, sed an etiam ipsa scientia visionis executioni mandet; & hoc est speciale privilegium, quod divinæ scientiæ asseritur.

Probatur primò non solùm authoritate Scripturæ locis citatis asserentis, quod proprium est divinæ scientiæ, *facere, componere, operari, stabilire, fundare*: quæ omnia non solam directionem, sed efficaciam indicant; sed etiam expressis authoritatibus Patrum. Dionys. lib. de divin. nom. c. 7. *Scientia divina omnium artifex, & semper omnia componit.* August. lib. 5. de Trinit. cap. 15. *Universas creaturas spirituales & corporales, non quia sunt, ideo novit Deus; sed ideo sunt, quia novit.* Et clariùs *lib.* 13. *Confess. cap.* 38. loquitur de scientia visionis: *Nos itaque ista quæ tu fecisti, videmus, quia sunt; tu autem quia vides, ea sunt.* Gregor. lib. 20. Moral. cap. 23. *Quæ sunt, non ab æternitate ejus ideo videntur, quia sunt; sed ideo sunt, quia videntur.* Et rursum lib. 32. Mor. cap. 6. *Non existentia videndo creat, existentia videndo continet.* Denique D. Thom. *hic*, *q.* 14. *art.* 8. non solùm asserit scientiam Dei esse causam rerum, sicut scientia artificis est causa artefactorum, & calor principium calefactionis; sed etiam addit scientiam Dei, quæ est causa rerum, supponere determinationem voluntatis, quod utique cōvenit scientiæ visionis. Et ibidem *ad* 1. explicans locum Origenis (quo utuntur Authores moderni oppositum sentientes) dicentis: Non propterea aliquid erit, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, ideo scitur à Deo antequam fiat. Respondet S. Præceptor: *Quod dicit* (Origenes) *ideo præscire Deum aliqua, quæ sunt futura, intelligendum est secundùm causam consequentiæ, non secundùm causam essendi; sequitur enim quod si aliqua sunt futura, quod Deus ea præsciverit; non tamen res futuræ sunt causa, quòd Deus sciat.*

Probatur secundò ratione. Deus producit res per actum imperii, ut colligitur ex illo, *Fiat lux.* Et Psalm. 148. *Dixit, & facta sunt; mandavit, & creata sunt.* Et Matth. 8. *Volo, mundare.* Quæ duo verba separatim legenda sunt, ut observat Hieron. Sed actus imperii est actus intellectus, & scientiæ visionis Dei: Ergo scientia visionis est causa rerum. Probatur minor: actus imperii pertinet ad intellectum practicum, supponens determinationem voluntatis: imperium enim est intimatio, ordinatio, & præceptum quod exprimitur hoc verbo, *fac hoc*: quæ omnia pertinent ad intellectum practicum; intimatio enim est spiritualis loquutio, quæ pertinet ad intellectum, qui est veluti os substantiæ spiritualis, juxta illud: *Os justi meditabitur sapientiam, & lingua ejus loquetur judicium.* Ordinatio etiam ad intellectum spectat, quia est effectus prudentiæ exequentis, prudentia verò est in intellectu: præceptum pariter, quia cùm sit actus superioris, pertinet ad supremam potentiam, quæ est intellectus: Atqui actus intellectus practici supponens determinationem voluntatis, non est scientia simplicis intelligentiæ, quæ antecedit decretum: Ergo est scientia visionis, quæ decreto innixa est, unde sola est scientia libera.

Confirmatur: Scientia simplicis intelligentiæ habet solùm ostendere factibilia, sed ea non facit; ostendere enim quid sit faciendum, non est operari: voluntas etiam, & decretum nun habent de se nisi velle opus; velle autem opus non est facere, sed superest exequutio, in qua totum negotium positum est; sæpè enim cognoscimus quid sit faciendum, & interdum volumus; & tamen in exequutione deficimus: Ergo præter cognitionem agendorum, præter voluntatem faciendi requiritur actus imperans hîc & nunc exequutionem; non quod Deus patiatur difficultatem in exequutione, cùm ejus voluntati nihil resistat; sed propter distinctionem objectorum distinguimus in Deo actus, sicut scientia visionis distinguitur à scientia simplicis notitiæ: objectum autem ut exequutioni mandandum addit aliquid objecto ut factibili, & volito: Ergo in Deo præter scientiam simplicis intelligentiæ, præter voluntatem faciendi datur etiam actus imperii efficax, quo non existentia videndo producit, existentia videndo conservat.

Hæc tria egregiè distinguit D. Thom. *in* 1. *dist.* 38. *q.* 1. *art.* 1. Sicut est causalitas artificis per artem suam, ita consideranda est causalitas divinæ scientiæ. Est ergo iste processus in productione artificiali. *Primò* scientia artificis ostendit finem, omnimùm opus faciendum: *secundò* voluntas ejus intendit finem illum: *tertiò* voluntas imperat actum, per quem educatur opus, circa quod opus scientia artificis ponit formam conceptam. Vnde scientia se habet ut *ostendens finem*, & ut *dirigens actum*, & *informans opus.* Vides, quod in tantùm voluntas imperat in quantum ex efficaci voluntate sequitur actus intellectus informans opus; & sic scientia habet rationem potentiæ exequentis, quâ producitur opus juxta formam conceptam, quæ operi imprimitur. Ex hac etiam doctrina habetur, triplicem conceptum esse distinguendum in scientia visionis, scilicet contemplationis, directionis, & exequutionis. Qua observatione solves omnia argumenta oppositæ sententiæ Molinæ, Suaris, & aliorum Antithomistarum.

Objicies: Visio intuitiva supponit objectum: Ergo non causat, aliàs Deus videndo peccata ea efficeret.

Respondeo, visionem divinam respicere res, non per existentiam sibi præsuppositam, sed à se derivatam. Sicut intellectio, quâ Pater generat Filium, est intuitiva Filii, & tamen respicit Filium ut procedentem: sic visio creaturarum est creativa; *dixit enim, & facta sunt*: & exemplum ministrat Philosophia; nam intellectus producendo verbum, illud contemplatur. Nec tamen causat peccata, quia visio & scientia Dei non est causa rerum formaliter ut visio, sed ut est exequutio & intimatio voluntatis; unde sicut ea non vult Deus, ita nec videndo efficit. Et sic exponendi veniunt quidam Patres, qui dicunt, non ideo res esse futuras, quia Deus novit, sed è contra: nam vel loquuntur de peccatis, vel solùm excludunt scientiam Dei libertatem necessitantem, vel demùm interpretatione quâ D. Thomas suprà explicat Origenem, exponendi sunt.

Altera pars speculationis, seu alterum divinæ scientiæ privilegium facilè probatur; nam cùm substantia divina sit actus purus, necesse est quod identificet sibi omnem perfectionem, proindeque scientiam, aliàs esset ens potentiale. Vnde dixit Augustinus lib. 7. de Trinit. *In Deo hoc est esse, quod sapientem esse.* Ergo sicut substantia Dei est omninò immutabilis, ita & scientia prorsus invariabilis; maximè quia quidquid est, vel esse potest secundùm aliquod tempus, Deus ab æterno sibi præsens agnoscit.

Ex his duabus dotibus moltæ aliæ consequuntur, quas prosequitur D. Thomas *in hac quæst.* ut quod scientia Dei sit speculativa respectu suæ bonitatis, sit verò speculativo-practica respectu creaturarum, quatum naturam & proprietates nedum perfectissimè comprehendit, sed etiam operatur juxta exemplar suarum idearum, cùm sit causa rerum. Deducitur etiam, scientiam Dei non esse discursivam; cùm enim omnia Deus in essentia sua, ut in causa invariabiliter cognoscat, fit inde quod omnia simul intelligit, &

& non successivè ex cognitione unius noti procedens ad cognitionem ignoti.

Addit S. Doctor *lib. 1. cont. gent. cap. 57.* quod tunc est ratiocinativa nostra consideratio, quando ab uno considerato in aliud transimus, sicut syllogizando à principiis ad conclusiones; non enim ex hoc aliquis ratiocinatur vel discurrit, quod inspicit qualiter conclusio ex præmissis sequatur, simul utrumque considerans; hoc enim contingit non argumentando, sed argumenta judicando: sicut nec cognitio materialis est ex eo, quod materialia dijudicat: Deus autem non considerat unum post aliud, quasi successivè, sed simul omnia: non ergo cognitio ejus est ratiocinativa, vel discursiva, quamvis omnem discursum, vel ratiocinationem cognoscat.

Vnde sic caput concludit: *Deus habet syllogizandi scientiam, tanquam judicans, & non syllogizando discurrens. Huic autem veritati etiam sacra Scriptura testimonium perhibet, dicitur enim ad Hebr. 4. Omnia nuda sunt & aperta oculis ejus. Quæ enim ratiocinando scimus, non sunt secundum se nobis nuda & aperta, sed ratione aperiuntur & nudantur.* Ex eodem principio excludit à Deo ibidem, *cap. 58.* compositionem & divisionem, & illud sic concludit: *Non autem propter hoc oportet nos dicere, quod Deus enuntiabilia ignorat; nam essentia sua cum sit una & simplex, exemplar est omnium multiplicium & compositorum, & sic per ipsam Deus omnem multitudinem & compositionem cognoscit. His autem sacræ Scripturæ authoritas consonat. Dicitur enim Isai 55. Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ. Et tamen in Psal. 93. dicitur, Dominus scit cogitationes hominum*, quas constat per compositionem & divisionem procedere. Dionys. etiam dicit capite septimo de div. nom. *Divina sapientia seipsam cognoscens cognoscit omnia, & materialia immaterialiter, & indivisibiliter divisibilia, & multa unitivè.*

Dices: Homo factus est ad imaginem Dei, per hoc quod est rationalis, & discursivus: Ergo in Deo etiam datur discursus, ut sit similitudo inter imaginem & prototypum.

Respondeo, hominem esse imaginem Dei, non per discursum & rationem, sed per intellectum simplicem, quo intelligimus principia, vel quo contemplamur uno intuitu veritatem partam per discursum, qui est excellentior modus cognoscendi, unde iste solus in Deo invenitur. Nam ut miré discurrit idem Angelicus Doctor ibidem, c. 54. rat. 7. *Quod est supremum in nobis, est inferius eo quod est in Deo; nam inferius non attingit superius, nisi in suo summo: supremum autem in nostra cognitione, non est ratio, sed intellectus, qui est rationis origo: Dei igitur cognitio non est ratiocinativa, sed intellectualis tantum.*

R e f l e x i o.

Verè dixit Ecclesiasticus cap. 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem*, qui radiis suis corruptibilia solùm generat, Deus verò aspiciens animum nostrum ditat, & aspectu beat. Felix quem Deus respicit; nam ut ait Chrysolog. serm. 34. *Donatur bonis, malis caret, quem viderit Deus.* Idem apparet in lacrymis Petri, quæ fuerunt partus oculorum Christi, dicente Luca 22. *Conversus Dominus respexit Petrum, & egressus foras, flevit amarè.* Et in beatissima Virgine, quam respiciens Deus bonis omnibus cumulavit. *Respexit*, inquit ipsa, *humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Dicunt Naturalistæ, quorundam fascinantes oculos necem inferre, idque contingere in occursu oculorum, cùm nimirum aliquis intuetur oculum venenosum, hic mutuus aspectus mortem parit: at divinus intuitus dum aspicit, parit vitam, modò à nobis pariter aspiciatur, ut patet allato exemplo Petri. *Christus oculis Petrum alloquitur, & Petrus oculis flentibus respondet, & mavult causam suam flere, quam dicere; & quod voce negaverat, lacrymis confitetur*, ut ait Ambros. serm. 46. de pœnit. & lib. 10. in Luc. cap. 22. *Quos Iesus respicit, plorant delictum. Negavit primo Petrus, & non flevit, quia adhuc non respexerat Dominus. Negavit secundò, non flevit, quia non respexerat Dominus. Negavit & tertio; respexit Iesus, & ille amarissimè flevit. Respice Domine Iesu, ut sciamus nostrum deflere peccatum, lavare delictum.*

C A P V T II.

De ideis, veritate, & vita Dei.

QVia (ut ait S. Thomas *initio quæst. 14.*) omne cognitum est in cognoscente, rationes autem secundùm quod sunt in cognoscente, ideæ vocantur; ideò post considerationem divinæ scientiæ agendum est de ideis divinis. Rursus quia scientia verorum est, & insuper intelligere est perfectissimus gradus vitæ, consequenter de veritate & vita Dei impræsentiarum agimus.

S p e c u l a t i o I.

Dantur in intellectu divino ideæ, seu exemplaria rerum omnium ad quæ Deus respicit, dum extra operatur, quæ nihil aliud sunt quàm essentia Divina cognita ut participabilis à diversis creaturis.

ANtequam suadeatur hæc positio, operæpretium est advertere, hanc esse communem ideæ diffinitionem: *Idea est forma objecta intellectui intra ipsum existens, ad quam aspiciens artifex operatur.* Dicitur *forma*, quia idea habet rationem causæ formalis extrinsecæ, cui res producenda conformatur. Dicitur *objecta intellectui*, ut distinguatur ab habitibus & speciebus, quæ sunt formæ accidentales, existentes quidem in intellectu per modum principii intellectionis, sed non per modum objecti; nam quamvis idea sit species & conceptus cognoscentis, tamen non ea ratione est idea, quatenus est principium, vel terminus cognitionis, sed quatenus reddit objectum expressè cognitum, tanquam rationem exemplandi res ad extra. Hoc enim proprium est rerum repræsentantium, quod non solùm considerantur secundùm suam entitatem, sed etiam in eis attenditur objectum depictum & repræsentatum: sicut speculum non solùm consideratur ut est crystallus, vel aqua limpida amnis reverberantis lucem; sed objectum ipsum in crystallo, vel aqua nitida inspicitur. Similiter conceptus non est idea prout reddit intelligentem, sed prout exhibet objectum imitandum. Additur, *intra intellectum existens*, ut distinguatur ab exemplaribus externis, quibus interdum artifices utuntur, dum opera sua elaborant; idea autem influit intelligibiliter & vitaliter in opus; unde debet esse intra intellectum. Denique ponitur, quod *ad eam artifex inspiciens operatur*, ut distinguatur à forma naturali, quæ influit in effectum absque hujusmodi reflexione; neque enim bos generans bovem aliquam formam imitandam respicit, ut eam generatione propaget. Hoc notato,

Prima pars assertionis est expressa doctrina Patrum. Dionys. *cap. 5. de divinis nomin.* ubi rationes rerum in

rerum in mente divina existentes vocat *exemplaria, & rationes substantificas.* August. inquirentis lib. 3. qq. q. 46. *Tanta vis in ideis constituitur, ut nisi eis intellectis sapiens nemo esse possit.* Boetii lib. 3. de consolat. metr. 9. *Tu cuncta superno ducis ab exemplo.*

Ratio est: Quidquid Deus ad extra operatur, non temerè, vel cæco modo, sed summa sapientia, in numero, pondere, & mensura producit, ut tota Scriptura docet, & enarrat totius ordo universi: Ergo necessariò confitendum est, dari in supremo artifice rerum omnium exemplaria, ad quæ respiciens operetur ad extra, & quæ, ut ait S. Prosper, *relucent in codicibus cœlorum, & in paginis elementorum.*

Secunda pars probatur: Essentia divina est causa creaturarum omnium, à quibus est imitatione participabilis. Ergo Deus intuens suam essentiam, videt omnes modos quibus est communicabilis sua perfectio, ac proinde inspiciens suam essentiam, intelligit illam esse imitabilem a tali, & tali creatura, hoc vel illo modo: Atqui hoc est habere rationem ideæ, seu formæ imitabilis: Ergo essentia divina cognita ut participabilis diversimode à creaturis, habet rationem ideæ creaturarum.

Confirmatur brevi confutatione aliorum modorum explicandi divinas ideas. In primis non potest dici, quod ideæ divinæ sunt ipsæmet creaturæ objectæ intellectui divino, quia creaturæ secundùm se non possunt cognosci à Deo, nisi ut credibiles & faciendæ, ac proinde, ut sic loquar, veluti ideabiles: Ergo non sunt formæ, vel ideæ, ad quas Deus respicit, sed ab alia inspecta originantur. Non potest etiam asseri cum aliis, ideas in Deo esse conceptum divinum; nam creaturæ producibiles non imitantur Deum sub ratione conceptus. Imò nec ipse conceptus in nobis habet rationem ideæ, prout afficit intellectum, eumque reddit intelligentem; sed secundùm munus repræsentandi objectum, sub qua ratione est derivabilis ad extra. Restat ergo ut dicamus cum D. Thoma *q.* 15. *art.* 1. *ad* 2. *& art.* 2. ideas Divinas nihil aliud esse, quàm essentiam divinam cognitam ut diversimodè participabilem à creaturis; talis quippe idea tantum decet artificem.

Objicies: Idea debet continere formaliter ideatum, cùm istud fiat ad instar illius: Sed essentia divina non continet formaliter creaturas, saltem quoad perfectiones secundùm quid, quæ habent admixtam imperfectionem, ut esse hominem, leonem, &c. Ergo essentia divina non potest esse idea creaturarum.

Respondeo, quod ut essentia divina sit idea rerum omnium creabilium, sufficit ut sit diversimodè imitabilis ab illis secundùm aliquem gradum entis; nullum enim est ens, quantumcunque imperfectum, quod in se non exprimat, licèt deficienter, aliquam perfectionem Dei, vel esse, aut vivere, vel intelligere: Deus ergo intuens plenitudinem essendi, quâ ditescit, videt etiam omnes modos, quibus talis eminentia effluere potest in creaturas. Quare non requiritur univoca similitudo inter ideam & ideatum, præsertim quando est idea artificis infiniti, & super omnia à se producibilia immensùm evecti, qui debet agere per ideam ordinis superioris, non restrictam & limitatam ad unum ideatum.

Instabis: Licèt Sol sit eminenter calidus, non est tamen idea caloris: Ergo licèt essentia divina eminenter omnes creaturas contineat, non tamen poterit esse idea creaturarum.

Respondeo negando paritatem, quia totum, quod in calore est, non derivatur à luce Solis, sed ad productionem caloris conducit dispositio materiæ sublunaris, in qua recipiuntur radii solares: cujus signum est, quod Sol non producit calorem in corporibus cœlestibus: nec corpora Sanctorum *septempliciter*, ut ait Scriptura, Sole lucidiora, producent calorem in paradiso: si autem Sol esset adæquata causa caloris, penetrans naturam Solis, in eo videret ideam caloris. Essentia autem divina est causa omnium omninò effectuum, ipsius quoque materiæ primæ, unde omnium singularum creaturarum idea esse potest.

Vrgebis: Vel est unica idea in mente divina, vel plures. Si unica, ergo eadem est idea hominis & leonis, quod patet esse falsum; si plures, ergo ideæ non sunt essentia divina cognita, quæ unica est.

Respondeo, sine dubio plures esse in Deo ideas, non quidem realiter distinctas, quia in divinis omnia sunt unum, nisi ubi obviat relativa oppositio; sed ratione differentes, quia idea in Deo non est præcisè essentia Dei, sed essentia Dei cognita prout est ratio faciendorum, & quatenus est tali, vel tali modo imitabilis: Deus autem cognoscit in essentia sua plures rationes faciendorum, & diversos modos, quibus est imitabilis, purà ab Angelo, secundùm unum gradum entis; ab homine, secundùm alium modum in eodem gradu; à lapide, secundùm alium gradum essendi. Vnde Augustinus loco citato: *Omnia ratione sunt condita, nec eadem ratione homo, qua equus; hoc enim absurdum est existimare.*

Insistes: In Deo non sunt plures artes, sed unica: Ergo nec plures ideæ, sed una, quam inspicit ars divina. Et certè si plures admittamus in Deo ideas virtualiter distinctas, multiplicabuntur in infinitum, & sic erunt infinita attributa idealia, nec sufficiet unum attributum ad omnes creaturas repræsentandas, quod videtur inconveniens.

Respondeo esse magnum discrimen inter artem & ideas divinas; ars enim concurrit ad opus per modum principii effectivè inducentis & imprimentis formam præconceptam; idea verò concurrit per modum prototypi, exemplaris, & causæ formalis extrinsecæ, unde se tenet ex parte objecti repræsentati; & ideò non sunt in Deo plures artes, quia est in eo unicum principium agendi ad extra; sunt tamen plures ideæ, sicut sunt plura objecta repræsentata in mente divina, & cognita in ejus essentia: unde nec ideæ sunt plura attributa, quia attributum dicit perfectionem ex parte subjecti se tenentem, quam perfectionem virtualiter non multiplicant ideæ, sed solùm multiplicant objecta cognita, sicque non sunt plures ideæ in Deo, nisi secundùm officium & munus distinguendi creaturas.

Persistes: Vniversum est unum unitate ordinis: Ergo Deus habet etiam unicam ideam repræsentantem totum universum, & partes ejus, sicque frustrà in Deo admittuntur plures ideæ.

Respondeo, quod licèt universum sit unum unitate ordinis, non tamen unitate rei producendæ; & ideò quamvis Deus habeat unicam ideam totius universi, habet etiam speciales rerum, prout inter se distinguuntur; sicut artifex habens ideam totalem domus, habet etiam ideam specialem scamni, & mensæ, & multò magis id de Deo censendum est, qui habet providentiam ad minima se extendentem, & qui posset, si vellet, unumquodque individuum solitariè producere, sine ordine ad universum.

Obsistes adhuc: Si Deus cognoscat plures rationes in sua essentia, quibus eam comparet ad res: Ergo facit ens rationis; nam illi respectus ideales divinæ essentiæ ad creaturas non sunt reales in illa, sed cogniti, atque adeò formati ab intellectu divino; tunc enim formatur ens rationis dum cognoscitur, cùm totum ejus sit cognosci, & hoc indicat D. Th. *hic, art.* 2. *ad* 3. dicens, respectus ideales esse causatos ab intellectu divino comparante suam essentiam ad res.

Respondeo de hac re jam solenne esse apud Logicos vel Metaphysicos disputari: pro nunc paucis dico, quòd licèt imitabilitas divinæ essentiæ non possit a nobis intelligi nisi concipiendo aliquem respectum rationis in essentia divina ad creaturas; aliter tamen Deus illam cognoscit per hoc solùm quod percipit creaturas subjectas imitabilitati essentiæ divinæ. Et licèt Deus videat à nobis apprehendi respectus rationis ad instar formæ realis, hujusmodi tamen relationes ipse non fingit; sicut dum videt nos discurrere, non propterea ipse discurrit, sed speculativè videt nostras fictiones & discursus, non practicè; quia non cognoscit non ens ad instar formæ realis, licèt illud cognoscat per formam entis realis. *Tunc autem solùm efficitur ens rationis*, ait D. Thomas opusc. 42. cap. 2. *quando intellectus nititur apprehendere quod non est, & ideo sic fingit, ac si ens esset.* Deus autem non sic cognoscit non ens, fingendo & veluti vestiendo illud entitate reali, sed ut est in se. Sed de his Philosophi. Hoc tamen apud omnes certum debere esse opinor, quod cùm idea sit illud cui assimilatur ideatum, & ad cujus instar fit, planum est ideam non posse esse ens rationis, cui assimilari non potest res ideata, quæ est realis.

Quæres, quorum Deus habet ideam?

Respondeo, Deum habere ideas rerum omnium possibilium, & futurarum, quia cognoscit quo modo, quave arte formari possint. Notat tamen S. Thomas, Deum non habere propriam ideam materiæ primæ, distinctam ab idea formæ & compositi, quia cùm materia non sit capax propriæ existentiæ, non est per se producibilis; adjuncta tamen formæ habet ideam, in quantum est producibilis. Alia verò omnia quæ sunt capacia existentiæ propriæ certum est quod habent propriam ideam, sicut per se, & solitariè sunt producibilia; & ideo non est opus per singula discurrere. De peccato dicam statim.

Reflexio.

Fatentur omnes Theologi, solius peccati Deum non habere ideam; nam sub divina arte non cadit, quod divinam causalitatem subterfugit, quale est peccatum. Maximè quia vel Deus ideam haberet deficientem, vel perfectam; non deficientem, cùm sit perfectissimus; si autem perfectam, malum esset bonum, utpotè divini exemplaris expressivum. Horrendum planè & detestandum monstrum, cujus nec ideam Deus patitur. Vnde non mirum, si Deus peccatoribus dicat, *Nescio vos.* Non mirum, si peccator dicatur *reductus ad nihilum*, imò si affirmentur non esse. Esther 14. *Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt*, id est peccatoribus. Et *Sapient.* 5. dicunt peccatores, *Sic nos continuò desinimus esse.* Quia nimirum homo dum incipit esse malus, recedit ab idea quam in Deo habet. Vnde rectè Boët. lib. 4. de consolatione: *Desinunt esse quod fuerant, sed fuisse homines, ipsa humani corporis species ostentat: quare versi in malitiam, humanam quoque amisere naturam.* Hinc præclarissimè Marsil Ficinus *in conviv. Platon.* peccatores semi-homines appellat, his egregiis verbis: *Qui Deum vero amore prosequutus fuerit, Deum inveniet, & se in Deo recuperabit; quia ad suam, per quam creatus est, redibit ideam, ubi rursus reformabitur, quia idea sua perpetuò cohærebit. Ideò quisquis nostrùm in terris à Deo separatus est, non est verus homo, sed semi-homo, cùm à sua idea sit, formaque disjunctus.*

Speculatio II.

Deus est prima, summa, & incommutabilis veritas.

Hoc attributum non solùm magnificant passim Scriptura & Patres, sed etiam Philosophi lumine naturali ducti, inter quos nonnullus dicebat, quod si Deus visui fieret aspectabilis, assumeret lumen corporis vice, & vice animæ veritatem.

Probatur: Veritas accipitur tripliciter, in essendo, in cognoscendo, & in dicendo. Veritas in essendo est proprietas entis secundùm quam res habet esse fixum, ratum, & tale, quod sit consonum intellectui divino res prout esse debent cognoscenti. Veritas in cognoscendo est conformitas cognitionis cum objecto. Veritas in dicendo, seu veracitas, est conformitas dictionis cum cognitione. Atqui hæc triplex veritas in Deo perfectissimè invenitur: Ergo Deus est summa veritas. Probatur minor, & primò quidem de veritate in essendo; nam esse divinum non solùm est conforme suo intellectui, sed etiam est ipsum intelligere. Quatenùs verò sit indefectibile esse divinum, satis patet ex dictis de immutabilitate, & æternitate.

De veritate etiam in cognoscendo idem patet; cùm enim scientia Dei sit perfectissima & infinita, pertingens ad intima quorumcunque cognoscibilium, ut suprà demonstratum est, manifestè relinquitur, divinum intellectum res cognoscere prout sunt in se. Imò observat D. Thomas multis in locis hujus quæstionis 16. alisque, hanc esse differentiam inter cognitionem Dei, & intellectus creati, quod divina est mensura & regula veritatis rerum, à qua potiùs cognitio creata regulatur. Vnde sicut res artificiales dicuntur veræ per ordinem ad intellectum artificis, à quo per se pendent (dicitur enim domus vera, quæ assequitur similitudinem formæ quæ est in mente boni artificis) ita res naturales dicuntur esse veræ secundùm quod assequuntur similitudinem idearum quæ sunt in mente divina; dicitur quippe verus lapis qui assequitur eam naturam, quam idea lapidis in Deo repræsentat. Cùm enim omnis creatura sit vestigium Dei, & aliqualis expressio plenitudinis essendi quæ in Deo est, discernitur legitima alicujus natura à ficta vel spuria per originale divinum: & quanvis nos non possimus recurrere ad ideas divinas quas ignoramus, nihil refert; quia nos pro hoc statu cognoscimus res dependenter à sensibus, quibus sola accidentia percipimus, nec latentes essentias pervadimus: & inde ad accidentia recurrimus, quando discernere volumus inter legitimum, & spurium; inter aurum, & aurichalcum. Sed Deus, & etiam Beati de veritate rerum judicant per exemplar infallibile divinarum idearum.

Denique de veritate in dicendo facilè demonstratur: tum quia attestatur Scriptura, Deum esse ita veracem, ut impossibile sit ab ipso proferri falsitatem, vel mendacium. Num. 23. *Non est Deus quasi homo, ut mentiatur.* Rom. 3. *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Psalm. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis.* Hebr. 6. *Impossibile est mentiri Deum.*

Probatur ratione: Si Deus esset capax mendacii dicendo falsum, & animo fallendi, vel id esset per seipsum immediatè, vel mediantibus suis administris. Neutrum dici potest: Ergo in Deo est summa veracitas. Probatur minor quoad primam partem. Sicut malum & bonum repugnant, ita verum & falsum: Sed primæ & summæ bonitati repugnat omne malum:

Ergo

Ergo primæ & summæ veritati repugnat omne falsum; pura enim veritas non est, cui pureist falsitas vel fallacia permisceri: nec summa veritas est, quâ major concipi potest; major autem est illa veritas, cui omnis falsitas repugnat.

Secunda pars minoris inde etiam manet probata, quia si Deus posset per alium decipere, ejus veritas summa non esset; major enim foret illa quæ nec per se, neque per alium fallere potest. Adde *primò*, quod ejusdem deformitatis est præcipere malum, ac illud patrare; nam moralis causa censetur ea cujus imperio delinquitur: unde ministrorum fallacia Deo decipienti jure tribueretur, si Deo imperante mentirentur. Adde *secundò*, quod si Deus per ministros suos falleret nos, cùm per seipsum rarò admodum loquutus sit, nulla esset firmitas in sacris Litteris hominum ministerio exaratis, quibus fidem adhibere minimè tenebimur, si non constaret Deum neque per se, neque per alios posse decipere. Nec sufficit dicere, Deum posse declarare per quosdam certos ministros, non mentiri. Nam si absolutè mentiri posset Deus, meritò dubitabo an in illa ipsa sua declaratione mentiatur, sicut in simili contra permittentes mendacium argutè discurrit August. lib. cont. mend. cap. 4. & 18. *Quomodo credendum est ei, qui putat quandoque esse mentiendum; nam tunc fortè mentitur, cum præcipit ei ut credamus.* Difficultates, quæ contra hoc ex quibusdam Scripturæ locis opponi possent, expediemus alibi.

Quæres quid sit adorare Deum in veritate? de quo dicitur Ioan. 4. *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate.* Quid item, invocare Deum in veritate? de quo dicitur Psal. 144. *Prope est Dominus omnibus invocantibus eum, invocantibus eum in veritate.*

Respondeo id nihil aliud esse, quàm cultum divinum non in solis externæ venerationis ceremoniis, sed solidatum virtutum praxi consistere. Licèt enim externus cultus, præsertim verò sacri ritus ab Ecclesia approbati, multùm ad pietatem conducant; parum tamen, vel nihil juvant, nisi solennem foris ritum internus comitetur affectus. Itaque sicut in natitalibus ad discernendum verum à falso, solidum ab apparenti, legitimum à spurio triplici utimur regula, inquirimus enim principia, discutimus prædicata constitutiva, & consideramus effectus; illud v. g. credimus verum aurum, quod in aureis mineralibus genitum, cui diffinitio auri competit, & cui non desunt auri proprietates & signa, ut color, soliditas, pondus, efficacia: ita pariter ille in veritate Deum adorat, verèque, non adulterinis fulget virtutibus, quas charitas omnium principium & forma movet & applicat; quibus vera virtutis notio, non larva & umbra convenit (solent enim sæpiùs vitia speciem virtutis induere) & demùm quæ crebros prorumpunt in actus. Ille ergo invocat, & adorat in veritate, qui Deum unicè quærit, qui corde, non labiis Deum honorat, & qui exhibitione bonorum operum internum cordis affectum prodit.

Reflexio.

Quæ mox diximus pro reflexione sufficerent. Sed addo triplicem Deo assertam veritatem esse totius Christianæ vitæ exemplar. Veritatem in essendo exprimimus, si veri homines sumus; pauci enim sunt tales. Vnde Ieremias aiebat cap. 4. *Intuitus sum, & non erat homo*; quia pauci rationem, quâ homines sunt, sequuntur. Vnde Beatus Damasc. *in vita Barlaah. & Iosaph. cap.* 18. narrat Barlaham interrogatum à Iosaphat Rege Indiarum quot aonis natus esset, respondit se quadragesimum quintum annum attigisse, quod mirans Iosaphar, videns eum senio confectum & canitie tugisque venerabilem, rationem ab eo audivit: *Quando vivebam serviens peccatis, mortuus eram; annos mortis nunquam vita nominabo.* Et Epictetus dicebat: *Hominis nomine dignus non est, qui virtutis studiosus non est.* Moritur ergo & caret esse, qui Deo non servit, cujus proinde veritatem in essendo non assequitur. Veritatem in cognoscendo exprimimus, si res non stateris hominum mendacibus, sed pondere Sanctuarii & lumine divino appendamus; si tale judicium de rebus feramus, quale Deus fert; si flocci faciamus quæ Deus parvipendet, quæ verò pluris facit, pretio habeamus. Si ita de rebus sentiremus, majoris ponderis apud nos esset actus virtutis, quàm omnia bona terrena. Denique veracitas divina in lingua nostra relucebit, si depònentes mendacium veritatem loquamur, si simulationem, amphibologiam, restrictionum & æquivocationum usum societatis humanæ inimicum damnemus. Nam *væ duplici corde*, & abominatio est ante Deum *pondus & pondus*. Nec solùm apud Deum, sed etiam apud homines; nam ut ait August. in Enchir. cap. 17. *Vsque adeo rationalis natura refugit falsitatem, ut falli nolint, etiam qui fallere amant.*

Speculatio III.

Deo ita perfectè competit vita, ut apud ipsum omnia vivant.

Primam partem passim inculcant Scripturæ. Psalm. 83. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* 1. Timoth. 4. *Speramus in Deum vivum.* Ioan. 14. *Ego sum via, veritas & vita.* Et alibi millies.

Probatur ratione D. Thomæ: In hoc distinguuntur viventia à non viventibus, quòd ista non agunt ex seipsis, sed solùm aguntur ab aliis, sicut animal dicitur mortuum quando desinit se posse movere, sed ab aliis movetur & defertur: ideo etiam corpora gravia & levia non dicuntur vivere, quia non moventur à seipsis, sed à motore extrinseco impellente, purà generante, vel removente prohibens, ut ait Philosoph. 8. *Phys. text.* 12. Cujus signum est, quod gravia & levia non moventur, nisi secundùm quod sunt extra dispositionem suæ naturæ extra proprium locum; cùm verò sunt in centro, quiescunt: aliæ verò res verè viventes moventur etiam quando sunt in sua dispositione naturali, non autem solùm in accessu, vel recessu ab illa; imò potiùs secundùm quod recedunt à dispositione naturali, recedunt etiam à motu. Ergo quanto aliqua causa magis aget ex seipsa, & non ab alia, tantò perfectiùs vivet: Atqui Deus maximè agit ex seipso: Ergo ipsi perfectissima vita competit. Major, & prima consequentia constant.

Minor probatur. Ad agendum tria requiruntur: finis intentus; omne enim agens agit propter finem: forma & virtus, quâ possit agere: & executio, quâ agentis potestas reducatur in actum. Ergo illud agens minùs aget ex seipso, cui illa tria determinabuntur ab alio; illud verò magis aget, quod illa tria magis habebit à seipso. Quod exemplo explico. Ideo putum instrumentum non agit ex seipso, quia & finis, & virtus agendi, & executio determinantur illi ab agente principali. Plantæ verò incipiunt habere infimum gradum, seu ut ait Dionys. cap. 6. de divin. nom. *ultimam resonantiam vitæ*, quia ex seipsis exequuntur motum nutritionis & augmentationis; finis verò & forma est illis ab Authore naturæ indita: nam nec finem sibi præstituunt, nec formam ullam, quâ agunt, acquirunt. Animalia verò

ad perfectiorem vitæ gradum ascendunt, quia non solùm ex semetipsis exequuntur suas functiones, sed etiam formas acquirunt ministerio sensuum; & ideo ad distantia pergunt, quæ sensu perceperunt: finis tamen illis præfigitur à natura, cujus instinctu & impetu aguntur. Vnde perfectior est vita in agentibus intellectualibus, quæ non solùm à seipsis exequuntur operationes, comparant sibi species, & formas rerum, sed etiam sibi finem præstituunt, cujus bonitatem discernunt, necnon convenientiam mediorum ad ipsum. Sed quamvis intellectus apprehendat finem, ipsumque voluntas amet; tamen creatura intellectualis in suis operationibus agitur ut agat, non solùm quia est causa secunda à prima in omni operatione sua pendens, sed etiam quia in assensu primorum principiorum intellectus à natura determinatur, sicut & voluntas in amore beatitudinis, quam non potest non velle. Igitur soli Deo competit supremum fastigium vitæ, quia à nullo in ullo casu movetur. Nam cùm ejus esse sit realiter ejus intelligere, cùm ejus finis sit propria bonitas, bonitas verò sit ejus velle, à nullo alio nisi à seipso movetur; imò ipse est suus motus, & sua actio; motus, inquam, non prout est actus imperfecti & entis in potentia, sic enim actui puro immutabili repugnat; sed prout idem est ac perfectissima operatio, scilicet intelligere & velle.

Dices: In illa ratione supponit S. Thomas aliquid falsum, nempe vitam competere ipsis quæ se movent; quod tamen non est verum: nam gravia & levia non vivunt; & tamen movent seipsa, nec moventur à generante, quod sæpè contingit non esse, dum ipsa moventur.

Respondeo ex Ferrariensi 1. *cont gent. cap* 97. §. *considerandum secundò*, in tantum motum gravium & levium dici à generante, quia ab ipso est fundamentum & causa, à qua naturaliter resultat motus sine nova actione generantis. Ignorantia autem hujus multos errare facit; arbitrantur enim S. Thomam velle gravia & levia sic moveri à generante, etiam ipso corrupto, quod nova actione novum impulsum generans imprimat; quod nunquam somniavit. Sed mens ejus est, quod moventur à generante, sicut ab eo qui dedit formam, à qua naturaliter resultat motus, & per consequens tanquam ab eo qui motum fundamentaliter produxit, qui motus deducto impedimento naturaliter per modum proprietatis resultat. Itaque gravia & levia non vivunt, quia non eliciunt motum, qui tanquam proprietas absque actione procedit, ut fusiùs explicatur in Physica.

Secunda pars publicè cantatur in Breviarii Romani Invitatorio officii Mortuorum: *Regem, cui omnia vivunt, venite adoremus.* Et colligitur ex illo Ioan. 1. *Quod factum est in ipso vita erat.* Licèt enim Chrysostomus *homil.* 4. aliter textum illum dispungat, & legat, *sine ipso factum est nihil quod factum est*, ut sensus sit, Nihil est factibilium, quod non sit à Deo; & posito puncto pergat, *in ipso vita erat, & vita erat lux hominum*, &c. Tamen Patres Latini legunt ad sensum nostræ assertionis, maximè Augustinus expressè dicens: *Pronuntia sic, quod factum est, ac deinde infer, in illo vita erat.* Id est conjunge hæc ultima verba cum prioribus; subdit enim: *Quid est hoc, Facta est terra; sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita. Est autem in ipsa Sapientia spiritualiter ratio quadam, qua terra facta est: hæc est vita. Ergo quod factum est in illo, vita est. Attendite arcam in arte, & arcam in opere: arca in opere non est vita, arca in arte vita est, quia vivit in artificis anima.*

Probatur ratione, quam ibi insinuat Augustinus. Omnes creaturæ sunt in essentia divina intellectæ, & veluti relucent in essentia divina ut cognita: Sed essentia divina ut cognita & repræsentans intellectui divino omnes creaturas, est vita per essentiam: Ergo omnes creaturæ à Deo factæ, sunt in Deo vita divina. Vnde sicut verum est dicere, quod forma domus quæ habet esse materiale in seipsa, habet tamen esse immateriale & spirituale in mente artificis: ita res omnes quæ in seipsis non vivunt, in mente divina habent esse & vitam divinam. Nec de hoc potest esse difficultas, nisi de nomine.

R e f l e x i o.

Multis Christiano nomine nuncupatis objici potest illa *Apocal. cap.* 3. exprobratio: *Nomen habes quod vivas, & mortuus es.* Non vivit, sed mortuum est, quod à principio intrinseco non agit. Quot autem invenies, qui interno charitatis motu, non externi commodi, vel gloriæ intuitu operentur? Graviter & verè aiebat Philosophus Moral. epist. 1. *Magna vitæ pars elabitur malè agentibus; maxima nihil agentibus; tota aliud agentibus.* Cadaveribus ergo non viventibus constat genus humanum, & fermè Christianum; nam *fides sine operibus mortua est.* Iacob. 2. Vnde Augustinus serm. 141. de tempor. *Homo si malè vivit, non vivit.* Certè si non vivit ramus à radice præcisus, quo pacto vivet homo sejunctus à Deo, apud quem est *fons vitæ?* Ars artium est ars vivendi, nec parva res est scire vivere. Et ut ait Seneca de brevit. vitæ, cap. 7. *Vivere totâ vitâ discendum est.* Quod si vis adipisci veram vitam, audi August. *tract. penult. in Ioan.* ubi docet quod ille verè vivit, qui Deum amat. Aurea verba ejus sunt hæc: *Nescio quo explicabili modo quisquis seipsum, & non Deum amat, non se amat? & quis Deum, non seipsum amat, ipse se amat? qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se; non ergo se amat, qui ne vivat, se amat. Cum verò ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo magis se diligit, qui propterea non se diligit, ut eum diligat de quo vivit.* Quid sublimius, vel divinius?



DISSERTATIO II.

De medio cognitionis Divinæ, ubi de scientia media.

QVANVIS reverà Deus nullo ad cognoscendas creaturas medio utatur, qui omnia in seipso videt, & ut ait Bernard. lib. 5. de consid. *totus est lux, & tenebræ in eo non sunt ullæ; totus est oculus, & qui minimè aliquando fallitur, quia minimè clauditur; qui extra se non quærit lumen, cui admoveatur, ut videat; ipse qui videt, ipse unde videt.* Tamen explicandum restat qua ratione essentia Divina possit esse medium cognoscendarum creaturarum.

C A P V T I.

In quonam medio cognoscat Deus possibilia, & futura?

DEcursis omnibus, ad quæ Divina scientia porrigitur objectis, superest grandis difficultas de medio in quo illa omnia attingat, tam possibilia, quàm futura, sive absoluta, sive conditionata.

SPECULATIO I.

Deus cognoscit omnia possibilia in essentia sua, tanquam in causa, & medio cognito, non in seipsis primò & immediatè inspectis, seu independenter ab essentia divina priùs visa.

VT intelligatur hæc propositio, quæ tanti momenti est, ut illi dicenda de cognitione futurorum, decretis divinæ voluntatis, prædestinatione, & gratia annexa sint; sciendum duplex distingui medium cognoscendi. Vnum est, quod priùs cognitum ducit in cognitionem alterius, & dicitur medium *in quo*: sic præmissæ ducunt ad notitiam conclusionis, effectus in cognitionem causæ, imago ad cognitionem prototypi: alterum dicitur medium incognitum, seu medium *quo*, quia ut ducat in cognitionem alterius, non est opus quod cognoscatur, sed quod alterius cognitionem pariat: sic species intellectus nostri efficiunt nos cognoscere objecta. Nullus autem inficiari potest, divinam essentiam esse veluti speciem intellectus divini in cognitione creaturarum; nam cùm objectum debeat esse intra potentiam ut cognoscatur, vel per se, vel per suam speciem; aliunde verò repugnet intellectum divinum speciebus acceptis informari, planum est divinam essentiam habere rationem speciei, & medii *quo* respectu eorum omnium quæ cognoscit. Difficultas ergo solùm restat, an essentia divina habeat rationem medii priùs cogniti, ita ut ideo solùm Deus creaturas cognoscat, quia se cognoscit, & in se videt illas. Contendit mordicùs Vasquez, Deum nullas creaturas in seipso cognoscere, sed tantùm in seipsis, & in veritate objectiva. Nihilominus

Probatur assertio primò authoritate Patrum. Ambrosii tract. in Symb. c. 1. *Licèt omnia, & cœlestia ac minima quæque prospiciat Deus, nihil tamen extra intelligit, sed singula in se intuetur.* August. lib. 83. qq. q. 46. *Sacrilegium est asserere quod Deus exeat extra se ad aliquid cognoscendum.* Quem locum explicans D. Thom. art. 5. ad 1. ait: *Dicendum quod verbum Augustini dicentis quod Deus nihil extra se intuetur, non est sic intelligendum, quasi nihil quod sit intueatur; sed quia id quod est extra seipsum, non intuetur nisi in seipso.* Vtitur etiam D. Thom. ad hanc veritatem stabiliendam authoritate D. Dionys. *lib. 1. contr. gent. cap. 49.* dicens: *Apparet Deum cognoscere seipsum quasi primò & per se notum, alia verò sicut in essentia sua visa.* (Ecce manifestè medium in quo.) *Quam quidem veritatem expressè Dionys. tradit in 7. cap. de divin. nomin. dicens: Non secundùm visionem singulis se immittit, sed secundùm causa continentiam scit omnia.* Et infrà: *Divina sapientia seipsam cognoscens scit alia. Cui etiam sententiæ attestari videtur Scriptura sacra authoritas; nam in Psal. 101. de Deo dicitur, Prospexit de excelso sancto suo, quasi de seipso excelso alia videns.* Et in hac 1. p. q. 14. art. 5. *Deus seipsum videt in seipso per essentiam suam, alia autem à se videt non in seipsis, sed in seipso.* Quod reperit singulis ferè articulis hujus quæstionis. Denique hanc veritatem confirmat Concilium Valent. sub Lothario, cap. 2. *Deus novit omnia antequam fiant, & suâ omnipotentiâ, & incommutabili majestate.*

Probatur secundò duplici discursu S. Thom. Primum prosequitur *hic, art. 6. & 11.* & sic formatur: Deus res omnes possibiles continet in se virtualiter & eminenter, non solùm quoad rationes communes & genericas, sed etiam individuales; aliàs Deus non esset prima omnium causa: Ergo Deus omnes creaturas possibiles in essentia sua ut in causa cognoscit. Probatur consequentia: Deus seipsum ommimodà comprehendit, cùm non sit minor virtus intellectiva scientiæ, quàm sit perfectio & intelligibilitas essentiæ: Atqui non potest aliqua causa comprehendi, nisi in ea cognoscantur effectus qui in ejus virtute continentur; aliàs non pertingeret intellectus ad omnes modos quibus causa illa est cognoscibilis; sicut non comprehensivè penetraretur principium, nisi in eo intelligerentur omnes propositiones, quæ deduci ex eo possunt: Ergo si Deus sit causa omnium, in seipso ut in causa creaturas omnes intuetur. Et sic ejus cognitio habet rationem sapientiæ, quæ est cognitio rerum per altissimas causas: quæ sanè notitia rerum in prima veritate ut in causa tanto est Deo dignior & perfectior cognitione rerum in seipsis, quantò virtus increata est medium perfectius veritate ipsa objectiva rerum, & cognoscibilitate propria. Vnde dicit August. quod cognitio creaturæ in seipsa *decoloratur est*, quàm in Dei sapientia, in qua cognoscitur veluti in arte, per quam facta est. Et licèt in nobis melius sit rem videre in seipsa quàm in alio, v. g. hominem in seipso quàm in speculo, ut docet D. Thom. *hic, art. 1. ad 4.* quia scilicet rem meliùs videmus in seipsa; id id tamen de Deo dici non potest, quia res omnes in sua essentia infinitâ comprehendit claritate.

Confirmatur, & simul multæ tacitæ instantiæ præfocantur: Licèt in causa incompleta, quantumvis comprehensa, non possint omnes effectus attingi, v.g. licèt Angelus comprehensivè cognoscat suam virtutem intellectivam, & intellectum humanum; non tamen cognoscit omnes suas, vel humanas cogitationes possibiles; quia scilicet intellectus non est causa completa cognitionum, sed completur speciebus, quas non habet respectu possibilium omnium, & sæpè determinatur ad varios conceptus per voluntatem. Similiter licèt Angelus comprehendat naturam Solis, non tamen ejus effectus in singulari, v. g. omnes circulationes (aliàs cognosceret diem judicii, in quo erit ultima) nec productiones rerum possibiles; quia determinatus numerus circulationum ex libera Dei dispositione pendet; productio verò effectuum naturalium ex vario materiæ apparatu. Cæterùm in causa completa & adæquatâ omnes omninò effectus attingi possunt. Sed omnipotentia divina est virtus completa & perfectissima omnium possibilium secundùm omnem prorsus rationem effectiva: Ergo in sua virtute cognoscit Deus omnes creaturas possibiles.

Secunda ratio quam ex professo prosequitur sanctus Doctor *lib. 1. cont. gent. c. 48. rat. 7.* in hoc consistit: Si Deus cognosceret creaturas immediatè in seipsis, & independenter ab essentia sua priùs visa, operatio intellectualis Dei speciem & perfectionem acciperet ab alio quàm à seipso; quælibet enim potentia perficitur per attingentiam sui objecti: creaturæ autem in se inspectæ pertinerent ad objectum formale divinæ cognitionis; siquidem primariò, immediatè, & independenter ab alio priùs noto attingerentur; nihil enim potest attingi immediatè, & esse solùm objectum secundarium, quod semper supponit primarium, in quo, & ratione cujus cognoscitur; objectum verò immediatum excludit omne prius, cujus cognitio mediet: qua de causa color est objectum formale & primarium potentiæ visivæ, non paries; quia color per se & immediatè, paries non nisi mediante colore respicitur. Sed consequens est indignum Deo, quod nimirum exeat Deus extra se, ut mendicet suam perfectionem à creaturis. Imò *hoc est impossibile*, ait D. Thom. *ibidem*, quia cùm operatio Dei sit ejus essentia, quæ est omninò absoluta à creaturis, repugnat quod ab alio distincto à se speciem & perfectionem desumat.

Hic discursus non solùm convincit Deum cognoscere creaturas in sua essentia, sed non nisi in sua

essentia, & non in seipsis immediatè illas attingere; per quod rejicitur etiam sententia eorum qui fatentur quidem Deum cognoscere creaturas in seipso, quia ita docent Patres, & aliter sentire est explicare Patres prout volumus; sed insuper addunt, Deum cognoscere creaturas immediatè in seipsis, quia Deus cognoscit eas omnibus modis, quibus sunt cognoscibiles; sunt autem creaturæ cognoscibiles & in veritate divina, & in propria. Sed ratio D. Thom. id etiam apertè excludit, quia cognitio semper perficitur ab objecto immediato, & impossibile est quod Deus mutuetur ab alio perfectionem suæ scientiæ. Quæ ratio sic magis instauratur: Nulla cognitio potest in Deo admitti, quæ non sit summè perfecta, & quæ non attingat objectum per rationem & medium perfectissimum: Atqui potest dari ratio formalis, & medium in quo exactissimè cognoscantur creaturæ à Deo altiùs & perfectiùs, quàm sit propria earum cognoscibilitas, ut fatentur ipsimet adversarii, & ideo admittunt Deum cognoscere res in seipsis, & in prima veritate, quæ procul dubio est infinitè altior veritate creata: Ergo in sola sua essentia Deus creaturas cognoscit. Vnde qui censet Deum cognoscere res in sua essentia, & ulteriùs vult quod eas cognoscat in seipsis, non addit majorem perfectionem divinæ scientiæ, quàm qui fulgori auri adjungeret rubiginem ferri. Et licèt verum sit, Deum cognoscere creaturas omnibus modis se tenentibus ex parte objecti cogniti, nihil enim subterfugit divinæ scientiæ lumen; non tamen cognoscit illas Deus omnibus modis se tenentibus ex parte cognoscentis, aliàs posset cognoscere discurrendo, & utendo speciebus; quod tamen diceret imperfectionem, quam etiam saltem arguitivè importat cognitio rei in seipsa immediatè, quia hoc infert, cognitionem perfici & mensurari ab objecto alieno.

Objicies: Divina essentia est omninò absoluta à creaturis, ad quas nec dicit relationem, nec cum eis assimilatur: Ergo nullatenus potest creaturas manifestare, nec habere rationem medii ducentis in cognitionem illarum. Probatur consequentia. Essentia divina hoc ipso quod est ens à se, & absolutum à creaturis, nullam habet connexionem cum illis, aliàs omnipotentia Dei penderet à possibilitate creaturarum, & æquè necessarium foret creaturam esse possibilem, ac Deum esse omnipotentem, & existentem; subindeque si musca fieret impossibilis, Deus fieret etiam impossibilis, quod videtur absurdum: Atqui ut essentia divina esset ratio cognoscendi creaturas, deberet habere connexionem cum illis: Ergo si essentia divina sit omninò absoluta à creaturis, nullo pacto potest eas repræsentare.

Respondeo hoc argumentum, quod est Vasquis Achilles, probare nostram conclusionem, non infirmare: nam si essentia divina sit absoluta & independens à creaturis, manifestè sequitur, Deum non exire extra se, ut à creaturis scientiæ suæ perfectionem mendicet. Rursum si essentia divina sit independens à creaturis, creaturæ maximè ab ea dependentes sunt; quanto enim causa est ab effectu magis independens, tanto amplius ab ea pendet effectus: ratio autem cognoscendi effectum per causam, non est dependentia causæ ab effectu, sed è contra subordinatio effectus ad causam; nam quo plus dependet effectus à causa, eo causa perfectiùs illum continet, profundiùs in eum influit, & strictiùs sibi illum connectit: Ergo eo maximè asserendum est, Deum cognoscere creaturas in sua essentia, quia hæc est ab omni creatura absolutissima.

Ad argumentum ergo dico, quod licèt essentia divina sit absoluta à creaturis, hæ tamen ab illa dependentes sunt; & licèt essentia divina non assimiletur creaturis, ipsæ tamen in Dei potentia continentur; unde in ea possunt cognosci, sicut conclusiones in principiis penetrari. Ad probationem consequentiæ dicendum, expressè D. Thomam asserere *q. 2. de ver. art. 3. ad 11.* quod deperiret perfectioni Dei, si auferretur ab eo potestas producendi creaturam, quæ potestas sine dubio tolleretur, si creaturæ fierent impossibiles; implicat namque potentiam subsistere, dum ejus objectum est impossibile; sicut veritas principii labatur necesse est, si conclusio necessaria & vera ex eo deducta fiat falsa. Nec propterea sequitur, Deum pendere à creaturis, sicut malè colligeretur principium pendere à conclusionibus; quia nimirum essentia Dei non est connexa cum creaturis possibilibus per mutuam utriusque extremi dependentiam, sed per dependentiam in uno, scilicet creaturis; & eminentiam in altero, scilicet Deo. Adde quod possibilitas creaturarum non est aliqua entitas extra Deum, sed est tantùm denominatio extrinseca petita à divina omnipotentia: non potest autem tolli denominatio extrinseca, nisi destructâ formâ à qua petitur, sicut denominatio visi desinit, quando cessat visio; creaturam igitur possibilem fieri impossibilem, est divinam omnipotentiam deperire, vel creaturas fieri independentes à Deo; quod utrumque repugnat.

Instabis: Major, & firmior veritas non habet connexionem necessariam cum minori, aliàs utraque esset æqualis firmitatis: Sed major est veritas divini esse, quàm possibilitatis creaturarum: Ergo ex destructione possibilitatis creaturæ non sequitur destructio existentiæ Dei.

Respondeo hanc instantiam manifestè confutari; nam veritas principiorum est magis firma veritate conclusionis, cùm hæc sit derivata ab illa, ut expressè probat Philosophus *1. post.* ex illo axiomate: *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Et tamen ex destructione veritatis conclusionis sequitur destructio veritatis principii, si consequens necessariò inferatur ex antecedente; nam in bona Logica à destructione consequentis sequitur destructio antecedentis: Ergo veritas major potest esse connexa cum minori, ita ut ex destructione istius sequatur destructio illius, non propter dependentiam majoris à minori, sed propter consequutionem istius ab illa. Ex quibus subsumo: Atqui ex divina omnipotentia tanquam ex principio certiori & firmiori sequitur possibilitas creaturarum, ut patet: Ergo ex destructione possibilitatis creaturæ sequitur destructio omnipotentiæ creativæ, ac proinde omnipotentia est connexa cum possibilitate cujusvis creaturæ quantumvis minimæ. Nam non minùs ex potentia creativa Dei infertur per bonam consequentiam possibilitas unius, quàm omnium; unde ex impossibilitate unius fieret Deus impossibilis, non propter æqualitatem veritatis utriusque, sed propter connexionem & consequutionem unius ex alio.

Insistes: Ex eo quod musca fieret impossibilis, non sequitur per locum intrinsecum, hominem fieri impossibilem: Ergo multò minùs Deum esse impossibilem, cùm sit magis necessarium Deum esse quàm hominem.

Respondeo, ex impossibilitate muscæ non sequi formaliter & directè impossibilitatem hominis, quia disparatè se habent, nec unum infert aliud: at verò possibilitas muscæ, & omnipotentia Dei non se habent disparatè, sed est connexio inter utrumque, sicut & inter principium & conclusionem; mediatè tamen & indirectè ex impossibilitate muscæ sequeretur impossibilitas hominis, quia sequitur ex ea distinctio omnipotentiæ, ex qua possibilitas hominis & aliorum omnium pendet.

Ex his infertes, quàm verè suprà diximus, Beatos cognoscere creaturas in Deo tanquam in medio cognito;

cognito; neque hinc sequi, Beatos non videre res secundùm propriam naturam; nam ut ait D. Thom. infrà, *quæst.* 58. *art.*7. loquens de Angelis beatis: *Non enim videndo Verbum cognoscunt solùm illud esse verum quod habent in Verbo, sed illud esse quod habent in propria natura.* Est tamen hoc discrimen inter intellectum beatum & divinum, quod ille videns res in Deo, potest eas extra Deum etiam videre, sed non Deus; quia licèt intellectus creatus possit perfici, specificari, & mensurari ab objecto creato, non tamen divinus.

R e f l e x i o.

Celebre est illud, & tritum Philosophorum consilium, *Nosce teipsum.* Hoc mirabile cognitionis divinæ omnia in seipso cognoscentis privilegium imitabimur, si nunquam à nostri notitia recedamus. Triplicem motum ex Aristotele agnoscunt Physici, *à centro, ad centrum, circa centrum.* A centro terræ movetur ignis dum sursum ascendit: ad centrum movetur lapis sursum pendens, sublato obice: circa centrum moventur cœli ut jugiter terram foveant. Animus noster ut solidè in virtute proficiat, semper ad centrum vilitatis suæ moveatur necesse est: quod si aliquando à centro cognitionis sui moveri compellitur, semper circa centrum miseriæ suæ giret, ut non evanescat in cogitationibus suis: & si rebus externis distrahi quandoque contingit, in se reversus relabatur in centrum, ut quod foris amisit, intus restauret. Opportunè & eleganter Bernard. de consid. lib. 1. cap. 5. *Si totus vis esse, omnium laudo humanitatem, sed si plena sit. Quomodo verò plena, te excluso? Et tu homo es: ergo ut integra sit & plena humanitas, colligat & te intra suum sinum, qui omnes recipit.* Et iterum lib. 3. cap. 3. *A te tua consideratio inchoet, ne frustra extendaris in alia, te neglecto. Noveris licèt omnia mysteria, noveris lata terræ, alta cœli, profunda maris: si te nescieris, eris similis ædificanti sine fundamento, ruinam, non structuram faciens. Quidquid exstruxeris extra te, erit instar congesti pulveris ventis obnoxium: non ergo sapiens, qui sibi non est. A te proinde incipiat tua consideratio, non solùm autem, sed & in te finiatur. Quocumque evagetur, ad te revocaveris eam. Tu primus tibi, tu ultimus. Sume exemplum de summo Patre Verbum suum & emittente, & retinente: verbum tuum consideratio tua; quæ si procedit, non recedat; sic progrediatur, ut non egrediatur; sic exeat, ut non deserat.*

S p e c u l a t i o II.

Deus cognoscit futura contingentia in suo decreto efficaci & absoluto, non in seipsis, seu in veritate ipsorum objectiva antecedenter ad decretum.

PRobatur *primò* authoritate Patrum. Hilarii lib. 9. de Trinit. *Quæ Deus facere decrevit, in sua voluntate cognovit.* August. lib. de prædest. Sanct. cap. 10. *Prædestinatione ea præscivit quæ fuerat ipse facturus.* D. Thom. lib. 1. cont. gent. cap. 68. per totum, & maximè rat. 3. *Sicut esse Dei est primum, & per hoc omnis esse causa: ita suum intelligere est primum, & per hoc omnis esse causa. Sicut igitur Deus cognoscendo suum esse, cognoscit esse cujuslibet rei, ita cognoscendo suum intelligere & velle, cognoscit omnem cogitationem & voluntatem.* Quid apertius, & expressius? Et post multa sic concludit: *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus est potestate velle & non velle, excludit determinationem virtutis ad unum, & violentiam causæ exteriùs agentis; non autem excludit influentiam superioris causæ à qua est ei esse & operari, & sic remanet causalitas in causa prima, quæ Deus est, respectu motuum voluntatis, ut sic Deus seipsum cognoscendo, hujusmodi cognoscere possit.* Hæc ponderatione non egent.

Probatur secundò ratione: quod ut dilucidè & dearticulatè fiat, duo sunt ostendenda. *Primò*, Deum non cognoscere futura in seipsis, seu in propria veritate objectiva: *secundò* monstrandum est, Deum talia futura absoluta in suo decreto, tanquam in medio attingere. Primum sic ostenditur: Nihil est determinatè futurum ante decretum & prædiffinitionem divinæ voluntatis determinantis extrahere res è statu meræ possibilitatis, & dare illis existentiam determinato tempore. Ergo Deus non cognoscit futura contingentia in propria ipsorum veritate objectivâ antecedente decretum divinæ voluntatis. Consequentia est necessaria; quomodo enim cognosceretur futurum ante decretum, si ante decretum minimè futurum sit? Antecedens verò est D. August. lib. 26. contra Faust. cap. 4. *Ideò nescio quid sit futurum, quia quid habeat voluntas Dei de hac re, me latet: illud me tamen non latet sine dubio futurum, si hoc Dei voluntas habet.* Et tract. 68. in Ioan. *Deus fecit futura ea prædestinando*, ubi reducit futuritionem rerum in voluntatem Dei. Est etiam apertè D. Thom. 1. p. q. 16. art. 3. ad 3. *Omne quod est ex eo, futurum fuit antequam esset, quia in causa sua erat ut fieret; unde sublatâ causâ, non esset futurum illud fieri. Sola autem causa prima est æterna; unde non sequitur quod ea quæ sunt, semper fuit verum ea esse futura, nisi quatenus in causa sempiterna fuit ut essent futura, quæ quidem causa est solus Deus.* Quibus verbis S. Doctor non solùm præfatum antecedens evidenter docet, sed rationem illius indicat, quæ talis est.

Esse futurum nihil est aliud, quàm esse determinatum in causa ad habendam existentiam in aliqua temporis differentia; esse enim futurum non est denominatio intrinseca, quæ competit solùm rei existenti; sed extrinseca petita à causa, non præcisè ut potente producere, sic enim solam denominationem possibilis tribuit; nec ut influente esse, sic enim præbet denominationem existentis: Ergo solùm à causa ut determinata ad dandum esse in aliqua differentia temporis: unde & per hoc res futura distinguitur à merè possibili & existente, quòd merè possibilis sit intra causam, existens sit extra causam, futura verò in determinatione causæ. Atqui antecedenter ad divinum decretum nulla res est determinata in suis causis ad habendam existentiam, cùm Deus qui est prima causa, nondum concipiatur determinatus. Ergo ante determinationem primæ causæ nihil omninò est futurum, nisi velimus futuritionem rerum non dependere à Deo, sed esse necessariam. Sed causa prima non est determinata ad rerum futuritionem ante decretum voluntatis suæ: Ergo ante decretum divinæ voluntatis nihil est determinatè & positivè futurum, sed indifferens ut sit futurum, vel non futurum.

Alterum quod monstrandum restat, est Deum cognoscere futura in ipso decreto, & sic suadetur: Deus nihil potest cognoscere, nisi in essentia sua ut in causa & in medio priùs cognito, ne divina scientia à creaturis speciem & perfectionem desumat, ab eisque pendeat quantum ad certitudinem & veritatem, ut ostendimus speculatione præcedenti: Atqui essentia divina non est causa futuritionis rerum, nisi ut determinata per decretum, cùm Deus non sit agens naturale, sed liberum respectu creaturarum; non est verò liberum, nisi per decretum: Ergo Deus cognoscit futura in decreto, quo applicatur divina omnipotentia. Quod sanè decretum habet omnes conditiones medii ducentis in cognitionem futurorum; habet enim prioritatem naturæ & causalitatis, cùm sit causa rerum; habet etiam

connexionem

connexionem cum eventu futuro, cùm sit efficax, ejusque energia & vis omnipotentissima à nullo dependeat: Igitur in illo Divina scientia futura cognoscit.

Objicies: Quoticumque D.Thomas agit de scientia futurorum contingentium, & de medio in quo ea cognoscit, semper recurrit ad illorum præsentiam in æternitate, ut certò illa attingat, ut videre est *in art.13. hujus quæst.* Quod tamen nullatenus esset necessarium, si Deus ea certò præsciret in decreto voluntatis suæ.

Respondeo, ex locis à nobis adductis satis apparere, S. Doctorem recurrere ad Decretum Divinum, ut probet Deum dignoscere liberos nostræ voluntatis actus: quod si interdum meminit solius præsentiæ rerum in æternitate, hoc ideo est, quia hæc præsentia non excludit, sed supponit decretum; si enim illud non supponeret, futura præsentia æternitati non essent, aliàs omnia possibilia essent præsentia æternitati. Unde S. Præcep. *in 1. dist.38. quæst.1. art.5.* utrumque ingeniosè conjunxit, dicens: *Deus non solùm videt ordinem sui ad rem, ex cujus potestate res est futura* (ecce cognitionem futurorum in decreto; neque enim dicit ordinem necessarium ad futura, sed liberum, per decretum,) *sed ipsum esse rei intuitur*; ecce præsentiam in æternitate ex decreto sequutam.

Ad id quod additur, non esse necessarium recursum ad præsentiam in æternitate, si res Deus præsciat in decreto: respondeo quod licèt hæc præsentia non sit necessaria, ut Deus certam & infallibilem habeat futurorum notitiam, quippe quæ in decreto ex se efficaci, immutabili, & æterno abundè haberi potest; conducit tamen hæc præsentia, ut Deus habeat invariabilem, & intuitivam de futuris contingentibus visionem, modo suprà dum de æternitate, fusiùs explicato.

Objicies secundò: In causa universali non potest certò cognosci effectus, quia virtus ejus recepta in causa proxima, modificatur & determinatur ab illa, & interdum impeditur ex defectu illius, ut docet D. Thom. *loco mox citato ex Sentent.* Sed decretum Dei est causa universalis rerum: Ergo in illo non possunt futura contingentia cognosci.

Respondeo, quod licèt in causa universali impedibili, non habente infinitam efficaciam, nec attingente omnes modos & formalitates quæ sunt in effectu, non possit cognosci effectus nisi conjecturaliter; tamen in causa efficacissima, & omnia quæ in effectu sunt pervadente, optimè potest cognosci effectus contingens, & tale est divinum decretum, *cujus omne consilium stabit, & omnis voluntas fiet*, ut dicitur Isai. 46. *Sic enim velle & nolle in volentis aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*, ut ait August. *lib. de corrept. & grat. cap.14.* S. autem Thomas loco citato intendit solùm, Deum attemperare suum decretum & motionem naturis rerum quas permovet, causateque nedum substantiam actus, sed etiam modum necessitatis, vel libertatis juxta exigentiam illarum: ac subinde motio Dei determinatur objectivè, non effectivè à causis secundis, quatenus pro diversitate causarum diversum adhibet concursum vel per modum naturæ, vel per modum liberi, semper tamen efficacem, ut suo loco dicetur.

Objicies tertiò: Si Deus cognosceret omnia in essentia & decreto, cognosceret etiam in illo medio peccata. Sed Deus non cognoscit peccata in suo decreto causante eorum futuritionem, aliàs esset causa & author peccati. Ergo non omnia cognoscit Deus in decreto.

Respondeo, quoad peccata possibilia, Deum cognoscere illa sicut & omne malum, per bona quibus privant; unumquodque enim cognoscibile est secundùm quod est: unde cùm essentia mali & peccati sit privatio boni, per illud ipsum quo Deus cognoscit bona, cognoscet etiam mala opposita: cùm ergo Deus bona omnia per suam essentiam cognoscat, fit inde Deum non exire extra se, ut mala etiam possibilia cognoscat. Non tamen propriè debet dici, Deum cognoscere mala per suam essentiam immediatè, quia malum non continetur in ea, nec formaliter, nec virtualiter; sed dici debet, quod cognoscit malum per bonum oppositum, quod bonum Deus in se cognoscit.

Quoad verò ad mala futura, præsertim mala culpæ, dicendum illa cognoscere in suo decreto permissivo, quo Deus habet propositum non impediendi peccatum ob justissimas causas, aliquando quidem apertas, aliquando verò occultas, ob quas etiam denegat auxilium efficax; ex qua subtractione videt Deus sequi peccatum, non tanquam ex causa peccati, sed tanquam ex removente prohibens: sicut prævideri potest corruptio carnium ex remotione salis, casus tecti ex remotione columnæ cui innititur. Quod facilè conceDes, si consideres hominem ex nihilo productum, & ad deterius nihilum per peccatum originale redactum, sibi relictum proprio infirmitatis pondere in peccatum tendere. Videt ergo Deus, quod dum aliquod opus præceptum exequutioni est mandandum, vel ab aliquo, urgente tentatione, abstinendum, si homo propriæ voluntati relinquatur, in imminentem peccati ruinam prolabetur, juxta illud Psalm.81. *Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum.* Quid ex illa dimissione consequetur? *Ibunt in adinventionibus suis.* Et illud S. Cœlestini Papæ in epist. ad Episcop. Galliæ, cap.6. *Necesse est ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non auxiliante vincamur.*

REFLEXIO.

Sicut Deus cuncta facienda in sua voluntate cognoscit, sic nobis in omnibus agendis divina voluntas consulenda est. *Duæ sunt voluntates* (ait Aug. in Psalm.31. enarr.2.) *Sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei torqueatur ad tuam; prava enim est tua, regula est ista: stet regula, ut quod pravum est, ad regulam dirigatur.* Et iterum præfat. in Psal.124. *Qui sunt recti corde? Qui voluntatem suam ad voluntatem Dei dirigunt, non voluntatem Dei ad voluntatem suam curvare conantur. Vis habere rectum cor? Tu fac quod vult Deus, noli Deum velle facere quod vis tu.* Hujusmodi propriæ voluntatis amatores appositè appellat idem Sanctus in Psalm.146. *Pravicordios, & torticordios*; quia voluntatem Dei pravè distorquent ad suam. Prima, & ferè unica ratio, quare tam pauci in vita spiritus proficiunt, est quia medium cognitionis, & regula operationis eorum non est voluntas Dei, sed semper in circuitu ambulant, à se exeunt, ut ad se redeant. Ille autem, *qui in circuitu ambulat* (ait Bernard. serm.12. in Psalm. Qui habitat,) *proficiscitur quidem, sed proficit nihil. Væ homini qui sequitur hunc circuitum, qui nunquam à propria voluntate recedit.* Dicamus semper cum Paulo Act.9. *Domine quid me vis facere?* Et cum Thoma à Kemp. lib.3. cap.18. *Pone me Domine ubi vis, & liberè age mecum: in manu tua sum, gira, & reversa me: en servus tuus sum ego, paratus ad omnia.*

SPECULATIO III.

Quibusdam consectariis excluduntur alia media divinæ cognitionis respectu futurorum.

EX hactenus statutis sequitur 1. perperam assignari ab authoribus modernioribus alia media, in quibus Deus

Deus futura cognoscat. In primis enim non potest dici cum Molina, Deum cognoscere futuros effectus contingentes in suis causis liberis, & contingentibus ut supercomprehensis. Nam ut rectè arguit S. Thom. quæst. 14. art. 13. *In causa contingenti non potest certò cognosci futurum, sed solùm conjecturaliter.* Quantumvis enim Deus comprehendat, & supercomprehendat causam contingentem, non potest effectum in illa attingere, nisi eo modo quo est, aliàs non rectè cognosceret: Sed effectus non continetur certò in causa contingenti: Ergo in illa etiam supercomprehensa non cognoscitur effectus determinatè futurus. Imò potiùs quia Deus causam contingentem comprehensivè penetrat, ideo magis ejus indifferentiam, & indeterminationem introspicit, subindeque in illa non videt determinationem effectus, sed suspensivam indifferentiam ad ponendum, vel non ponendum illum.

Sequitur 2. non benè etiam assignari à Suare pro medio cognitionis futurorum decretum de futuro: tum quia decretum Dei, utpote æternitate mensuratum, non potest nisi fingendo concipi ut futurum, quæ fictio longè est à Deo: tum quia vel illud decretum futurum est prædeterminans & ex se efficax, vel indifferens. Primum formidat libertas adversarii; secundum verò nihil juvat, cùm in causa indifferenti ad positionem, vel non positionem effectus, nequeat cognosci determinata futuritio positionis illius. Tum demùm, quia restat indagandum, in quonam medio cognoscat Deus decretum suum illud futurum, an in decreto præsenti de habendo futuro? & hoc non, aliàs superfluè adveniret futurum, cùm per præsens res sufficienter determinata & resoluta maneat: an in essentia & voluntate nudè sumptis? & hoc etiam dici nequit, siquidem de se indifferentes sunt ad volitionem, vel nolitionem.

Sequitur 3. Non posse etiam afferri pro medio cognitionis futurorum illud quod assignat Vasquez contendens Deum cognoscere futura in veritate objectiva fundata in eventu futuro. Nam hæc veritas objectiva antevertens decretum est merè fictitia, cùm nihil possit esse positivè futurum, vel non futurum ante determinationem primæ causæ; nam quandiu nondum intelligitur resolutio primæ libertatis, tandiu res concipitur in statu meræ possibilitatis.

Dices: Antequam intelligatur in Deo decretum determinans rerum futuritionem, possunt concipi propositiones contradictoriæ de futuro contingenti, v. g. *Petrus convertetur, Petrus non convertetur:* Atqui oppositionum contradictoriarum una est determinatè vera, & altera falsa: Ergo objectum earum est determinatè futurum, vel non futurum ante decretum Dei in sua veritate objectiva, seu ex suppositione quod aliquando erit, vel non erit.

Respondeo jam usum invaluisse, ut hæc quæstio de propositionibus de futuro contingenti agitetur in Philosophia, unde ab ea tractanda supersedeo. Uno verbo dicam, vim contradictionis propositionum exigere solùm, quod si una sit vera, altera sit falsa, non quod hæc in individuo sit vera præ altera. Hoc enim provenire solùm potest vel ex objecto propositionis, quando est necessarium; vel ex determinatione causæ, quando objectum est contingens. Certè si contingens esset futurum ex natura oppositionis propositionum, jam foret necessariò futurum necessitate absoluta fundata in hoc principio necessario. *Quodlibet est, vel non est.* Vnde (ut rectè infert ipsemet Aristoteles *lib. 1. de interp. cap. 8.*) tolleretur omnis contingentia rerum, & destrueretur libertas non solùm humana, sed etiam divina: humana quidem (cujus tamen adeo adulatrix est opposita sententia;) nam ejus effectus futuritio non esset in creaturæ arbitrio, utpote determinata ante voluntatis ullam determinationem: divina verò, quippe quæ non posset impedire futuritionem, quæ objecto ex causa necessaria conveniret, nempe ex vi contradictionis fundata in principio vero præviè ad ullam Dei dispositionem.

Sequitur quartò, Deum non cognoscere futura, præsertim libera, in operatione voluntatis creatæ exhibita intellectui divino, tanquam exoritura conditionatè sine concursu Dei, ut finxit Theophilus Raynaudus volens Deum explorare quid factura esset voluntas in variis circumstantiis, si se sola, absque concursu divino agere posset. Non enim magis videri potest in voluntate nuda & concursu divino destituta operatio futura, quàm in corpore paralytico vel crutibus capto motus ullus futurus; cùm magis repugnet à voluntate independenter à concursu Dei operationem prosilire, quàm ab omnium membrorum impote motum elici. Certè videre Deum creaturam ex se posse agere, est videre creaturam non esse creaturam; est videre creaturam operari à se, subindéque esse ens à se, quod est videre creaturam esse Deum. Hæret & horret animus ad tantam novitatem, quæ an potiùs ridenda sit quàm increpanda, nescio; quid enim magis ridendum quàm fumum pro re venditare, & quæsitis inanibus verborum campis totam providentiæ divinæ œconomiam super cognitionem exploratricem actionis chimæricæ orituræ à creatura si non esset creatura, fundare? Vehementer verò objurgandus est qui tantam novitatem primus invexit, tam à veritate disjunctam, tam conjunctam falsitati. Nec in ea aberratione confutanda ampliùs immorandum est, quæ satis habenti communissimas Theologiæ notiones patet. Libenter hîc cum Augustino *epist. 56.* dixerim: *Pudet me ista refellere, cum eos non puduerit ista sentire. Cùm vero ausi sint etiam defendere, non jam eorum, sed ipsius generis humani jam me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt.*

Reflexio.

Sicut nullum aliud medium cognitionis divinæ assignare possumus præter divinum decretum, ita quidquid respiciant intentio, consilia, motus, & affectus nostri, nisi in Dei voluntate, & propter Dei implendam voluntatem, continuò in tenebris ambulantes caligamus, decipimur, ruimus, & perimus. Ideo juxta Ecclesiast. c. 29. *Oculi sapientis in capite ejus.* Quia ut ibi exponit Hugo Victor. ad summum bonum priùs mentis intentione procedit, impletque illud Davidis Psalm. 24. *Oculi mei semper ad Dominum.* Necnon illud Eccl. 1. *Ad locum unde exeunt flumina, revertuntur.* Quem locum sic expendit Bernard. serm. 13. in Cant. *Casta consilia, justa judicia, sancta desideria, nonne rivuli sunt fontis illius? Quod si copia aquarum secretis subterraneisque cursibus incessanter æquora repetunt, ut inde rursus ad visus ususque nostros jugi & infatigabili erumpant obsequio: cur non etiam spiritales rivi, ut arva mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fraude, & sine intermissione reddantur? Ad locum unde exeunt flumina gratiarum revertantur, ut iterum fluant: remittatur in suum principium cœleste profluvium, quo uberius terræ refundatur.*

CAPUT II.

Scientia media de medio tollitur.

VT status hujus quæstionis clarè innotescat, supponimus Deum futura conditionata certò cognoscere;

cere, ut constat ex multis Scripturæ locis, 1. *Reg.* 23. Davidi interroganti an Seilitæ ipsum essent Sauli tradituri, respondit Dominus affirmanter, *Tradent*. Et 3. *Regum* 2. dicitur, *Non ingrediemini ad filias gentium, certissimè enim avertent corda vestra, si ingrediamini*. Quæ prædictio cum tanta asseverantia prolata apertè certitudinem illius eventus indigitat. Item Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro, & Sidone facta fuissent virtutes, quæ in vobis facta sunt, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Quem locum ponderans August. *lib. de bono persev. cap.* 9. ait: *Nunquid possumus dicere etiam Tyrios & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse? cùm ipse Dominus attestetur, quod acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent divinarum illa signa virtutum.*

Quod si aliquando sacræ Paginæ circa hujusmodi futura dubiam, vel solùm conjecturalem Deo notitiam asserere videantur, uti loco præfato Matth. *Si in Sodomis facta fuissent virtutes, fortè mansissent usque ad hanc diem.* Dicendum est cum B. Hieron. *super cap.* 26. *Hierem.* verbum *forsitan*, non posse majestati Domini convenire, sed Deum nostro loqui affatu, ut indicaret se liberum hominis servare arbitrium. Et quamvis non negem, posse admitti in Deo cognitionem conjecturalem, non ex parte actus, sed ex parte objecti, cùm Deus considerat res per ordinem ad causas creatas, & secundùm præcisam dispositionem earum, cùm in hoc sensu explicentur à D. Thom. 2. 2. *q.* 172. *art.* 1. prophetiæ comminatoriæ, quibus Deus, vel Prophetæ minitantur impendere damnum aliquod, putà subversionem Ninivæ, quæ futura erat juxta causarum exigentiam, & dispositionem; quæ tamen, Deo impediente, suum effectum sortita non est. Nihilominus cum hoc stat, Deum infallibilem, & non solùm conjecturalem habere notitiam eventus conditionatè futuri, cùm possit illud certò, & sine hæsitatione prædicere, atque ad credendum obligare.

Totius igitur difficultatis punctum in hoc positum est, quomodo, & in quo medio illa futura conditionata cognoscat? Qua in re Patres Societatis, paucis exceptis, sequuti ducem Ludovicum Molinam, asserunt Deum cognoscere illa futura per scientiam mediam ante ullum suæ voluntatis decretum. Imò addunt Deum in omnibus suis decretis, etiam in electione Sanctorum ad gloriam dirigi hujusmodi scientia, eaque explorare consensum futurum, necnon genium & temperamentum causarum liberarum, & ad quid seipsas determinaturæ sint in talibus, & talibus circumstantiis, & occasionibus: quibus prævisis statuit Deus collocare prædestinatum in illa circumstantiarum serie, in qua videt eum benè usurum gratia oblata. Præsertim verò hujusmodi præscientia decretum Divinæ voluntatis antevertente utuntur pro negotio concordiæ libertatis & gratiæ, cujus efficaciam in illa exploratione fundant: v. g. inquiunt, videt Deus quod si Petrus in talibus occasionibus præveniretur auxilio indifferenti, converteretur; in aliis verò gratiam oblatam respueret; in illis consentiret inspirationi ex sua innata libertate applicante gratiam, & determinante ejus indifferentiam; in aliis verò dissentiret, in quibus gratia non esset collata congruè, & opportunè genio, temperamento, & nutibus liberi arbitrii, cujus inclinationes Deus rimatur per scientiam illam, quæ nisi præluceret, Deumque dirigeret in suis decretis, vel funditùs tolleretur libertas humana, vel exponeret se Deus periculo ne sua decreta resistentis libertatis creatæ arbitrio frustrarentur.

Veri autem S. Augustini & D. Thomæ discipuli capitaliter adversantur huic doctrinæ, quam existimant minùs Deo dignam, & omnium gratiæ, & prædestinationis mysteriorum, ut eis videtur, destructricem. Unde fatentur quidem Deum futura conditionata certò cognoscere, saltem illa quæ revelantur in Scriptura, & quæ ad ordinem universi spectant; sed totis viribus contendunt, Deum futura illa non agnoscere in determinatione causæ creatæ applicantis concursum & gratiam, sive absolutè, sive conditionatè oblatam, sed in suo decreto, & omnipotenti vi gratiæ suæ, sine quibus voluntas in quavis conditione se determinatura non est: v. g. ultrò confitentur Deum prævidere conversionem Tyriorum, si intonuisset apud illos Salvatoris prædicatio, sed inficiantur Deum hanc conversionem prævidere in consensu & voluntate Tyriorum determinante pro sua ingenita libertate indifferentiam decreti, & concursus per illud oblati; sed volunt Deum præscire conversionem illam in decreto efficaci, quo prædiffinivit illis dare gratiam applicantem & prædeterminantem libertatem, sine qua etiam in illis resonantis prædicationis, vel patratorum miraculorum occasionibus minimè pœnitentiam egissent. Quod decretum respectu futurorum conditionatorum vocant conditionatum, non ex parte Dei, sed ex parte objecti; quia ut dicemus dum de voluntate Dei (ubi ex professo de illo agemus) est efficax ex parte Dei; suspenditur tamen ejus exequutio, donec ponatur conditio.

Imò addunt, quod si Deus non haberet efficax decretum circa futura conditionata, quo statueret dare concursum prædeterminativum applicantem voluntatem in illis conditionibus, impossibile esset Deum cognoscere illa futura certò, sed tantùm conjecturaliter in dispositione causarum, posita tali conditione; vel nullo modo ea cognoscere, si nulla detur connexio, sed pura concomitantia inter objectum & conditionem, ut sunt conditionata disparata. Et hic est germanus nonnullorum Thomistarum sensus, qui asseruisse videntur, Deum non cognoscere futura contingentia conditionata; nam manifestè loquuntur ex vi conditionis, & determinationis libertatis applicantis decretum, vel concursum Dei. Hic est planus celebris hujus controversiæ status, quam multi tractatores ita tenebris offundunt, ut non distinguant inter cognitionem futurorum conditionatorum, & medium illius cognitionis; cùm tamen de primo nullum nisi levissimum possit esse dissidium, sed de secundo, pro cujus decisione sit

SPECULATIO I.

Scientia Media, quâ Deus exploret ante decretum suum futurum consensum voluntatis applicantis & determinantis Dei concursum, & quâ Deus dirigatur in suis decretis, videtur sacræ Scripturæ repugnare.

PRobatur. Ex sacris Litteris Deus *omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ*, ut dicitur *ad Ephes.* 1. Sed si daretur scientia media, Deus omnia operaretur secundùm consilium voluntatis humanæ, siquidem Deus nihil statueret, nisi priùs nutibus, affectibus, & ejus inclinationibus studuisset, & attendisset quid voluntati in his occasionibus placeret, qua arte eam in aliis flectere posset, quasve circumstantias ministrare deberet, ut eam vinceret. Ergo hæc scientia non videtur satis conformis iis quæ de Dei voluntate tradit Scriptura.

Probatur iterum ex illo Ephes. 2. *Ipsius factura sumus, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus, ut in illis ambulemus.* Quo in loco multa sunt ponderatione dignissima. In primis, si

creamur

creantur in operibus bonis: Ergo ea non supponit Deus futura ante suum decretum, sed bona opera suo decreto futura facit; sicut creatio non supponit subjectum, sed creando facit ea nihilo. Rursus, si Deus præparat opera nostra, ut in illis ambulemus, profectò non supponit nos ambulaturos in eis ante decretum, sed præparando facit ut in illis ambulemus; subindeque opera illa non antecedunt, sed subsequuntur divinæ præparationem voluntatis, quæ *facit ut in justificationibus ejus ambulemus*, ut dicitur Ezechiel. 36. quâ *immutantur viæ nostræ*. Eccl. 33. quâ *cor Regis* (quod est omnium liberrimum) *quocumque voluerit inclinat*. Proverb. 21. quâ *aufert cor lapideum, & dat carneum*. Ezech. 11. Iterum si Deus præparat opera nostra, procul dubio actus nostros decernit, prædiffinit, & prædestinat, cùm prædestinatio ab Augustino definiatur, *præparatio beneficiorum*, inter quæ beneficia sunt opera bona, ut ait S. Thom. in expositione illius loci Apostolici, idque apertissimè declarat Aug. lib. de prædest. Sanct. cap. 10. *Fidei & charitatis opera, quæ per Dei gratiam fuerunt prædestinata, rectè prædiffinita dicuntur authoritate Apostoli, creati in operibus bonis quæ præparat Deus.* Ergo si opera nostra sint effectus divinæ voluntatis & decreti præparantis & creantis, omninò repugnat scientiam divinam prævidere posse illa ante suæ propositum voluntatis.

Probatur 3. ex illo 1. Corinth. 4. *Ne supra quam scriptum est unus contra alterum infletur pro alio; quis enim te discernit? quid autem habes quod non accepisti; si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Ex quo sic discurro: Si Deus videret Petrum in tali serie & ordine rerum ante ullum voluntatis suæ decretum ex sua libertate determinare gratiam indifferentem, & indifferenter oblatam, videret etiam Petrum in illis occasionibus se discernere à Iuda, qui in iisdem circumstantiis non consensurus est inspirationi & gratiæ, quâ æqualiter præveniri suppono; siquidem discretio Petri consentientis à Iuda resistente, non proveniret à Dei decreto (cùm videantur futura ante decretum) & si sit decretum, non est nisi indifferens, & indifferenter oblatum; sed proveniret à voluntate humana, in quam refunditur determinatio. Consequens est expressè contra Apostolum: Ergo scientia media non videtur consona Apostolo, cujus veridica doctrina ut subsistat, planè necessum est, Deum non posse prævidere futurum libertatis consensum, nisi in decreto statuente dare gratiam efficacem & discernentem, non verò indifferentem & purè sufficientem, oblatam omnibus, sed per se inferentem consensum in prædestinatis. Hæc enim sola discernit; nam ut ait August. lib. de prædestinat. Sanct. cap. 5. *Gratia quæ bonos discernit à malis, non est communis bonis & malis.*

Objicies ex illo Matth. 11. suprà adducto, *Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in te, pœnitentiam egissent.* Ex quo sic arguitur: Conversio Tyriorum & Sidoniorum erat sub conditione prædicationis Christi futura: Sed non erat futura ex vi decreti: Ergo ante decretum. Probatur minor: Si conversio illa non prævidebatur futura nisi in decreto, non potuisset Salvator justè reprehendere Iudæos præ Tyriis; Iudæi enim haberent legitimam excusationem, possentque respondere Christi Domini expostulationi, ac querelæ, Cur nos increpas in comparatione Tyriorum? Nam si circa nos haberes decretum illud prædeterminans, & gratiam ex illo manantem conferres, utique sicut illi converteremur; sed nec illi absque tali decreto converterentur. Sed Deus justissimè Tyrios increpabat: Ergo conversio Tyriorum non erat futura in decreto.

Respondeo hoc argumentum posse multipliciter confutari. Primò, quia illud sibi sæpissimè proposuit Augustinus, ejusque occasione edidit librum de correctione & grat. propter Monachos Adrumetinos dicentes inutilem esse correptionem, si bona opera sint dona Dei. Quin illud idem sibi proposuit Apostol. *Rom.* 9. cùm enim dixisset: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat*; statim sibi objicit: *Dicis itaque mihi, Quid adhuc queritur? Voluntati ejus quis resistit?* Quasi diceret, quid conqueritur Deus, vel objurgat peccatores? nam si vellet misereri, & non indurare (quod facit non impertiens malitiam, sed non tribuens misericordiam) non resisteremus. Ecce planè tactam ab Apostolo difficultatem hujus argumenti: cui tamen non respondet per liberi arbitrii *velle & nolle*, ut ait bene Prosper *lib. 7. de vocat. gent. cap. 29.* Sed increpat hujusmodi arguentem, dicens: *O homo! tu quis es qui respondeas Deo?*

Secundò refellitur, quia hoc argumentum, quo ferè unico nititur opposita sententia, æquè urget adversarios. Nam cùm Deus ponat reprobum in iis rerum circumstantiis, in quibus prævidet ipsum nunquam salutem consequuturum, cùm tamen potuisset eum collocare in illis, in quibus de facto salvatus fuisset, nunquid poterit Deo comparativè judicanti & increpanti identidem respondere? Domine cur me arguis in comparatione illius prædestinati? nam si me posuisses in circumstantiis opportunis, quas per scientiam mediam prævidebas; si mihi contulisses benignam illam gratiam congruam genio meo accommodatam, in illo rerum ordine, in quo prævidebas me eâ rectè usurum, tam benè fuissem fidelis observator mandatorum ac ille alter prædestinatus, quem nisi gratiâ congruâ prævenisses, pejor me fuisset. Sicut ergo non sumus pares in gratiis & favoribus à te collatis, ita justum non est ut in comparatione illius increpet, vel objurget.

Tertiò manifestiùs refutatur hæc objectio, & evidenter monstratur, ex illo loco Matthæi non posse juvari oppositam sententiam. Nam si locus ille intelligeretur secundùm corticem litteræ, & ut sonat, sequeretur Tyrios & Sidonios fuisse credituros, vel tantæ humilitatis pœnitentiam acturos visis solùm illis virtutibus, quæ patratæ sunt in Corozain & in Betsaida; quod tamen nullus Catholicus dicet, aliàs gratia interior non esset necessaria: cùm tamen Veritas dicat, Ioan. 5. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater traxerit eum, & nisi fuerit ei datum à Patre meo.* Vnde August. lib. de prædest. Sanct. c. 6. *Multi audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii contradicunt: volunt ergo isti credere, nolunt autem illi. Quis hoc ignoret? quis hoc neget? Sed cùm aliis præparatur, aliis non præparatur voluntas à Domino, discernendum est quid veniat de misericordia, quid de judicio.* Igitur Tyrii non erant conversuri se ex vi apparatus signorum, nec ex determinatione voluntatis, sed ex præparatione voluntatis suæ à Deo facta, sine qua nihil prædicatio profuisset. Unde *c. 14. lib. de ingratis*, canit Prosper,

——— Percurrat Apostolus orbem
Prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet.
Vt tamen his studiis auditor promoveatur,
Non doctor, neque discipulus, sed gratia sola
Efficit.

Ad argumentum igitur sine dubio fatendum est, quod si Deus dedisset gratiam efficacem Iudæis, quam daturus esset Tyriis, procul dubio fuissent conversi, cùm dicat August. lib. de dono persev. c. 14. *Nec Tyriis profuit quod potuerint credere, quia prædestinati non erant: nec istis* (Iudæis) *obfuisset quod non poterant credere, si prædestinati essent, ut Dominus induratis cor lapideum vellet auferre.* Et D. Prosper in respons. ad excerpt. Gen. dub. 8. *Non solùm Tyrios & Sidonios, sed etiam*

Corozain potuisse converti, si hoc in eis Dominus voluisset operari. Cum quibus stat, verè potuisse Christum Iudæos præ Tyriis increpare, quia ex sua malitia erant magis obdurati, atque adeo majora ponebant obstacula gratiæ, & prædicationi, quàm fuissent Tyrii positi. Ait enim prælaudatus August. lib. de dono persever. c. 14. *Non erant sic excæcati oculi, nec sic induratum cor Tyriorum, & Sidoniorum.* Ob illam igitur voluntariam excæcationem, & obdurationem majorem meritò increpabantur Corozaitæ, qui consequenter frustra se purgarent ad excusandas excusationes in peccatis.

Quod si urgeas: Si Deus habuisset decretum dandi gratiam efficacem Corozaïtis, supposita prædicatione, sicut in eadem circumstantia Tyriis contulisset, Iudæi illi non fuissent magis obdurati, siquidem gratia illa aufert cor lapideum, *& à nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut duritia cordis primitus auferatur*, ut loquitur August. lib. de prædest. Sanct. c. 8. Ergo aliquid afferre poterant Iudæi, quo excusaretur ipsorum occallentis animi durities.

Respondeo perperam illa excusatione se tegere Iudæorum obstinationem, quia ut egregiè tradit S. Thom. lib. 3. contra gent. c. 159. *Licèt non sit in potestate hominis promereri vel advocare gratiam, est tamen in potestate ejus se impedire ne recipiat gratiam; & cùm hoc sit in potestate ejus, meritò ei imputatur qui impedimentum ponit. Sicut Sole mundum illuminante in culpam imputatur non videre ei qui oculos claudit, licèt videre non possit nisi lumine Solis præveniatur.* Atque adeo ob liberam illam divino lumini rebellionem, & obfirmatum gratiæ cœlestis contemptum justissimè accusabantur Iudæi, quibus gratiam victricem & duritiem eorum emollientem tribuere minimè tenebatur, aliàs non esset gratia; sed poterat eam ex justitia denegare in pœnam præcedentium peccatorum, saltem originalis, ut toties aiunt SS. August. & Thom. unde inanis excusatio peccatorum. *Facile quippe est* (ait August. lib. de dono persev. cap. 9.) *ut infidelitatem accusemus Iudæorum de libera voluntate venientem.*

Scio alios Thomistas aliter expedire se ab hac difficultate, dicentes potuisse justè Christum increpare Iudæos, & vitio eorum imputare impœnitentiam, quia eis auxilia ad conversionem sufficientia contulerat. Nec tenetur provisor universalis omnibus conferre auxilia efficacia, tum quia propter honestissimos fines potest relinquere creaturas in sua defectibilitate: tum quia aliàs nulla fieret specialis gratia electis. Vnde licèt isti non possint gloriari præ aliis, alii tamen possunt increpari præ istis, quia habuerunt omnia sufficientia ut possent se convertere, & ex eorum prava voluntate processit, quod non se converterint. Sed de hac solutione aliàs, supponit enim multa accuratiùs examinanda.

R e f l e x i o.

Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus quod volumus; sed afferamus divinam stateram de Scripturis, & in illa quid sit gravius, appendamus, ait August. lib. 2. contra Donat. cap. 6. Ad reprimendam ergo humani arbitrii sibi bonum usum gratiæ asserentis confidentiam vanam & inanem, scrutemur Scripturas, & dicamus cum Propheta: *Nunquid Deo subjecta erit anima mea?* Dignum sanè & justum est, *ut sit in omnibus ipse primatum tenens*, ut ait Apost. *Coloss.* 1. atque adeo ut in quibuscumque circumstantiis non expectet, sed conferat bonæ voluntatis consensum; nec subjiciatur, sed subjiciat repugnantis voluntatis duritiem. Vnde B. Prosper *lib. cont. Collator. in fin.* nos admonet, in omnibus locis, temporibus, circumstantiis, occasionibus, uno verbo, *semper à Deo petere, ut in omnibus cogitationibus, atque actionibus nostris ipse teneat primatum, qui dixit se esse principium.* Certè sicut ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia; ita absque ipso in nihilum peccati redigimur, nisi teneat manum dexteram nostram, & quò eundum sit, præcedens dirigat. Hujus figuram habemus in Filio prodigo, qui statim atque Pater divisit substantiam, idest dedit ei plenum dominium libertatis suæ, ut exponit Theophylactus, in omne flagitii & infelicitatis præcipitium ruit. Vnde egregiè infert Chrysol. serm. 1. *Beati filii, quorum tota est in Patris charitate substantia.* Nam eo ductore prævio vitabimus omne noxium.

S p e c u l a t i o II.

Scientia media videtur è diametro, & veluti è fronte opposita D. Augustino, & S. Thomæ ejus discipulo.

PRima pars probatur. D. Augustino fuit proposita scientia media à Divo Prospero, & Hilario Arelatensi in suis ad Augustinum epistolis: Atqui sibi propositam refutavit S. Patet: Ergo ex Augustino rejicienda est scientia media. Ex hoc discursu clarè & nitidè mens Augustini apparebit, si singulæ propositiones probentur.

Major ergo sic suadetur: D. Prosper in sua epistola sic Massiliensium Semipelagianorum mentem exponit. *Penè omnium par invenitur & una sententia, quâ propositum & prædestinationem Dei secundùm præscientiam receperunt, ut ob hoc alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso gratiæ adjutorio, in qua futurus esset voluntate, & actione præscierit.* Vide, quæso, ipsissimam scientiam mediam, qua Deus prævidet quid volitura, vel factura sit libertas creata sub ipso adjutorio gratiæ indifferentis constituta, antequam aliquid decernat, vel aliquem prædestinet. Vnde idem Prosper hanc sibi difficultatem ab Augustino resolvi exposcit: *Vtrum præscientia Dei ita secundùm propositum maneat, ut ea ipsa quæ sunt proposita, sint accipienda præscita?* Et demùm quærit, an hæc differentia possit statui inter parvulos & adultos, quod *in his qui nihil operaturi salvantur, quasi solum Dei propositum videatur existere; in his verò qui aliquid boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum, an verò uniformiter præscientia sit subnixa proposito?* Potuitne apertiùs proponi status quæstionis scientiæ mediæ, quàm dum quæritur, an Deus cognoscat futura ante vel post propositum voluntatis, quod idem est ac decretum. Ibi etiam affert Prosper motivum quo ducebantur Massilienses ad hujusmodi præscientiam adstruendam, quia aliàs sequeretur, *removeri omnem industriam, tollique virtutes, si divina constitutio humanas præveniat voluntates; & sub hoc prædestinationis nomine fatalem quandam necessitatem induci, & per operantem & præoperantem gratiam liberum impediri arbitrium.* Ecce formalissima assertorum scientiæ mediæ motiva. Ergo clarissimè D. Prosper statum scientiæ mediæ, & motiva quo ejus assertores ducuntur ad eam admittendam, D. Augustino proposuit.

Idem præstitit Hilarius, narrans in sua epistola Semipelagianos ad suadendam hujusmodi præscientiam antevertentem propositum & decretum divinæ voluntatis, veluti ad hominem arguentes, usos potissimùm authoritate ipsiusmet Augustini, qui *lib. de quæstionibus Paganorum, quæst. 2.* (liber hic habetur *epist. 49.*) dixerat, *tunc Christum voluisse hominibus apparere, quando & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri.* En genuinam scientiæ mediæ notionem, quæ proinde erat unicum Massiliensium fulcrum. Vnde Faustus Rhegiensis eorum coryphæus, *lib. de grat. &*

human

human. mentis arbitr. ſæpe inculcat, quod *niſi præſcientia exploraverit, prædeſtinatio nihil decernit.* Narrat etiam per totum decurſum Hilarius Maſſilienſium motiva non aliunde deſumi, quàm ex læſione libertatis, & inutilitate correptionis.

Atqui propoſitam ſcientiam mediam Auguſtinus rejecit, ſeu ut loquitur D. Thom. 3. part. quæſt. 1. art. 5. ad 2. *reprobavit* in libris de prædeſtinatione Sanctorum, & de dono perſeverantiæ, quibus reſpondet Proſpero & Hilario, quæ eſt minor primi ſyllogiſmi, & ſic monſtratur: ait enim lib. de prædeſt. Sanct. cap. 10. *Prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit quæ fuerat ipſe facturus.* Ideſt, ſicut Deus nihil poteſt præſcire futurum, niſi ille facturus ſit illud; ita niſi prædeſtinet & decernat ſe facturum illud. Et *cap. 9.* reſpondens argumento deſumpto ex quæſtionibus Paganorum, inquit: *Cernitiſne me ſine præjudicio latentis conſilii Dei, aliarumque cauſarum hoc de præſcientia Chriſti dicere voluiſſe, quod convincendæ paganorum infidelitati, qui hanc objecerant quæſtionem, ſufficere videretur. Quid enim eſt verius, quàm præſcivisse Chriſtum qui & quando, & quibus locis in eum fuerant credituri? Sed utrum prædicato ſibi Chriſto a ſeipſis habituri eſſent fidem, an Deo donante ſumpturi, ideſt, utrum tantummodò eos præſcierit, an etiam prædeſtinaverit Deus crediturus? quærere ac diſſerere tunc nondum putavi. Proinde poſſet etiam dici tunc voluiſſe apparere Chriſtum, quando ſciebat, & ubi ſciebat qui electi fuerant in eo ante mundi conſtitutionem.*

Vbi S. Præſul ita clarè ſe explicat, ut ponderatione non egeat; ibi enim loquitur de futuro conditionato, ſicut loquutus fuerat in quæſtione illa contra Paganos; nimirum, quinam eſſent illi qui reciperent Chriſtum in his, vel illis circumſtantiis loci & temporis: Deinde aſſerit Deum præſcire quinam in variis circumſtantiis ſint, & non ſint credituri. Sed tamen concludit, in eis fidem præſcire, quibus prædeſtinaverat ſe donaturum fidem. Igitur manifeſtè vult præſcientiam non dirigere prædeſtinationem, propoſitum, & decretum, ſed potiùs præſcientiam inniti prædeſtinationi & decreto.

Rurſum *lib. de dono perſever. cap. 9.* exponens locum illum; *Væ tibi Corozain*, quod eſt unicum fundamentum adverſariorum, & ubi ſecundùm ipſos ſit ſermo de futuro conditionato, ſic loquitur Auguſt. *Hoc certè de Tyro & Sidone non poſſumus dicere* (quod nimirum dixerat de Paganis) *& in eis cognoſcimus ad eas cauſas prædeſtinationis hæc divina judicia pertinere, ſine quarum cauſarum præjudicio tunc ita reſpondere me dixi.* Ac ſi planè diceret, converſionem Tyriorum futuram quidem poſita prædicatione, ſed tamen non eſſe futuram, niſi quia Deus prædeſtinaverat ut fidem eſſent Deo donante ſumpturi; quod tamen decretum exequutioni non mandavit ob altitudinem inſcrutabilem judiciorum ſuorum. Et iterum in eodem libro, *cap. 17.* expreſſè docet; quod ſi opera noſtra non ſunt à Deo prædeſtinata; *Ergo nec donantur à Deo; aut ea ſe daturum eſſe neſcivit: quod ſi donentur, & daturum ea ſe eſſe præſcivit, profectò prædeſtinavit.* Quibus verbis plus quàm evidentiſſimè ſcientiam mediam de medio ſuſtulit, cùm dicat Deum neſcire opera noſtra, niſi quia ea prædeſtinat & decernit: prædeſtinatio verò non eſt ante decretum; ſed *ſecundùm propoſitum voluntatis Dei*, ut loquitur Paulus.

Igitur ſanctus Auguſtinus clarè cognovit & rejecit id quod nomine ſcientiæ mediæ controvertimus, ita ut Suarez veritate ipſa coactus ultrò confiteatur Semipelagianos uſos fuiſſe ſcientiâ mediâ, & Auguſtinum reprehendiſſe ſolùm abuſum eorum. Sed quidquid ſit, abuſine fuerint ſcientiâ mediâ Semipelagiani, necne, tamen omnem ejus uſum rejicit Auguſtinus. Cùm etiam, teſte D. Thoma ſuprà citato, reprobet illum eundem uſum, quem adhibuerat in quæſtione præfata Paganorum (quo ſanè uſu non eſt melior uſus Moliniſtarum) illumque ſic moderetur, ut velit, ideo ſolùm Deum converſionem Paganorum præſcivisse, quia eam prædeſtinaverat: quod eſt ſcientiam mediam exterminare.

Confirmatur hic diſcurſus, & clarè oſtenditur D. Auguſtinum in libris illis, quibus reſpondebat Proſpero & Hilario, omnem ſcientiæ mediæ uſum rejeciſſe. Nam *lib. de bono perſev. c. 18.* regulam generalem ſtatuit, quod *quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus Dei præſcientiam, & agitur de vocatione electorum, eandem prædeſtinationem intelligere oportere, & præſcire idem eſſe ac prædeſtinare.* Quæ regula eſſet omninò falſa, ſi daretur aliqua præſcientia explorans futuritionem rerum, independens à decreto, & illud præveniens. Item loquens *lib. de prædeſt. SS. c. 10.* de promiſſione facta Abrahamo circa converſionem gentium, ſic ait: *Quando prædixit Deus Abrahæ fidem gentium, non de noſtræ voluntatis poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione promiſit; promiſit enim quod ipſe facturus fuerat, non quod homines. Non autem ſic credidit Abraham, ſed credidit dans gloriam Deo; quoniam quæ promiſit potens eſt & facere. Non ait, Prædicere; non ait, Præſcire; ſed ait, Potens eſt & facere; ac per hoc facta non aliena, ſed ſua.* Vbi S. Pater planè ſcientiam mediam eliminavit. Ejus etenim aſſertores dicunt, ideo Deum poſſe prædicere vel promittere quinam converterentur, necne, quia præſcit Deus quinam obtemperaturi ſint gratiæ omnibus oblatæ. At verò Auguſtinus docet ideo Deum poſſe prædicere vel promittere actus noſtros, quia potens eſt illos facere, non de noſtra poteſtate, ſed de ſua prædeſtinatione. Et iterum *cap. 17.* expreſſè docet, nulla poſſe Deum præſcire futura, niſi in decreto, quo planè omnis uſus ſcientiæ mediæ interdicitur; ſic autem ait: *Hæc eſt immobilis veritas prædeſtinationis & gratiæ. Nam quid eſt quod ait Apoſtolus, Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem? Quod profectò, ſi propterea dictum eſt, quia præſcivit Deus crediturus, non quia facturus fuerat ipſe credentes, contra iſtam præſcientiam loquitur Filius dicens: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Electi ſunt itaque ante mundi conſtitutionem ea prædeſtinatione, quâ Deus ſua facta præſcivit.*

Omitto argumenta petita ex principiis Auguſtinianæ Doctrinæ, quale eſt illud ſuprà ſtatutum: *Deus non videt res futuras, quia futura ſunt; ſed ideo futura ſunt, quia videt eas Deus.* Quod principium in Auguſtino fundatiſſimum negant unanimiter aſſertores ſcientiæ mediæ, & meritò, quia illo eam vident interimi; nam cùm ſcientia viſionis non ſit cauſa rerum, niſi ſuppoſito decreto, ſi nihil eſt futurum, niſi quia videt Deus eſſe futurum, profectò nihil videtur futurum ante, ſed poſt decretum.

Omitto etiam, ſanctiſſimum Patrem nunquam in concordia libertatis & gratiæ, nec ad prædeſtinationis hinc inde ebullientes difficultates explanandas recurriſſe ad ſcientiam mediam: quod argumentum, licèt negativum, valdè urget hîc. Tum quia cùm Auguſtinus eam non ignoraverit, ſanè eâ uſus fuiſſet, ſi veram credidiſſet. Tantum verò abeſt quod confugerit unquam ad prævisionem circumſtantiarum, ut gratiam cum libertate componeret, quod etiam in Enchir. c. 97. dicat: *Quis tam impiè deſipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non poſſe convertère?* Non ergo opus habet explorare circumſtantias opportunas, ut voluntatem convertat, & libertatem ſervet, qui in quibuſlibet convertere libertatem poteſt. Sed hæc omnia miſſa facio, quia non eſt neceſſe per diſcurſum, & argumentorum circuitum ſcientiam mediam ex Auguſtino refellere, quando ipſiſſimum controverſiæ ſtatum

perspicuè resolvisse Augustinum ostensum est. Præsertim cùm ipse scientiæ mediæ institutor, vel potiùs restitutor Molina 1. *p. q.23. art.4. & 5. disp.1. memb. ultimo*, attestetur, quod si sua scientia media data explanataque fuisset, *ex Augustini opinione tot fideles non fuissent turbati.* Fatetur ergo suam scientiam ab opinione Augustini recedere: Ergo Thomistarum sententia quæ scientiam mediam rejicit, est opinio Augustini; opinio autem Augustini in his materiis est doctrina Ecclesiæ. Non potuissem evidentiùs istam primam partem confirmare quàm ex confessione adversarii. Nam ut ait Iren. *lib.4. c.14. Illa est vera & sine contradictione probatio, quæ etiam ab adversariis ipsis symbola testificationis profert.* Et Hilar. lib.7. de Trinit. *Magna vis est veritatis, quæ cùm per se intelligi non possit, per ea tamen ipsa quæ ei adversantur, elucet, & doctrinæ firmitatem dum attenuatur, acquirit.*

Secunda pars quæ asserit, scientiam mediam fidelissimo Augustini discipulo D. Thomæ repugnare, variis etiam posset argumentis comprobari. Tum quia nonquam meminit illius, sed solius scientiæ simplicis intelligentiæ, quæ merè possibilia cognoscit; & visionis, quæ futura suppositâ voluntate intuetur. Tum quia illa sæpe sæpiùs versaos argumenta quæ accumolant moderni circa concordiam divinæ voluntatis cum humana, nusquam ad ullam præscientiam libertatis exploratricem confugit, sed Magistrum suum Augustinum imitatus recurrit semper ad efficacissimam vim divinæ voluntatis, dicens 1. p. q.19. art.8. *Cùm voluntas divina sit efficacissima, non solùm sequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, sed quod eo modo fiant quo Deus vult fieri: vult autem quædam fieri necessariò, & quædam contingenter.* Et lib.1. Periher. lect.14. *Voluntas Divina est intelligenda ut extra ordinem entium existens, velut causa quædam profundens* (alii legunt *profundant*, idest intimè pervadens, & profundè ingrediens) *totum ens & differentias ejus: sunt autem differentiæ entis Possibile & Necessarium; & ideo ex ipsa voluntate divina originantur necessitas & contingentia in rebus.* Tum quia docet, nihil esse futurum ante decretum, & scientiam visionis esse causam futuritionis rerum, ut evidenter ostendimus superiori capite, quæ cum scientia media cohærere non posse ultrò fatentur ejus assertores. Sed his omissis, aliisque adducendis, dum de Deo primo motore, agemus.

Probatur expresso testimonio petito ex quæstione 6. de veritate, artic.3. ubi cùm objecisset contra certitudinem prædestinationis, quod prædestinatio non habet certitudinem absolutam, sed tantùm conditionatam, ex hypothesi quod voluntas humana consentiat, respondet ad 4. *Dicendum quod causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subjacet, & ideo ordo prædestinationis, quamvis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem.* Vbi apertè docet, prædestinationem non supponere scientiam exploratricem consensus, quia nimirum ipse consensus prædestinationi & decreto subjacet, & illud subsequitur. Quod si consensus subjacet decreto & prædestinationi, planum est quod antequam Deus habeat prædestionationem & decretum, talis consensus non est futurus, nec subinde potest prævideri talis.

Rursus in eodem loco ait S. Doctor, certitudinem prædestinationis non inniti certitudini solius præscientiæ. *Sic enim dicendo* (ait) *non diceretur prædestinatus differre à non prædestinato ex parte ordinis, sed tantùm ex parte præscientiæ eventus, & sic præscientia esset causa prædestinationis; nec prædestinatio esset per electionem prædestinantis, quod est contra authoritatem Scripturæ, & dicta Sanctorum. Vnde præter certitudinem præscientiæ ipse ordo prædestinationis habet infallibilem certitudinem.* Quo in loco D. Thomam ingenuè fatetur Molina sibi adversari, & patet; nam si prædestinatio ex eo non sit certa, quia supponit præscientiam consensus futuri, sed quia ipsamet infert & ordinat consensum futurum, clarum est nihil posse prævideri futurum ante decretum prædestinationis, nec Deum in negotio prædestinationis dirigi scientiâ mediâ.

Et *in hac 1. part. quæst.23. art.5.* refutans eos qui posuerunt Deum velle dare gratiam illi quem præscivit benè usurum gratiâ, non aliter eos refellit nisi dicendo: *Sed isti videntur distinxisse inter id quod est ex gratia, & id quod est ex libero arbitrio: non est autem distinctum quod est ex libero arbitrio, & prædestinatione; sicut non est distinctum quod est ex causa secunda, & causa prima; divina enim providentia producit effectus per operationem causarum secundarum; unde & id quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione.* Ergo consensus ad actum bonum, quem producit liberum arbitrium prædestinati, non potest prævideri, neque absolutè, neque sub conditione futurus ante divinam prædestinationem, sive decretum, cùm S. Doctor affirmet, omnem bonum usum gratiæ & consensum inspirationi esse effectum prædestinationis; impossibile verò sit prævidere effectum futurum independenter à sua causa. Si hoc non sit refutare scientiam mediam, nihil unquam D. Thomas refutavit.

Objicies 1. contra 1. partem: D. August. *lib. de prædest. Sanct. cap.10.* docet prædestinationem non posse esse sine præscientia, posse tamen esse præscientiam sine prædestinatione: Igitur ex August. non omnia Deus in sua prædestinatione præscivit. Et *lib.1. ad Simpl. q.2.* docet Deum sic vocare eum cujus miseretur, quando scit congruere ut vocationem non respuat, qui modus loquendi videtur favere scientiæ mediæ.

Respondeo, in primo testimonio Augustinum manifestè loqui de peccatis, quæ Deus præscit, sed non prædestinat, nec decernit; ait enim: *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit quæ fuerat ipse facturus; præscire autem potest quæcumque non facit, sicut quæcunque peccata.* Ecce Augustinum sui apertum interpretem. Secundò verò testimonio exponendo non solùm adhiberi posset regula illa ab Augustino suprà tradita: *Quando apud Dei tractatores agitur de vocatione justorum, præscire idem est ac prædestinare;* sed insuper addo, congruitatem illam non esse solius voluntatis (aliàs prædestinatio ad gratiam esset ex meritis, & non purè gratis, si vocatio gratiæ non daretur, nisi suppositâ congruitate voluntatis, quo nihil est magis ab Augustini tota doctrina abhorrens;) sed est congruitas ab ipsa gratia movente facta, præparata, & aptata, juxta illud Hebræor.13. *Aptet vos Deus in omni bono, faciens in vobis quod placet coram se.* Id est, *faciat vos velle omne bonum*, ut exponit D. Thom. *lect.3.*

Objicies 2. contra secundam partem: D. Thom. *quæst.6. de veritate, art.6.* & alibi docet præscientiam magis latè patere quàm prædestionationem. Et *3. p. q.1. art.3. ad 4.* ait: *Prædestinatio supponit præscientiam futurorum.*

Respondeo præscientiam magis se extendere quàm prædestinationem: tum quia Deus non prædestinat, vel prædeterminat peccata, quæ tamen præscit; & de hac præscientia peccatorum manifestè loquitur *3. p. cit.* ibi enim ait, prædestinationem Christi præsupponere præscientiam peccati originalis. Tum quia prædestinatio strictè sumpta, in qua acceptione frequentiùs usurpatur, intelligitur solùm de his quæ pertinent ad salutem æternam; & in hac ratione supponit præscientiam rerum naturalium, quæ tamen supponit decretum providentiæ naturalis, sine quo repugnat Deum cognoscere quodcumque futurum contingens.

Ratio

Reflexio.

Observatu dignissimum est, quod aliàs à Theologo reconditæ eruditionis, nec minoris pietatis audivisse me memini, D. Augustinum, qui ingenii sui incomparabilis dotibus insignem humilitatem adjungebat, tamen nolle fateri se scientiæ mediæ unquam subscripsisse. Mirabile dictu est, sanctum Præsulem, qui tam humiliter castigandorum operum suorum gratiâ Retractationum libros publicæ lucis fecit; tamen in libro de prædestinatione Sanctorum, quem senio confectus, subindeque humilitate consummatus edidit, non audere, sed veluti erubescere fateri se scientiam mediam admisisse in illa quæstione Paganorum, quam tamen ibi non leviter indigitarat; sed ait intelligendum esse quidquid ibi scripserat absque præjudicio latentis consilii & decreti divini. Non provenit ex elatione ista excusatio, sed ex profundiori humilitate nascitur. Credebat nimirum Doctorum omnium sapientissimus & juxta humillimus, in mentem Catholici Doctoris venire non posse, ut sibi aliquid tribuat quo glorietur, quo se discernat, quo totum Deo non det. Tanta luce arbitrii infirmitatem, & succurrentis adjutorii divini necessitatem penetrabat, ut aliàs se oppositum cogitare potuisse vix ac ne vix quidem crederet. Sicut qui cursim, nec datâ operâ aliquid incideret contra propriam sententiam absque advertentia dicit, dum revocat memoriam, de seipso dubitat, num dixerit, & dictum illud glossâ temperat. Si erubescit Augustinus indicasse aliàs scientiam illam, protesteturque se non insinuasse illam absque præjudicio latentis consilii divini, prædestinationis, & decreti, quia aliàs totum non daretur Deo, cum tamen in nullo sit gloriandum, quando nihil est nostrum: sic in vita spirituali aliquid altum sapere pudendum est. Firmissimè ergo tene, & nullatenus dubites, te in quavis circumstantia ab illius decreto pendere, sine quo factum est nihil. *Si aliquid facis tuum, crede jam periisti*, ut mirè expendit Bernard. exponens illud Ezechiel. 28. *Perdidisti sapientiam in decore tuo*; & dicens serm. 74. in Cant. *Nolo decorem qui mihi sapientiam tollat. Quæris quis ille tam noxius, tamque perniciosus decor? Tuus. Perdidit eam, cùm fecit suam: proprietas in causa est, quod non dedit gloriam Deo, quod non retulit gratiam pro gratia: sic habere perdere est.* Nam quid tam perditum, quàm quod extra Deum exulat?

Speculatio III.

Scientia media invictis rationibus, tum à priori; tum à posteriori confutari potest.

Probatur primò à priori: Scientia media est cognitio futurorum contingentium conditionatorum ante decretum divinæ voluntatis statuentis efficaciter eorum futuritionem: Atqui non datur, imò repugnat hujusmodi cognitio in Deo: Ergo non datur scientia media. Major est status controversiæ. Minor probatur. Ante decretum & prædiffinitionem voluntatis divinæ determinantis extrahere res è statu meræ possibilitatis, nihil est absolutè, vel conditionatè futurum, sed merè possibile: Atqui repugnat aliquid cognosci futurum conditionatè, nisi sit futurum: Ergo repugnat cognitio futurorum conditionatorum ante decretum. Minor est evidens. Major probatur. Decretum divinum est prima causa cujuscumque futuritionis. Tum quia aliàs posset aliquid esse futurum independenter à Dei voluntate, nec subderetur ejus dominio, vel liberæ potestati, quo nihil magis horrendum in Theologia Catholica. Tum quia futurum prout distinguitur à merè possibili, est illud quod est determinatum in aliqua causa ut sit; si enim in nulla causa determinatum sit ut aliquando habeat esse, in statu meræ possibilitatis remanet: Ergo de ratione absolutè futuri est esse determinatum in aliqua causâ ad absolutè existendum, & de ratione futuri conditionati pariter est esse determinatum in aliqua causa ad existendum conditione tali, vel tali posita: Atqui ante decretum divinæ voluntatis nulla causa est, vel intelligitur determinata ad ponendum aliquid, nec absolutè, nec sub conditione: Ergo ante decretum divinæ voluntatis nihil est omninò futurum, nec absolutè, nec conditionatè.

Confirmatur: Futurum, quodcumque illud sit, sive absolutum, sive conditionatum, si verè futurum sit, distinguitur à merè possibili. Ergo per aliquod, quod sit causa talis futuritionis; si enim nulla assignetur causa talis futuritionis, profectò remanebit in statu meræ possibilitatis. Sed causa talis futuritionis alia esse non potest quàm divinum decretum decernens dare futuritionem tali enti possibili, aliàs res posset transire de statu possibilitatis ad statum futuritionis alicujus independenter à divina voluntate, dareturque aliquis status verè futurus, & Deo ut talis cognitus, à Deo non proveniens, & ut sic loquar, primam causam non recognoscens, quod Catholicus refugit sensus: Ergo nullum potest dari futurum conditionatum ante positivum Dei decretum statuens ejus futuritionem; subindeque cognosci nequit ante illud, & aliter dicere est *futura quæ non sint futura*; *confingere*, ut ait Prosper *ad August.*

Confirmatur, & urgetur amplius: Si aliquid est conditionatè futurum ante decretum, vel esset futurum ex meritis & natura objecti; & hoc dici nequit, quia agimus de objecto libero & contingenti; quod proinde ex se non magis exigit esse, quàm non esse: vel esset futurum ex vi conditionis; & hoc etiam esse non potest, quia vel conditio est disparata, ut: *Si percussisses septies terram, percussisses Syriam usque ad consumptionem*: ubi percussio terræ septena non infert infallibiliter percussionem Syriæ: vel est conditio comparata, & conducens, ut: *Si fiat prædicatio, erit conversio*; & tunc etiam conditio non habet connexionem infallibilem cum eventu, aliàs sola prædicatio externa sufficeret ad conversionem, quod Ecclesia damnavit in Pelagio: vel esset futurum ex oblatione divini concursus à decreto divino indifferenti procedentia, quatenus Deus est paratus concurrere cum Petro, & dare illi auxilia indifferentia ad talem conversionem efficiendam; & hoc etiam asseri nequit, quia concursus ille adversariorum, sicut & decretum ex quo profluit, necnon auxilia, quæ ministrat, cùm sint merè indifferentia, non habent nisi nexum indifferentem, ac fallibilem, non infallibilem cum conversione. Ergo nisi recurramus ad Divinum Decretum efficaciter statuens talem futuritionem, nihil poterit assignari, per quod tale objectum sit potiùs futurum quàm non futurum. Dicere enim cum adversariis, ideo esse futurum, quia erit, est manifesta petitio principii; nam hoc est de quo quæritur, unde habeat objectum illud quod erit antequam sit, potiùs quàm non erit? cùm nihil sit assignabile præter divinum decretum, ex quo possit oriri quod sit potiùs quàm non sit determinata futuritio, etiam posita conditione. Huic argumento planè insolubili & evidenti vix verisimilis solutio afferri quit.

Probatur 2. alia ratione à priori. Constat ex dictis *art. præced.* Deum nihil posse cognoscere nisi in essentia sua ut in causa, quæ est aperta doctrina Patrum; & quia aliàs cognitio Divina non haberet ex proprio objecto, scilicet divina essentia, omnem possibilem

perfectionem, quod est evidenter falsum; siquidem divina intellectio eo ipso quod est infinita & perfecta Dei comprehensio, est infinitè perfecta in ratione cognitionis, sicut & objectum est infinitè perfectum in ratione objecti, scilicet divina essentia, ex qua subinde non egreditur, ut suam intelligibilem perfectionem acquirat. Ex hoc autem principio certo, & Deo dignissimo subsumo: Atqui essentia divina non est causa cujuscumque futuri antecedenter ad decretum suæ voluntatis, seu non potest determinatam ullam futuritionem, nec absolutam, nec conditionatam repræsentare intellectui Divino, nisi prout est determinata per decretum. Ergo Deus nullum futurum, sive absolutum, sive conditionatum potest cognoscere antecedenter ad decretum. Probatur minor. 1. Si essentia divina repræsentaret intellectui Divino futuritionem alicujus objecti ante omne decretum voluntatis, illud futurum esset simpliciter, absolutè, & antecedenter necessarium, sicut necessariò ab essentia repræsentaretur; necessaria quippe est illa repræsentatio, quæ antecedit omne exercitium libertatis, etiam divinæ: Divina verò libertas non exercetur, nisi per decretum. Probatur 2. Essentia divina non repræsentat necessariò futura contingentia conditionata ante decretum, putà conversionem Petri, cùm de se ante decretum indifferenter repræsentet conversionem, & non conversionem. Probatur 3. Non alia ratione possibilitas rerum est necessaria, nisi quia necessariò relucet in essentia divina etiam independenter à divina voluntate. Ergo si conversio Tyriorum repræsentetur ut determinatè futura ante omne decretum divinæ libertatis, conversio illa non erit minùs antecedenter necessaria. Nec potest afferri umbra disparitatis, quæ non sit petitio principii.

Probatur tertiò à posteriori ex gravissimis inconvenientibus ex assertione scientiæ mediæ continuò sequutis. Primum est, quia scientia media videtur à Deo tollere rationem causæ primæ. Tunc aufertur à Deo ratio causæ primæ, quando aliquid creatum subterfugit Dei causalitatem: Atqui admissâ scientiâ mediâ, aliquid creatum subterfugit divinam causalitatem: Ergo. Major est certa apud adversarios, qui in hoc ponunt rationem causæ primæ, non quod priùs naturâ agat, vel moveat causam secundam; sed in hoc quod ad omnia se extendat, & quod nihil possit causa secunda efficere sine illa. Minor verò probatur: Ideo admittitur scientia media, ut videat Deus quomodo voluntas creata determinet concursum Dei indifferenter oblatum: Ergo videt, quod hæc determinatio concursus divini, quod hæc reductio, hic usus, & applicatio divinæ gratiæ non descendit à suo decreto, sed ex determinatione voluntatis, ac proinde videt illam determinationem non esse à se; siquidem illam expectat à creatura, & ideo explorat ut videat in quam partem flexura se sit voluntas. Vnde quamvis adversarii admittant gratiam prævenientem, tamen hæc est indifferens, & expectat determinationem voluntatis. Planè de illis dici potest quod ait Prosper epist. ad August. *Nec considerant se gratiam Dei, quam comitem, non præviam volunt esse humanorum meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundùm suam phantasiam non negant esse præventas.* Hoc argumentum fusiùs & ex professo prosequor infrà, dum ago de decretis prædeterminantibus, contra pura indifferentia.

Secundum inconveniens: Scientia media, ut videtur, aufert omnem libertatem divinam, quia cùm scientia media exploret & expectet consensum & determinationem voluntatis creatæ, antequam divina quidquam decernat, vel diffiniat, procul dubio enecat in Deo rationem primi liberi, de cujus ratione est quod sit primum eligens, & primum determinans. Quod magis sic urgeo: Quando Deus prævidet antecedenter ad omne suum decretum captivitatem Davidis, si maneat in urbe Seila, vel potest Deus captivitatem illam impedire, vel non potest per suum decretum. Si potest: ergo illa scientia non attinget futura conditionata necessariò, & naturaliter, sed liberè; siquidem versatur circa objectum, cujus futuritionem auferre potest subsequens decretum; scientia autem media juxta omnes ejus defensores est naturalis, non libera. Si non potest, tollitur & enecatur divina libertas, quæ non potest disponere de rebus pro suo libito, subindeque aliquid erit liberum voluntati creatæ, quod erit necessarium divinæ. Tanti est apud neotericos jura libertatis humanæ defendere per scientiam mediam cum dispendio divinæ.

Tertium inconveniens: Scientia media evertit supremum dominium Dei in nostras voluntates; cùm enim per eam priùs exploret Deus quid voluntas humana sit variis in circumstantiis appetitura, ne se exponat periculo definiendi aliquid in cassum, & quod impediatur à causa secunda; fit inde, Deum non posse conferre donum efficax, sive ad inchoandum bonum, sive ad flectendum cor durum, sive ad perseverandum, nisi explorato priùs consensu, prævisaque illâ circumstantiâ opportunâ, in qua voluntas se sinet allici. Atqui hæc doctrina, in qua tota medulla scientiæ mediæ continetur, non stat cum supremo Dei dominio, quod ei in nostras voluntates tam disertè asserit Scriptura, ut dicat posse Deum cor Regis omnium liberrimum *quócumque voluerit inclinare* ut inculcet Augustinus, Deum habere humanorum cordium, quócumque voluerit inclinandorum *omnipotentissimam potestatem*; & quod *magis habet in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas*; & quod eas *uti voluerit, quotíes voluerit, quando voluerit, potest in bonum convertere*, ut suprà retulimus: quod verum non esset, si indigeret Deus opportunæ occasionis tempestatem observare, & veluti aucupari, ut oblatam sedulò captet. Sicut falsò diceretur, ducem aliquem esse omnipotentem expugnatorem urbium, & in omni circumstantia posse vincere, qui opus haberet tempora captare, in hostilem exercitum exploratores submittere, excubitores in stationibus collocare, vigilias excubiasque circumire, stratagemate, bellicisque artibus hostes intercipere, militares copias cogere, in campestria educere, in acies ordinatas struere, hostes obsidione cingere, eorum arces machinis tormentisque quatere, & post hæc exitum expectare? Quis similiter credat, Deum omnipotentem Dominum voluntatis, si debeat priùs per scientiam mediam tempora capessere, opportunitates venari, nutibus voluntatis studere, propensionibus invigilare, meditari artes quibus flectat, industrias ne exasperet, cogitationes congruas quibus alliciat, officia quibus demereatur, & urbana prensatione conciliet. Vno verbo scientia media facit quidem Deum politicum, sed non omnipotentem. Vnde non mirum si à viris politicis tam constanter hæc scientia propugnetur. *Nam quidquid cognoscitur, ad modum cognoscentis cognoscitur.* Et *Qualis unusquisque est, talis & finis videtur ei*, ut ait Philosophus.

Quartum inconveniens: Admissâ scientiâ mediâ sternitur via, & ministratur clypeus Pelagianæ hæresi, quibus Doctorum Catholicorum tela eludat. Attende, Lector: non intendo affirmare scientiam mediam coincidere cum errore Semipelagianorum, cùm à sacrosancta Sede Apostolica imperatum & cautum sit materias istas citra omnem injuriam pertractare; sed contendo, quod admissâ scientiâ mediâ, hæresis Semipelagiana (quam ipsimet Patres Societatis cum Ecclesia detestati profitentur) vix ac ne vix quidem potest impugnari. Asserebant enim Semipelagiani, dari in nobis initia fidei & bonæ voluntatis ex viribus naturæ (an ita tamen ut non rejecerint gratiam indifferentem

etiam

etiam internam ad illa initia? non disputo modò, & ab hac quæstione omninò præscindo) ex quo inferebatur, prædestinationem non solùm ad gloriam, sed etiam ad gratiam supponere prævisionem meritorum voluntatis gratiam promerentium. Atqui scientia media ministrat futurum tali errori, imò & arma offensiva ei porrigit; nam cùm Deus per scientiam illam ante decretum suæ voluntatis videat Petrum consensurum Deo vocanti ad fidem in talibus circumstantiis ex innata sua libertate gratiam applicante, tunc bonus ille usus Petri offertur & objicitur conspectui divino, quæ sanè docilitas Petri non potest non placere Deo. Cur ergo ab illa non movebitur Deus ut gratiam illi conferat, quem videt gratiæ tam tractabilem, & sponte obsequuturum? Vndenam Semipelagianos convincemus, Deum non apprehendere ansam illam docilitatis Petri? Nam si bona est argumentatio Prosperi contra Collatorem hujusmodi ansæ fabricatorem: *Nec enim nullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis instantia.* Cur similiter dicere non licebit, Nullius meriti esse non potest consensus prævisus, bonus usus gratiæ oblatæ, determinatio concursus indifferentis? Quænam disparitas?

Multa alia inconvenientia contra scientiam mediam accumulant nostri Authores, quæ apud illos legere poteris. Vnum addam, quod in illis non invenies, quodque scopo Theologiæ mex speculationem pietate condire satagentis deserviet, & est tale. Scientia media, ut videtur, præcipuarum virtutum christianarum fundamenta labefactat. Si enim scientia media exploret consensum voluntatis gratiam purè indifferentem applicantis, & auxiliis divinis utentis, in primis ruit spes, quæ ut canit Ecclesia, *in sola spe gratiæ cœlestis innititur*; eaque freta nihil quamlibet arduum & difficile non aggreditur, omnia potens in eo qui ipsam confortat. At spes assertorum scientiæ mediæ ultimatè in propriis viribus fulcitur, siquidem usum gratiæ & determinationem indifferentiæ illius à Deo non expectant, sed à se; siquidem illum non confert Deus, sed expectat à nobis, & supponit à se prævisum antequam aliquid decreto suo disponat.

Concuti etiam videtur humilitatis fundamentum; si enim decretum Dei non causat usum gratiæ in conversione Tyriorum, manifestum est, Tyrios præ Iudæis posse gloriari & inflari, seque ab illis discernere. Quod humilitati Pauli quàm adversetur, satis suprà ponderavimus, & declarat Prosper ad August. *Non mediocris virulentiæ fibra nutritur, si principium salutis malè in homine collocatur, si aliunde Deo placetur, nisi ex eo quod ipse donaverit.* Patet autem secundùm authores scientiæ mediæ, Deum gratiæ usum non donare, sed explorare.

Idem patet de sacro timore, qui est initium veræ sapientiæ. Si enim gratia indifferens semper datur, expectans consensum, non inferens, poterunt sibi impii blandiri, differendam esse conversionem, nec periculum esse in mora; siquidem bonus usus gratiæ in manu nostra est, & gratia semper ad ostium. Nam juxta principia scientiæ mediæ, gratia quidem non potest in quacumque circumstantia arbitrium meum flectere; sed ego possum gratiam, quæ nunquam deest, in quocumque loco & tempore determinare expectantem, & ea benè uti. Quare licèt impii possent timere, spectatis periculis vitæ vel mortis corporalis; non tamen ex parte gratiæ aliquid timere possunt, quippe quæ semper datur indifferens, & datur expectans usum, non causans quando ipsa vult; quod quàm sit alienum à timore, quem Paulus incutit fidelibus, patet ex illis verbis Philipp. 2. *Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Vt quid timorem & tremorem ingeneras, ô Apostole legis amoris?

Deus enim (respondet) *operatur in nobis velle & perficere*, non prout, vel quando prævidit, non quando occasiones exploravit, sed *pro bona voluntate*. Hinc S. Leo serm. 8. Epiph. *Hæc Sanctus causa est tremendi ac metuendi, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ.* Et sic passim exponit August.

Necessitas etiam orationis, quæ vitæ spiritalis & verè Christianæ anima est, admissâ scientiâ mediâ planè corruit. Nam positis duobus principiis scientiæ mediæ, nempe Deum gratiam indifferentem omnibus semper & ubique offerre & conferre, & gratiam illam non inferre, nec prædeterminare bonum usum sui; sed à libertate expectari, & à scientia media ante ullam determinationem divinæ voluntatis explorari & præsciri, vana prorsus, & ut loquitur Augustinus, *irrisoria* erit omnis nostra oratio. Nam amabò, quid petunt à Deo assertores scientiæ mediæ, quando postulant gratiam Dei ad benè sanctèque vivendum? Nam vel petunt gratiam & auxilium; & hoc absurdum est, cùm gratia secundùm illos in omni instanti præsto sit, & obduratissimis quibuscumque conferatur. Vel petunt usum gratiæ, applicationem, reductionem, & determinationem illius; & hoc non, siquidem pro aris & focis contendunt determinationem illam à gratia non prosilire, sed à nobis expectari. *Irrisoria petitio est* (ait Doctor gratiæ) *cùm ab eo petitur, quod scitur ipsum non dare, sed ipso non donante, esse in hominis potestate.* Certè si auxilium Dei fieri efficax est in nostra potestate, & non prævideri Deus futurum efficax nisi ex determinatione voluntatis, frustra petitur. Sed petenti respondebit Deus: Fac tu gratiam efficacem, & habebis quidquid optas.

In fine hujus materiei, & occasione sacrarum virtutum quibus acquirendis obesse scientiam mediam vidimus, participem te faciam, Lector, eruditæ observationis, quam sæpè sæpiùs mente revolvi, eamque probarunt viri acerrimi judicii, & juxtà profundæ eruditionis; ex eaque magis percipies, cur gratiæ per se efficacis defensores sint rigidioris disciplinæ tenaciores. Quia nimirum post accuratum examen, facilè tur advertisse se, laxissimam illam modernorum Casuistarum sub specie probabilitatis licentiam è fontibus scientiæ mediæ promanare, nec esse mirum, quorumdam Ethicam & Theologiam moralem dissipare legem Christi, quorum Theologia speculativa gratiam Salvatoris evacuat.

Sed quæ connexio, inquies; quæ cohærentia? Ecce illam. Videntes recentes Probabilistæ vires hominis lapsi esse ita fractas & debiles, ut nemo, nisi sensûs expers, propriæ infirmitatis pondus non experiatur: aliunde verò non admittentes gratiam invincibilem & victricem, quæ rumpat moras, difficultates evincat, *nec causis anceps suspendatur ullis*, ut loquitur D. Prosper *cap. 15. de ingrat.* sed talem doceant gratiam quæ consensum à scientia media exploratum expectet; ideo conantur legem non gratiæ virtuti, sed consensus prævisi infirmitati attemperare; & officiorum nostrorum rationes non arctis Evangelii sanctionibus, vel omnipotentissimi adjutorii ex efficaci decreto derivati spe, sed naturæ corruptæ regula planè Lesbya & obliqua metiuntur. Hinc frequentes leges apud laxiores illos à Sede Apostolica, ingemiscente Alexandro VII. & variis diplomatibus intrinsecum dolorem effundente reprobatos, non aliam resolutionum suarum rationem adhiberi, quàm infirmitatem humanam: v. g. non dubitant scribere, juvenem non teneri ad consortium occasionis proximæ deserendum, si inde tædiosam vitam reformidet; quia, inquiunt, Præcepta non obligant cum tanto onere, aliàs grave nimis jugum imponeretur filiis Adam. Hinc tanta

ad vitam commodiùs agendam lenocinia adinveniunt. Hinc inviro communi ſenſu, & repugnante pietate varios contractus frivolis quibuſdam argutiis nituntur uſurâ & ſimoniâ purgare cum apertiſſima divinæ legis irriſione. Hinc omninò omnia Patrum, Canonum, & ſummorum Pontificum decreta eludunt, ut omnibus quantumvis moroſis ſe accommodent, ut ſpinas pœnitentiæ evellant, ut anguſtam cœli viam dilatent, ut tollant peccata mundi, vel potiùs peccatis mundum impleant.

At verò fideles S Auguſtini, & D. Thomæ diſcipuli, ſuæ infirmitatis conſcii, & ſolius gratiæ firmitati ſubnixi tenent ſe ad legem, non legem ad ſe detorquent; quia mandatorum obſervantiæ ſpem non in propriis viribus ponunt, ſed in eo à quo bona cuncta procedunt. Vnde legem Chriſti non emolliunt, ſed inceſſanter petunt victricem gratiæ delectationem, quâ ſibi morientes uni Deo vivant, eique indiviſè adhæreant, qui omnipotenti virtute legem quantumvis carni duram, ſpiritui reddit amabilem. *In eo enim quod amatur, non laboratur; aut ſi laboratur, & labor amatur,* ut ait Auguſt.

Quid mirum, ſi Molinianæ ſcientiæ, ſeu mediæ diſcipuli dimidient, & ad nihilum fermè redigant normas, ſtatuta, & conſtitutiones Romanæ Eccleſiæ (quæ ab his corruptelis ſemper abhorruit, ſemper abhorrebit; nam ut divinè ſcripſit Stephanus Papa ad Eccleſiam Africanam: *Abſit ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis, everſa fidei majeſtate, diſſolvere.*) Quid mirum ſi ſimulachra virtutum vendirent, amoris Dei ſuper omnia neceſſitatem repudient, uſuris, ſimoniis, vindictis, calumniis, imò homicidiis colores prætexant, & ſacrum pœnitentiæ rigorem enervent? Ad hujuſmodi officia tam antichriſtiana non eſt opus decreto de ſe efficaci gratiam victricem inferente. Nec ad illa exploranda eſt opus decreto, ad quæ operanda ſufficit natura ſibi relicta. Conſequenter planè qui ſic ædificant parietem reſolutæ moralis, ſcientiâ mediâ omnibus ſola auxilia indifferentia proponente, *liniunt eum,* ut verbis Ezech. 13. utar: id eſt, ut exponit Greg. *Peccata perpetrantibus adulantur, ut quod perversè ædificant, quaſi nitidum reddant.*

Objicies primò: Patres docent ſcientiam Dei reſpectu futurorum, præſertim conditionatorum, eſſe quid valdè mirabile, & humani ingenii facultatem tranſilire. Sed hoc verum non eſſet poſitâ noſtrâ doctrinâ; neque enim grandis difficultatis eſt, quod Deus cognoſcat ſuæ voluntatis decreta, & in illis videat effectus futuros: Ergo ſignum eſt, præſcire illos Deum per ſcientiam mediam ante decretum.

Reſpondeo miram & ſingularem excellentiam aſſeri à noſtra ſententia ſcientiæ divinæ, nempe cognitionem rerum in eſſentia ſua per decretum determinata, in qua omninò antecellit modo cognitionis noſtræ, quæ pendet & hauritur à rebus; unde ſingulare eſt divinæ eſſentiæ, ut ſit cauſa rerum, adjunctâ voluntate ita fortiter ex una parte decernente, ut ex vi illius ſequeretur effectus, poſita conditione; & ex alia parte ita ſuaviter diſponente, ut non lædatur liberum arbitrium. Hanc altitudinem divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei poſt Paulum mirantur Sancti, & jure mirantur, cùm id videatur propugnatoribus ſcientiæ mediæ impoſſibile, & inintelligibile; quamvis in veritate, ſuppoſita fide ſit Deo dignus & conſentaneus cognoſcendi modus.

Objicies ſecundò: Sicut effectui qui eſt correſpondet cauſa quæ eſt; ita effectui qui eſſet non debet aſſignari cauſa quæ ſit, ſed quæ eſſet: Atqui futurum conditionatum non erit, ſed eſſet: Ergo futura illa non pendent à decreto actuali quod ſit, ſed quod eſſet; ac proinde Deus non cognoſcit futura illa in decreto.

Reſpondeo hoc argomentum, quod aliqui magnificant, eſſe merum ſophiſma. Et certè ſi valeret hic cavillus, ſequeretur Deum non habere actu decretum abſolutum circa futura abſoluta. Nam ſicut effectui qui eſt correſpondet cauſa quæ eſt, ita effectui qui erit correſpondet cauſa quæ erit: Sed futura non ſunt, ſed erunt: Ergo non pendent à decreto quod ſit, ſed quod erit. Vides manifeſtam fallaciam? Sicut ergo ideo requiritur præſens decretum, ut verum ſit dicere, futura quæ erant præſentia, eſſe determinatè futura, ita ut de præſenti ſit verum quod conditionatè futura eſſent determinatè futura, poſita conditione, potiùs quàm non futura: ita requiritur actuale decretum ſtatuens talem futuritionem, & connectens illam cum conditione cum qua non habent connexionem; unde in forma facillimè reſponderi poteſt. Effectui qui eſſet, non debet aſſignari cauſa quæ ſit, ſed quæ eſſet, ſi verum ſit de præſenti quod illud eſſet, nego; ſi verum non ſit, tranſeat: & ſimiliter minorem, futurum conditionatum non erit, ſed eſſet, & de præſenti verum eſt dicere quod eſſet, concedo; & non eſt verum, nego minorem & conſequentiam, imò oppoſitâ conſequentiâ inferendum eſt: Ergo ut verum ſit dicere quod futurum illud eſſet poſita illa conditione fallibili, requiritur decretum quod ſit cauſa talis futuritionis, & fundamentum talis veritatis. Vel aliter diluitur hæc fallacia: Effectui qui eſſet debet aſſignari cauſa quæ eſſet, id eſt quæ ipſum exequeretur, concedo; id eſt quæ ipſum decerneret, & non decernat, nego. Nam ut verum ſit dicere quod eſſet, debet eſſe cauſa decernens quod eſſet. Sicut ſi diceres: Effectui qui erit, debet aſſignari cauſa quæ erit: Sed futura non ſunt, ſed erunt. Ergo non habent pro cauſa decretum quod ſit, ſed quod erit; diſtinguerem majorem: effectui qui erit debet aſſignari cauſa quæ erit, id eſt quæ exequetur, concedo; id eſt quæ decernet, nego; nam debuit decreviſſe quod erit.

Objicies tertiò: Deus cognoſcit futura conditionata: Atqui non cognoſcit ea per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, quæ cùm ſit naturalis & neceſſaria, fertur ſolùm ad merè poſſibilia; nec per ſcientiam viſionis, quæ cùm ſit intuitiva, fertur ſolùm ad res præſentes in æternitate, qualia non ſunt futura conditionata quæ nunquam exiſtent: Ergo ſolùm cognoſcuntur per ſcientiam mediam, ſicut & illa futura conditionata ſunt veluti media inter futura abſoluta, & merè poſſibilia.

Reſpondeo poſſe dici illa futura attingi per ſcientiam viſionis, quæ fertur non ſolùm ad creaturas in æternitate præſentes, ſed etiam ad Dei decreta libera, quæ cùm ſint Deo præſentia, in ipſis Deus futura conditionata intuetur. Poteſt etiam dici, futura illa cognoſci per ſcientiam ſimplicis intelligentiæ; nam ſicut datur in Deo ſcientia viſionis naturalis & neceſſaria, ſcilicet viſio eſſentiæ divinæ; & alia libera, ſcilicet intuitus creaturarum in ſpeculo æternitatis: ita datur ſcientia ſimplicis intelligentiæ & naturalis, quæ fertur ad merè poſſibilia; & libera, quæ verſatur circa conditionatè futura: quando autem D. Thom. aliique Theologi aiunt ſcientiam ſimplicis intelligentiæ eſſe merè naturalem, hoc ideo eſt, quia præcipuè occupatur circa merè poſſibilia, quæ naturaliter novit. Elige ex his ſolutionibus quæ magis arriſerit.

R E F L E X I O.

Sicut ſcientia media, ut viſum eſt, non tam benè virtutum chriſtianarum ſtudio favet, ſic veridica

D. An

D. Augustini de decretis omnipotentis Dei voluntatis, & cognitione rerum futurarum in ipsis, non modò non est dura, sed totius virtutis, omnis solidæ pietatis, & suavissimæ consolationis fundamentum est inconcussum. *Hoc nobis* (ait Doctor gratiæ de dono persever. cap. 13.) *expedit & credere, & dicere; hoc est pium, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & totum detur Deo.* Hæc sententia generat spem; nam hæc unica consolatio pias animas sustentat, ut quantumvis grave sit propriæ infirmitatis pondus, confidant eum qui prævenit in benedictionibus dulcedinis, coronaturum in misericordia & miserationibus. Hac anchora freti Patri misericordiarum & Deo totius consolationis fidem suam, spem, charitatemque committunt. *Tutiores vivimus* (repetit idem Pater lib. de prædest. SS. cap. 11.) *si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committimus.* Et iterum: *Miror homines infirmitati suæ se velle committere magis quàm firmitati promissionis Dei. Sed incerta est mihi, inquit, de meipso voluntas Dei. Quid ergo? Tuáne tibi voluntas de seipso certa est, nec times? Qui stat, videat ne cadat. Cùm igitur utraque incerta sit, cur non homo firmiori quàm infirmiori fidem suam, spem, charitatemque committit?* Quantum verò ad ciendos humilitatis, sacri timoris, orationis fervidæ motus conducat doctrina Augustini, nemo non videt? Denique charitatis virtutum reginæ flammas excitat, dum considerat cum S. Cœlestino epist. 1. ad Episc. Gall. cap. 12. quod *tanta sit erga omnes homines bonitas Dei, ut nostra velit esse merita, quæ sunt ipsius dona, & pro his quæ largitus est, æterna præmia sit donaturus.*

DISSERTATIO III.

De perfectionibus ad voluntatem divinam pertinentibus.

ARI in Deo voluntatem, testantur Scripturarum omnes nedum paginæ, sed & litteræ, quæ nihil aliud sunt quàm interpretes divinæ voluntatis. Nec potest negari, admisso semel intellectu divino, quem necessariò voluntas comitatur. Nam sicut ad omnem formam naturalem sequitur inclinatio ad bonum conveniens, putà ad formam ignis inclinatio ad locum sursum, ad formam lapidis propensio ad locum deorsum: ita ad formam intelligibilem sequitur inclinatio ad bonum rationi conveniens, quæ in agentibus intellectualibus voluntas appellatur. Cùm ergo in Deo sit perfectissimus intellectus, voluntatem in ipso confiteri necessum est. Quare restat inquirendum de quidditate, & perfectione, libertate, efficacia, aliisque divinæ voluntatis affectibus.

CAPUT I.

Natura voluntatis, & suavitas amoris Dei.

NOn possumus meliùs explicare quid sit divina voluntas, quàm exponendo ejus actualitatem, quæ est ita pura, ut sit suum velle & sua actio; & objectum quod respicit, & actum amoris, quo erga nos tam benignè propendet.

SPECULATIO I.

Voluntas divina est ita actualis, ut sit sua actio absque distinctione virtuali; ita pura & sancta, ut nullum aliud objectum respicere possit, nisi divinam bonitatem.

PRior pars ex dictis de simplicitate Dei probata teli oquitur; voluntas quippe in Deo constituenda est per modum actus puri: Ergo includit in suo formali conceptu ultimam perfectionem suæ lineæ, scilicet volitionem, aliàs voluntas divina esset potentialis, quod sanè non mediocrem redoleret imperfectionem; quod enim est perfectibile, & consummabile per aliquid ulterius iota propriam lineam, non est in illo ordine purus & ultimus actus.

Dices: In Deo admittitur conceptus naturæ, de cujus ratione est, esse principium & actum primum respectu operationis: Ergo non repugnat in Deo conceptus actus primi respectu operationis; nec est inconveniens distinguere voluntatem à volitione, sicut virtualiter distinguimus justitiam à misericordia.

Respondeo, quod licèt possit admitti in Deo cum fundamento, unam perfectionem sequi ex alia veluti radice, quando una perfectio se habet ad aliam non sicut perfectibile ad suum perfectivum, sed sicut perfectio ad aliam veluti comperfectionem sibi quidem connexam, sed ad diversam lineam pertinentem, quia tunc nulla admittitur potentialitas vel imperfectio, sed purum perfectionum cumulus Deo dignus: sic natura divina est ultimò completa in ordine entitativo, unde quidquid ad illum ordinem spectat, sine distinctione virtuali formaliter importat; ea verò quæ ad ordinem operativum spectant, qualis est intellectus, voluntas, cæterarumque perfectionum ornatus, non nisi implicitè includit. Similiter justitiam à misericordia cum fundamento virtualiter distinguimus, quia una se habet ad aliam ut quid purum, & in suo ordine cumulatum; at verò si voluntas à volitione distingueretur, profectò conciperetur cum fundamento voluntas potentialis, utpote expectans ultimum suæ lineæ complementum, quod longè est à Deo.

Instabis: Non magis dedecet admittere in voluntate divina rationem potentiæ respectu suæ volitionis, quàm repugnet admittere in Deo rationem potentiæ respectu creaturarum, quam tamen S. Thom. *infrà, q. 25* admittit: saltem nil vetat admittere in Deo potentiam virtualem respectu volitionis, cùm divina voluntas virtualiter voluntatis creatæ virtutem præcontineat.

Respondeo esse grandem differentiam inter potentiam Dei respectu creaturarum, & potentiam voluntatis respectu volitionis, quia prima non se habet ad creaturas sicut perfectibile ad perfectivum, sed potiùs sicut perfectum communicans & diffundens suam perfectionem rebus imperfectis; patet autem quod communicare perfectionem non est defectus, sed potiùs perfectionis plenitudo; at verò secunda, seu potentia voluntatis suum actum respicit tanquam ulteriorem perfectionem, quam proinde ab ipso emendicat: quod divinâ eminentiâ indignum esse quis non videt? Id verò quod additur de potentia virtuali, magna æquivocatione laborat; nam per illam potentiam virtualem vel intelligis Deum continere eminentes virtutes causarum & potentiarum creatarum, & hoc non est ad rem, nec de hoc est quæstio; nam etiam hac ratione equus & lapis sunt in Deo eminenter: vel intelligis esse in Deo rationem potentiæ & actus primi virtualiter

liter distinctam ab actu, & hoc est quod inficiamur, cùm in Deo non sit limitatio & defectus.

Posterior pars de objecto divinæ voluntatis suadetur ex doctrina D.Thom. *art.* 2. Illud est objectum formale, tam motivum, quàm terminativum alicujus facultatis, quod per se ab illa attingitur, cætera verò ratione illius; per hoc enim distinguitur objectum formale à materiali: sic objectum formale visus est color, quia nihil à potentia visiva respicitur, nisi secundùm quod habet rationem colorati. Atqui sola divina bonitas per se primò attingitur à voluntate Dei, bona verò creata non nisi ratione illius: tum quia *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*, ut dicitur *Proverb.* 26. tum quia aliàs voluntas divina à creaturis perficeretur, & specificaretur: tum quia sola bonitas divina ratione suæ puritatis & immaterialitatis habet omnimodam commensurationem cum voluntate divina, non verò bonitas in communi, quæ solùm in potentia continet rationem confusam boni. Ergo sola bonitas increata est objectum divinæ voluntatis; non, quòd Deus non velit alia à se, sed quia alia à se non vult, nisi ratione suæ bonitatis. Sicut intellectus divinus alia quidem cognoscit, sed ea non intelligit nisi in veritate suæ essentiæ. Vnde Bernard. lib. de amore Dei, cap. 4. *Hoc est amare tuum, quod tu amas te amantes à dulcedine bonitatis tuæ. Non enim afficeris ad nos, vel à nobis, cùm nos amas; sed es quod es, qui semper idipsum es: nos autem à te, ad te, & in te afficimur, cùm te amamus.*

Vnde hæc est notabilis differentia inter voluntatem divinam & creatam, quòd ista trahitur ab objecto, in quod veluti transformatur, ideò dicitur, quod *anima magis est ubi amat, quàm ubi animat.* Vnde effectus hujus amoris est ecstasis, quâ amans raptus à bonitate objecti exit extra se, ut ibi vivat ubi amat, ibique sit cor ubi est & thesaurus. At verò voluntas divina quia non habet amorem affectivum, sed effectivum, trahit & convertit ad se objectum amatum, quia (ut magis infrà explicabimus) amor divinus nihil in amato præsupponit, sed facit, & infert dum diligit, objectumque suæ dilectionis producit, quod sibi conformat, assimilat & conjungit, juxta illud quod Augustinus audivit, *Non tu me mutabis in te, sed tu mutaberis in me:* & illud D.Bonavent. in 3. dist. 32. quæst. 1. *Amor divinus non est amor inclinans ad alterum, sed potiùs alia inclinans, & trahens ad seipsum.* Et Bern. in Soliloq. num. 12. *Nunquam accidente vel incidente amoris affectu amas quos amas, & aliquo afficeris, qui omnes & omnia facis. Absit, absurdum est, procul est à fide, alienum ab omnium Creatore. Quomodo ergo nos amas, si non amore nos amas? Sed amor tuus bonitas tua est: amas nos in quantum nos efficis tui amatores, nos affectu, tu effectu unum nos in te efficiens.* Vnde fit, quod etiam tunc cùm voluntas divina se extendit ad creaturas, bonitate sua sola permovetur; v.g. cùm alienæ miseriæ opitulatur per misericordiam, vel jus alienum servat per justitiam, solâ dumtaxat bonitate, prout est ratio miserendi, vel juris servandi, impellitur, nec extra illud motivum exit. Aliàs amor Dei esset affectivus, non effectivus, contra Patres.

Objicies: Deus unam creaturam ordinat ad aliam tanquam ad finem, ut cùm res corporales in hominis utilitatem refert: Ergo movetur à creaturis, siquidem propter illas aliquid facit, sicut etiam propter merita dat gloriam, propter demerita infligit pœnam; nam merita movent præmiantem, ut remuneret; demerita verò judicem, ut ulciscatur.

Respondeo, quod sicut in Deo intelligere causam creatam non est ratio quod intelligat effectus, quamvis intelligat effectum in causa; ita velle finem creatum non est ei causa volendi ea quæ sunt ad finem; sed tamen vult ea quæ sunt ad finem ordinare in finem, seu ut medullitùs & compendiosè ait D.Thom. q. 19. art. 5. *Vult Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.* Itaque vult corporalia esse propter hominem, merita etiam sternere viam ad gloriam, & ad supplicia demerita; sed sua bonitate motus est, ut & corporalia ad hominem dirigeret, & justitias nostras remuneraret, & justitiam suam in plectendis impiis demonstraret. Vide de his plura infrà *lib. 4. de Deo primo principio.*

Dices: Si Deus nihil, nisi propter seipsum vult, sequitur ipsum non amare creaturas rationales amore amicitiæ, quæ fertur ad amicum propter ipsum; sed tantùm amore concupiscentiæ, qui prosequitur alia propter se. Consequens est contra D.Thomam 2.2. *q.* 23. *art.* 1. expressè admittentem amicitiam inter Deum, & justum charitate ornatum, secundùm illud: *Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Est etiam contra rationem, parum enim Deo adstricti devictique teneremur, si non alia ratione sua beneficia largiretur, quàm propter se, non propter nos: quod dissonat illi quod canit Ecclesia, *Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis.* Ergo motivum unicum divinæ voluntatis non est sua sola bonitas.

Respondeo amorem amicitiæ quo Deus justos prosequitur, non exigere ut Sanctos propter ipsos ultimatè diligat, aliàs hæc amicitia esset obliqua, & deficiens à recta ratione, quæ si non patitur creaturam esse ultimum finem hominis, quantò minùs Dei? Imò in hoc resplendet immensa, & liberalis Dei erga Sanctos amicitia, quod licèt nihil in ipsis sit quod divinam voluntatem movere possit; eos tamen amare, & apponere eis cor suum non dedignatur, sed semper juxta regulas honestatis & sanctitatis, ordinando scilicet illos ad bonum divinum. Nec propterea minùs debent ejus bonitati, quia in aliis posset Deus gloriam suam manifestare; non enim tenetur eam nostris utilitatibus conjungere. Quod igitur gloriam suam à nostris emolumentis non secernat, indicium est amicitiæ singularis, unde Ecclesia quotidie canit: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Cur non potiùs adorat tantæ gloriæ majestatem, quàm ei gratias impensè agat? Quia nimirum gloriam suam misericors Deus à nostris commodis nusquam disjungit. Vnde appositè Bernard. epist. 23. *Deus cùm sit mirabilis in majestate sua, etiam in Sanctis suis gloriosus apparere dignatur, ut solus habeat gloriam. Ipse nempe licèt sibi sufficiens ad omnem magnificentiam, quærit tamen gloriam & in Sanctis, non ut augeat sibi, sed ut suis communicet.* Et potest totum hoc explicari exemplo Regis, qui eligens ephœbum ad suas vestiarias tesseras gestandas, ultimò quidem regalis majestatis gloriam quærit; quod tamen per illum, & non per alium gloriam suam celebret, singulare est præcipuæ dilectionis argumentum.

Adde ad totam hanc præclaram materiam illustrandam, quod illud solùm amatur amore concupiscentiæ, quod diligitur ut utile sibi; talis quippe amor non quærit nisi quæ sua sunt. Deus autem non amat creaturas rationales ut utiles sibi, siquidem bonorum nostrorum non indiget. Vnde Bernard. serm. 3. Pentec. *Omnia propter semetipsum fecit Deus, omnia propter suos; aliter tamen propter se, aliter propter suos. Omnia fecit propter semetipsum; gratuita scilicet bonitate; omnia propter electos suos, pro eorum scilicet utilitate.* Quamobrem diligit quidem Deus creaturas rationales ut ordinatas ad suam bonitatem, aliàs perversè eas diligeret; sed minimè ut utiles suæ bonitati, cùm eis per totam æternitatem sine ullo suo detrimento caruerit; unde nullum ex eis in tempore emolumentum reportat, ac proinde habitudo creaturarum ad divinam

bonitatem

bonitatem tanquam finem, non est per modum medii utilis conducentis, & deservientis divinæ bonitati; sed per modum participantis, ad fontem totius esse; recepivi, ad diffusivum; & indigentis, ad plenitudinem omnis boni. Quod verbis Angelo dignis explicat Angelicus noster Præceptor lib. 3. contra gent. c. 18. *Deus qui est primum agens omnium rerum, non sic agit, quasi sua actione aliquid acquirat, sed quasi sua actione aliquid largiatur; quia non est in potentia, ut aliquid acquirere possit, sed solùm in actu perfecto, ex quo potest elargiri.* Certè si August. tomo 3. exceptratum, num. 39. dixit: *Nihil Deus jubet quod sibi prosit, sed illi cui jubet, ideo verus est Dominus*: dicam ego, Ideò verus est amicus.

R E F L E X I O.

In Deo est purissima voluntas, quia sibi indesinenter conjuncta solam supremæ bonitatis gloriam, etiam dum ad alia protendit, intendit. Igitur quidquid agimus, impurum est & sordescens, si non ad Deum tota intentione refertur. Discernit aquila inter legitimos spuriosque pullos ex Solis intuitu, & quos advertit intrepida & irretorta oculorum acie Solis radiantis splendores ferre, non submovere pupillas, non obtutus avertere, sed luminis fontem sustinere, illos agnoscit esse germanos. Sic ex solius Dei bonitatis intuitu pensantur opera justa, à quo si tantisper recedunt, pro nihilo reputantur, ut egregiè Bernard. serm. 20. in Cant. *Propter temetipsum Deus fecisti omnia, & qui esse vult sibi, non tibi, nihil esse incipit inter omnia.* Heu nos miseros! Bonis operibus Deum promereri, cor ejus vulnerare, dona advocare, gloriæ pondus immensum comparare possumus, & illa vento & fumo devovemus. Næ mali mercatores sumus? Certè boni operis pretium non agnoscimus, dum mundo facta nostra consecratione, ut perbellè dicebat insignis Angliæ Cancellarius & Martyr Thomas Morus: *Benè & laudabiliter facta compensare mundus hic nec ingratus solet, nec gratus potest.*

S P E C U L A T I O II.

In Deo est formaliter amor tam suæ bonitatis, quàm creaturarum præsentium & futurarum, sed non merè possibilium.

PRimam partem docent Scriptura & Patres, 1. Ioan. 4. *Deus charitas est*: quæ verba sic egregiè ponderat Bernard. serm. 83. in Cant. *Legi, quia Deus charitas est, non quia honor est, vel dignitas. Legi, Non quia honorem non vult Deus, qui ait, Si ego pater, ubi est honor meus? Verùm id pater. Sed si sponsum exhibeat, puto quia mutabit vocem, & dicet: Si ege sponsus, ubi est amor meus.*

Probatur ratione D. Thom. q. 20. art. 1. In Deo est voluntas: Ergo & amor. Probo consequentiam. Amor est motus voluntaria in bonum: Sed voluntas Dei fertur ad bonum quod est essentia sua, & ita necessariò fertur, ut non possit suspendere motum illum, quia cùm intellectus divinus videat Deitatem esse totius bonitatis fontem essentialem, ab ea voluntatem rapi necesse est. Tunc enim solùm voluntas ad amandum aliquid non necessitatur, quando ipsi offertur bonum aliquod particulare, extra quod potest esse aliud majus bonum, vel in quo apparere potest aliqua ratio mali; quando verò clarè & intuitivè proponitur bonum universalissimum, infinitum, uno verbo omne bonum totam voluntatis capacitatem nedum implens, sed inundans, tunc voluntas, sive creata, sive divina ad tale objectum amandum necessitatur, quia si posset illud bonum vel repudiare, vel actu non amare, posset ferri extra omne bonum, & propositam beatitudinem fugere, quod repugnat. Ergo voluntas Dei bonitatem divinam amat, & necessario amat. Et ex illo amore continuò producit Spiritum sanctum, qui procedit ex amore necessario essentiæ, & attributorum Dei, quorum quodlibet necessariò amatur, non solùm quia essentiam divinam virtualiter & transcendentaliter includit, sed quia necessariò cum eadem essentia connectitur; neque enim potest essentia esse necessariò volita, quin amentur ea sine quibus subsistere nequit.

Dices: De ratione amoris est ferri in bonum abstrahens à præsenti & absenti, seu ut loquitur D. Thomas, *in bonum, sive sit habitum, sive non habitum*: Sed divina voluntas, dum fertur in propriam bonitatem, respicit bonum præsens. Ergo non datur in Deo propriè amor, sed gaudium, delectatio, & complacentia suæ bonitatis.

Respondeo, quod licèt amor abstrahat à præsentia & absentia, non est tamen contra rationem amoris versari circa objectum præsens, cùm potiùs experientia & fruitio boni amati sit fomentum & incentivum amoris. Vnde D. Thomas 1. cont. gent. c. 91. ait: *Amor est alicujus rei non minùs cùm habetur, sed magis; quia bonum aliquod fit nobis affinius cùm habetur. Vnde & motus ad finem in rebus naturalibus ex propinquitate finis intenditur.* Et rursum: *Videtur propria ratio amoris consistere in hoc quod affectus unius tendat in alterum, sicut in unum cum ipso aliquo modo, propter quod à Dionysio dicitur, quod amor est unitiva virtus; quantò ergo id, unde amans est unum cum amate, est majus, tantò est intensior amor; magis enim amamus quos nobis unit generationis origo, aut conversationis usus, quàm eos quos nobis solùm unit humana natura societas: & rursus, quantò id ex quo est unio est magis intimum, vel unitum amanti, tantò amor fit firmior. Id autem unde omnia Deo uniuntur, scilicet Dei bonitas, est maximum & intimum Deo, cùm ipse sit sua bonitas. Est igitur in Deo amor non solùm verus, sed etiam perfectissimus, & firmissimus.* Vides quomodo præsentia non obsit, sed prosit amori. Itaque amor divinus fertur in suam bonitatem præsentem, non sub ratione præsentiæ, ut magis dum de gaudio Dei, dicetur, sed solo intuitu bonitatis, quam amat non amore concupiscentiæ, quia hic bonum quærit, quod non habet; nec amore amicitiæ strictæ, qui fertur ad alterum; sed amore suavissimæ unionis & identitatis, quamvis & inter personas divinas quodam pacto amicitia admitti queat, quia licèt in illis non sit distinctus amor, sunt tamen distincti amantes & redamantes.

Secunda pars de amore creaturarum habetur in Scriptura, Sap. 11. *Diligis omnia quæ sunt, Domine, qui amas animas.* Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum.* 1. Ioan. 4. *Prior dilexit nos.* Et suadetur ratione D. Thom. *art.* 2. Amare est velle bonum, præsertim amare Dei; nam hoc interest inter amorem divinum & creatum, quòd iste non est causa bonitatis rerum, sed eam supponit, & ab ea causatur: amor verò divinus est *infundens & creans bonitatem in rebus*, ait D. Thomas. Quo præclaro principio sæpius utitur D. Bernard. ad discernendum utrum Deus nos amet. Et dicit signum esse nos amari à Deo, si ipsum amemus, quia amor Dei, utpote efficax, homines sui amantes efficit. *Iam se, ò bone pater* (ait lib. 5. de consid. cap. 4.) *vermis vilissimus, & odio dignissimus sempiterno, tamen confidit amari, quoniam se sentit amare: imò quia se amari præsentit, non redamare confunditur.* Nec minùs egregiè serm. 69. in Cant. *Ex propriis, quæ sunt penes Deum, agnoscit, nec dubitat se amari quæ amat. Ita est, amor Dei amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio intentam

intentam animam facit, sollicitudo sollicitam: igitur qualem te paraveris Deo, talis oportet appareat sibi Deus. Cum sancto sanctus eris, & cum innocente innocens erit. Quidni & æquè cum amante amans, & cum vacante vacans, & cum intento intentus, & cum sollicito sollicitus? Denique ait, Ego diligentes me diligo. Atqui Deus vult bonum omnibus existentibus & futuris, quibus ab æterno esse, & consequentia ad esse conferre decrevit, & in tempore largitur. Ergo & existentia, & futura propriè amat.

Dices: Si Deus diligit alia à se, vel ea amat æqualiter, vel inæqualiter: non æqualiter, cùm illis tam inæqualia bona distribuat: non etiam inæqualiter, nam cùm amor Dei sit infinitus & immutabilis, non potest magis & minùs amare: Sed quidquid amat, amore prosequitur infinito: Ergo alia à se non amat.

Respondeo, quod licèt Deus omnia æqualiter amet amore affectivo, & eadem intensione charitatis; non tamen eodem amore effectivo, quia quibusdam, nimirum melioribus majora bona concedit. Sic Deus plus amavit Christum quàm totam creaturarum universitatem, quia ei sublimius bonum communicavit, scilicet esse personale Divini Verbi; & illos Sanctos magis diligit, qui plus habent de gratia & charitate. Vide D.Thom.*art.3.& 4.*

Tertia pars, quæ negat Deum amare possibilia, ex jam dictis sequitur; nam amare est velle bonum, & amare Dei est creare & infundere bonitatem in rebus: Atqui Deus merè possibilibus non vult bonum, cùm nolit illis dare existentiam, quæ est basis & fundamentum omnis boni: Ergo Deus merè possibilia non amat. Vnde subtiliter observavit S.Doctor *lib.1. cont. gent. cap.91.* quod cùm aliæ operationes animæ sint circa unum solum objectum, solus amor ad duo objecta ferri solet; per hoc enim quod intelligimus vel gaudemus, unum aliquod objectum respicimus: *Amor verò aliquid alicui vult: hoc enim amare dicimur, cui aliquod bonum volumus. Vnde & ea quæ concupiscimus, simpliciter quidem & propriè desiderare dicimur; non autem amare, sed potius nos ipsos, quibus ea concupiscimus, & ex hoc ipsa per accidens, non propriè dicuntur amare.* Igitur ex D.Thoma, ea solùm Deus amat, quibus bonum vult; unde dicit Dionys. *cap.4. de div. nom.* quod amor divinus non permittit Deum esse sine germine: Sed merè possibilibus Deus nullum bonum vult: Ergo non potest dici, quod illa amet in seipsis spectata, sed tantùm ut sunt in Deo ipsa creatrix essentia.

Confirmatur radicitus: Vt creaturæ possibiles amentur à Deo, alterutrum necesse est, vel quod ipsæ moveant volontatem Dei ad sui amorem, vel quod voluntas Dei communicet eis aliquod bonum, quod diligat; amor enim vel efficitur ab objecto dilecto, vel efficit objectum dilectionis suæ. Atqui Dei amor nec movetur à bonitate rerum possibilium, nec illis quidquam communicare intendit. Ergo merè possibilia Deus non amat. Secunda pars minoris est evidens, cùm merè possibilia relinquat divina voluntas in statu nihili; neque enim habent denominationem possibilis à divina voluntate, sed ab omnipotentia divina. Prima verò pars minoris probatur: tum quia, ut anteà vidimus, motivum divinæ voluntatis non est aliud quàm propria bonitas, quia aliàs voluntas Dei perficeretur à bonitate creata, nec in suæ perfectionis fundo plenissimo inveniret omnis boni satietatem. Tum quia jam in Deo admittendus esset amor affectionis, qui movetur, & perficitur ab objecto creato: quod de Deo dici non posse ex dictis patet. Tum quia vel illæ creaturæ possibiles movent divinam voluntatem liberè, vel necessariò: non necessariò, cùm sint creaturæ unitæ, & limitatæ, à quibus nec ipsa voluntas humana necessitari potest; quantò minùs divina? Non liberè, quia possibilitas cùm sit necessaria, & invariabiliter connexa cum omnipotentia Dei, si Deus possibilia amat, ea necessariò & invariabiliter amat; nec in illa possibilitate potest apparere aliqua ratio mali, quam odio habeat; vel si sit, profectò eam non amat. Ergo Deus merè possibilia non amat, sicut nec mala possibilia odit; aliàs homo justus ratione peccati possibilis posset esse objectum divinæ displicentiæ.

Objcies: Divina volontas, utpote infinita & universalissima, ad omnia se extendit cum quibus connexa est divina potentia; saltem in illis non potest non complacere, licèt futura non sint. Sic, ut infrà dicemus, voluntas Dei fertur ad salutem reproborum, quæ utique futura non est, sed merè possibilis. Ergo Deus amat possibilia. Vnde D.Thom. lib.3.cont.gent. cap.84. *Deus non vult nisi ea quæ sunt, vel possunt esse bona; res autem possibiles possunt esse bonæ.*

Respondeo in tantum Deum complacere sibi in rebus possibilibus, in quantum amat suam omnipotentiam, quæ valet se extendere ad quodcumque non repugnat, non quòd ejus voluntas circa res ipsas possibiles immediatè occupetur, quia si circa eas versaretur divinus amor, eis bonitatem & existentiam effunderet. Connexio verò necessaria, quæ est inter omnipotentiam & creaturas possibiles, non est ita accipienda, ut ablatio creaturarum sit ratio ablationis Dei, sed signum ejus; sicut remota luce Solis removetur Sol, non quòd removeatur Sol ex remotione lucis, sed quia absentia lucis significat Solem esse remotum. Vnde fit, quod licèt amans aliquid amet necessariò connexa cum illo, si sint connexa tanquam ratio à priori, non tamen si sint tantùm signum ablationis rei amatæ, quæ soli proinde voluntati placet.

Volontas autem antecedens fertur ad reproborum salutem, non ut merè possibilem, sed ut quodammodo futuram, non quidem futuritione consummata & obtenta, sed inchoata per gratias & auxilia sufficientia omnibus oblata, quæ sunt semina salutis, quibus si impii responderent, eam consequerentur: & sic intelligendus venit D. Thomas *loco cit. cont. gentes* loquitur enim de possibilibus non potentiâ meræ possibilitatis, sed potentiâ futuritionis, seu quæ sunt in potentia suæ causæ determinatæ, ut aliquando sint bona. Nam Deus solum bonum amat, quia nihil voluntati placere potest, nisi bonitas, præsertim voluntati, cui omnia pro meritis placent.

Dices: Amor sequitur cognitionem: Sed Deus cognoscit bonitatem, cujus possibilia sunt capacia. Ergo Deus amat possibilia.

Respondeo, hoc interesse discrimen inter intellectum & voluntatem, quod intellectus fertur ad res prout sunt in cognitione sua; unde potest versari circa res possibiles, quæ licèt non habeant esse in se, illud tamen habent in intellectu cognoscente: at voluntas fertur in res prout sunt existentes, ut illas assequatur, si sit voluntas creata; vel ut illis impertiatur, si sit divina. Quare licèt Deus cognoscat bonitatem possibilem rerum, eam tamen non amat, quia non est bonitas actu, sed potentiâ; est bonitas speculativè considerata, sed non practicè movens voluntatem: est denique bonitas integritatis possibilis, sed non actualis convenientiæ cum voluntate, quæ non fertur ad aliquid, si proponatur cognitione speculativa, nisi adsit practica & affectiva respiciens exercitium.

REFLEXIO.

Præclarè pro more observavit D. Bernard. inter attributa divina amorem esse præcipuè imitabilem.

Quia

Quia si Deus nos puniat, si misereatur nostri, si creet, conservet, adjuvet, beneficia impendat, eadem ei rependere nequaquam possumus: sed quando amat, licet utrique redamare. Mellifiui Doctoris verba sunt hæc serm. 83. in Cant. *Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus, atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere auctori, vel de simili mutuam rependere vicem. Si mihi irascatur Deus, num ei similiter irascar? Non utique, sed pavebo, sed contremiscam, sed veniam deprecabor. Si me arguat, non redarguetur à me, sed ex me potius justificabitur. Nec si me judicabit, judicabo ego eum, sed adorabo. Salvans me non quæret à me ipse salvari: nec vicissim eget ab aliquo liberari, qui liberat omnes. Si dominatur, me oportet servire: si imperat, me oportet parere; & non vicissim à Domino vel servitium exigere, vel obsequium. Nunc jam videas de amore quàm aliter sit: nam cùm amat Deus, non aliud vult quàm amari; quippe non ad aliud amat, nisi ut ametur, sciens ipso amore beatos, qui se amaverint.* Felix echo! dulce commercium Dei amantis & hominis redamantis! Sed quid justius? ut enim ait August. lib. de catechizand. rudib. cap. 4. *Nimis durus est animus, qui dilectionem si nolebat impendere, nolit rependere.* Audiant illi, scilicet Theologi, quorum eò progressa est audacia, ut Dei amorem negent ad salutem necessarium, totam Christianam Religionem evertentes, Incarnationis consilium destruentes; non enim alio fine venit Christus, non alio prædicavit, non alio mortuus est, non alio misit Spiritum sanctum, quàm ut sacrum hunc ignem mitteret in terram, volens ut accendatur.

Speculatio III.

Amor Dei omnium omninò salutem sincerè vult.

Antequam suadeatur hæc plena solatii speculatio, præmitto voluntatem Dei dividi in antecedentem & consequentem. Non est autem accipienda hæc distinctio ex parte divinæ voluntatis, in qua nulla est diversitas; sed ex parte rerum volitarum, quæ diversimodè consideratæ voluntatem divinam differenter denominant. Et ita in Scriptura voluntas Dei pluraliter nominatur. Psalm. 110. *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus*; quia nimirum voluntas Dei variis modis pro diversitate objectorum accipitur. Hanc autem divisionem variè explicant præsertim assertores scientiæ mediæ; sed verè à D. Thoma & discipulis ejus antecedens appellatur ea, quæ versatur circa objectum secundùm se, & non vestitum omnibus circumstantiis, quibuscum executioni mandari solet: consequens verò respicit objectum omnibus suis circumstantiis involutum. Sic judex antecedenter vult hominem vivere, quia absolutè hominem vivere bonum est, & occidi malum; & tamen voluntate consequenti vult & præcipit hominem illum homicidam, & in periculum multitudinis viventem, occidi. Sic mercator vult merces suas servare incolumes, quas tamen imminente tempestate in mare projicit. Similiter Deus absolutè vult reprobum salvari, quem tamen attentis variis causis finit in peccatum labi, & propter peccata damnari.

Probatur jam speculatio ex Scriptura. Ezech. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus & Deus, & non ut convertatur à viis suis, & vivat?* 2. Petr. 3. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Idque juramento interposito confirmat Ezech. 33. *Vivo ego, dicit Dominus: nolo mortem impii, sed ut convertatur impius à via sua, & vivat.* Denique expressum est illud Apostoli testimonium, 1. Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Quem locum commentans S. Thom. lect. 1. formaliter docet Deum velle salutem omnium, non solùm voluntate signi, quatenus omnibus proposuit præcepta, consilia, & remedia; sed etiam voluntate beneplaciti. Et idem tradit *quæst. 23. de verit. art. 1.* & *in 1. dist. 47. quæst. 1. art. 2.* ubi disertè asserit, quod voluntas quæ de Deo propriè dicitur, est voluntas beneplaciti, *quæ per antecedentem & consequentem dividitur.*

Nostram assertionem non solùm docet Apostolus, sed eam triplici argumento invictè probat, dum subjungit post verba relata, *Quia unus est Deus omnium, unus est mediator Dei & hominum, qui dedit semetipsum pro omnibus.* Vis primæ rationis in hoc consistit: Admittimus unum omnium Deum, qui omnes æquè condidit, omniumque curam & providentiam gerit. Unde Rom. 3. *An Judæorum Deus tantùm, nonne & gentium?* Et 10. *Non est distinctio Judæi & Græci, nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum.* Et Sapient. 6. *Pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.* Succinit August. lib. 2. Confess. cap. 11. *O tu benè omnipotens, qui sic curas unumquemque nostrûm, tanquam solum cures, & sic omnes tanquam singulos.* Quod mutatis verbis repetit Gregor. lib. 25. Moral. cap. 19. *Sic Deus intendit singulis, ac si vacet à cunctis; & sic omnibus simul intendit, ac si vacet à singulis.* Sed illa providentia, cura & amor patris non se extenderet ad omnes, nisi vellet omnium salutem; eos enim in præcipua necessitate constitutos desereret. Ergo sicut omnium est Deus & provisor, ita & singulorum salutem vult.

Secunda ratio Apostoli sic formatur: Christus est mediator non solùm quorumdam hominum, sed omnium prorsus: Sed non esset mediator omnium, nisi vellet omnes salvos facere: Ergo vult omnes salvos facere. Probatur minor. In tantùm Christus dicitur mediator, quia est medius, sequester, & reconciliator hominum ad Deum, juxta illud Ephes. 1. *Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum, faciens pacem.* Et Coloss. 1. *In ipso complacuit reconciliare omnia*, quatenus se vadem & fidejussorem pro omnibus obtulit; quod sanè sincerè non præstitisset, nisi salutem omnium vellet; frustra enim medius pacificationis arbiter interponeretur, qui pro reis veniam non postularet, nec alicujus pœnæ remissionem deprecaretur, nec gratiam ad salutem suo patrocinio impetraret.

Tertia ratio Apostolica fortiùs adhuc probat intentum hoc modo: *Christus dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*, seu pro omnibus mortuus est: Ergo omnium salutem vult Deus. Consequentia tenet; mors enim Christi ordinata est ad salutem eorum pro quibus oblata est, unde si pro omnium salute immolatus est Christus, profectò omnium salutem vult Deus. Antecedens verò est Apostoli tum loco citato, tum Rom. 8. *Proprio filio non pepercit, sed pro omnibus tradidit illum.* Tum 1. Cor. 15. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Qui locus est luce meridiana clarior; nam sicut certum est omnes mortuos esse in Adam, ita & Christum pro omnibus mortuum esse fatendum est, cùm inde probet Apostolus, omnes esse mortuos, quia Christus pro omnibus mortuus est.

Idem antecedens docetur à Patribus. August. *lib. 2. de symb. ad catech. cap.* 8. ubi inducit Christum crucifixoribus, utique reprobis, dicentem: *Videte vulnera quæ infixistis, agnoscite id latus quod pupugistis, quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Ambros. serm. 8. in Psalm. 118. *Christus Redemptor,*

demptor, mysticus Sol justitiæ, omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, omnibus resurrexit. Epiphan. lib. de hæresibus, hær. 55. *Pro toto mundo se obtulit ipse victima, ipse sacrificium, ipse Sacerdos, ipse altare.* Et certè si Christus non esset mortuus pro omnibus, spei nostræ fundamentum corrueret, quæ in sola Christi Salvatoris pro omnibus passione innititur: quo principio, vel falso, vel dubio, omnem spem nostram nutare necessum est. Nutante verò spe languescit & charitas, quæ ex consideratione Passionis Christi pro omnibus oblatæ præcipuè accenditur. Vnde Bern. serm. 20. in Cant. *Opus redemptionis nostræ omninò amorem nostrum facilè vendicat totum sibi: hoc nostram devotionem & blandius allicit, & justius exigit, & arctius stringit, & afficit vehementiùs.* Nemo autem inflammatur amore ex consideratione incerti beneficii, & de quo non sibi constat.

Objicies: Ipse Christus Dominos satis clarè innuit, se non pro omnibus mortuum esse, cùm dicat Ioan. c. 7. *Non pro mundo rogo:* & de sanguine suo, Matth. 16. *Qui pro multis effundetur.* Idem docet Concilium Valentinum Galliæ III. cap. 4. *Christus,* inquit, *non est mortuus pro his qui in impietate mortui sunt.* Quid autem frequentiùs in August. quàm quod *nullus perit ex his pro quibus Christus mortuus est;* & quod Christus *non perdit quod emit sanguine suo?* Denique favet D. Thom. 3. *p. q.* 21. *art.* 4. *ad* 2. dicens: *Christus non oravit pro omnibus crucifixoribus, nec etiam pro omnibus qui erant credituri in eum, sed solùm pro his qui erant prædestinati, ut per ipsum vitam consequerentur æternam.*

Respondeo, Christum non orasse pro reprobis voluntate absoluta & consequente, seu inferente efficaciter salutem. Nam cæteroquin Christus etiam in ipsa cruce oravit pro crucifixoribus, dicens: *Pater ignosce illis.* Quæ sanè oratio, utpote in articulo mortis prolata, quo tempore non solent homines loqui metaphoricè, sed clarè, signum erat sinceræ voluntatis salutis eorum. Ex quibus patet responsio ad locum Ioannis, & ad authoritatem S. Thomæ. Locos verò Matth. necnon Augustini, similiter exponendi sunt, quia sanguis Christi solùm pro multis est efficaciter fusus, & ita docet sacrum Trident. Concil. *sess. 6. cap.* 2. *&* 3. his verbis: *Hunc* (scilicet Christum Iesum) *proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solùm autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi. Verùm etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus recipiunt beneficium, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.* Concilium verò Valentinum vult dumtaxat Christum non esse mortuum, ut impii supplicii æterni addicti ab eis eximerentur beneficio Salvatoris; non tamen negat Deum ante eorum mortem voluisse salutem eorum, eisque sufficientia ad illam obtulisse propter meritum mortis Christi venturi.

Dices: D. August. multis in locis ita exponit locum illum Apostoli, *Deus vult omnes homines salvos fieri,* ut dicat ita intelligendum esse. Primò, non quod Deus velit omnes salvari, sed quia nullus salvatur, quem Deus non velit salvum fieri; eo modo loquendi quo dicitur Ludimagistrum docere omnes adolescentes, non quòd omnes instruat, sed quia nullus eruditur, nisi ab ipso. Sic etiam de beatissima Virgine canit Ecclesia, *Cunctas hæreses sola interemisti,* non quòd omnes extinxerit, sed quia nulla nisi ejus precibus & intercessione destructa est. Sic explicat August. *in Enchir. cap.* 102. *& lib. de prædestin. Sanct. cap.* 8. Secundò ut fiat distributio pro generibus singulorum, non pro singulis generum, & sit sensus: Deus ex omnibus statibus hominum vult aliquos salvos fieri; ex gentibus, & Iudæis; ex Regibus, & subditis; ex masculis, & fœminis. Sicut cùm dicitur omne animal fuit in arca Noë, non est sensus ibi omnia animalium individua extitisse, sed aliquot ex quacumque specie. Ita etiam citatus August. Tertiò, ut tradit *lib. de corrept. & grat. cap.* 13. Deus vult omnes salvos fieri, id est facit Sanctos id velle. Sicut cùm *Rom.* 8. dicitur, *Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* idem est ac postulare nos facit: & cùm *Genes.* 22. dicitur, *Nunc cognovi quod timeas Dominum,* sensus est, cognoscere feci.

Respondeo has tanti Patris expositiones esse orthodoxas, & summa, ut par est, veneratione excipiendas, sicut & eas suscipit D. Thom. hîc, & in commentario illius loci Apostoli. Sed non contradicunt interpretationi quam ex eodem D. Thom. post Damascenum attulimus, quia diverso sensu procedunt. Damascenus enim loquitur de voluntate antecedenti, Augustinus verò de consequenti, secundùm quam certum est Deum eos solos velle salvos fieri qui salvantur. Nec voluntatem illam antecedentem respuit August. cùm ad articulos sibi falsò impositos luculenter dicat: *Sincerissimè credendum atque profitendum est, Deum velle ut omnes homines salvi fiant; siquidem Apostolus sollicitè præcipit ut Deo pro omnibus supplicetur.* Si autem locus Apostoli intelligeretur de voluntate metaphorica, quâ ratione esset secundùm Augustinum sincerissimè credendum & profitendum, Deum velle salutem omnium?

Vrgebis: Semipelagiani recurrebant olim ad voluntatem Dei antecedentem, & utebantur testimonio illo Pauli à nobis adducto, tanquam præcipuo suæ hæreseos fulcro, ut videre est in epistolis Prosperi, & Hilarii ad Augustin.

Respondeo Semipelagianos explicuisse voluntatem antecedentem modo toto cœlo diverso ab eo quo utuntur discipuli S. Thomæ. Illi enim dicebant esse quandam generalem & conditionatam voluntatem Dei, liberi arbitrii humani prævisum & exploratum consensum expectantem, quæ proinde ex eodem creaturæ consensu fiebat consequens & efficax: unde nec admittebant Deum specialiori dilectione prosequi electos quàm reprobos, sed æquè illis velle salutem quantum ex parte Dei est. Nos verò ab his omnibus abhorremus, & in tantum dicimus, voluntatem Dei antecedentem esse inefficacem, in quantum respicit objectum secundùm se, & absque omnibus circumstantiis: & ideo dumtaxat suum ultimatum effectum non sortiri, quia ipsa voluntas aliter disponit, nec frustrari à suo effectu ex impotentia sua, vel impedimento creaturæ, sed quia Deus ipse non vult, qui omnia quæcumque vult, facit in cœlo & in terra. *Quod utique non esset verum* (ait August. in Enchir. c. 95.) *si aliqua voluit Deus facere & non fecit, & quod est indignius, ideo non fecit, quia ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit.* Non etiam dicitur conditionata, quia supponit exploratum consensum, sed quia non fertur ad salutem, nisi ea conditione, quod supremi Provisoris sapientia indicet hîc & nunc ita convenire fini gubernationis suæ. Quomodo autem explicatio voluntatis antecedentis tradita ab assertoribus scientiæ mediæ differat ab expositione Massiliensium, ipsi viderint.

Insistes: Hæc voluntas antecedens & inefficax planè videtur inutilis, imò & parùm sincera; posito enim quod Deus antecedenter ad prævisa demerita reprobet & excludat à salute ut beneficio indebito, quæ est frequens Thomistarum assertio, quomodo cum hoc stat voluntas sincera salvandi reprobum? Si enim esset in manu mercatoris fugere, aut sedare tempestatem, ne merciminia periret, quis crederet eum sincerè ejus conservationi invigilare, si ingruentem

& jamjam opprimentem tempestatem non componeret? Deus autem potest media efficacia conferre reprobo, quæ non modò non confert, sed etiam decernit positivè non conferre: qua ergo ratione sincerè vult eorum salutem? Ergo dicendum est, vel talem voluntatem non esse in Deo, vel non nisi metaphoricè accipiendam esse, sicut de voluntate signi communiter dicitur.

Respondeo voluntatem antecedentem, qualem admisimus, nec censendam otiosam, cùm per eam Deus ostendat viscera misericordiæ suæ, quæ omnibus etiam reprobis auxilia sufficientia ad salutem offert; nec imperfectam, quia non suspenditur ejus executio ex aliquo obice retardante vel impediente Dei voluntatem (ut aliqui non satis de Deo dignè philosophantur) sed ex decreto ipsius volentis, qui variis de causis quandoque occultis, interdum verò patentibus non vult, ut ipsa suum sortiatur effectum, ne impediatur majus bonum, videlicet ordo divinæ providentiæ, universi pulchritudo, attributorum manifestatio, decor justitiæ, splendor misericordiæ; nec denique parum sinceram, sicut non definit sincera esse Judicis voluntas hominis salvandi, quantumvis efficaciter jubeat suspendi homicidam. Vnde exemplum mercatoris non est omninò simile: & ratio differentiæ est, quia mercator est persona particularis, cujus est intendere suum particulare bonum & lucrum; unde si impendente tempestate non facit quidquid potest ad mercium conservationem, convincitur nolle sincerè merces servare: At verò Deus est provisor universalis, cujus est prospicere commune bonum universi; unde cum sincera voluntate salutis alicujus absolutè considerata potest efficaciter permittere, ut cadat in peccatum, propter rationes latentis consilii sui, quod est abyssus multa, adoranda potiùs quàm investiganda.

Persistes adhuc: Voluntas beneplaciti divini semper impletur; nam de ea scriptum est Isai.46: *Omnis voluntas mea fiet.* Sed voluntas antecedens non semper impletur, neque enim salutem quam Deus omnibus vult, omnes consequuntur. Ergo voluntas antecedens non est voluntas beneplaciti, sed signi, subindeque non est formaliter in Deo.

Respondeo, quod cùm Scriptura & Patres docent voluntatem Dei semper impleri, loquuntur de voluntate consequenti: Quamvis admitti possit in aliquo vero sensu, voluntatem antecedentem impleri, quia per voluntatem illam ordinat Deus hominem io salutem, & hoc impletur; nam per auxilia omnibus oblata omnes in salutem diriguntur, licèt eam ex culpa non consequantur. Prædictorum occasione

De altera divisione divinæ voluntatis pauca dicenda sunt. Voluntas beneplaciti est illa quæ formaliter & propriè in Deo reperitur; voluntas verò signi est cùm Deus externo aliquo signo voluntatem suam significat. Et ejus quinque signa affert S.Thom. q.19. art.12. quæ sunt *preceptum, prohibitio, consilium, operatio, & promissio,* & comprehenduntur hoc communi versiculo: *Precipit, ac prohibet, permittit, consulit, implet.* Observa autem cum D.Thoma in disputatis *quæst.*23. *de volunt. Dei, art.*3. *ad* 9. quod aliquando voluntas signi non coincidit cum voluntate beneplaciti, sicut permissio peccati, quod nec Deus facit, nec fieri vult: aliquando semper coincidit, ut operatio; nihil enim Deus operatur quod non velit; aliquando interdum coincidit, interdum decidit, ut præceptum, prohibitio, & consilium; multa enim præcipit & consulit Deus, quæ non fiunt; & multa prohibet, quæ fiunt.

Quinque prædictis signis sextum annumerandum censet Estius, quod vocat *preparationem*, quando scilicet Deus vult præparare aliquid ad aliud, quod tamen non fit: sic qui minatur, vel promittit aliquid, dicitur velle illud; qui stringit gladium, dicitur velle occidere, & sic ait posse intelligi illud Luc.24. *Finxit se longius ire*, ut sit sensus, Christum progressum aliquantulum, tanquam si discessurus esset, & longiùs iturus. Et *Exodi* 4. dicitur, Deum voluisse occidere hominem, quia hæc dixit aut fecit quæ sunt ad hujusmodi effectus præparationes: quâ doctrinâ explicari queunt multa difficilia Scripturæ testimonia. Sed quanvis hæc observatio sit erudita; dici tamen potest præparationem illam posse reduci ad operationem, quæ est unum ex quinque signis: nam qui præparat aliquid, operatur id quo significat suam voluntatem; saltem antecedentem.

R E F L E X I O.

Quàm multis opponere posset modò Christus quod olim Judæis objiciebat, Matth.2. *Jerusalem, Jerusalem, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti?* Cùm enim Deus velit omnes salvos facere, vix tamen invenitur qui salvari sincerè velit. Christus passus fons patens est, & nemo haurit; clamitat in plateis; & per externas prædicatorum forinsecus sonantes voces, & per internos inspirationum afflatus, *Si quis sitit, veniat ad me*, & nullus accedit: pro omnibus se obtulit, *non in templo* (ut S.Leo *serm.*7. *de passione*, rectè ponderat) *nec intra septa civitatis, sed extra; ut veterum victimarum cessante mysterio, nova hostia novo imponeretur altari, & crux Christi non templi esset ara, sed mundi.* Et tamen non invenitur qui in se adimplere velit quæ desunt passioni Christi in carne sua, vel dignos faciat pœnitentiæ fructus. Denique vult omnes salvos facere, & pauci admodùm salvi fiunt. Vnde hoc? Quia revera salvari nolunt, sed vellent: vellent; inquam, si non esset obligatio restituendi alieni, dimittendæ alienæ, pœnitentiæ agendæ, exercendæ pietatis. *Vult, & non vult piger*, ait Sapiens *Proverb.*19. Vult, quia arridet fœlicitas, invitat præmium, minæ deterrent. Sed in veritate non vult, quia media fine quibus finis non obtinetur, minimè eligit. Vult simplici volitione & complacentiâ (sic vocatur à Theologis *i.a.*) non intentione quæ imperat media, quæ turpit moras, quæ tarda molimina nescit. Vnde multi sunt (ut eruditè, nec minùs piè advertit Ioan. à S. Thoma *tom.*3. *disp.*9. *art.*1. *num.*6.) qui valdè Deum diligere, & de eo delectari videntur, & vehementer falluntur, quia nihil habent nisi simplicem amorem, bonum quidem, sed nondum perfectum, nondum robustum, quia nondum duplicatum attingentiâ finis & mediorum: & quia solo delectationis gustu inoitiur, eo desinente (ut sæpè per tentationes cessat) corruit totus illæ prætensus fervor. Vera dilectio non multùm in hujusmodi velleitatibus, vel consolationum saporibus occupatur, sed onicè circa custodiam cordis, tollenda passionum vitiorumque impedimenta, eaque quæ Deus præscribit, implenda versatur. Hic est amor ex toto corde, & qui non solùm dicit, *Domine, Domine*, sed facit voluntatem Patris; qui denique ducit ad cœlum, sicut velleitatibus plenus est infernus.

C A P V T II.

De variis divinæ voluntatis affectibus, & de moribus divinis.

IN confesso est apud omnes Theologos, in Deo admittendas esse virtutes affectivas distinctas virtualiter

tualiter à voluntate, quæ ad hoc ut sit infinita & actus purus, sufficit ut ultimum actum suæ lineæ, id est volitionem sibi absque distinctione virtuali identificet; sufficit namque ad infinitatem cujusvis attributi divini, ut explicitè importet quidquid pertinet directè & per se ad propriam seriem, alia verò implicitè, & per modum transcendentis includat. Præsertim quando assignantur diversa objecta, vel diversæ rationes formales ejusdem objecti, propter quas cum fundamento attributa distinguimus, ut contingit in præsenti; nam voluntas respicit bonitatem divinam prout est in se, & secundùm totam suam amplitudinem: misericordia respicit eandem bonitatem veluti magis contractam, ut est ratio miserendi, seu pellendi miseriam, & sic de aliis. Nam divina bonitas, utpote eminentissima, & eminentissimo modo æquivalens omni bonitati creatæ, potest esse ratio miserendi, & puniendi, & fidelitatem servandi, & sic specificare secundùm nostrum concipiendi modum in objecto fundatum diversas virtutes affectivas; ut autem de his perspicuè agamus, tria considerabimus. *Primò*, quænam passiones secundùm rationem formalem possint dici de Deo. *Secundò*, quomodo admittendæ sint virtutes justitiæ annexæ. *Tertiò*, quomodo misericordia, & ei affines.

Speculatio I.

Illæ, quas in nobis experimur affectiones, Deo formaliter attribuuntur, quæ nullam dicunt vel involvunt imperfectionem.

Ut methodicè hanc speculationem explicemus, de præcipuis affectibus inquirendum est sigillatim, solo excepto amore, de quo satis superque capite superiori dictum est.

Quæres primò, an detur in Deo gaudium, & delectatio?

Respondeo affirmativè, juxta illud Psalm. 15. *Delectationes in dextera ejus usque in finem.* Et ratio est, quia gaudium & delectatio est quies voluntatis in objecto volito; divina autem voluntas in propria bonitate maximè quiescit, utpote omnem sufficientiam in se inveniens: igitur in se maximè gaudet, & suavissimè delectatur. Præterea delectatio est quædam operationis perfectio, unde ait Philosoph. 10. *Ethic.* quod perficit operationem, sicut pulchritudo juventutem: Sed Deus perfectissimam operationem habet in intelligendo: Igitur cùm nostrum intelligere propter suam operationem sit adeò delectabile, quanto magis divinum?

Confirmatur ex D. Thoma 1. *cont. gent. cap.* 90. Unumquodque naturaliter in suo simili gaudet, nisi fortè per accidens, si esset impeditivum propriæ otilitatis; sicut figuli adinvicem corrixantur, eo quòd unus impedit luctum alterius. Omne autem bonum est divinæ bonitatis similitudo, neque ex bono aliorum aliquid Deo deperit, sed magis divina bonitas refulget: Igitur Deus de omni bono non solùm proprio, sed etiam alieno gaudet.

Quæres secundò, an gaudium divinæ voluntatis differat virtualiter ab amore?

Respondeo affirmativè, quia amor fertur ad divinam bonitatem sub præcisa & formali ratione bonitatis; gaudium verò & delectatio sub ratione boni conjuncti, uniti, & possessi per realem fruitionem: ergo verisimilius est has duas virtualiter distingui, quia licèt penes diversa objecta materialia non distinguantur divinæ perfectiones, hacque de causa non distinguatur scientia simplicis intelligentiæ à scientia visionis; benè tamen quando differentia oritur ex objecto primario, scilicet bonitate divina diversa ratione spectata; nec enim alia ratione distinguitur virtualiter justitia à misericordia. Sic in proposito; nam amor respicit bonum, quà bonum; gaudium verò quà possessum: unde si per impossibile voluntas Dei esset separata à sua bonitate, voluntas bonitatem amaret, quamvis de ea minimè gauderet. Et radix horum est, quod sicut bonum absolutè spectatum, quod est objectum amoris, est prius seipso ut determinato per rationem præsentis: ita affectus amoris versans circa bonum ut tale, est prior illo qui versatur circa bonum ut præsens. Et hujus signum est, quia non delectamur de aliquo, nisi quia illud amamus, & ideo gaudium percipimus, quia diligimus: ergo gaudium ab amore originatur in nobis quidem realiter, sed in Deo virtualiter.

Quæres tertiò, utrum in Deo sit zelus?

Respondeo affirmativè, juxta illud Exod. 14. *Ego sum Dominus Deus tuus fortis, Zelotes.* Et 34. *Dominus Zelotes nomen ejus: Deus est æmulator.* Psal. 78. *Accendetur velut ignis Zelus tuus.* Et D. Dionys. *lib.* 4. *de divin. nomin.* ait Deum appellari *Zelotem propter multum amorem, quem habet ad existentia.*

Ratio desumitur ex D. Thoma 1. 2. *q.* 28. *art.* 4. zelus in sua ratione nihil importat quàm intensum amorem excludentem & fortiter repellentem omne sibi contrarium & repugnans: Sed in Deo est perfectissimus amor suæ gloriæ, propter quam omnia operatur, & quam etiam in his quibus obscurari videtur, illustrem reddit; de his enim quæ faciunt homines contra voluntatem Dei, facit ipse quæ vult, ut infrà ostendemus latiùs dum de providentia Dei: Ergo in Deo est perfectissimus zelus.

Et quamvis zelus prout est in nobis, sæpè sæpiùs imperfectione aliqua admixta nonnihil sordescat, quia non rarò in hominibus nascitur vel ex falsis suspicionibus, vel ex invidia; onde Thom. à Kemp. *Passione movemur, & zelum putamus*; tamen ab his omnibus alienissimus est zelus divinus, quia licèt Deus velit solus amari tanquam ultimus finis, præcipit tamen amari proximum, imò illud asserit esse præcipuum dilectionis Dei argumentum. *In hoc cognoscent omnes* (ait Veritas, Ioan. 13.) *quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Deus etiam falsis suspicionibus minimè obnoxius est, quia spirituum ponderator est, & dum homines vident ea quæ patent, ipse intuetur cor. Unde præclarissimè August. *Videte cum quanta securitate ametis, cui displicere falsis suspicionibus non timetis.*

Confirmatur ex triplici conditione, quam D. Bernard. *serm.* 40. *in Cant.* exigit ad verum zelum, dicens: *Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia: sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus; nec teporem habeat, nec careat discretione, nec timidus sit.* Sed hæc triplex conditio excellentissimè zelo divino convenit, cùm Deus habeat charitatem & fervorem infinitum, imò sit ipsa charitas, & fervor per essentiam: unde dicitur Deut. 4. *Deus ignis consumens est.* Ejus etiam sapientiæ non est numerus, nec apud illum est transmutatio, vel vicissitudinis obumbratio: ergo in Deo est fervidissimus, prudentissimus, & constantissimus zelus.

Quæres quartò, utrum in Deo sit formaliter odium?

Respondeo negativè, quia odium fertur ad malum quodammodo sub ratione mali; nam licèt malum non possit esse motivum voluntatis, quæ semper tendit ad bonum vel verum, vel apparens; tamen malum potest esse objectum terminativum voluntatis, quatenus voluntas sub ratione boni sibi convenientis vult illud quod est noxium, & disconveniens inimico.

Atqui

Atqui divina voluntas non fertur nisi ad bonitatem suam intrinsecam, tanquam objectum suum adæquatum, tam motivum, quàm terminativum: unde cùm Deus vult infligere pœnam peccatori, non illam intendit ut illum plectat, sicut nos odio habendo aliquem volumus illi malum, ut malum illi est; sed pœnam vult quatenus in ea resplendet suæ decor justitiæ, & ordo universi; quod sanè bonum est. Ergo in Deo non est odium propriè dictum, juxta illud Sap. 11. *Nihil odisti eorum quæ fecisti.*

Id egregiè confirmat S. Thom. 1. *cont. gent. cap.* 96. quia illud quod naturaliter invenitur in omnibus principiis creatis, in primo agente necesse est inveniri, præsertim si nullam involvat imperfectionem, sed puram perfectionem; in Deo quippe sunt omnes perfectiones creaturæ. Vnde pulchrè Augustinus: *Qui fecit magna major est; qui fecit pulchra, pulchrior est; qui fecit bona, optimus est.* Sed omnia agentia suo modo effectus suos amant, sicut parentes filios, poëtæ poëmata, artifices sua opera; & hoc puram perfectionem redolet. Igitur multò magis Deus nullam rem odit, cùm ipse sit omnium causa. Ex quo obiter inferes, quàm justum sit à nobis Deum redamari, qui nos non potest odisse, & non amare non potest; & cum qua fiducia ad Deum accedere debeamus, qui nos odio habere non potest. *Non possum vereri vultum* (ait Doctor Mellifluus serm. 84. in Cant.) *cujus sentio affectum. Nunquid irascetur quæsitus, qui etiam contemptus dissimulavit? Quin imò non repellet requirentem, qui & contemnentem requirit. Quidni animer ad quærendum expertus clementiam?*

Dices: De Deo dicitur Psalm. 5. *Odisti omnes qui operantur iniquitatem: virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus.* Et Zachar. 8. *Vnusquisque malum ne cogitetis in cordibus vestris, & juramentum mendax ne diligatis; omnia enim hæc sunt quæ odi, dicit Dominus.*

Respondeo hæc & alia loca intelligi tripliciter, primò quatenus Deus amando bonum removet id quod est contrarium bono, sicut nos ea odio habemus quæ esse nolumus. Secundò quatenus Deus vult aliquod majus bonum, quod esse non potest sine privatione minoris boni. Sic in quantum vult bonum justitiæ, vel ordinis universi, quod esse non potest sine punitione & corruptione aliquorum, dicitur illa odisse, quorum corruptionem vel punitionem vult. Denique intelligi possunt de odio abominationis, quo Deus prosequitur peccatum, utpote adversum suæ bonitati; sed creaturam odio habere nequit bonitas per essentiam.

Quæres quintò, quid dicendum de ira & desiderio?

Respondeo, neutrum ex his affectibus esse in Deo. Non iram, quæ ut ait D. Thom. lib. cit. cap. 89. *Longè est à Deo secundùm rationem suæ speciei*, quia est appetitus vindictæ propter tristitiam ex injuria illata conceptam: in Deo autem nulla esse potest tristitia, ut posteà dicemus. Nec placet quod ait Suarez oppositum sentiens, de ratione iræ esse solùm appetitum nocendi alteri sub ratione justitiæ vindicativæ; sequeretur enim ex hoc omnem actum justitiæ vindicativæ ad iram pertinere, sicque judicem qui sedato, tranquilloque animo punit homicidam ex motivo justitiæ vindicativæ, ipsum ex ira plectere; quod tamen communi modo loquendi & sentiendi repugnat. Scriptura autem, quæ interdum iram Deo asserit, intelligenda est de effectu, non de affectu iræ. Vnde Chrysolog. serm. 45. *Deus nec subjacet passioni, nec ira accenditur, nec furore turbatur; sed ira Dei est delinquentium pœna; furor Dei est supplicium peccatorum.*

Quoad desiderium verò idem suadetur; nam desiderium fertur circa bonum non habitum, vel quod non est in nostra potestate; de bonis enim habitis solùm gaudemus, & fruendo delectamur; nec illud censemus desiderare, quod cùm sit in nostra potestate, non habemus; si enim verè illud desideraremus, profectò & haberemus. Ergo Deus non habet propriè dictum desiderium, nec respectu suæ bonitatis, quam essentialiter possidet, sed nec etiam per ordinem ad bona extrinseca etiam à libero nostro arbitrio pendentia, quia ea omnia habet in sua potestate, cùm teste Augustino habeat *humanorum cordium quocumque inclinandorum omnipotentissimam potestatem, & magis in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Igitur non est in Deo propriè dictum desiderium, quod est appetitus boni non habiti, nec actu, nec virtute, seu potestate. Attribuitur tamen quandoque Deo, quatenus se habet ad modum desiderantis, dum per auxilia sufficientia nos sollicitat ad salutem.

Ex his evidentiùs sequitur, removendos esse à Deo affectus spei, timoris, & tristitiæ. Spes quippe respicit bonum futurum, arduum, & difficile acquisitu; timor verò respicit malum quod imminet; tristitia autem affligitur de malo præsenti. Atqui Deo nihil est difficile, qui voluntate omnia creavit: Deo etiam nullum malum accidere potest, cùm sit summum bonum, & plenitudo bonitatis. Ex quo statim consequitur, repugnare etiam Deo invidiam, quæ tristatur de bono alterius, cujus bonum accipit tanquam sibi malum; Sed Deus amat omne bonum, cùm illud producat; nec potest apprehendere id quod est bonum ut malum sibi, cùm ejus scientia sit sine errore.

Denique observanda est regula, quam tradit Divus Thomas q. 20. art. 1. ad 2. *D icendum quod in passionibus appetitus sensitivi est considerare aliquid materiale, scilicet corpoream transmutationem; & aliquid quasi formale, scilicet quod est ex parte appetitus: sicut in ira materiale est accensio sanguinis circa cor, formale appetitus vindictæ. Sed rursus ex parte hujus quod est formale, in quibusdam horum designatur aliqua imperfectio, sicut in desiderio, quod est boni non habiti, & in tristitia, quæ est mali habiti: & eadem ratio est de ira, quæ tristitiam supponit. Quædam verò nullam imperfectionem designant, ut amor & gaudium. Cùm igitur nihil horum Deo conveniat secundùm illud quod est materiale in eis, illa quæ imperfectionem important, etiam formaliter Deo convenire non possunt, nisi metaphoricè, propter similitudinem effectus. Quæ autem imperfectionem non important, de Deo propriè dicuntur.* Vbi compendiosè totam nostram speculationem comprehendit S. Doctor.

REFLEXIO.

Deus omnibus iis affectibus præditus est, quibus nullus passionis sensus permiscetur. Similiter ut mores divinos imitemur, conandum nobis est, & omni studio cavendum, ne quidquam passionis impetu agamus; Hæc totius Ethicæ summa: *Nihil ex passione, cuncta ratione tractanda.* Hac arte tenemus medium, nec perdimus modum: nunquam, aut rarò peccabis, si cuncta agenda deliberatione prævenias. Ita rectè tradit D. Bern. lib. 5. de consider. cap. 5. *Spiritualis homo ille qui omnia dijudicat, ut ipse à nemine dijudicetur, omne opus suum trina consideratione præveniet. Primùm quidem, an liceat; deinde, an deceat; postremò, an expediat. Nam etsi constet in Christiana utique Philosophia non decere nisi quod licet, non expedire nisi quod decet & licet, non continuò tamen omne quod licet, decere aut expedire consequens erit.*

Speculatio II.

In Deo est summa & perfecta justitia, non quidem commutativa, sed distributiva, & vindicativa, seu punitiva.

Prima pars constat; nihil enim in sacris litteris frequentiùs inculcatum, quàm agnoscendam esse in Deo perfectam justitiam. Psalm. 118. *Iustus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et iterum, *Iustitia tua, justitia in aeternum.* Et alibi millies. Atque hoc attributum unum ex micantissimis esse testantur Patres. Chrysol. serm. 9. *Qui potest celare radios Solis, justitiae poterit occultare fulgorem. Iustitia lux rerum consiliis non velatur obscuris. Iustitia cùm sibi facto claret, omnes illustrat exemplo.* In Deo autem non solùm est justitia, sed etiam, ut ait August. serm. 34. de verb. Dom. *Fons justitiae est.* Et ratio est, quia justitia est virtus unicuique quod suum est tribuens, Deus autem unicuique quod suum est tribuit (quidquid sit, an creaturae habeant jus, necne, de quo statim) quia omnia in numero, pondere, & mensura produxit; summâ sapientiâ, ac providentiâ regit; estque summa lex, & regula totius bonitatis, & debitae ordinationis. Sed jam explicandum restat, quaenam justitiae ratio in Deo reperiatur.

Secunda pars, quae negat reperiri inter Deum & creaturas justitiam commutativam, explicatur & probatur: Iustitia commutativa consistit in mutua datione & acceptione, ex qua contrahitur debitum in accipiente, qui tenetur compensare debitum servando proportionem, seu aequalitatem arithmeticam secundùm computationem numeri ad numerum, qualis est inter vendentem & ementem; ut si venditor dat pannum pretii centum nummorum, emptor stricto jure tenetur dare centum nummos, ne incurrat injustitiae labem. Atqui nulla creatura potest aliquid Deo dare, quod Deus stricto jure compensare teneatur: Ergo non datur justitia commutativa inter Deum & creaturas. Major est definitio justitiae commutativae. Minor probatur: Creatura non potest dare aliquid quod Deus compensare teneatur, si in veritate nihil Deo dare possit: Sed revera creatura nihil Deo dare potest: Ergo Deus nihil compensare tenetur. Probo minorem: Dare aliquid alteri est constituere illum sub dominio ejus cui datur, eique tribuere aliquid quod ad ipsum non pertinebat: Atqui omnia sunt sub dominio Dei, etiam antequam illi offerantur, multò meliùs quàm sub dominio creaturae; imò ipsum dare & offerre est in nobis ex auxilio & influxu Dei: Ergo creatura nihil unquam propriè dat Deo. Vnde dicitur ad Rom. 11. *Quis prior dedit ei, & retribuetur ei?* Iob 4. *Quis dedit mihi, & reddam ei?* & 1. Paral. 29. *Tua sunt omnia, & quae de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et praeclarè August. lib. 1. Confess. cap. 4. *Quis habet quicquam non tuum? Reddis debita nulli debens: donas debita nihil perdens.*

Confirmatur: Quidquid à creatura Deo offertur, illi innumeris titulis debitum est, scilicet titulo Creatoris, Conservatoris, Adjutoris, supremi Domini, ultimi finis: Ergo per ea quae offeruntur non obligatur Deus ad compensationem ex stricta justitia, sed solùm ex sua liberalitate; non ex debito, sed ex charitate: omne quippe debitum importat dependentiam & subjectionem in eo qui debet, quod sanè longè est à Deo. Certè si secundùm Philosophum 8. *Ethic. cap.* 16. non datur stricta justitia inter Patrem & filium, nec inter dominum & servum, quia filius non potest in beneficiis aequale compensare patri, à quo accepit esse, nutrimentum, & disciplinam; & quia totum quod est servi, domini est: quantò minùs inter Deum & hominem stricta justitia commutativa invenietur, cùm homo nihil offerre valeat, quod ad Deum non pertineat, nec suis operibus immensa Dei beneficia tantisper adaequare. Vnde Bern. lib. de diligend. Deo, cap. 3. *Si totum me debeo pro me facto, quid reddam jam & pro refecto? Nec enim tam facilè refectus, quàm factus. In primo opere me mihi dedit, in secundo se; & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus, me pro me debeo, & bis debeo: quid Deo tribuam pro se? Nam si me millies rependere possem, quid sum ego apud Deum, qui prior dilexit nos, tantus, & tantum, tantillos, & tales?* Quid divinius?

Denique huic nostrae sententiae favet tota Scriptura & Patres, qui perpetuò docent, humilitatis & charitatis Christianae summam esse multa pro Deo facere; & tamen arbitrari nihil sibi ex justitia nisi poenas deberi. Vnde aiebat Veritas, Luc. 17. *Cùm feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus, quae debuimus facere fecimus.* Vnde viri sancti quantumcunque ardua conarentur, vel dura paterentur, haec tamen pro nihilo reputabant, secundùm illud Cant. 8. *Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Hanc vitae spiritualis & Christianae fundamentalem regulam divinè tradit D. Thom. opuscul. de diligendo Deo: *Operari magna, & reputare pauca: operari diu, & reputare brevi, hoc verè signum est amoris praecipui.* Et certè hujus veritatis luce magis convincetur animus, si attendat, quod ipsa opera nostra bona sunt Dei dona; cùmque poenitentiam nostram, & lacrymas nostras in conspectu suo veluti rationali ponit, novâ nos onerat gratiâ. Nam ut ait Bernard. *serm.* 15. *in Psalm.* Qui habitat: *Onerat, cùm exonerat Deus; onerat beneficiis, cùm exonerat peccatis.*

Objicies: Deus promisit se daturum mercedem bonis operibus ex conventione & pacto oneroso laborandi in vinea sua. Ergo ex justitia obligatur ad retributionem. Vnde Scriptura & Patres saepiùs dicunt, Deum futurum injustum, nisi daret praemium sanctè viventibus. Ad Hebr. 6. *Non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri boni.* Et August. *lib.* 4. *cont. Iul. cap.* 3. ait: *Deus ipse, quod absit, erit injustus, si ad ejus regnum verus non admittatur justus.*

Respondeo quod, ut optimè ait D. Thom. *quaest.* 21. *art.* 1. *ad* 3. licèt Deus unicuique det quod ei debetur secundùm rationem suae naturae & conditionis; *non tamen ipse est debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed potiùs alia in ipsum; & ideo justitia quandoque dicitur in Deo condecentia suae bonitatis, quandoque retributio pro meritis, & utrumque modum tangit Anselmus: Cùm punis malos, justum est; quia illorum meritis convenit: cùm verò parcis malis, justum est, quia bonitati tuae condecens est.* Vnde quaecunque promissio accedat, Deus non fit nobis debitor, sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio, & conventio impleatur. Si autem Deus non remuneraret bona opera, non esset injustus nobis, sed sibi; nobis autem infidelis, quia frangeret fidem, nec staret promissis. Sicut licèt Deus per Prophetas promisisset Filium suum, non tamen ex justitia, sed ex amore & gratia apparuit benignitas Salvatoris nostri. Vnde August. lib. 5. Confess. cap. 9. *Dignaris eis quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri.* Et idem repetit serm. 16. de verbis Apost. *Tenemus Deum debitorem, debitor enim factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo.* Vnde infert Sanctos posse Deo dicere: *Fecimus quod jussisti, redde quod promisisti.* Et Anselm. in Prosol. cap. 10. *Iustus es, Domine, non quia nobis reddis debitum, sed quia facis quod decet te summum bonum.*

Tertia

Tertia pars speculationis, qoæ asserit in Deo admittendam esse justitiam distributivam, qua Deus juxta rerum dignitatem, & pro meritorum inæqualitate sua dona dispensat, expressè asseritur à D. Thom. hic, post D. Dionys. c. 8. *de div. nomin.* Et probatur: Iustitia distributiva est virtus qua dispensator & provisor rerũ dat unicuiqne juxta propriam cujusque dignitatem, unde & dicitur qnod servat proportionem geometricam & respectivamue si paterfamilias dat vestes toti familiæ, non tamen easdem, sed parvulis parvas, grandævis grádiores prudenter largitur. Si Dominus dat servo pro stipendio diei nummum, operanti per duos dies duos nummos retribuet: At qui hæc justitiæ ratio admittenda est in Deo, imò & de ea exponi debent omnia Scripturæ testimonia, quæ Deum erga homines justitiam exercere testantur, ut cùm dicitur 1. Timoth. 4. *Superest mihi corona justitia, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Iudex.* Matth. 25. *Dedit uni quinque talenta, alii duo, alii unum, secundùm propriam mensuram*, id est meritum & dignitatem: & *ad Ephes.* 6. dicitur, quod *personarum acceptio non est apud Deum*, quia in bonorum suorum dispensatione Deus causas discemit, onn personas. Vnde ut observat D. Thom. *opusc.* 62. in veteri lege non potentes & nobiles, sed humiles constituit judices super populum, sicut Moyseo & Iosuë: & David minimum inter fratres de pascuis ovium in Regem soblimavit. In primitiva etiam Ecclesia non divites vel sapientes, sed piscatores ignobiles constituit Principes super omnem terram. Nec ulli confert gratiam propter potentiam, oobilitatem, fortitudinem, aut pulchritudinem corporalem; sed ut dicit Petrus Actor. 10. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni gente, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Et sicut in hoc mundo non solos opulentos, vel stirpe claros ad cœlum vocat, sed pauperes, cæcos, claudos, debiles, & infirmos compellit intrare, & secreta quæ abscondit sapientibus, revelat parvulis: ita in postremo judicio personaa Regum & Principum non accipiet, sed recipiet ono squisque prout gessit, sive bonum, sive malum. Ergo in Deo est justitia distributiva.

Probatur etiam ratione: Iustitia distributiva explicata nullam dicit imperfectionem, sed puram perfectionem; pertinet enim ad supremum provisorem dispensare bona inferioribus juxta eorum merita. Neque hæc recta & *modulata* distributio (sic vocatur à Tertul. *cont. Marcion.*) provenit ex debito vel obligatione, sed ex rectæ rationis lege & convenientia, quâ Deus judicat omnia cum harmonia & consonantia esse distribuenda. Vnde licèt Deum in distribuendo proportionem servare justum sit, tamen ab ea distributione penitus abstinere absque injustitia potest: v. g. supposito quod pactum iniverit de mercede bonis operibus retribuenda, justum sit ut præmium ex operum inæqualitate metiatur; tamen absolutè poterat Deus à tali conventione absque injustitia abstinere, & opera illa à creaturis suis supremus Dominus absque mercedis pacto exigere.

Nec etiam per hujusmodi dispensationem amittit Deus rerum distributarum dominium, cùm omnia sibi essentialiter subdantur. Præsertim quia creaturis rationalibus bona non tam donat, quàm cõmodat, nec quicquam alienat, sed omnia veluti in feudum ac emphyteusim tradit ea lege, ut omnia in Deum referant, à quo acceperunt. Ergo justitia distributiva ab omni imperfectionis labe munda est, sed in infinita Dei sapientia fundatur, quæ exigit ut singula pro meritorum diversitate dispenset. Qua de causa *veritas* dicitur, Psalm. 84. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi*; quia nimirum eum in rebus ordinem constituit, quem divinæ sapientiæ ratio in numero, pondere, & mensura præscripsit.

Objicies: De ratione justitiæ qualiscumque est reddere debitum, quod justè exigitur; justitia enim in communi est constans & perpetua voluntas jus suum unicuique tribuens; jus autem unius non potest esse sine debito alterius: Sed in Deo non potest esse debitum: Ergo nec justitia distributiva strictè sumpta.

Respondeo, debitum justitiæ distributivæ non esse in Deo ex jure creaturæ, quo Deus obligetur; sed ex naturali rectitudine, & ex lege sapientiæ (quæ in Deo est ipsemet Deus) quâ tenetur prudens distributor præmia pro meritorum ratione dispensare. *Debitum est Deo* (ait D. Thom. hìc, ad 3.) *ut impleatur in rebus id quod ejus sapientia & voluntas habet, & quod suam bonitatem manifestat, & secundùm hoc justitia Dei respicit decentiam ejus, secundùm quam reddit sibi quod sibi debetur.*

Instabis: Si hoc ita sit, Deus erit sibi debitor: Sed hoc tollit formalem rationem justitiæ strictæ, quæ est ad alterum: Ergo in Deo non est justitia stricta, etiam distributiva.

Respondeo, quod licèt Deus nulli sit debitor nisi sibi, tamen quia dum sibi satisfacit, simul etiam bona aliis distribuit, quanvis non nisi ratione sui; hinc fit justitiam Dei reverà diffundi ad alterum. Sicut Deus verè alia à se amat, licèt non amet nisi propter se. In summa Deus est debitor sibi, ut principio motivo & fundamento dandi; sed non ut termino circa quem exercetur justitia, quæ in creaturas quidem protenditur, sed debitum in creaturis non fundatur.

Rigor Divina Iustitia.

Vltima pars quæ asserit, admittendam esse in Deo justitiam vindicativam & punitivam, nullam patitur difficultatem, nec tam indiget probatione, quàm timore. Cùm enim hæc justitia nihil aliud importet quàm voluntatis affectum sumendi vindictam de peccato, nec ullam inducat obligationem, vel aliam imperfectionem, procul dubio formaliter est in Deo. Imò illam sibi soli reservat Deus. Rom. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam.*

Probatur etiam à posteriori ex variis ejus effectibus, quorum mundus universus plenus est. Nam primò splenduit in cœlo, cùm Angelorum princeps, creaturarum omnium nobilissima, præcipuum divinæ similitudinis signaculum, ex Angelo cacodæmon, ex limpido Divinitatis speculo, princeps tenebrarum natum; & qui antea Lucifer, jam (ut ait S. Bernard. serm. de S. Bened. & lib. de grad. humil.) *tenebrifer, & vespertus, mortifer, & noctifer* factus est, & tanquam fulgur cadens de cœlo impetu furoris Dei, qui omnem altitudinem extollentem se adversus se dejicit, nec plenitudini sapientiæ, nec perfectioni decoris pepercit. Hujus si non terret culpa, terreat vindicta, *& sta in te, ne cadas à te, si ambulas in magnis & mirabilibus super te*, ut ait prælaudatus Doctor Mellifluus.

Secundò apparuit hæc justitia in paradiso terrestri, ubi videre est Adamum terræ dominum, cœli civem, domesticum Domini, fratrem beatorum spirituum, cœlestium virtutum cohæredem, ob esum pomi (quem fenè excusaret hujus temporis Probabilistarum laxitas) repentina & tristi mutatione comparatum jumentis, & similem illis factum. Nec ipse solùm paradiso absque dilatione disturbatus, gratuitis spoliatus, in naturalibus vulneratus; sed insuper tota ejus progenies post tot sæculorum pœnitentiam, post ipsius Redemptoris sanguinem fusum, iniquitatem illam portat etiam in infantibus priùs reis, quàm natis; priùs peccatoribus, quàm peccati cognitoribus; imò priùs mortuis, quàm vivis, sicut & Protoparens priùs fuit interemptor quàm pater. Vnde Bernard. tract. de gradibus humilit. *Nascimur,*

mur, morimur: ideoque nascimur morituri, quia priùs morimur nascituri. Propterea grave jugum super omnes filios Adam. Quàm terribilis Deus in consiliis suis super filios hominum!

Tertiò: Manifesta est hæc justitia in statu naturæ & legis, ut patet ex diluvio totum orbem absumente, *Genes.* 7. Ex subversione quinque civitatum, *Genes.* 19. quas Deus, ut ait Gregorius, *igne judicii ante judicium prævenit.* Ex internecione totius exercitus Hebræorum de Ægypto egressi, *Num.* 14. Ex nece centum octoginta quinque millium Assyriorum, quos una nocte Angelus demessuit, 4. *Reg.* 19. Ex septuaginta millibus virorum intra sex horas ob superbiam Davidis contra legem populum numerantis, pestilentiâ extinctorum. Sed quid opus est referre innumeras clades populi israëlitici, quas in libris historialibus veteris Testamenti passim deprehendes? Quid memorem Datan & Abiron in contradictione Core, quos *aperiens terra os suum devoravit?* Num. 16. Quid Nadam & Abiud ob prætermissam ceremoniam occisos? Ozan, ob tactam Arcam interemptum? & alia passim obvia, quæ considerans Ierem. *cap.* 4. exclamat: *O mucro Domini usquequò non quiesces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & sile.*

Quartò divinæ justitiæ rigor ostensus fuit in monte Calvariæ, ubi Christus ob assumptam peccati umbram, vel ut pulchrè dixit quidam, *ob peccatum amoris*, quo voluit esse vas & fidejussor noster, tam diris suppliciis addictus est. Quid autem fiet de veris peccatoribus? *Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* ut ait Veritas *Luc.* 13. id est, si Christo omnium virtutum chrismatibus opimo tot tormenta illata sunt, de peccatore omni humore gratiæ destituto, & arefacto quid fiet? Ex quo infer quàm miserè fallantur, qui ideo in peccatis perseverant, quia pro eis satisfecit Christus; cùm potiùs ex tam rigida Christi satisfactione ad implendum ea quæ desunt passioni ejus, invitari necesse sit. Vnde Bernard. serm. 1. in Epiph. *Sicut benignitas apparuit ultra omnem spem, ultra omnem æstimationem, similem expectare possumus judicii districtionem. Noli ergo contemnere Dei misericordiam, si non sentire vis justitiam, sed iram, sed indignationem, sed æmulationem, sed furorem. Vt enim scires quanta districtio succedit, tanta illa mansuetudo prævenit. Ex magnitudine indulgentiæ magnitudinem ultionis attende. Immensus est enim Deus, & infinitus in justitia, sicut in misericordia. Multus ad ignoscendum, multus ad ulciscendum.* Si Deus in opere misericordiæ suæ præcipuæ tam severus fuit, qualis erit in opere districtæ justitiæ suæ? Nam ut dixit S. Thomas à Villanova serm. 3. Nativit. *Severior mihi Domine parcendo quàm ulciscendo videris, & me plus hominis pia redemptio terret, quàm Angeli dura perditio.*

Quintò in tota terra, in qua Princeps mundi hujus aliàs à Christo ejectus tyrannidem recuperavit. Nam Oriens ferè sub cœlo totus, Africa fermè universa, & magna Europæ pars vel Turcarum feritate, vel hæreticorum ac schismaticorum pravitate devastantur, assimilanturque montibus Gelboë, quibus imprecatus est David, 2. Reg. 1. *Montes Gelboë nec ros, nec pluvia veniant super vos.* Nam certum est illos omnes in æternum perire, quia sicut extra arcam omnes submersi sunt, extra domum Raab omnes habitatores Iericho interfecti; ita extra Ecclesiam nullus salvatur. Quis autem hîc præ altitudine justorum judiciorum Dei attonitus non expavescat?

Sextò, in ipsam Ecclesiam Catholicam justitiam non mediocrem exercet Deus, quia videmus navem Petri tot vehementibus fluctibus agitatam, nedum ad exercitium, sed & in pœnam peccatorum filiorum Ecclesiæ, in quibus fermè omnibus vix reperitur sanitas. Quid enim aliud videmus, nisi inimicos crucis Christi, quorum Deus venter est? & de Catholicissimis civitatibus dici potest, quod de Ierusalem scribitur Ier. 5: *Circumite vias Ierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem judicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.* Certè exceptis paucis, quos nisi Deus relinqueret ut semen, quasi Sodoma essemus: vix differt civitas Catholica à Mahometica, ut ait P. Granatensis, nisi penes sonitum campanarum, quarum usum Turcæ reprobant. Ex quo sic formatur ratio: Omnium pœnarum à divina justitia inflictarum gravissima est permissio peccatorum, quando apponitur iniquitas super iniquitatem, traduntúrque homines in reprobum sensum: sicut enim insanabilis & desperati morbi argumentum est, cùm ægrotus suo permittitur arbitrio; ita justitiæ divinæ rigor maximus est connivere atque indulgere peccatoribus: Atqui totus mundus sicut aquam peccatum bibit: Ergo totus mundus etiam Catholicus theatrum est divinæ justitiæ.

Denique sævit justitia divina sub terra in Purgatorio ad tempus, sed præcipuè in inferno. *Quis novit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare?* Nam ibi reperitur divinæ visionis privatio, virtutis ad omne bonum agendum ablatio, omnium corporis animæque potentiarum inordinatio, membrorum omnium per ignem cruciatus, omnis consolationis denegatio, & (quod horribile dictu est) malorum illorum æterna sine ulla intermissione duratio. Ibi misera anima ad felicitatem semper anhelat, semper frustratur, semper torquetur ab inconversibili, inflexibili, & indeclinabili æquitate Iudicis immutabilis & omnipotentis. Conatur anima exire de loco & centro tormentorum, & quò magis nititur, ampliùs obruitur, quo nihil infelicius, ut eleganter quidem, sed terribiliter describit Bernard. lib. 5. de considerat. cap. 12. *Quid iniquis voluntatibus tam contrarium & adversum, quam semper conari, impingere semper, & frustra? Væ universo, quod obvium fortè offenderit cedere nescia rectitudo: quid tam pœnale quàm semper velle quod nunquam erit, & semper nolle quod nunquam non erit? Quid tam damnatum quàm voluntas addicta huic necessitati volendi nolendique, ut ad utrumlibet jam non nisi perversè, ita non nisi miserè moveatur? In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit. Quis hoc facit? Rectus Dominus Deus noster.* Nihil nervosius dici potest.

R e f l e x i o.

Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Psal. 70. Memorabor justitiæ commutativæ, ut sciam quod nihil mihi debes: memorabor justitiæ distributivæ, ut ad bona opera alacriùs inflammer: memorabor justitiæ vindicativæ, ut configam timore carnes meas, & à judiciis tuis timeam. Absit ut eos audiam qui licentiam delinquendi ex misericordia assumentes, justitiam lacessunt. Absit ut incentivum amandi sit incentivum peccandi, ut ait Tertul. lib. de pœnit. cap. 7. *Absit ut ita aliquis interpretetur, quasi eò sibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quia patet ad pœnitendum, & ex redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis.* Et mellitè Doctor Mellifluus lib. de gradibus humilit. *Quæ major iniquitas, quàm confisus de multa ejus dulcedine, quâ speras eum nolle vindicare cùm possit, mala pro bonis, odium pro dilectione retribuas? Certè si talis est qualem putas, tanto nequiùs agis, si non amas. Et si ille patitur aliquid fieri contra se, potiùs quàm ipse faciat aliquid contra te, quanta malitia est, ut vel tu non parcas illi, qui sibi non parcit parcendo tibi?*

tibi ? Audiam potiùs Eccleſiaſticum dicentem cap. 5. *Ne dicas, Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum miſerebitur; miſericordia enim & ira ab illo citò proximant.* O intolerabilem humani generis cæcitatem ? Major pars mundi perit, & Deus miſericors eſt. Nunquid miſericordiam perdet, ſi tu cum illis pereas, cum quibus præſumis ? Qui Angelis, & proprio filio non pepercit ultionum Deus, in te etiam liberè aget ? Non prodeſt clementia divinâ miſericordiâ abutentibus, quæ vindictam differt, ut acerbiùs ulciſcatur. *Neque enim quidquid differtur, auffertur; aut condemnationem evaſit, qui indulgentiam non quæſivit,* ait S. Leo *ſerm.* 12. *Quadrag.*

Speculatio III.

In Deo eſt ſuaviſſima, & infinita miſericordia, aliaque virtutes ei affines.

HAnc veritatem tota Scriptura inſonat. Pſal. 118. *Miſericordiâ Domini plena eſt terra.* Pſal. 144. *Miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus.* Et iterum, *Miſericors Dominus, & juſtus, & Deus noſter miſeretur.* Vbi, ut notat Ambroſ. *orat. de obitu Theod.* bis miſericordiam poſuit, ſemel juſtitiam: *in medio juſtitia eſt, gemino ſepto incluſa miſericordiæ.* Vnde & ab Apoſt. 2. *Cor.* 1. vocatur Deus *Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis.* Et quidem, ut ait Bernard. ſerm. 5. Nativit. *Rectè non Pater judiciorum, vel ultionum dicitur, ſed pater miſericordiarum, eo quòd miſerendi cauſam & originem ſumat ex proprio, judicandi verò, vel ulciſcendi magis ex noſtro.* Vnde in Scriptura miſericordia viſceribus comparatur. Luc. 1. *Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri.* Iuſtitia verò appellatur pallium, cingulum, indumentum. Iſai. 56. *Opertus eſt quaſi pallio zeli, erit juſtitia cingulum lumborum ejus, induet pro thorace juſtitiam.* Nimirum quia ſicut viſcera ſunt intrinſeca naturæ, unde & inteſtina vocantur; pallium verò eſt quid extrinſecum: ſic miſericordia eſt divinæ naturæ intima, juſtitia verò eſt veloti externa, quia non exercetur, niſi occaſione ab extrinſeco accepta, ſcilicet à peccatis noſtris.

Probatur ratione D. Thom. Miſericordia poteſt conſiderari vel ſecundùm paſſionis affectum, juxta quem miſericors dicitur, quaſi miſerum habens cor, & affectum triſtitiâ conceptâ ex aliena miſeria tanquam ex propria: vel poteſt attendi ſecundùm effectum, qui eſt repellere miſeriam alterius. Atqui licèt in Deo non ſit triſtis ille & effectivus miſeriæ alienæ ſenſus, ipſi tamen maximè convenit repellere miſeriam ab aliis, & diffundere omnibus bonitatem, quâ excluditur defectus & miſeria eorum. Ergo effectiva miſericordia in Deo invenitur.

Probatur 2. à poſteriori diſcurrendo circa illa in quibus mirè relucet hoc attributum. Primò ſplendet hæc perfectio in omnibus Dei operibus, quia ut diſcurrit S. Thom. art. 4. in quolibet Dei opere miſericordia & juſtitia locum habent, juxta illud Pſal. 24: *omnes viæ Domini miſericordia, & veritas.* Cùm enim quidquid Deus agit ſit conveniens divinæ ſapientiæ & bonitati, ſit inde quod in omni opere apparet juſtitia unicuique tribuens quod natura illius exigit. Sed omne quod Deus dat, ſupponit gratuitam Dei voluntatem: v. g. creavit Deus corporalia ad obſequium corporis humani; corpus humanum ornavit membris, ut animæ deſerviret; animam contulit, ut hominem conſtitueret; ſed hominem eſſe voluit ex mera abundantia bonitatis ſuæ: unde patet miſericordiam Dei eſſe primam radicem operum Dei, & ideò appellatur à Bernardo primordialis cauſa omnium, *cauſa cauſaliſſima cauſarum omnium.* Serm. 1. ſuper *Salve Regina.*

Secundò collucet divinæ miſericordiæ ſuavitas in Iuſtis & Sanctis, quos etiam in hac vita ineffabilibus onerat beneficiis, & pro bonis operibus centuplum reddit. Hos Deus ſingulari providentia regit; *oculi* enim *Domini ſuper juſtos.* Pſal. 33. & qui eos tangit, tangit pupillam oculorum ejus, ut dicitur *Zach.* 2. & omni juſto ait Iſai. 49. *Nunquid oblivìſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſereatur filio uteri ſui? Etſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui.* Quid tenerius? Quid amabilius? Duodecim privilegia Iuſtis omnibus à miſericordia divina impertita leges apud Granatenſem in ſecunda parte libri primi ducis peccatorum. Idem etiam fusè ſatis proſequitur D. Bernard. *ſerm.* 2. *&* 3. *de ſeptem panibus*, cujus ſuccum eliquabo. Prima & omnium maxima miſericordia eos liberat à peccatis, in quæ caderent niſi Omnipotentis pietas conſervaret, occaſionis ſubtractatione, reſiſtendi data virtute, affectionis ſanitate; onde fateri tenentur, quod niſi Dominus adjuviſſet ipſos, paulò minùs cecidiſſet in omne peccatum anima ſua. Nam ut ait Aug. hom. 23. inter 50. *Nullum eſt peccatum quod fecit homo, quod non poſſit facere alter homo, ſi deſit rector à quo factus eſt homo.* Secunda miſericordia, quia interdum peccantes diſſimulat, & ad pœnitentiam expectat, tardans ultionem, prolongans pietatem, indulgentiam cogitans, ut commendet patientiam ſuam, ut impleat electionem ſuam, ut confirmet charitatem ſuam. Tertia eſt converſio ad pœnitentiam, qua viſitat cor & immutat, ut amara fiant, quæ malè dulcia priùs erant; & ut concuſſum cor ſuorum advertat vulnera peccatorum, & vulnerum ſentiat dolorem. Quarta eſt indulgentia, qua pœnitentem miſericorditer ſuſcipit, tam liberaliter omnem donans injuriam, ut jam non damnet ulciſcendo, nec confundat improperando, nec minùs diligat imputando; itaut in veris pœnitentibus, ubi abundavit delictum, ſoleat & gratia ſuperabundare. Quinta eſt perſeverantiæ donum, qua continendi deinceps, & emendatiùs vivendi præſtat virtutem; ne propter recidivum ſit noviſſimus error pejor priore: nam manifeſtum divinæ virtutis ſignum eſt ſuſceptum ſemel peccati jugum à cervice excutere, nec iterum ſubjici inter tot pugnas tum carnis concupiſcentis adverſus ſpiritum, & dormientis in ſinu noſtro; tum ſæculi quod circumcingit & obſidet nos undique; tum diaboli eo periculoſiùs quo inviſibiliùs inſidiantis. Sexta eſt gratia promerendi bona æternæ vitæ, quâ munus ſanctæ converſationis indulget, inſpiratque odium præteritorum malorum, contemptum præſentium bonorum, & deſiderium futurorum. Septima miſericordia eſt ſpes obtinendi, quâ donat homini indigno & peccatori de divina toties experto bonitate ſpem conſequendæ ſalutis, ut nec penuria meritorum, nec conſideratio vilitatis, nec æſtimatio & pretium cœleſtis beatitudinis ab altitudine ſpei dejicere poſſit. His ſeptem miſericordiis ita perfunditur Sanctorum animus, ſic his beneficiis obruitur, ut onus aliud ſentire non poſſit. *Quàm bonus Iſraël Deus his, qui rectò ſunt corde!* Pſal. 72.

Tertiò coruſcat miſericordia divina in peccatoribus, quos tanta patientia, & longanimitate ſuffert, nec ſubitò vindicat injurias ſibi factas, cùm tamen poſſet. Eccl. 5. *Altiſſimus patiens redditor eſt.* Secundò, quia eos invitat ad pœnitentiam, cùm non mereantur niſi vindictam. Ierem. 3. *Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam.* Tertiò, quia velut orat & obſecrat peccatores ad pœnitentiam. 2. Cor. 5. *Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos: obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* Vnde egregiè Chryſol. ſerm. 108. *Mira pietas, quæ ut largiatur exorat: rogat Deus, qui non tam Dominus vult eſſe quàm Pater.* Quartò

eorum

eorum excessus ignorare videtur, ut eos ad se alliciat. Sap. 11. *Dissimulans peccata hominum, propter pœnitentiam.* Quintò, si eum punire nos peccata nostra compellunt, vindictam cum dolore, & veluti extorqueore justitia exercet. Genes. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus, delebo hominem quem formavi.* Sextò revertentem cum excessu pietatis recipit. Luc. 15. *Cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum.* Quæ expendit Chrysol. serm. 3. *Movetur misericordia qui loco non potest dimoveri, & osculatus est eum: sic pater judicat, sic emendat, sic peccanti filio dat oscula, non flagella: delicta non videt vis amoris.* Septimò redeuntem in sinceritate cordis onerat donis. Luc. 15. *Cito proferte stolam, & induite illum, & date annulum aureum in manu ejus, & calceamenta in pedibus ejus.* Vbi Chrysol. *Paterna pietas contenta non est innocentiam reparare solam, nisi pristinum restituat honorem.* Et Ambros. in cap. 1. Luc. *Deus non solùm ablata restituit, sed insperata concedit.* Denique totam cœlestem Curiam in conversione peccatoris exultare facit. Luc. 15. *Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quæ perierat. Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente.* Quæ ponderans D. Thom. *opusc. 63. c. 7.* ait: *Notabile, quod omnes Angelos convocat ad congratulandum, non homini, sed sibi, quasi homo Dei Deus esset, & tota salus divina in ipsius inventione dependeret, & quasi sine ipso beatus esse non posset.* O clementiam omni miraculo majorem?

Quartò coruscat divina misericordia in operibus naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostaticæ. In operibus quidem naturæ; nam omnia nobis providit non solùm ad usum & necessitatem, sed etiam ad delicias. Psal. *Aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.* Et 118. *Misericordiâ Domini plena est terra.* In operibus gratiæ, quam tam effusè largitur, ut ad eam perenniter profundendam septem Sacramenta veluti totidem fontes jugiter manantes instituerit. Eccl. 16. *Quàm magna misericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad se!* In opere gloriæ, in quo Deus manifestat seipsum omne bonum. Psal. 102. *Qui coronat te in misericordia.* Et Psal. 35. *Domine in cœlo misericordia tua.* Denique in opere unionis hypostaticæ, quo Deus sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Vnde Bernard. serm. 1. Nativit. *Apparuerat antè potentia in creatione, apparebat sapientia in rerum gubernatione, sed benignitas misericordiæ nunc maximè apparuit in humilitate.* Et serm. 1. Epiph. *Quanti te fecit, ex his, quæ pro te factus est, agnosce, ut appareat tibi benignitas ejus ex humanitate. Quanto enim minorem se fecit in humanitate, tanto majorem exhibuit in bonitate; & quanto pro me vilior, tanto mihi charior est.* Quantum verò appareat misericordia divina in passione Christi & in Sacramento Eucharistiæ, patebit suis locis. Et verè usurpari potest illud Augustini: *Cùm Deus sit omnipotens, plus dare non potuit; cùm sit sapientissimus, plus dare nescivit; cùm sit ditissimus, plus dare non habuit.*

Quintò irradiat divina misericordia in ipsa inflictione pœnarum: tum quia non punit, nisi ut det locum pœnitentiæ. Vnde August. in Psal. 21. *Intellige homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem.* Et ideò vindictam differt, minatur prædicatione, & inspiratione terret. Psalm. 59. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, ut liberentur dilecti tui.* Tum quia punit electos misericorditer, ut in alia vita purgati appareant. Bernard. serm. de verb. Habacuch: *Ipsa indignatio non aliunde quàm de misericordia est; quos enim amat, arguit; & castigat, & flagellat omnem filium quem recipit, visitans in virga iniquitates ejus, & in verberibus peccata ipsius: misericordiam autem suam non dispergit ab eo.* Et ideò prudentissimè Iob cap. 6. aiebat: *Hæc mihi sit consolatio, ut affligens me dolore non parcat.* Ubi Gregor. *Ac si apertius diceret, qui ideo hic quibusdam parcit, ut eos in perpetuum feriat, ideo hic me feriat, ut non parcendo in perpetuum parcat.* Et ibidem, id est *lib. 7. moral. cap. 17.* expendens illud Psal. 37. *Ego in flagella paratus sum*, ait: *Quia sancti viri corruptionis sua vulnus sine putredine non esse considerant, libenter se sub manu medici ad sectiones parant, ut aperto vulnere virus peccati exeat.* Tritum est illud Augustini: *Hic ure, hic seca, hic nunquam parcas, modo in æternum parcas.*

Denique claret divina misericordia non solùm in rebus factis, sed etiam in modo faciendi. Nam *primò* effundit se liberaliter, cùm nullum expectet commodum ex largitione donorum suorum. Imò ut rectè observat D. Thom. 1. *contra gent. cap. 96.* solus Deus est perfectè liberalis; nam omne aliud agens, ex sua actione aliquod bonum appetit, vel acquirit: Deo autem communicanti sua bona nihil bonitatis accrescit. Et iterum, quia ut ait S. Doctor 2. 2. *q. 137. art. 2.* ad liberalem pertinet emissivum esse, unde liberalitas alio nomine largitas nominatur, quia quod largum est, non est retentivum, sed emissivum; Deus autem bona sua non parcè, sed effusissimè emittit: nam quod magnum est, omnibus beneficia donat; quod majus est, donat indignis; quod maximum est, donat ingratis; quod maximo majus, donat invitis; quod divinum est, post dona sua dat seipsum, dat filium suum, dat osculum cordis sui, qui est Spiritus sanctus: ire ulterius non potest divina misericordia, nisi aliquid quæramus post omnia. *Secundò* dat magnificè: nam, ut docet D. Thom. 2. 2. *quæst. 134.* ad magnificum pertinet magna producere, & cum ampla animi propensione: hoc autem summè convenit Deo, ut patet in rerum productione, distinctione, ornatu. Psal. 91. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine!* Tertiò dat citò, ut patet dum latroni petenti, Luc. 23. *Memento Domine dum veneris in regnum tuum*, respondit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quartò dat sæpè non rogatus, præveniens in benedictionibus dulcedinis, & ut dicitur Sap. 6. *Præoccupat eos qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat.* Quintò dat abundanter, & non improperat. Vnde Philo quærens, cur Deus permittat imbres in mare decidere, respondet id Deum velle, *ut ostendat divitiarum suarum nimietatem.* Ex his habes quomodo asserendæ sint Deo virtutes misericordiæ affines, ut patientia, clementia, liberalitas, magnificentia, ut patet consideranti.

Reflexio.

Notas facite in populis adinventiones ejus. Isai. 12. Quem tam saxeum ad penitentiam non emollient divinæ misericordiæ adinventiones, quibus à sæculo, & usque in sæculum utitur Deus, ut peccatorem demulceat, & promereatur? Quis formidabit accedere cum fiducia ad thronum misericordiæ Dei, qui filiorum conversionem de corde puro & optimo, suam felicitatem arbitratur. Certè si ut filii prodigi abscessimus, si substantiam patris totam luxuriosè vivendo dispersimus, si quicquam usquam commisimus facinoris & delicti, si ad impietatis præruptum totum, totam venimus ad ruinam, surgamus aliquando, & ad talem patrem tantæ misericordiæ stimulis invitati redeamus. Nam ille idem est qui prodigum revertentem & pœnitentem, cùm vidit, *Misericordiâ motus est, & accurrit, & cecidit super collum ejus, & osculatus est illum.* Vbi Chrysolog. *Rogo quis hic desperationis locus? quæ hic excusationis occasio? hic simulatio quæ timoris?*

nisi

nisi fortè timetur occursus, terret osculum, tarbat amplexus? His auditis adhuc moramur? adhuc non redimus ad patrem? Sed cave quæso, Lector, ne misericordiâ divinâ ad peccandum movearis, sed potiùs ad pœnitendum. Misericordiam & judicium simul canta cum Propheta. *Quia*, ait Bernard. serm.6. in Cant. *misericordiæ fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Scio quidem misericordiam superexaltare judicium, sed ea lege, ut fine dilatione convertamur: in hoc solùm sensu *misericordia* (ait idem Bernard. serm. 1, Epiph.) *priora sibi vendicat, ut si voluerimus, districtio invenire non possit in quem sæviat.* Aliàs erras, & vehementer erras.



DISSERTATIO IV.

De libertate & efficacia divinæ voluntatis. Vbi explicatur concordia actus liberi Dei cum necessario, & prædiffinitionis cum creata libertate.

ISTA *quæstio, ubi de arbitrio voluntatis & Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur; quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*, inquit Doctor ille quem nobis in gratiæ doctrina ducem & normam Pontifices & Ecclesia tota præstituit, *lib. de grat. Christi, cap.47. & lib.4. cont. Jul. cap.*8. Certè non solùm experimentum, sed præsertim amor libertatis, quæ est omnium propensionum maxima, illud omne refugit, quo sibi plenum auferri dominium reformidat. Tam arcta est beatitudinis & libertatis societas, ut non defuerint qui beatitudinem in libera, prout libet, vivendi facultate constituerent. Vnde sicut in omnibus moliminibus suis beatitudinem, ita & libertatem, vel saltem libertatis umbram creaturæ rationales exquirunt. Hinc sicut à miseria, ita à servitute abhorret genus humanum. Hinc præscientiam futurorum, quam credebat libertatis inimicam, Tullius inficiatus est, & *ut homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Hinc Pelagiani & Semipelagiani gratiam Christi vel sustulerunt omninò, vel evacuaverunt. Hinc assertores scientiæ mediæ, divinæ voluntatis efficaciam dimidiant, & ferè ad nihilum redigunt, summum Dei in voluntates imperium diffitentur, & fictitias discordias inter supremum gratiæ in voluntatem dominatum, & indivulsam à voluntate dissentiendi gratiæ potentiam comminiscuntur. Hi omnes libertatis amore moti sunt. Sed absit, ut libertatem extra fontem inveniant. Absit, ut perficiat libertatem, quod ut videtur, destruit pietatem, primæ causæ jurium convellit æquitatem, veritatem evertit.

Vt autem efficaciùs procedamus, ab altissimis radicibus exordiendum est, nimirum à libertate divina. Cùm enim Adversarii nobis opportunè importunè objiciant, se non posse intelligere concordiam decreti prædeterminantis cum libertate creata; respondeant quæso, an intelligant concordiam actus liberi Dei cum necessario? Ab hoc ergo nodo immensùm indissolubiliori initium ducemus, quo sententiæ Thomisticæ ponetur murus, & antemurale.

CAPUT I.

Concordia libertatis divinæ cum immutabilitate actus necessarii.

Libertas est præcipua voluntatis prærogativa, in ea fulgens sicut gemma in auro. Vnde quo pacto in Deo reperiatur, explicandum est. Illud porrò supponendum, in Deo non esse libertatem per ordinem ad propriam bonitatem, quam necessariò amat; hoc enim exigit divinæ voluntatis rectissima perfectio, ut unumquodque objectum pro meritis diligat: summum autem bonum, in quo nulla mali obumbratio, sed omnis amabilitas refulget, necessariâ dilectione dignum est: necessariâ, inquam, non necessitate veluti cæca, irrationali, & multò minùs coactâ vel violentâ, sed voluntariâ & spontaneâ, cui intuitiva visio prælucet, & quam non rapit objectum, nisi quia est omnigenis totius bonitatis illecebris vestitum; ac proinde voluntatis universalitatem non angustans, sed implens. Quare explicanda restat libertas divina per ordinem ad creaturas.

SPECULATIO I.

Voluntas Dei in ordine ad creaturas perfectissima gaudet libertate.

HAnc veritatem passim inculcat Scriptura. Exod. 33. *Miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Ad Ephes.1. *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Qui autem operatur ex consilio rationis præeuntis, non agit ex necessitate & impetu naturæ, 1. Cor.12. *Hæc operatur unus, atque idem spiritus, dividens singulis prout vult:* idest, ut exponit Ambros. *lib.2. de fid. c.2.* pro libero voluntatis arbitrio, non pro necessitatis obsequio.

Probatur ratione: Libertas est summa perfectio consequens naturam intellectualem, quæ triplici gaudet universalitate & amplitudine. Prima est *in essendo*, ratione cujus potest fieri omnia per species rerum omnium quas cognoscit: secunda est *in judicando*, quâ examinat, & ponderat rerum perfectionem, & perfectionis mensuram, earumque defectus: tertia *in appetendo*, qua bona particularia eligere vel respuere potest ad libitum, utpote non habentia connexionem cum summo bono, unde oritur indifferentia circa illa. Atqui Deus est perfectissimè intellectualis cognoscens res omnes in essentia sua visa, ac proinde earum naturam, perfectionem, ac defectus penitissimè comprehendens, & ponderans statera indefectibili infinitæ sapientiæ suæ, quæ judicat plenitudinem bonitatis propriæ esse prorsus à creaturis independentem. Ergò divina voluntas liberè, & indifferenter ad creaturas fertur, ac subinde non ex necessitate ulla, sed ex superabundantia bonitatis suæ.

Illustratur hæc veritas præclarâ doctrinâ D. Bernardi *lib. de grat. & lib. arbit. c.3.* ubi distinguit triplicem libertatem, *à necessitate, à peccato, & à miseria; Primò enim (inquit) in liberam voluntatem ac voluntariam libertatem conditus est homo, nobilis Deo creatura: secundò reformatur in innocentiam nova in Christo creatura: tertiò sublimatur in gloriam perfecta in spiritu creatura.* Prima invenitur tam in malis quàm in bonis, licèt sit in istis ordinatior: secunda invenitur in justis, sed non perfecta, quia septies in die cadunt, & in illis regnum gratiæ paulatim dilatat terminos suos, & crescit usque ad perfectum diem. Tertia invenitur in solis Beatis, à miseriis illis immunibus, quibus scatet

mundus;

mundus; in quo non alia felicitas invenitur, nisi quia sibi gravia leviaque succedunt mala, *& minorum experientia aliqua videtur miseria interpolatio*, ut ait ibidem Bernard. Atqui in Deo cumulatissimè reperitur triplex illa immunitas; à necessitate creaturarum, cùm sit sibi sufficientissimus; à peccato, cùm sit sanctissimus; à miseria, cùm sit felicissimus: Igitur summa libertate in ordine ad creaturas gaudet.

Objicies: Quidquid Deus agit, id ex necessitate naturæ operatur, ut enim ait Dionys. *Sicut Sol noster non ratiocinans, aut præeligens, sed per ipsum esse illuminat omnia participare lumen ipsius valentia: ita & bonum divinum per ipsam essentiam omnibus existentibus immittit bonitatis suæ radios.* Et ratio est, quia amor & misericordia Dei erga creaturas, cùm sint intensionis infinitæ, habent infinitam inclinationem in creaturas; inclinatio autem determinat indifferentiam voluntatis, & infinita consequenter propensio omnem indifferentiam, & libertatem extinguit, & absumit.

Respondeo ex doctrina D. Thom. art. 4. certum esse, voluntatem Dei ex necessitate naturæ non operari ad extra; nam cùm Deus sit primum agens, oportet quod per intellectum agat, ut naturam omnem dirigat in suos fines; opus enim naturæ, opus intelligentiæ: aliàs Deus uno & eodem semper modo operaretur, imò & totam suam potentiam exhauriret, produceretque quidquid potest: unde non ex necessitate naturæ, sed secundùm consilium voluntatis suæ operatur. Dionysius verò nihil aliud prætendit, nisi quod Deus omnibus indiscriminatim bonitatis suæ thesauros diffundit, in quo comparatur Soli, sed non in modo agendi ex necessitate. Ad rationem dico, inclinationem amoris & misericordiæ Dei ad creaturas esse infinitam, sed regulatam divina sapientia & providentia, & insuper independentem ab omnibus creaturis: uno verbo Deus infinitè quidem amat creaturas, dum amat eas, sed ad eas amandas minimè tenetur.

Dices: Deus non amat creaturas, nisi ratione suæ bonitatis, quæ sola adæquatè, & necessariò movet divinam voluntatem: Sed fieri non potest, ut ratio amandi creaturas sit necessaria, & tamen voluntas liberè amet creaturas: Ergo Deus sicut necessariò amat suam bonitatem, ita & creaturas. Probatur minor: Ita se habet finis, qui est ratio amandi alia in appetibilibus, sicut primum principium in demonstrabilibus: Sed in demonstrabilibus quando principia sunt necessaria, sequitur conclusio necessaria: Ergo in operabilibus quando finis, seu ratio amandi alia est necessariò amata, necessariò quoque amantur ea quæ sunt ad finem.

Respondeo, quod etiam in scientiis licèt principium sit necessarium, non tamen sequitur conclusio necessaria, nisi sit etiam necessaria habitudo principii ad hujusmodi conclusionem, defectu cujus habitudinis principiis veris existentibus negatur consequentia: similiter ex fine necessariò amato voluntas non procedit necessariò ad media, nisi cum illis esset connexus finis: bonitas autem divina est penitus absoluta ab omnibus creaturis; unde licèt considerata in se & secundùm propria merita necessariò diligatur, tamen ut est ratio diligendi creaturas, liberum Dei amorem terminat. Nam ea quæ sunt ad finem non amantur necessariò, etiam fine prævolito, nisi sint talis naturæ & conditionis, ut sine illis finis haberi, vel habitus nequeat conservari: Sed Deus non vult creaturas nisi secundùm quod ordinantur ad divinam bonitatem, ut finem; & creaturæ tales sunt, ut sine illis Deus beatus ab æterno fuerit. Ergo ratio in argumento proposita invictè probat Deum amare liberè creaturas.

Instabis: Deus non potest elicere plures actos distinctos, cùm sit simplicissimus; nec potest ferri ad opposita, scilicet ad bonum, vel malum, cùm sit sanctissimus: Ergo non habet dominium in actus suos, nec subinde perfectam libertatem.

Respondeo, ad perfectam puri actus libertatem non requiri indifferentiam ad plures actus, hoc enim potentialitatem & vicissitudinem importat; sed sufficit indifferentia ad diversa objecta, quæ in Deo summè invenitur, quippe qui ad nullum objectum creatum dicit habitudinem necessariam. Sed de hoc speculatione sequenti. Multò minùs exigitur ad divinam libertatem, quod possit velle malum; cùm enim divina voluntas sit ipsa rectitudo per essentiam, necessarium omninò est, vel quod non operetur, vel quod eliciat operationem honestissimam, & sanctissimam. Certè si, teste Ioanne cap. 3. suæ primæ: *Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen Dei manet in eo; sed nec peccare potest, quoniam est ex Deo natus*, dum tumirum secundùm gratiam & charitatem operatur, ut exponit August. quantò potiùs Deus, qui est ipsa charitas, ipsa justitia, ipsa sanctitas per essentiam, ad benè, honestèque agendum necessitabitur? Id etiam ex dictis potest evidenter demonstrari, etenim Deus nihil vult nisi ratione suæ bonitatis, quæ est Deo ratio volendi omnia: divina autem bonitas non potest esse ratio volendi ea quæ inhonesta sunt, ut de se patet, aliàs bonum & summum bonum inclinaret ad malum: quod magis repugnat quàm quod corpus lucidum ad tenebras proclive sit. Vnde divina voluntas ad mala ferri non potest, nisi ea detestandò & abominando.

Hæc autem felix, & sancta necessitas impeccabilitatis non tollit, sed adornat libertatem, cujus profundam rationem tradit S. Doctor infrà, *quæst. 62. art. 8. ad 3.* his notandissimis verbis: *Liberum arbitrium sic se habet ad eligendum ea quæ sunt ad finem, sicut se habet intellectus ad conclusiones. Manifestum est autem, quod ad virtutem intellectus pertinet ut in diversas conclusiones procedere possit secundùm principia data; sed quod in aliquam conclusionem procedat prætermittendo ordinem principiorum, hoc est ex defectu ipsius: unde quod liberum arbitrium diversa eligere possit servato ordine finis, hoc pertinet ad perfectionem libertatis ejus; sed quod eligat aliquid divertendo ab ordine finis, quod est peccare, hoc pertinet ad defectum libertatis. Vnde major libertas arbitrii est in Angelis qui peccare non possunt, quàm in nobis qui peccare possumus.* Igitur quod Deus sit incapax peccati, non solùm non obest libertati ejus, sed etiam facit quod potiori libertate polleat, quatenus potest quodcumque velle, vel nolle; sed servato ordine finis, idest observatis regulis honestatis & sanctitatis.

Insistes: Si Deus non liberè, sed necessariò odio haberet peccatum, nullum daretur de facto peccatum; nam voluntati Dei quis resistere potest? Præsertim quia Deus amat necessariò bonitatem suam, quam peccatum quantum est de se destruit; eadem autem necessitate quâ quis amat aliquid, odit etiam malum eidem oppositum, & illud, si potest, expellit.

Respondeo: Ex eo quod Deus necessariò odio prosequatur peccatum, sequi solùm ipsum non posse peccare, sed non quod non possit illud in nobis permittere, præsertim si ex tali permissione, divinæ justitiæ, misericordiæ, subindéque bonitatis splendor magis effulgeat. Ex amore autem suæ bonitatis solùm sequitur odium efficax eorum quæ effectivè illam destruerent, sicut eam destrueret actio inhonesta à Deo elicita; non verò odium eorum quæ solùm affectivè eam destruere moliuntur, & non possunt, quales sunt peccantium insultus, qui non Deo reverà, sed sibi ipsis tantùm nocent.

REFLEXIO.

Ideo hominem ad imaginem Dei conditum fuisse quam

plures Patres abitrantur, quod libero polleat voluntatis arbitrio. Sed hanc animæ humanæ præstantissimam dignitatem, divinæque imaginis formam abolere & obliterare peccatores convincuntur. Nam insculptam libertatem adimit qui peccati mancipium est, dicente Scriptura, *Qui facit peccatum servus est peccati.* Deus cùm sit liberrimus, quodcumque, solo excepto peccato, potest; quia nihil nisi quod decet, facere valet: & ut ait August. lib. 1. contra Gaudent. cap. 30. *Quod non potest justè, non potest justus.* Et tamen homo ferè omnis ideo amat libertatem, ut peccet. Vt ergo solidè Dei libertatem imitemur, sicut audivimus Dominum dicentem Genes. 19. *Non potero facere rem, donec tu illuc introeas;* quod, ut ait citatus August. *sine dubio poterat per potentiam, sed non poterat per justitiam:* ita peccato allicienti idem quod Ioseph mulieri tentanti respondeamus, *Quomodo possum hoc facere?* ut dicitur *Genes. 39.* Certò scias te nusquam futurum minùs potentem, magisque invalidum, quàm cùm effrenis tibi peccandi facultas indulgebitur; nam ut præclarè Aug. lib. 14. de Trinit. c. 5. *Mala voluntate vel solà quisque miser efficitur; sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur.*

Speculatio II.

Actus liber Dei nihil addit intrinsecum distinctum à necessario, sed est ipsemet actus necessarius, connotans & dicens habitudinem non necessariam ad creaturas.

IN hac speculatione proponitur difficultas difficultatum, & totius Theologiæ nodus intricatissimus. Difficile enim intellectu est, quomodo indifferentia actus liberi cum immutabilitate actus necessarii conciliari possit; nam actus liber vel potuit abesse à Deo, & sic perit immutabilitas divina; vel non potuit abesse, & sic interimitur libertas. En compendiosè totum difficultatis momentum, in quo tam alta profunditas est, tantisque scrupulis referta, ut nullus ferè in eam incurrat, quin impactus allidatur. Et ideò ibi naufragium passi sunt Vviclefus, Abailardus, Calvinus, & Bucerus, qui ut refert Bellarm. *lib. 3. de grat. & lib. arbitr. cap. 15.* divinam libertatem sustulerunt; vel esse accidens, quod potest adesse vel abesse, posuerunt, ut quidam Vorstius Calvinista relatus à Becano, hujus sanè insuperabilis difficultatis vortice rapidissima absorptus. Inter hos extremos errores veritas Catholica luce Angelica S. Thomæ pro virili explicanda est: unde

Probatur assertio ratione, quam tradit Divus Thom. hîc, q. 19. art. 3. *Cùm bonitas Dei sit perfecta, sequitur quod alia à se eum velle non sit necessarium.* Et ad 5. *Voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Vbi suspice miram S. Thomæ paucis his in verbis profunditatem. Nam tantum abest quod credat S. Doctor, divini amoris immutabilitatem & necessitatem officere ipsius libertati in ordine ad creaturas, quin potiùs ex eo quod Deus sit ens immutabile & necessarium, mirè & verè infert, Deum velle creaturas liberè; quia eo ipso quod est ens necessarium sibi sufficientissimum, fit inde quod habeat habitudinem non necessariam, sed liberam ad contingentia.

Vnde sic formatur ratio: Quanto divina voluntas est magis independens à creaturis, tanto perfectius habet dominium super illas, & libertatem & indifferentiam circa illas; quod enim non dependet ab aliquo, illi minimè alligatur: Atqui per hoc ipsum quod actus divinæ voluntatis sit ens à se & necessarium, habet summam independentiam à creaturis contingentibus: Ergo actus divinæ voluntatis, qui est necessarius circa divinam bonitatem, est liberrimus circa creaturas, ac proinde actus liber nihil reale intrinsecum addit necessario, sed solùm connotationem aliquam ad creaturas, quatenus actus Dei, licèt non possit adesse & abesse, utpote divinus, potest tamen ratione dominii quod habet supra objectum, facere ut adsit vel absit objectum. Quare actus liber nihil Deo adjicit, sed creaturam divinæ subjicit potestati, & infert productionem creaturæ suo tempore ponendæ, & sic est volitio; vel non infert, sed voluntariè relinquit in nihilo, & sic est nolitio, non per mutationem Dei, sed per futuram mutationem creaturæ producendæ. Vnde eruditè idem Magister Angelicus 1. cont. gent. c. 82. *Voluntas Dei uno & eodem actu vult se & alia à se, sed habitudo ejus ad se est necessaria & naturalis; habitudo autem ejus ad alia est secundùm convenientiam quandam, non quidem necessaria & naturalis, neque violenta, aut innaturalis; sed voluntaria.*

Elucidatur magis & complanatur scabrosa hæc difficultas; Non inconvenit, imò divinam infinitæ perfectionis eminentiam sapit & decet, ut unus & idem actus rationem necessitatis & libertatis per ordinem ad diversa eminentissimè contineat: primam habet per ordinem ad bonitatem suam, secundam per ordinem ad creaturas. Et certè si beneficio distinctionis virtualis eadem simplicissima entitas unit rationem communicabilis, & incommunicabilis (essentia enim Patris communicatur, non paternitas) quia ens infinitum eminenter æquivalet utrique rationi; quidni eadem distinctio virtualis sufficiet, ut eadem entitas rationem necessitatis & libertatis per ordinem ad diversa præcontineat, non per diversam realitatem, sed per ejusdem distincta munia & officia? Hanc divinæ voluntatis eminentiam conceptis verbis divinè tradit S. Thom. 1. *cont. gent. cap. 82.* his observandissimis verbis: *Esse ad utrumlibet potest dupliciter convenire alicui virtuti, uno modo ex parte sui, alio modo ex parte ejus ad quod dicitur. Ex parte quidem sui, quando nondum est consequuta suam perfectionem, per quam ad unum determinetur; unde hoc in imperfectionem virtutis redundat, & ostenditur esse potentialitas in ipsa. Ex parte autem ejus ad quod dicitur, invenitur aliqua virtus ad utrumlibet esse, quando perfecta operatio virtutis à neutro dependet, sed tamen utrumque esse potest; sicut aliquis qui diversis instrumentis uti potest æqualiter ad idem perficiendum: hoc autem ad imperfectionem virtutis non pertinet, sed magis ad ejus eminentiam, in quantum utrumlibet oppositorum excedit. Sic autem est in divina voluntate respectu aliorum à se.*

Confirmatur, & explicatur ampliùs: Eminentia & Infinitas divinæ perfectionis exigit, ut eadem actualitas etiam virtualiter ex parte rei conceptæ indistincta feratur non solùm ad objectum primarium, sed etiam extendatur ad objecta secundaria, & materialia, quæ sunt creaturæ: tum quia potentiæ, vel quasi potentiæ ab objectis solis primariis sicut speciem desumunt, ita & distinctionem: tum quia, si requireretur aliqua virtus ad respicienda immediatè objecta secundaria, jam hæc essent primaria respectu talis virtutis, quippe per se & in solidum à tali virtute respecta. Tum quia sequeretur aliquam Dei virtutem specificari, & perfici à creaturis. Atqui objectum primarium & adæquatum divinæ volitionis est Dei bonitas; creaturæ verò sunt tantùm objectum secundarium illius. Ergo idem actus divinæ voluntatis, qui fertur necessariò ad bonitatem increatam, extenditur etiam invariatus manens ad creaturas liberè diligendas. Præsertim quia Deus non amat creaturas, nisi quatenus ordinantur ad divinam bonitatem, quæ à creaturis est omninò independens, subindeque indiffe-

tentet amantur, cùm fine illis divina bonitas subsistere possit.

Confirmatur demùm, & aperitur profundum difficultatis. Eo ipso quod actus necessarius indifferenter respicit creaturas per modum volitionis vel nolitionis, videtur quod indiget aliquo superaddito distincto, ut creaturas velit potiùs quàm nolit, aliàs semper voluntas manebit in indifferentia. Verùm hæc difficultas procedit ex inconsideratione eminentiæ divinæ, & quia res divinas ad instar creaturum imaginamur, & dimetimur. Accedamus ergo ad cor altum, & consideremus quod in Deo non datur libertas, nisi per modum actus secundi, infiniti, & omninò completissimi, ac proinde ut fertur ad objectum suum, nequaquam indiget aliquo superaddito ex parte actus se tenente, sed solùm quod ex efficacia & dominio actus divini objectum immutetur, vel in nihilo relinquatur. Quia hæc est summè observanda inter volitionem creatam & increatam differentia, quod creata specificatur & perficitur ab objecto volito creato, unde nequit ad illud ferri, nisi prorumpat in actum, quo in actu secundo de novo perficiatur: At verò volitio increata speciem vel perfectionem nullam accipit à rebus creatis, unde non indiget nova realitate, vel nova superaddita habitudine ad ipsas; sed eadem entitas potest esse volitio, vel nolitio per solam objecti variationem.

Quod totum potest suaderi ratione & illustrari exemplis. Ratione quidem, quia quotiescumque ad denominationem intrinsecam requiritur non solùm forma intrinseca, sed etiam extrinsecum aliquod connotatum, tunc forma illa præbet denominationem per solam positionem connotati, sine acquisitione, vel deperditione alicujus intrinseci. Sicut primò ratio Domini & Creatoris, ipsa etiam actualis creaturarum productio nihil superaddunt divinæ omnipotentiæ, sed solam mutationem creaturæ, quæ divinæ actioni subjicitur, ut ampliùs dicetur dum de omnipotentia, quæ ibi videbis. Sicut secundò in sententia plurium non ignobilium Theologorum, species intellectus angelici non repræsentant existentiam rerum futurarum defectu solius positionis rei, quâ positâ, absque adjectione ulla species rem illam repræsentat. Sicut tertiò materia prima appetitu innato desiderat formam qua caret; formâ tamen adveniente, desinit talis materiæ appetitionis denominatio, per hoc quod, cessat carentia formæ, quam exigebat pro connotato. Sicut quartò relatio paternitatis præexistens, adveniente filio posteriore tribuit genitori denominationem patris novi filii absque ulla mutatione sui per solam connotati positionem. Sicut quintò in sententia eorum qui negant physicam præmotionem, vel præoperationem Dei ad actus liberos voluntatis creatæ, voluntas denominatur effectivè volens non per actionem (à qua denominatur quidem formaliter, seu in genere causæ formalis volens, sed non effectivè, cùm actio ipsa à principio effectivo ut tali procedat,) sed per propriam entitatem connotantem actionem liberam in genere causæ efficientis à voluntate prodeuntem, positis omnibus requisitis; quod verò procedat amor potiùs quàm odium, dicunt nullam hujus debere quæri rationem, nisi quia hæc est natura intrinsecæ indifferentiæ voluntatis. Ar quàm potiori jure id divinæ voluntati asseri debet? Quippe quæ est infinita, actus purus, actualissimus, & completissimus: unde cur potiùs sit volitio quàm nolitio; amor, quàm odium, vel cur potiùs velit hoc objectum quàm aliud, non est alia ratio assignanda, nisi completa, pura, & infinita actualitas, quâ divina volitio prædita est. Vnde aliquam ulteriorem rationem quærere non solùm est inconsideratio divinæ actualitatis & puritatis, sed etiam inanis defatigatio. Appositè Aug. lib. 5. de Genes. contra Manich. *Qui dicit, quare Deus fecit cœlum & terram? Respondendum est ei, quia voluit: qui autem quærit, quare voluit facere cœlum & terram, majus aliud quærit quàm est voluntas Dei; nihil autem majus inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, & id quod non est, non quærat.*

Reflexio.

Sicut actus liber explicatur per independentiam voluntatis Divinæ ab omnibus creaturis, ita nusquam libertate filiorum Dei perfrueris, quandiu vel minimæ creaturæ alligatus, ad ea quæ sursum sunt, convolare nequibis. Non est quidem vitium amor libertatis: sed quo pacto liber censendus est, qui libidinum mancipium, creaturarum servus efficitur? Verè liberi nomine dignus est, qui omnia rationi, rationem subjicit Deo, *cui servire regnare est.* Alibi quærens falsam libertatem, veram invenies servitutem. Eodem proportionaliter modo fertur appetitus noster in libertatem ac beatitudinem. Observat autem D. Thomas in 4. *dist.* 49. *q.* 1. *art.* 3. *q.* 3. quod quando aliquis appetit beatitudinem actualiter, conjungitur ibi appetitus naturalis, & appetitus rationalis, & ex parte appetitus naturalis semper est ibi rectitudo; sed ex parte appetitus rationalis desinit esse rectitudo, quando ibi quæritur beatitudo ubi non est: quare sicut homines falsa beatitudinis imagine & larva decipiuntur (unde tot de ea opiniones inter Philosophos subortæ sunt,) ita in libertatis appetitione sæpè sæpiùs umbratilem, & spuriam homines insectantur, cùm germana in virtutis Christianæ studio sita sit, dicente Veritate, Ioan. 8. *Si vos filius liberaverit, verè liberi eritis.* Hanc nobilem libertatem Angelicus præceptor quotidie à Deo postulabat in sua illa satis nota oratione, quæ incipit, *Concede mihi*, ubi inter alia sic orat: *Da mihi dulcissime Deus cor pervigil, quod nulla abducat à te curiosa cogitatio: da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da invictum, quod nulla fatiget tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vendicet violenta commotio: da rectum*, &c. Hæc perfecta libertas à vera in Deum subjectione derivatur. *Nihil enim tam regium* (ait Leo Magnus serm. 3. de sua Assumpt.) *quàm subditum Deo animum sui corporis esse rectorem.* Hinc prodigus in se reversus volebat fieri sicut unus de mercenariis patris. *Hoc petit* (inquit Chrys. sol. serm. 2.) *quia qui penes extraneum servam senserat libertatem, penes patrem credit sibi futuram liberam servitutem.*

Speculatio III.

Ex prædictis quædam consectaria, necnon solutio objectorum derivantur.

Ut magis suadeatur, quàm vera sit D. Thomæ de actu libero Dei explicata sententia, paucis corollariis confutare aliorum nonnulla placita, & quasdam objectiones eoodare operæpretium est.

Sequitur ergo primò, actum Dei liberum non superaddere necessario aliquid defectibile secundùm rationem intrinsecam liberam separabilem, seu ut nonnulli loquuntur, secundùm realitatem modalem, seu ut quidam novissimè adinvenit, secundùm terminationem intrinsecam defectibilem etiam sub ratione intrinsecæ terminationis. Nam omnes illi modi explicandi quocumque fuco & colore palliati, rationem actus puri, entis necessarii, & omninò immutabilis à Deo tollunt, atque ab imis fundamentis subruunt & labefactant. Nam si in Deo aliquod intrinsecum sit defectibile, quomodo erit Deus actus simplicissimus, cui nihil potest auferri? Quomodo ens necessarium erit, quod

quod non poteſt adeſſe & abeſſe? Quomodo ens immutabile, quod nec ipſam viciſſitudinis obumbrationem patitur? Vnde redeunt omnia argumenta ſuprà facta contra admittentes diſtinctionem realem inter attributa divina.

Confirmatur: Illa realitas modalis quorumdam, vel illa intrinſeca terminatio defectibilis ſub ratione intrinſecæ recenter excogitata, vel eſt aliqua entitas divina, vel nihil: ſi nihil, ergo non eſt intrinſeca Deo, nec poteſt conſtituere actum liberum Dei, qui eſt aliquid reale: ſi eſt aliqua entitas, ergo aliqua entitas divina erit defectibilis, ſubindeque non erit ens à ſe, nec actus purus, neceſſarius, & immutabilis per eſſentiam. Sicut quia relatio eſt aliqua entitas realis in Deo, non poſſet relatio deperire, niſi ſimul aliqua entitas divina corrueret, & divina ſimplicitas enecaretur. Nam ut ait Bernard. lib. 5. de conſid. *Tam non eſt ſimplex quod vel unum fuerit obnoxium formæ, quàm nec virgo vel uni cognita viro.*

Confirmatur iterum: Implicat in adjecto, ſeu in terminis contradictionem involvit dicere aliquid eſſe intrinſecum Deo, & eſſe defectibile quoad rationem ullam intrinſecam. Ergo non poteſt conſtitui actus liber Dei per terminationem intrinſecam defectibilem. Probatur antecedens: Hoc ipſo quod aliquid eſt Deo intrinſecum, eſt ens divinum, imò eſt ipſe Deus, qui quidquid habet, hoc eſt, ut Patres omnes conclamant: Ergo eſt intrinſecè indefectibile, ſicut Deus. Et rurſus, hoc ipſo quod aliquid eſt ens defectibile, eſt ens contingens, potentiale, & ab alio. Ergo dicere dari in Deo aliquid intrinſecum, & ſimul defectibile, eſt pugnantia loqui.

Quocirca vehementer miror novellum iſtum modum loquendi & explicandi actum Dei liberum tantoperè placuiſſe cuidam Thomiſtæ Moderno, cùm recens ille ſentiendi modus non ſolùm ſit in Schola Thomiſtica peregrinus & hactenus inauditus, ſed & à doctrina communi noſtri Præceptoris alieniſſimus; conſtanter enim docet, actum liberum nihil ſuperaddere neceſſario: ſed admiſſo moderno illo loquendi modo, ſequeretur planè actum liberum diſtingui à neceſſario, non ſolùm virtualiter, quod non eſſet inconveniens, ſed etiam realiter, quod repugnat: Ergò hæc expoſitio longè eſt à D. Thoma. Probatur minor: Si actus liber addit terminationem intrinſecam defectibilem, addit utique ſeparabilem; nam defectibile, & & ſeparabile ſunt ſynonyma; ſeparabilitas autem eſt evidentiſſimum diſtinctionis realis argumentum.

Nec ſatisfacit, ſi cum præfato Authore dicas, intrinſecam illam terminationem eſſe defectibilem non ſub ratione perfectionis, ſed ſub præciſa ratione terminationis intrinſecæ, quod non videtur inconveniens, & poteſt explicari exemplo ſubſiſtentiæ Divini Verbi intrinſecè terminantis humanitatem, quam ſi non terminaret, ceſſaret etiam & abeſſet intrinſeca terminatio Verbi, intemerata immutabilitate ejuſdem Verbi.

Non, inquam, ſatisfacit, ſed prorſus diſplicet; quia eo gratis admiſſo, quod intrinſeca illa terminatio non explicet aliquam perfectionem (quod tamen non eſt concedendum, cùm exercitium divinæ libertatis, ſeu libertas ejus actualis puriſſimam exprimat perfectionem ſpeculatione præcedenti declaratam, quæ nihil aliud eſt quàm eminentia volitionis Dei) hoc, inquam, permiſſo, ſicut multi de relationibus divinis opinantur; ſi tamen illa ratio intrinſeca ſit defectibilis, profectò aliquid divinum erit defectibile & contingens: ſicut tametſi ſecundùm adverſarium non dicat formaliter perfectionem, ſi tamen eſſet defectibilis, non eſſet Deo intrinſeca; vel ſi intrinſeca eſſet, foret accidens, non actus purus, neceſſarius, & immutabilis. Ergo ſimiliter ſi terminatio illa ſit defectibilis ſecundùm rationem aliquam intrinſecam, vel in Deo non eſt, vel ſi ſit, admittitur in Deo aliquid, quod non eſt Deus.

Nec exemplum ſubſiſtentiæ Divini Verbi juvat, ſed potiùs obeſt. Nam certum quidem eſt, Verbum Divinum terminare intrinſecè humanitatem, ſed nemo dixit hactenus, Verbum terminare per aliquid intrinſecum defectibile, ſed per ſuammet entitatem omnimodè indefectibilem, quæ eadem intrinſecè invariata permaneret, ſi diſſolveretur unio hypoſtatica, & tota mutatio vel defectio ſe teneret ex parte humanitatis. Ita ſimiliter Deus vult quidem creaturas per aliquid intrinſecum, ſcilicet per ipſammet entitatem actus neceſſarii, ſed non per aliquid intrinſecum defectibile, ſed omninò immutabile, habens tamen habitudinem non neceſſariam ad creaturas; Deus enim immotus movet omnia. Procul ergo à Deo, procul ab omni vera Theologia non ſolùm intrinſeca quævis defectibilitas, ſed ipſa defectibilitatis obumbratio procul exulet. *Scribatur* (inquiebat D. Bernard. in Concilio Rhemenſi) *ſtylo ferreo in ungue adamantino, vel ſculpatur in ſilice, quod divina eſſentia, forma, natura, Deitas, bonitas, ſapientia, virtus, potentia, magnitudo* (& ſimiliter libertas) *verè eſt Deus.*

Objicies: Ad ſalvandam libertatem in Deo requiritur, quod aliquid intrinſecum potuerit deficere. Ergo decretum liberum addit ſupra actum neceſſarium aliquid defectibile, ſaltem ſub ratione intrinſecæ terminationis. Probatur antecedens. Id debuit potuiſſe deficere, quod Deum conſtituit liberè volentem; ſi enim liberum decretum potuit non eſſe, etiam potuit non eſſe id quo conſtituitur: Atqui Deum liberè volentem non conſtituit niſi aliquid intrinſecum: Ergo aliquid intrinſecum potuit deficere.

Reſpondeo hoc etiam argumento, ut conſideranti patebit, peræquè probari actum liberum Dei diſtingui abſolutè & realiter à neceſſario, ut ſolet tribui, vel potiùs imponi Cajetano; à qua tamen calumnia eum optimè vindicat Nazarius. Dicendum ergo, quod ſicut ad hoc ut Deus definere eſſe Dominus non opus eſſet ut aliquid intrinſecum defineret, quatenuſcumque ſit realiter & intrinſecè dominus creaturarum, ſed ſufficeret quod definerent creaturæ ſupra quas exercet dominium: ſimiliter ut verum ſit liberum Dei decretum potuiſſe non eſſe in Deo, non exigitur ut aliquid intrinſecum divinæ voluntati potuerit deeſſe, ſed ſat eſt, quod potuerit non eſſe ejuſdem invariabilis & indefectibilis entitatis munus & officium immutandi creaturas. Claritatis causâ in forma nego antecedens. Ad probationem diſtinguo majorem: id quod conſtituit Deum liberè volentem, debuit potuiſſe deficere quoad aliquid intrinſecum Deo, nego; quoad officium & munus immutandi creaturas, concedo.

Sed ſtatim urgebis; Illud officium & munus immutandi creaturas, vel aliquid ſuperaddit actui neceſſario, vel nihil: ſi aliquid, ergo cùm illud munus potuerit deeſſe, aliquid Dei potuit deperire: ſi nihil, ergo nihilum conſtituet Deum liberè volentem.

Reſpondeo, munus illud & officium immutandi creaturas eſſe ipſummet actum neceſſarium, non quidem ſub ea ratione quâ reſpicit divinam bonitatem, ſed ſub ea qua ſibi ſubjicit creaturas cum indifferentia tanto majori, quanto ens neceſſarium eſt omninò independens à rebus contingentibus. Vnde non eſt neceſſe quod munus illud aliquid actui neceſſario ſuperaddat, cùm ad hoc actus neceſſarius ſit ſufficientiſſimus.

Inſiſtes: Eſto actus neceſſarius ſit ad hoc ſufficiens, tamen ille actus neceſſarius de ſe tam eſt nolitio quàm volitio. Ergo ut ſit volitio potiùs quàm nolitio, debet ſibi aliquid intrinſecum ſuperaddi, quod abfuiſſet, ſi adfuiſſet nolitio.

Respondeo, quod si Deus qui voluit, noluisset objectum, non perdidisset aliquid Deo intrinsecum; sed id quod in Deo intrinsecum est, non immutasset aliquid extra se. Quod verò immutarit potiùs quàm non immutarit, aliunde ratio peti non debet, nisi quia hæc est natura libertatis & indifferentiæ voluntatis, præsertim divinæ; quæ cùm sit actus purus, non est libertas ad actus, sed ad objecta. Ut igitur Deus volens fuisset nolens, non opus fuisset quod alium actum habuisset, sed quod ex vi dominii Dei objectum esset aliud: quod quinque exemplis in fine præcedentis speculationis explicuimus, & possunt addi duo, scilicet visionis beatæ, in qua essentia divina intrinsecè terminat intellectum; & unionis hypostaticæ, in qua Filius terminat intrinsecè humanitatem, non mutatus, sed mutans. Quod si hoc videatur mirabile, ita sanè est; sed divinum non esset, si non esset mirabile, & singulare.

Obsistes adhuc: Si Deus qui est volens, potuisset esse nolens, immutatus manens, per solam objecti mutationem, sequeretur quod etiam postquam aliquid decrevit, posset illud nolendo retractare sine ulla sui mutatione, sed mutatione solius objecti; siquidem volitio & nolitio non differunt ex parte Dei, sed penes solam objecti variationem. Atqui Deus de volente non potest fieri nolens in tempore sine præjudicio suæ immutabilitatis. Ergo de volente Deus non potuisset esse nolens sine aliqua sui mutatione.

Respondeo certum esse, Deum semel statutam suam voluntatem non posse retractare, vel recedere à priori decreto sine inconstantia & mutatione Deo repugnante: cujus rationem assignat D. Thom. *art. 5. q. 19.* dicens: *Considerandum est quod aliud est mutare voluntatem, & aliud velle rerum mutationem; potest enim aliquis eadem voluntate immobiliter permanente velle quod nunc fiat hoc, & postea fiat contrarium; sed tunc voluntas mutatur, si aliquid inciperet velle quod priùs non voluit, vel desineret velle quod voluit; quod quidem accidere non potest, nisi præsupposita mutatione vel ex parte cognitionis, vel circa dispositionem substantiæ ipsius volentis: cùm enim voluntas sit boni, aliquis de novo dupliciter potest incipere aliquid velle; uno modo sic quod incipiat sibi illud esse bonum, quod non est absque mutatione ejus, sicut accedente frigore incipit esse bonum sedere ad ignem, quod priùs non erat; alio modo sic, quod de novo cognoscat illud esse sibi bonum, cùm priùs hoc ignorasset; ad hoc enim consiliamur ut sciamus quid nobis sit bonum: ostensum est autem suprà, quod tam substantia Dei, quàm ejus scientia est omninò immutabilis, unde oportet voluntatem ejus esse omninò immutabilem.* Ex quibus rationem à priori habes, cur Deus mutaretur, si de volente fieret nolens, licèt volitio, vel nolitio nihil addat supra actum necessarium.

Sequitur secundò, liberum Dei decretum non constitui per respectum rationis ad creaturas, ut voluit Vasquez, vel per aliquam carentiam ultimitatis, ut sustinent alii, quibus applaudunt Salmanticenses. Quia decretum Dei est aliquid reale ab æterno existens positivè in Deò, cùm sit exercitium actuale divinæ voluntatis: Ergo non est aliquid fictum, & ens rationis, vel aliqua carentia. Quod si dicas, fundamentum talis respectus rationis vel carentiæ, quam concipimus in Deo, constituere decretum Dei, nihil dicis; restat enim explicandum quodnam sit illud fundamentum, an extrinsecum quid, vel intrinsecum; an creatum, vel increatum; an defectibile, vel indefectibile. Carentia verò ultimitatis, seu ulterioris determinationis, prætterquam quod est perobscura, supra illam negationem quam dicit, habet aliquid positivum, quatenus ultimò contrahit omnia attributa Divina, ut præfati Authores exponunt modo quidem subtili, sed valdè metaphysico. De illo ergo positivo semper restat dubium, an sit quid intrinsecum vel extrinsecum, defectibile vel indefectibile, & cur potiùs sit volitio, quàm nolitio; unde non salvatur id quod maximè impræsentiarum desideratur.

Sequitur tertiò, dici non posse decretum Dei liberum consistere solùm in denominatione extrinseca petita ex productione temporali rerum, vel ex rebus ipsis productis, ut tribui solet Aureolo; quia productio creaturarum, & creaturæ productæ à Dei voluntate libera procedunt: Ergo eam supponunt constitutam, præsertim cùm libera voluntas producendi sit æterna, productio verò creaturarum temporalis. Et certè cùm Scriptura dicit, *Omnia quæcumque voluit Deus; fecit: Salvum me fecit, quoniam voluit me*, si voluntas libera idem esset ac productio, sensus esset, omnia quæcumque fecit Dominus, fecit; salvum me fecit, quoniam salvum me fecit: qui circulus est planè vitiosus & nugatorius.

Dices: In nostra sententia ideo Deus liberè vult, quia connotat & immutat creaturas; ideo verò connotat & immutat, quia vult; immutatio enim creaturarum supponit Dei voluntatem: Ergo rotamur eodem circulo quem rejicimus.

Respondeo circulum illum vitari in sententia D. Thomæ; nam ideo Deus produxit creaturas, quia liberè voluit; ideo verò liberè voluit, quia voluntas divina est absoluta & independens à creaturis; ideo verò stante illa independentia potiùs voluit quàm noluit, quia determinavit illas non relinquere in statu meræ possibilitatis, sed affundere illis bonitatis suæ radios; ideo verò ad hoc se determinavit, cùm ad utrumque esset indifferens, quia sic judicavit infinita ipsius sapientia. Per quid autem determinaverit intrinsecam indifferentiam, dictum est suprà non aliam esse rationem, nisi quia hæc est natura primi motoris, & primi determinantis seipsum per seipsum determinare, & immotum alia movere.

Rafleato.

Sicut frustra libertatis divinæ cum propria immutabilitate concordiam extra divinæ independentiæ eminentiam quæsierunt nonnulli Theologi: ita falsò sibi illi adulantur, qui larva benignitatis, & fuco honestatis, voluntatem Dei præceptis divinis explicatam exponunt prout volunt. Tunc etenim formidandum est illud Isai. 3. *Popule meus qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Necnon illud Psal. 9. *Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.* Hos palpatores ne audias, Lector, qui dum videntur amici, reipsa capitaliter infensi sunt. Scriptum est enim Proverb. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis.* Crudelis est medicus, qui tumentes vulnerum sinus manus blandiente contrectat, & in recessibus inclusum virus dum dissimulat, auget. Ille libertatis tuæ amicus est, qui libertatis tuæ adversarius est. Hunc ama, hunc ausculta: de hoc scriptum est Matth. 5. *Esto consentiens adversario tuo.* Talis enim spiritalis Dux qui per arctam salutis viam dirigit, imitatur sermonem Dei, qui ut egregiè ponderat August. serm. 1. de verb. Dom c. 3. *adversarius est voluntati tuæ, donec fiat author salutis tuæ. O quàm bonus adversarius, quàm utilis adversarius! Adversarius est nobis, quandiu sumus & ipsi nobis; quandiu tu tibi inimicus es, inimicum habes sermonem Dei. Esto tibi amicus, & concordas cum ipso. Concordasti; dic mihi quid perdidisti? Non solùm nihil perdidisti, sed & te ipsum, qui perieras, invenisti.*

CAP. II.

CAPUT II.

Efficacitas & suavitas divinæ voluntatis: seu de concordia decretorum prædeterminantium Dei cum libertate creata.

PRetiosa res cor humanum, & quod penè ipse teveretur Deus. Multa in ipso miracula agnoscit Philosophia. In corde est magnitudo in parvitate, nihil ipso angustius, nihil ipso capacius, cui totus mundus non sufficit. In corde est ignis in aquâ; pascitur enim humore cordis ignis primigenius, & focus domestici caloris ferocitatem quæ inter cor & pericardium interjacet, non absumit, nec ab ea extinguitur. In corde est quies in motu; dum enim per diastolen sanguinem è venis exsugit, per systolen spiritus distribuit, pacemque toti corpori per temperamentum dat. Sed his miraculis majus Theologia demiratur, nimirum dominium in subjectione, dum libertatem sui dominam divinæ subjicit voluntati, cujus efficax suavitas, & suavis efficacitas lenis est, ut cor subeat; subtilis, ut pervadat; sufficiens, ut adjuvet; omnipotens, ut flectat; congrua, ut se attemperet; blanda, ut delectet delectans, ut suadeat; suadens, ut vincat; vincens, ut vinciat; vinciens, ut non cogat; attingens à fine usque ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter.

Ut autem decretorum divinorum efficaciam, & sub illa libertatis creatæ intemerata jura videamus, ea pensiculatè indagamus. *Primò*, an divina voluntas sit ita actualis, ut suspensa esse non potuerit ab omni exercitio libero decreti circa futuritionem vel non futuritionem, tam absolutam, quàm conditionatam rerum. *Secundò*, an decreta quæ habet, sint ab intrinseco efficacia & prædeterminantia, non indifferentia vel expectantia efficaciam suam ex consensu præviso; sed consensum ipsum liberum prævenientia, & infallibiliter inferentia. *Tertiò*, an & quomodo hæc decreta libertati non officiant, sed eam potiùs perficiant.

SPECULATIO I.

Voluntas Dei non potuit manere suspensa, unde oportuit ut prorumperet in aliquod decretum circa omnia futura, tam absoluta, quàm conditionata.

PRior pars est contra nonnullos, quibus subscribit P. Gonet, asserentes voluntatem divinam potuisse manere indeterminatam, & suspensam circa rerum ponendarum futuritionem, vel non futuritionem. Verùm id non patitur perfectio Dei actualissima. Nam otiosa illa, & dormitans pendentis & fluctuantis voluntatis irresolutio, & anceps de re ponenda consilium expectans pleniorem decisionem, & veluti finalem & decretoriam sententiam, non decet actum purum. Tum quia voluntas sapit conditionem intellectus; cùm ergo intellectus divinus sit actualissimus respectu omnium, ita voluntas divina nequit esse in potentia respectu volitionis, vel nolitionis: esset autem in potentia si esset suspensa circa utrumque; siquidem utriusque esset capax, & neutrum haberet. Tum quia indecisio & fluctuatio voluntatis semper refunditur in imperfectionem intellectus, vel speculativi, vel practici; sicut determinatio oritur ex plenitudine luminis & firmitate judicii: Ergo stante infinita perfectione divini judicii, & actualitate scientiæ & prudentiæ ejus, indigna Deo est fluctuans & torpescens voluntas; siquidem inter intellectum & voluntatem est intima sympathia & correspondentia, & in Deo identitas, quæ exigit, ut hoc ipso quod intellectus proponit objectum liberè amabile, voluntas in illud feratur vel volendo, vel nolendo; quod potentialitatem quidem tollit, sed minimè libertatem voluntatis, quæ in odium, aut amorem prorumpere potest, prout magis libuerit.

Confirmatur ampliùs; nam saltem negari non potest, quin connaturalius sit voluntati sese determinare ad aliquid per modum inclinationis & tendentiæ actualis, quàm per negationem omnis actus (hoc dato pro nunc, quod voluntas creata possit se exercere per negationem actus, quod non est certum.) Siquidem voluntas est inclinatio naturæ intellectualis, quæ proinde meliùs sese explicat per inclinationem actualem & vitalem, quàm per omnis actus suppressionem. Atqui à Deo removenda est omnis imperfectionis umbra, & ea quæ ei asserimus, perfectissimo modo sunt attribuenda: Ergo divinæ voluntatis perfectio, & libertatis actualitas omnem omninò suspensionem excludunt, tanquam redolentem imperfectionem creaturarum. Certè melius esset negare in divina voluntate libertatem, quàm talem admittere, quâ major excogitari possit. Manifestum est autem, imo & per se notum, libertatem non suspensam meliorem esse suspensâ, & otiosâ, & veluti somnolentâ, quæ etiam hominibus displicet, in quibus non nisi ex judicii tarditate, vel confusione provenit.

Confirmatur rursum, & præoccupatur fundamentum oppositæ sententiæ, in hoc consistens, quod cùm exercitium liberæ voluntatis Dei non superaddat aliquam perfectionem, videtur quod quanvis divina voluntas à tali exercitio cessasset, nihilominus sufficeretque suspensa, nullâ propterea perfectione orbaretur. Sed hinc potiùs rationem contra adversarios instauro. Licèt exercitium liberæ voluntatis nullam addat actui necessario perfectionem, tamen argutivè, & rectè infertur; actum necessarium non esse perfectissimum, si potens se determinare circa futuritionem, vel non futuritionem creaturarum, ad eam non se extenderet, sed illam omitteret. Sicut licèt scientia visionis, quæ fertur ad creaturas præsentes, nihil perfectionis adjiciat scientiæ simplicis intelligentiæ; si tamen scientia divina ad præsentia & futura non se extenderet, arguitivè colligeretur, scientiam Dei non esse perfectissimam, nec habere lumen infinitum, oportere non se extendens ad omne cognoscibile. Sicut etiam in sententia plurium adversariorum, licèt relationes divinæ nullam essentiæ perfectionem superaddant; si tamen aliqua relationem deesset; detraheretur cumulatæ essentiæ divinæ perfectioni: Ergo similiter rectè deducimus voluntatem divinam non futuram omnimodam perfectam, si non se extenderet ad quodvis objectum ab intellectu propositum, vel volendo, vel nolendo illud. Aliam rationem hujus primæ partis afferemus post stabilitam secundam partem.

Objicies: Voluntas divina liberè fertur & terminatur ad creaturas: Ergo potest suspendere terminationem ad illas; in hoc enim consistit libertas exercitii & contradictionis, quod voluntas possit prorumpere in actum, vel ab ipso abstinere; possit amare, vel non amare; sicut libertas contrarietatis exigit, ut possit alterutrum oppositorum actuum elicere, v. g. possit amare, vel odisse.

Respondeo, quidquid sit an ad rationem actualis libertatis creatæ sufficiat omissio actus scienter & advertenter suspensi; tamen quia libertas divina non consistit in indifferentia actuum, sed objectorum; ideo libertas exercitii divini non petit, ut possit elicere actum liberum, vel suspendere illum; sed quod ex vi illius ponatur creatura, vel non ponatur: sicut libertas specificationis exigit, quod ex vi illius ponatur creatura aliqua,

aliqua, vel illi contraria. Quod optimè salvatur in nostra doctrina, quæ licèt asserat Deum ob suam perfectionem non posse suspendere actum liberum vagè sumptum, id est non posse non habere actum volitionis, vel nolitionis; tamen non necessitatur ad hoc ut sit volitio, vel nolitio; & ipsa volitio, vel nolitio non necessitantur ad ponendam creaturam, vel contrariam; sed ad ponendam, vel non ponendam. V. g. licèt Deus debeat se determinare, an velit calorem vel frigus; tamen potest ex vi suæ determinationis actualis producere vel calorem, vel frigus, vel ab utroque abstinere. Sicque in eo perfectissimè salvatur libertas & exercitii, & specificationis, quantumvis necessitetur ad prorumpendum in aliquam vel volitionem, vel nolitionem: necessitetur, inquam, non necessitate proveniente ex parte objecti, sed ex parte subjecti, nimirum ex actualitate & perfectione divinæ libertatis.

Dices: Æquè actualis est divina misericordia, justitia, & omnipotentia, ac libertas; cùm omnia divina sint actus purus: Sed licèt suspensum esset exercitium miserendi, puniendi, & creandi, non desinerent propterea misericordia, justitia, & omnipotentia esse actus purus; nam eo exercitio ab æterno caruerunt, salva manente actualitate: Ergo similiter divina libertas non careret actualitate & perfectione, quantumcumque in actum secundum volitionis, vel nolitionis non prodiret.

Respondeo negandam esse paritatem, & ratio differentiæ est primò, quia misericordia, justitia, & omnipotentia non exercentur intra Deum, sed extra; unde per exercititium non perficiuntur in se, sed perficiunt creaturas; subindeque suspensio exercitii earum non privat Deum perfectione, sed solas creaturas, quibus perfectionem non profundit. At verò intellectio & volitio exercentur intra Deum, & pertinent ad perfectionem volentis & intelligentis, tanquam ultima actualitas & inclinatio vitalis; unde suspendere actum est arguitivè suspendere perfectionem, ut dictum est. Altera differentia est, quia misericordia, justitia, & omnipotentia non petunt exercitium, nisi juxta præscriptum à divina libertate modum; voluntatis enim est movere cæteras virtutes ad exercitium: unde quando deest earum exercitium, voluntate illud nolente, nulla carent perfectione, quia tunc præfatum exercitium non requirunt. At verò voluntatis exercitium non subordinatur ulli alteri attributo, quia ipsa est veluti prima radix exercitii omnium. Vnde semper debuit esse in exercitio aliquo volendo, vel nolendo.

Statuuntur decreta conditionata.

Secunda pars speculationis sponte fluit ex prima; si enim voluntas divina non potuit manere suspensa circa rerum omnium futuritionem, profectò in decreta prorupit, quibus rerum futuritionem, vel non futuritionem, tam absolutam, quàm conditionatam determinavit. Verùm quia in hujusmodi decretis conditionatis specialis est difficultas, ideò de illis operosiùs agendum est: quod ut dilucidè fiat,

Sciendum est, propositum voluntatis posse dici conditionatum, vel ex parte actus, vel ex parte objecti. Primum non est efficax voluntas, sed dumtaxat velleitas, quâ nihil decernitur, sed remittitur decernendum in futurum, ut si dicam: Vellem ire Romam, si vocarer à Pontifice. Secundum verò est actuale decretum, & resolutio voluntatis de facto præsens; suspenditur tamen exequutio talis voluntatis donec apponatur conditio, quâ accedente redigetur ad actum, ut si dicam: Volo, & voveo ire Romam, si convaluero ab infirmitate. Tunc enim habetur præsens & efficax voluntas talis peregrinationis, sed expectatur restitutio sanitatis. Prima voluntas dicitur conditionata ex parte actus, & ex parte objecti, quia non solùm expectat conditionem aliquam ut agat, sed etiam ut velit: secunda verò dicitur absoluta & efficax ex parte actus, quia non suspendit determinationem voluntatis, sed solam exequutionem, donec adveniat conditio. Hujusmodi itaque decreta efficacia & absoluta ex parte actus, sed conditionata ex parte objecti, admittenda esse in Deo asserimus circa saltem futura conditionata, quæ Deum se cognoscere in Scripturis testatus est.

Probatur primò ex Scriptura, quæ Deo asserit notitiam quorumdam futurorum conditionatorum, quorum eventus nullam habet connexionem cum conditione, quale est illud Elisæi ad Regem Ioas, 4. Reg. c. 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, aut septies terram, percussisses Syriam usque ad consumptionem.* Patet autem quod devastatio Syriæ non est connexa cum illa terræ percussione: non potuit ergo Deus asserere futuram esse illam devastationem ex vi conditionis, sed solùm ex efficacia sui decreti. Similiter cùm Christus, Matth. c. 26. dixit Petro, *An putas quia non possum rogare Patrem, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* clarè indicavit, Patrem habere determinatam voluntatem dandi legiones Christo petenti, quas tamen nec Christus petiit, nec Pater dedit: est igitur in Patre voluntas efficax de aliquo, quod est tantùm futurum posita conditione, quæ tamen apposita non fuit. Item *Psal.* 105. habetur: *Dixit, ut disperderet eos, si non Moyses electus ejus stetisset in confractione in conspectu ejus, ut averteret iram ejus, ne disperderet eos.* Vbi, ut vides, decreverat Deus disperdere gentem, si Moyses non orasset in spiritu humilitatis, & confractione cordis contriti; & tamen Deus non disperdidit illam gentem, quia defuit conditio cessationis orationis Moysis. Ergo datur voluntas in Deo de aliquo, quod esset futurum positâ aliquâ conditione, & quod absolutè non est futurum.

Denique id apparet ex omnibus pactis & promissionibus, quibus Deus spondet se aliquid facturum, suppositâ conditione, quæ sæpè non ponitur, ut pactum de danda justitia originali omnibus posteris, Adamo non peccante: quod quidem pactum exprimitur *Eccles.* c. 17. sicut & promissio facta Salomoni de conservando throno Regali filiis in sempiternum super Israel, si ambularet in simplicitate cordis; & tamen filii ejus non regnaverunt, quia defuit Salomoni simplicitas illa requisita. Patet ergo ex Scripturis, dari in Deo voluntatem, seu decretum circa aliqua quæ non sunt futura, nisi sub aliqua conditione. Vnde D. Thom. *q.* 19 *art.* 7. *ad* 2. ait: *Multa sunt in virtute, & scientia, & voluntate divina, quæ non continentur sub ordine causarum inferiorum: utrumque Deus horum vult, scilicet quod aliquid quandoque sit futurum secundùm causam inferiorem; quod tamen futurum non sit secundùm causam superiorem, vel è converso. Quæ voluntas* (addit in 1. dist. 46. q. 1. art. 1. ad 2.) *potest dici conditionata, nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur secundùm omnes circumstantias.*

Probatur ratione, & ut id efficaciter conficiatur, primò monstrandum est, decreta illa explicata nullam prorsus redolere imperfectionem; secundò positivè suadendum est, necessarium esse illa in Deo confiteri. Primum sic ostenditur: Non repugnant ista decreta, neque ex parte objecti, neque ex parte divinæ providentiæ, neque ex parte efficacitatis divinæ voluntatis. Ergo ex nullo capite, nullum enim aliud potest exogitari, etiam secundùm authores, qui ad hæc decreta refugiunt. Probatur antecedens. In primis non repugnant hæc decreta ex parte objecti voliti, quod est bonum & conveniens, ut status innocentiæ posteris transmittendus,

si

si Adam non peccasset; conversio Tyriorum, si Christus prædicasset, & alia multa quæ nos rectè volumus, & ad quæ desideranda hortatur nos Deus, ut salus omnium hominum: Ergo volitio hujusmodi objecti nullam habet indecentiam, sed potiùs declarat viscera misericordiæ Dei. Præsertim quia ex illa semper sequitur aliquis effectus ad extra, ut ex vi voluntatis salutis omnium offeruntur omnibus media salutis, in Tyriis minor obduratio, in posteris Adæ ordinatio in finem supernaturalem, in peccatoribus inspirationes consequuntur. Quanvis non sit necesse, semper ex decretis illis conditionatis sequi aliquem effectum, ut dicemus postea.

Non dedecent etiam hæc decreta ex parte divinæ prudentiæ, vel providentiæ, quin potiùs pertinet ad supremum Gubernatorem permittere, ut sint variæ inclinationes in universo, etiam inter se pugnantes; ex hac enim concordi discordia coalescit, & splendet orbis harmonia, & structura, subindeque ad illum spectat inclinationes illas ad finem aliquem dirigere, nec tamen debet permittere, ut omnes suum sortiantur effectum; quem tamen connaturaliter obtinerent, nisi illi particulari inclinationi per aliam resisteretur. V.g. providens Deus ut ignis in aliqua domo accendatur, procul dubio videt futurum incendium; & tamen quia providet etiam quod ab imbre extinguatur, talis conflagratio non est absolutè futura. Unde pertinet ad supremi Provisoris prudentiam, ut decernat quid in constituto ordine rerum esset in tali, & tali occasione futurum secundùm causarum creatarum inclinationes.

Accedit, quod ad Oecumenici Provisoris prudentiam omninò exigitur, ut multa cum creaturis rationalibus pacta inire possit, ut multa promittat sub certis legibus, ut minitetur sub certis pœnis, atque de multis ordinet, ao evenirent, necne in tali, vel tali circumstantia, & positâ hac, vel illa conditione: quæ omnia exigunt decreta conditionata, ut Deus dicatur verè, sincerè, & non fictè ea velle quæ promittit, quæ minatur, & quæ ordinat. V.g. cùm comminatur pœnas, vel clades, nisi pœnitentia agatur, debet sine dubio velle pœnas illas infligere, nisi pœnitentia agatur, quâ accedente, suspenditur decretum de ponitione, ut patet in Ninivitis.

Denique non repugnant hæc decreta efficacia divinæ voluntatis. Tum quia suspensio exequutionis tunc solùm imperfectionis labem infert, quando provenit ex impotentia causæ, cujus virtus ab alio impeditur vel retardatur; sed non quando oritur ex ipsa voluntate Dei propter aliquem finem, quem perfectio regiminis universalis sæpè exigit, ut pensatis circumstantiis, & motivis omnibus libratis suspendatur exequutio. Tum quia, si nulla est indecentia, quod Deus dicat se facturum talia, vel talia, si illud, vel illud sit, quænam est repugnantia ut idipsum, quod asseverat, decernat? Imò non verè asseveraret, nisi verè decrevisset. Quo enim modo posset prima veritas attestari, *Genes.* 18. si in Sodomis invenirentur quinquaginta justi, indulturum se omnibus propter illos, nisi revera talem indulgentiam statuisset; quæ tamen nunquam concessa est defectu conditionis. Tum tertiò, quia non magis repugnant ista decreta conditionata efficacitati divinæ voluntatis, quàm voluntas antecedens de salute omnium, quæ est etiam conditionata: *Nec tamen est imperfectio ex parte voluntatis divinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circumstantiis*, ut ait D. Thomas citatus. Nec ad eam sequitur effectus ultimatus, scilicet salus omnium; sed sequeretur, si poneretur conditio; nimirum si aliter non exigeret ordo providentiæ, & justitiæ divinæ. Atqui illi authores, qui tam acriter confutant, irridentque decreta conditionata, ultrò admittunt voluntatem antecedentem salutis omnium; quæ sit verè in Deo, cùm Apostolus dicat, non quod Deus vellet, sed vult omnes homines salvos fieri. Ergo ista decreta conditionata nullam habent indecentiam; vel repugnantiam.

Hactenus negativè argumentati sumus removendo ab istis decretis omnem imperfectionis nævum. Iam probo positivè ea esse admittenda in Deo, saltem circa futura in Scripturis revelata. Res illæ, quas Scriptura attestatur esse sub conditione futuras, seu earum futuritio conditionata, est objectum actu liberum respectu divinæ voluntatis, cùm non sit ens necessarium & summum bonum, sed contingens, quod subinde fuit impedibile, & potuit non esse. Ergo requirit aliquod decretum præsens in Deo, quo voluntas divina exerceat suam libertatem circa illud futurum, illudque extrahat à statu meræ possibilitatis, transferatque ad statum conditionatæ futuritionis; aliàs aliquid esset futurum independenter à Dei voluntate, & jam tedit totus ille rationum apparatus, quibus fusè superius ostendimus, repugnare aliquid esse futurum antecedenter ad decretum divinæ voluntatis, quibusque scientiam mediam exclusimus: unde ab eis iterandis supersedeo, pluribus hac de re speculatione frequenti acturus.

Objicies primò: Non datur in Deo decretum actuale, nisi ex parte creaturarum sequatur aliqua mutatio: nam, ut antea dictum est, decretum Dei liberum nihil addit supra actum necessarium; nisi mutationem creaturarum, quas connotat; & proprium est voluntatis divinæ non supponere, sed facere objectum quod vult, subindeque in illud inducit mutationem, qua transeat de non esse ad esse: Atqui ex decreto conditionato nihil ponitur circa objectum conditionatè futurum, cùm potiùs efficaciter, & consequenti voluntate nolit Deus illud futurum poni: Ergo non dantur in Deo decreta actualia circa objecta conditionatè futura.

Respondeo, quod sicut decretum absolutum ex parte objecti causat mutationem in objecto, ita ex decreto conditionato ex parte objecti non sequitur, sed sequeretur mutatio, si poneretur, vel (ut aiunt) purificaretur conditio. Unde major potest distingui, nisi sequatur mutatio absoluta, vel conditionata, concedo; absoluta, subdistinguo, si decretum sit absolutum, concedo; si conditionatum, nego; tunc enim exigit solùm mutationem conditionatam: & similiter distinguitur minor; ex decreto conditionato nihil ponitur circa objectum, nec poneretur, si adesset conditio, nego; & poneretur, concedo: quavis etiam absolutè possit negari minor. Nam ex vi hujusmodi decretorum sequitur mutatio in creaturis, quæ ex vi illius manent dispositæ ad producendum effectum, adveniente tali conditione: sic Tyrii erant minùs obdurati: sic peccatores sacris motibus stimulantur, & sic de aliis.

Adde Suarem *lib. 2. de scient. condition. cap. 2.* mordicus contendere contra Vasquem (cujus est objectio facta) dari de facto in Deo multa decreta, quæ non important variationem ex parte creaturæ. Nam præter decreta quibus Deus non vult possibilia, ex quibus nihil utique ponitur, etiam circa existentia, possunt esse decreta immutatis creaturis; nam potest Deus velle tollere obligationem, relaxare votum, irritare legem, condonare pœnam; & tamen ex illa voluntate nihil ponitur in creatura. Nec sufficit dicere ex vi talis voluntatis Deum revelare dispensationem, vel conditionem illam. Nam quis dicat Deum non posse ea velle, nisi revelet? nunquid poterit retinere secreta cordis sui? Certè id saltem dici non potest

de condonatione pœnæ, quam Deus potest velle nihil revelando, sed eam non infligendo. Scio aliquos dicere, ex voluntate Dei oriri semper aliquid, sed nobis ignotum. Sed hoc à nobis fateor impugnari non posse, quibus non est colluctatio adversus tenebras rei ignoratæ.

Dices: Decretum Dei non respicit creaturam per mutationem sui: Ergo per mutationem creaturæ; voluntate enim & objecto invariabiliter se habentibus, Deus non potest magis dici volens quàm nolens.

Respondeo, decretum Dei absolutum respicere creaturam mutandam in tempore, decretum verò conditionatum ex parte objecti ferri ad creaturam mutandam sub conditione; unde connotatur semper mutatio creaturæ, non quæ erit, sed quæ esset, positâ conditione.

Objicies secundò. Si darentur in Deo decreta circa futura conditionata, darentur etiam circa omnes combinationes possibiles; non enim est major ratio de una, quàm de alia. Sed admittere decreta circa omnes combinationes possibiles, videtur otiosum & futile; ad quid enim utile tale decretum, *Si Turca dormiat Constantinopoli, Papa orabit Romæ; Si daretur alius orbis, esset in eo statùs innocentia*, & sic de aliis longè absurdioribus? Ergo illa decreta non sunt admittenda in Deo, utpote non satis dignè, vel seriò Deum occupantia.

Respondeo, quosdam omnia illa decreta admittere, & omnia inconvenientia devorare, observantes quod licèt multæ combinationes satis disparatæ, & humano aspectui ridiculæ possent fieri, non est tamen ridiculum, sed summa expensione & veneratione dignum, quod tanta sit vis divini intellectûs, tanta actualitas divinæ voluntatis, ut ad omnia feratur, tota disparitate ex parte objecti, non ex parte scientis se tenente.

Verùm solidiùs dici potest, Deum habere decreta circa illa objecta quæ revelata sunt in Scriptura. An verò habeat circa alia, determinari vix, ac ne vix quidem potest, quia quæ ex Dei voluntate pendent, non possunt nobis innotescere, nisi per Scripturas, in quibus illud minimè definitur. Rem verò istam humanarum conjecturarum modulis dimetiri non convenit. Nam *quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Nec possumus inferre, quod si habet decreta circa aliqua, habeat circa omnia, cùm omnia operetur Deus secundùm consilium voluntatis suæ. Nec etiam ex eo exigit divinæ voluntatis perfectio, & actualitas, quæ non potest manere suspensa; quia sufficienter exercetur circa combinationes possibiles, concludendo illas sub unica volitione, quæ v. g. sic exprimatur: *Illa volo esse conditionatè futura, quæ per Scripturas revelabo, & quæ exigit ordo, & provisio universi. Cætera verò in statu meræ possibilitatis volo relinquere.* Hoc pacto salvatur actualitas divinæ voluntatis, & vitantur inconvenientia, quæ imaginatio nostra multiplicat.

Ex his etiam inferes, quàm meritò commentum de suspensione, & dormitione divinæ voluntatis anteà expunxerimus. Cùm enim Deus debeat cognoscere omnia futura, tam absoluta quàm conditionata, aliàs aliquid summæ & infinitæ scientiæ Dei perfectioni deesset; planè consequens est, Deum circa alterutram partem contradictionis se determinare debuisse, ut rebus futuritionem, vel non futuritionem tribueret. Siquidem omnis futuritio, vel non futuritio certa uni divinæ voluntatis decreto innititur, sine quo certitudo infallibilitasque divinæ scientiæ corrueret. Ergo sicut necessarium est rem omnem esse futuram, vel non futuram absolutè, vel conditionatè; ita necessum est, Deum velle eam esse futuram, aut nolle eam esse futuram; quia cessante, vel suspensa Dei voluntate & noluntate, penitus evanescit omnis futuritio, vel non futuritio, subindeque scientia de illo.

Nec valet responsio quorundam recentiorum Thomistarum aientium, Deum sufficienter cognoscere quævis non futura per hoc, quod non habeat aliquod decretum de eorum nõ futuritione, quia cùm rem non esse futuram non sit aliquid positivum, sed mera negatio, ad quam non exigitur positivus influxus, ut aliquid sit non futurum, & ut tale à Deo cognoscatur, satis est quod circa illud voluntas divina maneat suspensa. Sicut non requiritur positivus influxus omnipotentiæ ad annihilationem, tametsi requiratur positivus ad creationem.

Non, inquam, valet hæc responsio, & mirum est eam à Thomista posse adhiberi. Nam juxta tritam Angelicæ Scholæ sententiam decretum divinum est prima radix futuritionis, & non futuritionis rerum, ante quod omnis res non est futura, vel non futura, sed merè possibilis; quia tandiu manet omnipotentia divina (quæ est primum possibilitatis rerum principium) indeterminata ad futuritionem, vel non futuritionem rerum, quandiu non concipitur decretum. Certè si decretum indifferens Molinistarum non facit rem esse futuram, vel non futuram, quanto minùs suspensio omnis decreti? Quin imò verum erit (quod absit) propositiones ante decretum esse determinatè veras, vel falsas, etiam in materia contingenti. Nam si per suspensionem decreti res est positivè non futura, profectò omnis propositio negativa erit vera ante decretum, & consequenter ejus contradictoria falsa. Illa enim propositio negativa de futuro est determinatè vera, cujus objectum est determinatè non futurum: Atqui objectum propositionis negativæ, v. g. Petrus non studebit, est determinatè non futurum ante decretum, si ad non futuritionem sufficiat negatio, & suspensio decreti. Ergo propositio quæ asserit Petrum non disputaturum, erit vera ante decretum; sicue, ut exemplo adversariorum utar, ista propositio de præsenti, *Petrus non existit*, post annihilationem ejus est determinatè vera. Unde isti Thomistæ totam rationum molem, quam contra scientiam mediam struxerunt, hoc suspensionis voluntatis Dei asserto destruunt, vel saltem concutiunt. Dicendum ergo, quod per negationem decreti res non est positivè non futura, sed merè possibilis, & indifferens ad futuritionem, vel non futuritionem; quia futuritio, & non futuritio sunt denominationes petitæ à causæ determinatione.

Exemplum autem de non existentia, ad quam non requiritur positivus influxus divinæ omnipotentiæ, toto cœlo discrepat. Quia existentia, & non existentia sunt prædicata absoluta, quæ conveniunt rei hoc ipso, quod est, vel non est à parte rei: unde positâ existentiâ res est, subtractâ verò, à quacumque causa id fiat, res desinit. At verò futuritio, vel non futuritio positivæ sunt denominationes extrinsecæ & relativæ, petitæ à determinatione causæ: unde nulla existente determinatione in causa, res non est futura, vel positivè non futura, sed merè possibilis. Illustrari potest hoc familiari exemplo. Ad hoc ut homo ambulans non ambulet, sufficit ut potentia locomotiva suspendat motum, & tunc ambulatio ampliùs non existit; ut autem ambulatio crastina sit futura, vel non futura respectu nostri, non sufficit ut voluntas suspendat omne propositum ambulandi, sed requiritur ut voluntas sit determinata ad alterutrum; si enim voluntas sit suspensa, ambulatio erit possibilis, & indifferens ad futuritionem, vel non futuritionem respectu voluntatis.

REFLEXIO

Reflexio.

Si voluntas Dei nusquam suspensa circa creaturas fuit, nostram otiari, & à Deo amando quæritandóque desinere dedecet. Huic divinæ voluntatis actualitati sempiternæ nostri affectus exercitium respondere quid justius? ut illud quod inculcat Propheta impleamus: *Quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem ejus semper.* Psal. 104. Quærendus est semper, qui charitate perpetua dilexit te. Quærendus etiam dum inventus est, quia bonum infinitum etiam possessum possideri uberiùs potest. Unde mirè August. lib. 5. de Trinit. cap. 2. *Si quæsitus inveniri potest, cur dictum est, quærite faciem ejus semper? An & inventus quærendus est? Quæritur inveniendus, & invenitur quærendus. Tam magnum & incomprehensibile bonum est, quod & quæritur ut inveniatur dulciùs, & invenitur ut quæratur avidiùs.* Succinit Doctor Mellifluus serm. 84. in Cant. *Existimo quia nec cùm inventus fuerit, cessabitur à quærendo: non extinguit desiderium sanctum fœlix inventio, sed extendit.* Et lib. 4. de consider. *Solus est Deus qui frustrà nunquàm quæri potest. Doceat te de hoc experimentum tuum, aut experto credito, non mihi, sed Sancto, qui ait: Bonus es, Domine, sperantibus in te, animæ quærenti te.*

Speculatio II.

Divina voluntas statuit, prædefinivit, ac prædeterminavit omnes actus causarum secundarum, etiam liberos, decreto non indifferenti, sed per se & ab intrinseco efficaci, minimè expectante efficaciam suam à consensu prævisο, sed consensum ipsum præveniente, & infallibiliter inferente.

HÆc positio, quæ est radix & origo omnium controversiarum, quæ Thomistas inter & assertores scientiæ mediæ agitantur, pluribus solet argumentis comprobari. In primis eam convincunt omnes, tum authoritates, cùm rationes, quibus scientia media suprà expuncta est. Etenim si nihil est futurum, nec absolutè, nec conditionatè ante efficax Dei decretum, procul dubio decretum Dei non expectat, vel supponit prævisionem futuri cujuscumque, sed eam fundat. Secundò eandem stabiliunt ea quæ dicemus de providentia Dei, quæ cùm sit universalissima, extendit se etiam ad actum voluntatis, quem proinde non supponit, aliàs subterfugeret primi & supremi Provisoris causalitatem, cujus omnis dispositio semper impletur, ut ibi fusiùs demonstrabitur. Tertiò iis omnibus rationibus confirmari posset, quibus suo loco monstrabimus, prædestinationem esse certam, non solùm certitudine præscientiæ, sed etiam causalitatis efficaciter inferentis intentum: quod stare nequit cum decretis indifferentibus, & consensum præscitum expectantibus. Denique iis omnibus muniri posset subsidiis hæc assertio, quibus gratia Christi ab intrinseco efficax fusè suo in tractatu stabilitur. Sed quia nostri propositi est, ut sæpè diximus, quæque suis aptare locis, nec dicta recantare, vel dicenda prævenire; ideo his solùm firmamentis hanc propositionem vallabimus, quæ hujus loci propria, & veluti characteristica sunt.

Probatur ergo primò authoritatibus illis, quibus stabiliuntur prædefinitiones, & decreta ab intrinseco efficacia, & convelluntur purè indifferentia. In primis sacra Scriptura satis clarè tradit hanc efficacissimam divinæ voluntatis, & decretorum ejus energiam. Isai. c. 14. *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* Esther c. 13. *Non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreveris.* Rom. 9. *Voluntati ejus quis resistit?* Quibus locis formaliter fit sermo de decreto divinæ voluntatis, cujus vis & efficacia à nullo est impedibilis. Quomodo ergo admittentur in Deo decreta indifferentia, suspensa, & expectantia determinationem ab aliis? Vide dum de scientia media, invicta Pauli pro hac veritate testimonia.

Consonant Patres. Dionys. lib. de divin. nom. c. 5. *Exemplaria dicimus in Deo rationes substantificas, quas Theologi prædefinitiones vocant, & divinas, & bonas voluntates existentium prædeterminativas* (vide interim quàm antiquum sit prædeterminationis nomen, & in ipsis nascentis Ecclesiæ cunis usurpatum, non à Bañez adinventum, ut quidam scribunt non sine pudenda antiquitatis ignorantia,) *secundùm quas omnia prædefinivit, & produxit.* Ubi ponderatione dignum est, sanctum Patrem fundare ideas & exemplaria rerum futurarum & producendarum in prædefinitionibus divinis: imò ipsa exemplaria, in quibus res futuras videt, esse ipsas prædefinitiones, ac proinde manifestè sentire, Deum videre res futuras in sua prædefinitione, & decreto. Et sic potest fieri breve argumentum: Artifex non priùs videt artefactum producendum, quàm videat ejus exemplar, cùm nihil operetur nisi respiciendo exemplar. Sed ex Dionysio, exemplaria rerum producendarum sunt prædefinitiones prædeterminativæ & effectivæ rerum: Ergo Deus non videt res futuras ante decretum prædeterminativum, sed in decreto & prædefinitione voluntatis suæ. Unde in hoc testimonio S. Pater non solùm prædefinitiones disertè expressit, sed etiam recursum ad scientiam mediam divinâ suâ sapientiâ præoccupavit.

Suffragantur alii Patres. S. Leo serm. 7. de passione: *In salvandis hominibus per crucem Christi communis erat voluntas Patris & Filii, nec ullâ poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter præfinitum.* Theodoret. super illud ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem,* ait: *Ea quæ ad nos pertinent, præscivit, & prædefinivit, & præconstituit secundùm propositum voluntatis suæ.* Ergo non secundùm explorationem liberi arbitrii. Athanas. *super cap. 2. ad Ephes.* loquens de bonis operibus ait, quod ea *paravit Deus, quæ differri non poterunt, neque prætermitti, quin peragantur, tanquam divinitus sint prædefinita quousque sit procedendum.* Ab Augustino & Aquinate referendis supersedeo, quia non est opus ea iterum exscribere testimonia, quæ latè, dum de scientia media, retulimus. Hic solùm obiter nota, D. Thomam infrà, *q. c. 16. & quodl. c. 2. q. 3. art. 4.* licèt rejiciat fatum, si per illud intelligatur necessitas quædam in res humanas à corporibus cœlestibus inducta, tamen si per fatum intelligatur dispositio divinæ voluntatis, à qua omnia præordinantur, sic non inconvenit admittere fatum, subditque non esse hoc nomen usurpandum, *quia cum Gentilibus nec nomina debemus habere communia; & ideo Augustinus dicit: Si quis hoc modo intelligat fatum, sententiam teneat, corrigat, & non dicat fatum, sed providentiam Dei.* Et ibidem asserit, quod *omnia à providentia Dei sunt prædeterminata, & ordinata.* Quod & ingeminat *in 1. ad Annibald. dist. 48. quæst. unic. art. 4.* ibi: *Voluntate Dei non solùm res in esse producuntur, sed etiam in rebus producendis modum quo producantur, prædeterminavit. Unde cùm voluntas Dei efficaciter impleatur, oportet quod res fiant, & eodem modo sicut voluntas divina disposuit.*

Probatur ratione: Si decreta Dei non essent per se efficacia, sed purè indifferentia, determinatio liberæ nostræ voluntatis posset intelligi cum fundamento

in

in re ante decretum efficax Dei, ex seipsa applicans decretum Dei indifferens, & concursum indifferentem ea vi talis decreti omnibus oblatum. Consequens est falsum. Ergo & antecedens. Major est mera doctrina adversariorum, qui ideo volunt, Deum explorare consensum antequam quidquam decernat, ut videat in quam partem voluntas creata determinatura sit concursum Dei. Minor verò probatur: Si determinatio causæ secundæ intelligatur præcedere decretum Dei efficax, & illius indifferentiam determinare & flectere, admittendum erit aliquid reale creatum antecedens naturâ concursum Dei, & à voluntate Dei independens, nimirum illa reductio, determinatio & applicatio divini decreti, & concursus indifferenter per illud oblati; siquidem Deus determinationem illam, applicationem illam, usum illum non causat, sed expectat; ideoque illum explorat per scientiam mediam. Consequens autem repugnat, quia aliàs Deus non esset omnium causa, nec primum principium actionum humanarum. Ergo repugnant hujusmodi decreta indifferentia expectantia efficacitatem suam à consensu; sed omninò admittenda sunt prædeterminantia, efficaciter consensum inferentia.

Confirmatur: Si dantur in Deo decreta purè indifferentia, ita ut sic exprimantur, *Volo concurrere ad quodcumque causa secunda se determinaverit, & ad id offero meum concursum, ut eo illa utatur*, procul dubio expectatur actus & reductio creaturæ concursu oblato utentis. Ergo Deus videt creaturam priùs operari, quàm Creator concurrat; priusque naturâ egreditur actio à causa secundâ, quàm Deus succurrat & admisceat concursum suum; siquidem Deus expectat actionem quâ flectatur concursus suus in alterutram partem. Consequens verò repugnat, quia cùm Deus sit causa prima, per quam omnia facta sunt, & sine qua factum est nihil, est etiam causa illius usus, & determinationis creaturæ; causa verò non expectat suum effectum, sed illum producit & influit. Ergo divinæ voluntatis decretum non expectat determinationem voluntatis, sed eam confert, & infert, proindeque ea natura sua efficax est, & non purè indifferens.

Confirmatur rursum, & penetrantiùs demonstratur decretorum indifferentium impossibilitas. Dicere quod Deus decernit concurrere ad actum amoris, si voluntas creata velit, & se determinet ad amandum, est planè pugnantia loqui, vel facere sensum ridiculum & nugatorium. Nam cùm juxta principia omnium ad unum assertorum scientiæ mediæ, concursus Dei nihil aliud sit quàm actio causæ secundæ prout à Deo, Deum suo decreto expectare an voluntas velit, est expectare an ipsemet concurrat; siquidem voluntas creata non vult, nisi per concursum Dei, qui concursus nihil est aliud quàm volitio creaturæ prout à Deo. Unde tale decretum adversariorum idem est, ac si Deus diceret: Si videam amorem productum, illum producam. Cùm enim voluntas in quocumque ordine vel circumstantia posita nunquam agat, nec agere possit sine concursu Dei, planum est, Deum dicere, Volo concurrere ad amorem, si creatura se determinat ad amandum, esse idem ac dicere, Volo concurrere ad amorem, si concurram ad amorem. Igitur vel admittendus erit sensus nugatorius in decretis Dei, vel fatendum erit creaturam posse se determinare & reducere ad actum sine concursu Dei. Sicut qui diceret, Volo tibi dare lucem, si videris objectum; vel, Volo tibi dare existentiam, si operatus fueris, vel nugaretur, cùm lux sit necessaria ad videndum, existentia ad operandum; vel supponeret ipsum posse videre sine luce, posse operari sine existentia, quod repugnat. Ita similiter in proposito, quia creaturam ponere actionem est Deum concurrere ad illam, cùm creatura non agat sine concursu Dei, imò actio creaturæ prout à Deo sit concursus Dei, Deum velle concurrere si creatura agat, vel quia aget, est Deum velle concurrere si concurrat, vel quia concurret; vel creatura potest priùs agere, quàm Deus concurrat.

Quare totum hujus materiei pondus & momentum ad hoc tandem devolvitur, quomodo decretum indifferens ad consensum, vel dissensum determinetur ad unam partem potiùs quàm ad aliam: si à creatura, ergo creatura præcedit naturâ concursum Dei, & præcedit agendo, sicque in ratione principii actualis non pendebit à Deo: si à se, ergo decretum ipsum priùs naturâ determinat causam secundam; & hoc est decretum prædeterminans, quod inquirimus, & sustinemus. Nec potest dici, quod Deus illam determinationem causat per hoc quod determinationem simul agit & coëfficit, quia cùm concursus Dei sit indifferens, expectat usum & determinationem causæ creatæ; quomodo autem concursum Dei determinabit causa secunda, quæ nihil efficit sine concursu Dei? Vel quomodo conjungentur illæ duæ causæ indifferentes, scilicet voluntas creata, & decretum Dei indifferens, nisi casualiter & fortuitò, si vel decretum non determinat voluntatem, vel voluntas decretum? Si primum, decretum prædeterminans tenemus; si secundum, Deus non erit causa determinationis causarum secundarum, subindeque non erit causa prima, nec Deus.

Plures alias rationes effusè, & juxta validè urgent nostri Authores; sed allata sufficit, & reverà convincit, atque in ea continetur punctus qui, ut ait Ioannes à S. Thoma Scholæ nostræ immortale decus, assertoribus scientiæ mediæ alta profunditas est, & rapidissimis verticibus plena, quam nullus pertransit, quem non absorbeat, nisi ad littus efficaciæ divinæ ejiciat. Certè tantam difficultatem in hoc argumento subodoratus est Theophilus Raynaudus, ut ab ea aliter sese extricare nequiverit, nisi conficta quadam in Deo chimærica cognitione, quâ explorat quid voluntas vellet, si sola velle posset; & in ea cognitione totum Oecumenici Provisoris Dei regiminis cardinem constituit. Sanè nisi periclitantem, & penè desperatam causam sensisset suam, ad tantam novitatem non confugisset, quam suprà, dum de scientia Dei, satis explosimus, eamque sic irridet P. Labbeus, cujus verba pauca adjiciam.

Quæ ista philosophandi ratio? Deus ibi aliquid videt, ubi adhuc nihil est? Videt voluntatem vacuam, & videt plenam; videt sterilem, & fœcundam; videt desidem, & efficacem. Amabò, si adhuc nihil est in voluntate, quid tandem Deus videt? quibus oculis nihil aspicit, & quibus auribus audit nihil? Fortè sicut scientia media inter visionem & simplicem notitiam interponitur, ita objectum ejus meditullium est inter nihil & aliquid. Sed quid illud? Observat, inquies, Deus voluntatem operabundam, & nondum operantem; prægnantem, & nondum parturientem; vacuam, sed implendam; videt vota pendentia, & adhuc nulla; videt quò possit tendere, sed non quò tendat; quos nutus elicere queat, sed non quos eliciat; in quam partem flecti possit, sed nullos flexus. Benè est: Ergo videt potentem operari, sed non operaturam; videt actum primum, non secundum; videt causam, sed nullum effectum, donec adveniat Dei præmoventis influxus voluntatem nutantem applicans, indifferentem prædeterminans. Admittere autem aliquos nutus, aliquod pondus antequam Deus se adjungat, ratione cujus *utraque causa movet & movetur, utraque est prima, utraque secunda, utraque prior est, neutra posterior*, ut tandem Labbeus Theophili discipulus concludit, est quidem consectarium scien-

tæ

tiæ mediæ: ſed qua ratione cum fide cauſæ primæ cohæreat, fateor me non intelligere.

R E F L E X I O.

Notat Auguſt. *in Pſalm.* 62. Prophetam Regium non dixiſſe, *Adhæſit anima mea tecum*; ſed, *poſt te*. Quia nimirum non eſt formidandum decretum prædeterminans & præmovens, ſed optandum; nam tunc ſolùm peccamus quando Deum deficiendo præcedimus; ſi verò nos ſpiritu Dei agi fideliter ſineremus, opus bonum qui incepit, Deus ipſe perficeret. *Agglutinetur* (inquit Auguſt.) *anima tua poſt Deum, ut ille præcedat, tu ſequaris*; qui enim vult Deum antecedere, conſilio ſuo vult vivere, & perire. Et iterum in Pſal. 9. *Quid beatius quam deponere ſuperbiam, & non velle Chriſtum præcedere, qui diſcipulum vocans ut perficiatur, dicit, Veni ſequere me.* Commendat D. Ambroſ. *lib. 1. de Abrah. cap. 1.* celebre illud veterum ſapientum dictum, *Sequere Deum*, id eſt, eſto Dei pediſequus, non ductor; non ei præponas voluntatem tuam, ſed ſupponas; ſervias Deo præeunti, non eum ſervire facias iniquitatibus tuis; voluntatem tuam divinæ ſubjicias, non divinam ad tuam detorqueas: denique ne feſtines prodire, quia rues; ſed ſequi perpetes, quia volabis, & non deficies. Hæc vitæ ſpiritualis ſumma, Deum volentem agere non impedire, ſed ſequi, ſe Deo, ejuſque motionibus permittere, qui enim ſpiritu Dei aguntur, hi filii Dei ſunt. Noli, Lector, eſſe ſimilis illi quem reprehendit Auguſt. *lib. de prædeſt. Sanct. cap. 2. & 3.* qui *quaſi componit cum Deo, ut partem ſibi vindicet, atque illi partem relinquat; & quod eſt elatius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi, & in eo quod dicit eſſe amborum, priorem ſe facit, poſteriorem Deum.* (Vide obiter, num ab hoc diſcrepent qui dicunt voluntate creata reddi efficacem, & determinari motionem Dei?) *Non ſic pius atque humilis Doctor ille ſapiebat, Cyprianum beatiſſimum loquor, qui dixit in nullo gloriandum, quando noſtrum nihil ſit.*

S P E C U L A T I O III.

Efficacitas prædeterminantis decreti fovet & perficit humanæ voluntatis libertatem.

HAnc veritatem paſſim, & ex profeſſo probat Auguſtinus in omnibus ſuis libris, quibus contra Pelagianos, vel eorum reliquias decertavit, qui habentur tomo ſeptimo. Objicientibus enim Pelagio, Iuliano, Cœleſtio, & Monachis Adrumetinis, & de oppreſſa ſua per Auguſtini doctrinam libertate queritantibus, nihil aliud reſpondebat Catholicorum Doctorum Aquila quàm: *Tunc verè liberi eritis, ſi vos filius hominis liberaverit.* Et, *Quando rogavit* (Chriſtus) *ne fides ejus* (Petri) *deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? Ecce quomodo ſecundùm gratiam Dei, non contra eam libertas defendatur voluntatis: voluntas quippe humana non libertate conſequitur gratiam, ſed gratiâ libertatem, & ut perſeveret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.* Sic lib. de corrept. & grat. c. 8. & epiſt. 83. *Voluntas tanto liberior, quanto ſanior, & tanto ſanior quanto divinæ gratiæ ſubjectior.* Et quod ſicut voluntas ratione dominii in ſuos actus non eripit ſibi libertatem, ita multò minùs Deus, quia *magis habet in poteſtate ſua voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.* Sic item lib. de corrept. & grat. cap. 14. Tranſcribendi eſſent Auguſtini libri, ut tanti Patris mens in toto ſuo ſplendore fulgens exhiberetur.

Aſtipulantur alii Patres. Gregorius Magnus, qui propterea inviſibilem divinæ voluntatis præmotionem, *inviſibilem modificationem* appellat, quia intra vi modificatur & attemperatur libertati. *Quia*, inquit, *latentibus modis premit in timore, & firmat in amore, & fit cujuſdam impulſionis nimietas in mente, cùm nihil ſonet in voce*. Proſper in reſponſ. ad cap. Gall. *Gratia non abolet, ſed adolet liberum arbitrium.* Et contra Collator. cap. 38. *Opitulationes divinæ gratiæ ſtabilimenta ſunt voluntatis humanæ.* Bernard. tract. de grat. & lib. arb. *Gratia non aufert, ſed transfert voluntatem.* D. autem Thomas tantùm abeſt quod efficacitatem divini decreti adverſari libertati arbitratus fuerit, quin potiùs non aliam aſſignat hujus concordiæ firmiorem radicem, quàm decreti efficaciſſimi energiam. Sic enim loquitur 1. p. q. 19. art. 8. *Cùm voluntas divina ſit efficaciſſima, non ſolùm ſequitur quod fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod eo modo fiant, quo Deus ea fieri vult. Ex hoc ipſo* (addit ad 2.) *quod nihil voluntati divinæ reſiſtit, ſequitur quod non ſolùm fiant ea quæ Deus vult fieri, ſed quod fiant contingenter, vel neceſſariò, quæ ſic fieri vult.* Quo libertatis conciliandæ modo longè priùs uſus fuerat S. Petrus, qui Simoni Mago libertatis arbitrium inficianti; *quia*, inquiebat, *quod Deus vult eſſe, eſt; & quod Deus vult non eſſe, non eſt.* Reſpondit Princeps Apoſtolorum: *Ignoras Simon, & valdè ignoras, quomodo in ſingulis quibuſque voluntas Dei ſit. Quædam enim voluit ita eſſe, ut aliud eſſe non poſſent, quam id quod ab ipſo inſtituta ſunt; & his neque præmia, neque ſupplicia ſtatuit. Ea verò quæ ita eſſe voluit, ut in ſua poteſtate habeant agere quod velit, his pro actibus ac voluntatibus ſuis ſtatuit, ut aut remunerationem mereantur, aut pœnas.* Vides Apoſtolum neceſſitatem & contingentiam creatam in divinam refundere voluntatem, & ideo libertatem creatam cum efficaci Dei voluntate cohærere, quia oportet illum actum eſſe neceſſarium, vel liberum, quem Deus ita eſſe decrevit. Referuntur hæc verba *lib. 3. Recognit. D. Clementis, ſub initium.*

Probatur ratione ex his teſtimoniis depromptâ: Voluntas divina eſt prima cauſa actus liberi, & poſſibilitatis quam habet voluntas ad utrumque; nam cùm actus liber, & poſſibilitas quam habet voluntas ad oppoſitum, dum liberè agit, ſint aliquid reale, prorſus primæ cauſæ influxui ſubduci nequeunt: Atqui cauſa dum efficaciter ponit effectum, non deſtruit, ſed perficit illum: Ergo dum decretum divinum efficaciter prædefinivit actum liberum, vel ad eum efficaciter movet, non deſtruit, ſed fovet libertatem, conſervatque poſſibilitatem ad oppoſitum. Sicut vitis influens in palmites, eos perficit & complet: ſicut etiam voluntas dum ſe ad actus determinat, non ſibi aufert poſſibilitatem non eliciendi, vel in oppoſitum prorumpendi; ſed potiùs libertatem explicat, & nobilitat. Quanto autem magis eam fovet Deus, qui eſt prima radix libertatis, anima animæ noſtræ, & Deus cordis noſtri? Nam, ut ait D. Thomas q. 22. de verit. art. 8. *Sicut voluntas poteſt immutare actum ſuum in alium, ita & multò ampliùs Deus.* Et præclarè Innocentius I. in epiſt. ad Concil. Carthaginenſe: *Ergo eris tibi in providendo præſtantior, quam poteſt is eſſe, qui te ut eſſes effecit?*

Confirmatur: Determinatio & conſenſus liberæ voluntatis, ſeu libertas actualis, quam habet voluntas etiam dum actu agit, cauſatur efficienter à decreto & omnipotentia Dei, ſine quâ factum eſt nihil: aliàs aliquid eſſet ſub dominio creaturæ, & non ſub dominio Dei, quod eſt impium cogitare; dicitur enim Eſther 13. *Dominus univerſorum tu es.* Et ſpecialiter de corde hominis dicitur Proverb. 21. quod eſt *in manu Domini*, & quod *quocumque voluerit, vertet illud.*

Ex

Ex quo principio de fide certo non solùm sequitur decretum divinum prævié debere movere consensum liberum, siquidem determinatio, & partialis influxus voluntatis non potest oriri à decreto ut causa efficiente, nisi decretum sit naturâ prius, cùm omnis causa physica sit prior naturâ effectu; & planè repugnet decretum expectare determinationem voluntatis, si ipsa determinatio voluntatis debeat esse effectus decreti: sed etiam ex illo principio infertur decretum efficax voluntati non adimere libertatem, hoc modo: Decretum divinum habet summum & supremum dominium in actus omnes voluntatis nostræ, imò non agit in voluntatem nisi ratione supremi dominii quod habet in voluntatem: Atqui voluntas ratione dominii quod habet in suos actus, non sibi eripit libertatem dum agit, & se determinat ad operationem, sed potiùs eam perficit reductione actus primi ad secundum: Ergo pariter Deus ratione præfati dominii voluntatem movere & determinare poterit, illæso libertatis arbitrio. Hinc D. Thomas 1. *cont. Gent. cap.* 68. ait: *Dominium quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle & nolle, non excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse & operari; & sic remanet causalitas in causa prima, quæ est Deus, respectu motuum voluntatis.*

Confirmatur rursum, & simul præoccupantur omnes objectiones, quarum robur inde solùm petitur, quòd non satis intelligant, vel intelligere nolint adversarii, quomodo cum efficaci decreto, & effectum suom infallibiliter inferente, componi possit libertas creata, seu facultas ad oppositum ejus quod divina constitutio prædefinivit. Et quia peccandi, abjiciendæque gratiæ hominibus innatam, & à peccato originali in immensùm auctam potestatem experiuntur, ideo summum Dei in voluntates nostras imperium detrectant. Nascitur hæc difficultas ex eo, quod non considerant divinam voluntatem non minùs fortiter quàm suaviter omnia disponere, ejusque impressionem, vigorem simul & suavitatem infundere, & miris ac veris modis mutationem in cordibus operari; ita ut quotquot Deus misericordi gratia tetigerit, si quidquid voluntas divina statuerit, & prout statuerit, semper exequantur, ita temperato cum libertate decreto, ut nec decreto libertas, nec libertati quidquam detrahat immutabilis decreti efficacia.

Id egregiè exprimit S. Franciscus Salesius *amoris divini lib.* 2. *cap.* 11. Gratia divina vires habet tantis deliciis conditas, ut sicut nihil est eâ fortius, sic nihil est ejus fortitudine suavius: tam gratiosa est gratia, & tam gratiosè corda quò vult rapit, ut motibus suis fortitet quidem agat ut fortificet, sed non adigat; vires auget, non ut vim inferat, jurave violet libertatis, sed ut voluntatem in amore boni vigentem & inviolabilem reddat. Vnde aiebat sponsa: *Trahe me post te* (ecce gratiæ fortitudinem) *curremus in odorem unguentorum tuorum* (ecce suavitatem.) Fortis planè voluntas Dei, quæ trahit post se; sed suavis est illa fortitudo, quæ odoribus allicit, quibus delibuta voluntas dulcissimo, liberrimo, ac infallibili motu ad Deum se convertit. Sic affectus animus, sic cœlesti suavitate perfusus voluntati Dei absolutè quidem resistere potest, sed non vult; nam quomodo vellet, postquam incepit caducas peccatorum voluptates fastidire, & æternum illud bonum sitire, in quo uno cætera omnia continentur? Non ergo voluntas Dei tollit libertatem, cùm ab ipsa deriventur non solùm consensus inspirationi, sed & potentia dissentiendi, quanvis ut non dissentire velit, efficaci motionis suæ dono perficiat. Hanc rationem apertissimè tradit S. Thom. 1. p. q. 83. art. 1. ad 3. *Deus est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias. Et sicut in naturalibus causis movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias non aufert, quin actiones earum sint voluntariæ, sed potiùs hoc in eis facit; operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.* Vides totum abesse quod decretum movendo voluntates hominum earum libertatem activam tollat, quod *potiùs hoc in eis facit.* Et in 2. dist. 25. q. 1. art. 2. ad 1. *Etiamsi Deus voluntatem hominis in aliud mutet, nihilominus tamen hoc suâ omnipotentiâ facit, ut illud in quod mutatur, voluntariè velit.*

Illustratur exemplis.

Ad majorem hujus veritatis confirmationem placet adducere quædam exempla, in quibus claret, infallibilitatem unius partis contradictionis consistere cum potentia ad oppositum. Primum petitur ex Christo Servatore, qui sicut est caput omnium prædestinatorum, ita ejus modus operandi sub gratia exemplar est omnis nostræ meritoriæ operationis. In Christo autem suppositum Verbi efficaciter movebat sacram humanitatem ad omnes ejus operationes. Tum quia actiones sunt suppositorum, à quibus mediâ naturâ efficienter promanant. Tum quia aliàs operationes Christi non fuissent theandricæ, nec meriti, aut valoris infiniti, nisi physicè & realiter à Verbo humanitatem sustentante, eamque applicante profluxissent: unde hæc sacra humanitas, *Joan.* 8. contestabatur: *A meipso nihil facio.* Atqui operationes humanitatis à supposito Divini Verbi efficaciter applicatæ erant liberæ, utpote meritoriæ: Ergo efficax applicatio procedens à Deo non est incompossibilis cum libertate, seu potentia ad oppositum. Et si Verbum movens humanitatem ut causa particularis, non sustulit ejus libertatem, quanto minùs eam aufert, dum agit ut causa universalis; nam ut ait D. Thomas q. 3. de potent. art. 7. *Quanto aliqua causa est altior, tanto est communior & efficacior; & quanto est efficacior, tanto profundiùs ingreditur in effectum. Sic ergo Deus est causa actionis cujuslibet, in quantum dat virtutem agendi; & in quantum conservat eam, & in quantum applicat actioni.*

Secundum exemplum desumitur ex ipsomet Christo, qui opera sibi à Patre præcepta liberè exequebatur, v. g. liberè passus, liberè mortuus est. Tum quia id loquentes Veritas testatur, Ioan. 17. *Ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre.* Vbi mirâ sapientiâ & libertatem & mandatum Patris in eodem opere conciliat. Tum quia ratio est evidens; etenim nisi Salvator ea opera liberè exercuisset, nihil actibus obedientiæ meritus esset; quod est manifestè erroneum, cùm dicat Apostolus: *Factus obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum, &c.* Vbi præmium exaltationis ascribit merito obedientiæ usque ad mortem. Atqui stante voluntate Dei per præceptum intimata Christus opera præcepta infallibiliter exercebat; si enim potentia consequente, & reducta ad actum (quod idem est ac in sensu composito) potuisset illa omittere, potuisset paterna præcepta transgredi, subindeque Christus non fuisset impeccabilis, quod omni bonæ Theologiæ repugnat. Ergo libertas activa non est incompatibilis cum infallibilitate proveniente à Deo, qui est omnis origo libertatis.

Tertium exemplum tale est: Qui delectatione alicujus objecti capitur, posset quidem, si vellet, illud relinquere & repudiare; verùm infallibiliter prævalente majori delectatione, nunquam relinquet, nunquam repudiabit;

repudiabit; voluptas enim sine necessitate quidem, sed indeclinabiliter voluntatem rapit; unde illud tritum, *Trahit sua quemque voluptas*; & illud Augustini, *Quod enim magis nos delectat, secundùm id operemur necesse est* (intellige non necessitate absoluta, sed infallibilitatis, juxta doctrinam S.Thom. 1.2. *q.*112. *art.*3.) Quis autem mentis compos asserat voluntatem delectatione illectam amittere libertatem? Quasi verò tunc solùm libera sit, cùm aliquid ægrè & repugnanter operatur? Atqui non debemus denegare Deo centro delitiarum solidarum vim illam quam habent lenocinia in creaturis dispersa. Cur summa & prima pulchritudo intus radians, intus coruscans, tam suaviter non poterit illabi, quàm delectatio peccatorum titillare? Si iniquitas suis vestitur illecebris, eisne omnibus veritas exuetur? Si bonum falsum & verum malum suis impellit blanditiis, unum & summum bonum diffusâ cœlesti suavitate carnis delectationem superante cor ad se non convertet, ut suam in Deo voluptatem, suum in Deo gaudium collocet? Hinc Prosper contra Collatorem cap.6. *Deus hominem peccatorem ex invito volentem facit, ut cor audientis obediendi in se delectatione generata, ibi surgat, unde premebatur; ibi discat, ubi ignorabat; inde fidat, unde diffidebat; inde velit, unde nolebat.* Et cap.26. *Agit hoc occulta & potens gratia Dei, non ut invitum subigat, sed ut subjectionis cupidum faciat.*

Quartum exemplum: Si amor sit dominus voluntatis, si nihil difficile, nihil impossibile amanti, si fortis est ut mors dilectio, si dura sicut infernus æmulatio, si pondus est suavissimum, juxta illud Augustini, *amor meus pondus meum, eo feror quòcumque feror.* Quid? Deus, quem discipulus amoris amorem essentialem vocat, dum ait, *Deus charitas est*, infirmior erit passione amoris creati? Pater & Creator voluntatis, qui Deus est, in voluntatem non poterit, quod valet amor filius voluntatis? Absit, absurdum est. Quæ enim potest esse ratio cur effectus consequens libertatem non lædat libertatem, quantumvis sit incompossibilis cum actu opposito; & quod causa ipsius libertatis, quæ illam ponit & causat, tollat illam? Præsertim quia nihil in nobis agit Deus dum ad se permovet, quàm amoris sui suavissimam propensionem; nam ut divinè dixit August. lib.4. ad Bonif. cap 5. *inspiratio dilectionis propriè gratia est.* Certè non intelligunt, & multò minùs experiuntur decreti Dei moventis suavitatem, qui voluntatis libertati quidquam detrahere immutabilem Dei voluntatem arbitrantur. Nam discipuli S. Augustini & D.Thomæ, dum in efficacis decreti motione flectendæ infallibiliter voluntatis virtutem agnoscunt, non propterea à voluntate vim resistendi decreto etiam efficaci tollunt, sed constanter asserunt voluntatem posse quidem resistere, sed nolle; quia Deus facit ut velint homines etiam id quod nolle possent: non aufert potentiam, sed infundit amorem, quia ut toties inculcat August. dum *Deus agit in cordibus motum voluntatis eorum, facit ex nolentibus* (non impotentes, sed) *volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes.*

Quintum exemplum: Si eloquentiæ majestas & pompa verborum leporibus allicit, sententiarum gravitate suspendit, concionis impetu atque viribus flectit omnes, & quidem suavissimè; si Oratores eloquii nitore & cultu, sermonum flosculis & pigmentis, figurarum concinnitate & apparatu, periodorum gratiâ & elegantiâ, & argumentorum opulentiâ & varietate, eruditionis supellectili & amœnitate animos audientium secum rapiunt, ut nemo sit tam durus, quem pura politaque oratio non protinus demulceat; quis pavebit gratiæ Christi & divinæ voluntatis virtuti concedere, quod venustis vocum modulis non negamus? Ægrène primæ veritati asseremus, quod Tullii facundiæ Romam verbo suo regentis, & orationum suarum suavi tyrannide quò volebat permoventis, non abnuimus? O cæcitatem! O indignitatem! Cicero in causa Ligarii Cæsarem vicit, sententiam è manu, & odium è corde divulsit: & simile omnipotentis Dei in voluntatem imperium fateri formidabimus, nec patiemur à gratia proficisci voluntatis obtemperantis assensum, contra illud certissimum Catholicæ fidei caput à Paulo prædicatum: *Deus est qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate; & nos aptat in omni bono, & facit nobis quod placeat coram se. Hoc nisi credamus* (inquit Aug. in Ench. c.96.) *periclitatur ipsius nostræ fidei confessionis initium, quâ nos in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud vocatur omnipotens, nisi quia quidquid vult, potest; nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Succinit egregiè Fulgentius lib. de Incarn. & grat. cap.29. *O quàm pessimum nefas asseritur, dum gratiæ Dei contumaciter repugnatur! Et hominis operâ Dei se in bonum mutari negant, qui homines non essent, nisi bonitate Dei operantis existerent. Itáne verò rerum ordo credi putarive permittitur, ut Deus, qui Creator est hominis, valeat hominem facere, non mutare? Et qui nullius indiget adjutorio ut hominem faciat, operari tamen quod vult in hominis voluntate non possit, priusquam in homine ipsum velle repererit. Hanc amentiam & à fidelibus suis arceat, & ab infidelibus auferat Deus.*

Sextò hanc concordiam eximiè explicat quidam recentior Theologus, qui claris, familiaribusque exemplis explanat, quomodo gratia efficax dum voluntatem flectit, vim dissentiendi non eripit; nec inanem & commentitiam esse potentiam dissentiendi decreto Dei efficaci, tametsi nullus unquam actu dissentiat, nec in actum oppositum unquam prorumpat. V.g. si quis ab homine judicii compote peteret, ut se deorsum ex fenestra præcipitem daret, vel ut sibi nasum amputaret, vel oculos effoderet, manus truncaret, linguam abscinderet, ut suam exerceret ad hujusmodi actus veram quam habet potentiam, & præstaret libertatis suæ experimentum: sic rogatus responderet se postulata efficere utique posse, sed nolle, nec tanti esse sic experiri libertatem suam; adderetque nullum in orbe toto inveniri posse, qui ut roganti amico obsequatur oculos sibi velit eruere, nisi fortè in iis locis ubi concluduntur furiosi. Omnes quidem homines & possunt, & potuerunt; sed nullus fecit, nullus facit, nullus faciet, quia nemo voluit, nemo vult, nemo volet. Ergo datur potentia quæ nunquam prorumpit in actum, & voluntas à qua nunquam dissentitur.

Imò in omnibus penè officiis libera quidem, sed tamen infallibili propensione homines determinantur, & pauca sunt in quibus appareat instabilis & versatilis indifferentia, cui incommodare tam anxiè formidant Molinistæ. Affert enim consuetudo certum & infallibilem modum in plerisque rebus, affert cupiditas, affert turpitudinis fuga. Quis enim persuadeat viro cordato, ut nudus obambulet per vicos & plateas? Quis Episcopo vel Senatori, ut histrionico habitu incedat? Quis avaro, ut omnia pauperibus eroget. Sanè si ad certas actiones semper & infallibiliter movet ratio, movet cupiditas, movet consuetudo, cur ipsum gratia non poterit? Si nihil metuit liberum arbitrium à concupiscentia, à ratione, à consuetudine infallibiliter inclinantibus, cur libertati officiet infallibilis ad bonum propensio, quam divina infundit voluntas? Quid enim efficit voluntas Dei bona, & benè placens, & perfecta, ut Deus homini dulcescat, ut mundus amarescat, ut Dei magnitudinem & æternitatem cogitans, suum in Deo gaudium collocet, suam in Deo salutem & felicitatem positam cernat,

præsentiat, & gaudeat; ut demùm peccati deformitatem, turpitudinem, calamitatem intimo animi sensu videat, horreat, detestetur? Sic comparata libertas, sic perfusa, sic affecta nunquam à gratia dissentiet, non quòd non possit, non quòd non posse se sentiat, sed quia sic constituta nunquam volet quod velle posset. Voluntas quippe Dei nunquam tollit dissentiendi potestatem, sed tantùm inserit firmam & constantem non dissentiendi voluntatem. *Sic* enim *agit sensum, quod etiam accommodat assensum*, ut ait August. Vnde non tollitur libertas, quia ut pulchrè Bernard. de inter. dom. cap. 8. *Bona voluntas nec dari potest invito, nec auferri nisi volenti.* Hinc Gilbert. *serm. 21. in Cant.* ait: *Gratia divina efficacissima est, & simul artificiosa, ita ut nescio quid in ea magis mirer, artificium, an efficaciam salvationis.* Et S. Fulgent. lib. de Incarnat. *Divinâ gratiâ humanum non aufertur, sed corrigitur; non evacuatur, sed adjuvatur & servatur arbitrium.*

Ex his omnia omninò evanescunt sophismata, quibus hanc concordiam obscurant adversarii, qui in hoc nobis imponunt, dum aiunt à Thomistis admitti tantùm dissentiendi potentiam, mutatis prærequisitis; & quod sublato decreto, vel gratiâ, voluntas potest oppositum, non illis stantibus. Quod tamen vel ignoranter, vel calumniosè dicitur. Nam centies à Thomistis dictum est, se in voluntate fateri potentiam ad oppositum, non solùm stante decreto & prærequisitis ad agendum, sed etiam stante actu opposito. V.g. non solùm asserunt voluntatem stante decreto & præmotione ad amorem posse odisse, sed etiam dum actu amat, habere potentiam ad odium (quia amor tollit quidem odium, sed non potentiam ad odium. Similiter igitur dicunt Thomistæ, motionem divinam non tollere, sed fovere potentiam ad oppositum; sed negant actu contingere ut dissentiatur, quandiu manebit ea mentis affectio, quam gratia inseminavit.

Demùm hanc prætensam libertatis læsionem, quam toties nobis objiciunt adversarii, tenentur in sua sententia solvere: quod hoc clarissimo exemplo demonstro. Positâ scientiâ Dei de meo consensu futuro, non est ampliùs in manu mea avertere illam scientiam infallibilem, quæ non est minùs immutabilis, & si dicere licet, irresistibilis quàm voluntas. Ergo stante scientiâ Dei de eo quod facturus sum, oppositum non est factibile, nec frustrari potest divina scientia. Quomodo ergo non perit libertas in conspectu scientiæ mediæ, & perit in conspectu divini decreti? Nec satisfacit effugium adversariorum dicentium esse discrimen, quia scientia supponit objectum & libertatis consensum, non causat, sicut decretum. Nam esto quod scientia supponat objectum, tamen tota æternitate antecedit exequutionem operis in tempore producti; Ergo actus in exequutione ponendus supponit scientiam quæ nec averti, nec frustrari potest: Ergo alligatus est hic actus cuidam conditioni inimpedibili. Næ parum refert, parum satisfacit quod scientia exploraverit, si hîc & nunc actus meus sit alligatus scientiæ Dei necessariæ, quam avertere nullo modo potest? Hanc rationem urgebat August. *lib. de don. persever. cap. 15.* his verbis: *Ista à confitenda prædestinatione Sanctorum deterrere non debent, sicut non deterremur à præscientia Dei, si quis ita populo loquatur, ut dicat: Sive nunc rectè vivatis, sive non rectè, tales vos eritis posteà, quales vos Deus futuros esse præscivit; vel boni, si bonos; vel mali, si malos. Nunquid enim si hoc audito nonnulli in torporem segnitiémque vertantur, & à labore proclives ad libidinem post concupiscentias suas eant, propterea de præscientia Dei falsum putandum est esse?*

Solvuntur Objectiones.

Objicies: Voluntas, stante Dei decreto & præventa motione illius efficaci, non retinet potestatem ad oppositum, si non habeat vim expellendi Dei motionem; si enim voluntas non possit abjicere motionem efficacem ad amorem, quomodo poterit elicere odium cum illa motione incompossibile? Atqui voluntas nequit frustrare efficax & prædeterminans Dei decretum, nec expellere motionem ex eo derivatam, aliàs illa præmotio non esset efficax: Ergo decretum Dei prædeterminans, & gratia efficax ex ipso promanans non possunt componi cum potentia ad oppositum, nec subinde cum libertate.

Respondeo hujus argumenti conterendi gratiâ S. Augustinum sæpiùs libros edidisse. Nominatim verò hujus occasione librum de gratia & libero arbitrio elaboravit, ubi *cap. 20.* sic ait: *Satis me disputasse arbitror adversus eos qui gratiam Dei vehementer oppugnant, qua voluntas humana non tollitur, sed ex mala mutatur in bonam, & cùm bona fuerit, adjuvatur... Scriptura divina si diligenter inspiciatur, ostendit bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, ita esse in Dei potestate, ut eas quò voluerit, quando voluerit faciat inclinari.* Vides Augustinum defendere efficaciam omnipotentissimam divinæ gratiæ, quia credebat esse veritatem in Scriptura contentam, *quam Divina Scriptura loquuta sit evidentissimis testimoniis veritatis*, ut ait ibidem.

Dicendum ergo, decretum & gratiam efficaciter movere libertatem, non tollendo potentiam ad oppositum, putà odium alicujus objecti, sed inserendo & applicando ad amorem. Quare ut adversariorum sophismatis, veluti ab aranearum telis expediatis, uno verbo dic voluntatem posse quidem resistere, frustrare, abjicere, & expellere divini decreti motionem, sed nunquam resisturam, nunquam frustraturam, nunquam abjecturam vel expulsuram, quia in hoc consistit efficacia divini decreti & præmotionis, quam immittit, non quod tollat potentiam sibi resistendi, sed quia confert invictam voluntatem non resistendi: & ut opportunè dixit S. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 28. *Deus ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis ipsam mutabilitatem, quâ potest nolle, non auferat.*

Scio alios respondere, voluntatem, tametsi non possit resistere divino decreto, manere tamen liberam, & cum potentia ad dissensum; quia tantum abest quod posse dissentire sit posse resistere Dei decreto, quin potiùs conforme sit naturæ decreti, ut faciat non solùm voluntatem consentire infallibiliter, sed etiam consentire cum potentia ad dissensum, & cum indifferentia activa; cùm decretum sit causa non solùm actus, sed etiam modi libertatis illius. Quæ doctrina in rei veritate solida est, sed prima solutio est planior, & vix contra eam possunt aliquid mutire, ut sæpiùs inter disputandum expertus sum. Et eam tradit S. Thom. q. 23. de verit. art. 5. ad 3. *Quamvis non esse effectus divinæ voluntatis non possit simul stare cum divina voluntate, tamen potentia deficiendi effectum simul stat cum divina voluntate; non enim sunt ista incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste potest damnari: sed ista sunt incompossibilia, Deus vult istum salvari, & iste damnetur.*

Dices: Præmotio divini decreti non est in manu & potestate nostræ libertatis, ejusque influxus pendet à sola & gratuita voluntate Dei: Ergo ea stante, voluntas nō habet potentiam ad oppositum; si enim præmotionis efficacia inferens infallibiliter actum non sit in mea potestate quomodo erit in mea potestate suspendere actum ad quem datur, vel ponere ejus oppositum?

Respondeo præmotionem non esse in nostra potestate

testate quasi effectivè & originativè, cùm à nobis non derivetur; esse tamen in nostra potestate quasi terminativè & quoad usum, quia ad hoc tendit & terminatur illa motio, ut voluntas habeat usum, & exercitium libertatis actualis, conservando potentiam ad oppositum, & indifferentiam non otiosam & suspensivam, sed activam & dominativam, quam habet voluntas super actus suos, etiam dum actu agit. Adde ex dictis, quod quanvis præmotio non sit in potestate mea, facit tamen actum esse in potestate mea; quia suavitas & efficacia divina nunquam tollit dissentiendi potestatem, sed solùm ingenerat certam & fixam non dissentiendi voluntatem. Ex quibus in forma triplici distinctione convelli potest illa propositio: Præmotio non est in manu & potestate mea, originativè, & quoad influxum, concedo; terminativè, & quoad usum, nego. Vel, non est in manu mea tanquam effectus à me liberè productus, concedo; tanquam causa libertatis meæ, nego. Vel, non est in potestate mea, & facit actum esse in potestate mea, concedo; & facit actum non esse in potestate mea, nego.

Vrgebis: Voluntas, stante decreto non habet potentiam expeditam ad oppositum, sed impeditam, cùm habeat impedimentum obstans ne oppositus actus onquam ponatur; quod impedimentum nec voluntas posuit, nec tollere potest: Ergo stante decreto non manet illæsa libertas.

Respondeo, voluntatem sub decreto habere potentiam expeditam tam benè, ac quando elicit actum amoris habet potentiam expeditam ad actum odii. Et ratio est, quia determinatio ad actum, sicut & actus ipse, non sunt impedimentum, sed exercitium potentiæ, nec subinde sunt obstaculum coarctans facultatem, sed solùm impediens ne duo actus oppositi conjungantur, ad quam actuum oppositorum conjunctionem nulla datur potentia. Vnde facilè distingues, Præmotus habet impedimentum obstans conjunctioni actuum oppositorum, concedo; ligans potentiam ad oppositum, nego. Sicut materia habens unam formam habet quidem impedimentum excludens conjunctionem alterius formæ cum ea quam habet, sed non auferens capacitatem ad aliam quamcumque formam secundùm se consideratam. Vel iterum distingue, Præmotus habet impedimentum tollens potestatem, nego; inferens constantem voluntatem, concedo; quia ut ait August. de corrept. & grat. cap. 12. *Subventum est voluntati nostra, ut indeclinabiliter & inseparabiliter ageretur; & ideo quanvis infirma, non deficeret, nec adversitate aliqua vinceretur.* Imò addo gratiam & decreti divini motionem perperam vocari impedimentum, cùm voluntatem expediat, ejus inertiam excitet, excutiat teporem, otium ac suspensionem exerat, & vincula peccatorum dirumpat.

Instabis: Saltem quando Deus non habet decretum efficax de positione alicujus actus mihi præcepti, nec dat mihi motionem efficacem ad illum, tunc non ero liber, nec habebo potentiam expeditam ad illum ponendum; siquidem carebo aliquo ex necessariò prærequisitis ad ejus positionem: ut autem liberè & culpabiliter omittam aliquem actum, debeo esse instructus omnibus ad agendum prærequisitis: Ergo stante opinione de decretis prædeterminantibus, perit libertas creata, cui non poterit imputari omissio alicujus præcepti, nec proinde de ea justè corripi, si necessaria sit efficax divinæ motionis applicatio.

Respondeo hoc argumentum suprà, dum de scientia media, solutum esse, versando locum illum, *Væ tibi Corozain.* Vbi ostendimus vetus illud sophisma contrivisse Paulum, & occasione illius scripsisse Augustinum eximium librum *de corrept. & grat.* ubi *cap. 4.* sic eandem proponit objectionem: *Rectè corriperer si eam* (bonam voluntatem) *meâ culpâ non habe rem hos est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem; vel si dante eo, accipere noluissem.* Et cap. 5. *Cum ergo & ipsa voluntas præparetur à Domino, cur me corripis, quia vides me ejus præcepta facere nolle; & non potius ipsum rogas, ut in me operetur & velle?* Vides manifestè ipsissimum adversariorum motivum; & tamen D. Augustinus nullibi limpidiùs, nullibi expressiùs, vel nervosiùs adjutorii divini indeclinabilem efficacitatem, quàm eo libro significavit: non debemus ergo propter hunc cavillum à veritate dimoveri. Quàm grandis consolatio opinioni Thomistarum, nullis se argumentis pulsari, quibus impetita non fuerit Augustini sententia! Quàm deploranda desolatio, & quàm parum tuta eorum sors, qui non alia in Thomisticam sententiam tela vibrant, quàm quæ in Augustinum adversarii olim sui jaculati sunt! Næ eadem est Augustini & Thomistarum thesis, si eadem contra utramque militent argumenta.

Dicendum igitur, quod etiam dum careo efficacia decreti, habeo libertatem expeditam ad ponendum actum imperatum, quia non careo aliquo ex prærequisitis, ut possim, sed solâ applicatione quâ agam; careo, inquam, ex mea culpa, qui liberè & voluntariè me applico actui cum imperato incompossibili, cùm enim non detur omissio voluntaria sine aliquo actu, planum est quod dum homo omittit aliquid imperatum, non debet excusare excusationes in peccatis ob denegationem efficaciæ divinæ, quam Deus non subtrahit nisi propter impedimentum voluntatum ipsius hominis occupantis se voluntariè circa aliud, & reddentis se impotentem, & repugnantem per exercitium actus liberi incompatibilis cum auxilio ad implendum opus præceptum necessario. Mentitur ergo iniquitas sibi, dum negligentiam suam in denegatam motionem refundit, cùm eam peccatoris culpa vel præcedat, vel comitetur. Vnde peccatores si non expressè, saltem tacitè & in actu exercito illud usurpant, quod quidam impii divino rebelles lumini effutiebant, *Iob 21.* dicentes Deo: *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Iustè ergo culpantur, justè corripiuntur, justè puniuntur, inquit August. lib. cit. cap. 7. *quia ex bona in malam vitam sua voluntate mutati sunt.*

Insistes: Necessitas, vel suppositio antecedens indissolubiliter connexa cum effectu tollit libertatem & potentiam ad oppositum, ut sæpè docet Anselmus. Et ratio est, quia eam impedire non potest voluntas, nec vincere. Atqui necessitas ponendi actum à Deo prædeterminatum est antecedens, cùm eum naturâ & causalitate præcedat. Ergo per eam tollitur humana libertas, nec eâ minùs impeditur quàm homo vinctus catenâ ferreâ, quâ fuit ab alio ligatus.

Respondeo, quod suppositio antecedens causativa libertatis, eamque *profundens*, ut loquitur D. Thomas, non offendit, sed perficit libertatem, cùm eam de actu primo ad secundum reducat, dum, ut ait Bernard. lib. de grat. & liber. arbit. *Deus voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati*; & de hac antecedentia non loquitur S. Anselmus, cùm expressè dicat lib. de concord. cap. 1. *Quoniam quod Deus vult non potest non esse, si Deus vult voluntatem humanam nulla cogi vel prohiberi necessitate ad volendum, tunc necesse est voluntatem esse liberam, & esse quod vult.* Vbi eodem planè modo ac D. Thomas, efficaciæ divinæ voluntatis ascribit modum libertatis operationum nostrarum: & rationem dat *cap. 10.* quia *quanvis sua voluntas utatur potestate, nihil tamen est quod Deus non faciat in bonis suâ gratiâ.* Quare solam antecedentiam, tanquam libertatis inimicam rejicit, quæ prædeterminet per modum naturæ extinguendo indifferentiam judicii, & ligando potentiam & capacitatem voluntatis.

Porrò quàm insulsa sit comparatio motionis divinæ cum funibus vel catenis, quibus mancipium constringitur, nemo non videre potest. Nam quæ conventio membri astricti cum voluntate? Corpus enim non est potentia libera, vel capax libertatis; nec potentia progressiva formalem participat libertatem, cùm in brutis inveniatur: ineptè ergo comparatur pes ligatus cum voluntate formaliter & essentialiter libera. Sed quæ affinitas præmotionis cum compedibus? Vincula enim astringunt potentiam progressivam, præmotio verò non ligat, sed excitat, sed inclinat, sed applicat operi; unde meliùs comparatetur pennis, quas Propheta postulabat: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam.* Vel oleo effuso, quo inungitur currus, ut citiùs & suaviùs impellatur, juxta illud: *Viam mandatorum cucurri, cum dilatasti cor meum.* Ineptiùs ergo compedes præmotioni conferuntur; ineptissimè autem Deus movens homini catenas injicienti comparatur. Nulla enim creatura, quantumvis perfecta, potest in humanam voluntatem illabi, sed tantùm extrinsecè & objectivè allicere: sed quantum id verbis est de homine non alliciente, sed affligente per catenas? At verò Deus finium & sinum cordis ingreditur, quia solus est causa voluntatis. Nam ut discurrit S. Doctor 3. cont. gent. cap. 88. *Illud solum agens potest causare motum voluntatis absque violentia, quod causat principium intrinsecum hujus motus; hoc autem est Deus, qui animum solus creat.* Et quæst. 22. de verit. art. 9. *Mutare actum voluntatis non potest nisi quod operatur intra voluntatem, hoc est ipsa voluntas, & id quod est causa esse voluntatis, quod secundum fidem solus Deus est: unde solus Deus potest inclinationem voluntatis, quam ei dedit, transferre de une in aliud secundùm quod vult.* Denique diversus est effectus funium & præmotionis; nam ligatus invitus, & coactus detinetur: at verò motio divina facit ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes. Vnde filii Dei, qui spiritu gratiæ aguntur, accipiunt *annulum honoris, titulum libertatis, pignus Spiritus sancti*, ut ait Chrysol. *serm.* 5. Felix vinculum, quo Deo copulamur! Sed quàm suavis nexus, qui nihil nisi amorem inspirat! *Traham eos in funiculis Adam, in vinculis charitatis.* Quis charitatis vincula formidet? Quis sinam sibi eripi libertatem expavescat his funiculis amoris? Audiat qui hujusmodi est, August. de correpr. & grat. cap. 14. *In cordibus hominum quod voluerit operatur, ac per hoc Dominus omnipotens adduxit istos. Et quomodo adduxit? Nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit.* Et Chrysologum: *Amor quem ligat, liberat; quem onerat, ornat & coronat.* Hinc spiritus gratiæ appellatur *Spiritus principalis*, Psal. 50. quia movendo non facit nos servos, sed principes, utpote cùm efficiat nos viris, passionibus, & concupiscentiis principari.

Plures alias instantias retortidas, & sæpissimè decantatas missas facio, quia passim in Cursibus Philosophicis inveniuntur & solvuntur, dum de præmotione physica disputatur; sed quia perpetuò ludunt in quibusdam propositionibus modalibus sophisticè combinatis, visum est has tricas Dialecticis relinquere, & ea solùm argumenta proponere, quæ theologicam nō dedeceant gravitatem. Id tamen advertas petvelim, quod distinctiones vulgaras sensus compositi & divisi, potentiæ antecedentis & consequentis, aliasque non adhibui, quia ad exsufflanda adversariorum sophismata sat est, si semper præ oculis habeas, constanter esse negandas omnes propositiones, in quibus dicitur quod voluntas non potest dissentire, abjicere, resistere, &c. nam voluntas præmota hæc omnia potest, sed nunquam volet. Hac unica responsione arguentem ad angustias reduces, nec poterit mussitare.

Vt tamen morem geram consuetudini, paucis exponam solitas distinctiones. Dicimus ergo quod voluntas etiam stante præmotione ad amorem potest odisse, non in sensu composito, sed in sensu diviso; potentia antecedente, non potentia consequente; potentia possibilitatis, non potentia futuritionis; potentia capacitatis, non positionis; potentia activa, sed non actura; & denique simultate potentiæ, sed non potentiâ simultatis. His enim omnibus distinctionibus hoc solùm prætendimus, voluntatem etiam sub motione efficaci posse odisse & dissentire, si velit; sed nunquam dissentire, nunquam componere dissensum cum præmotione ad consensum; quia posse in sensu composito, & potentia consequenti, &c. est posse potentia actu conjuncta cum actu illo, quem dicitur posse producere. Hæc autem duo sunt incompossibilia, quod sit præmotio ad amorem, & simul odium, quia cùm illa motio sit efficax & conjuncta cum amore, sequeretur componi actu in voluntate amorem & odium, quod repugnat. Posse verò in sensu diviso, potentia antecedente, &c. est habere potentiam proximam non impeditam, sed affectam intrinseca indifferentia ad producendum odium in se spectatum, divisim tamen ab amore, cum quo componi non potest. Vno verbo, voluntas præmota ad amorem respicit & amorem, & odium; amorem ut futurum, odium ut possibile. Hac via facilè decretum & gratiam cum libertate conciliabis, Deo primatum servabis, totum ipsi dabis, & veram humilitatem, quæ custos gratiæ est, cum Augustino retinebis, si ejus sententiæ firmiter adhæreas. Nam ut modulatè pangebat Prosper *lib. de ingratis, cap.* 3.

——istius (scilicet Augustini) *ore*
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Qua mites humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrina immittere rives.

Corollarium momentosum.

Ex his etiam manifestum apparet discrimen sententiæ Thomisticæ & Calvinianæ. Ad cujus evidentiam sciendum, quod conveniunt Calvinus & Pelagius in eadem propositione, asserentes gratiam efficacem, & decretum Dei tollere libertatem. Videns enim Pelagius secundùm Scripturam & experientiam dari liberum arbitrium, gratiæ efficacitatem negavit. Calvinus verò advertens Scripturam & Patres, præsertim verò Augustinum, inculcare divinæ voluntati nunquam resisti, gratiæque divinæ vim, prout vult, cordis duritiem emollire, liberum arbitrium extinguere satagit. Quamobrem error utriusque Hæresiarchæ in mala consequentia & illatione positus est. Thomistæ verò è diametro, & per omnia Calvino opponuntur, & in antecedente, & in consequente, & in consequentia. In antecedente, quia Calvinus admittit gratiam necessitantem & indifferentiam activam opprimentem, salvâ solâ spontaneitate voluntatis: Thomistæ verò volunt gratiam fovere potentiam ad oppositum, etiam dum actu movet. In consequente, quia Calvinus liberum arbitrium adimit, asserens esse titulum sine re, vel rem de solo titulo: Thomistæ verò liberum arbitrium prædicant post peccatum quidem infirmum, sed minimè extinctum. Denique in consequentia, quia ex efficacitate divinæ voluntatis libertatis exterminium impiè simul & ineptè Calvinus intulit: Thomistæ verò efficaciam divinæ voluntatis non tollere, sed causare creatam libertatem asseverant.

Hinc apparet, quàm temeraria sit quorundam perfrictæ frontis audacia, qui Thomisticam de gratia efficaci sententiam cum impio Calvini dogmate confundunt. Quo sanè impudorato ausu majus sibi dedecus asciscunt,

asciscunt, quàm nobis inferrent, adeo ad gratiæ gloriam, moderante ipsâ gratiâ, cuncta concurrunt. Nam cùm sanctissima gratiæ efficacis ad omnes pietatis actus necessariæ doctrina tantam apud omnes doctos authoritatem & venerationem obtineat, & majorem apud solidè pios; cùm Catholicæ Ecclesiæ chara sit tanquam pretium sanguinis Sponsi sui, ideoque eam in omnibus ferme orationibus suis flagitet; non poterant sibi magis adversarii officere, quàm dum tam Orthodoxam Doctrinam cæco & præcipiti impetu imprudenter oppugnarunt, & Calvinismi insimularunt. Non poterant etiam evidentiorem suæ ignorantiæ significationem prodere. Nam errorem Calvinianum à Tridentina Synodo percussum quis Thomistarum non toto animo detestatus est? Quis abjiciendæ gratiæ potestatem inficiatus est? Omnes & singuli non minùs acriter adversos Calvinistas dissentiendi à gratia, etiam efficaci, etiam victrice, potestatem voluntati asserunt, quàm gratiæ efficaci summum in voluntatem dominium adversùm Semipelagianos vindicant, utriusque Catholici dogmatis peræquè tenaces, utriusque erroris oppositi peræquè hostes. Necessitatem Calvini abominamur, & impium pariter Semipelagianorum & sequacium dogma subruimus, qui negant à gratia proficisci voluntatis gratiæ obtemperantis assensum.

Desudavit jampridem Theophilus Raynaudus ad creandam insontibus apud vulgus invidiam, ut consensionem Bañis cum Calvino suaderet, in opere *de Religione bestiarum*, sub assumptitia larva *de la Riviere*; sed tam irrito, tamque infelici conatu, ut nihil miser fœtus nisi solam Lectorum indignationem, & Romanæ Ecclesiæ censuram meruerit. Exortus est deinde Franciscus Annatus Molinistarum partium caput & rector, hanc calumniam instauraturus in libro pro defensione scientiæ mediæ edito, ubi Thomistas & Calvinistas non nisi verbo tenus & penes loquendi modum discrepare effutit, justamque esse Catholicorum suspicionem, quæ nimiam sententiæ Thomistarum cum sententia Novatorum affinitatem timet. Sed rationum suarum inanitatem, & calumniarum atrocitatem maturiùs considerans Pater Annatus jam annosus & senex, conscientiâ actus & pœnitentiâ ductus (ut credibile, aut saltem probabile est) quidquid scripserat junior, retractavit. Nam in responsione ad 17. Montaltii epistolam, sic formaliter ait: *Calvinus ita gratiam efficacem defendit, ut ab illa nullam aliam nobis relinqui libertatem putet, nisi eam quæ dicitur à coactione: cæterùm ab ista gratia necessitatem imponi, quæ potestatem auferat resistendi quandiu gratia perseverat. Catholici Doctores, Thomistæ, Scotistæ, Sorbonistæ, Iesuitæ inter se consentiunt, gratiam per se efficacem ita regere voluntatem, ut vim & potestatem resistendi ei non adimat.* Et lib. de libert. inchoata, pag. 226. *Quem invenient Iansenìani inter Thomistas, qui concedat ita necessarium consensum, quem voluntas præbet motioni gratiæ, quandiu illa inhæret, quomodo necessarius est amor beatificus quandiu durat visio? Quem invenient qui dixerit voluntatem divina gratia prædeterminatam carere proxima ad dissentiendum potentia? Quem dabunt qui distinctionem sensus compositi & divisi sic interpretetur, ut sensus sit voluntatem à Deo motam posse dissentire, quando illa motio abierit, & advenerit alia?*

Miraris, Lector, nisi meus me fallit animus; & hæc dum audis, nonne in animum induceres tuum, Ioannem à S. Thoma, Gonzalem, Nazarium, vel Alvarem loquutos? Minimè gentium. Is est Pater Annatus olim accusans, jam excusans Thomistas; percutiens, jam sanans; humilians, & sublevans; mortificans, & vivificans. Quia nimirum in ætate animorum ruuntur anois mentis oculi, dum corporis hebetantur ocelli: discrimen quod Thomistas inter & Calvinistas junior non adverterat adversetius, clarè vidit jam provectior.

Gratulamur venerando seni, quod non infamiæ ducat priora sua judicia rescindere; quod non pigeat revocare quod à se deprehendit præcipiti impetu, non veritate prolatum. Res sanè plena æquitate, & laude digna, fateri se hominem, & humani à se nihil alienum putare, seque in quæstionibus facti infallibilem non arbitrari. Confidimus à Deo condonanda juventutis ipsius delicta, & dimittendum illud peccatum, postquam restituit ablatum, & tam solenniter restituit in ultimo senectutis suæ testamento; in opere, inquam, dicto *la Conduise de l'Eglise, & du Roy*, ubi octodecim discrimina Thomistas inter & Calvinistas (quibus Iansenianos adjungit) tota accuratione prosequitur.

Sed divinæ gratiæ vim & efficaciam adora, Lector, *quæ comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia dissipat*, ut dicitur Iob 12. *Quia ejus consilio militant & serviunt cùm resistunt*, ut exponit Gregorius. *Ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem*, ait August. Debuit gratia efficax juvenis Annati lapsum permittere, ut æmulum suum ipsius telis evinceret, & contrariis scriptis veluti propriis laqueis irretiret. Non poterat meliùs suæ efficaciæ suavitatem demonstrare, quàm cùm adversarii & pugnatoris sui argumenta suis fecit utilitatibus militare. Nihil in veritatem violentia, in violentiam veritas valet. Nullus atrocioribus maledictis Thomistas conscidit juvene Annato: nullus Thomistarum innocentiam illustriorem & notiorem effecit sene Annato. Nullus majori impetu Calvinismum improperavit juvene Annato: nullus ab hac calumnia Thomistas accuratiùs vindicavit sene Annato. Nullus majori arte gratiam efficacem oppugnavit: nullus magis effecit ut doctrina illa firmior esset, atque munitior. Nullus unquam magis omnia miscuit, ut veritatem Augustino-Thomisticam infamaret: nunquam hominibus doctioribus persuasum fuit hanc assertionem inter certiora Theologiæ capita esse reponendam. O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere successum! Felix error, quo factum est, ut Thomistarum de gratia sensus, quem eversum volebat juvenis, ab ipso sene & maturo vel maximè stabilitus sit, & causam gratiæ & nostram egerit Molinæ defensor! Quia veritas à nobis stabat, nobis etiam silentibus ipsa pugnavit, nobis ipsa vicit, nobis *salutem ex inimicis nostris* ipsa attulit, & nos ab adversariis quàmlibet potentibus, sicut ipsamet promisit, liberavit.

Nec te moveat, si interdum Calvinus & Sectarii easdem cum Thomistis distinctiones usurpent; nam in primis longè diverso sensu procedunt, & vafritie hæreticis innata nihil aliud satagunt quàm hæresum venena Catholicorum verbis veluti melle oblinire; veniunt enim sub vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Quid mirum eos verbis Catholicorum fucos & colores quærere, qui testimoniis Scripturæ utuntur passim, & passim abutuntur? Sive enim apud suos, sive alienos, sive privatim, sive publicè, sive in sermonibus, sive libris, sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam penè de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur. *Sciunt enim* (ait pereleganter Vincentius Lirin. in Common.) *fœtores suos nulli ferè cito esse placituros, si nudi & simplices exhalentur, atque idcircò eos cœlestis eloquii veluti quodam aromate aspergunt. Mala gramina & noxios succos medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè ubi suprà scriptum legerit remedium, suspicetur venenum.* Sed ex fructibus eorum cognoscimus eos, cùm cœperint voces & distinctiones illas exponere;

tunc enim novitium virus exhalatur, & intelligitur ab illis Ecclesiastica dogmata lacerari. Certè si ipse sathanas transfigurat se in Angelum lucis, non est magnum si discipuli ejus transfigurentur in discipulos veritatis. Præclarè S. Leo Magnus *ferm. de jejun. 7. mens.* de hæreticis ait: *Humiliter irrepunt, blandè capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, quia non possent veras & simplices oves fallere, nisi Christi* (& Catholicorum) *nomine tegerent rabiem bestialem.* Turpitudinem suam ipsa impietas erubescit; velis indiget, quibus se aliis obtegat. Hæc fuit Calvinistarum ratio, cùm horrendas blasphemias voluerunt invehere, veriti suas impietates à Christianis ferri non posse: unde variarum distinctionum fucum à Thomistis subfurati sunt, quia eos Catholicissimos, & fidei Quæsitores sciunt; & sub illis opinionum suarum fœditatem occultare nisi sunt, quia *omne malum pudore natura perfudit.*

Adde testimonium hæreticorum esse omninò infirmum; neque enim unquam prudenter creditur iis hominibus, qui Deo fidem detrectant, præsertim quia incertum, varium, ac versatile est hæreticorum ingenium, quo sæpè contraria effutiunt, & quæ priùs astruxerant, posteà destruunt. Adde rursum, quod sicut Calvinistarum nonnulli ad suæ causæ præsidium Thomistarum distinctiones advocant, ita & plures inveniuntur qui se scientiæ mediæ clypeo tuerentur. Ii sunt Arminiani, duce Iacobo Arminio, quorum occasione coactum est Conciliabulum Dordrechranum, de quo tomo sequenti fusior habebitur sermo. Iam quæro quænam periculosior consensio, an cum Iacobo Arminio se Molinistam prædicanre, an cum Thuisio se Thomistis assentiri mentiente? Nonne ambo hæretici? Nonne peræquè à Catholica fide extorres? Si ergo Thomistarum causæ noceat Thuisii & aliorum in eorum placita inclinatio, quomodo Molinistarum sententiæ non nocebit Arminianorum studium, & amorum societas? Quæ verisimilis disparitas? Certè si nos ad illam, quæ eoldaros decet, præjudiciorum vacuitatem redigamus, eodem loco Arminium & Thuisium reponemus: uterque discipulos habuit Calvinistas: neuter ergo authoritate superior. Vtinam, utinam in nullo alio peccarent Arminiani, quàm in illo erga Molinistas affectu! Vtinam in nullo alio peccaret Thuisius, quàm in illo Thomisticarum distinctionum usu, & cæteros errores suos ejurarent! Id in eis efficiat gratia efficax, à qua sola tantum miraculum sperare licet.

Si plura desideres, Lector erudite, legesis eximias PP. Baronii & Goneti lucubrationes, quibus examinantur Calvinistas ab illis distinctionum præsidiis, quibus perversissimè detortis abutebantur, & patefactis hæreticorum fraudibus, simul à tantis, quibus schola Angelica abundat, viris tantam defenderunt injuriam, & æmulorum nostrorum calumnias clarissimè reviceruut. Quamobrem operosiùs hæreticos Thomistarum patrocinio, quod sibi per summam fraudem & majorem vendicant injuriam, non nudabo; omnia enim quæ dici à me possent, à præclarissimis illis ingeniis præoccupata sunt.

REFLEXIO.

Dicet mihi aliquis: Ergo agimur, non agimus. Respondeo, imò agis & ageris; & tunc beaè agis, si ab illo ageris, inquit August. *ferm. 13. de verb. Apost.* Negent qui volunt divinæ voluntatis efficacis & prædeterminantis firmitatem, qui suam ignorant infirmitatem. Ab ea fuæ metuant libertati, qui peccatorum volunt se subjicere servituti. Tuæ voluntatis efficaciam, Deus optime, supplex peto, qui ejus vim agnosco, mei indigentiam experior; quia sæpè, ut ait August. lib. 4. cont. Iul. c. 16. *tentat error, ut decipiat; tentat labor aut dolor, ut frangat; tentat libido, ut accendat; tentat mœror, ut sternat; tentat typhus, ut extollat. Et quis explicet omnia festinanter, quibus aggravatur jugum super filios Adam?* Nihil magis timeo, quàm me mihi dari, quàm meæ tradi voluntati, quia ut ibidem ait idem Sanctus: *Donatus est homo sibi, quia deseruit Deum placendo sibi; & non obediens Deo, non potuit obedire nec sibi.* Libera ergo me Domine à libertate mea, quæ sibi relicta miseram tandem peccando incurrit necessitatem. Perdam enim libertatem, & incurram necessitatem, si meæ dimittar libertati, quæ ad perditionem suam sufficit sibi dimissa. Vt autem veram inveniam libertatem divinæ efficaciæ, meam subjiciam ei voluntatem.

Omnis homo naturaliter Pelagianus est, quia naturaliter quodcumque se subdens libertatem fugit, sui dominus vult esse, & solus. Amor libertatis, & horror subjectionis creaturæ rationali inviscerarus est Primus cupiditatis hujus author ille est, qui superiorem neminem agnoscere volens, & propriis viribus ad beatitudinem pervenire præsumens, dicebat, *Similis ero Altissimo:* quam grassantem luem veluti cauterio cohibuit Michael replicans, *Quis ut Deus?* Per hanc cupiditatem quâ diabolus succubuit, hominem etiam stravit, & eo telo salutem nostræ immortalitatis impetivit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit. Vnde præclarè August. in *Psal. 70. concione 2.* loquens de Adamo: *Quare tetigit pomum? Quid illi deerat, dicatur mihi? Quid illi deerat constituto in media opulentia, mediis deliciis? Quid illi deerat ut tangeret? nisi quia sua potestate uti voluit, & praeceptum rumpere delectavit, ut nullo dominante fieret sicut Deus, quia Deo nullus utique dominatur.*

Sed timeo, inquies, vincula, & compedes libertatis meæ. Sed mi Lector, *etiam atque etiam recusantem & formidantem compedes sapientia timeo te rebus mortalibus validissimè & perniciosissimè compediri,* inquit August. epist. 39. *Quid times? An nescis,* subdit, *quod sapientia quos primò alligaverit, & exercitatoriis quibusdam laboribus edomuerit, solvit posteà, liberatisque sese donat ad fruendum: & quos primò temporalibus nexibus erudiverit, post æternis amplexibus alligat.* Quo vinculo nec solidius, nec jucundius cogitari quicquam potest. Ne timeas subjici gratiæ; funes peccatorum, qui circumplexi sunt te, solos formida. Nam ut eximiè concludit idem Pater: *Vincula hujus mundi asperitatem habent veram, jucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanem. Hisne tu inseris & collum, & manus, & pedes? & ambis inhærere, quò non modò invitatus, sed ne compulsus quidem ire debuisti.*

DISSERTATIO V.

De providentia, & omnipotentia Dei.

Cùm à Nonnullo providentia Dei, *manus oculata* appellatur; quia omnia respicit, & simul facit; invigilat, & succurrit; intuens unà, & omnipotens. Ideo utrumque attributum conjungemus; postquam enim egimus de perfectionibus ad intellectum & voluntatem Dei seorsim pertinentibus, agendum superest de illis, quæ intellectum simul & voluntatem consequuntur, quales esse providentiam & omnipotentiam Dei constabit ex dicendis.

CAPUT

CAPUT I.

De Providentia Dei.

EX omnibus Dei attributis nullum est vel Deo dignius, vel homini amabilius divinâ providentiâ. Meritò à providentia Deo nomen impositum est, quia ipsa sola est veluti cæterorum attributorum compendium. In ipsa splendet infinitas, dum ad omnia se extendit; immutabilitas, dum mutat opera, non decreta; æternitas, nam supra tempus est, cujus ordinatione perseverat diesimmensitas, ubique enim tota est, quæ omnibus assistit, & singulis; sapientia, nam omnia scit, quæ omnia curat, nihil obliviscitur, nihil discit novi, scit præterita quæ fecit, scit præsentia quæ producit, scit futura quæ decernit, videt intra se, & extra se res emittit; omnipotentia, potest enim id omne quod vult, cujus subjectum est nihil, ex quo quasi ex utero generat mundum. Sed quid dicam de bonitate, & clementia? Ejus indoles est bona facere; tota se effundit, dum hominem facit; tota exire videtur, licèt tota intra Deum sit. Intra Deum sistere nequit, nec patitur ipsum sine germine manere in seipso. Quomodo intra Deum sisteret, quæ Filium Dei incarnari compulit, Spiritum sanctum mitti, Patremque misisset, si fuisset qui mitteret; & quia mittere non potuit, venire facit?

Quin etiam providentia non solùm attributorum omnium compendium, sed etiam temperamentum est. Severior esset justitia, nisi eam providentia leniret; fortior omnipotentia, nisi temperaret; ardentior zelus, nisi quinquaginta sæculorum injuriis irritatum Deum contineret; terribilior majestas, nisi illa hominem ad colloquium Dei admitteret, homini Deum redderet familiarem; districtior vindicta, nisi ipsa parceret, dum ulcisci potest: pepercit ab initio mundi, & perseverat parcere, & ingratis benefacere non cessat. Divitem se esse gaudet, ut donet; & donando exhauriret se libenter, nisi esset infinita. O quam mirabile attributum! Sed quàm amabile? Laudari magis debet gustando, quàm loquendo. Vt illud faciamus, & istud non omittamus, sit

SPECULATIO I.

Est in Deo oculatissima providentia, quæ ad omnia se extendit.

HAnc veritatem mundus prædicat universus; si elementa, si rupes, si plantæ loqui scirent, loquentium vox una hæc esset: Datur providentia. Quia sicut nec navis sine gubernatore, nec tabella sine pictore, nec sine architecto palatium, nec sine Rege imperium, nec sine Duce exercitus; ita nec sine providentia mundus. Nullus est etiam homo tam ferus, tam incultus, tam plumbeus & obtusus, cui ignota sit Dei providentia. Agnoscit eam colonus dum projicit sementem, quam ei committit. Agnoscit vinitor, cujus palmites providentiæ sinus magis quàm terræ excipit. Agnoscit corvus, cujus pullos invocantes providentia nutrit. Hæc providentia regit pastores, ut pascant oves; erudit artifices, ut calleant artes; subjicit sibi Reges, ut subdant populos; ditat opulentos, ut succurrant pauperibus; evehit nobiles, ut defendant populos. Totus mundus est liber Providentiæ; hunc legunt docti, ut doctiores fiant; hunc legere possunt etiam qui nesciunt legere. Unde qui providentiam negant, Divinitatem de medio tollunt. Nam ut rectè Salvianus lib. 4. de Provid. *Prope est ut cui aspectum adimunt, etiam substantiam tollant, ut quem dicunt omnino nihil cernere, omnino etiam dicant non esse.*

Observat etiam idem Pater, nullum nisi Epicureum, vel epicurizantem, Dei providentiam fuisse inficiatum. *Et certè*, inquit lib. 1. de Provid. *invenire aliquos, qui ab istorum judicio discrepaverint, præter Epicureorum, vel quorundam epicurizantium deliramenta, non possum; qui sicut voluptatem cum virtute, sic Deum cum incuria ac torpore junxerunt, ut appareat eos qui ita sentiunt, sicut sensum Epicureorum atque sententiam, ita etiam vitia sectari.* Vnde nemo, etiam impius, de providentia Dei dubitat, quamvis in corde eam neget, quia eam timet. Omnesque Philosophi veræ Religionis expertes vi ipsa; & quadam veritatis necessitate compulsi providentiam confessi sunt. Cæteris in rebus ignari esse potuerunt, sed in hac parte omnes Christiani fuerunt. Sanè remotâ providentiâ funditus tollitur omnis Religio. Nam ut præclarè idem Salvianus: *Quæ nobis Divinæ Religionis est ratio, quæ vel causa Christum colendi, vel spes propitiandi? Si enim negligit Deus in hoc seculo genus hominum, cur ad cælum quotidie manus tendimus? Cur orationibus crebris misericordiam Dei quærimus? Cur ad Ecclesiasticas domos currimus? Cur ante altaria supplicamus? Nulla est enim nobis ratio precandi, si spes tollitur impetrandi. Vide ergo quàm stulta atque inanis sit hujus persuasionis assertio, quæ utique si recipitur, nihil penitus de Religione servatur.*

Probatur ratione D. Thom. Providentia est ratio ordinis rerum in finem: Atqui Deus, qui est agens intelligens & volens, omnia rectè & ordinatè dirigit in finem; quibuscumque enim naturis suos præfixit fines speciales, quos omnes ad bonum universi ordinavit, facit etiam ut per debita media ad suum finem perveniant. Ergo in Deo est perfecta providentia. Probatur minor: Deus est author & prima causa rerum omnium. Sed ad unamquamque causam pertinet effectus suos per debita media ad suum finem perducere, quam quod dat esse, dat etiam consequentia ad esse: Ergo hæc inclinatio tam justa, tamque naturalis, quam ipsemet causis creatis indidit, non est deneganda primæ causæ. Vnde Salvian. loco cit. *Licèt nullum facinus ratione subsistat, quia rationi non possunt scelera conjungi; nullum tamen, ut puto, vel irrationabilius, vel insolentius iste est. Quid enim tam furiosum, quàm ut aliquis Deum Creatorem omnium non neget, Gubernatorem neget? & cùm factorem esse fateatur, dicat negligere quæ fecit?* Et Ambros. lib. 2. de offic. cap. 13. *Quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat, & destituat quod ipse condendum putavit? Si injuria est non regere, nonne est major injuria fecisse? Cùm aliquid non fecisse nulla injustitia sit, non curare quod feceris, summa inclementia.* Et Theodoret. serm. 1. de Provid. *Ex hoc quoque affectu quo amare nos fecit pignora nostra, intelligere nos voluit quantum ipse amet pignora sua:* id est effectus.

Altera pars de extensione divinæ providentiæ suadetur inductione. In primis extendit se divina providentia ad omnes res naturales, tam incorruptibiles, quàm corruptioni obnoxias, secundùm rationes communes & singulares. Cùm enim omne agens agat propter finem, tantùm se extendit ordinatio effectuum in finem, quantum diffundit se causalitas agentis: Sed causalitas primi agentis pertingit usque ad ultimas differentias individuales: Ergo omnia quæ habent esse quomodocumque, subjiciuntur divinæ providentiæ & ordinationi, juxta illud Rom. 13. *Quæ à Deo sunt, ordinata sunt.* Vnde Salvator *Matth. 6. & Luc. 11.* asserit, & volatilia cœli, & capillos capitis divinæ curæ subjacere. Et August. *lib. 5. de Genes. ad litt. cap. 21.* ponderans illud Psalmi ultimi: *Ignis, grando, nix glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum*

ejus, ait: *Nihil tam videtur casibus volvi quàm omnes istæ procellosæ ac turbulentæ qualitates, quibus cœli hujus inferioris facies variatur & vertitur; sed cùm addit, Quæ faciunt verbum ejus, satis ostendit earum quoque rerum ordinem divino subditum imperio.*

Secundò protendit se divina providentia ad res contingentes, etiam liberas & humanas. Quia licèt divina providentia non excludat causas secundas, quarum multæ sunt contingentes & liberæ; tamen quia omnes ab ejus causalitate pendent, fit inde quod illas, earumque effectus ad suum finem dirigat, quod est eas suæ providentiæ supponere. Et licèt de impiis dicatur, quod dimisit eos Deus secundùm desideria cordis eorum, & quod tradidit eos voluntati eorum, non tamen eis denegat concursum, vel auxilium suum; sed sensus est, quod eos liberè peccare sinit, quæ est omnium divinæ in hoc mundo justitiæ ultionum gravissima. Nec obest, quod in illis rebus contingentibus sint aliqua minima & vilissima: Nam hæc divinam curam non dedecere, satis patet ex dictis de scientia Dei, quæ relegere poteris.

Tertiò extendit se etiam divina providentia ad permittenda aliqua mala, propter discrimen quod intercedit inter provisorem universalem, & particularem, quod his verbis explicat D. Thom. hîc, art. 2. ad 2. *Dicendum aliter de eo est qui habet curam alicujus particularis, & de provisore universali. Quia provisor particularis excludit defectum ab eo quod ejus curæ subditur, quantum potest; sed provisor universalis permittit aliquem defectum in aliquo particulari accidere, ne impediatur bonum totius. Vnde corruptiones & defectus in rebus naturalibus dicuntur esse contra naturam particularem, sed tamen sunt de intentione naturæ universalis, in quantum defectus unius cedit in bonum alterius, vel etiam totius universi. Nam corruptio unius est generatio alterius, per quam species conservatur. Cùm igitur Deus sit universalis provisor totius entis, ad ipsius providentiam pertinet ut permittat quosdam defectus in aliquibus particularibus rebus, ne impediatur bonum universi perfectum. Si enim omnia mala impedirentur, multa bona deessent universo. Nec enim esset vita leonis, si non esset occisio animalium; nec esset patientia martyrum, si non esset persequutio tyrannorum.* Vnde dicit August. in Enchir. cap. 11. *Deus omnipotens nullo modo sineret malum esse in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens & bonus, ut benè faceret etiam de malo.* Et iterum: *Ex omnibus consistit universitatis admirabilis pulchritudo, in qua etiam illud quod malum dicitur, benè ordinatum & loco suo positum, eminentiùs commendat bona, ut magis placeant & laudabiliora sint, dum comparantur malis.* Quod consonat trito Philosophorum dicto, *opposita juxta se posita magis elucescunt.* Sed de his iterum redibit sermo, dum de gubernatione Dei libro quarto agemus.

Objicies: Si divina providentia se ad hæc inferiora extenderet, non acciderent in universo tot perturbationes, damna, monstra, quæ sunt præter intentionem naturæ, aliàque id genus contingentia, quæ non possunt nisi casui adscribi. Nam, ut ait in persona Ethnici Minutius Felix in Octavio: *Fulmina præmicantia passim cadunt, montes irruunt, arboribus incurrunt, sine delectu tangunt loca sacra & profana, homines noxios feriunt, & sæpè religiosos. Quid tempestates loquar varias & incertas, quibus nullo ordine, vel examine rerum omnium impetus volvatur; in naufragiis bonorum malorumque facta mixta, merita confusa; in incendiis interitum convenire insontium, nocentiumque; & cùm tabe pestifera cœli tractus inficitur, sine discrimine omnes deperire. Ecce arbusta frugifera, ecce jam seges cana, jam temulenta vindemia imbre corrumpitur, grandine caditur.* Ergo non alicujus Numinis providentia & auctoritate mundus regitur, sed variis & lubricis casibus soluta legibus fortuna dominatur.

Confirmatur: Si Deus omnia curaret, non permitteret justos tot adversitatibus premi, nec impios tam prospero secundæ fortunæ flatu uti. *Si mundus divina providentia regeretur* (prosequitur idem Ethnicus ibidem) *nunquam mereretur Dionysius* (Tyrannus) *regnum; nunquam Rutilius & Camillus exilium, nunquam Socrates venenum.* Et infrà: *Ecce pars vestrûm & major & melior, ut dicitis, egetis, algetis, opere, fame laboratis; & Deus patitur, dissimulat, non vult, aut non potest opitulari suis, ita aut invalidus, aut iniquus est. Vbi Deus ille qui subvenire reviviscentibus potest, viventibus non potest? Pallidi, trepidi, misericordiâ digni, nec resurgitis miseri, nec interim vivitis.* Igitur Deus sua providentia hæc inferiora non regit, sed circa cardines cœli perambulat, nec nostra considerat.

Respondeo ad objectionem, eas omnes quæ videntur in mundo varietates, imò & ipsa monstra, cæteràque hujusmodi, quæ in universo apparent deformia & fortuita, à divina sapientia regi, & universitatis decori inservire; sicut enim silentii interpositio facit cantilenam esse suavem, & imaginis elegantia ex colorum umbrarumque opacantium adjunctione collustratur: sic & universi compago ex bonorum malorumque permixtione consurgit, ut diximus dum de existentia Dei, & iterum dicemus dum de Deo creatore.

Et sanè mirum est Gentes ex rerum varietate concordique discordia Dei providentiam de medio tollere, quæ tamen inde invictè probatur. *Quid enim potest esse* (ait Minutius respondens suo Ethnico) *tam apertum, tam confessum, tamque perspicuum, cùm oculos in cœlum sustuleris, & quæ sunt infrà circaque lustraveris, quàm esse aliquod numen præstantissimæ mentis, quo omnis natura inspiretur, moveatur, alatur, gubernetur?* Cœlum ipsum vide quàm latè tenditur, quàm rapidè volvitur, vel quod in nocte astris distinguitur, vel quod in die Sole lustratur; jam scies quàm sit in eo summi Moderatoris mira & divina libratio. Vide & annum, ut Solis ambitus faciat; & mensem vide, ut luna auctu, senio, labore circumagat. Quid tenebrarum & luminis dicam recursantes vices, ut sit nobis operis & quietis alterna reparatio? Quid cùm ordo temporum hac frugum stabili varietate distinguitur, nonne authorem suum parentemque testatur? Iam providentiæ quantæ est, ne hyems sola glacie ureret, aut sola æstas ardore torreret, autumni & veris inserere medium temperamentum, ut per vestigia sua anni revertentis innoxii transitus laberentur. Mari intende: lege littoris stringitur. Quidquid arborum est vide, quàm è terræ visceribus animatur. Aspice Oceanum, refluit reciprocis æstibus. Vide fontes, manant venis perennibus. Fluvios intuere, eunt semper exercitis lapsibus. Quid loquar aptè disposita recta montium, collium flexa, porrecta camporum. Quidve animantium loquar adversos sese tutelam multiformem, alias armatas cornibus, alias dentibus septas, & fundatas ungulis, & spicatas aculeis, aut pedum celeritate liberas, aut elatione pennatum. Ipsa formæ nostræ pulchritudo Deum fatetur artificem, status rigidus, vultus erectus, oculi in summo veluti in specula constituti, & omnes cæteri sensus velut in arce compositi. Et quod magis mirum est, eadem figura omnibus, sed quædam unicuique lineamenta deflexa: sic & similes universi videmur, & inter se singuli dissimiles invenimur. Hæc aliàs fusè descripsimus, dum de existentia Dei: fusiùs etiam dum de opere sex dierum, libro quarto descripturi.

Ad confirmationem dico, argumentum illud non solùm Paganis, sed etiam Sanctis & Prophetis difficultatem ingessisse. *Iustus es Domine*, ait, Ierem. c. 12.

Si

Si disputem tecum, quare via impiorum prosperatur, benè est omnibus qui prævaricantur & iniquè agunt? Et David Psalm. 72. attestatur se ferè in præcipitium murmurationis cecidisse videndo faustam impiorum fortunam. *Mei penè moti sunt pedes, penè effusi sunt gressus mei, pacem peccatorum videns.* Ad quem explicandum nodum multa à Patribus præclarissimè dicta sunt. Docent enim tribulationes justorum esse signum amicitiæ Dei, qui quos amat castigat, & à sordibus peccatorum detergit, sicut in fornace examinatur aurum, ut purioribus effectis nihil in alia vita purgandum supersit. *O tormenta misericordiæ!* (ait Gregor.) *Amat & cruciat.* Et Salvian. lib. 2. de Provid. *Absit ut hoc argumento putemus à Deo negligi, per quod confidimus plus amari.* Et Minutius Felix objicienti paupertatem & miseriam servorum Dei, sic respondet: *Quod plerique pauperes dicimur, non est infamia nostra, sed gloria; & tamen quis potest pauper esse, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo dives est? Magis pauper ille est qui cùm multa habeat, plura desiderat; & quod corporis humana vitia* (id est infirmitatem) *sentimus & patimur, non est pœna, militia est. Fortitudo enim infirmitatibus roboratur: & calamitas sæpius disciplina virtutis est. Vires denique & mentis & corporis sine laboris exercitatione torpescunt. Itaque Deus non despicit, cùm sit & omnium rector, & amator suorum; sed in adversis unumquemque explorat & examinat, ingenium singulorum periculis pensitat. Itaque ut aurum ignibus, sic nos discriminibus arguimur. Quàm pulchrum spectaculum Deo, cùm Christianus cum dolore congreditur, cùm adversùm minas, & supplicia, & tormenta componitur; cùm strepitum mortis, & horrorem carnificis irridens conculcat; cùm libertatem suam adversus Reges & Principes erigit, soli Deo, cujus est, redit; cùm triumphator & victor, ipsi qui adversùm se sententiam dixit, insultat? Vicit enim qui quod contendit obtinuit. Christianus miser videri potest, non potest inveniri.* Quid elegantius?

Ad id verò quod dicitur de prosperitate impiorum, mira etiam dicunt Patres, asserentes prosperam impiorum fortunam esse severissimam justitiæ Dei vindictam, quæ his qualibuscumque bonis nonnulla eorum bona opera quadantenus remunerat, crimina æternis flagitiis mulctatura. Vnde Bernard. *Crudelior est omni indignatione hæc misericordia Domini, quæ parcit peccatoribus, nec corrigit per flagella.* Vnde pulchrè Hieronymus Savanarolla expendens illud Psal. 50. *Miserere mei Deus secundùm magnam misericordiam tuam,* ait duplicem dari in Deo misericordiam, *parvam & magnam:* parva est bonorum temporalium copia; quæ quidem bona adeo exigua reputavit Apostolus, ut ea tanquam stercora arbitraretur. Magna verò est tribulationum frequentia, & bonus usus; has enim inter præcipua Dei dona annumerat Apostolus ad Philip. 2. *Vobis donatum est non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Igitur horum parvorum bonorum concessio non incuria Dei est, sed summa justitia. *Vos decipit* (ait Minutius laudatus,) *quod Deum nescientes divitiis affluant, honoribus floreant, polleant potestatibus. Miseri in hoc altiùs tolluntur, ut decidant altiùs. Hi enim ut victima ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad pœnam coronantur. Dives es? Sed fortuna malè creditur, & magno viatico breve vitæ iter non instruitur, sed oneratur. Fascibus & purpuris gloriaris? Vanus error hominis, & inanis cultus dignitatis, fulgere purpurâ, mente sordescere.* Itaque non sunt neglecti à Deo Sancti dum tribulantur, sed specialiùs juvantur, ut triumphent, & omnem virtutis firmitatem demonstrent. *Sicut* (ait Gregor. lib. 3. Moral. c. 5.) *aromata odorem suum cùm incenduntur expendunt, ita viri sancti omne quod de virtutibus redolent, in tribulationibus effundunt.* Et hinc colligat peccator, quid in alia vita sint passuri quos reprobat, si hîc sic cruciat quos amat; aut quomodo ferientur qui in die judicii arguendi sunt, si sic eorum vita premitur, qui ipso judice laudantur; ut idem Gregorius prosequitur.

Reflexio.

Cùm considero curas, solicitudines, prudentiam carnis, & diversa hominum studia, quibus tantopere serviunt tempori, politicæ, seque proludiis humanis conformant & flectunt, nescio utrum providentiam Dei agnoscant, qui totam in humana industria spem ponunt, nullum oraculum consulunt præter opinionem, nullas sectantur maximas, nisi quas sæculum sancit. Illi Ægyptiacis aratoribus assimilantur, de quibus scribitur: *Nemo aratorum in terra Ægypti aspiciebat cælum.* Vel, ut ait P. Granatensis, immundis illis animalibus comparantur, quæ glandem dum in terra comedunt, ad largitoris manum oculos non erigunt; cùm tamen à feris belluis hoc præcipuè differamus, quod illa prona, atque in terram vergentia, nihil nata sint prospicere nisi pabulum: nobis, quibus vultus erectus, & in cœlum aspectus datus est, necnon sermo & ratio, quibus Dominum agnoscimus, sentimus, imitamur, ignorare non licet ingerentem sese oculis cœlestem claritatem. *Sacrilegii enim vel maximi instar est, humi quærere quod in sublimi debeas invenire,* ut ait Minut. Felix. Timeant omnium temporum homines, & in quamlibet partem versatiles & comparati, quod ait Spiritus Sanctus 1. Cor. 1. *Stultam fecit sapientiam hujus sæculi.* Et iterum: *Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo.* Et rursum Iob 5. *Apprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia pravorum dissipat.* Totam ergo spem nostram, cogitatus, curas, solicitudines divinæ providentiæ committamus. Præclarè August. *Non perit capillus, quem cùm tondetur non sentis; & peribit anima, per quam sentis? Si sic tua custodiuntur superflua, in quanta securitate est anima tua. Iacta te in Deum, optimè te habebit in optimo.*

Speculatio II.

Providentia est formaliter actus intellectus, præsupponens tamen intentionem efficacem voluntatis.

HAnc assertionem ferè sub iisdem terminis tradit Angelicus Doctor *art. 1. q. 22. ad 3.* ibi: *Providentia est in intellectu, sed præsupponit voluntatem finis; nullus enim præcipit de agendis propter finem, nisi velit finem.* Et *q. 5. de verit. art. 1.* ait: *Providentia includit scientiam & voluntatem, sed tamen essentialiter in cognitione manet.* Idem docet Dionys. de div. nom. c. 2. *Deitas cuncta prospicit providentiâ.* Et Boët. lib. 4. de consol. pros. 6. *Providentia est ipsa divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit.*

Probatur ratione S. Thomæ: Providentia est principalis pars prudentiæ, cujus proprium est ordinare alia in finem, sive respectu propriorum actuum, & dicitur prudentia Monastica; sive respectu aliorum sibi subditorum in familia, civitate, vel regno, secundùm quem modum dicitur Matth. 24. *Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.* Et dicitur prudentia Polyarchica, quæ subdividitur in regnativam, politicam, œconomicam, & militarem. Atqui licèt prudentia actum voluntatis supponat, scilicet intentionem boni, & finis, in ordine ad quem præcipit, & exequitur agenda; tamen formaliter est in intellectu. Ergo & providentia. Major est

certa;

certa; nam, ut docet D. Thom. 2. 2. q. 48. *art. unico*, octo sunt actus prudentiæ, quinque quæ pertinent ad ipsam secundùm quod est cognoscitiva, scilicet memoria, ratio, intellectus, docilitas, & solertia; tres verò secundùm quod est præceptiva & applicativa cognitionis ad opus, scilicet providentia, circumspectio, & cautio; quia ad hoc ut prudentia rectè præcipiat, requiritur primò ut aliquid ordinet accommodum ad finem, quod pertinet ad providentiam; secundò ut attendat ad circumstantias negotii, quod pertinet ad circumspectionem; tertiò ut vitet impedimenta, quod spectat ad cautionem. Minor verò præterquam quod omnium Philosophorum moralium calculo comprobatur, suadetur insuper, quia ad perfectam prudentiam non sufficit solùm ut voluntas velit & eligat media, sed ut de facto ea mandet exequutioni ad finem obtinendum, ut patet in gubernatione œconomica, quæ prudens non est nisi tendat, & inferat exequutionem, difficultates vincat, removeat impedimenta, & omnes retardantes moras rumpat: Sed talis actus non pertinet ad voluntatem, quia post intentionem & electionem restat adhuc exequutio; non est etiam judicium intellectus de convenientia mediorum, quod relinquit voluntatem suspensam circa exequutionem: Ergò prudentia, & subinde providentia in actu efficaciori consistunt, qui de facto intimet & præcipiat exequutionem, quique exprimatur hoc imperativo, *Fac hoc*.

Objicies: Sæpè sæpiùs & Patres & Theologi explicant providentiam, & prædestinationem per actum voluntatis, scilicet electionem, dilectionem, propositum, & decretum; & quidem convenienter: nam supposito efficaci decreto voluntatis divinæ de finis intentione, atque electione mediorum, nulla superest difficultas in exequutione vincenda.

Respondeo, quod in actibus naturæ intellectualis præcedens includitur virtute in sequenti; & quia providentia supponit electionem, quæ est actus voluntatis, ideo in conceptu providentiæ connotatur aliquid ad voluntatem pertinens; & hac de causa propositum, decretum, & electio in definitione providentiæ, vel prædestinationis includuntur. Ad rationem dico, quod nisi post electionem voluntatis sequeretur imperium intellectus, res nunquam exequutioni mandaretur. Totum quippe negotium in exequutione consistit.

Instabis: Respectu Dei omnipotentis nihil est difficile: Ergo post efficax decretum ponetur res statuto tempore.

Respondeo, respectu Dei nihil esse difficile & arduum ex parte operis; tamen ex parte objecti operabilis multa sunt in exequutione vincenda, quæ quidem Deus non vincit cæco & naturali impetu, sed imperio, & providentia. Qui actus & à voluntate, & judicio secundùm nostram rationem distinguitur penes diversum objectum. In Deo siquidem multiplicamus actus ratione diversos per ordinem ad objecta, quæ dicunt ordinem inter se: quod egregiè traditur Judith 9. *Tu fecisti priora, & illa post illa cognasti, & id factum est quod ipse voluisti; omnes enim viæ tuæ paratæ sunt, & tua judicia in tua providentia constituisti*. Quæ verba non successionem operantis, sed operis apparandi diversas rationes significant.

Insistes: Non potest explicari cui Deus imperet actu illo indicente exequutionem. Non enim sibi imperat, cùm imperium feratur ad inferiorem, ut eliciat aliquem actum: Deus verò non est sibi inferior, & est semper in actu secundo. Non rebus provisis, quia non sunt nisi in tempore; providentia verò est ab æterno. Ergo providentia non consistit in actu imperii.

Respondeo in Deo esse imperium non respectu actuum, sed respectu objecti specialiter & aliter attingendi quàm ab intentione, vel electione: & licèt objectum provisum non sit ab æterno, tamen ejus exequutio est ab æterno intimata ut exequenda tempore præscripto.

Obsistes adhuc: Deus non potest seipsum orare etiam per ordinem ad diversa objecta, quia oratio est inferioris ad superiorem: Ergo similiter non potest sibi virtualiter imperare etiam penes connotationem ad diversa objecta, cùm imperium sit superioris ad inferiorem.

Respondeo esse latum discrimen, quia oratio est actus indigentis, cui deest quod postulat; repugnat autem plenitudini totius bonitatis alicujus indigentiæ obumbratio: per imperium verò non intelligitur semper prælatio, & authoritas jubentis, sed potest accipi pro motione efficaci, & dispositione electionem exequutioni mandante. Adde quod imperium erga res provisas maximè decet supremam Majestatem: orationem verò nec ad se, nec ad alia fundere potest.

Pro solutione aliarum objectionum, excutiendaque omni æquivocatione, scito multos actus ad providentiam, prudentiamque in nobis concurrere. Nam antequam finem assequamur præcedit cognitio finis, cognitionem sequitur amor & intentio finis illius, intentionem sequitur consilium & inquisitio mediorum idoneorum, judicium de bonitate eorum, & consensus de eorundem assumptione. Hos actus comitatur electio voluntatis, electionem verò imperium intellectus præcipiens exequutionem, quod imperium exequutio & usus actualis complet. Ita similiter sublatis imperfectionibus de Deo sérire licet. Primò omnia possibilia prænoscit, & quomodo in his relucere sua gloria possit, considerat. Secundò gloriam illam ad extra declarare efficaciter intendit. Tertiò ad eam celebrandam media aptissima judicavit sapientia Dei quadruplicem ordinem, naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostaticæ. Quartò voluntas divina sibi proposita media illa elegit. Quintò providentia & prædestinatio eorum exequutionem suo tempore exercendam præcepit, & in hoc imperio efficaci, utpote perfectissimo prudentiæ actu, Thomistæ providentiam formaliter constituunt, licèt actus enumeratos præsupponat, eorumque efficaciâ veluti plenius sit, & ex plenitudine effecta ad extra parturiat.

R E F L E X I O.

Hanc divinæ providentiæ & prudentiæ efficaciam nequaquam imitatur, qui in negotio salutis semivolentibus, seminolentibusque desideriis contentus, quotidie conversionem promittit, quam nunquam exequutioni mandat. De hujusmodi secum discordi, languido, & non ex toto volenti homine scriptum est Psal. 35. *Verba oris ejus iniquitas & dolus, noluit intelligere ut benè ageret*. Illum dum gratia præveniens sublevat, statim consuetudo prægravat. Delectat quandoque superiùs alliciens æternitas, sed temporalis boni voluntas retentat inferiùs. Venit ad partum, & non habet vires pariendi; dum jam penè facit, facere desinit; cùm ad ad opus accedit, non attingit. Patitur controversiam in corde suo non nisi de seipso adversùs seipsum; æstuat, fluctuat, titillationi ferarum voluptatum autem accommodat, & ut ait August. lib. 8. conf. c. 9. *suspensum retinent animum nugæ nugarum, & vanitas vanitatum*. Et cap. 1. sic eum per seipsum describit: *Ego adhuc terrâ obligatus militare tibi recusabam, & impedimentis omnibus sic timebam expediri quemadmodum impediri timendum erat. Ita sarcinâ sæculi, velut somno assolet, dulciter premebar, & cogitationes, quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergisci volentium, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur*. Ex c. 5. *Tibi*

Tibi dicenti mihi, Surge qui dormis, non erat omninò quid responderem veritate convictus, nisi tantùm verba lenta & somnolenta, modò, ecce modò, sine paululum: sed modò & modò non habebant modum, & sine paululum in longum ibat. Sola exequutio est veræ voluntatis probatio. Qui nunquam fecit quod potest & debet, nusquam verè voluit, quantumvis promiserit. Vix quidquam est adeo arduum, cujus potens non sit constantis voluntatis sincerum propositum. Nam ut ait Chrysost. homil. 26. ad popul. *Non est hìc impendium, non est hìc labor: sufficit velle, & totum factum est.* Ergo ubi nihil fit, velle profectò deest. Hoc advertant Confessarii dum vident continuas in peccata prolapsiones, & recidivas.

SPECULATIO III.

Providentia divina est omninò certa & infallibilis, non solùm quoad ordinem mediorum in finem, sed etiam quoad actualem finis assequutionem.

HAnc assertionem nonnulli etiam è discipulis D. Thom. inficiantur, qui providentiam inter & prædestinationem illud putant interesse discrimen, quod licèt providentia infallibiliter ordinet ad finem, non tamen eum assequitur, sicut illum semper obtinet prædestinatio: nihilominus

Probatur 1. ex D. Thom. *q. 22. art. 4. ad 2.* dicente: *In hoc est immobilis, & certus divinæ providentiæ ordo, quod ea quæ ab ipso providentur, cuncta eveniunt eo modo quo ipse providet, sive necessariò, sive contingenter.* Et *ad 3.* explicans illud Boëtii, *Fatum ab immobilibus providentiæ proficiscens exordiis, actus fortunasque hominum indissolubili causarum connexione astringit,* ait: *Dicendum quod indissolubilitas illa, & immobilitas quam Boëtius tangit, pertinet ad certitudinem providentiæ, quæ non deficit à suo effectu, neque à modo evenendi, quem providit.* Et *art. 2. ad 1.* eodem medio probat providentiam semper impleri, quo usus erat suprà, dum de voluntate Dei, quia nimirum, *impossibile est aliquem effectum ordinem causæ universalis effugere.* Et *lib. 3. cont. gent. c. 94.* expressè tradit, quod *ordo divinæ providentiæ immutari omninò non potest, nec frustrari à suo effectu.* Imò ideo infrà, *q. 23. art. 6.* probat prædestinationem esse certam, *quia dictum est suprà,* inquit, *quod prædestinatio est pars providentiæ, & providentiæ ordo est infallibilis: sic igitur & ordo prædestinationis est certus.* Ergo discrimen quod statuunt inter providentiam & prædestinationem, est manifestissimè contra D. Thom. fundantem certitudinem prædestinationis supra certitudinem providentiæ:

Probatur secundò ex Scriptura & Patribus, idque sufficienter præstaretur adducendo præclarissimam D. Gregor. Magni doctrinam *lib. 6. Moral. cap. 12.* ubi expendens illud Iob 12. *Qui comprehendit sapientes in astutia eorum, & consilia pravorum dissipat,* nostram positionem mirè illustrat, & variis Scripturæ exemplis adornat. *Sæpè nonnulli humanâ sapientiâ inflati, dum desideriis suis divina judicia contraire conspiciunt, astutis ei reluctari machinationibus conantur; sed inde voluntatem Dei peragunt, unde hanc immutare contendunt; atque omnipotentis Dei consilio dum resistere nituntur, obsequuntur; & ejus consiliis humana facta etiam tunc congruè serviunt, cùm resistunt.* Et recensitâ historiâ Ioseph, *Genes. 37.* subjungit: *Ideo à fratribus venditus fuerat Ioseph ne adoraretur; sed ideo est adoratus, quia venditus. Sic divinum consilium, dum devitatur, impletur: sic humana sapientia, dum reluctatur, comprehenditur.* Post narratum autem consilium Saülis, *1. Reg. 18.* qui David commiserat prælio; ut eo in discrimine periret, ait: *Unde militis vitam se extinguere credidit, virtutis ejus gloriam inde cumulavit.* Commemorata voluntate Ionæ, qui fugere cupiebat, inquit: *Illuc gestante bellua pervenit, quo ire sponte contempsit: & quia auctori suo obedire renuitur, ad locum quo missus fuerat, suo reus carcere portatur.* Demùm adducto exemplo Christi, cui mortem intulerunt Iudæi, quia totus mundus post eum abibat; & tamen inde Christi fides crevit, unde hanc se extinguere infidelium crudelitas credidit, sic concludit: *Iustus & misericors Dominus mortalium facta disponens, alia concedit propitius, alia permittit iratus; atque ea quæ permittit, sic tolerat, ut hæc in sui consilii usum vertat. Unde & miro modo fit, ut quod sine voluntate Dei agitur, voluntati Dei contrarium non sit, quia dum in bonum usum mala facta vertuntur, ejus consilio militant, quæ ejus consilio repugnant.* Sentit ergo planè D. Gregor. providentiam divinam semper scopum suum assequi, etiam quando videtur ipsi resisti. Quod si tunc est infallibilis, quantò magis cùm nihil obsistit? Ac proinde semper est infallibilis & certa.

Confirmatur egregiis D. Augustini testimoniis; ait enim in Psal. 110. *Non sic constituta sunt opera Domini, ut creatura in libero arbitrio constituta superet Creatoris voluntatem, etiamsi contra ejus faciat voluntatem. Non vult Deus ut pecces; nam prohibet: tamen si peccaveris, non putes hominem fecisse quod voluit, & Deo accidisse quod noluit; sicut enim vult ut homo non peccet, ita vult peccanti parcere, ut revertatur & vivat; ita vult postremò in peccato perseverantem punire, ut justitiæ potentiam contumax non evadat. Ita quidquid elegeris, Omnipotenti non deerit unde suam de te compleat voluntatem.* Et hujus rationem præclaram affert in Enchirid. c. 100. *Propterea magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem, quia non fieret, si non sineret; nec utique nolens sinit, sed volens.* Videsis eundem S. Patrem ibidem *à cap. 95. usque ad 103.* ubi asserit, Deum omnipotentem non posse inaniter velle quodcunque voluerit, nec mala hominis voluntate prævalente atque impediente, bonam Dei voluntatem frustrari, quia si non possit Deus quod vult, impotens esset; si non assequitur quod optat, infelix & miser foret.

Probatur tertiò ratione: Providentia divina, utpote perfectissimus actus prudentiæ, non solùm respicit media, & circumstantias mediorum; sed etiam iis mediis non incumbit, nisi in ordine ad finem, aliàs cæco modo operaretur: Ergo non solùm obtinet media, sed etiam finem assequitur. Probo consequentiam: Providentia secundùm Thomistas est actus imperii, sicut & prædestinatio: Atqui imperium, utpote efficax, & præcedentium actuum energiam virtualiter continens, frustrari non potest ab eo quod imperat, cùm illud faciendum & exequendum intimet, præsertim si sit imperium causæ omnipotentis: Ergo si Providentia occupetur circa finem, sicut & circa media, imò media ipsa non ordinet nisi propter finem; sicut à mediorum ordinatione non frustratur, ita nec à finis, quem prætendit, assequutione, aliàs talis providentia esset incerta, fallibilis, similis nostræ, quæ timida est, atque aliquando effectum sortiretur, quandoque non obtineret, sicque ejus certitudo penderet ab eventu futuro, quod est non parum favere scientiæ mediæ. Unde rigidiores & oculatiores Thomistæ, & divinæ gratiæ acriores defensores nostram sententiam propugnant, Cajetanus, Bañes, & Alvares.

Confirmatur: Finis divinæ providentiæ est manifestatio divinæ gloriæ, & communicatio bonitatis illius, ut diximus in fine speculationis præcedentis: Atqui

divina

divina providentia hunc finem infallibiliter assequitur etiam in reprobatione malorum, in quorum derelictione manifestatur justitia Dei, misericordia circa electos, bonum totius universi, ut patebit infrà: Ergo semper providentia finem suum assequitur, & ut canit Ecclesia, in sui dispositione non fallitur: & Sap. 8. *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.* Per suavem dispositionem indicatur congrua mediorum ordinatio, per fortem finis attingentiam perspicuè significatur infallibilis finis intenti assequutio.

Denique horum omnium radicem profundam & inconvulsam tradit S. Doctor suprà, *quæst.* 19. *art.* 6. ubi paucis verbis reconditissima hujus materiæ viscera ad fundum usque penetravit, sic ratiocinatus: *Potest aliquid fieri extra ordinem alicujus causæ particularis agentis, non autem extra ordinem alicujus causæ universalis, sub qua omnes causæ particulares comprehenduntur; quia si aliqua causa particularis deficiat à suo effectu, hoc est propter aliam causam particularem impedientem, quæ continetur sub ordine causæ universalis: unde effectus ordinem causæ universalis nullo modo potest exire. Et hoc etiam patet in corporalibus, potest enim impediri quod aliqua stella non inducat suum effectum; sed tamen quicumque effectus ex causa corporea impediente in rebus corporalibus consequatur, oportet quod reducatur per aliquas causas medias in universalem virtutem primi cœli. Cum igitur voluntas Dei* (& idem dic de providentia quæ est exequutio voluntatis,) *sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videtur à divina voluntate secundùm unum ordinem, relabitur in ipsam secundum alium: sicut peccator, qui quantum est in se recedit à divina voluntate peccando, incidit in ordinem divinæ voluntatis, dum per ejus justitiam punitur.* Vides universalissimam providentiæ divinæ causalitatem ad optatum exitum omnia perducere.

Objicies: D. Thomas *q.* 6. *de verit. art.* 1. *in corp.* hanc statuit differentiam inter providentiam & prædestinationem, quod *providentia ordinem in finem respicit tantùm, unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur; sed prædestinatio respicit etiam exitum, vel eventum ordinis, unde non est nisi eorum qui gloriam consequuntur.* Quibus apertis verbis indicatur etiam ratio fundamentalis. Reprobi enim ordinantur per divinam providentiam ad beatitudinem supernaturalem, juxta illud 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*: Sed providentia in illis talem finem non assequitur: Ergo providentia non est infallibilis quoad finis assequutionem.

Respondeo quod cùm providentia sit de mediis propter finem, omninò supponit volitionem finis intenti: Impossibile est autem, quod velit Deus voluntate absoluta consequi finem per media, & quod finem illum non assequatur; aliàs divina providentia esset imperfecta, & impediretur à voluntate creata, quod toti D. Thomæ doctrinæ adversatur. Ad locum ergo quæstionis de veritate, omissa solutione tum eorum qui semper recurrunt ad retractationem D. Thom. in Summa, ubi quæ in aliis operibus scripserat, correxit; tum eorum qui in Deo duplicem providentiam admittunt, unam quæ sequitur voluntatem antecedentem, de qua volunt loqui D. Thomam in objectione relatum; alteram quæ sequitur consequentem, de qua sermonem habet in testimoniis expressis à nobis adductis; providentiam enim antecedentem admittere repugnat conceptui providentiæ & prudentiæ, de cujus ratione est quod sit consequens, & imperans effectum.

Planiùs & faciliùs respondeo, quod sicut dicitur in morali, duplex est finis, alius operis, alius operantis: finis operis est ille, ad quem opus ex natura sua tendit: finis operantis est ille, quem operans sibi præstituit. V. g. finis operis misericordiæ est sublevatio pauperis; finis verò hominis misericordis potest esse vel Deus summè dilectus, vel vana gloria. Itaque hæc est providentiam inter & prædestinationem differentia, quod interdum providentia dat media quæ ex natura sua tendunt & inclinant in finem ad quem non perducunt, ut auxilia sufficientia, quæ providet reprobis, movent quidem, sed non ducunt ad salutem; cum quo tamen stat, etiam tunc finem principaliter ab operante intentum obtineri, scilicet manifestationem divinæ gloriæ, & attributorum ejus. At verò prædestinatio per media quæ confert, respicit semper exitum & eventum ordinis, quia ad finem, ad quem ex parte operis, & ex natura sua movent, scilicet salutem, de facto conducunt; quia sunt beneficia quibus certissimè liberantur quicumque liberantur. D. ergo Thomas *loco citato* loquitur de providentia quantum ad effectus suos consideratos secundùm finem operis, & non secundùm finem operantis.

Unde claritatis gratiâ hæc ejus propositio, *Providentia ordinem in finem respicit tantùm*, distinguenda est: si consideretur finis operis mediorum quæ largitur, concedo; si consideretur finis operantis, nego: præsertim quia quod illa media non consequantur finem particularem, ex providentia est, quæ vult ut aliqua ordinentur in finem, quem tamen non consequantur. Ex quo etiam similiter satisfit rationi distinguendo majorem: reprobi per providentiam ordinantur ad salutem tanquam finem ultimum providentiæ, nego; hic enim finis est manifestatio divinæ gloriæ in reprobis; tanquam finem mediorum quæ confert, concedo. Quare licèt providentia non assequatur semper finem particularem ad quem effectus quem ponit inclinatur, v. g. non assequatur gloriam in reprobis, ad quam tamen allicit gratia sufficiens à providentia ministrata; tamen providentia semper attingit finem intentum, quem efficaciter vult. Imò quod videtur recedere ab uno ordine divinæ providentiæ, relabitur in alium, quia est causa universalissima, ut optimè ait D. Thom. loquens de voluntate: & idem repetit de providentia, infrà *q.* 103. *art.* 7. dicens: *Cum Deus sit causa universalis totius entis, impossibile est quod aliquid contingat præter ordinem divinæ gubernationis; sed ex hoc ipso quod aliquid ex una parte videtur exire ab ordine divinæ providentiæ, qui consideratur secundùm unam causam particularem, necesse est ut in eundem relabatur secundùm aliam causam.*

Reflexio.

Placet huic speculationi finem imponere opportunissimis D. Gregorii anteà laudati verbis: *Salomon ait, Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Restat ergo ut in cunctis quæ agimus, vim supremæ voluntatis inquiramus, cui videlicet cognita debet nostra actio devotè famulari, & quasi ducem sui itineris prosequi, ne ei etiam nolens serviat, si hanc superbiens declinat. Vitari enim vis supremi consilii nequaquam potest. Sed magna sibi virtute hanc temperat, qui se sub ejus nutibus refrenat; ejusque se pondere levigat, qui hanc subjecto cordis humero volens portat.* Quàm cæcus est peccator dum providentiam fugere nititur, in quam, etiam dum fugit, relabitur. Nam ut præclarè August. lib. 4. confess. cap. 7. *Qui te dimittit, quò it, aut quò fugit, nisi à te placide ad te iratum?* Pulchrè etiam hujusmodi divinæ providentiæ reluctantes appellantur, Sap. 17. *Fugitivi perpetuæ providentiæ, vinculis tenebricosis compediti*; quia dum unum providentiæ ordinem se fugere arbitrantur, in aliom nescii relabuntur, seque ipsos ligant, dum divinæ voluntatis & legis impositum jugum excutiunt. Verè ille sapiens est,

est, qui lubens providentiæ Dei se sponte subjicit, à qua etiam qui conatur, non recedit. Qua de re videsis Iustum Lipsium *lib. 2. de constant. cap. 7.* ubi inter alia inquit: *Deus occulto quodam fune inscium, invitumque trahit ad suum finem.* Vt in exercitu varii affectus militum sunt, & hunc præda invitat, hunc gloria, illum odium; omnes tamen pro victoria, & Principe pugnant: sic omnes voluntates bonæ, malæque Deo militant, & inter varios fines veniunt tamen ad huoc, ut sic dicam, finium finem. Ad potentiam ejus hoc facit, & gloriam, quò nostra omnia ipse refert. Quid enim magis vim ejus exprimat, quàm quod non vincat solùm obluctantes sibi hostes, sed ita vincat, ut ad se traducat, & sua castra, ut pro ipso militent, ut arma pro victoria ejus ferant? Quod evenit quotidie dum in malis Dei voluntas fit, etsi non à malis. Tu Attila ab extremo orbe advola, sitiens sanguinis & prædæ; rape, cæde, ure, vasta: sævitia hæc Deo militabit, nec aliud quàm exercitatio Christianorum erit, qui vitiis aut deliciis immersi sunt, aut sepulti. Quid vos duo Vespasiani? Iudæam, Iudæosque perdite, capite, & excipite urbem sacram. Quo fine? Vos quidem gloriæ, & propagandi imperii zelo hæc agitis: sed erratis; reverà lictores & satellites ultionis divinæ estis in impiam gentem. Ite & qui Christiaoos Romæ morte afficitis, Christi mortem in Iudæam vindicate. Et exempla hæc ab omni ævo obvia, ubi Deus per improbas aliorum cupidines bonam suam voluntatem exercuit, per aliorum injustitiam exercuit judicia sua justa.

CAPVT II.

De omnipotentia & dominio Dei.

Omnipotentiæ attributum cæteris aliis dat splendorem, & mentibus nostris ingenerat admirationem: relucet enim essentia in virtute, & naturæ sublimitas in potestate clarescit. Stupet etiam animus dum considerat Deum posse omne quod vult, post omnia posse plura, post plura infinita; imò tantam esse Dei potentiam, ut non possit totum facere quod potest facere, quia exhaurire nequit potentiam suam faciendo omnia quæ potest; quia magnorum artificum proprium est præclara facere, præclariora posse, & post præclarissima, adhuc sibi superesse quod possint. Sed non minùs amabilis est hæc perfectio quàm illustris, quia dum Deum omnipotentem Patrem & amicum habemus, ipsi omnipotentes evadimus. Hinc Veritas dicebat, quod *omnia possibilia sunt credenti*: hinc Apostolus verè & confidenter asserebat: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Vt ergo tantam perfectionem & profundè veneramur, & ardenter diligamus, sit

SPECULATIO I.

In Deo est summa & plenissima omnipotentia, seu virtus infinita ad quodcumque non repugnat producendum.

Hanc perfectionem, tanquam præcipuam Dei monile sæpius commendant sacræ Paginæ. Esther 13. *Domine Rex omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita.* Apoc. 4. *Domine Deus omnipotens, qui est, qui erat, & qui venturus est.* 2. Paral. 14. *Domine non est apud te ulla distantia, utrum in paucis auxilieris, an in pluribus.* Matth. 26. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Luc. 1. *Non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Ad Ephes. 3. *Potens est omnia facere superabundanter quàm petimus, aut intelligimus.* Vnde Ecclesia Catholica in Symbolo ab hujus articuli confessione exorditur, dū publicè canit: *Credo in unum Deum patrem omnipotentem.*

Probatur à priori: Deus est purus & perfectissimus actus: Ergo habet potentiam infinitam, seu omnipotentiam. Probatur consequentia: Quanto aliquid est perfectius, tanto melius potest agere: cujus signum est, quod quando aliquid suam ultimam perfectionem attigit, tunc tendit ad producendum simile, & ad effundendam perfectionem illam, ad quam pervenit: Ergo si Deus sit actus purus, perfectissimus, & infinitus, potentia etiam ipsius nullis circumscribitur terminis, sicut nec essentia cum qua identificatur.

Confirmatur: Hoc ipso, quod Deus habet essentiam infinitam, habet etiam perfectionem infinitis modis imitabilem & participabilem à creaturis: Ergo habet virtutem infinitam, quâ possit creaturas perfectionem Dei imitantes sine fine producere, non solùm extensivè, quatenus valet quacumque producta, aliam & aliam efficere; sed etiam extensivè, quia data quacumque perfecta, potest perfectiorem, & perfectiorem sine fine procreare, nimirum quia creaturæ nunquam adeo perfectè Dei excellentiam imitantur; quin eam possint perfectiùs exprimere.

Probatur secundò à posteriori ex effectibus in quibus primi entis virtus infinita resplendet. Tum in creatione mundi ex nihilo, quæ soli agenti infinito competere potest, ut libro 4. dicetur. Tum ex mundi conservatione perenni. Tum ex patratione miraculorum, quæ sunt infallibilia supremæ potestatis sigilla, ut mortui resurrectio, cæci illuminatio. Tum ex Incarnatione Christi, in qua fecit Deus potentiam in brachio suo, & in qua, ut dicitur 1. Cor. 1. *Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi*; quia ut ait ibi glossa, ostendit in ea virtus Dei esse possibile, quod sapientia hujus mundi judicabat impossibile. Tum in conversione mundi, & vocatione gentium ad fidem tam sublimem in his quæ docet, tam arduam in his quæ præcipit. Tum ex protectione Ecclesiæ, & Navis Petri inter tot sæcularis potestatis turbines, tot impiorum hominum procellas, & hæreticorum ac dæmonum tempestates tantas inconcussæ. Tum ex conversione peccatoris obdurati, quam D. Thom. post S. Augustinum mundi creationi præfert, ut dicetur aliàs. Tum ex generali resurrectione in fine sæculorum, gloria & beatitudine Sanctorum, pœna damnatorum, in quibus omnibus facilè divinam omnipotentiam meditabere. Tum demùm ex vilissimis instrumentis quæ adhibet ut potentiam suam demonstret; non enim armis eget ad bella, nec auxiliis. Muscæ sunt illi milites, & ranæ exercitus: luto illuminat cæcum natum; aquâ sanctificat animam. Quia ejus virtus est independens, infatigabilis, invincibilis: independens à mediis, sibi sufficiens: infatigabilis in operibus, omnia solo verbo potens: invincibilis ab hostibus, omnia quæcumque voluit faciens, & semper vincens.

Debet autem explicari hoc attributum, ut tradit S. Doctor *quæst. 25. art. 3.* per hoc quod virtus divina ad omnia possibilia se extendere valeat. Illud autem dicitur possibile, quod potest habere rationem entis, & quod nullam involvit repugnantiam; quod enim implicat, seu involvit simul esse & non esse, omnipotentiæ divinæ non subditur, non propter defectum virtutis Dei, sed ob talis objecti implicationem. Vnde convenientiùs dicitur illud non posse fieri, quàm quod Deus non potest illud facere. V. g. quod præterita non fuerint, non subjacet divinæ potentiæ, quia implicat aliquid fuisse, & simul verum esse illud non fuisse. Vnde ait Hieronymus: *Cùm Deus omnia possit, non potest de corrupta facere incorruptam, quia licèt omnem corruptionem mentis & corporis auferre possit à muliere corrupta; hoc tamen ab ea removeri non*

non potest, quod corrupta non fuerit. Eandem ob repugnantiam peccatum non potest fieri à divina omnipotentia. Imò profundè observat S. Thom. quod quia Deus est omnipotens, peccare omninò non potest, quia peccare est deficere à perfecta ratione: unde posse peccare, est posse deficere in agendo, quod non provenit nisi ex infirmitate virtutis activæ, subindéque repugnat omnipotentiæ.

Objicies 1. Si Deus esset omnipotens, posset alia facere quæ non fecit; si enim ea tantùm potest facere quæ facit, limitata est virtus ejus ad certum rerum ordinem; quod non stat cum omnipotentia: Sed Deus non potest facere nisi ea quæ facit, aliàs Deus posset aliquid facere quod non præscivit, vel decrevit. Ergo Deus non est omnipotens.

Respondeo, virtutem divinam, utpote infinitam, & agentem absque necessitate, sed cum voluntate, posse absolutè facere multa quæ de facto noluit. Dicitur enim Matth. 26. *An non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquam duodecim legiones Angelorum?* quas tamen nec Christus rogavit, nec Pater exhibuit: & licèt Deus nihil faciat nisi quæ præscivit, ordinavitque se facturum, alia tamen potest efficere, quia licèt ipsum facere subjaceat præscientiæ, & præordinationi; non tamen ipsum posse: ideò namque facit Deus aliquid, quia vult; sed non ideò potest, quia vult, sed quia talis est in sua natura.

Dices: Deus nihil potest facere, nisi secundùm leges sapientiæ suæ: Sed divina sapientia non judicavit esse conveniens facienda esse alia præter ea quæ facit: Ergo alia efficere nequit.

Respondeo divinam sapientiam non esse limitatam ad rerum ordinem qui est, sed alium rerum cursum statuere potuisse. Quia tunc solùm sapientia alicujus agentis limitatur, quando finis quem intendit, est finitus, & commensuratus rebus quas producit: finis autem divinæ sapientiæ est bonitas increata, quæ improportionabiliter excedit omnem creaturam. Quare licèt sapientia Dei judicaverit hunc rerum ordinem efficere; alium tamen posse effici, & quidem convenienter, si voluisset, pariter judicavit.

Objicies 2. Si Deus esset omnipotens, posset facere meliora his quæ facit; si enim non posset, exhausta esset virtus ipsius in productione rerum, subindeque non esset omnipotens. Atqui Deus non potest facere meliora, aliàs ea quæ fecit, non essent sapientissimè facta, nec dicenda forent valde bona. Et certè si res potuit facere meliores, & noluit, invidus fuit, ut in simili arguit August. *lib. 3. cont. Maxim. c. 7.* Ergo Deus non est omnipotens.

Respondeo, quod si res considerentur secundùm essentiam, quæ est indivisibilis, non possunt fieri essentiæ melioris, quia additio differentiæ essentialis est sicut additio unitatis in numeris. Vnde sicut non potest fieri quaternarius major, quia desineret esse quaternarius; ita nec perficere essentiam perfectione essentiali. Potest tamen eam bonitate accidentali, tum naturali, tum supernaturali cumulatiùs adornare. Fateor tamen quod ex parte facientis nihil potest meliùs fieri, id est cum majori sapientia & bonitate; & ideo quæ facta sunt, valde bona dicuntur ob convenientissimum ordinem quem habent in universo. Cum quo stat, Deum posse efficere universum ex parte rei factæ perfectius. D. August. verò *loco cit.* loquitur de Patre Æterno, quem dicit futurum invidum, si non produxisset filium æqualem; quia filius naturalis est imago patris, cui debet perfectè assimilari: at creaturæ sunt deficientes Dei expressiones; & ideò non est simile.

Quare non est assentiendum quibusdam Theologis asserentibus Deum necessitate quadam morali teneri eligere id quod pensatis omnibus magis decet gloriæ suæ Majestatem, & honorem. Nam hæc assertio non solùm destruit perfectam Dei libertatem, quæ non debet adstringi ad assumendum unum medium præ alio; sed etiam ipsi Dei gloriæ, cui patrocinari intendit, nocet. Nam Dei infinitam in semetipso gloriam habentis parum interest, quod tali, vel tali rerum serie manifestetur, cùm omnium creaturarum creabiliumque perfectionum acervus quasi nihilum coram ipso reputetur, & omnibus per totam æternitatem caruerit. Nec est verisimile, Deum in rerum omnium possibilium combinationibus alium rerum ordinem invenire minimè potuisse, in quo gloriam suam splendidiori, vel saltem æquè claro nitore externo manifestaret. Quare in hoc duntaxat sensu dici potest & debet, Deum semper meliora efficere, quia semper agit ad normam suæ regulatissimæ voluntatis, quam impleri summè conveniens est. Vel facit semper melius, considerato fine præintento, & præfixo hujus universi ordinis, & in hoc sensu verum est illud Ecclesiastici 3. *Dixi quod omnia opera quæ facit Deus, perseverent in perpetuum: non possumus eis quidquam addere, nec auferre.*

Dices: Deus se summè amat: Ergo vult semper quod sibi judicat melius; sicut justi qui diligunt Deum in hac vita, semper quærunt quod conducit ad majorem Dei gloriam.

Respondeo, Deum se summè amare, & ideo non facere semper quod in se perfectius est, sed quod est suæ voluntati conformius. Et ideò justi, & verè spiritales homines, dum anhelant ad majorem Dei gloriam, conantur solùm ut fiat voluntas Dei, sive res videatur in se melior, sive non. V. g. videretur in se melius alicui saluti animarum navare operam ministerio prædicationis vel confessionis, quàm in solitudine attendere sibi & doctrinæ. Si tamen de primo non constat per veram vocationem, vel legitimi Superioris præceptum, qui potiùs mandat ab his Apostolicis functionibus abstinere, tunc qui majorem Dei gloriam quærit, sibi sedulò vacabit; quia tunc illam eo modo quæret, quo Deus ipse vult. Quod obiter dictum adverti velim ab incipientibus in vita spiritus. Nam Deus bonorum nostrorum non eget. Et ut præclarè August. lib. 10. de civit. c. 5. *Non solum qualibet re corruptibili & terrena, sed nec ipsa quidem hominum justitia Deum egere credendum est, & id totum, quo devotè colitur, homini prodesse, non Deo: neque enim fonti dicat quisquam profuisse si biberit, aut luci si viderit.* Et lib. de doct. Christ. c. 31. *Deum egere bono nostro nemo sanus dixerit; omne enim bonum nostrum vel ipse est, vel ab ipso est.*

REFLEXIO.

Plurima sunt, pie Lector, quæ ex divinæ omnipotentiæ tam fulgido attributo ad pietatem elici possent, uti summam in eo reponendam esse fiduciam, qui omnia potest: illum esse unicè timendum, cujus virtuti nihil resistit, aliaque sexcenta. Quibus prætermissis, hoc solùm meditare, cur Deus cùm sit omnipotens, atque adeo mundum ornatiorem efficere potuerit, tamen in rerum universitate multos imperfectionum defectus sinit? Non abs re sanè, sed planè consultò, & data opera: nimirum ut rebus creatis cor humanum non adhæreret; & sicut columba non inveniens ubi requiesceret pes ejus, ad arcam reversa est; sic animus noster creatorum bonorum tenuitate, vilitate, & amaritudine fastiditus, solis æternis, quibus natus est, inhiet. Quàm benè exclamat Aug. in Psal. 37. *O infelicitas generis humani! Amarus est mundus, & diligitur. Puta si dulcis esset, quomodo amaretur? Formose quomodo hæreres, qui sic amplecteris fœdum? Flores ejus quomodo colligeres, qui à spinis non revocas manum?*

Specu

SPECULATIO II.

Omnipotentia Dei, seu virtus quâ Deus ad extra exequitur decreta voluntatis suæ, non distinguitur ab intellectu & voluntate, tanquam potentia ex æquo distincta, sed ut attributum inadæquatum intra potentiam, & lineam intellectualem.

Explicatur: Attributa divina possunt distingui vel secundùm diversas rationes adæquatas, & ad differentes veluti lineas pertinentes: sic distinguitur intellectus, & voluntas: sic bonitas, æternitas, immensitas. Vel distinguuntur solùm secundùm diversas rationes inadæquatas, quando licèt habeant distinctam formaliter rationem inter se, tamen ad eandem lineam reducuntur: sic sapientia, ars, prudentia distinguuntur ratione; sed tamen intra ordinem intellectualem continentur. Similiter justitia, misericordia, gaudium, amor in Deo ratione distinguuntur; sed tamen ad lineam voluntatis spectant. Ita in proposito dicimus, potentiam exequutivam in Deo non constituere attributum ex æquo distinctum ab intellectu & voluntate, quasi se habeat nostro modo intelligendi ut potentia specialis; sed dicimus, quod inadæquatè distinguitur, tanquam aliquid pertinens ad lineam intellectus, addens supra scientiam rationem principii practicè productivi, & exequentis ad extra.

Ista nostra distinctione fortè concordantur sententiæ hac in parte oppositæ, quarum una affirmat potentiam exequutivam in Deo distingui virtualiter ab intellectu & voluntate, altera negat. Explicatur etiam perspicuè quid sibi velit D. Thom. *q. 25. art. 1. ad 4.* ubi in prima solutione videtur admittere distinctionem potentiæ ab intellectu & voluntate; in secunda id videtur inficiari. Verba ejus sunt hæc: *Potentia non ponitur in Deo, ut aliquid differens à scientia & voluntate secundùm rem, sed solùm secundùm rationem, in quantum scilicet potentia importat rationem principii exequentis id quod voluntas imperat, & quod scientia dirigit. Vel dicendum, quod ipsa scientia, vel voluntas divina secundùm quod est principium effectivum habet rationem potentiæ.* Vbi vides, velle eum in prima solutione potentiam distingui ab intellectu & voluntate; in secunda astruere potentiam exequutivam esse ipsammet scientiam sub formalitate & consideratione principii effectivi. Sed hæc apparens dissensio præfata distinctione dilucidè conciliatur. In prima enim intendit, potentiam distingui à scientia ratione, non tanquam attributum adæquatum, sed inadæquatè pertinens ad lineam intellectualem. In secunda verò non negat hæc attributa distingui inter se ratione, sed tantùm negat esse facultatem ex æquo à scientia distinctam.

Probatur prior pars. Potentia exequutiva quæ ex æquo distinguitur ab intellectu & voluntate, non habet aliud munus, nec aliam elicit operationem, quàm exequi id quod ab altera ordinatur & præcipitur; non enim est facultas cognoscens & volens, sed exequutionem mandans, ut regulata per rationem dirigentem, & imperantem. Atqui illa potentia dicit apertam imperfectionem: Ergo in Deo admittenda non est potentia ex æquo distincta ab intellectu & voluntate. Major est clara explicatio potentiæ merè exequutivæ, de qua hìc agimus. Minor autem probatur. Hæc potentia redolet imperfectionem, tum in potentia imperante, tum in exequente. In imperante quidem, quia quando facultas ordinans indiget potentia exequutivâ efficiente ad extra quod imperat, argumento est non esse perfectè efficacem, nec res sibi plenè subjici: sicut quia imaginationi non plenè subduntur organa corporis, & multò minùs corpora aliena, indiget virtute motiva ciente organa, & externa corpora impellere.

In exequente etiam arguit imperfectionem, quia virtus quæ nihil habet nisi exequi ad imperium & directionem alterius, se habet præcisè ut mota, & ut obediens instrumentum, quod apertam subiodicat imperfectionis labem. Qui sanè duplex defectus longè est à Deo, in quo virtus imperans plenè sibi potest subjicere omnia. Nam voluntati ejus nihil resistit, & intellectu præcipiente & dicente, subitò omnia facta sunt. In ipso etiam virtus operans non potest esse subjecta, & ex subjectione protrumpens in actum.

Objicies: Ad exequendum aliquid ad extra requiritur principium actionis transeuntis: Sed intellectus & voluntas sunt principium actionum immanentium: Ergo requiritur aliud principium talis actionis transeuntis ad extra.

Respondeo, actionem formaliter immanentem posse esse virtualiter transeuntem; & certè si secundùm veriorem Philosophorum sententiam in nobis voluntas movet intellectum & appetitum absque ulla potentia media exequente, sed per se immediatè, quod fit vel per sympathiam & colligationem potentiarum, ratione cujus superiore volente, aliæ continuò parent, & exequuntur; vel per impressionem alicujus motus: quantò magis voluntas & scientia Dei, cui omnia perfectissimè subsunt, immediatè omnia movebit? Nam, ut ait Hieron. in c. 8. Matth. *Omnes creaturæ sentiunt creatorem, non errore hæreticorum, qui omnia putant animata; sed majestate conditoris, quia quæ apud nos insensibilia, illi sensibilia sunt*, idest perfectè submissa voluntati ejus.

Dices: Potentia exequutiva est unica: Ergo non pertinet ad intellectum & voluntatem, sed ad specialem virtutem ex æquo ab utroque virtualiter distinctam.

Respondeo, facultatem seu principium exequendi pertinere immediatiùs ad vim intellectivam, quatenus practica & imperativa est. Nam ad illam facultatem pertinet esse principium operationis, à qua immediatè oritur exequutio, quæ est actus intellectus practici, in quo consistit imperium efficaciter intimans decretum voluntatis, & emittens effectum, ut satis superque ostendimus dum de causalitate scientiæ Dei, & de essentia providentiæ. Mediatè tamen pertinet ad voluntatem, quia ut ibidem diximus, efficax imperium intellectus practici supponit efficax decretum voluntatis.

Posterior pars, quæ asserit potentiam exequutivam distingui inadæquatè ab intellectu, & voluntate, probatur. Intellectus secundùm propriam rationem est principium intelligendi, voluntas est principium amandi, potentia verò est principium exequendi: Sed est sufficiens fundamentum distinguendi illa tria, siquidem habent objecta distincta; objectum enim intellectus est veritas; voluntatis est bonitas; potentiæ verò exequutivæ sunt creaturæ ut producendæ: Ergo illa tria principia virtualiter distinguuntur. Et certè non est majus fundamentum distinguendi intra lineam intellectualem artem, prudentiam, providentiam à scientia; & intra lineam voluntatis justitiam, misericordiam, amorem, aliosque affectus à Dei voluntate, quàm illa tria principia prædicta.

REFLEXIO.

Sicut virtus exequutiva Dei ad ordinem intellectualem spectat, sic omnis nostra exequutio ab intellectu & ratione derivari debet. Nihil ergo fiat quod ratio non imperet, quod non dictet prudentia, quod consilium non antecedat. Nihil præceps, nihil ex impetu, ex passione nihil agatur. Quid miserabilius homine

agente ex passione ? Facilius atomos dinumerare est, quàm fluctuantis, & fugacis cordis ejus motus. Nam qui ejusmodi est, sibi non concordat, à se dissonat, consilia mutat, cogitationibus amaris turbatur, immundis maculatur, vanis impeditur; cùm labitur in illis, revolvitur in istis; vanitas eum movet, curiositas deducit, cupiditas allicit, voluptas seducit, & fascinat. Hæc ut vites, omnia consideratione præveni. Nam ut optimè ait Bernard. lib. 2. de consider. c.7. *Quid tam ad omnia valens, quàm quæ ipsius quoque actionis partes benigna quadam præsumptione suas facit, præagendo quodammodo, & præordinando quæ agenda sunt? ne fortè quæ & prævisa, & præmeditata poterant esse proficuo, præcipitata magis periculo fiant.* Et postea expendens considerationis emolumenta ad benè agendum, sic peroximiè prosequitur: *Et primùm quidem fontem suum, de quo oritur, purificat consideratio: deinde regit actus, corrigit excessus, componit mores, vitam honestat, & ordinat. Hæc est quæ confusa distermi-nat, hiantia cogit, sparsa colligit, secreta rimatur, vera vestigat, verisimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc est quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc est quæ in prosperis adversa præsentit, in adversis quasi non sentit. Hæc est quæ inter voluptates & necessitates media quasi quadam arbitra sedens, utrimque certis limitibus disterminat fines, istis assignans & præbens quod sat est, illis quod nimis est demens.* Vides quàm utile sit, quàm honestum; quàm necessarium omnem exequutionem consideratione prævenire.

SPECULATIO III.

In Deo est supremum & illimitatum dominium.

HAnc veritatem non solùm tota prædicat Scriptura, in qua antonomasticè Deus vocatur Dominus, & Rex regum ac Dominus dominantium; sed etiam ipsi Reges confessi sunt. David enim non solùm ingeminat, Psal. 115. *O Domine quia ego servus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Sed etiam filio suo in successorem designato dixit 1. Paralip. 28. *Tu Salomon fili mi, scito Deum Patris tui, & servito ei corde perfecto, & animo voluntario.* Et ipse Salomon Sap. 6. vocat Reges *Ministros* obnoxios reddendæ Deo rationi. Rex Iosaphat loquens Deo, 2. Paral. 20. ait: *Tu es Deus in cœlo, & dominaris cunctis regnis gentium.* Unde Reges & Principes Christiani superiorem temporalem in terris non agnoscentes, se tamen Dei gratiâ regnare passim in suis diplomatibus profitentur, scientes quod coronam repetere potest Regum Dominus, qui illam dedit, & quod eam repetit, dum repetit vitam. Solus Deus gerit coronam, quam non accepit; nullique debet sceptrum, quit est ens à se.

Probatur: Dominium est duplex, aliud jurisdictionis, aliud proprietatis. Primum est potestas gubernandi subditos, cujus sunt quinque actus, *præcipere, prohibere, permittere, punire, & præmiare.* Dominium verò proprietatis est facultas, & jus disponendi ad libitum de re aliqua sine injuria alterius. Atqui plenissimè Deo convenit utrumque illud dominium. Primum quidem, tum quia Deus est ens perfectissimum; videmus autem entia eo esse superiora & prælatiora, quo sunt perfectiora: Sic spiritus præsunt corporibus, corpora cœlestia sublunaribus, vir uxori, homines jumentis. Tum quia Deus est sapientissimus; ad sapientes autem regimen spectat. Vnde dicebat Plato, tunc futura felicia imperia, cùm Philosophi regnarent. Tum quia Deus est potentissimus; attinet autem ad potentes infirmiores regere, custodire, & defensare.

Dominium etiam proprietatis Deo convenire facilè suadetur. Tum ratione creationis; si enim pater est Dominus filii quem genuit, quanto magis Deus, qui materiam, & animam creavit? Tum titulo conservationis, quâ continuò rebus influit esse, portans omnia verbo virtutis suæ, & ut ait Gregor. 2. Moral. c. 12. *Deus manet intra omnia, extra omnia, supra omnia, infra omnia: superior per potentiam, inferior per sustentationem.* Vnde res omnes continuò à se dependentes facit. Tum jure redemptionis; nam ut ait Seneca lib. 1. de benef. c. 9. *Quæ emeris vendere, jus gentium est.* Christus autem dedit semetipsum redemptionem pro omnibus, & copiosa est apud eum redemptio. *Benè copiosa* (ait Bern. serm. 22. in Cant.) *Siquidem non gutta, sed unda sanguinis quinque per partes corporis emanavit.* Tum ratione ultimi finis; si enim homo est Dominus corporalium, quia propter ipsum condita sunt; quàm potiori jure Deus est omnium Dominus, qui est omnium finis, non solùm quoad usum, quo modo homo est finis creaturarum, non solùm ex ordinatione Dei extrinseca, sed etiam ex essentiali conditione creaturæ, quæ conditoris obsequio nata est?

Illi supremo dominio debemus primò altam æstimationem, quæ est exordium veræ pietatis, ut ait August. lib. 1. de libero arbitr. *De Deo optimè existimare pietatis est exordium.* Tanto quippe Domino debetur *tremor amoris*, ut ait idem Sanctus lib. 2. Confess. c. 19. *Mira profunditas Deus meus, mira profunditas: horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Et ideo sancti vera etiam de Deo dicere formidant. *Cavendum est* (inquit elegans Salvianus) *ne id ipsum quod pro honore Dei dicitur, injuria Dei esse videatur. Tanta quippe est majestatis sacræ, & tam tremenda reverentia, ut etiam quæ pro religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu dicere debeamus.*

Secundò debetur ei honor; nam illi curvatur omne genu, & coram eo curvantur qui portant orbem, ut ait Scriptura; & ideo ei offeruntur sacrificia tanquam Domino & authori vitæ & necis; ac duplicem adorationem Deo offerimus, spiritalem mentis devotione, & corporalem membrorum humiliatione, ut per signa humilitatis quæ exteriùs exhibemus, excitetur noster affectus ad subjiciendum se supremo Domino, quia nobis connaturale est, ut per sensibilia ad intelligibilia procedamus. Ideo etiam Deum laudibus, hymnis, Psalmis pro virili celebramus, ejusque gloriam verbi prædicatione enarramus. Cujus quidem honoris Dei propagandi & amplificandi Sancti omnes zelantissimi fuerunt, & minimarum Dei injuriarum impatientissimi, exemplo Christi, qui ut observat Chrysostomus *super Matth.* tentatus à diabolo patienter tulit, nec ipsum increpavit, nisi quando Sathanas Dei sibi usurpavit honorem. *Vt nos illius discamus exemplo, nostras quidem injurias magnanimiter sustinere, Dei autem injurias nec usque ad auditum differre: quoniam in propriis esse quempiam patientem, laudabile est: injurias autem Dei dissimulare nimis est impium.*

Tertiò debemus illi amorem, quo præcipuè dominium Dei colimus, & adoramus Patrem in spiritu & veritate, nosque offerimus Deo, tanquam hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. *Pietas cultus est Dei*, inquit August. epist. 120. *Nec colitur ille nisi amando.* Et in Psal. 77. *Hoc colitur, quod diligitur: unde quia Deus rebus omnibus major, aut melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur.* Ac proinde Christianam Religionem delet & extinguit, qui interni Dei amoris necessitatem negat; quia nullo Religionis munere fungitur, nullum Deo dignum sacrificium offert, nisi charitatis igne crematur. Imò nec ipsum altaris sacrificium ex opere operantis Deo gratum est, nisi amore offeratur. Nam sicut ipse Christus ibi

ibi realiter præsens & se, & totam Ecclesiam, tanquam amoris holocaustum consecrat : sic minister Christi suavissimum adolet incensum, si in ejus conspectu sacro amore flagrans, dum Altaris tremendum sacrificium peragit, simul sacrificet hostiam humilitatis, & laudis in ara cordis, igne fervidæ charitatis.

Quartò debemus ei obedientiam, fideliter quæcumque præcipit exequendo, nosque semper implendis officiis impares fatendo, & servos inutiles reputando, juxta illud Bernardi serm.de quadruplici debito : *Cum ei donavero quidquid sum, quidquid possum, nonne istud totum est sicut gutta ad fluvium, lapis ad montem, granum ad acervum.* Quapropter tenemur præcepta ejus seriò addiscere, revolvere, meditari, fideliter implere, & custodire, syncerè diligere, eaque servare, non timore pœnæ, sed amore justitiæ. Sacrificia enim bonorum operum non acceptat supremus Dominus, nisi fuerint charitatis sale condita. *Verum sacrificium*, inquit August. lib. 10. de civit. cap.6. *est omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Unde & ipsa misericordia, qua homini subvenitur, si propter Deum non fit, non est sacrificium.*

Reflexio.

Observarunt plures Doctores, supremum numen semper in Genesi vocari Deum, antequam hominis formatio enarretur. Cùm verò ad id ventum est, quod hominem de limo produxit, & in Paradiso posuit, deinceps Dominus vocatur. *Exinde Dominus*, inquit Tertull. lib.contra Hermog.c.3. *qui retro tantùm Deus, ex quo habuit cujus esset.* Certè si gloriatur Deus homini imperare, glorietur homo Deo obtemperare, cui servire regnare est, cujus lex æquitas, cujus thronus sicut sol omnibus affundens bonitatis radios. Quid tam superbum, quid tam indignum, vel ingratum, quàm adversus illius vivere voluntatem, à quo ipsum vivere accepimus ? in eum peccare, à quo portamur ? ejus sanguinem conculcare, quo redempti sumus ? ejusque præcepta despicere, qui ideò præcepit, ut causam habeat remunerandi, & ad beatitudinis finem perducendi, qui ipse est ? Quid intolerabilius, quàm peccando ea contra Deum moliri, quæ nec à servis, nec ab ipso Deo omnium Domino vellemus pati ; veridicè enim dixit August. *lib. de decem Chord. cap.* 10. quod cùm peccamus contra Deum, facimus ei quod nollemus pati ab alio.

Porrò non solùm divino dominio subjici, sed ipsum imitari decet illos quos Princeps Apostolorum *genus electum, regale Sacerdotium cognominat.* Illud autem æmulamur, si in nobis animus regnet, & corpus obtemperet ; si concupiscentias carnis rationis jugo supponamus, si passionum impetus virtutis frenis contineatur, si mundus nobis crucifixus est, nos mundo. Tunc holocaustum offerimus ad altare Dei, & propriæ hostiæ facti Sacerdotes dominamur in medio inimicorum nostrorum, sumusque Reges & Sacerdotes, juxta illud Apoc.1. *Fecit nos regnum & Sacerdotes.* Præclarè August. in Psal.75. *Noli aviditate imperandi ponere tibi ante oculos provincias latissimas. Terram quam portas, rege. Audi Apostolum regentem terram : Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.*

DISSERTATIO VI.

De mysterio prædestinationis & reprobationis.



PRORSUS mysterium aggredimur reserandum. Si enim nemo scit quæ sunt in homine nisi spiritus hominis qui in ipso est, quia in sola facie videt homo, solus Deus intuetur cor ; quomodo, quâve ratione secreta cordis divini scrutari licebit ? Divinorum arcanorum reconditissimum est prædestinatio, & reprobatio ; nam nescit homo an odio, vel amore dignus sit. Et quidem convenienter ignoratur hoc sigillum : tum ut configatur præsumptio sacro illo timore, qui teste Tertull. de cult. fœm. cap.2. *fundamentum est salutis ; timendo enim cavebimus, cavendo salvi erimus : velificante Divino Spiritu salus navigat tuta, si cauta ; secura, si attonita.* Tum ut foveatur humilitas, dum consideramus quod *via est in lubrico ; vita in periculo, salus in dubio.* Tum ad excitandum fervorem ; *sæpe enim meta celatur, ut cursum contendamus, & velociùs curramus*, ut ait S. Basil. Seleucus *orat.*7. Inter omnes autem sacros Doctores nullus est cui post Apostolos hoc sigillum apertiùs resignatum sit quàm Augustino, cujus doctrinæ admiratores & sectatores omnes Romani Pontifices extitere, & ut aiebat Prosper in epist. ad August. *omnium nostrûm fatigatio in tuæ charitatis & scientiæ vigore sperat : adde eruditionem humilibus, adde increpationem superbis.* Ex eo igitur depromam quidquid in hac dissertatione dicturus sum. Testis enim est mihi qui scrutatur renes & corda Deus, qui unus Sol justitiæ diversa servorum suorum corda diversis gratiis veluti radiis illustrat, quod inter præcipuas à Deo mihi collatas gratias intimam quam erga Augustinum sentio, propensionem enumero, atque ut ejus verbis utar lib. de Prædest. Sanct. cap.1. *tantum amo, quantum non possum dicere ; & tantum me amare, quantum debeo, non audeo dicere.*

CAPUT I.

Essentia, motiva, & effectus prædestinationis.

HOmo sum, non intelligo secreta Dei ; investigare non audeo, & ideò etiam attentare formido, quia & hoc ipsum genus quasi sacrilegæ temeritatis est, si plus scire cupias quàm sinaris. Quid me interrogas quare alter major sit, alter minor ; alter miser, alter beatus ; alter fortis, alter infirmus ? Qua quidem causa hæc Deus faciat, non intelligo, sed ad plenissimam rationem abundè sufficit quod à Deo agi ista demonstro. Sicut enim plus est, quàm omnis humana ratio ; sic mihi plus debet esse quàm ratio, quod à Deo agi cognosco. Ab his præclaris & opportunis Salviani verbis *lib.*3. *de Provident.* exordium hujus mysterii ducere placuit, ut nimirum de his quæ divinorum judiciorum aguntur arbitrio, aliud non dicamus justum, aliud injustum ; quia quidquid à Deo est, necesse est plus quàm justum esse fateamur. In his ergo quæ ad prædestinationem vel reprobationem spectant, seponenda est humanarum imbecillitas rationum, & ea libentiùs audienda quæ per Scripturas sacras scire nos quasi de arcano animi sui voluit

Deus noster. Nam ut rectè subdit præfatus Pater: *Alia omnia, id est humana dicta, argumentis ac testibus egent: Dei autem sermo ipse sibi testis est.* Quæ ergo de hoc arcano investigabili scrutari licet & solet, ad tria reducimus. Primùm enim existentiam & essentiam, deinde motiva, demùm effectus prædestinationis considerabimus.

SPECULATIO I.

Confitemur prædestinationem Sanctorum, quæ in actu intellectus supponente electionem voluntatis consistit.

Antequam suadeatur hæc veritas, præmitto prædestinare generaliter idem esse ac aliquid antequam fiat, animo destinare, ut postea executioni mandetur. In hac generali acceptione posset accommodari prædestinatio, tam reprobis, quàm electis, tam ordini naturali, quàm supernaturali. Porrò prædestinatio in strictiori sensu usurpari solet, ut tantùm de bonis & electis intelligatur. Quos sanè electos variis nominibus Scriptura insignit. Dicuntur enim usitatissimo nomine prædestinati. *Rom.* 8. *Ephes.* 1. Dicuntur cogniti. 2. Tim. 2. *Cognovit Dominus qui sunt ejus.* Appellantur probati. 1. Cor. 11. *Vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis.* Dicuntur præordinati in vitam æternam. Act. 13. *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam.* Appellantur præparati. Rom. 9. *Quæ præparavit Deus in gloriam.* Nominantur *benedicti Patris.* Matth. 25. 6. *Vasa misericordiæ.* Rom. 9. 7. *Vasa in honorem*, ibidem 8. Oves Christi. Ioan. 10. *Pasce oves meas.* Filii Dei. Ioan. 11. *Vt filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum.* Hoc posito,

Prior pars est doctrina Ecclesiæ Catholicæ, quam adeò frequenter inculcant Scriptura, Concilia, & Patres, ut eorum testimonia passim obvia referre supervacaneum sit, præsertim cùm multi Patres hoc argumentum fusè & ex professo prosequuti sint: nonnulla & selectiora in hujus quæstionis decursu loca adducemus.

Probatur ratione D. Thomæ. Quidquid Deus in tempore exequitur, ab æterno disposuit, nihil enim de novo incipit velle: Sed in tempore plures homines ad gloriam Deus transmittit: Ergo hanc transmissionem ab æterno disposuit: Sed per prædestinationem nihil aliud intelligitur, quàm transmissio creaturæ rationalis in vitam æternam, ad quam cùm non possit homo viribus naturæ suæ pervenire, oportet quod ad illam à Deo transmittatur; ad illud enim quod non potest aliquid virtute naturæ suæ pertingere, opus est quod ab alio dirigatur; sicut sagitta mittitur ad signum à sagittante, ad quod nisi transmissa minimè pervenit: Ergo admittenda est prædestinatio, quâ multa Dei clarescunt attributa, purâ potentia, quæ mediis certissimis creaturas intellectuales ad veram beatitudinem perducit; sapientia, media suavissima & aptissima opportunè adhibens; misericordia, electos à miseria peccati, & mortis æternæ liberans; justitia opera sancta, & perseverantiam præmians. Ergo convenienter Scriptura & Patres admittunt in Deo prædestinationem.

Dices: Si detur prædestinatio ab æterno de salute definiens: Igitur qui prædestinatus est, quidquid agat, salvabitur; si verò prædestinatus non est, quæcumque præstet, otiosa erunt ad salutem. Atque adeo homines divinorum consiliorum eventum expectantes sine sollicitudine incuriosam vitam degere debent.

Respondeo hoc argumentum quod sæpe versant impii, ut liberiùs peccent, & quo vexantur scrupulosi, ut superstitiosè se torqueant, esse merum sophisma, quia Deus finem non nisi mediis idoneis decernit, & ut ait S. Fulgent. lib. 1. ad Monim. *quos prædestinavit Deus ad gloriam, prædestinavit ad justitiam.* Sicut in ordine naturali non intenditur victoria nisi per pugnam, nec sanitas nisi regimine & medicina; ita in negotio salutis ad vitam æternam non nisi per bona opera homines Deus transmittit. Sanè si in humanæ vitæ negotiis nullus nisi stolidus media ad fines utilia relinquit, quantumvis Deus omnia providentiâ suâ prædefinierit, v. g. etsi Deus frugum abundantiam statuerit, nullus adeo stultus est, ut dubitet àn agricolæ semina terræ mandaturi sint? Quia nimirum Deo statuente futuram messem, vult etiam agricolarum curas, operam, diligentiam: unde sola metent qui seruerint. Qua ergo dementia, dum summa rerum agitur, sic stultè argutabimur, ut incuriæ faveamus, & inertiæ? Nam doctrina de prædestinatione commendat hominum curas, operam, diligentiam, asseritque quod *nulla satis magna securitas, ubi periclitatur æternitas.* Pulchrè dixit August. in Psal. 85. *Redi ad cor tuum, dimitte Deo consilium suum*: id est, nostris negotiis attendamus, de prædestinationis consiliis non inquiramus, scientes quod in die judicii non de prædestinatione Dei, sed de bonis operibus interrogabimur. Succinit D. Prosper: *Non studeamus habere cognitum, quod voluit esse secretum; & ubi non licet investigare quare ita judicet, sufficiat scire quia judicet.*

Posterior pars de prædestinationis essentia novam non exigit probationem, suppositis quæ de providentia divina superiùs dicta sunt. Præcipuè quia prædestinatio nihil differt à providentia, nisi penes objectum materiale, quatenus providentia occupatur circa omnia, nec ad ullum finem particularem restringitur; prædestinatio verò respicit solùm creaturas rationales in ordine ad finem superexcedentem, nimirum vitam æternam. Cæterùm finis ultimus, tam providentiæ, quàm prædestinationis, est communicatio divinæ bonitatis, & attributorum divinorum manifestatio. Vnde patet providentiam & prædestinationem esse idem attributum, sicut potentia Dei naturalis & supernaturalis pertinent ad idem attributum omnipotentiæ. Quare sicut providentiam in actu intellectus supponente efficacem intentionem voluntatis, sitam esse superiùs monstravimus, ita & de prædestinatione asserendum est.

Sufficit hîc solùm notare prædestinationis definitiones, quæ communiter circumferuntur. Prima est Aug. lib. de dono perseverantiæ, c. 14. *Prædestinatio est præscientia & præparatio beneficiorum, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur.* Secunda traditur hîc à D. Thom. art. 1. *Prædestinatio est ratio transmissionis creaturæ rationalis in vitam æternam.* Tertiam tradit art. 2. *Prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.* Per hoc quod dicitur præparatio vel ratio transmissionis, convenit cum providentia generali; per sequentes particulas differt.

REFLEXIO.

Prudens hujus veritatis consideratio non teporem parit, sed generat humilitatem. Humiliemur ergo sub potenti manu Dei, nec altum sapiamus, sed timeamus, & dum Scriptura & Patres prædestinationem Dei prædicant, in timore salutem operemur, nec murmuremus. Vt enim ait August. serm. 139. de tempor. c. 3. *Cælum tonat, ranæ taceant.* Vt divina judicia non frangant nos perimendo, flectant nos humiliando: superbis solis amarescit, durusque est prædestinationis sermo; humilibus verò favus est dulcissimus, in quo & mel, & ceram inveniunt, quorum altero virtutem pascunt, altero lumen veritatis accendunt. Altiora

nobis

nobis ne quæramus. Nam ut rectè quidam dixit: *Insta Dei judicia nemo plenè comprehendit, nemo benè reprehendit.* Ea igitur profunde veneremur; nam Deus non solùm confringit superbas cedros Libani, sed & aquilas supervolantes præcipitat. Scriptum est enim Abdiæ vers.6. *Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum, detraham te.* Sed quid dico aquilas, cùm & Angelorum principi dicenti, Isai.14. *Super astra Dei* (id est secreta Divinitatis) *exaltabo solium meum:* regestum sit, *Detracta est ad inferos superbia tua.*

Speculatio II.

Electio prædestinatorum ad gloriam non habet aliam causam motivam, quàm divinam bonitatem, non merita prævisa, quæ sunt potiùs effectus, quàm motivum Prædestinationis.

Loquimur solùm de causa motiva prædestinationis, quia de aliis causis nulla est difficultas. Constat enim quod causa efficiens est manifestatio divinæ bonitatis; formalis est actus imperii transmittentis in vitam æternam; materialis est creatura intellectualis transmissa. Vnde solùm restat difficultas de causa motiva, quæ reducitur ad finalem proximam, an sit pura Dei misericordia præveniens merita, vel merita prævisa supponens. Non quòd quæramus causam divinæ electionis, & prædestinationis ex parte actus Dei; voluntas enim divina nullam habet causam ex parte actus volendi; sed quærimus causa & ratio ex parte objecti voliti, in quantum scilicet Deus vult aliquid esse propter aliud. *Nullus enim* (ait D.Thom. art.5.) *fuit ita insanæ mentis, qui diceret merita esse causam divinæ prædestinationis ex parte actus prædestinantis. Sed hoc sub quæstione vertitur, utrum ex parte effectus prædestinatio habeat aliquam causam? & hoc est quærere, utrum Deus preordinaverit se daturum effectum prædestinatione alicui propter merita aliqua.* Hoc posito,

Probatur primò authoritate Scripturæ, Sancti.Aug. & D.Thom. Ex Scriptura quidem, & præsertim ex Apostolo, cujus tota ad Romanos Epistola transcribenda esset; ejus enim in illa non solùm scopus, sed & unicus ferè labor in eo positus est, ut doceat, probetque prædestinationem reduci solùm in divinam voluntatem: ad quod adducit *cap.9.* exemplum Iacob & Esaü, qui *cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, ut secundùm electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante dictum est; Quia major serviet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esaü autem odio habui: miserebor cujus misereor, & misericordiam præstabo cujus miserebor:* seu, ut legit Hieronymus, *miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit.* Et iterum: *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Quibus omnibus verbis, ut rectè Estius annotavit, exprimere voluit Deus suam quandam insignem proprietatem, quod nimirum gratuitus sit benefactor, qui nulla lege ad præstanda beneficia sit astrictus, sed ea pro arbitrio tribuat quibus voluerit. Vnde qui ad prævisionem operum recurrunt, ii Paulum non solùm præter mentem, sed etiam contra apertum, quem verba præferunt, sensum interpretantur.

Et statim prævidens & præfocans querelam, quam facturi erant gratuitæ prædestinationis impatientes, dum dicunt, *Voluntati ejus quis resistit?* subjungit increpando: *O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Nunquid potest dicere figulus luti ei qui se finxit, Quare me fecisti sic?* Vbi totam difficultatis decisionem ad simplicem Dei voluntatem revocat. Et *cap.11. sequenti,* postquam satis diu loquutus est de prædestinatione *secundum propositum,* totum discursum exclamatione concludit, dicens: *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Quæ sanè admiratio inepta esset & impertinens (quod de tanto Apostolo cogitare sacrilegum est,) si prædestinationis efficacia ad prævisa hominum merita, & liberam oblatæ gratiæ acceptationem, vel repudiationem refundenda esset.

Conglobari solent alia ejusdem Apostoli testimonia. Illustre est illud ad Ephes.1. *Benedictus Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate, qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum secundùm propositum voluntatis suæ in laudem gloriæ gratiæ suæ.* Vbi expende, homines electos fuisse non quia futuri erant Sancti, sed ut essent Sancti; non ex prævisione operum, sed secundùm propositum voluntatis suæ. Et post pauca: *In quo nos fortè vocati sumus secundum propositum ejus.* Vbi prædestinationem *sortem* appellat, quia ex gratuita Dei liberalitate ordinata est. Vtitur etiam August. *lib. de grat. & liber. arbitr. cap.9.* loco illo Ioan.5. *De plenitudine ejus accepimus, & gratiam pro gratia:* ut sensus sit, gratiam consummatam, quæ est gloria, dari ex mera Dei gratia. Cui affine est illud Rom.6. *Gratia Dei vita æterna:* & illud etiam Psal. *Qui coronat te in misericordia & miserationibus.* Potest denique adjungi illud Luc.12. *Nolite timere, pusillus grex* (qui est grex prædestinatorum, utique parvus in comparatione ingentis numeri reproborum,) *quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Vnde patet Deum regnum electis suis ex gratuito voluntatis suæ beneplacito largiri.

Consonat August. *loco cit.* inquiens: *Cùm posset dicere Apostolus, & rectè dicere, Stipendium justitiæ vita æterna, maluit dicere, Gratia Dei vita æterna; ut hinc intelligeremus non pro meritis nostris Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua misericordia perducere.* Et rursum *lib.2. contr. duas epist. Pelagian.* ait: *Profectò desipitis, quia dicente Veritate, Non ex operibus, sed ex vocante; vos dicitis, Ex futuris operibus, quæ Deus fore præsciebat, atque adeò contradicitis Apostolo.* Nec dicas, S. Doctorem explicandum esse de prædestinatione ad gratiam, quam utique nulla supponere merita fatentur omnes Catholici contra Pelagianos. Nam audi ipsum loquentem lib. de corrept. & grat. cap. 7. *Electi sunt* (undecim Apostoli) *ad regnandum cum Christo, non quomodo electus est Iudas ad opus cui congruebat. Cùm itaque audimus, Nonne duodecim vos elegi, & unus ex vobis diabolus est? illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per judicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum ad effundendum sanguinem suum.* Vbi manifestè sermonem habet de electione ad gloriam, & regnum.

Suffragatur D.Thom. *quæst.23. art.5. ad 3.* dicens: *Quare hos elegit, & illos reprobavit? non habet rationem nisi divinam voluntatem. Vnde August. dicit super Ioan. Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli dijudicare, si non vis errare. Sicut quare hac pars materiæ est sub ista forma, & illa sub alia, dependet ex simplici divina voluntate: sicut ex simplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis est in ista parte parietis, ille in alia.* Et quæst.2. de veritate, art.2. *Quod Deus velit dare gloriam, hoc ex mera liberalitate procedit.* Et super cap.9. Epist. ad Rom. lect.3. *Non potest esse quod merita consequentia gratiam sint ratio miserendi, aut prædestinandi, sed sola Dei voluntas, secundùm quam misericorditer aliquos liberat.* Et *art.4. hujus quæst.* expressè docet prædestinationem, qua præparantur beneficia, quibus electi certissimè liberantur & transmittuntur in vitam

æternam, præsupponere electionem & dilectionem, quâ Deus vult eorum salutem, quia non ordinatur aliquid in finem, nisi præexistente voluntate finis: ubi apertè declarat se non loqui de electione ad gratiam tantùm, cùm dicat istam præsupponere intentionem gloriæ, non quidem inefficacem, ut quidam commentantur, sed efficacem; nam expressè ait ibidem: *Electio illa precedit in quantum hoc bonum aliquibus præ aliis vult, cùm quosdam reprobet.* Electio autem quæ vult bonum aliquibus præ aliis, non est inefficax, & communis omnibus, sed specialis pro electis.

Prima ratio hujus veritatis.

Probatur secundò ratione D. Thom. *art.* 5. bona merita nostra, bonus usus gratiæ, & perseverantia finalis quâ salutem obtinemus, sunt effectus prædestinationis: Ergo prædestinatio Sanctorum non est ex prævisis meritis, seu merita Iustorum non fuerunt motivum divinæ eorum electionis ad gloriam. Consequentia est clara; si enim merita sunt effectus & prædestinationis & electionis, non potuerunt prævideri certò futura ante prædestinationem & electionem; neque enim effectus est futurus ante causam: si autem non sunt prævisa futura, non potuerunt movere Deum ad prædestinandum; neque enim Deus prædestinat ex prævisione meritorum possibilium, aliàs omnes essent prædestinati.

Antecedens verò est indubitatum, tum in doctrina Apostoli dicentis, Deum sorte elegisse, *ut essemus Sancti;* atque adeo ipsa electio influit sanctitatem, & merita. Tum Augustini *lib. de prædest. Sanct. cap.* 18. *&* 19. ubi ponderans & urgens præfata Apostoli verba, ait: *Intueamur ergo verba Apostoli, Sicut elegit nos in ipso, ut essemus sancti & immaculati. Non ergo quia futuri eramus, sed ut essemus. Nempe certum est, nempe manifestum est; ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit ipse prædestinans, ut tales per gratiam ejus essemus.* Et clarissimè lib. 1. retract. cap. 3. *Quia omnia bona, & magna, & media, & infima à Deo sunt, sequitur ut à Deo sit & bonus usus liberæ voluntatis, qui in magnis numeratur bonis.* Tum D. Thom. loco præfato sic ratiocinantis: *Non est distinctum quod est ex libero arbitrio, & prædestinatione; sicut non est distinctum quod est ex causa secunda, & causa prima: divina enim providentia producit effectus per operationes causarum secundarum: unde & id quod est per liberum arbitrium, est ex prædestinatione.* Et tandem sic concludit: *Impossibile est, quod totus effectus prædestinationis in communi habeat aliquam causam ex parte nostra; quia quidquid est in homine, ordinans ipsum in salutem, totum comprehenditur sub effectu prædestinationis, etiam ipsa præparatio ad gratiam; neque enim hoc fit, nisi per auxilium divinum, secundùm illud Threnorum ultimo: Converte nos Domine, & convertemur.* Et expressissimè in cap. 9. Epist. ad Rom. lect. 3. *Manifestum est quod omne beneficium quod homini confert Deus ad salutem, est divinæ prædestinationis effectus: Divinum autem beneficium non solum se extendit ad infusionem gratiæ, qua homo justificatur, sed etiam ad gratiæ usum.* Quid luculentius?

Ex qua doctrina sic formatur discursus: Illud est effectus prædestinationis, quod est effectus gratiæ efficacis; gratia enim efficax ex divina prædestinatione procedit, & ex Dei gratuita voluntate; aliàs non esset gratia specialis. Unde ex eadem voluntate procedit gratiæ efficacis effectus, à qua & ipsa gratia dimanat. Sed merita nostra, & bonus ipse usus liberi arbitrii est effectus gratiæ efficacis, quæ ut ait August. lib. 1. contra duas epist. Pelagian. *Facit ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes.* Et lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. *Facit ut velimus præbendo vires efficacissimas voluntati.* Et cap. 21. *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eum agant quod eos agere ipse voluerit.* Idque probat S. Doctor variis locis ex promissionibus divinis, nimirum quia quod promittit Deus, facit Deus: Sed passim in Scripturis promittit Deus consensum piæ voluntatis, fidem Abrahæ, conversionem gentium, & observantiam mandatorum. Ergo bonus usus, & merita liberi arbitrii sunt effectus gratiæ & prædestinationis. Unde D. Bernard. lib. de grat. & libero arbit. ait: *Quod à sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficitur, ut mixtim, non sigillatim; ut simul, non vicissim per singulos profectus operentur. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt: totum quidem hoc, & totum illa, sed sicut totum in illo, ita totum ex illa.*

Confirmatur: Ideo secundùm omnes Catholicos docetur contra Pelagianos prædestinationem ad gratiam non esse ex meritis, quia nulla nostra merita possunt præcedere gratiam, sed eam consequuntur. Ergo similiter prædestinatio ad gloriam non erit ex meritis, si nulla merita prævisa præcedant intentionem gloriæ dandæ, sed eam sequantur, & sint ejus effectus. Atqui sic est: Ergo. Probatur minor subsumpta: Non possunt intelligi merita sine gratia efficaci, & dono perseverantiæ, quo quis in illis perseverat. Atqui gratia efficax, & donum perseverantiæ non procedunt, sed subsequuntur intentionem dandi gloriam: Ergo similiter & merita. Probatur minor: Si gratia, & donum perseverantiæ non subsequerentur, sed præcederent intentionem dandi gloriam & prædestinationem efficacem, darentur per providentiam generalem, subindeque omnibus conferrentur, quod est apertè falsum. Ergo gratia & donum perseverantiæ subsequuntur electionem gloriæ, & prædestinationem ad illam.

Confirmatur rursum, & penetratur radix deceptionis in hac materia. Quamvis enim gloria collata supponat merita, tamen ipsa merita supponunt aliquid liberaliter, & gratuitò datum, nempe gratiam efficacem, & perseverantiam finalem, quæ tribuuntur gratis, ut Catholici omnes docent: Ergo sicut voluntas dandi talem gratiam, & conferendi perseverantiæ donum, est gratuita, ita & voluntas dandi gloriam. Probo consequentiam: Qui haberet hanc voluntatem, Volo triticum vendere pecuniis à me donandis, gratuitò moveretur ad dandum triticum, quia non dispensaret illud, nisi ex pecunia à se gratis & liberaliter concessa. Atqui Deus similiter, quantumvis velit dare gloriam ut coronam, & cœlum venale proponere, tamen illud conferre non vult, nisi ex meritis & perseverantia à se donandis: Ergo non vult dare gloriam, nisi ex motivo gratuito & liberali. Certè ideò dicunt adversarii, voluntatem dandi gloriam supponere merita, quia non datur de facto nisi ex meritis, cur non dicemus etiam Deum eligere ad gloriam ex motivo gratuito, cùm Deus eam non conferat, nisi posita conditione perseverantiæ gratuitò à se donandæ, quâ unicè merita fulciuntur, & sine qua non perducerent in vitam æternam.

Secunda Ratio.

Probatur secundò, & magis confirmatur ratio præcedens: Prædestinatio est certa & infallibilis quantum ad effectus assequutionem certitudine ordinis & causalitatis mediorum: Ergo non supponit merita, sed ea infert & causat. Consequentia est manifesta; si enim prædestinatio certa sit, quia causat merita, profectò non haurit certitudinem à meritis prævisis, nec subinde ab eis movetur divina electio. Antecedens verò

expressè

expreſsè docet D.Thom. *quodl.* 12.*art.* 3. dicens: *Prædeſtinatio habet certitudinem ex parte ſcientiæ Dei, quæ non poteſt falli; & ex parte voluntatis divinæ, cui non poteſt aliquid reſiſtere; & ex parte providentiæ, quæ certiſſimo modo ducit ad finem.* Et q.6. *de verit. art.* 3. ait: *Præter certitudinem præſcientiæ ipſe ordo prædeſtinationis habet infallibilem certitudinem.* Additque contrariam poſitionem repugnare Scripturæ & Patribus, & meritò: dicitur enim Rom. 8. *Vt ſecundum gratiam ſit remiſſio;* id eſt, promiſſio Dei non fundatur in præſcientia liberi arbitrii; ſed ideo firmitatem habet immobilem, quia innititur gratiæ, quâ Deus infallibiliter promiſſa implet. Et Rom. 9. *Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, Iacob dilexi, &c.* id eſt, non ex prævisione operum, ſed ex efficacia electionis Dei vocantis. Patres verò ſatis ſuperque dum de ſcientia Dei, retulimus.

Ratio autem deducitur ex dictis de ſcientia, voluntate, & providentia Dei. Si enim Deus actus noſtros prædefinit abſque præeuntis ſcientiæ mediæ directione, ut tot Patrum teſtimoniis, tantiſque rationum momentis ſuis locis oſtenſum eſt, manifeſtè relinquitur, Deum ad exequenda ſuæ voluntatis prædeſtinationiſque conſilia, adhibere media per ſe, ex vi innata, & prout à Deo deſcendunt, infallibiliter voluntatis conſenſum inferentia; aliàs Deus decernens actus noſtros, hominesque ad gloriam per bona opera prædeſtinans, fruſtrandorum decretorum ſuorum, atque finis non aſſequendi periculo ſeſe exponeret. Ergo cùm Deus infallibiliter operetur quæcumque decrevit, & non ſit ſimilis homini illi, qui non computans ſumptus neceſſarios, *cœpit ædificare, & non potuit conſummare;* planum eſt quod ex virtute ejuſdem decreti, atque ex energia prædeſtinationis ſuæ, dat media prædeſtinatis, quibus certò & infallibiliter eliciant in tempore pia illa opera, quibus ad beatitudinem perveniunt.

Confirmatur: Si certitudo prædeſtinationis præſcientiæ mediæ ſolùm inniteretur, quatenus Deus viſis omnibus combinationibus, & ordinibus rerum, vidit etiam quod tali occaſione, tempore, loco, auxilio unus converteretur & perſeveraret, ſecus alter: & iterum ex omnibus illis combinationibus elegit illam pro prædeſtinato, in qua prævidit bonum uſum libertatis; pro reprobo verò illam in qua vidit gratiam fruſtrandam; ſi, inquam, illi præſcientiæ exploratrici veluti clavo innitatur prædeſtinationis certitudo, prædeſtinatio non fieret *ſecundùm electionem gratiæ*, ut ait Apoſtol. *Rom.* 11. ſiquidem eadem intrinsecè gratia datur electo, & reprobo, qui ſunt æquales in donis ſupernaturalibus; imò majora eſſe interdum in reprobo dicunt quidam ex adverſariis: nec eſt inæqualitas niſi ad ſummum in aliquo merè naturali, ſcilicet aliqua circumſtantia, in qua ponitur unus, non alter. Ergo prædeſtinationis certitudo, & executio non ſecundùm electionem gratiæ, ſed ſecundùm electionem alicujus circumſtantiæ naturalis fieret.

Vrgetur ampliùs hæc ratio: Iuxta aſſertores ſcientiæ mediæ nullus eſt reprobus, qui non converteretur, ſi in opportunioribus circumſtantiis poneretur. V. g. videt Deus per ſcientiam mediam Iudam in alia circumſtantiarum ſerie fuiſſe ſalvandum, non ex potentioris & efficacioris gratiæ oppoſitione, ſed ex aliquo merè naturali ex parte liberi arbitrii in tali circumſtantia conſentientis ſe tenente. Ergo ſimiliter dum videt Petrum fore ſalvandum in illis occaſionibus, periturum tamen in aliis, vidit hanc diſcretionem Petri à Iuda naſci ex aliquo merè naturali, ſaltem in illo ſtatu conditionato, cùm ſupponamus internam gratiam eſſe in illis æqualem: Atqui prædeſtinatio, & reprobatio deducta, & veluti tranſlata de ſtatu conditionato in abſolutum, non indiget novâ & ſpeciali gratiâ, ſed ſola purificatione illius conditionis, quâ poſitâ ſtatus conditionatus tranſit in abſolutum: Ergo ſi prædeſtinationis certitudo innitatur prævisioni ſcientiæ mediæ, prædeſtinatio non erit præparatio alicujus beneficii ſpecialis ſupernaturalis, ſed ſolùm addet voluntatem purificandi & adimplendi conditionem illam merè naturalem, ſeu apponendi circumſtantiam illam, in qua arbitrium conſentire prævisum eſt. Quod, ut videtur, eſt funditus enecare gratiam prædeſtinationis.

Tertia & quarta ratio.

Alia ratio hujus aſſerti communior traditur à S. Doctore *art.* 4. *hujus q.* 23. Intentio efficax finis prior eſt ex parte objecti voliti, quàm electio mediorum: Sed gloria eſt finis ad quem merita ut media perducunt. Ergo merita non præparantur à Deo per gratiam efficacem, & perſeverantiam finalem, niſi ſuppoſitâ efficaci intentione gloriæ, quam proinde non præcedunt. Major eſt certa, licèt enim Deus non intelligat, aut velit priùs unum objectum quàm aliud, ſed omnia unico ſimpliciſſimo actu attingat, tamen juxta noſtrum modum intelligendi fundatum in objecto cognito, dicitur priùs intelligere, aut velle unum, quàm aliud: ſic priùs concipitur intendere finem quàm media, quia intentio finis eſt ratio volendi media, ſubindeque cùm ordinatè agat, priùs naturâ vult finem quàm media, ſaltem non poteſt priùs velle media quàm finem. Minor etiam eſt conſtans; gloria enim & ſalus æterna eſt finis ad quem merita conducunt.

Roboratur hæc ratio: Deus non vult reprobis media ſufficientia, niſi ex generali intentione gloriæ, quæ pro illis inefficax eſt: Ergo non vult electis dare media efficacia ad ſalutem, niſi ex efficaci intentione gloriæ. Probo conſequentiam. Finis intentio non minùs, ſed magis influit in media efficacia, quàm inefficacia: Ergo multò magis præcequitur efficax intentio gloriæ ante prævisa merita juſtorum, quàm inefficax ante voluntatem dandi auxilia ſufficientia reprobis. Certè efficax aſſumptio mediorum oritur ex efficaci intentione finis; nam ex intentione inefficaci non ſequitur determinatè effectus, ſed poteſt non ſequi; imò per accidens, & caſu ſequitur. In ſumma: Deus intendendo gloriam electis, vel cognoſcit efficaciam mediorum, vel non; ſi non cognoſcit, ignarus eſt: ſi cognoſcit, & ex vi voluntatis illius non vult, eſt imprudens, volens finem ſine mediis: quod utrumque conſequens catholicus reprobat ſenſus.

Vltima denique ratio deſumitur ex principiis ipſorum aſſertorum ſcientiæ mediæ. Cùm enim ſecundùm illos per ſcientiam mediam Deus videat omnia futura conditionata antecedenter ad omne decretum voluntatis ſuæ, videt etiam rerum omnium poſſibiles combinationes, conditiones, circumſtantias, & occaſiones, in quarum nonnullis certum eſt, quod nullus eſt tam impius, qui non fieret Sanctus, ſi congruis, & opportunis auxiliis, genio, indolique naturæ attemperatis præveniretur: nullus eſt etiam tam bonus, qui in nonnullis occaſionibus, educatione, ſpeciali protectione, & gratiâ illâ opportunitatum, & motuum voluntatis ſtudioſâ deſtitutus non perverteretur. Hoc poſito principio apud adverſarios fundatiſſimo, quæro cur Deus hominem hunc in circumſtantiis illis, in quibus eum de facto ſalutem conſequuturum prævidit, conſtituit, ideoque eum tot & tantis ab incunabulis benedictionibus dulcedinis prævenit, genio tam docili, & ad omne pietatis genus non tam comparato quàm nato adornavit; alterum verò inter Infideles natum vel inter Fideles, pravis inclinationibus, duraque cervice affectum, corruptis moribus imbuendum

bendum præscivit, ibique eum collocavit? Sanè quò recurrendum sit non video, nisi ad inscrutabilia judicia gratuitæ prædestinationis.

Id totum millies confirmat Augustinus exemplo indissolubili parvulorum, in quibus tam dilucidè apparet hæc gratuita prædestinatio. Legesis librum *de dono persever. cap.* 12. ubi docet in parvulis sine Baptismo decedentibus perperam recurri ad causam, cùm nec passer cadat in terram sine voluntate Patris Cœlestis; nec ad incuriam parentum, quibus plerumque festinantibus, & ministris paratis, puer moritur; sed ad abyssalem, & occultam Dei voluntatem, quæ disposuit ut prædestinatus baptizetur, & postea morte immatura decedat antequam malitia immutet intellectum ejus. *Respiciantur etiam inter Christianos* (inquit Prosp. *ad cap. 4. Gall.*) *tot millia parvulorum, qui ab hac vita sine Baptismo transierunt, quibus nec plantator prædicare, nec rigator potuit subvenire.*

Confirmat etiam exemplo Christi, ut videre est apud August. *lib. de prædest. Sanct. cap.* 15. & *de bono persever. cap. ultim.* & in hoc totum momentum ponit, quia Christus est clarissimum exemplar prædestinationis aliorum. Illos enim *prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui*, ut dicitur *Rom.* 8. Christus autem prædestinatus est Filius Dei independenter à meritis prævisis, Incarnatio enim non potest cadere sub merito, ut docetur in materia de Incarnatione: ergo similiter & membra Christi, viri Sancti prædestinati sunt independenter à prævisione meritorum. Verba Augustini super aurum & topazion pretiosa, & planè annumeranda inter *favos illos divini nectaris plenos, manantes misericordiam & veritatem, quos illa verè artificiosa Dei apis instruxit*, ut loquitur Severus *epist. apud August.* 37. sunt hæc: *Est præclarissimum lumen prædestinationis & gratiæ ipse Salvator, ipse mediator Dei & hominum homo Christus Iesus. Qui hoc ut esset, quibus tandem suis vel operum, vel fidei præcedentibus meritis, natura humana, quæ in illo est, comparavit? Respondeatur quæso, quod ejus bonum qualecumque præcessit? Quid egit antè, quid credidit, quid petivit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Respondeat hîc homo Deo, si audeat, & dicat: Cur non & ego? Et si audierit: O homo tu quis es qui respondeas Deo! nec sic cohibeat, sed augeat impudentiam, & dicat: Cur diversa est gratia, ubi natura communis est? Quis non dico Christianus, sed insanus hæc dicat? Appareat itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiæ, unde secundùm uniuscujusque mensuram se per cuncta ejus membra diffundit. Eâ gratiâ fit homo Christianus, quâ factus est Christus: de ipso spiritu & hic renatus, de quo est ille natus: eodem spiritu fit in nobis remissio peccatorum, quo spiritu factum est, ut nullum haberet ille peccatum. Humana hîc merita conticescant. Ille quippe nos fecit credere in Christum, qui nobis fecit in quem credimus Christum: ille fecit in hominibus principium fidei, & perfectionem in Iesum, qui fecit hominem principem fidei, & perfectorem Iesum. Illum ergo & nos prædestinavit* (addit *loco cit. de don. pers.*) *quia & in illo, ut esset caput nostrum; & in nobis, ut ejus corpus essemus, non præcessura merita nostra, sed opera sua futura præscivit.*

Solvuntur Objectiones.

Objicies: Deus eo modo vult dare gloriam, quo illam de facto dat: Sed illam non dat nisi propter merita: Ergo nec illam voluit dare nisi propter merita, non quidem existentia, sed prævisa. Major patet; Deus enim non dat gloriam, nisi quia voluit ab æterno dare. Minor etiam habetur in Scriptura, Matth. 25. *Venite benedicti, percipite regnum paratum à constitutione mundi.* Et rationem assignans cur det illis tale regnum, aliquot refert bona opera: *Esurivi enim & dedistis mihi manducare.* Ergo non dat Deus gloriam nisi propter merita.

Respondeo, Deum non velle dare gloriam propter merita quæ sint motivum voluntatis suæ, sed per merita quæ sunt effectus prædestinationis; nam ut ait D. Prosper lib. 2. de vocat. gent. *Deus his quos elegit sine meritis, dat unde ornantur ex meritis.* Vel claritatis gratiâ potest distingui major: Deus eo modo vult dare gloriam in exequutione, quo illam dat, concedo; eo modo vult eam in intentione, quo eam dat, nego: quia intendit eam dare ex misericordia, licèt velit eam conferre meritis. Et nota ad tollendam omnem æquivocationem, aliud esse gratis velle dare gloriam, aliud velle illam dare gratis: in prima propositione conjungitur ly *gratis*, cum divina voluntate; in secunda cum ly *dare*, seu cum exequutione. Certum est autem, quod gratis vult Deus dare gloriam; sed non vult dare illam gratis, seu sine meritis. Potest aliter distingui minor: Deus non dat gloriam nisi propter merita dependentia à dono gratuito & liberaliter dato, scilicet perseverantia, concedo; independentia ab illo, nego, & hoc sufficit ad hoc, ut Deus intendat gloriam ex motivo gratuito, ut satis anteà dictum est.

Dices: Deus movetur ex meritis ad dandam gloriam: ergo prævisio meritorum movit Divinam voluntatem ad destinandam gloriam merentibus illam.

Respondeo, discrimen hoc intercedere divinam inter & creatam voluntatem, amorem Dei & creaturarum, quod voluntas creata cùm non sit causa bonitatis rerum, eam supponit, & ab ea movetur. Amor autem divinus, qui est infundens & creans bonitatem in rebus, non movetur meritis creaturæ, sed ea causat. Nam ut ait Chrysost. homil. 7. in Epist. ad Timoth. *Tanta est divina bonitas, ut ipsa sola sufficiat ad rationem & causam amandi; non expectatâ, nec requisitâ causâ ex parte eorum qui amantur.* Unde dicitur Oseæ 2. *Desponsabo te mihi in miserationibus.* Et Concil. Arausic. can. 12. *Tales nos Deus amat, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.* Vel dic quod Deus movetur in exequutione ad dandam gloriam ex meritis, quia decrevit eam non aliter conferre; sed non fuit motus ex illis ad eam intendendam, sed potiùs quia eam dare intendit, confert merita quibus ad eam pervenitur. Vide suprà dum de objecto divinæ voluntatis.

Instabis: Quando finis intenditur ut corona & præmium, non potest esse volitus nisi post merita, saltem prævisa. Atqui gloria non intenditur à Deo nisi sub ratione præmii & coronæ, juxta illud 2. Timot. *Reposita est mihi corona justitiæ.* Et aliud Matth. 5. *Gaudete, & exultate, quia merces vestra copiosa est in cœlo.* Ergo Deus non intendit dare gloriam, nisi post merita prævisa. Major probatur: Corona, & præmium essentialiter supponunt merita: Ergo sicut repugnat Deum intendere infligere pœnam sine demeritis, ita & dare coronam nisi ex meritis.

Respondeo, quod finis, sive habeat rationem coronæ, sive non, semper est ratio volendi media, quæ non eliguntur nisi ex intentione finis præamati. Unde nego majorem. Ad probationem distinguo: corona pendet à meritis, in exequutione & collatione, concedo; in intentione, nego: quod præsertim de Deo verum est, qui ut ait Scriptura, *coronat nos in misericordia*, & dum *præmiatur opera nostra, dona sua coronat*, ut ait August. Et ratio est, quia licèt Reges terræ non possint efficaciter, sed solùm inefficaciter & conditionatè præparare coronam militi ante merita, quia nec sunt Prophetæ, nec habent merita in sua potestate, nec dant præmium ex meritis à se donandis, sed supponendis; longè tamen aliter est de Deo, qui habet in potestate sua merita nostra, quæ potest non solùm

prædicere

prædicere & promittere, sed potens est & facere, ut ex August. diximus. Nec est simile de pœna, quia cùm supponat peccatum, non est per se appetibilis, sed per accidens; corona verò est per se amabilis, & potest desiderari ea intentione quæ inferat merita. Certè cùm Deus non det gloriam nisi ex meritis in gratia & perseverantia à se gratis data fundatis, debet intendere gloriam ex motivo suæ largitatis, & deinde media providere: unde non improbabiliter posset secundò responderi, Deum in ordine intentionis non velle gloriam ut coronam, sed tantùm in ordine exequutionis, ut posteà dicam.

Insistes: Ergo Deus ex voluntate illa dandi gloriam tenebitur libertatem violare impellendo necessariò ad meritum, quod tam efficaciter prælegit ad gloriam; tenebitur, inquam, ne sua intentio evacuetur.

Respondeo, hanc replicam in nulla sententia urgere. Thomistæ enim admittunt media per se efficacia, quibus Deus fortiter quidem applicat voluntatem; sed tamen suaviter, conservando indifferentiam voluntatis, ut fusè, & ex professo superiùs ostendimus. Alii verò qui prædestinationem gratuitam admittunt, sed physicam prædeterminationem refugiunt, dicunt Deo non deesse modum constituendi voluntatem in tali circumstantiarum combinatione ex infinitis quas videt, in qua voluntas liberè merebitur.

Observa, hæc & alia argumenta planiùs expediri, si advertas quod in nostra voluntate præter intentionem datur insuper electio, & post electionem usus activus, ut dicetur in morali. Ita proportionaliter duplex admitti debet decretum, aliud intentivum gloriæ, quod immediatè sequitur electio mediorum perducentium ad salutem; hanc verò electionem sequitur aliud decretum exequutivum, quo Deus decernit efficaciter applicare suam potentiam ad hoc, ut prædestinati benè agant, & finaliter gloriam consequantur. Quando ergo Scriptura & Patres interdum dicunt voluntatem dandi gloriam supponere merita, & gloriam proponi ut coronam, loquuntur de voluntate, seu decreto exequutivo. Qua etiam distinctione solvitur illud argumentum de corona; licèt enim Deus decreto exequutivo velit dare gloriam ut coronam & mercedem laborum; decreto tamen intentivo eam conferre vult ex pura misericordia, & gratia, quia ut ait Apost. *Gratia Dei vita æterna.*

Observa rursum, regulam August. lib. *de* bono persever. cap. 18. aliàs à nobis traditam, sed hîc necessariò repetendam. *Quid nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei tractatores legimus præscientiam Dei, & agitur de vocatione electorum, eandem intelligere prædestinationem.* Quando ergo interdum invenies Deum non prædestinare nisi post præscientiam, hoc intellige de præscientia fundata in decreto, quo Deus gratis eligit prædestinandos. Præsertim quia sæpissimè prædestinatio sumitur à Doctoribus pro exequutione & præparatione beneficiorum. Vnde legitimus sensus est, Deus prædestinat, seu præparat beneficia, quibus certissimè Sancti transmittuntur in vitam æternam, quos in sua efficaci voluntate Sanctos esse præscivit. Eruditè etiam observat Estius, in Scripturis frequentissimum esse, ut scire & cognoscere, pro diligere & approbare ponantur. Vnde scientia approbationis potissimùm in Scripturis fundatur. Ioan. 10. *Cognosco oves meas.* Sicut in contrario sensu nescientia accipitur pro reprobatione. Matth. 25. *Nescio vos.* Cùm ergo dicitur Deum prædestinasse quos præscivit, idem est ac Deum prædestinasse eos quos prædilexit.

REFLEXIO.

Miror nonnullos à studio virtutis hac D. Augustini sententia deterreri, quæ potiùs omnium est virtutum seminarium. Longè aliter discurrebat Propheta Regius, qui hujus mysterii altitudinem profundiùs considerans & expavens, ait Psal. 76. *Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum, & non sum loquutus. Nunquid in æternum projiciet Deus, aut non apponet ut complacitior sit adhuc, aut in finem misericordiam suam abscindet, aut obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas?* Ecce graphicè depictum factum illum terrorem, quem incutit opinio de prædestinatione gratuita. Ecce descriptas luculenter curas illas, quibus scrupulosorum cor scinditur. Sed quid inde concludit Propheta sapientissimus? Anne deducit vacandum esse inertiæ, inducendam desperationem, extinguendam salutis curam, inanemque esse correptionum medicinam? Absit. Audi quid inferat: *Et dixi, Nunc cœpi; hæc mutatio dexteræ Excelsi.* Hæc intulit ex altitudine incertorum judiciorum Dei, ex quibus tu torporem, ille colligit conversionem. Et meritò; nam si Deus intendendo gloriam infert merita & opera sancta, rectè ex consideratione gratuitæ prædestinationis, bonorum operum necessitatem Psaltes Divinus subintulit. Fac & tu similiter, nec credas prædestinationis doctrinâ desperationem induci, qua potiùs spes orationis erigitur, dum in solo Deo firmissimè collocatur, ut mirè prosequitur August. *lib de don. pers.* ait enim cap. 16. *Cavendum est igitur, ne dum timemus tepescat hortatio, extinguatur oratio, accendatur elatio.* Et cap. 17. *Ego nolo exaggerare verbis meis, sed illis cogitandum potius relinquo, ut videant quale sit quod sibi persuaserunt, prædicatione prædestinationis audientibus plus desperationis quàm exhortationis afferri; hoc est enim dicere, tunc de sua salute hominem desperare, quando spem suam non in seipso, sed in Deo didicerit ponere: cùm Propheta clamet, Maledictus omnis qui spem ponit in homine.*

SPECULATIO III.

Varii sunt effectus divinæ prædestinationis.

VT dilucidè explicetur & suadeatur hæc speculatio, discurrendum est per singula, de quibus dubium esse potest, an sint effectus prædestinationis, necne. Quod commodiùs sequentibus quæsitis investigabimus.

Inquires 1. An glorificatio, justificatio, & vocatio efficax Sanctorum sint effectus prædestinationis?

Respondeo affirmanter, sic enim docet Apostolus Rom. 8. *Quos prædestinavit, hos & vocavit; quos vocavit, hos & justificavit; quos autem justificavit, hos & glorificavit.* Et ratio est, quia ad hoc ut aliquid sit effectus prædestinationis, tria requiruntur: primò quod sit à Deo gloriam dare volente: secundò quod detur ex sola intentione dandi gloriam: tertiò quod de facto conducat ad gloriæ assequutionem: Sed Deus confert de factó beatitudinem, justificat, & efficaciter vocat electum ex intentione dandi gloriam, ad quam tandem pervenit electus. Ideo namque Deus hominem ad se gratia præveniente attrahit & vocat, vocatum sanctificat, sanctum coronat, quia illi ab æterno gloriam conferre decreverat. Ergo tria prædicta sunt effectus prædestinationis.

Inquires 2. utrum substantia prædestinati sit effectus prædestinationis.

Respondeo negativè, id enim videtur conformius

manti

menti S.Thomæ, quam expressit *in cap.1. Epist. ad Rom. lect.3.* ubi postquam dixit, constitutionem rei non pertinere ad prædestinationem, sic concludit: *Relinquitur ergo, quod prædestinatio dicatur propriè eorum solùm quæ sunt supra naturam.* Et ratio est, quia illi desunt conditiones assignatæ, & requisitæ ad effectum prædestinationis. Sic ergo formatur discursus.

Vt aliquid sit effectus prædestinationis, debet conferri à Deo ex intentione prævia dandi gloriam, & debet per se conducere tanquam medium ad ipsius gloriæ consequutionem. Atqui illa utraque conditio deest substantiæ prædestinati: Ergo substantia illa non est prædestinationis effectus. Probatur minor, & primò quidem, quod Deus nõ statuerit producere substantiam electi ex intentione gloriæ, manifestum videtur; nam electio hominum ad gloriam supponit prædestinationem Christi, qui est primus omnium electorum, ac proinde culpam originalem, in cujus remedium venit Christus, & consequenter supponit voluntatem creandi Adamum in statu innocentiæ: hinc etiam fit, quod supponat voluntatem creandi genus humanum, quod totum vult salvare voluntate antecedenti; & ideo Incarnationem decrevit, quæ omnibus opem ferret. Ex qua gradatione perspicuè vides, voluntatem prædestinandi præsupponere voluntatem creandi per providentiam generalem definitam: Ergo Deus non decrevit creare substantiam hominis ex prævia intentione gloriæ; siquidem priùs naturâ concipitur voluisse producere hominem, quàm intelligatur intendisse gloriam.

Quod etiam prædestinati substantia non sit medium per se conducens ad gloriam, quæ est altera conditio requisita, sic monstratur. Vt aliquid sit effectus prædestinationis, satis non est ut quomodocunque perveniat ad gloriam, sed insuper debet esse medium per se ad illam perducens; effectus enim per se procedens ex amore alicujus finis, in hoc differt ab effectu per accidens solùm subordinato, quod iste ex se non ducit ad finem, ad quem ille naturâ suâ inclinat: iste non habet proportionem & coaptationem ad finem, sed concomitanter assumitur; ille verò intrinsecè ad finem tendit, & cum eo connaturalem habet connexionem. Atqui substantia prædestinati non est medium per se perducens ad gloriam, sed de se est æquè indifferens ad prædestinationem atque ad reprobationem, habetque potiùs rationem subjecti transmissi in vitam æternam, & finis cui desiderantur effectus prædestinationis. Ergo substantia prædestinati non est effectus prædestinationis, sicut non est effectus meritorum passionis Christi, dicente August. epist. 105. *Christus non pro ullis, ut homines conderentur, sed pro impiis mortuus est, ut justificarentur.* Et tamen apud omnes certum est, effectum quemlibet prædestinationis esse in nobis ex meritis Christi.

Objicies: Per substantiam & alia bona naturalia manuducuntur electi ad cognitionem, laudem, & amorem Dei. Ergo illa bona sunt effectus prædestinationis, tanquam occasiones bonorum operum, quæ perducunt in vitam æternam. Vnde D.Thom. *in 1. dist. 4. q. 1. art. 4.* docet quod *motus cœli, & omnes causæ naturales juvant prædestinationem ex parte effectus, in quantum eorum officio perficitur generatio & sustentatio electorum.* Et *hic, art* 8. in argumento *Sed contra*, probat prædestinationem juvari precibus Sanctorum, quia dicitur *Genes.* 25. quod Isaac rogavit Deum pro Rebecca uxore sua, & dedit conceptum Rebeccæ, ex quo conceptu natus est Iacob, qui prædestinatus fuit: non autem fuisset impleta prædestinatio, si natus non fuisset. Ergo videtur ex D.Thoma, quod nativitas Iacob fuit effectus prædestinationis.

Respondeo, quod licèt electi per gratiam Dei benè utantur naturalibus, malè tamen inde infertur, quod merè naturalia sint effectus prædestinationis; sed solùm inde inferri debet, quod bonus usus naturalium, vel actus virtutum, quos occasione bonorum naturalium eliciunt, sunt effectus prædestinationis. Sicut enim prædestinatio est de solis electis, ita effectus prædestinationis adeo sunt illis proprii, ut non sint communes reprobis: patet verò bona naturalia, & insignes animi dotes quandoque in reprobis eminentiùs relucere, ut claret in omnibus sectarum Philosophicarum Coryphæis, atque in ipso Lucifero Angelorum principe; cùm alioquin videamus sæpiùs hebetes & tardos, pravisque inclinationibus naturaliter affectos, gratiâ opitulante salvari, iis qui fortiti sunt animam bonam, relictis.

D. autem Thomas *locis cit.* intendit solùm effectus naturales deservire prædestinationi, sed non quod sint effectus per se illius: sicut enim gratia & supponit & perficit naturam; ita prædestinatio providentiam. Quare substantia, & alia bona naturalia sunt potiùs subjectum vel materia circa quam prædestinatio operatur, quàm effectus illius. Adde quod ex argumento *Sed contra*, nunquam colligenda est mens D.Thomæ, ut nullus in doctrina, & lectione D.Thomæ parumper versatus ignorat.

Inquires tertiò, utrum gratia interrupta per peccatum sit effectus prædestinationis?

Respondeo affirmativè, quia cùm prædestinatus resurgit per pœnitentiam, reviviscit etiam meritum gratiæ per peccatum impeditæ; unde post obitum illi gratiæ reparatæ correspondet specialis gradus gloriæ. Atqui quod per se conducit ad gloriam, & quod de facto à Deo coronatur, est verus prædestinationis effectus: Ergo gratia illa per peccatum interrupta est verus prædestinationis effectus: & quamvis opus sit ut per pœnitentiam restauretur, & tollatur obex peccati; non tamen correspondet gloria soli pœnitentiæ, sed etiam gratiæ primò collatæ.

Nec contra hoc potest argumentum alicujus momenti opponi, si præ oculis habeas, nos non asseverare gratiam sub præciso & formali statu interruptionis esse effectum prædestinationis, cùm potiùs sub hac consideratione à prædestinatione deficiat; sed quod illa eadem gratia, quæ interdum in viris sanctis mortificatur, est effectus prædestinationis.

Inquires quartò, utrum vocationes inefficaces, & auxilia merè sufficientia sint effectus prædestinationis.

Respondeo negativè; cùm enim hujusmodi dona sint communia reprobis, nec discernant ab electis, procurenturque omnibus à providentia generali ex vi voluntatis antecedentis, minimè computanda sunt inter effectus prædestinationis, cùm per se ad gloriam minimè perducant. Et quanvis objectivè prædestinatum moveant ad humilitatem, gratiarum actionem, ac fortè majorem fervorem, dum videt suam ingratitudinem, & Dei clementiam; malè tamen inde infertur prædicta esse prædestinationis effectus, sed solùm debet colligi, quod major illa humilitas, gratitudo, fervor ex illis natus & occasionatus, sunt veri prædestinationis effectus. Vnde August. *lib. de prædest. SS. cap.* 16. tradit illam solam vocationem esse effectum prædestinationis in electis, quæ est certa secundùm propositum. *Vocat Deus prædestinatos multos filios suos, & non ea vocatione quâ vocati sunt, qui noluerunt venire ad nuptias, sciens esse quandam certam vocationem eorum, qui secundùm propositum vocati sunt.*

Inquires quartò, an permissio peccatorum, in quæ incidunt electi, sit effectus prædestinationis: permissio, inquam, non activè sumpta ex parte Dei; sic enim non potest esse effectus Dei, cùm sit ipsa voluntas permittens

permittens peccatum; sed permissio passivè sumpta pro carentia auxilii, ex qua sequitur lapsus ex malitia voluntatis.

Respondeo eadem distinctione: unde dicendum arbitror, peccatum in se non posse esse effectum prædestinationis, sed bonum usum, qui ex lapsu accidit, esse prædestinationis effectum. Ratio est clara, quia ut docet D. Thomas suprà, q. 19. art. 9. *Malum culpæ, quod privat ordine ad bonum Divinum, Deus nullo modo vult.* Ex quibus verbis sic argumentor. Vt aliquid sit effectus prædestinationis, debet esse volitum à Deo, & per se conducere ad vitam æternam: Sed peccatum Deus nullo modo vult, nec conducit ad vitam æternam, sed potiùs quantum est de se ab ea educit. Ergo peccata prædestinatorum non sunt effectus prædestinationis. Accedit quod ad peccatum etiam quoad materiale non concurrit Deus concursu speciali, sed solùm concursu generali. Sed ad effectus prædestinationis Deus speciali modo concurrit & assistit, præbendo singularia indicia dilectionis suæ. Ergo peccata non sunt prædestinationis effectus.

Quare solus bonus usus, seu fructus, qui ex lapsu in peccatum elicitur, est prædestinationis effectus, quatenus prædestinati efficiuntur ex casu humiliores, cautiores, ferventiores, orationis studiosiores, & propriæ infirmitatis magis conscii, & in hoc sensu verum est illud Apostoli, Rom. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Vbi glossa ex August. desumpta ait: *Vsque adeo omnia, ut si qui eorum deviant & exorbitant, etiam hoc ipsum faciat eis proficere in bonum; quia humiliores redeunt, atque cautiores.* Et Ambros. Apolog. 1. de David, c. 2. *Sancti sicubi fortè ut homines corruerint, natura magis fragilitate, quàm peccandi libidine, acriores ad currendum resurgunt, pudoris stimulo majora reparantes certamina, ut non solum nullum attulisse æstimetur lapsus impedimentum, sed etiam velocitatis incentiva cumulasse.* Hinc David confitetur: *Bonum mihi Domine quod humiliasti me.* Psal. 118. Et Apost. 2. Cor. 14. *Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis*, qui ad peccatum inclinat, & vix est sine peccato, saltem veniali.

Confirmatur tota hæc responsio: Subtractio gratiæ provt se tenet ex parte hominis, non est beneficium Dei, sed pœna & ultio: non est etiam per Christum; neque enim Christus mortuus est, ut gratiâ careremus, sed ut eam ex ejus plenitudine hauriremus: non conducit etiam per se ad gloriam, sed potiùs divertit. Sed omnis effectus prædestinationis est beneficium Dei speciale; prædestinatio enim est præparatio beneficiorum: est etiam per Christum, in quo nos Deus elegit ante mundi constitutionem: perducit etiam ad vitam æternam, ut ex dictis manifestum est. Ergo hæc subtractio gratiæ non est effectus prædestinationis, sed Providentiæ generalis, ad cujus supremum regimen pertinet aliqua mala in Vniverso permittere, ut dissertatione superiori ex D. Thoma ostendimus.

Vnde relinquitur, solum bonum usum lapsuum, & quotidianarum culparum, esse effectum prædestinationis: unde & illum bonum usum à Deo petere possumus. Non tamen possumus ab eo petere, ut permittat nos cadere in peccata, etiam sub conditione quod sint idonea ad nostrum profectum, ut quidam haud rectè dixit; si enim non sunt facienda mala ut veniant bona, qua ratione petere possumus ut veniant mala sub aliqua spe boni? Absit hujusmodi petitio, quæ sanè non habetur in Oratione Dominica, in qua potiùs rogamus, *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.*

Dices: Deus vult permittere electum cadere in peccatum, putà Petrum in infidelitatem; siquidem respectu Dei nihil est casuale, vel fortuitum: vult, inquam, ex aliquo bono fine, scilicet ob pœnitentiam, humiliationem, & utilitatem electi. Ergo permissio peccati, & subtractio gratiæ, non quidem secundùm suam naturam, & ex propriis considerata, sed provt ex misericordia Dei ordinatur ad aliquod bonum electi, est effectus prædestinationis conducens ad gloriam, quatenus ex ea nascitur humilitas, pœnitentia, fervor, aliaque hujusmodi bona.

Respondeo Deum velle permittere hominum peccata ob innumeras rationes, quas habet infinita providentia in thesauris sapientiæ suæ, partim notas, partim verò occultas. Vnde nõ negamus, permissionem in peccatum esse effectum providentiæ, sed inficiamur esse effectum prædestinationis; quia pro hujusmodi permissione peccati, gratiæque subtractione Christus mortuus non est, sed solùm ut justi peccantes, humiliores, cautiores, fervidiores, & prudentiores existerent: unde hæc major humilitas, cautio, prudentia, & fervor sunt effectus prędestinationis, & hoc est quod intendit S. Thom. 1. 2. q. 39. art. 4. dicens: *Peccatum ad duo ordinatur; ad unum quidem per se, scilicet damnationem; ad aliud autem ex divina misericordia, scilicet ad sanationem, in quantum Deus permittit cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur, & convertantur, sicut dicit August. in lib. de nat. & grat. Vnde & excæcatio sui natura ordinatur ad damnationem ejus qui excæcatur, propter quod ponitur etiam reprobationis effectus; sed ex divina misericordia excæcatio ad tempus ordinatur medicinaliter ad salutem eorum qui excæcantur; sed hæc misericordia non omnibus impenditur excæcatis, sed prædestinatis solùm, quibus omnia cooperantur in bonum.* Vides malum & excæcationem à providentia permitti, ut homines humilientur & sanentur; vult enim omnes salvos facere: sed tamen hunc fructum, hanc humiliationem, medicinalem sanationem in solis electis consequi; atque adeò ille dumtaxat fructus est prædestinationis effectus, permissio verò peccati est effectus providentiæ.

Quæri etiam solet, an usus liberi arbitrii sit effectus prædestinationis. Sed de hoc speculatione præcedenti satis superque actum est. De certitudine verò, signisque prædestinationis agemus in fine Theologiæ.

R E F L E X I O.

Cum timore & tremore operemur salutem, etiam qui in nobis aliquos prædestinationis effectus experimur. Nam, ut ait Chrysost. lib. 5. adverf. vitia vit. Mon. *Non omnes qui initio arctam viam apprehenderunt, ad finem etiam perducti sunt; sed alii in ipsis initiis, nonnulli in itineris medio, plurimi in ipsum ferè portum invecti naufragium fecerunt.* Quid terribilius? Certè cùm videamus in ipso statu virginitatis, quem Cypr. lib. de discipl. & habit. virgin. *florem Ecclesiastici germinis, & illustriorem portionem gregis Christi* appellat, quinque fatuas ex decem inveniri, quis nõ expavescat? Si Apostolus Magister gentium & vas electionis post prædicatum universo mundo Salvatorem, post raptum ad tertium cœlum, timet ne reprobus efficiatur, & ideo castigat corpus suum, & in servitutem redigit, ut 1. Cor. 9. attestatur; quis securus erit, nec timebit excludi à regno solis humilibus pervio, superbis occluso? Certè si Deus sapientibus se abscondit, ut revelaret parvulis; si infima & humilia mundi eligit, ut confundat fortia; si suscitat de terra inopes, & de stercore elevat pauperes, ut deprimat colla sublimium; si miseretur cujus miseretur, & misericordiam præstet, cujus miseretur, ut tota Scriptura inculcat, profectò sapiens non eris, Lector, si hæc considerans usque ad centrum terræ te non deprimas, ut intra parvitatis tuæ nihilum absorptus & immersus, ad peccati nihilum non

noo redigaris. Hoc petebat prudentissimus Iob cap. 54. *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno* (id est in inferioribus partibus terræ præ humilitate jacentem & prostratum) *protegas me, donec pertranseat furor tuus*, qui in superbos solos excandescit ? Et sanè oullus tumori potest esse locus in tanta studiorum humanorum vacillatione & fragilitate. Nulla illi materia suppetit superbiæ, qui norit omnem fortitudinem suam esse favillam stupæ, & omnia bona naturalia non esse prædestinationis effectus, nec ullius planè esse ad salutem momenti, nisi supernaturalis & indebita gratia opituletur. Hinc præclarè Gregorius Magnus expendens illud Iob, *Si osculatus sum manum meam ore meo*, ait perinde esse ac si dixisset : *Ego mea opera, tanquam mea non profero, quia authoris sui gratiam negare convincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur.* Vnde & præmiserat : *Sancti quidquid in se boni inspiciunt, immortalis gratiæ cognoscant donum, eique de accepto munere debitores fiunt, qui & præveniendo dedit eis bonum velle quod noluerant, & subsequendo concessit bonum posse quod volunt. Vnde benè per Ioannem dicitur, Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini, ut ad illum referant gloriam laudis, à quo se sciunt vires cepisse certaminis.*

CAPVT II.

De reprobationis indiciis.

NOn minùs abstrusum & reconditum est reprobationis secretum, quàm prædestinationis sigillum. Vnde omnes hac in parte decisiones ad Patrum & Sanctorum oracula exigendæ sunt. *Dignum est* (ait S. Fulgent. lib. 1. de verit. Prædest. cap. 15.) *ut in singulis quibusque sententiis, in quibus nubilo cnjusquam obscuritatis ambigimus, Sanctorum Patrum definitionibus hæreamus, quos præveniens misericordia Dei gratis illuminavit, ut crederent; & sequens instruxit spiritualiter, ut docerent.* Porrò nomine reprobationis intelligitur rejectio alius rei improbæ, vel vilis, & contemptibilis. 1. Reg. 16. *Prudentiam prudentium reprobabo.* 1. Reg. 15. *Quidquid vile fuit & reprobum, hoc demoliti sunt.* Cæterùm usu Patrum & Theologorum reprobatio specialiter accipitur pro ordinatione Dei privantis aliquos vita æterna. Vnde variis nominibus misera eorum sors in Scripturis significatur. Primò, dicuntur ignoti. Matth. 5. *Nescio vos.* Secundò, odio habiti. Rom. 9. *Iacob dilexi, Esaü autem odio habui.* Tertiò, repulsi. Psal. 87. *Et ipsi de manu tua repulsi sunt.* Quartò, despecti. Eccles. 1. *Nemo potest corrigere quem Deus despexerit.* Quintò, maledicti. Matt. 25. *Discedite maledicti in ignem æternum.* Sextò ibidem vocantur *hædi.* Septimò *proscripti in diem malum,* in epist. B. Iudæ. Octavò, *Vasa iræ, vasa contumeliæ, apta in interitum.* Rom. 9. Vt autem methodicè procedamus,

Eundem ordinem sequemur speculantes arcanum reprobationis, quem prædestinationis mysterium explicantes servavimus, tradentes existentiam, essentiam, motiva, & effecta illius. Nec minores in hoc sigillo resignando occurrent difficultates, quàm in præcedenti, ob quas tamen veritas minimè deserenda est. Nam ut ait August. de bon. persev. cap. 14. *Nunquid ideò negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est? Nunquid, inquam, proptereà dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam cur ita sit, non possumus invenire?*

SPECULATIO I.

Certum est, dari in Deo reprobationem, quæ consistit formaliter in imperio intellectus, supponente efficacem voluntatem excludendi aliquos à gloria.

PRior pars est certa secundùm fidem, eamque formidabat Apostolus vas electionis, dum aiebat, 1. Corinth. 9. *Castigo corpus meum, ne reprobus efficiar.* Et eam probat D. Thomas *q. 23. art. 3.* quia ad supremum provisorem pertinet, ut permittat aliquem defectum in rebus, quæ suo ordini subduntur : sicut in ordine naturali multa videmus deficere à fine, multasque accidere corruptiones & infirmitates : ergo etiam in ordine gratiæ sapientissimè permittit Deus aliquos incidere in peccata, propter quæ excluduntur à gloria, ut manifestetur divina justitia in eorum punitione; misericordia in illis sufferendis cum tanta patientia, & longanimitate; necessitas divinæ gratiæ, quâ juvante vincimus, & ea iterum non adjuvante vincimur; defectibilitas libertatis creatæ, quæ sibi relicta ad malum sufficit, ad bonum verò nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.

Hanc rationem tangit Apostolus Rom. 9. *Volens Deus ostendere iram* (id est justitiam vindicativam,) *& notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Vbi docet, Deum aliquos reprobare, ut inde attributorum suorum gloria coruscet. Docet etiam idem Apostolus, id exigere ordinem & decorem Vniversi, cujus pulchritudo ex bonorum & malorum admixtione consurgit; contraria etenim juxta se posita magis elucescunt; & hic est sensus quem prætendit dum 2. *Timoth.* 2. scribit : *In magna domo non solùm sunt vasa aurea, & argentea, sed etiam lignea, & fictilia; quædam quidem in honorem, quædam in contumeliam.*

Posterior pars, quæ essentiam reprobationis explicat, probata relinquitur ex dictis de providentia & prædestinatione; oppositorum enim eadem est ratio. Vnde D. Thomas *art. 3. hujus q. 23.* sic discurrit : *Sicut prædestinatio est pars providentiæ respectu eorum, qui divinitus ordinantur in æternam salutem; ita reprobatio est pars providentiæ respectu illorum, qui ab hoc fine decidunt : unde sicut prædestinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquos cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa.* Hanc autem voluntatem sequitur imperium executivum illius, quod quidem imperium est actus intellectus, ut suprà ostensum est, & uberiùs dicetur in Morali : Ergo reprobatio formaliter sita est in actu intellectus supponente intentionem efficacem voluntatis.

Neque enim potest sufficienter explicari reprobationis essentia per solam negationem & carentiam actus imperii & voluntatis dandi gratiam efficacem saluti obtinendæ necessariam. Hæc enim explicatio licèt nonnullis arriserit, divinæ tamen voluntatis actualitati & perfectioni repugnat. Purissima enim & infinita voluntatis Dei eminentia circa objecta sibi ab intellectu proposita suspensa manere nequit, ut aliàs fusè ostendimus : & certè si ad reprobationem sufficeret negatio prædestinationis & electionis, possent dici homines possibiles reprobati, cùm eos ad gloriam Deus non elegerit.

Ex his habes legitimam reprobationis definitionem à S. Doctore loco citato traditam, *Reprobatio est præscientia eorum, qui ab æterna vita excluduntur, cum voluntate*

voluntate permittendi culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. Cui affinis est illa quam affert Magister in 1. Sent.dist.40. *Reprobatio est præscientia malitiæ in quibusdam non finiendæ, & præparatio pœnæ non terminandæ.* Quibus satis insinuatur, reprobationem in actu intellectus coonotante decretum efficax voluntatis sitam esse. Nec contra hoc potest fieri argumentum, quod ex dictis dum de providentia solutum non sit.

Reflexio.

Sicut suprà vidimus, proprium Dei intuitum totius esse boni fontem inexhaustum; ita adversùs Dei indignantis aspectus, quo homines reprobat, malorum omnium scaturigo est. Vnde dicitur Psal.33. *Vultus autem Domini super facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum.* Hos autem iræ, & indignationis oculos in superbos distringit Deus. Nam ut ait Richardus Victorinus in Psal.28. *Non solùm ad vocis suæ tonitruum, sed sæpè ad aspectum suum contrivit montes arrogantiæ, incurvavit colles superbiæ, & quoties voluit, deposuit potentes de sede.* Habac.3. *Aspexit & dissolvit gentes, & contriti sunt montes sæculi.* Aspectus ille nihil est aliud quàm terrificum illud *Væ*, quod tantoperè timendum Doctores inculcant, quia maledicere Dei, utpote efficax, est malè facere, lædere, occidere, perdere, ut patet exemplo ficulneæ infructuosæ, quæ ut dicitur Marc.11.statim ad Christi maledictionem aruit. Humiles ergo simus, & sub incerto reprobationis arcano, *Væ* illud superbis immiones, & ab Isaia interminatum vitemus; ait enim cap.5. *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes.* Si aspectus Christi in horto quætentes milites prostravit, quantumvis esset & gratiâ in labiis suis diffusâ, & decore quem induit, suavissimus; quid faciet quæso, vel quid non faciet indignantis intuitus? *Quis ejus iram toleret* (ait Gregor. lib.6. Moral. cap.6.) *Cujus nec mansuetudo potuit tolerari?* Vnicum remedium est humilitas. *Quod donum qui non habet, non dubito dicere, alia quæcumque habet, inaniter habet,* inquit August. *de don. persev. cap. ult.*

Speculatio II.

Reprobatio prout dicit exclusionem à gloria, tanquam beneficio indebito, non habet pro motivo prævisa demerita & peccata, sive actualia, sive originale; benè tamen prout includit voluntatem puniendi & infligendi pœnam.

Prima pars, quæ à motivo reprobationis negativæ (sic dictæ, non quòd in negatione actûs consistat, sed quia gloriam tanquam beneficium indebitum denegat) excludit omnia peccata, tam actualia, quàm originale, est expressa doctrina D.Thomæ *hic, art.5. ad 3.* ubi non aliam rationem assignat reprobationis astruendæ, nisi manifestationem divinarum perfectionum, complementum universi, & quia in magna domo non solùm sunt vasa aurea & argentea, sed etiam fictilia & lignea; & demùm sic concludit: *Quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem nisi divinam voluntatem.* Et *in 1. ad Annib. dist.41. quæst.unic. art.3.* postquam distinxit duplicem in Deo voluntatem circa reprobos, alteram de contradictorio, quâ vult aliquem non salvare; alteram de contrario, qua vult positivè damnare, expressè ait, secundùm habere quidem rationem ex parte voliti, quia culpa supponit pœnam; secus verò primam, quia gloria est indebita: *nec requiritur ratio* (inquit) *quare non dem alicui, cui dare non debeo.* Certè si juxta mentem D.Thomæ his aliisque locis evidenter expressam, reprobationis nulla sit ratio nisi divina voluntas, cùm exceptio firmet regulam in contrarium, omninò contradicere D.Thomæ est, assignare aliquam rationem præter divinam voluntatem, purà peccatum originale: Maximè quia S.Doctor *hic, art.3.* docet reprobationem esse actum providentiæ, cujus est permittere quosdam à fine deficere, & cadere in peccatum non remittendum. Ergo evidenter censet, reprobationem non supponere peccatum, sed illius permissionem inferre.

Probatur ratione manifestè deducta ex dictis de prædestinatione: Deus nullis suppositis, vel prævisis meritis, aliquos homines elegit ad gloriam ex mero voluntatis suæ beneplacito, quo eis apponit cor suum, ut *cap. præced.* ostensum est. Ergo alios positivè relinquit ex sua pura voluntate, nullâ habitâ ratione ad demerita. Nam eodem motivo quo quosdam assumit, alios relinquit, quos prudens & videns non destinat ad gloriam, cùm possit: imò in hoc consistit gratuita electio, quod eodem actu & motivo unus assumatur, & alius relinquatur. Atqui illa positiva derelictio, quâ advertenter excluduntur reprobi à gloria indebita, est reprobatio, de qua hîc agimus. Ergo reprobatio, ut est exclusio à gloria tanquam beneficio indebito, non habet aliam causam motivam, quàm divinam voluntatem, non verò demerita prævisa.

Hanc rationem indicat Apostolus Rom.9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et adducto exemplo Pharaonis, subdit: *Ergo cujus vult miseretur, & quem vult indurat.* Et statim refutans querelam ortam ex eo quod nullus divinæ voluntati resistere quit, ait: *Homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit, Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* Vides Doctorem gentium non aliam hujus ineffabilis mysterii rationem assignare, quàm Dei voluntatem, sicut ad eandem in negotio prædestinationis semper recurrit. Quare tam manifestè liquet Apostolum non supponere demerita, vel massam peccato corruptam pro reprobatione, quàm non supponit bona merita pro electione: sicut in massa luti nihil supponitur, nisi quod est indifferens & formabile ad voluntatem figuli.

Subscribunt Patres huic Apostolicæ doctrinæ. Et licèt de Augustino nonnulli ambigant, nihilominus in ejus doctrina versatis dubitare non licet. Cùm enim S. Pater non uno loco, sed passim hominum reprobationem in inscrutabilem judiciorum divinorum abyssum referat, planè consequitur, reprobationis meritum secundùm Augustinum non esse in homine quærendum. Loca Augustini in præloquio hujus libri adduximus, quibus illa omnia adjungi possent, quibus asserit, nullam esse causam cur Deus uni det perseverantiam, alteri neget, permittatque istum cadere in peccatum, propter quod damnatur: quod utique verum non esset, si reprobatio haberet aliquam causam. Sic autem loquitur August. de corrept. & grat. cap.8. *Hic si à me quæratur, cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, quâ christianè viverent, dilectionem dedit? Me ignorare respondeo* (si autem peccatum prævisum, vel actuale, vel originale esset causa reprobationis, in promptu erat responsio.) *Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum, O homo tu quis es qui respondeas Deo. Et ò altitudo divitiarum, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus! ... Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in* Christo,

Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam; cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertitâ gratiâ suâ faciat filios suos. Quis hoc non miretur? Quis hoc non vehementissimè stupeat? Et adducto exemplo parvulorum, quod non minùs mirum est, & tamen verum, atque ita manifestum, ut nec ipsi inimici gratiæ Dei, quomodo id negent, valeant invenire, ait: *Certè hic judicia Dei, quoniam justa & alta sunt, nec vituperari possunt, nec penetrari. De his resque exclamamus: O altitudo divitiarum. Nec miremur nos vestigare non posse investigabiles vias ejus.* Egregiè astipulatur Prosper respons. ad 14. object. Vinc. *Cur ex duobus justis illum retineat Deus, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum investigare; cùm scire sufficiat, & ab illo esse quod statur, & non ab illo esse quod ruitur.* Ad eandem judiciorum divinorum abyssum crebberrimè refert Gregorius Magnus perseverantiam, vel lapsum hominum, ut legere est *lib. 19. Moral. cap. 9. 17. & 18.*

Vnde licèt illi Theologi, qui aliter sentiunt de prædestinatione Angelorum & hominum, diversamque gratiam admittunt in statu innocentiæ, ab ea quâ in statu naturæ lapsæ indigemus, satis consequenter dicunt, reprobationem quocomque modo acceptam supponere peccatum originale, & reprobationem dæmonum prævisionem peccati actualis; quia in eorum principiis in statu naturæ integræ non datur nisi gratia sufficiens expectans efficaciam à determinatione voluntatis; unde consequenter Deus non prædestinat, vel reprobat, nisi ex prævisione boni, vel mali usus gratiæ; ac proinde nisi Deus lapsum Adæ prævidisset, hominem non reprobasset. Cùm enim non admittant decretum prædeterminans & per se efficax, nisi ob infirmitatem arbitrii peccato debilitati; si non esset peccatum, inquiunt, non esset opus prædestinatione efficaci & causante consensum voluntatis; nec daretur reprobatio, nisi supposito peccato: unde & docent prædestinationem bonorum Angelorum esse ex prævisis meritis, & reprobationum dæmonum ex prævisis demeritis.

Cæterùm Thomistæ, qui necessitatem gratiæ per se efficacis pro omni statu admittunt, quique confitentur prædestinationem Angelorum esse ante prævisa merita, & reprobationem dæmonum esse ante prævisa demerita (neque enim in illis fuit peccatum originale) Thomistæ, inquam, non possunt nisi obliti suæ doctrinæ & principiorum suorum, asserere reprobationem hominum, prout est exclusio à beneficio indebito, supponere peccatum originale.

Vnde planè mirari subit cur Par. Gonet, qui tam strenuè Thomistica dogmata clypeo suo tutari solet, hac in parte à trita Thomistarum omnium semita recesserit. Certè si reprobatio Angelorum nullum supponit peccatum, sed potiùs permissio peccati est effectus reprobationis ipsorum, quâ consequutione doctrinæ asseritur alius reprobandi modus pro homine? Sanè hac sua singulari sententia (nullus enim ante ipsum discipulus D.Thom. eam prælo mandavit) difficultates non vitavit, sed auxit: non quidem vitavit, quia omnia argumenta, quæ contra nos militant, illi in reprobatione Angelorum solvenda sunt: auxit verò, quia restat ei satisfaciendum sequenti discursui, quo

Probatur ampliùs communis Thomistarum sententia: Effectus reprobationis non potest esse causa, & motivum illius: Atqui permissio peccati originalis, propter quod aliqui excluduntur à gloria, puta parvuli ante Baptismum decedentes, est primus effectus reprobationis: Ergo reprobatio non supponit peccatum originale: Major constat etiam apud eos quos impugnamus, qui ex eo probant oobiscum, prædestinationem esse ante prævisa merita, quia hæc sunt effectus prædestinationis. Minor verò disertè traditur à D.Thoma art. 3. dicente, quod sicut prædestinatio includit voluntatem inferendi gratiam, & gloriam; ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa. Ergo apertè sentit S.Doctor, peccatum illud, pro quo aliquis excluditur à gloria (quod in parvulis non initiatis fonte Baptismatis est originale) esse ex divina permissione, sine qua nihil accidit; quam permissionem ait esse effectum reprobationis, cùm dicat, *reprobationem includere voluntatem permittendi culpam.* Quod si peccatum originale non sit causa reprobationis parvulorum, multò minùs adultorum: tum quia aliàs diversus esset reprobandi modus pro utrisque, quod nullus adhuc Thomista cogitavit: tum quia peccatum originale in multis adultis Baptismate deletur, ut posteà probabimus.

Probatur secundò: Finis priùs intenditur quàm media; connaturalis enim modus agentis intellectualis in præparatione mediorum est exordiri ab ipsius finis intentione, ex qua ad mediorum electionem procedat. Cui principio innituntur omnes gratuitæ prædestinationis assertores, ut probent, Deum priùs intendere gloriam, quàm prævideat merita efficaciter ad eam perducentia. Atqui finis à Deo intentus in reprobatione est exclusio à regno cœlorum propter suorum attributorum manifestationem. Ergo priùs naturâ quàm permittat vel prævideat peccata perducentia in damnationem (quale est originale in innumeris parvulis) concipitur in Deo voluntas excludendi aliquos à regno cœlorum. Sanè non video quid huic rationi verosimiliter responderi possit, suppositâ doctrinâ de gratuita prædestinatione, de qua dixit Cardinalis Bellarminus lib. 2. de grat. & lib. arbit. cap. 11. *Illam non quorumvis Doctorum opinionem, sed fidem Ecclesiæ Catholicæ dici debere.*

Probatur demùm: Deus non reprobavit, nec exclusit à gloria propter peccatum illud, quod non solùm voluntate antecedenti, sed etiam consequenti & efficaci voluit delere, remittere, & destruere, quodque de facto in tempore delet, remittit, & destruit: Atqui Deus multis hominibus voluit denegare gloriam, in quibus tamen efficaciter voluit remittere, & de facto condonavit, abstulitque peccatum originale: Ergo Deus non reprobavit propter peccatum originale. Minor est manifesta; constat enim, non omnes baptizatos novæ legis, nec omnes circumcisos veteris legis fuisse salvatos, in quibus tamen peccatum originale deletum est. Major verò videtur clara; qua enim ratione potest intelligi vel conciliari, Deum velle efficaciter excludere aliquem à gloria propter unum aliquod peccatum, & simul velle efficaciter peccatum illud remittere, & condonare?

Vrgetur hæc ratio: Si Deus vult denegare gloriam propter peccatum originale, etiamsi sit in tempore remittendum, vult etiam denegare gratiam efficacem, & donum perseverantiæ propter illud; intentio enim finis est causa electionis & exequutionis mediorum; medium verò exequens reprobationem secundùm omnes est denegatio gratiæ efficacis, & doni perseverantiæ: Atqui implicat Deum denegare gratiam efficacem propter peccatum sincerè remissum & condonatum; nam aliàs illud peccatum esset, & non esset remissum: esset quidem ex suppositione Baptismatis; non esset verò, siquidem Deus propter illud infligeret pœnam omnium gravissimam, nempe gratiæ illius subtractionem, ex qua sequitur damnatio: Ergo Deus non voluit denegare gloriam, seu reprobare propter peccatum originale remissum, aliàs falsum esset quod ex Apostolo *Rom. 6.* docet Tridentin. *sess. 5. cap. ult.* in renatis nihil

nihil odisse Deum, & nihil damnationis esse his, qui sunt in Christo Iesu.

Multæ solent huic demonstrationi adhiberi responsiones, sed nulla satisfacit. Quòd enim dicunt aliqui, Deum reprobare, & excludere à gloria propter peccatum originale, non tamen decretum illud exequi propter peccatum originale, est mera evasio. Nam eidem motivo attribuitur exequutio, cui attribuitur intentio talem exequutionem causans, cùm exequutio ex efficacia intentionis derivetur: Ergo si Deus intendat excludere à gloria ob peccatum originale, de facto excludet propter illud; sicut quia motivum prædestinationis est misericordia Dei, verum est etiam dicere, Deum coronare Sanctos in misericordia & miserationibus, & ex sua gratuita benignitate dare donum perseverantiæ. Denique hanc, & alias solutiones, quas non minùs fusè, quàm eruditè prosequitur P. Gonet, hoc uno verbo confringes dicendo, hæc duo decreta esse in adjecto, ut dicunt, & in terminis implicatoria: *Volo efficaciter voluntate beneplaciti excludere reprobum à gloria propter peccatum originale*; & simul prædifinire: *Volo efficaciter voluntate beneplaciti delere, remittere, & condonare peccatum originale illius reprobi*: Quæ duo decreta admittere tenetur opposita sententia, & tamen incompossibilia esse ex penetratione terminorum quis non videt? Nam licèt peccatum originale possit dici remissum, etiamsi maneat fomes peccati & concupiscentia (ut tacitæ objectioni occurram,) non tamen si maneat reatus vitæ æternæ. Irrisoria enim, & illusoria omninò condonatio est, si ob peccatum, cui parcere judex asserit, pœnam gravissimam infligit. Sicut etiam peccatum actuale non censeretur in Sacramento pœnitentiæ sincerè & sine dolo dimissum, si quantumvis maneant pravæ inclinationes ex peccatis præcedentibus relictæ, æternæ pœnæ reatus permaneret. Porrò dicere peccatum originale non esse causam adæquatam reprobationis, quia ex duplici titulo Deus homines reprobavit, scilicet titulo indebitæ gratiæ, & titulo justitiæ punitivæ propter peccatum originale; hoc, inquam, dicere est ad nostra castra redire, & veritate convictum fateri, non aliam esse causam reprobationis negativæ, quàm divinam voluntatem inscrutabilem, & quia *in ea requievit Apostolus, nemo quærat à me occultorum rationem*, ait August.

Secunda pars speculationis facilis est, & ejus rationem insinuat D. Thomas *locis citatis*; quia pœna est correlativa culpæ, quam necessariò præsupponit: & dicunt communiter Patres, quod *Deus est bonus ex suo, & justus ex nostro*, id est occasione sumpta ex peccatis nostris: unde repugnat ejus bonitati, quod decernat punire & infligere ullam pœnam, nisi propter culpam prævisam. Unde August *lib. 3. cont. Iul. cap. 8.* ait: *Bonus est Deus, justus est Deus; potest sine bonis meritis liberare, quia bonus est; non potest sine malis damnare, quia justus est*. Et *lib. 3. de lib. arbitr. cap. 9.* sic: *Si peccatis detractis miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo, atque administratio universitatis.*

Satisfit objectis.

Objicies: Voluntas efficaciter excludendi aliquem à gloria est incompossibilis cum voluntate salvandi omnes homines; quomodo enim eorum salutem sincerè vult Deus, quos ante prævisa demerita à salute excludit? Atqui Deus verè & sincerè vult omnes homines salvos facere: Ergo non vult aliquos excludere à gloria ante prævisa demerita.

Respondeo, hanc difficultatem suprà fuisse expeditam, dum de voluntate Dei; & ejus summa est, quod sicut judex potest sincerè velle salutem hominis, quem tamen tradit de facto suspendendum: ita Deus volens omnium salutem, potest de facto aliquem excludere à tali fine indebito, attentis circumstantiis defectibilitatis humanæ, boni universi, manifestationis attributorum. Sicut etiam in principiis assertorum scientiæ mediæ, cum voluntate salvandi omnes stat Deum velle efficaciter constituere hominem in illo circumstantiarum ordine, in quo prævidit eum peccaturum & damnandum. Denique omnes premit exemplum indissolubile parvulorum, quos Deus voluit excludere à gloria nullis suppositis, vel prævisis demeritis, quæ in eis nulla sunt; & tamen voluntate antecedenti vult eos Deus salvos facere.

Dices: Nostra sententia est valde dura, nec sapit pietatem illam Dei, quam tantoperè commendat Scriptura, dum præcipit sentire de Domino in bonitate; non enim cum tanta clementia stare videtur, quod aliquem à regno suo excludat Deus ex sua simplici voluntate, non impulsus ex nostris demeritis; & quod potiùs ex illa voluntate denegandi gloriam ad permittenda peccata, negandamque gratiam procedat. Certè durus est hic sermo, & quis potest eum audire?

Respondeo, hanc difficultatem æqualiter premere omnes sententias. Nam permissio primi peccati irremissibilis (quale fuit in Angelis, & quale est in parvulis sine Baptismo morientibus) non præsupponit aliquam priorem culpam, cùm sit permissio primæ, nec procedere liceat in infinitum. Peto ergo ab adversariis, quare Deus velit permittere illud primum peccatum, ex quo infallibiliter sequitur exilium à regno? Certè non possunt confugere nisi ad latentia Dei consilia; non enim possunt recurrere ad præcedentem culpam, cùm loquamur de prima, & tamen non minoris, sed omninò ejusdem jacturæ est, denegatione gratiæ permittere peccatum irreparabile, quàm excludere à gloria, cùm gloriæ exclusio in illius peccati permissione nitatur. Ergo si primum vult Deus, absque ulla crudelitatis nota, vel bonitatis diminutione, quidni idem dicetur de secundo? Adde quod licèt secundùm adversarios Deus reprobet post prævisa demerita, tamen in manu ejus erat ita singula disponere & apparare, ut peccata & demerita impedirentur; & tamen non fecit: respondeant ergo adversarii, an Deus sit propterea minus bonus, vel nimis durus?

Quare fatendum est, difficultatem esse sententiis omnibus communem, cui dicendum, aliter discurrendum esse de gubernatore & provisore universali, aliter de particulari. Licèt enim particularis non possit, nec debeat permittere defectus, quos potiùs præpedire tenetur; nec ejus sit intendere justitiæ ostensionem, sed eam solùm, ubi culpæ exigunt, exercere; tamen provisor generalis, & author totius naturæ permittere defectus potest ob contingentiæ, & defectibilitatis creatæ exigentiam, sicut & locum dare justitiæ sine ulla crudelitatis, & duritiei nota. Pertinet quippe ad bonitatem universalissimi entis, ut suæ justitiæ manifestandæ provideat, eique in universo locum det, ut decori universi ex malorum bonorumque alternatione consurgenti consulat, ut creaturas libertas suæ contingentiæ, & infirmitati quandoque permittat, ut denique appareat quàm sublimis sit finis noster, quàm pervius humilibus, quàm absconditus superbis, quàm gratuitus, & omnes vires creatas excedens, atque adeò summis precibus, & sine intermissione petendus: quare in hoc nulla est crudelitas, sed summa providentia; nec delectatio miseriæ nostræ, sed amor boni universi, quod est perfectius, & divinius.

Radix deceptionis in hac parte est, quod intellectus noster constrictus & limitatus, immensum judiciorum Dei pelagus juxta suum modulum metiri vult,

nec considerat Deum minimè irrogare injuriam reprobis, quibus necessaria ad salutem non subtrahit, nec tenetur eis dare, quod nulli debet; in gratuitis enim non habet locum acceptio personarum, quia quod datur ex gratia, potest sine injustitia denegari. Vnde dicebat Paterfamilias, Matth. 20. *Tolle quod tuum est, & vade: an non licet mihi quod volo facere?* In illa judiciorum divinorum profunda adoratione vera & solida animi pax invenitur. Quod si hæc tibi non satisfaciunt, cave ne sis similis illi, cujus os impium obstruere, & temeritatem retundere cogitur Apostulus citatis verbis: *O homo! tu quis es qui respondeas Deo*, &c. Quæ verba sic explanat Naclantus noster; O homo, verè homo, verè vanitati & stultitiæ similis; tu quis es? Nonne lutum, pulvis, & cinis, ut altercari præsumas cum Deo? Nunquid oblitus es te esse figmentum, & sordidum lutum? Ergo adversus eum qui te plasmavit audebis insolescere, illumque in jus deducere, aut cur hunc in modum te effinxerit, querulari.

Instabis: Verum quidem est, Deum nemini facturum injuriam, si excluderet solùm à gloria, ut à beneficio supereacedenti, & indebito: verùm Deus nullum excludit à gloria, quin illum addicat suppliciis sempiternis; hæc enim duo sunt inseparabilia, & necessariò connexa: Sed injuriam faceret Deus, si ante prævisa demerita statueret punire & plectere reprobos: Ergo similiter si statuat illis negare gloriam; unum enim sine altero esse non potest, præsertim cùm præcipua pœna damnatorum sit privari visione Dei.

Respondeo, quod licèt ille qui excluditur à gloria, incidat in damnationem, quia incidit in peccatum quod est causa damnationis; quia tamen Deus non est causa peccati, sicut volendo excludere à gloria non vult peccatum, ita per hoc formaliter non vult infligere damnationem, sed solùm denegare beneficium indebitum. Et sub hac ratione exclusio à gloria non habet rationem pœnæ damni, sed solùm quatenus est privatio summi boni, ad quem homo in statu elevationis ad ordinem supernaturalem poterat pervenire. Hinc valde excruciat damnatum privatio visionis, quia videt se ex culpa carere, & quia si non obstitisset gratiæ, omne desiderium suum replevisset.

Ex his dilucidè percipies manifestum discrimen, quod inter nostram Apostolicam (ab Apostolo enim tradita est) sententiam, & Calvini errorem invenitur. Ille enim *lib. 3. institut. cap. 21. §. 2.* posuit *homines nudo Dei arbitrio citra proprium meritum in æternam mortem prædestinari.* Quam quidem blasphemiam cum Ecclesia Catholica detestamur, & verbis ipsis uti placet, quibus Concilium Arausicanum II. hanc impietatem proscripsit Can. 25. *Aliquos divina potestate ad malum prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si sint qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Addit Calvin. *cap. 23. §. 8.* se non dubitare, *simpliciter fateri voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse quod ille voluerit.* Nos verò dicimus, neminem à Deo destinari suppliciis, nisi prævisis demeritis, ad quæ non modò non necessitat, sed gratiam sufficientem offert, ut non eveniant.

Scio nonnullos confundere sententiam Thomistarum cum errore Prædestinatianorum, qui Deum æquali modo prædestinare supplicia malorum, ac præmia Sanctorum asserebant. Sed quàm insulsa sit hæc calumnia, patet ex dictis, cùm statuerimus Deum non statuisse infligere pœnas nisi post prævisa peccata. Supponit etiam falsum hæc objectio; nam veritas est, nusquam fuisse hujusmodi Prædestinatianos, sed hanc fabulam inventam esse à Fausto Rhegiensi Semipelagianorum partium capite, & ab ejus coætaneo Gennadio, qui ex vera & orthodoxa Augustini de prædestinatione doctrina falsas quasdam conclusiones deducebant, quas Augustini discipulis & defensoribus imponebant, & affingebant, quos propterea Prædestinatianos nominabant, ut causos redderent & suspectos, hæreticorum more & genio, qui Catholicos alicujus hæresis notæ insimulant, ut speciosiùs eos impugnent. Sic Eutychiani Catholicos distinctas in Christo naturas propugnantes, ut Nestorianos calumniabantur: Nestoriani verò Cyrillum unitatem personæ Christi acerrimè tuentem, Apollinaristam esse mentiebantur. Et ipsi Pelagiani Augustinum gratiæ victricis patronum, tanquam Manichæum traducebant. Nec mirum, ut enim ait Veritas, Matth. 10. *Non est discipulus super magistrum, nec servus supra dominum suum: sufficit discipulo ut sit sicut magister ejus, & servo sicut dominus ejus. Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus?* Porrò ad amoliendam hujusmodi calumniam, exsufflandumque fictitium illud Prædestinatianæ hæresis monstrum, plura occurrerent; sed ne tam præclari argumenti dignitati injuriosus sim, de eo pauciora obiter dicendo, quàm decet, quæstionem hanc criticam aliis relinquimus, præsertim cùm omnia quæ dici possent, à quodam Præside Parisiensi in non paucis celebri præoccupata sint.

Insistes in favorem sententiæ P. Gonet: D. Augustinus frequentissimè pro motivo & causa reprobationis assignat peccatum originale. D. etiam Thomas docet q. 23. *art.* 5. in reprobatione relucere justitiam; justitia autem Dei supponit culpam, saltem originalem. Et *quæst.* 6. *de verit. art.* 2. *ad* 9. ait: *Ratio reprobationis est in hominibus peccatum originale, ut Augustinus dicit.*

Respondeo S. Augustinum velle solùm Deum in executione non inferre effectum ultimum reprobationis, vel intermedium obdurationis, nisi ob præcedens peccatum, saltem originale; non velle tamen, Deum in intentione statuisse excludere aliquem à gloria ob peccatum originale, cùm ante peccatum originale intelligatur permissio illius, quæ est effectus, non motivum reprobationis. Secundò dici potest cum Alvare *disput.* 110. *de auxil.* nunquam dixisse Augustinum, quòd detur causa & motivum reprobationis ex parte nostra, sed tantùm quod detur causa obdurationis, & derelictionis in peccato, ac damnationis æternæ, quæ causa est peccatum præcedens, saltem originale. Vnde epist. 105. *Quærimus causam prædestinationis, & invenire non possumus: quærimus causam derelictionis, & invenimus.* Sed nusquam asseruit, dari causam primi effectus reprobationis, qui est permissio peccati vel originalis in parvulo, vel actualis, ex quo adultus non resurgit. Tertiò respondeo, S. Patrem velle peccatum originale prævisum ante Verbi Incarnationem, fuisse causam sufficientem ad reprobandum omnes homines, in quo differt reprobatio à prædestinatione; nam respectu istius nulla datur causa ex parte nostri, non solùm efficax, sed nec sufficiens. Et sic liberabat se Doctor sapientissimus ab importunis Pelagianorum querelis continuò obstrepentibus, & petentibus, cur Deus unum præ alio eligeret, alterum verò relinqueret, non habita meritorum, demeritorumque ratione. Quorum fastidiosis murmurationibus faciebat satis Doctor Sanctus dicens, sufficientem causam derelictionis esse peccatum originale, propter quod filii Adam sicut nascuntur filii iræ, ita & à regno cœlesti exulare possunt. Cæterùm dum Augustinus rem absolutè tractat, semper ad occulta & inscrutabilia Dei judicia recurrit. Denique dici posset, Augustinum loqui de reprobatione, prout includit voluntatem infligendi pœnam.

Ad

Ad id quod ex D. Thoma subjungitur, dico S. Præceptorem non ideo dixisse in reprobatione relucere justitiam, quia ad illam præsupponitur peccatum (hoc enim nullibi scripsit; sed quia, ut ipse se explicat, reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpa, in quo processu datur utique occasio manifestandi justitiam suam. Vnde dicitur Proverb. 16. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus, impium quoque ad diem malum*: id est, permisit Deus impium labi in peccatum, ut in die judicii suam in punitione illius justitiam ostenderet. Ad locum verò quæstionis de veritate, respondeo non integrè, sed diminutè referri; nam ibidem ait, causam excludendi homines à gloria esse, *gloriam illis non deberi*. Et in prioribus verbis refert solum Augustinum, cujus quatuor expositiones attulimus.

Dices: Reprobatio nomine odii significatur, Malach. 1. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Sed Deus nihil odio habet nisi peccatum; nihil enim odit eorum quæ fecit, sed odio sunt ei impius, & impietas ejus, ut docet Scriptura: Ergo reprobatio supponit aliquod peccatum, saltem originale.

Respondeo, mirum esse hanc instantiam à Thomistâ potuisse proponi: tum quia æquè urget in reprobatione dæmonum; tum maximè quia ipsemet D. Thomas eam expressè resolvit *art. 3. ad* 1. dicens, quod odium non debet strictè accipi, sed solùm *in quantum quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos odio habere*. Itaque licèt odium strictum peccatum prærequirat, non tamen odium latè acceptum pro voluntate denegandi aliquod indebitum; & ita frequenter accipitur odium in Scriptura, ut idem sit odisse, ac posthabere, negligere, & rejicere, ut Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum aut matrem, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Vrgebis: Reprobatio malorum supponit prædestinationem bonorum; ex eo enim aliqui reprobi manent, quia nonnullis electis, ipsi relicti sont; prædestinatio verò Sanctorum supponit prædestinationem Christi, qui est prædestinatorum caput, & archetypus: prædestinatio verò Christi supponit peccatum Adami, in cujus remedium decreta est. Ergo à primo ad ultimum reprobatio hominum supponit peccatum Adami, quod reddens totum genus humanum Deo exosum, sufficiens exhibebat reprobandi motivum.

Respondeo peccatum originale præsupponi ad reprobationem malorum, non tanquam causam vel motivum reprobationis, sed solùm ad summum ut objectum prius naturâ cognitum, sufficiens quidem ut propter illud Deus reprobaret, sed non movens de facto ad reprobandum; siquidem illud in multis reprobis delere statuit, quos proinde reliquit non propter infectionem peccati originalis, sed quia providentia sua judicavit bonum omnibus indebitum, non esse omnibus dandum, quod *noli examinare, si non vis errare*, ut ait August. Adde in illo argumento multa supponi quæ apud Thomistas omnes rata non sunt. Multi etenim docent, quod licèt peccatum originale præcedat Incarnationem in ordine executionis; id tamen negant de ordine intentionis, in quo volunt Christum priùs esse prædestinatum, quàm peccatum prævisum; quâ doctrinâ stante, ruit totum fundamentum contrariæ sententiæ.

Reflexio.

Vt formidandæ, quam speculati sumus, veritatis horrore, & altitudine non opprimaris, hoc semper habeto præ oculis, Lector, quod licèt Deus gratuitò det gloriam; nulli tamen nisi ob præcedentia delicta, & quidem invitus, pœnas infligit. Memento traditæ à Patribus maximæ: *A nullo homine recedit Deus, nisi prius ipse homo à Deo recedat.* Et rursum: *Nisi tu ab ipso feceris casum, ipse à te non faciet occasum.* Sæpè sæpius miratus sum divinam Christi Domini prudentiam, dum cuidam sciscitanti, *Domine si pauci sunt qui salvantur?* respondit, Luc. 13. *Contendite intrare per angustam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* Quibus verbis Salvator indicat fugiendam esse curiosam & anxiam de prædestinatione & reprobatione investigationem; sed solùm curandum per arctas semitas æquitatis incedere. Ita præclarè Ioannes à S. Thom. *tom. 2. disp. 10. art 4. n. 9.* Ecce quò ipsa Veritatis responsio collimat, nempe noluit ipsi difficultati respondere, sed animo ac radici unde plerumque talium quæstionum nascitur disputatio. Voluimus enim solatium aliquod capere, & nostræ desidiæ aliquantulum obsecundare, dum ex unâ parte videntes majorem partem fidelium non admodum asperam vitam ducere, & ex alia parte asserendo majorem partem fidelium salvari, aliqualem fiduciam capiamus, quod etsi negligentiores simus, nec admodum in nos severi, & aliquando consentiamus delectationibus sæculi frui, adhuc salvabimur. Dominus autem has radices præscindere cupiens, & omnem à nobis excutere socordiam & negligentiam, erexit oculos nostros ad difficultatem adipiscendæ salutis, & ad eam evincendam hortatus est. *Contendite*, inquit, *intrare per angustam portam.* Quasi dicat: Nolite de reprobationis judiciis solicitè angi, incuriæ vestræ ac socordiæ nequaquam favete, cogitantes multos etiam mediocri studio salvandos; sed potiùs soliciti, & alacres estote, & per angustam portam intrate tota contentione nitamini: *Quia multi quærent intrare, & non poterunt*: id est, quia etiam ex his qui non omninò torpescunt, & in vitiis suis jacent, multi peribunt. Itaque reprobationis abyssum ne scrutemur, ne sub aquis tam vehementibus in tanto illidentium fluctuum stridore mergamur, sed per electorum semitas, & angustam Evangelii viam ambulare solliciti simus. Ad pacem animi conservandam hæc principia firmiter retine. Primum, Deus omnis boni causa, nullius mali author est. Secundum, Nulli Deus debitor, sed tamen fidelis promissorum servator est. Tertium, Deus neminem damnat, nisi propter illorum peccatum voluntarium. Quartum, Qui benè vivit, benè moritur.

Speculatio III.

Varii sunt reprobationis effectus.

Vt facilè discernamus, quinam sint legitimi reprobationis effectus, illos examinabimus, de quibus dubitari solet, idque sequentibus interrogationibus commodiùs præstabimus.

Rogabis primò, an permissio peccati, denegatio gratiæ efficacis, & ipsa damnatio sint effectus reprobationis?

Respondeo affirmativè. Probatur. Vt aliquid sit effectus reprobationis tria requiruntur, ut diximus suprà dum de prædestinatione; currit enim utrobique paritas. Primò, quod sit à Deo: secundò, quod conducat ad finem reprobationis: tertiò, quod finem illum de facto consequatur ex intentione Dei. Atqui hæc triplex conditio convenit tribus effectibus præfatis; Deus enim permittit aliquem cadere in peccatum, & illi auxilium efficax ad resurgendum necessarium denegat, & tandem illum in peccatis morientem punit ex fine reprobationis, qui est manifestatio divinæ justitiæ, ut patet ex verbis Apostoli Rom. 9. *Deus volens ostendere iram, &*

notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Tria etiam prædicta conducunt ad finem reprobationis, ut patet. Ergo illis tribus per se convenit esse effectum reprobationis, & ideo dicunt Patres, Deum non facere, sed ordinare peccata, quia peccata malorum ordinat ad bonum commune; cujus pulcherrimam rationem assignat S. Thomas *q. 5. de verit. art. 7.* quia quando homines in providendo ordinem non servant, sed provident secundùm modum brutorum animalium, tunc etiam divina providentia de eis ordinat secundùm ordinem qui brutis competit, ut scilicet ea quæ in eis vel bona, vel mala sunt, non ordinentur in bonum eorum proprium, sed in bonum aliorum; comparati enim sunt jumentis insipientibus. Quando autem homines servant ordinem rectum in providendo, tunc & bona, & mala eis cedunt in bonum proprium, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

Sed diligenter adverte, responsionem nostram intelligi debere de permissione peccati non remittendi, quod solùm habet connexionem cum damnatione, ad quam conducit. Non enim de peccatis dimissis similiter arbitrari licet; peccatum quippe per pœnitentiam in reprobo interdum remissum, non habet ampliùs reatum vitæ æternæ, cùm illud Deus sincerè condonaverit.

Nec dicas, posse aliquando contingere, quod alicui reprobo remittatur peccatum in confessione, remanente adhuc debito pœnæ temporalis in purgatorio luendæ; & quod postea relabatur in mortale, ob quod damnabitur: in quo casu peccatum dimissum plectetur pœnâ æternâ, cùm in inferno nulla sit redemptio. Sed quod punitur pœnâ æternâ, est effectus reprobationis: Ergo peccatum remissum est effectus reprobationis.

Sed respondetur ex D. Thoma *in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. ad 5.* quod licèt peccatum veniale puniatur in inferno æternaliter, quia sicut manet semper culpa illius, ita & pœna; tamen peccatum dimissum, cui debetur solùm pœna temporalis, non nisi temporaliter punietur. Nec propter hoc sequitur, dari in inferno redemptionem, quia pœna quæ solvitur, minimè redimitur. Nec est inconveniens, quod quantum ad aliquid accidentale pœna inferni minuatur usque ad diem judicii, sicut etiam quandoque augetur. Vnde nec peccatum dimissum, nec pœna illi ad tempus inflicta sunt reprobationis effectus.

Rogabis secundò, an peccata sint reprobationis effectus?

Respondeo negativè, quia cùm peccata non sint à Deo, ut docent Catholici omnes contra blasphemias hæreticorum, fit inde quod respectu peccati deest prima & principalis conditio requisita ad effectum reprobationis. Vnde optimè ait S. Thom. hîc, art. 3. ad 2. *Aliter se habet prædestinatio in causando, quàm reprobatio. Nam prædestinatio est causa & ejus quod expectatur in futura vita à prædestinatis, scilicet gloria; & ejus quod percipitur in præsenti, scilicet gratia. Reprobatio autem non est causa ejus quod est in præsenti, scilicet culpa, sed est causa derelictionis à Deo; est tamen causa ejus quod redditur in futuro, scilicet pœna æterna. Sed culpa provenit ex libero arbitrio ejus qui reprobatur, & à gratia deseritur; & secundùm hoc verificatur dictum Prophetæ, Perditio tua Israel ex te.* Et hac de causa passim à Doctoribus reprobi appellantur *præsciti*, quia nimirum in reprobis est aliquid tantùm præscitum, & non præparatum & ordinatum, nempe peccatum, propter quod damnantur.

Objicies: Permissio peccati est effectus reprobationis, ut antea dicebamus: Ergo & ipsum peccatum. Probatur consequentia: Deus non potest velle permissionem peccati ob finem reprobationis, nisi ipsum peccatum velit propter eundem finem; qui enim amat medium conducens ad aliquem finem, magis amat rationem illam propter quam conducit ad finem; permissio autem peccati non conducit ad finem reprobationis, nisi ratione peccati, quod solùm punitur æternâ pœnâ, non verò permissio: Ergo si permissio peccati sit effectus reprobationis, multò magis ipsum peccatum, ratione cujus permissio illa finem reprobationis consequitur.

Respondeo, non sequi ex eo, quod Deus velit ex fine reprobationis permittere peccatum, velle etiam peccatum influendo in ipsum, sed sinendo dumtaxat lapsum creaturæ. Vnde distinguenda est illa propositio in probatione inclusa: qui amat medium ad finem, magis amat rationem propter quam conducit, si ratio illa causetur ab amante finem, concedo; si solùm permittatur, nego: peccatum autem non causat Deus, sed permittit causari à nobis, ut puniatur à se. Et ratio est, quia Deus potest velle relinquere hominem in statu suæ defectibilitatis, absque eo quod velit peccatum, quantumvis peccatum ex hujusmodi defectibilitate sequatur; quia defectibilitatem illam referre ad se potest, secus verò peccatum, quod est essentialiter aversio à se ut ultimo fine.

Rogabis tertiò, quid dicendum sit de bonis, tum naturalibus, cùm supernaturalibus, num sint reprobationis effectus?

Respondeo, bona naturalia, & multò minùs supernaturalia reprobis oblata vel collata, non esse reprobationis effectus. Quia licèt reprobus substantiâ suâ, aliisque naturæ & gratiæ donis abutatur; tamen bona illa minimè largitus est Deus ea intentione, ut sint materies peccati, & occasio damnationis, sed potiùs ex voluntate antecedenti, quâ omnium salutem sincerissimè vult. Certè pias aures offendere videtur, quod nonnemo scripsit, ideo Deum reprobum creasse, aliisque dotibus adornasse, ut per hujusmodi ad damnationem perducantur. Sanè si hoc esset, talium bonorum effusio non beneficii rationem haberet, sed injuriæ. Vnde non parum decipiuntur, qui credentes bona naturalia esse effectus prædestinationis in electis, inferunt etiam esse similiter effectus reprobationis in his qui pereunt. Nam dato quod naturalia prædestinatorum bona sint prædestinationis effectus (quod tamen suprà negavimus) nulla prorsus est illatio, sed est toto cœlo disparitas. Nam nihil inconvenit, bona naturalia fini prædestinationis, scilicet gloriæ subordinari: at verò ad damnationem à Deo ordinari nequaquam possunt, quia licèt ex eis occasionem ruinæ peccator desumat, id tamen est præter Dei intentionem, & contra Dei voluntatem: sicut licèt reprobi pravitate sua Sole, Lunâ, & elementis abutantur, imò & ipso concursu Dei, quem servire faciunt iniquitatibus suis; hæc tamen nec sunt, nec dici reprobationis effectus possunt; quia ad æternam mortem non ex intentione Dei, sed hominum nequitia perducunt.

Non refugio quidem dicere cum Patribus, omnia reprobis in malum cooperari, ipsam quoque orationem verti in peccatum. Sed absit ut dicamus, eos ideo sortiri illa omnia effecta, quia ad illa à Deo reprobante destinantur; cùm potiùs hæc illis non eveniant, nisi propter peccantium malitiam, quæ tanta est, ut illis quæ Deus ad eorum sanctificationem suppeditat, in propriam abutantur perditionem. *Nemo* (ait B. Prosper ad 3. object. Vincentianam) *à Deo creatus est ut periret. Ut nascantur homines, Conditoris est beneficium; ut autem pereant, prævaricatoris est meritum.* Idem dicendum censeo de defectibus naturalibus, putà natura incomposita, dura cervice, genio & indole indisciplinabili,

bili, & ad vitia proclivi; cùm hujusmodi propensiones sint multis prædestinatis communes; unde solùm per accidens, ex abusu & malitia reproborum conducunt ad peccatum, cùm possent esse seges amplissima & ubertima exercendæ virtutis.

Quædam notationes circa quæstionem 24. Sancti Thomæ de libro vitæ, ubi de pusillo grege electorum.

Postquam S. Doctor mysterium prædestinationis & reprobationis aperuit, *quæst.* 24. disputat de libro vitæ, docens *artic.* 1. librum vitæ dici in Deo metaphoricè à consuetudine scribendi in libro electos ad militiam, vel justitiam exercendam, qui olim dicebantur Patres Conscripti. Et quia quod scribitur firmum est, juxta commune adagium, *scripta manent, verba prætereunt*; ideo liber vitæ idem est ac ipsa Dei notitia, quâ Deus firmiter novit se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, juxta illud 2. Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: novit Dominus qui sunt ejus.* Observat autem S. Thomas *ad* 3. quod quia non est consuetum conscribere eos qui repudiantur, sed eos qui eliguntur; ideo reprobationi non respondet liber mortis, sicut prædestinationi liber vitæ.

Articulo 2. tradit, quod liber vitæ propriè respicit vitam gloriæ, non verò vitam gratiæ, nisi secundùm quid, in quantum vita gratiæ de se ordinatur, & continuari petit vitæ gloriæ, de qua sola liber vitæ simpliciter intelligitur; quia id ad quod eligitur aliquis, habet rationem finis; non enim miles eligitur aut conscribitur ad hoc ut armetur, sed ut pugnet & vincat; sola verò gloria habet rationem finis creaturæ rationalis.

Articulo 3. exponit S. Præceptor, quomodo possit aliquis deleri de libro vitæ, juxta illud Psal. 68. *Deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur:* & docet id esse verum non solùm secundùm hominum opinionem (quatenus innotescit hominibus aliquem esse in libro vitæ secundùm præsentem justitiam, à qua excidit; idque vel in hac vita innotescit, vel in judicio palam fiet) sed etiam secundùm rei veritatem, quatenus ille qui habet gratiam, quâ ordinatur in vitam æternam, decidit finaliter à gratia.

His suppositis nemo dubitare potest, quin certus sit eorum numerus, qui in tali libro scripti sunt. Testatur enim Veritas, *Joan.* 10. se cognoscere oves suas, & neminem rapturum eas de manu sua, bonumque pastorem proprias oves vocare nominatim. Et certè (ut discurrit Sanctus Thomas *quæst.* 23. *art.* 7.) omne agens intendens efficere aliquod opus, determinat numerum partium per se ad opus requisitarum: sic ædificator intendens fabricare domum, disponit ejus mansiones, & mensuram parietum, quamvis per se non determinet numerum lapidum, sed tot accipiat, quot sufficiunt: similiter Deus volens condere mundum, præcipuas ejus patres determinavit, & numerum earum, scilicet orbium cœlestium, & specierum sublunarium; individua verò corruptibilia non per se, nec propter se ordinavit, sed in ordine ad specierum conservationem. Atqui creaturæ rationales sunt principales partes universi, propter immortalitatem animæ rationalis; maximè verò illæ, quæ futuram beatitudinem consequuturæ sunt, cùm sint nobilissima Christi membra, & curiæ cœlestis Aulici in æternum futuri. Ergo certus est eorum numerus, *non solùm per modum certæ cognitionis, sed etiam per modum principalis præfinitionis*, ut loquitur D. Thomas; id est non solùm ea ratione, quâ omnia cognoscuntur à Deo, sed etiam quia sunt præcipuæ partes Universi per se ordinatæ ad complementum mundi, atque adeo per se prædefinitæ, & quibus omnia alia deserviunt, juxta illud: *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus verò Dei.*

Quæres numerum eorum, qui in libro vitæ scripti sunt?

Respondeo verbis D. Thomæ *ibidem*. Quidam dicunt, quod tot ex hominibus salvantur, quot Angeli ceciderunt. Quidam verò, quod tot salvantur, quot Angeli remanserunt. Quidam verò, quod tot ex hominibus salvabuntur, quot Angeli ceciderunt, & insuper tot quot fuerunt Angeli creati. Sed meliùs dicitur, quod soli Deo est cognitus numerus electorum in superna felicitate locandus. Hæc summa cum discretione & prudentia D. Thomas.

Cæterùm licèt in particulari non possit numerus salvandorum definiri, id tamen ex Scripturarum, & Patrum traditione certum est, paucos futuros salvandos, & longè pauciores his qui pereunt. Dicitur enim Matth. 7. *Lata & spatiosa est via quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Angusta est porta, & arcta est via quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Et Luc. 13. *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Unde Isai. 17. & 24. comparantur electi spicis remanentibus in agro post collectam messem, vel paucissimis uvarum granis, quæ supersunt finitâ vindemiâ, vel olivis quæ restant in summitate oleæ, vel in cacumine rami, excussâ olea.

Astipulantur Patres. Formidabilis est illa Chrysost. vox hom. 14. ad Pop. Antioch. *Quot putatis esse in civitate nostra* (Antiochena sexcentis hominum millibus ad minus constanti) *qui salvi fient? Non possunt in tot millibus centum inveniri qui salventur, quin & de his dubito.* Et rationem subjungit: *Quanta enim in juvenibus malitia, in senibus torpor.* Nec minùs terribiliter August. in Psal. 48. *Quot sunt illi qui videntur observare præcepta Dei? Vix invenitur unus, vel duo, aut paucissimi: ipsos solos liberaturus est Deus, & cæteros damnaturus.* Succinit Gregor. Magnus homil. 19. in Evang. *Ad fidem multi veniunt, sed ad cœlestia regna pauci perveniunt.* Ubi S. Pater loquitur de ipsis Catholicis, *qui ad fidem veniunt.* Ab eis non recedit S. Thomas *art.* 7. *ad* 3. dicens: *Cùm beatitudo æterna excedat communem statum naturæ, & præcipuè secundùm quod est gratiâ destituta per corruptionem originalis peccati, pauciores sunt qui salvantur. Et in hoc etiam maximè misericordia Dei apparet, quod aliquos in illam salutem erigit, à qua plurimi deficiunt secundùm communem cursum & inclinationem naturæ.*

Ratio etiam suffragatur, nec huic veritati multùm reluctabitur animus assentiri, si consideremus homines in triplici statu, naturæ, legis, & gratiæ. De primo dicitur *Genes.* 6. quod tanta erat hominum malitia in terra, tam intenta cuncta cogitatio ad malum, tam corrupta coram Deo omnis caro, adeoque repleta terra iniquitate, ut *pœnituerit Deum, quod hominem fecisset in terra.* Ideoque terra universali diluvio debuit mundari. Sed post diluvium iterum inundavit iniquitas, adeòque grassata est, ut opus fuerit igne de cœlo misso, quo absumptæ sunt quinque civitates.

In statu verò legis pleni sunt omnes veteris Testamenti libri Judæorum excessibus, nec aliud fermè occinunt Prophetarum oracula, quàm peccatorum lamentationes. Et David de sua ætate loquens, ait Psal. 13. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.*

Denique in lege gratiæ post prædicatum Evangelium, ex tota terra habitabili vix quarta pars est Christiana, & hæc hæresibus ac schismaticis in tot sectas divisa. Supersunt ergo soli Catholici. Sed amabò, inter illos quot sunt qui per arctam salutis viam incedant,

ad

ad Evangelii maximas vitam exigant suam, post concupiscentias non eant, innocentiam custodiant, post lapsum seriam pœnitentiam agant, nec frequenter recidant, mundum non ament, & sanctitatem sectentur, sine qua nemo videbit Deum? Sanè rara avis in terris, qui hujusmodi est, cùm de hoc sæculo verius dicere liceat, quàm quod de suo deplorabat Salvianus lib. 3. de Provid. *Præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum?* Id magis lacrymis eget, quàm argumentis.

Quid etiam, proh dolor! in ipso Ecclesiastico ordine quot reperire licet Episcopos & Sacerdotes Sanctorum æmulatores, Apostolorum sicut authoritatis successores, ita & morum imitatores, quique modum illum vivendi teneant, quem Patres Concilii Carthaginensis quarti præscripsere, quemve Sacra Synodus Tridentina renovavit *sess. 25. cap. 1. de reform.* verbis quæ Clerici quotidiè lectitare, quotidie ad praxim reducere deberent? Sed de his aliàs.

Sed quid de Religiosis dicam ego statu Religiosus, charactere Sacerdos, licèt immeritus? Cùm videamus tam multa Monasteria, à primitivâ observantiâ collapsa, multiplicatis quidem Regularis vitæ professoribus, sed non magnificatâ lætitiâ. Libenter, & verè cum Bernardo *in Apolog. ad Gullelmum Abbatem*, scripserim: *Quis in principio cùm ordo cœpit Monasticus, ad tantam crederet Monachos inertiam devenire? O quantum distamus ab iis qui in diebus Antonii extiterunt Monachi! Sic Macharius vixit? Sic Basilius docuit? Sic Antonius instituit? Sic Patres in Ægypto conversati sunt?* Quid ergo diceret modò Bernardus de tot Cœnobiis (excipio illa, in quibus Regula ad litteram servatur, qualia multa esse in Domino gaudemus,) in quibus obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersique sunt lapides Sanctuarii, & à quibus refutinandis se despondere lugens dicebas Clemens VII. ut refert Prosper Fagnanus alibi laudandus. Veridicè scripsit August. se non vidisse meliores iis, qui in Monasteriis profecerint, nec deteriores iis qui in Monasterio defecerint: similes ficubus Ieremiæ, inter quas bonæ, valde bonæ; malæ verò, valde malæ. Et de viro Religioso dici rectè potest, quod de Origene aiebat Hieronymus: *Vbi bene, nemo melius; ubi malè, nemo pejus.* In illo vera est Philosophorum maxima, *Corruptio optimi pessima.* Verum itidem commune Proverbium: *Ex generosiori vino asperius acetum.*

Audisti, Lector, paucos admodum esse electos. Audi quoque hujus veritatis radicem: Ideo innumeri æternùm pereunt, quia tertiam viam, quam Evangelium non docuit, sibi confingunt. Testante Veritate, alia via lata est quæ ducit ad perditionem, alia arcta quæ ducit ad vitam; & nos mediam comminiscimur. Nolumus quidem flagitiis immanibus refertam vitam agere, sed interim nolumus etiam per arctas sanctitatis calles incedere, sed viam illam inimus, quæ nec nimiùm lata, nec multùm angusta sit. Sed certè ejusdem periculi est tertiam confingere viam, ac triplicem terminum distinguere, qui duplex tantùm pro adultis ultimatè designatus est; scriptum enim est Matth. 25. quod alii *ibunt in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* De hoc tertio tramite à tepidis adinvento dicitur Proverb. 14. *Est via quæ videtur homini justa; novissima autem ejus deducunt ad mortem.*

Ego majori in periculo versantur hujus tertiæ viæ sectatores, quo se tutiores arbitrantur, quia tantò securiores se credunt, quantò atrocioribus sceleribus non serviunt. Rari etenim sunt homines omninò prostitutæ & perditæ conscientiæ; quia, ut ait August. serm. 30. de verb. Dom. *Sicut magna pietas paucorum est, ita & magna impietas multò minùs paucorum est.*

Sed planè, misceréque falluntur. Nam per latam viam incedit, qui arctam non ingreditur: qui aliter sentit, seipsum decipit, tantoque est insanabilior, quanto insensibilior; dumque se de numero electorum esse præsumit, in vasto reproborum numero concluditur. Mihi non crede, sed Patribus, à quibus ausculta quid sit arcta via. *Arcta via lex Dei est* (inquit August. in Psal. 1.) *quæ cupiditates nostras arctat.* Et ibidem Ambros. *Duæ sunt viæ, una Justorum, altera peccatorum; una æquitatis, altera iniquitatis: Iustorum via angustior est, injustorum latior: hic convivium illic jejunium: hic intemperantia gaudiorum, illic perseverantia lacrymarum.* Et Greg. Magnus lib. 27. Moral. cap. 22. *An non quadam quasi angustia est, in hoc quidem mundo vivere, sed de hujus mundi concupiscentia nihil habere?* Hac via qui incedit, pusillo electorum gregi annumerabitur. Nam ut præclarè sanctus Paulinus *epist. 50.* expendens illud, *quàm spatiosa via quæ ducit ad perditionem*, ait: *Omne quod agimus, omne quod loquimur, aut de lata, aut de angusta via est. Si cum paucis angustum iter, & subtilem quandam semitam invenimus, ad vitam tendimus: si verò multorum comitamur viam, secundùm Domini sententiam imus ad mortem. Si omni cupiditate calcatâ, solùm studeamus divites esse virtutibus, per anguam viam nitimur; conversatio enim ista paucorum est, estque perrarum atque difficile idoneos hujus itineris comites reperire.*

Quanvis autem hæc ita sint, de nullo, quantumvis scelesto, vel obdurato licet asserere ipsum esse reprobum, sicut de nullo quàmlibet virtutibus prædito affirmare licet, eum esse certò salvandum. Supponimus enim ex doctrina Ecclesiæ expressa in Concilio Tridentino, *sess. 6. cap. 12.* nullum indubitanter scire posse se esse de numero electorum; idque consonum est Scripturæ dicenti, Eccles. 9. *Nemo scit an odio, vel amore dignus sit.* Vnde Gregor. expendens illud Iob 38. *Nunquid nosti ordinem cœli*, ait: *Ordinem cœli nosse est supernarum dispositionum occultas prædestinationes videre, quod utique in hac vita positus nullus potest.* Et D. Prosper lib. de vocat. Gent. cap. ult. *In remotissimo ab humana cognitione secreto præfinitio hujus electionis abscondita est, & de nullo ante ipsius finem pronuntiari potest quod in electorum gloria sit futurus.* Et Bernard. serm. 1. in Septuag. *Hoc est unde semper solliciti, & in timore ac tremore humiliemur necesse est sub potenti manu Dei: quia quales sumus, nosse possumus ex parte; quales autem futuri sumus, id nosse penitus impossibile est.*

Quare sapientissimè monet Sacrosancta Synodus *loco citato*, ut nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur, tametsi in divino auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debeant; quia Deus, nisi gratiæ ipsius defuerimus, sicut cœpit bonum opus, ita perficiet operans velle & perficere. Itaque sub incerto hinc spe, inde timore permoti vivamus, & cum tremore salutem operemur in laboribus & vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, in castitate, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloria renati sumus, præsertim quia est nobis colluctatio cum triplici hoste, cui sæpe sæpiùs humana succumbit infirmitas; quotidiana enim pugna, sed rara victoria, quam à solo Deo petere, ab ipso solo sperare possumus: nam sive parvum, sive multùm, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.

Hæc cùm ita sint, quis dabit oculis nostris imbrem lacrymarum, ut deflere valeamus Christianorum statum quasi ad nihilum jam redactum? Etenim

nim terra nostra consiliis & exemplis Christi culta, ejusque tincta sanguine, spinas & tribulos germinat pro frumento. Quis tam constanti de parvo numero electorum doctrinâ auditâ non tremit? Sed væ deterrimum illi imminet, qui in se effectus reprobationis experitur, & non gemit. *Quisquis ergo talis est, fratres mei* (verba sunt Gregor. homil. 34. in Evang.) *gemendus est valde, quia non gemit.* Et quia gemituum suspiria interrumpunt, impediuntque verba, ut pro tuis meisque peccatis, amabo Lector, gemamus, sermonum hîc finem faciam. Nam ut alicubi scripsit Ambrosius: *Tempus est quo finire sermonem & claudere debeamus: tempus est, quo melius aut tacetur, aut fletur. Respice nos Domine IESV, ut & nos propria recognoscamus errata, solvamus piis fletibus culpam, mereamur indulgentiam peccatorum. Da quæso lacrymas Petri, nolo lætitiam peccatoris.*

Quod si fortè aliqua proferre verba cordis amaritudo patitur, tota animi demissione, corde contrito & humiliato poteris, pie Lector, orationem illam coram Deo effundere, quam ante obitum suum compofuisse & frequentasse Augustinum ferunt.

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus; & plagas quas accepimus circumferimus. Minus est quod patimur, majus est quod meremur. Peccati pœnam sentimus, & peccandi pertinaciam non vitamus. In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, iniquitas non mutatur. Si extenderis manum, facienda promittimus; si suspenderis gladium, promissa non facimus. Si feris, clamamus ut parcas; si peperceris, iterum provocamus ut ferias. Habes, Domine, confitentes reos; novimus quod nisi dimittas, justè nos perimas. Præsta Pater omnipotens sine merito quod rogamus, qui fecisti ex nihilo qui te rogarent.

REFLEXIO.

Si unicus fermè reprobationis effectus peccati permissio est; igitur *sicut a facie colubri fuge peccatum*, ut dicitur Eccles. 21. Illud solùm meritò timendum est, sine quo mala cætera non obsunt, & cum quo bona cuncta nihil prosunt ad salutem. Timeant ergo & peccatores, & justi; utrisque enim ruinæ periculum impendet, illis quidem, quia jam reprobationis effectus in se, peccata nimirum, experiuntur; istis etiam, ne dum de justitia sua præsumunt, eò lapsu graviore ruant, quo altiùs sese efferunt. Has undique insidiantes angustias, & *circumstans nos peccatum* solidè detexit August. in Psal. 31. his præclarissimis & utilissimis verbis: *Anceps animus humanus & fluctuans inter confessionem infirmitatis, & audaciam præsumptionis plerumque hinc atque inde confunditur; & ita impellitur, ut ei in quamlibet partem cadere præcipitium sit. Si enim se infirmitati propria omnè ex parte donaverit, ut dicat, Liberabit me Deus misericordiâ suâ, quia credidi in eum, cogitatione mala inclinatur in impunitatem peccatorum: & Deus ille justus, cui cantatur misericordia & judicium, non sola misericordia, sed & judicium, invenit hominem de se malè præsumentem, & ad interitum suum misericordia Dei abutentem, & necesse ut damnetur. Talis quoque cogitatio præcipitat hominem, qua quisque tentatur, si se in audaciam quandam præsumpserit, etiamsi fortè impleverit omnia quæ justa videntur in oculis hominum; ita ut nihil inveniatur in vita ejus, quod possit reprehendi ab hominibus. Ipsam præsumptionem superbia damnat Deus. Præsumptio de justitia, quasi dextera est; cogitatio impunitatis peccatorum, quasi sinistra est. Audiamus vocem Dei dicentem nobis, Ne declines in dexteram aut sinistram. Ne præsumas ad regnum de justitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei.* Reprobationis effectus fortunatè, Lector, vitabis, si media via incedens, nec in Scyllam præsumptionis, nec in Charybdin peccati mortalis impingas: si manu tua quacumque potuerit instanter operante totum Deo des, à quo omne bonum derivatur.

Plura hîc scribenda paraveram de sorte electorum, necnon de signis prædestinationis, & reprobationis; sed ne tomus nimis excrescat, hactenus dicta sufficiant de attributis ad essentiæ divinæ unitatem spectantibus. Licèt enim in his contemplandis nullus deberet esse finis, quia solus beatus est qui hæc novit, etiamsi alia ignoret, ut aliàs ex Augustino diximus: tamen in hoc mundo, ubi Deum in ænigmate dumtaxat, & ex parte cognoscimus, magis expedit tempus in Deo redamando impendere, quàm in eo speculando diutiùs exerceri, ut aureis verbis & nulla oblivione delendis expressit ingeniorum sui ævi phœnix Picus Mirandul. lib. de Ente & Vno, cap. 5. quibuscum huic tractationi coronidem imponam. *Vide quæ nos insania teneat? Amare Deum dum sumus in corpore plus possumus, quàm eloqui, vel cognoscere: amando plus nobis proficimus, minus laboramus, magis illi obsequimur: Malumus tamen semper quærendo per cognitionem nunquam invenire quod quærimus, quàm amando possidere.*

ELOGIVM DEI OPT. MAX.

Compendio quæstionum sex supra viginti Divi Thomæ.



QVID sit Deus, quærebat S. Thomas puer quinquennis.
Quis putas puer iste erit super senes sic intelligens?
Inde incipiebat studia, ubi alii desinunt.
Na pueritia nihil habebat nisi innocentiam talis quæstio.
Ex creaturis ad Deum surgebat Aristoteles:
A Deo ad creaturas pergit Aquinas.
Prius Theologus quàm Philosophus, priùs rationalis, quàm homo.
Ne mirare: Non homo, sed Angelus erat.
Nullam infantiæ sensit ætatem qui à Deo eruditur.
Felix puer, cui primus cibus Ave Maria!
Felicior infans, cujus prima balbuties Deus est!
Hoc quærebat quod postea docuit.
Ad Deum converti in rationis diluculo homines obligat;
Id cœpit facere prius quàm doceret.
Prius discipulus Dei, & Condiscipulus Angelorum, quàm Magister hominum.
Quæramus in fine libri hujus, quod in exordio vitæ quæritabat maturus puer.
Quid est Deus? Ne dicas linguâ quod in cor non ascendit.
De te faciliùs dicitur quid non sit ille, quem decet silentium:
Negationibus explicatur, nec definiri potest ens infinitum.
Supra genus est, qui nihil habet commune:
Totus differentia est, qui se toto ab aliis differt.
Deus est ens a se, nec sibi dat esse.
In se invenit fontem essendi, & Oceanum seipso plenum.

Deus

Deus est, qui est: ille dixit, qui solus se novit.
Est ipsum esse, plenum sibi, superplenum nobis:
Est centrum omnium, apex entium, vertex rerum:
Per se subsistit nullius egens, quo omnia indigent.
Est infra omnia, ut portet verbo virtutis suæ:
Est supra omnia, ut regat quos sustinet:
Est circum omnia, ut muniat quos gubernat:
Est intra omnia, ut vivificet quos munit:
Est extra omnia, ut coronet quos vivificavit.
Dei essentia est existentia, quâ nil prius, nihil actualius.
Deus, inquit Cusa, est ipsum possest,
Quia id totum habet quod esse potest:
Totum habet quod ab intellectu infinito concipi potest.
Crementi capax non est, quo nihil maius esse potest.
Deus est actus purus: imò puritas actus, vel actualitas puritatis:
Est puritas entis, puritas sanctitatis.
Non habet accidentia, qui totus substantia est.
Quidni totus? Etiam solus substantia est.
Omnia sustinet, à nullo sustentatus.
Non habet partes: quidquid habet, hoc est.
Non habet potentiam, cui nihil de alieno est.
Nulla in eo distinctio, nisi virtualis:
Sed eo ipsò non distinctio, sed unitas est.
Deus est perfectus, & nunquam factus.
Est tam bonus, ut præter eum nemo bonus.
Est immensus, implens omnia, non inclusus.
Non accedit, dum nova condit:
Non recedit, dum vetera destruit.
Est immutabilis qui omnia mutat:
Non benè, nec uniformiter moveret, nisi esset immobilis.
Non mutatur substantiâ actus purus:
Non cietur loco vel situ immensus Spiritus.
Non movetur ætatibus stans Æternitas:
Sub ea transeunt secula, non illi:
Æternitas est speculum Dei; in quo successiva simul videt:
In eo penè jam facta sunt quæ quotidie facit.
Sed, ô miraculum! ipsum speculum est spectator:
Ipsa imago pictor est, ipsa idea artifex:
Ibi labentia stant, ibi mortua vivunt:
Et creatura sunt Creatrix essentia.
Deus unus est, & pluralitas numinum est nullitas numinum.
Deesset uni Deo id per quod differret ab alio, si daretur.
Sed absit talis Deus, qui foret indigus.
Deus invisibilis per naturam fit visibilis in gloria,
Ubi vident & gustant quàm suavis sit Dominus.
Quale prandium, ubi cibus & potus Deus est!
Quale convivium, esse Dei commensalem & convivam!
Quale commercium, quo animus fit Deus intelligibiliter!
Deus est omniscius, & videndo facit.
Quàm benignus aspectus cernens & benefaciens!
Videt præterita, quia fecit; videt futura quia decrevit.
Videt possibilia in omnipotentiâ, futura in voluntate:
Hæc videt, nec extra se egreditur.
Ab aliis non mendicat scientiam Pater luminum.
Ipse qui videt, ipse unde videt.
Scientiam comitatur amor; qui Deus est.
Est tam fœcundus, ut intra Deum spiret Deum:
Tam prodigus, ut extra Deum incarnet Deum:
Tam liberalis, ut nihil habeat quod non profundat:
Tam clemens, ut misericordiarum sit Pater, imò Mater.
Exhauriret se donando amor, nisi foret divinus:
Nec gauderet se divitem esse, nisi dare posset.
Tam gratuitus, ut prædestinet sine meritis:
Tam propitius, ut det merita quæ coronet.
Tam æquus, ut rependat mercedem ex justitia, quam promisit ex misericordia.
Omnipotèns est Deus, ut benè omnibus faciat.
Imperat nihilo, ut creet beneficia.
Omnipotentia sæpe Deum creatorem facit, & semper beneficum.
Creavit hominem ex nihilo naturæ,
Ut faceret in terris Vice-Deum.
Creavit ex nihilo peccati,
Ut faceret divinæ consortem naturæ:
Creavit ex nihilo miseriæ,
Ut pro nihilo salvum faceret, & redderet Deiformem.
Beatus est Deus, sed non solitariè:
Sed miserum fermè se crederet, nisi felicitatem communicaret.
Ibi sistit Doctor Angelicus, unde puer inceperat.
Primum in intentione est ultimum in exequutione.
Non debuit aliunde incipere, non potuit alibi finire.
Beatitudo finis est, & finium meta.
Siste, Lector, ubi Thomas quievit.
Si intellectu Deum non capis, corde non continebis.
Claude ingenium, cor aperi, & totum excipies Deum.
Quid est Deus? Deus cordis mei, inquit Propheta.
Hic finiatur Theologia mentis & cordis.



LIBER TERTIUS.

De Deo fœcundo, seu de sacro Trinitatis Mysterio.

PRÆLOQUIUM.

SICUT inter omnia Fidei Catholicæ arcana nullum est vel dignitate sublimius, vel profunditate altius sacro Trinitatis mysterio: ita nec theologica consideratione dignius. Decet enim Theologum in his meditandis præcipuè occupari, quæ divina revelatione innotescunt, ut tantò veriorem de Deo ideam formet, quantò ea illi asserit quæ rationis investigationem transcendunt. Ut enim peregregiè observavit D. Thomas lib. 1. cont. Gent. cap. 5. *tunc solùm verè Deum cognoscimus, quando ipsum esse credimus supra omne id quod de Deo cogitari ab homine possibile est, eo quòd naturalem hominis cognitionem divina substantia excedit.* Per hoc ergo quod homini aliqua proponuntur quæ rationem excedunt, firmatur in homine opinio, quod Deus sit aliquid supra id quod cogitari potest.

Id eleganter in simili materie expressit S. Leo serm. 9. de Nat. *Sentiamus nobis bonum esse quod vincimur. Nemo enim ad cognitionem veritatis magis propinquat, quàm qui intelligit in rebus Divinis, etiamsi multùm proficiat, semper sibi superesse quod quærat.* Sanè si, teste Philosopho lib. 10. Ethic. homo debet se ad immortalia & divina trahere quantum potest, & quodcumque modicum de rebus superioribus est magis amatum, & desideratum omni cognitione quam de substantiis inferioribus habemus; quantulacumque sit notitia quam de abscondito Sacræ Triadis Mysterio omnium Catholicæ Religionis celsissimo habeamus, non parvam nobis utilitatem collatura est.

Quot verò difficultates, quæve pericula in hoc libro superanda sint, ex decursu, Lector optime, intelliges: & sanè timendum foret, ne in hujus tam profundi pelagi ingressu, sub aquis tam vehementibus, inter procellosos tot illidentium fluctuum motus mergeremur, nisi sola fide veluti cynosura, D. Thomâ nautâ, duceremur. Intrepidè tamen vela pandemus sub eo Doctore & ductore, qui Fidei prælucente lumine, iter diriget, deteget pericula, latebrosa complanabit, invia verò & inaccessa adorare præcipiet, ne scrutatores majestatis opprimamur à gloria. Et illud egregium Hilarii monitum inculcabit, quod *lib. citato contra gentes,* exscripsit: *Hæc credendo incipe, percurre, persiste; & si non perventurum sentiam, gratulor tamen profecturum: qui enim piè infinita prosequitur, etsi non contingat aliquando, semper tamen proficiet procedendo.*

Placet tamen in tantæ abyssi ingressu Deum ipsum oratione ejusdem Hilarii *lib. 1. de Trinit. in fine*, interpellare: *Ego quidem hoc vel præcipuum vitæ meæ officium debere me tibi, Pater omnipotens Deus, conscius sum, ut te omnis sermo meus & sensus loquatur. Neque enim ullum aliud majus præmium hic ipse usus mihi à te concessus loquendi potest referre, quàm ut prædicando te, tibi serviat. Cæterùm auxilii & misericordiæ tuæ munus orandum est, ut extensa tibi fidei nostræ, confessionisque vela flatu Spiritus sancti impleas. Nos quidem inopes ea quibus egemus, precabimur; sed tuum est, & oratum tribuere; & quæsitum adesse, & pulsatum.*

Placet etiam in hujus operis vestibulo Sacræ Deiparæ Virginis Mariæ implorare opem: cùm enim ipsa Patris filia, Filii mater, Spiritus Sancti sponsa credatur & sit, ac nobile totius Trinitatis Triclinium prædicetur: per ipsam veritatis radium impetrare confidimus, per quam Trinitas innotuit, dum protulit Unigenitum sinûs Patris, qui enarravit. Si enim quæras quid sit Maria, & ad quid facta sit? respondebit his aureis verbis Joseph de Lazerda Episcopus Almeriensis in sua Mariæ effigie.

Maria est Apocalypsis Trinitatis,
Arcanorum Divini penetralis revelatio,

Spirans Triados imago,
Crystallus limpida, in qua species desilit majestatis,
Operationum ad intra speculum,
Animatum sacri Ternarii simulachrum,
Characteristica hypostaseon calatura,
Divinarum originum revibratus splendor,
In cælesti prælo excusa geniti Sermonis membrana,
Iugis emanationis, quæ in Deitatis scaturigine bullit, irriguum;
Cælestium personarum penicillo ad repræsentandam Trinitatem ducta pictura:
In hoc data, in hoc nata; ut palantes mortalium oculos ad agnitionem traheret Trinitatis:
Vtpote in qua ipsamet Trias sese, quantum capere potuit metalli creati soliditas, excudit.

OECONOMIA HUJUS LIBRI.

Ordo verò hujus Tractatus sic à Divo Thoma institutus est. Postquam consideravit Deum ut unum secundùm perfectiones absolutas ex creaturis cognoscibiles; postquam perfectiones operativas immanentes, quæ ex ente per essentiam consequuntur, nimirum intellectum, voluntatem, eisque annexa contemplatus est; recto ordine ascendit ad consideranda ea quæ pertinent ad distinctionem Personarum; quibus divinæ essentiæ plenitudo intra se diffunditur, & fœcundatur.

Nec dicas, Divum Thomam debuisse priùs agere de Deo ut principio creaturarum, & ultimo fine earum; cùm hæ perfectiones sint absolutæ, & absoluta sint priora notionalibus, & relativis. Respondetur enim, quod licèt absoluta quæ fundantur in actione purè immanente & æterna, ut scientia, & voluntas, sint nostro modo concipiendi priora notionalibus; tamen perfectiones quæ fundantur in actione transeunte & connotante effectum temporalem, ut ratio Creatoris, Conservatoris, ultimi finis creaturarum productarum, sunt posteriores relativis; opera enim ad extra sunt communia toti Trinitati, quam proinde supponunt. Vnde infrà demonstrabimus, nomen principii, & Patris per prius competere Deo respectu Filii Æterni quàm respectu creaturarum.

Hanc autem tractationem distribuit sanctus Præceptor in tres partes. In prima considerat ea quæ necessariò supponenda sunt tanquam fundamenta distinctionis Personarum; quæ sunt processiones & relationes: ideo enim Personæ à se distinguuntur, quia ad se invicem referuntur: ideo verò ad se referuntur, quia una ab alia procedit. In secunda speculatur ipsas Personas, tam in communi, quàm in particulari. In tertia tractat de his quæ consequuntur divinas Personas, & de variis earum comparationibus. Cui ordini, methodo nobis consueta, inhærebimus modo sequenti dissertatione explicando.

Cæterùm quia Mysterium istud profunditatis suæ altitudine inter prima Religionis Christianæ secreta meritò annumeratur, ut ad eius assensum suaviùs manuducatur animus, operæ-pretium me facturum existimavi, si ab imis radicibus exorsus, Mysteriorum omnium quæ fides proponit, credibilitatem prælibarem, ut eo promptiùs singularibus fidei articulis animus obsequatur, quo certò scit Fidem Orthodoxam iis rationum momentis communiri, quibus assensum denegare prudenter non potest. Hac methodo apparabitur Theologus, armisque omnibus instruetur, quibus aut bellum Ecclesiæ hostibus inferat, aut irrumpentibus obnitatur. Quanvis enim de hac materia alii in Theologiæ exordio, alii in tractatu de Fide disputent, nullibi tamen opportuniùs quàm impræsentiarum hæc fidei nostræ munimenta traduntur, quibus ad difficillimum Religionis arcanum via sternitur & adornatur. Sit ergo

DISSERTATIO PRÆAMBULA.

Commendatio veræ Religionis, Christianæ nimirum, & Catholicæ.

IN hac dissertatione controversiarum omnium adversùs infideles summam, seu artem confutandi quascumque sectas compendiosè tradere in animo & votis est. Quod ut certa & expedita ratione fiat, paulatim ex positionibus ab iis contra quos certamus concessis, est procedendum.

In primis ergo si ille cum quo disputamus, negat dari Deum, iis rationibus convincendus est, quibus libro primo existentiam Divinitatis monstravimus. Et insuper urgenda est illa naturalis gentium omnium propensio ad alicujus supremi Moderatoris assensum. Unde nulla fuit unquam tam ferox, vel tam barbara natio, quæ per omnium ætatum curricula, ubique terrarum in hæcusque tempora Deum aliquem non adorarit: cujus etiam insitæ insertæque inclinationis sibi mentita iniquitas, etiam nolens signa demonstrat, dum in repentinis imminente periculo, vel prægravante calamitate, nullo inito consilio ad invisibilem opitulatorem, testimonio animæ naturaliter Christianæ confugit.

Supposito autem, quod Deum confiteatur, ulteriùs pedetentim est progrediendum, & ab infideli vestigandum, num unitatem, providentiam, aliaque naturaliter cognoscibilia attributa confiteatur. Si inficietur, ea argumenta quibus superiori tomo has perfectiones suasimus, aliaque perurgenda sunt. Quibus si veritate convictus assensum præbeat, tunc sic ulteriùs argumentari oportet. Si Deus talis ac tantus est, quantum & qualem esse ratio naturalis demonstrat, profectò aliquis ei cultus deferendus est; satius enim esset Deum non admittere, quàm existentem non revereri, & summam de Deo æstimationem affectûs comitari debet cultus, ne vel impii, vel ingrati pronuntiemur.

Hoc admisso, statuendum est, aliquam Religionem esse veram ex iis omnibus quibus in terris Deo cultus defertur; si enim nullibi terrarum vero Deo cultus exhiberetur, providentiam Dei de medio tolli necessum esset. Cùm enim creatura rationalis ad Deum colendum naturaliter propendeat, ut pro beneficiis impensis debitum rependat honorem; si nullus in toto mundo legitimus cultus Deo offerretur, inanis esset hæc tam connaturalis inclinatio, quippe cui Deus nunquam & nusquam succurreret: imò nec proprio honori Deus sufficienter consuleret, si modum quo religiosè coli vult, hominibus nequaquam aperiret: quod de Deo credere pejus esset, quàm Divinitatem inficiari.

His tanquam certis constitutis, contendimus in sola Religione Christiana, eaque Catholica seu Romana Deo verum cultum exhiberi, imò eam solam Religionem esse credibilem; alias verò quascumque esse manifestè incredibiles, & improbabiles. Hoc compendio succinctè & planè omnis tergiversandi locus Sectariis obstrueretur, si certa quædam ratio præscribatur, quæ & initium, & progressum, & terminum disputationis de tota Fidei summa contineat, absque eo quod opus sit infinita illa disceptandi ratione, quâ de singulis sigillatim doctrinæ partibus, conglobatis ultrò citroque testimoniis & argumentis, interminabiliter controvertitur.

CAPUT I.

De evidenti credibilitate Religionis Christianæ, & Catholicæ.

NOn intendimus in præsenti fidei articulos rationibus & mediis intrinsecis comprobare; id enim repugnat fidei, quæ est argumentum non apparentium, & lucerna lucens in caliginoso loco, ut magis constabit ex dicendis *dissertatione* 3. *cap.* 2. ubi monstrabimus, quod licèt possint solvi rationes quibus infideles Mysterium Trinitatis, aliaque impugnare moliuntur; tamen rationibus evidentibus articulos fidei demonstrare, Theologiæ vires superat. Cum his tamen stat, Mysteria nostra esse evidenter credibilia, quia evidentia credibilitatis sumitur ab effectibus & signis externis, ex quibus evidenter colligitur, Religionem tot & tantis credibilitatis argumentis stabilitam, dignissimam esse cui credatur.

Ad cujus majorem claritatem observa, quod licèt Mysteria fidei nostræ sint supra rationem, & sufficiat Dei loquentis authoritas, ut captivet intellectum nostrum in obsequium suum; tamen quia, teste Apostolo, rationabile debet esse obsequium nostrum, ideo nisi Religio nostra esset evidenter super alias omnes credibilis, nec ad eam amplectendam extranei, nec ad eam propugnandam domestici fidei tenerentur. Nam ut *Eccles.* 9. dicitur: *Qui citò credit, levis est corde.* Id est, qui sine solidis rationum momentis, quibusvis rebus propositis, etiam difficillimis adhæret, meritò levitatis damnatur. Deo quidem loquenti, & quantumlibet ardua proponenti fides omnis præstanda est. Si enim Pythagoræ discipuli omnibus Magistri effatis capita inclinabant, quantò magis Deo loquente intellectus nostri alas demittere justius est, ut dicitur *Ezech.* 1. de Animalibus illis mysticis: *Cùm fieret vox super firmamentum quod erat super caput eorum, stabant & submittebant alas suas.* Sed tamen ut constet Deum secreta sua illi potiùs quàm alteri sectæ revelasse, necessum est, ut vera Religio iis testimoniis confirmetur, quibus ejus credibilitas clarissimè convincatur, ita ut rationabiliter dubitari non possit. Et ita veridicè dixit Augustinus lib. de vera Relig. c. 24. *Ratio authoritatem non deserit, cùm consideratur cui sit credendum.*

SPECULATIO I.

Mysteria fidei Christianæ sunt evidenter credibilia, ob concentum signorum omnium credibilitatis, quibus nemo prudens dissentire potest.

NOn potest meliùs suaderi hæc speculatio, quàm inductivè referendo testimonia illa, quibus Christi Religio credibilis nimis facta est, & quibus ad credendum, *cum judicio impellimur*, ut loquitur sanctus Clemens *lib.* 8. *Constitut. Apostolicarum.*

Primum argumentum credibilitatis.

Primum ergo est testimonium Prophetarum, ex quo sic arguo: Illa Religio est evidenter credibilis, quæ multarum Prophetiarum apparatu prædicta est esse futura

futura tanquam vera; futura enim prænunciare nemo certò potest, nisi Deus, vel à Deo inspiratus: unde si omnia quæ Christo contigerunt clarè habeantur in veteri Testamento, fit inde, ea quæ ei acciderunt, non casu, sed speciali Dei providentia processisse. Atqui Religio Christiana & ejus fundator Christus multis fuit Prophetarum vaticiniis prænunciatus, tanquam vetus Legislator à Deo missus, ut in libro de Deo-Homine limpidissimis Jacob & Danielis Propheriis demonstrabimus: & id etiam apparet ex lectione Isaiæ Prophetæ, qui ideo dicitur Evangelicus, quia vivis coloribus talem depingit Servatorem, qualem fuisse narrat Evangelium: id etiam ex oraculis Sibyllarum perspicuum est, quibus omnia vitæ Christi mysteria futura, quasi præterita recensent. De quibus legas Lactantium Firmianum *in suis institutionibus*. Mitto ea quæ narrant de Incarnatione, Baptismo, & miraculis Christi, & seorsim de multiplicatione quinque panum: teferam dumtaxat ea quæ de Passione & Resurrectione Christi panxerunt Sibylla Delphica & Phrygia.

Impinget illi colaphos, & sputa sceleftis
Israel è labiis, neque non fellis amari
Apponens escam, potumque immitis aceti.
Scindetur templi velum, mediumque diei
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis,
Et tridui somno peraget insignia facta.
Sed postquam tridno lucem repetiverit, atque
Monstrarit somnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illustrarit, cœlestia tecta subibit
Nubibus invectus.

Ergo Religio à Christo instituta evidenter credibilis est. Qua sanè ratione Philosophos convicit B. Catharina Martyr, & eam passim olim urgebant Christiani, *Sibyllita* propterea, veluti dicterio cognominati. Et meritò argumentum illud premebant, quia calumniam illam pati non poterat, quam Iudæi miraculis Christi inferebant, ea magicæ arti asserentes; & funditus evertebatur extremum illud vallum, quò se infideles recipiebant, cæteris depulsi munimentis. Nam ut nervosè Augustinus ferm. 7. de verbis Apostol. cap. 4. *Nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas: si ergo magicis artibus fecit, ut coleretur mortuus, nunquid erat magus antequam natus?* Hoc etiam argumento Iudæos Veritas pulsabat, Ioan. 5. *Scrutamini scripturas, quoniam illæ testimonium perhibent de me. Si crederetis Moysi, crederitis utique & mihi, quoniam de me ille scripsit.*

Secundum credibilitatis Christianæ fidei argumentum.

Petitur ex propagatione ipsius per totum mundum, seu ex conversione totius universi, in qua quinque ponderat insigne Ordinis nostri decus Pater Ludovicus Granatensis, cui (ut quidam verè dixit) ut Pater Ecclesiæ dicatur, sola deest antiquitas. Primum est, mundum sub cœlo totum assensum præbuisse mysteriis intellectum præ difficultate peoè obruentibus; voluntatem verò præ arduitate non allicientibus, sed deterrentibus. Nam rationi propositi sunt articuli accessu invii, ut Trinitas, Incarnatio, Resurrectio, Eucharistia: voluntati verò intimata est lex crucis, pœnitentiæ necessitas, cupiditatum ruina & exterminium.

Secundò perpendendum est, quibus Prædicatoribus fides tam præcelsa annunciata est, nempe à duodecim piscatoribus rudibus & imperitis; non potestatis sæcularis viribus, non divitiarum copiâ, non armorum vi, non voluptatum illecebris, non honorum fastu, non eloquentiæ lenociniis; sed infirmitate, rerum omnium penuriâ, laborum tolerantiâ, deliciarum contemptu, humilitate morum, simplicitate sermonum de supremis mundi Rectoribus, potestate tremendis, divitiarum copiâ affluentibus, voluptatum volutabro immersis, honorum gradu auctis, sapientiâ etiam & eloquentiâ humanâ claris gloriosissimè triumphatuor. Hanc rationem prosequitur Paul. 1. Cor. 1. *Videte, fratres, vocationem vestram, quod non multi potentes secundum carnem, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes; & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret.*

Tertiò considerandum est, quibus auditoribus prædicatum sit Evangelium, nempe Iudæis obduratis, & Gentibus idolorum cultu fascinatis. Quartò id complectum est resistentibus Imperatoribus, indignè serentibus Præfectis, ascitâ etiam cruciatuum omnium excogitabilium carnificinâ. Quintò his ferè insuperabilibus objectaculis devictis, obfirmatas hominum voluntates lex Domini immaculata convertens animas tam citò subegit, ut totum ferè orbem sæculo secundo radiis suis illustratum Christi jugo subjecerit.

Confirmatur ex idololatriæ depulsione. Hæc pestis tam antiqua, quippe à diluvio exorta, & fortè antè in illa corruptione omnis carnis mentem facilè excæcantis nata; tam universalis, quippe quæ per totum orbem grassata omnes ejus partes (excepto Iudææ angulo, eâ tamen sæpè sæpiùs laborante) invaserat; tam atrox & Deo injuriosa, quippe quæ Divinæ Majestatis coronam Satanæ hosti infensissimo & vilissimo deferebat, supremosque divinitatis honores hominibus flagitiosissimis decernebat; tam tenax, quippe quæ vitiis omnibus patronos designabat; si enim homines nullo labore, nemineque docente pravos combibunt mores, eo tunc securiùs vitiis omnibus indulgebant, quo Diis suis vitia consecrabantur: hæc, inquam, pestilentia vetustissima, longè latéque toto Orbe diffusa, & intimis concupiscentiarum, quibus malè blandiebatur, medullis radicata, & inviscerata, usque firmata, virtute Crucifixi expulsa est, & duodecim spirituales medici mundum expurgarunt, idola diremerunt, altaria funditus sustulerunt, statuas metallicas fuderunt, templa vel solo adæquarunt, vel in Dei veri ædes consecrarunt, ejeceruntque foras Principem mundi hujus, & de throno quem ubique terrarum sibi erexerat, deturbarunt. Certè is mundo major fuit, qui mundum indomitum sub Crucifixi ditionem redegit.

Tertium credibilitatis indicium.

Est puritas fidei Christianæ, quæ ex duobus pensanda est; nimirum ex veritate dogmatum, & rectitudine legum. In primis dogmata Christiana credibilitatem merentur: nam duo tradit fides nostra, alia quæ per rationem investigari queunt, alia quæ rationis inquisitionem excedunt. In utrisque summè rationabilis est Doctrina Christiana: in his quidem quæ naturaliter cognosci possunt, tum quia nulla est Religio de Deo tam altè, tamque magnificè sentiens; ad hunc enim finem Philosophia Christiana collimat, ut nihil Deo detrahat qood ad ejus gloriam conferat; totum afferat, quod ad extollendam Divinitatem conducit: & postquam diu in eliminanda omnis imperfectionis umbra, & perfectione perfectioni adjicienda appendendaque incubuit, fatetur tandem informem Divinitatis speciem ab ejus similitudine longissimè aberrantem rudi penicillo & veluti carbone designasse. Tum quia nulla secta de ultimo fine tam consentaneè, de mediis tam opportunè, de virtutibus tam honestè, de vitiis tam purè, de regulis operandi tam rectè, de præmiis bonorum tam copiosè, de scelerum vindictâ tam districtè opinata fuit.

In

In his verò quæ docet supra rationem est rationabile obsequium nostrum: quid enim magis rationi consentaneum, quàm ut aliquid de Deo credamus, ad quod ratio ipsa non perveniat, Deoque de se testimonium perhibenti fidem adhibeamus, cùm solus seipsum apprimè cognoscat, nihilque proponat quod semel cognitum non possit ab omnium infidelium telis illæsum servari, solutis evidenter eorum fallaciis. Certè si in ipsis rebus sensibilibus, quas præ manibus terimus, scientiæ nostræ angustias quotidie experimur, quanto magis existimandum est multa in Deo latere arcana humanæ rationi impervia? Non foret Deus ens infinitum, nisi finiti ingenii capacitatem in immensum exsuperaret; subindeque in illo perfectionis pelago incircumscripto lateant res eximiæ, quas nullus intellectus creatus nedum scrutando penetrare, sed nec attingere, nisi Deo revelante queat. Vnde rectè Hilarius lib. 4. & 5. de Trinit. *Ab ipso Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit; quia non nisi se authore cognoscitur. Ipsi Deo de se credendum est, & iis quæ cognitioni nostræ tribuit, obtemperandum.*

Quàm verò sit immaculata Lex Christi, luce clariùs Evangelii sacra lectio demonstrat. Quæ enim est, vel fuit unquam institutio eâ purior & defæcatior, quæ non solùm nihil rationi naturali repugnans docet, sed insuper jubet Deum super omnia, proximum sicut seipsum diligere; omne furtum, mendacium, dolum, turpitudinem nedum ab opere, sed etiam à corde removet; peccata quàmlibet levia reprobat, ad cuncta virtutum officia hortatur, præmiis invitat, impellit minis, accendit promissis, exemplis inflammat, & salutaribus consiliis ad sublimius vitæ genus (quod perfectionis status dicitur) contendere inspirat, ut à terrenis liber animus, solis divinis inhiet.

Quid plura? Lex Evangelica præcipit benefacere his qui nos oderunt, pro persequentibus orare, inferentibus damna referre beneficia, non vinci à malo, sed vincere in bono malum; percutienti dexteram maxillam præbere sinistram, tollenti tunicam dimittere pallium. Misericordiæ autem, eleemosynæ, & totius pietatis officia tam impensè commendat, ut ipsis æternæ salutis, vel ruinæ decretoria sententia, teste ipso Iudice, innixa sit. Vnde si omnes, qui Christiana professione censentur, actus suos ad Evangelii naturam dirigerent, si mores suos ad ejus præceptiones exigerent, si causas omnes tam justis stateris librarent, nihil aliud esset Christiana Respublica quàm Paradisi illustre specimen, Angelorum visibilium convictus, & beatæ illius Civitatis, quæ posuit fines suos pacem, prægustatio.

Confirmatur. Duo sunt æqui Legislatoris officia: alterum favere bonis: alterum improbos suppliciis coërcere, ut homines virtutis amore capti à vitiis abhorreant. Atqui lex Christi his duabus Maximis, veluti duplici polo volvitur. Nulla enim est dicendi tanta vis, tantaque copia, quæ promissa justis præmia enarrare sufficiat; eis enim in hac vita centuplum, æternum gloriæ pondus in futura promittit. Recole dicta superiori libro, dum de divina misericordia; tibique palam erit, Deum quidem esse in pollicendo profusum, sed in exsolvendis promissis largiorem, & fermè prodigum.

Quis verò enumerare sufficiat odia aperta & capitalia, quibus peccatum prosequitur? minas in quas erumpit? quos incutit terrores? quas ab orbis nascentis exordio exercuit vindictas? quos diros cruciatus in inferis paravit? Relege dicta de justitia divina. Ergo Christiana lex ratione æquitatis summè credibilis est. Si enim arbor mala non potest bonos fructus facere, nec bona malos, non posset adeò sancta præcepta lex Christiana edicere, nec bonis tanta polliceri, tantaque impiis minitari, si à malo, idest à diabolo esset. Posset roborari ampliùs hoc argumentum ex vita plurimorum Christianorum sanctissimè gesta; sed speculatione sequenti hoc Catholicæ Religioni signum asseremus.

Quartum argumentum credibilitatis.

Est innumerabilis miraculorum varietas, quibus Deus fidem Christianam contestatus est *variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus*, ut ait Apostolus *Hebræor.* 2. veluti totidem omnipotentiæ suæ pignoribus. Nam illa miracula fuerunt primò multitudine innumera, unde Evangelistæ ne in enarrandis Christi signis essent prolixiores, compendiosè tradiderunt, quod ex omni parte afferebantur infirmi, & curabantur, quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes; totque deinde à Christi discipulis patrata sunt, ut superent numerum stellarum. Secundò miracula illa fuerunt arduitate stupenda; nam quid portentosius suscitatione mortui quatriduani, eclipsi Solis tempore passionis Christi obscurati, & tribus horis deficientis, toto orbe aspectante. Tertiò fuerunt miracula illa certitudine indubitata; si enim falsa miracula narrassent Evangelistæ, se Iudæis ridendos præbuissent, cùm ea scriberent quæ manifestæ poterant mendicitatis damnari: siquidem statim post Christi mortem Evangelicam historiam texuerunt, superstitibus adhuc Iudæis qui eos falsi testimonii convicissent, si aliqua veri specie potuissent.

Illustratur hoc argumentum ex D. Thoma 1. *cont. gent. cap.* 6. quia omnibus signis admirabilius esset, si ad credendum tam ardua, ad operandum tam difficilia mundus absque mirabilibus inductus fuisset à simplicibus & ignobilibus hominibus. Hoc argumentum urget Augustinus *orat. cont. infidel.* dicens: *Negando miracula ingens miraculum ingeris; quid enim potest dici mirabilius, quàm Romanum Imperium totamque gentilitatem, Religionem quam antea impugnabant, desertis paternis ritibus, nullis visis signis mirandisque operibus, sponte suscepisse, & in ea retinenda tam constantes fuisse.*

Denique miracula in Christiana Religione sunt perennitate perpetua. Nullus enim in album Sanctorum ascribitur, de cujus miraculis fides plenissima & limpidissima, intervenientibus cunctis certissimæ auctoritatis præsidiis, non habeatur, quibus eorum sanctitas post mortem demonstratur. Nam ut ait Gregor. lib. 4. dialog. cap. 6. *Vita animæ manentis in corpore sicut deprehenditur ex motu membrorum; sic vita animæ post corpus in Sanctis pensanda est ex virtute miraculorum.*

Quid memorem tot Beatorum corpora incorrupta? Quid pulverem illum immortalem è Sepulchro sancti Raymundi de Peñafort Barcinonæ semper scaturientem, nunquam exhaustam distillantem languorum omnium medicinam? Quid imaginem sancti Patris Dominici in Oppido Soriano in Calabria inæstimabilibus miraculis coruscantem, & tota stupente Italiâ miraculorum omnium officinam, quæ sicut provocat & fatigat pictorum industriam omni arte superior, sic scribendi vim superat copiâ signorum. Hæc tamen recensere opus non est, quia oculis omnium patent. Negare verò quæ tota Aragonia de pulvere sancti Raymundi videt, tota Italia de Taumathurga Soriani imagine contestatur, insanæ mentis est.

Prætermitto innumerabiles gratias sanitatum, dante quidem Deo, sed intercedentibus Sanctis, & nominatim Sanctorum Reginæ precibus quotidiano experimento comprobatas, & in sacris ædibus appensis anathematibus significatas. Scio quidem hæc & alia id genus hæreticos inficiari: sed commune populorum

suffragium, & expertorum multiplex testimonium non infirmat Novatorum pervicacia. Nam quid notius miraculis illis recensitis? Quid evidentius, perenni illo miraculo sancti Ianvarii, quo sanguis in ampulla vitrea concretus, in conspectu capitis positus, mirandum in modum liquescens, & quasi recens effusus ebulliens, ad hæc usque tempora Neapoli cernitur.

Ne autem dicas miracula quæ referuntur in sacris historiis, vel præ antiquitate obsoleta, vel præ distancia incerta esse, propter Hispanicum adagium à Melchiore Cano *lib. 11. de locis, cap. 6.* laudatum, *de luengas vias, luengas mentiras.* Ne dicas etiam Authores nonnullos in Divorum prodigiis describendis sparsos rumores & excepisse, & scriptis ad posteros retulisse, sibi, vel vulgo indulgentes. Nam ut ait præfatus Canus, *Magni Authores & labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati*, nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Hæc, inquam, ne dicantur, & omne os obstruatur, placet quædam miracula moderna intra Galliarum fines patrata recensere, ut Infidelium ora oppilet vicinitas temporum & locorum.

Primum est operatio illa virtutum, & inæstimabilis gratia sanitatum à vivifica spina insignis cujusdam Sacerdotis Parisiensis, nomine *de la Potiere*, editarum. Verùm inter cæteras omninò multas curationes stupenda illa omnium admirationem rapuit, quæ die 24. Martii, anno 1656. omnibus cernentibus contigit. Educabatur in Monasterio Portus Regii in extremo Lutetiæ suburbio sito puella quædam nobilis, cui nomen *Margareta Perier*, cujus os narium computruerat, ob purulentum humorem ex oculis in guttur & faciem defluentem. Tam horribili, tamque extremo morbo horrenda & extrema remedia parabant Chirurgi; sed crudelem ferri, ignisque statim admovendi operationem vivifica Coronæ Christi spina supplevit. Hæc enim ad venerandum ritu & cæremoniis in Ecclesia Catholica solitis exposita, puellam in ipso Salutationis officio jussu Pædagogæ suæ sacram Reliquiam intuentem momento in integrum restituit, ita ut ne cicatrix quidem tam intolerabilis vulneris superesset. Ita testati sunt Medici & Chirurgi sauciatam curare soliti, & omnem in ea industriam & operam perdentes: testati sunt Vicarii Generales Parisinæ Diœceseos, qui undecimo Kalendas Novembris ejusdem anni, veritatem miraculi post accuratam gravissimorum Theologorum discussionem confirmarunt. Testata est tota urbs Parisiensium, ad Ecclesiam Monasterii illius singula quaque sexta feria confluentium, quorum pietatem sequentibus signis Deus auxit. Testati demùm sunt ipsi Monasterii æmuli, qui facti veritate coacti in errorem joris inciderunt, asserentes miracula ab hæreticis nonnunquam Deo permittente edi. Sed hanc falsitatem non solùm repudiat pietatis sensus Christianis omnibus implantatus: non solùm reprobat graviorum Theologorum constantissima sententia, verè affirmantium gratiam miraculorum esse singularem Ecclesiæ Catholicæ dotem, hæreticis non nisi hæreticè communicandam: sed eam etiam condemnat Angelicus noster Præceptor, docens posse quidem à malis patrari miracula in confirmationem veræ doctrinæ, sed non in testimonium hæresis, aliàs Deus esset author mendacii. Nam ut ait 2. 2. q. 178. art. 2. ad 3. *Dicendum, quod miracula semper sunt testimonia ejus ad quod inducuntur: unde à malis, qui falsam doctrinam enunciant, nunquam fiunt vera miracula ad confirmationem suæ doctrinæ.*

Plausibiliùs dixissent sacram spinam Religionis Catholicæ ritu veneratam, vultum illum cariе jam exesum restaurasse, dum Missæ introitus feriæ sextæ tertiæ hebdomadæ Quadragesimæ decantaretur, ad nobilitandum decorandumque cultum Ecclesiæ Romanæ in Sanctorum Reliquias; ac proinde non esse recedendum ab illa Ecclesia, cujus cæremoniarum majestatem miraculorum splendore Deus ostentat; nec debebant Ecclesiæ Christianæ & Romanæ miraculorum privilegium eripere, ne suis privatis studiis incommodarent. Sed ego ab omni partium studio alienus nihil adversùm veritatem, sed pro veritate potens, sustineo illa mira prodigia eo in Cœnobio per vivificam Servatoris spinam Catholico more cultam patrata mirum in modum in ejusdem Catholicæ Religionis gloriam, ringente invidiâ redundare. An in illo monasterio fuerint novæ hæreseos jacta semina, non decido, sed Ecclesiæ Romanæ judicio meum ubique in omnibus suppono. Hoc solùm contendo, tam illustria prodigia in Porturegiensi Monasterio edita, in solius Ecclesiæ Catholicæ Romanæ decus cedere, nec oppositum posse, nisi ab hæreticis affirmari.

Secundum miraculum clarum, apertum, & manifestum patratur quotidie Lemovicis ab hinc annis plurimis, beneficio Venerabilis Eucharistiæ, cujus singulares & individuas circumstantias à testibus oculatis acceptas referam, quarum tot sunt testes, quot populosissimæ civitatis incolæ. Pia & honesta mulier Leonarda de Vidauld, Domini de Londeys vidua, ab ancilla ad annum tertoquinquagesimum fascinata (quæ ancilla sagæ crimen falsa igne juridicè ambusta est) cum primùm aliquid potus post cibum in stomachum misit, tantis viscerum cordisque commotionibus, tantis totius corporis tremoribus, violentisque concussionibus agitatur, ut halitu & voce destituta jaceat. Adhibitis omnibus medicinæ remediis, nullum levamen sensit infirma, sed recrudescere morbus visus est, donec Eucharistiâ refecta, momento à molestis symptomatibus liberatur. Durat quies quoad cibi potusque aliquid rursum glutiat, quo hausto infandi dolores cum deliquiis renovantur, donec Eucharistia rursum invehat tranquillitatem. Hæc non in angulo, non semel, sed in centro Galliæ, propalam & quotidie ab octo vel decem lustris gesta sunt. Vnde quotidie, approbante Episcopo, & annuente Vrbano VIII. in infirmæ cubiculo sacrum fit, ipsa dum cibum capit, ut mox finito prandio, à mortiferis agonibus vitali cibo liberetur. Confessarius ejus hallucinationem subesse timens, hostiam ei non consecratam imprudenter porrexit: sed ipsa continuò iisdem symptomatis agitata, citóque opprimenda fuit, nisi consecratæ usu respirasset. Hæc à Sacerdotibus miraculi testibus audivi, quæ fusiùs refert P. le Ieune *serm. 1. Octava Sacramenti.*

Inter miracula præsentis Ecclesiæ recenseri meritò debet strumarum sanandarum vis mirabilis, quo veluti hæreditario privilegio fulgent Sacratissimi Reges nostri Christianissimi, ad immortale Catholicæ decus Religionis, quam semper à Clodovæo professi sunt. Est autem virtus illa ita comperta, ut non tantùm Annalium Franciæ monimentis, sed exterarum gentium testimoniis, crebrisque experimentis comprobetur. Nec potest dici hanc facultatem esse naturalem, & per traducem à parentibus diffusam. Nam si hoc esset, eadem prærogativa potirentur Regum nostrorum fratres & sorores. Nequit etiam dici vim illam esse Regiæ Majestatis nativam dotem, aliàs eâ Reges omnes pollerent. Quod verò Hieronymus Cardanus *lib. contrad. medic.* ait, Reges Franciæ hac vi præditos esse ex longo usu aromatum, ita insulsum est, ut sit potiùs risu excipiendum, quàm argumentis confutandum: quasi verò alii Reges aromata non adhibeant: quasi fratres Regis, aliique aulici non sine interdum unguentis & odoribus delibutiores & perfusiores;

siores? Quàm verò deplorandum sit delirium Gullelmi Tookeri, asserentis Reges Franciæ per quandam propaginem hanc vim ab Angliæ Regibus hausisse, nemo est qui non videat. Nam quomodo Regibus Gallicis transfuderunt quod suis non servaverunt? Papè! quàm grandis Anglorum charitas in Gallos! Privaverunt Reges suos gratiâ sanitatum, & eam Christianissimis Monarchis impartiti sunt: scilicet?

Placuit hæc nostri temporis è multis pauca miracula seligere; nam Patres Ecclesiæ pro tempore quique suo varia recensuerunt, ut legere est apud Augustinum *in lib. de civitate*, Gregorium *in dialogis*, & P. Granatensem *in suo aureo Catechismo*, in quo ut in fonte hæc argumenta hauriri possunt. Scio quidem aliquos morosos argumentum è miraculis petitum floccifacere, imò ipsa miraculorum mentione offendi, nec ullis prodigiorum narrationibus fidem adhibere velle, arbitrantes dedecere illam, quam ostentant, ingenii firmitatem, nisi ab omnibus miraculis alienationem demonstrent. Verùm sicut citò credere, levis cordis argumentum est; ita omnes certis testimoniis firmatas narrationes præfractè rejicere, impii animi indicium est, de divina potentia diffidentis, divina humanis lateris librantis, & domini manum hoc tempore contractam arbitrantis.

Posito ergo, dari vera miracula in Ecclesia Christi, sic argumentum instauro. Vera miracula sunt signa veræ Religionis; Deus enim falsitati testimonium non præbet, nec miracula edit, nisi ut veritatem illustret, unde dixit August. epist. 49. *Sicut humana consuetudo verbis, ita divina potentia factis loquitur: & sicut sermoni humano verba nova, vel minùs usitata, moderatè ac decenter aspersa splendorem addunt; ita in factis mirabilibus congruenter aliquid significantibus quodammodo lucentior est divina eloquentia.* Vnde prudentissimè Nicodemus ex miraculis Servatoris, doctrinæ ipsius veritatem colligebat, Ioan. 3. *Scimus quià à Deo venisti, Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.* Atqui in Religione Christiana fuerunt semper miracula aspectabilia, quæ identidem ad bonorum solatium renovantur: ergo Religio Christiana est vera ob testimonium miraculorum, quæ Ludovicus Granatensis *lib. 2. Catechismi, cap. 27.* appellat *argumenta omni demonstratione mathematica clariora:* & Bartholom. Medina *3. p. q. 43.* vocat *divinæ veritatis sigilla*, quibus Deus testimonium suum obfirmat, sicut Reges apposito solenni authoritatis sigillo, diplomata sua muniunt. Quam similitudinem desumpsit ex D. Thoma *3. p. q. 43. art. 1.*

Quintum argumentum, testimonium Martyrum.

Si verum est quod scripsit Seneca lib. 7. qq. natur. cap. 1. *Sol spectatorem, nisi cùm deficit, non habet: nemo observat lunam, nisi laborantem: tunc orbes conclamant.* Quis mirabundus & attonitus non suspiciat turbam magnam Martyrum, quam dinumerare nemo potest, cum stellarum numero contendentem? O rem omni admiratione majorem, ô omnipotentissimam gratiæ Christianæ potestatem! Tot millia senum & juniorum tantâ lætitiâ, tantaque firmitudine exquisita quæcumque tormenta subibant, pro verberibus gratias agebant, carnifices fatigabant, & deficientibus tormentis, durabat vigor internus, nec atrocissimis vexata suppliciis corporis cedebat infirmitas; quod tamen ita naturæ vires excedit, ut sæpè homines imposita sibi falsa crimina confessi fuerint, ut tormentorum cruciamenta effugerent, mortem ærumnosæ vitæ præferentes.

Sed quid dicam de Christianis puellis, quæ erant fortiores patiendo, quàm tyranni ingeniosi torquendo, ut in eis illud Apostolicum impleretur: *Quod infirmius est Dei, fortius est hominibus.* Præsertim quia tanta est fœminarum imbecillitas, ut sæpius ad nudi ensis, vel fusi sanguinis aspectum cordis deliquium patiantur. Et tamen invictæ heroïnæ cruoris rivos de corpore suo manantes intrepidè cernebant. Vnde hoc? unde tanta virtus in infirmitate, in doloribus talis lætitia? Tam stupens novitas novam causam exigit; adeo insolitus effectus virtutem exposcit insolitam. Non faciebat hoc stupor, sed infusus amor; non amittebatur sensus, sed gratiæ cœlesti submittebatur; non deerat dolor, sed victrici opitulatione superabatur. *Magna vis fidei* (inquit Ambros. lib. de Virgin.) *quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate.*

Tam insignes Martyrum triumphos (quos passim descriptos legere utilissimum est) qui non miratur, insipiens est; cùm & ipsi Ethnici judices, & tortores suspexerint, collaudarint Angeli, Deus quoque in ipsis deliciatus sit. Hinc in Martyrum agone miracula creberrimè edebat, ignem temperabat, sanatis momento vulneribus, corporis habitum restaurabat, bellua ferocissimas mitigabat, eratque Deum inter & athletas suos contentio dilectionis. Isti ut paterentur ardebant; ille ne paterentur, mira patrabat: & de illis veriùs illud Philosophi Moralis intelligi debet: *Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus.*

Hæc gesta non sunt in aliquo angulo, sed in facie universi, in theatris orbis terrarum, & mundi emporiis. Martyrum sanguine madet Roma: eo provinciæ & regna purpurascunt: hic cruor Christianæ Religionis semen fuit nasciturae, propagatæ verò robur & invicta probatio est. Hæc è pluribus pauca specimina sufficiant: tum quia ea quæ sequentibus speculationibus subjiciam, necnon quæ contra Iudæos alibi disputabo, faciunt ad hoc institutum: tum quia non nostri propositi est omnes argumentorum copias in aciem ordinare, sed quantum sufficit ad demonstrandam æquis judicibus causæ veritatem.

REFLEXIO.

Solatii plena est vox illa Richardi Victorini lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Domine si error est quod credimus, à te decepti sumus: ista enim in nobis iis signis & prodigiis confirmata sunt, quæ non nisi à te fieri potuerunt.* Et præclarè Hilarius lib. 11. de Trinit. *Neque enim mundo ignorabilis effici potest, quem prophetiæ volumina consignant, quem Apostolorum & Martyrum per virtutum operationes loquuntur sepulchra, quem invidi spiritus profitentur, quem punitorum dæmonum resonant mugitus.* Nihil unquam sine culpa creditum est, si credere, quæ Christiana Religio docet, culpâ non vacat. Vnde si per impossibile error esset, non posset imputari post tot singularia credibilitatis indicia, quibus non potest homo nõ prudenter moveri. Verùm sicut hæc quinque credibilitatis testimonia veluti quinque limpidissimi lapides frontem conterunt Infidelium, sic arguent te, nisi fidei vita respondeat. Accusabunt te Prophetarum oracula, subitanea reprehendet orbis conversio, contra perorabit Evangelii immaculata lex, confundet te miraculorum gloria, adversùm te clamabit sanguis Martyrum, si fidem Christi, quam credibilem reddunt, morum tuorum obscuritate improbabilem reddis. Appositè Picus Mirandulanus dixit: *Magna insania est Evangelio non credere, cujus veritatem sanguis Martyrum clamat, Apostolicæ resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, dæmones confitentur. Sed longè major insania est de veritate Evangelii non dubitare, vivere tamen quasi de ejus falsitate*

non dubitares. Vivis autem quasi de ejus falsitate non dubitans, si malè vivis, si ad Evangelii normam opera tua non exigis. Nam ut ait August. serm. 237. de tempore: *Difficile est ut malè vivat qui benè credit.*

Speculatio II.

Inter Religiones, quæ christiano nomine insigniuntur, sola Catholica, seu Romano Pontifici obediens manifestis gaudet credibilitatis argumentis.

Antequam stabiliatur hæc momentosa veritas, sciendum est, Ecclesiæ nomen Græcum, Latinè convocationem sonare. Sic autem appellatur Christianorum congregatio, vel quia omnes ad se vocat, aperiens nationibus omnibus maternum suum sinum; vel quia quicumque in ea vivunt, non meritis & gratia præcedente, sed gratuita Dei vocatione conveniunt. Hinc factum est, ut locus ille, quo fidelium multitudo confluit, quia omnibus apertus est, Ecclesia nominetur. In præsenti autem intelligimus per Ecclesiam, legitimam Christi fidelium congregationem, quam Paulus 1.Cor.1. *Societatem* IESU CHRISTI *filii Dei* appellat: cui convenit judicandorum fidelium authoritas, ut Veritas *Matth.* 18. declaravit: *Si te non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Quærimus ergo modò, quisnam ex cœtibus illis qui Christianum nomen præ se ferunt, germanus sit, quisnam spurius; quinam legitimi fideles, quinam verò *dealbati*, ut eos vocat August. *lib.1. cont.epistol.Parmen. cap.7.* quinam Orthodoxi, quinam Hæretici?

Sciendum rursus, quod licèt constet, solam Ecclesiam Catholicam esse veram, ut posteà constabit; quia tamen fideles Romanæ communionis, Romano Pontifici pro tempore existenti, ut Christi Vicario parentes, vulgò Catholici etiam ab hæreticis nominantur; quæritur utrum ille solus cœtus, qui Romano Episcopo reverentiam defert, veræ Christi Ecclesiæ rationem habeat. Cujus sanè decisio haberi non potest nisi ex quibusdam notis, & veluti characteribus, quibus liquida veritas à tot erroribus discernatur: quæ quidem notæ debent esse cognitu faciliores re ipsa quæ quæritur, cùm ad eam inveniendam ordinentur. Ex quo obiter inferes, quàm irrationabilis sit quorundam Sectariorum astutia & pertinacia, asserentium non aliam esse Ecclesiæ notam, quàm veritatem. Nam in hoc totum difficultatis momentum, totum controversiarum punctum positum est, quænam sit vera Ecclesia? Illud enim maximè inquiritur, cujus proinde aliæ notæ desiderantur: sicut mihi postulanti in quanam Galliarum universitate bonarum litterarum doctrinâ imbui possem, insulsissimè responderetur, in eo me Collegio doctum evasurum, in quo sana doctrina accuratè proponitur: nam idipsum est quod investigo, cujus proinde apertiores notas scire aveo.

Certè cùm omnes sectæ sibi veritatem arrogent, & tamen aliquam mentiri necesse sit, cùm contradictoria asseverent, quæ simul vera esse non possunt; non aliam assignare legitimæ Ecclesiæ notam, quàm veritatem, est manifestè petere principium. Quis enim in dubium vocat, Christi Ecclesiam esse debere veram? cùm testante Apostolo 1.Timoth.3. *sit firmamentum & columna veritatis.* Sed de vera Ecclesia solliciti sumus, quia illud veridicum & pervulgatum Augustini pronuntiatum formidamus, lib.4. de Symb. cap.1. *Non potest in cælis Deum habere patrem, qui non habuerit in terris Ecclesiam matrem.* Necnon illud ejusdem Patris in Psal.57. *In ventre Ecclesiæ veritas manet; quisquis ab hoc ventre separatus fuerit, necesse est ut falsa loquatur; quisquis aut concipi noluit, aut quem conceptum mater excussit.* His prælibatis,

Probatur speculatio. Illa Christianorum concio est evidenter credibilis, imò, supposita Christi fide, evidenter vera, quæ habet omnes notas veræ Ecclesiæ: Atqui sola Ecclesia Romana, seu congregatio Christianorum Romano Pontifici obtemperantium habet omnes veræ Ecclesiæ notas: Ergo illa sola est evidenter credibilis. Major est evidens; essentia enim per proprietates dignoscitur: ad essentiam autem Ecclesiæ pertinet veritas, cùm sit verè fidelium congregatio: igitur ad veritatem illam dignoscendam omninò vestigandæ sunt proprietates veræ Ecclesiæ, quas Patres tradiderunt. Minor autem ut probetur, observandum est, non exigi ad rationem notæ Ecclesiæ, ut ab exordio nascentis Ecclesiæ convenerit; sed sat est ut ei competat eo in statu, quem habet post prædicatum ab Apostolis Evangelium. Nam sicut fuerunt quædam nascentis Ecclesiæ signa, ut visibilis Spiritus sancti descensus, aliorumque stupendorum miraculorum concursus, quibus tunc indigitanda erat: de formato Ecclesiæ corpore, & per orbem terrarum propagato, necessaria sunt alia indicia, quibus vera demonstretur Ecclesia Christi depositi intemerata custos, & à synagogis satanæ, ac conventiculis errantium discernatur; modò tamen hujusmodi characteres in Scripturæ, Patrumque monimentis fundentur. Si enim ipsæ sacræ Literæ, Patrumque concors sententia eas notas designent, quibus Ecclesia post Evangelium disseminata significetur; nullus nisi hæreticus Ecclesiam illam ejurabit, quam legitimis veræ Ecclesiæ tesseris insignitam esse constiterit: quod statim conficiam juxta illud Augustini lib. de unit. Eccles. cap. 5. *Nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.* Minor ergo probanda est. Et primò occurrit quadruplex illa nota quàm exigit Concilium Nicænum in celebratissimo illo Symbolo, his verbis: *Et unam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam.*

Unitas Ecclesiæ Romanæ.

Nota veræ Ecclesiæ est unitas, quam colligunt Patres ex illo Cant.6. *Una est columba mea:* & disertè traditur Ioan.6. *Fiet unum ovile, & unus Pastor.* Et 1. Cor.10. *Unum corpus multi sumus.* Et Ephes.4. *Unum corpus, & unus spiritus; una fides, unum baptisma; unus Deus, & unus pater omnium.* De qua unitate Cyprianus & Augustinus specialibus opusculis egregiè scripserunt. Atqui sola Ecclesia Romana habet hanc perfectam unitatem, quæ non consistit solùm in consensu actuali ejusdem doctrinæ; nullus enim est hæreticorum cœtus tam exiguus, cujus Sectarii in aliquod unum errorum fœdus non conspirent: sed in hoc quod habeatur una certa ratio ad retinendam doctrinæ concordiam accommodata, & divisionum schismata præcavenda. Quæ quidem ratio in sola Ecclesia Romana invenitur. Nam hæc societas non solùm eundem Deum & Filium ejus Christum Dominum confitetur, ad eandem beatitudinem suspirat, eisdem legibus, ritibus, Sacramentis Deo servit, idem sacrificium Deo offert; sed etiam habet modum retinendæ unitatis peropportunum & necessarium, nimirum idem caput visibile (à quo corporis unitas pendet) Romanum Pontificem, Christi Vicarium, ejusdem Ecclesiæ supremum Rectorem, Pastorem & Hierarcham: cui obedientes ab hæreticis, & schismaticis secernuntur.

Ergo Ecclesia Romana habet primam Ecclesiæ proprietatem, qua (ut ait Cyprian. lib.4. epist.10.) fit *plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens.*

Non

Non aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.

Confirmatur. Ecclesia debet esse corpus rectè ordinatum; nam *quæ à Deo sunt, ordinata sunt:* Hac de causa Ecclesia, *Cant.6.* dicitur *Castrorum acies ordinata.* Quæ ordinario consistit in perpetua Pastorum & Doctorum sibi succedentium serie, qua cessante, unitatem Ecclesiæ perire necesse est; quomodo enim monarchia uni familiæ erit addicta, nisi legitimorum hæredum successio intercedat? Vnitas Ecclesiæ inimica est confusionis; nisi autem sit perennis verorum Pastorum successio, Babylonica confusio, Cymmeriæque tenebræ Ecclesiam susque deque mixtam offundent, eruntque fideles sicut parvuli fluctuantes, omni vento doctrinæ circumlati.

Atqui sola Ecclesia Romana hanc habet continuatam Pastorum seriem; nam à D. Petro usque ad Clementem nonum, qui Ecclesiæ clavo jam astat, Pontifices sibi succedentes enumerat: quod sanè de aliis sectis dici nequit. Nam ut rectè ait Tertul. lib. de præscript. *Edant origines suarum Ecclesiarum, evolvant ordinem Episcoporum ita per successionem ab initio decurrentium, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveravit, authorem habuerit, vel antecessorem.* Certè de Luthero, Calvino, aliisque Sectariorum signiferis meritò dici potest, esse *filios sine patre, discipulos sine magistro, qui à se nasci voluerunt*, ut de hæreticis sui ævi dicebat Optatus Milevitanus.

Ergo sola Ecclesia Romana habet perfectam unitatem entis successivi, ob continentem & nunquam interruptam Pastorum perpetuò sibi succedentium seriem. Vnde meritò Catholicus quisque usurpare potest illud Augustini contra Epistolam fundam. cap. 4. *Tenet me in Ecclesia Catholica ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopum successio Sacerdotum.* Quod prosequitur idem Pater *epist. 165.* ubi omnes Pontifices usque ad Anastasium recenset.

Sanctitas Ecclesiæ Romanæ.

Ex hoc secundo veræ Ecclesiæ charactere sic argumentor. Veræ Ecclesiæ nota est sanctitas; nam fidelium cœtus dicitur, 1. Pet. 2. *Gens sancta.* Vocatur autem Ecclesia sancta, non quòd omnia ejus membra à peccato immunia sint; nam Regnum Cœlorum, quo, teste Gregorio, præsens Ecclesia intelligitur, virginibus fatuis, sicut & prudentibus constat: in agro Dominico cum frumento paleæ permixtæ sunt, & aurea vasa ligneis & fictilibus interposita. Ipsos Ecclesiæ Angelos, id est Episcopos, ad pœnitentiam Ioannes *Apocal. 2. & 3.* cohortatur; & in Ecclesia Corinthiorum ferbuisse contentiones, excitata jurgia, patrata flagitia ipsis Gentibus execrabilia, Apostolus 1. *Cor.* 1. memorat; & tamen eorum societatem sanctam esse agnoscit ibidem & prædicat. Certè cùm Ecclesia pro suis ægris & infirmis Sacramentorum remedia paret, & spiritualium medicorum copiam ministret, planum est, non ideò sanctam debere nominari, quòd membris cõstet illibatis, nec ullo peccatorum inquinatis fermento, aliàs nullos esset hæreseon finis, sed interminabilium litium materia: unicuique enim Ecclesiæ judices recusare in promptu esset, si alter alteri posset objicere: Tu non es de Ecclesia, à qua propter peccata exulas.

Sancta ergo dicitur Ecclesia, tum propter doctrinæ puritatem; *lex* enim *Domini immaculata.* Tum propter sanctitatis efficientiam; illud enim dicitur sanctum, quod efficit Sanctos: unde lex Domini dicitur *convertens animas.* Tum propter institutarum cæremoniarum, quibus Deo cultum & decoram laudationem offert, sanctimoniam. Atqui sola Ecclesia Romana his omnibus de causis sancta est; quid enim purius sacris illis decretis Pontificiis, vel in Conciliis editis, quibus ad omnia pietatis officia instruimur. In sola etiam Ecclesia Romana Evangelicæ perfectionis consilia ad praxim reducuntur, ut statim ponderabimus. Nihil etiam augustius ea sacrorum rituum majestate, sive ad excitandam pietatem, sive ad profundæ reverentiæ sensum concipiendum esse potest, ut seriò, attentéque considerans intelliget; si tamen dono pietatis, & intellectus præventus sit.

Confirmatur, & illustratur. Illa Religio bona est, quæ homines bonos efficit: illa melior, quæ meliores instituit: illa optima, quæ optimos informat & erudiit: sicut melior est nauclerus, qui regendi navigii peritior; melior item medicus, qui infirmitatibus salubriùs opitulatur. Atqui Ecclesia Romana non solùm sanctissimis legibus à Christo fundata, & à Patribus vallata est; sed etiam multos protulit Sanctos in terris non minùs fulgentes, quàm in cœlo coruscent astra, ut ex gestis Sanctorum nulla unquam oblivione delendis patet. Annales Ecclesiæ referti sunt viris eremi cultoribus, Angelicam in terris vitam ducentibus; innumerabilibus zelantissimorum Episcoporum, Sacerdotum, Monachorum, & Virginum choris, in quibus Deus planè mirabilis est. Sed hæc passim obvia libens prætermitto: ad viciniora, quibus magis movemur, accedamus.

In hoc ipso quoque sæculo, quantumvis collapsa sit disciplina, tamen quia spiritus Ecclesiæ fixus, immobilis, & immortalis est, nec ullam temporum decursu pati labem, ullam mutationem potest, summo Dei beneficio videmus plures cives Sanctorum, domesticos Dei, pietatis sinceros æmulatores. Cernimus permultos Ecclesiastico spiritu plenos, qui divinos Canones Conciliorum, Pontificum, *Spiritu Dei conditos, & totius orbis reverentiâ consecratos*, ut loquitur S Leo *epist. 84.* in intimo spiritu insculptos gerunt, ad quos vitam suam pro virili exigunt; & dum præ temporum difficultatibus impediuntur, dolent, & ingemiscunt. Nec sacras illas regulas, tanquam Lacedæmoniorum, aut Atheniensium pridem exoletas otiosè spectant, sed tanquam cœlestia instituta, nullâ unquam corruptelâ minuenda venerantur, & probant. Hinc omnibus studiis has leges instaurandas curant, conculcatas renovant, collabentes retinent, vigentes tota contentione custodiunt. Cernimus quoque, & manibus nostris contrectamus in quamplurimis utriusque sexus cœnobiis personas in sæculo nobiles, ingenio pollentes, complexione debiles, amore Christi parvulos factos, mundo mortuos, orationibus instare, in vigiliis pernoctare, corpus macerare, virginitatem servare. Cernimus è sæcularibus nonnullos à peccatis & vitiis, in quibus computruerunt, tanquam jumenta in stercore suo, exire viriliter, convalescere de infirmitate, fortes fieri in bello, & Deo tangente cor hominum, evadere novas creaturas, atque in novitate vitæ ambulare, mutatione dexteræ Excelsi.

Negabunt hæc forsan hæretici, sed hæc quæstio cùm sit facti, non juris, melius deciditur oculis quàm argumentis. Itaque si infideles omnibus historiis, etiam modernissimis, fidem detrectent; si dubitent de sanctitate Caroli Borromæi, Francisci Salesii, Xaverii Indiarum Apostoli, Rosæ Peruanæ, aliorumque recenter in album Sanctorum ascriptorum, quorum prodigia præcedente sæculo inclinante, & isto inchoante orbis sub cœlo totus miratus est; si tam accuratè inquisitis eorum factis, aut miraculis, necnon judicibus in negotio canonizationum omnia penitissimè ad intimas

usque

usque fibras maturè discutientibus fidem negent, hoc hæreticis gratis concedamus, quamvis cæteroquin contra rationem pugnet tam sollicitas studiosorum hominum curas aspernari; si enim tantæ diligentiæ non creditur, nulli narrationi assensus præbendus erit: sed hoc iterum toleremus, & eorum obstinationi concedamus. Saltem, amabò, non consultoribus perquam attentis, non gravissimis & locupletissimis testibus, sed oculis suis credant.

Nolo autem hæreticos Galliarum fines transgredi, parco peregrinationi, intra terminos suos commorentur, & post horrendas à patribus suis illatas clades, post strages urbium, post Monasteria ab his Reformatis deformata, depopulatas Ecclesias, vastata & diruta templa, adhuc videre poterunt Sanctos non defecisse.

Vadant ergo ad magnam Chartusiam, & nisi claudant oculos, cernent quod nos videmus, vel Angelos in carne hospitantes, vel homines Angelicum spiritum habentes; & si oculis non credunt, adhibeant quatuor alios sensus. Gustent abstinentiam à carnibus perpetuam, jejunia septem mensium abhinc sex sæculis nullâ temporum injuriâ, nullis molliculorum artificiis violata. Audiant Dei laudum divinum concentum, quas diu noctuque inter hyemis inclementis, & fermè continuæ algores summo Deo persolvunt. Tangant lecti duritiem, palearum stramen, asperum cilicii indusium. Subodorentur suavissimum virtutum omnium, veluti totidem florum spiritum, quibus inculta, horridaque eremus suffunditur; & percipient altum silentium omni linguâ disertius ad emolliendam cordis duritiem; solitudinem inviolatam, modestiam humana majorem, charitatem, quæ est vinculum perfectionis, erga Deum ferventissimam, erga proximum effusissimam; cujus probatio est illa exhibitio hospitalitatis, quâ omnes adventantes absque personarum acceptione tecto, mensaque amantissimè excipiunt.

Quod si locum horroris & vastæ solitudinis adire delicati pertimescunt, vadant ad cœnobia quæcumque, in quibus vigeat strictior disciplina, qualia sunt monasteria Patrum Benedictinorum Congregationis S. Mauri, Cisterciensium, vulgò *Abstinentium*, operâ clarissimi Abbatis *de Prieres* restaurata, inter quæ velut inter astra sol refulget Abbatia dicta de l'*Atrape*, circa fines diœcesis Carnotensis, in qua sub moderamine Abbatis *de Rancé*, Cistercienses non solùm regulam ad literam observant, sed ipsum modum vivendi D. Bernardi incredibili fervore æmulantur. Sed quid dicam de quatuor Mendicantibus, reformatis tamen, nimirum Capucinis & Recollectis, Augustinianis, Carmelitanis Excalceatis, & nostris Dominicanis, operâ R.P. Sebastiani Michaëlis sanctæ memoriæ instauratis. Quid de aliis religiosissimis Societatibus, & Congregationibus? quid de sacris Virginibus Sanctimonialibus, tam teneris simul, & tam austeris, quales sunt Carmelitanæ, Clarinæ, & Dominicanæ reformatæ? Certè nihil aliud occurrit quàm exclamatio illa Bernardi serm. 1. in Dedicatione: *Mirabilis planè Deus in Sanctis suis, non modò in cœlestibus, sed etiam in terrenis: utrobique Sanctos habet, & in utrisque mirabilis est; illos quidem beatificans, istos sanctificans. Quod majus miraculum, quando tot juvenes, tot adolescentes, tot nobiles, universi denique, quos hîc video, velut in carcere aperto tenentur sine vinculis, solo Dei timore confixi; quòd in tanta perseverant afflictione pœnitentia, ultra virtutem humanam, supra naturam, contra consuetudinem? Ipsi, credo, videtis quanta jam possemus invenire miracula, si perscrutari sigillatim liceret singulorum exitum de Ægypto, & deserti viam, id est abrenuntiationem sæculi, introitum monasterii, in monasterio conversationem.*

Dies me citiùs defecerit, quàm ea quæ etiam in hoc sæculo nequam in multis sanctissimis viris præclara extiterunt, vel minima saltem parte perstringam. In gratiam tamen & consolationem Catholici Lectoris nonnulla ex innumeris exempla proferam. Imprimis in statu Ecclesiastico quis Episcopo Massiliensi Ioanni Baptistæ Gault valeat anteferri, in quo multa adeò præclara, adeò singularia extitisse, Massilienses, qui viderunt, narrant. Sed Illustrissimi Alani de Soliniac, Cadurcensis Episcopi (à quo ipse sacro Confirmationis oleo puer inunctus sum) sanctimoniam quis vidit, & veritate coactus non dixit, in ipso primitivæ Ecclesiæ Antistitum vitæ rationem enituisse. Nam per viginti circiter annos Episcopatus orationi mentali quinque horas quotidie vacabat; à carnibus, piscibus, & ovis abstinuit, solis leguminibus, herbisque inconditis contentus, libertatis Ecclesiasticæ intrepidus propugnator, in Diœcesi peragranda continuus, pater pauperum, Canonicorum Regularium, vulgò *de la Chancelade*, restaurator, virtutum omnium compendium, & signorum (ut dicitur in ejus vita nuper scripta) patrator.

Mitto præclaras res gestas Patris de Gondran, secundi Præpositi Generalis Oratorii; aliorumque plurimorum, quos hæc Congregatio quotidie suppeditat pietatis viva simulachra. Mitto innumerabiles Patrum Missionariorum fructus, & bonos in Christo odores. Mitto Seminariorum Clericorum ordinatissimam disciplinam, eam præcipuè, quæ in Parisiensi S. Lazari, & S. Sulpitii servatur. Mitto mirabilem & planè Apostolicam Appamiensis diœcesis formam; ibi enim Sacerdotes ad sacrorum Canonum formam mores exigunt suos. Cujus rei ego ex visu testimonium præbeo.

Sed quid dicam de hujus disciplinæ instauratore Episcopo? plura scriberem testis oculatus, nisi scriptum esset, *Ne laudaveris hominem in vita sua: nec est secura laudatio, nisi post mortem.* Sed prætermittere non possum quod oculis omnium patet. Vidi in Appamiensi civitate Episcopum divitem sine avaritia, reditus omnes pauperibus erogantem, singulos infirmos visitantem, sine serico simpliciter vestitum, sine curru ambulantem, sine tapetibus, sine vasis argenteis, & fermè sine servis. Vidi Episcopum persæpè prædicantem, orationi mentali cum tota familia præfixis horis vacantem, nunquam sine sacra lectione comedentem. Vidi Episcopum gravi dolore perculsum, quòd tam necessaria Ecclesiasticæ disciplinæ præcepta passim conculcentur; optantem, ut instaurentur; curantem, ut vigentia sedulò teneantur, moderante tamen singulari prudentia; & pro reformanda Cathedrali sua Ecclesia (quæ Regularibus Canonicis constat) nulli labori, nullis vigiliis, nullis humanis respectibus parcentem. Vidi Episcopum omnibus præ humilitate inclinatum; de summo verò Pontifice tam reverenter sentientem, ut nullum agnoverim novitium Magistro suo obsequentiorem. Hæc & alia plura vidi, majora autem audivi, quæ condonans pudori viri humillimi, silentio prætereo: ei solam perseverantiam desidero. Multa similia dicuntur de aliis nonnullis Diœcesibus, sed ea solùm quæ vidimus, testati voluimus.

In statu verò Regulari, tam virorum, quàm mulierum, nulla est Religio reformata quæ plures non prodat. Et quidem omissis illis qui non ita pridem grassante lue ægris inservientes mortem obierunt; prætermissis etiam modernis Regularis observantiæ restitutoribus; unum tamen præterire non possum, Religioni quidem Dominicanæ gloriosum, sed compertum & manifestum: Reverendum P. Antonium Cuveum intelligo, qui paucis cum sociis totam Gallorum Provinciam illustrat, nec est qui se abscondat

à

à calore ejus. Videre est hominem Parisiis oriundum, subindéque fluxæ & delicatæ complexionis, oppida Provinciæ illi contermina pedibus peragrare, verbo Dei reficere, exemplis permovere, confessiones excipere, in Missionibus insistere, & post exantlatos Apostolicæ vitæ labores, sæpè pane & aqua cruda contentum, ad novos labores semper vegetum, semper alacrem, nunquam fessum; inter varias persequutiones (ut fert stylus divinus erga Sanctos) vultu semper hilarem, in oratione continuum, in austera vivendi ratione sibi ferè crudelem. Hoc testantur omnes quotquot viderunt, & probabile non est omnes falli. Huic solùm desiderandum videtur, ut in suis Conventibus communem Ordinis strictam observantiam custodiat, nec in mandatis Patrum nostrorum cupiat nimis: nam peccata fervoris etsi aliqui laudent, in hoc non laudo, licèt fatear esse venialia.

Denique in statu sæculari longum fuerit flores Christianorum & Orthodoxorum intra sæculi procellas degentium vel summa manu decerpere, unde eos dimitto: unicum ex innumeris seligo novissimum, & juxtà notissimum, Serenissimum Principem Contæum, moderorum Occitaniæ Proregem, quem universa Galliarum facies demirata est. Nam si nobilitas facit authoritatem, quid clarius Regiæ stirpis Principe? Si ingenii præstantia & scientiæ eruditio, quis hoc Principe doctior, vel in divinis, humanisque facultatibus exercitatior? Si pietas & morum integritas, contrahendæ sunt hic habenæ, nec texenda historia: interrogandi sunt omnes Occitani, & uno ore contestabuntur, suspexisse se Iudicem æquissimum, pauperum, & miserorum parentem, S. Ludovici æmulatorem. Sed & opera ab ipso typis mandata, alterum de officiis Magnatum, alterum contra comœdias, testimonium perhibent de ipso, suntque solidæ pietatis & reconditæ eruditionis monimenta immortalitate dignissima.

Ex his speciminibus liquere puto, meritò sanctitatem Ecclesiæ Romanæ asserendam esse. Innumera alia proferri possent omnibus patentia, absque eo quod intrinsecus latet: sed has paucas spicas ex ampla messe carpsisse sat sit, ne plus justo hujus dissertationis moles excrescat.

Sola Ecclesia Romana Catholica, sola Apostolica.

Ex tertia quoque nota sic discurro. Vera Ecclesia debet esse Catholica, seu universalis, à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffusa, juxta illud Psalm. 18. *In omnem terram exivit sonus eorum.* Neque enim ut in humanis Rebuspublicis (inquit Catechismus Romanus) aut hæreticorum conventibus, unius tantùm regni terminis, aut uno hominum genere Ecclesia diffinita est; verùm omnes homines, sive illi Barbari sint, sive Scythæ; sive servi, sive liberi, charitatis sinu complectitur. Unde scriptum est, *Redemisti nos Domine in sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione, & fecisti nos Deo nostro regnum.*

Atqui sola Ecclesia Romana verè Catholica est, & per totum terrarum orbem diffusa: nulla siquidem est natio tam barbara, nullos sinus tam latens, ad quem non pervenerit, & quidem prima. Qua in re notandum est, quod cùm aliqua provincia, vel natio infidelis Christo adsciscenda est, illi semper Catholici christianæ doctrinæ radios effundunt; soli Romani Pontifices de salute omnium soliciti, verique illius Vicarii, qui pro omnibus mortuus est, ad plantandam fidem, & excolenda novalia, viros Apostolicos ab initio Christiani orbis semper miserunt, & mittunt quotidie ad Indos, Eoos, atque Occiduos, Brasilios Æthiopes, Afros, Canadenses, Huronos, Iloquenses aliosque ab orbe nostro remotissimos; apud quos viri Catholici impigrè laborantes, nullos defugiunt labores, sanguinem etiam non raro profundunt: in quorum posteà messem falcem mittentes hæretici, tritico lolium & zizaniam intermiscent. Unde præclarè Tertul. lib. de præscript. *Negotium est hæreticis non Ethnicos convertendi, sed nostros evertendi: hanc magis gloriam captant, si stantibus ruinam, non si jacentibus elevationem operentur. Apostoli de mortuis vivos suscitabant; isti de vivis mortuos faciunt.*

Ergo sola Romana Ecclesia est vera; quia ut rectè ait August. lib. de unit. Eccles. cap. 3. *Singulæ hæreses in multis gentibus ubi Ecclesia Catholica est, non inveniuntur: hæc autem quæ ubique est, etiam ubi illæ sunt, invenitur.* Sola vera est, quia ea dogmata tradit quæ per Orthodoxos in omni loco & tempore constanter credidit, & docuit: nam ut benè ait Vincentius Lirinens. in commonit. *Ea Ecclesia Catholica est, ad quam non una natio, non unus angulus, sed magis multitudo convertitur. Id teneamus quod ubique, quod semper, quod uniformiter ab omnibus creditur: quidquid vero ab aliquo deinceps uno præter omnes, vel contra omnes novum & inauditum dici senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potius intelligat pertinere.*

Ex quarto demùm charactere sic argumentari licèt. Vera Ecclesia debet esse Apostolica, id est ab Apostolis derivata: qua de causa Apostoli à Paulo, & Ioanne *Fundamenta* dicta sunt, Ephes. 2. *Superædificati super fundamentum Apostolorum.* Et Apocal. 21. *Murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.* Quæ intelligenda sunt de fundamentis secundariis innixis primo fundamento Christo; nam ut dicitur 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus.* Hac de causa Veritas *Ioan.* 17. rogabat Patrem pro eis, qui per Apostolorum verbum erant in se credituri; apertè innuens, eos duntaxat ad veram Ecclesiam pertinere, quam constaret ab Apostolis propagatam.

Atqui sola Ecclesia Romana est verè Apostolica, seu ab Apostolis perenni successione, & nunquam interrupta temporum serie ad nos usque deducta. Nec ullos agnoscit Authores, satores, fundatores præter Apostolos. Habent Calvinistæ fidei suæ parentem Calvinum; agnoscunt Lutherani Lutherum; denique cuique hæresi proprius assignatur architectus. Nobis autem nullus præter Christum fidei author est. Certè cùm ipsi Sectarii ultrò fateantur Ecclesiam Romanam fuisse veram Christi sponsam, ab Apostolo etiam *Rom.* 1. ob integritatem fidei eximiè laudatam, à Patribus primorum sæculorum magnificè commendatam, veluti asylum fidei, portum salutis, errorum dignoscendorum lydium lapidem, judicandorum magistram; iterum atque iterum peto ab illis, quisnam sit primus ejusdem doctrinæ corruptor, vel adulterator? quonam sæculo, anno? quonam imperante, & regnante invecta corruptela? à quibus legitimis judicibus judicata, & damnata defectio, & proscriptus error irrepens? Denotent quæso quandonam fidem, quæ Paulo gratulante in universo mundo annunciabatur, Roma perdidit? quo tempore, quo Pontifice? qua arte, cujus industria? qua via? qua potentia? quibus initiis? quibus incrementis? quibus auxiliis urbem & orbem Religio illa pervasit, quæ ante Lutherum sola erat Christiana? quæ voces, quæ seditionum turbæ, quæ Orthodoxorum Episcoporum Concilia tantam doctrinæ mutationem damnavere?

Estne credibile orbem sub cœlo totum veluti profundo lethargo laborantem vel obbrutuisse, vel obmutuisse,

tuisse, dum caput orbis Roma nova dogmata cuderet, nova Sacramenta adinveniret. Turbarunt quidem jam pridem Ecclesiæ pacem hæresum furiæ diversæ: Arianorum v. g. venenum non portiunculam quandam, sed penè mundum totum contaminavit, adeò ut propè innumeris Episcopis partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam mentibus offunderetur. Tunc non solùm domus & urbes, sed etiam Provinciæ & nationes, universum denique Romanum Imperium emotum est; omnia susque deque mixta atque vexata, & privata & publica, & sacra & profana. Sed illis sese statim Catholici omnes opposuere, quos à defensione fidei majorum vis nulla depulit, non minæ, non blandimenta; non vita, non mors deterrere unquam potuerunt. Idem fidei zelus in aliis Sanctis efferbuit, dum sæva repentinæ hæreseos tempestas navim Petri perculit.

At verò contra Ecclesiæ Romanæ lapsum doctrinæ quis Sanctorum scripsit? quis historicus, vel Latinus, vel Græcus; vel citimus, vel remotus, Ecclesiæ illius apostasiam enarravit? Si jam Papa, vel Episcopus quidam novos ritus Apostolicæ traditioni adversos introducere satageret, v. g. circumcisionem, profectò id non fieret consentiente, vel dissimulante toto orbe; & multò minùs mos ille antichristianus per totum orbem sine alicujus advertentia propagaretur. Foret sine dubio, foret aliquis qui Deo excitante novitati opponeret vetustatem, & tantam præsumptionem scriptis mandaret. Nisi dicatur (quod impium est) Deum nolle illi Ecclesiæ providere, pro qua fudit sanguinem suum. Et tamen non verentur Sectarii prædicare Ecclesiam Romanam ante Lutheri adventum orbem corrupisse universum, cunctis oscitantibus & dormitantibus, imò consentientibus, & applaudentibus. Quis boni judicii compos credat? quis nisi mentis inops non detestetur?

Ergo vel nulla in orbe terrarum extat congregatio Christianorum, in qua incorrupta perseveret doctrina Apostolorum (quod effutire nequit nisi Iudæus, vel Atheus) vel ea sola est, quam Ecclesia Romana custodivit. Vnde Lutherus, Calvinus, aliique filii iniquitatis passim fatentur, doctrinam Ecclesiæ Romanæ, quam aggrediuntur, ex veterum Patrum fontibus derivati. Idque apertè Centuriatores Magdeburgenses confitentur, qui propterea singulis quibusque centuriis in Patribus quosdam nævos admittunt, quia omnium Ecclesiæ Romanæ articulis controversis suffragantur. Quasi verò carpendorum Patrum authoritas his credita sit præsumptoribus? Certè non minùs imprudenter se gesserunt, quàm se gereret reus, qui nullum innocentiæ suæ testem locupletem inveniens, laboraret tamen plurimùm in testibus accersendis, qui contra se dicerent, quibus nihil aliud responderet, nisi tantam nubem testium decipi, & errare.

Reflexio, & apostrophe ad Hæreticos.

Calvinistam alloquor, & Lutheranum compello, eis salutem optans, quibus *Ave* dicere vetor. Audi quisquis sis, & si præcedentibus rationibus non moveare, ad veræ Ecclesiæ sinum te invitet ipsum Catholicæ nomen. Tibi confidenter oppono quod ab Augustino veridicè prolatum est lib. contra epist. fund. cap. 4. *Tenet me in Ecclesia ipsum Catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses sic ista Ecclesia obtinuit, ut cùm omnes hæretici se Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel Basilicam suam, vel domum audeat ostendere.* Quàm ingens consolatio mihi est! ut sicut Christiani nomine à Paganis & Iudæis, sic Catholici cognomine à Sectariis quibuscumque discernat. *Ne æstues frater* (inquit appositè Pacianus epist. 1.) *Christiani mihi nomen est, Catholicus verò cognomen: illud me nuncupat, istud ostendit: hoc probor, inde significor.* Si prior tempore potior sit jure, meliorque sit conditio possidentis, ut jura inculcant; certè melior est Ecclesiæ meæ ab antiquo possidentis, quàm tuæ noviter supervenientis. Attende, quæso, has vividas Tertul. *lib. de præscript. cap. 37.* interrogationes. *Qui estis? quando & unde venistis? quid in meo agitis non mei? quo denique Marcion* (Luthere, Calvine) *jure sylvam meam cædis? qua licentia fontes meos transvertis? qua potestate limites meos commoves? Mea est possessio, quid hic cæteri ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum, sicut caverunt testamento suo, sicut fideicommiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certè exhæredaverunt semper, & abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos.*

SPECULATIO III.

Quintuplex insuper est evidentis credibilitatis Ecclesiæ Catholicæ & Romanæ ratio.

TRes priores affert Vincentius Lirinensis *in suo aureo commonitorio contra novitatem*, nimirum antiquitatem, universitatem, consensionem, quibus alias duas adjicio, firmitatem, & visibilitatem.

Antiquitas Ecclesiæ Romanæ.

Ea antiquitate sic argumentor. Germana puræ & orthodoxæ doctrinæ nota est antiquitas: dicitur enim Deuteron. 31. *Interroga patres tuos, & dicent tibi; seniores tuos, & annuntiabunt tibi.* Et Iob 4. *Interroga generationem pristinam, & diligenter investiga patrum memoriam.* Et 1. Timoth. 6. *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Quibus verbis omnium hæreseon sceleratæ novitates velut quodam spirituali gladio sæpè truncatæ, semper truncandæ sunt. Ea sic illustrat Vincentius Lirinensis laudatus, cap. 27. *O! exclamatio ista & præscientia est pariter & charitatis; prævidebat enim futuros, quos etiam prædolebat errores. Quid est depositum? Id quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non author debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens; quod tibi creditum est, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur. Aurum accepisti, aurum redde: nolo mihi pro aliis alia subjicias: nolo pro auro aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta supponas: nolo auri speciem, sed naturam planè: eadem quæ didicisti, ita doce, ut cùm dicas novè, non dicas nova.*

Custodi; propter fures, propter inimicos, ne dormientibus hominibus superseminent zizania super illud tritici bonum, semen quod seminaverat Filius hominis in agro suo. *Devitans*, quomodo, & quo studio? Devita quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum; ne te non solùm tactu, sed etiam visu, afflatuque percutiant. *Devitans*, id est, nec cibum sume, noli recipere in domum, nec ave dixeris ei, qui hanc doctrinam non affert, quæ una & eadem per singulas ætatum successiones incorruptâ veritatis traditione mansit, usque in sæcula sine fine mansura. *Profanas*, quid hoc est? quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, sed ad omnia scelera viam aperiunt. *Vocum*, id est non tantùm dogmatum, rerum, sententiarum

vetustati

vetustati contrariarum, sed à novarum vocum adioventionibus periculosis abhorre. *Novitates*, quia ut aiebat S. Xystus in epistola ad Episcopos Antioch. *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati. Perspicua majorum fides nulla cœni permixtione turbetur.* Cui consonat præclara illa Cœlestioi Papæ sententia ab eodem Vincentio memorata, *Desinat novitas incessere vetustatem.* Hanc venerandam antiquitatis canitiem Patres omnes venerati sunt,& vetustatis trutinâ omnes omninò controversias appenderunt. Nec eis unquam placuit aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacrata, sibique in Christo consentiens veterum tenuisset antiquitas.

Et ratio est, quia cùm omne mendacium sit corruptio veri, necessum est verum præcedere falsum: ac proinde, ut rectè arguit Tertul. contra Marcion. illud est verius, quod prius; illud verò falsum, quod posterius. Quæ ratio ut penetretur, & simul præoccupentur omnes hæreticorum instantiæ, sciendum est, nos non intendere solam antiquitatem esse signum veritatis; nam & Iudaïsmos antiquitate gloriatur,& Mahumetismus jam ad millesimum annum infeliciter inolescit. Sed contendimos vetustatem cum eorum doctrina copulatam, qui fuerunt veri ministri sermonis, esse germanam orthodoxæ doctrinæ notam, quæ veram Ecclesiam à falsa; sacram Religionem à sectis profanis discernat. Antiquitas autem Iudaïca, vel Turcica longè distat ab illa: nam antiquitas Iudæorum testimonium contra ipsos perhibet, cùm in eorum libris prænuntietur Messias venturus, quem recipere noluerunt. Turcarum verò vetustas tot impietatibus respersa, lumini etiam naturali injuria, non est continuata, sed evidenter dissentanea doctrinæ eorum qui fuerunt ministri sermonis, nempe Christi & Apostolorum ejus, ut ipsimet fatentur. Et idem dicendum est de Paganismo, licèt pervetusto; quia illum præcessit veritas, nimirum verus Dei cultus per Adamum & multos deinceps exhibitus, qui non simulachris, sed Deo vivo servierunt.

Atqui fides Romanæ Ecclesiæ hac sacræ antiquitatis tessera singulariter insignitur. Nam ei nihil magis cordi impressum & consignatum Patrum antiquorum inviolabili observantiâ est: omnes siquidem de fide quæstiones, & de moribus controversias ad veterum Patrum & Conciliorum amussim exigit, & ut præcipitur Hierem. 6. *Interrogat de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulat in ea.* Cujus ergo sacram antiquitatem sinceri amoris luculentum specimen tradit Tridentinum sess. 4. *Præterea ad coërcenda petulantia ingenia, decernit ut nemo sua prudentia innixus in rebus fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram doctrinam ad suos sensus detorquens, contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat.* Quod etiam Ecclesiæ Romanæ genium apparet in religioso cultu, quo Sanctos Patres semper prosequuta est: nam eorum testimoniis defert, pugnantes sententias conciliat, & ut ait Bernard. epist. 77. *non quærimus pugnas verborum; novitates quoque vocum juxta Apostolicam doctrinam evitamus; Patrum tantùm opponimus sententias, ac verba proferimus,& non nostra; nec enim sapientiores sumus quàm Patres nostri.*

Ergo Ecclesia Romana habet veram Ecclesiæ Catholicæ notam. Nam ut diait præfatus Lirinensis cap. 34. *Catholicorum hoc ferè proprium, deposita Sanctorum Patrum, & commissa servare; damnare profanas novitates: & sicut dixit, & iterum prædixit Apostolus, si quis annunciaverit præter quàm quod acceptum est, anathema sit.*

Universitas Ecclesiæ Romanæ,

Ex secundo charactere à Vincentio adducto sic proceditur. Veræ Ecclesiæ convenit amor universitatis non solùm temporis, quæ non differt ab antiquitate; sed etiam gentium & locorum, ut diximus suprà; explicantes notam Catholicitatis. Nec omninò actum agimus in præsenti; nam per universitatem intelligimus hic amorem ipsius universitatis. Suprà quidem ostendimus Ecclesiam esse Catholicam & universalem; hic intendimus eam semper universitatem amasse, semper amare. Quo amore arsisse semper veram Ecclesiam, patet ex eo quod non aliter schismata orta sunt, nisi cùm relicta universitate, in diversa factionum studia homines abrepti sunt. Hæretici verò ab illa universitate semper recedere student, singularitatum amantes. Unde sic eos loquentes inducit Lirinensis. *Audias quosdam dicere: Venite ô insipientes & miseri, qui Catholici vocitamini, & discite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, quæ multis antè sæculis latuit, nuper verò revelata & ostensa est: sed discite furtim, atque secretim; delectabit enim vos: & item cum didiceritis, latenter docete, ne mundus audiat, ne Ecclesia sciat; paucis namque concessum est tanti mysterii capere secretum.* Hoc modo Petrus Abailardus, teste Bernardo *epist.* 190. Ecclesiasticorum Doctorum unam omnium sententiam spernens gloriabatur se habere meliorem, non veritus contra præceptum Sapientis transgredi terminos antiquos, quos posuerunt Patres nostri. Hoc modo alii hæretici loquentes mendacium, de suo loquuti sunt, aquas furtivas & panes absconditos apponentes.

Atqui Ecclesia Romana universitatis amantissima est, ideò in gravioribus dissidiis tot & tanta, tamque numerosa Concilia œcumenica coëgit, in quibus nihil aliud unquam enixa est, nisi ut quod priùs à majoribus traditione susceperat, auditis totius orbis Patribus, consultisque omnium ætatum sacris Doctoribus, ritè & solenniter antiquorum dogmatum religionem confirmaret, & profanas cujusvis novitatis blasphemias via conceptas præfocaret. Omni industria adhibitis viris doctissimis studet, & studuit semper, ut si quæ sunt antiquitus inchoata & subobscura, accuret, poliat, illustret; si quæ jam expressa & enucleata, consolidet, firmet; si quæ jam confirmata & diffinita, inviolabiliter custodiat, idque posteris per chirographum consignet: & interdum propter intelligentiæ lucem, non novum fidei sensum, sed novæ appellationis proprietatem apponit, ut patet legenti acta Conciliorum. Ergo Ecclesia Romana veræ Ecclesiæ notâ insignitur.

Consensio Ecclesiæ Romanæ.

Ex tertia Vincentii nota sic formatur ratio. Legitima Ecclesiæ nota est conspirans Patrum consensio, de qua Apostolus 1. Corinth. 1. *Obsecro vos fratres, ut idipsum dicatis omnes,& non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu,& in eadem sententia.* Et id probat Gregorius Magnus *lib. 29. Moral. cap. 15.* quia *solius divinæ virtutis est, & disjunctis temporibus missos in fidei prædicatione conjungere, & dissimilibus virtutibus præditos fulgore intentionis unire.* Ad hanc amussim consensionis Patrum, qui suis quique temporibus in unitate communionis & fidei permanserunt, omnes in Ecclesia libratæ controversiæ, hæreses sopitæ, unitas custodita; cujus typus habetur in tunica Christi inconsutili, desuper contexta per totum. Hanc viam regiam qui non sequuntur, *segregant semetipsos*, ut dicitur *in Ca-*

nunc. Iuda, & *Hebr.* 10. vocantur *filii subtractionis*, quia se ab universitate fidelium subtrahunt. Unde assimilantur à Chrysostomo membris de corpore humano amputatis, & ab Augustino sarmentis de vite præcisis.

Atqui Ecclesia Romana hanc Patrum consensionem semper investigat, hujusque curæ exemplis plena sunt omnium sæculorum monumenta, quibus constat, non alio pacto insurgentes novitates compressisse, quàm collatis veterum concordantibus sententiis Patrum, pariter, unanimiter, & perseveranter contentientium, qui in communione Catholica vel mori in Christo fideliter, vel mori pro Christo feliciter meruerunt. Nam in omnibus sacris Synodis in medium proferunnur Sanctorum Patrum oracula, ut rtè & canonicè de fidei regulis pronuntietur. Ergo Ecclesia Romana est vera Christi fidelium congregatio.

Confirmatur & illustratur ex consensione innumerabilium præclarissimorum Doctorum acumine, exercitatione, doctrina, & pietate præstantissimorum, qui movente eo qui facit concordiam in sublimibus, omnes de Ecclesia Romana testimonium perhibent. In nonnullis scientiæ profunditas, & totius eruditionis omnigena supellex enituit, ut in Augustino, & discipulo ejus Aquinate. In aliis eloquentia fluit tam amœna, tam dulcis oratio, ut non tam verba quàm mella produxisse videantur, ut in Cypriano, Ambrosio, Chrysostomo, Bernardo, aliisque sexcentis liquet. In aliis acerrimus ingenii vigor, & fortissimi orationis nervi, ut in Hieronymo apparet, qui post adeptam disciplinarum, linguarumque omnium varietatem, tam gravi, vehementique stylo excelluit, ut nullos fidei hostes sibi expugnandos proposuerit, quos non aut acumine irruperit, aut pondere eliserit, scriptorumque suorum voluminibus veluti fulminibus everterit. In aliis virtutum omnium odor, & morum institutio fragrat, ut in Gregorio, aliisque innumeris, quibus Bibliothecæ refertæ sunt. Omnes verò piissimam & sanctissimam vitam duxerunt, fueruntque subinde capaciores cœlestium illustrationum, quas à Patre luminum continuis fusis precibus postulabant. Fuerunt etiam veritatis amantissimi, & salutis proximorum zelantissimi, ut ex rerum ab eis gestarum lectione compertum est.

Illi ergo omnes Doctores natione dissiti, ingenio impares, dignitate inæquales, in Ecclesiæ Romanæ fide asserenda, defendendaque conspirarunt, ad Summum Pontificem in dubiis confugerunt, ejus decisionibus acquieverunt, ab ejusdem communione sejungi formidaverunt, ut evidentissimis eorum testimoniis aliàs (dum de Romani Pontificis authoritate) comprobabimus, nec inficiantur Magdeburgenses suprà adducti, qui propterea nævos & festucas in singulis Patribus agnoscunt, & non vident trabes errorum suorum. Quid suavius adire potest Catholicus hac dulcisona Patrum harmonia Ecclesiæ Romanæ omnium ad unum laudes concinentium? Certè cùm juxta Aristotelem 1. *Rhetor.* tribus de causis homini fides adhibenda sit, si nimirum sapiens est, si virtute præditus, si nobis amicus; sapientem quippe non errare, bonum non mentiri, amicum non dissimulare existimamus; quis impotiæ nobis tot Doctorum, tantæque eorum sapientiæ, pietati, amori credere detrectabit.

Visibilitas & firmitas Ecclesiæ Romanæ.

Ex quarta nota sic conficitur argumentum. Vera Christi Ecclesia debet esse visibilis, id est ita ob oculos posita, ut evidenter dignosci & indigitari quovis tempore possit. Nam ut ait August. lib. de unit. Eccles. cap. 14. *Non est operta Ecclesia, quia non est sub modio, sed super candelabrum; & de illa dictum est: Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Et in Psal. 18. ponderans illud, *In sole posuit tabernaculum suum*, ait; *In manifestatione posuit Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat velut operta. Quid tu hæretice fugis in tenebras? quid latitare conaris?* Certè ad Ecclesiam aditus non pateret, nisi aspectabilis esset, nec discerni possent quinam veri forent pastores, quinam fures & latrones, non intrantes per ostium. Et quamvis interdum Ecclesia vel persequutionum fluctibus, vel hæreseon nebulis obscuretur, nunquam tamen ita operitur, quin semper emineat, ut meritò dixerit Augustinus in epist. Ioan. *Quid amplius dicturus sum, quam cæcos qui tam magnum montem non vident? qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt.* Demùm cùm Christus *Matth.* 18. contemnentes correptionem denuntiari Ecclesiæ præcipiat, & quod si Ecclesiam non audierint, reputari inter Ethnicos & Publicanos statuat, profectò de visibili Ecclesia loquutus est. Nam quomodo dici Ecclesiæ occultæ, vel dici Ecclesia invisibilis potest? Sanè nulla esset Respublica tam insipienter instituta, quàm Christiana, si tantis esset tenebris circumfusa, ut discerni non posset.

Atqui sola Ecclesia Romana sola fuit semper visibilis, ut fatentur ipsi Sectarii, qui idcircò volunt veritatem tot sæculis delitescentem à Luthero, & Calvino in lucem prolatam, quasi verò eos libranda veritas expectabat, quasi intereà perperam evangelizabatur, perperam credebatur, tot millia millium perperam tincta, tot opera fidei perperam administrata, tot virtutes, tot charismata perperam operata, tot Sacerdotes, tot ministeria perperam functa; ut in simili arguit Tertul. *lib. de prascript.* Quis hoc credat, nisi sponte desipiat. Ergo sola Romana Ecclesia est vera.

Ad visibilitatem etiam hujus Ecclesiæ pertinent miracula splendorem ejus significantia; sed de his *cap. præced.*

Denique ex ultima nota sic concludo. Vera Ecclesia tellura est immobilis & inconcussis firmitatis statūs. Nam Ecclesia Christi est supra petram fundata; adversus quam portæ inferi nunquam prævalituræ sunt, ut dicitur *Matth.* 16. Et hac de causa dixit Apostol. 1. Cor. 11. 19. *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant*: id est, ut tenax, fidelis, & fixa Christi fidelium appareat firmitudo: nam ut eleganter ait Lirinensis: *Reverà cùm quæque novitas ebullit, statim cernitur frumentorum gravitas, & levitas palearum: tunc sine magna molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur.* Et August. serm. 98. de temp. *Idcircò doctrinam Catholicam contradicentium obsidet impugnatio, ut fides nostra non otio torpescat, sed exercitationibus elimetur.*

Atqui Ecclesiæ Romanæ convenit firmitas immobilis. Videmus quidem plures florentissimos status, ac petantiquas familias temporum injuriâ corruisse eo lapsu graviore, quo altiùs tollebantur. At Ecclesia Romana Tyrannorum impetu à suis cuois exagitata, pravis hæreticorum insidiis circumsepta, intestinis falsorum fratrum & filiorum bellis scissa, nihilominus inter persequutionum, schismatum, seditionum, scelerumque procellas, & penè imminentes ruinas inconcussa permansit. Et quamvis variarum sectarum, quas erebus evomit, adversæ fuerint in ertando opinationes; in hoc tamen fœdus omnes unanimiter coivetunt, ut de Romana Ecclesia funditus eversa triumpharent. Sed summâ Dei providentiâ, quò vehementioribus infestationibus agitari visa est, eò vegetior extitit, & gloriosior. Similis grano frumenti, quod cadens in terram, mortuum multum fructum affert: similis agro, qui uberiorem fundit frugem, quo profundiori

fundiori aratro insulcatur; similis navi, quæ crescentibus aquis non demergitur, sed sublimiùs elata tutiùs procedit, syrtes, scopulosque vitat: similis viti quæ sua fit putatione fœcundior: nec aliud magis timere debet Ecclesia Romana, quo marcescat, quàm prosperam, sine turbatione fortunam. Ergo sola vera est, & extra illam perire omnes necesse est.

Reflexio, & apostrophe ad Hæreticos.

Iterum alloquor te Calvinista, vel Lutherane, non meis, sed Augustini fervidis sententiis, quibus Iulianum *lib*. 2. compellat. Vtinam tam acutas sagittas sentias, & veritati tandem consentias. Nonne oportet (ô qualiscumque sis Sectarie) ut sententias Episcoporum, Patrumque antiquitatem, universitatem, consensionem tuis profanis novitatibus populi Christiani anteponant, eisque potiùs eligant adhærere, quàm tibi? Agnosce consonas Catholicorum voces, & ab eis desine dissonare. Iamne discernis? jamne perspicis? jamne respicis? Noli nobis jam adversari: nam si adhuc facis, cui, vel quibus simul adverseris, advertas. Quantalibet feraris animi obstinatione, tanta per Beatos Patres circumvallaris rerum evidentia, tanta verborum eorum manifestatione contunderis, ut profectò si nullà te ratio, cogitatio, consideratio religionis, pietatis, humanitatis, atque in teipso advertendæ veritatis à pertinaci intentione revocaverit, ostendas quantùm in malis humanis valeat cò quemquam fuisse progressum, ubi manere non libeat, unde jam redire pudeat. Sed ô si pax Christi in tuo corde vincat, & bona pœnitentia de mala verecundia palmam ferat!

Nihil docet Ecclesia Romana quod in aliquo Patrum non agnoverint Magdeburgenses tui: cur ergo tanta in illam dicis? cur doctrinæ corruptæ nomen & crimen tanto buccarum strepitu ventilas? Siccine cum illis in Patribus nævos agnoscis, & tuorum tenebras non palpas? hæccine monstra cogitationum ascenderunt in cor tuum, & non elidunt frontem tuam? Ergóne licet decolorare lumina Ecclesiæ? Si tanti & tales viri ita docuerunt, quid in Ecclesiam Romanam impetis sic docentem? Ipsos aspice, ipsos etiam atque etiam deposito paulisper tumore cervicis intuere. Itáne tandem consolari te debes, Sectarie confidentissime, quia talibus displices? an lugere? Proponimus tibi molem authoritatis Sanctorum, qui non solùm sermone cùm hic viverent, verùm etiam scriptis quæ posteritati reliquerunt, fidem catholicam strenuè defenderunt, & argumenta tua confregerunt. Assertiones nostras omnes & singulas probamus Catholicorum authoritate Sanctorum, qui & hoc asserunt quod dicimus, & illa esse vera omnia confitentur, ut vestra fragilis & quasi argutula novitas sola authoritate conteratur. Et qui hæc dicunt? homines Dei, Catholici, & Catholicæ veritatis adversus hæreticos usque ad periculum sanguinis defensores acerrimi.

Ego Catholicus te (ô Sectarie) ubicumque sis, ubicumque legere ista poteris, ante istos judices constituo, ad istos provoco, quos non amicos meos, & inimicos tuos, aliqua in meam partem gratia propendentes, aliquo abs te metu tuæ offensionis aversos, in disceptationibus nostris constituo cognitores. Ad hos Iudices appello ab odio, amicitia, inimicitia, ira vacuos, & sanctos, & in sancta Ecclesia illustres Antistites Dei: non Platonicos, & Aristotelicos, & Zenonicos, aliosque hujuscemodi, vel Græcos, vel Latinos, quanquam ex istis aliquos eonim, verùm omnes sacris litteris eruditos. In eis time non ipsos, sed illum, qui sibi eos utilia vasa formavit: & sancta

Templa construxit; qui tunc de ista causâ judicaverunt, quando eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel adversari, vel favere potuisse: quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt. Nondum vobiscum apud istos judices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. In nostris controversiis habeo planè quid faciam, habeo quò confugiam, à Calvinianis enim tenebris ad tam clara Catholica lumina provoco. Tu verò Calviniane responde quid facias? dic quò confugias. Ego à Calvino ad istos. Tu ab istis, ad quos? Fateor non numerandas, sed ponderandas esse sententias; & ad aliquid inveniendum multitudinem nihil prodesse cæcorum. At istos cæcos dicere audebis? & usque adeò permiscuit imis summa longus dies, usque adeò tenebræ lux, & lux tenebræ esse dicuntur, ut videant Lutherus, Calvinus, an cæci sint Hieronymus, Ambrosius, aliique? Hæc omnia fermè ex Augustino mutuatus sum, & magis urgent Calvinianos, quàm Pelagianos.

CAPUT II.

Reprobatio falsarum Religionum, seu de manifesta incredibilitate aliarum sectarum.

EX præcedentis capitis doctrina aliarum quarumcunque sectarum improbabilitas plus satis videretur demonstrata, nisi unum fortè obesse posset, unimirum discrimen quod verum inter & verisimile intercedit: licèt enim quidquid opponitur vero falsum sit, cùm verum non sit vero contrarium, & duo contradictoria simul esse verâ repugnet; tamen duo opposita esse verisimilia, & suis rationibus, vel rationum fucis hinc inde apparentibus aliquam credibilitatis speciem obtendere nihil vetat. Ut ergo penitus exarmetur infidelitas, & præcludantur excusationes excusantium se in peccatis, ostendendum suscipio, quamcunque aliam sectam (sola excepta Catholico-Christiana) non solùm omnibus credibilitatis characteribus esse destitutam, sed evidentibus apertæ improbabilitatis argumentis esse convincendam. Sic ergo

SPECULATIO I.

Omnes sectæ Antichristianæ manifestissima habent incredibilitatis argumenta, ita ut sint inexcusabiles, qui eas profitentur.

PRobatur discurrendo per singulas. In primis Paganismus (qui jam exolevit, nec illius ullæ supersunt reliquiæ, nisi fortè in sylvis remotissimis) non solùm est manifestè improbabilis, sed etiam evidenter falsus. Polytheismus etiam repugnat rationi naturali, ut primo libro demonstravimus. Accedit Ethnicos multa à Deo auferre attributa: alii scientiam, alii inferiorum providentiam; quod cum ratione naturali pugnat. Denique solam rationem naturalem non esse sufficientem & infallibilem veritatis regulam, sed sæpissimè caligare, patet ex innumeris, atque inter sese discrepantibus erroribus, quibus Philosophorum placita respersa sunt; ex anilibus fabulis, quibus Poëtarum inventa foedescunt, & ex confusa in vera beatitudine definienda Philosophorum discordia. Sed in his non moror, cùm jam falsorum Deorum cultus tam impiis superstitionibus fartus virtute Crucifixi omninò extinctus sit.

O 2 Secundò

Secundò Iudæorum obfirmata pertinacia libro de Deo homine revincetur, ubi manifestissimis argumentis demonstrabimus, Iesum Christum verum esse Messiam, quem ipsi præstolantur? tamque opportunè in Christo impleta esse quæ de Messia vetus Pagina prædixit, ut nisi Iudæi essent Christianis infensissimi, ambigendi Ethnicis locus esset, num tam perspicuas prophetias Christiani ad suam fidem confirmandam commenti fuissent. Quo supposito sic interim arguo. Si Iesus noster non est verus Messias, è tribus unum nobis concedant Hebræi necesse est. Aut enim Deus nesciebat Iesum esse venturum, implendáque in eo omnia quæ de Messia scripta sunt, ignorabat; vel non poterat tot circumstantiarum in eum convenientium concursum impedire; vel sciens & potens noluit. Si nescivit, ignorantem Deum prædicant; si non potuit, infirmum; si noluit deceptorem: nam ille verè dicitur implanare, qui cognoscendi alicujus ea signa indicat, quæ possunt alteri convenire. Plura & pleniora operosiùs libro citato disputabimus.

Tertiò Mahumetismus cùm sit errorum omnium colluvies, nullo ferè labore impugnatur. Iudæorum circumcisionem retinent, & omnium errorum feces; deliriis fabulosis Alcoranum, id est præceptorum collectionem Mahumetus implevit, qui sicut flagitiorum patrator, ita spurcitiarum extitit prædicator, cui in promptu est à carnalibus hominibus obediri. Nec magnam orbis partem, quam tyrannide Turca occupat, rationibus, signis, virtutibus, sed lasciviis, vi, armisque subegit. Nulla in hac secta vitæ sanctimonia, nullus doctrinæ splendor effulgent; quin potiùs studia reputat exitialia, & suæ pravitatis conscia literarum exercitia prohibet, & sectatoribus vaferrimè mandat solis gladiis religionem suam tutari: quæ signa etiam latronibus & tyrannis non desunt.

Dices: Quomodo ergo tam funesta lues adeò longè, latéque grassata est? quomodo innumerabiles populi imperio Christi subducti tam nefariam & ineptè compactam sectam amplexari sunt?

Respondeo tantæ propagationis duas esse potissimùm causas. Prima, quia Mahumetes non solùm minis & armis multos coëgit, sed insuper legem brutalem promulgavit. Non ergo mirum si homines, qui proni sunt ad malum ab adolescentia sua, tali obtemperent Legislatori, Christúmque jubentem benefacere, mala pati, credere invisibilia, sperare futura, operari ardua, floccifacere præsentia, deserant. Secunda causa est malorum Christianorum inordinata licentia, quam mentis excæcatio, & fidei naufragium comitari solet. Fides enim quæ, teste Tertulliano, *peregrina est in terris*, eos facilè deserit, in quibus pietas non subsistit: unde veridicè dixit Augustinus lib. de vera Relig. cap. 8. *Non ex aliis hominibus fiunt hæretici* (& idem dic de renegatis Turcis) *quàm ex iis qui si in Ecclesia permansissent, propter vitæ turpitudinem nihilominus periissent.* Iusto ergo Dei judicio refrigescente charitate fides minuitur, & quia jam mundo ad exitum inclinante abundat iniquitas, in paucis vera fides invenitur, ut Veritas prædixerat Luc. 18. *Filius hominis veniens, putas fidem inveniet in terra?*

Quartò, neutralitas, seu indifferentia Religionum omninò explodenda est. Ad cujus evidentiam sciendum, nonnullos qui Politici nominantur, arbitrari quemlibet in sua posse secta salutem consequi, modò tamen secundùm conscientiæ dictamen vivat. Isti non novam sectam invehunt, sed omnibus data occasione permiscentur, illud in materia religionis usurpantes, quod in humana civilis vitæ ratione sapientes consulunt, *Cùm fueris Romæ, Romano vivito more: Cùm fueris alibi, vivito sicut ibi.* Alii huic neutralitati adhærent ex motivo libertinitatis; sicut enim Athei Deum, quem timent, nolunt: sic Neutrales fidei retinacula abrumpunt, ut nimirum faciliùs Ecclesiasticarum præceptionum jugum excutiant. Alii ex opinandi libidine, & insano cavillandi prurito fidem in Philosophiam convertunt: alii ex gyrovaga animi levitate & inconstantia: alii, nimirum qui inter hæreticos nati sunt, ex mentis dubietate, & perplexitate, quam sic perelegante describit Lirinensis. *Alii illicò prorsus avolant; alii verò tantummodò excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt, saucii, semineces, semivivi: quippe qui tantam veneni hauserint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur; nec mori cogat, nec vivere sinat.*

Cæterùm hæc vaga sentiendi licentia in Christiano est evidenter damnanda: Scriptura enim *ad Titum* 3. sic præcipit: *Hæreticum hominem post unam, aut alteram monitionem devita, quoniam est proprio judicio condemnatus.* Et inter manifesta opera carnis, quibus denegatur regnum cælorum, enumerantur *Galat.* 5. sectæ, & dissensiones. Idque significat illud Christi oraculum Luc. 2. *Qui non est mecum, contra me est; & qui non colligit mecum, dispergit.* Quantum verò SS. Patres effrænem illam politicorum per omnia decurrentium, & omni Proteo mutabiliorum levitatem reprobarint, patet ex strenua in hæreticis quibusque confutandis navata diligentia, & supervacaneum esset eorum testimonia recensere: sufficiat illud Athanasii in Symbolo fulmen, quo Marci Antonii de Dominis in suo de Republica Tenebrione hanc indifferentiam suadere satagentis impietas conteritur, *Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem, quam nisi integram, inviolatámque servaverit, absque dubio in æternum peribit.*

Absolutè etiam hæc neutralitas repugnat rationi naturali. Nam uni Deo vero, Deo pacis placere nequaquam possunt dissensiones, schismata, falsitates. Accedit quod in sola vera Religione præparantur & offeruntur media ad salutem adipiscendam necessaria, sine quibus legem naturalem servari, vel peccata commissa deleri, vel verum finem obtineri impossibile est.

Dices. Infideli videri potest sua secta probabilis, imò istud dogma potest alicui verisimile videri: *Quemquam ad salutem in sua religione, quam probabilem putet, posse pervenire.* Atqui licitum est sequi opinionem probabilem: ergo possunt Infideles suam sectam tenere, quæ proinde non est evidenter incredibilis; siquidem pro ea facilè possunt rationes probabiles excogitari. Ergo neutralitas, & indifferentia Religionum tuta est.

Respondeo hanc vagam de probabilitate doctrinam, tanquam profanam novitatem ab universo Gallicanæ Ecclesiæ Clero, & ab Alexandro septimo gladio Apostolico fuisse rescissam, tanquam cangrænam totius iniquitatis, dum nefariam apologiam Casuistarum, Amadæum Guimenium, variasque laxorum propositiones semel & iterum confixit. Et certè nulla periculosior assertio esse potest eâ, quæ postquam amorem divinum attentare, & è cordibus eradicare satagit, fidem extinguere conatur; & omnium Religionum horrendam permixtionem invehens, latissimum ad omnem impietatem aditum pandit. Si enim humanæ authoritatis, humanæque rationis regula Lesbia ad definiendas de salute controversias sufficiat: si tenuissima probabilitas in cōcursu probabilioris & tutioris salutem in tuto ponat, quis infidelium poterit propter hæresim accusari, cùm nullus sit (si aliqua saltem ingenii vi polleat) qui rationes alicujus probabilitatis nō inveniat. Cùm constet plures hæreses plus coloris in Scripturæ testimoniis (licèt falsò intellectis) habere,

quàm luxuriantes plurium Probabilistarum opiniones, quarum nullum apud Patres vestigium, nulla in Scripturis ombra invenitur.

Dicendum ergo, nullis probabilibus mendaciis posse vel veram religionem, vel legem divinam deleri; nec continuò eam opinionem esse securam, quia etiamsi probabilis apparet, cùm ideò erret, quia falsum probat, licèt ratiunculatum fucis de trimite veritatis exorbitantibus inducatur. Itaque Infideles videntes majorem credibilitatem fidei Catholicæ, dubitare debent de suæ sectæ falsitate; nam non dubitare ubi dubitandum est, impudentia summa, culpa inexcusabilis est. Dum ergo dubitare incipiunt, illud tenere debent, illud eligere, quod tutius, & certius æstimant. Ita expressè diffinivit Augustinus lib. 1. de Bapt. contr. Donatist. cap. 3. *Quidam Donatista ad Catholicam Ecclesiam redire meditatur: jam fatetur se certum esse, Baptismum in Ecclesia Catholica rectè suscipi; sed dubitat, an rectè apud Donatistas suscipiatur.* Cui dubitanti sic consulit Augustinus: *Si dubium haberet, non illic rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo quod certis incerta præponeret.* Et ex his obstruitur os omnium infidelium, præsertim hæreticorum, maximè verò Neutralistarum. Cùm enim ipsi fateantur in fide Ecclesiæ Catholicæ nos posse salvari, saltem eam probabilioribus credibilitatis argumentis stabilitam: Ecclesia verò Catholica protestetur extra finum suum salutem non inveniri, non possunt nisi per summam imprudentiam, & rationis naturalis injuriam Ecclesiæ Catholicæ fidem cæteris postponere.

Reflexio, & apostrophe ad Neutrales.

Plures non solùm inter Hæreticos, sed inter Catholicos spurios latère indifferentes, politicos, & neutrales, perditissima Christianorum vita satis demonstrat. Hi fortes ingenio se esse gloriantur, quia non pudescere didicerunt; & perstrictam frontis audaciam, robur animi dictitant. Ad vos ergo fiot hi sermones mei: quæ vestra mens, aut quæ vita vestra; qui tales estis, quorum vagatur animus errore, nec habet usquam quid sequatur? Causam advertè, radicem attingo, à jure discessistis; hinc vobis omnia incerta sunt. Data cupiditati est lex æquitatis: idcircò omnia nutantia, fluxa, mobilia asseritis; omnia entiaticæ rationis arbitrio permittitis, ut libertati faveatis. Sed *quæ pejor mors animæ quàm libertas erroris?* ait Augustinus *epist. 166.* Libertatem opinandi ambitis, quia impunè per fas & nefas vivendi licentiam concupiscitis. Omnem Religionem toleratis, ut laudetur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicatur. Errores palpatis, ut *peccata populi comedatis*, id est, ut exponit Hieronymus *Osea 4.* sceleribus delinquentium consentiatis. Ulcera errorum cum canibus Lazari lingitis, id est, ut explicat Gregorius *homil. 40. in Evangel.* mala quæ lex reprehendit, magno favore laudatis. Sed cur illud propheticum non timetis, *Dominus dissipat ossa eorum, qui hominibus placent.* Heu miseranda vestra conditio! quantis illa curarum æstibus, quantis turbinibus exagitatur! Nunc quà ventus impulerit (ut ait Lirinensis) incitato errore rapimini: nunc in vosmetipsos reversi tanquam contrarii fluctus relidimini: nunc temeraria præsumptione ea quæ incerta videntur, approbatis: irrationali metu etiam quæ certa sunt expavescitis, incerti quà abeatis, quà redeatis; quid appetatis, quid fugiatis; quid teneatis, quid dimittatis. Quæ quidem dubii, & malè penduli cordis afflictio, divinæ erga vos miserationis est medicina, si sapiatis. Idcircò enim extra tutissimum catholicæ fidei portum diversa cogitationum quatimini, verberamini, ac penè necamini procellis, ut excussa in altum elatæ mentis vela deponatis, quæ malè novitatum ventis expanditis, vosque intra fidissimam stationem placidæ matris reducatis, atque amaros illos, turbulentosque errorum fluctus revomatis, ut possitis deinceps vivæ & salientis aquæ fluenta potare. De vestris dubiis incipite dubitare, divinum auxilium implorate, & quà potestis diligentiâ veritatem detegere studete. Quod ad veritatem magis accedit eligite, nec lumen ac judicium conscientiæ vestræ extinguite. Ecclesiæ Catholicæ veritatem auscultate; aliàs Spiritus sancti potentatum anathema formidate: *Væ duplici corde, & ingredienti terram duabus viis,* Eccl. 2. 14.

SPECULATIO II.

Lutherana, & Calviniana secta manifestissimè habent incredibilitatis argumenta, ita ut cum aperto salutis periculo in illis quisque degat.

Ut efficaciter demonstretur hæc veritas, supponendum est Lutherum & Calvinum harum sectarum signiferos non esse missos ad instaurandam Ecclesiæ Romanæ, in qua nati erant, doctrinam modo ordinario, id est vel per successionem in locum & sedem Apostolorum, vel legatione acceptâ à Romano Pontifice Principis Apostolorum successore. Hoc, inquam, ut constans supponendum est, nec negatur ab adversariis, utpote evidens: præfati enim harum sectarum antesignani cùm sint transfugæ, & Ecclesiæ Romanæ hostes capitales, proculdubio ab ea missi non sunt: imò non alia ratione voluerunt esse segreges, nisi ut distinctam Ecclesiam conderent: ergo ab Ecclesia quam deseruerunt, missionem non obtinuerunt, sed fulmina & anathemata singulis annis in Bulla Cœnæ Domini renovata. Igitur superest ut dicant, se modo extraordinario missos ad eam Ecclesiæ fidem reformandam, quam dicebant totam esse corruptam. Hoc supposito,

Prima demonstratio sic formatur. Ego qui Dei gratiâ Catholicam Religionem profiteor, quæ sola erat in possessione Christianismi usque ad istos novos Reformatores, ut credam ipsos extraordinariè missos, tantis debeo duci motivis, quanta sufficiant ut prudenter hanc insolitam missionem confitear. Neque enim Deus, qui est ipsa sapientia, vult aut velle potest, ut iis ductoribus fidem adhibeam, quibus fidem adhibens, contra prudentiam agam: fides enim Christi etsi sit supra rationem, non est tamen contra rationem, vel prudentiam, sed petit *rationabile obsequium*, & testimonia proponit, quæ *credibilia facta sunt nimis.* Certè evidens est, quòd si prudenter non possum præbere autem & assensum novæ doctrinæ, prudenter permanere possum in mea antiqua, ac proinde inculpabiliter in ea vivam & moriar, cùm præcipiat Spiritus sanctus, Proverb. 4. *Posside sapientiam, posside prudentiam, ne dimittas eam, & custodiet te: dilige eam, & conservabit te principium sapientiæ: posside sapientiam, & in omni possessione tua acquire prudentiam: arripe illam, & exaltabit te.*

Atqui spectatis rerum circumstantiis, ego non possum meos Ministros, & Pastores ordinarios Ecclesiæ Catholicæ relinquere, nec istos Novatores audire, nisi per summam imprudentiam. Ut enim eis prudenter crederem, & Episcoporum meorum doctrinæ renunciarem, deberent eæ in illis coruscare virtutes quæ in Apostolis, & Apostolicis viris refulgebant, ob quas Iudæi relictis suis cæremoniis prudentissimè Apostolis obtem-

obtemperanint; si enim nihil insolitum videam, ultimæ amentiæ erit istis novellis nuntiis fidem dare. Manifestum est autem nihil tale in illis apparere, vel apparuisse unquam ab initio schismatis eorum, quo aliqua eis conciliétur authoritas.

Si enim conferam vel naturales, vel supernaturales causas, quarum pondere prudenter impellitur animus ad assentiendum alterutri parti; adverto neque in naturalibus ornamentis, quæ sunt ingenium, studium, boni mores; neque in supernaturalibus, quæ sunt miracula, Catholicos Sectariis istis nihilo esse inferiores, sed in immensum superiores. Quis enim dubitat, quin sola Schola Sorbonæ doctrinæ copia Calvinistis omnibus antecellat? vel quin unicum Monasterium strictioris observantiæ toto Calvinismo, & Lutheranismo pietate, pœnitentia, consiliorum Evangelicorum praxi præstet? Quoad signa verò supernaturalia (quibus quidem non indigerent Catholici, utpote existentes in possessione antiquitatis; sed quibus omninò indigent Novatores, sicut egebant Apostoli novæ doctrinæ prædicatores) planè constat à Sectariis hactenus desiderari; cùm tamen apud Catholicos nullo non fermè anno mirabiles eventus per gratiam Christi, interventu Sanctorum, præsertim verò sacræ Deiparæ intercessione multis in locis contingant, ut suprà diximus. Ea verò arti magicæ asserere, est Judaicam perfidiam imitari, miracula Christi dæmoniorum principi attribuentem; cùm nulla sit Ecclesia magiæ infensior, quàm Catholica, & Romana, quæ magos æquè ac hæreticos (ubi sacrum viget Inquisitionis officium) insequitur.

Ergo Lutherus, Calvinus, ejusque sectatores non sunt à Deo extraordinariè missi, sed potiùs ab erebo suscitati, & à principe tenebrarum excitati, ut novas hæreses per orbem Christianum disseminarent. Siquidem Deus nullis prodigiis missionem eorum contestatus est, nec in illis quidquam visum est, quod Ecclesiæ nostræ Catholicæ antiquitati, universitati, consensioni præponderaret. Sed quid quærimus signa, & miracula expectamus à viris, quos sola ambitio, libido, & crapula fecit apostatas? Non alia Apostolatus sui signa exhibuerunt Calvinistæ nostri dum Gallias susque deque verterunt, nisi illa quibus Alcoranum promulgavit Mahumetes, nimirum occisorum hominum stragem, sanguinis inondantis effusionem, Templorum profanationem, Ædium dirutionem, sacrarum Reliquiarum combustionem, mactationem Sacerdotum, constuprationem Virginum, Monasteriorum prædam, abominationem desolationis in locis sanctis.

Prudenterne credam novis præconibus sicariorum more dogmatizantibus? Prudenterne credam Ecclesiæ & Regni hostibus iratis? Prudenterne assentiar sectæ natæ ut furia armis stipata, crescenti inter sacrilegia, armanti cives in patriam, subditos in Principem, filios in parentes, Christianos in Ecclesiam Christi? Prudenterne obsequar tanquam Apostolis nostris apostatis, Doctoribus à se natis, à se missis, prædicantibus doctrinam à sexdecim sæculis inauditam, & toti mundo ignotam ab illo tempore quo salus est orta? Prudenterne morem geram legatis in Scriptura non prænuntiatis, in Evangelio non memoratis (nisi dum dicitur attendendum esse à falsis prophetis) Ecclesiam imaginariam fingentibus, & fabricantibus sine fundamento? Prudenterne credam Apostolis sine missione, Prophetis sine miraculis, erigentibus templa sine altaribus, Religionem sine sacrificio, fidem sine operibus?

Secunda demonstratio, quæ præcedens non parum illustratur, desumitur ex Augustino *libro contra epistolam fundamenti*, mutatis tantisper verbis, ut ejus energia ad formam istam reducatur. Supponamus me jam primò videre Lutheranos & Calvinistas, & velle me instrui de eorum doctrina; tunc ipsos sic alloquar: Spondeo me Calvinismo nomen daturum, si mihi de rebus ad salutem animæ pertinentibus sine ulla caligine rationem perspicuam dederitis. Istum puto esse quod postulo. Nam cùm multa sint quæ in Ecclesiæ Catholicæ gremio me justissimè teneant; teneat consensio populorum, atque gentium; teneat authoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; teneat ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum Clementis noni septemdecim sæculorum successio Sacerdotum; teneat Catholicæ nomen, quod non sine Dei providentia inter tam multas hæreses sola ista Ecclesia obtinuit: cùm ergo in Ecclesia Catholica Romana tanta me vincula (aliqua sunt in superioribus recensita) teneant, quorum apud vos nullum video, justum est ut monstretis apud vos esse veritatem, cujus solius pollicitationem personatis, ut in dubium venire non possit, præponendam esse omnibus illis nexibus, quibus in Catholica teneor & astringor. Quod si tantum promittitis, & non exhibetis, profectò nemo me movebit ab ea fide quam profiteor.

Videamus igitur quid nos docere cupiatis, Luthere, Calvine, & partiarii. Dicitis, *vos esse ministros extraordinariè missos ad reformandam Ecclesiæ doctrinam collapsam*. Satis est. Cum bona patientia attendite, ne citò prætereamus. Non credo vos esse ministros extraordinarios. Quæso ne succenseatis; nostis enim me statuisse, nihil à vobis prolatum temerè me crediturum; neque enim volo cogi ut credam, sed scientiam convincentis veritatis à vobis peto.

Fortè diceris, in Evangelio vestram missionem contineri. Benè est. Sed nescitis, quod Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas. Et hæc Ecclesiæ authoritas, propter quam Evangelio credo, prohibet mihi credere Luthero & Calvino. Itaque si dicitis ut credam Catholicis, ipsi me monent, ut nullam fidem vobis accommodem: si dicitis ut Catholicis non credam, jam Evangelio non credam, cui non credidi nisi ob Catholicæ Ecclesiæ prædicationem. Si autem dicitis: Rectè credis Catholicis laudantibus Evangelium, sed non rectè illis credidisti vituperantibus Lutherum, & Calvinum; usquequò adeò me stultum putatis, ut nulla habita ratione, quod vultis, credam; quod non vultis, non credam? Si ad Evangelium vos tenetis, ego ad Ecclesiam Catholicam me tenebo, qua præcipiente Evangelio credidi, & qua jubente vobis non credo.

Sed fortè dicetis, in Evangelio aliquid apertissimum de vestra missione extraordinaria inveniri. Tunc quidem si ita est, Ecclesiæ Catholicæ authoritatem infirmabitis, sed ea infirmata dubitare incipiam de Evangelio: unde nec vobis, nec Ecclesiæ credam. Ecclesiæ, quia de vobis mihi mentita est; vobis autem, quia Evangelium illud mihi profertis, cui per Ecclesiam credideram, quæ mihi mentita est.

Sed absit ut Evangelio non credam: sed illi credens non invenio quomodo vobis credam. Legite mihi, si potestis, in Evangelio, ubi Lutherus & Calvinus nuntii extraordinarii designantur: si hoc mihi sine ambiguitate ostendatis, tanta mercede cognitionis evidentissimæ atque certissimæ ea Catholico Lutheranum, vel Calvinistam fieri non pudebit. Sed hoc vobis impossibile est. Imò si in Evangelio haberemus quosdam reformatores Ecclesiam lapsam restauraturos venturos (cujus tamen oppositum Veritas promisit, dum adversùs Ecclesiam supra Petrum fundatam

fundatam nullas unquam inferi portas prævalituras testata est) facilius tamen alios expectarem venturos quàm per vos venisse concederem. Nam nihil neque in vita, neque in doctrina, neque in signis ostenditis, quo perspicuè Catholicam defecisse monstretis. Certè incognita credere, temerè credere, nova credere non possum, nisi vestræ novellæ missionis veritatem clarè in Evangelio ostenderetis, quia omnia solâ Scripturâ definienda jactatis.

Nunquid æquiùs aut benevolentiùs vobiscum (ô Lutherani, vel Calviniani) agi potest ? quàm dum petitur, ut Evangelio probetis Catholicam fidem quam profiteor, per vos esse restituendam. Nolo vos docere, quod superbum fortasse crederetis. Nolo disputare, quia scriptum est : *Servum Dei non oportet litigare, sed mitem esse ad omnes.* Nolo in vos sævire, quia scio cum quo labore verum invenitur, quàm difficilè caveantur errores, quàm rarum & arduum sit haustas cum lacte hæreses sanato mentis oculo superare ; sed ut facilius mitescatis, & non ut inimico, vobisque perniciofo mihi adversemini, à proposito meo non discedo, à vobis discere studeo : Ecclesiæ Catholicæ defectionem, & vestram reformationem in Evangelio monstrate, & vobis pateбо. Sed non sum avarus, duo sunt quæ peto, unum horum ostendite, & contentus ero.

Reflexio, & apostrophe ad Sectarios.

Cùm igitur (ô Lutherani, & Calviniani) novi vestri Apostolatus missionem monstrare non possitis, placet iterum vos his amabilissimis Augustini cohortationibus invitare, *epistola* 171. vobis (ô Sectarii) Catholica Ecclesia dicit : Filii hominum usquequò graves corde ? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium ? ut quid vos à totius orbis unitate nefario schismatis sacrilegio divisistis ? Attenditis falsa quæ vobis dicuntur ab hominibus, aut mentientibus, aut errantibus de traditione codicum divinorum, ut in hæretica separatione moramini ; & non attenditis, quod vobis ipsi codices dicunt, ut in Catholica pace vivatis. Quare aperitis aures ad sermonem hominum dicentium, quod nunquam probare potuerunt ; & surdi estis adversùs sermonem Dei dicentis : *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Erigite oculos cordis, & considerate totum orbem terrarum, quomodo in semine Abrahæ benedicuntur omnes gentes. Tunc ab uno credebatur quod nondum videbatur : jam vos videtis, & adhuc invidetis. Passio Domini pretium est orbis terrarum : ille totum orbem redemit, & vos cum toto orbe ad lucrum vestrum non concordatis, sed potiùs ad damnum vestrum in parte litigatis, ut totum perdatis. Quare divisores vestimentorum Domini esse vultis ? & tunicam illam charitatis desuper textam, quam nec persequutores ejus diviserunt, tenere cum toto orbe non vultis. Fingitis vos ante tempus messis fugere permixta zizania, quia vos estis sola zizania: nam si frumenta essetis, permixta zizania toleraretis, & à segete Christi non vos divideretis. Evigilate ad salutem, amate pacem, redite ad unitatem. His paternis Augustini monitis si non creditis, non video quid possim vobis dicere. Aperite tandem oculos Sectarii : schismata vestra falsis non oblinite coloribus, & si Hæresiarcharum vestrorum aberrationes lentiùs tulistis, hujus certè tam diuturna sceleratι schismatis ab illis vos avertat impietas. Hoc vobis omnibus, hoc singulis opto. Agnoscatis, precor, intus lucente veritate, quàm fallaci fulgore in hæc præcipitia delapsi estis : si fecus, ad summum pervenit miseria vestra.

Speculatio III.

Aliis insuper demonstrationibus convincitur novorum sectariorum manifesta apostasia : & satisfit argumentis eorum.

PRæter dicta rursum demonstratur quàm in manifesto periculo versentur moderni Sectarii. Vel nulli unquam fuerunt in mundo hæretici, vel Lutherani & Calvinistæ inter Hæreticos annumerandi sunt. Atqui hæreticis credere non possum, nec debeo. Ergo nec Lutheranis, nec Calvinistis. Probatur major. Hæretici quicumque olim extiterunt, ideò hæretici esse dicuntur, quia ab Ecclesia quæ ante eorum ortum legitima habebatur, & à cæteris omnibus præter ipsos talis reputabatur, damnati ; tamen post solemne ejusdem Ecclesiæ judicium in aliquo Concilio œcumenico pronuntiatum, adhuc in sua falsa opinatione supra adamantem duri & pertinaces permanentes, ad Scripturas provocabant, ad quarum normam Conciliorum decreta propriâ authoritate exigere præsumebant: hac sola nota discreti hactenus fuur hæretici à Catholicis. Atqui similiter hodierni Sectarii statim atque recesserunt ab Ecclesia, quæ ante ipsos pro legitima habebatur, damnati sunt à Concilio Tridentino à Summo Ecclesiæ Capite coacto, cujus decretis repugnant Sectarii, volentes ea proprio spiritu librare ad normam Scripturarum. Ergo eodem planè modo sunt hæretici Lutherani & Calviniani, quo omnes alii, quotquot hæretici dicti sunt ; vel nulli hactenus fuerunt, vel nulli in posterum dignosci poterunt.

Illustratur hæc demonstratio. Christus Dominus prædixit futuros aliquos hæreticos, Matth. 24. *Surgent pseudoprophetæ.* Et clariùs Apostolus 1. Cor. 11. *Oportet hæreses esse.* Et Timoth. 4. *In novissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris.* Hæretici autem dicuntur illi qui opinione quidem sua credunt doctrinam se Apostolicam sequi, damnantur tamen ab Ecclesia illa quæ ante ipsos Christi Ecclesia dicebatur, & ab omnibus præter ipsos, talis affirmabatur. Si enim tale judicium non sufficit ad eos hæreticos declarandos, requireretur etiam ipsorum hæreticorum judicium, quo semetipsos damnarent : quam sententiam de se non ferent, aliàs hæretici esse desinerent, subindeque nulli essent unquam futuri hæretici, contra Christi, Apostolique prophetiam. Igitur ut aliqui sint, & dicantur hæretici, sufficit judicium cœtûs reliquorum fidelium, qui ante ortam controversiam pro vera Christi Ecclesia agnoscebatur ; non enim alia ratione Manichæi, Arriani, Pelagiani hæretici declarati sunt.

Atqui Lutherani, & Calviniani, & cæteri moderni Sectarii damnati sunt, & hæretici judicati sententiâ illius cœtus fidelium, qui toto orbe ante Lutherum pro Ecclesia Christi habebatur, ut ipsi non negant. Ergo Lutherani & Calvinistæ sunt evidenter ex numero hæreticorum, quos Christus prædixit esse futuros. Si hæc ratio non sit demonstratio theologica, nulla afferri unquam potest. Vnde olim religiosissimus Imperator Marcianus severissimè sanciυit *Ne quis in Synodo semel judicata, & rectè disposita disputando revolvat, tumultus aut perfidiæ occasionem inde quærens. Esset jam profana contentio : nam verè impius & sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam opinioni suæ aliquid tractandum relinquit : extremæ quippe dementiæ est in medio, & perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulteriùs discutit, mendacium quærit.* Audiat Kemnitius, qui examen Concilii Tridentini contexuit. Audiat Calvinus, qui antidotum Tridentino dum parare voluit,

venenum sibi, discipulisque propinavit. Nihil siquidem effutient, quod non antiqui hæretici contra veteta Concilia dictitarint. Sed audiant, quæso Calvinistæ, & tandem aliquando abjiciant opera tenebrarum, induantque arma lucis.

Instauratur hæc demonstratio ad hominem, ut loqu untur. Orta fuit gravis controversia in partibus Batavorum de quibusdam Prædestinatianis & gratiæ divinæ articulis inter Arminianos & Gommaristas prætensæ Religionis Reformatæ sectatores. Post varias controversias coacta fuit Synodus nationalis Dordrechti, anno 1618. in quam convenerunt non solùm Batavi, sed etiam Angli, Helvetii, Palatini, Genevenses, Bremenses, & alii hujusmodi sectarum Ministri, vel Doctores. Post longum disputationum tractum, tandem Arminiani ministri damnati, & exauthorati sunt: declaravitque Synodus, Iacobum Arminium, ejusque sequaces dictos *Remonstrantes*, erroneam, schismaticam, hæreticam doctrinam prædicasse, ejusqoe authores esse contumaces diffinierunt, ut patet ex actis illius conciliabuli.

Statim reclamarunt Remonstrantes, seu Arminiani, quorum dux verbi erat quidam Episcopius nomine, qui sese tali Synodo opposuit, variasque rationes, gravamina, & exceptiones objecit, quorum summa est: Quia Synodus erat pars adversa, & schismate à se divisa, sobindéque suspecta, & præjudiciis occupata. Talem protestationem ut frivolam & inanem reprobavit Synodus: tum quia (inquiunt Ministri Flandrenses) Iudices illius erant possessores antiquæ doctrinæ; in Conciliis verò primorum sæculorum antiquæ sententiæ tenaces fuerunt Iudices novatorum. Tum quia si soli neutri, & à studio partium alieni deberent esse Iudices, quærendi essent extra Ecclesiam, cùm intra Ecclesiam unusquisque doctiorum alterutri parti studeat. Tum quia iniquum esset pastores veteris doctrinæ præscriptionem retinentes suis juribus & officiis spoliari. Tum quia soprema judicandarum controversiarum authoritas Synodis à Deo collata est, quæ subinde ab hominibus auferri nec debet, nec potest. Has rationes confirmarunt Palatini praxi veteris Testamenti remittentis controversias ad Summum Sacerdotem; & primitivæ Ecclesiæ, in qua Alexander Patriarcha, qui Arium in sua civitate blasphemantem coercebat, in Concilio tamen Nicæno inter Iudices Arianismi sedit. Hæc omnia roborarunt Theologi Genevenses, quia in omni corpore, tam Politico, quàm Ecclesiastico necessariò litium decidendarum potestas concedenda est non dissimilis facultati animalis, quæ sicut expellit superflua & nociva, sic retinet salubria, & in singulas corporis partes diffundit, ne arescant: cujus influxus si impediatur, temperamentum turbari, ordinem, motum, & vitam corporis deficere necesse est. Hæc & alia multa utserunt, nec omiserunt illud Salvatoris: *Dic Ecclesiæ: quod si Ecclesiam non audieris, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Quibus, aliisque auditis Synodus statuit protestationem Remonstrantium, eorumque suffugia esse nulla, iniqua, & inania.

Magna vis veritatis, quæ ab ipsis etiam inimicis veritatis probatur? Non est opus aliis armis quàm gladio Goliath, ut Philisthæi caput truncetur. His rationibus, quibus Dordrechtana pseudosynodus Arminianos rejecit, seipsam jugulavit. Nam hæc Synodus admittit in Ecclesia Iudicem controversiarum præter Sacram Scripturam, nempe Synodum legitimè congregatam, cujus est judicare de sensu Scripturæ, quam ad se detorquent hæretici, juxta illud August. lib. de unit. Eccles. cap 15. *Nonne ipsa est hæreticorum cavenda calliditas, volentium convertere verba Dei à veritate propter quam dicta sunt, ad perversitatem in qua ipsi sunt.* Admittit antiquos Pastores non excidere jure in Novatores dum contentiones & dissensiones oriuntur, ob illarum rationum apparatum, quas è Catholicis contra ipsos agentibus furati sunt. Ergo ore suo se judicant servi nequam. Ergo eorum damnandorum legitimam authoritatem habuit Concilium Tridentinum iis Iudicibus constans, qui possessionem Ecclesiasticæ traditionis retinentes, contra novitates insurrexerunt. Nihil dicere possunt, nil planè contra Concilium Tridentinum, quod Synodo Dordrechtanæ opponere non possint Remonstrantes. Hæc ratio apud cordatos evidentior est omni demonstratione mathematica. *Et post hæc* (ut verbis Lirinensis utar) *inveniuntur tantâ inveterata frontis duritiâ, tantâ impudentiæ incude, tum adamantina pertinacia, qui tantis eloquiorum cælestium molibus non succumbant? tantis ponderibus non fatiscant? tantis malleis non conquassentur? tantis postremò* (Tridentini) *fulminibus non conterantur?*

Mitto plures alias demonstrationes, tum negativas, petitas ex carentia omnium & singularum veræ Ecclesiæ notarum, quarum nulla istis novis factionibus convenit, ut consideranti patebit: tum positivas, petitas ex authoritate Summi Pontificis, qua omnes hæreses interimi rectè dixit Cyprianus lib. de unit. Eccles. *Tractatu longo*, inquit, *atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non vincent eam.* Et Hieron. epist. 57. ad Damasum Papam: *Beatitudini tuæ, id est Cathedræ Petri, communione consocior; super illam petram ædificatam Ecclesiam scio: quicumque extra hanc domum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Et epist. 58. *In tres partes scissa Ecclesia, ad se rapere me festinat. Ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Tum ex authoritate Ecclesiæ, cujus est de vero Scripturarum sensu judicare, nec ejus intelligentia omnibus datur, cùm scriptum sit 1. Ioan. 4. *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint; quoniam multi Pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Et si cuique permittatur licentia interpretandi verum sensum verbi Dei, tot erunt sectæ, quot capita. Accedit quod ipsa Scriptura, quam solum judicem Scripturarum agnoscunt nostri Puritani, docet Ecclesiam errare non posse, & ad ipsam spectare confirmare nos in fide, & controversias sedare, cùm sit columna & firmamentum veritatis, adversus quam portæ inferi non prævalebunt; & cui adesse usque ad consummationem sæculi Veritas promisit. Tum ex sacrarum & Apostolicarum traditionum necessitate, quam Scriptura ipsa, & Patres consecrarunt, & retinendas statuerunt. Sed has rationes, dum de locorum Theologicorum energia, fusiùs prosequemur. Item solvendo eorum objectiones, plures rationes Theologicas attingemus.

Mitto etiam rationes naturales, quibus sectæ hæreticorum confunduntur: tam latè enim funduntur sceleratæ novitatis rami, ut in ipsius naturalis rationis exitium apertè grassentur. Quot modis rationem naturalem supposita veritate Evangelii labefactent, paucis attingo potiùs quàm prosequor.

Primò. Tanta sectarum luxuriantium diversitas, tam horrenda permixtio Religionum à tempore Lutheri exorta, quotidie nascentia monstra ex hoc unico fonte profluunt, unicuique permissam esse Scripturarum interpretationem. Ergo nihil pestilentius sectis illis tam pernicioso fundamento nixis. Quo admisso, nondum illis, quæ jam prodierunt, opinionum tam diversarum portentis orbis defunctus putandus est: imminent alia longè majora, nec hic consistet tam diabolica

lica pernicies, ob incredibilem novitatum amorem, quo laborat genus humanum.

Secundò. Quis credat Deum durius se erga Ecclesiam gessisse, quàm erga Synagogam, quam non repudiavit donec implerentur omnia in prædicatione Evangelii, Deo contestante signis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus: & tamen repudiasset Ecclesiam suam tempore Lutheri, contra promissionem expressam de dotatione ejus usque ad consummationem sæculi. Deus bone & juste! quis ita credat de te, & credat propter nudum testimonium Lutheranorum, cui tamen tanta multitudo hominum cæcis oculis obedivit.

Tertiò. Deus unitatis & pacis non potest esse author confusionis & contrarietatis in fide. Ergo ad ejus providentiam pertinet constituisse Iudicem intellectus Scripturarum, quæ patent tot corruptionibus hominum instabilium, *qui Scripturas depravant ad suam ipsorum perditionem*, ut dicitur 2. *Petr.* 3. unde moderni hæretici specie conservandi puri verbi Dei, variis illud tenebris offundunt, ut illorum similibus objiciebat August. lib. 32. cont. Faust. cap. 19. *Videtis id vos agere, ut omnis de medio Scripturarum auferatur authoritas, ut suus cuique animus author sit, quid in quaque Scriptura probet, quid improbet.*

Denique novi sectarii, & puri verbi jactatores, vel illud exponunt fallibiliter, vel infallibiliter. Si fallibiliter: ergo cæci sunt, & duces cæcorum, ambóque in foveam cadent. Si infallibiliter: ergo confitentur, in proponendo & explicando Dei verbo posse dari infallibilitatem in homine. Sed cur illam sibi infallibilitatem arrogant, & Ecclesiæ, cui promissa est, derogant? Ab hoc dilemmate haud facilè se expedient; sicut nec huic unquam interrogationi satisfacient, Cur Synodo Dordrechtanæ subscribunt, & non Tridentinæ? Lepidè quidam: *Dordrechti Synodus chorus integer, ager: conventus, ventus: sessio stramen, amen.*

Objicies primò. Plures Patres docent multa successu temporum detegi, & in doctrina Ecclesiæ multum profectum successu temporis adjectum esse, veritatem ipsam temporum ætate maturescere; & quod consuetudo sine veritate est vetustas erroris. Ergo perperam reprobamus novas sectas, eo quod antiquam Ecclesiam Catholicam & Romanam deseruerint.

Respondeo quod supposita, & retenta antiquorum Patrum doctrina, ad novas quæstiones dissolvendas laudabiliter procedimus; hoc enim est ædificare super fundamentum Apostolorum. Nec hoc est mera novitas, sed nova vetustatis illustratio, & lucidior explicatio. Sic Patres alii aliis succedentes antiquas vetustorum dogmatum gemmas expolierunt, coaptarunt, adornarunt: adjicientes non novos articulos, ut faciunt Sectarii moderni; sed articulis traditis splendorem, gratiam, venustatem. Nam ut præclarè Lirinensis: *Ad profectum pertinet ut in semetipso unaquaque res amplificetur: ad perturbationem verò ut aliquid ex alio in aliud transmutetur. Crescat igitur oportet, & multum, vehementerque proficiat tam singulorum, quàm omnium; tam unius hominis, quàm totius Ecclesiæ, ætatum ac sæculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia; sed in eodem dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Addatur licèt forma, species, distinctio; eadem tamen cu[m] usque generis natura permaneat. Absit enim ut rosea illa catholici sensus plantaria in carduos, spinasque vertantur. Absit, inquam, ut in isto spirituali paradiso de cinnamomi, & balsami surculis, lolium repentè, atque aconita proveniant. Quodcumque igitur in hac Ecclesia Dei agricultura & fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur & observetur; hoc idem floreat & maturescat; hoc idem proficiat & perficiatur.*

Quod verò dicitur, vetustatem sine veritate esse vetustatem erroris, constans est: sed illud non minus certum, vetustatem in veritate radicatam, & sine interruptione continuatam, esse argumentum fidei Orthodoxæ. *Fas est enim* (ait sæpe laudatus, semper laudandus Lirinensis) *ut prisca illa cælestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur; sed nefas est ut commutentur; nefas est ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licet evidentiam, lucem, distinctionem; sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem. Nam si semel admissa fuerit hæc impiæ fraudis licentia; si novitia veteribus, extranea domesticis, & profana sacratis admisceri cœperint, proserpat hic mos in universum necesse est, ut nihil posthac apud Ecclesiam relinquatur intactum, nihil integrum, nihil immaculatum: sed sit ibidem deinceps impiorum, ac turpium errorum lupanar, ubi erat antè casta & incorrupta sacrarum veritatis.*

Dices. Ipsa antiquitas aliquando nova fuit, v. g. cùm incepit Evangelium: Ergo non semper novitas cum veritate pugnavit. Vnde celebre est illud dictum à Tertulliano & Cypriano memoratum, *Christus dixit, Ego sum veritas. Non dixit, Ego sum consuetudo.* Ergo non ex consuetudine antiquitatis, sed veritatis trutinâ quæstiones controversæ appendendæ sunt.

Respondeo, quod licèt determinato quodam tempore cœperit prædicari Evangelium, tamen longè ante prænuntiatum fuerat à Prophetis veritatis præconibus, unde Apostol. *Rom.* 1. ait se prædicate *Evangelium Dei, quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis de filio suo.* Vbi commendat Evangelium ex antiquitate: quod erat necessarium propter Paganos, qui Evangelio detrahebant, occasione ex novitate accepta. Vides igitur veritatem semper esse antiquitati conterminam; nam veritas Ecclesiæ Catholicæ cum Apostolis, & Evangelio connexa est: veritas autem Evangelii ab antiquitate Prophetarum indivulsa est.

Ad dictum verò Cypriani respondet August. lib. 4. cont. Donatist. cap. 5. *Hoc planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est: sed cùm consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retineri.* Quamobrem tunc solùm consuetudini anteponitur veritas, cùm consuetudo à veritate non originatur, sed est tantùm antiqua veritatis defectio. Cæterùm quando de veritate utraque pars contendit, consuetudo quæ de traditione emanat, firmum veritati præstat subsidium. Itaque illi soli reprobandi sunt, qui antiquitatem quamcunque, & majorum authoritatem sine ullo judicio, pecudum more sectantur. Consuetudo autem & antiquitas Ecclesiæ Catholicæ, seu Romanæ, à Christo, qui veritas est, sine interpolatione originem ducit: Christi autem Evangelium in veteri Testamento prænontiatur: vetus autem Testamentum à sanctis Patriarchis emanavit, apud quos ante orram idololatriam fuit vera Dei cognitio & cultus. Vnde patet, quod sicut unitas Dei præcedit multitudinem Deorum, ita Ecclesia Catholica est omni superstitione antiquior.

Objicies secundò. In professione Ecclesiæ Catholicæ multa proponuntur apertè incredibilia, inter quæ primatum tenent realis corporis Christi in tot Altaribus simultanea præsentia, & panis in ipsum transsubstantiatio, & accidentium sine subjecto subsistentia, ex quibus tot sequuntur inconvenientia Christi Majestate indigna, ut cùm Hostia corrumpitur, incenditur, ab animantibus comeditur, aliaque: ergo Religio tot incredibilia prædicans non est evidenter credibilis.

Respondeo illud esse vetus objectum ab Infidelibus olim oppositum contra veritatem Incarnationis, & Passionis Christi, quæ fuit Iudæis scandalum, Gentibus

bus autem ftultitia. Sed hæc proponentes non notunt vim divini amoris erga salutem generis humani, ob quam & tam vilia gessit, & tam dira pertulit, & eam in finem diligens, semetipsum reliquit Ecclesiæ immensæ charitatis monumentum. Pulchrè Tertull. lib. 2. contra Marcion. *Assumpsisse Deum quædam sibi indigna, nobis autem necessaria; & ideo jam Deo digna, quia nihil tam Deo dignum quàm salus hominis*. Inanitatem verò ratiunculatum illarum exsufflabimus dum de Eucharistia ubi ostendemus, quod sicut Solis radii nullum recipiunt splendoris suæ detrimentum ex eo quod sterquilinium vel lutum illustrent; sic nec corpus Christi sub speciebus latens ullam in his occasionibus patitur Majestatis suæ jacturam. Sed valde mirandum, vel potiùs deplorandum, propter has ex Eucharistia petitas difficultates, Calvinistas ab Ecclesia Catholica recedere, qui in Synodo Charentonensi cum Lutheranis realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia confitentibus, Religionis societatem & communionem inierunt. Benè video. In Reipublicæ perniciem conspirant fures, tametsi aliis propensionibus discrepantes: sic in ejusdem Ecclesiæ Catholicæ excidium Lutheranos secum conjuntantes, quàmlibet in multis articulis, & in illo præcipuè cardinali de Eucharistia pugnantes receperunt.

Objicies tertiò. In Ecclesia Catholica multæ sub probabilitatis umbone circa moralem disciplinam opiniones docentur, quibus ad omnem corruptelam aditus patet. Nam in quibusdam, si Superis placet, Theologis moralibus tanta conceditur hominibus licentia, tanta mollitie lævigatur salutis iter, tam horrendæ apparent prolapsiones circa usuras, simonias, restitutionis onus, injuriarum tolerantiam, homicidii veniam; tanta dæmùm cæcitas, ut postquam multa vitia fucatis coloribus obliverunt, quibus illorum veniam hominibus darent, ad eam impietatis summam pervenerunt, ut ad salutem amorem Dei necessarium esse negatint. Ergo Ecclesia Romana non est ita credibilis, sancta, à labeque pura, sicut eam prædicamus. Quod ex corruptis plurimorum Catholicorum moribus non parum confirmatur, quorum soluta vita facras Evangelii leges ad nihilum redegit. Hanc objectionem opportunè importunè obstrepunt Ministri, ut Ecclesiam Catholicam sannis & ludibrio populorum exponant. Unde non est indiligenter confutanda, ut ab Ecclesia Romana removeamus tam nefandorum criminum suspicionem, & intelligatur, impiè in Ecclesiam illam refundi quorumdam privatos errores.

Respondeo ergo fatendum, seu potiùs dolendum, aliquos laxones Christi sanctissimam legem fermè dissipasse, eaque tradidisse morum documenta, quæ sint Ecclesiæ Catholicæ dedecori, hæreticorum offensioni. Sed ex filiorum quorumdam corruptelis perperam sanctæ Matris infamia quæritur, & aliquorum contagione membrorum totum corpus infectum existimatur. Nam in hujusmodi flagitia Ecclesia tota commota insurrexit, & sacro horrore detestata est. Statim atque pestiferum illud venenum tectum est, Ecclesiæ Pastores commissos sibi populos monuerunt, ut illud studiosissimè caverent; & singularis Dei in Ecclesiam Romanam amor illicò veritatis defensores excitavit intrepidos, qui veritatem malis quorumdam dolis obrui non finerent. In primis omni laude superior est Gallorum Parochorum zelus, qui his opinionum monstris se vehementer offendi limpidissimis scriptis testati sunt, & grassantes ad Ecclesiasticæ puritatis perniciem novarum opinionum labes, pietatis & eruditionis suæ veluti obice opposito coërcuerunt: quorum vigilantiam tota Christianorum posteritas laudibus licèt imparibus feret.

Parochis sese Gallicanæ Ecclesiæ Antistites adjunxerunt, quos ingens coërcendæ Calvinistarum corruptelæ ardor incendit, ne tam nefariis novitatibus illibata Ecclesiæ Romanæ doctrina pervetteretur, invehereturque ea morum disciplina, quæ Religionis probos infidelium non omninò perditorum scandalo foret. Tanto ergo Ecclesiæ periculo succurrentes, alii virili eloquentia, alii Ecclesiasticis censuris, omnes aperta indignatione significarunt quantum perversa illa Casuistarum flagitia detestarentur. Gallorum Sacerdotum & Episcoporum justissimum zelum fortunavit, & veluti coronavit illius authoritas, cui in Petro dictum est: *Confirma fratres tuos*; qui dum Probabilistarum intricatos & gordios nodos dissolvit, verè Alexander fuit. Quantum verò ab illis Ethicæ Christianæ depravationibus Familiæ Religiosæ omninò multæ abhorruerint, dubium non est, sed de nostra Prædicatoria evidentissimum. Nam non solùm è sinu suo plures propugnatores & in Italia, & Gallia excitavit, qui gliscentem luem rescindere conati sunt, sicut olim efficacis gratiæ defensores instruxerat: sed etiam unanimem Ordinis sensum apertè explicarunt Comitia generalia Romæ anno 1656. celebrata, his verbis: *Caveant ab omni pruritu exoticarum, minusque cum genuina litera S. Thomæ cohærentium opinionum, præcipuè verò in moralibus, ubi præsertim de salute, ac indemnitate animarum agitur. Porro in hu studeant omni cautela vitare opiniones laxas, novas, ac parum tutas, abstineantque à paradoxis ac monstris recentium placitorum, seu problematum. Quod ut alacriùs ab omnibus præstetur, notificamus universis hoc summè consonare voluntati SS. D. N. Alexandri VII. qui istud universo Ordini ita præscribi ac significari clementissimè imperavit.*

Ex his vides primò, hanc serpentem corruptæ doctrinæ contagem calumniosè in Ecclesiam tegeri, quippe quæ non solùm in sacris Conciliis & Pontificiis decretis præfocata est, sed etiam statim detecta, à sanctioribus Ecclesiæ patribus explosa est, subindéque à Catholicorum nonnine amoto proj udiosodoctrinæ dedecore, Ecclesiæ denigrandæ ansa hæreticis præerepta est.

Secundò, non posse sibi blandiri Ministros, quòd ab his fortè doctrinæ flagitiis alieni sint: tum quia ipsi longè gravioribus corruptelis implicantur; nec mirum eos in casibus decidendis maximè esse collapsos, qui necessitatem bonorum operum, Sacramenti Pœnitentiæ rigorem de medio sustulerunt, & omnem Ecclesiastici rigoris disciplinam ad nihilum redegerunt. Habentes ergo trabem in oculis suis, erubescant non de alienis festucis, sed de hæresum suarum monstris. Tum quia, etiamsi ab iis, aliisque corruptelis alieni essent isti Reformati, propter bonum opus non lapidamus quidem eos, sed audiant Augustinum *in Psal.* 83. ipsis dicentem: *Quanti videntur præter Ecclesiam bona operari? quàm multi etiam Pagani pascunt esurientem, vestiunt nudum, &c. quàm multa multi hæretici non in Ecclesia operantur? Non in nido pullos ponunt; conculcabuntur, & conterentur; non servabuntur, non custodientur.* Absurdè ergo inani voluptate de quorumdam Catholicorum morbis gaudent, & se, ut ait Cyprianus, immanissimo crimine schismatis mortuos non vident. Nec attendunt illud August. in Psalmo contra partem Donati: *Homines multùm superbi, qui justos se dicunt esse, fecerunt scissuram: sed nemo dat fructum bonum, si præcisus est de vite.*

Denique magna interest Calvinistas inter & istos laxones Probabilistas differentia: illi typho superbiæ & Pharisaico supercilio in Ecclesiam Catholicam insurgunt crudeles parricidæ, istis falsa pietate arctam salutis viam dilatare in votis fuit: illi Cham pejores Ecclesiam nudare non erubescunt, isti eam benigniorem vivendi institutionem docent, quia ad majorem animarum

animarum nostrarum servandum expedire crediderunt: illorum consilium fuit Ecclesiasticam sacrorum Antistitum potestatem ab imis fundamentis disjicere, istorum temperare & inflectere. Denique illi damnantem Ecclesiæ censuram diabolica obstinatione floccifaciunt, isti Ecclesiæ judicio tales sordes detergenti christiana se subjectione supponunt, & humili confessione teterrimam à se hæresis suspicionem amovent. Quod si aliqui sint qui adhuc post tot censuras in hoc luto hæreant, gemit Ecclesia sicut Columba inter intrinsecus insidiantes, & extrinsecus oblatrantes, & cum Aug. *lib. de morib. Eccles. cap.* 34. sic hæreticos alloquitur: *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desinatis, vituperando mores hominum quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet.* Per quæ etiam satisfit his quæ de Catholicorum nimis multorum sceleribus objecta sunt. Sed recole dicta de sanctitate Ecclesiæ *cap. præcedenti, spec.* 2.

Objicies quartò. Non sunt damnandi novi Sectarii, si solo motivo conscientiæ ducti recesserint à communione Ecclesiæ Catholicæ, seu Romanæ. Atqui Ministri Calviniani contestantur se inviros, & nonnisi cogente motivo conscientiæ, ab Ecclesiæ Catholicæ, seu Romanæ communione recedere. Ergo non sunt damnandi, sed excusabiles; nec sunt in aperto salutis dispendio, ut diximus.

Respondeo falsò omninò hunc scissuræ prætextum à Ministris obtendi: quod demonstro ita (ni fallor) evidenter, ut nisi omni rationis lumini renuntiare decreverint, nec nostræ Religioni securitatem negare, nec suæ poterunt asserere. Trita est illa Iuris Canonici regula è naturali lumine deprompta: *In dubiis tutior pars est eligenda; & id quod certius æstimamus, tenere debemus.* Cui suffragatur Augustinus lib. 1. de Baptismo contra Donatist. cap. 5. *Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum?* Atqui Calvinistæ sequendo fidem Ecclesiæ Romanæ, securiorem partem sectantur; adhærendo verò suæ sectæ, saltem dubiam & incertam salutis viam ineunt. Ergo ex motivo conscientiæ non recedere à nostra Ecclesia, sed ad eam reverti tenentur; aliàs contra conscientiam agent; in materia enim qualibet ad salutem æternam pertinente, maximè verò in materia Religionis certa incertis, secura dubiis anteponenda sunt, nisi velint esse deteriores illis laxonibus, quos superiore objectione ipsi Ministri redarguebant. Minor verò sic ostenditur. Illa ad salutem via est tutior, de cujus securitate omnes conveniunt, quàm illa, quæ periculosa, & ad perditionem tendens ab alterutra parte denunciatur. Atqui Religio Catholica & Romana secundùm utramque partem est secura: Religio verò Lutherana, vel Calvinistica secundùm nos est via lata quæ ducit ad perditionem. Ergo professores Ecclesiæ Catholicæ sunt securiores quàm sectatores aliarum sectarum. Major est sensui communi manifesta. Minor etiam quoad secundam partem est nota: Ecclesia enim Catholica Romana denuntiat sectas quascumque secum non communicantes; & ab unitate voluntariè præcisas, velut lignum excisum & arescens, in æternum arsuras. Prima verò pars minoris quæ asserit Religionem Catholicam esse secundùm utramque partem securam, probatur de parte adversa; nam de nostra est nimis evidens.

Calvinistæ in Synodo Charentonensi anno 1631. societatem cum Lutheranis confessionis Augustanæ contraxerunt, & ad suam cœnam recipiendos sine prævia Lutheranæ professionis abjuratione declararunt, quantumvis præfati Lutherani realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia nobiscum confitean-tur, quia hæc discordia (inquit Minister Dallæus in sua epistola apologetica) *formaliter*, & *directè* fundamenta fidei Christianæ non evertit. Nam propriè loquendo (addit Minister Mestrezatus huic Synodo præsidens, *tract. de Script. lib.* 1. *cap.* 4.) ad salutem fides veritatum essentialium in Scripturis contentarum necessariò exigitur. Ex quo sic argumentor. Lutherani juxta Calvinistas non sunt extra viam salutis, tametsi præsentiam Christi realem in Sacramento profiteantur. Ergo nec Catholici propter illum articulum damnabuntur: ergo nec propter alios qui sunt minoris momenti, & qui minorem præbere debuerunt occasionem schismatis, utpote minùs difficiles, ut ipsi passim non inficiantur Calvinistæ. Ergo secundùm Calvinistarum judicium Catholici non sunt in alea damnationis. Attende, Lector, & vide hujus rationis invincibilem efficaciam. Secundùm Calvinistas tutò possum credere, Corpus Christi esse realiter in Eucharistia: secundùm Catholicos id non possum tutò inficiari: ergo dum id credo, nulli periculo me expono, secundùm utriusque partis assensum. Dum verò inficior, in periculo certò versor, secundùm alteram partem: imprudenter ergo id negabo, cujus confessione nullum periculum subeo.

Si Calvinistæ ad illam se redigerent, quæ Christianos decet, præjudiciorum vacuitatem, non dubito quin huic rationi crederent. Præsertim quia Lutherani Augustani, quos receperunt, & Missam cum ceremoniis à nostris non multùm dissentaneis celebrant, & confessionem auricularem retinent, & Episcopos, seu Superintendentes venerantur, & Aras erigunt, & Imagines sacras exhibent, & ornamentis Sacerdotes offerentes sicut nos induunt. Quid ergo causæ est cur hujusmodi cæremoniarum ritum in Augustanis dissimulent, in Catholicis subsannent? ut propterea & Augustanam professionem tolerare, & à Catholica recedere debuerint. Quàm verò indigna est disparitatis ratio à nonnullis adducta, ex eo petita, quod Lutherani nihil in Eucharistia adorant, benè tamen Catholici. Nam hujus excusationis insulsitatem reprobat ipse Calvinus *in opusc. ad Vvestphalum, & contra Heshusium*, dicens absurdum esse, Christum in Eucharistia fateri, & ibi eum non adorare: absurdius de re minimè dubia litigare. Estne verisimile hanc esse justam schismatis occasionem à supremo Iudice ipsas justitias judicaturo probandam?

Confirmatur. Iuxta doctrinam Calvinistarum articulo 20. confessionis suæ expressam, sola fides in Christum justificat: & juxta Dallæum, Molinæum & Mestrezatum, ad salutem adipiscendam Christi fides, & quorumdam articulorum fundamentalium, quæ habentur in Symbolo, sufficit. Atqui omnes Ecclesiæ Catholicæ, seu Romanæ professores in Christum credunt, & pro quolibet Symboli articulo mori parati sunt. Ergo juxta doctrinam Calvinistarum Catholici sunt in via & statu salutis. Ergo non ex motivo conscientiæ à Catholica recedere potuerunt. Quasi verò in illa Religione salvari non potuerint, quam omnes à Clodovæo Christianissimi Reges, & inter eos Carolus Magnus & sanctus Ludovicus professi sunt, qui & Missam frequentarunt, & Romanum Pontificem ut Christi Vicarium coluerunt, & Monasteria, Templaque ritu Catholico construxerunt, in quibus sepulti jacent. Quasi verò salvari non potuerint in illa Religione quæ Ambrosium, Hilarium, Augustinum, Hieronymum aliit, quos Sanctos fuisse articulo sexto suæ confessionis fatentur, in quibus omnia & singula continuerunt fiarum capita syllabatim in favorem Ecclesiæ Romanæ deciduntur, ut fatentur Centuriatores Magdeburgenses, qui propterea speciale caput in qualibet centuria apponunt, ad quod revocant assertiones de sacrificio

sacrificio Altaris, invocatione Sanctorum, aliasque quas in Patribus quidem veritate coacti agnoscunt, sed eas appellant *inclinationem doctrinæ*, *incommodas opiniones, stipulas*, *naves, & errores*, ut patet *centur*. 2. *cap*. 4. *part*. 2. & alibi passim. Imò eò impietatis devenit hujusmodi hæreticorum intolerabilis petulantia, ut *centur*. 4. *cap*. 5. contra S. Epiphanium, & S. Augustinum Aerianos defendant, necnon Iovinianum contra Hieronymum & Augustinum, quos malunt hæreticos censendos, si oppositum Ioviniano sentiant. Quæ verò contumeliarum tela sacrilega in Hieronymum vibrent, *cap*. 8. *ejusdem centuriæ*, ut *Vigilantii*, inquiunt, *veras sententias, quas ut errores Hieronymus oppugnat*, tueantur, pudet referre, ne tam putidis spurciloquiis has chartas commaculem. Quasi verò demùm salvari non potuerint in illa Religione, quæ Bernardum, Franciscum, Dominicum, Carolum Borromæum, & Genevæ notissimum Salesium, aliósque sexcentos parturivit, & in Domino quotidie parturit. Exuant, amabò, fictam illam delicatæ conscientiæ teneritudinem, quam apostasiæ suæ obtendunt; aperiant tandem oculos, & cum prudentioribus fateantur dulciùs quidem cupiditati vivere Calvinistas, sed dulciùs Catholicos mori.

Reflexio, & apostrophe ad Sectarios.

Huic dissertationi finem impono, sed non sincero erga vos amore, ô sectarii Lutherani, & Calvinistæ. Dolor est cùm vos video præcisus ita jacere: respicite ad petram unde excisi estis: ipsa petra Petrus est, quem non vincunt superbæ inferorum portæ. Aperit vobis sinum, si vultis accedere; annunciat vobis pacem, si vultis au[illegible]. Eam infamastis, & proscidistis; Templum co[illegible] Templum erexistis; quod persequutores non fecerant, ipsi in pace Christi fecistis. Sed horum oblita clamat ad vos his maternis apud Augustinum vocibus, in Psal. contra partem Donati. *O filii mei quid querimini de matre? quare me deseruistis, jam volo à vobis audire. Accusatis fratres vestros, & ego laceror valde. Quando me premebant Gentes, multa tuli cum dolore, multi me deseruerunt, sed fecerunt in timore: vos verò nullus coëgit sic contra me rebellare. Ego Catholica dicor, & vos de Donati* (Calvini) *parte. Sed ego quid vobis feci vestra mater in toto orbe? Expello malos quos possum, quos non possum, cogor ferre. Vos quare me dimisistis, & crucior de vestra morte. Scitis Catholica quid sit, & quid sit præcisum à vite. Si qui sint inter vos cauti, veniant, vivant in radice. Antequam nimis arescant, jam liberentur ab igne. Ipsam formam habet sarmentum, quod præcisum est de vite; sed quid illi prodest forma, si non vivit de radice? Venite fratres, si vultis, ut inseramini in vite.* Quod si Ecclesiam non auditis, quia eam odio habetis, attendite ad sanctos Patres, quos quidem Magdeburgenses nævis sordentes repræsentant, sed ad quos vos invitat idem Augustinus, cujus varias sententias veluti totidem gemmas, *libro* 1. *contra Julianum* dispersas, in unum fasciculum collectas vobis objicio.

Quot & quales viros, & quantos Catholicæ fidei defensores non solùm deseritis, sed execrabili criminatione appetere audetis, si evigilatis, intuemini. Habetisne aliquid quod adversus nos dicere videamini, quod non potiùs in istos dicere compellamini? Uno corde credunt, ore uno fatentur, & vestras novitiis præsumptiones Catholica antiquitate subvertunt. Audite eos, qui vos possunt commovere, atque turbare, & utinam in melius commutare. Hos viros tanta in Catholicis Episcopis laude præclaros, tanta notitia, famaque conspicuos, audete, si quid vobis frontis est, criminari. Nonne potiùs fingere debebatis nescire, & tot testes dissimulare (ô Magdeburgenses) quàm tot tantosque Doctores, qui vitâ optimè gestâ, debellatisque suorum temporum erroribus gloriosissimè de hoc sæculo, antequam vos ebulliretis, exierunt. Crederem fateor, quid mali faciatis vos ignorare; nec impudentiæ, sed imprudentiæ vestræ tribuerem, quod hæc lumina civitatis Dei audetis hostiliter insectari, quos sectari fideliter debuistis. Crederem, inquam, hoc tantum nefas vos committere nescientes, nisi in eisdem libris, quibus Romanæ Ecclesiæ defensoribus respondisse vel existimatis, vel existimari cupitis, apertissima Patrum testimonia respueretis. Nam verba Patrum in quibus nævos deprehenditis, legistis, vel non legistis? Si non legistis, quomodo redarguitis? Si legistis, quid adversus Catholicos furitis? quid Ecclesiæ Romanæ nomen dilaniare nitimini, & tot Patres facitis, non tacitis, sed expressis eorum nominibus errantes?

Cernite cum quibus vestra maledicta sustineat Ecclesia. Cernite cum quibus ei sit causa communis. Cernite quàm vobis perniciosum sit tam horribile crimen erroris objicere talibus, & quàm illi gloriosum sit crimen audire cum talibus. Si cernitis, cernite; & tandem tacete. Lutheranam, Calvinianamque linguam tot linguis Catholicis deprimite: tot venerandis oribus proterva ora subnutrite. Aspicite illos quodammodo aspicientes vos, & mansuetè ac leniter dicentes vobis: Itane nos (ô Lutherani, & Calvinistæ) hæretici, idololatræ, superstitiosi sumus? Rogo quid respondebitis? quibus eos oculis intuebimini? quæ vobis argumenta succurrent? quæ Aristotelis categoriæ, quibus in nos disputatores insilitis? quæ vestrorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conspectu exeri audebunt? Non dicturi estis, neminem illorum vos in istis erroribus nominasse, quos singulos singulis centuriis retulistis: & quamvis eos proprio nomine non designassetis, vobis tamen dicerent: Tolerabiliùs dente maledico nomina conciderctis nostra, quàm fidem Catholicam nostram, cujus merito in cœlo nomina scripta sunt nostra.

Iterum vos admoneo, iterum rogo. Aspicite tot, ac tales Ecclesiæ Catholicæ, seu Romanæ defensores atque Rectores. Videte quibus tam gravem, tamque nefariam irrogatis injuriam. Istos aspicite, istos erubescite: istis parcite, vel vobis potiùs, ne Rector eorum vobis fortè non parcat. Si autem illos hæreticos esse non dicitis, nec Ecclesiam Romanam accusabitis. Quod illi credunt, ista credit; quod tenent, tenet; quod docent, docet; quod prædicaverunt, prædicat. Istis cedite, & Ecclesiam non persequemini: acquiescite istis, & quiescite ab ea.



DISSERTATIO II.

De duplici fundamento Sanctissimæ Trinitatis, scilicet de processionibus & relationibus divinis.

IAM primum fidei Catholicæ Mysterium explicandum occurrit, in quo, ut ait August. lib. 1. de Trinit. cap. 3. *nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur.* Quamvis autem tanti Mysterii supereminentia usitati eloquii facultatem excedat (veriùs enim *cogitatur Deus quàm dicitur; & veriùs est, quàm cogitatur*, ut ait idem Pater)

Patet) tamen balbutiendo, ut possumus, excelsa Dei resonantes, tractationem istam ad quinque velori capita reducemus. Primò fundamentum hujus Mysterii, quod est origo, & relatio, jacimus. Secundò existentiam Trinitatis suadebimus. Tertiò personarum divinarum essentiam declarabimus. Quartò earum numerum in particulari considerabimus. Quintò quæ sint earum proprietates examinabimus.

CAPUT I.

De Processionibus divinis.

PRimum fundamentum Trinitatis personarum est divina processio, cujus existentiam, essentiam, divisionem, & mirabiles proprietates contemplabimur, de eis iterum acturi infrà dum de actibus notionalibus.

SPECULATIO I.

Intra Deum admittenda est duplex processio; immanens & interna, quâ producitur tum Verbum Divinum per intellectum, tum Spiritus Sanctus per voluntatem.

PLeni sunt omnes libri Patrum ac Conciliorum hac veritate Catholica, quam expressè tradit Scriptura. Ioan. 8. *Ego à Patre processi*, inquit Filius de seipso. Et de Spiritu Sancto cap. 15. *Cùm venerit Paracletus qui à Patre procedit*. Idem quotidie cantat Ecclesia in Symbolo tum Niceno, tum Athanasii. Et quidem quod admittendæ sint aliquæ processiones immanentes & interiores, manifestè convincit ratio Theologica, quâ

Probatur prima pars. Secundùm fidem admittenda est Trinitas personarum distinctarum: Sed non potest stare trium personarum distinctio sine processionibus: ergo processiones necessariò admittendæ sunt in Deo. Probatur minor. Non potest stare trium personarum distinctio, nisi inter eas admittatur relativa oppositio; nam juxta effatum ex Concilio Florentino desumptum, *In divinis omnia sunt unum, nisi ubi obviat relativa oppositio*: atqui non potest dari inter personas divinas oppositio relativa sine processione: ergo nec distinctio personarum. Minor probatur. Omnis oppositio relativa fundatur in relatione primi, vel secundi, vel tertii generis, ut loquuntur Philosophi; idest, vel in similitudine, & æqualitate; vel in actione, & origine; vel in ratione mensuræ & mensurati: atqui oppositio relativa divinarum personarum non fundatur in æqualitate personarum, inter quas non est æqualitas in natura, sed identitas; præsertim quia æqualitas rerum supponit eas esse distinctas, subindeque non fundat earum distinctionem: non potest etiam fundari in ratione mensuræ, & mensurati; quia implicat ens perfectionis infinitæ, quales sunt personæ divinæ, agnoscere aliquam mensuram suæ perfectionis: ergo restat quod oppositio & distinctio divinarum personarum in origine fundetur.

Secunda pars de processione Verbi probatur ratione D. Thomæ *quæst. 27. art. 1.* Processio Verbi dicit perfectionem ab omni imperfectione mundam: ergo convenientissimum est, processionem illam in divinis admittere; quia cùm Deus sit ens infinitè perfectum, in immenso suæ bonitatis pelago includit omnem perfectionem ab omni defectu separabilem. Antecedens probatur supponendo dari in nobis processionem Verbi: *Quicumque enim intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est processio rei intellectæ, ex vi intellectiva, & ejus notitia procedens.* Cujus proloqui sensus non est, in quacumque intellectione produci verbum, id enim falsum est, & in visione beata, juxta probabiliorem sententiam; & in cognitione reflexa supra seipsam, & in ipsa intellectione Filii & Spiritus sancti, à qua non procedit Verbum; sed à sola intellectione, prout in Patre: sed sensus est; quod in omni natura intellectuali datur hujusmodi processio.

Et licèt hujusmodi processio in nobis multis scateat defectibus, est enim species supplementum objecti; complementum potentiæ, accidens à subjecto dependens; ab his tamen omnibus expurgari potest, quia non importantur in formali ratione verbi: sicut licèt de ratione sapientiæ creatæ sit esse accidens, qualitas dependens; sapientiæ tamen ratio illos defectus non involvit in suo formali conceptu, sed puram perfectionem importat, nempe cognitionem per altissimas causas. Similiter de ratione verbi præcisa est manifestare tem cognitam intelligenti dum loquitur intra se.

Unde formatur discursus. Ea debent attribui Deo quæ reperiuntur in creaturis intellectualibus, si dicant perfectionem simpliciter simplicem ab omni imperfectione mundam. Atqui ratio verbi producti reperitur in natura intellectuali, & potest ab omni imperfectione mundari, secundùm suam præcisam rationem formalem, præsertim quando procedit non ex necessitate, sed ex abundantia, non ex indigentia, sed ex plenitudine exuberante; non ut intelligat, sed quia intelligit: quo pacto intellectus paternus producit Verbum, non egens, sed fœcundus, juxta illud, *Eructavit cor meum verbum bonum*, qui fructus spiritualis ex plenitudine profluit: ergo in Deo datur processio Verbi.

Tertia pars de processione amoris personalis, seu Spiritus sancti, probatur supponendo dari in nobis processionem amoris, qua per actum voluntatis producitur aliquis terminus & impulsus, quo voluntas fertur in objectum, ipsumque amore prosequitur, juxta illud August. lib. 9. confess. *Ponderibus suis aguntur omnia: amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror.* Et sanè sicut datur in intellectu nostro species qua intelligimus, & quia intelligimus; ita etiam necessarium est aliquod pondus, quo tollatur indifferentia voluntatis, ut amemus, & quia amamus: & quia pondus illud non est violentum, neque extrinsecum, sed suave & internum; ideò producitur per actum vitalem voluntatis, scilicet amorem, quem spirat circa objectum alliciens: ideò in impulsu illo non sistit voluntas, sicut sistit & quiescit intellectus in productione Verbi: sed voluntatem ipsam inclinat in objectum amatum; amati enim non est objectum trahi, sed trahere voluntatem: *Ubi enim est thesaurus tuus, ibi & cor tuum erit.*

Quare utrumque verum est, & quod amatum est in amante, & quod amans fertur ad amatum: qui duo effectus amoris declarantur Ioan. 4 *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo.* Unde & per amorem voluntas agitur & patitur; nam patitur ab objecto alliciente, & agit tendendo in ipsum, quia ut dicunt Philosophi, amor finis est effectus finis; subindéque ille impulsus præcedit, & subsequitur actum voluntatis: præcedit ut est à fine movente, subsequitur ut est à voluntate amante. Sed hæc omnia in eodem instanti reali exercentur, sicut actio intellectus, & est dictio & productio verbi, seipsam præcedit; ut est contemplatio illius, subsequitur. His ex Philosophia suppositis.

Sic formatur discursus. Licèt processio amoris in nobis multis scateat defectibus, ut de processione verbi dictũ est, ab omnibus tamen illis defæcari potest secun-

dùm suam præcisam rationem formalem; nihil enim aliud in suo conceptu explicat quàm impulsum in objectum, non ex indigentia, sed ex plenitudine manantem; non ut voluntas amet, sed quia amat; non ut compleat, vel determinet voluntatem, sed ut diffundat: atqui hoc puram dicit perfectionem, scilicet profusionem & communicationem, quæ summum bonum summè decet: ergo processio voluntatis in Deo absque imperfectionis labe admitti potest; & si potest, debet: in Deo enim non distinguitur esse & posse, cùm sit actus purus infinitus.

Solutione objectionum diffusiùs explicatur hæc materies sublimi discursu S. Thomæ.

Objicies primò: Admissis processionibus destrui videntur præcipua divinitatis monilia, scilicet ratio primi entis, à se existentis, perfectissimi, & unicè singularis: persona enim procedens non est ens primum, nec à se, cùm hoc ipso quod procedit, sit ab alio à quo diffluit. Non est etiam summè perfectum; perfectio enim summa & divina non compatitur indigentiam: quod autem ab alio procedit, recipit esse ab eo; recipere verò est signum indigentiæ, sicut dare est argumentum opulentiæ, juxta illud, *Beatius est dare, quàm accipere.* Denique quomodo unitas & singularitas Dei subsisteret, admissa plurium personarum processione?

Respondeo, processiones divinas non solùm non offuscare divinas perfectiones, sed eas mirè illustrare, cùm per eas diffundantur Deus modo planè divino, scilicet infinito: & propterea Verbum procedens vocant *splendor gloriæ, & candor lucis æternæ*; quia in illo desilit, & refulget gloria Majestatis. Ad argumentum ergo dicendum, quod licèt persona procedens sit ab alia, scilicet à producente; tamen quia idem habet esse cum illa, ideò non est dependens, cùm per processionem communicetur ipsi esse sui principii: tantum ergo abest, quod per processionem desinat esse Deus, quin potiùs per illam Deus constituitur; quippe cui natura principii communicatur. Ex quo fit, personam procedentem non dependere; quando enim non est diversitas naturæ, non est dependentia, sed identitas. Non est etiam indigentia, quando communicatur plenitudo omnis boni. Denique salvatur unitas ob ejusdem numero naturæ communionem. Sed de his operosiùs *quæst. sequenti.*

Objicies secundò. Negari non potest quin sit aliqua processio à Deo, summum enim bonum est sui diffusivum: Sed inintelligibile est, quomodo terminus procedens habeat eandem naturam cum principio, & tamen sit distinctus ab illo: explicato ergo mihi principii & termini consubstantialitatem.

Respondeo in hac difficultate contineri summam totius nostri mysterii: ad cujus declarationem considerandum est, intellectionem fieri per intimam unionem & transformationem intellectus cum objecto cognito, proindéque quanto aliquid meliùs intelligitur, tanto magis fieri unum cum intellectu. Ergo cùm intelligere divinum sit infinitæ perfectionis, necesse est quod Verbum ab intellectu divino procedens sit summè unum cum eo à quo procedit, eandemque naturam exprimat cum diverso modo essendi.

Idipsum mirè, & planè divinè explicat Doctor Angelicus *lib. 4. contra Gent. cap. 11.* cujus doctrinæ succum tibi eliquabo. Ab infima creatura usque ad supremam, imò ad ipsum usque Creatorem gradatim ascendentes, videmus quod quanto natura est altior, tanto id, quod ex ea emanat, est ei magis intimum: inanimata enim, quæ infimum in universo locum occupant, semper generant corpus à se distinctum, ut ignis generat ignem in ligno à se separato; sol producit metalla in visceribus terræ; cœlum influit in corpora inferiora. Inanimatis plantæ perfectiores sunt, & ideò in illis emanatio incipit esse magis interna: nam substantia plantæ convertitur in semen quod elaboratur in ipsa planta; & licèt ab ea debeat exire, & decisum in terram mandari, ut fructificet; tamen in ipsa incipit, ut ab ipsa transeat. Plantas excedunt animalia sensitiva, & ideo in illis operatio est magis intima: nam licèt cognitio incipiat ab exteriori objecto, consummatur tamen intrinsecus in facultatibus internis, imaginativa scilicet, sensu communi, memoria & aliis; sed tamen hæc cognitio in brutis non se reflectit supra seipsam, sed semper fertur in objectum distinctum. Superior ergo gradus vitæ invenitur in natura intellectuali, cujus operatio est penitus interna; fit enim producendo aliquid intra se, & valet se reflectere supra se.

Porrò in natura intellectuali diversi sunt gradus: primus est humanus, cujus cognitio licèt possit reflecti supra seipsam, tamen dependet ab intrinsecis, scilicet sensibus & phantasmatibus, ad quæ debet se convertere pro hoc statu; in quo etiam non intelligit nisi per species à sensibus emendicatas. Perfectior est igitur cognitio in secundo gradu naturæ intellectualis, scilicet in Angelo, qui potest seipsum per seipsum intelligere; nondum tamen ad ultimum spiritualis vitæ apicem pervenit, quia Angelus intelligendo seipsum producit speciem expressam distinctam ab intellectu, quia in ipso non est idem intelligere & esse. Vltima ergo, & suprema perfectio vitæ in solo Deo invenitur; quia cùm ejus intelligere sit ejus esse, verbum ab ipso productum debet esse perfectè idem cum essentia intelligentis. Et quia modus voluntatis sequitur modum intellectus, fit inde quod etiam in Deo terminus voluntatis est consubstantialis essentiæ volentis. Vides egregii discursus sublimitatem, & ex eo infer, quod tunc incipies esse perfectus, quando vitæ interiori vacabis; & eò imperfectiùs vives, quò te magis ad exteriora diffundes: siquidem, ut vidisti ex Sancto Thoma, operatio interna est mensura perfectionis.

Duplex consectarium momentosum de principio, & numero processionum.

Ex hactenus dictis sequitur primò, principium proximum & immediatum divinarum processionum esse intellectum & voluntatem. Intelligitur hoc corollarium non de principio *quod*, seu supposito; est enim in confesso apud omnes, principium illud esse personam producentem, ac proinde principium Filii esse personam Patris; principium Spiritus Sancti esse Patrem & Filium. Intelligitur ergo solùm de principio *quo*, seu de principio agendi personæ producentis, non quidem remoto & radicali (fatentur enim omnes, illud esse naturam divinam, cui competit fœcunditas;) sed proximo & immediato. Et est contra Durandum, qui contendit processiones immediatè procedere à natura; ita ut si per impossibile Pater non esset intelligens & volens, adhuc per suam naturam produceret Filium & Spiritum Sanctum. Nos verò dicimus, quod sicut in homine principium radicale operationum humanarum est anima, proximum verò & immediatum sunt facultates operativæ; ita proportionaliter in Deo natura est principium radicale divinarum originum (quæ ideò interdum Patribus nominantur *opera naturæ*, & *germina divinitatis*:) tamen proximum earum principium est intellectus, & voluntas: quod

Probatur primò authoritate: Scriptura namque, Patres & Concilia vocant passim secundam personam Sanctissimæ Trinitatis *Verbum*, & *Sapientiam genitam*; tertiam verò appellant *Spiritum*, & *Amorem*: sed

Verbum

Verbum immediatè procedit ab intellectu, sicut amor à voluntate: ergo intellectus & voluntas sunt immediatum principium divinarum originum. Dicere verò cum Durando, has loquutiones esse metaphoricas, & eo fine prolatas, ut indicaretur processionem Filii esse priorem origine processione Spiritus sancti, quia in nobis intellectio præcedit amorem, non caret temeritate in re tam gravi verba Scripturæ ad sensus improprios detorquere: sic enim præbetur ansa hæreticis omnia Scripturæ testimonia sub sensibus tropicis & translatitiis obumbrandi, præsertim cùm dicat S. Cyrillus lib. 4. Thesauri, c. 5. *Nomen Verbi elegit Deus, quia est maximè proprium:* quomodo ergo licitum erit nomen illud improprium appellare.

Probatur secundò ratione. Si natura divina, prout concipitur distincta ab intellectu & voluntate, sit immediatum principium divinarum originum, præcluditur omnis via explicandi, defendendique divinas processiones, quæ tamen sunt unicum Sanctissimæ Trinitatis fundamentum: nulla siquidem poterit reddi ratio ordinis earum, cur scilicet una sit prima, altera secunda, si utraque à natura immediatè pullulet: nulla etiam erit ratio cur sint duæ processiones potiùs quàm una; vel si admittantur duæ, cur non tres: non enim magis exhauritur divinæ essentiæ fœcunditas per unam, quàm per duas. Denique nulla erit ratio, cur una processio sit generatio, non altera; cùm utraque persona ex eadem natura procederet, & eodem modo. Atqui hæc omnia paradoxa sunt in Theologia, & convellunt totum nostrum mysterium: ergo non essentia divina, sed intellectus & voluntas sunt immediatum principium divinarum originum.

Nec valet solutio Durandi dicentis, quod sicut eadem forma simplicissima est radix plurium proprietatum, quarum una emanat prior aliâ cum certo ordine, & numero præfixo: sic ex fœcunditate divinæ naturæ emanant tantùm duæ origines, quarum una est prior naturâ quàm alia.

Non valet (inquam) licèt enim natura finita sit tantùm radix finitarum perfectionum, quarum una sit prior aliâ, quia est ejus causa, sicut rationale est radix admirativi & risibilis: tamen si natura sit finita, nulla potest reddi ratio, cur non exhauriatur per unam processionem, benè tamen per duas. Ergo ex natura Dei præcisè sumpta, quæ infinita est, oriri nequit diversitas processionum, sed recurrendum est ad principia proxima, scilicet intellectum & voluntatem.

Dices. Natura divina, utpote infinita & actus purus, non indiget potentiis operativis, sed ipsa immediatè omnia agit; sicut è contra substantia creata, quia est finita, non est immediatè operativa: ergo origines divinæ immediatè à natura divina procedunt.

Respondeo certum esse, non dari in Deo principia operativa distincta realiter à substantia, sicut admittuntur in creatis; hoc tamen non impedit quominus admittantur formaliter in Deo intellectus & voluntas, quibus Deus ad intra operatur tanquam per principia identificata cum substantia.

Sequitur secundò, dari tantùm duas processiones in Deo. Deducitur hoc corollarium ex dictis; cùm enim nulla sit, vel excogitari possit actio intra Deum, quæ non sit intellectio vel volitio, planè relinquitur, nullam esse aliam processionem quàm Verbi & Amoris: neque enim in Deo possunt dari plures cognitiones, ex quibus oriantur plura verba; vel plures volitiones, ex quibus multi spirentur amores: nam Verbum intellectus divini, utpote infinitum, est adæquatum conceptioni & scientiæ Patris, quam exhaurit; & ideò dicitur, *Semel loquutus est Deus;* quia omnia unico verbo expressit. Hinc Psalmo 44. lingua Patris Æterni Verbum proferentis assimilatur *calamo scribæ velociter scribentis;* quia, ut ibi observat August. quod linguâ dicitur, sonat & transit; quod autem scribitur, manet. Cùm ergo Pater dicat Verbum, & verbum quod dicitur, non sonet & transeat, sed dicatur & maneat, scriptus hoc maluit comparare quàm sonis. Quia ergo in Patre non sunt volubiles cognitiones, sed una, quæ semper manet, ideò est unicum verbum: & idem dicendum est de amore infinito & perfectissimo, qui proindeunicus est.

Dices: Quod est infinitum, debet esse unicum; & ideò natura divina non potest multiplicari, quia infinita: Sed processio divina est infinita: Ergo unica tantùm est processio.

Respondeo, quamlibet processionem esse infinitam in sua propria ratione. Sic generatio divina est infinita in linea generationis; & ideò unica: & similiter processio amoris infinita est in illo ordine; & una. Sicut misericordia est infinitum attributum, non quòd sit solum, sed quia totam possibilem misericordiæ perfectionem includit. Sicut etiam qualibet persona est infinita in ratione propria Patris, vel Filii; quamvis una non excludat aliam, sed potiùs exigat & connotet.

Instabis. Quare ergo restringuntur processiones ad duas? præsertim quia tam benè potest Verbum proferre aliud verbum, quàm Pater; siquidem habet eandem potentiam & fœcunditatem.

Respondeo rationem esse assignatam, cur sint tantùm duæ processiones, duæque personæ; quia in natura intellectuali non est nisi duplex operatio, scilicet cognitio, & amor. Ad id verò quod dicitur, Verbum posse proferre aliud verbum, respondeo non posse, non defectu potestatis, sed quia cùm ipsum sit terminus infinitus exhauriens totam fœcunditatem intellectus divini, sit inde, Verbum, in quo est idem intellectus ac in Patre, non posse aliud verbum producere. Nec obest quod ait August. lib. 3. contra Maxim. cap. 12. Filius non generavit alium filium, *non quòd non potuit, sed quia non oportuit.* Sensus enim est, quod Filium non generare alium filium non est signum infirmitatis & defectus virium, cùm habeat eandem virtutem ac Pater; unde non debemus dicere, quod non potuit impotentiâ proveniente ab infirmitate; sed dicitur quod non oportuit, quia Patres contra Arrianos disputantes studebant à divinis personis removere omnem imperfectionis umbram, quam præ se fert impotentiæ nomen.

RELAXIO.

Totum mysterium Trinitatis duplici operationi, cognitioni scilicet & amori innititur. Sic, ut Trinitatem, ad cujus imaginem conditi sumus, & in cujus nomine baptizamur, verè imitemur, de Deo assiduè cogitare, ipsumque amore complecti necessum est. Hæ sunt duæ spirituales pennæ, quas sibi dari optabat Propheta: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam?* Quibus suspensus, & à terrenis elatus, ad centrum divinæ bonitatis perpetuo mentis impetu extra se rapitur animus æternitatis candidatus. *Tunc,* ut ait Iob c. 39. *ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum.* Id est, ut exponit ibi Greg. suspenditur subtilis Sanctorum intelligentia, quæ desideria terrena despiciens, spe de cœlestibus nutritur, & perennem Angelorum vitam præstolatur, imò divinam æmulatur. Sic se gerebat Apostolus dum dicebat: *Nostra conversatio in cœlis est.* Sic Aug. lib. 7. confess. cap. 10. *O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas! tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte.* Amorem si speculationi jungas, in decursu hujus libri videbis, quod non solùm

solùm non impediet, sed potiùs juvabit, ciebitque pietatis affectus tanti certitudo mysterii : videbis, quod nihil cogitatur sanctius, nihil profertur rectius, nihil auditur suavius quàm Trinitas unus Deus ; quam timere, securitas ; cui servire, libertas ; quam colere, honor noster ; quam amare, felicitas inchoata ; videre, consummata beatitudo est.

Speculatio II.

Soli processioni Verbi convenit ratio generationis, secus verò processioni Spiritus sancti.

HÆc veritas Catholica his omnibus Scripturæ locis comprobatur, quibus secunda persona Filius nominatur. Quod si aliquando *primogenitus* vocetur, id intelligitur per ordinem ad filios adoptivos, ut docet Concilium Ephesinum *cap.*4. vel ut ait D. Cyrillus *lib.* 10. *cap.*4. non quod sint alii geniti post ipsum, sed quia nullus est ante ipsum generatus : qui modus loquendi est usitatus in Scripturis. Exodi 13. 2. *Sanctifica mihi primogenitum*, id est illum, ante quem non est alius, qui tamen poterat esse unicus. Sic etiam Christus Dominus dicitur primogenitus beatissimæ Virginis, quia nullus ante ipsum est generatus, nec tamen post ipsum alius fuit à B. Virgine productus.

Cæterùm in asserenda ratione hujus mysterii difficile semper fuit, ut impleretur quod dictum est per Isaiam dicentem, *Generationem ejus quis enarrabit.* Vnde August. lib. 3. contra Maximin. *Distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Et Bernardus sermone primo Pentecostes asserit, processiones Spiritus sancti *posuisse tenebras latibulum suum.* Nec mirum : si enim humana, & temporalis nativitas Salvatoris excedit eloquii facultatem, & *nisi fides credat, sermo non explicat*, ut ait Sanctus Leo ; quin etiam, ut arguit Nazianzenus oratione 3. *Si tua tibi ignota est generatio, quo tandem modo Dei generatio tibi nota erit.*

Hac de causa Patres & Theologi varias hujus ænigmatis declarandi gratiâ congruentias attulere, quas immeritò nonnulli recentiores suo solito prurítu omnia carpendi floccifaciunt, cùm non sint à Doctoribus adhibitæ ut convincant, sed qualitercumque exponant. Talis est illa ratio, quam tradit D. Bonaventura, Alensis, aliique, docentes ideò Verbum esse Filium, quia accipit naturam fœcundam & potentem producere aliud suppositum vivens, in quo assimilatur genitori producenti sibi simile. Spiritus sanctus autem non recipit naturam fœcundam, cùm nihil producat intra Deum ; unde productio ejus non est generatio, quæ semper tendit ad communicandam naturam fœcundam. Talis etiam est illa quam multi desumunt ex eo quod Verbum sit ex sua ratione imago repræsentans Patrem ; filii autem proprium est esse imaginem patris. Et quamvis illæ omnes convenientiæ aliquas patiantur difficultates, non est tamen in illis morosè insistendum, quia non ideò sunt à suis authoribus adinventæ, ut animum convincant, sed ut mysterii celsitudinem adeò salebrosam utcumque explanent.

Solida enodatio hujus difficultatis ex D. Thoma.

Solidior hujus mysterii explicandi via est, quam tradit D. Thomas, quæ ad hanc formam reducitur. Generatio strictè sumpta definitur : *Origo viventis à vivente conjuncto in similitudinem naturæ.* In qua definitione explicantur omnes causæ generationis : effectiva, cùm dicitur origo viventis à vivente : materialis, vel quasi materialis, cùm dicitur à principio conjuncto ; generans enim debet producere fœtum ex sua substantia, vel ex aliquo sibi conjuncto, saltem in principio generationis : finalis, cùm dicitur in similitudinem naturæ ; finis etenim generationis est propagatio naturæ in alio simili : unde actio generativa per se tendit ad illam similitudinem formandam & imprimendam termino. Denique per illa eadem verba indigitatur causa formalis, quæ est forma geniti similis generanti, ad quam communicandam generatio est per se instituta.

Atqui hæc generationis definitio, sublatis imperfectionibus, propriissimè convenit processioni Verbi, non verò processioni Spiritus Sancti : ergo illa, non ista, est generatio. Major est definitio generationis communi Philosophorum calculo probata. Minor suadetur applicatione singularum particularum. In primis processio Verbi est origo viventis : *Sicut enim Pater habet vitam in semetipso ; sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Deinde est à vivente ut tali, cùm procedat per actionem vitalem, seu intellectionem : est etiam à vivente conjuncto, quia Verbum cùm sit terminus actionis immanentis, manet intra dicentem, juxta illud Ioan. 1. *Vnigenitus qui est in sinu Patris.* Denique Verbum esse in similitudinem naturæ (in quo est tota difficultas) sic monstratur.

Verbum ex vi & modo suæ processionis recipit naturam similem suo principio, secus verò Spiritus Sanctus : ergo processio Verbi est in similitudinem naturæ, subindeque vera generatio, non verò origo Spiritus Sancti. Consequentia patet : licèt enim illæ particulæ, *ex vi*, & *ex modo*, non explicentur in definitione generationis, implicitè tamen subintelliguntur, quia definitiones intelliguntur in sensu formali. Antecedens verò probatur : hæc est natura actionis intellectualis, ut similitudinem objecti producat ; natura verò actionis voluntatis, ut producat impulsum in objectum amatum. Ergo licèt per processionem Verbi, & processionem Amoris communicetur natura, quia utraque processio divina est, ac proinde deitatem communicans, tamen non communicatur natura ex vi & modo processionis, nisi per processionem Verbi, quia actio intellectus est per se assimilativa, seu producens similitudinem in termino suo, sicut actio voluntatis est impulsiva, seu producens pondus in objectum amatum.

Hanc rationem disertè tradit Doctor sanctus q. 27. art. 4. dicens : *Processio quæ attenditur secundùm rationem intellectus, est secundùm rationem similitudinis ; & in tantum potest habere rationem generationis, quia generans generat sibi simile : processio autem, quæ attenditur secundùm rationem voluntatis, non consideratur secundùm rationem similitudinis, sed magis secundùm rationem impellentis & moventis in aliquid ; & ideò quod procedit in divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut filius ; sed magis procedit ut spiritus.* Non est ergo necesse ad salvandam rationem generationis in processione Verbi, constitutivum naturæ divinæ esse formaliter intelligere quod communicetur Verbo ; id enim D. Thomas non requirit, ut vidimus ; sed solùm exigit, ut ex modo processionis communicetur similitudo in natura. Quod etiam clarissimè explicat *lib.* 4. *contra Gentes, cap.* 11. his verbis : *Hæc est vera generationis ratio in rebus viventibus, quod id quod generatur, à generante procedat ut similitudo ipsius, & ejusdem naturæ cum ipso. quod sit ejusdem naturæ cum principio, convenit Spiritui Sancto, qui reverà Deus est : quod procedat ut similitudo, soli Verbo convenit ex modo suæ processionis.* Vides ideò solum Verbum esse filium, non Spiritum, non quòd Filius recipiat intelligere, sed quia recipit per intelligere, quæ est actio assimilativa.

Illustratur

Illustratur totum hoc mysterium egregia ejusdem Sancti Doctoris comparatione *loco citato*, *cap.* 25. Quanvis Spiritus Sanctus sit Deus, & veram naturam divinam habeat à Patre & Filio, non tamen oportet quod filius sit: *Filius enim dicitur aliquis ex eo quod genitus est; unde si res aliqua naturam alterius acciperet, non per genituram, sed per alium quemcunque modum, ratione filiationis careret: utpotè, si aliquis homo virtute sibi divinitus ad hoc concessa hominem faceret ex aliqua sui corporis parte, vel etiam exteriori modo, sicut facit artificiata, productus homo producentis filius non diceretur, quia non procederet ab eo ut natus. Processio autem Spiritus sancti rationem nativitatis non habet* (ut suprà ostensum est, scilicet. *cap.* 19. ubi dixi, Spiritum Sanctum non esse natum, quia non procedit per intellectum, sed per voluntatem.) *Unde Spiritus Sanctus licèt à Patre & Filio divinam naturam habeat, non tamen eorum filius dici potest.* Ubi vides, quod ad rationem generationis non sufficit recipere naturam quocumque modo, sed modo assimilativo, & actione per se destinata à natura ad imprimendam similitudinem termino producto. Qua de causa Abel est filius Adam, non Eva ex ejus costa formata; quia licèt utrique fuerit communicata natura humana, non tamen eodem modo; Abeli quidem actione generativa & assimilativa, secus verò Evæ. Atqui actio intellectus ea propria, characteristica & differentiali ratione est assimilativa, secus verò actio voluntatis: ergo actio productiva divini Verbi est generativa, non verò actio productiva Spiritus Sancti.

Solutio objectionum.

Objicies: Spiritus Sanctus ex vi suæ processionis procedit ut Deus, & ut persona subsistens in natura divina per se, & non per accidens, aliàs esset Deus per accidens, quod insulsum est: ergo ex vi suæ processionis recipit naturam divinam, quod sufficit ad rationem generationis.

Respondeo Spiritui sancto communicari naturam per processionem identicè, non verò formaliter ex vi amoris, de cujus sola ratione est producere impulsum, non verò communicare naturam, nisi ratione subjecti exigentis ut quidquid in Deo est, Deus sit. Sicut dum artifex format annulum, quod annulus sit talis figuræ, per se procedit ab artifice; quod verò sit aureus, vel æneus, est per accidens ratione materiæ. Similiter terminus voluntatis ex sua ratione est duntaxat impulsus, & pondus in amatum; quod verò ille impulsus sit aureus auro divinitatis, hoc habet ratione subjecti, quia quidquid est in Deo, Deus est. At verò intellectio ex propria ratione intellectionis terminatur ad producendum simile, subindeque perfectissima intellectio per se tendit ad perfectissimam similitudinem, quæ est in natura ex efficacia & intima ratione processionis intellectualis depuratæ ab omni imperfectione: nam ut ait D. Thomas hic, art. 1. ad 2. *Intelligere tendit ut fiat unum cum intellectu: unde quando intelligere est in fine perfectionis, sicut in Deo, verbum quod ab eo procedit, debet esse summè unum cum eo à quo procedit.*

Aliter potest explicari hæc difficultas ex eodem Divo Thoma dicendo, Spiritum Sanctum procedere ut Deum, & ut personam subsistentem in natura divina actione spirativa, non assimilativa: sicut Eva processit ab Adamo ut persona subsistens in natura humana, non tamen processit ut nata ac genita, quia non fuit formata actione generativa: & homo qui per artem (juxta exemplum D. Thomæ suprà) procederet, non tamen esset filius artificis, nec procederet ut persona genita, sed artefacta. Nec propterea Spiritus sanctus dicitur Deus per accidens, sicut homo ille artefactus, vel miraculo productus, non esset homo per accidens, sed per se, & substantialiter talis, tametsi non esset productus actione per se ad id à natura instituta.

Dices, Spiritui sancto communicatur existentia divina ex vi productionis ipsius, cùm productio terminetur ad esse: sed existentia divina non distinguitur etiam virtualiter à natura: ergo ex vi processionis communicatur Spiritui sancto divina natura.

Respondeo, Spiritui sancto communicari existentiam divinam tanquam conditionem generalem requisitam ad omnem productionem; non tamen tanquam terminum formalem amoris: sicut calidum producit quidem existens, sed terminus formalis calefactionis non est existentia, sed calor. Vel dic, Spiritui Sancto communicari existentiam ut spiratam, non ut natam, nec modo assimilativo, quod requiritur ad generationem: unde Spiritus Sanctus non habet eandem naturam, nisi identicè.

Instabis: ergo Spiritus Sanctus est identicè Filius, sicut est identicè Deus.

Respondeo, nego consequentiam: quia ut persona sit filius, non sufficit quod sit Deus, aliàs Deus Pater esset Filius; sed requiritur quod sit similis principio, ex vi & modo processionis.

Insistes: Omne agens intendit producere sibi simile, non in principio proximo, sed radicali: v. g. ignis generans tendit ad communicandum non solùm calorem, sed etiam naturam ignis: Sed principium radicale amoris divini est natura divina: Ergo amor divinus producit terminum similem naturæ divinæ, atque adeò Filium.

Respondeo, majorem esse veram, quando agens agit per actionem per se institutam, & destinatam à natura ad communicandam substantiam generantis, & proprietates ejus; tunc enim per se communicatur natura, non verò per alias actiones. Sicut non omnis actio hominis est productiva hominis, sed sola actio generativa: actio autem, quæ est communicativa naturæ in Deo, est intellectio, quia est assimilativa; non amor, qui est tantùm impulsivus.

Urgebis. Intellectio non habet producere simile in natura, nisi quia est divina; id enim non habet ex præcisa ratione intellectionis, quæ ex propriis meritis habet solùm producere similitudinem intentionalem; aliàs omne procedens per intellectionem esset genitum & filius: atqui similiter amor producens Spiritum Sanctum est divinus & perfectissimus: ergo ambæ processiones sunt pares, sicque vel utraque est generatio, vel nulla.

Respondeo Verbum procedere formaliter ut simile in natura, non quia procedit ab intellectione præcisè ut intellectio est, nec ab ea ut divina est formaliter; sed ut est intellectio perfectissima: intellectio enim in linea intellectionis perfectissima, infinita & omnium possibilium maxima exigit similitudinem omnium possibilium maximam, idest consubstantialitatem: at amor ex propria ratione non terminatur ad simile, sed producit impulsum, qui quantumcumque crescat in perfectione, non est similitudo objecti formaliter, sed inclinatio in illud. Potest secundò responderi ex dictis, intellectionem communicare naturam, quia est divina, & hoc etiam convenit processioni amoris divini; sed communicare naturam modo assimilativo & per se instituto ad imprimendam similitudinem, quia est intellectio: per quod differt à processione amoris, qua quidem communicatur natura, sed non modo assimilativo.

Reflexio.

Sæpiùs miratus sum, Christum Dominum, ferè præ amore hominum suæ æternæ generationis oblitum, nuoquam se Filium Dei, sed crebertimè filium hominis appellare, etiam cùm de suis amplissimis & magnificentissimis operibus loquitur, ut Matthæi 16. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui cum Angelis suis.* Et Ioannis 3. *Nemo ascendit in cœlam, nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo.* Vnde hoc? Si enim processio ejus est generatio, ut diximus, cur ab ea non se nominabat Filium Dei? cùm à nobiliori parte sit denominatio, ut dicunt Philosophi. Variæ sunt causæ hujus tam amabilis nomenclaturæ. Prima, ut nunquam obliviscerentur immensi Incarnationis beneficii: nam, ut ait August. lib. de consensu Evangelistarum, cap. 1. *Secundùm carnem Christum filius hominis est, quod etiam se ipse sæpissimè appellat, commendans nobis quid misericorditer dignatus sit esse pro nobis.* Id ergo frequenter habere voluit in ore quod semper operabat ut nostro esset in corde. Secundò ut hac suavissima nomenclatione suam nobiscum, nostrámque cum ipso conjunctionem, consanguinitatem, & veluti fraternitatem demonstraret. Hebræor. 2. *Non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nunciabo nomen tuam fratribus meis.* O profusio amoris! ô dignatio charitatis! Tertiò, ut hac modestissima voce humilitatis præberet exemplum Dominus virtutum, & conquisitos honorum titulos abjiciendos doceret Magister humilitatis, qui sicut intermedia carne, quasi velo interjecto divinitatis gloriam occultabat, sic objecta filii hominis appellatione æternæ suæ generationis obducere majestatem ambiebat. Sed nos tantæ demissionis examinationem æternæ ipsius generationis confessione honoremus, ut rectè colligit S. Augustin. *tract.* 25. *in Ioan.* ex illis verbis Matth. 16. *Quem dicunt homines esse filium hominis? Respondit Petrus: Tu es Christus filius Dei vivi.* Hanc responsionem sic ponderat August. *Verbum Dei commendat humilitatem suam, homo agnoscit claritatem Domini sui, & verè, fratres, puto quia justum est. Humiliavit se propter nos, glorificemus illum nos: non enim filius hominis propter se est, sed propter nos.*

Speculatio III.

Varia sunt divinarum processionum miracula, & eximia prærogativa.

De hac materia fusè & eleganter disserit P. Hyacynthus Chalvet *tom.* 2. *Theologi Ecclesiastic, lib.* 2. *de Trinitate, à cap.* 3. nos pauca annotabimus.

Primum ergo miraculum divinarum processionum est, quod personæ procedentes perenniter fluunt à principio sine motu ullo, vel umbra aliqua transitus, vel vicissitudinis: ideò enim motus in actionibus creatis invenitur, imò & mutatio in actionibus immanentibus, quis causæ creatæ sunt potentiales & imperfectæ: unde nihil ad perfectum adducunt, semperque aliquid eis agendum superest. At verò Deus est actus purus infinitus, unde termini actionum ejus internarum non sunt ita in fieri, quin sint simul in facto esse, quod divinè exprimit Scriptura Psal. 2. *Ego hodie genui te*: ubi jungit præsens cum præterito, ut & perennitatem, & perfectionem designaret. Nam apud nos, & præsentia stant, & præterita perfecta sunt: quare termini divinarum processionum nunquam vadunt, nusquam recedunt, ut eleganter Augustin. *tractatu* 68. *in Ioan.* exponens illa Christi verba: *Vado vobis parare locum*, ubi ait: *Quid est quod vadis? quid est quod venis? Si benè te intelligo, nec unde vadis, nec unde venis recedis: vadis latendo, venis apparendo. Sed nisi maneas regendo, ut proficiamus benè vivende, quomodo parabitur locus ubi possimus manere perfruendo.*

Secundum miraculum est quod processiones divinæ sunt promptissimæ & instantaneæ, sine ullo tamen præcipitationis defectu, ita ut celeritas nullatenus earum consummatæ perfectioni officiat; agens enim infinitum non eget tempore, & agens sapientissimum nihil nisi sapientissimè agit. Hinc Zeno Veronens. serm. 1. de generatione æterna: *Ineffabilis illa, atque incomprehensibilis sapientia sapientiam, omnipotentia omnipotentiam propagat: de Deo nascitur Deus, de toto totus.*

Tertium miraculum. Divinæ origines perenniter manant absque principii labore, vel tædio. Sicut omnes causæ secundæ agendo reparantur, ita perpetuitate agendi fatiscunt. *Hæc sententia mundo data est*, ait Cyprianus lib. de mortalit. *ut omnia orta occidant, & aucta senescant, & infirmentur fortia, & magna minuantur, ut cùm infirmata & diminuta fuerint, finiantur.* Sed à lege naturæ absolutus est author naturæ: non laborat, nec dum extra operatur, qui Verbo omnia producit; nec dum intra agit, quia una cognitione, & una amoris flamma personas divinas producit. Quid autem facilius verbo, quid promptius cognitione, quid suavius amore? Labor ergo & tædium longè sunt ab operatione divina.

Quartum miraculum. Processiones divinæ sunt semper veteres, & semper novæ. Antiquæ quidem sunt, quia ab æterno per omne tempus continuò ductæ jugiter emanarunt. Micheæ 5. *Egressus ejus à diebus æternitatis.* Semper autem novæ sunt, quia quotidie singulisque momentis promanant. Vnde Divus Dionys. cap. 5. de divin. nominib. *Deus est ævum ævorum, & existens ante sæcula.* Et S. Paul. 1. Corinth. 8. *Christus heri, & hodie ipse & in sæcula.* Et Apocal. 1. *Qui est, qui erat, & qui venturus est.* Hæc dicta sunt respectu intellectus nostri, & per ordinem ad tempus nostrum: nam in rei veritate in Deo neque vetustas est, neque novitas, ut docet Augustin. lib. 1. confess. cap. 4. *Nunquam novus, nunquam vetus; innovans omnia, & in vetustatem perducens superbos.*

Quintum miraculum est, quod termini divinarum processionum semper procedunt, semper remanent intra suum principium. Nam ut dicitur Ioan. 1. *Verbum erat apud Deum.* Hinc Tertullian. contra Prax. *Profert Deus Filium sicut radix fruticem, fons fluvium, & sol radium: nec tamen frutex à radice, nec fluvius à fonte, nec radius à sole discernitur.* Et Chrysolog. serm. 7. *De Patre processit Filius, non recessit: nec successurus Patri prodivit ex Patre, sed prodivit mansurus semper in Patre. Audi Ioannem dicentem: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Quod erat, atique non accessit: quod erat apud Deum, à Deo non recessit.* Et Zeno Veronens. serm. 2. de generat. *Prodivit amgenitus Filius cordis Patris nobilis inquilinus.*

Sextum miraculum. In omni loco scaturiunt divinæ processiones; & tamen sunt independentes ab omni loco: nam ut ait Hilar. lib. de Trinit. *Deus est intra, & extra; supereminens, & internus; circumfusus, & infusus in omnia.* Cùm enim Deus sit immensus, ubique etiam producit Pater Filium, & uterque Spiritum Sanctum: ex quo inferebat Veritas alloquens Samaritanam, *Ioan.* 4. Deum non esse in determinato loco adorandum, quia Deus est spiritus incircumscriptus, & tota Trinitas ubique est, unde habet totum mundum pro templo. *Veniet hora quando neque in monte*

monte hoc, nec in Hierosolymis adorabitis Patrem. Venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate: nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus, &c.

Septimum miraculum. In processionibus divinis tota sese effundit divinæ essentiæ plenitudo. Cùm enim tres personæ sint consubstantiales, eadem est in singulis sine divisione, vel restrictione substantia: & ut ait Zeno antè citatus: *De Deo nascitur Deus, de toto totus; totum Patris habens, nihil derogans Patri.* Hæc enim est infiniti natura, quod propriæ abundantiæ ubertate exuberans, datis non minuitur, nec superadditis crescit.

Octavum miraculum est fœcunditatis & virginitatis fœdus. Fœcunditas quidem apparet in productione termini infiniti; sed hac fœcunditate nihil purius. Unde celebre illud Nazianzeni dictum, *Prima virgo Trias est;* quia nimirum Pater generat, sed ejus partus cognitio est; cognitio verò in immaterialitate & puritate fundatur. Tum quia Pater genetat Verbum sine consortio alterius, subindéque gignendo Filium virgo est; sicut Maria, dum genuit Salvatorem, virgo permansit. Et licèt cum Filio Pater producat Spiritum Sanctum, virgines tamen ambo perseverant, quia uterque ut unicum principium, & unicus spirator concurrit. Sicut ergo à Patre omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur, ita ab ejus puritate omnis puritas & derivatur, & exemplatur.

Mitto alia divinarum processionum miracula, ut quod sunt ex aliquo principio, non tamen ex subjecto; quod sunt ab alio, sed sine dependentia; quod sunt ad alium, non ut ad effectum, sed ut ad terminum; quod insunt principio sine informatione; sunt ei unitæ sine compositione; in illis salvatur pluralitas sine divisione; unitas sine solitudine; societas in naturæ identitate; actiones sunt sine inhærentia; profluunt Deo volente, sed sine libertate; semper manabunt, nec tamen sunt futuræ; semper manarunt, nec sunt præteritæ; semper manant, nec reproducuntur, vel productione perficiuntur, ut ampliùs constabit ex dicendis.

R e f l e x i o.

Ad hæc, aliáque harum processionum miracula tam sublimia, támque à sensibus remota stupet sensus, pavet ratio, & adeò insolito percussa prodigiorum splendore humiliter cum August. *cap.* 31 *solilog.* confitetur: *Sola Trinitas tua soli tibi nota est.* Sed quamvis hoc ita sit, non debemus tamen à tanti mysterii contemplatione deterreri. *Quærite Dominum, & confirmamini; quærite faciem ejus semper, lætetur cor quærentium Dominum.* Si Dominus semper quærendus, numquámne inveniendus? Si verò nunquam inveniendus, quomodò lætabitur, vel potiùs non contristabitur cor quærentium? Respondet August. lib. 15. de Trinit. cap. 2. *Tam magnum bonum & quæritur, ut inveniatur dulcius; & invenitur, ut quæratur avidius,* juxta illud: *Qui me comedunt, adhuc esurient; & qui me bibunt, adhuc sitient.* Quæramus fide, quæ veluti nox est, juxta illud: *Deum exquisivi nocte manibus meis, & non sum deceptus.* Quæramus meditatione, Psalm. 33. *Accedite ad eum* (non gressibus corporis, sed mentis affectibus) *& illuminamini, & facies vestra non confundentur.* Quæramus silentio & admiratione, Psalm. 85. *Te decet hymnus* (vel ut alii legunt) *silentium Deus in Sion.* Quæramus amore & dilectione, quo totam ad nos Trinitatem advocabimus. Nam: *Si quis diligit me, ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Nemo sic frustrà quæret. *Domine Deus noster* (ait August. cap. 1. medit.) *da cordi nostro te desiderare, desiderando quærere, quærendo invenire, inveniendo amare, amando mala nostra redimere, redempta non iterare.*

C A P U T II.

De relationibus divinis.

Præsupponit hic titulus dari veras relationes reales in creatis ab omni ente absoluto distinctas: cujus probatio licèt Philosophici sit instituti, hoc tamen moneo, vix, ac ne vix quidem posse totam hanc materiam de relationibus divinis, quibus tanquam cardinibus innititur totum nostrum Mysterium, ut pat est explicari, nisi supposito hoc fundamento philosophico. Nam si semel admittatur, relationem etiam tertii generis, scilicet fundatam in actione, nihil aliud esse quàm extrema absoluta, quorum unum connotat aliud, & ab eo denominatur extrinsecè relatum, ut opinantur frequenter moderni, statim inferent Ariani, in divinis non posse admitti relationem Patris & Filii, nisi inter duo absoluta, quorum unum connotet aliud; atque adeò Patrem distingui à Filio per aliquid absolutum: quod est destruere consubstantialitatem personarum.

Quare genus relativum debet omninò distingui, & superaddi entibus absolutis, etiam sibi coëxistentibus, & sese connotantibus. Hoc obiter observes, ut videas connexionem Philosophiæ Thomisticæ cum vera Theologia. Porrò in relationibus divinis explicandis hanc methodum adhibebimus, ut earum existentiam, essentiam, partes, & proprietates declaremus.

S p e c u l a t i o I.

Admittendæ sunt in Deo relationes reales, & sunt quatuor numero, scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa, & processio.

Hanc veritatem quoad omnes suas partes negabant Arrius, & Sabellius. Ille enim censens Filium & Spiritum Sanctum esse creaturas, inferebat Patrem non habere ullam relationem realem ad illos, sicut nec habet ad creaturas. Iste verò quia negabat distinctionem Patris & Filii, utique negare relationes tenebatur; quippe quæ realiter non exercentur nisi inter extrema distincta. Nonnulli etiam Theologi videntur indicare, relationes secundùm respectum ad terminum non afferre distinctam realitatem virtualiter distinctam ab absoluta, quamvis cæteroquin fateantur dari in Deo veras relationes reales secundùm rationem afficiendi subjectum, quam vocant rationem *In*, sicut priorem appellant rationem *Ad*: utut sit,

Probatur veritas catholica per partes: & prima quidem, asserens dari in Deo relationes reales habetur in Scriptura disertè explicante distinctionem personarum nominibus relativis. Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii,* &c. quibus nominibus nihil frequentius in novo Testamento, Conciliis, Patribus, & Theologis, apud quos unanimiter recepta est celebris illa Boëtii sententia: *Substantia præbet unitatem, relatio multiplicat Trinitatem.*

Ratio verò hujus veritatis duplex est ex S. Thoma. Prima: si paternitas, & relatio non sint relationes reales, sed tantùm rationis, Pater & Filius non distinguerentur realiter, sed tantùm ratione: cùm enim personæ divinæ non distinguantur realiter per aliquid absolutum (cùm in absolutis sint consubstantiales, & aliter dicere, est prolabi cum Arrio) necessariò distingui debent per relationem: atqui non possunt

distingui realiter per relationem rationis: ergo ad id omnino necessariæ sunt relationes reales.

Altera ratio sic procedit. In Deo dantur origines & processiones, ut vidimus articulo præcedenti: ergo & relationes reales, ubi enim est processio, necessariò est etiam habitudo realis procedentis à producente; quæ habitudo relatio est. Quæ rationes benè penetratæ convincunt etiam, relationem non solùm prout afficit personam, sed etiam quatenus formaliter respicit terminum, esse realem in Deo; itaut ipse respectus, & veluti deosculatio termini, quæ dicitur ratio *Ad*, sit realis.

Nam, quod efficit distinctionem realem personarum, procul dubio debet esse reale; quod enim à ratione confingitur, nihil objecto præstat. Sed relatio divina secundùm respectum ad terminum causat realem divinarum personarum distinctionem, cùm solus ille respectus causet oppositionem, in qua sola innititur omnis distinctio in divinis. Ergo ipsemet respectus ad terminum importat aliquid reale speciale, virtualiter distinctum ab absoluto, & realiter distinctum à suo correlativo.

Objicies. Relatio importat multas imperfectiones divinitati repugnantes; nam non solùm ex genere suo est debilissimæ & minimæ entitatis, ut dicunt Philosophi, sed etiam ex sua essentiali & specifica ratione habet quod sit ad alterum: atqui Deo enti perfectissimo, & ultimo fini omnium repugnat ordinari ad aliud: ergo Deo repugnat relatio.

Respondeo, quod licèt relatio creata sit debilissimæ entitatis in creatis, in quibus habet esse accidentale; in divinis tamen, in quibus habet esse substantiale, omni imperfectione caret: & quamvis ultimo fini repugnet referri vel ordinari ad aliquid extra se, nihil tamen prohibet quin referatur ad aliquid intra se. Pater autem & Filius sunt intra Deum, eandémque rationem ultimi finis ambo possident. Addi potest, & fortè meliùs, quod licèt repugnet alicui in Deo existenti referri ad aliud ut ad finem, non tamen ut ad correlativum. Et ratio discriminis est, quia prior respectus importat dependentiam & subordinationem; non verò posterior, qui solùm exigit nexum extremorum.

Instabis. Relatio est respectus unius ad aliud: Sed in Deo non est respectus unius ad aliud, cùm in ipso non sit aliud & aliud, ob eandem in utroque extremo naturam: Ergo in Deo non datur relatio realis.

Respondeo quod licèt in Deo non detur aliud in natura, benè tamen in supposito; nam aliud est suppositum Patris, aliud Filii: nec ly *aliud*, in definitione relationis accipiendum est rigorosè, & strictè; sed in ampliori significatione pro termino realiter distincto.

Insistes. Ideò in Deo non est respectus realis ad creaturas, quia Deus sine mutatione sui eas producit: atqui similiter Pater æternus produxit Filium sine ulla sui mutatione: ergo in Deo respectus ad Filium non est realis, licèt concipiatur à nobis talis per analogiam ad relationes creatas.

Respondeo, quod licèt Pater non mutetur in productione Verbi, sicut nec mutatur in productione creaturæ; tamen relatio Patris ad Filium debet esse realis, quantumvis non sit nisi rationis ad creaturas; & rationem disparitatis tradit S. Doctor *q. 28. art. 1. ad 3.* quia Filius est ejusdem ordinis & naturæ cum Patre: unde utrumque extremum est capax relationis ad alterum mutuò sibi correlatum. At verò creaturæ infinitè distant à Deo; unde Deus est extra ordinem totius creaturæ. Quando autem extrema non sunt ejusdem ordinis, non est relatio realis in utroque, sed in illo solo, quod est inferius & dependens ab alio. Vnde in Deo non est relatio realis ad creaturas, sed in creaturis est relatio realis ad Deum.

Persistes adhuc. Relationes quæ consequuntur operationem intellectus, non sunt reales, sed rationis: atqui relatio Patris & Filii consequuntur operationem intellectus, ut sæpè dictum est; ergo relationes illæ non sunt reales, sed rationis.

Respondeo ex D. Thoma ibidem ad 4. quod relationes consequentes operationem intellectus, sunt tantùm relationes rationis in rebus intellectis, quarum unam intellectus ad aliam confert. At verò relationes, quæ consequuntur operationem intellectus intra ipsammet operationem mentis, non sunt relationes rationis, sed rei, quia ipse intellectus & ratio est quædam res, cujus operatio est realis; & sic paternitas & filiatio sunt relationes reales in divinis.

Obsistes demùm. Si relatio sit realis, communicabit essentiæ suum effectum formalem: sed hoc repugnat; effectus enim primarius relationis est reddere relatum, essentia autem divina non est relata ad Filium, cum quo identificatur; nihil verò realiter refertur nisi ad terminum realiter distinctum: ergo relatio non est in Deo realis.

Respondeo, relationem non reddere essentiam relatam, sed suppositum, v. g. paternitas reddit Patrem relatum ad Filium; solus quippe Pater, & non essentia opponitur Filio. Posset adhuc ampliùs urgeri; sed aliquid subtilitati ingenii studiosi lectoris relinquendum est.

Numerus relationum divinarum.

Secunda pars, quæ asseverat quatuor esse in Deo relationes reales, probatur. Tot sunt relationes in Deo, quot esse exigunt divinæ processiones; nam, ut ex dictis patet, processiones sunt fundamenta relationum: sed divinæ processiones exigunt quatuor relationes; processio enim Verbi, cùm sit generatio, fundat paternitatem in principio, filiationem in termino, processio verò amoris postulat in principio relationem spirationis, in termino verò relationem spirati & procedentis, quæ vocatur spiratio passiva, seu processio, defectu propriorum vocabulorum, quæ nobis non suppetunt ad explicandam processionem amoris, utpote valde occultam: Ergo in Deo sunt quatuor relationes reales, scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva, seu processio.

Dices. Ergo in Deo est quaternitas personarum: relatio enim realis personam constituit, subindéque quadruplex relatio quatuor personas constituet.

Respondeo unam ex præfatis relationibus, nimirum spirationem activam, non constituere specialem personam, quia nimirum identificatur cum paternitate & filiatione, quibus non opponitur; subindéque ab eis non distinguitur, cùm sola oppositio relativa pluralitatem causet in divinis. Ad cujus majorem intelligentiam adverte, relationes in creatis distingui non solùm propter oppositionem, sed etiam propter limitationem: unde una relatio non potest respicere plures terminos disparatos, etiamsi non sint oppositi; quia ob innatam suam finitatem non possunt fungi vice plurium relationum. At verò in Deo nulla intercedere potest distinctio, nisi ratione oppositionis. Spiratio autem, & paternitas non sunt oppositæ, unde sunt eadem omninò res, habens tamen vim & munus duplicis relationis disparatæ; & se habent sicut duo attributa: sicut enim dicimus, quod justitia in Deo est misericordia, non tamen dicimus quod sunt duæ realitates, nec quod attributum justitiæ sit attributum misericordiæ: ita similiter dicimus, quod paternitas & spiratio

ratio activa sunt idem, non tamen dicimus quod relatio paternitatis sit relatio spirationis.

Vigebis, Multiplicato inferiori multiplicatur superius, v. g. multiplicatis hominibus, multiplicantur animalia, viventia, corpora, & substantiæ: Sed relatio est inferior rei & entis: Ergo si sint quatuor relationes, sunt etiam quatuor res distinctæ.

Respondeo, ad multiplicationem inferioris multiplicari superius, quando inferius multiplicatur ratione alicujus intrinseci, secus autem si plurificetur per connotationem alicujus extrinseci; sicut actus Dei liber non addit aliquid reale ac necessariò distinctum, sed est eadem entitas diversa respiciens. Similiter in Patre eadem entitas relationis, quæ respiciebat Filium beneficio & amplitudine suæ infinitatis, protendit se ad Spiritum Sanctum: sicut etiam eadem entitas indistincta & miseretur, & punit, ob suam eminentiam. Quare illæ solæ relationes distinguuntur realiter inter se, inter quas exercetur oppositio: exercetur verò inter paternitatem & filiationem, spirationem activam & processionem, unde tres tantùm sunt realiter discretæ, paternitas scilicet, filiatio, & processio.

Reflexio.

Quod naturaliter in Deo præstat relatio, dum necessariò personas divinas adinvicem refert, idem erga nos, liberè tamen, efficit amor divinus. Sanè sicut Pater producendo Filium naturalem, ipsum naturaliter respicit; sic dum homines amore producit, continuò propendet in filios suæ voluntatis. Omnem productionem comitatur relatio vel naturæ, vel charitatis: cum hac tamen differentia, quod productionem naturalem relatio sequitur, productionem Dei liberam relatio charitatis antecedit. Oseæ 11. *Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans.* Divinum attractum præcedit amor, sed quanvis præeedat, non deserit tamen, cùm scriptum sit, *Firmabo super te oculos meos*: & iterùm, *Oculi Domini super justos. Recogita Deum* (ait Tertul. de resurrect. carn. cap. 16.) *totum homini occupatum ac deditum*, manu, opere, sapientia, providentia, ac in primis amore. Quàm suavis relatio divinæ charitatis, quæ totam ad nos refert Trinitatem. Patrem inclinat: nam ut ait Chrysologus serm. 55. *Si Pater pater est, non potest non amare; si amat, nisi quod bonum est, dare nescit: Negat Patrem, qui de Patris suspectus est largitate.* Filium refert, *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Et Isai. 9. *Puer datus est nobis, & Filius natus est nobis.* Quæ Bernard. ponderans: *Nonne*, ait, *nobis est natus, qui totum fuit in nostros usus consumptus?* Et Chrysolog. serm. 23. *Tibi Rex, tibi Sacerdos, tibi Pastor, tibi sacrificium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factum est, qui feceras totum.* Ad nos denique refert Spiritum Sanctum, qui totus amor, totus donum est, & ratio donandi omnia, ut infrà dicemus. Pudeat ergo nos in nobis sistere, ad ipsum totis viribus referamur, ad suum amor noster recurrat principium, suæ reddatur origini, suo refundatur fonti, semper ex eo sumat, unde jugiter fluat.

Speculatio II.

Relationes in Deo sunt ipsa substantia Dei, ità ut nulla interveniat distinctio actualis, sed sola virtualis inter utrasque: imò relationes sunt de quidditate essentiæ, & vice versa, essentia de quidditate relationum, cum solà præcisione formali, non verò objectiva.

Hanc speculationem pluribus argumentis confirmare minimè opus est, cùm ex præjactis *lib. 1.* de simplicitate divina fundamentis stabilita maneat: ibi etenim satis superque monstratum fuit, quod quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, translatum in Deum habet esse substantiale: & quod sicut teste Gregorio Magno, *apud Deum labentia stant, & mutabilia permanent; ita accidentalia subsistunt:* Vnde Ioan. 10. dicitur: *Ego & Pater unum sumus:* Et 1. Ioan. 5. *Et hi tres unum sunt.* Quæ testimonia intelliguntur à Concilius & Patribus de unitate perfecta & consubstantiali, ut patet ex Concilio Nicæno, ubi ὁμοούσιος firmatum est: Lateranensi cap. 2. dicente; *Qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, & natura divina:* & Florentino *sess. 18.* docente essentiam & personam distingui solùm secundùm modum intellectionis nostræ.

Rationes etiam hujus veritatis quoad primam partem expensæ sunt loco citato de simplicitate Dei, quæ æquè convincunt in præsenti: nam si essentia distinguatur realiter à relationibus, perit divini actus puritas; essentia enim erit in potentia ad relationes à se distinctas, & in se receptas: destruitur divina simplicitas; resultabit siquidem inter essentiam & relationes ex earum unione compositio simplicitatis inimica: denique convellitur divina infinitas, si immensum divinitatis pelagus in suæ plenitudinis ambitu non sibi identificet omnem entitatem, tam absolutam, quàm relativam, sed indigeat aliquo distincto à se, ut habeat omnia sibi requisita.

Atque ex his planè relinquitur, exulare prorsus à Trinitate omnem distinctionem actualem opus rationis prævenientem, sive *modalis* à Durando vocetur, sive *formalis ex natura rei* à Scotistis appelletur. Nam rationes insinuatæ omnem omninò distinctionem actualem, & realem, non identitatem; æquè nervosè excludunt, ut patebit consideranti. Prætermitto etiam rationes metaphysicas, quibus ostendi solet, distinctionem mediam inter realem & rationis videri monstrum in Philosophia. Distinctio namque, sicut & unitas, sequitur entitatem: sed nulla entitas fingi potest media inter realem & rationis: ergo nec distinctio media. Distinctio verò modalis Durandi adhuc videtur pejor, quia modus est entitas imperfecta, habens esse diminutum, dependens, nec multùm recedens à natura accidentis.

Quare sistendum est in distinctione virtuali, aliàs etiam explanata, quæ nihil est aliud quàm divina perfectio & eminentia, quæ non potest unico conceptu adæquari, nec uno proinde nomine declarari, sed diversis attingi. Confert autem suprema illa eminentia, ut idem præstet eadem simplicissima res, quod præstaret ens absolutum & relativum realiter distinctum: sicut eadem anima rationalis uniendo gradum vegetativum, sensitivum, & rationalem, iis eadem fungitur muniis, quæ ab illis gradibus seorsim sumptis exercerentur. Vide loco prædicto, atque etiam egregium D. Bernardi discursum præsenti accommoda instituto.

Postrema pars de inclusione essentiæ in conceptu relationum, & è contra, per exclusionem præcisionis objectivæ,

distingui realiter per relationem rationis: ergo ad id omnino necessariæ sunt relationes reales.

Altera ratio sic procedit. In Deo dantur origines & processiones, ut vidimus articulo præcedenti: ergo & relationes reales; ubi enim est processio, necessariò est etiam habitudo realis procedentis à producente; quæ habitudo relatio est. Quæ rationes benè penetratæ convincunt etiam, relationem non solùm prout afficit personam, sed etiam quatenus formaliter respicit terminum, esse realem in Deo; itaut ipse respectus, & veluti deosculatio termini, quæ dicitur ratio *Ad*, sit realis.

Nam, quod efficit distinctionem realem personarum, procul dubio debet esse reale; quod enim à ratione confingitur, nihil objecto præstat. Sed relatio divina secundùm respectum ad terminum causat realem divinarum personarum distinctionem, cùm solus ille respectus causet oppositionem, in qua sola innititur omnis distinctio in divinis. Ergo ipsemet respectus ad terminum importat aliquid reale speciale, virtualiter distinctum ab absoluto, & realiter distinctum à suo correlativo.

Objicies. Relatio importat multas imperfectiones divinitati repugnantes; nam non solùm ex genere suo est debilissimæ & minimæ entitatis, ut dicunt Philosophi, sed etiam ex sua essentiali & specifica ratione habet quod sit ad alterum: atqui Deo enti perfectissimo, & ultimo fini omnium repugnat ordinati ad aliud: ergo Deo repugnat relatio.

Respondeo, quod licèt relatio creata sit debilissimæ entitatis in creatis, in quibus habet esse accidentale; in divinis tamen, in quibus habet esse substantiale, omni imperfectione caret: & quamvis ultimo fini repugnet referri vel ordinari ad aliquid extra se, nihil tamen prohibet quin referatur ad aliquid intra se. Pater autem & Filius sunt intra Deum, eandémque rationem ultimi finis ambo possident. Addi potest, & fortè meliùs, quod licèt repugnet alicui in Deo existenti referri ad aliud ut ad finem, non tamen ut ad correlativum. Et ratio discriminis est, quia prior respectus importat dependentiam & subordinationem; non verò posterior, qui solùm exigit nexum extremorum.

Instabis. Relatio est respectus unius ad aliud: Sed in Deo non est respectus unius ad aliud, cùm in ipso non sit aliud & aliud, ob eandem in utroque extremo naturam: Ergo in Deo non datur relatio realis.

Respondeo quod licèt in Deo non detur aliud in natura, benè tamen in supposito; nam aliud est suppositum Patris, aliud Filii: nec ly *aliud*, in definitione relationis accipiendum est rigorosè, & strictè; sed in ampliori significatione pro termino realiter distincto.

Insistes. Ideò in Deo non est respectus realis ad creaturas, quia Deus sine mutatione sui eas producit: atqui similiter Pater æternus producit Filium sine ulla sui mutatione: ergo in Deo respectus ad Filium non est realis, licèt concipiatur à nobis talis per analogiam ad relationes creatas.

Respondeo, quod licèt Pater non mutetur in productione Verbi, sicut nec mutatur in productione creaturæ; tamen relatio Patris ad Filium debet esse realis, quantumvis non sit nisi rationis ad creaturas: & rationem disparitatis tradit S. Doctor q. 28. *art.* 1. *ad* 3. quia Filius est ejusdem ordinis & naturæ cum Patre: unde utrumque extremum est capax relationis ad alterum mutuò sibi correlatum. At verò creaturæ infinitè distant à Deo; unde Deus est extra ordinem totius creaturæ. Quando autem extrema non sunt ejusdem ordinis, non est relatio realis in utroque, sed in illo solo, quod est inferius & dependens ab alio. Vnde in Deo non est relatio realis ad creaturas, sed in creaturis est relatio realis ad Deum.

Persistes adhuc. Relationes quæ consequuntur operationem intellectus, non sunt reales, sed rationis: atqui relatio Patris & Filii consequuntur operationem intellectus, ut sæpè dictum est: ergo relationes illæ non sunt reales, sed rationis.

Respondeo ex D. Thoma ibidem ad 4. quod relationes consequentes operationem intellectus, sunt tantùm relationes rationis in rebus intellectis, quarum unam intellectus ad aliam confert. At verò relationes, quæ consequuntur operationem intellectus intra ipsammet operationem mentis, non sunt relationes rationis, sed rei, quia ipse intellectus & ratio est quædam res, cujus operatio est realis; & sic paternitas & filiatio sunt relationes reales in divinis.

Obsistes demùm. Si relatio sit realis, communicabit essentiæ suum effectum formalem: sed hoc repugnat; effectus enim primarius relationis est reddere relatum; essentia autem divina non est relata ad Filium, cum quo identificatur; nihil verò realiter refertur nisi ad terminum realiter distinctum: ergo relatio non est in Deo realis.

Respondeo, relationem non reddere essentiam relatam, sed suppositum, v. g. paternitas reddit Patrem relatum ad Filium; solus quippe Pater, & non essentia opponitur Filio. Posset adhuc ampliùs urgeri; sed aliquid subtilitati ingenii studiosi lectoris relinquendum est.

Numerus relationum divinarum.

Secunda pars, quæ asseverat quatuor esse in Deo relationes reales, probatur. Tot sunt relationes in Deo, quot esse exigunt divinæ processiones; nam, ut ex dictis patet, processiones sunt fundamenta relationum: sed divinæ processiones exigunt quatuor relationes; processio enim Verbi, cùm sit generatio, fundat paternitatem in principio, filiationem in termino, processio verò amoris postulat in principio relationem spiratoris, in termino verò relationem spirati & procedentis, quæ vocatur spiratio passiva, seu processio, defectu propriorum vocabulorum, quæ nobis non suppetunt ad explicandam processionem amoris, utpote valde occultam: Ergo in Deo sunt quatuor relationes reales, scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva, seu processio.

Dices. Ergo in Deo est quaternitas personarum: relatio enim realis personam constituit, subindéque quadruplex relatio quatuor personas constituet.

Respondeo unam ex præfatis relationibus, nimirum spirationem activam, non constituere specialem personam, quia nimirum identificatur cum paternitate & filiatione, quibus non opponitur; subindéque ab eis non distinguitur, cùm sola oppositio relativa pluralitatem causet in divinis. Ad cujus majorem intelligentiam adverte, relationes in creatis distingui non solùm propter oppositionem, sed etiam propter limitationem: unde una relatio non potest respicere plures terminos disparatos, etiamsi non sint oppositi; quia ob innatam suam finitatem non possunt fungi vice plurium relationum. At verò in Deo nulla intercedere potest distinctio, nisi ratione oppositionis. Spiratio autem, & paternitas non sunt oppositæ, unde sunt eadem omninò res, habens tamen vim & munus duplicis relationis disparatæ; & se habent sicut duo attributa: sicut enim dicimus, quod justitia in Deo est misericordia, non tamen dicimus quod sunt duæ realitates, nec quod attributum justitiæ sit attributum misericordiæ: ita similiter dicimus, quod paternitas & spiratio

ratio activa sunt idem, non tamen dicimus quod relatio paternitatis sit relatio spirationis.

Vrgebis. Multiplicato inferiori multiplicatur superius, v. g. multiplicatis hominibus, multiplicantur animalia, viventia, corpora, & substantiæ: Sed relatio est inferior rei & entis: Ergo si sint quatuor relationes, sunt etiam quatuor res distinctæ.

Respondeo, ad multiplicationem inferioris multiplicari superius, quando inferius multiplicatur ratione alicujus intrinseci, secus autem si plurificetur per connotationem alicujus extrinseci; sicut actus Dei liber non addit aliquid reale ac necessariò distinctum, sed est eadem entitas diversa respiciens. Similiter in Patre eadem entitas relationis, quæ respiciebat Filium beneficio & amplitudine suæ infinitatis, protendit se ad Spiritum Sanctum: sicut etiam eadem entitas indistincta & miseretur, & punit, ob suam eminentiam. Quare illæ solæ relationes distinguuntur realiter inter se, inter quas exercetur oppositio: exercetur verò inter paternitatem & filiationem, spirationem activam & processionem, unde tres tantùm sunt realiter discretæ, paternitas scilicet, filiatio, & processio.

Reflexio.

Quod naturaliter in Deo præstat relatio, dum necessariò personas divinas adinvicem refert, idem erga nos, liberè tamen, efficit amor divinus. Sanè sicut Pater producendo Filium naturalem, ipsum naturaliter respicit; sic dum homines amore producit, continuò propendet in filios suæ voluntatis. Omnem productionem comitatur relatio vel naturæ, vel charitatis: cum hac tamen differentia, quod productionem naturalem relatio sequitur, productionem Dei liberam relatio charitatis antecedit. Oseæ 11. *Charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans.* Divinum attractum præcedit amor, sed quanvis præcedat, non deserit tamen, cùm scriptum sit, *Firmabo super te oculos meos*: & iterùm, *Oculi Domini super justos. Recogita Deum* (ait Tertul. de resurrect. carn. cap. 16.) *totum homini occupatum ac deditum*, manu, opere, sapientia, providentia, ac in primis amore. Quàm suavis relatio divinæ charitatis, quæ totam ad nos refert Trinitatem. Patrem inclinat: nam ut ait Chrysologus serm. 55. *Si Pater pater est, non potest non amare; si amat, nisi quod bonum est, dare nescit: Negas Patrem, qui de Patris suspectus est largitate*, Filium refert, *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*. Et Isai. 9. *Puer datus est nobis, & Filius natus est nobis*: Quæ Bernard. ponderans: *Nonne*, ait, *nobis est natus, qui totum fuit in nostros usus consumptus?* Et Chrysolog. serm. 23. *Tibi Rex, tibi Sacerdos, tibi Pastor, tibi sacrificium, tibi ovis, tibi agnus, tibi totum factum est, qui fecerat totum.* Ad nos denique refert Spiritum Sanctum, qui totus amor, totus donum est, & ratio donandi omnia, ut infrà dicemus. Pudeat ergo nos in nobis sistere, ad ipsum totis viribus referamur, ad suum amor noster recurrat principium, suæ reddatur origini, suo refundatur fonti, semper ex eo sumat, unde jugiter fluat.

Speculatio II.

Relationes in Deo sunt ipsa substantia Dei, ità ut nulla interveniat distinctio actualis, sed sola virtualis inter utrasque: imò relationes sunt de quidditate essentiæ, & vice versa, essentia de quidditate relationum, cum sola præcisione formali, non verò objectiva.

Hanc speculationem pluribus argumentis confirmare minimè opus est, cùm ex præjactis *lib. 1.* de simplicitate divina fundamentis stabilita maneat: ibi etenim satis superque monstratum fuit, quod quidquid in rebus creatis habet esse accidentale, translatum in Deum habet esse substantiale: & quod sicut teste Gregorio Magno, *apud Deum labentia stant, & mutabilia permanent; ita accidentalia subsistunt*: Vnde Ioan. 10. dicitur: *Ego & Pater unum sumus*: Et 1. Ioan. 5. *Et hi tres unum sunt.* Quæ testimonia intelliguntur à Conciliis & Patribus de unitate perfecta & consubstantiali, ut patet ex Concilio Niæno, ubi ὁμοούσιον firmatum est: Lateranensi cap. 2. dicente; *Qualibet trium personarum est illa res, videlicet substantia, essentia, & natura divina*: & Florentino *sess. 18.* docente essentiam & personam distingui solùm secundùm modum intellectionis nostræ.

Rationes etiam hujus veritatis quoad primam partem expensæ sunt loco citato de simplicitate Dei, quæ æquè convincunt in præsenti: nam si essentia distinguatur realiter à relationibus, perit divini actus puritas; essentia enim erit in potentia ad relationes à se distinctas, & in se receptas: destruitur divina simplicitas; resultabit siquidem inter essentiam & relationes ex earum unione compositio simplicitatis inimica: denique convellitur divina infinitas, si immensum divinitatis pelagus in suæ plenitudinis ambitu non sibi identificet omnem entitatem, tam absolutam, quàm relativam, sed indigeat aliquo distincto à se, ut habeat omnia sibi requisita.

Atque ex his planè relinquitur, exulare prorsus à Trinitate omnem distinctionem actualem opus rationis prævenientem, sive *modalis* à Durando vocetur, sive *formalis ex natura rei* à Scotistis appelletur. Nam rationes insinuatæ omnem omninò distinctionem actualem, & realem, non identitatem; æquè nervosè excludunt, ut patebit consideranti. Prætermitto etiam rationes metaphysicas, quibus ostendi solet, distinctionem mediam inter realem & rationis videri monstrum in Philosophia. Distinctio namque, sicut & unitas, sequitur entitatem: sed nulla entitas fingi potest media inter realem & rationis: ergo nec distinctio media. Distinctio verò modalis Durandi adhuc videtur pejor, quia modus est entitas imperfecta, habens esse diminutum, dependens, nec multùm recedens à natura accidentis.

Quare sistendum est in distinctione virtuali, aliàs etiam explanata, quæ nihil est aliud quàm divina perfectio & eminentia, quæ non potest unico conceptu adæquari, nec uno proinde nomine declarari, sed diversis attingi. Confert autem suprema illa eminentia, ut idem præstet eadem simplicissima res, quod præstaret ens absolutum & relativum realiter distinctum: sicut eadem anima rationalis uniendo gradum vegetativum, sensitivum & rationalem, iis eadem fungitur muniis, quæ ab illis gradibus seorsim sumptis exercerentur. Vide loco prædicto, atque etiam egregium D. Bernardi discursum præsenti accommoda instituto.

Postrema pars de inclusione essentiæ in conceptu relationum, & è contra, per exclusionem præcisionis objectivæ,

objectivæ, sola formali retenta, pariter explicata est dum de simplicitate Dei ageremus: quæ omnia recolenda sunt, non hic iteranda. Per hunc autem explicandi modum in concordiam veniunt varia S.Thomæ testimonia, quibus aliquando docet, relationes esse de quidditate essentiæ, & è contra: ut cùm *quæst.27. ar.2.ad 3.* ait, *in perfectione divini esse contineri & Verbum intelligibiliter procedens, & principium Verbi.* Et *q.30. art.6. ad 2.* inquit, *hanc propositionem, Deus est Pater, esse propositionem per se, sicut, Pater est Deus.* Quæ quidem mutuam inclusionem indicant. Aliquando verò docere videtur oppositum, ut dum *q.8. de potent. art.1. ad 2.* ait, *Alia est ratio essentiæ, alia ratio paternitatis.* Infrà verò *1.p.q.33.art.3.* sic scribit: *Communia absolutè dicta includuntur in intellectu propriorum, sed non è converso: in intellectu personæ Patris intelligitur Deus, sed non convertitur.*

Hæc, inquam, testimonia, quæ primo aspectu videntur opposita, quæque dederunt occasionem Thomistis variè sentiendi, præfata nostra distinctione de præcisione objectiva & formali facilè, & expeditè conciliantur. Nam verum est, essentiam esse de conceptu implicito relationum, & è contra, ut dicitur in primis testimoniis. Verum est etiam quod dicitur in secundo loco, relationem non esse de conceptu essentiæ explicito. Denique verificatur quod dicitur tertio loco, in intellectu personæ Patris intelligi Deum, non è contra: nam sicut ens est de conceptu explicito substantiæ, non tamen substantia de conceptu explicito, sed tantùm implicito entis: ita similiter essentia est de conceptu explicito personæ divinæ, non tamen persona est de conceptu explicito essentiæ. Ibi verò loquitur S. Doctor de relatione ut constituit personam.

Ratio verò est, quia si admittatur perfecta præcisio objectiva inter essentiam & relationes, ita ut neutra sit de quidditate, & de conceptu saltem implicito alterius, salvari nequeunt divina actualitas, simplicitas, & infinitas. Si enim essentia possit omninò præscindi à relationibus, essentia concipietur actuabilis per relationes, in potentia ad illas, & carens illis. Atqui repugnat puræ actualitati, quod concipiatur cum fundamento ulteriùs actuabilis; repugnat simplicitati, quod in ea concipiatur potentialitas; repugnat infinitati essendi, quod in eà non importetur, saltem implicitè, omne ens sibi possibile. Ergo relationes sunt de conceptu quidditativo essentiæ divinæ, atque adeò non possunt ab hac objectivè præscindi. Quæ ratiocinatio desumitur ex Patribus, Athanas. orat. contra gregal. Sabellii: *Universa plenitudo & integritas Deitatis est Pater & Filius.* Cyrillo lib. 5. Thesaur. cap. 2. *Non potest perfecta esse Deitas, nisi fructum habeat, & fructum ex se proferat.* Sentiunt ergo ad plenitudinem, actualitatem, & perfectionem divinæ essentiæ pertinere relationes.

Quod si essentia involvat in suo quidditativo conceptu relationes divinas, à fortiori relationes in suo conceptu essentiam involvunt. Implicat enim concipere relationes divinas, nisi in eis divinitas saltem implicitè includatur: etenim essentiæ divinæ ratione suæ infinitatis competere decet amplitudinem illam quæ convenit enti ratione suæ transcendentiæ; quia sicut omnia inferiora entis sunt ens, ita omnia quæ sunt in Deo, divina sunt. Sed ratio entis ita transcendit sua inferiora, ut non possit ab eis perfectè præscindi; nullum est enim inferius enti, quod non sit essentialiter ens. Ergo nec divinitas, seu essentia potest objectivè præscindi ab aliqua ratione divina, subindéque nec à relationibus divinis.

In summa ad hoc tandem devolvitur totum hujus difficultatis punctum, & omne rationum nostrarum momentum. Potest quidem concipi ratio essentiæ, vel naturæ ut sic, non actis ullo attributo, proprietate, vel relatione: potest etiam concipi attributum, proprietas, vel relatio ut sic, non concepta natura aut essentia. Sed planè repugnat intelligi essentiam vel naturam, proprietatem vel relationem ut divinam, quin saltem implicitè involvantur omnia quæ in Deo sunt, aliàs non concipitur ens divinum; quod cùm sit infinitum, includit omnia, nihil excludit, tametsi omnia non explicet.

Dissolvuntur objecta.

Sicut totum rationum pondus ad stabiliendas omnes nostræ sententiæ partes, in assertione divinæ simplicitatis innititur: ita totus difficultatum nodus in eo quod essentia communicetur non communicata relatione, consistit: quem dissolvi non posse existimantes, alii realem distinctionem inter essentiam & relationes, alii actualem ex natura rei, alii modalem, alii saltem præcisionem objectivam admisere. Cùm igitur commune sit illud omnibus adversariis fulcrum, illud unicè urgendum, unicè refutandum est.

Objicies: Ergo essentia divina, nemine cogitante, & independenter ab intellectu reverà communicatur, non communicata relatione quæ est incommunicabilis: v.g. videt Deus essentiam transfundi Filio, reservati tamen paternitatem, nec tamen Deus facit distinctionem rationis: ergo ante distinctionem rationis datur alia actualis inter essentiam & relationes; aliàs idem realiter communicaretur, & idem realiter non communicaretur: quod apertam involvit contradictionem.

Respondeo, quod quia Deus in sua eminentia includit ens absolutum, quod est communicabile, & ens relativum, quod est incommunicabile; ideò ratione harum diversarum rationum possunt opposita de eadem entitate divina affirmari, quæ contradictoria non sunt, quia non verificantur de eadem secundùm eandem rationem. Itaque videt Deus suam essentiam communicari, non communicata paternitate; sed pariter videt suam essentiam ita esse eminentem, quod includat in se absoluta & relativa: unde non videt plura in sua essentia, sed unam rationem pluribus æquivalentem, & præstantem quidquid à diversis præstari potest, quibus ratione suæ illimitationis æquipollet.

Dices hæc tanta Dei eminentia facit quidem quod Deus omnia habeat, sed non quod unum eorum quæ habet, communicetur sine alio, sed potiùs hoc impedit: quantò enim dispersa in inferioribus arctiùs & unitiùs in se conjungit, tantò ea efficit magis inseparabilia, & incommunicabilia unum sine altero. Ergo si unum sine altero communicetur, signum est illa divinam eminentiam non unire, subindéque inter illa non distinctionem tantùm virtualem, sed realem intercedere.

Respondeo hanc Dei eminentiam identificare absolutum cum relativo, salva tamen natura identificatorum: & quia natura essentiæ est posse communicari, natura relationis est esse incommunicabilem suo correlativo, cui opponitur: consequens est, beneficio talis eminentiæ essentiam communicari, non communicata relatione secum identificata. Hanc singularem Dei eminentiam præclarè explicat S.Thomas *in 1.dist.2. q.1. art.3.* his verbis: *Pluralitas rationum non tantùm est ex parte intellectus nostri, sed etiam ex parte ipsius Dei, in quantum sua perfectio superat unamquanque conceptionem nostri intellectus: & ideo pluralitati istarum rationum respondet aliquid in re, quæ Deus est, non quidem pluralitas rei, sed plena perfectio, ex qua contingit, ut omnes istæ conceptiones ei aptentur.*

Instabis:

Instabis: Quamvis sit distinctio virtualis inter immensitatem, & bonitatem divinam, una tamen non potest communicari sine alia: Ergo ut communicari possit natura sine relatione, debet aliqua alia distinctio intercedere, quæ sit virtuali & eminentiali major: sed illa est actualis: ergo distinctio actualis admittenda est inter essentiam & relationes.

Respondeo quod cùm distinctio eminentialis salvet semper naturam rationum quas identificat, natura verò immensitatis & bonitatis nihil habeat repugnans communicabilitati, fit inde bonitatem non posse communicari nisi communicentur immensitas, cæteræque perfectiones absolutæ. Natura verò relationis est esse essentialiter incommunicabilem suo correlativo: unde nulla est paritas.

Insistes: ergo id saltem habetur, majorem esse identitatem inter perfectiones absolutas ad invicem comparatas, quàm inter perfectionem absolutam & relativam: ergo est aliqua non identitas inter absolutum & relativum, carentia scilicet illius majoris identitatis, quæ est inter perfectiones absolutas: Sed non identitas est distinctio: ergo inter essentiam & relationes est aliqua actualis distinctio, & non tantùm virtualis.

Respondeo ad hanc subtilitatem, identitatem plurium rationum formalium habere quandam veluti latitudinem, beneficio cujus potest una identificari cum alia pluribus modis, & veluti pluribus titulis, quorum unus se habet ad alium per modum accessorii; v.g. major concipitur identitas inter essentiam & existentiam divinam, quàm inter eandem essentiam & alias perfectiones absolutas; & similiter major concipitur identitas inter essentiam & perfectiones absolutas, quàm inter eandem & perfectiones relativas: quo enim aliqua perfectio propinquiùs accedit ad essentiam divinam, eo magis concipitur cum ea identificari. Cum quo tamen stat, omnia sibi identificare essentiam divinam quæcumque habet, sed non eodem modo, & veluti non eodem titulo; quia existentiam sibi identificat, quia est de sua essentia; attributa, quia exiguntur ad suam infinitam perfectionem magis vel minùs, quo propiùs accedunt ad essentiam divinam.

Persistes: Prorsus inintelligibile est, posse communicari essentiam Patris Filio, non communicata paternitate, si in conceptu essentiæ paternitas importetur: nam totus conceptus objectivus essentiæ communicatur Filio, nec tamen communicatur paternitas. Ergo vel est alius conceptus objectivus essentiæ, & alius paternitatis; vel non potest communicari essentia sine paternitate.

Confirmatur & augetur difficultas. Quælibet persona seorsim sumpta est essentialiter & perfectè Deus: ergo includit totum id quod est de conceptu objectivo & quidditativo essentiæ, qui consistit in indivisibili, à quo non potest quidquam auferri: atqui quælibet persona non habet tres relationes: ergo essentia non importat in suo conceptu relationes; quis enim intelligere potest, id quod est essentialiter incommunicabile, qualis est relatio, esse de quidditate ejus quod est secundùm se totum communicabile, qualis est essentia?

Respondeo, hæc omnia ea dictis reddi intelligibilia, quantum tanta sublimitas, nostraque imbecillitas patiuntur; nam ut præclarè ait D. Basilius lib. 5. cont. Eunom. cap. 5. *Si judicia Dei abyssus multa, & via ejus impervestigabiles & inscrutabiles omninò, quanto magis ipse, cujus talia judicia sunt, talis via? Nec mirum si ipse Deus talis sit, ubi sua talia sunt.* Certè hæc argumenta æquè militant contra adversarios docentes inter essentiam & relationes non esse distinctionem realem majorem, vel essentiam esse de conceptu relationum: nam explicent, quæso nobis, quomodo communicetur essentia sine relatione, & tamen non sit realis distinctio? quomodo quælibet persona sit totaliter Deus, si non importat ea omnia quæ identicè divinitas includit? quomodò Pater genere, non verò essentia, à qua tamen non distinguitur nisi per rationem? quomodo relatio determinet essentiam, quam in suo essentiali conceptu includit? Itaque cùm difficultas sit communis & solvenda utrique sententiæ, propter eam non est deserenda assertio nostra.

Dicendum ergo, quod licèt relatio sit de conceptu objectivo implicito essentiæ, tamen non est de conceptu explicito illius: unde beneficio distinctionis virtualis potest optimè communicari essentia secundùm ea quæ explicitè importat, incommunicato eo quod implicitè importat, si illud quod implicitè importat, opponatur termino cui fit communicatio essentiæ. Hinc etiam intelligitur, quamlibet personam esse perfectè & completè Deum, licèt non habeat tres relationes, quia sufficit unamquamque habere quidquid est de conceptu explicito Deitatis: sicut substantia est perfectè ens, licèt non importet quidquid ens in suo conceptu implicito includit; sed sat est, ut habeat id quod explicat ratio entis. Denique intelligi potest, illud quod est incommunicabile, esse de essentia communicabilis, tanquam modus qui debetur essentiæ, non prout est in singulis personis, sed in aliqua ex illis.

Obsistes demùm: Sufficit distinctio virtualis, ut communicetur essentia non communicata paternitate: ergo sufficit eadem distinctio, ut natura seu essentia non importetur in conceptu essentiali relationis. Probatur consequentia: non est difficiliùs, sed potiùs longè faciliùs, unum cognosci sine alio, & ab eo objectivè præscindi, quàm unum communicari sine alio sibi realiter identificato; quia cognosci & non cognosci sunt prædicata rationis extrinseca objecto; communicari verò, & non communicari sunt prædicata realia intrinseca, quæ exercentur nemine cogitante. Ergo si communicetur essentia sine relationibus, quidni poterit cognosci sine illis, quæ proinde non erunt de conceptu essentiali illius?

Respondeo, essentiam divinam, utpote infinitam, includere in sua quidditate tam ens absolutum, quod est communicabile; quàm ens relativum, quod est incommunicabile: & quia in hoc consistit ejus quidditas & eminentia, fit inde, communicari essentiam sine relatione; fit etiam inde, non posse cognosci sine relationibus, quas essentialiter exigit, non in singulis personis, sed in omnibus. Sicut ens non potest cognosci quin implicitè cognoscantur differentiæ, licèt dum alicui communicatur ens, non tamen communicentur omnes differentiæ entis. Quare eminentia illa quæ facit essentiam communicari sine relatione, facit etiam, essentiam non posse præscindi objectivè à relatione.

Reflexio.

Quantumvis relationes inter sese oppositæ sint, eas tamen sibi identificat, imò & à conceptu suo non excludit essentia communis. Sic omnes homines, sed potissimùm Christianos, quantumvis temperamento, statu, & conditione diversos, unire debet natura, fides, charitasque communis. Hæc optanda animorum consensio, qua multitudo credentium fit cor unum, & anima una. Viva est relationum cum essentia identitatis expressio, Joan. 17. *Pater sancte, serva eos in nomine tuo, ut sint unum, sicut & nos, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.*

Naturali partium concordia subsistit Universum; nam quanto unio strictior est, tanto virtus fortior: &

& dispersione, vel solutione partium cuncta pereunt. Respublica non nisi civium mutuo inter sese amore constantium tuta est: dissidio autem, vel intestino bello scinditur, cadit, exterminatur, dicente Veritate: *Omne regnum in se divisum desolabitur.* Principum nutat potestas, nisi eam firmet populorum concordia. Principatuum omnium excellentior monarchia, quæ est præstantissima regiminis forma, quia in uno veluti colligantur diversæ subditorum voluntates: familiarum ruina & exterminium est domesticorum jurgium: conjugum concordia imago est paradisi, discordia verò inferni est inchoatio. Floret Ecclesia, dum fideles solliciti sunt servare unitatem spiritus in vinculo pacis: pax Christianorum, bellum est infidelium; schismata verò & dissensiones, hostium nostrorum triumphus. Unione hypostatica reconciliavit Deus orbem terrarum; unione essentiæ divinæ cum intellectu beantur animæ Sanctorum. Tandem personarum divinarum consubstantialitas sine identitate relationum cum essentia corrueret: nam ut ait Nazianz. orat. in S. Baptism. *Trium personarum opulentia naturæ identitas est.* Quantum ergo ab omnibus sæcularibus, Clericis, Religiosis unio sacra sectanda est! *Pax fratrum* (ait Chrysol. serm. 53.) *voluntas est Dei, jucunditas Christi, perfectio sanctitatis, justitiæ regula, magistra doctrinæ, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina.* Concludo cum B. Paulino Episcop. ad Sever. *Constringat ergo nos fraternitatis charitas. Quomodo enim in corpore potest esse scissura, cui caput Christus est? Curramus ergo pariter, & apprehendamus omnes sine æmulatione invidiæ, cum æqualitate victoriæ; ut sicut in contentione currendo, labor Christi sumus: ita in perveniendi fine, Christi triumphus esse possimus.*

SPECULATIO III.

Quamvis relationes divinæ non multiplicent, nec afferant specialem existentiam distinctam ab absoluta; important tamen specialem perfectionem relativam virtualiter ab absoluta distinctam, eique superadditam.

PRima pars perpetuò docetur à S. Thoma, constanter asseverante, in divinis personis nullum dari esse nisi absolutum & essentiale. *In divinis personis* (inquit 3. *part. quæst.* 17. *art.* 2. *ad* 3. & idem repetit alibi centies,) *non est aliud esse personæ, & aliud esse naturæ; & ideò tres personæ non habent nisi unum esse:* imò addit *quæst.* 8. *de potent. art.* 2. *ad* 11. quod *sicut in Deo est tantùm unum intelligere, ita est tantùm unum esse.* Quare sicut non datur in Deo triplex intelligere relativum, ita nec dantur tres existentiæ relativæ.

Ratio à priori petitur, tum ex ratione existentiæ, tum ex natura relationis. Ex ratione quidem existentiæ; nam existentia habet pro formali effectu ponere rem extra nihil: quod quidem habet creatura quando producitur; Deus verò, & omnia quæ in Deo sunt, habent esse extra nihil hoc ipso, quod sunt ens increatum, necessarium, & à se. Atqui ratio entis increati, necessarii, & à se, est unica in Deo; cùm expresè dicat Athanasius, *Nec tamen tres increati, sed unus increatus.* Ergo in Deo non datur triplex existentia relativa.

Confirmatur. Duratio nihil est aliud quàm existentia continuata, unde in Deo duratio nihil aliud est quàm æternitas simul & perfectè omnes durationes eminentissimè præcontinens: ergo si admittuntur in Deo tres existentiæ relativæ, concedendæ erunt etiam tres durationes, & tres æternitates; quod est apertè labefactare Symbolum Athanasii profitentis, *Non tres æterni, sed unus æternus.* Erunt autem tres æterni non solùm adjectivè, id est tres personæ habentes æternitatem; sed etiam substantivè, si sit triplex existentia, æternitas, & duratio relativè: quod non minùs videtur reprobandum, quàm si admitterentur tres omnipotentes, vel tres Dii relativè. Ergo non sunt in Deo tres existentiæ relativæ.

Idem etiam facilè ostenditur ex propria natura relationis, quæ sita est in respectu ad terminum, cui opponitur; ideò multiplicatur ille respectus, quia est triplex oppositio. Sed existentia relationis non consistit in ordine ad terminum, sed in ordine ad subjectum, in quo est: quid enim est existentia relativa, nisi existentia relationis, quæ in creatis est inesse, in divinis verò est esse per se. Ergo relationes divinæ non opponuntur in existentia, sed potiùs in ea conveniunt: ergo non multiplicantur; siquidem sola oppositio in divinis est radix multiplicationis.

Ratio verò à posteriori desumitur ex superfluitate hujusmodi existentiæ relativæ. Nam existentia absoluta invenitur in divinis relationibus, cum quibus identificatur: ergo reddit relationes existentes, & extra nihil; non enim potest communicari existentia quæ non reddat existens, sicut non potest communicari forma, nisi communicetur effectus formalis: ergo superfluunt existentiæ relativæ ad hoc ut reddant relationes existentes, cùm eas præexistentes absoluta existentia supponeret. Imò implicare videntur, cùm repugnet eandem rem duabus existentiis, seu ultimis actibus ejusdem rationis & ordinis terminari.

Oppones. In Deo sunt tres entitates actu; relationes etenim quæ multiplicantur, non sunt merum nihil: sed entitas actu est existentia: ergo in Deo sunt tres existentiæ relativæ, sicut tres actuales relationes; cuilibet enim entitati correspondet existentia, ut salvetur debita proportio.

Respondeo, in Deo dari quidem tres realitates actu, sed unicâ existentiâ esse in actu: sicut enim habent unicam essentiam; ita & unicam existentiam: & sic salvatur justa proportio inter utramque.

Dices. Intra Deum datur productio personæ: sed productio terminatur ad existentiam: ergo producitur existentia; non absoluta: ergo relativa. Et certè cùm filiatio per productionem & emanationem existat ab alio, essentia verò sine productione existat à se, alia debet esse existentia essentiæ, alia existentia relationis.

Respondeo per productionem personæ non produci distinctam existentiam, sed eandem, quam habet principium, communicari, sicut & eadem diffunditur essentia: cujus etiam signum est, quod persona procedens est tam benè ens increatum & æternum, ac persona à qua procedit; quæ proinde suam increatam & æternam existentiam personæ procedenti largitur.

Relatio divina specialem affert perfectionem ab absoluta virtualiter distinctam.

Secunda pars speculationis docetur expresè à D. Thoma q. 8. de pot. art. 1. ad 1. *Divina essentia, quæ comprehendit omnium generum perfectiones, nihil prohibet relationem in ea inveniri.* Ergo apertè censet relationem specialem afferre perfectionem. Si enim relatio non sit ex se perfectio, malè colligeret relationem ideò esse ponendam in Deo, quia Deus omnem perfectionem comprehendit: sicut malè inferretur intellectum debere esse in Deo, quia includit omnem perfectionem, si intellectus perfectionem propriam non explicaret. Simili discursu utitur ibidem sanctus Doctor *quæst.* 9. *art* 5. *ad* 23. ubi ait: *Non esset omnimoda perfectio in divinis, nisi esset ibi processio Verbi & Amoris.*

Quod

Quod repetit hîc *q.* 28. *art.* 1. *ad* 3. & *q.* 29. *art.* 3. ubi probat personalitatem (quæ formaliter constituitur per relationem) intra Deum reperiri, quia personalitas est summa perfectio.

Hanc veritatem non ex proprio ingenio peperit Angelicus Præceptor, sed ex perenni Conciliorum & Patrum traditione derivavit; dicitur enim in IV. Synodo generali: *Credimus Trinitatem & subsistentiarum perfectionem.* Favet Cyrillus *lib.* 2. *Thesaur. cap.* 1. ibi: *Non potest esse perfecta divinitas, nisi Filium habeat.* Damascen. *lib.* 1. *de fid. cap.* 11. ubi in proprietatibus expressè admittit personalem perfectionem. Astipulantur alii Patres passim inculcantes, Deitatem non esse plenam & perfectam sine personis & relationibus, & mysterium Trinitatis (quod per relationes constituitur) pertinere ad supremam Dei perfectionem, qua elevatur Deus supra omne à creaturis imitabile. Denique idipsum Ecclesiæ consuetudo firmat, dum publicè non solùm essentiæ majestatem, sed & relationum proprietatem adorat.

Probatur, & à priori, & à posteriori. A priori quidem, quia relatio, ut diximus *specul.* 1. est aliquid reale & positivum in Deo, virtualiter distinctum ab essentia. Ergo importat perfectionem virtualiter distinctam ab essentia. Probo consequentiam. Omne reale existens in Deo importat explicitè perfectionem: ergo si relatio sit realiter in Deo virtualiter distincta ab essentia, importat etiam perfectionem virtualiter distinctam ab essentia. Consequentia est manifesta. Probatur antecedens.

Tum primò, quia quæcumque realis entitas, saltem prout existit, convertitur cum bonitate; & planè repugnat esse aliquid in rerum natura existens, quod non sit bonum, cùm sit objectum ad quod fertur divina voluntas, quæ non potest amare nisi bona: ergo cùm relationes divinæ existant virtualiter distinctæ ab essentia, tam benè quàm misericordia & justitia, non possunt non importare bonitatem & perfectionem virtualiter distinctam ab essentia.

Tum secundò, quia omne reale in Deo existens non solùm habet quidquid requiritur ad propriam integritatem, nihilque ei deest in proprio genere, v. g. paternitati nihil deest ad perfectam, completam, & cumulatam rationem paternitatis: sed etiam illud omne quod invenitur in Deo est formaliter conveniens, appetibile, & amabile; sicque relationes sunt convenientes ad effundendam divinam perfectionem: quælibet etiam est conveniens suæ personæ, & ei melior est ipsa quàm non ipsa; siquidem quælibet constituit personam, quod sanè personæ constitutæ non potest non esse consonum: unde sit, relationes illas esse amabiles & toti Trinitati, & singulis personis illius. Atqui sola bonitas & perfectio est conveniens & amabilis: ergo relationes afferunt specialem bonitatis perfectionem.

Demùm in ente perfectissimo (quale est Deus, qui est pura perfectio, imò ipsa essentia perfectionis) quidquid invenitur, debet spirare perfectionem, aliàs Deum non deceret, nec esset formaliter in Deo, sed tantùm eminenter, eo modo, quo omnes perfectiones secundùm quid sunt in Deo. Certè talis entitas omnis perfectionis nuda, imperfecta esset; imperfectio enim non est aliquid positivum de formali, sed carentia perfectionis: procul ergo à Deo fonte perfectionis est talis entitas, quæ de se perfectione caret: quid enim perfectioni Dei deesset, etiamsi careret illo, quod nullam affert perfectionem? Sanè puram & impermixtam perfectionem non sapit realitas perfectione vacua; quid enim Deo magis indignum quàm aliquid formaliter habere quod perfectionem non redoleat? Quod si dicas, imperfectionem non esse quamcunque carentiam perfectionis, sed carentiam perfectionis debitæ inesse, nihil dicis: summa enim imperfectio & vilitas est, rem esse talem, cui nulla debeatur perfectio.

Ratio verò à posteriori deducitur ex effectibus, vel quasi effectibus divinarum relationum. Divina relatio, putà filiatio, duo præstat; alterum intra Deum, alterum extra, in humanitate Christi. Intra Deum constituit personam Filii, extra Deum supplet vicem subsistentiæ & personalitatis creatæ: atqui ad illa duo præstanda omninò necesse est relationem divinam importare formaliter, explicitè, & ex propriis perfectionem: ergo perfectio relativa est virtualiter distincta ab absoluta. Probatur minor: & quidem non potest relatio constituere personam, nisi ex formali sua ratione perfectionem exprimat; cùm enim persona, teste D. Thoma *quæst.* 29. *art.* 3. *significet id quod est perfectissimum in natura*, planum est, id quod constituit personam significare perfectionem, non tantùm implicitè, sed etiam explicitè; perfectius enim est significare explicitè perfectionem, quàm solùm implicitè includere, & in obliquo: ergo quod est perfectissimum in natura explicitè debet perfectionem significare.

Alterum etiam, quod præstat personalitas Verbi in humanitate, terminando naturam, & supplendo vicem propriæ subsistentiæ, exigit etiam personalitatem divinam de se importare perfectionem: quod enim supplet id quod formaliter dicit perfectionem, formaliter etiam importat perfectionem, aliàs non nisi imperfectè suppleret. Sed relatio & personalitas Filii supplet vices personalitatis creatæ, quæ formaliter exprimit perfectionem; persona enim, ut millies repetit D. Thomas, dignitatem significat Ergo personalitas divina de se etiam perfectionē affert, nisi velis, personalitatem creatam esse divinâ perfectiorem. Quod licèt à nonnullo concedatur, quia (inquit) creata constituitur per aliquid absolutum; nescio tamen quid Deo indignius dici possit? Quasi verò relatio divina faciat personalitatem divinam esse deterioris conditionis. O præposteram philosophandi rationem! Personalitas creata, imò paternitas creata sub ratione paternitatis (præcisa ratione accidentis, vel modi, quæ potest præscindi, sicut præscinditur à sapientia creata) dicent in creaturis perfectionem explicitè, & in Deo non dicent? Iam ergo paternitas divina non erit mensura & exemplar paternitatis creatæ, contra illud Apostolicum, *A quo omnis paternitas in cœlo & in terra nominatur.* Iam divina non erunt exemplaria, & ideæ creatorum; siquidem perfectior erit imago prototypo; siquidem creata exprimet perfectionem, quæ in subsistentia, & paternitate divina non relucet.

Solvuntur objecta.

Objicies primò: omnis bonitas & perfectio slimitur per ordinem ad esse actuale, quod solùm amat & appetit voluntas: Sed esse & existentia non multiplicantur in Deo, ut anteà ostensum est: ergo relationes divinæ non addunt specialem perfectionem absolutæ superadditam.

Respondeo hoc argumentum, quod nonnulli magnificant supra omne quod dicitur convincens, esse infirmissimum, nec gaudere tenuissima probabilitate: nam justitia, misericordia, intellectus, voluntas existunt in Deo per eandem existentiam, & eam non multiplicant; & tamen addunt perfectionem virtualiter distinctam ab essentia: ergo quantumcunque relationes non multiplicent existentiam, nihilominus addere poterunt specialem perfectionem. Ad argumentum ergo dicendum, ad perfectionem & bonitatem requiri quidem rem, quæ dicitur perfecta, existere, vel dicere ordinem ad existentiam; sed non debet

debere multiplicare existentiam, sed sufficere si multiplicet virtualiter entitatem, quæ sit actualiter, sive propriâ, sive communi existentiâ. Nam etiam humanitas Christi habet veram suæ speciei perfectionem; & tamen non existit existentiâ propriâ: unde si Verbum assumeret plures humanitates, multiplicarentur perfectiones humanæ sub unica existentia. Et exemplum adductum de perfectionibus divinis est insolubile.

Dices: Ratio perfectionis pensatur ex ordine ad subjectum; perfectio enim respicit subjectum perfectibile. At relatio non respicit subjectum ratione subjecti, sed tantùm ratione termini: ergo relatio non est perfectio.

Respondeo, hoc argumento, si quid efficeret, probatum iri, nullas potentias, vel habitus, quibus homo perficitur in ordine ad objectum externum, afferre subjecto specialem perfectionem; quod est manifestè falsum. Vnde dicendum, quod licèt perfectio absoluta respiciat subjectum perfectibile ratione sui, tamen perfectio relativa respicit sub ectum perfectibile in ordine ad aliud; imò eo ampliùs & nobiliùs perficere, quo ordinat subjectum ad terminum nobiliorem, & excellentiorem.

Instabis: Si relationes adderent perfectionem, vel bonitatem ad essentiam, cùm illa non esset bonitas medii, foret bonitas ultimi finis: at relationes non addunt bonitatem ultimi finis, aliàs darentur plures ultimi fines: ergo nullam perfectionem addunt.

Respondeo, relationes esse modos ultimi finis, qui ingrediuntur beatitudinem objectivam nostram, ita ut cumulata non esset nostra felicitas, si intellectus videret essentiam divinam sine personis, ut diceretur dum de beatitudine agetur. Vnde non sequitur, dari tres ultimos fines, sed in ultimo fine esse tres personas; quod non solùm non est inconveniens, sed id de fide est.

Vrgebis: Si bonitas realiter multiplicaretur in personis divinis, possent admitti in Deo tres boni, & tres perfecti, non solùm adjectivè, sed etiam substantivè: nam multiplicaretur significatum, tam formale, quàm materiale hujus nominis, *Perfectus*: consequens est contra Augustinum *lib.5. de Trinit. cap.8.* ergo & antecedens.

Respondeo, quod cùm bonitas, & perfectio simpliciter, & præcipuè accipiantur pro perfectione absoluta, ideò non potest simpliciter & sine addito dici, dari in Deo tres bonos, vel perfectos: sicut licèt sint in Deo tres entitates, & realitates relativæ, non dicitur simpliciter dari in Deo tres, vel tria entia, sed cum addito, ob periculum confundendi absoluta cum relativis. Cæterùm dicere, dari in Deo tres relativas perfectiones, non est magis inconveniens, quàm confiteri tres relationes; cùm in veritate hæc duo sint synonyma.

Objicies secundò: Si relationes in Deo afferrent & multiplicarent perfectionem, destrueretur æqualitas, perfectio, & infinitas divinarum personarum. Æqualitas quidem, utpote cùm una non haberet perfectionem alterius. Perfectio etiam, quæ continere debet omnes perfectiones simpliciter simplices; subindéque persona quæ omnes relationes non habet, perfectione aliqua carebit. Denique infinitas; nec enim persona dicatur infinita, & ipsum esse, debet includere omnem possibilem perfectionem essendi, quia ut ait Cajetanus: *Oppositio perfectionum non provenit nisi ex limitatione.*

Respondeo, nullum ex his inconvenientibus sequi ea nostra sententia benè explicata: in primis salvatur æqualitas divinarum personarum, quæ non consistit in hoc, quod una persona habeat perfectionem relativam alterius, sed potiùs in hoc, & per hoc distinguantur: sed in hoc sita est, quod quælibet persona habeat eandem essentiam & perfectionem absolutam; ita enim expressè tradit S. Doctor *q.42. art.4. ad 2.* dicens: *Æqualitas attenditur secundùm magnitudinem, magnitudo autem in divinis significat perfectionem naturæ, & ad essentiam pertinet; & ideo æqualitas in divinis, & similitudo secundùm essentialia attenditur.* Et idem est sensus Augustini *lib.6. de Trinit. cap.2.* docentis quod *Filius est magnus ea magnitudine, qua Pater*; & in Deo non esse *tres magnitudines, sicut nec tres Deitates.* Cùm enim æqualitas attendatur secundùm essentialia, quæ simpliciter, & sine addito magna ut perfecta sunt; ideò perfecta æqualitas divinarum personarum optimè salvatur.

Salvatur etiam personarum summa perfectio: sicut enim ad perfectionem divinorum attributorum non exigitur, ut quodlibet attributum includat formaliter & explicitè, sed implicitè tantùm, & identicè perfectionem aliorum attributorum, & satis est quod formaliter importet omnem perfectionem suæ lineæ; v. g. misericordia, ut sit summè, & infinitè perfecta, debet solùm importare omnem possibilem perfectionem misericordiæ, & implicitè importare essentiam divinam: ita similiter ut persona sit infinitè perfecta in ratione personæ, non est necesse quod includat perfectionem alterius relationis personalis, cùm illi essentialiter opponatur; sed satis est, quod importet omnem excogitabilem perfectionem suæ lineæ, v. g. paternitatis, vel filiationis; & simul identificetur cum essentia divina, quæ est pelagus perfectionis quod se communicat singulis relationibus, easque intimè pervadit, ut suam perfectionem diffundat. Ex quibus patet, salvari etiam infinitatem divinarum personarum.

Instabis: Eo ipso quod paternitas sit perfectio relativa à filiatione realiter distincta, debet essentialiter distingui à perfectione filiationis. Pater enim, & Filius non differunt sicut duo Filii, vel duo Patres; cùm in Deo non sit materialis divisio fundata in potentialitate, quæ longè exulat à Deo: unde quidquid in Deo differt, formaliter differt. Sed quod differt specie, & essentialiter ab alio, necessariò est perfectionis inæqualis cum illo, cùm species sint sicut numeri, quorum unus excedit, vel exceditur semper ab alio. Ergo non subsistit divinarum personarum æqualitas; siquidem una debet esse perfectior alterâ, & tres simul quàm una sola.

Respondeo, huic instantiæ dissolvendæ multa adhiberi ab Authoribus: aliqui enim dicunt, quod licèt in paternitate non sit filiationis perfectio formaliter, est tamen eminenter ratione essentiæ, quæ omnes perfectiones relativas includit; & etiam aliquo modo formaliter per circuminsessionem, & reciprocam unius in alia existentiam; & ideò absolutè dici non potest, aliquam perfectionem esse in una persona, quæ non sit in alia. Et licèt ea quæ distinguuntur specie, vel quasi specie, non possint esse æqualis perfectionis, si nihil habeant commune, per quod hujusmodi inæqualitas tollatur; benè tamen quando oppositum contingit, ut in relationibus divinis, in quibus est eadem essentia communis, in qua eminentissimè continetur omnis perfectio relationum. Nec requiritur ad summam perfectionem Patris ut formaliter contineat perfectionem relativam, quæ sibi opponitur; cùm potiùs ideò sit perfectio relativa, quia sibi oppositam non includit, sed respicit.

Verùm quia multa, & difficilia urgeri possunt contra hanc responsionem, quâ non penitus videtur difficultas evacuata; ideò dicendum, quod sicut relatio se totâ respicit terminum, ita tota perfectio relativa ex termino solo pensanda est; & ideò illa magis, vel minùs, vel æquè perfecta est, quæ

habet

habet termioum perfectione majorem, minorem, vel parem; quia licèt perfectio relationis sit intrinseca subjecto, mensuratur tamen, & veluti refluit ab objecto: sicut generaliter omnis potentiarum, habituum, scientiarum, virtutumque perfectio, tametsi interna sit, ex objecti dignitate attenditur, & veluti staterâ suâ appenditur.

Et ita in proposito nostro, tota perfectio paternitatis divinæ petitur ex eo, quod respiciat Filium, qui Deus est; tota perfectio Filii oritur ex eo, quod respiciat Patrem, qui Deus est, & in cujus similitudinem procedit; tota perfectio spirationis activæ provenit ex eo quod respiciat Amorem, qui Deus est: si enim illæ relationes respicerent terminum, qui non esset Deus, degenerarent à sua perfectione relativa. Igitur quanvis relationes, & personæ divinæ differant specie, vel quasi specie in ratione entitatis & relationis, non tamen in ratione perfectionis relativæ; quia tota perfectio earum relationum in hoc sita est, quod respiciant terminum divinum, quod singulis commune est. Multiplicantur ergo perfectiones relativæ, sed in ratione perfectionis solo numero distinctæ. Sicut in frequenti Philosophorum sententia, potentia visiva hominis & leonis distinguuntur specie in ratione proprietatis; solo tamen numero differunt in ratione potentiæ, qoia idem objectum respiciunt.

Potest hoc totum alio faciliori exemplo illustrari. Communis est inter Thomistas sententia (quam etiam plures ex adversariis mordicùs defendunt) in puris mediis inveniri bonitatem intrinsecam propriam, relatam tamen ad bonitatem finis; sicut veritas conclusionom dependet à veritate principiorum, & visibilitas coloris subordinatur visibilitati lucis: adduntque illum mediorum ordinem, proportionem, & coaptationem in finem, esse amabilem, & convenientem, quia quantò major est proportio mediorum ad finem, tantò vehementiùs appetuntur, & promptiùs eliguntur. Certè adversarii deberent hujus doctrinæ recordari; & qui puris mediis bonitatem intrinsecam concedunt, respectivam tamen, sanè non deberent eam divinis relationibus denegare. Respicere finem creatum est bonitas intrinseca in puro medio, & Filium æternum respicere Patrem, & tantum Patrem, qui Deus est, perfectio non erit? Quod utile est ad consequendum finem sanitatis, nec ad nihilum valet ultra, sua utilitate bonum est; & quod utile est ad exercendam divinam fœcunditatem bonum non erit? Tantine refert depretiare divina, appretiare creata? Sed hanc doctrinæ inconsequentiam viderint ejus authores. Hoc tamen ex ea commodum reportare licet ad explicandam æqualitatem divinarum perfectionum relativarum, quod sicut media, quæ habent bonitatem intrinsecam, possint specie differre in ratione entitatis, esse tamen ejusdem speciei in ratione utilitatis (v. g. si duæ herbæ specie diversæ habeant eandem vim depellendi morbum, restituendi sanitatem) quia bonitas medii est relativa, & specificatur a bonitate finis, subindeque eadem bonitate finis existente, bonitas mediorum est ejusdem speciei in ratione bonitatis: ita similiter, quia tota perfectio relativa desumitur ex termino, si terminus habet eandem essentiam & perfectionem absolutam, quantumvis sit diversus respectus, eadem tamen erit in illis bonitas respectiva solo numero, vel quasi numero multiplicata.

Patet ergo, quod licèt relationes divinæ perfectionem addant essentiæ, æqualitatem tamen divinarum personarum conservant; quia nimirum tam perfectum est dare divinitatem, quàm recipere, licèt utrumque perfectio sit: unde præclarissimè dicit Zeno Veronensis serm. in epist. 1. ad Corinth. *Non est in Filio aliquid quod sit inferius, quia sicut Pater nec plus potest*

habere, nec minus; alter enim in alterius plenitudine infusus est. Quia nimirum tantam plenitudinem habet filiatio, quantam paternitas, cùm sit in eis eadem essentia, & similis respectus ad terminum æquè divinum. Nec minùs egregiè B. Bernardus epist. 189. *Ille dignè pro sua possibilitate divinam æstimat magnificentiam, qui nihil in ea cogitat dispar, ubi totum est summum; nihil distans, ubi totum est unum; nihil hians, ubi totum est integrum; nihil imperfectum vel egens, ubi totum est totum. Totum Pater, quod Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: totum Filius, quod ipse, & Pater, & Spiritus sanctus: totum Spiritus sanctus, quod & ipse, & Pater, & Filius; & totum unum est totum, nec superabundans in tribus, nec imminutum in singulis*; quia, ut dictum est, eadem in singulis personis natura, & æqualis habitudo ad terminum divinum invenitur. Similiter Augustin semper recurrit ad identitatem naturæ, ut salvet personarum æqualitatem. Sic epist. 66. *Hæc Trinitas est unius, ejusdemque naturæ, atque substantiæ; non minor in singulis, quàm in omnibus; nec major in omnibus, quàm in singulis. Neque enim Pater ut haberet filium de seipso, minuit seipsum; sed ita de se genuit alterum se, ut totus maneret in se, & esset in Filio tantus, quantus & solus.*

REFLEXIO.

Disputent de perfectionibus relativis Theologi, abundet in illis unusquisque in suo sensu. Hoc tibi tamen certum sit, mi Theologe, Christianam perfectionem relativam esse. Non minùs vera, quàm trita est illa definitio virtutis, quam Augustinus nos docuit: *Virtus est ordo amoris.* Quia nimirum diminuta, vel prorsus nulla virtus est, quam non movet charitas, nec ad Dominum virtutum dilectionis relatione ordinat. A Deo procedunt opera nostra ut sint; ad ipsum reverti debent ut bona sint: *ad locum* enim *unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Vnus est fons dilectionis (ait Augustinus) intus salsos duos rivos effundit: alter est amor mundi, cupiditas; alter est amor Dei, charitas: medium quippe est cor hominis, unde fons amoris erumpit; & cùm per appetitum ad exteriora decurrit, cupiditas dicitur; cùm verò desiderium suum ad interiora dirigit, charitas nominatur. Omnium malorum radix est cupiditas, & omnium bonorum radix est charitas. Meritò igitur magister bonus dilectionem sic sæpè commendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona. Relata est ergo profectio nostra: sicut enim navigantibus ad aliquod sydus dirigendus est cursus, sic nobis quærendus est semper & respiciendus Deus, ad quem oramus, ad quem omne factum nostrum, dictumque referamus. *Finis ergo* (concludit idem August. in Psal. 56.) *propositi nostri Christus sit. Et hæc perfectio nostra, ad illum pervenire.*

DISSERTATIO III.

De existentia, & essentia SS. Trinitatis.

QVO nostrum Mysterium altius est, eo tantum splendorem ferre non potest humana infirmitas. Hinc ab initio nascentis Christianismi non solùm Gentiles & Iudæi, sed etiam plures hæretici hanc fidei cardinalem veritatem aggressi sunt. Pri-

mus error fuit eorum, qui pluralitatem personarum inficiabantur. Ejus præcipuus author fuit Sabellius, asserens eandem personam prout ingenitam & principium creandi dici Patrem; prout incarnatam dici Filium; & prout sanctificantem animas dici Spiritum sanctum, extensione & dilatatione quadam ejusdem personæ in varios effectus, & diversa officia.

Secundus error huic extremè oppositus fuit Arrii, qui distinctionem quidem realem personarum admittens, negabat earumdem consubstantialitatem: qui tamen tot & tantis asturiis hæresim suam involvebat, ut ad latentes vaferrimi hæresiarchæ dolos detegendos œcumenica Synodus Nicæna, authoritate S. Sylvestri coacta sit, in qua 318. Patres hæreticorum subterfugia occluserunt, & vocabula ipsa elegerunt, quibus tergiversandi licentia veluti cauterii ustione cohiberetur.

Tertius error fuit circa divinitatem Spiritus sancti, authore Macedonio, qui è Cathedra Constantinopolitani Patriarchatus dejectus in tantam prorupit blasphemiam, ut dixerit, Spiritum sanctum esse creaturam, & Angelorum Principem. Cujus erroris incremento non parum opitulata est hypocrisis, & simulata priorum Macedonianorum sanctitas, qui etiam morum gravitati, compositæque vitæ institutioni falsa portenta, præstigiasque adjungebant. Hanc grassantem luem coërcuit Concilium Generale 150. Patrum Constantinopoli congregatorum. De errore Græcorum circa processionem Spiritus sancti dicemus postcà.

Mitto alios hæreticos reprobè de hoc Mysterio censentes, quia omnes ad unum ex his tribus reducuntur. Talis fuit nefandissimus Mahumetes, negans Patrem genuisse Filium; quia, inquit, uxorem non habet. Proh rationem authore suo dignam! idest, equo & mulo, quibus non est intellectus. Talis Petrus Abailardus, sine regula Monachus, sine solicitudine Prælatus; nec tenens Ordinem, nec tentus ab Ordine; homo sibi dissimilis; intus Herodes, foris Ioannes; totus ambiguus, nihil habens de Monacho præter nomen & habitum: sic eum depingit S Bernardus *epist*. 190. & 193. qui ponebat in Trinitate gradus, in majestate modos, numeros in æternitate, novisque vocum ambagibus totum Mysterium confundebat. Tales denique plures Novatores, qui ex errorum omnium colluvie aliquid decerpentes, nec Trinitati pepercere, ut Servetus Genevæ combustus, affirmans Christum cum Patre esse unam, eandemque personam; & Valentinus Bonchæ ultimo supplicio traditus, eo quòd Patrem Filio eminentiorem essentiæ præsumeret. Sed, ut dixi, omnes illæ, aliæque hæreses ad aliquam ex tribus prædictis revocantur.

CAPUT I.

Existentia SS. Trinitatis adversus hæreticos, & alios infideles defenditur, ejusque cognoscibilitas declaratur.

QUia istud Mysterium sola fide captivante intellectum in obsequium suum cognoscitur, ideò priùs ex Scripturis contra hæreticos probandum est; deinde congruentiis contra Gentes est declarandum, & demùm ejus credibilitas confutatione objectorum confirmanda.

SPECULATIO I.

Confitendum est, in Deo esse Trinitatem personarum distinctarum, & consubstantialium; ita ut neque singularitas substantiæ personarum confundat proprietatem, neque personarum distinctio unitatem separet Deitatis.

PRima pars hujus veritatis (quæ habetur in omnibus Symbolis & professionibus fidei, quæque in omnibus Conciliis renovatur) confodit errorem Sabellii, qui ut dixi, unicam in Deo personam admittebat, vel plures eo solùm sensu agnoscebat, quo quidem homo plures personas gerere dicitur: sic affirmabat, Deum plurium personarū vicibus fungi in creatione, Incarnatione, & sanctificatione hominum, confundens id à quo impositum est personæ nomen, cum eo ad quod significandum imponitur. Licèt enim nomen personæ à personando & repræsentando plures personas deriveturi, usurpatur tamen ad plura supposita significanda, ut Actorum 10. *Non est personarum acceptor Deus*. Igitur contra Sabellianos

Probatur Trinitas personarum primò ex veteri Testamento, in quo licèt apertè, & explicitè hoc mysterium non fuerit propositum nisi Patriarchis & Prophetis; fuit tamen variis modis adumbratum, ut cùm in novo Testamento explicitè annunciaretur, non appareret novum, vel veteri Instrumento repugnans. Et quidem Genesis liber satis hoc mysterium indigitat cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et paulò pòst: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam.* Prioribus verbis plurali numero expressis, solitudinem excludit; posterioribus verò unitatem naturæ significavit, ut non semel Augustinus observavit. Item Genes. 3. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* Ubi numerus colloquentium exprimitur. Cap. 11. *Venite descendamus, & confundamus linguam eorum.* Quem locum sic pulchrè expendit Chrysostomus homil. de Trinitate. *Dicendo, venite, parem honore exhortando vocat: neque enim si Angelis imperasset, dicere debuit, venite; sed imperando, ite. Vide autem obsecro, quomodo Patris vox Filium & Spiritum Sanctum vocet: nam si ad unum solum id dictum esset, debebat dicere, veni, & descendamus: quia autem dixit, Venite, unius est vox ad duos honore æquales.* Cap. 18. *Apparuit ei Dominus in convalle Mambre: cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum, quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi, & adoravit in terram, & dixit: Domine si inveni gratiam in oculis tuis*, &c. Quæ ponderans Augustin. *lib. 3. contra Maximinum, cap. 26.* ait: *Ipsa Trinitas, quæ unus est Deus, intelligi potest. Tres vidit, & non Dominos, sed Dominum appellat; quoniam Trinitas tres quidem personæ sunt, sed unus Dominus Deus.* Cap. 19. *Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cœlo.* Ex quo loco B. Hilar. *lib. 2. de Synod.* Secundam in Trinitate personam probat, ex eo nimirum, quod pluit *Dominus à Domino.*

Confirmatur ex Regii Prophetæ oraculis. Psal. 2. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ubi apertè æterni Filii generatio declaratur: nam sensus est, ut rectè exponit S. Thomas *in c. 1. ad Hebr. lect. 3.* ut ly *hodie* significet æternitatem, in qua nulla est successio præteriti, vel futuri: & ideò, ne putetur generatio hæc tota in præteritione, ait in præsenti, *hodie*, quia præterita defecerunt: conjungitur tamen præteritum cum præsenti, per ly *genui*; quia quod factum est completè, consummatum est. Ps. 32. *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus*

eorum

eorum. Vbi Hieronymus : *Trinitatis majestas manifestissimè declaratur, Dominus, Verbum, Spiritus Domini.* Psal.66. *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ.* Vbi etiam Hieronym. *Benedicit nos Deus Pater, Deus noster Filius; ipse enim Deus noster. Et vocabis, inquit Isaias, nomen ejus Emanuel, id est, nobiscum Deus. Benedicat nos Deus Spiritus Sanctus. Videte Mysterium Trinitatis in uno versiculo comprehensum.* Ne verò ter Deum nominans, tres Deos dixisse putaretur, illicò unitatem insinuans addidit : *Et metuant eum omnes fines terræ.* Psal.109. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Quo loco utitur ipse Christus *Matth.*22. & Petrus *Actor.*2.

Confirmatur rursus ex Isaïæ testimoniis cap.6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, & elevatum, Seraphim stabant super illud, & clamabant alter ad alterum : Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus exercituum.* Rabbi Ionathas Vzielis filius in paraphrasi Chaldaïca sic legit : *Sanctus Pater, Sanctus Filius, sanctus Spiritus Sanctus.* Et similiter alii veteres Rabbini, ut Rabbi Simeon filius Ioai : de quo vide Galatinum *lib.*2. *de arcanis Catholicæ veritatis, c.*1. Hunc autem locum sic illustrat Ambros. lib.2. de fid. ad Gratian. cap.4. *Quid sibi vult sub uno nomine sanctitatis trina repetitio? Si trina repetitio, cur una laudatio? Si una laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur? nisi quia Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus sanctitate unum sunt. Non dixit semel, ne Filium sequestraret; non bis, ne Spiritum præteriret; non quater, ne creaturam sibi conjungeret. Et ut ostenderet Trinitatis unam esse Deitatem, cùm tertio dixisset Sanctus, addidit singulariter, Dominus Deus sabaoth.* Et ideò sacrum illud trisagion tam frequenter Catholica repetit Ecclesia, *quoniam* (ut ait Concilium Vasense *canon.* 45.) *tam dulcis ac desiderabilis vox, etiamsi diu noctuque possit dici, fastidium non poterit generare.* Ex quibus omnibus locis, aliisque quæ brevitatis gratiâ missa facio, habetur, dari in Deo societatem, processionem, & numerum, quod est apertum signum distinctionis.

Probatur secundò apertiùs ex novo Testamento : & quia hæc veritas ex omnibus ferè ejus versiculis constat, ut methodicè agam, eorum testimoniorum efficaciam hoc discursu complector. Ex novo Testamento evidens est, dari in Deo societatem, processionem & numerum personarum. Ergo erravit Sabellius, unicam in Deo personam admittens. Consequentia est perspicua, cùm nullum sit evidentius signum distinctionis personarum, quàm quodlibet ex illis tribus, & ultrò magis si tria illa concurrant. Probatur antecedens. Et primò quidē societas claré exprimitur: Ioan.1. *Verbum erat apud Deum. Vnigenitus qui est in sinu Patris.* Origo etiam, & processio : *Exivi à Patre, & veni in mundum.* Et *Matth.*16. Petrus non carne & sanguine, sed Patre, qui in cœlis est, revelante confessus est : *Tu es Christus Filius Dei vivi.* Non quidem filiatione adoptiva, sed naturali, cùm *ad Philip.*2. dicat Paulus : *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Denique numerus, Ioan.16. *Non sum solus, quia Pater mecum est* Matth.28. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Et 1. Ioan.5. *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo : Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus.*

Nec quidquam valet Sabellii subterfugium hæc omnia explicantis per ordinem ad diversos effectus. Non valet, inquam. Tum quia sæpè in Scriptura plures personæ admittuntur in ordine ad eundem effectum. Ioan.5. *Filius facit quæcumque Pater facit.* Tum quia, ut solidè arguit S. Thomas *lib.*4. *cont. gent. cap.*5. Vbi ponitur vera paternitas & filiatio, debet poni distincta persona: Scriptura autem admittit in Deo veram filiationem, 1. Ioan. ultimo : *Vt simus in vero Filio ejus.* Tum quia dicitur Ioan. 8. *Duorum hominum testimonium verum est, & ego testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me qui misit me Pater.* Qui locus manifestè probat distinctionem personarum, & non solùm officiorum ejusdem personæ. Nam si pluralitas personarum necessaria est ad testimonium, ut ait Christus, & inde inferat veritatem sui testimonii, planè relinquitur, Filium esse aliam à Patre personam. Tum denique, quia Scriptura admittit distinctionem personarum ante mundum creatum, Deum incarnatum, vel animas sanctificatas. Ioan.17. *Clarifica me, Pater, claritate quam habui antequam mundus fieret.* Proverb.8. *Dominus possedit me ab initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Ergò distinctio personarum non petitur solùm ex diversitate effectuum.

Nec possunt tam evidentia testimonia, ea præsertim quæ in novo Testamento ubique, & tam claré inculcantur, ad explicationes allegoricas, vel tropologicas detorqueri, & sensibus tropicis obumbrari, alias rueret tota Scriptura & usus ejus, defuissetque Ecclesiæ suæ Deus præbendo tam apertam occasionem errandi in re tam ardua. Accedit, hanc obscurandi testimonia Scripturæ licentiam damnari unanimi Patrum Orthodoxorum sententiâ, qui sacram Trinitatis traditionem fideliter custodiverunt, librorum suorum monimentis, munimentisque propugnarunt, quin imò & exiliis, & tormentis, & fuso sanguine consignarunt. Denique *Catholica fides* (ut ait S.Leo epist.93.) *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credit æquales, quia unitatem in Trinitate non eadem persona, sed eadem implet essentia.*

Trium personarum consubstantialitas.

Secunda pars, quæ asserit, illas tres personas esse consubstantiales, habereque indivisè eandem numero essentiam, probanda est. Et quidem de prima persona nemo usquam dubitavit : nam ut ait August. lib.2. de Trinit. cap.13. *Pater Deus est, sicut etiam omnes hæretici concedunt.* Quare restat solùm confirmanda divinitas Filii, contra Arrianos ; & deinceps divinitas Spiritus Sancti, contra Macedonianos ; & probata manebit utriusque cum Patre consubstantialitas. Nam si Filius, & Spiritus Sanctus sint verus Deus sicut Pater, profectò eadem erit in illis divinitas, cùm libro præcedenti ostensum sit, non dari nisi unicum Deum.

Probatur ergo primò divinitas Filii ex novo Testamento (nam ex veteri eam apertè monstrabimus libro de Deo homine, agentes contra Iudæos :) quanvis id videatur superfluum, cùm ad divinitatem Verbi significandam, veluti ad unicum scopum, tota sacri Evangelii doctrina collimet. Sed quid luculentius his verbis Ioan.1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Nam ut præclaré ait Ambrosius *lib.*1. *de fide Trinit.cap.*5. his quatuor, aut quinque verbis, *omnes hæreses exclusit piscator noster. Quod enim erat in principio, non includitur tempore. Ergo Arrius conticescat, qui Filium Patri coæternum negat. Quod autem erat apud Deum, non commixtione confunditur, sed manentis Dei apud Patrem solida perfectione distinguitur, ut Sabellius & Photinus obmutescant, qui nullam in divinis personis distinctionem agnoscebant. Si verò Deus erat Verbum sempiterna divinitatis, in Patre & Filio inseparabilis unitas & consubstantialitas est, ut erubescant Eudoxius & Eunomius.* Quid autem expressius illo 1. *Ioan.* ult.

ult. testimonio: *Vt simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus.* Describendæ essent omnes Paulinæ epistolæ, quæ tanta tam divinarum rationum energia consertæ sunt, ut ad probandam divinitatem Christi quot penè verba protulit, tot sententiæ sunt; quot sensus, tot victoriæ, quibus Arrianorum blasphemias velut quibusdam fulminibus evertit, ut cùm ait Rom. 9. *Christus super omnia Deus benedictus in sæcula.* Ad Tit. 2. *Expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi.* Certè si Christus sit verus Deus, Deus super omnia, magnus Deus: ergo non participatione, adoptione, imitatione Deus est.

Ad majorem hujus veritatis convictionem, & Theologi lectoris eruditionem; considerandum sactas paginas quinque asserere Christo Domino, quibus veluti quinque limpidissimis lapidibus è torrente Scripturarum selectis frons Arrianæ impietatis feritur. Primò Scriptura Filio tribuit perfectam cum Patre æqualitatem. Philip. 2. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* Colos. 2. *In Christo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Id est verè, & non umbratiliter. Quomodo autem inæqualis esset Patri, qui totam habet divinitatis plenitudinem? Id etiam colligitur ex aliis permultis locis, in quibus affirmatur, Christo esse omnia tradita à Patre: quæ omnia æqualitatem significant, diminutionem removent. Atqui ad veram æqualitatem exigitur ut Filius sit Deus, si enim Deus non esset, foret infinitè inæqualis. Ergo Filius est verus Deus, & ut dicebat sanctus Thomas Apostolus, Ioan. 20. *Dominus meus, & Deus meus.*

Secundò Scriptura tribuit Filio virtutem & potestatem, quæ Deo propria est: nimirum in creando omnipotentiam, Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt.* Coloss. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ*, id est propriæ ac nativæ, non participatæ. Ioan. 5. *Quæcunque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit. Similiter*, idest eodem modo, ut causa principalis, non ut minister & instrumentum. Item alia divinitatis opera ei passim asseruntur. Dei solius opus est salvatio. Oseæ 13. *Ego Dominus Deus tuus, & Salvator non est præter me.* Et tamen de Christo dicitur Actor. 4. *Non est in aliquo alio salus.* Denique proprium est Dei sanctificare, Levit. 33. *Ego Dominus, qui sanctifico vos.* Condonare peccata. Isai. 43. *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Patrare miracula. Psal. 71. *Benedictus Deus Israël, qui facit mirabilia solus.* Sed hæc omnia Christo attribuuntur. Sanctificatio, Ephes. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea, ut illam sanctificaret.* Remissio peccatorum, Luc. 3. *Filius hominis habet potestatem dimittendi peccata.* Miraculorum patratio, ut patet ex toto contextu Evangelii; & tam nota erant ejus prodigia, ut nec ea possent inficiari æmuli, qui veritate coacti dicebant, Ioan. 11. *Quid facimus? quia hic homo multa signa facit.* Adeò autem stupenda erant, & convincentia, ut dixerit Salvator, Ioan. 15. *Si opera non fecissem in eis quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

Tertiò Scriptura Christo ascribit omniscientiam, quæ Deo propria est; dicitur enim Psalm. 46. *Sapientiæ ejus non est numerus.* Et similiter de Christo, Ioan. 21. *Domine, tu nosti omnia.* Et 1. Colos. 2. *In Christo Iesu sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei absconditi.* Item inspectio cogitationum cordis, & intimiorum recessuum illius, divinitati reservatur, 2. Paralip. 3. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* De Christo autem dicitur Matth. 9. *Cùm vidisset Deus cogitationes eorum, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris.* Futurorum quoque prænotio est etiam argumentum deitatis & omniscientiæ ejus, juxta illud Isai. 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis.* At Salvator multa prænuntiavit. Ioan. 13. *Amodo dixi vobis, priusquam fiat: ut cum factum fuerit, credatis, quia ego sum.* Et patet ex toto decursu Evangelii, in quo legimus prædixisse suam passionem, negationem Petri, proditionem Iudæ, fugam discipulorum, occursum hominis amphoram aquæ bajulantis, eversionem Hierosolymorum, & alia multa.

Quartò Scriptura asserit Christo omnem prælationem, honorem, cultum, adorationem, quæ Patri debentur, Psalm. 55. *Adorabunt eum omnes Reges terræ, omnes gentes servient ei.* Ioan. 5. *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ad Hebræos 1. *Adorent eum omnes Angeli Dei.* In Scriptura autem nunquam præcipitur adoratio, nisi pro vero Deo. Ponderat etiam Apostolus ibidem illud Psalm. 109. *Sede à dextris meis*: quod significat æqualitatem honoris. Acutè etiam observavit Chrysolog. quod sicut in illo Psalmo Pater dicit Filio, *sede à dextris meis*; ita Pater dicitur à dextris Filii, *Dominus à dextris tuis.* Vt adverteremus, utrique esse æqualem honoris gradum. *Sic à dextris* (inquit serm. 58.) *sedet Filius, ut Pater non sedeat à sinistris: unica & singularis est divina confessio, ubi superna virtus recipit nihil sinistrum.* Hinc est quod Scriptura affirmat, in Christo sitam esse rationem ultimi finis, & vitæ beatæ, sicut in Patre. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* 1. Ioan. ult. *Hic est verus Deus, & vita æterna.*

Quintò Scriptura removet à Christo omnem inferioritatem, subjectionem, & dependentiam aliarum creaturarum. Hebr. 1. *Cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ.* Quod sanè dici non potest de pura creatura, quæ quamlibet perfecta sit, est potiùs umbra, quàm splendor deitatis. Ponderant etiam Patres illud Philip. 2. *Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Certè si Filius Dei incarnando se formam servi accepit, profectò eam antè non habuit: & cùm omnis creatura serva sit Creatoris, planè sequitur, Filium non esse creaturam. Vnde August. tract. 17. in Ioan. *Semetipsum exinanivit formam servi accipiens: non ergo se exinanivit amittens quod erat, sed accipiens quod non erat.*

His etiam quinque viis divinitas Spiritus Sancti contra Macedonium comprobatur. Nam primò ei attribuit Scriptura æqualitatem in natura, 1. Ioan. ult. *Hi tres unum sunt.* Secundò asseritur ei omnipotentia, Ps. 31. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Et ideò illi attribuitur creatio, Ps. 109. *Emittes spiritum tuum, & creabuntur.* Sanctificatio, 1. Cor. 6. *Iustificati estis in spiritu Dei nostri.* Opus Incarnationis, quod est divinæ virtutis operæpretium, in quo fecit Deus potentiam in brachio suo, Luc. 1. *Spiritus sanctus superveniet in te*, &c. Opus miraculorum, 1. Cor. 12. *Divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Et alibi millies attribuuntur ei resurrectio mortuorum, gubernatio Ecclesiæ, assistentia in Conciliis, &c. Tertiò attribuitur ei omniscientia. 1. Cor. 2. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Quartò tribuit ei Scriptura Dei majestatem, & honorem, eique honorem latriæ defert. 1. Cor. 6. *Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus sancti: glorificate, & portate Deum in corpore vestro.* Et ideò peccatum in ipsum est crimen læsæ Majestatis divinæ, Matth. 12. *Qui dixerit contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Vnde ei gloria ultimi finis,

&

& beatitudinis ascribitur, 1. Petr. 7. *Spiritu sancto misso de cœlo, in quem desiderant Angeli prospicere.* Denique ab eo removetur inferioritas creaturæ. *Act.* 5. dixit Petrus Ananiæ: *Cur tentavit satanas cor tuum mentiri Spiritui sancto? Non est mentitus hominibus, sed Deo.* Alia innumera possent afferri, & ad unum ex his quinque locis reduci; sed id facilè seipso efficiet studiosus Lector.

REFLEXIO.

Veritatem SS. Trinitatis usque adeò nobis infixam, mentibus, cordibusque impressam voluit Deus, ut in ea confessione homines regenerati, eam proferent adulti, eam infantium nomine spondere susceptores, eam disertis verbis in forma Baptismatis exprimi opus sit, & olim trina immersione significari in Ecclesia solenne fuerit: quia nimirum imaginem suam in creatione infectam, & peccato obliteratam in nobis reformat Trinitas, quam formatat. Ideoque dum renascimur, satanæ, mundique operibus, ac pompis abrenunciamus, ut purgato, defæcatoque animo, eo fit divinæ imagini suscipiendæ paratior nova creatura, quo fuerit ab inanium veteris hominis cupiditatum speciebus expeditior. Quid enim aliud est Christianismus, quàm Adami terrenæ in nobis imaginis limita, & augustæ Trinitatis ducta pictura? Recordare, Lector, eorum quæ in Baptismate spopondisti: vide, an reddas Domino vota tua, quæ tunc distinxerunt labia tua: cave ne ea complectaris moribus, quibus verbo renunciasti: respondeat sono linguæ actus vitæ: confirma *operibus pronuntiantibus* (ut loquitur August.) quod labiis sonantibus promisisti. *Memor esto sermonis tui* (inquit Ambrof. *lib.* 1. *de Sacram. cap.* 2.) *& nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Chirographum tuum tenetur non in terra, sed in cœlo.* Deo, & Trinitati te solemniter consecrasti: illi ergo tota mente, totoque corde inhæreas, cui te devovisti. Deus non irridetur, nec ei placet stulta promissio. Audi Nazianz. orat. in sanctum baptisma: *Vt compendio dicam, nihil aliud esse vim & facultatem baptismi existimare debemus, quàm secunda vitæ, puriorisque, & præstantioris instituti pactum cum Deo initum. Ac proinde vel maximè in metu omnes esse debemus, ne falsam confessionem edidisse comperiamur. Nam cùm ad mutua hominum pacta obfirmanda Deus medius adhiberi soleat, quantò tandem periculosius est, magisque extimescendum, ne fœdera cum Deo ipso contracta perfregisse reperiamur.*

SPECULATIO II.

Mysterium SS. Trinitatis non potest rationibus convincentibus demonstrari: potest tamen ejus fides congruentiis illustrari, & declarari.

PRima pars reprobat quorumdam confidentiam, qui omnia fidei mysteria evidenter demonstrare sibi promittunt. Inter eos turpiùs erravit Petrus Abailardus, qui ut refert D. Bernardus *epist.* 90. volebat rationem semper debere prævenire fidem: & in hoc sensu exponebat illud Ecclesiast. 19. *Qui citò credit, levis est corde*: id est, inquiebat, qui adhibet fidem ante rationem. Quem sic eleganter impugnat ibidem S. Pater: *Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quæ sunt supra rationem, & contra rationem præsumit. Quid enim magis contra rationem quàm rationem ratione conari transcendere? & quid magis contra fidem quàm credere nolle quidquid non possit ratione attingere? Laudatur Maria quod rationem fide prævenit, & punitur Zacharias quòd fidem ratione tentavit.* Et præclarè adhuc lib. 5. de considerat. cap. 8. *Quærit quis, quomodo illud quod catholicum esse dicimus, possit esse? Sufficiat ei tenere sic esse. Atque hoc non rationi perspicuum, nec tamen opinioni ambiguum, sed fidei persuasum. Sacramentum hoc magnum est, & quidem venerandum, non scrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in pluralitate? Scrutari hoc temeritas est: credere pietas est: nosse vita & vita æterna est.*

Ratio D. Thomæ *quæst.* 32. *art.* 1. convincens est: Ad ea tantùm attributa Deitatis potest intellectus noster assurgere, quæ ex effectibus cognosci possunt; de Deo enim nihil à priori, & per causam novimus: sed effectibus creatis non possumus in tanti mysterii cognitionem devenire; cùm ex eis valeamus solùm indagare, quæ Deo ut primæ causæ & fontali omnium principio asseri possunt; effectus enim creati non procedunt per se à Deo ut trino, sed tantùm concomitanter, quatenus eadem virtus invenitur in tribus: ergo impossibile est, quod per solam rationem naturalem in hujus mysterii cognitionem, nec quidem in ejus suspicionem deveniamus. Vnde dixit Veritas, Matth. 11. *Nemo novit Patrem nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Et Hormisdas Papa in epist. ad Iust. Imperat. cap. 1. *Secretum Trinitatis nec ulla visibilium, nec invisibilium creaturarum potuit investigare natura.* Nota ly *investigare*, quod indicat nullam creaturam viribus naturalibus unquam potuisse ejus mysterii cognitionem quærere, vel suspicari.

Confirmatur, & simul occupantur objectiones. Mysterium Trinitatis est supernaturale, non quidem respectu Dei, cui omnia quæ habet, naturalia sunt, nihil enim in eo est, quod non sit ipsi debitum; sed est supernaturale respectu nostri, non solùm eo modo, quo omnia quæ sunt in Deo, supra naturam sunt, sic enim omnia attributa supernaturalia dici possunt, imò & cognosci talia: lumine enim naturæ compertum est, omnia quæ in Deo sunt, omnem naturam creatam & creabilem antecellere; unde & divina perfectio à Patribus per viam excessus declaratur, dum Deum vocant superbonum, superpulchrum, & id quo nihil majus esse, aut cogitari potest. Sed etiam istud mysterium est supernaturale alio speciali modo, quatenus nimirum nihil est in rebus naturalibus, quo possit intellectus manuduci ad Trinitatem personarum asserendam: quin potiùs prima fronte naturalibus principiis repugnare videtur, licèt reipsa eis non adversetur, quia verum non est vero contrarium.

Ex quo etiam fit, tantam esse, tamque sublimem hujus mysterii arduitatem, ut etiam supposita revelatione divina, & semel detecto per fidem tali arcano (de quo ante revelationem nulla poterat suboriri suspicio) adhuc demonstrativè probari nequeat. Quia licèt supposita, & prælucente revelatione multa demonstrare possimus, quia de causa dixit nonnullus, *Fides magnam nos docuit Metaphysicam*; v. g. ex fide Incarnationis ostendamus dari subsistentiam ab essentia distinctam, de qua subsistentia vix unquam Philosophi cogitarant, & similiter quantitatem à substantia distingui nos docet Eucharistia, & in aliis multis veritatibus naturalibus post fidem securiùs incedimus. Aliter tamen est de nostro mysterio, quod etiam post revelationem rationem nostram ita captivat, & ferè opprimit, ut sola fide ei assentiri valeamus; quia nimirum nullum affulget principium naturale, quo evidenter suadeatur; nullum apparet exemplum, quod non magis dissimilitudinis, quàm similitudinis præ se ferat, ut patebit consideranti illa quæ statim referemus. Igitur nostrum mysterium nulla potest convincenti ratione demonstrari, & ut ait Augustin. lib. 7. de Trinit. cap. ultimo: *Trinitas fide teneatur, donec illucescat in cordibus nostris, qui ait per Prophetam: Nisi credideritis, non intelligetis.*

Secunda pars postulat ut adducamus convenientias quibus docetur, non esse absurdum, nec rationi repugnare quod fide credimus. Prima classis congruentiarum constat rationibus. Prima sumitur ex illo principio, *Bonum est sui diffusivum*; subindeque summum & infinitum bonum, summè & infinitè diffusivum: quæ infinita diffusio in mysterio Trinitatis dumtaxat resplendet. Secunda, quia gignere sibi simile, est magna perfectio, Deo omni ex parte perfecto minimè deneganda. Isai. 66. *Qui alios parere facio, ipse non pariam? qui cæteris generationem tribuo, sterilis ero?* Tertia: experimur in nobis dari processionem verbi & amoris, quæ ut suprà diximus, mundari potest ab omni imperfectionis labe: ergo talis processio in Deo etiam invenitur. Quarta fundatur in ratione amicitiæ, quam si fieri potest, in Deo esse summè decet. Amicitia verò perfecta exigit consortium personarum æqualium, ut sit amatio & redamatio reciproca, & omnibus modis cumulata. Quinta accipitur ex divina felicitate, quæ congruenter exigit veram societatem, solitudinem refugit, convictum amat. Nec salvatur sufficienter societas Dei per creaturas: tum quia hæ non fuerunt ab æterno: tum quia infinitè distant à Deo, & multò magis quàm lapides, aut plantæ ab homine; qui tamen dicitur solitarius in Palatio ubi sunt politissima marmora, vel in horto quantumvis pomifero.

Secunda classis convenientiarum petitur ex numero ternario, in quo nostrum mysterium non exscribitur quidem, sed adumbratur. Numerus enim ternarius ita in natura commendatur, ut ubique ferè videatur delineatus. Creatio orbis una est, sed tribus operationibus completa; productione, qua res factæ sunt; distinctione, qua suis locis constitutæ; ornatu, quo aptatæ & compositæ sunt. Orbis ipse unus est, sed tribus generibus entium constans; purè spirituali, in Angelis; purè corporali, in omnibus rationis expertibus: mixto ex corpore & spiritu in homine. Tres etiam gradus constituunt totam mundi universitatem, scilicet esse, vivere, & intelligere. Tria sunt entium naturalium principia, materia, forma, privatio. Tres partes temporis, præteritum, præsens, & futurum. Tres durationum mensuræ, tempus, ævum, æternitas. Tres quantitatis species, linea, superficies, corpus. Tres corporis dimensiones, longitudo, latitudo, profunditas; nam sublimitas à profunditate non differt. Idem apparet in parvo mundo, scilicet homine, in quo triplex est facultas, memoria, intellectus, voluntas. Triplex operatio, vegetativa, sensitiva, rationalis. Triplex mentis operatio, apprehensio, judicium, discursus. Idem etiam in Angelis relucet, in quibus est substantia, intellectus, voluntas. In illis sunt tres hierarchiæ, in qualibet hierarchia tres chori, in quolibet choro triplex operatio, purgatio, illuminatio, perfectio; & triplex motus, rectus, circularis, obliquus, suo loco explicandus. Denique libro sequenti dicemus, in omnibus omninò creaturis esse vestigium Trinitatis, quia in omni re insunt hæc tria, unitas, species, & ordo; relucent numerus, pondus, & mensura; apparent esse, posse, & operari: & tres proprietates inveniuntur, unum, verum, bonum.

Hac forte de causa omnibus semper sæculis apud omnes populos ternarius numerus summa veneratione habitus est, & peculiari ratione perfectus, ac sacer. Hinc ad aliquid numeris omnibus absolutum significandum, eo sermonis schemate utimur: *Ter beatus, Trismegistus.* Olim etiam Gentilium cæremoniæ hoc numero perficiebantur, juxta illud Poëtæ: *Numero Deus impare gaudet.* Propter quod etiam in incantationibus hunc numerum assiduè adhibendum præscribit diabolus divinæ gloriæ æmulus, ut refert doctus Estius *in 1. dist. 3. §. 11.* unde non immeritò credunt nonnulli, quodam tacito naturæ instinctu tam religiosè numerum illum fuisse observatum, in quo vestigium Augustæ Trinitatis impressum hæret. Præclarè dixit August. lib. 11. de Civit. cap. 24. *In operibus Dei secreto quodam loquendi modo, quo nostra exerceatur intentio, nobis insinuata intelligitur Trinitas. Unamquamque creaturam quis fecerit, per quid fecerit, propter quid fecerit: universa nobis Trinitas in suis operibus intimatur. Inde est civitatis sancta, quæ in sanctis Angelis sursum est, & origo, & informatio, & beatitudo. Nam si quæratur unde sit? Deus eam condidit: si unde sit sapiens, à Deo illuminatur: si unde sit fœlix, Deo fruitur: subsistens modificatur, contemplans illustratur, inhærens jucundatur: est, videt, amat: in æternitate Dei viget, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet.* Hoc triplici motu Trinitatis expressivo consummatur Sanctorum beatitudo.

Tertia denique classis convenientiarum formatur ex variis exemplis, quibus non tam probatur, quàm qualitercumque explicatur tam abstrusum mysterium. Paucas similitudines ex Patribus lectas hîc subjiciam. Primam desumit ex aqua S. August. *lib. de fide & symbolo, cap. 9.* dicens: *Fons, fluvius, & potio sunt aqua; & tamen nihil horum est alterum. Tria pocula ex fonte impleta inter se diversa sunt, & tamen non tres aquæ, sed una dicuntur aqua. Ex quibus intelligitur, fieri posse, ut aliqua tria non tantùm sigillatim, sed etiam simul unum nomen obtineant.*

Secundam affert serm. 38. de verbis Dom. cap. 7. *Ut in tempore simul sunt ignis, splendor, & calor: ita & in æternitate simul sunt Pater ignis consumens, Filius candor lucis æternæ, & Spiritus sanctus suo amore corda nostra calefaciens, & benignissimè fovens.*

Tertiam & quartam adducit S. Pater serm. 1. de verbis Apostoli, cap. 3. *Ecce in sole tria sunt; & sicut videmus, omninò separari non possunt, cursus, splendor, & calor. Ignis tria habet, & dividi non potest, hoc est, lucem, motum, & fervorem. Si igitur, nefande hæretice, dividere non potes creatum solem & ignem, quomodo dividere potes Deum omnium Creatorem?*

Quintam mutuatur ex Philosophia, lib. 11. de Civit. cap. 25. *Philosophi sapientiæ disciplinam tripartitam esse animadverterunt, Physicam, Logicam, & Ethicam; sive naturalem, rationalem, moralem.* Ex quo Deum esse trinum concludi potest: nam *Deus naturarum omnium author est* (per potentiam Patri attributam) *& intelligentiæ dator* (per sapientiam Filio assertam) *& amoris, quo benè, beatéque vivatur, inspirator*, per Spiritum sanctum, cui amor appropriatur.

Sextam nobis proponit lib. 13. confess. cap. 11. *Vellem ut hæc tria, esse, nosse, velle, cogitarent homines in seipsis. In his tribus quàm sit inseparabilis vita, & una vita, & una mens, & una essentia; quàm denique inseparabilis distinctio, & tamen distinctio, videat qui potest.* Et lib. 14. de Trinit. cap. 8. *Mens meminit sui, intelligit se, diligit se: hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, nondum quidem Deum, sed imaginem Dei.*

Septimam tradit S. Dionysius *lib. de divin. nom. c. 2.* ex tribus luminibus idem cubiculum implentibus indistincta quadam distinctione. Tria cereorum lumina ita tota in totis sunt, ut fulgorem unum, indiscretum, individuumque præferant; ita tamen discreta & impermixta sunt lumina, ut unum possit ab alio separari. Hæc longiusculè retuli, quia sunt utilis ad tantum mysterium simplicibus quoquo modo explanandum, quamvis in rei veritate hæc exempla plus dissimilitudinis, quàm similitudinis habeant: & sicut in talibus adumbrationibus aliqua utcumque consentanea reperiuntur; ita & plurima dissentanea occurrunt, ut verum

sit

fit quod dicitur Isai.46. *Cui assimilastis me, & adæquastis, & comparastis me, & fecistis similem.*

Dices: Ex tanto rationum, convenientiarum, & exemplorum apparatu videtur sufficientem confici posse demonstrationem, qua veritas nostri mysterii, saltem fide detecta, comprobetur, imò & fortè ante fidem; cùm referat August. *lib.5, confess, cap.9.* se legisse in libris Platonicorum exordium Evangelii Ioannis, *In principio erat Verbum.* Et celebre est dictum Trismegisti: *Monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem.* Quo graphicè descriptæ videntur divinæ origines.

Respondeo, rationes suprà factas fidem quidem juvare, sed minimè convincere. Natura enim summi boni salvabitur à Philosopho per hoc, quod Deus possit extra se in infinitum perfectionem suam communicare. Ex eo etiam, quod reperiatur in creatis productio similis in natura, non cogimur ad generationem Deo asserendam, sed potiùs impedimur; cùm videamus generatione multiplicari, & propagari naturam, quæ in Deo est essentialiter singularis. Nec etiam ex eo quod experiamur in nobis dari internam processionem verbi & amoris: quia hæc emanatio accidentalis est, divina substantialis. Amicitia autem, & consortium requiruntur quidem ad felicitatem hominis, qui in proprio fundo plenitudinem boni non invenit: sed exigi ad beatitudinem illius qui seipso centrum est omnis boni, non facilè demonstrabitur. Exempla verò, & vestigia quæ adduximus, declarant quidem, sed non probant nostrum Mysterium, cujus frustra justum exemplum quæritur, cùm in hoc ejus eminentia posita sit, quod nulla possit similitudine adæquari.

Ad id verò quod additur de Philosophis, respondeo eos omninò tale mysterium ignorasse, sicut & mysterium Incarnationis, juxta illud Apostoli 1. Cor.2. *Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam nemo Principum hujus sæculi cognovit,* idest, Philosophorum nullus. Unde diverso longè sensu loquuti sunt, si quæ fortassis similia mysteriis nostris balbutiendo dictitarint. Vnde Augustinus legit solùm in libris Platonicorum quandam mentem à Deo distinctam, rerum omnium operatricem, sed non Deo consubstantialem; in quo tamen tota mysterii nostri arduitas sita est. Dictum verò Trismegisti, non productionem Filii & Spiritus sancti significat, sed productionem mundi, quem unum Deus unus produxit, productumque ad se ordinavit & reflexit per amorem. Quod si tandem aliquid litteris mandarint de veritate tanti mysterii, ut de Trismegisto & Sibyllis multi credunt; dicendum ad ejusmodi cognitionem speciali illustratione divinitus esse adjutos.

REFLEXIO.

Vbique sparsa vidisti, Lector, Trinitatis vestigia, *quoniam*, ut ait Apost. Rom.11. *ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Sed vide num in te impressum Trinitatis characterem deleat memoria, cognitio, amorque terrenorum. Nam ut verè scripsit August. lib.14. de Trinit. cap.12. *Trinitas mentis non propterea Dei est imago, quia sui meminit mens, & intelligit, ac diligit se; sed etiam quia potest meminisse, & intelligere, & amare à quo facta est: quod cùm facit, sapiens ipsa fit; si autem non facit, etiam cùm sui meminit, seque intelligit ac diligit, stulta est. Meminerit itaque Dei sui, ad cujus imaginem facta est; eumque intelligat, atque diligat. Ad quam summam Trinitatem* (subdit lib.15. cap.20.) *reminiscendam, videndam, diligendam, ut eam recordetur, eam contempletur, eâ delectetur, totum debet referre quod vivit.* Et ratio est, quia mens nostra ejus imago est quod cogitatione revolvit; *Intellectus enim intelligendo fit omnia*, ut aiunt Philosophi. Quomodo ergo imago Dei erit qui Deum non recogitat corde. Vnde omnibus fermè hujus sæculi Christianis objicere licet quod olim Elpidoforo apostatæ exprobrabat melytus Diaconus nomine Muritta, gravissimis verbis, quæ refert Victor Vticensis lib.3. Vvandalicæ persequutionis. Assumens ergo Muritta sabana & linteamina, id est albam vestem quam Sacerdos baptizandi capiti imponit, sic fatus est: *Hæc sunt linteamina, Elpidofore, quæ te accusabunt, dum Majestas venerit judicantis; hæc te immaculatum cinxerant de fonte surgentem; hæc te acriùs persequentur. Quid facturus es, miser, cùm servi patrisfamilias ad cœnam regiam congregare cœperint invitatos? Tunc te aliquando vocatum, terribiliter indignatus exutum stolam Rex conspiciet, diceturque tibi? Amice quomodo huc venisti vestem non habens nuptialem? Non video quod contuli, non nosco quod dedi: perdidisti militiæ chlamydem; characterem non video Trinitatis. Talis interesse non poterit epulis meis. Ligate eum pedibus & manibus funiculis suis: ipse funes extendit continuatos in laqueum, quibus & semetipsum vinxit.* Ergo characterem Trinitatis fideliter custodiamus.

SPECULATIO III.

Mysterium Trinitatis reddi potest evidenter credibile, clara solutione objectorum quæ Haretici, vel Iudæi, vel Gentes opponunt.

PRæter ea quæ suprà diximus in generali de credibilitate Mysteriorum Catholicæ Religionis, adhuc in speciali monstranda est credibilitas hujus mysterii solutione argumentorum. Ad cujus evidentiam considerandum est cum S. Thoma *lib.1. cont. Gent. cap.7.* quod licèt veritas fidei Christianæ humanæ rationis capacitatem excedat, ea tamen quæ ratio naturaliter indita habet, veritati fidei contraria esse non possunt; ea enim quæ naturaliter rationi sunt insita, verissima esse constat: id etiam quod fide tenetur, cùm evidenter divinitus confirmatum sit, nefas est credere esse falsum. Quia igitur solum falsum vero contrarium est, impossibile est principiis naturaliter notis veritatem mysteriorum fidei contrariam esse. *Ex quo*, inquit, *evidenter colligitur, quæcumque argumenta contra fidei documenta ponantur, ex principiis natura per se notis non procedere, unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles, vel sophisticæ; & sic ad ea solvenda locus relinquitur.*

Considerandum secundò ex eodem Angelico Doctore ibidem, cap.3. & 1. part. quæst.32. art.1. Theologum dum mysteria Trinitatis, Incarnationis, aliaque difficilia infidelibus proponit, non debere præsumere, se posse eos ratione convincere; in hoc enim multùm fidei derogaret: tum quia celsitudo fidei, infirmæ rationis limites transcendit: tum quia cederet in derisum fidei, dum intelligerent Gentes, nos ob tales solùm convenientias propositionibus tam invisis adhærere. Nihilominus rationibus & similitudinibus suprà adductis uti potest, & debet, quia ut præclarè docet idem S. Præceptor *loco citato*, *cap.8.* utile est ut in hujusmodi rationibus quantumcunque debilibus se mens humana exerceat, dummodo desit comprehendendi vel demonstrandi præsumptio; quia de rebus altissimis, etiam parva & debili consideratione aliquid posse inspicere, jucundissimum est.

Considerandum tertiò, quod cùm ea falsi natura sit, ut nonnisi falsis rationibus astruatur (ex vero enim nunquam sequitur falsum, ut docent Dialectici) consequens est, omnes errores non nisi falsis rationibus, &c

& sophismatis nixi, forma vel materia vitiosis, veritate destitutis, ejusque tantùm imagine vel umbra induitis. Sed quia quo mysteria sunt sublimiora & magis occulta, eo minùs cognita sunt, ideò non mirum si adversus ea opponantur sophismata obscuriora, & ad solvendum difficiliora; sophismata tamen sunt, id est argumenta fallacia, futilia, & semper per se inania, nec vires habentia nisi propter hominum ignorantiam, qui sæpè se habent ad certiora sicut oculi noctuæ ad lumen solis, ut ipsemet Aristoteles observavit. His prænotatis, infidelium castra ingrediamur, ut excussa & demonstrata firmamentorum, quibus errores suos suffulciunt, imbecillitate, Catholica veritas elucescat.

Argumenta Arrianorum, & Macedonianorum.

Objiciunt primò hæretici Arriani, retorquendo eadem quinque tela in nos, quæ in ipsos contorsimus. Primò removetur à Filio æqualitas in natura, dum simpliciter creatura nominatur in Scriptura. Eccl. 1. *Prior omnium creata est Sapientia.* Coloss. 1. *Qui est primogenitus omnis creaturæ.* Et Ioan. 17. videtur ei divinitas denegari. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te* (Patrem alloquitur) *solum Deum vivum, & quem misisti Iesum Christum.* Vbi soli Patri divinitas tribuitur. Secundò removetur ab ipso omnipotentia. Ioan. 5. *Non potest à se Filius facere quicquam.* Tertiò aufertur ei omniscientia. Marc. 13. *De die illa nemo scit, neque Filius hominis.* Quartò denegatur ei prælatio, cultus, & honor Patris. Ioan. 14. *Pater major me est.* Marc. 10. 18. *Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus Deus.* Quintò attribuitur ei defectus & subjectio creaturarum. 1. Cor. 15. *Cùm subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei.*

Respondeo auctoritates illas loqui de Christo in natura humana, in qua non solùm Deo subjectus fuit, sed etiam paulò minùs ab Angelis minoratus, imò & parentibus subditus, quin & opprobrium hominum factus, exinaniens semetipsum formam servi accipiens, ut nos à peccati servitute liberaret. Seorsim tamen exponenda sunt opposita nobis testimonia. Ad locum Ecclesiastici dico, Sapientiam dici creatam, idem esse ac productam; nam apud Latinos procreare liberos dicuntur genitores. Et in hoc sensu dicitur Christus primogenitus omnis creaturæ, id est priùs genitus, quàm ulla fieret creatura. Triplicem aliam expositionem horum, & similium locorum egregiè ducet S. Thomas 1. *part. quæst.* 41. *art.* 3. *ad* 4. his verbis: *Dicendum quod cùm dicitur, Sapientia est creata, potest intelligi non de sapientia quæ est Filius Dei, sed de sapientia creata, quam Deus indidit creaturis. Dicitur enim Eccles. 1. Ipse creavit eam, scilicet sapientiam, Spiritu sancto, & effudit illam super omnia opera sua. Neque est inconveniens, quod in uno contextu locutionis loquatur Scriptura de Sapientia genita, & de creata; quia sapientia creata est participatio quædam Sapientiæ increatæ. Vel potest referri ad naturam creatam assumptam à Filio, ut sit sensus: Ab initio & ante sæcula creata sum, id est, prævisa sum creaturæ uniri. Vel per hoc quod Sapientia creata & genita nuncupatur, modus divinæ generationis nobis insinuatur. In generatione enim quod generatur, accipit naturam generantis, quod perfectionis est. In creatione verò creans non mutatur, sed creatum non recipit naturam creantis. Dicitur ergo Filius, & creatus, & genitus; ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, & ex generatione unitas naturæ in Patre, & Filio.*

Ad locum *Ioan.* 17. in quo solus Pater dicitur Deus, responderi posset, in illo testimonio addi: *Et quem misit Iesum Christum*, ut detur intelligi, Christum esse etiam Deum, & Patri consubstantialem. Sed meliùs dicitur, dictionem exclusivam, *solus*, removere tantùm à natura divina aliud, non alium; & quia Filius non est aliud à Patre, ideò dictio exclusiva, *solus*, removet dumtaxat creaturas. Alii dicunt Christum ibi alloqui non Patrem, sed totam Trinitatem, quibus favet S. August. *lib.* 6. *de Trinit. cap.* 9. & D. Thom. *quæst.* 31. *art.* 4. *ad* 1. Ad locum Ioan. 5. *Dicendum* (ait D. Thom. q. 42. art. 6. ad 1.) *quod in hoc quod dicitur, Filius non potest à se facere quicquam, non subtrahitur Filio aliqua potestas, quam habeat Pater, cùm statim subdatur, quod quodcumque Pater facit, Filius similiter facit; sed ostenditur quod Filius habet potestatem à Patre, à quo habet naturam.* Vno verbo, significatur Christum habere potentiam per generationem, non ut personam ingenitam.

Ex his etiam facilè exponuntur alia testimonia. Nam cùm dicitur, Christum ignorare diem judicii, id intelligitur de eo in quantum homo est, vel quia ad modum ignorantis se habebat, diem illum tacendo, & non manifestando; sicut Deus dicitur cognovisse quod Abraham timeret Dominum, non quòd antea ignoraret, sed quia id tunc cognoscere fecit. Vnde dixit Hilar. lib. 10. de Trinit. *Hæc nescita diei professio non est ignorationis infirmitas, sed tacendi dispensatio.* Similiter cùm denegatur ei supremus honor, asseriturque subjectio, hæc intelliguntur de Christo ratione humanitatis, cui etiam non convenit bonitas, scilicet per essentiam. Ad illa itaque explicanda, præ oculis habenda est semper sententia illa Athanasii: *Æqualis Patri secundùm divinitatem: minor Patre secundum humanitatem.*

Dices: Si nos volumus, quod cùm Scriptura vocat Christum Deum, id intelligatur cum omni proprietate; cur cùm dicitur creatura, eique creatarum rerum conditiones tribuuntur, id non intelligimus in proprio & rigoroso sensu? Vnde disparitas?

Respondeo disparitatem esse claram, quia si Verbum non esset consubstantiale, falsò diceret Scriptura, *Hic est verus Deus*, cùm non haberet divinitatem nec ante, nec per Incarnationem: unde Arrianismus non salvat omnia quæ dicuntur de Christo. At verò secundùm fidem Catholicam utrumque verum est, & Christum esse Deum, subindeque Patri æqualem; & habere naturam creatam, subjectam, minorem Patre. Vnde fides Orthodoxa salvat utrumque modum loquendi Scripturæ.

Instabis: Non minùs loca quæ Arrianis opponimus, patiuntur suam explicationem, quàm illa quæ nobis ipsi objiciunt: nam quotiescumque Christus dicitur unus cum Patre, id exponi potest de unitate affectus, non de consubstantialitate naturæ, ut ex ipsius litteræ serie colligitur. *Ioan.* enim 10. postquam Christus dixit: *Ego, & Pater unum sumus*; subnectit: *Si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi: Filius Dei sum.* Quæ ratio probat tantùm unitatem moralem, & participationem divinitatis, qualem habuerunt sancti Prophetæ. Quod fortiùs urgetur ex illo Ioan. 17. *Rogo Pater, ut sint unum, sicut & nos unum sumus.* Non rogabat autem Filius pro discipulis, nisi unitatem affectus & charitatis. Similiter ex illo 1. *Ioan. ult.* ubi postquam dictum est: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt*; subditur, *Tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt*: sed hi tres posteriores non sunt unum in substantia: ergo nec illi tres priores.

Respondeo, multa nos suprà attulisse testimonia, quæ his tergiversationibus non patent, ut intuenti constabit. Sed nec adhibita in instantia satisfaciunt, vel enervant loca adducta. Nam ratio illa à Salvatore, *Ioan.* 10. allata non fuit ut probaret quod dixerat,

nimirum

nimirum ſe eſſe Deum; ſed ad pacandum Iudæos, eiſque explicandum ſe non evomuiſſe blaſphemiam: quod probat à minori ad majus; ſi enim illi, ad quos ſermo Dei factus eſt, dicuntur Dii ſine blaſphemiæ nota, à fortiori ille qui eſt miſſus à Patre, & qui tam divina opera patravit, divinitatis nomenclaturâ inſigniri poteſt. Vnde oſtenſo, ſe non protuliſſe blaſphemiam, animiſque hac divina prudentia conciliatis, & per ſermonem mollem fracta ira, redit Salvator ad probandam ſuam divinitatem, dicens: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi; ſi autem facio, & mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis & credatis, quia Pater in me, & ego in Patre.*

Ad locum *Ioan.* 17. dicendum, quod tunc rogabat Chriſtus ut homo, & ſenſus talis orationis eſt, Chriſtum optaſſe, ut ſicut inter Deum Patrem & ſe ut hominem eſt unitas perfectæ charitatis; ſic & inter Apoſtolos inveniri precabatur. Locus verò epiſtolæ Ioannis manet in ſua firmitate; ſignificat namque, quod ſicut illa tria quæ teſtimonium dederunt de Chriſto in morte, ſunt unum in ſubſtantia humana; ita tres illæ perſonæ ſunt una ſubſtantia Dei. Nec poteſt melius, nec aptius afferri exemplum ad exprimendam, declarandamque perſonarum conſubſtantialitatem. Niſi malis dicere, quod loquitur Ioannes de Sacramento Baptiſmi; & ſenſus erit, quod ſicut baptiſmus flaminis, fluminis & ſanguinis ſunt unum in ratione Sacramenti; ita Pater, Verbum & Spiritus ſanctus in ratione divinitatis.

Inſiſtebant adhuc Arriani, ut refert Cyrill. *lib.* 10. *ſuper Ioan.* ex illo: *Pater major me eſt.* Quia inepta eſt omnis comparatio, qua res diverſorum generum inter ſe conferuntur; ſicut inſulsè diceretur, hominem eſſe ſapientiorem leone: ſed major eſt diſtantia inter Deum & purum hominem, quàm inter hominem & leonem: ergo abſurdè diceretur Deum Patrem eſſe majorem Chriſto, ſi Chriſtus eſſet tantùm creatura.

Reſpondeo, illud argumentum multipliciter peccare; ſæpe enim res diverſiſſimæ ſapienter conferuntur, quando eſt aliqua inter illas convenientia, vel analogia, ut cùm dicimus, hæc veſtis eſt candidior lacte, hic homo eſt robuſtior leone, hæc oratio eſt melle dulcior, vel abſynthio amarior. Similiter rectè dici poteſt Pater major Chriſto, ſicut etiam dicitur 1. Ioan. 3. *Deus eſt major corde noſtro.* Alio ſenſu exponunt plures ſacri Doctores, Patrem eſſe majorem Chriſto etiam ut Deo, non perfectione, ſed authoritate principii; id eſt, eo ſolo titulo, quod Pater ſit author, principium, & origo Filii. Quæ expoſitio frequens eſt apud Patres Græcos, & arridet Hilario *lib.* 9. *de Trinit.* qui tamen negat, Filium eſſe minorem Patre, reſpiciens ſcilicet ad intentionem Arrianorum volentium, Filium eſſe naturâ, & perfectione minorem, quia nimirum Pater eſt quidem dator naturæ; ſed quia dat Filio tantum eſſe, quantus eſt ipſe, ideò Filius non debet dici minor.

Objecta Macedonianorum facilis ſolutionis ſunt; ſi enim aliquando Scriptura dicat Spiritum creari, vel loquitur de ſpiritu creato, vel de vento, vel de gratia charitate diffuſa in cordibus noſtris. Cùm dicitur poſtulare pro nobis gemitibus inenarrabilibus, communiter explicatur à Patribus, quia facit nos poſtulare, operando in nobis pium orationis affectum. Vnde de eodem ſpiritu loquens Paulus, ait Rom. 8. *In quo clamamus: Abba pater.* Et *Zachar.* 12. vocatur *Spiritus gratiæ, & precum.* Et ratio horum eſt, quia Spiritui Sancto appropriatur bonitas, & omnis noſtra ſanctificatio, cujus initium, fomentum, & fructus eſt aſſiduitas orationis tam perpetuò commendatæ à Sanctis, tam parum frequentatæ à Chriſtianis hujus temporis, qui potiùs *contriſtant Spiritum ſanctum*, ut dicitur *Epheſ.* 4. & *Spiritum extingunt*, ut loquitur Apoſtol. *Coloſſ.* 3. non in ipſo, ſed in donis ejus, quæ abjiciunt.

Objecta Sabellianorum, & Iudæorum.

Sabelliani plura habebant cum Arrianis argumenta communia; ea enim urgebant Scripturæ teſtimonia, quibus Chriſtus dicitur creatura, factus, ſubjectuſque Patri: ex quibus inferebant, ipſum non eſſe Deum, ſubindéque unam tantùm eſſe perſonam divinam æternam, quæ ex connotatione effectuum dicebatur Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. Sed hoc fundamentum convulſum manet. Specialia tamen urgebant argumenta, quibus etiam innituntur modò Iudæi, petita ex unitate, & ſimplicitate Dei, quæ tetigimus libro præcedenti. Addebant etiam, in Scripturis Deum dici ſolum. Deuteron. 32. *Videte quod ego ſim ſolus, & non ſit alius præter me.* Sed antea etiam diximus, particulam excluſivam, *ſolus*, non removere à Deo niſi pluralitatem Deorum, & aliud in natura, non alium in perſona.

Ad refellendas verò Iudæorum querelas, eiſque ſuadendam noſtri myſterii credibilitatem, placet hîc quædam obſervare deprompta ex Illuſtriſſimo Epiſcopo Matricenſi Ioſepho Ciantes, ex Ordine noſtro aſſumpto, in ſuo brevi, ſed nervoſo opuſculo adverſus Hebræos. Notat ergo primò hic Author ex Rabino Cordoveto *lib. Pardes kimonim*, antiquos ſuos Doctores, & inter alios Rabinum Hai Gaon, admittere in infinito, ſcilicet Deo, *tres ſublimes luces, lucem intrinſecam antiquam, lucem clarificatam, lucem claram*: addito, *tria nomina ſignificare eandem rem, quia hæ tres luces ſunt in radice omnium radicum: in hoc firmantur omnia arcana fidei.* Subſcribit Rabi Mair Gabbai *in libro Gavodat Achodeſch, cap.* 3. dicens: *Et occulta ſunt incluſa in numero ternario, & vocantur lux antiqua, lux clarificata, lux clara, ſecundùm traditionem R. Simeonis, Filii Ioai, in ſuo libro Ticcunim.* Quæ ſanè loquutiones non multùm abhorrent à modo loquendi Chriſtianæ Religionis, in qua Trinitas, lux beata, perſonæ verò lumen de lumine, & lux de luce nominantur.

Nota ſecundò, præfatos Rabinos admittere in his tribus lucibus proceſſionem & originem ad invicem. Cordovetus enim *in libro Pardes kimonim*, ait: *Cauſa diſtinctionis harum trium lucum naſcitur ex diffuſione & proceſſione earumdem in propria ſubſtantia, ſine aliqua mutatione in ſeipſo, abſit! Sed illud eſſe ita ſibi unitum eſt, ut inter producentem, & eſſe producti nulla ſit differentia.* Quid in his eſt quod à Chriſtianis auribus libentiſſimè non excipiatur? Si autem Rabini intra divinam ſubſtantiam originem & proceſſionem admittant, diſtinctionem quoque, velint nolint, confiteri tenentur; nihil enim ſeipſum producit. Quod benè vidit oculatus Cordovetus lib. *Pardes*, tractat. *Sedergbamidatam*, cap. 8. *Quoniam ſephirot (id eſt lumina) diſtinguuntur diſtinctione, quæ eſt inter ghilla, & gaalud (id eſt cauſam & cauſatum) & ecce cauſatum non eſt cauſa; igitur ex hoc ſequitur, quod licèt ipſa ſint unita perfectâ unitate, tamen ſunt diſtincta ſecundùm hanc conſiderationem.* Nec hæreas, Lector, in nomine cauſæ; nam eo utuntur Chriſtiani Doctores Græci, ſublatis imperfectionibus dependentiæ, & diſtinctionis eſſentiæ.

Addit idem Cordovetus, illud myſterium eſſe difficillimum, & occultiſſimum, ac eſſe ſupra captum omnis creaturæ, ideóque ſapienter Thalmud hujus ſapientiæ explanatione Iudæis interdixiſſe: quod ſanè non eſſet, ſi tres illæ luces eſſent diſtinctæ non ſolùm in perſona, ſed etiam in natura. Vnde moderni Hebræi ſubodorantes quantum hæc doctrina faveat Chriſtianiſmo,

nismo, has patrum suorum traditiones sepultas volunt, sed eas tanquam ab injustis possessoribus extorquet Religio Catholica, & gaudet viam sibi substratam, ut vendicè canat: *Vnum te lumen credimus, quod & ter idem colimus.* Et divinam providentiam adorat, dum in R. Simeone Iusto, qui ante bis mille circiter annos floruit, legit hæc verba quæ refert R. Cordovetus lib. *Pardes*, tract. 1. cap. 7. *Prima virtus aer aeternus, secunda sapientia aterna, tertia lux occulta.* Quid ad exitum felicius, vel ad votum jucundius contra Hebræos objici potest eo quod scribit lib. *Pardes Rimonum*, tract. *Isaksifacot*, cap. 6. *Hæ luces, & principia copulantur in substantia radicis, ita ut ipsa, & illa totum unum sint.* Nonne Christianum sapiunt hæc verba? Sed proh dolor! *Lux in tenebris lucet, & tenebra eam non comprehenderunt.*

Nota tertiò, nos saltem illud emolumenti ex his Rabinismis reportare, quod cùm nobis opponunt, Theologiam nostram esse incredibilem, dum asserit tres unum esse; & idololatram, dum tres adorat, statim retorquere possimus, & urgere: Estne incredibilis patrum vestrorum traditio, docens tres luces unam esse essentiam, unum esse Deum? Numquid idolorum cultores fuerunt qui lucem claram, clarificatam, & occultam adorarunt? Quod si dicant, eos à Paganismo vindicari, quia tres luces unam simplicissimam substantiam crediderunt, benè dicunt; sed cur nobis contradicunt? His tam evidentibus instantiis frangerentur eorum corda, nisi essent supra adamantem dura. Legant quæso hæc quæ retuli Iudæi; aliquæ judaizantes in fontibus Rabinorum, & pacatis passionum æstibus tranquillo animo considerent, tres illas luces veræ Trinitatis notitiam illustrare.

Nota quartò, optimam esse conjecturam præfati eruditi Antistitis, ideò Ioannem in principio sui Evangelii inter explicandam æterni Verbi generationem, lucum, & non personarum appellatione usum esse, semel & iterum dicendo, Verbum esse lucem; quia nimirum agebat contra Ebionem, cujus occasione scripsit Evangelium suum, qui hæreticus cùm esset, natione Hebræus, popularis Basan, Trinitatem à Christianis prædicatam ferre non poterat. Hunc itaque impugnaturus Evangelista Ebionem ad hominem premit, quasi diceret, se nihil aliud quàm easdem luces à Iudæis litteris mandatas prædicare.

Nota ultimò, ex his colligi, fidem Trinitatis priscis Patribus aliquo modo innotuisse, ex quibus hæc doctrina ad Rabinos tradita est. Unde Christus novam doctrinam mundo non attulit, sed in veteri contentam, eo ferè modo, ut ait Chrysostomus, quo frumentum continetur in spica. Quamvis verum sit, à Iudæis hoc mysterium non ea esse claritate perceptum, qua sub Christi magisterio fuit expressum.

Ratio verò ob quam Deus Trinitatem veteribus sapientibus pluribus involucrorum velis obtendere voluit, multiplex afferri potest: tum ex sublimitate mysterii, cujus gens carnalis incapax erat; tum ex populi Iudaici ad idololatriam pronitate. Aliam quoque convenientiam non minùs piam, quàm subtilem memini me legisse apud eloquentissimum Episcopum Dertonensem Paulum Aresium. Quia lex vetus erat lex timoris & pœnæ; lex verò gratiæ est tempus amoris & benignitatis. Deus igitur qui dives est in misericordia, clementiæ propensior, quàm vindictæ, magis amari appetit quàm timeri, eique proprium est misereri semper & parcere; justitia verò est opus alienum ab eo. Non ergo mirum si tempore illo severitati addicto & destinato, unus voluerit Deus apparere, qui coactus supplicia multiplicat. At tempore gratiæ trinus voluit adorari, quia ut ait Isai. 55. *Multus est ad ignoscendum.* Quasi diceret, dum agitur de pœna, unicus Deus conspicitur: quando agitur de venia, veluti multiplicatur, ut multoties ignoscat. Et sanè cùm Deum solitarium apprehendimus, ipso læso ad quem recurremus? Sed cùm Trinum meditamur, erigitur animus, crescitque fiducia. Offendimus Patrem, interpellamus Filium, Spiritum Paracletum imploramus, Patrem per Filium obsecramus. Sicque triplex aperta est misericordiæ janua; unde & Dominus, *Deus misericordiarum*, ab Apostolo nominatur; triplex affulget refugii locus, & asylum securissimum per Incarnationem detectum. Vnde Bernard, sermone in Nativit. B. Virg. *Ad Patrem verebaris accedere: solo auditu territus, ad folia fugiebas: Iesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud Patrem Filius talis obtineat. Exaudietur utique pro reverentia sua.*

Sophismata Philosophorum eliduntur.

Objiciunt demùm Philosophi: Mysterium Trinitatis destruit plura principia lumine naturali nota, tum logica, tum physica, tum metaphysica. Logica quidem: nam totius Dialecticæ principium est, quo innititur tota ars syllogistica, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Quod tamen firmamentum omninò corruit admisso nostro mysterio; nam personæ identificantur cum essentia divina; & tamen distinguuntur realiter inter se. Labefactantur etiam principia physica; quid enim apud Physicos illo axiomate constantius: *Nulla res producit suum esse, sed diversum communicat.* Cui consonat illud: *Quidquid procedit, recipit esse distinctum à producente.* Vnde & causa definitur: *Principium influens esse in aliud.* Et tamen persona producens & procedens habent idem esse. Evertuntur etiam duo principia metaphysica: alterum, *Primum ens est ens à se.* Personæ verò procedentes non sunt à se, sed ab alio à quo fluunt, & à quo sunt. Quomodo ergo Deus sunt? Alterum principium est: *Persona reddit naturam incommunicabilem alteri suppositio.* Et tamen natura quæ est in Patre Æterno, communicatur eadem personæ Filii. Ergo ex confessione Trinitatis convelluntur principia lumine naturali nota; & cùm verum non sit vero contrarium, vera non est Catholicorum de Trinitate fides.

Respondeo, mysterium Trinitatis esse quidem supra rationem; est enim *Deus noster magnus, vincens scientiam nostram*, ut ait Scriptura; non tamen contra rationem, quæ si in humanis dignoscendis caligat, quid mirum si difficultatem patiatur in divinis? quæ divina non erunt, si ea liceat humanæ rationis angustiis dimetiri. Nihilominus contendimus, nullum ex præfatis principiis violari, si rectè intelligantur. Non primum, quo innititur dialectica disciplina, quod debet beneficio distinctionis virtualis explicari. Nam quæ sunt eadem uni tertio, à quo virtualiter distinguuntur, possunt distingui realiter inter se, quando nimirum illud tertium est infinitum, illimitatum, & communicabile realiter distinctis. Et licèt hujus rei exemplum non inveniamus in creatis, quæ ratione suæ limitationis non possunt pluribus communicari: tamen, ut videtur, rem tam arduam licet hoc exemplo declarare.

Sicut in naturalibus verum est, quod quæ identificantur cum uno tertio, sunt eadem inter se; ita quæ sunt præsentia uni tertio, sunt præsentia inter se: v.g. duæ lineæ non possunt tangere idem punctum, nisi se contingant; duo corpora non possunt esse præsentia eidem spatio, quin illa duo corpora sint sibi præsentia: si tamen detur aliquod tertium, quod idem manens existat in pluribus locis, tunc illa loca erunt illi præsentia, & non erunt præsentia inter se: v. g. Christus est præsens pluribus hostiis & altaribus, quæ tamen non sunt sibi invicem præsentia. Similiter quinque digiti ejusdem manus nequeunt brachio esse vicini, nisi

niſi ſint vicini inter ſe, quia brachium non poteſt eſſe vicinum digitis diſtantibus; & quæ ſunt vicina uni tertio, ſunt vicina & præſentia inter ſe: tamen ſi detur aliquod tertium quod poſſit idem manens eſſe vicinum & præſens partibus immediatè non unitis, ſed remotis, ſicut eſt anima rationalis, quæ partes diſſitas, & mediatè tantum copulatas informat, tunc non erit verum, quod ea quæ ſunt vicina, & immediatè unita uni tertio, ſint etiam immediatè unita inter ſe; nam pes & caput immediatè, & proximè uniuntur animæ; à ſe verò diſtant. Sicut ergo iſtud principium: *Quæ ſunt præſentia uni tertio, ſunt præſentia ſibi & inter ſe*, verum eſt, quando illud tertium eſt ita coarctatum ad aliquem locum vel ſpatium, ut non poſſit eſſe in pluribus partibus remotis: ita illud, *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, verum eſt, quando illud tertium eſt finitum, nec poteſt ſibi res diſtinctas & oppoſitas identificare. Eſſentia verò divina eſt infinita, ambiens in ſuo ſinu ens abſolutum & relativum, & ideo identificat ſibi relationes, quæ tamen inter ſe ratione oppoſitionis diſtinguuntur; infinitas enim divinæ eſſentiæ facit & ut extrema ſint idem ſecum, & ut propriis rationes & officia retineant, quæ ſunt inter ſe opponi, ſubindéque diſtingui.

Ad principia phyſica reſpondeo, quod licèt nihil poſſit producere ſuum eſſe, nihil tamen vetat quin eſſe ſuum alteri communicet, præſertim ſi illud eſſe ſit infinitum, quod ratione ſuæ eminentiæ & fœcunditatis idem manens & indiviſum, à pluribus poſſideri poteſt. Sic ergo Pater dat ſuam eſſentiam Filio; & quia eandem numero dat, ideò non eſt cauſa, ſed principium ejus.

Ad principia metaphyſica reſpondeo, eſſe contra rationem perſonæ divinæ eſſe ab alio, ut à cauſa tribuente diverſam eſſentiam, non verò eſſe ab alio ut principio communicante eandem eſſentiam. Et ratio differentiæ eſt, quia quod eſt ab alio ut cauſa, dependet ab eo, recipitque eſſe participatum: quod verò eſt ab alio ut principio tribuente idem eſſe ſuum, non eſt dependens, ſed potiùs per ſuam proceſſionem independens conſtituitur, utpote recipiens idem eſſe principii independentis. Recole ſuprà dicta dum de proceſſionibus divinis.

Ad alterum principium metaphyſicum petitum ex definitione perſonæ, dicendum quamlibet perſonalitatem, quæ eſt in Trinitate, reddere naturam divinam incommunicabilem in ſua veluti linea: v. g. natura divina cum modo paternitatis non poteſt eſſe in alia perſona quàm in Patre, ſeu non poteſt eſſe in Deo niſi unica perſona quæ ſit Pater. Cum quo tamen ſtat, eandem naturam poſſe alio modo communicari, ob naturæ divinæ fœcunditatem: in quo natura divina excedit creatam, quæ cùm finita ſit, unica perſonalitate impletur. Eſt etiam aliud diſcrimen inter perſonalitatem divinam & creatam, quia creata eſt aliquid abſolutum, divina verò eſt aliquid relativum: de ratione autem relativi eſt quod habeat correlativum, cui debet dare conſortium in eadem natura, & ſic una perſona divina non eſt terminus adæquatus reſpectu naturæ divinæ, licèt unica perſonalitas creata ſit terminus adæquatus naturæ creatæ.

Dices: Perſona eſt individua ſubſtantia: ergo ſi ſint tres perſonæ in Deo, ſunt etiam tres ſubſtantiæ, ſubindéque non eſt conſubſtantialitas in perſonis.

Reſpondeo, quod licèt aliqui credant, poſſe admitti tres ſubſtantias in Deo, ſi nomen ſubſtantiæ ſumatur pro ſuppoſito & ſubſiſtentia, ut accipitur in definitione perſonæ; tamen propter nominis æquivocationem id abſolutè negandum eſt, & ideò tres ſubſtantias ſimpliciter aſſerere formidabat Aug. *lib. 5. de Trinit. cap. 8. & 9.* quia ordinariè per ſubſtantiam intelligitur natura, quæ una eſt & indiviſa in tribus perſonis.

R e f l e x i o.

Vides, Lector erudite, omnia infidelium argumenta convelli: unum fateor eſſe perdifficilis ſolutionis, petitum ſcilicet ex moribus Chriſtianorum, quos in nomine Trinitatis baptizat Eccleſia, ut nimirum in filiis adoptionis hujus tanti myſterii imago refulgeat, reſplendeatque in illis potentia Patris, ſapientia Filii, amor Spiritus ſancti. Et tamen in Chriſtianis nihil niſi infirmitas, cæcitas, tepiditas apparet: nam ut præclarè Bernard. in parv. ſerm. *Eſt Trinitas creatrix Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus; ex qua cecidit creata trinitas, memoria, ratio, voluntas; & eſt trinitas per quam cecidit, videlicet ſuggeſtio, delectatio, conſenſus; & trinitas in quam cecidit, ſcilicet impotentia, cæcitas, & immunditia.* Si ergo ab imagine ad prototypum arguant infideles, dicantque ſe noſſe illam Trinitatem venerari in cœlis, cujus tam deformem cernunt picturam in Chriſtianis, quid dicemus? Væ nobis, in quibus adoranda Trinitas patitur opprobrium, patitur maledictum; & quam Philoſophorum ſophiſmata non infirmant, hanc crimina noſtra obſcurant. Vera ſolutio hujus argumenti in manu noſtra eſt, ſi nimirum per veram pœnitentiam, & vitæ ſanctimoniam obliteratam Trinitatis imaginem ſolidis virtutibus reformemus: ut enim ſubjungit Doctor melliſluus: *Eſt & trinitas, per quam reſurgit, nimirum fides, ſpes, charitas.* Spes corroborans infirmitatem, fides illuminans cæcitatem, charitas inflammans tepiditatem, & reſtaurans Trinitatis imaginem.

CAPUT II.

De quidditate, & eſſentia divinarum perſonarum Sanctiſſimæ Trinitatis.

Præmitto primò, quod licèt nomen perſonæ inſtitutum ſit à repræſentando, ſeu perſonando alicujus geſta, ut præcipuè fieri ſolet in comœdiis, in quibus idem homo plures gerit perſonas, & earum vice fungitur; tamen judicium de nomine non debet eſſe ſecundùm id à quo imponitur, ſed ſecundùm id ad quod ſignificandum inſtituitur: ſicut lapis dicitur à lædendo pedem; non tamen omne lædens pedem eſt lapis: ita licèt nomen perſonæ à perſonando & repræſentando etymologiam derivet, tamen ſecundùm omnium uſum (ut ſuprà diximus agentes contra Sabellium, hac etymologia abutentem) ad ſignificandas naturas intellectuales individuas adhibetur, & ſic definitur à Boëtio, *Rationalis naturæ individua ſubſtantia*, id eſt ſubſtantia completa, ſingularis, incommunicabilis. Per rationalem verò naturam intelligit Boëtius intellectualem: licèt enim alia compoſita ſubſtantialia habeant ſuam ſubſiſtentiam, tamen quia, ut dictum eſt, nomen perſonæ impoſitum eſt à perſonando geſta famoſa virorum illuſtrium: inde eſt, quod nomen perſonæ quamdam dignitatem præ ſe ferat ſuppoſitis intellectualibus propriam. Perſonam ſic acceptam dari in Deo, communis eſt Eccleſiæ vox, qua nulla crebrior in Conciliis, Symbolis, & Patribus; & patet ex toto capite præcedenti.

Præmitto rurſus, perſonam ſic explicatam idem eſſe ac hypoſtaſin; de quo tamen vocabulo grandis fuit olim Græcos inter & Latinos diſceptatio: Latini enim putantes hypoſtaſin idem ſignificare ac uſiam, ſeu eſſen-

tiam, tres hypostases rejiciebant. *Taceantur* (inquit Hieronym. epistola ad Damas.) *tres hypostases, una teneatur; mihi credite, venenum sub melle latet.* Græci verò credentes personam solùm usurpari ad similitudinem eorum quæ geruntur in comœdiis, ubi idem homo plures exhibet personas, Latinos admittentes unam hypostasin, & tres personas Sabellianismi insimulabant. Ex qua sanè discordia Arriani occasionem oanciscebantur simplices decipiendi; quamvis reverà tale dissidium (ut observat Nazianzenus *orat* 21.) ex Romanæ linguæ angustiis, & verborum inopia suborietur, nec esset nisi levis & jejuna de vocum sono altercatio. Sublatis deinde æquivocationibus, usu Ecclesiæ utrumque nomen consecratum est.

His vocibus expositis, explicandum est quid significet directè, & per se nomen personæ, ad quod omninò requiritur ut definiamus quodnam sit constitutivum divinarum personarum: cui disquisitioni annexum est considerare, an in Deo sint subsistentiæ relativæ; num sit quædam absoluta; quænam attributa multiplicentur, multiplicatis personis; quænam sint personarum notiones, & assignandæ regulæ cautè & castè loquendi in hoc mysterio; hæc enim omnia necessaria sunt ad quidditatem personarum intelligendam.

SPECULATIO I.

Persona divinæ constituuntur per relationes.

PRobatur discursu, quo astruitur hæc D. Thomæ sententia (quam ex professo docet 1. *p. quæst.* 40. *artic.* 4. & alibi:) & simul confutantur multa aliorum placita. Personæ divinæ constituuntur personæ per aliquid reale: sed ex rationibus quæ sunt realiter in personis, nulla potest esse constitutiva personæ, nisi sola relatio: ergo personæ divinæ constituuntur in ratione personæ per relationes. Major est constantissima; nam cùm personæ divinæ realiter distinguantur independenter à ratione, manifestum est, illud per quod distinguuntur inter se, debere esse aliquid reale, quo proinde constituuntur; per hoc enim realiter aliquid constituitur, quo ab aliis realiter distinguitur: nam, *Idem est constitutivum & distinctivum.* Certè si tres personæ non constituerentur per aliquid reale, sed per aliquid à ratione elaboratum, profectò personæ non essent reales, sicque augustum istud mysterium esset quid fictum & chimæricum: quod cogitare impium est.

Minor ergo probatur: Rationes reales, quas possumus discernere in personis divinis, sunt vel ipsa persona secundùm se totam spectata, vel secundùm aliquid absolutum & commune tribus personis considerata, vel secundùm aliquid notionale: quod notionale est rursum duplex, nimirum origo, & relatio. Atqui ex omnibus illis enumeratis nihil potest rectè assignari, quod constituere possit personam, præter solam relationem: ergo ex rationibus quæ sunt realiter in personis nulla potest esse constitutiva personæ, nisi sola relatio. Probatur minor per partes: & quidem personæ non possunt constitui in ratione specialis personæ per seipsas totas; per hoc etenim personæ in ratione talis personæ constituuntur, quo ab aliis personis distinguuntur: personæ autem divinæ non distinguuntur se totis, aliàs differrent per essentiam, in qua tamen conveniunt: unde non constituuntur in ratione specialis personæ per ea omnia quæ habent, sed per aliquid peculiare & proprium, quo ab invicem secernuntur.

Similiter illud, quo constituitur persona divina, non potest esse aliquid absolutum; quia omnia absoluta sunt communia tribus personis: quod autem est commune personis, non potest specialem constituere personam discretam ab alia, cui eadem absoluta perfectio communis est. Ergo oportet omninò designare rationem aliquam characteristicam & specialem, ratione cujus una persona sit ab alia discriminata. Nam persona constituitur persona per aliquid incommunicabile: quomodo autem redderetur incommunicabilis alteri personæ per id quod habet cum illa commune?

Relinquitur ergo, personas divinas constitui per aliquid proprium & notionale, juxta illud Concilii Lateran. *cap. Firmiter. Hæc sancta Trinitas secundùm essentiam una, & secundùm proprietates discreta.* Illud verò proprium, quo constituuntur personæ, non posse esse divinas origines, sic monstratur. Origo essentialiter concipitur ut in fieri; activa quidem, quia est actualis influxus principii; passiva verò, quia est egressus termini à principio: unde necessariò illa est via à principio, ista via ad terminum. Ergo origo formaliter ut talis nequit constituere personam. Probo consequentiam: tum quia persona habet ex suo conceptu esse fixum, ratum, permanens, & in facto esse, cùm sit essentialiter terminus naturæ quam reddit incommunicabiliter subsistentem: ergo non potest constitui per id quod ex modo significandi habet rationem viæ. Tum quia origo activa supponit personam, à qua egreditur; unde eam non constituit, sed ex constituta prosilit, actiones enim sunt suppositorum: passiva verò, cùm se habeat ut via ad personam productam, præsupponitur ejus constitutioni. Sed quod supponit personam constitutam, vel ejus constitutioni supponitur, illam constituere non potest. Ergo origo nequit personam constituere, sed solùm habet à persona fluere, vel ad personam tendere.

Superest ergo ut per solam relationem constituatur persona in divinis, quia sola persona distinguit inter se, & subinde constituit, cùm idem sit constitutivum & distinctivum. Relationem autem distinguere docent Patres, & Concilia, quia sola causat oppositionem & incommunicabilitatem inter personas. Mitto quorumdam recentiorum sententiam, personam Patris per innascibilitatis notionem constituentem, quia de hoc infrà.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Essentia & proprietas relativa sunt idem realiter in Patre; oam tam simplex est Pater, quàm paternitas, quæ nullo alio, sed seipsa constituitur. Ergo personæ seipsis, non aliquo alio constituuntur.

Respondeo, quod licèt idem sit realiter in Deo proprietas & essentia, paternitas & Pater; tamen quia proprietas & essentia virtualiter distinguuntur, & nomen *Pater*, significat proprietatem ut in habente; ideò non est idem modus significandi utriusque nominis, qui tamen modus significandi est valdè attendendus ad veritatem propositionum in divinis, ut infrà fusiùs explicabimus, dum dicemus quod licèt hæc propositio sit vera, *Deus generat*; non tamen ista, *Deitas generat.*

Dices: Si personæ divinæ constituerentur proprietatibus, illæ ab istis dependerent, sicut constitutum dependet à constituente. Consequens est falsum: ergo.

Respondeo, quod cùm nulla sit distinctio actualis inter personas divinas & suas proprietates, nulla est ibi dependentia, sed summa identitas. Scio nonnullos non refugere admittere, personam dependere à proprietate dependentia virtuali, sicut & ab ea virtualiter distinguitur. Sed non est necesse ad id recurrere, quia omne dependentiæ nomen imperfectionem spirat, & labem præ se fert divinâ Majestate indignam. Hoc enim interest distinctionem virtualem inter & dependentiam etiam virtualem, quod distinctio ex sua ratione defectum non importat; nam in Deo perfectionum purissimo fonte invenitur & simplicitas perfectionum,

perfectionum, & distinctio personarum. At verò dependentia quocumque fuco honestetur, est imprascindibilis ab imperfectione. Quid enim est dependentia virtualis, quàm æquivalens dependentia, & subjectio honorabilis; subjectio tamen?

Objicies secundò: Rationes, quibus ostendimus origines non posse constituere personas, efficaciùs probant personas non posse constitui per relationes: nam si ideò origines non possunt constituere personas, quia habent esse viale tendens ad aliud, quomodo relationes, quarum totum esse est ad aliud se habere, constituent personas in seipsis? Neque enim ab hoc exercitio & munere referendi potest abstrahi relatio, cùm hæc sit ejus essentia, & effectus formalis primarius, & essentialis. Ergo si origo non constituit personam, neque etiam relatio.

Respondeo, hanc esse momentosam, & summè advertendam relationes inter & origines differentiam, quod origines, etiam comparatæ per ordinem ad subjectum à quo oriuntur, non possunt concipi per modum formæ stantis, sed ad modum viæ & fluxus: quid enim est origo per ordinem ad principium, quàm egressus & emanatio ab illo? At verò relatio licèt comparata ad terminum, concipiatur ut respiciens ipsum; tamen per ordinem ad subjectum & personam quam refert, ab illo exercitio respiciendi, & veluti osculandi terminum præscindit; relatio etenim ut referat subjectum, non debet ab illo egredi, sed potiùs ipsum afficere.

Dices: ideò diximus, origines non posse constituere personas, quia eas supponunt constitutas: sed hæc ratio fortiùs urget contra relationes, quæ sunt posteriores originibus, & in ipsis fundatæ; ideò siquidem prima persona habet relationem paternitatis, quia generat Filium; ideo verò generat, quia est persona; actiones enim sunt suppositorum: propinquiùs igitur accedit ad personam origo, quàm relatio, cùm inter personam & relationem mediet origo, quæ est fundamentum relationis. Ergo sicut origo, ita relatio excludenda est à constitutione personæ.

Respondeo, quod ex discrimine præcedenti solutione allato nascitur alia differentia inter origines & relationes, in hoc consistens, quod cùm origo necessariò concipiatur ut egrediens ab agente secundùm omnem suam rationem, præsupponit personam agentis. At verò relatio, quia consideratur & ut afficiens subjectum, & ut respiciens terminum; ideò licèt secundùm explicitum munus & exercitium referendi præsupponat origines in personis; tamen secundùm munus afficiendi subjectum, prout est forma hypostatica, seu subsistens, præcedit ipsas origines, nec in eis fundatur; relatio quippe ut est forma hypostatica, fundamento non indiget, sed est ipsamet Dei essentia subsistens ex se.

Instabis: Quidquid dicimus in favorem relationis, potest etiam dici de origine: licèt enim origo sub explicito conceptu fluxus, egressus, & viæ non possit constituere personam, quidni ut forma hypostatica, & sub conceptu subsistentis, quem implicitè includit, hoc ipso quod est divina? Ergo inter origines & relationes cuncta sunt paria.

Respondeo, quod dum quærimus constitutivum divinarum personarum, investigamus illud per ordinem ad modum nostrum concipiendi; fundatum tamen in re cognita. Quia ergo juxta modum concipiendi & significandi origo non exprimitur nisi per modum tendentiæ, & sicut loquitur S. Thomas, tanquam *via à re, vel ad rem*; hinc est quod origo non potest concipi nisi ut exiens à subjecto, subindéque non potest concipi ut constituens subjectum: relatio verò licèt respiciat terminum, tamen per se afficit subjectum quod refert. Fateor tamen ab hac instantia vix; ac ne vix quidem posse se expedire, qui naturam divinam constituunt per intelligere actuale. Si enim intellectio, licèt sit essentialiter actus secundus, constituere potest naturam divinam, non quidem sub ratione actionis, ut dicunt, benè tamen sub ratione actualitatis per se subsistentis; quidni origo divina, non quidem sub ratione actionis, sed sub ratione actus puri, quam importat, eo ipso quod divina est, non poterit constituere personam? Præsertim; quia origo in Deo est actio immanens, non transiens (ut quidam inadvertenter posuit; origo enim in Deo est actus intellectus dicentis, vel voluntatis spirantis: actio autem immanens habet esse quietum & permanens; & ideò; inquiunt, potest constituere naturam divinam: sed quare non personam? Fortè natura divina non habet esse tam fixum & ratum, quàm persona? Quis hoc credat? Quærant; & requirant adversarii illi disparitatem, sed nusquam invenient.

Insistes: Duæ sunt tantùm rationes in relatione, nempe respectus ad subjectum, qui vocatur ratio *In*; & respectus ad terminum, qui vocatur ratio *Ad*: sed neuter constituit personam: ergo nihil est in relatione quo persona constituatur. Probatur minor, quia prior ratio est communis tribus personis; in hoc enim conveniunt relationes omnes, quod afficiant subjectum: posterior verò supponit etiam per nos personam constitutam.

Respondeo, relationem non ita accipiendam esse secundùm unum respectum, ut alium excludat; nam quamvis illum non exprimat, illum tamen involvit. Paternitas v. g. quatenus afficit primam personam, & reddit illam incommunicabilem, non excludit respectum ad Filium, etiam ut est forma hypostatica; sed illum habere exigit, tametsi illum non explicet, nec teduplicet. Vnde falsum est, quod relatio afficiens subjectum, & exigens respectum ad terminum, sit communis; sic enim est propria, & affert incommunicabilitatem non solùm quia respicit terminum, sed etiam quia afficit subjectum per ordinem ad terminum: quomodo enim afferret illam, nisi afficeret? quavis non afficiat nisi ut referat.

Persistes: Relatio eatenus affert incommunicabilitatem, quatenus causat oppositionem; in divinis enim omnia sunt unum, nisi ubi obviat relativa oppositio: sed solus respectus ad terminum causat oppositionem, nulli enim opponitur relatio nisi termino, quem exercitè respicit; & ideò paternitas & spiratio activa non opponuntur, sed in eadem persona sese compatiuntur, quia non se invicem respiciunt: ergo solus explicitus respectus ad terminum potest afferre incommunicabilitatem, atque adeò constituere personam; quod tamen non concedimus, nec est intelligibile, cùm persona sit priùs in se constituta, quàm respiciat aliam extra se.

Respondeo, necessarium omninò esse, ut persona priùs in se constituta sit, quàm respiciat & tendat ad aliam extra se: nam ut ait D. August. lib. 7. de Trinit. cap. 7. *Cùm dicimus, personam Patris, non aliud dicimus quàm substantiam Patris; ad se quippe dicitur persona, non ad Filium.* Quæ verba explicans Divus Thomas *quest. 29. artic. 4. ad 7.* ait: *quod persona dicitur ad se, non ad alterum; quia significat relationem, non per modum relationis, sed per modum substantiæ, quæ est hypostasis.* Vnde conformiter ad mentem utriusque S. Doctoris tenemur dicere, relationem non constituere personam sub modo & formalitate respiciendi. Et ratio est aperta, quia personam constitui non est formaliter tendere ad aliquid, sed potiùs in se stare, & veluti figi, cæterisque incommunicabilem reddi.

Vnde ad instantiam, in qua continetur medulla totius difficultatis (omissis variis solutionibus quæ magis

implicant, quàm explicant difficultatem) claritatis gratiâ respondeo distinguendo majorem: relatio eatenus affert incommunicabilitatem, quatenus affert oppositionem, & simul præstat subsistentiam, concedo; si non præstaret subsistentiam, nego. Nam relatio creata, licèt causet oppositionem; tamen non constituit personam, quia non facit subsistere. Similiter distinguo majorem: solus respectus ad terminum causat oppositionem, & non præstat formaliter subsistentiam, concedo; & præstat eam, nego minorem & consequentiam. Explicatur. Sicut sunt duo munera in relatione, nimirum afficere naturam, eamque terminare, & referre subjectum ad terminum: ita prius munus naturâ præcedit posterius; priùs enim res in se sistit, quàm ad alia tendat. Nec est inconveniens, unam formam habentem plures effectus formales, priùs naturâ conferre unum, quàm aliud; sicut gratia priùs naturâ expellit peccatum, quàm animam reddat suis radiis pellucidam, & ipsa anima priùs confert gradum corporis materiæ, quàm vegetativi; & istum, quàm sensitivi, vel rationalis. Similiter relatio paternitatis, licèt in re totum suum effectum communicet, tamen priùs naturâ intelligitur complere personam Patris, quàm respicere Filium: neque enim respicit Filium nisi priùs naturâ afficiat Patrem; cùm enim referat Patrem ad Filium, priùs tangit Patrem quàm Filium: ut tangit Patrem, constituit personam; ut respicit Filium, supponit personam constitutam, & in se sistentem ac subsistentem. Sed hactenus plus justo in spinosa speculatione morati sumus.

Reflexio.

Si divinæ personæ constituuntur relationibus, homo qui ad personarum Trinitatis imaginem conditus est, totum se ad Dei gloriam, proximorumque utilitatem referre debet. Melius est aliquid non esse, quàm vanum esse, & ut pulchrè dixit Tertullianus, *Quid prodest esse, quod prodesse non potest?* Natura quæ nos homines fecit, sociales quoque instituit, ut humana species lapidum fornici simillima foret, quæ casura, nisi invicem obstarent, sustinetur. Nec ad hoc tantùm communis naturæ ratio, sed nominis nostri significatio compellit. *Iste versus* (ait Seneca epist 95.) *& in ore tuo, & in pectore scriptus sit: Homo sum, humani à me nihil alienum puto.* Attendenda est etiam alia hominis etymologia cum Ambrosio. Considera unde nomen sumpseris: ab humo, unde extractus es, quæ nihil cuipiam eripit, sed omnia largitur omnibus; inde appellata humanitas, specialis & domestica virtus hominis. Quod si ad omnem humanitatem invitat te, stringitque natura, quantò magis gratia, & charitas, quæ non quærit quæ sua sunt, id est, ut exponit Augustinus in Regula, *Communia propriis, non propria communibus anteponit.* Hac charitate fervebant primi illi & fortunati Christianæ Religionis dies, in quibus, ut dicitur Actor. 4. *Nec quisquam eorum quæ possidebat, aliquid suum dicebat, sed erant illis omnia communia.* Aureo illo tempore nondum audiebantur hæc infelicia verba, *tuum, & meum.* Sed ô tempora, ô mores! tunc nihil habebant Christiani, quod aliis non offerrent, quodve sibi retinerent. Vno verbo mutua relatione constituebatur Christianismus: hoc charactere ab aliis sectis discernebatur. Iam verò omnia ad se refert cupiditas, propria non effundit, sed aliena rapit: tantumque abest, ut omnia sua aliorum utilitatibus devoveat, quod nec superflua largiri velit. Heu quàm longè recedunt à discipulatu ejus qui dixit, Ioan. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Quasi diceret, ait Bernard. serm. 12. inter parv. *Multa per ministros præcipio, sed hoc specialiter per me ipsum commendo.* Et Ioan. 13. *In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem. Vt ergo veritatis nos discipulos esse probemus* (subdit Bernard.) *diligamus invicem.*

Speculatio II.

In Deo admitti debent tres subsistentiæ relativæ, & una absoluta.

Utramque hanc difficultatem conjungimus propter utriusque connexionem inseparabilem: si enim dentur tres subsistentiæ relativæ, quibus subsistant personæ, frustra videtur poni subsistentia absoluta; effectus enim formalis subsistendi non debet provenire à duplici forma: quare alterutra superfluere videtur, ut magis posteà urgebitur. Nihilominus

Prima pars disertis verbis docetur à Patribus, & Conciliis. Quid enim expressius illis Cyrilli Alexandrini dial. de Trinit. lib. 3. *Omnis nostra fidei sermo huc tendit, ut unam videamus naturam, quæ in tribus subsistentiis propriè subsistit.* Subscribit Damascenus lib. 1. de fid. cap. 9. *Filius propriam habet subsistentiam præter eam quæ Patris est:* subsistentia autem propria non est singulis communis. Favet etiam sextum Concilium generale act. 11. *Sanctissima Trinitas numerabilis facta est personalibus subsistentiis.* Quæ sanè, aliaque testimonia Patrum sunt ita perspicua, ut nullis effugiorum nebulis valeant obscurari.

Ratio à priori. In Deo sunt tres personæ, tres hypostases, & tria supposita, ut tradit fides; nec aliter salvari potest mysterium Trinitatis. Sed persona, hypostasis, & suppositum constituuntur per subsistentiam, quam formaliter & directè significant. Ergo in divinis sunt tres subsistentiæ; ad multiplicationem enim nominis substantivi, quale est suppositum, requiritur multiplicatio formæ. Certè si daretur unica tantùm in Deo subsistentia, sicut datur unica natura divina, non magis posset dici, dari in Deo tria supposita, quàm possint admitti in Deo tres Dii; sed omninò teneremur admittere unicum suppositum in Deo, sicut confitemur unum Deum: quod est funditus destruere mysterium Trinitatis. Imò nec possent admitti tres subsistentes adjectivè, seu tres habentes subsistentiam, sicut dantur tres divini, id est tres habentes divinitatem; nomen enim adjectivum non multiplicatur sub eadem, vel sub diversis formis, nisi multiplicetur suppositum: unde homo habens plures artes non est multi artifices. Atqui repugnat, multiplicari suppositum, si sit unica tantùm subsistentia; siquidem subsistentia est ratio constitutiva suppositi, ut docent Philosophi. Ergo nisi multiplicetur subsistentia, non erunt plures subsistentes adjectivè, quamvis sint plures divini, etiamsi non multiplicetur divinitas, quia divinitas non constituit formaliter supposita, benè tamen subsistentia. Vnde etiam ulteriùs sequeretur, nullum nomen substantivum, nec adjectivum pluraliter posse dici in divinis, quia ubi non sunt distinctæ rationes incommunicabiliter subsistendi, non possunt esse distincta supposita: sed ubi non sunt plura supposita, ibi nihil pluraliter potest dici, ut patet: ergo nullum nomen concretum, neque substantivum, neque adjectivum pluraliter dici posset in divinis.

Ratio à posteriori sumitur ex mysterio Incarnationis, ex quo sic formatur discursus. Necesse omninò est illud in Trinitate multiplicari, ratione cujus una persona divina potest sine alia sibi assumere naturam creatam, supplendo vices subsistentiæ creatæ; si enim illud non multiplicaretur, sed esset commune tribus personis, una persona non assumeret naturam

naturam creatam sine alia, sed unio fieret in aliquo communi & absoluto, subindéque tres personæ, & non una sola deberet assumere naturam alienam. Atqui sic est, quod persona divina potest sibi assumere naturam creatam, & de facto Verbum assumpsit sibi naturam humanam supplendo vices subsistentiæ humanitatis: assumpsit, inquam, communicando suam subsistentiam personalem; in hoc enim consistit veritas mysterii Incarnationis. Ergo subsistentia personalis multiplicatur in Deo, ut verum sit quod ait S. Thom. quæst.40. art.3. *Non præintelliguntur proprietates personales advenire hypostasibus divinis, sicut forma subjecto præexistenti; sed ferunt secum sua supposita, in quantum sunt ipsa personæ subsistentes.*

Secunda pars quæ asserit, admittendam esse unam subsistentiam absolutam communem tribus personis, perpetuò docetur à D. Thoma. Nam *in* 1. *dist.* 21. *q.* 2. *art.*1. ait: *Natura divina est in se habens esse subsistens, nulla intellecta personarum distinctione.* Ergo admittit in Deo subsistentiam communem, & antecedentem subsistentias relativas. Clariùs, & fortiùs 3. *part. q.* 3. *art.*3. ubi postquam conclusit in corpore, quod in Deo, *abstracta* (personalitate) *per intellectum, possumus adhuc intelligere naturam assumentem*, ait in responsione ad 1. *Dicendum, quod quia in divinis idem est quo est, & quod est, quidquid eorum quæ attribuuntur Deo in abstracto, secundùm se consideretur, aliis circumscriptis, erit aliquid subsistens, & per consequens persona, cùm sit in natura intellectuali. Sicut igitur nunc positis proprietatibus personalibus in Deo, dicimus tres personas: ita exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra natura divina ut subsistens, & ut persona.*

Ex quibus verbis manifestè constat, in natura divina præintellecta personis, dari aliquam subsistentiam, quâ Deus principium subsistens, & *ut quod*, constituatur. Constat etiam ignoranter à quibusdam impugnari Cajetanum, & novitatis insimulari, eo quòd dixerit, in Deo præcedenter ad personalitates relativas dari personam incompletam. Nam cùm sanctus Thomas loco mox adducto luculenter semel & iterum asseveret, quod in Deo, seclusis personalitatibus, remanet *aliquod subsistens, & per consequens persona*; cúmque S. Doctor non possit intelligi de persona completè, seu secundùm omnes rationes accepta, meritò ingeniosus Expositor verba illa interpretatus est de persona incompleta, id est, cui conveniunt omnes personæ conditiones præter ultimam, quæ est incommunicabilitas. Neque verum est (quod quidam recentiores libros in fonte non legentes Cajetano imponunt) eum unquam appellasse illud essentiale subsistens semipersonam, & semisuppositum; testatur enim Nazarius in doctrina Cajetani versatissimus, se nusquam talem vocum novitatem in Cajetano invenisse.

Probatur ratione: Essentia divina præintellecta personis est actus purus infinitus, & ipsum esse in se, à se, & per se, independenter à quocumque alio. Ergo ex propriis, & ex vi generis absoluti, antequam intelligatur ulla relatio, habet in se, & in suo fundo omnem perfectionem substantialem: sed ratio subsistentiæ pertinet ad perfectionem substantiæ; substantia enim quæ non omninò existit in se & per se, excludendo necessitatem existendi in alio, non habet suam ultimam perfectionem, nec suum ultimum complementum substantiale. Ergo essentia divina præintellecta personis habet subsistentiam absolutam, qua Deus in se & per se subsistit, nec indiget subsistere in alio, ratione cujus Deus sit potens intelligere, amare, operari ad extra; neque enim id accipit à personis, sed potiùs id eis indivisim communicat; actiones quippe essentiales, tam intra, quàm extra sunt communes tribus personis; subindéque per se procedunt à principio quod est commune, nimirum à Deo subsistente subsistentia absoluta.

Confirmatur: Deitati antecedenter ad personas convenit existentia per se, existentia enim est quid absolutum, imò est ipsa Dei essentia absque ulla distinctione virtuali: ergo eidem deitati antecedenter ad tres personas convenit subsistentia absoluta. Antecedens est manifestum, & ab omnibus concessum. Consequentia verò probatur ex doctrina, quam millies inculcat S. Thomas, dum ait, quod esse, seu existentia per se, est actus suppositi, seu subsistentis; in doctrina enim S. Thomæ, quam tradit præcipuè 3. *part. quæst.* 17. esse simpliciter, quod præsupponit saltem natura subsistens ut *quod*, & subsistentia, non est ratio posterior, & consequuta ad existentiam, sed præsupposita, & præcedens. Ergo si essentia divina antecedenter ad relationes habet formaliter, & non tantùm radicaliter existentiam, habebit etiam subsistentiam. Consequentia est evidens: antecedens verò est D. Thomæ citati: Et ratio specialis pro Deo est, quia existentia in Deo est summè perfecta, independens, & actus purus. Ergo competit Deo modo perfecto, independente, & digno actu puro. Sed perfectius, independentius, & purius est habere existentiam per modum subsistentis, & ut *quod*, quàm ut *quo*, quia habere esse ut *quod*, est habere esse in se, per se, & non in alio; habere verò esse ut *quo*, non excludit, sed exigit esse in alio, si non tanquam accidens inhærens, benè tamen tanquam pars componens. Ergo esse simpliciter & perfectum, præsertim verò esse simplicissimum, perfectissimum, & divinum, præsupponit nostro modo intelligendi, vel saltem ab alio non expectat modum essendi per se, & ut *quod* subsistens, secundùm doctrinam S. Thom. quæ fusiùs alibi probatur.

Hanc autem veritatem S. Thomas ex proprio ingenio non peperit, sed ex clarissimis Patrum testimoniis deprompsit: quid enim clarius illa Augustini voce lib.7. de Trinit. cap.4. *Omnis res ad seipsam subsistit, quanto magis Deus?* Quid apertius illo Hieronymi loco epist.55. *Una est Dei & sola natura, quæ verè est; id enim quod subsistit, non aliunde habet, sed suum est.* Ubi S. Pater rationem fundamentalem indicat, dum ait: *Quod subsistit, non aliunde habet*: id est subsistentiam non mutuatur à relationibus, sed à se, & ex propriis habet. Nec minùs expressa sunt ista Hilarii verba *lib.*7. *de Trinit.* ubi inquit, Patrem & Filium *inesse sibi invicem, ut subsistentiæ naturæ habeant perfectam unitatem.* Admittit ergo subsistentiam naturæ communem Patri & Filio. Dicere verò, Patres intelligere per subsistentiam existentiam, non verò modum existendi per se; hoc, inquam, dicere est Patres ad libitum explicare, & tam clara & expressa verba ad sensum improprium divertere. Præsertim verò intolerabile est asserere, sanctum Thomam, qui semper præcisè, formaliter, & juxta normam regularum scholasticarum loquitur, abusivè usurpasse nomen subsistentiæ. Quod si aliquando Patres indicare videantur subsistentiam idem esse ac hypostasin, quæ non datur in Deo præintellecto personis; dicendum illos loqui de subsistentia relativa & personali. Quanvis autem omnis persona & hypostasis sit subsistens, non tamen sola; sed etiam essentiæ divinæ convenit ratio per se subsistendi, proindéque latiùs patet nomen subsistentiæ, quàm hypostasis.

Solvuntur argumenta.

Objicies: Non potest stare, quod sint in Deo tres subsistentiæ relativæ, & simul admittatur subsistentia absoluta: ergo vel illæ, vel ista rejiciendæ sunt; subindéque secunda pars speculationis vel destruit primam,

tam, vel destruitur à prima. Probatur antecedens: ideò suprà rejecimus existentias relativas, distinctas virtualiter ab absoluta, & quia sufficienter personæ existunt per alterutram existentiam, absolutam, vel relativam, & quia non potest aliquid duplici actu existentiæ terminari, si ille actus sit in suo ordine ultimus, qualis est existentia respectu essentiæ. Atqui similiter personæ sufficienter subsistunt per subsistentiam absolutam, quæ est terminus naturæ, sicut existentia terminus essentiæ. Ergo vel non datur subsistentia absoluta, vel si detur, admittendæ non sunt tres relativæ.

Confirmatur: Natura affecta subsistentiâ absolutâ, quando deinde terminatur subsistentiis relativis, vel redditur per illas subsistens, vel non. Si non redditur subsistens: ergo non datur triplex subsistentia relativa; non enim datur forma sine effectu formali. Si autem redditur subsistens: ergo tres subsistentiæ relativæ afficiunt absolutam, & ei communicant suum effectum, proindéque eam reddunt subsistentem. Ergo subsistentia absoluta est per se subsistentia, & non est per se subsistentia: est quidem ex suppositione; non est verò, siquidem redditur subsistens per aliam subsistentiam; quod non minùs apertam involvit contradictionem, quàm si diceretur, existentiam existere per aliam existentiam, figuram terminari per aliam figuram, unionem alia unione copulari, actionem alia actione produci.

Huic argumento, in quo sita est summa difficultatis, & ipsa sanè difficultas summa est, variè occurrunt Authores nostræ sententiæ, quorum solutiones referam non animo sugillandi (abhorrui enim semper ab illa quorumdam aliena carpendi libidine) sed ut vis argumenti, & præsentis materiæ difficultatis granditas appareat. Primò itaque quidam dicunt, subsistentiam absolutam intimè includi in subsistentiis relativis, & in eis transcendentaliter imbibi, & ab eis diversimodè modificari. Et quia ratio transcendentalis in aliquo inferiori, vel quasi inferiori inclusa est ipsum inferius, ut ratio entis inclusa in substantia est substantia, in accidente est accidens: ita ratio subsistentiæ absolutæ inclusa & modificata per paternitatem est ipsa subsistentia personalis Patris, & sic de aliis. Cui doctrinæ non parum favere videtur S. Thomas *quæst. 9. de potentia, art. 5. ad 13* dicens: *Proprietates personales hoc solùm habent, quod supposita divinæ naturæ ad invicem distinguant; non autem sunt principium subsistendi naturæ divinæ; ipsa enim divina natura est secundùm se subsistens; sed è contra proprietates personales habent quod subsistant ab essentia.* Vbi S. Doctor satis innuit, tres relationes esse subsistentias, quia subsistentiam naturæ includunt. Et id explicat Nazarius exemplo animæ rationalis, quæ de se est subsistens, cùm sit à corpore independens, & ab eo separata existat, & subsistat ut *quod*: sed non est persona, quia est communicabilis corpori, & de facto, dum corpori iterum unitur, suam subsistentiam corpori communicat, ex qua communicatione resultat totum compositum, & persona subsistens subsistentiâ completâ & personali. Similiter substantia divina est per se subsistens, non tamen est persona, quia non est simpliciter incommunicabilis: dum autem unitur per identitatem paternitati, constituit personam completam, seu subsistentiam incommunicabilem. Sicut ergo subsistentia animæ non pendet à subsistentia suppositi hominis, v. g. Petri, sed potiùs è contra subsistentia Petri est radicaliter à subsistentia animæ, quamvis in toto una subsistentia non ponat in numero cum alia: ita in Deo essentialis subsistentia non pendet à subsistentiis relativis, nec ponit in numero cum illis.

Secundò alii putant, admissa hac doctrina argumentum manere in sua vi; si enim subsistentia absoluta modificata per relationes facit ut sint tres subsistentiæ relativæ, cur existentia modificata per tres relationes non inferet tres existentias relativas? cùm non sit minùs transcendens existentia, quàm subsistentia; imò eodem modo dici posset, dari triplicem in tribus personis essentiam, cùm essentia tribus relationibus modificetur, & terminetur. Deinde cùm subsistentia dicat de formali per se existere, si eadem sit perseitas existentiæ in tribus personis, multiplicabitur quidem incommunicabilitas, sed non subsistentia; subindéque non erunt in Deo tres subsistentes substantivè, sed ad summum adjectivè.

Hoc ergo videntes dicunt, subsistentiam, seu modum existendi per se dupliciter posse accipi: primò pro hoc, quod est existere independenter ab alio: secundò pro hoc, quod est existere incommunicabiliter alteri; itaque volunt perseitatem primam, quæ opponitur modo existendi in alio, provenire à subsistentia absoluta divinæ naturæ, quæ eo ipso quod est actus purus & infinitus, est ipsum esse per se subsistens, removens omnem ab alio dependentiam; hoc enim dicit magnam perfectionem Deo propriam, subindéque tribus personis communem. Addunt verò secundam perseitatem, seu modum per se existendi incommunicabiliter alteri ut supposito, non esse in Deo antecedenter ad relationes (cùm omne quod præintelligitur relationibus, sit illis commune, non verò incommunicabile) sed per relationes, quæ sicut multiplicantur, & sunt tres realiter distinctæ, ita sunt tres subsistentiæ relativæ, seu tres modi incommunicabilitatis. Hac distinctione facilè eludunt vim argumenti, dicentes esse differentiam inter existentiam & subsistentiam, quia existentia non accipitur duobus modis, sicut subsistentia: licèt autem nihil possit subsistere duplici subsistentia ejusdem rationis, & præstante eundem effectum formalem, benè tamen si præstet diversum: effectus autem subsistentiæ est duplex; aliud subsistere in se independenter ab alio; aliud subsistere in se incommunicabiliter alteri. Primum confert subsistentia absoluta, secundum relativa. Ex quo satisfit etiam confirmationi; nullum enim est inconveniens, quod natura affecta subsistentiâ absolutâ reddatur subsistens non acquirendo modum per se independenter existendi, sed modum incommunicabilitatis, quem absoluta subsistentia nondum naturæ contulerat.

Probabilis sanè doctrina. Verùm adhuc quiescere animus non potest. Primò quia hæc explicatio reducit totam controversiam ad quæstionem de puro nomine; nullus enim est qui neget convenire deitati independentiam ab alio sustentante: nullus etiam negat, personis convenire incommunicabilitatem: nullus ergo erit qui possit negare subsistentiam absolutam & relativas, nisi neget modum independentiæ non debere vocari subsistentiam, nisi habeat modum per se incommunicabilitatis.

Secundò, absolutè poterit in Deo negari subsistentia absoluta, vel subsistentiæ relativæ: nam ideò, juxta hunc modum dicendi, relatio est subsistentia, quia dat per se incommunicabilitatem; ideò verò perfectio Dei absoluta est subsistentia, quia est per se independens à sustentante: ergo in sensu, in quo verum est dicere, dari subsistentiam absolutam, falsum est dari subsistentias relativas: & è contra, in sensu quo admittuntur tres relativæ, neganda est absoluta. Sed in aliquo vero sensu admittitur subsistentia absoluta: ergo in illo vero sensu negari possunt relativæ. Similiter in aliquo vero sensu admittuntur relativæ; ergo in illo vero sensu negari potest absoluta: ergo juxta illam solutionem non possunt impugnari negantes subsistentiam absolutam; siquidem eam negant in aliquo vero sensu: non possunt etiam impugnari negantes subsistentias

stentias relativas, siquidem eas negant in aliquo vero sensu, scilicet illo in quo subsistentia absoluta est subsistentia, qui sensus est verus, aliàs deberet negari subsistentia absoluta.

Quare ut non laboremus in æquivoco, conformiter ad doctrinam S. Thomæ omninò dicendum est quod sicut in via D. Thomæ datur in Deo & subsistentia absoluta, & tres subsistentiæ relativæ & incommunicabiles; ita omninò concedi debet aliqua ratio vera subsistentiæ, quæ sit communis tam absolutæ, quàm relativæ, quæ de se est indifferens, & abstrahit ab utraque, ac potest univocè convenire & subsistentiæ communicabili, & incommunicabili. Illa autem ratio est reddere naturam habentem esse, & vim agendi ut quod, per modum totius in se & per se subsistentis; non verò ut quo, seu per modum formæ vel partis in alio existentis & subsistentis. In Deo autem invenimus duplex constitutivum naturæ per modum principii *quod*; alterum essentiale, alterum notionale: nam Deus præintellectus personis, intelligit, amat, creat tanquam principium *quod*: & iterum Deus per relationem, v. g. paternitatis, generat Filium tanquam principium *quod* actionis notionalis. Igitur datur in Deo & subsistentia absoluta prævia ad relationem, & subsistentia relativa, quam ipsa relatio divina secum affert: & in hoc utraque convenit, quod reddat naturam per se capacem alicujus actionis per modum principii *quod* elicitivi.

Ex quibus clarè respondetur objectioni; nam licèt natura divina sufficienter subsistat essentialiter per subsistentiam absolutam; non tamen per eam subsistit notionaliter: ex quo patet differentia inter subsistentiam & existentiam; nam personæ sufficientissimè existunt per hoc, quod habent esse naturæ divinæ; neque existentia constituit principium *quod* agendi, sed solùm facit rem esse extra nihil; quod omnibus personis commune est. At verò subsistentia facit esse principium *quod* alicujus actionis: & licèt principium *quod* actionis essentialis sit commune, non tamen principium *quod* actionis notionalis. Et ideò alia esse debet subsistentia essentialis & communis, alia notionalis & propria. Ex his etiam facilè respondetur ad confirmationem, dicendo naturam affectam subsistentia absoluta reddi subsistentem notionaliter, juxta conditionem personæ: v. g. prima redditur subsistens ut genitor & Pater, secunda ut genitus & Filius, tertia ut spiratus. Non est autem inconveniens, ut natura divina subsistens subsistentia absoluta, subsistat deinde subsistentia personali, non ex necessitate, sed ex fœcunditate. Sicut in Deo præintellecto personis admittitur vera & essentialis ratio verbi, & tamen admittitur ratio. Verbi personalis: nec propterea idem effectus formalis præstatur ab eadem forma, sicut præstaretur si eadem natura haberet duplicem existentiam, eadem quantitas duplicem figuram, & sic de aliis; quia alius est effectus formalis subsistentiæ absolutæ, alius subsistentiæ relativæ, ut ostensum est. Ex quibus patet ad confirmationem.

Dices: De ratione subsistentiæ est præbere incommunicabilitatem: ergo admittere in Deo subsistentiam absolutam & communicabilem, est pugnantia loqui. Probatur antecedens. Hoc ipso quod aliquid est communicabile alteri, habet esse incompletum, & ut *quo*; siquidem ex ente communicabili, & ente cui fit communicatio, totum resultat completum, & ut *quod*, existens & subsistens: ergo subsistentia non potest convenire enti communicabili, sed debet necessariò præbere incommunicabilitatem.

Respondeo falsum esse absolutè, subsistentiam non posse convenire enti communicabili; nam anima rationalis separata subsistens est, & tamen communicabilis est corpori, ad cujus reunionem inclinatur. Quantò magis id credendum est de essentia divina, quæ non habet rationem partis incompletæ, nec exigit relationes ut subsistat, sed ut in eis suam perfectionem profundat, non ex indigentia, sed ex plenitudine abundantiæ suæ? Cujus signum est, quod natura tribus relationibus terminata non multiplicatur nec in se, nec in suo esse, quod idem manet in illis indivisum. Incommunicabilitas ergo non est de ratione subsistentiæ, sed solùm de ratione personalitatis. Unde nego antecedens. Ad probationem distinguo, quando aliquid habet esse communicabile, ut pars & forma incompleta, non est subsistens, transeat: (dico, *transeat*, quia id patitur instantiam in anima rationali) quod habet esse communicabile ex abundantia perfectionis suæ, & ex diffusione bonitatis, nec est ordinatum ad ulterius esse, non est subsistens, nego; cùm sit ipsa subsistentia per essentiam.

Urgebis: Ergo relatio nullum addit esse per se essentiæ divinæ, sed solùm distinctionem, incommunicabilitatem, & oppositionem: ergo non erunt tres subsistentiæ relativæ si sit una absoluta, à qua potiùs relationes hauriunt subsistentiam; si enim non essent in Deo, non subsisterent. Quam rationem tangit S. Thomas quæst. 9. de potent. art. 5. ad 13. *In divinis proprietates personales hoc solùm habent, quod supposita divinæ naturæ ad invicem distinguunt; non autem sunt principium subsistendi naturæ divinæ, ipsa enim natura divina est secundùm se subsistens: sed è contra proprietates personales habent quod subsistant ab essentia.*

Respondeo relationem afferre quidem divinæ essentiæ oppositionem & incommunicabilitatem, non quæ sit pura negatio, sed quæ fundetur in aliquo positivo; quod sanè positivum non potest esse aliud quàm subsistentia, aliàs relatio adveniret essentiæ divinæ constitutæ in ratione personæ, sicut humanitas advenit personæ Verbi; forma enim, quæ advenit toti, supponit personam, nisi forma illa sit subsistentia, & personalitas. Ex quo etiam sequeretur, non dari in Deo nisi unicam personalitatem absolutam, non verò tres relativas; subsistentia enim est quid superius ad personalitatem, quæ solùm addit incommunicabilitatem naturæ intellectualis: non potest verò multiplicari inferius nisi multiplicetur superius; onde non potest esse triplex personalitas, nisi sit triplex subsistentia. Ad argumentum ergo dicendum, falsum esse, relationem in Deo non addere nisi puram incommunicabilitatem, addit enim subsistentiam personalem, quæ est fundamentum incommunicabilitatis: non enim relatio esset constitutiva personæ, nisi esset subsistentia. Fateor quidem, quod secundùm munus referendi non exprimit subsistentiam, sed tamen eam necessariò importat, quia est forma hypostatica, & per se afficit essentiam divinam, à qua tanquam à radice habet illam subsistentiam; sed tamen eam formaliter, & ex propria linea importat: & hoc solùm voluit D. Thomas loco citato. Nisi velis ibi S. Thomam loqui de subsistentia essentiali, quam essentia communicat relationibus, non verò recipit ab eis. Vel tertiò dic, relationes non esse principium subsistendi essentiæ ex necessitate, benè tamen ex fœcunditate.

Reflexio.

Quidquid in Deo invenitur, sive substantia, sive relatio, totum subsistens est. Vana est ergo fides, quæ Deo innixa non est. Vera fides definitur ab Apostol. Hebræor. 12. *Sperandarum substantia rerum*: spem verò describit idem Apostolus *cap. 6.* dum eam vocat *Anchoram animæ tutam ac firmam.* Sed inconstans est fides, & planè caduca spes, quæ non habitat in adju-

torio Dei altissimi, nec in protectione Dei cœli commoratur. Maledictus qui spem ponit in homine: ruinosa sanè fiducia, quæ propriis meritis innititur, & in virtute sua confidit. Nonne homo vanitati similis factus est? Nonne omnis caro fœnum? Nonne homo natus de muliere, sicut flos egreditur & conteritur, & fugit velut umbra, nunquam in eodem statu permanens? Ergo super tam fragile fundamentum, stabile nunquam superstruetur ædificium. *Quasi in aqua fundamentum ponere est* (ait Gregor. Magnus lib.22. in Iob, cap.31.) *in rebus labentibus spei fiduciam velle solidare. Quis unquam decurrentium fluminum tumidis verticibus raptus manere ipse fixus potuit deorsum unda defluente? De Creatore desperare est spem in creatura posuisse.* Quare in fugitivis creatorum bonorum umbris ne hæreamus, ne innitamur baculo arundineo, atque confracto, super quem si incubuerit homo, perforabitur manus ejus. Iactemus in Dominum curam nostram, qui non dabit in æternum fluctuationem justo, qui in eum dum sperat, non confunditur. Subsistens est Deus, & totus subsistentia: collidi ne timeas, supponit manum suam; & cùm jam nihil humani remedii superest, certius est adesse divinum.

SPECULATIO III.

Variæ sunt regulæ in modo loquendi de hoc divino mysterio, summa cum cautela observandæ, ne ex verbis inordinatè prolatis hæresis incurratur.

PRima regula est: Quidquid sit de illis opinionibus, an sint in Deo tres existentiæ, vel subsistentiæ relativæ; tamen nullatenus concedi possunt in Deo tres essentiæ, etiam relativæ, juxta illud quod canitur in prosa de Trinitate: *Sive dicas tres, vel tria, simplex tamen est usia:* & juxta Augustinum lib.1. contra Maximinum, cap.14. *Hoc est illud homousion, quod in Concilio Nicæno firmatum est.* Nec dicas, relationes habere suas rationes formales, seu quidditates distinctas; quia non quæcumque ratio formalis dicitur essentia, sed ea quæ est natura totius subsistentis: relationes autem non sunt natura Dei, sed modi ejus cum ipsa Dei natura identificati.

Secunda regula: Nullo modo admittenda sunt in Trinitate plura individua, ut tradit expressè August. *lib.7. de Trinit. cap.6.* quia nimirum in individuis dividitur natura. Vnde hæc est differentia inter personam & individuum (ut colligitur ex D.Thoma *q.30. art.4.*) quod persona habet pro significato formali personalitatem, pro materiali naturam; individuum verò è contra habet pro significato formali naturam, pro materiali personalitatem: unde sicut non multiplicatur natura in divinis, ita nec individuum. Neque enim multiplicatur nomen substantivum, nisi multiplicato significato formali.

Tertia regula: In enunciandis proprietatibus, vel relationibus divinis uti possumus nominibus abstractis & concretis, ut docet S. Thomas *quæst.3 a. art* 2. De Deo enim loquimur juxta nostrum modum intelligendi: intelligimus autem Deum & per modum simplicissimæ formæ, quam exprimimus termino abstracto, ut est *Deitas, paternitas:* intelligimus etiam Deum ad modum subsistentis, & sic eum exprimimus nomine concreto, quale est *Deus*, vel *Pater.* Neque hoc magis obest divinæ simplicitati, quàm cùm distinguimus divina attributa, quorum eminentem perfectionem unico actu non attingimus, sed multis veluti dividimus, pluribusque nominibus declaramus. Præsertim quia, cùm essentia, vel relatio divina significatur in abstracto, hoc non est per modum distinctæ rei significatæ, sed propter diversum modum significandi ex parte nostri intellectus, qui dum nomine abstracto significat perfectionem divinam, prout habet munus formæ & naturæ, reticet munus suppositi & subsistentis, quod explicat nomen concretum.

Quarta regula: Actio non potest tribui relationibus, vel notionibus in abstracto, sed tantùm in concreto: v.g. non rectè dicitur paternitas generat, filiatio generatur; sed Pater generat, Filius gignitur. Ita tradit D.Thomas q.3 a. *art.* 2 *ad* 2. Ratio est, quia actiones attribui non possunt nisi principiis operativis; principium verò operandi est suppositum & subsistens; subsistentia verò non est principium agendi, sed terminus & modus complens naturam ut agat. Vnde si ista propositio, *Paternitas generat*, esset vera, sensus esset: Paternitas est ratio generandi; quod est falsum. Nec dicas, quod paternitas & Pater sint idem realiter ex parte rei significatæ. Quia in propositionibus attendendus est etiam modus significandi: sicut licèt justitia sit realiter misericordia in Deo, tamen falsò diceretur, Deum justitiâ formaliter misereri. Sed sicut est verum dicere, Deum misereri aliquo, quod est justitia, sic verum est dicere, rem quæ est paternitas, generare.

Quinta regula: In divinis possunt prædicari abstracta de concretis, & vice versa; unde verè dicitur, paternitas est Pater, & Pater est paternitas; quia cùm idem sint in divinis abstracta & concreta, essentialia & notionalia, utique possunt de se invicem affirmari; ex eo enim, quod res est, oratio dicitur vera. Hanc regulam limita sic, nisi obsit aliqua appellatio, vel reduplicatio; quia tunc affirmatur aliquid de re non secundùm ea omnia, quæ habet à parte rei, sed prout præscinditur ab intellectu, & secundùm specialem rationem menti obversantem. Qua de causa dixit S. Doctor *quæst.32.art.2.ad 3.* hanc prædicationem non esse veram, *Paternitas est spiratio activa;* quamvis sit identitas inter utramque: *Sicut etiam*, inquit, *non dicimus quod attributum potentiæ sit attributum scientiæ.* Vbi manifestè explicat seipsum, & intelligit propositionem illam non esse veram, si reddat hunc sensum, *Relatio paternitatis est relatio spirationis.* Cùm enim relatio dicat formaliter ordinem ad terminum, sicut attributum dicit ordinem ad conceptum nostrum distinguentem, ideò verè negat S. Thomas, relationem paternitatis esse formaliter relationem spirationis. Cæterùm sicut in sensu identico verè dicitur, *Potentia est scientia*; ita, *Paternitas est realiter spiratio activa.*

Sexta regula: In divinis admitti debent tres personæ, non tamen tres Dii. Ratio hujus Catholicæ veritatis est, quia nomen substantivum per se primò significat formam, sicut adjectivum per se primò significat suppositum; quia licèt utrumque nomen, adjectivum, & substantivum, significet formam, & connotet subjectum, cùm utrumque sit nomen concretum; tamen modus significandi nominis substantivi est per modum substantiæ, quæ habet unitatem, vel pluralitatem ratione formæ: modus verò significandi nominis adjectivi est per modum accidentis, quod habet unitatem, vel pluralitatem ex adjacentia ad subjectum. Atqui eadem divinitas est tribus in personis, non tamen eadem personalitas. Ergo debent dici tres personæ, non tamen tres Dii, quamvis possint admitti tres habentes Deitatem, vel tres Divini.

Septima regula: Licèt nomen, *Deus*, simpliciter & per se supponat pro natura communi tribus personis; tamen si adjungatur aliquod notionale, potest supponere pro persona, ut si dicatur, *Deus generat*; tunc enim ratione actus generandi, qui est notionalis, ly *Deus*, supponit pro Patre. Quorum omnium ratio est, quia ad veritatem locutionum non solùm attendenda

est

est res significata, sed etiam modus significandi; & quia hoc nomen, *Deus*, ex modo suæ significationis explicat divinam essentiam ut in habente ipsam; ideò potest supponere pro persona habente deitatem: sicut quia homo significat habens humanitatem, ex vi & modo suæ significationis potest supponere pro quocumque habente humanitatem. Atqui deitas non solùm habetur à Deo absolutè sumpto, cui convenit subsistentia absoluta; sed etiam habetur in personis: ergo nomen, *Deus*, non solùm potest supponere pro natura absoluta, sed etiam pro personis; subindéque ea quæ sunt propria personarum, possunt prædicari de hoc nomine, *Deus*, ut dicatur, quod Deus est generans, Deus est genitus, ratione diversarum personarum, quarum uni convenit generare, alteri generari. Vide D. Thomam *q. 39. per totam*.

Octava regula: Hæc propositio est falsa, *Essentia generat*; vel, *Essentia est genita*: quia essentia ex modo significandi non significat suppositum, sed formam abstractam: unde ea quæ sunt propria suppositis in quantum distinguuntur inter se, non possunt attribui essentiæ præcisè sumptæ, aliàs admitteretur distinctio in essentia sicut in personis: generare autem, vel generari, suppositorum est. Vnde in magno Concilio Lateranensi, sub Innocentio III cap. *Damnamus*, de summa Trinitate, damnata fuit hæc Abbatis Ioachim propositio, *Essentia generat*; vel, *est genita*. Quod si inveniamus Patres aliquos ita interdum loquutos, piè exponere eos debemus, ut velint essentiam esse id quo Pater generat, & quod Filio communicat. Potest tamen dici, *Essentia est res illa quæ generat, & res illa quæ generatur*, ob dicta in regula quinta.

Nona regula: Ista propositio est vera, *Deus est tres personæ*; *essentia est tres personæ*: quia essentia divina non solùm est idem realiter cum una persona, sed etiam cum tribus: unde tres personæ possunt prædicari de essentia; & quia hoc nomen, *Deus*, per se supponit pro essentia; ita etiam tres personæ possunt prædicari de Deo. Et generaliter admitti possunt & debent propositiones illæ, in quibus explicatur solùm identitas unius cum alio, quia in divinis omnia idem sunt, ubi non obviat oppositio relativa.

Decima regula: Nomen *alius*, adjungitur personis, non verò *aliud*: unde dicitur verè, *Filius est alius à Patre*, sed non, *Filius est aliud à Patre*. E contra verò nomen *unum*, adhibetur, non, *unus*; unde verè dicitur, *Pater & Filius unum sunt*; non *unus sunt*. Ratio est, quia nomen masculinum significat personam, neutrum verò significat rem & substantiam. Vnde si Filius esset aliud à Patre, haberet distinctam naturam; si verò diceretur unus cum Patre, confunderetur utriusque persona: unde signanter Scriptura ait Ioan. 5. *Alius est qui testimonium perhibet de me*. Et 14. *Alium Paracletum dabit vobis*. De nomine verò *unum*, dicitur Ioan. 10. *Ego & Pater unum sumus*. 1. Ioan. 5. *Hi tres unum sunt*. Potest tamen adhiberi nomen, *unus*, si adjungatur *Deus*, ut si dicas, *Pater & Filius sunt unus Deus*, quia tunc unitas cadit supra naturam, non supra personam.

Vndecima regula: Isti termini, *Alienus*, *diversus*, *extraneus*, *differens*, *alter*, non possunt in rigore usurpari, quia per illos indicatur diversitas naturæ, vel qualitatis, vel perfectionis essentialis. Si tamen leguntur apud aliquem factum Doctorem, accipiendi sunt cum restrictione trahente illos ad relationes: v. g. Pater differt, est diversus à Filio, non in natura, sed relatione, vel proprietate personali.

Duodecima regula: Termini significantes exclusionem, ut *solus*, non possunt simpliciter affirmari in divinis, dicendo, *Deus est solus*, *Pater est solus*; quia hæc prædicatio significat solitudinem, & negationem pluriura personarum. Vnde Salvator, *Ioan.* 8. dixit; *Solus non sum*. Potest tamen terminus ille usurpari quando afficit naturam, ut si dicatur, *Solus Deus est amabilis*: *Nemo bonus nisi solus Deus*. Vel quando cadit supra actum notionalem: ut, *Solus Pater generat*.

Decimatertia regula: Termini numerales significantes numerum & multitudinem, admitti possunt in divinis; sed non omnes. Nam admittitur nomen *Trinus*, & *Trinitas*, quibus significatur numerus trium; rejicitur tamen nomen *triplex*, aut *multiplex*, quia directè opponuntur isti nomini, *simplex*, quod in Deo admitti necesse est. Et si diceretur Deus duplex, aut triplex, aut multiplex, indicaretur multitudo Deorum. Quod si aliquando inter loquendum usurpetur, ut cùm dicimus dari in Deo duplicem processionem, triplicem relationem, id fit non ad multiplicandam naturam, sed dumtaxat ad numerandum ea de quibus disputamus. Termini autem numerales in divinis, licèt significent pluralitatem divinarum personarum, tamen non significant aliquid majus vel minus; ita ut ex rebus numeratis fiat aggregatio & compositio, resulterque totum, vel pars, majus & minus. Nam, ut ait Athanasius: *In hac Trinitate nihil majus, aut minus*. Verus autem numerus, & simpliciter talis importat separationem, distinctionem, & multiplicationem essentiæ rerum numeratarum.

Decimaquarta regula: Nomina quæ conveniunt personis ratione relationum, multiplicantur, non verò ea quæ conveniunt personis ratione essentiæ; quia sicut multiplicantur relationes, non essentia, ita dicendum est de iis quæ conveniunt ratione relationum, vel ratione essentiæ.

Ex hac regulâ, quæ omninò certa est, plures dirimuntur controversiæ, & varia derivantur corollaria. Sequitur enim primò, unitatem, realitatem, entitatem, rem multiplicari, quia conveniunt uni personæ prout ab alia distinguitur.

Sequitur secundò, perfectionem relativam multiplicari, sicut & relationes, cùm suprà monstraverimus relationem addere specialem perfectionem virtualiter distinctam ab essentia. Et certè inintelligibile est, multiplicari in Deo subsistentiam, & non perfectionem relativam.

Sequitur tertiò, in divinis non esse triplicem sanctitatem, quia sanctitas non convenit personis nisi ratione naturæ, puritatis, & rectitudinis voluntatis ejus: unde si humanitas Christi fuisset assumpta à Spiritu sancto, eadem sanctitate gauderet. Sed de his in materia de Incarnatione.

Sequitur quartò, in divinis non dari triplicem veritatem, ut expressè tradit S. Thomas *quæst. 1. de veritate, art. 7.* quia veritas sumitur vel pro formali, quæ consistit in cognitione, & sic quemadmodum est unica cognitio in tribus personis, ita & eadem veritas formalis in illis: vel accipitur pro veritate objectiva, quæ est rei cognoscibilitas; & sic etiam planum est non multiplicari: nam omnes tres personæ gaudent eadem intelligibilitate, sicut & immaterialitate actus puri; vel accipitur pro realitate fixa, rata, & opposita fictioni; & sic licèt certum sit, dari in Deo verè tres relationes habentes esse ratum, immutabile, indefectibile, & firmiter existens, non tamen triplici firmitate, quia immutabilitas & indefectibilitas essendi unica est in tribus personis, proveniens ex immutabilitate essentiæ. Ex quibus benè penetratis facilè dissolves argumenta quorumdam aliter opinantium. Nec potest esse dissensio nisi de nomine.

Sequitur quintò, nomen entis, si sit concretum idem significans ac habens essentiam, vel existentiam, non posse multiplicari substantivè acceptum, cùm sit unica

unica in personis essentia, & existentia; benè tamen adjectivè, quia sunt tres habentes essentiam divinam. Si autem tale nomen sit concretum, significans idem ac habens entitatem, sic revera multiplicatur etiam substantivè; sicut reverà dantur tres entitates realiter distinctæ.

Sequitur sextò, quid sit respondendum ad illam quæstionem, utrum ratio subsistentiæ, vel personæ sit univoca, vel analoga respectu trium personarum? Quia in re aliqui volunt, rationem personæ esse analogam, non analogia attributionis, quo modo sanum est analogum respectu animalis, & medicinæ, & urinæ, in quibus singulis non invenitur intrinsecè sanitas, sed tantùm extrinsecè & denominativè; in animali verò solo intrinsecè: sed dicunt esse analogam analogia proportionalitatis, eo modo quo ens est analogum respectu suorum inferiorum, in quibus intrinsecè invenitur ratio entis. Sed quia illa ratio non habet conceptum perfectè unum & præcisum, ideò non est strictè univoca; in Deo enim non datur præcisio objectiva per modum excludentis & exclusi, alias esset in illo compositio rationis.

Alii verò arbitrantur, rationem illam esse univocam, quia ratio significata per nomen personæ, est eadem communis tribus personis, & essentialiter eis convenit, nec uni dependenter ab alia. Et quanvis illa quæ sunt primò diversa, non possint convenire in aliquo conceptu communi naturæ, benè tamen in aliquo modali; sicut differentiæ specificæ licèt sint primò diversæ, tamen univocè conveniunt in officio dividendi genus, & distinguendi speciem.

Sed hæc controversia, quæ est satis levis momenti, & merè philosophica, facilè componi potest, dicendo cum Ioanne à S. Thoma, rationem illam non esse strictè & directè univocam, nec analogam, sed reductivè pertinere ad univocam, & aliquid habere de analoga, quia ut docet S. Thomas *quæst.* 30. *art.* 4. persona non prædicatur ut genus vel species, sed ut individuum vagum, seu in communi. Individuum autem in communi non prædicatur de hoc, vel illo individuo, tanquam genus vel species, sed sicut ratio communis, non perfectè præcisa à differentiis; quia cùm sit ultima differentia, nullam relinquit ulteriorem, per quam sit contrahibilis. Non est etiam analoga omninò, siquidem nulla est inæqualitas in modo participandi rationem individui; habet tamen aliquid de analogo, quatenus implicitè involvit sua inferiora, à quibus non perfectè præscindit; sed plus habet de univoco, quia est prædicatum quidditativum huic individuo, estque æqualiter in singulis repertum. Idem dicendum proportionaliter de personæ ratione. Sed de his tricis plusquàm satis.

Reflexio.

Cautè quidem, & religiosè in hac materia de Trinitate loquendum est; sed cavendum etiam Theologis, ne eis accidat quod nonnullis Grammaticis contigisse Augustinus deplorat, qui magis verborum vitia, quàm morum timentes, discipulos stribiliginem omnem & barbariem exhorrescere inculcant; ne autem in nefanda crimina præcipites deferantur, nihil pensi habent: puritatem eloquii præscribunt, vitæ integritatem non curant: Philologi, non Philosophi, verborum, non rerum amantes, docentes disputare, non vivere. Contra hos arte garrulos, & compositè loquaces sic exclamat præfatus Pater lib. 1. confes. cap. 18. *Vide Domine Deus patienter, ut vides: vide quomodo diligenter observent filii hominum pacta litterarum & syllabarum accepta à prioribus loquutoribus, & à te accepta æterna pacta perpetuæ salutis negligant: ut qui illa sonorum vetera placita teneat, aut doceat, si contra disciplinam grammaticam sine aspiratione primæ syllabæ hominem* (protrahendo mediam syllabam) *dixerit, magis displiceat hominibus, quàm si contra tua præcepta hominem oderit, cùm sit homo.* Similiter non solùm debet accuratus Theologus verba seligere, quibus Trinitatis mysterium exponat, sed morum sanctimoniâ præcipuè Trinitas colenda est. Opportunè Thomas à Kempis lib. de Imitatione Christi: *Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare, si careas humilitate unde displiceas Trinitati. Alta verba non faciunt hominem sanctum, sed bona vita efficit Deo charum.*



DISSERTATIO IV.

De personis divinis in particulari: & primò de Patre & Filio.

EXPLICATIS existentia & quidditate sacri hujus mysterii, superest ut de personis in particulari agamus, & primò de Patre & Filio sermonem habebimus; nec enim eos possumus tractatione sejungere, quos non possumus etiam cognitione separare; relata enim sunt simul naturâ & cognitione.

CAPUT I.

De persona Patris.

NEme tam pius, tam pater nemo, quàm Deus, inquit egregiè Tertullian. & ideò nomen Patris tota Trinitas frequenter adhibet, ut tam suavi nomenclaturâ dulcescat & temperetur majestas Deitatis. Hinc summâ dignationis indulgentiâ & clementiæ ubertate non aliter voluit quàm Patris nomine compellari dum præcepit orare, *Pater noster qui es in cœlis.* Quis sic Deum auderet alloqui, nisi ipse nobis sic præscripsisset. Hoc tam suave orationum nostrarum exordium est *quædam impetrandi præsumptio* (ait August. lib. 2. de serm. Dom. in monte. cap. 4.) *quæ petituri sumus, cùm priusquam aliquid peteremus, tam magnum donum accepimus, ut sinamur dicere, Pater noster, Deo.* Ex quibus vides, nomen Patris aliquando sumi essentialiter, & attribui Deo, quatenus creat, conservat, alit, justificat, adoptat, & cuncta erga nos paternæ charitatis officia implet. Sed hîc agimus de Patre notionaliter, seu de prima persona Sanctissimæ Trinitatis; unde sit

Speculatio I.

Prima persona SS. Trinitatis convenit propriè nomen & ratio Patris.

HAc veritate plenæ sunt omnes novi Testamenti paginæ, & hujus nominis zelantissimi fuerunt Ecclesiæ Patres, qui etiam illud nomini Dei præferebant, ut legere est apud Cyrillum *lib.* 11. *in Ioan. c.* 18. quia nimirum Deus dicitur respectu creaturarum quibus providet; sed Pater appellatur respectu Filii æterni & consubstantialis: dignius autem, & nobilius est respicere Filium & personam sibi coæqualem, quàm creaturas à se infinitè distantes. Hinc Cyrillus Hierosol. catech. 7. *Unigeniti Pater existens, hac magis quam aliis dignitatibus venerandus.*

Ratio

Ratio verò constat ex dictis dum de generatione Verbi. Si enim processio Verbi sit generatio, persona à qua Verbum procedit, necessariò est genitor, & pater. Imò, ut observat S. Thomas *quæst.* 33. *art.* 2. *ad* 4. perfectiùs invenitur ratio patris in prima persona Trinitatis, quàm in quacumque creatura, juxta illud Ephes. 3. *Flecto genua ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur.* Quia cùm de ratione generatoris sit quod producat sibi simile, tantò perfectior est generatio, proindéque paternitas, quantò terminus genitus est similis generanti: in generatione autem divina eadem est numero forma geniti & generatoris: igitur prima persona Sanctissimæ Trinitatis est perfectissimo modo Pater.

Ex his infert S. Doctor *art.* 3. nomen Patris per prius dici de prima persona notionaliter, quàm essentialiter, seu priùs naturâ convenire Patri respectu Filii divini, quàm respectu creaturarum, non solùm quia ab æterno Deus est Pater Filii, & ex tempore pater creaturarum; sed etiam quia nomen illud magis & priùs dicitur de illo in quo perfectè reperitur tota ratio significata per nomen, quàm de illo in quo nonnisi imperfectè reperitur: ratio autem filiationis perfectè invenitur in Verbo æterno, imperfectè verò & deficienter in creaturis, ut patet discurrendi per quatuor modos, quibus Deus dicitur Pater creaturarum, ratione quadruplicis similitudinis, quam Deus illis imprimit. Primò dicitur Pater creaturarum irrationalium propter similitudinem vestigii. Iob 38. *Quis est pluviæ pater, aut quis genuit stillas roris?* Secundo propter similitudinem imaginis in creatura rationali sculptæ. Deuteron. 32. *Nonne ipse est pater tuus, qui possedit, & fecit, & creavit te?* Tertiò propter similitudinem gratiæ, quæ invenitur in justis. Rom. 8. *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui nostro, quod sumus filii Dei.* Quartò propter similitudinem gloriæ quæ invenitur in Beatis. Rom 5. *Gloriamur in spe filiorum Dei.* Has autem omnes similitudines in immensum excedit similitudo Divini Verbi, cui convenit eadem natura Patris.

Dices: Communia in Deo sunt priora propriis, essentialia notionalibus: sed nomen Patris per ordinem ad creaturas significat aliquid essentiale, & commune tribus personis; per ordinem verò ad Filium æternum est aliquid notionale: ergo per prius Deus dicitur Pater creaturarum, quàm Filii increati.

Respondeo, majorem esse veram de communibus absolutè sumptis, non verò de iis quæ dicunt respectum ad creaturas. Et ratio est, quia persona procedens in divinis emanat ut principium productionis creaturarum, quia opera ad extra sunt communia & indivisa toti Trinitati. Sicut ergo videmus, verbum conceptum in mente artificis, per prius intelligi procedere ab artifice, quàm artefactum, quod producitur ad similitudinem verbi concepti in mente; sic Filius æternus per prius procedit à Patre, quàm creatura. Unde *ad Coloss.* 1. dicitur: *Primogenitus omnis creaturæ.*

Observa tamen cum S. Thom. *in* 1. *dist.* 29. *q.* 1. *art.* 2. quod licèt prima persona dicatur absolutè priùs Pater respectu personæ procedentis, quàm respectu creaturarum, si consideretur habitudo Dei ad creaturas, quæ tantùm convenit Deo ex tempore; si tamen consideretur id in quo fundatur talis habitudo, scilicet virtus & essentia divina, quæ est veluti habitualis ratio Patris & principii creaturarum, hoc modo potest dici Deum esse priùs Patrem creaturarum, quàm personæ divinæ. Sed hoc non est nisi secundùm quid. Simpliciter verò nomen Patris notionaliter prius est, & dignitate; perfectior enim est paternitas propria, quàm metaphorica; & naturæ ordine; necessaria enim priora sunt liberis: & duratione; æterna enim temporalia præcedunt.

Quæres, cur primæ personæ Sanctissimæ Trinitatis potius tribuatur nomen patris, quàm matris respectu Filii æterni, cùm pariat ex sua substantia Filium, eumque in suo sinu retineat; quod videtur ad matrem pertinere.

Respondeo præclarâ doctrinâ S. Thomæ *lib.* 1. *contra Gent. cap.* 11. Considerandum igitur est, quod generatio carnalis animalium perficitur per virtutem activam & passivam; & ab activa quidem virtute dicitur pater; à passiva verò dicitur mater: unde eorum quæ ad generationem prolis requiruntur quædam conveniunt patri, & quædam conveniunt matri; dare enim naturam proli convenit patri, concipere autem & parturire convenit matri tanquam patienti & recipienti. Cùm autem processio Verbi fiat per hoc quod Deus seipsum intelligit, non est ibi virtus passiva, sed activa, quia intellectus divinus non est in potentia, sed in actu tantùm: unde in generatione Verbi non competit ratio matris, sed patris. Sensus S. Doctoris est, quod prima persona Sanctissimæ Trinitatis non dicitur mater, sed pater, quia mater significat principium passivum, & potentiale recipiens aliunde fœcunditatem: divinus autem intellectus licet pariat & concipiat, id tamen præstat per modum actus puri, nihil aliunde recipiendo.

RESPIRATIO.

Si ergo pater ego sum, ubi est honor meus? dicit Dominus exercituum, Malach. 1. Et iterum Deuteron. 32. *Generatio prava atque perversa, haccine reddis Domino popule stulte & insipiens? Nunquid non ipse est pater tuus, qui fecit te?* Paternum nomen naturæ instinctu gentes ubique omnes & sanctè dilexerunt, & religiosè veneratæ sunt: quantò magis id Christianis injungitur, quibus *Deus misit Spiritum Filii sui in corda, clamantem Abba Pater?* Audite Patrem, ô Christiani; & vos filios esse jam credite: ad eum securi accedite, quos vocat charitas, trahit amor, paterna invitat affectio: & totum quod est in nobis, totæ respondeat gratiæ; quia qui ex judice mutatur in patrem, honorari quidem vult, sed magis amari. *Dissimulat judicem* (ait Chrysolog. serm. 2.) *qui magis vult implere genitorem: & sententiam citò vertit in veniam, qui redire cupit filium, non perire.* Sed si ille pater noster dici velit, & ita velit, ut nolit alium nos vocare patrem super terram, quid justius, quàm ut ergo tam pium patrem filialis rependamus amoris obsequia? aliàs filios non agnoscet, in quibus vitæ & sanctitatis suæ imaginem non cognoscet. *Quare* (subinfert idem Sanctus serm. 72.) *respondeat necesse est vita nostra generi, moribus patri: quid enim nobis commune cum terris, qui confitemur dicendo, Pater noster qui es in cœlis, nobis genus esse de cœlis? Cœlestem vitam monstremus in habitatione terrena, quia si quid in nobis terrena gesserit cogitatio, cœlesti generi injuriam inferimus.*

SPECULATIO II.

Prima persona Sanctissimæ Trinitatis convenit etiam ratio principii.

Habetur hæc veritas expressè in Scripturis. Ioan. 1. *In principio erat Verbum.* Psal. 109. *Tecum principium in die virtutis tuæ.* Et ratio est plana, quia principium est id à quo est processio: sed Filius & Spiritus sanctus à Patre procedunt: ergo Patri convenit ratio principii. Notat tamen D. Thomas *quæst.* 33. *artic.* 1. *ad* 2. quod propterea Filius non debet dici principiatus,

tus, quia hoc quandam subjectionem, vel minoritatem significat: sicut, teste Hilario, licèt Pater sit major Filio donantis authoritate, non tamen Filius dicitur minor, cui unum Patris esse donatur. Rectè tamen sentientes, nec de hæresi Arriana suspecti, possunt sine periculo uti vocabulo principiati, sicut & producti, ut ait idem S. Thomas *q. 1. de potentia, artic. 1.* licèt melius sit ab eo abstinere, propter periculum Arrianorum, qui ex eo quod Pater sit principium, inferebant, Filium non esse æternum, confundentes principium productionis cum principio durationis.

Hac etiam de causa abstinent Doctores Latini à nomine causæ, quo frequentiùs utuntur Græci relati in Decreto Eugenii in Concilio Florentino, nec ibi quantum ad hoc reprehensi: cujus ratio est multiplex assignata à S. Thoma citato. Primò, quia principium est magis latè patens quàm causa; punctum enim est principium lineæ, cujus non est causa: quantò autem aliquod nomen est communius, tantò convenientiùs usurpatur in divinis, quia nomina quantò magis specialia sunt, tantò magis determinant modum convenientem creaturæ. Convenienter ergo Deo Patri attribuitur nomen principii. Secundò quia nomen causæ importare videtur diversitatem substantiæ, unde & definitur, *Principium per se influens esse in aliud.* Tertiò quia causalitas dependentiam redolet in causato, unde & causa à nonnullis definitur, *id a quo per se aliud pendet.* Quartò, quia effectus exceditur ordinariè à causa in perfectione & virtute.

Cùm autem dicimus, Patri competere rationem principii, id intelligendum est de principio ad intra, quod per se primò, & veluti fontaliter convenit Patri respectu Filii, licèt etiam conveniat Filio respectu Spiritus sancti. Cæterùm si ratio principii sumatur essentialiter, & per ordinem ad creaturas, sic quidem appropriatur Patri, ut infrà dicemus, sed illi proprium non est; ex eo enim opera Trinitatis sunt Trinitati indivisa, quod ab eadem virtute procedunt. Ita enim expressè asserunt Patres. August. in Enchir. cap. 38. *Separabilia non sunt opera Trinitatis, & quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur.* Et lib. 1. de Trinit. cap. 4. *Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sicut inseparabiles sunt, ita inseparabiliter operantur.* Et epist. 99. ad Evodium: *Sed quid fecit Filius sine Spiritu sancto, vel sine Patre, cùm inseparabilia sint omnia opera Trinitatis.* Et colligitur etiam ex Scriptura, Ioan. 5. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor. Quæcumque Pater fecerit, & Filius similiter facit.* Psal. 32. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Possumus id totum illustrare discurrendo per actiones Dei ad extra in opere creationis. Pater *dixit, & facta sunt*; id est per Verbum omnia produxit, nec deerat Spiritus Domini, *qui ferebatur super aquas*, ut patet *Genes.* 1. & ut dicitur Iob 26. *Spiritus ejus ornavit cælos.* In opere Redemptionis tota etiam Trinitas operata est; nam *misit Deus Pater Filium suum, qui conceptus est de Spiritu sancto.* In miraculorum patratione agit Pater. Ioan. 14. *Pater in me manens ipse facit opera.* Agit Filius. Ioan 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Agit Spiritus sanctus. Matth. 12. *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones.* Passionem operatus est Pater. Rom. 8. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Operatus est Filius. Ephes. 5. *Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis.* Operatus est Spiritus sanctus. Hebræor. 9. *Sanguis Christi qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo.* Resurrectionem perfecit Pater. Actor. 3. *Auctorem vitæ interfecistis, quem Deus suscitavit à mortuis.* Perfecit Filius. Ioan. 10. *Ego pono animam, & iterum sumo eam.* Perfecit Spiritus sanctus. Rom. 8. *Quod sit Spiritus ejus, qui suscitavit Iesum à mortuis.* A peccatis liberat nos Pater. 2. Timoth. 1. *Deus liberavit nos, & vocavit vocatione sua sancta.* Liberat Filius. Ioan. 8. *Si vos Filius liberaverit, verè liberi eritis.* Liberat Spiritus sanctus. 2. Cor. 3. *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* Peccata dimittit Pater. Matth. 6. *Pater noster dimitte nobis debita nostra.* Dimittit Filius. Matth. 9. *Vt sciatis quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata.* Dimittit Spiritus sanctus. Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Illuminat Pater. Iacob. 1. *Omne donum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Illuminat Filius. Ioan. 1. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Illuminat Spiritus sanctus. Ioan. 14. *Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia.* Habitant in nobis Pater, & Filius. Ioan. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Habitat etiam Spiritus sanctus. 1. Cor. 3. *Spiritus Dei habitat in vobis.* Vivificant nos Pater, & Filius. Ioan. 5. *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat, sic & Filius quos vult, vivificat.* Vivificat & Spiritus sanctus. 2. Cor. 3. *Littera occidit, Spiritus autem vivificat.* In Sanctis alloquitur Pater. Ioan. 6. *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* Loquitur Filius. 2. Cor. 13. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Loquitur Spiritus sanctus. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.*

Dices. Si Pater esset principium, non solùm creaturarum, sed etiam personarum procedentium, esset in Patre primatus, & superioritas supra alias personas: hoc enim necessariò videtur importare ratio principii, & primæ personæ. Consequens destruit summam æqualitatem personarum: ergo & antecedens.

Respondeo, in Patre rationem principii non importare prioritatem dignitatis, vel temporis, sed tantùm originis, quæ salvat perfectam æqualitatem, quando eandem naturam principii termino producto communicat. Vnde eleganter Euseb. Emissenus homil. 2. de Symbolo: *Quod Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum singulatim unum post unum dicimus, hoc ideò, quia simul exprimere tria nomina humani sermonis paupertate non possumus, non quia tribus gradibus ordinemus. Vbi totum unum est, nihil ibi potest esse vel secundum, vel tertium. Totum ergo in plenitudine divinitatis primum est, quod videtur sermonis necessitate postremum. In his tribus personis numerus esse potest, ordo* (scilicet dignitatis, & inæqualitatis) *esse non potest; nam etsi distinctionem recipit Trinitas, gradum tamen nescit æqualitas.* De Trajano adulatoriè dixit Plinius, *Omnibus major es, sed sine ullius diminutione major.* Qua in re eum super astra extollebat; nam sol dum nitet, syderum obscurat, extinguitque lumina. Sed hoc elogium solius Patris æterni proprium est, qui est inter divinas personas prima, sed sine aliarum diminutione prima, quia totum quem habet divinitatis fulgorem, eis affundit.

Reflexio.

Eruditè dixit Angelicus Doctor lib. 4. contra Gent. cap. 1. *Quia omnes rerum perfectiones quodam ordine à summo rerum vertice Deo descendunt, homo ab inferioribus incipiens, & gradatim ascendens, in Dei cognitionem proficit. Nam & in corporalibus motibus eadem est via qua descenditur & ascenditur, ratione principii & finis distincta.* Sicut igitur Deus est principium à quo omnia descendunt, per creaturas ad primum principium

iterum

...ruin ascendere necesse est. In hoc vera hominis religio consistit, ut arcto pietatis vinculo suo se principio obstringat, à quo creatione prosluxit. *Religio enim* (inquit idem S. Doctor opusc. 19.) *iteratam ligationem importans, ostendit ad illum aliquem ligari, cui primò conjunctus fuerat, & ab eo distare incepit: & quia omnis creatura prius in Deo extitit, quàm in seipsa; & à Deo processit, quodammodo ab eo distare incipiens per creationem; ideò rationalis creatura ad ipsum Deum debet religari, cui primò conjuncta fuerat antequam esset, ut sic ad locum unde exeunt flumina revertantur.* Filius quia à Patre processit, ideò principio suo semper adhæret tuam *Verbum erat apud Deum.* A Deo creatione egredimur, ad ipsum cognitione, amore, gratiarum actione revertimur. *Felix* (inquit Bernard. serm. 3. de septem pan.) *qui gratiam ad singula dona gratiæ reddit ad eum in quo est plenitudo omnium gratiarum, cui dum nos pro acceptis beneficiis non ingratos exhibemus, locum in nobis facimus gratiæ, ut majora adhuc accipere mereamur.*

Speculatio III.

Prima persona sanctissimæ Trinitatis convenit propriè nomen & ratio ingeniti, seu innascibilis.

Nomen ingeniti, prout significat non solùm negationem generationis, sed etiam omnis processionis ab alia persona, summoperè fuit à Patribus & Conciliis celebratum, & sub anathemate soli primæ personæ reservatum: unde in Concilio Toletano VI. *Credimus Patrem ingenitum, increatum, fontem, & originem totius divinitatis.* Dicitur autem Pater fons divinitatis, ut declarat Concilium Lateranense cap. *Damnamus*, non quòd essentia sit generans, vel genita; sed quia Patri & Filio tota divinitas communicatur. Quod si aliqui Patres, ut Basil. *lib. 1. contra Eunom.* hoc ingeniti nomen refugere videntur; ideo est, quia Arriani eo nomine abutebantur; ex eo enim quod Pater esset ingenitus, & non factus, inferebant, Filium esse factum, & creaturam. Ad tollendas ergo Arrianorum insidias, & ut ait Basilius citatus, *primum blasphemiæ eorum elementum* removendum, quandoque omnem illud silentio premi volebant. Cæterùm passim Patres & Concilia nomen illud frequentant; & superfluum foret eorum testimonia recensere.

Ratio verò est, quia in personis divinis debet admitti aliqua persona, quæ non sit ab alia, ne detur processus in infinitum; sed debet esse à se, non quidem eo sensu, quod illa persona sit à se producta; nihil enim potest producere seipsum (unde minùs circumspectè apud aliquos invenitur, Deum ex se esse procreatum, & factum, & ut dicebat Trismegistus, αὐτοπάτωρ καὶ αὐτομήτωρ, id est, sui patrem, & sui matrem:) sed eo sensu, quo significetur personam illam non esse ab alia, sicut Deus etiam dicitur ens à se, hoc est per essentiam, & in se habens, & non aliunde accipiens omnimodam existendi necessitatem. Talis autem est Pater: ergo Patri convenit propriè ratio ingeniti, & primæ personæ, seu personæ à se.

Scio Estium *in 1. distinct. 5. §. 5.* non probare in Deo, vel in Patre præpositiones istas, *à, ab, ex,* quia videntur significare Deum sibi esse causam essendi, cùm tamen Dei nulla sit causa, nihilque sit, quod seipsum efficere possit. Sed tamen cùm apud Patres satis tritus sit ille loquendi modus, Dionysius enim *lib. de divin. Nom.* ait, *Deum à seipso esse*: & similiter Epiph. *lib. 2. contra hæres.* Richardus Victor. passim *in libris de Trinit.* Ansel. *lib. de process. Spiritus sancti, cap. 4. ibi: Nulla persona à seipsa potest existere, nisi sola Patris*: nec particula illa significet causalitatem, sed negationem causalitatis; *à se* enim opponitur modo essendi *ab alio*: ideò jam passim & inoffensè Deus dicitur ens à se, nec oportet trepidare ubi non est timor.

Objicies primò: Illud nomen non est proprium Patris, quod convenit aliis à Patre: Sed nomen ingeniti convenit aliis à Patre, nempe Spiritui sancto, cujus processio non est generatio; convenit etiam essentiæ divinæ, quæ nec gignit; nec gignitur: Ergo nomen ingeniti non est proprium Patris.

Respondeo, quod si nomen ingeniti acciperetur solùm pro negatione generationis, procul dubio affirmari posset de Spiritu sancto; sed quia ingenitum usurpatione Patrum & Conciliorum accipitur pro eo qood nullam prorsus originem habet, idcircò juxta Patrum definitiones à Theologis religiosissimè venerandas, negandum est, Spiritum sanctum esse ingenitum. Non caret tamen ratione illa acceptio nominis ingeniti pro carentia omnis processionis; quia scilicet in rebus creatis nulla est processio viventis perfecti, quæ non sit nativitas: unde fit, ut negata nativitate à Patre, removeatur etiam omnis processio; divina enim explicamus vocabulis ab humanis rebus tanquam à notioribus acceptis. Ad id quod dicitur de essentia divina, respondeo quod sicut essentia non dicitur genita, licèt communicetur Filio genito, ita propriè loquendo non dicitur ingenita; sicut enim gigni suppositorum est, ita non gigni non asseritur nisi de aliqua persona; præsertim quia si ratio ingeniti tribueretur essentiæ secundùm se, & non ratione personæ, jam ratio ingeniti esset communis tribus personis, quod est manifestè falsum.

Objicies secundò: Non potest explicari, quid per se & directè significet nomen ingeniti: ergo nomen illud non convenit Patri. Probatur antecedens: & primò non potest dici cum nonnullis, nomen illud importare solam & nudam negationem; quamvis enim id solùm videatur exigere nominis etymologia, tamen aliquid amplius sub hoc nomine latère debet; nuda enim negatio est purum nihil: purum autem nihil nec perfectionem, nec dignitatem aliquam indicat: quod tamen esse de ratione notionum (quarum una est innascibilitas) dicemus infrà ex D. Thoma.

Secundò non potest dici cum aliis, rationem ingeniti significare in Patre aliquid positivum, nimirum rationem principii fontalis personarum deitatis. Nam hoc refellit S. Thomas *art. 4. ad 1.* quia illa fontalis plenitudo nihil est aliud reverà, quàm paternitas, vel spiratio activa, per quas prima persona respicit personas procedentes; nam qood est absolutum in Patre, pertinet ad essentiam communem, non ad notionem sibi propriam. In Patre autem præter paternitatem, & spirationem activam totum est absolutum.

Tertiò non potest dici, fontalem plenitudinem nomine ingeniti significatam importare aliquam relationem transcendentalem distinctam à paternitate & filiatione, qua Pater indivisibiliter respiciat Filium, & Spiritum sanctum tanquam caput divinarum emanationum, ut quidam excogitavit. Nam sicut non datur in Patre aliquis influxus indivisè tendens in Filium, & Spiritum sanctum; ita non datur relatio aliqua communis tendens in utramque personam procedentem; omnis enim relatio divina in origine & processione fundatur.

Quartò dici nequit, innascibilitatem significare quidem explicitè negationem; sed tamen pro fundamento importare paternitatem, non prout est relatio, sed prout est forma hypostatica primò terminans naturam

divinam, ut alii docent; nam in hoc est difficultas. Tum quia juxta hanc expositionem innascibilitas non distingueretur à paternitate inadæquatè sumpta, subindéque confunderetur cum paternitate ut subsistente, nec esset distincta notio ab illa. Tum quia conceptus ille inadæquatus paternitatis explicat solùm rationem personæ generantis: in ratione autem personæ generantis non importatur innascibilitas, aliàs omnis pater esset innascibilis.

Respondeo, nomen ingeniti non significare puram negationem, sed fundatam in aliquo positivo, quod directè importat, qui est modus existendi, & subsistendi in se, per se, & à se per exclusionem processionis ab alio: nullum siquidem est tam connaturale significatum illius vocabuli, *Non esse ab alio*, & esse, quàm *esse à se*; qui modus existendi à se, ut diximus, non significat, Deum esse sibi causam essendi, sed importat omnimodam & primordialem existendi necessitatem, quam licèt habeat divina natura in tribus suppositis, tamen veluti priùs personaliter exercetur in Patre, qui propterea vocatur fons deitatis; quia habere vim producendi personas, & habere à se per negationem anterioris, est habere rationem fo is

Confirmatur: Eodem proportionali modo debemus constituere primum principium personale inter personas, quo constituimus primum ens, & distinguimus illud ab aliis entibus; utrobique enim invenitur primatus originis: Sed Deus in ratione primi entis constituitur, & explicatur per hoc quod à nullo alio ente existat, quæ negatio connotat hoc quod est existere à se. Ergo similiter in ordine notionali constitui & explicari debet ratio primæ personæ per hoc, quod non sit ab alio principio notionali, sed sit à se principium aliarum personarum procedentium; & hanc, ut sic dicam, aseitatem importat, & circumloquitur nomen ingeniti, & innascibilis, aliàs nullam dignitatem significaret.

Nec mirum esse debet, quod illum primæ personæ veluti primatum, & modum essendi à se significemus termino negativo: tum quia hoc modo loquendi faciliùs cognoscimus, aliquem esse primum, dum alium non supponit: tum quia non est novum, perfectiones positivas terminis negativis exponere, ut cùm dicimus Deum infinitum, ineffabilem: tum quia, ut ait D. Thomas *art.4. ad* 1. prima & simplicia per negationes notificantur, sicut dicimus punctum esse id cujus nulla est pars. Vnde quando ibidem & alibi sæpe repetit D. Thomas, nomen ingeniti significare negationem, non excludit omne positivum quod sit ejus fundamentum, ut patet exemplo puncti allato; sed loquitur de expresso significato hujus nominis. Ex quibus facilè omnia solves, & explicabis.

RAPTATIO.

Sicut nomen ingeniti Patres summo semper honore prosequuti sunt, sic omni obsequiorum genere à nobis honorandus est divinus Pater. Quibus autem officiis colendus sit, nemo nos docebit veriùs, quàm ipse Filius, qui *Ioan.8.* aiebat: *Honorifico Patrem meum*. Honorificavit autem Filius Patrem confessione laudis, Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cæli & terra*. Amore & dilectione. Ioan. 13. *Vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem*. Obedientia, & voluntatis conformitate, ibidem: *Et sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Gratiarum actione. Ioan. 11. *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me*. Paternæ gloriæ zelo. Luc. 2. *In his quæ Patris mei sunt, oportet me esse*. His aliisque modis nobis laudandus & colendus est Pater. *Deus pacis* (inquit Apostol. Rom. 15.) *& solatii det vobis idipsum sapere in alterutrum, secundum Iesum Christum, ut unanimes uno ore honorificemus Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi*. Magnorum fluminum capita venerabantur antiqui, teste Seneca *epist.41*. Caput primam & nobiliorem humani corporis partem summa religione proceres nostros prosequutos fuisse, refert Alexander ab Alexandro *lib.2. cap.19*. unde & per caput jurare eis solemne erat. Quantò magis honorandus est nobis Deus Pater, qui non solùm creaturarum, sed etiam personarum divinarum fontale & innascibile principium est. Ipsum continuis laudum benedictionibus attollamus, ut ab ipso paternæ benedictionis fructum reportemus. Nam, ut præclarè dixit Augustinus in Psal.66. *Cum benedicit nos Deus, nos crescimus: & cum benedicimus Deum, crescimus: utrumque nobis prodest. Non augetur ille benedictione nostra, nec minuitur maledictione nostra. Qui maledicit Domino, ipse minuitur; qui benedicit Dominum, ipse augetur*.

CAPVT II.

De persona Filii.

IMportabilem æterni Filii in splendoribus Sanctorum geniti lucem Theologia nostra non sustinet, & certè in ipso conatu ultra vires ausa succumbit. Æterni namque Filii cognitio, teste Hilario lib. 2. de Trinit. sacramentum est, *ad quod eloquendum sermo silcat, & investigandum sensus hebetetur, & complectendum intelligentia creata coarctetur. Dei Filium creata mens consternatur attingere, & trepidet omnis sermo se prodere*. Verùm ex eo tempore, quo Filius Dei filius hominis factus est, & postquam Deus Iesus vocatus est, eo nomen ejus crebriùs profertur, quo suaviùs auditur; oleum enim effusum est nomen ejus, hoc est, ut exponit Bernard. serm. 15. in Cant. *Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur; insipidus, si non hoc sale conditur; si scribis, non sapit mihi nisi legero ibi Iesum; si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in auro melos, in corde jubilus*. Ergo de æterno Verbo verba facere licet. Sit igitur

SPECVLATIO I.

Secunda persona Sanctissimæ Trinitatis tribus potissimùm nominibus insignitur, scilicet Filii, Verbi, & Imaginis.

EXplicantur & probantur singula: & primò illi convenire nomen Filii, planè relinquitur ex dictis de generatione æterna; si enim processio Verbi sit generatio, evidens est, terminum illius esse Filium, ut Pater ipse testatus est, dicens Matth. 3. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*. Hic Patre revelante Petrus confessus est, Matth. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Et miraculorum gloria suadente Centurio protestatus est, dicens: *Verè Filius Dei erat iste*. Et veritate cogente dæmones professi sunt, Matth.8. & alibi *Scimus quia Filius Dei es. Quid nobis & tibi Fili Dei*.

Secunda pars de nomine Verbi probatur: Verbum propriè significat terminum emanationis intellectualis procedentem à notitia intelligentis: sed quod significat aliquid procedens, est personale, cùm personæ non distinguantur nisi secundùm originem & processionem: ergo Verbum significat aliquid personale proprium secundæ personæ SS. Trinitatis. Vnde August. lib.6. de Trinit. *Verbum solus Filius accipitur*.

Et

Et lib. 9. cap. 12. *Dei verbum Filium eſſe nullus Chriſtianus dubitat.* Et quanvis interdum nomen verbi ſumatur eſſentialiter, ut cùm dicimus Beatos videre creaturas in Verbo; tamen tunc minùs ſtrictè accipitur, quatenus eſſentia divina gerit munus ſpeciei expreſſæ actu repræſentantis; verbum autem ſtrictè ſumptum eſt terminus cognitionis ab ea dictus, & prolatus. Porrò nomen verbi convenire Filio, univerſa Scriptura & traditio docent.

Tertia pars de nomine imaginis, eſt etiam certa: nam *imago*, quæ definitur, *Vnius ab alio deducta ſimilitudo*, duo requirit, nimirum ſimilitudinem & proceſſionem; non enim ſola ſimilitudo ſufficit ad rationem imaginis: duo enim ova ſimilia ſunt, unum tamen alterius imago non eſt; quia neutrum de altero expreſſum eſt. Sed utraque hæc conditio perfectiſſimè convenit Filio; habet enim eandem ſui principii naturam, eamque recipit per modum ſimilitudinis ex vi & modo proceſſionis intellectualis, ut aliàs diximus. Ergo Filius eſt perfectiſſima imago Patris, & ut ait Ambr. lib. 1. de fide, c. 4. *Non falſa, quia veritas eſt; non muta, quia verbum eſt; non mortua, quia vita eſt; non inanis, quia virtus eſt.* Vnde in Scripturis non ſolùm vocatur character, ſigillum, figura, imago Dei inviſibilis; ſed etiam *ſpeculum ſine macula*, quia ſpeculi eſt omnes intuentis ſe motus & geſtus exprimere. Ita Filius æternus, qui eſt vivum Patris ſpeculum, omnes ejus perfectiones & operationes in ſe colligit, & exhibet.

Dices: Hoc totum convenit Spiritui ſancto, qui cùm ſit perfectus Deus, totam Deitatis plenitudinem ſua proceſſione exprimit. Ergo erit imago ſui principii multò magis quàm homo dicatur imago Dei, ad cujus ſimilitudinem creatus dicitur.

Reſpondeo, ſatis, ſuperque aliàs nos explicuiſſe, Spiritum ſanctum, tametſi habeat eandem naturam Patris & Filii, non eſſe tamen imaginem ex vi & modo proceſſionis ſuæ, quia nimirum non producitur per actionem per ſe tendentem ad imprimendam ſimilitudinem principii, ſed communicantem tantùm impulſum, qui ſolùm identicè & concomitanter Deus eſt. Homo autem dicitur imago Dei imperfecta & deficiens; unde non tam dicitur imago, quam *ad imaginem & ſimilitudinem Dei*, per quod motus quidam tendentis in perfectionem deſignatur, ut rectè obſervavit S. Thomas *quæſt. 35. art. 2. ad 3.* quare quanvis aliquo modo poſſit dici, & ſæpe dicatur à Patribus Græcis Spiritus ſanctus imago Filii, tamen Patres Latini hoc nomen ſoli Verbo aſſerunt, quia illi ſoli convenit per ſe, & ex vi proceſſionis ſimilitudo: concomitanter verò Spiritui ſancto. Meliùs autem de eo negatur ratio imaginis, quàm ſi non perfectiſſimo modo, & cum toto rigore attribuatur.

Dixi hæc *potiſſimùm* nomina ſecundæ perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis convenire, quia alia plura ei attribuuntur; nam in Sacris Litteris appellatur *Sapientia.* 1. Cor. 1. *Prædicamus Chriſtum Dei virtutem, & Dei ſapientiam:* & alibi ſæpe, & meritò, quia cùm ſit verbum mente divina conceptum per ſapientiſſimam cognitionem Patris, convenienter ſapientia genita nominatur, imò & omnes Theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei in eo abſconditi dicuntur. Vocatur etiam interdum *Principium*, Ioan 8. 25. *Ego principium qui & loquor vobis.* Et juxta plures Patres illud Geneſ. 1. *In principio creavit Deus cœlum & terram*, idem eſt ac in Filio: quia nimirum in ipſo condita ſunt univerſa, omnia per ipſum facta ſunt, ipſe portat omnia verbo virtutis ſuæ, ut non ſemel Scriptura teſtatur. Vnde neſcientes quid dicerent, verè dixerunt Iudæi, Matth. 6. *Nonne iſte eſt fabri filius?* Quia nimirum Verbum Divinum proceſſit ut idea & exemplar rerum omnium faciendarum: nam, ut egregiè ait Chryſol. ſerm. 48. *Iſte eſt fabri filius. Et quis talis faber? Ille certè qui mundi fabricam fecit, non malleo, ſed præcepto; qui elementorum membra non inſtrumentis ferreis, ſed juſſione compegit; qui maſſam ſæculi authoritate, non carbone conſtituit; qui ſolem non terreno igne, ſed ſuperno calore ſuccendit; qui lunam, tenebras, noctem formavit, & tempora; qui ſtellas variata luce diſtinxit; qui cuncta fecit ex nihilo, & fecit, ô homo tibi, ut opificem ex operis æſtimatione penſares.*

Plura alia Deitatis nomina ei paſſim attribuit Scriptura, tum ratione Deitatis, tum ratione humanitatis ab ipſo aſſumptæ, ut Iſai. 7. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*, id eſt, nobiſcum Deus. Et cap. 8. *Voca nomen ejus: Accelera; ſpolia detrahe, feſtina prædari.* Quia nimirum, ut dicitur Luc. 11. *Fortem illum armatum dæmonem atrium ſuum cuſtodientem, ipſe fortior ſuperveniens vicit, & univerſa arma illius abſtulit, & ſpolia diſtribuit.* Et cap. 9. ejuſdem Iſaiæ: *Vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis.* Zach. 6. vocatur *Oriens*: millies vocatur *lumen, & lux.* Multa etiam nomina tribuuntur ei ratione officiorum quæ vel obivit in terris, vel etiamnum gerit in cœlo: ſic ſæpe vocatur Mediator Dei & hominum, Paſtor, Doctor, Magiſter, Iudex. Sæpe etiam ei attribuuntur nomina figurativa, ut dum dicitur via, vitis, agnus, leo, petra, lapis angularis, fundamentum, oſtium, fons patens, & alia ſexcenta, quæ evolventibus ſacras Paginas obvia paſſim occurrunt. Sed omnium celeberrima nomina ſunt *Ieſus* & *Chriſtus*, de quibus aliàs dicemus. Voluit autem Chriſtus Dominus iis omnibus nominibus inſigniri, quia, ut præclarè dixit Ambroſ. lib. 3. de virgin. *Omnia habemus in Chriſto, omnia Chriſtus eſt nobis: ſi vulnus curare deſideras, medicus eſt; ſi febribus æſtuas, fons eſt; ſi gravaris iniquitate, juſtitia eſt; ſi auxilio indiges, virtus eſt; ſi mortem times, vita eſt; ſi cœlum deſideras, via eſt; ſi tenebras fugis, lux eſt; ſi cibum quæris, alimentum eſt. Guſtate igitur & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus: beatus vir qui ſperat in eo.*

Reflexio.

Ille idem, qui in æternitate Filius Dei eſt, non confunditur nos vocare fratres; imò, teſte Apoſtolo *ad Gal. 4.* ideò *Miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Ab æternitate Pater genuit Filium de ſubſtantia ſua; nos verò quibus poteſtatem dedit filios Dei fieri, voluntariè gignit verbo veritatis, renatos non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi; & Chriſto participante mortalitatem noſtram per dilectionem, nos efficit participes divinitatis ſuæ per adoptionem. O ineffabilem æterni Verbi dignationem, & planè incredibilem! Niſi Spiritus veritatis teſtimonium redderet ſpiritui noſtro, *quod ſumus filii Dei*, ut dicitur *Rom. 8.* penitus ſuccumberet mortalis conditio noſtra: nam putredini ac pulveri ſubjecta natura capere non valet, æſtimare non ſufficit, ſperare non audet, audire erubeſcit, & fermè pertimeſcit credere quod cogitur confiteri, ſcilicet illud *1. Ioan. 3.* oraculum: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Verè Pater eructavit Verbum bonum, bonorum ſuorum diffuſivum in filios adoptionis. Nam cùm eſſet & ſolus Dei hæres, & filius unicus per naturam, nos filios voluit eſſe per gratiam, quos vitium ultimæ ſubegerat ſervituti. Si autem filios, profectò & hæredes Dei, cohæredes autem ſuos eſſe permiſit. Cæterùm ſecunda perſona non eſſet Filius, niſi foret Patris imago. Injuſtè ergo nomen filii Dei uſurpas, & furaris honorem, niſi vita divinæ generationis exprimat characteres. In homini-

bus ex Deo natis tanti parentis imago refulgeat: intelligant sibi genus esse de cœlo, & nolint tam sancti Genitoris injuriâ in veterem vilitatem degeneri conversatione redire: & ut præclarè scripsit Leo Magnus serm. 6 de Nativit. *Omnia dona excedit hoc donum, ut Deus hominem vocet filium, & homo Deum nominet patrem. Si in progenie carnali & stirpe terrenâ claris parentibus genitos vitia malæ conversationis obscurant, & ipso majorum suorum lumine soboles indigna confunditur, in quem exitum venient, qui propter amorem mundi a generatione Christi non metuunt abdicari.*

Speculatio II.

Verbum Divinum per se procedit ex cognitione divinæ essentiæ, attributorum, personarum divinarum, & creaturarum possibilium, non tamen futurarum.

HÆc assertio multimembris unico aspectu proponitur, quia omnes ejus partes uno firmissimo fundamento innituntur, quod est tale. Verbum Divinum per se procedit ex Patris cognitione, quæ sit necessaria, perfectissima, infinita, & comprehensiva: Verbum enim est imago substantialis Patris, habens omnes thesauros sapientiæ, & scientiæ Dei, subindéque est terminus intellectionis paternæ habentis omnes prædictas dotes: aliàs, ut ait August. lib. 15. de Trinit. cap. 14. *Deus non perfectè & integrè seipsum dixisset, si aliquid minus esset in Verbo, quam in scientia.* Atqui cognitio necessaria, perfectissima, infinita, & comprehensiva, per se attingit essentiam, attributa, personas, & creaturas possibiles. Ergo ex cognitione illorum omnium per se procedit Divinum Verbum. Major est constans. Minor probatur. Cognitio necessaria per se attingit quidquid in objecto suo necessariò relucet; in essentia autem divina, quæ est objectum intellectus divini, necessariò, & non liberè relucent attributa, personæ, & creaturæ possibiles, evidens enim est illa non pendere in sui cognoscibilitate à libero Dei decreto. Similiter cognitio perfectissima & infinita, talis & tanta est, qualis & quanta est divina cognoscibilitas: in essentia autem divina cognoscibilia sunt & attributa, & relationes, & creaturæ possibiles. Denique cognitio comprehensiva non est, nisi in essentia intelligat, seu intus legat & penetret attributa & relationes, quæ in ea essentialiter includuntur; nec penetrari, pervadique potest omnipotentia, & quantum cognoscibilis est, cognosci, nisi detegantur creaturæ possibiles in ejus virtute contentæ. Quod si cognitio producens Verbum, per se debet illa attingere: ergo Verbum per se, & non solùm concomitanter illa repræsentat, quia per se procedit ut Verbum adæquatum, plenum, infinitum, totamque exhauriens dicentis fœcunditatem.

Confirmatur. Verbum per se processit ex cognitione illorum quæ per se repræsentat, est enim verbum expressio objectorum, quæ intellectio attingit; subindeque illa per se, & necessariò cognoscit intellectus in productione verbi, quæ verbum per se repræsentat. Atqui Verbum Divinum per se, atque ex vi suæ characteristicæ proprietatis repræsentat essentiam, attributa, relationes, & creaturas possibiles. Ergo ex illorum omnium cognitione per se procedit. Major negari non potest, si intelligantur termini. Minor probatur. Verbum Divinum ex vi suæ characteristicæ proprietatis procedit ut summè simile Patri, cùm sit imago Dei invisibilis, splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus. Sed non potest procedere ut summè simile Patri, nisi per se repræsentet essentiam, attributa, relationes, & creaturas possibiles. In primis imago illa debet per se repræsentare Patrem, imago enim per se repræsentat id cujus est imago; unde dicebat Veritas: *Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum.* Non potest autem per se repræsentari Pater nisi repræsentetur Filius; nam relata sunt simul naturâ & cognitione: unde planum est, Verbum Divinum per se repræsentare Patrem & Filium. Rursum ut Verbum procedat ut perfectè simile suo principio, debet repræsentare illud omne quod sibi Pater in generatione communicat, & in quo assimilatur suo genitori; aliàs non exprimetur nisi imago diminuta, & imperfectè similis suo principio: Pater autem communicat Filio essentiam, attributa, relationem spiratoris, & omnia quæ habet, præter esse Patrem; non potest verò repræsentari relatio spiratoris non repræsentato Spiritu sancto, quia relata sunt simul cognitione. Denique si repræsentat attributa, procul dubio per se exprimit omnipotentiam, artem, & ideas divinas, quarum terminus sunt creaturæ possibiles. Ergo Verbum Divinum ex vi & modo suæ processionis per se repræsentat essentiam, attributa, relationes, & creaturas possibiles.

Atque ex his simul probatum relinquitur, Verbum Divinum non procedere formaliter & per se ex cognitione creaturarum futurarum, quantumvis in æternitate præsentium; quia si Verbum procedat dumtaxat ex cognitione naturali & necessaria, sicut etiam ejus processio est etiam naturalis & necessaria, non libera; planè relinquitur, ad cognitionem Divini Verbi non requiri per se cognitionem futurorum, quæ naturalis non est, sed libera; est enim ipsamet scientia visionis, quæ liberum Dei decretum præsupponit: unde si non fuisset in Deo cognitio eorum futurorum, quæ futura sunt, invariatum Verbum Divinum maneret, sicut & scientia Patris.

Confirmatur ampliùs hæc ultima pars. Licèt Verbum Divinum omnia exprimat, quæ sunt in scientia Patris, cùm sit ejus terminus adæquatus; tamen quædam per se in illo relucent, quædam verò solùm concomitanter. Per se quidem illa quæ Pater necessariò communicat, sicut sunt essentia, virtus spirativa, & ideæ creaturarum possibilium: per accidens verò & concomitanter illa quæ potuerunt non esse, quales sunt creaturæ futuræ. Cujus ulterior ratio est, quia cùm cognitio, qua Pater Verbum producit, sit per se generativa illius, ea per se attingit Pater cognitione illa, quæ generando communicat Filio; ea autem generando communicat, quæ priùs origine in Patre concipiuntur. Atqui decretum de rerum futuritione, & cognitio earum non concipiuntur priùs origine esse in Patre, quàm generet Filium, sed potiùs subsequuntur productionem Verbi, & Spiritus sancti; opera enim ad extra, & decreta de illis sunt indivisa tribus personis. Unde decreta non sunt priùs origine in Patre, quàm in Filio, sed potiùs priores sunt origines decretis, & omnia necessaria liberis. Ergo cognitio futurorum comitatur quidem personas productas, sed ad earum cognitionem per se non præexigitur.

Denique totam hanc doctrinam clarè tradit S. Thomas quæst. 34. art. 1. ad 3. inquiens: *Pater intelligendo se, & Filium, & Spiritum sanctum, & omnia alia quæ ejus scientiâ continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo dicatur, & etiam omnis creatura.* Et art. 3. *Deus cognoscendo se, cognoscit omnem creaturam. Verbum igitur in mente conceptum est repræsentativum omnis ejus quod actu intelligitur: & quia Deus uno actu, & se, & omnia intelligit, unicum verbum ejus est expressivum non solùm Patris, sed etiam creaturarum: & sicut Dei scientia, Dei quidem est cognoscitiva tantùm, creaturarum*

autem

autem cognoscitiva & factiva ; ita Verbum Dei ejus quod in Deo Patre est, est expressivum tantum ; creaturarum verò est expressivum & operativum.

Vbi apertè S. Præceptor docet, ad productionem Divini Verbi exigi cognitionem attingentem & essentiam, & personas, & creaturas, quarum est factiva scientia Dei, idest creaturas possibiles: nec dixit exigi cognitionem creaturarum quas scientia Dei est faciens, vel factura, idest creaturarum in æternitate præsentium, & in tempore futurarum; quia cognitio earum non requiritur per se ad productionem Verbi, sed ex consequenti, & supposito jam decreto.

R e f l e x i o.

Verbum Divinum non esset adæquatum, nisi divina simul, & creata exprimeret: diminuta est etiam perfectio nostra, nisi à Deo procedat ad proximum, & à proximo rursum ascendat ad Deum. More pecudum vivit, qui in solis terrenis occupatur: & ut aiebat Seneca lib. qq. natur. *O quàm contempta res est homo, nisi supra humana se erexerit!* Et melius Augustinus serm. 16. de Ioan. Bapt. *Rationale animal te Deus fecit; præposuit te pecoribus; ad imaginem suam te formavit: uti ergo non debes oculis sicut pecus, ut tantùm videas quid addas ventri, & non menti. Erige ergo rationalem aspectum, & vide oculis ut homo; vide facta, & quære factorem; aspice quæ vides, & quære quæ non vides.* Sed quia homo sibi solus nec nascitur, nec vivit, à Deo ad proximum Dei debet amore descendere, & Angelos illos Iacobeæ scalæ ascendentes & descendentes alternis contemplationis & actionis motibus imitari. Hoc modo juxta Apostolicum Iacobi mandatum suscipiemus *insitum verbum, quod potest salvare animas nostras.* Verbum bonum & plenum eructabimus, cogitantes in Deo proximum, & de proximo propter Deum: & ut præcipit Hieremias Thren. 3. *Levabimus corda nostra cum manibus ad Deum:* hoc est, ut exponit Gregorius lib. 18. in Iob, cap. 13. *Orationem nostram operibus charitatis & veræ pietatis erga proximum roborabimus; quisquis enim orat & meditatur, sed operari dissimulat, cor levat, & manus non levat; quisquis verò operatur & orat, manus & cor levat.*

S p e c u l a t i o III.

Ex prajactis fundamentis oppositarum S. Thomæ sententiarum argumentis fit satis.

Multa multi contra præcedentis speculationis doctrinam objiciunt, quæ omnia brevitatis & profundioris eruditionis causa ad unum discursum reduco hoc modo. Verbum Divinum per se solum procedit ex cognitione primaria, intuitiva, beatificante, & perfectissima: primaria quidem, quia Verbum est terminus primarius cognitionis paternæ: intuitivæ verò, quia Pater producit Filium ex cognitione sui, quæ sanè cognitio non fertur nisi ad præsentia, subindéque est intuitiva: beatificante autem; beatitudo enim Patris formaliter consistit in cognitione, quâ utique cognitione producit Verbum: denique perfectissima, cùm producat Filium coæqualem & infinitè perfectum. Sed cognitio quæ habet omnes illas dotes per se solùm terminatur ad essentiam, non ad personas, vel creaturas possibiles, tametsi illas concomitanter attingat: ergò Verbum per se non procedit ex cognitione personarum, nec creaturarum possibilium. Tota difficultas est in minore, quæ sic dearticulatè per partes probatur.

In primis primaria cognitio Dei Patris fertur per se solùm ad objectum primarium, quod est essentia divina, non verò personæ, multò minùs creaturæ possibiles, quæ ideò attinguntur ab attributo scientiæ distinctùs ab intelligere divino: ergo cognitio primaria Patris non fertur ad personas, nec ad creaturas.

Cognitio etiam intuitiva fertur ad objectum in illo signo præsens, in quo est cognitio: in illo autem signo in quo Pater producit Filium, nondum Filius est genitus, vel præsens, & multò minùs Spiritus sanctus in posteriori signo minore producendus: ergo cognitio intuitiva Patris fertur solùm ad essentiam, & ad Patrem, non ad Filium, nec Spiritum sanctum. Et sanè inintelligibile est, Verbum procedere ex cognitione intuitiva illius, quod suam processionem subsequitur, qualis est Spiritus sanctus.

Cognitio quoque beatificans ad illa solùm per se fertur, quæ exiguntur ad beatitudinem Patris: personæ autem procedentes non pertinent ad beatitudinem Patris, tum quia beatitudo est aliquid absolutum, quod Deo competeret, etiamsi per impossibile solitarius esset: tum quia in illo signo, in quo Pater producit Filium, nondum sunt omnes personæ existentes.

Cognitio demùm perfectissima est omninò independens à creaturis, & possibilitate earum, & est ita absoluta, ut si creaturæ fierent impossibiles, adhuc eadem invariata permaneret: ergo cognitio producta Verbi per se non fertur ad creaturas possibiles.

Respondeo ad singula. Ad primum quidem de cognitione primaria dico, Verbum Divinum, cùm sit terminus adæquatus exhauriens totam scientiæ Patris plenitudinem, per se exigere cognitionem attingentem non solùm objectum primarium, sed etiam secundarium, modò sit necessarium, & non liberum; quia cognitio illa per se tendit ad producendum Verbum omninò simile genitori, & in quo reluceat totum quod in principio continetur, ut satis antè expendimus. Et sanè latet æquivocatio sub illa voce *primaria*; non enim essentia divina ideò appellatur objectum primarium, quasi priùs cognoscatur quàm personæ, aut creaturæ possibiles, hæc enim omnia simul cognoscuntur; sed quia divina essentia ratione sui cognoscitur, alia verò ratione ipsius attinguntur. Cæterùm omnia debent per se attingi à cognitione comprehensiva, quæ talis non esset, nisi objectum & primarium, & secundarium in primario necessariò inclusum penetret & attingat.

Salvatur etiam in nostra sententia ratio cognitionis intuitivæ; quia licèt in illo priori nondum concipiamus Filium productum, tamen ex vi illius producitur: nam pater cognoscendo dicit, & dicendo cognoscit. Et quia illa cognitio Patris est simul spirans amorem, ideò in eodem nunc æternitatis cognitioni illi coëxistit Spiritus sanctus: quod sufficit ut illa cognitio sit intuitiva; ordo enim originis, qui est inter divinas personas, cum simultate durationis & æternitatis consistit; inter Deum enim, ut ait August. lib. 15. de Trinit. cap. 26. *Nihil ex tempore inchoatur, ut ex consequenti perficiatur in tempore.* Ex quo fit intelligibile, quomodo Verbum procedat ex cognitione Spiritus sancti; licèt sequatur ad ejus processionem; quia licèt Spiritus sanctus nondum concipiatur veluti effectivè extra potentiam Patris, est tamen objectivè cognitus in essentia Patris, & in virtute spirativa illius.

Ex quibus etiam salvatur ratio cognitionis beatificæ, quia cùm inter divinas personas non sit prioritas durationis, sed tantùm ordo originis, licèt una persona sit ab alia, tamen nullum est instans, in quo sit una sine alia, subindéque semper observatur cognitioni Patris objectum beatificum, quod est Deus unus, & trinus. Et quamvis absoluta & essentialia, quæ non dicunt ordinem ad notionalia, præsupponantur personis, secus tamen si dicant ordinem ad illa: sicut voluntas, qua Deus

vult generationem Filii, & scientia, qua Deus cognoscit personas, etsi sint aliquid absolutum & commune tribus personis, tamen non præintelliguntur generationi & personis; sed, ut ita dicam, cointelliguntur cum illis. Et idem est de beatitudine Patris, quæ fertur ad Deum ut est in se: in se autem habet tres personas, in quibus subsistit. In illa autem hypothesi, in qua Deus esset solitarius, foret quidem beatus sine personis, quia tunc videret se ut est in se sine illis; nunc autem Deum non videret sicuti est, nisi videret trinum.

Denique salvatur ratio cognitionis perfectissimæ, quia ut tomo præcedenti diffusè diximus, Deus non est connexus cum possibilitate creaturarum per dependentiam sui à creaturis, sed creaturarum à se; quia possibilitas creaturarum est denominatio extrinseca petita ab omnipotentia Dei, qui ratione suæ eminentiæ & abundantiæ est infinities imitabilis à creaturis: unde desinente possibilitate creaturarum, periret prorsus omnipotentia, quia desineret participabilitas divinæ plenitudinis, & bonitatis. Quid autem mirum, si pereunte omnipotentia, Verbum non esset idem quod est modò? cùm modò sit imago divinæ virtutis, quæ in illa suppositione impossibilitatis creaturarum nulla esset. Sed hæc diffusiùs dum de scientia Dei, prosequuti sumus, & ab iisdem iterandis in votis nostris semper fuit.

Dices: Verbum per se solùm procedit ex cognitione illius quod per se repræsentat: sed Verbum Divinum per se repræsentat solam essentiam, non relationes, vel creaturas ullas: ergo ex illius, & non istarum cognitione procedit. Major est nostrum fundamentum. Minor probatur. Illud per se solùm repræsentat Verbum, cui assimilatur, & cujus est imago: atqui Verbum non assimilatur, nec est imago Spiritus sancti, nec creaturarum possibilium, sed solius Dei Patris: ergo per se non repræsentat omnes personas, nec creaturas possibiles.

Respondeo, Verbum per se repræsentare non solùm essentiam, sed etiam relationes & creaturas possibiles, quia essentia, cui directè Verbum assimilatur, non potest cognosci sine illis, sicut nec sine virtute spirativa, & creativa. Nec propterea Filius dicitur imago Spiritus sancti, vel creaturarum, quia de ratione imaginis non solùm est similitudo, sed etiam processio tanquam à principio: & quia principium *quod* Verbi est Pater, principium *quo* est essentia, ideò dicitur tantùm imago Patris, vel essentiæ, quæ sola habet rationem speciei fœcundantis intellectum paternum. Quæ omnia paucis complectitur S. Doctor hîc, quæst. 34. art. 3. ad 3. *Dicendum quod creatura non cognoscuntur à Deo per scientiam à creaturis acceptam, sed per essentiam suam: unde non oportet quod à creaturis procedat Verbum, licèt Verbum sit expressivum creaturarum.* Quin potiùs quia creaturæ procedunt à Verbo, in quo sunt omnium rerum ideæ, Verbum non debet dici imago, sed potiùs exemplar creaturarum.

Instabis: Si quæ hactenus diximus, aliquid efficerent, probarent, etiam Verbum procedere ex cognitione creaturarum existentium; si enim Verbum procedit ex cognitione adæquata Patris, repræsentat id omne quod Pater actu cognoscit, aliàs non esset Verbum infinitum integrè exhauriens cognitionem paternam. Sed scientia patris attingit creaturas futuras. Ergo Verbum ex creaturarum futurarum cognitione procedit.

Respondeo, quod licèt Verbum Divinum sit terminus adæquatus omniscientiæ Patris; tamen non omnia quæ per eam cognitionem attinguntur, eodem modo cognoscuntur; sed quædam per se, ut omnia necessaria & necessariò connexa; quædam veluti per accidens, & concomitanter, ut futura, quæ cùm potuerint adesse & abesse, non potuit cognitio eorum per se requiri ad generationem naturalem, & necessariam, qualis est generatio Verbi. Et de illis creaturis futuris loquitur S. Thomas *quæst. 4. de Verit. art. 5.* dum ait, *Verbum per accidens, & quasi ex consequenti ad creaturas referri.* Nam ut patet ex contextu, loquitur de creaturis ad quas refertur relatione Domini & Creatoris, quæ utique sunt tantùm futuræ; nec loquitur ibi de possibilibus: quod licèt quidam opinentur, nescio tamen quomodo possint locum illum effugere, nisi per expositiones obtortas & planè violentas.

Insistes: in Verbo debet per se, & ex vi suæ processionis relucere quidquid per cognitionem sui productivam attingitur, aliàs aliquid minus esset in Verbo, quàm in scientia: ergo ex suppositione quod Pater cognoscat futura, per se debet Verbum ex illorum cognitione procedere, & illa repræsentare.

Respondeo, in Verbo non debere relucere objectum cognitionis, nisi eo modo quo attingitur à cognoscente: quia ergo cognitio paterna non fertur necessariò ad futura, sed tantùm liberè, & veluti per accidens, ratione decreti statuentis futuritionem, cùm potuisset statuere non futuritionem; fit inde Verbum non repræsentare futura nisi concomitanter, & ex suppositione liberæ Dei voluntatis.

Persistes: Eo modo procedit Verbum ex cognitione creaturarum, quo Spiritus sanctus ex amore earum, ut expressè docet S. Thomas *q. 37. art. 2. ad 3.* loquens: *Sicut Pater dicit se & omnem creaturam Verbo quod genuit, in quantum Verbum genitum sufficienter repræsentat Patrem & omnem creaturam: ita diligit se & omnem creaturam Spiritu sancto, in quantum Spiritus sanctus procedit ut amor bonitatis primæ, secundùm quam Pater amat se, & omnem creaturam.* Atqui Spiritus sanctus non procedit ex amore creaturarum possibilium, qui non datur in Deo, ut diximus libro superiori; sed tantùm procedere potest ex amore creaturarum futurarum. Ergo Verbum vel procedit ex cognitione futurorum, vel non procedit ex cognitione possibilium.

Respondeo Spiritum sanctum procedere tantùm per se ex amore essentiæ & personarum divinarum; quia divina bonitas non objicitur divino amori, nisi prout est in se; in se autem non existit nisi in tribus personis: non procedere tamen ex amore creaturarum ullarum certum est, quia amor possibilium in Deo non est; futurorum verò liber est, qui proinde per se non requiritur ad processionem necessariam. Divus autem Thomas loco citato loquitur de creaturis futuris, & vult quod sicut Pater eas dicit Verbo, ita eas amet Spiritu sancto: in hoc enim conveniunt processio cognitionis & amoris, quod utraque feratur sufficienter ad futura. An verò talis cognitio per se requiratur ad productionem Verbi, talis amor ad productionem Spiritus sancti, an verò solùm concomitanter, ibi non vestigat S. Doctor. Et certè, ut verum fatear, vix ullibi quæstionem hanc sub illa metaphysica præcisione, sub qua agitatur à Modernis, tractavit S. Præceptor, utilioribus solùm occupatus. An verò Verbum procedat ex cognitione futurorum conditionatorum? Dicendum est non procedere, cùm ea Deus non cognoscat, nisi per suum decretum liberum, ut aliàs satis diximus.

Reflexio.

Verbum non nisi concomitanter, & veluti per accidens ex cognitione præsentium vel futurorum cognitione procedit; & similiter ex eorumdem amore promanat Spiritus sanctus. Creaturis ergo utendum est, sed minimè fruendum, nec in illis periturus amor figendus, sed gradus ad divina semper mansura faciendus.

dus. Æternitatis candidatos dedecet prætereunti figuræ hujus mundi inhærere. *Transeunt omnia tanquam umbra* (ait Sapiens cap.4.) *& tanquam nuncius percurrens, & tanquam navis quæ pertransit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit, non est vestigium invenire; aut tanquam avis, quæ transvolat in aere, cujus nullum argumentum itineris; aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum.* Demens ergo est qui has umbras sine mora prætervolantes per se quærit, per se amat, & non tantùm concomitanter administrat. *Hoc itaque dico fratres* (ait opportunè divinus Apostolus 1. Cor.7.) *tempus breve est: reliquum est ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint; & qui flent, tanquam non flentes; & qui gaudent, tanquam non gaudentes; & qui emunt, tanquam non possidentes; & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi.* Profectò concomitanter feruntur ad creaturas qui ejusmodi sunt, nec conformantur huic sæculo, sed reformantur in novitate sensus sui, conformesque fiunt imagini Filii Dei. Quia, ut ait Chrysol. serm.120. *abjectâ sæculi hujus figurâ, & totâ inveteratæ imaginis deformitate projectâ, formam suam in formam sui redimunt Salvatoris, ut novitas sensuum in actibus elucescat, & cœlestis homo cœlesti habitu jam gradiatur in terra.*

DISSERTATIO V.

De Spiritu sancto.



I ne quidem una in nobis suboriatur cogitatio supernaturalium, nisi cœlestibus divini Spiritus flatibus impellamur, à quo & quæ censenda sunt, suggeruntur, & exprimendorum cogitatuum gratia donatur; quantum mihi ejusdem Spiritus afflatu opus est, cui de ineffabili illo Spiritu scribendum incumbit? Superat sanè & intelligentiæ angustias, & scribendi modos Spiritus sanctus. Nam quæ sunt hominis, nemo novit nisi spiritus hominis qui in ipso est, & quæ sunt Dei, vel Spiritus sancti, nemo novit nisi Spiritus Dei. Quod si mente attingi nequit, exscribi verbis difficile prorsus est. Nam sicut in operabilibus, nec manus artem, nec pictura archetypum; sic nec verba adæquant cogitatum. Hinc processio Spiritus sancti (ait D. Thom. *q.36.*) nomine caret, & ut loquitur Dionysius ultimo cap. de divin. nomin. *Neque nomen ipsius est, neque sermo; sed in inviis segregatur.* Unica superest Spiritus divini cognoscendi via, dum nimirum in corde sentitur, ut expertus docet Angelicus Doctor *in 1. distinct.16. quæst.1. art.2.* dicens: *Ex plenitudine gratiæ & amoris redundat cognitio in mente, quâ Spiritum sanctum experimentaliter cognoscimus.* Sed quia pauci linguam amoris tam ore quàm corde loquentis intelligunt, solita nostra balbutie explicabimus primò nomina, deinde principium hujus tertiæ personæ.

CAPUT I.

De nominibus tertiæ personæ SS. Trinitatis.

QUia ut rectè monet Hilarius lib.2. de Trinit. *de Spiritu sancto nec tacere oportet, nec multum loqui*, ideò paucis ejus nomina declarabimus.

SPECULATIO I.

Tertiæ personæ Sanctissimæ Trinitatis tria præcipuè nomina conveniunt, scilicet Spiritus sancti, Amoris, & Doni.

PRima pars de nomine Spiritus sancti est communi Scripturæ, Traditionis, & totius Ecclesiæ usu consecrata. Et ratio convenientiæ illius nominis est, quia nomen spiritus in rebus corporeis impulsionem quandam, & motionem significat; nam flatum & ventum spiritum sæpè appellat Scriptura Genes.8. *Adduxit Deus spiritum super terram.* 3. Reg.19. *Spiritus grandis & fortis subvertens montes.* Est autem proprium amoris, quod moveat & impellat voluntatem amantis in amatum. Ergo persona illa quæ in divinis procedit per viam amoris, convenienter Spiritus dicitur.

Rursum vocatur Spiritus, quia homines spirituales reddit, illuminando intellectum, purificando affectum, rectificando intentionem, & cœlestes interioris vitæ maximas animis nostris imprimendo. Unde D. Thomas 4. *contra gent. cap.21.* ait: *Quod sicut ad hoc, quod corpus aliquod ad locum ignis perveniat, oportet quod igni assimiletur levitatem acquirendo, ita ad hoc quod homo ad divinæ fruitionis beatitudinem, quæ Deo propria est, secundùm suam naturam perveniat, necesse est primò quidem quod per spirituales perfectiones Deo assimiletur, & deinde secundùm eas operetur, & sic tandem prædictam beatitudinem consequatur. Dona autem spiritualia nobis per Spiritum sanctum dantur; & sic per Spiritum sanctum Deo configuramur, & per ipsum ad benè operandum habiles reddimur, & per eum ad beatitudinem nobis via præparatur: quæ tria Apostolus insinuat nobis 2. Cor.1. dicens: Unxit nos Deus, & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris; signatio enim ad similitudinem configurationis pertinere videtur, unctio autem ad habilitatem hominis ad perfectas operationes, pignus autem ad spem quâ ordinamur in cœlestem hæreditatem.* Ergo convenienter hæc tertia persona dicitur Spiritus.

Sanctus quoque congruenter dicitur: illa enim dicimus sancta, quæ in Deum ordinantur; & quia maximè ordinamur in Deum per amorem, persona quæ procedit per voluntatem & amorem, convenienter sancta nominatur. Iterum appellatur Sanctus, quia sanctificat creaturam rationalem, quam à terrenorum affectuum labe mundat, quam Deo consecrat & applicat, quamque in bono solidat & firmat; qui est triplex sanctitatis fructus, ut aliàs vidimus. Quod significat Ezechiel cap.36. *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & dabo vobis cor novum, & spiritum novum in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis.*

Secunda etiam pars de nomine Amoris, est etiam in confesso apud omnes: unde Gregor. homil.30. in Evang. *Spiritus sanctus amor est*: & ad id refert illud 1. Ioan.4. *Deus charitas est*: quod licèt de Deo absolutè sumpto ad litteram intelligatur, appropriatur tamen Spiritui sancto ob modum procedendi per voluntatem. Idem tradit August. *tract.105. in Ioan.* ubi Spiritum sanctum appellat *charitatem substantialem, & consubstantialem* Patris & Filii. Et Bernard. serm.8. in Cant. ipsum vocat *gluten firmum, individuum amorem.* Et Hieronymo ascriptus commentarius in Psalm.17. *Spiritus sanctus nec Pater est, nec Filius, sed dilectio, quam habet Pater in Filio, & Filius in Patre.*

Ratio est, quia Spiritus sanctus procedit per voluntatem; sed terminus actionis voluntatis convenienter amor vocatur: ergo. Et ideò appellatur nexus Patris & Filii, non quòd mediet inter utramque perso-

nam, quam connectit; sed quia significat rationem mutui amoris qui est inter Patrem & Filium, qui unica dilectione spirant divinum Spiritum. Appellatur etiam alia ratione amor, quia viris sanctis charitatis amorem infundit, juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Vnde Bernard. epist. 107. *O geminum, ipsumque firmissimum erga nos amoris argumentum. Christus moritur, meretur ergo amari; Spiritus afficit, & facit amari; ille facit cur ametur, iste ut ametur; ille multam dilectionem in nobis commendat, iste dat; in illo cernimus quod amemus, ab isto sumimus unde amemus. Charitatis ergo ab illo occasio, ex isto affectio.*

Tertia pars de nomine Doni est communis doctrina Patrum, eamque probat ex professo S. Augustinus *lib. 15. de Trinit. cap. 19.* tum ex illo Ioan. 4. *Si scires donum Dei, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam*: per quod donum aquæ vivæ intelligitur Spiritus sanctus, juxta illud Ioan. 7. *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aqua viva. Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Tum ex illo Ephes. 4. *Vnicuique nostrûm datur gratia secundum mensuram donationis Christi*: per quam donationem intelligere Spiritum sanctum sequentia indicant, dum ait: *Ascendens in altum captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Notissimum autem est, Dominum Iesum post resurrectionem ascendisse in cœlum, & misisse Spiritum sanctum. Nec moveat, quod ait *dona* non *donum*; quia per donum, quod est Spiritus sanctus, multa dona hominibus dividuntur, quæ omnia unus atque idem spiritus operatur, prout vult. Idem docent alii Patres & tota Ecclesia confitetur, dum vocat Spiritum sanctum *Donum Dei altissimi.*

Ratio est, quia ad rationem doni, quod definitur, *Ratio irreddibilis*, seu quod non datur intentione retributionis, quatuor conditiones requiruntur. Prima; quod conferatur gratis, itaut donans non teneatur illud dare; aliàs esset potiùs merces, & redditio ex justitia, quàm donum: nec speret etiam aliquid ab eo cui datur, aliàs esset potiùs commutatio, quàm donum: unde à quibusdam dicitur ratio irreddibilis, quasi quæ non redeat. Secunda conditio est, quod dicat ordinem ad principium quod donat, vel donare potest. Tertia, quod respiciat terminum cui datur. Quarta, quod ille cui datur, sit capax fruendi dono dato; & tales sunt creaturæ intellectuales, quæ cognoscendo & amando fruuntur objectis. Vnde & alii sic definiunt donum, *Res alicujus alteri collata, ad ejus usum, vel fruitionem.*

Atqui illæ quatuor conditiones maximè conveniunt Spiritui sancto, quia mittitur ad Sanctos gratis, & sine meritis. Est etiam Spiritus sanctus personarum à quibus procedit; tripliciter enim aliquid potest esse alicujus, tum per identitatem, juxta illud Augustini: *Quid tam tuum, quàm tu?* Tum per possessionem, sicut servus & ager domini est. Tum per processionem, sicut filius est patris sui. Denique datur Spiritus sanctus creaturis, & quidem rationis participibus, quæ eo fruuntur in hac vita per cognitionem & amorem; in patria verò per claram visionem. Ergo Spiritus sanctus est verum donum, subindéque non solùm est Patris & Filii, qui dant; sed etiam noster, si accepimus eum. Grande privilegium animæ justæ, Spiritum Patris & Filii verè suum dicere posse!

Dices: hæ omnes conditiones conveniunt Filio, qui nobis natus, nobis datus est ex intacta Virgine; & quotidie iterum datur in Sacramento Altaris. Ergo nomen doni non est proprium Spiritus sancti.

Respondeo, quod licèt nomen doni non sit soli Spiritus sancti proprium, ei tamen convenientissimè appropriatur, quia ea vi suæ originis, & characteristicæ proprietatis est amor: amor autem est primum donum & ratio donandi alia; primum enim quod damus alicui, est amor, quo volumus ei bonum, & ex amore alia bona elargimur. Et nihil donat, qui non amat; magis enim pensatur affectus, quàm census.

Reflexio.

Ex hoc triplici Spiritus sancti nomine inferre statim licet perpaucos Spiritu Dei agi. Spiritus est vivificans; unde & dicitur *Cor Ecclesiæ*: cor autem est principium & origo omnis motus vitalis: ab illis ergo longè est, qui veluti arida membra, & planè emortua nullum vitæ spiritalis motum eliciunt, nec nisi corruptissimam mundi auram spirant. Si amor est, utique reddit amantes, nec patitur languorem illum, inertiam illam, stuporem illum, quibus totus fermè orbis laborat, cujus tantoperè charitas refrigescit. Si donum est, & donorum omnium primum, quomodo cum ipso non nobis alia omnia donantur? Quod si nulla Dei in nobis dona cernimus, profectò Spiritum sanctum datum nobis non esse timeamus. Ille quem verè replet Spiritus sanctus in omnibus motibus suis, nihil facit quod tanti hospitis offendat aspectum. *Sicut Spiritus nostra omnia membra vegetat* (ait Aug. serm. 186. de temp.) *per oculos videt, per aures audit, per nares olfacit, per linguam loquitur, &c. vitam dat omnibus, officia singulis: sic est Spiritus in tota Dei Ecclesia. In aliis Sanctis facit miracula, in aliis loquitur veritatem; in aliis hoc, in aliis illud, singuli propria operantur, sed pariter vivunt. Sed videte quid caveatis, quid timeatis. Membrum præsectum de corpore humano non sequitur animus, sic nec Spiritus sanctus sequitur membrum ab Ecclesia amputatum. Si ergo vultis vivere de Spiritu sancto, tenete charitatem, amate veritatem, desiderate unitatem, ut perveniatis ad æternitatem.*

Speculatio II.

Pater & Filius diligunt se, & nos Spiritu sancto.

HAnc propositionem Patres non leviter insinuant, præsertim verò Augustinus *lib. 6. de Trinit. cap. 5.* ubi ait, *Spiritum sanctum esse, quo genitus à gignente diligitur, suumque vicissim genitorem diligit*: & alibi pluries pronuntiatum illud indigitat; cujus quidem multiplex est intelligentia. Nam omissis variis expositionibus impropriis, neque inutilibus, quidam volunt sensum esse, quod Pater & Filius diligendo se producunt Spiritum sanctum una & concordi actione; quod quidem non convenit Spiritui sancto, qui non producit aliam personam: cui expositioni favet D. Thomas *in 1. dist. 32.* Alii sic interpretantur, ut sit sensus, Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto tanquam signo amoris; nam Spiritus sancti productio est signum mutui amoris, quo Pater & Filius sese prosequuntur. Alii cum Richardo Victorino dicunt, quod Pater diligit Filium Spiritu sancto, non quo amorem habeat, vel accipiat, sed quo diffundat, exhibeat, & impendat.

Sed omnium formalior, & accuratior expositio traditur ab Augustini discipulo S. Thoma hic, *q. 37. art. 2.* ad cujus claritatem scito primò, ablativum illud, *Spiritu sancto*, tribus modis intelligi posse. Primò, ut importet rationem principii, ut cùm dicimus: Anima cognoscit intellectu, amat voluntate; ibi enim intellectus & voluntas habent rationem principii *quo* actionis. Secundò significare potest rationem causæ formalis; quo pacto dicitur: Anima est intellectualis ab intellectu, volitiva à voluntate, justa à justitia.

Tertiò

Tertiò denotare potest effectum, seu rem productam, quibus interdum denominatur causa; qua ratione dicimus arborem florere floribus, virere foliis. Certum autem est, quod nec primo, nec secundo modo Pater & Filius se diligunt Spiritu sancto; non enim Pater & Filius accipiunt à Spiritu sancto vim amandi, sed potiùs ei dant; nec Spiritus sanctus est ratio formalis diligendi, sed dilectio quæ identificatur cum essentia divina. In tertio ergo sensu intelligi debet: ad cujus majorem lucem,

Scito secundò, duplex esse genus actionum, alia est enim actio, inter quam & terminum ultimò attactum intelligitur mediare aliquis terminus proximus & immediatus, ut inter ignem calefacientem, & lignum calefactum mediat calor: alia verò actio est, inter quam nihil hujusmodi mediat, ut inter ædificationem & ædificium, inter generationem & filium. In actionibus primi generis principium potest denominari & ab actione, & à termino proximo, sicut ignis dicitur calefacere calefactione & calore; secus in actionibus secundi generis: non enim dicitur quod ædificator ædificat ædificio, sed ædificatione; nec pater generat filio, sed generatione.

Cùm ergo dicimus: Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto, ly *diligunt*, accipitur notionaliter: in amore autem notionali & spirativo inter principium & terminum ultimum mediat terminus proximus; nam ille amor non solùm fertur ad rem amatam, quæ est essentia divina; sed etiam ad impulsum productum, qui est Spiritus sanctus. Vnde sicut verè dicitur: Ignis calefacit lignum calefactione & calore; intellectus fertur ad veritatem & objectum intellectione & verbo producto: ita rectè dici potest, Pater & Filius diligunt se non solùm dilectione & amore, sed etiam Spiritu sancto; quia sicut ignis calefactione producit calorem in ligno; intellectus intellectione objecti producit verbum: ita voluntas dilectione divinæ bonitatis, & concomitanter creaturarum producit Spiritum & impulsum.

Atque hic est germanus D. Thomæ sensus, dum ait loco citato: *Contingit aliquid denominari per id quod ab ipso procedit, non solùm sicut agens actione, sed etiam sicut ipso termino actionis, qui est effectus, quando ipse effectus in intellectu actionis includitur.* Id est quando ipse effectus habet veluti rationem viæ, actionis, & tendentiæ ad alium ulteriorem effectum, vel objectum circa quod occupatur. Et hoc etiam apparet exemplo S. Thomæ: *Possumus dicere quod arbor est florens floritione & floribus.* Nam tam actio floritionis, quàm flores ordinantur ad reddendam arborem florentem; nam ille decorus arboris vestitus est effectus tam emissionis arboris, quàm florum. Atqui similiter dictio & dilectio notionalis non solùm tendunt ad verbum & amorem productum, sed etiam illis mediantibus ad rem intellectam & amatam. Ergo possumus verè dicere, quod Pater se, & alia quæcumque intelligit Verbo; & quod Pater & Verbum diligunt se, & alia Spiritu sancto, ut sensus sit; Pater videt se & creaturas in Verbo producto à se; Pater & Filius Spiritu sancto tanquam pondere & inclinatione mutua tendunt amore in seipsos: amor enim productus est pondus quo amans fertur in amatum.

Dices: quando dicitur Patrem & Filium diligere se Spiritu sancto, videtur indicari, Spiritum sanctum esse rationem formalem amoris eorum; sicut cùm dicitur, homo intelligit intellectu, amat voluntate, albescit albedine. Sed Spiritus sanctus non habet rationem principii *quo* Pater & Filius sese diligunt. Ergo hæc propositio, inquiunt Durandus, & Scotus, non nisi impropriè vera est, & à S. Augustino in simili retractata est *lib. 1. retract. cap. 36.* ubi revocat quod dixerat *lib. 83. qq. q. 23.* scilicet, *Deum esse sapientem sapientia genita.*

Respondeo, quod licèt Spiritus sanctus non sit in Patre ratio amandi Filium, est tamen pondus & impulsus quo fertur in Filium, & veluti medium quo affectivè unitur illi, & hoc sufficit: sicut ut hæc propositio, *Pater dicit se Verbo*, sit vera, sat est, quod Verbum se habeat ut medium in ordine ad objectum repræsentatum; nam etiam amor productus est pondus & inclinatio amantis in rem amatam. Vnde sicut dicitur: Lapis gravitate fertur ad centrum, ita proportionaliter, Pater ad Filium Spiritu sancto veluti ponderatur.

D. verò Augustinus, licèt revocet illam propositionem, *Pater est sapiens sapientia genita*; non tamen revocat illam, quam ex ipso hîc propugnamus: nam loco citato retractationum lectorem suum remittit ad libros de Trinitate, tanquam ad accuratiorem hujus rei retractationem. Evidens autem est S. Patrem admittere in libris de Trinitate propositionem hanc, *Pater & Filius diligunt se Spiritu sancto. Unde* (inquit verè Doctus Estius in 1. dist. 32. §. 1.) *de tanti Doctoris sententia non videtur amplius dubitandum.* Ratio verò disparitatis inter utramque illam propositionem est, quia nomen *Sapiens*, nunquam accipitur notionaliter, sed tantùm essentialiter: Pater autem non accipit denominationem in essentialibus à Filio, cui potiùs omnia essentialia communicat. At verò diligere accipitur in divinis quandoque notionaliter, cùm scilicet ordinem importat ad terminum productum. Sicut ergo dicere possumus; *Pater intelligit se notionaliter, seu dicit Verbo*: ita, *Diligit se & Filium Spiritu sancto.*

REFLEXIO.

Rectè monet Augustinus in regula, *Non autem carnalis, sed spiritalis inter vos debet esse dilectio.* Spiritalis erit nostra dilectio, si omnia diligamus in Spiritu Sancto. Carnaliter autem ille amat quæcumque amat, si non propter solum Deum amat: qui se, suaque omnia, castâ & gratuitâ charitate Deo non consecrat, profectò diligit non in Spiritu sancto, sed in spiritu suo. Quod si non diligit, manet in morte: si non diligit in Spiritu sancto, talem adoratorem Pater non quærit; veri enim adoratores adorant Patrem in spiritu & veritate: si non diligit Deum, non colit; nam ut ait August. epist. 120. *Pietas cultus est Dei, nec colitur ille nisi amando.* Amor qui est in spiritu suo, est nuda & phantastica Dei amandi cogitatio animi sibi blandientis, & Deum amare veluti extremis labiis profitentis; sed mentitur iniquitas sibi. Amor qui est in Spiritu sancto, est pondus voluntatis ad Deum fortiter, suaviterque propellens; non imaginariè, sed sincerè; non proferendo formulam quandam actus amoris divini, sed voluntatem immutando; ut sicut ante conversionem humana sollicitè, & ardenter curabat, terrenis amissis angebatur, acquisitis gaudebat, periclitantibus metuebat, absentia desiderabat: sic modò gloriam Dei zelet, de propagata exultet, de contempta continuò doleat, de deserta indignetur; fruendam, videndamque anhelet, perdendam formidet. Hæc, & non alia charitas affectibus multiplex diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Hic amor singulis sufficiens, omnibus necessarius est. Nam, ut ait August. lib. de spirit. & litt. cap. 5. *Non est bonus fructus, qui de charitatis radice non surgit.* Verus & spiritalis amor nec corde arido manus movet, nec affectu steruli iners est, sed ad Deum affectu intus suspirat, & effectu extra obtemperat. Spiritalis autem amor non quærit mercedem temporalem, sed requiem sempiternam; sed spiritualior adhuc, longéque perfectior

&

& purior, & totus in Spiritu sancto, qui nihil aliud quærit nisi solum Deum amandum pro mercede. Hunc his mellifluis verbis describit Bernardus serm. 83. in Cant. *Is per se sufficit, per se placet, & propter se: ipse præmium sibi est amor, & meritum: præter se non requirit causam, nec fructum: fructus ejus usus est: amo, quia amo; amo ut amem.* Et infrà: *Suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur: infirmus est, qui fortè spe subtracta, aut extinguitur, aut minuitur: impurus est, qui & aliud cupit: purus amor mercenarius non est: purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit. Sponsæ res & spes unus est amor: hoc sponsa abundat, hoc contentus est sponsus, nec is aliud quærit, nec illa aliud habet. Quidni amet sponsa, & sponsa amoris? Quidni ametur amor? nam cum se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluvium.*

SPECULATIO III.

Multa, & varia nomina attribuuntur Spiritui sancto, quibus ad ejus naturam intelligendum manuducimur.

PRimò enim appellatur *Spiritus veritatis.* Ioan. 14. 15. & 16. Tum quia, ut ait Euthymius, omnes Spiritus creati quasi non sunt, ac proinde nec veri sunt in comparatione Spiritus Dei, sicut omnia entia quasi non sunt in conspectu Dei. Tum quia, ut innuit Chrysost. *hom. 76 in Ioan.* est verax & oppositus spiritui mendaci, qui diabolus est. Tum quia est stabilis & permanens, nec ab Ecclesia discessurus. Quo sensu dicitur Isai. 61. *Dabo opus eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis.* Tum ex effectu, quia est doctor Evangelii, in quo veritas continetur. Tum quia veritatem inspirat Ecclesiæ, quæ est columna & firmamentum veritatis. Tum quia unicuique credentium lumen veritatis infundit, docens nos omnia, & suggerens nobis omnia, intus dans, intus coruscans, intus revelans, & instillans in animum caducarum rerum absynthium, & mel divinorum mandatorum, ut ait August. *lib. de spirit. & lit. cap. 3.*

Secundò Spiritus sanctus appellatur *Paracletus*, seu consolator, *Ioan.* 14. Quamvis enim consolatoris nomen toti Trinitati conveniat, quæ dicitur 2. Cor. 1. *Deus totius consolationis*; appropriatur tamen Spiritui sancto. Tum quia, ut ait D. Thomas 4. cont. Gent. cap. 22. *Est amicitiæ proprium, quod aliquis in præsentia amici delectetur, & in ejus verbis & factis gaudeat, & in eo consolationem contra omnes anxietates inveniat; unde in tristitiis maximè ad amicos consolationis causâ confugimus. Quia igitur Spiritus sanctus Dei nos amicos constituit, & eum in nobis habitare facit, & nos in ipso, consequens est ut per Spiritum sanctum gaudium de Deo & consolationem habeamus contra omnes mundi adversitates & impugnationes. Unde in Psalm. 50. dicitur, Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Et Rom. 4. Regnum Dei est justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto.* Tum quia status novæ legis est status mortificationis & crucis, tam interioris, quàm exterioris, ad quam fortiter tolerandam necessarium est solatium Spiritus sancti, quod ipse liberaliter impendit, ut patet in Martyribus & aliis. Unde, ut rectè observat Athanasius *oratione contra Arrianos*, Spiritus sanctus nunquam in veteri lege dictus est Paracletus, sed tantùm in nova; quia nimirum lex vetus abundabat consolationibus temporalibus, quibus non admiscetur consolatio Spiritus sancti. Tum quia in lege nova præcipitur nobis accurata vitiorum devitatio, sedula virtutum contentio: nam verbum otiosum, & desiderium internum rei malæ fugere tenemur, & Deum ex toto corde diligere; proximum, etiam inimicum, sicut nos ipsos diligere; sine intermissione orare; quod superest, pauperibus dare; in causa Dei patrem & matrem odisse; crucem quotidie ferre præcipimur, ad quæ declinanda vel peragenda interno consolantis Spiritus sancti vigore planè opus est: quo fit ut custodiamus vias duras, *duras timori, leves amori*, ut ait August. *lib. de nat. & grat. cap. 69.* Unde dicitur *Rom.* 8. quod *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram.* Et Ephes. 3. *Corroborat nos in interiore homine.*

Tertiò appellatur *Paracletus*, id est, advocatus, & exhortator; id enim etiam significat vox Græca Παράκλητος, quæ convenit Spiritui sancto; nam ipse est qui postulat pro Sanctis gemitibus inenarrabilibus, id est, ut egregiè explicat Bernard. serm. 1. Pentec. *Ipse postulat pro Sanctis gemitibus inenarrabilibus; & hæc quidem in corde nostro: quid autem in corde Patris? Sicut in nobis interpellat pro nobis, ita in Patre delicta donat cum Patre. Advocatus noster ad Patrem in cordibus nostris: Dominus noster in corde Patris. Itaque quod postulamus, idem ipse donat, qui donat ut postulemus: & sicut nos erigit pia quadam fiducia, ita Deum inclinat ad nos magis pia misericordia sua.*

Quartò appellatur Spiritus sanctus Pax, ut docet Bernardus explicans illud Cant. 1. *Osculetur me osculo oris sui.* Ubi *serm.* 8. ait: *Si Pater osculans, Filius osculatus: non erit ergo abs re Spiritum sanctum osculum intelligi, utpote qui Patris, Filiique imperturbabilis sit pax, gluten firmum, individuus amor, indivisa unitas, totiusque Trinitatis vinculum indissolubile.* Ratio est, tum quia Spiritus sanctus amor est; amor autem omnia unit, & in concordiam vocat. Tum quia per Spiritum sanctum dimittuntur peccata nostra, quæ diversorunt inter Deum & nos. Nam ut discurrit S. Thomas 4. contra Gent. cap. 21. *Per hoc, quod aliquis alterius amicus constituitur, omnis offensa removetur; amicitia enim offensa contrariatur, unde dicitur Proverb. 10. Universa delicta operit charitas. Cùm igitur per Spiritum sanctum amici Dei constituamur, consequens est, quod per ipsum à nobis remittantur peccata: & ideo Dominus dicit discipulis, Ioan. 20. Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Et ideo Matth. 12. blasphemantibus in Spiritum sanctum, peccatorum remissio denegatur, quasi non habentibus illud per quod homo remissionem consequitur peccatorum.*

Tum quia per Spiritum sanctum datur nobis pax & libertas Spiritus. Quod sic eruditè explicat idem Angelicus Præceptor ibidem, cap. 22. *Considerandum est, quod à Spiritu sancto filii Dei aguntur, non sicut servi, sed sicut liberi: cùm enim liber sit qui sui causa est, illud liberè agimus, quod ex nobis ipsis agimus; hoc verò est quod ex voluntate agimus. Quod autem agimus contra voluntatem, non liberè, sed serviliter agimus, sive sit violentia absoluta, quando totum principium est extra, nihil conferente vim passo, putà cùm aliquis vi impellitur ad motum, sive sit violentia voluntario mixta, ut cùm aliquis vult facere vel pati quod minùs est contrarium voluntati, ut evadat quod magis voluntati contrariatur. Spiritus autem sanctus sic nos ad agendum inclinat, ut nos voluntariè agere faciat, in quantum nos amatores Dei constituit. Filii igitur Dei liberè à Spiritu sancto aguntur ex amore, non serviliter ex timore. Unde Apostolus Rom. 8. dicit: Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed Spiritum adoptionis filiorum. Et 2. Cor. 3. Ubi spiritus Domini, ibi libertas.*

Quintò appellatur Spiritus sanctus, Virtus Dei. Luc. 1. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Actor. 1. *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti.* Et quidem convenienter, quia ei attribuitur creatio, gubernatio, & vivificatio. Creatio quidem, nam ut ratiocinatur

sanctus

sanctus Thomas lib. 4. contra Gent. cap. 20. *Bonitas Dei est ratio volendi, quod alia sint: amor igitur quo suam bonitatem amat, est causa creationis rerum: unde & Dionysius dicit in 4. capite de divin. Nomin. quod divinus amor non permisit ipsum sine germine esse. Habitum est autem ex praemissis, quod Spiritus sanctus procedit per modum amoris, quo Deus amat seipsum: igitur Spiritus sanctus est principium creationis rerum. Et hoc significatur in Psalm.* 103. *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Gubernatio verò, quia secundùm eam Deus omnia dirigit in proprios fines. Si igitur impulsus & motio ad Spiritum sanctum ratione amoris pertinet, convenienter rerum gubernatio & propagatio Spiritui sancto tribuitur. Vnde dicitur in Psalmo: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Denique vivificatio, propter eandem rationem; vita enim maximè in motu manifestatur: unde si ratione amoris Spiritui sancto impulsio & motio competit, convenienter etiam illi attribuitur vita; dicitur enim Ioan. 6. *Spiritus est qui vivificat.* Vnde Apostolos tam timidos, intrepidos & intrepidos reddidit.

Sextò appellatur ab Ecclesia *dexteræ Dei digitus*: & desumitur ex Augustino *lib. de essent. divinit.* ubi explicat de Spiritu sancto illud: *Si in digito Dei ejicio dæmonia.* Videndus est etiam *lib. de catechiz. rudibus,* & *lib. 2. quæst. Evang. quæst.* 17. & convenientiam affert ex divisione donorum Spiritus sancti: sicut enim in manu eadem sunt distincti digiti; ita diversa dona gratiæ operatur unus, atque idem Spiritus, dividens prout vult: vel quia sicut digitis scribuntur & litteris mandantur cogitationes & verba loquentium; ita Spiritus sanctus divinarum Scripturarum author est, quæ propterea dicuntur scriptæ digito Dei; & lingua Prophetæ divinitus inspirati dicitur calamus scribæ velociter scribentis: sed præcipuè legem Dei scribit in cordibus nostris, dum ut ait Bernard. serm. 1. Pentec. *Monet, & movet, & docet: monet memoriam, docet rationem, movet voluntatem, suggerendo, instruendo, afficiendo.*

REFLEXIO.

Multa alia sunt Spiritus sancti nomina, quæ magis docebit unctio, quàm lectio; unde & ipse Spiritus sanctus *spiritalis unctio* nominatur, quæ ut tetigerit mentem, docet: nam ut ait S. Leo serm. 1. *Vbi Deus magister est, citò discitur quod docetur.* Felix unctio quâ, ut inquit Chrysostomus serm. 1. Pentecost. *Prophetæ illustrantur, idiotæ sapientiâ condiuntur, Spiritu sancto Reges inunguntur, Sacerdotes ordinantur, Doctores declarantur, Ecclesiæ sanctificantur, altaria fundantur, dæmones abiguntur,* &c. Beatus quem talis unctio erudit, implebitur splendoribus anima ejus, & erit quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ, ut dicitur *Isai.* 58. Manna illud absconditum, quod non datur nisi vincenti: hæ sacræ deliciæ, quas animalis homo non percipit: hæc magna multitudo dulcedinis, quam abscondit Deus timentibus se, dum voluntatem saginant, intellectum illustrant, & statim exuberat superabundans gaudium, & pax Dei, quæ superat omnem sensum. Hoc verum, & solum gaudium tibi precor, lector; quod cùm conceperis, nemo tollet à te, & gustando videbis, quoniam suavis est Dominus. *Cui comparata omnis aliunde jucunditas, mœror est; omnis suavitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne postremò quodcumque delectare possit, molestum. Nunquid non hoc ipsum clamat in corde tuo Spiritus sanctus?* ait Bernard. *epist.* 114.

CAPUT II.

De principio Spiritus sancti.

Ventorum principium operosè loquuntur Philosophi, & vix inveniunt, & de vento ad litteram multi exponunt illud Ioan. 3. *Spiritus ubi vult spirat, & nescis unde venit, aut quò vadit.* Sed qui voluit latere nos originem ventorum, divini Spiritus principium nobis expressè revelavit, unde sit

SPECULATIO I.

Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio: rectè etiam dici potest quod procedit à Patre per Filium.

Prima pars, quatenus asserit Spiritum sanctum procedere à Patre, à nullo ambigitur, propter apertissimam Scripturæ authoritatem, Ioan. 15. *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* Quatenus verò asseverat, Spiritum sanctum procedere à Filio, negatur à Græcis: & quamvis vi argumentorum concedant aliquem ordinem inter Filium & Spiritum sanctum, nec refugiant Spiritum sanctum esse à Patre per Filium, imò aliqui eò devenerint, ut non negent Spiritum sanctum profluere à Filio; à nomine tamen processionis semper abhorruerunt, quod videtur (inquit S. Thomas) *vel ex ignorantia, vel ex protervia esse.* Verum quidem est, quod in Concilio Florentino sub Eugenio IV. Græci Catholicæ definitioni subscripserunt, sed posteà sequuti Marcum Ephesinum, ad vomitum redierunt. Contra quos

Probatur veritas orthodoxa, primò ex Scriptura, Ioan. 16. *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet;* ubi loquitur de Spiritu sancto: nulla autem persona accipit ab alia nisi procedendo; cùm enim non accipiat aliquid accidentale, necessariò accipit substantiam ejus à quo accipit. Vnde Christus subjungit: *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt; propterea dixi vobis, Quia de meo accipiet.* Id est, quia ea quæcumque habet Pater, inter quæ est virtus spirativa, mea sunt, ideò Spiritus sanctus de me accipiet, & à me procedit. Nec te moveat, quod dicit *de meo*, non *de me*; quia si de his quæ sunt Filii accipit, etiam de Filio accipit, quia in his Filius non differt à Patre. Et *Ioan.* 15. & 16. ait Christus, se missurum Spiritum sanctum: *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis.* Missio autem supponit processionem, quia quod mittitur, à mittente egreditur. Et ad Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Spiritus autem Sanctus non est Spiritus Filii, nisi quia pertinet ad ipsum per originem; neque enim ejus est per identitatem, vel per subjectionem. Nec sufficit quod sit ejus per consubstantialitatem; nam ea ratione posset dici Filium esse Spiritus sancti, quod ab usu Scripturæ alienum est.

Probatur secundò ex Conciliis & Patribus: & quidem in modernioribus Conciliis veritas hæc expressè definita est, ut in Florentino, ipsis etiam Græcis annuentibus; in Lugdunensi sub Gregorio X. & in Lateranensi sub Innocentio III. In Barensi sub Vrbano II. & D. Anselmo fortiter dimicante, & gloriosè triumphante. Quorum Conciliorum tametsi à Romanis Pontificibus coactorum & confirmatorum, authoritatem Græci recusant, sed immeritò; vetustissima enim Concilia totam ab authoritate Sedis Apostolicæ congregantis, & approbantis firmitatem obtinent. Sed demus Græcis ad antiquiora Concilia provocare. Certè vidcbunt

videbunt errorem suum in secundo Concilio Nicæno, in confessione fidei: in 5. Synodo, *actione 6.* in 6. Synodo *act. 17.* in quibus probatur S. Cyrilli Alexandrini epistola, in qua disertè traditur Spiritum sanctum à Filio *emitti, effundi, & procedere.*

Adstipulantur SS. Patres utriusque Ecclesiæ, tam Græcæ, quàm Latinæ, ut Athanasius in Symbolo ab Ecclesia universali tanquam regula Christianæ fidei consecrato, ubi dicitur: *Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec genitus, sed procedens.* Cyrillus Alexandrinus citatus, & in defensione noni anathematismi, quæ refertur in Concilio Ephesino: Nazianzenus, Basilius, Epiphanius, Cyrillus Hierosolymitanus, aliique, quorum syllabum legere poteris apud D. Thomam *opusculo* 1. *contra Græcos*: & in actis Concilii Florentini. Et hoc tandem confessi sunt ipsi Græci in Concilio Florentino, sessione ultima, ubi unio utriusque Ecclesiæ læto exitu constabilita est. Sed Græcis initam concordiam suadente diabolo rescindentibus, manifesto divinæ ultionis judicio urbs Constantinopolitana, totumque Græcorum Imperium in festo Pentecostes Spiritui sancto sacro in Turcarum potestatem redactum est. Quantum verò attinet ad Patres Latinos, nunquam inficiati sunt Græci, stare pro fide Ecclesiæ Romanæ: sed sua illa confessione confunduntur; unanimis enim Sanctorum Patrum totius Ecclesiæ Occidentalis sensus invictum præbet argumentum; cùm explicet perennem Ecclesiæ in hoc articulo retinendo traditionem.

Probatur tertiò rationibus S. Thomæ. Primam expendemus speculatione sequenti, ostensuri Spiritum sanctum non distinctum iri à Filio, nisi ab eo procederet. Secunda est, quia Filius procedit ut verbum intellectus; Spiritus verò sanctus ut terminus voluntatis & amoris divini: sed amor procedit à verbo; non enim aliquid amamus, nisi quod conceptione mentis apprehendimus: ergo Spiritus sanctus procedit à Verbo.

Nec dicas, amorem non procedere in nobis à verbo effectivè, sed tantùm objectivè, quatenus repræsentat amabilitatem objecti quâ voluntas ad amandum allicitur. Non, inquam, id dicas: tum quia valde probabile est intellectum effectivè movere voluntatem, ut aliàs dicemus: tum quia hoc ipso, quod Verbum Divinum est actus purus, perfectissimus & consubstantialis objecto cognito, debet effectivè influere in amorem; quando enim ascendit ad tantam perfectionem, ut sit persona subsistens, sicut tunc est principium *quod* ad extra operatur, ita etiam debet esse principium amoris notionalis.

Tertia ratio S. Thomæ est, quod nusquam ab uno procedunt plura absque aliquo ordine; videmus enim quod in ordine creaturarum productarum decor divinæ sapientiæ manifestatur, juxta illud Iudith 9. *Tu fecisti priora, & illa post illa cogitasti; omnes enim viæ tuæ paratæ sunt*: idest, ita res à Deo parantur & fiunt, ut alia sint priora, & alia posteriora ordine causalitatis. Vnde si à persona Patris procedunt duæ personæ, scilicet Filius & Spiritus sanctus, oportet esse aliquem ordinem eorum ad invicem: sed non potest alius esse ordo inter divinas personas, nisi ordo originis, quo una est ab alia: ergo Spiritus sanctus procedit à Filio.

Ad cujus rationis intellectum considera, quod licèt ea quæ solo numero distinguuntur, possint procedere ab aliquo uno principio sine ordine inter se; tamen ea quæ specie differunt, & continentur sub aliquo certo ordine, vel integrant aliquod totum, de se petunt habere ordinem & concatenationem inter se: & licèt absolutè aliter fieri possit, congruentissimum tamen est ita fieri. Sicut videmus à sole splendorem, & ab utroque calorem promanare.

Nec obest quod Angeli differunt specie, & tamen unus non procedit ab alio: non obest, inquam, quia ut rectè observat S. Thomas *lib. 4. contra Gent. cap. 24.* inter res quæ specie distinguuntur oportet ut sit aliquis ordo, vel secundùm gradum perfectionis, vel secundùm rationem originis: sed Filius, & Spiritus sanctus distinguuntur quasi specie, & non solo numero, cùm personæ divinæ sint omninò immateriales: ergo inter illas est aliquis ordo; non perfectionis, in qua omnes sunt æquales: ergo est inter illas ordo originis. Adde quod ordo qui est inter Filium & Spiritum sanctum, est talis, ut Filius sit secunda persona, Spiritus sanctus tertia, sicut Pater dicitur prima persona. Atqui ordo ratione cujus Pater dicitur prima persona, exigit ut omnes aliæ personæ ab ipso procedant: ergo ordo ratione cujus Filius est secunda persona, & Spiritus sanctus tertia, postulat ut Spiritus sanctus à Filio procedat, aliàs Filius non esset potiùs secunda persona, quàm Spiritus sanctus.

Quartam rationem addit idem Angelicus Doctor libro & capite laudato, non minùs efficacem, quàm subtilem. Quidquid non est contra rationem alicujus, non est impossibile ei convenire: esse autem principium Spiritus sancti, non est contra rationem Filii, neque in quantum est Deus, quia Pater qui est Deus, est principium Spiritus sancti; neque in quantum est Filius, eo quòd alia est processio Spiritus sancti, & alia Filii; non est autem repugnans id quod est à principio secundum unam processionem, esse principium processionis alterius: relinquitur ergo quod non sit impossibile, Filium esse principium Spiritus sancti. Quod autem non est impossibile, potest esse: in divinis autem non differt esse & posse esse: ergo Filius est principium Spiritus sancti. Quæ ratio non æquè militat pro Spiritu sancto (ut solvatur tacita instantia;) repugnat enim Spiritui sancto in quantum est amor productus, ut sit principium Verbi, cùm essentialiter Verbum productum præsupponat, & ab eo procedere debeat.

Objiciunt Græci: In Scripturis invenimus solum Spiritum sanctum à Patre procedere, nulla mentione facta de Filio, sicut nec de eo fiebat in Symbolo Concilii Nicæni, in quo non habetur particula, *Filioque*; sed tantùm, Qui à Patre procedit: unde particula illa addita fuit à Latinis; & tamen sub interminatione anathematis vetitum fuerat in Concilio Ephesino, ne quidquam illi Symbolo adderetur.

Respondeo, sufficienter haberi in Scripturis Spiritum sanctum procedere à Filio: & licèt vox *processionis à Filio* non inveniatur, reperitur tamen significatum, & sensus illius, ut patet ex dictis. Addit D. Thomas, tum hîc, tum loco citato contra Gentes, regulariter in sacra Scriptura tenendum esse, id quod de Patre dicitur, oportere de Filio intelligi, etiamsi dictio exclusiva addatur, nisi solùm in illis, in quibus Pater & Filius secundùm oppositas relationes distinguuntur. Cùm enim Dominus, *Matth. 11.* dicit: *Nemo novit Filium, nisi Pater*; non excluditur quin Filius seipsum cognoscat. Sic igitur cùm dicitur quod Spiritus sanctus à Patre procedit, etiamsi adderetur quod à solo Patre procedit, non excluderetur inde Filius, quia quantum ad hoc quod est esse principium Spiritus sancti, non opponuntur Pater, & Filius; sed solùm quantum ad hoc, quod hic Pater est, & ille Filius.

Observat etiam idem S. Thomas *libro cit. contra Gent. cap. 25.* quod *non est mirum, si Dominus Spiritum sanctum à Patre procedere dixit, de se mentione non facta; qua omnia ad Patrem referre solet, à quo habet quidquid habet. Sicut cùm dicit, Ioan. 7. Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me Patris: & multa hujusmodi in verbis Domini inveniuntur ad commendandam in Patre*

authoritatem

authoritate principii. Nec tamen in authoritate præmissa (*scilicet Ioan. Qui à Patre procedit* ,) *omninò obtinent se esse Spiritus sancti principium* , *cum dixit eum Spiritum veritatis : se autem prius dixerat veritatem.*

Ad id quod dicitur de additione Symboli, respondemus, quod sicut Concilia majoris explicationis gratiâ addunt nonnulla sacræ Scripturæ, quamvis Apostolus *Galat.* 1. dixerit : *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis* , *anathema sit* ; quia nimirum reipsa non fit additio, sed latentis veritatis explicatio, qua non dicuntur nova, sed novè ; & intelligitur illustriùs, quod antea obscuriùs tenebatur : *Christiana enim Religionis dogma* (ait elegans Lirinensis) *sequatur has decet profectuum leges* , *ut annis scilicet consolidetur* , *dilatetur tempore* , *sublimetur ætate* ; *incorruptum tamen* , *illibatumque permaneat* , *& universis partium suarum mensuris* , *cunctisque quasi membris ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit* ; *quod nihil præterea permutationis admittat* , *nulla proprietatis dispendia* , *nullam sustineat definitionis varietatem* ; *addatur licèt forma* , *species* , *distinctio* ; *eadem tamen cujusque generis natura permaneat* , &c. certè nec nomen Trinitatis, nec ὁμοούσιος in sacris litteris invenitur, quæ tamen in Conciliis firmata sunt : & Concilium ipsum Constantinopolitanum addidit articulum de divinitate Spiritus sancti, ad reprimendam impietatem Macedonii ; quamvis ille articulus in Symbolo Nicæno non esset expressus : sic similiter Concilia Oecumenica sequentia processionem Spiritus sancti à Filio Symbolo inserue re, propter reprimendam emergentem Græcorum hæresim, antiquorum Conciliorum tempore nondum vel exortam, vel saltem vigentem.

Si autem quæras in quonam Concilio hoc additamentum primò factum sit ? Respondet D. Thomas, id factum fuisse in quodam Concilio Romano, cujus temporis non meminit. Credibile est, ut rectè observat Estius *in* 1. *dist.* 11. §. 2. Concilium illud Romanum contigisse circa annum Domini sexcentesimum, ut innuit Concilium Florentinum *sess.* 7. cujus rei signum est, quod ante illud tempus non invenitur Symbolum cum illa additione ; reperitur tamen non multò post in Concilio Toletano octavo, anno 560. & sæculo sequenti in septima Synodo universali, in cujus vetusto exemplari (prolato in Concilio Florentino) habetur sessione 7. Symbolum recitatum cum additione, *Filioque* ; quam posteà Concilia Oecumenica suis calculis confirmarunt : imò quatuor Synodi universales, quæ approbarunt epistolam Cyrilli, ante controversiam exortam errorem Græcorum præfocarunt, ut anteà dictum est. *Et post hæc* (ut verbis Lirinensis utar) *inveniuntur aliqui tanta inveterata frontis duritia* , *tanta impudentia incude* , *tam adamantina pertinacia* , *qui tantis eloquiorum cœlestium molibus non succumbant* , *tantis ponderibus non fatiscant* , *tantis malleis non conquassentur* , *tantis postremò fulminibus non conterantur.*

Dices : Spiritus sanctus sicut est unus & simplex, ita & ab unico principio, & persona procedit : nam si perfectè procedit ab una, frustra requiritur alia, à qua procedit. Unde Damasc. lib. 1. de fide, cap. 11. *Spiritum sanctum ex Filio non dicimus.*

Respondeo, Spiritum sanctum procedere à Patre & Filio tanquam ab unico principio ; sicut etiam tres personæ sunt unicum principium creaturarum, quas una & communi actione producunt. Certè si esset distincta virtus Patris & Filii, rectè sequeretur, Filium non producere Spiritum sanctum, si à Patre perfectè producatur : sed quia uterque & una virtute, & una productione producunt, sequitur potiùs, quod si Pater perfectè producit : ergo & Filius ; cùm sit eadem utriusque virtus.

Ad Damascenum dicendum, S. illum Patrem hausisse à Theodoreto errorem Græcorum. Addit etiam Divus Thomas hîc, *art.* 2. *ad* 3. ex vi illorum verborum non negasse processionem Spiritus sancti à Filio, quia nimirum hæc dixit Damascenus solùm ut subterfugeret hæresim Eunomii, qui asserebat, Spiritum sanctū ex solo Filio procedere, unde ibidem ait, quod Spiritus sanctus est *à Patre per Filium*, indicans proinde esse ab utroque.

Secunda pars speculationis posita est ad explicandam illam propositionem, quæ crebrò invenitur in Patribus, *Spiritus sanctus procedit à Patre per Filium.* Et ejus sensus non est, Spiritum sanctum procedere immediatè à virtute Filii, & mediatè solùm à virtute Patris, sicut nepos est ab avo per patrem in humanis ; sed sensus est, inter Patrem & Spiritum sanctum mediare suppositum Filii, quod priùs origine procedit. Et quià virtus productiva Spiritus sancti, quæ est una & eadem in Patre & Filio, non est in Filio nisi à Patre, rectè dicitur, quod Pater per Filium spirat Spiritum sanctum, id est per virtutem Filio, qua secum producit Spiritum sanctum. *In qualibet actione* (ait S. Thomas q. 36. *art.* 3. *ad* 1.) *est duo considerare, scilicet suppositum agens, & virtutem qua agit ; sicut ignis calefacit calore. Si igitur in Patre & Filio consideretur virtus, qua spirat Spiritum sanctum, non cadit ibi medium, quia hæc virtus est una & eadem. Si autem considerentur ipsæ personæ spirantes, sic cùm Spiritus sanctus communiter procedat à Patre & Filio, invenitur Spiritus sanctus immediatè à Patre procedere in quantum est ab eo, & mediatè in quantum est à Filio. Et sic dicitur procedere à Patre per Filium: sicut etiam Abel processit immediatè ab Adam in quantum Adam fuit pater ejus, & mediatè in quantum Eva fuit mater ejus, quæ processit ab Adam.* Favet huic explicationi Concilium Florentinum in litteris S. Unionis, dicens hanc propositionem esse veram: *Quia omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem ; hoc ipsum quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet.*

REFLEXIO.

Si necessariò Spiritus sanctus debet esse à Filio, si non est à Patre nisi per Filium, profectò nihil à Patre nisi per eundem Filium sperandum est : sicut in ordine naturali *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil* ; ita in ordine supernaturali, *gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, ut dicitur *Ioan.* 1. Hinc Ecclesia omnia per Dominum nostrum Iesum Christum postulat à Patre, sciens quod de plenitudine ejus accipiunt universi. Fidelis planè & potens est mediator Dei & hominum homo Christus Iesus : sed sicut sine ipso nihil Pater largitur, ita per ipsum nihil negabit. *Quid non apud Patrem talem Filius talis obtineat ?* (ait Bern. *serm. de Nativ. Virginis.*) *Exaudietur utique pro reverentia. Pater enim diligit Filium. An verò trepidas & ad ipsum? Frater tuus & caro tua est, tentatus per omnia absque peccato, ut misericors fieret.* Certè qui se terris dedit Deus, & cœlum petentibus dabit ; qui in societatem carnis intravit, in consortium divinitatis intrare nos sinet : homines resumet ex morte, qui mortem sumpsit ; servos libertate donabit, qui in nostram natus est servitutem ; profunderque bonitatis suæ divitias, qui nostram paupertatem suscepit. Ex quo Filius factet noster factus est, homo anteà servus dominum incipit habere Patrem, & suum judicem reus nuncupat genitorem : per Christum primogenitum nostrum omnia possumus & audemus. *Audemus* (ait Chrysolog. *serm.* 70.) *quia præsumptio docentis non est, ubi authoritas est jubentis : ipse enim nos hodie dicere sic voluit, qui nos*

nos docuit sic orare : Pater noster, &c. Et rationem hujus nostræ fiduciæ omnia per Christum impetraturæ subjungit his aureis verbis : *Et quid mirum, si homines Dei consecravit in filios, quando se hominis dedit, & aptavit in filium? Carnis naturam transtulit in divinam, deitatem quando humanam detulit ad naturam : tunc hominem sibi in cœlestibus præstitit cohæredem, quando se participem reddidit terrenorum. Aut homini negare quid amoris poterit, qui totum quod erat, hominis etiam peccatum suscepit, & mortem? Aut quomodo hominem in suis prosperis socium non habebit, qui in adversis hominis se fecit esse consortem? Homo redi ad Deum sic amatus à Deo; & ad illius gloriam da totum te, qui se totum propter te ad suam deduxit injuriam; & voca Patrem fidens, quem tanto amore tuum probas, sentis, intelligis esse genitorem.* Quid suavius.

SPECULATIO II.

Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, si ab eo non procederet.

Licèt hæc quæstio sit de hypothesi impossibili, non est tamen inutilis, ut quidam putant, quia instituitur ad investigandam naturam processionis Spiritus sancti, & ad ventilandam vim rationis, qua Patres & Concilia utuntur ad probandam processionem Spiritus sancti à Filio. Et diligenter observato hanc regulam ad dignoscendum quandonam bene, vel impertinenter supponuntur casus impossibiles. Tunc rectè proponuntur quando facta suppositione impossibili restat adhuc locus dubitandi an prædicatum conveniat subjecto secundùm alias formalitates consideratо; idque fit ad examinandam rerum naturam, & connexionem: sicut rectè inquiritur, an si homo non haberet risibilitatem, distingueretur à brutis; quia restat adhuc formalitas rationalis, per quam potest distingui. Tunc verò malè supponuntur, quando ex propositione talis hypothesis tollitur subjectum secundùm omnem formalitatem, quæ potest in eo concipi; sicut si quæreretur, an si Petrus esset irrationalis, esset homo, quæstio esset implicatoria & nugatoria: nam posito quod Petrus esset irrationalis, tolleretur ab eo omnis ratio ob quam inquiri posset, an esset homo. Similiter non frustrà inquiritur, num Spiritus sanctus distingueretur à Filio, si ab eo non procederet; nam adhuc multæ concipiuntur formalitates in Spiritu sancto, quibus stantibus, & sublata origine, meritò dubitari potest, an distingueretur: & hoc maximè juvat ad venandam, & profundiùs penetrandam rationem formalem distinguendi unam personam ab alia. Hoc posito,

Probatur speculatio primò authoritate. Sacra Concilia, & Patres, ut probent contra Græcos processionem Spiritus sancti à Filio, eo potissimùm firmamento nituntur, quod Spiritus sanctus non posset distingui à Filio, nisi procederet ab eo, ut videre est in Florentino, in quo omnia rationum momenta ad amussim examinata sunt. Sessione autem 18. ideò probatur Spiritum sanctum procedere à Filio, *quia sola relatio divina processione multiplicat Trinitatem, secundùm omnes Doctores, tam Græcos, quam Latinos.* Ergo ex Concilio, cessante processione cessat multiplicatio, & distinctio personarum. Et quamvis ibi non sit definitio, sed doctrina Concilii; tamen summi ponderis ea ratio censenda est, qua sacra Synodus in Spiritu sancto congregata ad definiendam fidei veritatem permota est.

Ratio verò fundamentalis inde desumitur : personæ divinæ non distinguuntur, nisi quatenus opponuntur; in quo enim non opponuntur, conveniunt & identificantur: opponi verò non possunt, nisi relativè; quia in Deo nihil est nisi essentia, attributa, & relationes. Ergo cùm personæ divinæ non opponantur in essentia, nec in attributis, quæ absoluta & communia sunt, necesse est quod opponantur relatione, ut ab invicem distinguantur; & inde ortum est illud proloquium, ab Anselmo *lib. de Spiritu sancto, c. 2.* usurpatum, & communi Theologorum calculo probatum, *In divinis omnia sunt unum, nisi ubi obviat relativa oppositio.* Atqui in Deo non datur oppositio relativa, nisi ratione processionis unius personæ ab alia, ut dissertatione secunda demonstratum est, & est evidens; divina enim simplicitas, quæ est infinita, & qua major excogitari non potest, excludit omnem distinctionem & oppositionem, nisi illam quæ in origine fundatur; quam tollere non potest, quia idem nequit procedere à seipso. Ergo sublata processione Spiritus sancti à Filio, nulla prorsus esset inter utrumque distinctio realis.

Confirmatur, & præoccupantur responsiones Scotistarum oppositam sententiam. Vt relationes filiationis & processionis, seu spirationis passivæ constituant distinctas personas, non sufficit quod ambæ procedant à Patre, una per intellectum, altera per voluntatem; sed necesse est quod una procedat ab altera : nam relationes disparatæ possunt se compati in eadem persona; in Patre enim datur paternitas & spiratio activa; in Filio datur filiatio, & spiratio similiter activa, quæ ideò solùm non inducunt duas distinctas personas, quia una ab alia non procedit: ergo si spiratio passiva non procederet à Filio, non constitueret etiam distinctam personam ab illo. Si enim eadem persona est Pater & spirator, quia spirator non oritur à Patre; cur eadem persona non erit Filius & spiratus, si Spiritus à Filio non procedat? Cur se excludent hæ relationes in termino, quarum correlationes non se excludunt in principio? Numquid ejusdem efficacitatis est spiratio activa, quàm passiva? Ergo sicut spiratio activa non affert novam personam distinctam à Patre, quia non procedit à Patre : ita in suppositione, quod à Filio non procederet spiratio passiva, hoc non afferret personam à Filio distinctam.

Confirmatur rursus, & penetrantiùs traditur radix hujus assertionis. Relatio in divinis non distinguit relativum realiter nisi à suo correlativo; illud enim intercedit discrimen inter ens absolutum, & relativum, quod absolutum, quia constituit Deum in se, eum etiam à quocumque alio extra Deum secernit; intra Deum verò omnia sibi identificat ratione infinitatis & simplicitatis: relatio verò, quia totum ejus esse est ad aliud se habere, præcisè ex vi sua distinguit solùm à correlativo, nisi obstet finitas & limitatio, ob quam distinguuntur relationes creatæ, disparatæ ad invicem. Atqui relationes divinæ sunt infinitæ & illimitatæ: Ergo inter illas non intercedit distinctio, nisi quando sunt correlativæ: sed correlativæ non sunt, nisi quando una originatur ab alia: ergo cessante origine unius ab alia, nulla foret inter illas distinctio: nam si per relationes disparatas possent distingui personæ, sicut in Deo sunt quatuor relationes, ita essent quatuor personæ.

Fit satis objectis.

Objicies: Etiamsi Spiritus sanctus non procederet à Filio, adhuc procederet per voluntatem tanquam amor productus; & Filius procederet per intellectum tanquam natus & genitus. Atqui hoc sufficit ad distinctionem utriusque, etiamsi non sit processio unius ab alio; ita enim docet Anselmus *lib. de processione Spiritus sancti*, ubi expressè ait, Filium, & Spiritum sanctum esse plures per hoc, quod Filius nascendo, Spiritus sanctus procedendo habeat esse : *Et si per aliud non essent plures, per hoc solùm essent diversi.* Ergo Spiritus sanctus distingueretur à Filio, tametsi non procederet ab eo.

Respondeo,

Respondeo, quod si Spiritus sanctus non procederet à Filio, eadem esset illa persona quæ procederet per intellectum & voluntatem, essetque simul Verbum & Amor, persona genita & spirata; sicut jam eadem est persona dicens & amans notionaliter. Ad Anselmum autem dico, ipsum rectè docere, Spiritum sanctum distingui à Filio, quia procedit per voluntatem; cùm enim voluntas Patris sit communis Filio, sequitur quod si procedat per voluntatem, procedat etiam à Filio. Et quod hic sit sensus S. Anselmi, quodve supponat semper originem Spiritus sancti à Filio, ut sit distinctio inter illos, patet ex eodem libro, cap. 3. ubi ait: *Cum apparebit quod Spiritus sanctus est de Filio, tunc quoque palam apparebit, quia propter hoc nequit esse Filius Spiritus sanctus.* Si propter hoc: ergo hoc cessante non esset distinctio. Verum igitur est, Filium & Spiritum sanctum distingui ipsa diversitate nativitatis & processionis; sed prout processio dicit ordinem originis à nativitate, & non aliter.

Dices: Sola subsistente nativitate & spiratione passiva absque origine, manet integra differentia utriusque personæ constitutiva & distinctiva, nempe filiatio, & processio, seu spiratio passiva. Sed manente principio constitutivo & distinctivo personatum, manent personæ constitutæ & distinctæ: ergo seclusa origine Spiritus sancti à Filio, adhuc manet distinctio inter utrumque.

Respondeo filiationem non distinguere Filium à Spiritu sancto, nisi ut est conjuncta spirationi activæ, quæ fundatur in productione: est autem filiatio per se conjuncta spirationi activæ, quia cùm non sit filiatio tantùm ordinis naturalis, ut in humanis, sed etiam ordinis intelligibilis; nam Filius est Verbum, quod est principium amoris: ideò filiatio divina necessariò dicit ordinem spirationis activæ ad Spiritum sanctum. Ex quo etiam patet, quod in illa suppositione non maneret filiatio eadem quæ est modò, quia tunc non esset filiatio Verbi, quæ est per se conjuncta spirationi activæ.

Instabis: Filio constituto per filiationem advenit spiratio activa: ergo spiratio activa non constituit personam Filii, sed constitutam præsupponit. Atqui non potest præsupponere constitutam personam Filii, nisi eam supponat distinctam ab aliis quibuscumque personis; nam idem est constitutivum, & distributivum. Ergo spiratio activa supponit personam Filii distinctam à persona Spiritus sancti. Ergo etiamsi non adveniret personæ Filii, maneret distincta, siquidem ante illam, & non per illam distinguitur, sicut & constituitur.

Respondeo primò, manifestum esse ex dictis, principium illud, *Idem est constitutivum, & distinctivum*, simpliciter quidem, & sine restrictione verum esse in entibus absolutis; tamen in relativis cum limitatione accipiendum esse, eo videlicet sensu, ut idem sit constitutivum, & distinctivum relativi à suo correlativo, sed non à quocumque alio: aliàs ex eo principio sine hujusmodi restrictione accepto probaretur, Spiritum sanctum distinctum iri à Patre, etsi ab eo non procederet; quia in illa hypothesi maneret paternitas, quæ constituit Patrem: ergo maneret id quod distinguit Patrem à Spiritu sancto, si absque limitatione verum est, in relativis idem esse principium constituens, & distinguens. Nisi intelligatur sic: Constitutivum est distinctivum, saltem radicaliter; & sic etiam filiatio, quia est radix spirationis activæ, & formaliter constituit, & radicaliter distinguit.

Respondeo secundò distinguendo illud principium, *Idem est constitutivum & distinctivum*, ab omni eo quod distinctum est, concedo; ab eo quod distinctum non est, nego. Ad rationem enim constitutivi pertinet solùm distinguere ab eo quod distinctum est: in illo autem casu Spiritus sanctus non esset distinctus, sed identificatus cum Filio: sicut modò filiatio non distinguit à spiratione activa, quia spiratio activa non est distincta: ideò verò non est distincta, quia à Filio non procedit; & idem foret de spiratione passiva in illa hypothesi.

Insistes: Non potest eadem persona procedere per intellectum & voluntatem: ergo sufficit ad distinctionem personatum, quod una procedat per intellectum, ut genita; altera per voluntatem, ut spirata, etiam non interveniente processione unius ab alia. Probatur antecedens. Eadem persona nequit produci duabus productionibus totalibus & adæquatis, quarum quælibet nata est unam personam per se producere, aliàs eadem persona bis produceretur, & perfectiones quæ ei datæ sunt per intellectum, iterum de novo darentur per voluntatem eidem personæ; quod absurdum est, & implicatorium. Sed processio intellectus est adæquata, & talis, ut de se nata sit personam per se producere & generare; processio etiam voluntatis de se potens est spirare personam divinam, ut patet de facto in mysterio Trinitatis. Ergo desinente origine maneret sufficiens principium distinguendi Spiritum sanctum à Filio.

Respondeo, in illa hypothesi generationem & spirationem non futuras productiones totales, sed unam & eandem actionem formaliter eminenter generativam & spirativam, & solùm virtualiter distinctam, ac terminatam ad eandem personam genitam & spiratam: sicut in Patre eadem entitas est intellectus & voluntas, generatio & spiratio activa. Ideò autem jam de facto in mysterio Trinitatis generatio & spiratio sunt actiones totales, quia terminantur ad personas distinctas; ideò verò sunt distinctæ, quia una procedit ab alia. Nec sequitur quod eadem persona bis produceretur, sed solùm quod simul & semel terminaret actionem intellectus & voluntatis: unde & uniret in eodem supposito filiationem & spirationem passivam.

REFLEXIO.

Sola processio distinguit Spiritum sanctum à Filio. Sic processio operum nostrorum à Spiritu sancto Christianos ab Infidelibus distinguit. Nulla persona foret Spiritus sanctus, nisi procederet à Filio Dei. Tunc autem sunt opera hominis à Spiritu sancto, cùm & bonum finem sibi præstituit, & officia per se recta sunt. Si alterutrum deest, bona actio non est, nec à Spiritu sancto proficiscitur, mali quippe desiderium nulli Deus inspirat. Bonum autem erit officium, si legi æternæ consonum sit: recta erit, & non distorta intentio, si in Deum feratur; quomodo enim à Deo specialiter esset, quod propter Deum non fit? cùm Deus omnia propter semetipsum operetur. Illas ergo virtutes tanquam suas, & non alias agnoscet Spiritus sanctus, quæ ut ait August. lib. 3. contra Iulian. *Deo serviunt in hominibus*; omnes aliæ aurichalcum sunt, non aurum; solia sunt turpes & scelerati actus contegentia, non bonæ qualitates mentis, quibus rectè vivitur, & quas Deus in nobis operator. Assiduè ergo auxilium Spiritus sancti imploremus, & per eum perveniemus ad veræ pietatis officium, si eum habuerimus adjutorem. *Ab ipso enim* (ait Magnus Leo serm. 1. Pent.) *est invocatio Patris, ab ipso sunt lacrymæ pœnitentium, ab ipso sunt gemitus supplicantium; & nemo potest dicere Dominum Iesum, nisi in Spiritu sancto. Qui inspirator fidei, Doctor scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, & totius est causa virtutis.*

Speculatio III.

Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, ut ab uno principio; exigit tamen ex vi suæ characteristicæ proprietatis, per se procedere à duabus personis distinctis.

PRior pars definitur in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. ubi expressè traditur, Spiritum sanctum esse æternaliter à Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, sed tanquam ex uno principio: quod idem reperit Lateranense. Nec particula *tanquam*, diminutionem aliquam præ se fert, ut putavit Durandus; sed adhibetur ad expressionem, sicut cùm dicitur 2. Cor. 2. *Transformamur à claritate in claritatem tanquam à Domini Spiritu.* Et certè si Concilium acciperet particulam illam diminutivè, non satisfaceret Græcorum instantiæ, qui ut negarent processionem Spiritus sancti à Filio, eo potissimùm utebantur argumento, quod non dantur plura principia Spiritus sancti: quod non sequi Concilium profitetur, quia Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio tanquam ab uno principio: si autem reverà essent plura principia, malè S. Synodus negasset sequelam, vel dolosè mentem suam declarasset, quod cogitare nefas est.

Fundamentum est, quia licèt Pater & Filius sint duo supposita, unicam tamen habent virtutem spirandi Spiritum sanctum, sicut & unicam voluntatem. Sed nomina substantiva, quale est, *principium*, non multiplicantur nisi multiplicata forma; sicut adjectiva non multiplicantur nisi multiplicatis suppositis, ut satis abundè explicuimus suprà, *dissert. 3. c. 1. specul. 3.* Ergo Pater & Filius sunt unicum principium Spiritus sancti, sicut tres personæ sunt unicum principium productionis creaturarum ad extra, quia habent eandem virtutem creandi, & eandem potentiam indivisam. Et eandem ob causam Pater & Filius sunt unus spirator, propter unitatem spirationis.

Posterior pars ex dictis præcedenti speculatione liquet: si enim Spiritus sanctus non distingueretur à Filio, nisi ab eo procederet, & aliunde necessariò debeat procedere à Patre, cui primò & fontaliter convenit omnis fœcunditas, planum est, Spiritus sancti originem utriusque personæ concursum per se exigere.

Aliam hujus partis probationem ex ipsa Spiritus sancti tessera characteristica eruit Angelicus Doctor *q. 36. art. 4. ad 1.* dicens: *Si considerentur supposita spirationis, sic Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, ut sunt plures; procedit enim ab eis ut amor unitivus duorum.* Quorum verborum energia in hoc sita est: Spiritus sanctus procedit ut amor, non qualiscumque, sed mutuus, tanquam nexus & vinculum duorum; unde à Patribus appellatur suavissimum & purissimum utriusque personæ osculum; quia nimirum est terminus amoris perfectissimi, & felicissimi, qui est amor amicitiæ. Atqui amor amicitiæ cùm sit mutuus & reciprocus, exigit plura supposita; nam ut ait D. Greg. hom. 17. in Evang. *Minus quàm inter duos charitas haberi non potest.* Ergo Spiritus sanctus per se petit procedere à persona amante & redamante, subindéque à pluribus personis. Quod sic egregiè explicat idem Angelicus Doctor *in 1. dist. 10. q. 1. art. 3.* ibi: *Pater, & Filius dicuntur uniri Spiritu sancto, non effectivè, sed quasi formaliter. Sed est forma duplex: quædam manens & quiescens in his, quorum est forma; & sic per modum formæ se habet ad personas divinas essentia divina, & sic uniuntur formaliter amore essentiali. Est & aliquid formaliter uniens, non quasi inhærens, sed quasi procedens ab utroque unitorum, ac si diceremus, aliqua duo corpora uniri per aliquem liquorem ab eis procedentem; & ita Pater & Filius uniuntur Spiritu sancto.*

Dices: In una sola persona est sufficiens & adæquata virtus spirandi Spiritum sanctum; neque enim virtus spirativa, quæ est in Patre, accipit aliquod complementum in Filio, cùm sit eadem in utroque. Ergo per se non requiritur concursus Filii, licèt concomitanter Filius Spiritum sanctum comproducat, quia habet eandem vim spirandi cum Patre.

Respondeo, quod licèt virtus spirativa Patris non sit major, nec perfectior evadat ex eo, quod est in Filio; tamen productio Spiritus sancti personam Filii tanquam conditionem per se requisitam exigit: sicut enim amor per se supponit cognitionem, ita Amor notionalis per se supponit duas personas, scilicet Patrem dicentem, & Verbum expressum. Unde Spiritus sanctus ex modo suæ processionis necessariò exigit duas personas sese redamantes, sine quibus non erit amor mutuus, cùm non sit mutuus ex pluralitate actus, sed ex qualitate suppositorum. Addi potest virtutem spirativam quoad omne absolutum, quod importat, esse adæquatè in qualibet persona, sed non quoad notionalia, quæ connotat. Connotat autem essentialiter Patrem & Filium.

Instabis. Productio creaturarum est à tribus personis concomitanter, & veluti materialiter, sed non per se & formaliter, quia si per impossibile foret tantùm unica persona in Deo cum eadem omnipotentia, eo modo ab illa procederent creaturæ, quo à tribus nunc dimanant, quia est eadem omnipotentia in illis, ratione cujus producunt. Atqui est eadem virtus spirativa in Patre & Filio. Ergo etiamsi non esset in Filio, eodem modo procederet à Patre.

Respondeo esse disparitatem, quia creaturæ per se procedunt à supposito creante & omnipotente, sive sit unum, sive plura. At verò amor qui est Spiritus sanctus, per se procedit ab amante & redamante amore amicitiæ, unitivo, amicabili, & perfectissimo, qui non exercetur minùs quàm inter duos.

Urgebis: Exercitium spirandi priùs origine convenit Patri, quàm Filio; siquidem illud accipit Filius à Patre, ut docet Florentinum, & ipsa Veritas, Ioan. 5. *Filius nihil potest facere à semetipso.* Et certè cùm virtus spirativa non sit in Patre in potentia, sed in actu secundo, cùm sit actus purus, planè relinquitur, Filium recipere à Patre ipsam spirationem actualem. Ergo per se Spiritus sanctus non est terminus amoris mutui, cùm per se sit tantùm terminus virtutis spirativæ, quæ est in Patre perfectè & actualiter in illo signo, in quo nondum productus est Filius.

Respondeo, quod cùm Spiritus sanctus à Patre & Filio unica spiratione procedat, fit inde, quod in illo priori, in quo nondum intelligitur Filius, nondum est exercita spiratio activa Patris, cùm productio amoris supponat productionem verbi. Et quamvis virtus spirativa non sit in Patre in potentia respectu volitionis, bene tamen respectu termini illius in ordine ad quem admittitur ratio potentiæ notionalis, ut infrà patebit: unde in illo priori est quidem virtus spirativa in Patre completa complemento virtutis, sed non complemento conditionis per se requisitæ; unde non exercitè terminatur ad Spiritum sanctum, nisi concurrente Filio. Adde quod quia hæc omnia mensurantur eodem nunc æternitatis, nihil facit ad propositum subtilis illa & satis inutilis indagatio, in quanam persona sit priùs origine exercitium spirandi, ut in simili diximus suprà, dum ostendimus Verbum per se procedere ex cognitione Spiritus sancti.

Insistes: Si Spiritus sanctus per se procederet à Patre & Filio, Pater & Filius non essent unicum, sed plura principia Spiritus sancti; nam ad actionem concurrit

non

non solùm virtus agendi, sed etiam suppositum agens: ergo si per se, & non tantùm concomitanter exigantur plura supposita ad productionem Spiritus sancti, exigentur etiam plura principia.

Respondeo, Spiritum sanctum procedere quidem à Patre & Filio, ut sunt plures personæ, sed non ut sunt plures spiratores, vel plura principia; quia ut ait S. Thom. *quæst. 36. artic. 4. ad 7.* spirator & principium sunt nomina substantiva, quæ non multiplicantur, nisi secundùm formam significatam, quæ una & eadem est in Patre & Filio, in quibus est eadem spiratio activa: unde possunt tantùm dici duo spirantes, propter pluralitatem suppositorum; non autem duo principia, vel duo spiratores, propter unitatem spirationis.

Alii aliter salvant rationem unius principii, dicentes principium spirativum non significare immediatè Patrem, & Filium, sed essentiam divinam subsistentem per relationem spirationis activæ, unde resultat spirator, sive principium spirationis. Fundamentum eorum est, quod sicut ex essentia divina & subsistentia absoluta prævenicote tres subsistentias relativas constituitur subsistens quod per se existit, & est principium creaturarum; non tamen est persona, quia subsistens absolutè est communicabile tribus personis: ita similiter ex essentia divina habente virtutem spirandi, & relatione activa constituitur spirator per se subsistens, non tamen persona; quia spirator est quid commune duabus personis, sicut hic Deus tribus. Ex quibus evidenter salvant Spiritum sanctum procedere ab uno principio, licèt emanet à duabus personis; quia principium supponit pro spiratore, qui unicus est, sicut subsistens subsistentiâ absolutâ unicum est principium creaturarum. Unde non est timenda quaternitas personarum, ut quidam ioaniter argumentantur; quia persona addit incommunicabilitatem, quam non habet spirator: sicut nec invehitur quaternitas ex assertione subsistentis absolutè, propter eandem rationem.

Nec obest, inquiunt cum Nazario, quod Sanctus Thomas citato loco, *ad 4.* dicat, *nomen principii spirationis non habere determinatam suppositionem, sed confusam pro duabus personis simul, confusè, & indistinctè*, ut addit *ad 5. & ad 6.* quod tamen non videretur verum si principium spirationis determinatè, distinctè, & inconfusè significet spiratorem per se subsistentem. Non obest, inquiunt, quia hoc nomen, *principium*, dictum de Patre & Filio, habet rationem & nominis singularis, & nominis communis, ut de nomine *Deus*, affirmat sanctus Doctor *quæst. 39. artic. 4. ad 1.* Convenit quidem cum termino singulari, ob unitatem formæ significatæ; cum communi verò, quia invenitur in pluribus suppositis. Quatenus igitur nomen principii & spiratoris est singulare, determinatè supponit pro spiratore; quatenus verò habet rationem termini communis, supponit confusè pro duabus personis simul, non quidem eo sensu, ut tam Pater, quàm Filius sit illud omne quod significat ratio principii Spiritus sancti, alioquin de Patre & Filio scorsim sumptis non posset ratio principii Spiritus sancti enuntiari, vel Pater esset Filius, & è contra; sed quia principium potest de alterutra persona, vel de utraque enuntiari, juxta exigentiam propositionis, ut in hac propositione, *Pater est principium*, sola determinatur persona Patris, sicut cùm dicitur, *Pater est Deus*: in hac verò, Pater & Filius sunt principium Spiritus sancti, utraque persona determinatur, sicut cùm dicitur, *Pater & Filius sunt unus Deus*, vel *sunt hic Deus*.

Hæc sanè probabilia sunt. Verùm, quia relatio spirationis nec novam per se existentiam vel subsistentiam affert, nec incommunicabilitatem specialem personis Patris & Filii, quas supponit constitutas, ideò longè probabilius est, relationem spirationis activæ non afferre, nec constituere speciale individuum subsistens, per quod distinguitur spiratio activa à spiratione passiva, seu processione: nam hæc immediatè terminat naturam divinam, non verò afficit personam jam constitutam; subindéque novam & specialem secum affert. At verò spiratio activa advenit nostro modo concipiendi personis jam constitutis per relationem paternitatis & filiationis, quas necessariò spiratio supponit, subindeque non constituit novum individuum subsistens. Sed principium & spirator supponit confusè pro illis duabus personis secundùm exigentiam propositionis, ut jam dictum est explicando sensum D. Thomæ. Nec valet illa comparatio deducta à subsistentia absoluta; nam ut optimè ait D. Thomas *in 1. distinct. 29. artic. ultimo, ad 2. Diversa est ratio creationis & spirationis, quia spiratio exigit distinctionem in suppositis: unde est aliquo modo a pluribus suppositis in quantum distincta sunt, cùm sit operatio personalis: sed creatio est opus essentiæ divinæ, unde est opus suppositi indistincti, prout essentia significatur ut id quod est, ut hoc nomine Deus.*

REFLEXIO.

Verè Deus unus est: *& si dici possit* (ait Bernardus *lib. 5. de considerat. cap. 7.*) *unissimus est.* Nam in tribus personis perseverat unitas Deitatis, & in duabus personis producentibus Spiritum sanctum unitas principii non secatur. Quàm mirabilis unitas, in qua salvatur sine numero numerus! Nam si duæ personæ agant, quomodo non numerus? Si unicum principium, ubi numerus? Cùm duæ personæ spirent, quis numerum neget? quis numeret tamen? nam unus spirator est? Dicamus itaque duas personas, sed non ad præjudicium unitatis principii; dicamus unum principium, sed non ad confusionem personarum producentium. Sed præcipuè hanc unitatem Deo tam charam pro virili imitemur. Multiplex est unitatis modus (quem recenset citatus Bernardus *cap. 8.*) à nobis sedulò conservandus. *Est unitas*, inquit, *quæ collectiva potest dici*, cùm verbi gratiâ multi lapides faciunt acervum unum: hanc servat homo in civitate. *Est & unitas constitutiva*, cùm multa membra unum corpus, vel multæ partes unum totum constituunt: hanc servat homo in familia, vel Senatu, vel Collegio. *Est & conjugativa*, qua fit ut duo unum sint in carne una: hanc servat maritus cum uxore sua. *Est & nativa*, qua anima & caro unus nascitur homo: hanc servat dominus cum servo suo. *Est unitas potestativa*, qua homo passionibus imperans suis unus sibimet semper nititur inveniri: hanc servat homo cum seipso. *Est consentanea*, qua homo per charitatem omnibus benefacit: hanc servat cum inimicis suis. *Est votiva*, qua homo Deo adhærens unus spiritus est cum illo. Hanc unitatem divinæ spirationis exprimamus, hanc tibi & mihi Lector votis omnibus aveo.

DISSERTATIO VI.

De variis divinarum personarum proprietatibus.



XPOSITIS pro virili, existentia, essentia & numero divinarum personarum, agendum restat de proprietatibus earum, de quibus agit S. Doctor *à q. 39. ad 43.* explicando varias divinarum personarum comparationes quæ in eis concipi possunt, vel per ordinem ad essentiam omnibus communem, vel per ordinem ad personas, quibus constituuntur, vel ad actus notionales, quos producunt, vel ad se invicem, dum inter se referuntur, vel ad creaturas ad quas mittuntur. Hæc omnia complectemur sub proprietatibus intrinsecis & extrinsecis divinarum personarum, quas habent vel intra Deum, vel per ordinem ad creaturas.

CAPUT I.

De proprietatibus internis divinarum personarum.

CErtum est divinis personis quædam appropriari, etiam ex prædicatis essentialibus. Cùm enim essentialia sint magis nota quàm personalia (nam ex creatoris manuducimur ad detegandas perfectiones essentiales, non notionales primæ causæ) hinc est quod per perfectiones absolutas notiores procedimus ad declaranda ignota & recondita mysteria personarum: ergo convenienter à Patribus perfectiones absolutæ personis appropriantur, ut aliqualem personarum notitiam ex eis mutuemur. Sic ea quæ pertinent ad intellectum, attribuuntur Filio, quia procedit per intellectum; Spiritui autem sancto, qui procedit per modum amoris, ea quæ voluntatis sunt, ascribimus.

Hujusmodi appropriationes apud Patres crebrò invenire est. Nam D. Hilarius *lib. 2. de Trinit.* Patri attribuit æternitatem; Filio speciem, seu pulchritudinem; Spiritui sancto usum. Quia æternitas significat esse sine principio; Pater verò est principium, non de principio: pulchritudo verò, quæ dicitur integritas corporis cum proportione membrorum & claritate, habet similitudinem cum proprio Filii, qui habet integram naturam Patris, quam perfectè exprimit tanquam verbum productum in splendoribus Sanctorum, & ut candor lucis æternæ. Vnde ipsum alloquitur Bernard. *serm. 46. in Cant.* sic ait: *Quàm pulcher es Angelis tuis, Domine Iesu, in forma Dei, in die æternitatis tuæ in splendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, & splendor & figura substantiæ Patris; & quidem perpetuus, minimeque fucatus candor æternæ vitæ.* Vsus verò, & fruitio, quæ sunt actus voluntatis, habent similitudinem cum Spiritu sancto, qui est amor quo Pater & Filius diligunt se; & donum quo Sancti fruuntur, juxta illud August. lib. 6. de Trinit. cap. 10. *Est Spiritus sanctus genitoris, genitique suavitas, ingenti largitate nos perfundens.*

Idem S. Augustinus *lib. 1. de Doctrina Christiana, cap. 5.* dicit, quod in Patre est unitas, in Filio æqualitas, in Spiritu sancto æqualitatis, unitatisque concordia. Patri quidem appropriatur unitas, quia etsi per impossibile removerentur aliæ personæ, Patri competeret esse unum Deum, quia deitatem non accipit ab alio. Non tamen esset in illo æqualitas, nisi esset Filius: nec esset nexus personalis inter utrumque, si non procederet Spiritus sanctus.

Aliam ibidem assignat appropriationem S. Pater, asserens Patri potentiam, sapientiam Filio, bonitatem Spiritui sancto; quia potentia non convenit nisi principio, & pater est principium sine principio: sapientia est dos intellectualis, & Filius est verbum paterni intellectus: bonitas est objectum amoris, & Spiritus sanctus amor est. Est etiam alia ratio hujus appropriationis per modum dissimilitudinis. Nam quia Patres terreni præ senectute fiunt debiles; filii verò præ juventute non sunt sapientes; amores verò nostri præ passione sunt mali, ad removendas hujusmodi labes Patri potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto bonitas assignatur. Quam appropriationem indigitat etiam Apostolus in illis verbis: *Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Rom. 11. Nam particula *ex*, designat habitudinem principii, quod convenit Patri: particula *per*, designat habitudinem formæ, per quam artifex operatur, quæ est ars, quam dirigit sapientia, quæ Filio appropriatur: particula verò *in*, designat habitudinem continentis, & in sinu suo foventis & conservantis omnia, quod pertinet ad bonitatem Spiritui sancto appropriatam.

Dixi, præfata appropriari personis, non verò esse illarum propria, ut excludatur error Petri Abailardi, qui ut ait S. Bernard. epist. 190. *Constituit Deum Patrem plenam esse potentiam, Filium quandam potentiam, Spiritum sanctum nullam potentiam, atque hoc esse Filium ad Patrem, quod quandam potentiam ad potentiam, quod speciem ad genus.* Vnde admittebat communia non solùm appropriari, sed esse propria personarum. Quod meritò reprehendit ibidem Bernardus, dicens: *Quis hoc ferat, quis non claudat aures ad voces sacrilegas, quæ non horreat prophanas novitates, & vocum, & sensuum? Dicit propriè, & specialiter ad Patrem potentiam, ad filium sapientiam pertinere; quod quidem falsum: nam & Pater sapientia, & Filius potentia verissimè sunt.*

Porrò in præsenti agimus de propriis personarum attributis, quæ eis personaliter, vel in ordine ad alias personas conveniunt: unde explicabimus proprietates personales, notiones, potentiam & actus notionales, æqualitatem, & circuminsessionem earum.

SPECULATIO I.

In personis divinis admittendæ sunt tres proprietates personales, & quinque notiones.

PRior pars ex dictis suprà *dissert. 3. cap. 1. specul. 1.* est manifesta. Cùm enim personæ divinæ constituantur per relationes, planum est, tot esse proprietates constitutivas personarum, quot sunt relationes constituentes personas. Atqui sunt tantùm tres relationes constituentes personas, nimirum paternitas, filiatio, & spiratio passiva; spiratio enim activa non constituit specialem personam, sed est Patri, Filioque communis. Ergo tres sunt tantùm proprietates personales.

Secunda pars de divinis notionibus indiget solùm expositione. Notio est propria ratio cognoscendi personam, seu nota & character, quo una persona discernitur ab alia. Sed in divinis dantur tantùm quinque hujusmodi notæ, scilicet innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio, & processio. Cujus ratio est, quia ad veram rationem notionis divinarum personarum tria requiruntur (ut tradit S. Thomas *in 1. dist. 2. quæst. 2.*

quæſt. 2. *artic.* 3.) Primò quod ad originem pertineat, quia perſonæ non diſtinguuntur niſi relationibus in origine fundatis. Secundò quod pertineat ad dignitatem; perſona enim eſt ſubſiſtens in natura dignitate præcipua, ſcilicet intellectuali. Tertiò debet eſſe aliquid ſpeciale, quia quod eſt commune, non eſt ſufficiens principium notificandi aliquid, & ab alio ſecernendi. Quinque autem prædicta habent eam triplicem conditionem. Ergo quinque ſunt divinarum perſonarum notiones.

Minor probatur, & declaratur. Cùm perſonæ divinæ conſtituantur & diſtinguantur per relationes origini ſubnixas, poteſt cognoſci perſona, vel per hoc quod eſt principium proceſſionis, vel terminus ejus, vel per negationem proceſſionis. Et ſic prima perſona, quia non procedit ab alia, dignoſcitur per innaſcibilitatem; & quia etiam producit Filium, innoteſcit per paternitatem; & quia cum Filio producit Spiritum ſanctum, Pater & Filius per ſpirationem activam dignoſcuntur. Filius verò, quia eſt terminus generationis, per filiationem notificatur; & Spiritus, quia eſt terminus voluntatis, per ſpirationem paſſivam, ſeu proceſſionem agnoſcitur; & ſic habentur quinque notiones.

Dices: Innaſcibilitas non videtur eſſe notio ſpecialis, cùm ſit negatio, nec res per negationem dignoſcatur, nec per eam exprimatur aliqua perfectio. Et ſanè ſi innaſcibilitas ſit ſpecialis notio Patris & Filii, cur innaſcibilitas,& ingenerabilitas non erit notio Spiritus ſancti, qui non procedit per generationem? Cur improductio, ſeu negatio productionis non erit notio ejuſdem Spiritus ſancti, qui intra Deum nihil producit? Cur ratio verbi, & imaginis in Filio; cur ratio amoris & doni in Spiritu ſancto non erunt ſpeciales eorum notiones, cùm ſint illis propriiſſimæ, nec parvam redoleant dignitatem? Ergo voluntarius eſt numerus notionum, & à nobis confictus.

Reſpondeo, ſatis conſtare ex dictis, dum de perſona Patris, nomen ingeniti & innaſcibilis exprimere quidem, & præ ſe ferre negationem; circumloqui tamen magnam dignitatem, nimirum eſſe perſonam à ſe, & primam: ſubindeque fontem & originem divinarum emanationum: ſicut quando dicimus Deum eſſe infinitum, inviſibilem, ineffabilem, divinam eminentiam ſub his negationibus veluti latentem explicamus. Vide loco illo citato, *differt.* 4. *cap.* 1.

Ad interrogationes conglobatas, quæ ſubduntur, reſpondeo quod dum aſſerimus innaſcibilitatem eſſe notionem Patris, per eam non intelligimus ſolam negationem generationis, ſed omnis omninò proceſſionis. Cujus notanda ratio eſt, quia cùm proceſſio voluntatis præſupponat ordine naturæ proceſſionem intellectus, remoto à Patre quod non ſit genitus, cùm tamen ſit principium generationis, planè ſequitur, ipſum importare negationem proceſſionis per amorem, cùm ſpiratio voluntatis ſupponat dignitatem intellectus. Vnde Spiritus ſanctus innaſcibilis, & ingenitus dici non poteſt eo modo, quo Pater, quia licèt non generetur, generationem tamen Filii, à quo procedit, ſupponit. Pater verò eſt omninò ingenitus, quia nec gignitur, nec generationem ullam ſupponit. Excluſio ergo generationis omnis præſuppoſitæ eſt propria notio Patris: vide alia dum de Patre. Ex quo etiam fit, ingenerabilitatem non eſſe notionem Spiritus ſancti eo modo, quo eſt notio Patris, quia ſaltem generationem præexigit; unde non omnem omninò excludit ſibi anteriorem, ſicut Pater. Improductio verò activa dicit ſolùm ſterilitatem & negationem fœcunditatis, quæ licèt imperfectionem non importet, ſpecialem tamen perfectionem non ſpirat. Ad inſtantiam de nomine verbi & imaginis reſpectu Filii, doni & amoris reſpectu Spiritus ſancti, dicendum quod illa eis nomina appropriemtur, imò & propria ſint; tamen non ſunt notiones,quia hæc omnia includuntur in una adæquata ratione Filii, & Spiritus ſancti, quæ multis indiget nominibus, ut explicetur,ut rectè obſervat D. Thomas *q.* 34. *art.* 2. *ad* 3. nam ut oſtendatur connaturalis, dicitur Filius; ut oſtendatur coæternus, dicitur ſplendor; ut oſtendatur omninò ſimilis, dicitur imago; ut oſtendatur immaterialiter genitus, dicitur Verbum; non potuit autem unum nomen inveniri, per quod iſta omnia deſignarentur: & idem dic proportionaliter de Spiritu ſancto.

Ex his ſequitur, fruſtrà invehi à Scoto ſextam notionem, ſcilicet inſpirabilitatem, ſeu negationem procedendi per voluntatem, quæ convenit Filio. Nam inſpirabilitas non affert ſpecialem dignitatem, nec formaliter, nec virtualiter; quia ſuppoſito quòd ſecunda perſona procedat, nullam ei affert dignitatem non procedere per voluntatem: nam in tantum negatio proceſſionis explicat dignitatem Patris,in quantum per eam tacitè importatur ratio fontis & capitis divinarum originum. Adde quod inſpirabilitas, ſeu negatio ſpirationis paſſivæ involvitur in notione ſpirationis activæ, quæ convenit Patri & Filio; quia hoc ipſo quod una perſona ſpirat, opponitur ei illa, quæ ſpiratur; & proinde illi convenit inſpirabilitas,cui convenit ratio ſpiratoris.

Reflexio.

Sicut quinque notionibus perſonas Trinitatis diſtinguit Theologia, quibus veluti totidem characteribus perſonæ dignoſcuntur; ita divinus Apoſtolus 1. *Cor.* 14. teſtatur, ſe quinque verbis totius Chriſtianæ Religionis ſummam, & boni Chriſtiani ideam exprimere, quibus veluti quinque notis Chriſtiani ab Infidelibus diſcernantur. *In Eccleſia*, inquit, *vole quinque verba ſenſu meo loqui, ut & alios inſtruam*: quæ ſic exponit D. Thomas ibidem, lect. 4. *Ideo ponit quinque, quia Doctor debet quinque docere*, ſcilicet credenda: ad Titum 2. *Hæc loquere, & exhortare*, idest fidem Chriſti,de qua immediatè ante loquebatur. Secundò debet docere agenda: Matth. ult. *Euntes docete omnes gentes, docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Tertiò debet docere vitanda: Iſai. 58. *Clama, ne ceſſes: quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Quartò debet docere ſperanda, ſcilicet mercedem æternam, 1. Pet. 1. *Reportantes finem fidei noſtræ ſalutem animarum: de qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ.* Denique timenda, ſcilicet judicia Dei, & pœnas æternas. Iſai. 13. *Vlulate, quia prope eſt dies Domini, quaſi vaſtitas à Domino veniet.* Et cap. 33. *Audite qui longè eſtis, quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* His veluti quinque lapidibus limpidiſſimis de torrente Scripturarum ſelectis frons impietatis conteri debet. His veluti quinque ſenſibus vita degitur Chriſtiana. Credendo,æternitatem perſonæ innaſcibilis imitamur; nam *quid non invenit fides?* (ait Bern. *ſerm.* 2. *Epiphan.*) *Attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, ipſam denique æternitatem ſuo vaſtiſſimo ſinu quodammodo circumcludit.* Agendo, Patris fœcunditatem exprimimus: vitando mala, Filii ſapientiam æmulamur: ſperando æterna, Spiratorem ſequimur, quia ad divina ſuſpiramus: timendo, Spiritui ſancto conformamur, qui cùm venerit, arguet mundum de peccato, de juſtitia, de judicio.

SPECULATIO II.

In divinis admittendæ sunt potentiæ, & actus notionales; id est, in Patre datur potentia generativa Filii; in Patre & Filio potentia spirativa Spiritus sancti: primæ correspondet dictio, secundæ spiratio, quæ sunt actus notionales, indistincti ab intellectione, & volitione.

PRima pars de potentiis notionalibus probatur. Licèt in Deo non possit salvari ratio potentiæ per ordinem ad actum secundum, in Deo etenim actus primus & secundus non distinguuntur cum fundamento in re, quia Deus est actus purus; tamen non inconvenit admittere in Deo potentiam per ordinem ad terminum productum, & à producente realiter distinctam; sicut admittitur in Deo potentia & omnipotentia respectu creaturarum, non verò per ordinem ad actionem Dei, quæ est ipsa ejus substantia. Atqui in Patre virtus generativa producit terminum realiter distinctum, scilicet Filium: in Patre verò & Filio virtus spirativa producit Spiritum sanctum ab utroque distinctum. Ergo verè, & propriè admitti potest & debet potentia notionalis in divinis.

Atque hinc statim consequitur secunda pars de actibus notionalibus; nam cùm in Deo potentia & actio sint omninò idem, planum est potentiæ notionali correspondere actum notionalem, potentiæ generativæ actum generandi, potentiæ spirativæ actionem spirandi: qui actus notionales sunt origines & processiones activè sumptæ, deputatæ ab omni imperfectione motus & passionis, quæ reperitur in actione creata. Cum quo tamen stat, origines & processiones activas habere veram rationem actionis immanentis, ut docet D. Thomas *quæst.* 27. *art.* 5. Unde non probatur eorum sententia, qui opinantur personas divinas procedere non per veram actionem, sed per simplicem emanationem & resultantiam. Nam modus procedendi per veram actionem est perfectior modo procedendi per simplicem emanationem: actio quippe dicit puram perfectionem; in tantum enim aliquid est perfectum, in quantum est actu: quid autem est actione ipsa actualius, cùm sit ultima agentis actualitas? Simplex autem resultantia manifestam redolet imperfectionem: provenit enim ex imperfectione rei resultantis, quæ est tantùm terminus secundarius agentis, cujus actio per formam veluti defertur ad proprietatem: in Deo autem nihil producitur primariò, ex quo resultent divinæ personæ, ut patet: & non levem dicit imperfectionem, produci non propter se, sed ad exigentiam alterius, ex quo emanando resultet.

Dices: Terminus divinarum processionum sunt relationes, ad quas non datur actio, ut docent Philosophi; sed resultant posito fundamento & termino: ergo divinæ personæ non procedunt per veram actionem, sed per simplicem emanationem.

Respondeo, propriè loquendo relationes non esse terminos divinarum originum, sicut non sunt ejus principium; sed sicut principium divinarum processionum est persona producens, ita terminus earum est persona procedens. Adde quod licèt ad relationes creatas non possit dari actio, quia cùm sint debilissimæ entitatis, non possunt per se produci, sed producuntur per actionem quâ efficitur fundamentum in quo subsistunt: at verò relationes divinæ sunt per se subsistentes; unde possunt terminare propriè dictam actionem, scilicet intellectionem & volitionem. Nec propterea persona producta propriè dicitur facta, effecta, vel acta; quia in communi modo loquendi ea facta dicuntur quæ accipiunt naturam diversam ab esse agentis: unde de Filio signanter ait Athanasius, *Non factus, nec creatus, sed genitus.*

Tertia pars, quæ asserit actus notionales, qui sunt dictio, & spiratio, non distingui ex æquo ab intellectione & volitione, sic ostenditur contra Scotistas. Intellectio est actus adæquatus intellectus, volitio voluntatis; sicut actio adæquata potentiæ visivæ, est visio. Et hujus radix est, quia sicut potentia intellectiva habet pro objecto adæquato ens intelligibile, ita pro actu adæquato habet intellectionem: intelligibile quippe non attingitur, nisi per intellectionem. Atqui dictio est actus intellectus, spiratio actus voluntatis. Ergo dictio est intellectio, spiratio est volitio & amor; ac proinde in intellectu divino non est distinguenda duplex actio, quarum una habeat producere Verbum, & altera, quæ sic intellectio & consideratio Verbi producti: nec similiter in voluntate secernenda est actio spirandi ab amore; sed potiùs Pater eadem actione dicendo intelligit Verbum, & intelligendo illud dicit. Similiter Pater & Filius amando spirant Spiritum sanctum, & spirando amant, juxta illud D. Thomæ, *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, producit verbum.*

Confirmatur profundiùs, & præveniuntur omnes evasiones Doctoris Subtilis. Dictio verbi est actus vitalis, cùm in Deo sit generatio viventis. Ergo est vitalis vitalitate propria intellectûs, à quo procedit. Atqui in intellectu non est alia vitalitas quàm intellectionis & cognitionis. Ergo dictio est intellectio & cognitio. Cujus signum est, quod quanto intelligens meliùs, & perfectiùs intelligit objectum, tanto producit verbum expressiùs, in quo candidiùs, & vividiùs relucet objectum.

Solvuntur quædam argumenta.

Objicies: Verbum procedit à Patre per actionem propriam notionalem, & non communem. Atqui intellectio & volitio sunt actiones communes tribus personis, non verò dictio, aut spiratio. Ergo illi actus distinguuntur.

Hinc hujus argumenti dissolvendi gratiâ mirum est in quot placita abierint antiqui Theologi, quæ breviter recensere, & refellere, præter morem ab aliis carpendis abhorrentem, non erit in præsenti supervacaneum; quia non parum deserviet ad pleniorem actuum notionalium intelligentiam.

In primis Durandus dicit personas divinas non procedere ab intellectu & voluntate, quia sunt facultates communes tribus personis; sed à natura divina: sed hæc sententia suprà *dissert.* 2. *cap.* 1. reprobata est, nec ullatenus satisfacit præsenti difficultati: nam natura divina non est minùs communis tribus personis, quàm intellectus & voluntas.

Secundò alii posuerunt principium divinarum originum esse quid absolutum tantùm; alii verò crediderunt, originem esse solùm relationem. Sed primum dici non potest, cùm absoluta sint communia tribus personis; & tamen potentia notionalis non est illis communis. Secundum etiam sustineri non potest; nam relatio non est actio, nec principium agendi notionaliter; nam terminus productus assimilatur principio productionis, quod est ratio agendi. Filius autem non assimilatur relationi Patris, sed potiùs ei opponitur.

Tertiò alii duplicem intellectionem distinxerunt; alteram absolutam tribus personis communem, aliam notionalem, Patris solius propriam. Sed communiter hæc distinctio exploditur, quia sicut in Deo non admittitur

mittitur duplex intellectus, ita nec duplex intellectio, quæ identificatur cum intellectu absque distinctione virtuali. Et sanè cùm intellectio absoluta, quæ est in Patre, sit infinita, sufficit tum ad cognoscendum objectum, tum ad producendum Verbum. His ergo omissis.

Respondeo, principium divinarum originum esse quid absolutum modificatum per relationem, quam in obliquo importat. Quare sicut in naturalibus forma diversimodè modificata diversos producit effectus, calor prout in igne producit ignem, prout in animali carnem; & eadem forma in partibus diversimodè organizatis diversas exercet functiones, ut patet in anima, quæ discurrit in capite, & movet in corde; in specie intentionali, quæ non exercet vim repræsentativam in aëre, benè tamen in oculo; in gratia, quæ Christum non constituit filium adoptivum, quia adoptionis non est capax filius naturalis; homines tamen, quia sunt personæ extraneæ, reddit filios adoptivos ita proportionaliter excelsa Dei, ut possumus, resonantes, dicere possumus, essentiam, intellectum, & intellectionem modificatam relatione paternitatis producere Filium; amorem verò modificatum relatione paternitatis & spirationis activæ producere Spiritum Sanctum: quod ut magis clareat

Considera essentiam divinam petere connaturaliter esse in tribus suppositis, in uno per modum fontis & producentis, in aliis per modum procedentis; id enim exigit secunda fœcunditas, quæ non nisi processione profundi potest. Hic ergo diversus modus habendi divinam essentiam, est distincta relatio, ratione cujus Pater dicit & communicat essentiam intellectione sua, & Verbum generatur; Pater & Filius spirant Spiritum Sanctum amore suo, & Spiritus Sanctus procedit per modum impulsus. Patet ergo, potentiam & actum notionalem connotare relationem; quia nimirum non ubicumque invenitur deitas, ibi exercetur potentia, vel actio generandi; sed solùm in persona tali relatione affecta: & ita disertè tradit S. Thomas q. 41. art. 5. *Potentia generandi significat in recto naturam divinam, & in obliquo relationem.*

Ex quibus perspicuè respondetur argumento. Verbum procedit à Patre per actionem propriam, idest modificatam per aliquid proprium, verum est; itaque totum quod importat, debeat esse proprium, falsum est.

Dices: Actiones distinguuntur penes objecta: sed objectum intellectionis est res intellecta, objectum verò dictionis, verbum productum: cujus etiam signum est, quod dictio naturâ præcedit intellectionem; priùs enim est verbum produci, quàm intelligi objectum, cùm illud non producatur, nisi ut istud intelligatur. Ergo dictio, seu actio notionalis distinguitur ab intellectione.

Respondeo, quod licèt dictio & intellectio habeant objectum distinctum; tamen quia illa objecta sunt inter se ordinata, optimè respici possunt ab eadem actione habente diversa munia, quorum unum est proferre verbum; & alterum, per verbum objectum contemplari. Nec est infrequens, eandem formam habere diversa munera, quorum unum priùs concipitur quàm aliud, sicut relatio divina priùs intelligitur afficere subjectum, quàm respicere terminum. Hanc doctrinam tradit S. Thomas q. 34. *art.* 1. *ad* 3. inquiens: *Dicere importat principaliter habitudinem ad verbum conceptum; sed mediante verbo importat habitudinem ad rem intellectam, quæ in verbo manifestatur intelligenti.* Addi tamen debet, quod licèt dictio creata præcedat munus intelligendi, quia indiget intellectus creatus verbo ut intelligat; tamen in Deo munus intelligendi præcedit dictionem, quia Pater non producit Verbum ex necessitate, sed ex fœcunditate; non ut intelligat, sed quia intelligit.

Instabis: Potentia, & actus notionalis habent rationem principii *quo* una persona producit aliam: ergo debent distingui à termino producto; nam principium realiter refertur ad terminum: principium verò *quo*, magis obtinet rationem principii, quàm principium *quod*, cùm istud non sit principium, nisi ratione illius; unde utrumque debet distingui à termino producto. Atqui nec essentia, nec intellectio, nec amor distinguuntur realiter à termino producto. Ergo potentia & actus notionalis non consistunt in essentia, vel intellectione, vel amore; sed in aliquo proprio, quod non potest esse, nisi illa actio dicendi & spirandi, ab intellectione, & amore distincta, cùm secundùm nos illud proprium non possit esse relatio.

Respondeo, omissis variis solutionibus, non esse necesse principium *quo* generans agit, esse distinctum à termino genito, sed sufficit ut suppositum generans sit distinctum. Imò potiùs id quo generans generat, debet esse commune genito & genitori, & tanto intimiùs, quanto generatio fuerit perfectior. Cùm ergo generatio divina sit in summo perfectionis, sequitur id quo Pater generat Filium, debere esse commune utrique, non solùm specie, sicut in creatis; sed etiam numero: divina enim natura consubstantialiter possessa, impartibilis est, nec potest aliquid ejus communicari, nisi tota transfundatur, salva tamen manente distinctione relationum. Ex quo patet, evidens discrimen intercedere inter principium *quo*, & principium *quod*; illud enim petit communicari termino, & non referri, nisi per accidens, quando distinguitur à termino producto, ut contingit in creatis; sed istud petit terminum multiplicare, ut ei perfectionem suam diffundat; subindeque necessariò, & per se refertur ad terminum.

Instes: Si actio notionalis productiva Filii nihil aliud sit, quàm intellectio connotans paternitatem; vel illa intellectio antecedit voluntatem, qua Deus vult se generare; vel subsequitur, nostro modo intelligendi. Neutrum dici potest. Non primum; nam si intellectio antecedat voluntatem, Deus non volet generare: & sic amor essentialis, quo Deus amat generationem suam, non præcedet notionalia, cùm tamen essentialia sint priora notionalibus, & Pater generando Filium communicet illi voluntatem & amorem, qui proinde præcedit generationem. Non potest etiam dici secundum: nam si generatio subsequatur amorem, prior erit amor, quàm cognitio, cùm verbum ex cognitione essentiali procedat; non enim nos admittimus intellectionem notionalem distinctam ab essentiali; sed hoc ipso quod intelligitur cognitio in Patre, intelligitur etiam expressio Verbi. Ergo ad vitanda illa inconvenientia dicendum esset, cognitionem & amorem essentialem esse actiones distinctas à dictione & spiratione, illasque istas præcedere naturâ & cognitione.

Respondeo ad hanc multùm necessariam subtilitatem, amorem processionum divinarum antecedere & subsequi processiones sub diversa consideratione; ut enim concipitur in Deo subsistente subsistentia absoluta, antecedit origines; Deus enim comprehendendo actus notionales, & suam essentiam, ea omnia amat: ut verò ille amor concipitur in Patre, subsequitur generationem, sicut & cognitionem; nam priùs origine Pater concipit Verbum, & generat Filium intellectione notionali, quàm amore ipsum prosequatur.

Porrò absolutè evacuatur, & evanescit subtilis illa inquisitio, dicendo cum D. Thoma *quæst.* 41. *art.* 2.

actus

actus notionales esse solùm concomitantes voluntarios, eo modo quo dici potest, Deum velle se esse Deum, quia tam necessarium est Patrem generare Filium, & utrumque spirare Spiritum sanctum, quàm Deum esse Deum. Nec absolutè dici debet, Patrem generare Filium ex voluntate, seu quia voluit; sed generare ipsum naturâ, idest naturaliter & necessariò; & ideò tam crebrò à Patribus dicitur, generationem Verbi esse opus naturæ, non voluntatis, sicut est productio creaturarum. Vnde simpliciter loquendo actus notionales non sunt liberi, sed naturales, ut ait D. Thomas; cùm sint necessarii, nisi libertas sumatur in lanori, & minùs propria significatione, prout liberum opponitur coacto & violento.

Itaque voluntas est concomitans respectu generationis in Patre; & non antecedens. Non enim Pater vult suam generationem voluntate quasi desiderii, sed perfectissimæ complacentiæ, quæ est de bono existente jam possesso. Amor autem & gaudium de bono possesso supponit ejusdem boni præsentis cognitionem. Ergo voluntas qua Pater vult & sibi complacet in generatione tam dilecti Filii, supponit generationem existentem, & cognitam à Patre.

Reflexio.

Intellectio est dictio Verbi: amor est productio Spiritus sancti: nihil in Deo otiosum est. Ergo inanis est illa consideratio, futilisque affectio, quæ in opera non diffunditur. Videte est multos de divinis cogitare, & multiplici pietatis affectu cieri: sed sterilem religionem ille despicit, qui dixit: *Non omnis qui dicit, Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Actus notionales imitatur, qui vult fortiter & integrè; & ut Augustini verbis utar lib. 8. confess. *Non jactat, nec semisauciam hac atque hac versat voluntatem, partem assurgentem cum alia parte cadente luctantem.* Sibi blanditur, & fallitur amor proprius, dum gloriam Dei veluti *extremis mentis labiis*, & (ut ait Gregor. 1. p. pastor. c. 9.) *superficie cogitationis* quærere sibi suadet, & seipsum solom quærit: *& fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.* Exigitur quidem ad vitam christianè peragendam amor affectivus; non enim alio fine venit Salvator, quàm ut sacrum hunc ignem in cordibus suorum accenderet, & magnum illud mandatum hominum animis penitùs infigeret. Tamen pro vero amore spurius, adulterinus, & charitatis inane simulachrum substituitur, nisi diligat opere & veritate: Christi Evangelium solis operibus contentum non est sine amore, nec solo amore sine operibus: larva amoris est, si nullum fructum afferat; hypocrisis operis est, si à charitatis radice non procedat. Præclarè S. Franciscus Salesius *lib.* 11. *Amoris divini, cap.* 4. *Ex divina dilectione duo nascuntur actus, effectivus scilicet, & affectivus amor. Ille quasi alter Ioseph, regia potestate utens, facultates omnes, cupiditates, affectus divinæ mancipat voluntati, ut in omnibus celatur & ametur Deus, impleaturque magnum mandatum: Diliges Dominum ex toto corde tuo. Hic autem quasi alter Benjamin tener, delicatus, jucundus, & amabilis est: at Benjamino, eo felicior, quo parentem charitatem non extinguit nascens, sed suavitatis abundantiâ vividiorem facit.*

Speculatio III.

Inter divinas personas est perfectissima æqualitas, & similitudo; mutua etiam inter ipsas inhabitatio, & circuminsessio.

Prima pars est de fide, ut satis probatum manet ex dictis suprà de divinitate Filii & Spiritus sancti: unde canit Ecclesia cum Athanasio: *Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.* Et iterum: *Tres personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.*

Ratio est clara. Tres personæ eadem divinitate & natura gaudent; salva tamen personarum discretione: ergo perfectissima est inter illas æqualitas & similitudo: nam eo major & perfectior est similitudo, quo forma, in qua plura conveniunt, est magis una: magis autem una esse non potest, quàm cùm est eadem, sicut est in personis divinis consubstantialibus.

Confirmatur, & explicatur in particulari. Si aliqua esset inæqualitas inter personas divinas, vel esset in perfectione naturæ, vel in duratione, vel in potentia: nam in nullo alio potest concipi inæqualitas, quæ non reducatur ad alterum ex his tribus. Sed personæ divinæ non sunt inæquales, sed perfectè æquales in illis tribus. In perfectione quidem naturæ; cùm enim virtus generativa & spirativa sint in divinis personis, in quibus inveniuntur, modo perfecto, nec patiantur in agendo debilitatem, sed ex toto conatu naturaliter, & non liberè operentur, fit inde eas producere terminos omninò sibi in perfectione æquales, & consubstantiales. Et hoc est illud *Homousion*, quod Religionis Christianæ præsidium est, & arx inexpugnabilis, quam aggredi & exturbare conabantur Arriani, *Homoousion*, id est simile, invehentes, unius litteræ additione totam Ecclesiam lacerantes.

Sunt etiam personæ divinæ æquales in duratione: nam si persona procedens non esset coæterna suo principio, vel id esset quia principium noluit producere ab æterno, sed in tempore terminum suum; vel quia virtus productiva non fuit perfecta ab æterno, sed paulatim & successivè compleri debuit in tempore: sed nihil horum dici potest in præsenti; nam nec origines sunt actiones liberæ, nec sunt temporales, cùm sint intellectio & amor divinus, qui æternitate mensurantur. Ergo personæ divinæ sunt coæternæ. Vnde pulchrè Ambrosius opponit Arrio illud Ioan. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum.* Quæ sic pondetat lib. de fide Trinit. *Ioannes dicit erat, erat, erat, quater erat; & tu hæretice dicis quod non erat. Cui ergo credemus, Ioanni in Christi pectore recumbenti, an Arrio inter effusa sua viscera volutanti?* Certè sicut in humanis, quia principia habent initium & finem, & has suis effectibus conditiones imprimunt; ita quia Pater Æternus habet esse sine principio & fine, ita Filium tanquam splendorem coævum ab æterno producit. Hanc rationem tangit eleganter Chrysologus serm. 60. *Fragilitas humana concipitur & concipit; parturitur, & parturit; generatur, & generat; accipit initium, & dat finem; mortem suscipit, & refundit; & reservat in sobole quidquid sua conditionis est & naturæ. Deus verò Pater non genuit in tempore, quia tempus ignorat; non dedit initium, qui initium nescit; non transfudit finem, qui non habet finem: sed sic genuit ex se Filium, ut totum quod in se erat, esset, & maneret in Filio. Qui credit Patrem esse, Filium confitetur; qui credit Patrem & Filium, ætates non sentiat, gradus non cogitet, non tempora suspicetur, non conceptum quærat, nesciat partum: qui Deum credit, divina confessus est, non humana.*

Denique

Denique personæ divinæ sunt æquales in potentia; nam cùm potentia & virtus perfectionem naturæ comitetur, planum est, minorem non esse Filii potentiam, qui eandem cum Patre habet divinitatis plenitudinem. Vnde Ambrof. lib. 5. de Trinit. *In quo ergo minor, qui omnia habet, quæ Pater habet? Nam & omnia à Patre jure generationis expressit.*

Objicies primò: inter quos est prioritas, non est perfecta æqualitas; nam hoc ipso inæquales sunt, quod unus est prior, alius posterior: sed inter Patrem & Filium est prioritas, saltem originis; nam si Pater est prima persona, Filius secunda, profectò inter illas datur prius & posterius secundùm originem. Ergo inter personas divinas non est perfecta æqualitas.

Respondeo, inter personas divinas nullam prorsus dari prioritatem: & licèt quidam Doctores Catholici non refugiant admittere prioritatem originis, hoc ipso quòd una procedit ab alia, rectiùs tamen, & accuratiùs loquitur S. Thomas *quæst. 42. artic. 3.* dum ait, inter personas divinas dari *ordinem naturæ, & originis, non prioritatem*, sequutus pro more magistrum suum Augustinum *lib. 3. adversf. Maximin.* dicentem, inter Patrem & Filium esse ordinem naturæ, *non quo alter esset prior altero, sed quo alter esset ab alio.* Et certè, ut prudenter observat Ioannes à S. Thoma, cùm in Symbolo Athanasii, quod est publicum Ecclesiæ Catholicæ testimonium, & professio solennis, tam advertenter asseratur, quod *in hac Trinitate nihil est prius, vel posterius*; sine dubio cautiùs, & securiùs loquutus est Angelicus noster Præceptor, dum omnem prioritatis, & posterioritatis umbram, & nomen eliminavit, solo inter personas ordine contentus.

Ad objectionem ergo dico, quod licèt personarum una sit prima, altera secunda, alia tertia; hoc tamen non significat prioritatem aliquam & posterioritatem, sed solùm numerum ordinatum; nam ubi sunt plura, ibi est primum, secundum, tertium: incipimus tamen à Patre, quia ab illo aliæ personæ originantur cum ordine inter se: ordo verò inter plura perfectionem & decorem redolet: prioritas verò & posterioritas aliquam diminutionem, vel saltem diminutionis obumbrationem præ se fert. Alia excludendæ rigorosæ prioritatis ratio insinuatur à D.Thoma citato *ad* 2. quia in Patre nihil est nisi natura, vel relatio: prioritas autem non potest convenire ratione naturæ, quia est eadem in omnibus, nec idem est seipso prior: nec ratione relationis, quia relativa sunt simul naturâ & intellectu.

Objicies secundò: In Filio non est potentia generativa, nec in Spiritu sancto spirativa, quæ tamen utraque in Patre invenitur: ergo personæ procedentes non sunt æquales, sed inæquales potentiæ Patris.

Respondeo, potentiam generativam & spirativam secundùm totam perfectionem absolutam suam inveniri æqualiter in singulis personis; nihil enim aliud absolutum includit utraque, quàm intelligere & velle. Licèt verò eadem perfectio relativa Patris, quam addit potentia notionalis, non sit numero in Filio, sicut nec relatio paternitatis; tamen Filius æqualis est Patri in perfectione, quia perfectiones relativæ non distinguuntur specie in ratione perfectionis; & tam perfectum, & dignum est respicere Patrem æternum, quàm ab eo respici, ut *dissert. 2. cap. 2. specul. 3.* ostensum est. Ex quibus liquet, potentiam notionalem generandi, vel spirandi in ratione perfectionis æqualiter in personis inveniri. Vnde D. Thomas *quæst. 42. art. 6.* ait: *Habet Filius eandem potentiam, quam Pater, sed cum alia relatione, quia Pater habet eam ut dans, Filius autem habet eam ut accipiens.*

Objicies tertiò: Si inter personas divinas daretur æqualitas & similitudo, daretur etiam relatio realis similitudinis inter illas; nam ad relationem realem requiruntur & sufficiunt tres conditiones. Prima, quod habeat fundamentum reale; secunda, quod sit habitudo inter extrema realiter distincta: & tertia, quod non habeat esse per operationem intellectus. Illa autem triplex conditio invenitur in personis divinis, quarum similitudo fundatur in essentia divina, exercetur inter extrema distincta, scilicet personas realiter distinctas; idque independenter ab operatione intellectus. Consequens autem est expressè contra S. Thomam *q. 42. art. 1. ad 4.* dicentem: *Æqualitas & similitudo in divinis personis non est aliqua realis relatio distincta à relationibus personalibus, sed in suo intellectu includit & relationes distinguentes personas, & essentiæ unitatem.* Ergo inter divinas personas non datur æqualitas & similitudo.

Respondeo, Scotum, & ejus discipulos admittere inter personas divinas relationes reales æqualitatis, distinctas ex natura rei à quatuor relationibus, quas omnes admittunt; præter quas confingunt in qualibet persona duas relationes similitudinis, duas æqualitatis, & duas identitatis, quibus ad alias duas personas referantur. Vnde consequenter invehunt viginti duas relationes reales in divinis, nempe quatuor ordinarias, & sex relationes similitudinis, sex æqualitatis, & sex identitatis.

Verùm hæc positio, & tam prodigiosa relationum auxesis, suâ videtur propositione paradoxa & portentosa: nam tanta relationum realium ex natura rei distinctarum introductio Patribus ignorata est, iis etiam qui tanta accuratione mysterii hujus circumstantias, accessiones, & peculiaria quæque capita minutim, & ad amussim examinarunt, & pondere Sanctuarii trutinarunt. Nec sanè fas est in tam sacrosancto, tamque arduo mysterio alia introducere, quæ Patres, vel Concilia, vel sacros Doctores latuerunt. Nam, ut egregiè ait Bernardus impugnans Petrum Abailardum, novitatem vocum in mysterio Trinitatis circumferentem: *Nonne omnium meritò in se provocat manus, cujus manus contra omnes? Quid ergo tu? Quid melius affers? quid subtilius invenis? quid secretius tibi relevatum jactas, quod præterierit Sanctos, effugerit sapientes?* epist. 190.

Accedit invicta ratio S. Thomæ *loco citato.* In divinis personis nihil est aliud quàm essentia communis, & personalitas propria: ergo si detur relatio realis æqualitatis & similitudinis, necessariò fundari debet vel in essentia, vel in relatione: sed in neutra fundari potest. Non in essentia, quæ est eadem numero in utroque extremorum; ejusdem autem ad se ipsum non datur relatio realis, sed rationis. Nequit etiam fundari in relatione, quia nulla relatio potest esse fundamentum alterius, aliàs daretur relatio relationis, & processus in infinitum. Ergo relatio similitudinis non est aliqua specialis relatio distincta ex natura rei à personis.

Ad objectionem ergo dicendum, quod ut relatio sit realis, requiritur non solùm quod fundamentum, seu ratio fundandi sit realis; sed etiam quod fundamentum illud sit distinctum in utroque extremo. Cujus ratio est duplex. Primam tradunt communiter Thomistæ ex Cajetano; quia ideò extrema relationis referuntur, quia rationes fundandi realiter referuntur: si enim albedines non referentur secundùm similitudinem, nec ipsa alba referentur: rationes autem fundandi non referuntur inter se, si sit una & eadem numero in utroque extremo, ut patet. Igitur relatio realis requirit fundamentum in utroque extremo distinctum.

Alia

Alia ratio hujus principii est, quia ut sit relatio & correlatio, debet esse oppositio in ea ratione, in qua est relatio: quæ oppositio non consistit in hoc, quod extrema relationis habeant rationes oppositas & contrarias, sed solùm, quod sint in eodem subjecto incompossibiles: v. g. inter Petrum & Paulum datur oppositio relativa identitatis, inter duo alba datur oppositio relativa similitudinis, non quòd natura Petri sit diversa, vel contraria naturæ Pauli, vel una albedo alteri contraria; vel ab ea diversa, aliàs inter Petrum & Paulum daretur relatio diversitatis, & inter duo alba relatio dissimilitudinis: sed ideò datur relativa oppositio inter prædicta, quia natura quæ est in Petro, non potest esse eadem numero in Paulo; nec albedo quæ est in uno pariete, potest alteri inhærere. Atqui Pater & Filius nullam habent oppositionem, vel incompossibilitatem, sed summam identitatem in essentia, quæ est eadem numero in illis: Ergo essentia non potest fundare relationem identitatis, vel æqualitatis; sed summam identitatem.

Adverte igitur diligenter, aliud esse similitudinem, & aliud esse rationem similitudinis, vel æqualitatis. Fatemur quidem personas esse omnimodè æquales in substantia & perfectione, hancque æqualitatem adorari ab Ecclesia, & convenire personis ab æterno; sed tamen non habere relationem æqualitatis defectu conditionis necessariæ ad relationem & correlationem, quæ necessariò exigit fundamentum & terminum formalem distinctum: ad æqualitatem verò, ut sic dicam, entitativam sufficit distinctio extremorum.

Dices: Paternitas & filiatio sunt duæ relationes distinctæ; & tamen habent idem fundamentum, scilicet divinam essentiam: ergo non requiritur ad relationem realem distinctio fundamenti, sed sufficit distinctio extremorum.

Respondeo paternitatem & filiationem, secundùm munus relationis & exercitium referendi, fundari in origine activa, vel passiva connotante subsistentiam personalem, & sic habere distinctum realiter fundamentum: subsistentiæ enim personales in divinis multiplicantur, ut superiùs ostensum fuit. Itaque persona producens est fundamentum paternitatis, persona producta fundamentum filiationis: sicut ergo illæ duæ personæ distinguuntur, ita multiplicatur fundamentum relationis paternitatis & filiationis. Aliqua possent urgeri contra hoc, sed ex dictis de constitutivo personarum divinarum facilè corruunt.

In fine hujus materiæ advertendum est, quod licèt Patres refugiant aliquando fateri, Filium esse similem Patri, propter Semiarrianos, qui ut excluderent ὁμόουσιον, duce Eusebio Nicomediensi, subinducebant ὁμοιούσιον, quæ vox latinè sonat similem in natura; tamen jam sepulto cum fautoribus Semiarrianismo, non solùm nullum est periculum, sed plena necessitas confitendi Filium similem Patri, cùm Filius recipiat eandem naturam Patris per modum similitudinis, & ut imago illius, utpote cùm procedat ut genitus, & generatio sit origo viventis à vivente in similitudinem naturæ. Solenne est Ecclesiæ Catholicæ aliquo tempore vetare propter hæreticos, quod in alio & indulget, & præcipit: sicut aliàs Latini Patres repellebant tres hypostases, ne viderentur admittere tres substantias: verùm cùm exolevit hæc controversia, vel evanuit timor quem timebant, nihil apud Doctores Latinos Catholicissimos usitatius, quàm trium hypostasiùm professio.

Explicatur circuminsessio divinarum personarum.

Secunda pars de mutua divinarum personarum inhabitatione & circuminsessione, quæ Græcè περιχώρησις dicitur, expresse traditur Ioan. 10. *Pater in me est, & ego in Patre.* Quod repetitur *cap.* 14. *& c.* 17. Adstipulantur Patres, quorum verba refert Magister Sententiarum *in* 1. *distinct.* 19. & tota subscribit Ecclesia, dum in hymno Laudum fer. 2. canit: *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

Probat verò hanc veritatem S. Thomas triplici ratione. Prima est, quia hanc reciprocam cohabitationem personarum exigit unitas essentiæ; si enim essentia Patris est in Filio, in eo utique debet esse Pater; ubi enim est essentia alicujus, ibi maximè ipse est: nec potest esse intimior conjunctio, quàm ubi est realis ejusdem essentiæ communicatio.

Secunda, quia hanc circuminsessionem postulant divinæ origines, quæ cùm sint immanentes, exigunt ut terminus maneat in principio: & quia per eas communicatur idem numero esse substantiale principii, necesse est quod principium dando naturam, det etiam seipsum, ac proinde sicut ex vi originis transit natura ad terminum, ita & ipsum principium.

Tertiò id probat S. Doctor, quia id postulant divinæ relationes, quarum una est in alia; quia relata sunt simul naturâ & cognitione. Quæ ratio multis difficilis visa est; nam quomodo potest esse una persona in alia secundùm eam rationem, per quam distinguitur ab illa; per relationes autem personæ distinguuntur & opponuntur: unde per relationem habet quidem una persona quod sit ad aliam, sed non quod sit in alia. Et licèt in conceptu unius relativi importetur correlativum, non tamen importatur per modum inexistentis, sed per modum termini: quod parum conducit ad hoc ut una persona sit in alia.

Propter hoc, & alia multi hanc rationem D. Thomæ floccifaciunt, sed ut notat Capreolus *in* 1. *dist.* 19. *quæst.* 1. mentem S. Thomæ non intellexerunt; nam S. Doctor non intendit ex parte relationis probare, quod una relatio sit in alia secundùm esse, sed secundùm intellectum; sic enim ait q. 42. artic. 5. *Secundùm relationes manifestum est, quod unum oppositorum relativè est in altero secundùm intellectum.* Et in 1. *dist.* 19. *quæst.* 3. *artic.* 2. *ad* 2. ait: *Quod una persona dicitur esse in alia, vel quantum ad esse, vel quantum ad intellectum relationum, quia una intelligitur in alia.* Ex quibus patet S. Præceptorem non intendere, quod de natura relationis sit, quod una inexistat alteri; sed quod in ratione unius includatur alia, & in consideratione unius involvatur consideratio suæ oppositæ; & solùm prætendit S. Doctor explicare omnes modos quibus una persona est in alia. Nec debet illa ratio contemni, qua ante D. Thomam usus est Chrysostomus *orat.* 9. *in fine tomi* 5. ubi ait, inexistentiam personarum intelligendam esse *secundum animi contemplationem, quia nec Filius sine Patre, nec Pater sine Filio cognoscitur.* Imò eam rationem indicat Christus, dum *Joan.* 14. Philippo postulanti, *ostende nobis Patrem;* respondit, *Qui videt me, videt & Patrem.*

Ad illustrandam hanc triplicem Angelici Præceptoris rationem, notandum quod sicut docet idem Sanctus 1. *part. quæst.* 8. *artic.* 1. Deus est in omnibus rebus tribus modis, scilicet per præsentiam, potentiam, & essentiam, quibus Deus omnia videt, omnia producit, omnia contingit: similiter in proposito sicut omnia sunt in cognitione divina, ita in cognitione unius relationis includitur alia; sicut Deus agendo omnia pervadit, ita Pater est in Filio, quem ab æterno produxit, & perenniter producet. Denique sicut essentia divina omnia contingit, ita Pater & Filius in se habitant per essentiæ unitatem.

Aliâ etiam viâ potest illustrari illa tertia ratio D. Thomæ petita ex relationibus. Licèt relationes ordinariæ petant duntaxat simultatem cognitionis, non

verò

verò inexistentiam realem ; tamen illæ quæ resultant ex actu cognitionis & amoris petunt esse simul. Ad cujus claritatem considerato, quod hæc est natura cognitionis, trahere ad se objectum cognitum ; hæc verò est amoris conditio, trahere amantem ad objectum amatum. Et licèt in nobis objectum non fiat realiter præsens intellectui, nec voluntas realiter uniatur objecto amato ; hoc tamen nihil obest, quia ad illam realem unionem tendunt suo modo ambæ illæ potentiæ, sed impediuntur vel propter distantiam objecti, vel propter materialitatem illius, quæ non patitur physicam unionem, sed tantùm intentionalem in intellectu, & affectivam in voluntate, quæ quantumvis objecti amati nexum ardenter concupiscat, cogitur tamen solis suspiriis & affectibus illi conjungi, cujus præsentiam tantoperè concupiscit. Imò quia, dum præsens fit objectum, propter grossitiem illius non possunt in sese veluti transfundi, uniuntur eo arctiori modo quo possunt, nimirum conversatione, colloquiis, tactibus, aliisque id genus ; usque adeò verum est, illa inter quæ est relatio cognoscentis & cogniti, amantis & amati, per se postulare unionem & cohabitationem mutuam & realem.

Igitur Personæ divinæ, quæ constituuntur relationibus fundatis in cognitione & Verbo procedente, in dilectione & amore procedente, non solùm sunt simul cognitione, sed etiam inexistentiâ, præsertim quia illæ relationes fundatæ in amore & cognitione sunt immateriales, subsistentes, & immensæ ; unde sapiunt naturam cognitionis & amoris, atque adeò in se invicem transformantur : cùm enim inter se non correferantur, nisi quia sunt termini cognitionis & amoris, trahuntur & trahunt principium cognoscens & amans, & una alius fruitur, & omnes suavissimis ac juxtà castissimis amplexibus sese indissolubiliter complectuntur.

Reflexio.

Ad divinam æqualitatem pervenire non possumus viles creaturæ, sed divinarum personarum circuminsessionem imitari per gratiam possumus, & tenemur : frustra enim dictum esset, *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo*, nisi divinarum personarum nobis inhabitantium convictu frui liceret. Felices illi, qui illud in veritate frequentant, quod ait Ioan. cap. 1. suæ 1. Epist. *Societas nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo.* Et sicut personæ divinæ in se habitant unitate essentiæ, operationum immanentium efficacia, relationum aspectu mutuo ; sic habitet in nobis Deus effusione gratiæ, quæ est expressio divinæ essentiæ ; jugi meditatione, quæ operationis divinæ imitatio est ; sincero amore, quo omnia ad Deum referimus. Sic tandem ad illam beatam requiem perveniemus, in qua videntes Deum sicuti est, ineffabilem illam personarum circuminsessionem & intuebimur in Deo, & experiemur in nobis ; tunc enim erit Deus omnia in omnibus, ut mirè explicat Bernardus *serm. 11. in Cant.* longiosculis quidem verbis, sed planè aureis, & opportunis. *Deus nondum est omnia in omnibus : hinc est quod ratio sæpissimè in judiciis fallitur, & voluntas perturbatione jactatur, & memoria multiplici oblivione confunditur. Triplici huic vanitati nobilis creatura subjecta est non volens ; in spe tamen. Nam qui replet in bonis desiderium animæ, ipse rationi futurus est plenitudo lucis, ipse voluntati multitudo pacis, ipse memoriæ continuatio æternitatis. O veritas, charitas, æternitas! ô beata & beatificans Trinitas! ad te mea misera trinitas miserabiliter suspirat, quoniam à te infeliciter exulat. Discedens à te quantis se intricavit erroribus, doloribus, timoribus. Heu me, qualem pro te commutavimus trinitatem! Cor meum conturbatum est, & inde dolor; dereliquit me virtus mea, & inde pavor ; & lumen oculorum meorum, & inde error. En quam dissimilem Trinitatem, ô anima mea trinitas, memoria, ratio, voluntas, exulans offendisti! Verumtamen quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, cùm error scilicet à ratione, à voluntate dolor, atque à memoria timor omnis recesserit, & successerit illa, quam speramus, mira serenitas, plena suavitas, æterna securitas. Primum illud faciet veritas Deus, secundum charitas Deus, tertium summa potestas Deus, ut sit Deus omnia in omnibus, ratione recipiente lucem inextinguibilem, voluntate pacem imperturbabilem consequente, memoria fonti indeficienti æternaliter inhærente.* Quid divinius ad explicandam circuminsessionem trinitatis nostræ creatæ cum increata in cœlo futuram.

CAPUT II.

De proprietatibus externis, seu de missionibus divinarum personarum.

HAc materia de missionibus divinis totum hunc librum coronamus, sicut & per missiones illas complentur omnia in nos divini Numinis beneficia. Enumerantur autem missiones inter proprietas personales, quia licèt opera Trinitatis ad extra sint indivisa ; quia, ut ait S. Leo serm. 3. Pentec. *Quidquid in dispositione rerum agit divina moderatio, ex totius venit providentia Trinitatis : una est ibi benignitas misericordiæ, una censura justitiæ ; nec aliquid est in actione divisum, ubi nihil est in voluntate diversum :* tamen quia, ut dicemus, missio fundatur in processione, quæ non est communis Trinitati, ideò missio inter proprietates externas recensetur, quia effectum temporalem connotat personæ procedenti attributum. Vnde subdit *loco citato* Magnus Leo : *Salva cooperatione inseparabilis Trinitatis, quædam Pater, quædam Filius, quædam propriè Spiritus sanctus exequitur. Divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus sanctus igniret.* Inquiremus autem de missione, an & quid sit, quotuplex sit, & quinam sint ejus effectus.

Speculatio I.

Admittenda est in personis procedentibus missio, quæ primò & per se importat personam procedentem ; secundariò connotat effectum temporalem.

PRima pars est de fide, propter expressa Scripturæ testimonia. Ioan. 8. *Qui misit me Pater.* Et c. 15. de Spiritu sancto: *Cùm venerit Paracletus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et alibi sæpè, ut constabit ex dicendis, ubi etiam Patrum dicta pro opportunitate referemus.

Probatur & explicatur. Missio quatuor importat, personam quæ mittitur, principium à quo mittitur, terminum ad quem mittitur, & egressio ejus qui mittitur ad suam functionem obeundam ; ad quæ necessariò requiritur primò, ut persona missa procedat à mittente ; vel per imperium, ut servus à domino mittitur ; vel per consilium, inductionem, suasionem, sicut Rex dicitur mitti à Consiliariis suis ad bellum, vel à Medicis ad balneum : qui modi dicunt imperfectionem aut subjectionis, aut ignorantiæ, aut indigentiæ ; vel per originem, ut flos ab arbore, fluvius à fonte, calor ab igne, radius à sole emittitur. Requiritur secundò, ut persona missa incipiat esse, aut saltem novo modo esse in termino, ad quem mittitur, aliàs non

diceretur mitti, si antea erat, & eodem modo erat.

Atqui utraque illa conditio convenit personis procedentibus, Filio scilicet & Spiritui sancto. Prima quidem; nam procedunt ambo à Patre, & Spiritus sanctus à Filio. Secunda verò; nam Verbum fuit novo modo in humanitate per incarnationem; Spiritus sanctus est novo modo in anima justi per sanctificationem, ut dicemus posteà. Ergo personis procedentibus convenit missio; secùs verò Patri, qui non procedit ab alio, & ideò solùm venire dicitur. Nam sicut prima persona est ingenita; primum ens est à se, non ab alio; primum movens non movetur ab alio, sed est immobile: ita primum mittens est immissibile. Hinc Aug. lib. 2. de Trinit. c. 5. *Pater solus non legitur missus, quia missio dictam ab alio originem complectitur: Pater autem à nullo est. Filius mittitur, sed à solo Patre, à quo gignitur. Spiritus sanctus sicut à Patre & Filio procedit, ita & ab utroque mittitur.*

Secunda pars explicat, quid importet missio, & expressè docetur à D. Thoma art. 2. ad 2. *Missio includit processionem æternam, & aliquid addit, scilicet temporalem effectum.* Idque desumpsit ex Augustino *lib. 4. de Trinit. cap. 20.* dicente: *Mittit qui genuit; mittitur quod genitum est*; & inde probat Patrem non posse mitti, quia à nullo procedit: *Pater non dicitur missus, non enim habet de quo sit, aut ex quo procedat.*

Ratio verò est, quia missio est exitus, & veluti progressio rei missæ à mittente, ad terminum ad quem de novo mittitur: sed una persona non exit ab alia nisi per processionem naturalem, nec procedit ad creaturam, nisi per productionem novi effectus; ergo missio in recto importat processionem, connotans in obliquo effectum de novo productum. Vnde eo ferè modo explicanda est missio, quo actus liber divinæ voluntatis, qui in recto importat amorem Dei necessarium; connotat tamen creaturas indifferenter producendas. Sic missio personæ divinæ est ipsa origo personæ procedentis, quæ extenditur ad aliquam divinæ communicationis largitatem. Vnde patet, quod missio importat primariò aliquid notionale, secundariò verò aliquid essentiale & commune, nempe productionem effectus; quanvis attenta sola significatione vocabuli, magis importari videatur productio effectus. Per quod explicabis multas S. Thomæ authoritates ex sententiis depromptas, quæ huic nostræ assertioni ex ipsomet in Summa excerptæ repugnare videntur.

Dices: Quod mittitur, non producitur, sed supponitur productum, ut ad aliquam functionem de novo designetur: sed per originem personæ divinæ producuntur ab æterno. Ergo in illa origine non consistit missio, quæ est temporalis, & ad extra.

Respondeo, quod licet in actibus moralibus humanæ vitæ missio supponat originem, quia non exercetur, nisi per imperium, consilium, preces, & commissiones; tamen in actibus naturalibus missio fit per realem productionem, ut exemplis suprà exposuimus: onde sufficit, quod in missione aliquid de novo producatur, ut contingit quando personæ divinæ mittuntur. Non vocatur tamen origo divina missio ab æterno, sed in tempore: sicut nec Deus dicitur Dominus vel Creator solùm ex tempore, quanvis omnipotentia, quam principaliter significat dominium & virtus creativa, sit ab æterno.

Quæres, quisnam sit ille effectus, quem connotat divina missio?

Respondeo esse gratiam sanctificantem, quia missio est processio personæ divinæ ad creaturam rationalem novo modo inhabitandam, qui novus modus non potest esse alius, quàm quod Deus specialiter possideatur à creatura per cognitionem & amorem; quæ cognitio sapida & divini amoris spirativa non habetur sine gratia, ratione cujus Deus cohabitat, & convivit nobiscum, juxta illud Sap. 8. *Non habet amaritudinem conversio ejus, nec tædium convictus ejus*, ratione cujus etiam Deus est in nobis tanquam in templo, ubi specialiter colitur, adoratur, amatur, juxta illud 1. Cor. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis vos, & Spiritus sanctus habitat in vobis*; ratione cujus demùm Deus dominatur & regnat in medio cordis nostri veluti in throno, sibi omnes motus, cogitatus, & actus nostros subjiciens, juxta illud Luc. 17. *Regnum Dei intra vos est.* Sicut è contra, quando homo caret gratia, Deus dicitur distans, aversus & longè, secundùm usum loquendi Scripturarum. Proverb. 15. *Longè est ab impiis Dominus.* Sap. 1. *In malevolam animam non introibit sapientia. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Hinc

Sequitur primò, personas divinas non mitti per communicationem effectuum naturalium, quia per hujusmodi beneficiorum largitionem manifestatur quidem Dei sapientia, bonitas, & potentia; sed quia procedunt dona illa à Deo uno, & sunt indivisa Trinitati, per illas personæ divinæ non mittuntur novo & speciali modo, nec per hujusmodi manifestatur Trinitas personarum.

Sequitur secundò, Deum specialiter ad nos non venire, nec personam divinam mitti per gratias actuales, nec per gratias gratis datas; quia nimirum & auxiliorum motio, & gratiarum illarum divisiones peccatum mortale compati possunt: peccatum verò non permittit, Deum specialiter habitare in nobis, cùm potiùs sit remotio & separatio à Deo. Adde quod missio exigit permanentem habitationem in anima, juxta illud Ioan. 14. *Si quis diligit me, diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Quæ mansio non habetur nec per auxilium Dei moventis, nec per attritionem, quæ ut ait Tridentinum *sess. 14. cap. 4.* est *Impulsus Spiritus sancti, nondum quidem inhabitantis, moventis tamen*: potest nihilominus vocari missio initiativè, quatenus ab his auxiliis & motibus piis exorditur justificatio nostra, & inhabitatio Dei apud nos.

Sequitur tertiò, pleniorem esse missionem quando cum gratia sanctificante infunduntur simul gratiæ gratis datæ: nam ut ait D. Thomas quæst. 43. art. 3. *Operatio miraculorum est manifestativa gratiæ gratum facientis, sicut & donum prophetiæ, & qualibet gratia gratis data. Vnde 1. Cor. 12. gratia gratis data nominatur manifestatio Spiritus. Sic igitur Apostolis dicitur datus Spiritus sanctus ad operationem miraculorum, quia data est eis gratia gratum faciens cum signo manifestante. Si autem solùm daretur signum gratiæ gratum facientis sine gratia, non diceretur dari simpliciter Spiritus sanctus, nisi fortè cum aliqua determinatione, secundum quod dicitur, quod alicui datur spiritus propheticus, vel miraculorum, in quantum à Spiritu sancto habet virtutem prophetandi, vel miracula faciendi.* Et idem censendum proportionaliter est de speciali gratia, quam Deus dat summo Pontifici, & Oecumenicis Conciliis ad definiendas res fidei.

Sequitur quartò, Spiritum sanctum toties de novo mitti ad nos, quoties augetur gratia in nobis: quod contingit, ut docet D. Thomas, dum in ferventes actus charitatis prorumpimus, vel rebus caducis efficaciter renuntiamus. Verba Angelici Præceptoris nimium piis, & spiritualibus viris afferunt consolationem, quàm ut omittantur. *Dicendum* (inquit quæst. 43. art. 6. ad 2.) *quod etiam secundùm profectum virtutis, aut augmentum gratiæ fit missio invisibilis, ut cum aliquis ex fervore charitatis exponit se martyrio, aut abrenuntiat his quæ possidet, aut quodcumque opus arduum aggreditur.* Per opus arduum intelligit S. Doctor illud, in quo

quo natura corrupta multùm debellatur : v. g. cùm quis inimico insigni insigne præstat beneficium, cùm Clericus vel Prælatus efficaciter incipit vivere ad normam Canonum, & Conciliorum, præsertim Carthaginensis quarti, & Tridentini ; id est frugaliter in victu, humiliter in vestitu, modestè in gestu, liberaliter in pauperum & afflictorum succursu, ferventer in amplificando Dei honore & cultu, totaliter in animarum Deo lucrandarum fructu. Hoc vocatur opus arduum, significans missionem & adventum Spiritus sancti. Similiter cùm Religiosus laxo collapsam disciplinam regularem in se resarcire satagit, & vitam suam ad strictioris observantiæ, & Instituti sui normam exigere serio incumbit. Denique cùm sæcularis mollis jam non semisaucia voluntate, sed fortiter & integrè sæculi maximas aspernatur, nec iteratis lapsibus ad vomitum redit ; tunc signum est missionis divinæ.

Reflexio.

Ex his facilè dignosces, Lector, an saltem probabile sit, in te Deum venisse, & ad te missam fuisse personam divinam, idest fructibus, effectibusque discernes : nam ut rectè arguit S. Bernard. serm. in Dedicat. *Habitare in corpore animam probant vitales motus corporis ; habitare in anima Spiritum probat vita spiritualis : illud ex visu & auditu dignoscitur, istud ex charitate, humilitate, cæterisque virtutibus.* Ad illos ergo verè missus est Spiritus sanctus, & tota simul Trinitas descendit, qui antea cùm non possent, seu nollent à crapula, comessationibus, impudicitiis, cætérisque similibus & dissimilibus vitiis continere ; nunc à die conversionis suæ firmum sibi vitæ in melius commutatæ propositum adesse bonorum operum perseverantiâ fidem faciunt, & varia pœnitentiæ officia sibimetipsis imponentes, præveniunt judicium Dei. Certè tunc solùm credi debet, Spiritum adesse divinum, cùm homines ultra virtutem humanam, supra naturæ repugnantiam, contra carnis consuetudinem intrepido, & indefesso luctamine pugnant, vincunt, coronantur. Hæc sunt vera signa, adesse potentiam Patris, sapientiam Filii, amorem Spiritus sancti. Quidquid sit, quidquid agas, quibuslibet donis homo utneret, nisi cor sincerè Deum diligat, frustra sibi Deum adesse blanditur. Quicumque ergo cor novum, spiritum novum, novamque in se creaturam non sentit, nec in novitate vitæ incedit ; talis nec suspiriis, nec lachrymis, nec aliis quibuscumque motibus & donis, dari sibi Spiritum sanctum credat : & quia sæpè mentitur iniquitas sibi, & ut ait Gregorius 1. p. Pastor. cap. 9. *Sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, fitque ut aliud in intimis intentio supprimat, & aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat :* ideò semper de absentia personarum divinarum timeamus, ferventi amore eas advocemus, assiduo cultu & teverentia eas in nobis retinemus.

Speculatio II.

Missionum personarum divinarum alia est invisibilis, visibilis altera.

Vtramque hanc missionem dari constat ex Scripturis. Invisibilem quidem, ad Galat. 4. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem, Abba Pater.* Visibilem verò, ut cùm Verbum caro factum est, cùm Spiritus sanctus in die Pentecostes descendit, ut posteà dicemus : & ratio convenientiæ est, quia congruum est ut frequenter veniat Deus ad Sanctos interiùs absque strepitu, ut eos roboret, soletur, sibique secreta communicet. Vnde dicitur Oseæ 14. *Ducam eum in solitudinem, & loquar ei ad cor :* ad quam internam loquelam audiendam necessaria omninò est solitudo & silentium, tum exteriùs fugâ conversationum, tum interiùs mortificatione passionum. Vnde Bernard. epist. 107. *Voci Dei tui dulciori super mel & favum si praeparas aurem interiorem, fuge curam exteriorem, ut expedito & vacante interno sensu, dicas & tu: Loquere, Domine, quia audit servus tuus. Vox hæc non sonat in foro, sed nec auditur in publico : secretum consilium secretum quærit auditum : felix & beata anima, quæ venas susurri divini percipit in silentio.*

Conveniens est etiam quandoque missio exterior, in aliquo effectu visibili refulgens, ut creatura rationalis sensibilibus rebus assuefacta per visibiles hujusmodi apparitiones ad invisibilia rapiatur, & ex his quæ animus novit, surgat ad incognita quæ non novit ; ac per hoc quod scit notum diligere, discat & incognita amare : & ideò in aliquo effectu sensibili repræsentatur persona divina, sive intercedat unio hypostatica, ut in Incarnatione ; sive sit tantùm aliquod signum externum, ut in aliis, quæ sigillatim explicanda sunt.

Prima ergo, & præcipua missio visibilis fuit aspectabilis missio Filii Dei per mysterium & beneficium Incarnationis. Gal. 4. *Cum ergo venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum natum ex muliere, factum sub lege.* De qua missione S. Leo *serm. 5. Nativ.* sic ait : *Hujus splendoris manifestatio missio dicitur, quæ Christus mundo apparuit : & cùm omnia invisibili sua majestate semper impleret, tamen quasi de remotissimo altissimoque secreto, iis quibus erat ignotus, advenit.*

Secunda missio visibilis fuit, quando Spiritus sanctus descendit visibiliter in Christum sub specie columbæ, ut habetur *Matth. 3. & Luc. 3.* quæ quidem columba fuit verum animal, ut docet Sanctus Augustinus lib. de agone Christiano, cap. 22. *Sicut enim* (inquit) *non oportebat ut homines falleret Filius Dei, sic non decebat ut homines falleret Spiritus sanctus : sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam de nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbæ sine aliarum columbarum ministerio figurare, sicut ei non fuit difficile verum corpus in utero Mariæ sine virili semine fabricare.* Non fuit tamen aliqua unio hypostatica inter Spiritum sanctum & columbam, ut ait idem S. Pater epist. 102. ad Evodium : *Illa columbæ species corporalis coaptata non est in unitatem personæ Spiritus sancti, qua impleto significationis officio, mox esse desiit.*

Congruentiæ autem hujus apparitionis egregiæ traduntur à S. Thoma 3. *part. quæst. 39. art. 6. ad 4.* quia nimirum per proprietates columbæ designantur septem dona Spiritus sancti : primò enim columba secus fluenta habitat, ut inde viso accipitre mergat se, & evadat : quod pertinet ad donum sapientiæ, per quam Sancti secus divinæ Scripturæ fluenta resident, ut incursum diaboli evadant. Secundò columba meliora grana eligit ; quod pertinet ad donum scientiæ, qua Sancti sententias sanas, quibus pascuntur, eligunt. Tertiò columba alienos pullos nutrit ; quod pertinet ad donum consilii, quo Sancti alienos pullos, idest homines priùs à Deo alienos, suis verbis & exemplis ad Deum convertunt, & veluti patres spirituales Deo gignunt. Quartò columba non lacerat rostro ; quod pertinet ad donum intellectus, quo Sancti non cogitant mala, nec contra fidem, nec contra proximi charitatem, unde nec mala verba unquam proferunt. Quintò columba felle caret ; quod pertinet ad donum pietatis, per quam Sancti mites & mansueti, omni irâ carent. Sextò columba in cavernis petræ ædificat ; quod pertinet ad donum fortitudinis, qua Sancti in plagis mortis Christi, qui est petra firma, nidú ponunt, idest

idest suum refugium & spem. Septimò columba gemitum pro cantu habet; quod pertinet ad donum timoris, quo Sancti detestantur crimina, & gaudent in tribulatione.

Multæ aliæ assignantur à Patribus causæ hujus sub specie columbæ apparitionis. Primò ad designandum, Spiritum sanctum diligere simplices corde, quia columba est animal simplex, & dolo carens. Matth. 10. *Estote simplices sicut columbæ.* Secundò quia columba, teste Tertull. lib. contra Valent. cap. 2. *divinæ pacis est præco*: unde olim ad arcam Noë reversa est cum ramo olivæ. Hanc columbæ pacificam indolem rectè describit Cyprian. lib. de unit. Eccles. *Columba simplex animal & læta est, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum: hospitia humana diligere, unius domus consortium nosse, cùm generant simul filios edere, cùm commeant volatibus invicem cohærere, communi conversatione vitam invicem degere, oris osculo concordiam pacis agnoscere, legem circa omnia unanimitatis implere.* Quia ergo Spiritus sanctus hanc pacem fovet in Ecclesia, meritò sub columbæ signo comparuit. Tertiò columba in avibus velociùs volitat, ut observat S. Ambr. *serm. 70.* quod indicatur Isai. 60. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas?* Et Psal. 54. *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam.* Sic Spiritus sancti impulsu ad cœlestia cogitanda & amanda celerrimè evolamus. Quartò columba est animal castum, & pudicum, & teste Æliano, non novit adulteria, nec cadaveribus inhiat: unde emissa ab Arca rediit, nec foris mansit, nisi terrâ purgatâ. Spiritus autem sanctus est virginum amantissimus sponsus. Denique columba est animal fœcundissimum, & Spiritus sanctus innumeros filios spirituales quotidie producit.

Tertia missio visibilis fuit in nube, nimirum in transfiguratione Domini, Matth. 17. *Et ecce nubes lucida obumbravit eos.* Nam ut canit Ecclesia in Officio illius festi, *In splendenti nube Spiritus sanctus visus est, paterna vox audita est.* Idem docet expressè August. epist. 102. ad Evod. *Nubes illa lucida, quæ operuit in monte cum tribus discipulis Salvatorem, Spiritum sanctum demonstravit.* Et sequitur S. Thom. *3. p. q. 45. art. 4. ad 2.* & *in hac 1. p. q. 43. artic. 7. ad 6.* Convenientiæ sunt primò, quia sicut nubes populum Israeliticum in Palæstinam per desertum perduxit, juxta illud Exod. 13. *Nunquam defuit columna nubis per diem;* sic ad cœlum Spiritu sancto ductore prævio pervenimus. Psalm. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Secundò, sicut nubes interposita defendit Hebræos ab Ægyptiis, ut habetur *Exodi* 14. *& Numer.* 14. ita Spiritus sancti munimi clypeo hostem repellimus longiùs. Tertiò in nube Dei majestas ostendi solet. Exod. 16. *Ecce gloria Domini apparuit in nube.* Et Matth. 4. *Videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & majestate.* Subobscurus enim, & refractus splendor, qui est in nube lucida, majestatem insinuat. Spiritus autem sanctus, utpote Deus, incomprehensibili majestate fulget. Quartò nubes sunt proxima pluviæ materia, juxta illud Psal. 146. *Qui operit cœlum nubibus, & parat terræ pluviam.* Spiritus autem sanctus imbribus suarum benedictionum totam irrorat, & inundat Ecclesiam. Et sicut aqua per nubes effusa mundat sordes, fœcundat terram, temperat ardorem, extinguit sitim: sic Spiritus sancti gratiis lavat, & super nivem animam dealbat, bonis operibus ditat, æstum passionum temperat, & torrente voluptatis spiritus animum potat.

Quarta missio visibilis Spiritus sancti fuit in vento & flatu, Ioan. 20. *Insufflavit in eos, & dixit: Accipite Spiritum sanctum.* Et Actor. 2. *Factus est repentè de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis.* Congruentiæ sunt primò, quia processio Spiritus sancti est veluti quædam spiratio cordis divini, quo Pater veluti impellitur in Filium, & vicissim. Secundò ventus est invisibilis, & tamen ejus sonus auditur: sic Spiritus sanctus sub aspectum non cadit, ejus tamen vox & interiùs auditur per inspirationes, & exteriùs per prædicationes. Tertiò, ventorum initium & terminus ignorantur, & nemo est qui judicia & vias Spiritus sancti in hac vita intelligat: nam *quis cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Et, *Animalis homo non percipit quæ sunt Spiritus Dei.* Quartò ventus naves ingentes, & onustas per maris undas vehementer impellit; & Spiritus sanctos homines corpore quod corrumpitur aggravatos, sacrorum motuum afflatu per hujus mundi procellas dirigit ad portum salutis sempiternæ. Quintò, ventus aërem purgat, aquas movet, glacies liquefacit, nubes cogit in pluvias. Sic Spiritus sanctus peccatorum sordes expurgat, eorum mentes minis & promissis commovet, cordis duritiem frangit & emollit, flat, & fluunt aquæ, & gemitus inenarrabiles.

Quinta missio, & omnium celeberrima fuit in linguis igneis die sacratissimo Pentecostes, ut describitur *Actor.* 2. quæ quidem apparuit sub specie linguæ. Primò, quia veniebat ad Verbi incarnati gloriam manifestandam; sicut enim Filius est Verbum Patris, ita Spiritus sanctus est veluti lingua manifestans præcellentiam Verbi Divini. Vide Gregorium *homil. 30. in Evang.* Secundò, quia descendebat præcipuè ad movendas linguas Apostolorum; unde in linguis igneis apparuit, quia ut ait ibidem Gregorius: *Spiritus omnes quos repleverit, ardentes pariter & loquentes facit.* Tertiò, ut indicaret viros Apostolicos priùs quàm prædicent, & loquantur coram populis, debere impleri Spiritu sancto, ut ex abundantia cordis os loquatur, juxta illud Actor. 2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis.* Cœperunt tunc, quia nisi venisset abundantia Spiritus, Apostoli tacuissent. Et aliqui garruli adhuc spiritu suo, & sæculi pleni loqui gestiunt, nec expectant tempus loquendi, priùs volentes docere, quàm cœperint facere. Quid mirum si audiamus tam paucos concionatores Apostolicos? *Quod tuum est spargis, & perdis* (ait Bern. serm. 18. in Cant.) *si priusquam infunderis in totus, semiplenus festinas effundere. Quam ob rem, si sapis, concham te exhibebis, & non canalem; hic siquidem penè simul & recipit & refundit; illa verò donec impleatur, expectat; & sic quod superabundat, sine suo damno communicat.*

Illæ verò linguæ erant igneæ. Primò ignis purgat corpora, illuminat, calefacit, & accendit, penetrat & intima pervadit. Ita Spiritus sanctus mentes purificat, radiis veritatis illustrat, flammis charitatis accendit, & interiora hominis sua præsentia replet & decorat. Secundò ignis est levissimus, ad superiora semper tendens; simplicissimus, ab omni concretione & mistione alienus; efficacissimus, & in actione promptissimus, ut patet in tormentorum bellicorum explosione. Sic Spiritus sanctus illos quos replet, ad cœlestium amorem, ad inferiorum & terrenorum contemptum, & quidem citissimè, & efficacissimè permovet: nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia, & ut ait S. Leo serm. 1. Pent. *Ipse Spiritus veritatis facit domum gloriæ suæ luminis sui fulgore nitere, & in Templo suo nec tenebrosum aliquid vult esse, nec tepidum.* Tertiò, ignis quorumdam corporum alia consolidat, ut vasa fictilia; alia emollit, ut ceram & butyrum; alia obdurat, ut lapides, & marmora; alia destruit & consumit, ut ligna & paleas. Sic Spiritus sanctus humiles corroborat, qui ejus gratiâ adjuti nullis parcunt laboribus, nullis franguntur injuriis, nullis alliciuntur mundi blanditiis;

blanditiis; pios compunctione & amore liquefacit, juxta illud Cant. *Anima mea liquefacta est ut dilectus loquutus est.* Peccatores obdurat, non quidem impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam: & tandem eos devastat & punit zelo iræ suæ; nam Deus noster ignis consumens est. Hæc omnia potes, Lector, variis Scripturarum & Patrum sententiis illustrare pro concionibus.

Advertendum tamen est, hanc esse differentiam inter missionem visibilem & invisibilem, quod in prima mittitur una persona sine alia, ut solus Filius visibiliter apparuit in humanitate, solus Spiritus in specie columbæ: at in invisibili non mittitur una persona sine alia, imò omnes veniunt in animam justi, & mansionem apud eam faciunt; & ideò omnibus justis conferuntur omnia dona, tam ea quæ pertinent ad intellectum, & appropriantur Verbo, quàm ea quæ pertinent ad voluntatem, & appropriantur Spiritui sancto; quod sanè (in confusionem nostram dico) apparet in idiotis quibusdam, tam viris, quàm mulieribus justis, præsertim Monachis conversis, vel Monialibus, qui omni sapientia humana destituti, habent scientiam Sanctorum, & prudentiam Spiritus; ducunt enim vitam integram sine crimine & querela: quod summæ prudentiæ & mirabilis judicii, consiliique argumentum est: nam in hoc quotidie cespitat prudentia sæcularis, & hominum politica disciplina.

Objicies ad Eucharistiam peracta consecratione mittitur persona Filii, ut ibi novo modo existat: Sed illa missio nec est visibilis, cùm Christus non apparet; nec invisibilis, quæ solùm contingit per productionem gratiæ, quæ non est in Sacramento, ut in subjecto, sed ut in instrumento. Ergo missio non adæquatè dividitur in visibilem & invisibilem, modo à nobis explicato.

Confirmatur. In illis creaturis aspectabilibus, purà columba, aëre, vento, igne, Spiritus sanctus non fuit novo aliquo modo, nec per gratiam, cujus sunt incapaces, nec per unionem hypostaticam, ad quam non fuerunt assumptæ. Ergo tunc non fuit missio alicujus personæ divinæ, sed solùm repræsentatio illius.

Respondeo ad objectionem, missionem Christi ad Eucharistiam reduci ad invisibilem; quia Christus non mittitur ad Sacramentum, ut ibi sistat, sed transeat ad fideles cibo cœlesti pascendos. Christus enim est ibi ad modum cibi, qui ad esurientem ordinatur, quem pascit, vel impinguat, juxta dispositionem stomachi. Ita panis ille Angelicus animam divinis muneribus replet, & opimat pro fervore accedentis.

Ad confirmationem respondeo in missione visibili verè mitti personam divinam, quæ operatur sanctitatem, non in illam quidem creaturam irrationalem, sed in rationalem, super quam tale visibile signum apparet; imò talis visibilis missio designat uberiorem collatæ gratiæ plenitudinem, ut rectè declarat S. Thom. q. 43. art. 7. ad 6.

R e f l e x i o.

Præclarè observavit August. *lib. 4. de Trinit. cap.* 20. hoc visibilem inter & invisibilem missionem interesse discrimen, quod per priorem persona divina venit in hunc mundum, per posteriorem verò facit homines esse extra mundum, eosque ad æternitatem transfert. *Quia*, inquit, *& nos secundùm quod mente aliquid æternum, quantum possumus, capimus, non in hoc mundo sumus; & omnium justorum spiritus, etiam adhuc in carne viventium, in quantum divina sapiunt, non sunt de hoc mundo.* Tunc ergo invisibiliter ad nos mittitur Spiritus sanctus, cùm mundo morimur, non separatione corporis ab anima, sed affectu à sæculo; cùm odisse incipimus quæ mundus amat; cùm præsentium hospites, futurorum appetitores, æternam illam patriam, contempta temporalium falsitate suspiramus; cùm non desinimus cœlestia sitire, & humana fastidire; cùm dulcescunt nobis vilia, & quæ priùs fuerant pretiosa, vilescunt; cùm utimur hoc mundo tanquam non utentes, & nostra conversatio in cœlis est. Hæc de missione invisibili. Missionem verò visibilem personarum divinarum imitantur Apostolici illi Clerici & Religiosi, qui fervidis missionibus evangelizant pauperibus, & pluviam voluntariam, quam segregat Deus hæreditati suæ, liberaliter effundunt, & per diversa loca aspera & plana, per civitates & castella, apud Catholicos & hæreticos veluti nubes volant, id est, ut exponit Gregor. homil. 12. in Ezech. *& verbis pluunt, & exemplis coruscant.* Veritates & maximas Evangelicas purè & sine fuco annunciant, non in sublimitate sermonis, sed in ostensione virtutis; non prurientes auribus, sed corda cientes & scindentes; non loquentes placentia, sed solida; arguentes, obsecrantes, increpantes in omni patientia & doctrina. Heu! mundus abundat Sacerdotibus & Religiosis, & tot parvuli in oppidulis, in vallibus petunt panem, & non est qui frangat eis! Væ væ Prælatis dormitantibus! Væ Presbyteris otiosis! Per solas missiones impletur prædestinatio, quæ est transmissio creaturæ rationalis in vitam æternam.

S p e c u l a t i o III.

In missionibus divinarum personarum dantur nobis specialiter ipsa persona divina, & innumerabilis honestas per manus earum.

Prima pars contendit ita esse peculiarem modum existentiæ personæ divinæ in Sanctis, ad quos mittitur, ut si per impossibile Deus non esset immensus, sequeretur per locum intrinsecum, Deum realiter adesse justo, quem sanctificat: adesse, inquam, non affectivè solùm, sed physicè, realiter, & substantialiter. Ita docet expressè S. Thomas *in* 1. *dist.* 37. *quæst.* 1. *art.* 2. dicens: *Isti modi, quibus Deus existit in rebus, distinguuntur ex parte creaturæ, in quantum diverso modo ordinatur in Deum, & conjungitur ei; non diversificatur rationis tantùm. Cùm enim Deus in rebus esse dicatur secundùm quod eis aliquo modo applicatur, oportet ut ubi est diversus conjunctionis & applicationis modus, ibi sit diversus modus essendi. Con ungitur autem creatura Deo primo modo secundùm similitudinem tantùm, in quantum invenitur in creatura aliqua similitudo divinæ bonitatis, non quod attingat Deum secundùm substantiam: & ista conjunctio invenitur in omnibus creaturis divinam bonitatem assimilantibus; & sic erit modus communis, quo Deus est in omnibus creaturis per essentiam, præsentiam, & potentiam. Secundò creatura attingit ad ipsum Deum secundùm substantiam suam consideratum, & non secundùm similitudinem tantùm; & hoc est per operationem, scilicet quando quis fide adhæret primæ veritati, & charitate ipsi summæ bonitati; & sic est alius modus quo Deus specialiter est in Sanctis per gratiam.*

Quibus verbis formaliter docet S. Doctor, modum specialem existendi per gratiam esse realiter & substantialiter distinctum à modo immensitatis. Et rationem fundamentalem tradit, quia scilicet in tantum Deus est præsens creaturæ, in quantum ei per operationem suam applicatur; ratio enim formalis, qua Deus occupat locum, est operatio, seu contactus virtutis, ut superiori tomo ostendimus. Atqui Deus speciali modo applicatur justo per gratiam, quam ei peramanter largitur, & per virtutum omnium comitatum,

quem simul infundit: ergo fit ei realiter conjunctus & præsens per gratiam.

Confirmatur. De ratione amoris est quod tendat ad unionem amantium; & perfectioris amoris, ad unionem perfectiorem: sed amor perfectus non est contentus unione affectiva, quæ provenit ex apprehensione objecti; sed inclinat & pergit ad unionem realem, qua conjungitur objecto intimiùs quàm potest: ergo amor perfectior erit etiam ad realem unionem proclivior. Atqui amor quo Deus prosequitur justos, est perfectissimus, & maximè unitivus: ergo non quiescit in morali & affectiva unione, sed physicam & intimam cum satet, si eam non inveniret. Quod sanè indicant illa verba Ioan. 14. *Ad eum veniemus*, idest personaliter accedemus. Quod expendens Bernardus *serm.* 2. *in Dedicat.* piè clamat: *Vnde hoc mihi, ut veniat majestas Dei ad me? quanta Dei benignitas? quanta dignatio? quanta gloria animarum? quod Dominus universorum, & qui nullam habet indigentiam, templum sibi fieri jubet in illis.*

Dices. S. Thomas sæpiùs inculcat, per gratiam Deum esse præsentem in justis, *tanquam objectum cognitum & amatum.* Sed denominatio extrinseca cogniti & amati non exigit, nec significat realem præsentiam objecti cogniti & amati; cognoscimus enim, & amamus absentia: onde si per impossibile Deus esset solùm in cœlo, ipsum possemus fide cognoscere, spe expectare, charitate diligere. Ergo missio præsentiam realem per locum intrinsecum, seu per se non requirit.

Respondeo, Deum per gratiam & missionem esse præsentem in nobis ut objectum cognitum & amatum cognitione & amore experimentali, quibus Deum in nobis præsentem veluti percipimus, ut eo fruamur. Nam, ut ait sanctus Doctor quæst. 43. art. 3. ad 1. *per donum gratiæ gratum facientis perficitur creatura rationalis ad hoc quod liberè non solùm creato dono utatur, sed ut ipsâ personâ divinâ fruatur; & ideò missio invisibilis fit secundùm donum gratiæ gratum facientis; & tamen ipsa persona divina datur.* Quam experimentalem notitiam statim exponemus.

Secunda pars postulat ut explicemus favorum cœlestium comitatum, quibus animæ justæ per missiones divinarum personarum cumulantur. Primò itaque per missiones divinas omnes personæ divinæ ad nos veniunt; licèt enim sola secunda, & tertia mittantur, quia solæ procedunt; Pater tamen cum illis venit, quia perfecta amicitia, qua Deus nos dignatur, exigit præsentiam & convictum amicorum, nec patietur abesse Patrem nos tantoperè diligentem, & dona sua tam longè communicantem. Vnde licèt non debeat concedi, Patrem seipsum mittere, nihil tamen vetat dicere, Patrem dare se nobis; illud enim dari dicitur, quod liberaliter alicui communicatur. Nec datio importat aliquam authoritatem; nam etiam multi non refugiunt, homines aliquo sensu posse dare divinas personas, non quidem dominio ullo, vel virtute principali conferente gratiam, sed per modum instrumenti; vel moralis, orando pro infusione sancti Spiritus; vel physici, producendo gratiam in Sacramentis. Vnde *Matth.* 10. dicitur: *Gratis accepistis, gratis date.* Et Episcopus initiandis Sacerdotio dicit: *Accipite Spiritum sanctum.* Et Presbyteri verè remittunt peccata, juxta illud Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Vnde facit homo ut ab alio homine habeatur Spiritus sanctus, qui ab Ecclesia dicitur, *Remissio peccatorum.* Si igitur homo aliquo bono sensu dat personam divinam, quia cooperatur communicationi illius, à fortiori in aliquo bono sensu Pater & tota Trinitas dant se justis, idest se communicant.

Secundò personæ divinæ ad nos specialiter venientes, vel missione, vel datione, operantur in nobis non solùm habitus factos, sed etiam ad actus pios jugiter movent. Tum quia sicut Deus non est præsens nisi per operationem, ita facit justos sibi præsentes per eorum cooperationem: unde dixit sanctus Thomas, Deum esse tunc præsentem tanquam objectum cognitum & amatum. Certè sicut amor divinus est infundens, & creans bonitatem in rebus, sic divina operatio operantes facit; quia unumquodque est propter suam operationem, & perfectiùs est in actu secundo, quàm in actu primo. Igitur Deus non fit specialiter nobis præsens, nec nos bonis spiritualibus ornat, nisi ut operemur, & ei omnes cogitationes & affectiones conferamus, à quo habemus ipsa quæ conferimus. Et ideò dicitur, quod gratia *est fons aquæ salientis in vitam æternam*; & quod *qui credit, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*; quia nimirum personæ divinæ in animis justorum illapsæ non otiosæ manent, sed identidem mentem cœlestibus desideriis ad amorem Dei inflammant, quibus anima roborata cupiditates vincit, & ad Deum suspirat, Deo placere studet, & Deum diligit non verbo, neque lingua, sed opere & veritate, sed factis & corde. Hinc præclarè observat sanctus Thomas *in* 1. *distinct.* 4. *quæst.* 2. *artic.* 1. quod per missiones divinas fit quædam mirabilis *regiratio*, & *circulatio*. Nam sicut anima rationalis à Deo effluxit per personas divinas (nam verbo Domini omnia facta sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum;) ita per easdem personas ad Deum gressibus fidei & charitatis reducitur, & revocatur.

Tertiò egregiè observavit sanctus Bernardus *serm.* 1. *in Dedicat.* eadem operari Spiritum sanctum interiùs, quæ Pontifices exteriùs in consecratione Ecclesiarum efficiunt, quæ sunt quinque: *Aspersio, inscriptio, inunctio, illuminatio, benedictio.* Primò siquidem aspergit nos hyssopo, ut mundemur, lavemur, & super nivem dealbemur. *Lavat nos in confessione, lavat nos lacrymarum imbre, lavat sudore pœnitentiæ.* Secundò inscribit legem suam, non jam in lapide, sed in tabulis cordis carnalibus. *Beatus quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.* Tertiò inungit, quia oleo effuso gratiæ suæ dilatat cor nostrum ad currendam viam mandatorum Dei, & crucem quotidie ferendam: *Quia nec sine cruce sequi Christum, & sine unctione crucis asperitatem ferre quis posset.* Ex quo infert, non esse mirum, tot esse qui refugiant crucem & rigorem pœnitentiæ. *Hinc est, quod multi abominantur & fugiunt pœnitentiam, crucem quidem videntes, sed non unctionem.* Quartò illuminat; nam veritates cœlestes unctio docet, inanitatem ratiuncularum humanarum demonstrat, & facit ut luceat lux justorum coram hominibus, & videant opera bona, & glorificent Patrem qui in cœlis est. Quintò benedicit, quia non solùm prævenit nos in benedictionibus dulcedinis, sed etiam perducit nos cum benedictis Patris ad regna cœlestia, ubi abundanniùs aperiet manum suam, & implebit omnem animam benedictione.

Quartò hæc specialis divinarum personarum inhabitatio addit quendam spiritalem attactum personarum in anima, quæ Deum sibi præsentialiter inesse quasi experitur: quæ experimentalis cognitio (ait D. Thomas *in* 1. distinct. 16. quæst. 1. artic. 2.) *ex plenitudine gratiæ & amoris redundat in mentem.* Dum nimirum gustat homo, & videt quoniam suavis est Dominus; nec tantùm scit, sed & patitur divina, ut de Hierotheo dicebat Dionysius. Quod etiam tradit sanctus Thomas hic, *art.* 5. *ad* 2. his verbis: *Non*

secundum

secundum quamlibet perfectionem intellectus mittitur Filius, sed secundum talem institutionem, vel instructionem intellectûs, qua prorumpat in affectum amoris, ut dicitur Ioan. 6. Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me. Et in Psal. In meditatione mea exardescit ignis. Et ideò signanter dicit Augustinus, quod filius mittitur cùm à quoquam cognoscitur atque percipitur. Perceptio autem experimentalem quandam notitiam significat; & hæc propriè dicitur sapientia, quasi sapida scientia.

Ad cujus majorem lucem considera, quod sicut licèt animam nostram non videamus, tamen experientiam præsentiæ & animationis ejus sentimus, quia nos vivificat & vitaliter movet: sic Deus amicis etiam per fidem ambulantibus seipsum intimè & experimentaliter attingibilem præbet; non quidem claiè, sed subobscurè, post parietem, per cancellos, & quibusdam indiciis (nam certitudinem præsentiæ ejus per gratiam nemo citra revelationem habere potest, ut fides catholica in Tridentino fatetur) in animam & ejus potentias influit, sicut vitis in palmites, vita vitæ nostræ, anima animæ nostræ, intimo nostro intimior, & Deus cordis nostri. Quam cognitionem experimentalem habebat Paulus dum dicebat: *Vivo ego jam non ego, vivit verò in me Christus?* Et iterum: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod Filii Dei sumus.* Quæ indicia divinæ præsentiæ egregiè sanctus Thomas *in 1. distinct. 4. quæst. 2. art. 2. ad 2.* vocat *divinæ personæ sigillationem.* Et *Apocal. 2.* dicuntur calculus: *Dabo illi calculum candidum, & in calculo nomen novum, quod nemo scit nisi qui accipit.* Et ibidem dicitur *Manna absconditum*; hocque fit cum tanta connaturalitate, ut Sancti, præsertim contemplativi, personas divinas in se esse & operari veluti perciperent. Vnde *Sap. 7.* dicitur: *Mitte illam de cœlis sanctis tuis, ut mecum sit, & mecum laboret.* Ex quibus maximè roboratur veritas primæ partis hujus speculationis: nam quomodo posset Deus esse vita nostra, principium vivificum operationum internarum, objectum experimentaliter perceptum & gustatum, positâ distantiâ & absentiâ reali? Ergo missio per locum intrinsecum præsentiam exigit personarum.

Atque ex his intelligere poteris, & utinam quandoque experiaris, pie Lector, quod Theologi mystici passim tradunt de oratione passiva, in qua mens pura, terrenisque affectibus defæcata, non secus ac crystallus pellucida solaribus radiis oblata, ita in Deum transformatur, ut nihil agere videatur, sed Deo frui. Non est autem sic existimanda hæc oratio passiva, ut voluntas omninò otietur, & nihil agat; quin potiùs in ferventiores actus prorumpit: Sancti enim aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant, ut dixit August. sed tanta facilitate, suavitate, & connaturalitate Deum contemplantur & amant, ut non tam agere, quàm divina pati, seu recipere videantur: nec egent longo discursu, inquisitione, vel prolixo meditationis circuitu; sed statim uno veluti intuitu ad contemplationis culmen ascendunt, & sacri amoris flammas concipiunt.

REFLEXIO.

Hanc divinarum personarum præsentiam & illapsum desiderare magis libet, quàm eloqui, cùm praxi magis percipiatur, quàm oratione explicetur. *Da amantem* (inquit August. tract. 26. in Ioan.) *& sentit quod dico; da desiderantem, da ferventem, da in ista solitudine peregrinantem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem; da talem, & scit quid dicam.* Felix anima, quæ divino amore ebria sibi feliciter elapsa in abysso divinitatis natat. Sed hæc arcana revelare quis poterit? Nam ut pulchrè alicubi dixit Bernardus: *Non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus: quomodo enim Græcè loquentem non intelligit, qui Græcam linguam non novit; nec Latinè loquentem, qui Latinus non est: sic lingua amoris, ei qui non amat, barbara erit.* Id explicat sanctus Augustinus *epist. 57. ad Dardan.* similitudine soni, quem æqualiter in aëre sonantem pari vicinitate surdus non capit, surdaster imperfectè capit, & inter eos qui perfectè capiunt, alius alio perfectiùs & suaviùs percipit harmoniam. Sic Spiritus sanctus in se immutabilis suâ præsentiâ corda movens, & replens, à quibusdam omninò non percipitur; ab aliis auditur, sed non gustatur; ab aliis experimentaliter attingitur. Quid pretiosius personis divinis? quid securius quàm manere in Deo? quid jucundius quàm Deo frui? Bona ebrietas! non mero, sed vero ingurgitans; non vino, sed Deo ardens. Hæc si experiri aves, Lector, Deo operanti cooperatione tua fideliter responde, monentem excipe, pulsanti aperi, humilitate advoca, puritate suscipe, charitate fove, omnium virtutum officiis concilia & demerere; præsentem adora, age sacrum Aulicum, & scies quid sit Dei missio. Hanc reciprocam Dei tangentis corda, & animæ fideliter correspondentis actionem mirè describit sanctus Augustinus *tract. 56. in Ioan.* cujus aureis verbis totum hunc librum coronamus. *Deus Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo, ut sit eorum non extranea visio, sed interna; & in nobis eorum non transitoria mansio, sed æterna.* Amen.



LIBER QUARTUS.

De Deo primo Principio, & de creaturis ejus, scilicet Angelo, corpore, & homine.

PRÆLOQUIUM.

SICUT Solem intueri nequimus adversum, ejusque radiis acies nostra, sensusque vincitur & hebetatur; sic ad divinæ lucis obtutum mentis nostræ oculi caligant, & diuturniores Majestatis tantæ scrutatores opprimur r à gloria. Quamobrem necesse est ut parumper à Divinitatis, quæ lucem habitat inaccessibilem, contemplatione desinamus, ut vel saltem ipsum in effectis suis adumbratum veluti in speculo, in imagine, in signis, vestigiisque commodiùs & tolerabiliùs cernamus, imitemurque Sculptorem illum, qui oculos attenta imaginis incisione fatigatos smaragdi gratissimo viridi recreabat. Considerata igitur in seipsa Divinitate & Trinitate, ad creaturas procedendum est.

Neque hæc tractatio Theologiam nostram deprimet, vel à suo instituto deflectet; siquidem in consideratione creaturarum (ut rectè observat D.Thom. *lib.2 cont.Gent.c.4.*) aliter Philosophus, aliter Theologus procedit. Philosophus enim considerat res secundùm suam naturam, & in hoc sistit: Theologus verò de eis agit in quantum Dei altitudinem repræsentant. Unde *Eccles.42.* dicitur, quod *gloriâ Domini plenum est opus ejus*, & quod *effudit sapientiam super omnia opera sua.*

Quare hæc factorum divinorum meditatio summè utilis est Theologo, ut ibidem fusè discurrit idem Præceptor sanctus. Tum ad sapientiam divinam demirandam, juxta illud Psal.138. *Mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.* Tum ad pariendam in cordibus hominum divinitatis reverentiam, juxta illud: *Consideravi opera tua, & expavi.* Tum ad animos hominum in amorem divinæ bonitatis accendendum; nam ut egregiè, nec minùs piè S Th m. ibidem: *Si creaturarum bonitas, pulchritudo, & suavitas sic animos hominum allicit, ipsius Dei fons bonitatis rivulis bonitatum in singulis creaturis repertis diligenter comparatus animas hominum inflammatas totaliter ad se trahet.* Unde *in Psal.91.* dicitur: *Delectasti me Domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo.*

Denique valet hæc consideratio ad multorum errorum destructionem, ut ibidem *cap.3.* Angelicus Doctor prosequitur; sæpiùs enim contingit errores, qui circa creaturas sunt, à fidei veritate abducere, ut patet in illis, qui creaturis divinitatem, vel rationem ultimi finis asseruere; qui libertatem arbitrii destruxere, voluntatem hominis astris supposuere, & sic de aliis. Ideoque illis qui circa creaturas errant, pœnas sicut infidelibus Scriptura comminatur Psal.27. *Quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum ejus, destrues illos, & non ædificabis eos.* Convenienter ergo post divini Numinis contemplationem descendimus ad considerandos Dei Creatoris effectus, & supremi Gubernatoris œconomiam.

Ut autem methodicè procedamus, totam hanc materiam ab ipso primo principio auspicabimur, ejusque potentiam ac virtutem creandi explicabimus. Deinde divinæ virtutis effecta veluti totidem radios divinæ bonitatis contemplabimur, non ut in ipsis more Philosophorum sistamus, sed ut ipsis veluti gradibus ad Deum ascendamus. & de singulis creaturis in speciali disseremus, nimirum de spiritualibus, scilicet Angelis; de purè corporalibus, ubi de opere sex dierum erit sermo; & de homine, corpore & spiritu constante disputationem habebimus. Demùm divinæ gubernationis consideratione totum hunc librum coronabimus.

DISSERTATIO I.

De causalitate & virtute creandi primi Principii.

PRIMI Principii dotes utcumque pro virili explicabimus, si ejus causalitatis universalitatem, & virtutis ejus objectum, quod est ens è nihilo producibile, exponamus. Primum priori capite, secundum posteriori præstabimus.

CAPUT I.

De causalitate primi Principii.

EX dictis in primo libro satis, superque constat, divinæ simplicitati repugnare rationem causæ materialis & formalis intrinsecæ, quibus essentialiter annexa est imperfectio partis incompletæ, & potentialitatis permixtio, divinæ puritati, & plenitudini è diametro opposita. Quare solùm de causa efficiente, exemplari, & finali, quæ ab omni imperfectionis labe mundæ sunt, agendum restat.

SPECULATIO I.

Deus est prima rerum omnium causa efficiens, & exemplaris.

PRimam partem omnes nedum Catholici, sed etiam Philosophi confitentur. Vnde mirum est, cò Durandum post fidem non pervenisse, quò ante fidem Philosophia pervenit. Credidit enim Deum non esse immediatam causam operationum, nec subinde effectuum causarum secundarum; & eatenus Deum esse causam primam, quatenus in principio rebus creatis indidit virtutem producendi effectus.

Verùm hæc positio repugnat Scripturæ & Patribus, inter quos August. ad hoc institutum probandum quædam ponderat Scripturæ loca *epist.* 146. his verbis: *Quomodo negare poterimus, Deum etiam nunc operari cuncta quæ creantur, cùm Dominus dicat: Pater meus usque nunc operatur. Vnde illa cessatio septimi diei, ab ipsis naturis condendis intelligenda est facta, non ab earum administratione, qua condita referuntur. Cùm ergo natura rerum à Creatore administretur, & per ordines proximis locis & temporibus suis cuncta nascantur, Deus usque nunc operatur. Nam si Deus ista non format, quomodo loquitur: Priusquam te formarem in utero novi te? Quomodo etiam accipi potest, quod fœnum agri quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit? Nisi fortè credendum est fœnum à Deo vestiri, & à Deo corpora non formari? Cùm enim dicit, Vestit, non de præterita ordinatione, sed de præsenti operatione se loqui satis indicat.* Quod ibidem aliis testimoniis confirmat.

Ratio est, quia cùm omne ens creatum sit ens per participationem, necesse est ut ab ente per essentiam promanet, aliàs non posset Deus res annihilare, si non ageret immediatè in omnes; neque enim Deus ad nihilum redigere potest, nisi quatenus suspendere valet concursum quem præbet eisdem: ergo ad omnia immediatè debet concurrere. Plura de his *lib. de primo Motore*, agemus.

Dices: Si Deus post creatas rerum causas insuper producit immediatè omnes earum effectus, frustra requiritur concursus causarum secundarum: si enim causa prima omnia efficit, secunda nihil agit, vel actum agit: ergo planè est supervacaneus alterutrius concursus, cùm ex uno sufficienter prodeat effectus.

Respondeo, propter hoc argumentum nonnullos arbitratos esse, creaturas nihil agere in productione effectuum naturalium, sed Deum ad quarumdam præsentiam certos producere effectus. Quem errorem multipliciter impugnat D. Thom. *lib* 3. *contra Gent. cap.* 69. Tum quia ex diversis rebus oritur effectuum diversitas; videmus enim ex determinatis causis determinatos effectus prosilire, sicut sequitur ex igne calefactio, non infrigidatio; ex semine hominis nascitur homo, non leo: ergo in hanc diversitatem debent influere causæ creatæ. Cùm enim Deus non varietur per hoc, quod operatur in rebus diversis, non sequerentur per se diversi effectus ex diversitate rerum in quibus operatur. Tum quia operatio sequitur ad esse actuale; ideò enim Deus est omnipotens, quia est actus purus: si ergo Deus communicavit rebus creatis similitudinem suam quantum ad esse, consequens est ut eis communicaverit similitudinem quantum ad agere; abundantia enim divinæ bonitatis exigit, ut non solùm esse, sed etiam virtutem suam creaturis diffundat.

Tum quia sicut Deus est summè bonus, omnia debet non solùm benè, sed etiam optimè facere: melius autem est conferre rebus productis bonum communicabile aliis, quàm proprium & peculiare; quia bonum commune est divinitas: ergo Deus contulit rebus bonum aliis communicabile: sed bonum alicujus non fit commune nisi cùm diffunditur per actionem: ergo decuit divinam bonitatem, ut creando res dederit eis vim transfundendi perfectionem suam agendo. Tum quia destineretur ordo Vniversi, & pariter ejus harmonia, si creaturæ nihil agerent; rerum enim, quæ sunt diversæ secundùm suas naturas, non est colligatio & conspiratio ad ordinis unitatem, nisi per hoc quod quædam agunt, & quædam patiuntur. Demùm periret etiam scientia naturalis, in qua præcipuè demonstrationes ab effectibus sumuntur.

Ad argumentum ergo dicendum, causas diversi ordinis posse influere in eundem effectum, sed sub diversa ratione: sic causa prima & universalissima illum producit sub ratione speciali, ut explicabitur dum de creatione. Nec propterea alterius causæ concursus est superfluus: nam ut egregiè ait S. Doctor cap. 70. *Non est superfluum si Deus per seipsum potest omnes effectus naturales producere, quod per quasdam alias causas producuntur; non enim hoc est ex insufficientia divinæ virtutis, sed ex immensitate bonitatis ipsius, per quam suam similitudinem rebus communicare voluit, non solum quantum ad hoc, quod alicrum causæ essent à his enim duobus modis creaturæ communiter divinam bonitatem & similitudinem consequuntur.*

Secunda pars de causa exemplari confutat delirium Platonis, qui ut refert Aristot. 1. *Met. text.* 2. (si tamen ei non imponit, ut quidam timent) ponebat quasdam ideas separatas, quas Deus intuens mundum condiderat. Quod reprobans August. *lib.* 83. *qq. q.* 46. ait: *Non Deus extra se quidquam positum intuebatur, ut secundùm id constitueret quod constituebat; nam hoc opinari sacrilegum est.*

Ratio est, quia Deus omnia produxit ex sua infinita virtute & sapientia, qua excogitavit ordinem Vniversi, & distinctionem partium ejus, designando quibuscumque rebus formas determinatas. Sed ad hoc necesse fuit ut rerum omnium exemplaria in sua mente haberet; non enim artifex operatur nisi habeat ideam operis

operis mente præconceptam : ergo Deus est causa exemplaris rerum omnium, quatenus videt suam infinitam perfectionem esse à creaturis diversimodè imitabilem. Sed de his diffusiùs actum est dum de ideis divinis.

Reflexio.

Non esset Deus primum efficiens, nisi foret primum exemplar. Nec tu, Lector, quidquam boni efficies, nisi tibi præclaram ideam efformes actionum tuarum regulam, ad quam respiciens opereris. Omnia fortuitò, casuque evenirent, nisi exemplaria divina præluceret, quæ agendis modos & numeros præfinirent. Et tu in negotiis temerè & inordinatè te geres, nisi Deum, ad cujus imaginem & similitudinem conditus es, *inspicias, & facias secundum exemplar quod tibi monstratum est*; ut si per te defeceris, per illum qui te fecit, reficiaris; & ille te reformet, qui formavit. Deum ergo semper ante oculos habeas, quo spectante vivas, quo dirigente perficias. Ad ipsum mores exige tuos, hunc tibi propone semper & custodem & exemplum. Hunc archetypum præ oculis semper habe, & sculptorem te gere simul ac pictorem, ut in te quæ superfluunt veluti rumines, quæ desunt depingas. Frequens est jam speculorum usus, vel abusus, quo homines, præsertim vanissimæ mulieres, faciem suam pingunt, & lenocinante vario fuco vultum suum vultibus vestiunt alienis; hoc si faræ, non quod natura præstitit, sed quod ei ad examen speculi levitas dictaverit. Nunc emendant, nunc delent vultus speciem; nunc subjiciunt aliam, nunc parturiunt novam. O quantum est in rebus inane! Verum & sine macula speculum est illud per quod omnia facta sunt: hoc intuens, si formosus es, formosior eris; si deformis, turpitudinem cernes, & corriges. *Forma conversationis fidelium* (ait Magnus Leo serm. 3. Quadrages.) *ab exemplo venit operum divinorum; & meritò Deus imitationem sui ab eis exigit, quos ad imaginem & similitudinem suam fecit.*

Speculatio II.

Deus est productionis rerum causa finalis.

HAnc veritatem perspicuè tradit Scriptura Prov. 6. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Isai. 48. *Ait Dominus: Propter me, propter me faciam.* Apoc. 1. *Ego sum alpha & omega, principium & finis.* Vnde Dionys. cap. 4. de div. nomin. *Ipse omnium causa propter bonitatis excessum cuncta amat, nec dimisit ipsum sine germine in seipso manere*: idest, ut ait D. Thom. *lect.* 19 amor divinus non permisit ipsum manere in seipso sine creaturarum productione: ex amore enim suæ bonitatis processit quod bonitatem suam voluit diffundere, & communicare aliis.

Ratio est: Deus producendo effectus creatos agit propter finem; cùm enim Deus operans ad extra producat determinatos effectus, debet etiam determinatum finem intendere, ne vagè & casu operetur. Sed ille finis non est alius, quàm divina bonitas; nam cùm Deus sit infinitè perfectus, non agit propter suam utilitatem, qui bonorum nostrorum non indiget; sed solùm suæ bonitatis plenitudinem effundere prætendit. Ergo finis Dei agentis est sua bonitas ut communicanda creaturis.

Dices: Deus non solùm ordinat creaturas ad suam bonitatem, sed etiam ad fines creatos, v. g. partes ad totum, dispositiones ad formam, merita ad præmium, irrationalia ad hominem: ergo sola Dei bonitas non est finis operationis Dei.

Respondeo, Deum ordinare creaturas à se productas ad fines particulares, sed illas, & fines earum subordinare sibi tanquam fini ultimo. Unde in rei veritate voluntas divina non movetur ab ulla creatura, sed solùm à sua bonitate; quia licèt Deus velit ea quæ sunt ad finem, ordinari in finem; tamen velle finem creatum non est ei causa volendi quæ sunt ad finem, quod aureis, & compendiosis verbis expressit D. Thom. suprà, q. 19. art. 5. *Deus vult hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc, sed solùm propter suam bonitatem, ob quam omnia vult.* Plura de his suprà, dum de voluntate Dei.

Instabis: Si Deus omnia velit, & producat propter suam bonitatem, voluntas & actio Dei habebunt aliquam causam, scilicet finalem. Consequens repugnat; nam cùm voluntas & actio Dei sint ipsa substantia Dei increata & independens, nequit habere ullam veram causam: ergo.

Respondeo, Deum non agere propter bonitatem suam tanquam propter causam, sed tanquam propter rationem finalem, quod valde differt; nam sicut unum attributum Dei non potest habere causam à qua procedat, benè tamen rationem à priori per quam demonstretur, sicut ex immaterialitate intellectus, ex simplicitate immutabilitas, & ex ipsa æternitas virtualiter consequuntur: ita similiter licèt habere causam finalem arguat imperfectionem, & dependentiam involvat; non tamen habere rationem finalem: nam Deus verè & propriè ex præcognitione & amore suæ bonitatis movetur ad amandum, producendumque creaturas. Nec Deus amat creaturas, nisi in quantum in eis resplendet divinæ bonitatis similitudo. Nam ut ait D. Thom. in 3. distinct. 32. quæst. 7. art. 7. *Vnicuique habenti cognitionem amabile est proprium bonum. Vnde cùm in Deo sit sui perfecta cognitio, amat suam bonitatem. Bonum autem alicujus non solùm dicitur secundum hoc quod in ipso est, sed secundùm quod in alio est per similitudinem. Vnde cùm bonitas, quæ est in creatura, sit similitudo divinæ bonitatis, sequitur quod ipse creaturam diligat.* Nota tamen, quod licèt actio Dei non sit propter causam finalem, benè tamen effectus Dei, qui divinæ bonitati subordinantur, & ab ea dependent.

Insistes: In Deo amor creaturarum est electivus; cùm enim eligere sit unum è multis legere in ordine ad aliud, planum est amori divino competere electionem, cùm discernat inter plura, & unum relictis aliis assumat in ordine ad aliud, putà relictis nonnullis creaturis rationalibus alias acceptat ad beatitudinem. Vnde dicit Paul. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Sed electio allicitur à bonitate ipsorum mediorum magis vel minùs conducentium ad finem: ergo voluntas Dei non solùm movetur à bonitate propria, sed etiam à bonitate creaturarum, quibus utitur tanquam mediis utilibus; ait enim Aug. lib. 7. de doct. Christiana, c. 30. *Non fruitur nobis, sed utitur; nam si neque fruitur, neque utitur, non invenio quemadmodum diligat.*

Respondeo, non esse necessarium ad salvandam in Deo electionem, ut id quod assumit in ordine ad finem, habeat rationem medii utilis ad illum, sed sufficiet quod ordinetur ad participandam bonitatem illius finis, quia Deus nihil eligit ut utile sibi, vel ut commodum suæ bonitati, quæ est actuum suorum finis; sed potiùs ut rebus suam bonitatem transfundat, ut aliàs diximus dum de voluntate Dei. Deus autem dicitur uti creaturis, quia vult quasdam esse propter alias, eisque utiles, non sibi. Vnde August. post verba relata subjungit: *Sed neque sic utitur, ut nos: ille igitur usus, qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad ejus, sed ad nostram utilitatem refertur.* Quia nimirum omnia reducendo ad se conservat, aliàs peritura. Perelegantèr Boet. *lib.* 4. *de consol. metr.* 6.

Rex

Rex & Dominus, fons & origo;
Lex & sapiens arbiter æqui,
Et quæ mota concitat ire,
Sistit retrahens, ac vaga firmat;
Quia non aliter durare queant,
Nisi converso rursus amore
Refluant causæ, quæ dedit esse.

REFLEXIO.

Rationem primæ causæ, supremique exemplaris in se exprimere nequit creatura dependens & deficiens; sed quod Deus omnia in seipsum ut ad finem referat, imitari potest creatura rationalis, & debet. Nec creaturis frui, sed in ordine ad Deum uti tenetur. Sacrum & castum creaturarum usum optimè docet Bern. *serm. 3. Pentecost.* his verbis: *Tria in magno hujus mundi opere cogitare debemus, videlicet quid sit, quomodo sit, & ad quid sit constitutus. Et in esse quidem rerum inæstimabilis potentia commendatur, quod tam multa, tam multipliciter, tam magnificè sunt creata. Sanè in modo ipsa sapientia singularis eluxet, quòd hæc quidè sursum, hæc verò deorsum, hæc in medio ordinatissimè sunt locata. Si verò ad quid factum sit, mediteris, occurrit tam utilis benignitas, tam benigna utilitas, quæ etiam ingratissimos quosque multitudine & magnitudine beneficiorum possit obruere. Potentissimè siquidem ex nihilo omnia, sapientissimè pulchra, benignissimè utilia sunt creata.* Vides Christianæ Philosophiæ summam, quæ docet rebus factis non frui, sed uti, & ad illum cuncta referre, à quo processerunt. In tres veluti classes dividitur genus humanum, uti observat ibidem Bernard. Primò enim aliqui, & sanè nimii, ferè omnes totos se dedunt his quæ facta sunt, quomodo vel ad quid facta sint negligentes, omninò bonis inferioribus brutorum more demersi. *Quid istos nisi carnales dicamus?* Secundi sunt, quibus unicum studium est modum & ordinem investigare factorum, definientes, dividentes, argumentantes; qui dum sapientiam vendicare putant, in cogitationibus suis evanescūt. *Ipsi quidem sese Philosophos vocant, sed à nobis curiosi & vani rectius appellantur.* Utrisque succedunt tertii, nimirum hi beatis, spirituales homines, omnia judicantes, qui & ea quæ facta sunt, & quomodo facta sint, transilientes, intenderunt mentis aciem ut ad quid facta sunt, viderent; & hoc mundo utentes tanquam non utentes, ut Deum in simplicitate cordis sui quærerent, qui solus quæri debet, nec satis quæri potest. *Primi voluptate, secundi vanitate, tertii veritate impleti sunt.* Vide, Lector, cujus scholæ discipulus sis: num Epicureus cum primis, an Sophista cum secundis, utrum bonus Christianus cum tertiis existas?

SPECULATIO III.

Rerum multitudo, distinctio, & inæqualitas in Deum authorem est refundenda; in ea mirè coruscant ejus attributa.

Hac positione varii antiquorum confutantur errores. Democritus enim & Leucippus diversitatem rerum revocabant in principia materialia, seu atomos, ex quorum fortuito concursu rerum inæqualitatem consurgere aiebant. Anaxagoras verò admittebat infinita principia materialia, in principio quidem commixta & confusa, sed ab intelligentia aliqua segregata. A quo non multùm discessit Avicenna, nec Simon Magus, qui ut ait D. Thom. 2. *contra Gent. cap. 42.* rerum diversitatem Angelis attribuit. Pythagoras verò admisit duo prima principia, bonum & malum: cui prætulerat Empedocles. Quorum errores per posteriores Philosophos sufficienter exclusos, quidam perversi sensus homines doctrinæ Christianæ adjungere præsumpserunt; quorū primus fuit Marcion, quem secuti sunt ultimò Manichæi, qui hunc errorem diffuderunt, ut ait *ibid.* D. Thom. *cap. 41.*

Origenes verò volens hujusmodi errores antiquorum declinare, eorúmque objectionibus satisfacere, posuit omnem diversitatem in rebus inventam, ex diversitate meritorum vel demeritorum processisse, dicens quod Deus ex sola sua bonitate omnes creaturas æquales produxerat, omnésque spirituales & immateriales; sed quia suo utentes libero arbitrio quædam à Deo recesserunt, aliæ verò magis, vel minùs adhæserunt; hinc est, quod diversos rerum gradus divina justitia constituit, & inter bonos Angelos, & inter dæmones, & inter animas rationales: ex quo etiam subinferebat, Deum inæqualia corpora produxisse, ut nobilioribus nobiliores spiritus adjungeret.

Verùm hos errores apertè reprobat Scriptura, quæ de quolibet opere initio producto ait: *Vidit Deus quod esset bonum.* Ex quo manifestè datur intelligi, creaturas corporales ideò esse factas, quia bonum est eas esse. De omnibus verò simul sumptis ait, quod sunt *valde bona.* Scriptura autem approbante rerum inæqualem diversitatem, quis tam temerarius improbabit?

Probatur ratione omnes simul partes speculationis complectente. Deus omnia produxit propter suam gloriam manifestandam, suasque perfectiones super creaturas veluti totidem specula exscribendas: ergo illud opus præcipuè Deo asserendum est, in quo illustriùs micat divinarum perfectionum fulgor: atqui in rerum distinctâ inæqualitate potissimùm splendent divina attributa: ergo rerum multitudo & inæqualitas à Deo authore est. Probatur minor brevi inductione.

In primis resplendet bonitas, ob quam communicandam res Deus produxit, dicente Augustino, nullam aliam causam faciendi mundum Deo fuisse, *nisi ut bona fierent à bono Deo.* Per multitudinem autem, & distinctionem rerum maximè communicatur Dei bonitas, cujus fontalis plenitudo meliùs per plures creaturas repræsentatur, sicut abundantiùs participatur. Deinde apparet misericordia, res è nihilo, quod omnium miseriarum maxima est, extrahens: potentia infinita, res tam egregias sine ullo subjecto educens è nihilo; imò & à cœlo, veluti tecto incipiens, ut observat Chrysostom. indicans se non indigere fundamentis ad mundi machinam erigendam: unitas, quia partium universi unio, ordo, harmonia, consonantia, unius principii unitatem prædicat. Sed præcipuè creaturæ rationalis amor resplendet, propter quam hæc omnia creavit, & ut ait Seneca: *Non necessitatibus tantùm nostris provisum est; usque ad delicias amamur.*

Insuper resplendet in rerum distinctarum creatione sapientia supremi Artificis, quia ut discurrit Doct. Angel. *lib. 2. contra Gent. cap. 23.* secundùm Philosophum *in 1. Metaph.* sapientis est ordinare; ordinatio enim aliquorum fieri non potest nisi per cognitionem habitudinis & proportionis ordinatorum ad invicem, & ad aliquod altius, quod est finis eorum. Ordo enim aliquorum ad invicem est propter ordinem eorum ad finem. Cognoscere autem habitudines & proportiones aliquorum ad invicem, est solius habentis intellectum: judicare autem de aliquibus per altissimam causam, sapientiæ est. Sic oportet quod omnis ordinatio per sapientiam alicujus intelligentis fiat. Unde & in mechanicis ordinatores ædificiorum Sapientes illius artificii dicuntur. Res autem quæ sunt à Deo productæ ordinem ad invicem habent, non casualem,

casualem, cùm sit semper, vel ut in pluribus: & sic patet quod Deus res in esse produxit eas ordinando. Deus igitur per suam sapientiam res in esse produxit. Vnde dicitur in Psalm. *Omnia in sapientia fecisti.* Et in Proverb. *Dominus sapientiâ fundavit terram.*

Quin etiam ipsa justitia, quam rerum inæqualitate violari Origenistæ crediderunt, singulariter in illa emicat. Nam ut præclarè ratiocinatur idem Sanctus *cap.38.& 39.* licèt Deus non produxerit res ex debito justitiæ, reddendo alicui debitum, siquidem res è nihilo extraxit, nihil proinde supponendo cui debitum redderet; tamen si considerentur creaturæ, quatenus una ad alteram comparatur, sic fulget divina justitia in creatione. Nam supposita gratuita rerum productione, dedit unicuique quod suæ perfectioni ascendæ debitum est. Sic supposito, quod universum perfectum condere voluerit, debitum ei fuit ut eas partes & gradus entium produceret, quibus constat. Similiter supposito quod hominem facere voluerit, debitum fuit, ut ei animam, corpus, sensus, aliaque adjumenta conferret. Sed hoc mirum in modum observat Deus in universo, in quo videmus omnia in numero, pondere, & mensura producta. Ergo in eo justitia locum habet.

Denique, ut alia omittam, apparerit etiam quodammodo attributa relativa, & Trinitas personarum, quia ut ex August. *lib. de Trinit. cap. ult.* colligitur, in creaturis rationalibus in quibus est intellectus & voluntas, invenitur repræsentatio Trinitatis per modum imaginis in quantum datur in eis verbum conceptum, & amor inclinans in objectum cognitum. In aliis verò creaturis apparet Trinitas per modum vestigii, in quantum in qualibet creatura invenimtur aliqua quæ necesse est reducere in personas divinas sicut in causam. Quælibet namque res subsistit in suo esse, & habet formam, per quam constituitur in specie aliqua; & habet ordinem ad aliquid aliud ut ad finem. Esse repræsentat principium primum, quod est omnibus causa essendi; forma verò repræsentat conceptionem artificis; ordo verò demo illiat amorem producentis, quo effectus ordinatur ad bonum: principium autem appropriatur Patri, a Filio, amor Spiritui Sancto; unde creaturæ dicuntur vestigia Trinitatis. Illud enim dicitur vestigium alterius, quod repræsentat aliud ut causam licèt ei simile non sit. Sic impressiones animalium dicuntur vestigia eorum, cinis vestigium incendii, & devastatio civitatis vestigium hostilis exercitus. Cùm igitur creaturæ sint veluti impressiones in quibus appareat earum authorem esse summum & primum principium, esse perfectissimam sapientiam, & amorem sui maximè diffusivum, dicuntur etiam vestigia Trinitatis personarum, quibus hæc tria appropriantur.

R e f l e x i o.

Duo hinc colligas, pie Lector: alterum, si rerum inæqualitas a Deo est, unusquisque in sua sorte contentus vivat. Vt quid ad altiorem statum ambitioso conatu enteris, & qua temeritate statutam Creatoris dispositionem invertere moliris? An fortè sapientior conditore tuo, cui sic placitum fuit ordinare de te? Id volo, inquis, æqualis esse socio meo, & æquè prospero secundæ fortunæ statu uti. O damnandæ vocis temeritatem! Vel cum Ethnicis rerum inæqualitatem Deo non asseris, vel si credis, sanctam de te divinæ providentiæ constitutionem adora; securius te illi totum, quam tibi committes, cui si omnem tuam curam perunseris, omnia tibi pro votis felicitèr evenient. Alter, quem ex secunda parte colliges, fructus est; si Deus in rebus creatis perfectionum suarum majestatem veluti deposuit; si mundus iste liber est divinitatis plenus, ut aiebat D. Antonius, non signatus, sed gentibus omnibus oblatus, creaturis veluti totidem characteribus digito Dei exaratis ornatissimus, ascendamus ex visibilibus ad invisibilia; *Videamus facta, & quæramus factorem*, ut alicubi August. Sic ex rerum vicissitudine & fluxu ad æternitatem, ex multitudine ad unitatem, ex vanitate ad veritatem incedendo creaturis veluti gradibus ad Deum, qui supra scalæ verticem eminet, perveniemus. Vnde August. in proœm. Psalm. 112. *Monemus ne mundum ametis, ut eum qui fecit mundum, liberè ametis. Bonorum summa nobis Deus est, Deus est nobis summum bonum. Nec infrà manendum est, nec ultrà quærendum.*

CAPVT II.

De Deo Creatore, & quomodo virtus creandi sit illi propria.

INnumeri fuerunt antiquorum Philosophorum errores circa articulum creationis; aliis contendentibus, non posse dari creationem, qua res ex nihilo fiant: aliis admittentibus plura principia creationis, qui error maximè invaluit apud Manichæos, duo optima fingentes principia, bonum unum, malum alterum; ex quo secundo omnia visibilia processisse opinabantur. Aliis denique arbitrantibus, Deum non in principio temporis, sed ab æterno mundum condidisse. Vt autem veritas Catholica defendatur, monstrandum est, non modò Deum solum esse Creatorem omnium in tempore, sed insuper vim creandi nulli posse creaturæ communicari.

S p e c u l a t i o I.

Confitendum est, Deum esse Creatorem totius universi, ipsumque solum omnia in principio temporis condidisse.

HÆc assertio est ipsum initium sacræ Scripturæ, Gen. 1. *In principio creavit Deus cælum & terram.* & exordium fidei orthodoxæ, quam publicè profitemur, dum dicimus: *Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ*: nihilque tam frequenter in utroque Testamento inculcatur. Hæc manifestissima luca sufficient ad retundendam Manichæorum impietatem. Psalm. 120. *Qui fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.* Ioan. 1. *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Coloss. 2. *Quoniam in ipso condita sunt universa in cælo & in terra, visibilia & invisibilia.*

Probatur secunda pars. Deus est primum ens, primus motor, primum efficiens, & summè perfectum, ut lib. 1. demonstravimus: ergo est factor rerum omnium per creationem. Probatur consequentia, & primò, quod Deus sit factor omnium, patet, aliàs non esset primum ens. Quod verò sit factor rerum per creationem, si quidem manifestè ex hoc quod produxerit omnia; nam si omnia fecit, profectò nihil præsupposuit non factum à se; nam si supponit aliquid ex quo operetur, præsuppositum illud non facit, ut patet; nam vel illud præsuppositum facit ex nihilo, vel ex alio; si ex nihilo, creationem tenemus; si ex aliquo, de illo iterum inquiretur, donec deveniatur ad aliquid ex nihilo factum, ne detur processus in infinitum, qui admitti non potest in productione rerum, ut constat ex dictis de existentia Dei. Vnde & patet, quod eodem modo demonstrabilis est creatio rerum ac existentia Dei.

Dices:

Dices: Ex nihilo nihil fit, ut habet tritum axioma Physicorum; quia nimirum inter nihil & ens nulla est proportio, nec determinatio ad hoc potiùs quàm ad illud: ergo non potest dari creatio.

Respondeo, ex nihilo nihil fieri quando producitur aliquid per transmutationem de uno in aliud; quo pacto agunt omnes causæ creatæ: Deus autem in prima rerum conditione non produxit res per transmutationem de una in aliam, sed altiori modo, nimirum per communicationem totius entis, faciendo totum quod in effectu est, & virtute sua infinita vincens improportionem, quæ est inter nihilum & ens.

Secunda pars, quæ asserit, Deum creasse omnia sine consortio alicujus creaturæ, traditur in sacris Litteris. Isai. 44. *Ego Dominus faciens omnia, stabiliens cælos, nullus mecum.* Eccles. 1. *Unus est altissimus Creator Deus.* Veritas hujus partis satis confirmata manebit ex dicendis de virtute creandi Deo propria, & creaturis incommunicabili. Neque ordo qui est inter partes universi exigit ut creaturæ inferiores producantur mediis superioribus in prima rerum creatione; nam ut ait D. Thom. *quæst. 65. art. 3. ad* 1. in productione rerum est aliquis ordo, non quidem ut una creatura creetur ab alia, hoc enim impossibile est; sed ita quod ex divina sapientia diversi gradus in creaturis constituantur.

Dices. *Gen.* 1. dicitur: *In principio creavit Elohim* (id est judices) *cælum & terram*: ubi particula illa *judices*, in plurali indicat primum principium rerum omnium produxisse res cum consortio causarum secum cooperantium.

Respondeo vocem illam *Elohim*, non significare plures creantes, cujus signum est, quòd ibi non legitur *creaverunt*, in plurali; sed *creavit*, in singulari, ad designandam unitatem principii. Ponitur autem *Elohim* in plurali, vel fortè ad designandam Creatoris majestatem, sicut etiam Prælati & Superiores consueverunt de se in plurali numero loqui, dum dicunt vel scribunt, *Nos talis.* Cujus usus (quem dicunt à Cæsare promanasse) duplex est ratio. Prima ut significetur, omnia officia inferiorum, & authoritatem totius multitudinis in Prælato residere, sicut & omnes sensus vigent in capite. Altera, quia Prælati omnia debent cum consilio decernere, & sic dum loquuntur, vel scribunt, in plurali se nominant, quasi referentes multitudinis sensum. Alii volunt in hoc vocabulo *Elohim*, mysterium Trinitatis indigitari.

Tertia pars, quæ ait Deum in principio temporis omnia creasse, & non ab æterno, apertissimè habetur in Scriptura. Psalm. 89. *Priusquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis.* Proverb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Ioan. 17. *Clarifica me Pater claritate quam habui antequam mundus fieret.*

Probatur. Cùm non sit necesse mundum semper fuisse, voluntas enim divina ad nihil necessitatur nisi ad suam bonitatem increatam; aliunde verò non possit demonstrari mundum incepisse, quia sicut Deus ab æterno habuit vim producendi mundum, ita & illum produxisset si voluisset; sit inde, quod de productione mundi nihil possumus determinare, nisi quod Deus revelavit. Sed ex revelatione divina constat mundum incepisse, ut patet ex locis relatis: ergo mundum incepisse credendum est.

Hujus etiam veritatis afferri potest signum & convenientia. Signum quidem, quia si mundus fuisset ab æterno, deberent extare monumenta omni memoriâ antiquiora; incredibile siquidem est, infiniti annorum curriculi vestigia omnia excidisse. Atqui nulla extant hujus æternitatis monumenta, nec ullam habemus historiam Mosaïcâ antiquiorem, in qua tamen orbis initium describitur. Ergo mundus non fuit ab æterno. Convenientia verò est: nam per temporalem mundi productionem manifestiùs ostenditur tum divina libertas in agendo, quæ creavit mundum quando voluit; tum divina independentia, quæ sicut creaturis per æternitatem caruit, ita poterat in æternum eas non producere, tum divina potentia, non enim ita manifestum esset res omnes esse à Deo, si ab æterno fuissent. An verò mundus potuerit esse ab æterno, prætermitto, quia de his in Philosophia.

Dices: Actio productiva mundi est ipsa substantia Dei: ergo sicut substantia Dei est ab æterno, ita & actio. Sed non est actio sine termino producto, cùm actio sit ipsa productio termini: ergo ab æterno fuit productio mundi. Aliàs Deus deberet habere novam actionem in tempore, & consequenter mutari.

Respondeo, quod licèt actio Dei sit substantia ipsius, tamen quia Deus est agens voluntarium, non sequitur ex actione effectus, nisi secundùm quod divina voluntas prædefinivit: Deus autem non prædefinivit res producendas nisi in tempore. Ex quibus distingui potest minor: non est actio sine termino, quando est actio naturalis & necessaria, concedo; quando est actio voluntaria, & inferens non solùm effectum, sed etiam tempus emanationis illius, nego.

Insistes: Deus non dicitur habere actionem respectu possibilium, sed solùm potentiam ad illa; non enim dicitur ea agere, sed posse agere: ergo actio aliquid addit supra potentiam, nempe exercitium actualis productionis: ergo si actio Dei, & non sola potentia sit ab æterno, exercitium & productio rerum est ab æterno.

Respondeo, quod sicut actus liber Dei nihil addit supra necessarium, qui ratione suæ eminentiæ determinatur liberè ad has creaturas potiùs quàm ad illas; ita exercitium actuale nihil addit ex parte Dei suprà virtutem agendi, sed solùm mutationem ex parte creaturæ realiter attactæ, vel attingendæ, & suo tempore innovandæ.

Persistes: Si totum reale quod dicit actio, non distinguatur à Deo, sed sit ipsa æterna substantia Dei, inintelligibile est, Deum ab æterno non producere mundum, quia non potest esse forma in subjecto, quin communicet effectum formalem, eumque denominet. Sed effectus formalis actionis est reddere agentem: ergo Deus est ab æterno agens & producens mundum, subindéque mundus actu est productus ab æterno.

Respondeo, denominationem agendi & creandi non esse præcisè in genere causæ formalis, sed etiam effectivæ, cùm constituat causam efficientem: licèt autem ad denominationem causæ formalis sufficiat formam esse in subjecto, tamen ad denominationem causæ agentis requiritur terminum attingi; si enim nihil efficiatur, forma illa actionis non denominabit efficiens, quantumvis det omne complementum ad efficiendum: sicut si Deus conservaret relationem in subjecto, destructo termino, non denominaret subjectum relatum, quia hæc denominatio exigit terminum, quanvis prohiberet quidquid requiritur ad relationem, modò ponatur terminus. Similiter actualitas divina dat quidquid requiritur ut Deus denominetur agens, modò ponatur terminus; sed tamen non denominabit donec ponatur. Radix horum est, quia actio Dei non est per modum transeuntis alligata effectui, sicut est actio creaturæ; sed est ab effectibus absoluta, nec est dependens à termino producto, sed illum sibi subjiciens.

Reflexio.

Occasione attributi Creationis à te postulo, Lector, quod à filió suo invicta illa mater petebat, Machabæor. 7. *Peto, nate, ut aspicias cælum & terram, & ad omnia quæ in eis sunt, & intelligas quod ex nihilo fecit illa Deus, & hominum genus.* Quod si omnia è nihilo fecit Deus, quomodo putas in his invenire felicitatem, quorum origo nihil est! Pulchrè excandescit August. serm. 24. de verb. Domini. *Avare quid aliud quàm Deum petas? Quid tibi sufficit, cui Deus non sufficit? Quanta tibi mundus post dorsum strepit, ut retrò respicias? id est, ut in rebus præsentibus, nec præsentibus (non enim dicenda sunt præsentia nunquam stantia) spem tuam ponas, & ab eo quod promisit Christus, & nondum dedit, sed quia fidelis est, dabit, avertas animum tuum, & velis requiescere in mundo pereunte.* Et infrà: *Quid strepis, munde immunde? Quid strepis? Quid avertere conaris? Tenere vis periens; quid faceres si maneres.* Certè si creaturis è nihilo conditis plus æquo inhæreas, ad nihilum redigeris, & nescies. Sectare potiùs ejusdem Augustini consilium tract. 2. in cap. 2. epist. Ioan. *Si ista diligis, ut subjecta dilige, ut famulantia dilige, ut arrham sponsi, ut munera amici, ut beneficia Domini; sic tamen, ut memineris semper, quod illi debeas: nec ista propter se, sed ista propter illum, & per ista illum, & super ista diligas illum.*

Speculatio II.

Soli Deo ita proprium est creare, ut repugnet, ulli creaturæ convenire vim nativam principaliter creandi.

IN confesso est apud omnes Patres, nulli creaturæ de facto collatam fuisse vim creandi; inde enim inferebant, Verbum esse Deum, quòd Scriptura omnia per ipsum facta attesteretur. Quare difficultas est, an de potentia absoluta possit virtus illa creaturæ communicari, propter Durandum existimantem id minimè repugnare. Sed, ut videtur, hæc positio non parum favet Ario, eique subministrat solutionem ad argumentum Patrum. Nam si absolutè & extraordinariè agendo possit Deus vim illam creaturæ communicare, qua vi inferent Patres. Verbum esse Deum, ex eo quod creasse perhibetur, si virtutis illius possit creatura particeps fieri? Audi Athanasium serm. 3. contra Arrian. *Non factura est Filius, non creatura, quia per ipsum facta esse dicuntur quæ facta sunt, & propterea de numero factorum non est.* Et Damasc. lib. 2. de fide, cap. 3. *Os diaboli patris sui sunt, qui Angelos asserunt cujuscunque conditores: cùm enim ipsi creaturæ sint, non sunt creaturarum effectores.* Vides, Patres ideò colligere Verbum esse Deum, quia creat: ideò Angelos non posse creare, quia creaturæ sunt. Ergo censent vim creandi ipsi notioni creaturæ repugnare.

Quare tutior est sententia D. Thomæ, qui duplicem hujus assertionis rationem constituit *quæst. 45. art. 5.* Alteram *in corpore*, quia esse, qui est terminus creationis, est universalissimus effectus, qui debet esse proprius primæ & universalissimæ causæ, quæ Deus est. Alteram *in respons. ad 3.* quia creare aliquid ex nihilo demonstrat virtutem infinitam, cùm inter nihil & ens nulla sit proportio: quarum rationum profundissimarum energia, quæ à paucis intelligitur, tametsi à multis impugnetur, ut dilucidè penetretur, ex duabus unum integrum discursum conficio, quo

Probatur. Virtus creandi debet esse simpliciter infinita, ita ut possit se extendere ad omnia: sed nulli creaturæ potest competere virtus simpliciter infinita, quæ possit se extendere ad omnia: ergo nulli creaturæ competere potest vis creandi. Minor patet, quia virtus quæ potest se extendere ad omnia, est omnipotentia Deo propria. Major verò probatur. Virtus quæ potest se extendere ad quodcumque ens creatum & creabile, est simpliciter infinita; non enim aliam infinitatem habet omnipotentia: sed virtus creativa potest se extendere ad quodcumque ens creatum & creabile: ergo. Probatur minor. Virtus quæ potest creare, non habet majorem difficultatem ad producendum ens quodcumque perfectius in infinitum, quàm ad producendum minimum, & imperfectissimum; quia non est major distantia à nihilo, ex quo agit creatio, ad unum ens, quàm ad aliud; quia nihilum est carentia omnis entis, quæ non habet majorem accessum, vel proportionem ad unum quàm ad aliud, sed æquè distat ab omnibus. Sed virtus, quæ non habet majorem difficultatem ad producendam unam creaturam quàm alteram, potest se extendere ad producendum quodcumque ens; non enim alia ratione divina omnipotentia ad omnia se extendere valet: ergo virtus creativa potest se extendere ad quodcumque ens creatum, & creabile.

Illustratur hæc ratio ex differentia quæ intercedit inter agens creativum agens sine subjecto, & generativum producens ex subjecto seu materia præjacente: licèt enim ea quæ fiunt ex materia variis dispositionibus præparata, diversam exigant in agente suo virtutem ad producendum unum effectum potiùs quàm alium, quia & diversus exigitur in subjecto apparatus, ut una forma potiùs quàm alia educatur; tamen quando causa nullam dispositionem, nullamque præparationem prærequirit, sed totum ens producit, tunc æquè benè potest unum, atque aliud producere, cùm non determinetur ad unum potiùs quàm ad aliud ex determinatione subjecti, quod non datur; nec à nihilo, quod est carentia omnis entitatis, possit inchoari via, & veluti desumi ansa ad unum potiùs quàm ad aliud, ad parvum potiùs quàm ad magnum, ad paucum potiùs quàm ad multum; præcipuè quia virtus agens ex nihilo à nullo retardari potest: ergo in quocumque ente, quantumlibet perfecto, & perfectiori, nullam difficultatem adinveniet, sed ad quodlibet poterit se indifferenter protendere ex mero suæ voluntatis arbitrio.

Atque ex his claram, & germanam habes primæ D. Thomæ rationis intelligentiam; dum enim ait, esse, quod est effectus creationis, cùm sit universalissimus, primæ & universalissimæ causæ respondere; sensus est, quod terminus formalis virtutis creativæ non est hoc vel illud ens in particulari, sed ens sub ratione entis, id est quodcumque potest participare rationem entis: Sed virtus quæ valet producere quodcumque potest induere rationem entis, est propria primæ & universalissimæ causæ, quæ omnia potest: Ergo hæc sola potest creare.

Potest etiam afferri alia explicatio rationis Sancti Doctoris, qua nova lux, novumque robur nostro discursui adjicietur. Actio creativa terminatur ad esse, id est totum esse in suo effectu producit; cùm enim sit productio rei è nihilo, nihil supponit, sed totum facit; per hoc enim distinguitur ab actione eductiva & generativa: Ergo actio creativa per se tendit ad ponendum formaliter ens; nam ad id formaliter, & per se tendit actio, quod ex vi suæ efficaciæ ponit: actio autem agens ex nihilo, nullamque rationem supponens in re quam facit, per se tendit ad dandum id, quod opponitur nihilo, scilicet rationem entis. Vnde D. Thom. 4. *cont. Gent. cap. 21.* ait: *Cùm omne quod fit, fiat ut sit; oportet, si aliquid fieri dicatur, quod prius fuerit, quod hoc non fiat per se, sed per accidens;*

dens ; per se autem illud, quod priùs non fuerit : ut si ex albo fiat nigrum, fit quidem nigrum & coloratum; sed nigrum per se, quia fit ex non nigro ; coloratum autem per accidens, quia priùs erat. Sic igitur cùm fit aliquod ens, ut homo, vel lapis ; homo quidem per se fit, quia ex non homine ; ens autem per accidens, quia non ex non ente semper, sed ex non ente hoc, ut Philosophus dicit 1. *Physicorum. Cùm ergo aliquid fit omnino ex non ente ens, per se fit.* Et adverte, quod licèt quælibet virtus particularis producat omnes gradus in suo effectu, utpote identificatos ; tamen per se producit unum ad quem ex natura sua tendit, scilicet illum quem non supponit in subjecto : v. g. planta producit in materia gradum vegetativum, quem ibi non invenit ; animal gradum sensitivum, quem per se diffundit ; virtus autem creativa gradum entis non supponit, ac proinde illum per se producit.

Ex quibus sic subsumo. Vis quæ per se tendit ad rationem entis communicandam, debet esse universalissima, infinita, & potens se extendere ad quodcumque ens credibile, quia ratio entis est de se illimitata, nullum excludens ens : ergo valet attingere quidquid potest habere rationem entis : sicut quia potentia visiva cernit album, non sub ratione particulari albedinis, sed sub ratione universaliori colorati, potest etiam attingere omnia illa objecta, in quibus ratio colorati invenitur, licèt hìc & nunc non videat, nisi hoc vel illud coloratum. Similiter si aliqua virtus producendo effectum particularem, attingit illud, quia ens est, sequitur quod possit producere quodcumque ens, licèt hìc & nunc non producat nisi hoc vel illud. Et horum omnium radix est, quia tantum se extendit virtus activa, quanta est ratio formalis agendi, quæ est objectum formale illius ; si enim potentia excederetur ab objecto, falsò diceretur potentia respectu illius, siquidem non posset illud attingere : ergo si ratio formalis agendi sit ens, poterit vis illa producere quodcumque ens, sicut potentia visiva videre omne visibile, intellectiva omne intelligibile speculari : ergo potentia creandi, quæ tendit ad ens ut ens, est ipsamet omnipotentia, atque adeò Deo propria & incommunicabilis creaturæ.

In hoc consistit ratio S. Thomæ, quæ eo magis æstimari debet, quo eam ex Patribus desumpsit. Athanasius enim *serm.* 3. *cont. Arian.* ait : *Si Verbum ex non entibus extitit, quomodo potens est non entia, ut entia sint, condere atque architectari ?* Et Cyrill. lib. 5. Thesaur. cap. 3. *Non est officium artis ex nihilo creaturas producere ; sed ineffabilis, & creativæ virtutis : artis enim est ea quæ sunt, quasi per subjectam materiam solummodo immutare ; creandi verò virtus ipsam rerum substantiam è nihilo ad esse produxit.* Ubi vides assignari pro termino creationis ens sub ratione entis, & esse.

Confirmatur demùm eadem ratio. Actio creativa hoc ipso, quod tendit ad ens, & est productio rei è nihilo, totum in suo effectu producit, subindéque nihil faciendum remittit alteri causæ, aliàs non totum esse produceret, sed solùm aliquam partialem essendi rationem : ergo actio creativa est ita universalis & suprema, ut nullam patiatur dependentiam ab alia quacumque causa ; quia influxus creativus talis est, ut totum producat secundùm omnem rationem entis, ita ut per suspensionem talis influxus res annihiletur ; etenim sibi invicem correspondent creatio & annihilatio. Unde sicut creatio est productio totius esse ex nihilo, ita suspensio actionis creativæ est lapsus in nihilum. Si autem vis creativa posset compati consortium alicujus causæ superioris influentis in suum effectum, non posset ex sua sola suspensione destrui & annihilari effectus, quia semper restaret influxus causæ superioris ; quo subsistente, & creatrì cessante, effectus permaneret. Atqui non potest dari influxus creatus ita universalis & supremus, cui repugnet dependentia, cùm sit essentialiter dependens à Deo : ergo implicat ullum influxum creatum esse creativum.

Dices : Quantumcunque Deus agat influxu universalissimo omnia attingenti, tamen admittit consortium causarum creatarum coëfficientium effectus suos secundùm omnes gradus in illis inventos : ergo similiter creatura illa creatrix posset admittere consortium Dei agentis.

Respondeo, differentiam esse manifestam, quia Deus permittit quidem causas coagentes sibi, sed inferiores & dependentes, à quibus nihil accipit, sed vim causandi confert. Unde si subtraheretur divinus concursus, annihilaretur effectus, nec hoc possent causæ creatæ impedire. At verò actio creata exigit essentialiter consortium Dei agentis. Unde per sui suspensionem effectus non annihilaretur, quia propterea non suspenderetur actio Dei, qua durante effectus persisteret. Concursus autem, per cujus suspensionem res non decidit in nihilum, non est creativus, ut ostensum est.

Urgebis : Ad creandum effectum finitum non sequitur virtus infinita ; neque enim inter nihilum & ens finitum est distantia infinita, sed finita ; via siquidem ad terminum finitum finita est, aliàs non esset major distantia à nihilo ad Deum, quàm ad creaturam : Sed virtus quæ non est infinita, potest communicari creaturæ : Ergo vis creandi potest communicari creaturæ.

Respondeo, ad creandum effectum finitum exigi virtutem infinitam, non propter perfectionem rei factæ, sed propter modum faciendi. Unde datur infinita distantia pertranseunda, quia in nihilo non est invenire aliquid unde incipiat distantia : via autem ad terminum finitum tunc solùm finita est, quando via habet initium ex quo incipiatur iter : inter nihilum verò & Deum datur distantia infinita, tum ex termino à quo, scilicet non ens ; tum ex termino ad quem, scilicet infinitum ens : sicut corpus immensum esset infinitum ex omni parte ; linea verò in infinitum protensa versus Orientem esset infinita secundùm quid, & secundùm unam partem.

R e f l e x i o.

Quia solus Deus creat, vel creare potest, solus profectò colendus, amandusque à nobis est. *Dignus es, Domine Deus noster* (ait Ioan. Apocal. 4.) *accipere gloriam, & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia.* Enitatur quantum voluerit Regum & Imperatorum potentia ; omne quodcumque potest, moliatur artis industria, labor, conatus, nec pulicem, nec exigui pulveris minimum atomum creare poterit. Non ergo mirum si creatura rationalis & libera alteri quem impotentia sibi facit æqualem, se renuat mancipari, cui tamen ultrò propter eum, à quo omnis potestas est, subjicere sese deberet. Sed Deo qui creavit omnia, nonne subjecta erit anima mea ? Numquid illi denegabitur amor meus, qui est Deus cordis mei ? Iustum est, Domine, ut solus ameris, qui solus creare potuisti amatores. Fac ergo ut unum bonum amplectar te ; solus accende, & rape ; solus flagra, & dulcesce ; & ut ait sagittatus charitate tua August. lib. medit. cap. 18. *Da mihi te, Deus meus ; redde mihi te. En amo, & si parum est, amem validius. Non possum metiri, ut sciam quantum mihi desit amoris ad id quod satis est. Hoc tantùm scio, quod mihi malè est præter te, non solùm extra me, sed in meipso. Et omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.*

Speculatio III.

Nulla etiam creatura potest assumi ad hoc, quod sit instrumentum creationis.

Probatur ratione D. Thomæ. De ratione causæ instrumentalis est ut deserviat & ministret causæ principali ad productionem effectus: sed nulla creatura potest Deo ministrare ad producendum effectum creationis: ergo. Probatur minor. Ut instrumentum deserviat causæ principali ad productionem effectus, non solùm oportet quod accipiat virtutem & motionem à principali agente, sed etiam quod ex propriis aliquid agat, quod dispositivè operetur ad effectum principalis agentis: Sed nulla creatura potest aliquam propriam actionem elicere, quæ dispositivè operetur ad effectum Dei creantis: ergo. Minor est aperta; cùm enim effectus creationis sit ens ex puro nihilo extrahendum, nullum proinde habet præsuppositum, quod disponi possit. Major verò probatur: & in primis, quod instrumentum debeat aliquam propriam actionem elicere, est clarum; cùm enim instrumentum sit causa physica, ex qua realiter egreditur effectus; & non solùm moralis, ad cujus præsentiam, meritum, vel orationem fit effectus à sola causa principali; planum est causam instrumentalem debere elicere aliquam actionem circa effectum causæ principalis, nec se habere merè passivè, vel per modum meri vehiculi delativi actionis principalis, aliàs non esset causa, de cujus essentia est, quod sit principium per se influens in effectum. Et certè, ut rectè ait D. Thom. *Si instrumentum nihil ageret secundùm illud quod est sibi proprium, frustra adhiberetur ad agendum.*

Quod verò illa actio instrumenti debeat esse dispositiva alicujus subjecti in ordine ad introducendum terminum à causa principali producendum, non patitur difficultatem in instrumentis naturalibus, quibus naturaliter inest virtus ordinata & proportionata ad aliquos effectus. Nam ut arguit S. Doctor: *Si nihil agerent hujusmodi instrumenta, disponendo ad effectum principalem, non oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum.* Cujus tamen oppositum videmus, non enim penicillo utimur ad scamnum elaborandum, sed securi, vel aliis quæ ex proprietate suæ formæ habent proportionem ad introducendam formam scamni, quæ est effectus principalis agentis. Quod verò id competat omnibus instrumentis, tam naturalibus, quàm supernaturalibus, ut nimirum dispositivè operentur ad effectum principalis agentis,

Sic ostenditur. Operatio instrumenti, & generaliter omnis actio causæ secundæ est accidens distinctum à substantia agentis, quæ licèt inchoetur in agente, tamen consummatur in passo; actio enim est egressus termini à principio, ut suppono ex Philosophia. Ergo necessariò debet habere subjectum, in quo recipiatur & exerceatur ejus activitas priùs naturâ, quàm producat effectum principalis agentis; actio enim transiens necessariò transit ad effectum, ac proinde in suo effectu præsupponit subjectum; nam priùs naturâ debet esse subjectata, quàm operetur, præsertim quia priùs naturâ sit quàm terminus; non fit autem nisi ex subjecto: ergo præsupponit subjectum ex quo fiat, antequam in eo producat terminum. Ex quo ulteriùs sequitur, planè repugnare, illam actionem esse creativam, quia hæc nullum supponit subjectum. Hanc rationem tradit S. Doctor *q. 3. de potent. art. 4.* his compendiosis, sed succulentis verbis: *Illud solùm agens in faciendo aliquid recipientem materiam non requirit, cujus actio non est accidens, sed ipsa substantia sua, quod solius Dei est; & ideò solius Dei est creare.*

Sed dices: Instrumenta supernaturalia non debent necessariò elicere actionem præviam circa subjectum, in quo ponitur terminus principalis agentis, nec dispositionem per se conducentem ad productionem illius; sed sufficit, quod operentur circa aliud quodvis subjectum, ut patet in Sacramentis, quæ producunt gratiam in anima, in quam nihil agunt; in igne inferni nullam præviam actionem exercente in spiritum, quem torquet: quæ est communis doctrina Thomistarum, cujus rationem dant, quia virtus principalis quantò est efficacior, tantò magis potest uti instrumento minùs proportionato & disparato: ergo virtus Dei cùm sit infinita, nec ei quidquam resistat, potest uti instrumento nullatenus conducente, imò & contrario effectui principali: sic potest adhibere aquam ad calefaciendum, ignem ad refrigerandum, lutum ad illuminandum cæcum, & ut dicitur Psal. 1. *Dat nivem sicut lanam, nebulam sicut cinerem spargit.* Ergo instrumentum non exigit subjectum in quo operetur ad terminum principalem producendum, sed sat erit quod circa quodcumque aliud agat.

Respondeo quod licèt non sit necesse actionem instrumenti versari circa subjectum, in quo ponitur terminus principalis; neque enim aqua madefacit animam, vel ignis calefacit spiritum: tamen prorsus necessum est quod illa actio instrumentalis attingat terminum causæ principalis: si enim non eum attingit, nec illum physicè causat: ut autem illum attingat, requirit subjectum in quo sit, ut illum attingat, cùm sit accidens: quod si subjectum supponit in quo exerceatur ejus activitas, profectò creatio non est, quæ nullum omninò subjectum exigit.

Adverte, rationem D. Thomæ posse alio modo sic proponi: Si daretur instrumentum creationis, vel attingeret rem creatam in virtute agentis præcipui, vel per actionem propriam dispositivam subjecti ad talem effectum: Sed non in virtute agentis præcipui, ut suppositur ex prima ratione; quia cùm virtus creativa agentis principalis sit illimitata, utpote attingens ens sub ratione entis ex nihilo, communicari nequit creaturæ: nec per actionem propriam dispositivam subjecti, quia terminum creationis nullum subjectum præcedit: ergo repugnat instrumentum creationis.

Reflexio.

Ad creandum deservire nequit creatura è nihilo producta, benè tamen ad recreandum in operibus bonis in Christo Iesu. Ait namque Apostolus: *Dei adjutores sumus. Divinorum divinissimum*, teste Dionysio, *est Dei cooperatorem existere in reductione rationalis naturæ ad suum principium.* Vir sanctus animarum cœlum esse debet, ut sedes sit Dei, qui in cœlis est. Cœli autem non solùm enarrant gloriam Dei, sed etiam jugi agitatione moventur, non sibi, sed aliis profuturi. Nihil aliud sunt astrorum circulationes, quàm beneficia. Viri sancti, quorum origo cœlestis, quorum conversatio in cœlis, non solùm sibi, sed aliis nati, in alios debent effundere quod à Deo hauserunt, gratisque dare quod gratis acceperunt. *Rem profectò proximi retines tibi* (ait Bernardus serm. 18. in Cant.) *si plenus scientia cùm sis, metu fortè, aut segnitie, aut invidiâ damnabili liceas silentio bonum, quod multis prodesset. Certè maledictus qui frumenta abscondit in populis.* Et præclarè Augustinus: *Omnis res quæ donando non deficit* (qualis

(qualis est pietas, & scientia) *dum habetur, & non datur, nondum habetur quomodo habenda est.* Ne timeas jacturam pietatis, dum eam sine invidia communicas, & honestatem illius non abscondis. Crescit enim sapientia & virtus, dum diffunditur, ut explicat Ambrosius *lib. 6. in Lucam*, exemplo quinque panum distributione Christi multiplicatorum. *Doctrina panis incredibili ratione dum dividitur, sine ulla dispendiis comprehensione cumulatur; & majores reliquiæ, quàm summa est colliguntur.* Foos si non fluit, putrescit: sordet rubigine gladius diu morans in vagina: inclusas vestes tinea demolitur. Ergo *si amatis Deum, rapite omnes ad amorem Dei*, inquit August. & eritis instrumenta Dei.

DISSERTATIO II.

De creaturis spiritualibus, scilicet Angelis: & primò de essentia & distinctione eorum.

PRIMI Principii virtus non meliùs innotescit, quàm per creaturas, inter quas primatum tenent spirituales, seu Angeli. Nam ut ait August. lib. 11. de Civit. *Angelica creatura omnia cætera quæ Deus condidit, dignitate naturæ præcedit.* Vnde & dicitur 2. Petr. 2. *Angeli virtute & fortitudine cùm sint majores.* Quare de ipsis priùs agendum est, atque ab eorum essentia & existentia exordiendum.

Non possumus autem ubique quidem, sed in hac præsertim materia, D. Thomæ firmiter & fideliter non adhærere, qui variis de causis Angelici Doctoris nomenclaturâ etiam ab Ecclesiæ Capitibus donatus est. Primò quidem ob angelicam puritatem, qua in carne præter carnem vixit, & omni libidinis sensu post reportatam illam illustrem de muliere impudica victoriam penitus caruit. Secundò quia, ut rectè aiunt Carmelitæ Salmanticenses in oratione exhortatoria tomo primo præfixa, §. 3. si per possibile, vel impossibile præciperet Deus Angelo, ut assumpto corpore intelligeret per conversionem ad phantasmata, componendo, dividendo, discurrendo, nec celeriùs S. Thoma, nec subtiliùs, nec perfectiùs intellecturum existimandum est; cùm nec ingenii acumen, nec judicii præstantia, nec specierum acquisitarum copia, nec memoriæ conservantis fidelitas, nec discursus velocitas ampliùs in humano corpore juxta naturæ cursum existere potuisse videatur. Tertiò, quia etsi corpore tenebatur in terra dum viveret, spiritu tamen erat in cœlo, & cum Angelis conversabatur; & quidem tam facilè, ut ad libitum raperetur. Quartò, sicut Angeli sunt immateriales in substantia, pleni sapientia in intellectu, immobiles in proposito voluntatis; sic S. Thomas præcelluit immaterialitate virginei candoris, intellectu luminis copia perfuso, voluntate in bono firmatissima. Quintò in Angelis triplicem motum agnoscit Dionysius: *circularem*, quo circa Divinitatis centrum interminabili cognitionis & amoris circuitu volvuntur: *rectum*, quo à Deo ad creaturas rectâ lineâ permeant: *obliquum*, quo à creaturis ad Deum, & à Deo ad creaturas vicissim cientur. Sic S. Doctor hunc ordinem Angelicum in aurea sua summa imitatus est. Nam primùm circa Deum occupatur; deinde ad creaturas descendit, & à creaturis ad Deum ultimum finem gradatim facit, & demùm in Christo divinam simul & humanam naturam contemplatur. Sextò demùm nomen Angelici sortitus est, quia de Angelis Angelicè scripsit, eorumque naturam, distinctionem, hierarchias, potentias, & varios status ita depinxit, quasi vidisset, vel quasi Angelus esset. Ex ipso ergo depromenda sunt quæcumque de Angelis dicturi sumus.

CAPUT I.

De existentia, & essentia, loco, & motu Angelorum.

ANgelus nomen officii est, non naturæ; nuntium enim significat. Vnde strictè nomen illud cœlestibus spiritibus non convenit, nisi quando pro Deo legatione funguntur, ut benè observavit D. Gregorius *homil. 38. in Evangelia*, dicens: *Angelorum vocabulum nomen est officii, non naturæ. Nam sancti illi cœlestis patriæ spiritus, semper quidem sunt spiritus, sed semper vocari Angeli nequaquam possunt. Quia tunc solùm sunt Angeli, cùm per eos aliqua nuntiantur.* Nihilominus usu factum est, ut nomen illud omnibus substantiis separatis creatis asseratur, quia licèt omnes non mittantur, omnes tamen perdonei sunt; ut Legati Divini Numinis sint, quia quatuor dotibus legato necessariis excellentissimè præditi sunt, nimirum velocissima agilitate, perfectissima rerum tractandarum intelligentia, promptissima & lubentissimâ supremum erga Regem obedientia, & inviolabili fidelitate. Horum naturam simul & existentiam speculamur, quia ratio quæ probat, dari Angelos, quid sint etiam ostendit, ut parebit: & quia substantia Angelorum potest considerari tum in se, tum per ordinem ad corpora, vel loca; ideò de his priùs agemus: manuducunt enim corpora & loca nobis nota ad spirituum essentiam detegendam.

Dantur de facto Angeli substantiæ incorporei, naturâ incorruptibiles.

PRimam partem de existentia Angelorum ita inculcant Scriptura, Patres, & Concilia, ut meritò dixerit Gregorius loco paulò antè citato, *Angelos & Archangelos penè omnes sacri eloquii paginæ testantur.* Eorum etiam existentiam suadent varii effectus, quos videmus in arreptitiis, energumenis, magis, incantatoribus, qui sæpiùs secreta revelant, linguis loquuntur ignotis, quas nunquam didicerunt; in aëra feruntur, tempestates movent, non propriis utique viribus, quas tam insoliti effectus excedunt; nec speciali Dei auxilio, qui miracula non patrat ut serviant impiorum iniquitati: ergo id præstant operâ spirituum invisibilium, à corpore immunium, intellectu præditorum, sed malitia refertorum. Sicut etiam multa à sanctis Angelis extraordinariè peracta fuisse, tum Scripturæ, tum sacræ Historiæ testantur.

Ratio autem veluti à priori hujus veritatis traditur à D. Thoma *quæst. 50. art. 1.* qua etiam ostenditur secunda pars speculationis de incorporeitate Angelorum hoc modo: Perfectio universi requirit naturas perfectè intellectuales, & purè spirituales, nullumque dicentes ordinem ad corpora; quia universum debet assimilari Deo secundùm illud, à quo procedit; perfectio enim affectûs consistit in assimilatione ad causam suam, secundum illud quo procedit ab ea,

si talis assimilatio sit possibilis: sed universum procedit à Deo per intellectum & voluntatem: Ergo in universo debent esse naturæ quæ divinam intellectualitatem, quantum possibile est, exprimant; atqui divina intellectualitas magis per naturas ab omni corpore, & ab omni ordine ad corpus immunes exprimitur: ergo admittendæ sunt hujusmodi naturæ, & eas Angelos nominamus.

Illustratur hæc ratio. Licèt perfectio universi non exigat omnes creaturas possibiles, exigit tamen ejus decor & consonantia, ut sint in ipso omnes gradus entis in sua puritate & complemento; nam ut docet S.Thomas *1. part. quæst. 22. ar. 4.* perfectio universi non esset, si omnes gradus essendi non invenirentur in rebus; unde ad divinam providentiam pertinet omnes gradus entis producere: igitur universum exigit includere intra ambitum suum non solùm entia purè corporalia, non solùm mixta ex corpore & spiritu, sed etiam purè spiritalia, quæ Angelos appellamus, ut inde consurgat mundi pulchritudo, quæ ex multiplici graduum varietate efflorescit.

Ex his planè consequitur, exulare prorsus ab Angelis omnem omninò materiam, etiam illam, quam quidam spiritalem vocarunt; puri enim, & completi spiritus omnem à se & materiam, & materiæ commercium eliminant. Et sanè nihil potest fingi repugnantius, & in terminis implicantius materia spiritali. Nam cùm materia sit pura potētia, spiritalitas verò sit actus, & quidem valdè perfectus, & omnes corporales dignitate transcendens; admittere materiam spiritalem, est puram potentiam actum perfectum confiteri: quod totam de materia prima in Philosophia traditam doctrinam labefactat.

Confirmatur magis impossibilitas illius materiæ spiritalis. Vel forma Angeli posset separari ab illa materia spiritali, vel non. Si primum, totus Angelus posset corrumpi, & interire, sicut moritur homo dum à materia anima separatur: quod si Angeli possent mori, profectò possent & generari, ut perpetuitatem obtinerent. Si secundum, id est si à materia spiritali non posset separari forma angelica, certè talis forma esset valdè immersa materiæ, subindéque non esset forma immaterialis, nec subsistens, de cujus ratione est posse subsistere sine materia, ut patet in anima rationali. Certè sicut verè alligatur corpus, quàmlibet aurea sit catena, sic verè infigitur in limo forma, etsi à materia, quantumvis spiritalis fingatur, liberari non possit.

Sequitur secundò veritas ultimæ partis speculationis de incorruptibilitate Angelorum. Cùm enim Angeli careant omni prorsus materia, fit inde illos non habere potentiam ad transmutationem sui esse; sola quippe materia ratione suæ potentialitatis potest esse principium hujusmodi transmutationis; quia dum non totaliter impletur capacitas sua, formæ destructionem vel machinatur, vel patitur: quod si ejus potentia omninò expleatur, tunc non est subjectum transmutationis, ut patet in corporibus cœlestibus: ergo à fortiori ubi nulla est materia, nulla potest esse corruptio. Ac proinde ex suppositione quod Angelus sit creatus, tam miraculosum esset ipsum destruere, quàm si denegaretur igni concursus ad calefaciendum; substantia enim quæ non habet principium corruptionis, tam exigit permanenter esse, quàm virtus calefactiva calefacere. Imò quia intimior est inclinatio Angeli ad esse, quàm ignis ad operationem; sicut concursus ad illam operationem non est gratia, sed titulo connaturalitatis datur, ita & conservatio Angeli non est gratia strictè sumpta, sed est continuatio actionis creativæ, quæ est naturalis. Homo quidem resurgens est incorruptibilis ex gratia, quia natura hominis habet in suo fundo principia corruptionis: sed in Angelo nihil tale assignari, vel fingi potest.

Satisfit objectis, & explicantur apparitiones visibiles Angelorum.

Objicies primò. Anima nostra, quamvis sit spiritalis & incorruptibilis, tamen propterea non desinit esse forma corporis: ergo similiter angelicæ spiritalitati non oberit aptitudo ad informandam materiam subtilem, defæcatam, & spiritalem.

Respondeo, animam rationalem esse spiritalem quidem, sed esse ens incompletum, & in infimo gradu naturæ intellectualis; unde nihil mirum si possit esse forma corporis. Angelus verò est natura spiritalis completa, & in altiori fastigio naturæ intellectualis, quia in quocumque genere invenitur aliquod imperfectum, oportet præexistere aliquod perfectum in genere illo; cùm enim uterque modus, & perfectus, & imperfectus, sit possibilis; si detur imperfectus, datur etiam & perfectus, cùm natura nō sit minùs provida circa perfecta, quàm circa imperfecta. Cùm ergo in genere intellectuali species infima, quæ est rationalis, habeat corpora unita, vel saltem illa exigat, consequens est dari alias naturas intellectuales omninò à corpore segregatas.

Objicies secundò. Si Angelo competeret tanta à materia remotio, qualem asserimus, Angelus non posset assumere corpora; quod convincitur esse falsum ex multis visionibus Angelorum in sacris Litteris recensitis. Nec est verisimile eas omnes secundùm imaginationem contigisse, cùm Scriptura introducat Angelos ab omnibus aspectabiliter visos, ut patet de Angelo quem Abraham cum tota sua familia, Loth & tota civitas Sodomorum conspexerunt; sicut de Angelo comite itineris Tobiæ. Ridiculum verò esset asserere, imaginationem omnium Sodomitarum, & Tobiæ per totum iter fuisse mutatam. Quod si Angeli spiritalitas non impedit assumptionem corporis alieni, quidni permitteret assumere proprium?

Respondeo, Angelos posse quidem assumere corpora aliena, & de facto sæpiùs convenienter assumpsisse, tum ut familiariter cum hominibus conversantes præfigurarent futuram Angelorum & hominum in cœlis societatem; tum in singulare præsagium Dominicæ Incarnationis, ad quam omnes veteris Testamenti Angelorum apparitiones ordinabantur; non tamen sequitur Angelos posse sibi assumere corpora physicâ unione, ex qua resultet compositio: forma enim completa, qualem esse Angelum monstravimus, non potest venire in societatem alterius partis, ut componat unum totum. Quare unitur Angelus corpori conspicuo, non tanquam forma vivificans, vel subsistentiam suam communicans; sed tanquam motor mobili, non qualitercunque; Angeli enim motores cœlorum eos non assumunt, sed repræsentando se in illo corpore, movent; ad cujus majorem lucem,

Sciendum, corpus assumptum ab Angelo nec exercere opera vitæ, cùm non habet formam vivificantem, sed solùm motum imprimentem; nec habere veritatem illius naturæ, quam ostendit, v. g. humanæ, cùm apparent Angeli sub specie hominis. Unde cùm Angelus bonus, vel malus movet corpus alicujus veri animalis, non dicitur propriè illud assumere; non enim dicitur Angelum assumpsisse linguam asinæ loquentis ad Balaam; nec dæmonem corpus hominis, quem obsidet, vel possidet. Quorum omnium ratio est, quia finis aspectabilium apparitionum est perducere videntes in cognitionem substantiæ spiritualis, ita ut in corpore conspicuo nihil subesse intelligatur nisi Angelus, & corpus Angeli; sermo Angeli,

convet

conversatio Angeli esse videatur: si autem Angelus assumeret corpus vivum, intelligeretur in illo corpore esse aliquid aliud præter Angelum: ergo Angelum assumere sibi corpus alienum, non est illud sibi physicè unire, sed ita illud movere, & hominibus exhibere, ut in Angelum mens hominis dirigatur. Vide D. Thomam *in 1. dist. 8. q. 1 art. 3.*

Sciendum rursus, materiam communiorem corporum ab Angelis assumptorum esse aërem, vel vaporem aliquem, seu fumum qui in aëris naturam vergit; cujus signum dat S. Thomas citatus, quia multi voluerunt secare corpora dæmonum, & non potuerunt, quia statim partes continuabantur. Et ratio est, quia materia illa faciliter inspissari potest & figurari, figuramque retinere, & per lucidi corporis oppositionem diversimodè colorari ex varia luminis reflexione. Qua autem virtute id efficiant Angeli, innuit S. Doctor, id quandoque præstare Angelos virtute divina, interdum verò propria: virtute quidem Dei, quando talis figuratio ordinatur ad repræsentanda mysteria & effectus gratiæ, virtute verò propria, quando fit simplex assumptio, quæ sæpe instituitur à dæmone ad malos fines, quibus adscendis Deus ut specialis author cooperari non potest.

Objices tertiò: Res materiales & corporeæ possunt agere in Angelos; nam ignis eos torquet in inferis, & fumus piscis Tobiæ eos extricabat, & melodia citharæ Davidis Spiritum Saulis fugabat: ergo Angeli habent materiam hujusmodi corporearum impressionum patibilem & susceptivam.

Respondeo, corpora virtute divina, cujus sunt instrumenta, posse agere in spiritus, ut aliàs dicetur: sic ignis excruciat diabolos, & fumus Tobiæ omne genus dæmoniorum extricabat; melodia vero citharæ Davidis eatenus fugabat Saülis dæmonium, quatenus attam ejus bilem temperabat, quam cacodæmon ad eum diverandum permovebat, & perturbabat.

Pro solutione verò eorum, quæ adduci possunt ex Patribus, quorum aliqui nonnullam materiæ concretionem in Angelis admittere videntur, dicendum illos eo tempore vixisse, quo nondum hæc controversia erat ab Ecclesia definita, sicut est à Concilio Lateranensi *cap. Firmiter, de summa Trinit*, decisa his verbis: *Deus ex nihilo condidit utramque naturam, Angelicam videlicet, & mundanam; & deinde humanam quasi communem ex corpore & spiritu constitutam.* Ubi factum Concilium declarat Angelos esse immateriales, & puros spiritus, cùm in hoc eos ab homine discernat. Et longè antè S. Dionysius *cap. 4. de divin. nom.* appellat Angelos *intellectuales substantias ab universa corruptione, morte, & materia mundas.* Et in V. Synod. *act. 4.* Euthymius Episcopus, nomine Synodi profitetur, se venerari imagines *incorporalium Angelorum.* Quod verò *act. 5.* acclamante Synodo quidam Episcopus dixerit, Angelos esse pingendos, quia subtili corpore præditi sunt, non ideò approbavit Concilium rationem illius Episcopi, sed solam ejus conclusionem firmavit. Fateor tamen aliquos Patres in Philosophia Platonis versatos, spiritibus materiam subtilissimam asseruisse: sed Ecclesia temporum progressu non novos articulos condens, sed novis luminibus instar surgentis auroræ procedens, multa successu temporum stabilit, quæ licitis olim opinionibus jactabantur. *Crescat oportet* (ait Lirinensis 1. p. Commonit.) *& multùm, vehementerque proficiat, tam singulorum, quàm omnium ætatum ac sæculorum gradibus intelligentia, & scientia, & sapientia.*

Objicies ultimò contra tertiam partem speculationis. Concilia & Patres pluries docent Angelos esse solùm incorruptibiles per gratiam eos à morte & corruptione coërcentem; idque videtur colligi ex illo Apostoli 1. Timoth. 2. *Solus Deus habet immortalitatem*, scilicet per naturam. Et hinc sumitur ratio, cur esse ab intrinseco indefectibile & immortale est Deo proprium, nec potest competere ulli creaturæ, quæ non habet esse necessarium, sed contingens, proindéque in nihilum sponte proclive, nisi Deus manuteneret. Unde Greg. lib. 6. Moral. c. 18. *Sicut omne ens creatum est ex nihilo; ita est vertibile in nihilum, ut finis principio respondeat.*

Respondeo, Concilium Lateranense sub Leone X. expressè reprobasse eos, qui docent, animam rationalem non esse ex natura sua immortalem, ut legere est *sess. 8.* quod à fortiori de Angelis spiritualibus credendum est. Cùm ergo Patres dicunt interdum, animam, vel Angelum esse immortalem per gratiam, non accipiunt gratiam strictè pro aliquo dono supernaturali habituali, vel actuali, sicut usurpatur quando agitur contra Pelagianos; sed per gratiam intelligunt gratuitam Dei voluntatem, quæ sicut liberè produxit Angelos, ita gratis eos conservat; non quod conservatio sit eis indebita, sed quia absolutè posset Deus eos non conservare, nec ad hoc tenetur, nec ad id ex præcedentibus meritis movetur. Vel secundò exponi possunt Patres de immortalitate perfecta excludente omnimodam immutabilitatem; quia omnis mutatio est quædam mors, ut alicubi ait August. quam immortalitatem plenissimam Angeli non habent; cùm sint capaces mutationis & successionis accidentalis diversorum actuum & motuum. Solus verò Deus habet immortalitatem per essentiam, quia apud ipsum nulla est transmutatio, nec ulla vicissitudinis obumbratio.

Et ex his ferè patet responsio ad rationem subjunctam. Adde, quod immortalitas alio modo convenit Deo, & alio Angelis; Deo à se, & per essentiam; Angelis dependenter, & cum non repugnantia ad hoc ut destruantur à Deo, à quo possunt in nihilum redigi. Cum quo stat, Angelos esse ab intrinseco incorruptibiles, cùm non habeant intrinsecum corruptionis principium; sicut enim ignis non dicitur frigefactivus, sed calefactivus; nec lapis mobilis sursum, sed deorsum, licèt divinitus & ignis frigefacere, & lapis sursum tendere valeat, quia ad id non habent nativa principia: ita absolutè Angelus incorruptibilis dicendus est, quia omni interna radice corruptionis caret.

Illud autem proloquium ex D. Gregorio desumptum, *Omne quod est ex nihilo, tendit in nihilum*, intelligitur si creatura sibi relinquatur destituta omni auxilio & concursu Dei; nam *quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* ut dicitur *Sap. 11.* Sed quia ille concursus titulo connaturalitatis debetur naturæ incorruptibili & indefectibili, non minùs quàm igni concursus ad comburendum; fit inde, quod simpliciter dicuntur Angeli indefectibiles & incorruptibiles, suppositis semper illis quæ se tenent ex parte primæ & universalis causæ. *Si dicatur* (inquit optimè S. Thom. 2. contra Gent. cap. 30.) *quod ea quæ sunt ex nihilo, quantum est de se in nihilum tendunt, & sic omnibus creatis inest potentia ad non esse, manifestum est hoc non sequi; dicuntur enim res creatæ eo modo in nihilum tendere, quo sunt ex nihilo; quod quidem non est nisi secundùm potentiam agentis. Sic igitur & rebus creatis non inest potentia ad non esse, sed Creatori inest potentia ut eis det esse, vel eis desinat esse influere, cùm non ex necessitate agat ad rerum productionem, sed ex voluntate.*

REFLEXIO.

Hic contemplari licet incredibilem Angelorum erga homines amorem; cœlestes enim spiritus, non ex

X 4 indigentia,

indigentia, sed ex charitate assumunt corpora, ut ministerium pietatis impleant propter eos qui hæreditatem capiunt salutis. Quos naturæ sublimitas à materia eximit, hos pietas efficit corporales. Summum infiniti amoris pignus Deus exhibuit, dum Verbum caro factum est: sic non mediocrem demonstrant Angeli erga homines charitatem, qui toties visi sunt hominibus, & ad eos intraverunt, & manducaverunt cum eis, ut tam indubitata, quàm nota Scripturæ probat authoritas. In hoc quidem à nimia Filii Dei charitate discernuntur, quia Verbum carnem semel assumptam nunquam dimisit; Angeli verò expleto opere deponunt corpora, in eandem de qua sumpta sunt materiam resolvenda. Tamen in hoc commendanda benevolentia eorum est, quòd toties corpora assumere non dedignentur, quoties humana necessitas id requirit. Vide Bernard. lib. 5. de consid. cap. 4. *Cernere & mirari est in Angelis & Archangelis virtutem atque experientiam vocis illius; quoniam ipsi cura est de nobis, qui talium nos & tantorum non desinit jucundare visitationibus, instruere revelationibus, suggestionibus commonere, sedulitate solatiari.* Quod si Angelorum in nos amor eos ad terram inclinat, justum est ut tantæ charitati respondens gratitudo nostra ad cœlos usque conversatione pertingat, & tota se colligens anima, *& reductis affectibus è cunctis locis, quibus captivi tenentur, timendo quæ non oportet, amando quæ non decet, dolendo vanè, gaudendo vanius, cum his ineat tota libertate volatum, pulset cum impetu spiritus, & in pinguedine gratiæ illabatur*, ut ait ibidem Sanctus Bernardus.

SPECULATIO II.

Angelus est verè & realiter præsens loco per suam operationem, tanquam per rationem formalem.

PRima pars affirmans Angelos absolutè esse in loco, de fide est; sæpe enim sacræ Scripturæ præsentiæ Angelorum ad loca meminerunt, ut *Genes.* 18. & 19. dicuntur Angeli venisse ad Abraham & Loth. *Apoc.* 12. dicitur de Angelis apostatis: *Neque locus inventus est amplius eorum in cœlo.* Et fanè cùm sæpe fiat mentio de motu Angelorum, quo vadunt, & redeunt; accedunt, & recedunt; distant, vel propinqui sunt, necesse est fateri in illis quandam præsentiam ad loca, à quibus absæsse, vel appropinquare dicuntur.

Et quanvis sit aliquod dissidium, num propriè, vel metaphoricè sint in loco, tamen hæc altercatio non potest esse nisi de nomine: & ad omnem æquivocationis hallucinationem auferendam, adverte præsentiam ad locum sumi dupliciter. Primò pro simplici indistantia rei præsentis tali loco. Secundò pro commensuratione rei locatæ ad locum, à quo continetur, & cui adæquatur, ita ut tota res toti loco, & partes rei partibus loci correspondeant. Utroque illo modo aliquid verè est in loco, licèt uterque modus non conveniat univocè in ratione locandi. Hac distinctione explicabis Patres, & D. Thomam aientes, Angelos esse æquivocè in loco; id est, modus quo Angelus est in loco in ratione locandi, non convenit nisi æquivocè cum modo quo corporalia sunt in loco. Cæteroquin nusquam negarunt, Angelos esse vero & proprio aliquo modo in loco: tum quia verba Scripturæ propriè sunt interpretanda, nec ad metaphoras transferenda sine necessitate: tum quia Angeli possunt determinari ad certum locum, eique alligari, ut dæmones in inferno. In summa Angeli dicuntur esse æquivocè in loco, non quòd verè non sint in loco, sed quia esse in loco non significat unicum & univocum modum existendi in loco pro Angelis, & pro corporibus.

Secunda pars, quæ asserit, operationem esse rationem formalem, qua Angeli contingunt locum, probatur. Ut Angelus sit præsens loco, debet necessariò contingere locum per aliquid reale, ratione cujus reddatur immediatè indistans corpori locanti, vel spatio cui præsens est. Ad realem enim præsentiam non sufficit cognitio spatii; intellectus quippe fertur ad absentia. Non sufficit etiam præsidentia, quæ non infert necessariò præsentiam, sed dumtaxat aliquam attentionem & curam respectu illius cui præsidet. Præsentia ergo realis postulat immediatum contactum rei præsentis ad spatium cui præsens est, & physicam indistantiam loci & rei locatæ.

Atqui nihil potest esse, vel rationabiliter excogitari in Angelo, quo formaliter contingat locum, nisi propria operatio, ut patebit si discurramus per singula. In primis non potest Angelus contingere locum per suam substantiam, tanquam per rationem formalem; quia aliàs Angelus non posset esse modò in majori, modò in minori spatio, cùm substantia Angeli sit invariabilis, nec crescat, aut rarefiat occupando majus spatium; nec minuatur, aut veluti condenseetur occupando minus. Nec ad hanc majorem, vel minorem veluti protensionem sufficit diversa voluntatis applicatio; volitio enim nihil addit substantiæ quo locetur; vel si addit, jam non ipsa substantia erit ratio locandi, sed illud à voluntate superadditum. Potest quidem voluntas facere quod Angelus sit potiùs hic, quàm alibi; sed efficere nequit ipsum occupare majus spatium, quàm antea, si remaneat eadem indivisibilis ratio locandi.

Non potest etiam dici, quod ubi, seu modus ubicationis sit ratio formalis locandi Angelum independenter ab operatione. Nam illud ubi, potest esse modò majus, modò minus: ergo præter ubi, debet assignari fundamentum talis mutationis, quod non est substantia immutabilis, nec voluntas quæ pro suo arbitratu non immutat modum quo res sunt in loco. Quærant, & requirant fundamentum illud adversarii; sanè nunquam illud invenient, nisi redeundo ad sententiam D. Thomæ assignantis operationem, quæ sicut inæqualis est, ita inæquale ubi fundare potest.

Nequit etiam Angelus esse præsens loco per aliquam unionem, ut fingit Vasques. Nam vel illa unio esset informativa, qualis est inter animam & corpus; & hæc repugnat spiritualitati Angelorum, ut suprà demonstravimus: vel erit unio similis illi quæ est inter naturam & suppositum, subjectum & accidens, partem & compartem: vel erit alius modus unionis innominabilis. Sed quid absurdius quàm credere, ex Angelo & corpore locante fieri unum unione reali & physica, ex qua procul dubio resultabit totum. Certè si repugnat Angelo uniri realiter corpori quod assumit, quantò magis loco cui adest? Denique hæc unio, qualiscumque tandem sit, supponit operationem, qua liberè ab Angelo producatur, non enim necessariò alligatur Angelus loco. Ergo velint nolint hujus unionis assertores vel confitebores, fateri coguntur, Angelum non esse in loco nisi beneficio operationis hujusmodi unionis productricis.

Ergo restat solùm ut Angelus sit in loco per suam virtutem, non quidem in actu primo consideratam, cùm Angelus diversum & inæquale spatium occupans eandem actus primi virtutem retineat; sed per virtutem in actum secundum prorumpentem, qua majori vel minori spatio occupant, prout majorem vel minorem sibi subjicit locum. Et hoc sanè admodum decet naturam spiritualem, quæ immaterialis cùm sit, debet etiam esse à loco independens, nec illi esse præsens, nisi quatenus facit locum pendere à se.

ſe. Aliàs contineretur, & menſuraretur à corpore locante, cujus conditionibus obnoxia eſſet. Quod ſanè ſubſtantiâ ſpirituali completâ, & ab omni ordine ad corpora immuni indignum eſt.

Objicies: Nullum eſt inconveniens admittere Angelum loco ſubordinari, cùm ſit obligatus ad exiſtendum in aliquo loco (aliter tamen ac corpus, quia poteſt egredi, & ad libitum ſpatia cuncta tranſilire) in quo habet Angelus veluti rationem ſitus & diſtantiæ ad polos mundi. Nec enim poteſt Angelus ſe eximere ab omni loco reali, vel imaginario; quantumvis enim fugiat, ſemper intra, vel extra mundum invenietur, etiamſi nullatenus ad extra operetur: ergo Angelus non eſt formaliter in loco per operationem.

Reſpondeo, Angelum non neceſſitari, nec coarctari ad hoc ut ſit in aliquo loco & ſitu, nec in hoc imaginationi credendum eſt. *Non reputo inconveniens* (ait S. Thom. in 1. diſtinct. 37.) *quod quando Angelus nullam operationem circa locum habet, ut tunc nuſquam, vel in nullo loco eſſe dicatur; ſed tamen hoc non eſt imaginabile, quia imaginatio continuum non tranſcendit.* Certè ſi Angelus creatus fuiſſet ante mundum (ut multi Patres arbitrati ſunt) tunc nullibi fuiſſet Angelus niſi in Deo, nec Deus niſi in ſeipſo.

Dices: Sicut prius eſt rem eſſe, quàm operari, ita prius eſt eſſe in loco, quàm ibi operari; unum enim ex prærequiſitis ad agendum immediatè immediatione ſuppoſiti, eſt præſentia & approximatio agentis ad paſſum: ergo priùs Angelus eſt in loco per ſuam ſubſtantiam, quàm in eo operetur.

Reſpondeo, Angelum non debere priùs eſſe in loco, quàm in eo operetur, ſed per ipſam operationem reddi præſentem. Nec eſt neceſſe quod præexigatur immediata præſentia agentis ad paſſum; ſed ſat eſt, quod per ipſam operationem fiat. Sicut licèt ad recipiendam animam requiratur corpus organicum, non tamen prærequiritur, ſed ipſo animæ ingreſſu fit organicum. Et in ſententia adverſariorum multorum, licèt ubi reſultet ex præſentia; dicunt tamen præſentiam non prærequiri, ſed per illud ubi formaliter cauſari.

Inſtabis: Angelus poteſt quieſcere in aliquo loco: Ergo operatio non eſt ratio formalis, quâ Angelus ſit præſens loco.

Reſpondeo, Angelum quieſcere in loco non deſinendo operari circa illud, ſed permanenter agendo in illud. Tunc etenim Angelus quieſcit in uno loco, quando non movetur ad alium; non movetur verò quandiu circa idem ſpatium actione verſatur.

Vrgebis: Angelus non eſt in toto corpore circa quod operatur, aliàs Angelos movens totam primam ſphæram cœleſtem, ei toti præſentialiter adeſſet; quod nullus concedit: ergo operatio non eſt ratio formalis occupandi locum in Angelis.

Reſpondeo, non eſſe neceſſe quod Angelus ſit in toto ſpatio corporis, cui virtutem ſuam imprimit, ſed ſufficere quod ſit præſens illi parti corporis ingentis, quam immediatè impellit. Vnde Angelus motor totam ſuam ſphæram non implet, ſed ſolùm illam cui impetum proximè communicat ſuum. Ibi enim adeſt ſubſtantia Angeli, unde primò inchoatur operatio ejus: ibi ſiquidem eſt virtus & principium, ubi primò, & immediatè operatio diffunditur.

Inſiſtes: Non eſt aſſignabile quid Angeli in cœlo Empyreo producant; quid dæmones in inferno; quid Angeli cuſtodes circa clientes; & illo aſſignato, ridiculum eſt tot legiones Angelorum occupari in eo quod circa cœlum operantur: ergo operatio non eſt Angelis ratio formalis exiſtendi in loco.

Reſpondeo, non oportere multùm ſolicitari in veſtigando illo quod Angeli in cœlum Empyreum producunt; quia ſicut nobis plenè nota non eſt Angeli, nec cœli illius natura, ita nec poteſt certò deſignari operatio Angelorum in cœlum. Certè ſi neſcimus reddere rationem, quare, & quomodo tot lapilli, & plantæ tam inſolita & mirabilia operentur, frivolum, & inane eſt occultas Angelorum longè magis abſconditorum operationes percontari. Sapienter Auguſtinus lib. 1. de Trinit. cap. 10. *Mihi omninò utile eſt ut meminerim virium mearum, fratreſque meos admoneam, ut meminerint ſuarum, ne ultra quàm tutum eſt, humana progrediatur infirmitas. Quemadmodum enim hæc faciant Angeli, nec oculorum acie penetrare, nec fiduciâ rationis enucleare, nec provectu mentis comprehendere valeo, ut tam certus loquar ad omnia quæ inquiri de his rebus poſſunt, quam ſi eſſem Angelus.*

Quia tamen moroſorum importunæ querelæ, & cujuſdam hanc ſobriam Thomiſtarum reſponſionem deridentis levitas compeſcenda eſt, dicendum, probabile eſſe Angelos diffundere cœlis quendam lucis ornatum; id enim non mediocre habet in Scripturis fundamentum, in quibus ſæpiùs attribuitur Angelis illuminatio erga loca illa, quibus adeſſe perhibentur. Luc. 2. *Angelus Domini ſtetit juxta illos, & claritas Dei circumfulſit illos.* Matth. 28. *Erat aſpectus ejus ſicut fulgur.* Actor. 12. *Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo carceris.* Alii volunt Angelos influere cœlis vel ſtabilitatem, vel virtutem cauſandi hæc inferiora; exigit enim ordo, unitas, & perfectio univerſi, ut ſuperiora agant in inferiora per media; ſic enim ſalvatur cauſarum omnium ſecundarum concatenatio. Nec mirandum, tot Angelos in hoc occupari, quia vel aguot in diverſas partes, vel ſi in eandem, concurrunt ut cauſæ partiales. Et quanvis ab initio temporis perfecti ſint cœli, & omnis ornatus eorum; hoc tamen (& eſt ſolutio tacitæ replicæ) non impedit quominus ſuæ perfectionis accidentalis incrementa ab Angelis recipiant, cùm ipſimet Angeli pleni ſapientiâ & decore producti, quotidianis illuminationum influxibus illuſtrentur.

Dum verò quæritur quid agant dæmones in inferno? Reſpondemus multa ibi agere, & dira pati; agunt enim alii in alios, ſe invicem diſcruciando; agunt in animas reproborum, ut tortores divinæ juſtitiæ: patiuntur verò ab igne, à quo detinentur violenter, & alligantur *rudentibus & vinculis*, ut ait Scriptura. Licèt autem ratio exiſtendi connaturaliter in loco ſit operatio; ratio tamen exiſtendi in loco violento eſt paſſio, quam dum de pœna dæmonum, operoſiùs examinabimus. Nunc autem diſſeremus ſolùm de modo exiſtendi connaturali, qui habetur per operationem: ſicut quantitas eſt ratio connaturalis locandi materiam, quæ tamen ſupernaturaliter aliter præſens eſſe poteſt, ut patet in Venerabili Sacramento Altaris. Ad id quod ultimò quæritur; quid agant Angeli erga clientes ſibi commiſſos? Reſpondebitur dum de cuſtodia Angelorum.

REFLEXIO.

Spiritus in loco non eſt, niſi operetur; & ſpirituales virtutes à te prorſus abeſſe non dubites, niſi in opus diffundantur. Tritum eſt, nec minùs verum illud Gregorii Magni axioma: *Charitas magna operatur, ſi eſt; ſi autem non operatur, non eſt.* Et iterum: *Probatio dilectionis exhibitio eſt operis.* Falſa eſt pœnitentia, quæ dignos fructus non parit, nec illis credendum eſt lacrymulis doctis mentiri, ut loquitur Bernardus, ſed operibus. Non omnis qui dicit: Domine, Domine, introibit in regnum cœlorum, *ſed qui fecerit.* Quin ipſa fides larva virtutis eſt, niſi per dilectionem operetur, & Chriſtianos illis aſſimilat,

de

de quibus dicit Propheta: *Linguâ suâ mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Et iterum: *Dilexerunt eum in ore suo, cor autem eorum non erat rectum cum eo.* Hinc sapienter Paul. 1. Cor. 13. *Probate si estis in fide.* Et Iacobus cap. 2. *Ostende mihi ex operibus fidem tuam.* Probat fidem, ostendit fidem, qui ex fide rectè vivit; fides enim, teste Augustino, à faciendo quod dicitur, derivatur; aliàs non esse fidem meritò dubitatur. Nam juxta Philosophorum axiomata: *Operari sequitur esse. Idem manens idem semper facit idem. Habitus dat faciliter operari.* Quis credat illi inesse virtutes, quas nulla sequitur operatio, sed quem continuus relapsus, continua bene agendi difficultas comitatur? Rectè Salvian. lib. 4. de Provident. *Nomen sine actu fue nihil est.*

SPECULATIO III.

Ex prædictis derivantur quædam consectaria, quibus tota materies de loco & motu Angelorum absolvitur.

PRincipium præcedenti speculatione stabilitum origo est, unde omnia quæ de loco & motu Angelorum disputantur, continuò deducuntur, ut patebit ex sequentibus corollariis.

Sequitur ergo primò, Angelum posse occupare locum & indivisibilem, & divisibilem, seu extensum; non tamen posse esse ubique: quia cùm Angelus sit in loco per voluntariam suæ virtutis applicationem, non debet ei præfigi locus indivisibilis, sed ad eo majorem potest se extendere, quo majorem habet operandi virtutem Verùm quia virtus illa quantacunque sit, finita est, ideò habet determinatam activitatis sphæram, quam transilire non potest. Certè si anima rationalis modò minus, modò majus corpus informat; & adorandum Christi corpus modò paucioribus, modò pluribus speciebus Eucharisticis realiter adest, quia est ibi ad modum spirituum, nec subjicitur legibus loci: ita proportionaliter de Angelis dicendum est, posse ipsos modò majus, modò minus spatium occupare intra sphæram activitatis suæ, quia non sunt in loco ut contenti, mensurarique ab eo, sed ut continentes, & sibi subjicientes locum.

Sequitur secundò, plures Angelos posse esse in eodem loco materiali, non tamen in eodem loco formali. Ratio primæ partis est, quia Angeli possunt operari in eodem spatio vel effectus diversæ rationis, vel etiam ejusdem, tanquam causæ partiales & subordinatæ; sicut in quodam corpore fuisse legionem dæmonum dicitur *Marci* 5. Ratio verò secundæ partis est, quia locus formalis Angelorum non desumitur ex superficie & distantia à polis mundi (nam hic est tantùm formalis locus corporum, qui dicitur ultima superficies corporis ambientis) sed desumitur ex virtute operativa determinata per operationem adæquatam, ita ut illud spatium sit formaliter unus locus, ad quem Angelus per suam virtutem operativam & operationem adæquatam potest se extendere. Ergo cùm eadem operatio non possit à pluribus agentibus totalibus procedere, saltem de potentia ordinaria, ut nemo negat; fit inde, plures Angelos non posse esse in eodem loco formali, si nimirum quilibet agat actione totali, ut agens perfectum, & perfectè continens effectum. Cum quo tamen stat, quod si Angeli accommodantes, & veluti attemperantes actionem suam partialiter agere velint, tunc erunt in eodem loco formali, quia ita coaptabunt, & moderabuntur concursum suum, ut ab utroque effectus partialiter profluat. Quia tamen partialis influxus quandam insufficientiam sonat & præ se fert, ideò ordinariè loquendo Angeli non sunt in eodem loco formali, nec de hoc potest esse controversia nisi de nomine.

Sequitur tertiò, Angelum non posse esse in duobus locis adæquatis, nec in duobus inadæquatis, quando distantia est major sphæra activitatis. Prima pars est evidens, quia locus adæquatus Angeli exhaurit totam virtutem naturalem: ergo illum non potest naturaliter prætergredi, aliàs nulla esset ratio cur non posset esse in omnibus locis; si enim semel concedatur, posse ipsum adæquatam virtutis suæ metam transilire in uno, vel duobus, vel tribus locis, non erit ratio cur non possit esse in aliis omnibus.

Secunda pars etiam patet, quia si loca inadæquata, & excedentia limites propriæ sphæræ posset occupare, tunc Angelus posset extra adæquatam sphæram protendi: v. g. si sphæra Angeli sit una leuca, non potest occupare mediam leucam in terra, & mediam alteram in cœlo; aliàs Angelus posset esse naturaliter in locis distantissimis, nec indigeret motu, ut transiret de loco in locum, sed sufficeret ei inadæquate & partiri virtutem suam activam, & eam diversis locis distantibus dispensare, quod non convenit modo connaturali existendi in loco, qui convenit rebus finitis. Vnde Damascenus lib. 2. de fide, cap. 17. *Nec in pluribus, aut diversis locis Angelus operari in eodem tempore potest.*

Sequitur quartò, Angelum posse esse supernaturaliter in pluribus locis adæquatis, quia cùm Angelus sit in loco per operationem, sicut potest augeri virtus operativa ejus, ita & ipse potest ultra locum adæquatum supernaturaliter protendi, per quod differt Angelus à corpore, quod in probabiliori sententia non potest esse in pluribus locis circumscriptivè. Et ratio disparitatis est, quia vis quidem effectiva causarum efficientium augeri potest, non tamen vis informativa causarum formalium; quia istæ non causant nisi communicatione suæ entitatis. Vnde cùm quantitas nequeat naturaliter replere duo loca, nec supernaturaliter id poterit, cùm locum non occupet nisi in genere causæ formalis, & præbendo seipsam: poterit tamen Angelus ultra suum locum adæquatum protendi, si ei virtus activa augeatur, ut augeri posse nemo dubitare potest.

Sequitur quintò, Angelum posse existere naturaliter in duobus locis inadæquatis, etiam dissitis, intra terminos sphæræ suæ contentis. Cùm enim Angelus sit in loco per liberam & non naturalem virtutis suæ applicationem, planè consequitur, ipsum posse intra sphæram activitatis suæ se parti cui voluerit conjungere, & alteram relinquere: v. g. si sphæra ipsius sit aula, poterit esse in quatuor angulis, relictis spatiis intermediis; quia nimirum nulla necessitate partibus omnibus intra sphæræ suæ ambitum contentis alligatur; nec est in loco per informationem, sicut anima est in corpore, cujus partes continuatim sine interruptione informari debent, quia anima non est in corpore nisi disposito & organico; dispositiones autem illæ communicantur uni parti mediante alia. Non est etiam in loco ad modum quantitatis continuæ per commensurationem ad locum, sed per operationem quæ non dependet, sed sibi subjicit locum.

Itaque sicut corpus Christi potest esse divinitùs in pluribus Altaribus distantibus, non existens in medio; potest etiam esse in extremitatibus hostiæ, medio corrupto, quia non est in loco modo quantitativo; ita Angelus, quia non est in loco ei subjectus, sed ipsum sibi subjiciens, poterit se à parte, quam voluerit, subtrahere, & in aliis permanere; quod licèt imaginationem transcendat, non tamen rationem: ratio enim dictat substantiam purè spiritalem nullo modo

modo subjici loco, nec ei commensurati, nec ab eo pendere, sed esse omni corpore superiorem, nec contingere corpus nisi quatenus illud sibi subordinat libera sua voluntate, quæ potest proinde partem spatii sui ad libitum tangere, alia intacta. Certè si Angelus potest se ab omni spatio eximere nihil agendo, non video cur non possit ab aliqua parte spatii illius se retrahere nihil in illam operando?

Dices: Angelus non potest esse in pluribus locis ut plura sunt, ut docet S. Thomas *quæst.* 52. *artic.* 2. sed si Angelus esset in pluribus locis dissitis absque eo quod esset in medio, foret in pluribus locis ut plura sunt; nam illa loca inadæquata non essent unus locus, neque entitativè, cùm realiter distinguantur; nec continuativè, cùm essent discontinuata mediâ intercapedine; neque unitate ordinis, quia Angelus non diffunderet suam virtutem ex uno loco in alium, sed ab utroque æqualiter, & disparatè inciperet. Ergo nequit Angelus esse in pluribus locis inadæquatis disjunctis, & medio intervallo intermissis.

Respondeo, loca illa inadæquata, & interjecta esse plura materialiter, sed non formaliter in ratione loci; quia ille locus dicitur unus respectu Angeli, qui correspondet virtuti operativæ, & sphæræ activitatis ejus. Nam, ut ait D. Thomas quæst. 52. art. 2. *Non est necesse quod Angelo determinetur unus locus indivisibilis secundum situm, sed vel divisibilis, vel indivisibilis; vel major, vel minor, secundum quod voluntariè applicat suam virtutem ad corpus majus, vel minus; & sic totum corpus, cui per suam virtutem applicatur, correspondet ei ut unus locus.*

Instabis: Ergo Angelus poterit esse in locis distantissimis, dummodò non faciant majus spatium, quàm sit illud quod exigit sua sphæra: v. g. si sphæra sit una leuca, poterit unum quadrantem in Oriente, aliud in Occidente occupare: nam quod intermedia spatia relicta sint magis vel minùs distantia, omninò impertinenter se habet; si enim semel potest discontinuare operationes suas, parum refert quod multùm, vel parum eas disjungat.

Respondeo, id non sequi, quia spatia illa, licèt in se sint inadæquata, hoc ipso tamen quod ad spatia tam distantia transferuntur, adæquatam Angelicæ virtutis sphæram exsuperant. Si enim sphæra adæquata Angeli sit leuca, quidquid ultra leucam est, etiam extra sphæram est. Vnde particulæ illæ spatii, quæ in interjectis orbis angulis designantur, non possunt habere rationem unius loci, sicut habent quatuor extremitates leucæ correspondentes sphæræ virtutis Angeli.

Insistes: Natura agentis limitati postulat ut non possit duas operationes non subordinatas æquè primò elicere; nam etiam in sententia S. Thomæ infrà stabilienda, intellectus, qui est liberior in apprehendendo, quàm virtus operativa in operando, non potest plura ut plura intelligere, nec plures intellectiones non subordinatas concipere. At si Angelus esset in pluribus locis inadæquatis discontinuatis, eliceret plures operationes, ut plures sunt; nam operatio Angeli non esset una entitativè, siquidem terminaretur ad diversa loca inadæquata; neque unitate ordinis, cùm una operatio incipiat ab una parte loci, & alia ab altera parte, sine communicatione & coordinatione inter se. Ergo Angelus non potest esse in pluribus locis discontinuis, etiam intra propriæ sphæræ limitationem.

Respondeo, Angelum in illo casu nullatenus eliciturum plures operationes, sed unicam formaliter immanentem, & virtualiter ad plura spatia transeuntem; præsertim cùm Angelus per imperiũ intellectus practici operetur ad extra. Sicut ergo intellectus speculativus apprehendit illa spatia inadæquata ut unum locum formaliter, quia quodlibet continentur intra sphæram virtutis suæ; ita intellectus practicus potest illa plura contingere contactu virtutis, tanquam objecta partialia in ratione loci formaliter una, quatenus eidem virtuti suæ correspondent.

Sequitur sextò, Angelum non esse in loco per ubi modale superadditum, & realiter ab operatione distinctum. Ratio est, quia sufficienter per operationem intelligitur Angelus contingere locum, & ei adesse. Ad cujus profundiorem intelligentiam considerandum est, operationem Angeli, quia est actio virtutis absolutæ & independentis à conditionibus, & quantitate corporis, non aliter debet commensurari corpori quàm subjiciendo illud sibi, non verò per aliquod accidens, quo veluti coaptetur & correspondeat loco. Quæ operatio propter suam eminentiam habet tria officia: primò enim sibi conjungit & subjicit subjectum; secundò in subjecto effectum aliquem producit: tertiò Angelum præsentem & ubicatum reddit. Quæ tria munia licèt ab eadem operationis ejus entitate præstentur, unum tamen aliud naturâ præcedit, sicut relatio divina secundùm munus referendi supponit munus originis, & utrumque munus formæ hypostaticæ, ut aliàs diximus.

Dices: Angelus verè & propriè movetur in seipso, dum transit de loco in locum, ut posteà dicemus: ergo sicut per illum motum intrinsecè mutatur, ita perdit aliquid intrinsecum, & aliud intrinsecum acquirit; sed illud non potest esse aliud quàm modus præsentiæ, seu ubi intrinsecum: ergo ex contactu virtuali, quo Angelus adest loco, resultat in Angelo ubi intrinsecum.

Respondeo non esse necesse, Angelum acquirere ubi intrinsecum superadditum operationi suæ; sicut enim anima rationalis ex eo quod informat corpus, non acquirit ubi intrinsecum in corpore, sed ipsa informatione fit præsens; ita Angelus per solum contactum virtutis operativæ erga corpus fit ei sufficientissimè præsens; quod enim anima facit informando, hoc facit Angelus agendo, quia est forma activa, non informativa, quæ non potest circumscribi & commensurari à loco, eique coextendi. Quare cùm Angelus movetur, mutatur quidem activè producendo actionem, sed non passivè recipiendo aliquid ex adjacentia loci; sed locus ipse intrinsecè mutatur recipiendo impressionem Angeli.

Corollaria de motu Angelico.

Ex eodem principio asserente operationem esse rationem formalem, quâ Angelus existit in loco, ea omnia liquidò consequuntur, quæ de motu ejus disputantur; quæ proinde eodem contextu, non interrupto filo, continenter deducemus: unde

Sequitur septimò, Angelum posse moveri tum motu continuo, tum motu discreto. Ratio primæ partis est, quia cùm Angelus sit in loco per operationem, sicut potest modò in uno loco, modò in alio operari, planè fit ipsum debere posse moveri de loco in locum. Et sanè, Angelum posse absolutè moveri, de fide est, cùm id clarissimè tradat Scriptura. Iob 1. *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Isai. 6. *Volavit ad me unus de Seraphim.* Matth. 28. *Angelus Domini descendit de Cœlo.* Certè cùm Angeli non sint ubique, ob substantiæ & virtutis suæ limitationem; aliunde verò habeant intellectum, quo cognoscant rem distantem; & voluntatem, qua possint eam appetere, debent etiam habere virtutem motivam, qua possint illuc se conferre; absurdum enim est denegare tam perfectæ naturæ quod animalibus progressivis natura largita est. Ergo

Angelis

Angelis convenit motus non solùm per accidens ad motum corporum, sed per se, eliciendo diversas operationes circa diversa loca.

Secunda pars de motu continuo est facilis. Cùm enim Angelus sit in loco per operationem, motus Angelicus nihil aliud est, quàm diversi contactus plurium locorum, quos successivè, & non simul occupat absque intermedia quiete. Sed Angelus potest percurrere diversa loca continuo contactu, paulatim dimittendo unum locum, & priùs se transferendo ad unam partem loci, & posteà ad aliam. Licèt enim Angelus non habeat partes quibus sit formaliter extensus, habet tamen virtutem quæ potest diversis partibus loci applicari, incipiendo à partibus immediatioribus; sicut anima diversas partes materiæ in nutritione & augmentatione informat. Ergo Angelus potest moveri motu continuo.

Tertia pars de motu discreto in eo consistente, quod Angelus dimittat totum locum in quo est, & toti alteri se applicet, fundatur in eadem maxima; nimirum quia cùm Angelus sit independens à loco, cui non adest, nisi dum illum sua sibi operatione subjicit; potest consequenter Angelus desilere ab operando in uno loco, & incipere in alio, per quod differt spiritus à corpore: nam cùm istud habeat partes correspondentes partibus loci, debet una pars relinquere locum post aliam, & priùs pervenire ad partes loci proximas quàm ad remotas; unde priùs illi medium trajiciendum est, quàm pertingat ad extremum. Ergo Angelus potest moveri motu discreto: de quo magis statim.

Sequitur octavò, Angelum posse moveri motu discreto ad loca distantia, transeundo de uno extremo ad aliud sine medio. Ratio est, quia cùm Angelus non sit in loco per commensurationem, sed modo elevatiori, ut mensurans, continens, & subjiciens sibi locum per operationem liberè elicitam; consequens est ut possit cui se voluerit loco applicare, & ab ejus libertate pendet operationem suam producere vel in extremis, vel in medio, cùm ejus operatio nulli sit spatio alligata. Eo maximè, quod potentia locomotiva Angelorum non distinguatur ab intellectu, & voluntate; & motio sit ipsamet intellectio & volitio immanens, & virtualiter transiens: in substantia quippe intellectuali non possunt esse nisi potentiæ à gradu intellectuali dimanantes, quæ sunt intellectus, & voluntas: Angelus autem potest practicè apprehendere & eligere productionem effectus in loco distanti, nihil volens operari in medio: ergo Angelus non tenetur sobire leges & conditiones loci, ut scilicet transeat per media priùs quàm ad extrema perveniat; sed potest de extremo ad extremum impertransito medio pervenire.

Confirmatur: Ideò corpus non potest ab una parte spatii ad aliam intacta media accedere, quia commensuratur loco, ejusque legibus & conditioni obnoxium est. Ideò anima non potest informare partes extremas corporis, non informatis intermediis, quia non unitur corpori nisi dispositionibus præparato, inter quas præcipua est quantitas materiæ coæva, cujus proinde legibus anima astringitur. Ideò verò corpus Christi Domini existens in cœlo sit realiter præsens venerabili Sacramento absque eo quod media contingat vel percurrat, quia non est in loco per commensurationem ad ipsum. Atqui Angelus non commensuratur loco, nec ei subjicitur, sed illum sibi subjicit per contactum virtutis; non enim Angelus vincit distantiam, vel longitudinem itineris mensurando spatium, sicut nos, sed applicando suam virtutem passo, in quod vult operari; quod verò illud passum sit propinquum, vel remotum, impertinens & accidentale est respectu virtutis angelicæ. Ergo potest Angelus transire de uno in aliud extremum sine medii contactu. Angelus enim habet connaturaliter ratione suæ spiritalitatis, & independentiæ à loco, quod corpus habet supernaturaliter. Et in hoc oportet imaginationem relinquere: nam de rebus spiritalibus sensum & imaginationem tantoperè excedentibus velle judicare secundùm id quod corporibus contingit, ut nonnulli solent, argumentum est animi infirmi, & intellectus limitati.

Hac de causa SS. Patres asserunt, Angelos posse in momento totum orbem peragrare. *Omnis spiritus ales est* (inquit Tertull. Apolog. cap. 22.) *hoc Angeli & dæmones: igitur momento ubique sunt.* Et Gregor. Nazianz. orat. 34. *Loca omnia peragrant, omnibus impigrè adsunt, tum ob ministerii promptitudinem, tum ob naturæ levitatem.* Et Chrysologus serm. 5 a. *Cùm tenuis natura carnem nesciat, orbem totum temporis transit in momento.* Et hac de causa Ecclesia Angelos pennatos depingit, ad quem morem videtur alludere Dionys. lib. de cœlesti hierarch. cap. ultimo. *Pennatos sanctorum Angelorum p des Theologia pinxit; penna enim declarat sursum ducere valentem.* Quos sequens D. Thomas ait q. 53. art. a. *Moveri de extremo in extremum, & non per medium, potest convenire Angelo.* Et quodlibeto 1. art. 5. *Angelus si vult, potest moveri de uno extremo ad aliud, absque eo quod pertranseat medium.*

Dices: Inintelligibile est, aliquid mutari de extremo ad extremum, & non per medium: sed quod inintelligibile est, superat modum naturalem cujusvis creaturæ: ergo translatio illa de extremo in extremum, ut imperceptibilis neganda est.

Respondeo mirum esse huic argumento succubuisse Suarem, & voluisse regulare motum Angelicum penes id quod sensibus & imaginatione impossibile judicatur. Vel dicat nobis hic Author, num propterea repugnet idem corpus sacramentaliter poni sub diversis speciebus, quia hoc imaginationi difficile apparet? Et quare ipse tam fervidè pugnet alibi contra Thomistas, asserens idem corpus posse esse divisibiliter & circumscriptivè in pluribus locis, absque eo quod sit in medio. Fortè hoc faciliùs capit imaginatio? Scilicet.

Instabis: Suprà diximus, Angelum habere limitatam activitatis suæ sphæram: ergo non potest transire de extremo in extremum relicto medio, saltem si illud medium sit extra suam sphæram; aliàs posset Angelus in loco infinitè distanti se naturaliter collocare: si enim Angelus non debet vincere resistentiam, seu distantiam medii, nec ab ea pendet in acquirendo locum, à nulla distantia impeditur, sicque poterit se locare in spatio in infinitum distantiore.

Respondeo, aliquos opinari, Angelom posse transire de extremo in extremum, deserto medio solùm intra sphæram suæ activitatis. Et sicut suprà diximus, Angelum posse occupare plures locos inadæquatos dissitos, non ad quamcunque distantiam, sed intra sphæram activitatis suæ; ita dicunt, Angelum occupantem totam magnitudinem suæ sphæræ posse se in minori ponere, non per contractionem suæ substantiæ (esset enim nimis rudis imaginatio) sed per contactum suæ præsentiæ: quo indivisibili modo nunc plures, nunc pauciores partes suæ sphæræ tangit independenter à partibus intermediis, quas deserit hoc ipso, quod in illas non agit.

Verùm conformius videtur doctrinæ S. Thomæ, Angelum posse moveri omisso medio ad quamcunque distantiam. Nam, ut ait q. 53. art. 3. ad 1. *Velocitas motus Angeli non est secundùm quantitatem suæ virtutis, sed secundùm determinationem suæ voluntatis.* Et ratio est, quia motus discretus Angeli non fundatur in quantitate

quantitate suæ virtutis, sed in independentia, superioritate, & incommensuratione ad locum; qua in re unus Angelus alium non excedit, cùm omnes sint prorsus immateriales, & à loco independentes. Unde ea ratione, qua potest immediatas partes suæ sphæræ relinquere, & ad extremam transire; potest etiam cuicumque distantiæ se applicare, quia non ideò Angelus reliquit medium suæ sphæræ, quia habet majorem, vel minorem virtutem, sed quia est independens à commensuratione loci: ergo quia Angelus est independens à quacumque commensuratione loci, quantumvis distantis, potest inchoare suam reparationem à quacumque parte voluerit. Nec ad hoc requiritur virtus infinita, sed sufficit independentia à commensuratione loci, cui natura Angelica astricta non est; unde in motu discreto nulla datur sphæra in Angelis: determinata autem virtutis ejus sphæra exigit solùm, ut manens in uno extremo non possit se extendere ad quamcunque aliam distantiam; non verò quod relicto penitus termino à quo, incipiat totaliter operari in loco quantumvis distanti: de facto tamen nunquam transfertur ad infinitum spatium, quia non datur; nec infinitum vacuum cadere potest sub certa intentione operantis.

Insistes: Angelus non potest transire de præterito in futurum nisi per præsens: ergo nec de loco extremo in extremum nisi per medium spatium; ordo enim inter partes spatii non videtur minùs essentialis, quàm inter partes temporis.

Respondeo esse apertam disparitatem, quia partes temporis non sunt de facto à parte rei, unde non potest Angelus eligere quam voluerit, ut coëxistat, sed necessariò debet expectare quod sit præsens. At verò partes spatii sunt de facto à parte rei; unde cùm Angelus nullis loci legibus sit obligatus, sed penitus independens à commensuratione loci, potest sibi ad libitum constituere passum ex quo operetur, & se applicare corpori cui voluerit absque dependentia à spatio intermedio. Certè sicut non valet: Corpus Christi non potest transire de præterito ad futurum nisi per præsens; ita non potest transire de cœlo ad altare nisi per aërem medium; non valet, inquam, quia partes temporis non sunt simul, benè tamen cœlum & altare, etiam per commensurationem ad spatium: ita similiter peccat instantia facta.

Persistes: De ratione essentiali motus est, quod moveri præcedat mutatum esse: ergo requirit aliquod medium inter extrema, in quo percurrendo mobile moveatur. Probatur consequentia, quia mobile non movetur etiam in termino à quo; quandiu enim in illo est, non recedit: non movetur etiam in termino ad quem; nam in eo sistit & quiescit: ergo debet dari medium in quo percurrendo movetur.

Respondeo, in motu discreto Angelum moveri & in termino à quo, & in termino ad quem; in illo inchoativè, in isto consummativè; motus enim discretus compositur ex duplici instanti, quorum unum succedit alteri immediatè; nimirum instans quo incipit esse in termino ad quem immediatè, sequitur ad instans quo ultimò est in termino à quo. Itaque operatio Angeli ut ultimò tangit terminum à quo, habet rationem initii viæ; prout verò incipit tangere terminum ad quem, habet rationem termini motus discreti.

Sequitur nonò, motum Angelicum non posse fieri in unico instanti. Probatur primò de motu continuo. Continuitas motus importat divisibilitatem, non in Angelo qui est impartibilis, sed in applicatione virtutis, quæ uni parti spatii, deinde alteri conjungitur, priùs se retrahendo ab una parte, & alteram successivè contingendo; quod fieri in instanti aperiè repugnat. Quod magis penetrabis, si consideres discrimen, quod interest inter res quæ diffunduntur per sui multiplicationem, & illas quæ medium percurrunt sine multiplicatione: nam licèt primæ non sint priùs in medio quàm in extremo, nisi tantùm naturâ, ut patet in luce, quæ in præsentia corporis luminosi statim omnes partes irradiat; secus tamen est de secundis. Et ratio discriminis est, quia priores quæ transeunt cum sui multiplicatione, causantur à medio, & transmittuntur in extremum eodem instanti reali, quo habentur ab ipso: v. g. eodem instanti quo media pars hujus cellæ recipit lumen candelæ, illud producit in partem vicinam, & hæc in aliam usque ad ultimam: at posteriores non sic, quia cùm medium nihil producat, priùs res mobilis, putà Angelus, debet esse in medio, quàm in extremo; non quòd una pars Angeli sit in prima parte spatii, & altera in secunda, Angelus enim caret partibus; sed quia applicatio Angeli ad locum fit per partes, quibus successivè & continuè diffundit virtutem suam. Rursus anima incipit informare novam materiam in augmentatione; quia licèt tota existat in qualibet parte, non tamen totaliter.

Idem probatur de motu discreto. Ad motum discretum requiruntur duæ saltem operationes, altera quâ Angelus sit in loco derelicto, altera quâ sit in loco acquisito; non enim per hoc intelligitur moveri, quòd incipiat occupare totum locum sequentem, ita ut operatio quâ verè est in loco quem relinquit, ad motum non pertineat: nam si Angelus de novo crearetur, cùm inciperet esse in loco, non diceretur moveri localiter propter hoc solùm, quia non relinqueret terminum à quo; & generaliter omnis motus localis essentialiter constat duabus partibus, cùm sit necessariò transitus de una in aliam.

Dices: Desitiò unius loci, & acquisitio alterius fieri potest in eodem instanti; nam eodem momento, quo acquiritur aliquid, deseritur ejus oppositum; sicut eodem momento, quo est forma in materia, & lux in aëre, tollitur privatio, expelluntur tenebræ: ergo unico instanti Angelus deseret terminum à quo, & acquiret terminum ad quem; quod est moveri motu discreto.

Respondeo, Angelum per hoc præcisè quod acquirit aliquod spatium, non propterea deserere aliud; si enim Angelus esset absolutus ab omni loco, vel de novo creatus inciperet occupare locum, non diceretur alium deserere, nec moveri. Sicut etiam in prima productione materiæ, formæ introductio non fuit expulsio privationis, quia hæc non præcesserat. Utut sit de his exemplis, non negamus mutationem instantaneam de non esse ad esse; sed inficiamur, motum positivum, qui est transitus de uno extremo ad aliud, posse fieri in instanti, sed ad minus duo exigere, in quorum uno desinat esse in uno loco, & in altero incipiat esse in alio; & sic in conjunctione hujusmodi duorum instantium consistit motus angelicus. Porrò conjunguntur, & ordinantur hæc instantia per hoc, quod unum ultimò definit, & aliud primò incipit; non enim instantia conjungi possunt simultate coëxistentiæ, sed consequtione operationis, quatenus ex desitione unius incipit duratio operationis sequentis. Illa igitur desitio unius operationis coordinata ex voluntate Angeli ad inceptionem alterius, componit motum discretum. Sed de hac materia tam tenui, tam subtili, satis & plus quàm satis.

R e f l e x i o.

Ex illis singulis consectariis totidem inferri possent morum informandorum documenta, quæ tuæ medita-

tioni relinquo. Vnum ex omnibus simul colligo, nimirum quanta cum fiducia ad sanctos Angelos in necessitatibus confugere debeamus, qui nostris opitulari infirmitatibus & celeriter possunt, & ardenter concupiscunt. Divinus Paracletus ut ardentem, quo prosequebatur Apostolos, amorem demonstraret, & auxilii sui promptissimam efficaciam graphicè exprimeret, sub specie venti & ignis super discipulos descendere dignatus est. Et tamen idem Spiritus sanctus per os cujusdam sui secretarii his duobus symbolis Angelos quoque designavit, Psalm. 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus, & ministros tuos ignem urentem.* Vt intelligeremus, quod sicut ventus omnia celerrimè pervadit, omnia ignis terrena inflammat; sic Angeli invocantibus hominibus & statim adsunt, & peramanter succurrunt. Nullis subjiciuntur locorum legibus, quibus retardetur eorum expeditissimus motus: nullas fastidiunt miserias nostras, quas dedignetur tantus amor. Hinc est, quod Iacob vidit Angelos ascendentes & descendentes. *Ascendunt* (ait Bernard. serm. 19. in Cant.) *nostras orationes ad Deum deferentes: descendunt cùm à Deo impetrant quæ nobis expediunt.* Nullum autem vidit stantem, aut sedentem, quia semper vigilant in opere salutis nostræ. Certè habentibus amicos tam fideles, tam promptos opitulatores, adeò strenuos duces, magistros tam expertes, magna, imò tota imputabitur culpa, si dæmonis impugnationibus succumbamus.

CAPUT II.

De multitudine, distinctione, & hierarchia Angelica.

HÆc omnia connectimus, quia non parum affinia sunt; nam post explicatam existentiam, & naturam Angelorum, meritò ea quæ ad numerum eorum pertinent, simul complectimur.

SPECULATIO I.

Angeli sunt multitudine innumeri, specie verò singuli ita distincti, ut repugnet dari duos ejusdem speciei.

PRima pars apertè traditur in Scriptura, Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Seu, ut legunt Septoaginta, *Myria myriadon.* Iob 25. *Nunquid est numerus militum ejus?* Idest talis numerus est planè inenarrabilis. *Et Matth.* 26. affirmat Veritas, Patrem posse sibi subitò duodecim legiones Angelorum exhibere. Et Paulus *Hebr.* 12. asserit, in Ecclesia esse multorum millium Angelorum frequentiam, & frequenter Dominus appellatur Deus sabaoth, idest exercituum, ob incredibilem Angelorum copiam. Et ita tenet concors Patrum sententia.

Probatur ratione S. Thomæ asserentis, numerum Angelorum excedere omnem multitudinem materialem. Quantò aliqua sunt magis perfecta, tantò in majori excessu sunt creata à Deo: excessu, inquam, vel secundùm magnitudinem, vel secundùm multitudinem; perfectio enim universi, quæ in numero, pondere, & mensura consistit, postulat ut partes principales minùs præcipuarum quantitatem excedant; hoc enim interest inter partes per se quæsitas ad perfectionem totius, & quæsitas propter aliud, quod istæ in eo solùm numero desiderantur, qui necessarius est ad finem cui destinantur; at verò illæ quæ propter se quæruntur, in majori etiam quantitate desiderantur; nam quo major est, eo melius est universum, cujus decorem & cumulatam perfectionem Author naturæ semper intendit. Vnde videmus, quod corpora incorruptibilia, quæ inter corpora primarum habent, excedunt incomparabiliter corruptibilia. Atqui substantiæ spirituales primum locum tenent in universo, nec possunt alia excedere in quantitate continua, cujus expertes sunt: ergo solùm in quantitate discreta, seu numero omnia corporalia excedunt.

Dices. Videmus in rerum natura, multa imperfecta multitudine perfectiora excedere; pulices enim superant leones, & lapides sunt gemmis numerosiores: ergo falsa est illa maxima S. Thomæ, *Quantò aliqua sunt perfectiora, tantò in majori excessu sunt creata.*

Respondeo, principium illud S. Doctoris variè à diversis explicari, sed verisimiliùs exponetur, si dicatur, Angelos excedere multitudinem specierum inferiorum; cùm enim discursus ille fundetur in perfectione universi, fit inde, illam solam multitudinem debere Angelos per se excedere, quæ ad perfectionem spectat universi, qualis non est multitudo numeralis, sed sola specifica; & in hoc sensu optimè verificatur maxima illa. Nam si percurramus omnium entium gradus, eo plures species inveniemus, quo gradus, ad quem spectant, nobilior est; siquidem plures sunt species corporum vegetabilium, putà florum, plantarum, arborum, quàm purè inanimatorum; plures iterum species animalium, quæ sunt in terra, aëre, vel mari, quàm vegetabilium. Ergo similiter gradus intellectualis omnium perfectissimus pluribus debet speciebus discriminari, vel saltem individuis speciei æquivalentibus, quales sunt animæ rationales, quæ propter immortalitatem æquiparantur speciebus aliorum graduum. Ergo à fortiori gradus intellectualis in statu suæ completæ perfectionis variis abundat speciebus super omnem multitudinem inferiorum numerosis, ut talis gradatio subsistat.

Secunda pars de distinctione specifica Angelorum probatur, tum ratione convenienti, tum necessaria. In primis perfectioni universi convenit hæc distinctio specifica; nam cùm diversitas specierum maximè conducat ad decorem, plenitudinem, & veluti divitias universi; multiplicatio verò individuorum non sit per se intenta à natura, sed per accidens, ad species corruptibiles perennitate donandas; fit inde, convenientissimum esse omnes Angelos specie differre. Nec est simile de anima rationali, quia licèt sit incorruptibilis, tamen homo, cujus illa est pars, corruptibilis est; unde ad conservationem speciei humanæ requiruntur multi homines, subindeque multæ animæ sub eadem specie.

Ratio verò necessaria hujus distinctionis specificæ, qua probatur etiam repugnare, dari plures Angelos intra eandem speciem, ut asserit tertia pars speculationis, sic formatur ex Divo Thoma *quæst.* 50. *art.* 4. Angeli non solùm carent materia, sed etiam omni habitudine & ordine ad materiam, hoc ipso quod sunt substantiæ spirituales completæ, ut ex dictis hactenus constat: ergo implicat eos posse numero multiplicari intra eandem speciem. Probatur consequentia. Sola materia est, & potest esse principium numericæ multiplicationis, ut expressè docet Aristoteles *lib.* 12. *Metaph. text.* 49. ex eo inferens, Deum esse unicum, quia caret materia. Nec de perspicua Aristotelis mente dissentiunt Scotus, vel Vasques ipsa veritate coacti; quod tamen multùm firmat sententiam Divi Thomæ. Nam cùm Philosophus lumine naturali cognoverit dari unum Deum, singularem, immultiplicabilem; siquidem Apostolus *Rom.* 1. attestatur Philoso-

phos

phos cognovisse *sempiternam virtutem & divinitatem, itaut sint inexcusabiles; quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*; fit inde rationem illam ob quam Philosophus admisit Deum esse unicum & immultiplicabilem, esse maximi ponderis & momenti.

Fundamentum verò hujus Peripateticæ doctrinæ latiùs traditur in Metaphysica Thomistica, & ad hanc formam sic paucis reducitur. Principium multiplicationis individualis non potest esse aliud quàm materia quantitate distincta, seu ut loquuntur, signata: ergo cùm natura angelica sit incapax materiæ & quantitatis, est etiam numericè intra eandem speciem immultiplicabilis. Consequentia est evidens. Antecedens probatur. Ad multiplicationem individualem duo necessaria sunt: primò, ut illud quod est principium numericæ multiplicationis, pertineat ad substantiam, cùm individua substantialiter differant. Secundò requiritur quod multiplicetur substantia, non multiplicando essentiam, sed eandem conservando in singulis individuis, & salvando unitatem specificam in illis. Atqui illa duo præstari nequeunt nisi à materia distincta, vel connotante quantitatem. Nam in primis forma non potest illa duo efficere: tum quia officium formæ est præbere prædicata essentialia, & quidditativa, seu formalia: ergo de se non facit differre numero, sed essentialiter & quidditativè; nam cùm idem sit principium constitutivum, & distinctivum, illud quod essentialiter constituit, de se facit essentialiter differre. Tum quia ab illo per se non oritur singularitas, quod est indifferens ad hanc vel illam singularitatem: forma autem de se est indifferens ad hanc vel illam singularitatem, nec magis exigit unam quàm aliam. Tum quia principium individuationis debet esse principium incommunicabilitatis, cùm individuum sit incommunicabile: forma autem non est principium incommunicabilitatis, cùm sit principium gradus specifici, qui de se est communicabilis multis individuis, & generaliter omnis forma est de se communicabilis pluribus subjectis: ergo forma est de se communicabilis pluribus; nam receptibile & communicabile idem sunt: ergo non potest esse principium incommunicabilitatis. Ac proinde cùm in Angelis non sit materia, sed pura forma, quæ solùm potest esse principium unitatis & distinctionis specificæ, sequitur quod omnes necessariò debent specie differre.

Accedit, quod nullum potest assignari vel concipi principium hujus numericæ multiplicationis, nisi recurrendo ad materiam quantitate signatam; tale quippe principium non potest esse forma, ut demonstratum est; non potest etiam esse existentia, vel subsistentia, quia hæ supponunt naturam individuam constitutam, cùm sint ultimus terminus naturæ, & in Christo humanitas sit singularis, tametsi propriâ subsistentiâ orbata sit. Non potest quoque esse hæcceitas, ut dicunt Scotistæ; nam licèt hæcceitas, seu differentia individualis sit in individuo; tamen restat difficultas, quodnam sit principium multiplicationis hæcceitatum, num materia, num forma? nam in alterutro modus ille, vel gradus debet fundari; non in forma, ut ostensum est: ergo in materia.

Confirmatur ampliùs: Beneficio illius potest aliqua natura numericè multiplicari, quod primò & per se habet partes individuas ejusdem rationis; quando enim aliquid est per se tale, cætera non possunt dici talia nisi per ordinem ad illud, & dependenter ab eo, juxta illud commune axioma, *Primum in unoquoque genere est causa cæterorum*. Atqui quantitati primò & per se convenit habere partes ejusdem rationis individualiter distinctas; hæc enim est ejus essentia: ergo non potest natura ulla habere plura numero distincta ejusdem rationis, nisi beneficio quantitatis, vel actu afficientis, vel saltem connotatæ. Atqui forma substantialis non est de se susceptiva immediatè quantitatis, sed tantùm ratione materiæ: ergo principium multiplicationis formæ substantialis est materia actuata, vel actuabilis à quantitate: ergo forma pura, quæ est incapaxa informandi materiam, & cui repugnat omnis ordo ad quantitatem, est numericè immultiplicabilis. Talem autem esse formam Angelicam nullus inficiatur: ergo formæ Angelicæ repugnat multiplicatio numetalis.

Plura possem in hujus fundatissimi principii Aristotelici robur adjicere, sed non placet metaphysicas subtilitates huc asportare. Pro solutione tamen objectionum lubet annotare, quod licèt natura, quæ caret materia, possit esse, & sit de facto una numero, hoc ipso quod caret materia & quantitate distinguente & multiplicante; non potest tamen esse multiplex numero, quia cùm ordo partium numericè distinctarum sit de essentia quantitatis, tam repugnat aliquid esse numero distinctum & multiplicatum sine quantitate, vel sine ordine ad illam, quàm esse intellectivum sine intellectione, vel ordine ad illam; vel esse extensum in ordine ad locum sine ipsa quantitate, vel ordine ad illam: nam sicut extensio partium in loco est effectus formalis quantitatis, ita & extensio partium in se: imò iste est primarius, & ille secundarius; ex eo enim quod quantitas habet partes numericè in se distinctas, fit inde illas posse occupare locum extensum. Sicut ergo repugnat haberi effectum formalem sine forma saltem connotata, ita repugnat haberi partes ejusdem rationis, vel pluralitatem sine quantitate, vel actuali, vel saltem inspecta.

Ex his liquet, quàm intoleranda, vel potiùs deplotanda sit quorumdam ignorantium præsumptio, qui sententiam D. Thomæ non intelligentes, ei varias censuras inurere non erubescunt. Nam si hujusmodi censores essent in re litteraria nummosiores (phrasis est Petri Cellensis) si Philosophorum Principis Aristotelis adyta pervasissent, quid adyta? si ab ipso limine ea salutassent, vidissent principium illud, quo S. Doctor Angelis numeralem multiplicationem tam constanter denegavit, non esse infirmum; siquidem eodem firmamento unitatem Dei Philosophus stabilivit. Plura de his vide apud nostros Metaphysicos, neque enim in quarumdam objectiuncularum adversùs hanc fundatissimam doctrinam fieri solitarum inanitate exsufflanda ampliùs occupari vacat.

Dices, hac ratione solùm probari, non posse dari de potentia ordinaria plures Angelos intra eandem speciem, sed non convincere, id repugnare etiam per ordinem ad potentiam extraordinariam, quia Deus posset addere aliquam proprietatem naturæ Gabriëlis, dimanantem à forma non absoluté considerata, sed prout subest actioni Dei supernaturali, cui omnis creatura secundùm potentiam obedientialem subjecta est. Unde S. Doctor *opusc. 16.* reprehendit Averroistas, & *rudius argumentantes* appellat, eo quòd probarent, non posse nisi unicum esse in singulis hominibus intellectum, quia facultas illa caret materia: additque quod *licèt intellectus naturaliter esset unus omnium, quia non haberet causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicitatem ex supernaturali causa, nec esset implicatio contradictionis*. Ubi vides Angelicum Præceptorem concedere quidem materiam esse naturale principium numericæ multiplicationis, sed insuper contendere, in absconditis divinæ potentiæ thesauris latere modos nobis impervios, quibus natura juxta consuetos quidem terminos sibi præscriptos immultiplicabilis, potest de potentia absoluta fines illos transilire, & multiplicari.

Respondeo, propter hoc argumentum plures etiam è rigidioribus Thomistis, ut Bañez post Ferrariensem & Cajetanum Thomisticæ doctrinæ zelo nulli secundos, quibus nonnullum clarissimum Magistrum in Italia subscribentem vidi, opinari Angelos quidem singulos specie differre, nec naturaliter aliter contingere posse; moderatius tamen asserere etiam in via Sancti Thomæ de potentia absoluta id minimè repugnare. Verùm quia D. Thomas 1. *part. q 65. art. 7.* ait: *Non potest intelligi quod aliqua forma separata sit, nisi una unius speciei:* ..... & *quæst. de spiritual. creat. artic. 8.* ait: *Impossibile est etiam fingere quod sint plures Angeli unius speciei;* manifestè vult in illa numerica Angelorum ejusdem speciei multiplicatione includi contradictionem: nam quod nec intelligi, nec fingi cum fundamento potest, omninò impossibile est. Vide S. Doctor opusculo illo reprehendit solùm formam arguendi Averroistarum, malè & rudites inferentium, quod si ex natura sua non possit multiplicari intellectus, id etiam repugnat de potentia absoluta: hanc esse ejus mentem patet ex eo, quod addit se id dicere, *ne hac argumentandi forma ad alia extendatur; sic enim possemus concludere quod Deus non potest facere quod mortui resurgant, quia id ex natura sua non habent.* Nos autem non dicimus Angelum ideò esse absolutè immultiplicabilem, quia non habet causam naturalem suæ multiplicationis, sed quia hoc repugnat ejus essentiæ, quæ caret omni materia & ordine ad illam.

Ad id verò quod dicitur, Deum posse addere aliquam proprietatem ab Angelo, prout Deo subest, praefluentem. Respondeo hinc nihil effici, quia cùm individuatio sit gradus intrinsecus & substantialis, postulat etiam principium intrinsecum & substantiale; nihil autem substantiale de foris & ab extrinseco advenit; & quidquid supernaturaliter advenit, substantialia principia non mutat.

Instabis: Quod est capax plurium personalitatum & subsistentiarum, est etiam capax plurium individuationum; subsistentia enim est terminus individuationis substantialis: sed natura angelica est capax plurium subsistentiarum, quarum una succedat alteri, ut si persona divina assumeret naturam angelicam, tunc destrueretur propria personalitas: si verò postea persona divina talem naturam dimitteret, resultaret alia personalitas angelica numero distincta à prima: ergo natura angelica est capax plurium differentiarum individualium.

Respondeo, naturam Angelicam esse capacem plurium subsistentiarum respectu ejusdem individui, in quo sibi succedere possunt, & una alteri subrogari, sed non in diversis individuis; subsistentia enim non est principium individuationis, sed terminus ejus: unde de se non affert pluralitatem individuorum, sed sequitur conditionem individui in quo est. Certè si hoc argumentum aliquid concluderet, probaret quod sicut idem numero Angelus potest habere diversas subsistentias sibi in officio constituendi personam succedentes; ita posset idem individuum numero multiplicari, quod omninò repugnat.

Si autem quæras, quid de hac controversia Patres censuerint? Respondeo esse valde incertum, quia de ea sæpe sub dubio loquuti sunt. Vnde August. *lib. cont. Priscill. cap.* 10. ait: *Esse Angelos principatus, & virtutes, libenter me scire profiteor: quid autem sint, & qualiter sint, aut quomodo distinguantur, prorsus ignoro.* Et D. Damascen. *lib. 2. de fide, cap. 3.* loquens de diversitate eorum, inquit: *Solus ille scit qui eos creavit Deus.* Dionysius tamen, qui ab Apostolo Paulo secreta cœlestia didicerat, *lib. de cœlest. hierarch. cap. 5.* ait: *Superiores substantias esse graduum inter se celsitudine differentes.* Individua autem solo numero distincta non sunt graduum celsitudine differentia. Quod si aliqui Patres dicant, interdum Angelos esse ejusdem inter se naturæ, esse in eadem essentia, ut loquuntur Basilius, Anselmus, & Athanasius, exponi possunt vel de ordine gratiæ & gloriæ, in quo omnes sunt ejusdem rationis; vel quia Angeli sunt ejusdem naturæ spiritualis, licèt non specificæ, eo modo quo dici posset, & sæpe solet, herbas esse ejusdem naturæ, scilicet vegetativæ; & animalia habere eandem essentiam, scilicet sensitivam.

Reflexio.

Multa ex hac arida & satis metaphysica quæstione eliquari possunt pro contemplativis documenta. Etenim non parum conducit hæc numerosa Angelorum varietas ad hoc ut in laudem, & potentiæ divinæ admirationem excitemur; si enim hortus omnigenorum florum eleganti dissimilitudine vestitus; si ædificium exquisita picturarum varietate interstinctum, vel peristromatis dissimili agrestium rerum specie discriminatis indutum, oculos & animos rapiunt; si cœli stellarum diversitate & majestate enarrant gloriam Dei, quid hæc sunt Angelicæ numerositati comparata? maximè si attendamus unum Angelum toto orbe corporeo naturæ dignitate præstare. Vnde Bernardus postquam *lib. 5. de consider. c. 4.* cives illius, quæ sursum est, Hierusalem, *potentes, gloriosos, beatos, distinctos in personas, dispositos in dignitates, ab initio stantes in ordine suo, perfectos in omni genere suo, mente puros, affectu benignos, religione pios, divinis laudibus & obsequiis deditos* diu consideravit, sic exclamat: *O Eugeni, quàm bonum est nos hic esse! quàm fore melius, si quando tamen totis sequamur, quo ex parte præcessimus. Præcedimus animo, & ne ipso quidem toto, sed parte, & parte modica nimis: affectus jacent mole corporea prægravati, & luto hærentibus desideriis, sola interim arida & tenuis consideratio prævolat, & tamen ex tantillo quod jam datur, libet exclamare: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Aliam non minùs utilem, quàm subtilem observationem tradit S. Thomas *quæst. de spirit. creatur. art. 8. ad 5.* asserens hanc distinctionem specificam Angelorum non solùm non obesse reciprocæ eorum amicitiæ, sed eam mirè fovere & perficere: nam cùm affectus sequatur cognitionem, quantò cognitio est universalior, tantò affectio eam sequens respicit commune bonum; & quantò cognitio est magis particularis, tantò affectio eam sequens respicit privatum bonum: unde in nobis privata dilectio ex cognitione sensitiva oritur; dilectio verò communis & absoluti boni ex dilectione intellectiva. Quia ergo Angeli quanto sunt altiores, tanto habent scientiam magis universalem, ideò eorum dilectio maximè respicit commune bonum. *Magis ergo diligunt se, si specie differant, quia hoc magis pertinet ad perfectionem universi, quàm si in specie conveniant, quod pertinet ad bonum privatum.* Vide reconditæ eruditionis profunditatem, & adverte eo amorem esse spiritaliorem & puriorem, quo perfectior est natura, & universalior cognitio. Radix ergo amoris proprii est limitatio cognitionis; ideoque tam multi philautiâ laborant, quia pauci mentis amplitudinem & universalitatem consequuntur. Ille solidè spiritalis, qui omnia cognitione universali ad bonum commune ordinat. Opportunè Bernardus epist. 11. *Vbi proprietas, ibi singularitas; ubi autem singularitas, ibi angulus; ubi verò angulus, ibi sine dubio sordes, sive rubigo. Cui autem de proprio nihil est, totum profectò quod habet, Dei est, quia non quod sibi utile est, quærit, sed quod multis.*

Speculatio II.

Nullam parit Angelica multitudo confusionem; nam in triplicem hierarchiam, & in novem choros ordinatissimè distribuitur.

UT Angelicam cœlestium spirituum harmoniam enucleatè, distinctéque exponamus, totam hanc materiam per partes tibi Lector admirandam, venerandam, imitandamque subjiciemus.

Primam partem quæ tradit, *hierarchiam*, seu sacrum Angelorum principatum, quo inferiores superioribus subduntur, esse triplicem, docet S. Dionys. *lib. de Cœlest. hierarch. cap.6.* & ejus convenientiam assignat Divus Thomas *quæst.*108. *artic.*1. quia hierarchia, seu sacer principatus, est multitudo ordinata sub Principe: tot ergo erunt hierarchiæ Angelicæ, quot modis Angeli percipiunt gubernationem superioris. Angeli autem, cùm sint puri spiritus, non possunt aliis propriè subjici & subordinari, nisi ratione cognitionis, qua unus ab alio illuminatur. Atqui triplex est gradus in cognitione Angelica; quidam enim Angeli immediatè à Deo veritatis lumen hauriunt, qui propterea dicuntur à Dionysio in vestibulis Dei collocati. Alii verò cognoscunt res in principiis universalioribus; alii demùm in propriis & immediatis causis. Sicut in Monarchia humana Ministri Regii vident regni dispositionem in voluntate Regis, cujus sunt à secretioribus consiliis; Præsides & Senatores cernunt eam in legibus & sanctionibus Regni; Judices verò locorum & Ballivi in consuetudinibus & statutis locorum: vel sicut in Regimine Ecclesiæ, Summo Pontifici & Ecclesiæ Hierarchæ immediatè assistunt Eminentissimi Cardinales, qui sunt veluti de corpore Papæ, tanquam ejus Senatores & Consiliarii; Episcopi verò diœcesibus amplissimis præsunt per modum causæ universalis; Parochi verò & Curati singulis parœciis operam dant: in quolibet etiam corpore benè ordinato hujus hierarchiæ concinna œconomia apparet, v. g. in Diœcesi Episcopo tanquam Principi à Consiliis sunt Canonici Ecclesiæ Cathedralis; cooperantur Archidiaconi, qui propterea oculi Episcoporum dicuntur, quia pluribus Ecclesiis superintendunt universaliori regimine; obsequuntur Curati particularibus locis occupati. In Religionibus etiam Generalis habet suos Assistentes, & socios, seu secretarios fidissimos & sapientissimos, quorum consilio totum Ordinem regit: quælibet deinde Provincia unum agnoscit Provincialem certis quibusdam cœnobiis invigilantem: & demùm quilibet Conventus Priore vel Rectore uno gubernatur. Sic igitur Angeli primæ hierarchiæ Divinitatis veluti aulici sunt: Angeli verò secundæ præsunt regimini generali orbis: tertiæ verò Angeli circa Regna, Provincias, vel personas peculiariter operam suam navant.

Secunda pars asserens, in qualibet hierarchia esse diversos ordines, seu gradus & choros, est etiam ab omnibus recepta. Et rationem generalem tradit Sanctus Doctor *artic.*2. quia in omni multitudine ordinata (qualis est hierarchia) debent esse diversi ordines, & gradus variis officiis & functionibus destinari; sicut in Republica rectè instituta alius est ordo judicantium, alius pugnantium, alius laborantium in agris. Præcipuè verò in omni civitate sapienter administrata triplex ordo hominum invenitur; quidam enim sunt supremi, ut Nobiles, & Optimates; quidam infimi, ut plebeii; quidam medii, ut populus honorabilis. Similiter ergo convenienter post Dionysium ponimus in qualibet hierarchia ordinem supremum, medium, & infimum. Imò asserit Divus Thomas *artic.*3. quod in quolibet ex illis tribus ordinibus possumus distinguere Angelos primos, medios & ultimos, distinctaque illis asserere officia, multò magis quàm stellis, si distinctè eorum naturam cognosceremus; sed cœlestium spirituum officia majori ex parte ignoramus, sicut & cœlorum pulchriora latent, unde à celando cœlum dictum asserunt nonnulli.

Ratio verò specialis hujusce distinctionis elucidabitur discurrendo per singulos ordines. In prima ergo hierarchia sunt Seraphim, seu accensi præ amore Dei; nam ut ait Bernard. lib.5. de considerat. cap.5. *Ardent Seraphim, sed igne Dei, vel potiùs igne Deo.* His succedunt Cherubim, qui plenitudo scientiæ dicuntur, quia scientia præeminent. Hos sequuntur Throni, seu ut loquitur Dionys. *Deiferi*, in quibus residet divina Majestas, & per quos, ut ait Gregor. homil.24. in Evang. *Deus sua judicia exercet.* Hi tres ordines componunt primam hierarchiam, cujus est Deo assistere, & rationes rerum in ipso immediatè cognoscere. Hujus aliquod simile considerare est in aula regia; quidam enim sunt qui per seipsos immediatè accedere possunt ad personam Regis, ut domestici; quidam verò super hoc habent, ut etiam secreta ejus cognoscant, ut Ministri & Secretarii. Alii verò insuper circa ipsum semper inhærent, ut filii, fratres, & Regina. *Et secundùm hanc similitudinem* (inquit D. Thomas artic.6.) *accipere possumus dispositionem in ordinibus primæ hierarchiæ. Nam Throni elevantur ad hoc quod Deum familiariter in seipsis recipiant, Cherubim verò supereminenter divina secreta cognoscunt, Seraphim verò excellunt in hoc, quod est omnium supremum, scilicet Deo ipsi uniri.* Et ut ait Bernard. lib. cit. c.4. *Patemus Seraphim spiritu toto divino igne succensos succendere universa, ut singuli sint lucernæ ardentes & lucentes; ardentes charitate, lucentes cognitione. Patemus Cherubim ex ipso sapientiæ fonte, ore Altissimi haurientes & refundentes fluenta scientiæ. Putemus Thronos, qui ex eo sedent, quod sedet in his Deus. Quæris tu istam sessionem, summam tranquillitatem, placidissimam serenitatem, pacem quæ exsuperat omnem sensum?*

Secunda verò hierarchia, cujus est considerare res in causis universalibus, & ad quam pertinet dispositio universalis de agendis, dividitur in Dominationes, & Virtutes, & Potestates, quia ad gubernationem tria pertinent, distinctio & distributio agendorum, quod pertinet ad Dominationes; facultas ad implendum, quam præbent Virtutes; ordinatio exequendorum, quam intimant Potestates. Unde de eis loquens Bernard. mox citatus, ait: *Putemus Dominationes cunctis supereminere ordinibus, & ad istos tanquam ad Dominos referri regimina Principatuum, tutamina Potestatum, operationes Virtutum. Patemus Virtutes, quarum nutu, vel opere signa, & prodigia in elementis, vel ex elementis facta apparent ad commonitionem mortalium. Putemus Potestates, quarum virtute potestas tenebrarum comprimitur, & coërcetur malignitas aeris hujus, ne quantum vult, noceat; ne malignari, nisi ut prosit, possit?*

Tertia Hierarchia, quæ considerat rationes rerum secundùm determinationes speciales, & ad quam spectat applicatio ad effectum, seu operis executio, quam potissimùm exercet annuntiando divina, constat Principatibus, Archangelis, & Angelis, quia in executione rerum alii ducunt & dirigunt, ut Duces in bello, Magistri in schola, Cantores in choro; & hoc pertinet ad Principatus. Alii medii sunt, partim regentes, partim exequentes, ut Ministri subalterni exercitus

& tales sunt Archangeli. Alii verò sunt qui simpliciter exequuntur, ut milites; hujusmodi sunt Angeli. Hinc laudatus Bernardus: *Putemus Principatus, quorum moderamine & sapientia omnis in terra Principatus constituitur, regitur, limitatur, transfertur, minuitur, mutatur. Putemus Archangelos, qui conscii mysteriorum divinorum non nisi ob præcipuas, & magnas causas mittuntur. Putemus Angelos, qui singuli singulis hominibus dari creduntur.*

Hæc dispositio traditur à Dionysio *lib. cælestis hierarch.* multis in locis, cui potiùs credendum est, utpote quia à Paulo secreta cœlestia edoctus est. Scio aliter SS. Gregorium & Bernardum choros Angelorum disponere; nam ponunt Principatus inter Dominationes & Potestates, Virtutes verò inter Potestates, & Archangelos. *Sed si quis rectè consideret dispositiones ordinum secundùm Dionysium & Gregorium, parum vel nihil differunt, si ad rem referantur*, inquit D. Thom. *art. 5. ad 6.* quia nimirum illos eosdem spiritus, quos Gregorius Principatus appellat, ii sunt, quos Dionysius Virtutes intelligit; & illi quos Gregorius Virtutes cognominat, videntur esse iidem quod Principatus secundùm Dionysium: unde vix esse potest dissensio, nisi de nomine.

Inquires, quinam sint actus hierarchici?

Respondeo communiter post Dionysium assignari tres actus hierarchicos, nempe purgationem, illuminationem, & perfectionem, non quidem realiter distinctos, sed tanquam triplex munus ejusdem actus hierarchiæ superioris in inferiorem. Purgat autem unus Angelus alium, non quidem removendo sordes peccati vel erroris, sed nescientiam rerum supernaturalium: illuminat verò quando occulta aperit circa regimen orbis, vel Ecclesiæ: perficit autem quatenus hujusmodi manifestatio gaudium parit. Sed de his infrà, dum de illuminatione & loquutione Angelorum. Hoc tamen advertendum, hujusmodi actus hierarchicos non remansuros post diem judicii quantum ad novam acquisitionem scientiæ, quia consequuto jam fine, non est necessarium perducere fideles in finem, ad quem ordinantur actus hierarchici, benè tamen quantum ad scientiæ conservationem, quod non repugnat statui ultimæ consequutionis finis: sicut etiam post pugnam remanent quidam actus & functiones militum in triumpho. Et certè sicut tunc remanebit distinctio naturæ & gratiæ; sic etiam perseverabit dispositio ordinum & hierarchiarum in natura fundata; & cùm unumquodque sit propter suam operationem, convenientissimum est, actus hierarchicos modo dicto in æternum durare.

Solutione quarundam objectionum illustratur hæc materies.

Objicies primò. Si daretur inter Angelos hierarchia, & prælatio, inveniretur in dæmonibus; nam in illis naturalia manent integra, distinctio verò ordinum fundatur in natura, & super harmonia divinæ providentiæ cuncta ordinantis: sed inter dæmones non datur distinctio hierarchiarum, nec ordinum; nam à gratia divina exciderunt, nec eorum perversitas patitur ut unus ordinet alium ad Deum, sed potiùs à Deo abducere conantur; & omnes ceciderunt in locum ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: ergo inter Angelos non datur hierarchia, nec ordo, nec prælatio, sicut nec datur illuminatio, ut docet S. Thomas.

Respondeo compendio *quæst.* 109. D. Thomæ, in dæmonibus non esse quidem subordinationem in his quæ pertinent ad ordinem gratiæ & gloriæ, à quo ceciderunt, benè tamen quantum ad naturalia. Convenit enim divinæ sapientiæ, ut nihil in universo inordinatum relinquat, cùm attingat à fine usque ad finem fortiter, & disponat omnia suaviter: non est tamen existimandum, concordiam dæmonum, qua alii aliis obediunt, esse ex amicitia, quam inter se habeant, sed potiùs ex communi nequitia, qua homines odio prosequuntur, & justitiæ Dei repugnant; est enim impiorum proprium, ut eis se adjungant, & subjiciant ad exequendam nequitiam, quos vident viribus potentiores. Nec propterea aliqua dignitas, vel gloria dæmonibus prælatioribus accrescit, quia ut sententiosè ait S. Thomas art. 2. ad 3. *Cùm mala facere maximè ad miseriam pertineat, præesse in malis, est esse magis miserum*: præsertim quia dæmones non omninò potestativè principantur inferioribus, sed tantùm juxta modum permissum à Dei justitia, necnon à bonis Angelis, qui in malos prælationem exercent juxta communem doctrinam Patrum, quoties id exigit ordo divinæ providentiæ vel justitiæ, quæ exigit ut per dæmones multa fiant, vel ad punitionem malorum, vel ad exercitationem bonorum. Unde fit, quod interdum per Sanctos Angelos multa de divinis mysteriis dæmonibus innotescunt, sicut in humanis assessores Iudicis revelant tortoribus ipsius sententiam.

Objicies secundò. Frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora, nec sunt multiplicanda vel distinguenda entia sine necessitate: atqui nulla videtur necessitas admittendi tantam diversitatem in gradibus & hierarchiis Angelicis, cùm omnes, & quilibet Angeli sint capaces harum functionum propter quas tot agmina ordinamus: ergo non dantur tot hierarchiæ, vel ordines Angelorum.

Respondeo frustrà non admitti in civitate Magistratuum varietatem, nec distinctionem dignitatum in Regno, nec ordinum in Ecclesia, nec Angelorum in cœlesti Curia; quia ex eis decor universi splendet, & gloria Dei externa magis claret; imò & Dei perfectiones in tanta nobilissimorum aulicorum varietate effunduntur, & relucent, ut suavissimè contemplatur Bernard. lib. 5. de consid. cap. 4. *Cernere est in his qui Seraphim appellantur, quomodo amet, qui unde amet non habet, sed est qui nihil horum quæ fecerit, odit; quomodo fovent, quomodo provehunt, quomodo amplexetur. Cernere est in Cherubim, qui plenitudo scientiæ dicuntur, Deum scientiarum Dominum esse, qui totus sit lux, & tenebræ in eo non sint ullæ. Cernere est in Thronis, quàm non suspectus omni innocentiæ judex sedeat in his, qui circumvenire nolit, circumveniri non possit; quippe qui sit amans & videns: nec vacat sessio, tranquillitatis insigne est. De vultu tali judicium meum prodeat opto, cui insit amor, error absit & perturbatio. Cernere est in Dominationibus, quanta sit Dominus majestatis, cujus nutu imperium constat, & imperio universitas, atque æternitas termini sunt. Cernere est in Principatibus principium ex quo omnia, & quomodo à cardine ostium, sic ab ipso regi universitatem. Cernere est in Potestatibus quàm potestativè idem Princeps, quos regit, protegit, contrarias potestates arcens & propulsans. Cernere est in Virtutibus unam ubique æqualiter præsto esse virtutem vivificam, efficacem, invisibilem, immobilemque; omnia tamen moventem utiliter, tenentem fortiter. Cernere postremò, & mirari est in Angelis & Archangelis veritatem atque experientiam vocis illius, Quoniam ipsi cura est de nobis.* Vides quantùm ad Dei gloriam contemplandam Angelicorum ordinum distinctio manuducat.

Objicies tertiò. Gratis videntur distingui Angeli in Seraphim, Cherubim, Thronos, &c. cùm omnes Angeli Deum & ardenter ament, & plenè cognoscant & præsentem in se recipiant: ergo non est admittenda ea hierarchiarum, ordinumque distinctio, qualem posuimus.

Respondeo,

Respondeo, quod quia specialis distinctio Angelorum est nobis ignota, sicut & cœlestes spiritus imperfectè solùm cognoscimus; ideò discrimina ordinum Angelicorum ex iis colligere studemus, quæ nobis per sacram Scripturam innotescunt, in qua nomina illa inveniuntur, & quidem convenientissimè, ut apparere potest ex dictis, & ampliùs illustrari poterit discurrendo per singulos choros.

In primis primus ordo appellatur Seraphim ab ardore, vel incendio, propter convenientiam quam habent cum proprietatibus ignis; sicut enim ignis sursum continuò movetur, continuò agit, & quidem acutissimè, continuò lucet; sic Seraphim indeclinabiliter moventur in Deum, inferiores in fervorem indesinenter excitant, & eos inextinguibili sua luce illuminant. Secundò Cherubim pleni scientia dicuntur, *quantum ad quatuor* (ut ex Dionysio ait D.Thomas *art. 5. ad 5.*) primò quantùm ad perfectam Dei visionem: secundò quantùm ad plenam susceptionem divini luminis: tertiò quod in ipso Deo contemplantur pulchritudinem ordinis rerum à Deo derivatam: quartò quod ipsi pleni existentes hujusmodi cognitione, eam copiosè in alios effundunt. Tertiò Thronorum nomen exponit Dionys. per convenientiam ad materiales sedes, *in quibus* (ait D.Thom. ad 6) *est quatuor considerare*. Primò quidem situm, quia super terram sedes elevatur, & sic Angeli qui Throni dicuntur, elevantur usque ad hoc, quod in Deo immediatè rationes rerum cognoscunt. Secundò in materialibus sedibus consideratur firmitas; sic Throni à Deo firmati ipsum immobiliter suscipiunt. Tertiò sedes suscipit sedentem qui in ea deferri potest; sic Throni Deum in se recipiunt, & ad alios deferunt. Quartò sedes ex una parte est aperta, & semper parata ad suscipiendum sedentem; sic & Throni ad famulandum Deo.

Inde patet de secunda hierarchia, in qua primus chorus vocatur Dominationes; quod nomen (ut ait S.Doctor *ad 2.* ex Dionysio) significat primò libertatem, & immunitatem à servili conditione: secundò significat quandam rigidam, & inflexibilem gubernationem, quæ ad nullum servilem actum inclinatur: tertiò significat participationem veri dominii, quod est in Deo. Nomen verò Virtutum significat quandam virilem & inconcussam fortitudinem. *Et ita significat* (ait D.Thom. *ad 1.*) *quod sine aliquo timore aggrediuntur divina, quæ ad eos pertinent.* Et idem dic de Potestatibus, sicut de aliis ordinibus tertiæ hierarchiæ, quorum nominum convenientiæ suprà tactæ sunt. Et vide D.Thomam citatum.

Reflexio.

Sicut hæc Angelicorum ordinum harmonia contemplanti animæ suavissima est, sic vitæ nostræ exemplar esse convenit: unde dicebat Ioan. Apoc. 21. *Vidi civitatem sanctam Hierusalem novam descendentem de Cœlo, à Deo paratam.* Quia nimirum cœlestis ordinatio in Terris exscribi & relucere debet. Hanc sacram consonantiam non imitantur, qui ordinariorum Prælatorum potestatem vel refugiunt, vel confundunt, vel perturbant. Quid frequentiùs inculcat Scriptura, quàm quod: *Non est potestas nisi à Deo?* Et iterùm: *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Et rursum: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Monstrum faceret, qui pedem faceret pendere de capite, illumque brachio collateralem efficeret. Non minus portentum est, si in corpore Ecclesiæ membra vel mutilentur, vel misceantur. Apposite Bernard. lib. 3. de consider. cap. 4. *Non est parvipendendum, quod & Deum habet authorem, & de cœlo ducit originem. Quod si dicat Episcopus, nolo esse sub Archiepiscopo; aut Abbas, nolo obedire Episcopo; hoc de cœlo non est. Nisi tu fortè Angelorum quempiam dicentem audisti: Nolo sub Archangelo esse, aut ex alio quolibet inferiorum ordinum aliquem non ferentem subesse cuiquam nisi Deo.* Et breviùs Gregor. Magnus lib 4. Reg. epist. 42. *Quis hominum abnuat huic se dispositioni libenter submittere, cui novit etiam Angelos obedire.* Nullus igitur specie quacumque eximat se ab ordinatiorum Pastorum suorum legitima potestate. Imitentur Salvatorem, qui *ne perderet obedientiam, perdidit vitam.* Ne quæramus falsam libertatem, quæ peccati veram efficit servitutem. *O libertas omni servitute servilior!* (ait Bern. epist. 42.) *Patienter ab hujusmodi libertate abstineam, quæ me pessima abdicat superbiæ servitute. Quis dabit mihi centum in mei custodiam deputari pastores? Quantò plures sentio mei curam gerere, tantò securior exeo in pascua.* Hanc sacræ Hierarchiæ legem tradit à Paulo edoctus Dionysius cap. 4. cœlest. hierarch. *Hæc lex à Deo sancita est, ut in unaquaque hierarchia, & primi sint, & medii, & postremi ordines, inferioresque superiores doctores sint, eisque quasi digito viam monstrent.* Et cap. 8. *Hoc in universum divinâ lege sancitum est, ea quæ secunda sunt, primorum procuratione participare divinas illustrationibus.*

Speculatio III.

Angelorum alii sunt assistentes, alii ministrantes; & ex his designantur singuli singulis hominibus custodiendis, quibus innumera conferunt beneficia.

Prima pars clarè innuitur Daniel. 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies centena millia assistebant ei.* Dicuntur autem Angeli assistentes & ministrantes ad similitudinem eorum qui Regi famulantur, quorum aliqui semper regali ejus personæ assistunt; alii provinciarum, vel civitatum administrationi præficiuntur. Quamvis autem omnes Angeli aliquo modo possint dici assistentes, quatenus semper vident faciem Patris, qui in cœlis est; tamen per assistentes specialiter Sancti intelligunt illos, qui arcana divini cordis immediatè à Deo accipiunt; per ministrantes verò intelligunt eos qui ad mundi regimen vel disponendum, vel exequendum ordinantur. Vt autem clarè discernas, quinam Angelorum sint assistentes, quinam ministrantes,

Sciendum primò, totam primam hierarchiam esse simpliciter assistentem, & secreta divinorum mysteriorum in ipsa claritate divinæ essentiæ immediatè percipere; cum quo tamen stat, superiores hujus primæ hierarchiæ plura percipere quàm inferiores; sicut etiam inter eos qui assistunt Regi, plura secreta novit unus quam alter. Ratio verò quare tota prima hierarchia assistat, est quia, ut docet S.Dionysius, proprietates Angelorum nobis ex eorum nominibus innotescunt: nomina autem Angelorum primæ hierarchiæ non designant aliquod exterius ministerium, sed solùm quietem, vel plenitudinem scientiæ, vel ardorem charitatis. Et hujus etiam signum est, quod cùm ad nuntiandum mysterium Incarnationis, quod est divinæ virtutis operæ pretium, missus sit Gabriel Archangelus, procul dubio ad alia quæcumque ministeria Angelos primæ hierarchiæ non mitti fatendum est.

Sciendum secundò, quod licèt Angeli primæ hierarchiæ nunquam immediatè mittantur ad exteriora ministeria, seu ut loquitur Gregor. homil. 34. in Evang. *superiora agmina usum exterioris ministerii nequaquam habeant*; nihilominus mediatè mitti constat, quatenus Angeli inferiores mittuntur virtute, vel imperio Angeli alicujus assistentis, qui ex speciali ordinatione

divina inferiorem movet ad aliquod exterius munus exercendum. Hac de causa dicitur *Isai.6.* missum esse Seraphim ad purgandum labia Prophetæ ; non quòd hoc ipse immediatè præstiterit, sed quia inferior Angelus virtute ejus hoc fecit ; nam superiores Angeli communicant propria dona, à quibus denominantur, mediantibus inferioribus Angelis. Sicut Papa dicitur absolvere aliquem, etiamsi per alium beneficium absolutionis impendat. Similiter Cherubim cum flammeo gladio ante portam Paradisi collocatus dicitur, quia Angelus ad illud ministerium missus subordinabatur Cherubino. Nam ut *quæst.* 108. *art.* 5. docet D. Thomas, præcellentiæ quæ conveniunt superioribus Angelis per proprietatem, conveniunt inferioribus per participationem ; sicut è converso perfectio, quæ convenit inferioribus per proprietatem, convenit superioribus per excessum.

Sciendum tertiò, Dominationes (quæ primum habent locum in secunda hierarchia) licèt computentur inter Angelos ministrantes, quatenus ad ipsos pertinet dispositio & imperium agendorum ; tamen ad exteriora ministeria non mitti, quia proprietates Angelorum manifestantur nominibus eorum : in nomine autem Dominationum non importatur executio, sed duntaxat imperium de exequendis, unde ad ipsos solùm spectat mandare quid per alios fieri debeat : sicut architecti in ædificiis nihil manu operantur, sed solùm disponunt & præcipiunt quid alii debeant operari. Itaque soli quinque ordines inferiores in exteriora opera mittuntur, ut nominibus eorum suprà explicatis satis apertè significatur.

Sciendum quartò, Angelos hominum custodiæ deputatos esse ex infimo ordine Angelorum, quorum est minima nuntiare ; mitti autem ad unius particularia hominis solatia videtur esse minimum in officiis Angelorum ad quod proinde sat est deputari Angelos ultimi chori, in quo sunt primi, medii & ultimi. *Est autem probabile* (inquit D. Thom. quæst. 113. art. 3. ad 1.) *quod majores Angeli deputantur ad custodiam eorum, qui sunt ad majorem gradum gloriæ à Deo electi.*

Secunda pars, quatenus asserit Angelos ad custodiam hominum deputari, expressè traditur in Scripturis. Psalm. 90. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis : in manibus portabunt te,* &c. Quæ verba ponderans Bernardus serm. 12. in illum Psalm. sic piissimè exclamat : *Confiteantur Domino misericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Domine quid est homo, quia innotuisti ei : aut quid apponis erga eum cor tuum ? Apponis cor erga eum, geris pro eo sollicitudinem, curam illius habes. Denique et mittis unigenitum tuum, immittis Spiritum tuum, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cœlestibus vacet ab opere sollicitudinis nostræ, beatos illos spiritus propter nos mittis in ministerium, custodiæ nostræ deputas, nostros jubes fieri pædagogos. Parum est enim quod facis Angelos tuos spiritus, facis & Angelos parvulorum.* Colligitur etiam hæc veritas ex illo Matth. 18. *Angeli eorum semper vident faciem Patris.* Quæ exponens Hieronymus ait : *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.* Denique favet tutius Ecclesiæ sensus, quæ Angelum custodem religiosè colere fidelibus cunctis suadet, & instanter hortatur.

Ratio verò desumitur ex ordine divinæ providentiæ, quæ facit ut mobilia & variabilia per immobilia & invariabilia regulentur, sicut corpora inferiora moventur à cœlestibus incorruptibilibus ; sicut conclusiones, in quibus possumus diversimodè opinari, ad principia certa & immobilia reducuntur. Atqui cognitio & affectus hominis in rebus agendis multipliciter variari & deficere possunt à bono, quia licèt per liberum arbitrium possit homo aliqualiter malum vitare, & per cognitionem & prudentiam naturalem discernere bonum à malo ; tamen quia voluntas infirmatur circa affectum boni ob multiplices passionum æstus ; & cognitio naturalis in applicatione universalium principiorum juris ad particularia opera frequenter deficit, nam *cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ*, ut dicitur *Sap. 9.* ideò necessaria fuit homini custodia Angeli. *Homo in statu vitæ istius* (ait D. Thom. q. 113. art. 4.) *constitutus est quasi in quadam via, qua debet tendere ad patriam. In qua quidem via multa pericula homini imminent, tum ab interiori, tum ab exteriori, secundum illud Psalm. 141. In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi ; & ideo sicut hominibus per viam non tutam ambulantibus dantur custodes ; ita & cuilibet homini, quandiu viator est, custos Angelus deputatur.*

Quatenus verò asserit, singulos Angelos singulis hominibus designari, probatur ex D. Thoma ibidem *art.* 2. quia Angelorum custodia est quædam executio divinæ providentiæ circa homines : providentia autem divina primò & per se versatur circa res incorruptibiles, quæ perpetuò manent ; circa ea verò quæ transeunt, occupatur in quantum ea ordinat ad res perpetuas : atqui singulæ animæ rationales sunt incorruptibiles, & immortales : ergo ad earum singularum custodiam destinantur singuli Angeli, sicut secundùm D. Gregorium diversi ordines deputantur diversis rerum generibus. *Et probabile est* (addit D. Thom. citatus) *quod diversis speciebus rerum diversi Angeli ejusdem ordinis præficiantur.* Nimirum ratione perpetuitatis, quam speciebus conservat divina providentia per Angelos custodiæ earum invigilantes, removentes nociva, & applicando activa passivis earum propagationem promoventes.

Nec propterea turbatur, vel præpeditur tranquilla Sanctorum Angelorum beatitudo, sicut in nobis exterior occupatio impedit sapientiæ contemplationem : unde dicitur Eccles. 29. *Qui minoratur actu, percipiet sapientiam.* Et Bern. lib. 1. de consid. cap. 2. *Vereor ne in mediis occupationibus, quoniam multæ sunt, dum diffidis finem, frontem dures : multò prudentiùs te illis subtrahas vel ad tempus, quàm patiare trahi ab ipsis, & duci certè paulatim, quò tu non vis : quæris quò ? Ad cor durum.* Ratio verò discriminis inter nos & Angelos, est quia, ut ait D. Thom. q. 112. art. 1. ad 3. *actioni insistimus secundùm sensitivas virtutes, quarum actiones cùm intenduntur, retardantur actiones intellectivæ virtutis : sed Angelus per solam intellectualem operationem regulat suas actiones exteriores : unde actiones exteriores in nullo impediunt ejus contemplationem, quia duarum actionum, quarum una est regula & ratio alterius, una non impedit, sed juvat aliam.* Ex qua præclara doctrina obiter inferes, quàm utile sit etiam ad benè agendum, totum non se dare actioni, sed sibi interdum ab occupationibus parcere, ut nimirum actiones exteriores consideratione regulemus ; & *duarum actionum, quarum una est regula alterius, una non impedit, sed juvat aliam.*

Tertia pars postulat, ut expendamus singularia Angelicæ custodiæ beneficia. Primò enim illuminant intellectum clientum, non solùm de credendis, sed etiam de agendis, quatenus pias cogitationes inspirant proponendo veritatem modo hominibus proportionato, & ad omnia pietatis officia instigando ; præsertim quia magnam vim habent in imaginationem nostram, quam immutare & commovere facilè possunt : cognitio autem nostra pro hoc statu non parum ab imaginatione pendet. Hac de causa vocantur in Scriptura

Lampades

Lampades ardentes, & *Astra matutina*, ob illustrationes quas in animas effundunt.

Secundò purgant affectum, non quòd possint intrinsecè immutare voluntatem (proprium enim solius Dei est cor hominis quocumque voluerit flectere) sed quia eam ab amore temporalium suasione retrahunt, & ad æternorum desiderium objecti repræsentatione, & inferioris appetitus concitatione inflammant. Vnde Hebr. 1. vocantur *flamma ignis*, quia ut ait glossa, *spiritu fervent, & vitia nostra urunt*; nimirum eruditione, admonitione, consolatione: nam pusillanimes consolantur, negligentes admonent, erudiunt ignorantes.

Tertiò perficiunt vires & operationes nostras, adjuvantque infirmitatem; tum impetrando auxilium divinum, unde ait Bernard. loco citato; *Illos tuis fecisti, & tuos ad nos, & nostros ad te Angelos facis.* Et D. Thom. q. 114. art. 3. ad 3. *Homo ad meritum proficere non potest, nisi auxilio divino, quod homini exhibetur mediante ministerio Angelorum; & ideò ad omnia bona nostra cooperantur Angeli.* Notanda sanè verba ad promovendam erga sanctos Angelos pietatem. Tum roborando adversùs impugnationes dæmonum, quos non solùm coërcent & reprimunt, sed etiam nobis pugnantibus adsunt, monentque interiùs diabolum lattare posse, mordere non posse, nisi velimus, juxta illud Psalm. 103. *Draco iste, quem formasti ad illudendum ei.* Et illud Iob 40. *Numquid illudes ei quasi avi?* Et illud Gregorii Magni 5. Mor. cap. 17. *Alius leo est, alius formica; quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant, spirituales verò infirmitatem illius pede virtutis calcant.*

Tum demùm post lapsum ad pœnitentiam revocando, dum internis auribus hæc ferè verba insinuant, quibus Bernardus *epist. 1.* nepotem suum hortabatur. *Surge miles Christi, surge; excutere de pulvere, revertere ad prælium unde fugisti, fortius post pugnam præliaturus, gloriosius triumphaturus. Habes quidem Christus multos milites qui fortissimè cœperunt, steterunt, vicerunt: paucos autem qui de fuga conversi, rursus se periculo ingesserint, quod declinaverunt; rursus fugarint hostes, quos fugiebant. Et quia omne rarum pretiosum, gaudeo te de illis posse esse, qui quantò rariores, tantò apparebunt gloriosiores. Aliàs si multùm timidus es, cur vel times, ubi non est timor, non autem times, ubi magis est timendum? An quia fugisti ex acie, putas te manus hostium evasisse? Libentius te insequitur adversarius fugientem, quàm sustineat repugnantem; & audacius insistit à tergo, quàm resistat in faciem. Armatorum multitudo circumvallaverunt domum, & tu dormis? Iam ascendunt aggerem, jam dissipant sepem, jam irruunt per posticum. Expergiscere, sume arma, & fuge ad commilitones tuos, quos fugiens deserueras, ut qui te ab eis disjunxerat, ipse te denuo timor jungat. Quid armorum refugis pondus & asperitatem, delicate miles? Adversarius instans, & circumvolantia spicula facient clypeum non esse oneri, loricam non sentiri, vel galeam. Et quidem subitò procedenti de umbra ad solem, de otio ad laborem, grave cernitur omne quod incipit; sed postquam ab his dissuescere, & ad illa se paulisper assuescere cœperit, usus tollit difficultatem, invenitque facile esse, quod difficile antè putavit. Solent etiam fortissimi milites audita buccina ante congressum trepidare: at ubi ad prælium ventum fuerit, spes victoriæ, & timor ne vincantur, reddit intrepidos. Quid verò tu trepidas, quem fratrum unanimitas armatorum circummunies, cui Angeli assistent à latere, quem Dux belli Christus præibit suos animans ad victoriam, & dicens: Confidite, ego vici mundum. Si Christus pro nobis, quis contra nos? Securus potes pugnare, ubi securus es de victoria. O verè tuta cum Christo & pro Christo pugna! In qua nec vulneratus, nec prostratus, nec conculcatus, nec milies (si fieri possit) occisus fraudaberis à victoria. Tantum ne fugias: sola causa, quæ perdere possis victoriam, fuga est: fugiendo potes illam amittere, moriendo non potes. Et beatus si pugnando moriaris, quia mortuus mox coronaberis. Væ autem si declinando pugnam, perdis & victoriam simul & coronam.* Quid nervosius hac divina eloquentia Bernardi, graphice exprimente vivas custodum Angelorum inspirationes.

Reflexio.

Quid retribuemus pro omnibus quæ retribuit nobis, qui nobis Angelos dedit tam prudentes, ut regant; tam amicos, ut custodiant; tam constantes, ut nullum unquam deserant à die nativitatis; tam pios, ut consolentur etiam patientes in piacularibus flammis; tam intrepidos, ut etiam inter se pugnent amore clientum, *discordia rerum, non voluntatum*, quatenus orant pro hominibus contraria quandoque petentibus, vel merentibus (ut exponit D. Thomas *quæst. 113. art. 8.*) quos protegere, quibusque prodesse volunt; tam demum fideles, ut postquam portarunt nos in manibus suis, ne fortè offendamus ad lapidem pedem nostrum, deferunt animam in sinum Abrahæ, ut Veritas de Mendico ulceroso testata est. Hæc cùm ita sint, concludamus cùm Bernardo *serm. 12.* sæpè citato, ubi expendens illud, *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, ait: *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Adsunt igitur, & adsunt tibi, non modò tecum, sed etiam pro te. Adsunt, ut protegant; adsunt, ut prosint. Simus ergo devoti, simus grati tantis custodibus: redamemus eos, honoremus eos quantùm possumus, quantùm debemus. Totus tamen ei reddatur & amor, & honor noster, à quo tam ipsis, quam nobis est totum unde amari, honorarive meremur. In Ipso affectuosè diligamus Angelos ejus, tanquam futuros aliquando coheredes nostros; interim verò actores & tutores à Patre positos, & præpositos nobis. Quid sub tantis custodibus timeamus? Nec superari, nec seduci; minùs autem seducere possunt, qui custodiunt nos in omnibus viis nostris. Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt. Quid trepidamus? Tantùm sequamur eos, adhæreamus eis, & in protectione Dei cœli commoremur. Quàm facilè transit, qui illis portatur manibus! quàm suaviter (juxta vulgare proverbium) natat, cujus alter sustinet mentum! Habetote familiares Angelos, fratres mei, frequentate eos sedula cogitatione, & devota oratione, qui semper vobis adsunt ad custodiam & consolationem.* Tam aureis, tam medullatis verbis nihil addi potest, nihil debet, nisi praxis.



DISSERTATIO III.

De potentiis Angelorum; & primò de intellectu eorum.



ANGELOS esse intellectu præditos eadem ratio probat, quæ divinam intellectualitatem astruit, scilicet immaterialitas eorum hactenus statuta, quæ est vera radix cognitionis & scientiæ. Suadet etiam perfectio universi, quæ exigit ut infima mundi pars sit tota materiæ immersa; media verò, scilicet homo, de materiali & spirituali participet, quia

est

est mundi compendium, & creaturarum confinium & horizon, ut loquitur S. Thomas; suprema verò sit tota intellectiva: unde Angeli usitata nomenclatura, Intelligentiæ, vel mentes dicuntur, quia sine ullo corporali impedimento intellectivi sunt.

Deficit tamen intellectualitas angelica à divina, quia intelligere Angelorum distinguitur realiter ab eorū substantia, multò magis quàm existentia, quæ in omnibus creatis distinguitur ab essentia. Angelus enim non potest esse sua ultima actualitas in ordine operativo, aliàs foret actus purus: quod repugnat creaturæ, cui essentiale est habere aliquid de potentia admixtum. Cùm enim potentia, & actus ex sua ratione petant distinctionem (siquidem nihil est in potentia ad seipsum) ut identificetur potentia cum ultimo actu, exigitur aliqua ratio superior omnes utrumque, quæ non potest esse nisi puritas simplicissima & infinita, quæ sit eminenter potentia, & actus.

Idipsum confirmat S. Thomas alia ratione, quia si substantia Angeli esset sua intellectio, non posset esse nisi unica intellectio in Angelo; intellectio quippe quæ est substantia, seu per se subsistens, omnem possibilem intelligendi perfectionem sibi identificat. Non enim intelligere potest esse per se subsistens, nisi careat omni limitativo. Cujus ratio est, quia perfectio extranea à genere substantiæ nequit esse substantia, nisi ratione illimitationis possit suæ propriæ speciei limites transilire, & alia rerum genera sibi identificare: v. g. ratio sapientiæ in Deo ideò est substantia, quia licèt de se sit extranea à ratione substantiæ, tamen ratione suæ incircumscriptæ illimitationis sibi identificat attributa & substantiam Dei. Atqui intelligere est de se extraneum à genere substantiæ, aliàs ubique esset substantia; quod patet falsum in nobis. Ergo ut esset substantia in Angelo, deberet esse infinitum, & comprehendere omnem possibilem perfectionem, subindéque esse unicum. Imò deberet esse perfectius substantiâ suâ, quæ cùm sit in genere substantiæ, genus illud limitatè participat. At verò intelligere ex propria ratione, & veluti ex propriis meritis non est substantia. Vt igitur substantia sit, debet propriæ speciei terminos prætergredi, ut rationes alienas & extraneas secum identificet; quod præstare non posset, nisi esset infinitum. Quod diximus de intelligere Angelorum, distingui à substantia eorum, dicendum est etiam de intellectu eorum, quia nimirum nulla substantia creata est immediatè operativa, subindéque substantia Angeli indiget virtute operativa distincta ad intelligendum: sed de his fusè in Philosophia.

His suppositis tanquam certis, considerare debemus medium, objectum, & modum cognitionis Angelicæ.

CAPUT I.

De speciebus intellectus Angelici.

SPecies se tenent ex parte principii intellectionis, unde de illis primùm agendum est. Supponimus autem Angelum cognoscere & se, & alia à se; hæc est enim differentia inter esse & intellectum creaturæ spiritalis, quod esse est determinatum ad certum genus & speciem; intellectus verò quandam infinitatem habet, & in tot species dividi potest intellectio, quot sunt intelligibilia specie diversa, cùm actus specificentur ab objectis, & actus intellectus in objecta ipsa transformentur. Intelligibilia autem sunt syncategorematicè infinita, quia verum est convertibile cum omni ente possibili: unde manifestum est, Angelum posse cognoscere & se, & alia à se. Explicandum ergo superest, per quam speciem illa objecta attingat, & quæ sint dotes hujusmodi specierum, quibus fœcundatur.

SPECULATIO I.

Angelus indiget speciebus ad alia à se intelligenda; seipsum tamen per suam substantiam cognoscit, & hinc assurgit ad Deum ut authorem naturæ dignoscendum.

PRima pars probatur. Vt intellectus aliquod objectum cognoscat, indiget specie repræsentativa ipsius, ut ex objecto & potentia pariatur notitia, utque objectum cognitum sit intimè præsens cognoscenti, ut docetur *in lib. de anima*, & tetigimus *tomo præced. dissert. 6. cap. 1. spec. 1.* Ergo necessariò debet Angelus cognoscere alia à se, vel per suam substantiam, vel per species ei superadditas: Atqui non potest illa intelligere per suam substantiam, quæ cùm sit determinata ad certum genus & speciem, non continet alia à se, quæ proinde in illa relucere non possunt: Ergo solùm ea intelligit per species distinctas.

Confirmatur: duo sunt genera entium, alia per se primò instituta ut sint, alia instituta ut repræsentent, quales sunt species. Priora non continent naturas rerum in esse intentionali, nec sunt formales similitudines eorum, subindéque non possunt esse medium cognoscendi illa, nisi eminenter ea contineant per modum causæ: secunda verò sunt formales similitudines objectorum. Atqui essentia Angeli non est per se instituta ad formaliter alia repræsentanda, non enim habet formalem convenientiam cum tot entibus à quibus tantoperè dissimilis est; sed est per se primò instituta ut sit: aliunde verò non est causa cæterorum, quæ vel fiunt omninò per creationem à Deo, ut puri Spiritus; vel saltem quantùm ad materiam, ut corpora, quorum etiam formas Angeli non producunt immediatè, sed solùm applicando activa passivis. Ergo essentia Angeli quantumcunque penetrata & comprehensa, non potest esse ratio cognoscendi alia à se, nisi superadveniant species, quæ sunt formales similitudines objectorum. Confusè tamen potest alia à se cognoscere in sua potentia intellectiva, sicut in materia prima comprehensa intelliguntur non dearticulatè, & distinctè formæ possibiles, sed confusè, quia sicut materia non est causa adæquata formarum, ita nec potentia intellectiva omnium intelligibilium. In sola autem causa adæquata intus legi possunt possibiles effectus. Hanc doctrinam perspicuè tradit S. Doctor hîc, art. 1. ad 3. *Ea quæ sunt infra Angelum, & ea quæ sunt supra ipsum, sunt quodammodo in substantia ejus, non quidem perfectè, neque secundùm propriam rationem, cùm Angeli essentia finita existens, secundùm propriam rationem ab aliis distinguatur. In essentia autem Dei sunt omnia perfectè, & secundùm propriam rationem, sicut in prima & universali virtute operativa, à qua procedit quidquid est in quacunque re proprium vel commune; & ideò Deus per essentiam suam habet propriam cognitionem de omnibus rebus; non autem Angelus, sed solùm communem.*

Secunda pars asserens, Angelum cognoscere seipsum per suam substantiam tanquam speciem, sic suadetur. Tres conditiones requiruntur ad hoc ut aliquod objectum intelligatur. Primò opus est ut objectum omnatur intellectui, fiatque illi intimè præsens, ut paulò superiùs dicebamus; & potest illustrari ex differentia quæ intercedit inter objectum actionis immanentis, & inter objectum actionis transeuntis; nam istud

istud debet esse extra potentiam, illud verò intra potentiam, ut circa illud facultas sine egressu operetur immanenter. Secundò exigitur, ut objectum sit immateriale, sicut ipsa potentia cognoscitiva est spiritalis: nam quidquid recipitur, ad modum recipientis recipi debet. Tertiò oportet ub objectum illud sit proportionatum; & ideò Deus, quantumvis sit immaterialissimus, & intellectui nostro præsentissimus, non tamen videtur naturaliter, quia est objectum excedens, & improportionatum. Atqui substantia Angeli habet triplicem illam conditionem respectu proprii intellectus; etenim est ei præsens, est immaterialis, est omninò proportionata; objectum enim connaturale intellectus est quidditas propria, & quidquid cognoscitur, ad modum cognoscentis cognoscitur. Et certè quid magis præsens, quid intimius, quid connaturalius proprietati esse potest, quàm essentia? Ergo Angelus seipsum per suam substantiam intelligit.

Tertia pars de cognitione Dei probatur. Per effectus cognoscitur causa eo perfectiùs, quo effectus est perfectior: sed Angelus est admodum perfectus effectus Dei, cùm sit signaculum divinæ similitudinis: ergo Angelus intuendo se, contemplatur in semetipso relucentem divinitatem, ad cujus imaginem factus est. Nec propterea cognitio illa est necessariò reflexa, quia Angelus Deum cognoscit in se tanquam in imagine; idem autem est motus in imaginem, & in illud, cujus est imago: unde videndo se, ferri potest directè ad Deum, quem repræsentat.

Objicies contra secundam partem. Nulla substantia creata potest habere rationem formæ inhærentis, vel esse immediatè operativa: atqui utrumque sequeretur, si substantia Angeli haberet rationem speciei intelligibilis; nam species debet informare intellectum, & concurrere effectivè ad intellectionem: ergo substantia Angeli nequit habere rationem speciei intelligibilis in sui cognitione.

Respondeo, quod species debet solùm inhærere intellectui, quando est accidens, nec inhærentiam exigit ex natura sua, sed petit duntaxat uniri intellectui per modum objecti intelligibilis. Nam ad rationem speciei intelligibilis omninò per accidens se habet, quod ejus entitas sit accidens, vel substantia; qua formale munus speciei est reddere objectum unitum & præsens intellectui in esse intentionali & repræsentativo; ad quod munus exercendum, per accidens, & materialiter se habet, quod entitas speciei sit accidens vel substantia; modò intelligibiliter uniat objectum cum potentia.

Non sequitur etiam, substantiam esse immediatè operativam, sed solùm complementum potentiæ operativæ, à qua immediatè elicitur intellectio, à substantia verò Angeli mediatè, & tanquam à principio radicali. Nam licèt speciei ut sic conveniat influere effectivè in effectum, tamen modus influendi non est idem quando est substantia, ac quando est accidens; quia quando est accidens, subordinatur potentiæ, ac proinde immediatè influit in actum, sicut potentia; quando verò est substantia, influit solùm mediatè, & radicaliter.

Instabis. Licèt substantia Angeli sit unita proprio intellectui per modum subjecti sustentantis ipsum, non tamen per modum objecti actuantis & determinantis illum; ad hoc enim requireretur ut substantia Angeli veluti reflueret in proprium intellectum, eique supervenirer & superinfunderetur in genere causæ formalis; quod tamen repugnat substantiæ.

Respondeo, quod hoc ipso quod intellectus Angeli unitur substantiæ suæ ut subjecto, substantia manet etiam illi sufficienter unita tanquam objectum, absque nova unione, vel informatione; quia cùm substantia Angeli ratione suæ spiritalitatis sit intellectiva & intelligibilis; intellectus procedens ab ea non solùm est intellectus proximè, sed etiam est determinatus ad tale objectum intelligendum, proprietas enim haurit & veluti ebibit conditionem substantiæ, à qua dimanat.

Insistes. Intellectus noster dimanat ab anima tanquam à subjecto sibi intimè unito; & tamen ut intellectus substantiam animæ intelligat, indiget specie qua sibi intelligibiliter uniatur anima ut objectum: ergo quod intellectus Angeli emanet à substantia ipsius, non probat intellectum non egere specie, qua sibi uniatur substantia sua ut objectum.

Respondeo ideò intellectum humanum non intelligere sine specie animam à qua profluit, & cui intimè unitur, quia intelligibilitas animæ nostræ impeditur, & veluti offuscatur speciebus rerum sensibilium, à quibus pendet, & ad quas se convertere indiget intellectus noster pro hoc statu. Porrò in statu separationis substantiam suam per ipsammet cognoscet intellectus humanus absque adventitiæ speciei adjumento.

Persistes: Si sufficeret immaterialitas & præsentia substantiæ Angeli, ut gereret vicem speciei impressæ in sui intellectione, sufficeret etiam ad gerendum vices speciei expressæ, quæ produci solùm debet vel propter materialitatem, vel propter distantiam objecti; subindéque Angelus in sui cognitione non produceret verbum, cujus oppositum docet S.Thomas *lib.4.cont. Gent.cap.11.* ergo doctrina nostra nimis probat, proindéque nihil probat.

Respondeo, grandem esse differentiam inter speciem impressam, & expressam, seu verbum: illa enim se tenet ex parte actus primi, ista ex parte actus secundi: repugnat autem Angelum sibi identificare actum secundum, aliàs esset actus purus. Et certè, si Angelus non est sua intellectio, ut initio hujus dissertationis supposuimus, multò minùs potest esse suum verbum, quod magis distat ab intellectione. Ex quibus pro solutione multarum replicarum inferes, esse latum discrimen inter cognitionem, qua Beati vident essentiam Dei, & illam, qua Angeli cognoscunt substantiam suam: Beati quippe non producunt verbum, quia licèt essentia divina non denominetur intellecta ab æterno à Beato qui nondum erat, tamen ratione suæ purissimæ immaterialitatis, & ultimæ actualitatis in ordine tam entitativo, quàm intelligibili statim gerit vices verbi ac intellectus est perfectus lumine gloriæ. At verò substantia Angeli non est actus purus, unde non potest sibi rationem verbi identificare, propter eandem proportionaliter rationem, ob quam nequit sibi identificare intellectionem: quam rationem adduximus in exordio hujus dissertationis, petitam ex eo quod substantia Angeli deberet esse infinita.

Obsistes demùm: Saltem ex nostra doctrina sequeretur, unum Angelum posse alium intelligere absque ope speciei impressæ; etenim superfluit species quando objectum est immateriale, & præsens cognoscenti: sed Angelus cognitus est immaterialis, potestque esse præsens & indistans Angelo cognoscenti: ergo per suam substantiam sine interventu speciei impressæ cognoscetur.

Respondeo, Angelum non posse intelligere alios Angelos per substantiam ipsorum, ad quod requireretur ut Angeli intellecti illaberentur in intellectum cognoscentis, quod tamen solius Dei esse testantur Patres, inter quos Bernard.serm.5.in Cant. *Illud scitote, nullum creatorum spirituum per se nostris mentibus applicari, ut videlicet ita nobis immisceatur, & infundatur, quo ejus participatione docti, sive doctiores; vel boni, sive meliores efficiamur. Nullus Angelorum, nulla animarum*

animarum hoc modo mihi capibilis est, nullius ego capax. Nisi Angeli ita se alterutrum capiunt. Sequestretur proinde prærogativa hæc summo ac incircumscripto Spiritui, qui solus cum docet Angelum, sive hominem sapientiam, instrumentum non quærit nostræ corporeæ auris, sicut nec sibi oris. Per se infunditur, per se innotescit, purus capitur a puris. Et eximiè lib. 5. de consid. cap. 5. *Adsunt Angeli & Archangeli, sed germanior nobis, qui non modo adest, sed inest. Quod si dicas, posse inesse Angelum, non inficior. Atqui differentia & in hoc. Inest Angelus suggerens bona, non ingerens; inest hortans ad bonum, non bonum creans. Deus sic est, ut afficiat, ut infundat, vel potius ut infundatur. Angelus ergo cum anima, Deus in anima; ille ut comul ernalis in ma inest, Deus ut vita.*

Ratio verò, quare unus Angelus non possit illabi in alium Angelum, est. Tum quia nihil potest esse principium actionis connaturalis, nisi sit principium naturæ illius; cùm enim unumquodque sit propter suam operationem tanquam propter finem, illud solum potest esse causa actionis connaturalis alicujus, quod potest illud conjungere cum fine connaturali: nihil vero potest conjungere rem cum fine naturali & proprio, nisi principium naturæ illius, ut patet in gravibus & levibus, quæ à generante uniuntur suis centris. Sed si Angelus illaberetur in intellectum alterius, Angelus illabens esset per suam substantiam principium actionis connaturalis; esset enim causa intellectionis, ad quam species concurrit. Ergo unus Angelus non potest illabi in alium, sed solus Deus, qui sicut est principium naturæ, ita potest producere, & producit omnes nostras operationes connaturales. Tum quia præsentia & indistantia unius Angeli cum alio secundùm spatium non est satis intima, ut per eam Angelus cognitus fœcundet intellectum cognoscentis, quia ad hoc requiritur transformatio objecti & potentiæ cognoscentis. Tum demùm, quia si Angelus posset intimiùs illabi immutando intellectum aut voluntatem alterius, posset intelligere cogitationes cordis; si enim potest intra intellectum alterius operari, quidni posset intelligere, cùm non operetur nisi intelligendo? Quare hæc interior porta omni agenti creato clausa est, & soli Creatori patens. Ex quibus abundè patet ad instantiam.

REFLEXIO.

Angelus seipsum per seipsum semper cognoscit. Fælix qui à sui notitia non recedit. Rectè Bernard. lib. de gradibus humil. *Sta in te, ne cadas à te, si ambulas in magnis, & in mirabilibus super te.* Quàm inanis eorum occupatio, qui toti aliis incumbunt rebus, quarum fructus quid aliud est nisi araneanim telæ, quibus exsiccantur? Et semetipsos negligentes, quid sint, qui sint, quales sint; quid in natura, quid in persona, quales in moribus non considerant. Itaque, Lector, si sapis, revertere ad cor, admove speculum, fœdus se in eo vultus agnoscat. Nosce teipsum, attende tibi, ut scias, quid desit tibi. Omnia enim illi desunt, qui nihil sibi deesse putat. Non sit tibi pigrum vestigare quid desit, non sit verecundum fateri quod deest. Notitia sui scientia est Sanctorum; si tamen, ut in bonis Angelis, consurgat ad Deum: hæc scientia longè ab illa est, quæ inflat. Hanc qui apponit, auget & dolorem, quo lethalis stupor animi duri & impœnitentis dom contentitur, excluditur. Hunc dolorem nemo sapiens subterfugit, sed dicit cum Propheta: *Dolor meus in conspectu meo semper.* Acutè observavit S. Bernard. idcò justum, tametsi septies cadentem, resurgere, quia *in die cadit.* Quia nimirum jugi meditatione sui lapsus advertit & plangit. *In die* (inquit serm. 17. in Cant.) *septies cadit justus, & septies resurgit; si tamen cadat in die, ut se cadere videat, & cecidisse sciat.* Sed, ut dixi, inanis erit cognitio sui, nisi Angelorum more notitia sui gradus sit ad cognitionem Dei. Nam ut ait idem Pater in medit. c. 1. *Multi multa sciunt, & seipsos nesciunt. Alios inspiciunt, & seipsos deserunt. Deum quærunt per ista exteriora, deserentes sua interiora, quibus interior est Deus. Idcircò ab exterioribus redeam ad interiora, & ab interioribus ad superiora ascendam, ut possim cognoscere unde venio, aut quo vado; quid sum, vel unde sum, & ita per cognitionem mei valeam pervenire ad cognitionem Dei.*

SPECULATIO II.

Species quibus intellectus Angelicus perfunditur, sunt à Deo infusæ, non à rebus acceptæ.

Fundatur hæc assertio in Scriptura, Ezech. 18. *Tu Cherubim signaculum similitudinis, plenus sapientiâ à die conditionis tuæ.* Non potuit autem Angelus habere sapientiam & sapientiæ plenitudinem ab initio conditionis, nisi habuerit rerum omnium species. Favet Dionys. *cap. 7. de divin. nomin.* dicens: *Angeli non congregant cognitionem à rebus divisibilibus, aut sensibilibus.* Astipulatur etiam August. *lib. 2. super Genes. ad litt.* asserens res priùs esse factas in mentibus Angelorum, quàm in propriis naturis; & illorum trium verborum primi capitis Geneseos, *fiat, factum est, fecit*, primum refert ad cognitionem Dei in Verbo, secundum intelligit de productione rerum in speciebus Angelicis, tertium in propriis naturis.

Probatur rationibus D. Thomæ, quæ omnes ad hoc reducuntur, quod perfectio Angeli exigit habere species infusas. Tum quia idem ordo constituendus est inter substantias intellectivas, qui servatur inter corporales; invisibilia enim Dei & Angelorum, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Atqui in corporibus cœlestia habent totam suam perfectionem ab initio per formam inamissibilem, secus verò inferiora & sublunaria, quæ de una in aliam formam transmutantur: ergo similiter substantiæ intellectuales inferiores, ut animæ rationales, successivè recipiunt formas intelligibiles, seu species; superiores verò, scilicet Angeli, speciebus intelligibilibus instructi sunt ab initio creationis suæ; sicut enim se habet materia ad formam in ordine entitativo, ita se habet intellectus ad species in ordine intelligibili.

Tum quia hoc exigit gradatio intellectuum; divinus enim qui primatum tenet, est actus purus, subindéque alia intelligit, non per species adventitias, sed per propriam substantiam; humanus verò, quia est infimus, est de se in pura potentia, unde & vocatur tabula rasa, capax omnium specierum, quibus ab initio nudus est: Angelus verò medius est inter utrumque, unde sicut Dei puritatem non habet, ita nec hominis nuditatem; sed habet rerum omnium species distinctas quidem, sed congenitas. Et horum omnium radix est differentia, quæ Angelos inter & animas rationales intercedit. Anima namque sicut est forma corporis, ita intelligibilem perfectionem suam consequitur ministerio sensuum corporeorum à rebus species emendicantium. Angelus verò è contrà, cùm sit forma completa, & ab omni corporis nedum commercio, sed etiam respectu depurata, à rebus corporeis mutuari species non eget, sed habet à Deo infusas. Quas tamen ne dicas supernaturales, quia dantur ad exigentiam naturalem intellectus; sicut anima ad exigentiam materiæ præparatæ infusa, non dicitur, nec est supernaturalis.

Dices:

Dices: Perfectio est, quod intellectus noster possit dicere & depurare species à rebus acceptas: ergo potiùs perfectio Angeli exigit ut possit extrahere species à rebus; non enim minoris virtutis est intellectus Angelicus, quàm humanus.

Respondeo, quod mendicare species ab objectis; non dicit simpliciter perfectionem, sed potiùs dependentiam ab illis, & paupertatem in sese. Vnde quod intellectus noster à rebus speciem mutuetur, quodque sit præditus intellectu agente, & virtute discursiva, non est perfectio simpliciter simplex, sed secundùm quid, supponens imperfectionem puræ potentiæ respectu objectorum.

Instabis: Saltem perfectio est, quod objecta materialia possint immittere sui speciem in intellectum: ergo non est deneganda substantiæ spirituali, quæ proinde poterit diffundere speciem sui in intellectum Angeli; non enim minoris est efficaciæ objectum spirituale quàm materiale.

Respondeo similiter, quod emittere speciem sui non est pura perfectio, sed potiùs signum & argumentum imperfectionis objecti, quod quando per se intelligibile non est, indiget fieri præsens & adesse per speciem sui vicariam. Vnde lux quæ est omnium visibilium objectorum perfectissimum, non immittit speciem in oculum; & Deus qui est omnium intelligibilium exemplar, immediatè absque specie ulla videtur. Quare perfectio Angeli non postulat ut sit emissiva speciei, sed speciebus rerum omnium adornata.

Quæres, an saltem supernaturaliter Angelus possit accipere species à rebus?

Respondeo affirmanter, contra aliquos recentiores. Nulla enim potest verisimilis afferri repugnantia quæ probet, Deum non posse absolutè producere in Angelis vim aliquam similem intellectui agenti; licèt enim Angelus non habeat phantasmata, ad quæ deputanda vis illa instituta est, tamen posset vis illa divinitus adjuta abstrahere species à phantasmatibus in hominis phantasia existentibus; non enim ad hoc requireretur colligatio cum illis, sed actio in illa. Quid autem vetat, Angelum supernaturaliter agere in phantasiam hominis, cùm eam sæpiùs naturaliter moveat.

Imò arbitror, non repugnare objecta spiritalia & materialia posse de potentia absoluta immittere speciem sui in intellectum angelicum; spiritualia quidem non illabendo, sed divinitus producendo sui speciem spiritualem, quæ licèt nequeat naturaliter transire per medium corporale, benè tamen supernaturaliter; materialia verò, quæ tam benè possunt instrumentaliter producere speciem spiritalem, quàm Sacramenta gratiam in anima.

Nec obest si dicas cum Navarreta, quod ut objectum dicatur immittere speciem, debet eam principaliter producere, aliàs non concurreret ut objectum, sed ut efficiens, eo modo quo possunt cætera omnia concurrere; hoc enim nihil vetat, quocunque enim modo fiat hæc productio, semper stat, quod tunc Angelus per species à rebus acceptas intelligeret.

Multò minùs urget instantia cujusdam recentioris, dicentis speciem perficere intellectum in genere causæ formalis; causa autem formalis nihil potest supernaturaliter, quod non possit naturaliter: ergo cùm Angelus non possit naturaliter intelligere per species à rebus acceptas, ita nec supernaturaliter. Verùm hæc ratio admodum frigida est; ideò enim Angelus non intelligit per species acceptas, quia eis caret; si enim eas habere, vel acquirere naturaliter posset, per eas utique intelligeret: unde non video ad quod propositum afferatur doctrina illa de causa formali; nam si Angelus supernaturaliter acquireret species, per eas semel acquisitas connaturaliter intelligeret. Angelus quippe non acquireret species illas in genere causæ formalis, sed efficientis, producendo eas divina virtute, & illis productis informaretur.

Quæres rursum, utrùm species illæ sint verè & strictè proprietates ab Angelorum essentia medio intellectu naturaliter dimanantes?

Respondent primò plures recentiores Thomistæ, inter quos nulli secundus Ioannes à S.Thoma, negativè. Primò, quia proprietates determinatè & invariabiliter procedunt, species autem Angelicæ non sunt determinatæ, nam *si Deus instituisset facere plures naturas rerum* (inquit D.Thomas q. 56 art. 2. ad 4.) *plures species intelligibiles mentibus Angelicis impressisset, sicut si ædificator voluisset facere majorem domum, fecisset majus fundamentum: unde ejusdem rationis est quod Deus adderet aliquam creaturam universo, & aliquam speciem intelligibilem Angelo.* Ergo species Angelicæ ex libera Dei dispositione infunduntur, non naturaliter promanant.

Secundò: Si species præfatæ essent proprietates, eas Angelus in sua essentia comprehensa comprehenderet; comprehensâ quippe naturâ intelliguntur proprietates, aliàs natura non quantùm intelligibilis est, intelligeretur: consequens est apertè falsum, aliàs Angelus omnia comprehenderet per suam substantiam; cùm enim species sit ipsum objectum in esse intelligibili, non potest comprehendi species, quin comprehendatur objectum quod repræsentat: ergo.

Respondent secundò antiquiores & rigidiores Thomistæ, ut Nazarius, Bañez, Cajetanus, Capreolus, aliique affirmativè. Nituntur primò authoritate S. Thomæ q. 51 art. 2. dicentis: *Angeli consequuntur suam perfectionem intelligibilem per intelligibilem effluxum, quo à Deo species rerum congenitas acceperunt simul cum intellectuali natura.* Vbi satis clarè exprimit resultantiam specierum per modum proprietatis, quæ nihil est aliud quàm ordo exeundi, quem habent passiones ex vi ejusdem actionis, qua producitur substantia. Et iterum quæst. 64. art. 1. *Cognitio naturalis non est ablata, nec diminuta* (in malis Angelis;) *consequitur enim ipsam naturam Angeli, qui secundùm suam naturam est quidem intellectus, vel mens; propter simplicitatem autem suæ substantiæ à natura ejus aliquid subtrahi non potest, ut sic per subtractionem naturalium puniatur, sicut homo punitur per subtractionem manus, aut pedis.* Vides Præceptorem sanctum velle ex natura Angeli pullulare species deservientes ad scientiam, sicut ex natura hominis quantum ad corpus resultant manus & pedes: præsertim quia quod ab extrinseco venit, sine præjudicio simplicitatis aufertur; quod verò naturaliter dimanat, non potest sine mutatione, & quasi avulsione, ac mutilatione avelli.

Secundò: Illa accidentia sunt verè & propriè dictæ proprietates alicujus substantiæ, quæ producuntur à generante ex vi ejusdem actionis, qua producitur essentia; non enim dicuntur proprietates ab essentia dimanare, quasi essentia eas producat, cùm non sit immediatè operativa; sed quia exigentia essentiæ ad eas producendas determinat agens, quod sicut dat esse, ita dat consequentia ad esse: & hoc essentia veluti defert causalitatem agentis ad ipsas proprietates, sicut (inquit D.Thom. *opusc.* 48.) dum quis clavo clavum impellit, clavus impellens non producit motum, sed defert dumtaxat actionem agentis ad eum qui impellitur. Atqui species intellectos angelici ita producuntur, nam ad naturalem dispositionem, & complementum etiam in primo instanti conditionis debitum pertinet habere species rerum, ut ostensum est in probatione præsentis speculationis. Ergo ejusmodi species sunt velut essentiæ appendix, & corollarium cù essentia concreatū non

non enim alia ratione virtutes infusæ dicuntur proprietates gratiæ, sicut nec motus gravium & levium alia ratione à generante profluunt, ut postea dicemus.

Confirmatur: Sicut natura abhorret à superfluo, ita non deficit in necessariis: ergo sicut propter hoc naturæ homini intellectum agentem providit, quo species acquireret; ita quia hanc vim Angelo non concessit, ideo ipsum speciebus omnibus instruxit; aliàs deterioris conditionis esset natura angelica, quàm humana: nam homine & Angelo cum solo concursu naturali sibi ad agendum relictis, homo esset ad intelligendum aptior, Angelus ineptior, cùm ille habeat intellectum agentem quo posset sibi notitias comparare; iste verò esset nudus & ignorans, nec habens in natura sua ingenitæ ignorationis remedium. Quid autem inconvenientius, quàm ponere Angelum, id est, naturæ intellectualis verticem, innatæ ignorantiæ obnoxium? Quid deformius in tam eleganti creatura? Quid tam nobili indignius, & infelicius? Certè id non minorem facit imperfectionem in ordine intellectuali, quàm si daretur materia sine forma in ordine entitativo.

Illustratur ex ordine & gradatione entium universi. In Deo ente illimitato continentur omnes possibiles perfectiones, non solùm in esse intellectuali, sed etiam in esse entitativo, quia Deus est ipsum esse, & plenitudo fontalis omnis perfectionis. Homo, qui est in infimo intellectuali gradu, potest quidem beneficio intellectus fieri omnia; tamen quia anima est forma corporis, non potest suam intellectualem perfectionem acquirere, nisi mediante corpore & sensibus externis & internis, quorum tamen species intellectus agens depurat. Angelus medium locum occupat; licèt enim rerum perfectionibus in esse entitativo discere non possit ob naturæ suæ finitatem; tamen quia ratione elevationis supra materiam quandam infinitatem habet, ideò rerum omnium bonitates in esse diminuto, scilicet intelligibili, exigit, ut quæ sunt dispersa in inferioribus, in superioribus unita repetiantur. Ergo sicut homo naturaliter instructus est potentiis & instrumentis ad elaborandas species opportunis: ita Angelus rerum omnium universi species à natura sua profluentes postulat. Sanè si id potuit fieri, planè debuit, hócque universi ordo requirit.

Probabilis fanè utraque sententia, & suis vallata munimentis: verùm secunda sententia tantò gravior ac verior habenda est, quantò moderniis Thomistis antiquiores authoritate, ac Thomisticì luminis abundantia antecellunt. Debetur quidem recentioribus citatis laus sua, sed illa longè à Capreolo, longè à veterum laudibus abest. In discernendis legitimis D. Thomæ sensibus eædem fermè regulæ servandæ sunt, quas ad Catholica dogmata dignoscenda præscribit Vincentius Lirinensis. *Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis opinionibus contrairet.* Et iterùm: *Nihil aliud ratio pietatis admittit, nisi ut omnia quæ fide à patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur, nosque religionem non quà vellemus, duceremus; sed potius quà illa duceret, sequi oportet: idque est proprium christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare.* Idem proportionaliter existimandum est de dogmatibus Thomistarum. Vnde secundæ sententiæ ut probabilior subscribimus.

Ad primum fundamentum oppositæ sententiæ respondet primò Bañes, quod si Deus produceret aliquid de novo, tunc Deus infunderet species quæ non essent proprietates, quia Angeli habent determinationem ad habendas species quas habent, hoc ipso quod sunt partes universi. Secundò, Nazarius ait, quod si Deus novum universum produceret, ad ejus suavem providentiam pertineret novos Angelos producere. Tertiò addo, quod si Deus produceret novam creaturam, Angelus haberet ejus speciem, quæ esset proprietas Angeli producta per actionem, qua Angelus conservatur.

Cujus radicalis ratio ex Philosophia Thomistica evidenter colligitur, quæ talis est. Hoc ipso, quod Deus præstitit omnem influxum necessarium ad productionem essentiæ, præstitit etiam influxum quantum est de se requisitum, ut naturali sequela oriantur passiones; quod verò actu non dimanent, hoc non ex defectibilitate divini concursus, sed ex impedimentis occurrentibus provenit: v. g. influxus, quo conservatur aqua calefacta, amisso calore, se extendit ad frigiditatem naturali sequela recuperandam. Imò addunt Complutenses *in Physic. disp. 10 quæst. 7. à num. 116.* quod Deo decernente ut suos influxus productivos essentiæ hominis non extendatur ad risibilitatem usque ad annum transactum, tunc semoto hoc extrinseco impedimento anni, protinus ejus influxus ad illum extenderetur. Igitur quia Angeli naturaliter exigunt species intentionales partium omnium & singularum universi, in quo primam sedem obtinent, si Deus decrevisset producere aliquas in universo creaturas post mille transactos annos, ius defluxis species ex vi actionis, qua conservantur Angeli, pullularent.

Et potest hæc doctrina exemplis illustrari, tum propositionum de futuro contingenti, quibus veritas, aut falsitas tanquam proprietas non inest, nisi supposito Dei decreto de futuritione, vel non futuritione objecti. Tum exemplo gravium & levium corporum, quibus motus ad centrum tanquam proprietas resultat, obice sublato ex vi actionis generativæ eorum. Tum exemplo earundem specierum Angelicarum, quibus tanquam proprietas convenit repræsentatio singularium, quæ tamen non repræsentant, nisi quando de facto existunt, aliàs Angeli cognoscerent futura. Ex quibus facilè in forma distingues majorem: proprietates determinatè & invariabiliter procedunt, positis omnibus conditionibus, concedo; si desit aliqua conditio, nego. In proposito verò deesset conditio existentiæ rerum.

Ad secundum fundamentum (omissa solutione eorum qui dicunt, Angelum comprehendendo essentiam suam comprehendere species secundùm esse entitativum, non verò quantum ad esse intelligibile & repræsentativum, quod est participatio divinarum idearum, à quibus per se producitur; omissa, inquam, hac solutione, faciliùs respondeo ex dictis, Angelum ex comprehensione essentiæ eas solùm comprehendere proprietates, quæ sunt omninò absolutæ, & independentes ab alio, ut à conditione, nec sunt veluti proprietates respectivæ. Et potest manifestis exemplis declarari: v. g. Angelus comprehendit propositiones de futuro contingenti; & tamen non cognoscit, an sint veræ, vel falsæ; quia veritas, vel falsitas connotant futuritionem objecti quam ignorant; sicut etiam comprehendendo suas species non percipiunt secreta cordium, quia licèt illa connaturaliter repræsentent, tamen supponunt, & connotant manifestationem. Similiter quia species angelicæ sunt proprietates non omninò absolutæ, sed respectivæ, saltem relatione transcendentali ad objecta quæ sunt in universo, in comprehensione essentiæ non continuò vident determinatè species rerum quæ pertinent ad universum. Sicut Angelus comprehendendo aliquam naturam, non confestim cognoscit omnes relationes, quarum est capax, sed solùm videt illam naturam esse capacem multarum relationum. Sed de hac spinosa subtilitate satis, & plusquam satis.

REFLEXIO.

Reflexio.

Angeli præcipuæ orbis creaturæ speciebus infusis indigent, quia omne donum desursum est, descendens à Patre luminum. Quid censendum de hominibus, quos contexerunt tenebræ, quorum cogitationes timidæ, & incertæ providentiæ. Heu! quàm multi sub virtutis specie tecta vitia prosequuntur, & pestiferas peccatorum labes sub boni coloris specie latitantes, & falsis probabilitatibus obscuratas amplexantes cæci fiunt, & duces cæcorum! Itaque ardentibus votis veritatis notitiam postulemus, totis nisibus cum Davide oremus: *Veritatem tuam doce me*; &, *deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua.* Cum Augustino insistamus: *Interfice in me quidquid est contrarium veritati.* Postulemus, & sine intermissione rogemus geminam illam boni operis conditionem à Bernardo traditam, quarum alterutra si defuerit, vitiosum esse opus necesse est, nimirum *charitatem in intentione, in electione veritatem*, lib. de præcep. & dispens. cap. 14. Væ miseris illis, qui in cordibus suis veritatis amorem extinguunt, ut se fallacibus hominum opinationibus agglutinent! Quomodo fide vivunt, qui omnia opinionis calculo metiuntur? Quomodo erunt veri adoratores adorantes Patrem in spiritu & veritate, qui sub veri similitudine diligunt insanias falsas. Spiritum igitur veritatis imploremus, cujus omnes viæ veritas, ut nos omnem doceat veritatem, ut viam veritatis eligamus, ut in veritate ambulemus, & veritatem faciamus, & abjicientes opera tenebrarum, induamur arma lucis: hanc instantibus gemitibus infundi supernam lucem expetamus. Sic lucerna pedibus nostris erit non probabilismus, sed verbum Dei. Sic non in lumine nostro, sed in lumine vultus Domini ambulabimus; & prudentiam illam spiritus obtinebimus, quam abscondit Deus sapientibus, parvulis autem revelat.

Speculatio III.

Species intellectus angelici sunt universales in repræsentando, & eo universaliores, quo Angeli sunt superiores.

HAnc doctrinam hausit Angelicus Doctor ex Dion. lib. de cœlest. hierarch. cap. 6. ubi asserit Angelos superiores *participare scientiam magis in universali*, non quòd plura cognoscat unus quàm alter, cùm omnes omnia cognoscant; sed quia superiores intelligunt res in specie & medio universaliori, non ex parte rei cognitæ, quasi superior species repræsentet solùm naturas universales, hic enim modus cognoscendi esset nimis imperfectus; sed ex parte modi repræsentandi, quatenus species universalior ad plura repræsentanda se extendit.

Probatur ratione S. Thomæ. Quantò Angeli sunt superiores, tantò sunt Deo propinquiores & similiores: ergo magis accedunt ad perfectionem divinæ cognitionis quæ omnia cognoscit per unicum essentiæ suæ medium. Ad cujus rationis claritatem considera, Deum ratione infinitatis supra omnium possibilium seriem exaltari, tamen ratione suæ bonitatis summè diffusivæ à creaturis esse participabilem. Porrò divinarum perfectionum aliquæ sunt formaliter communicabiles, ut esse, vivere, intelligere, sapientia, justitia, misericordia, aliæque; aliquæ verò sunt formaliter incommunicabiles, ut puritas actus, independentia, infinitas; quippe quæ conveniunt Deo, ut distinguitur à creaturis. Inter has perfectiones illud notabile discrimen intercedit, quod priores exprimuntur per accessum ad Deum, & ut sic loquar, veluti ascendendo ad illas tanquam ad formalem mensuram; tantò enim aliquis est sapientior, quantò magis divinam sapientiam imitatur. Posteriores verò non participantur nisi per recessum & elongationem ab opposito; eo namque creatura est purior & simplicior, quo magis a potentia materiæ, & corporis grossitie recedit. Atqui intelligere omnia per unicum essentiæ suæ medium, est perfectio Dei formaliter incommunicabilis, fundatur enim in hoc, quod Deus sit causa prima; quod est divinitatis solius prærogativa. Ergo hæc perfectio non est communicabilis nisi per recessum ab opposito, quod est intelligere res per multas species, subindéque catenus participari potest ab Angelis, quatenus plura in specie magis unita, magisque universali attingit.

Et sanè hanc specierum Angelicarum universalitatem persuadet gradatio intellectuum sæpiùs facta, divini scilicet, angelici, & humani; ut sicut Deus omnia per unicam essentiæ suæ speciem, homines per species rebus adæquatas, Angeli vero per excedentes intelligant. Præsertim quia cùm species angelicæ non sint acceptæ à rebus, sed ab ideis divinis exemplatæ, non debent rebus ipsis adæquari, sed idearum divinarum perfectionem, quantùm fieri potest, exscribere. Quæ omnia rectè considerata convincunt, non solùm Angelos superioris ordinis aut hierarchiæ intelligere per species universaliores (ut quidam arbitrantur) sed etiam in gradu specifico perfectiore constitutos, cùm magis ad divinam similitudinem accedant.

Sed dices: Hæc rationum momenta convincunt quidem Angelos superiores perspicaciori pollere intelligentia, sed minimè suadent, ipsos universalioribus speciebus instrui. Ipsum etiam S. Thomæ exemplum id insinuare videtur, petitum ex hominibus, in quibus aliqui ex paucis multa colligunt, aliis indigentibus quod sibi singula enucleatè dearticulentur: sed homines ingenio præstantiores non habent species universaliores: ergo nec Angeli superiores.

Respondeo, non solùm claram rerum cognitionem esse perfectionem, sed etiam cognitionem rerum per speciem ampliorem, & universaliorem, ut ostensum est. Comparatio autem Divi Thomæ ad hoc tendit, ut explicet, quod sicut homines altioris intellectus plura ex uno principio subinferunt, quæ tardiorem latent; ita Angelus perfectior plura in specie percipit. Nec hinc sequitur, Angelum superiorem posse plura percipere in specie ejusdem universalitatis, modò subtiliori ingenio valeat, sicut homo acutior plura ex eodem principio derivat, nam magnum interest discrimen; Angeli enim non discurrunt, sicut homo: unde fit, hominem posse plura intelligere absque specie universaliori, modo subtiliùs discurrat: at verò Angelus, qui non est discursivus, debet omnia veluti legere in speciebus, non subinferre: unde species debet plura repræsentare, alias admittendus foret in ipso discursus.

In quo autem consistat hæc specierum Angelicarum universalitas, operosiùs est explicandum. Aliqui in hoc universalitatem specierum ponunt, quòd plures naturas specificas repræsentet, vel aliquam naturam genericam, in qua secundario specificæ repræsententur. Verùm licèt negandum non sit, illam speciem fore universalem, quæ ejusmodi est, tamen per hoc non potest sufficienter salvari omnium universalitas. Quia cùm certum sit plures dari Angelos, quàm sint species rerum inferiorum in universo, si universalitas specierum sita sit in plurium naturarum specificarum repræsentatione, infimus Angelus in sua specie universali duas naturas specificas attinget, sicque brevi devenitur ad unum qui omnia per unam speciem intelliget, subindéque superior non intelliget per universaliorem, contra D. Thomam *q. 89. art. 1.* dicentem, *Deum*

per suam essentiam omnia intelligere, superiores autem intellectualium substantiarum, etsi per plures formas intelligant, tamen intelligere per pauciores, & magis universales, & virtuosiores ad comprehensionem rerum. Et rationem antè assignaverat: *Quod in principio est unum & simplex, quantò magis creaturæ intellectuales distant a primo principio, tanto magis dividitur illud lumen, & diversificatur, sicut accidit in lineis à centro egredientibus.* Quæ tamen doctrina erit falsa juxta præfatam explicationem.

Id apertiùs clarebit per viam descensus, si nimirum à superioribus per inferiores ad infimos devenerimus; si enim primus omnia per unam speciem intelligit, à primo procedamus per duas, tandem aliquis occurret, qui non erit ultimus, qui plures habebit species in intellectu, quàm sint species in rebus; quia ut constat, plures sunt Angeli, quàm species in universo. Ergo universalitas specierum non salvatur in plurium naturarum specificarum repræsentatione. Et multò minùs in repræsentatione primaria alicujus rationis genericæ, quia statim perveniremus ad unum, qui omnia per rationem entis attingeret. Ex quo duo sequentur manifestè falsa. Primum, Angelum eo superiorem non habere speciem universaliorem, sicut non datur ratio entis elevatior. Secundum, Angelum illum omnia per rationem entis attingentem, omnia etiam possibilia cognoscere; ratio enim entis est universalissima, nec est ad aliquid peculiare determinata; sicut quia virtus divina respicit ens sub ratione entis, ideò ad nullum effectum restringitur, ut suprà visum est.

Quare S. Thomas, quamvis aliquando explicet universalitatem specierum Angelicarum per repræsentationem plurium naturarum, quia tunc sine dubio species est universalis, quando plures naturas repræsentat; considerans tamen Doctor sapientissimus hoc non sufficere, recurrit ad repræsentationem plurium rationum spectantium ad eandem naturam. *Si superior Angelus* (inquit q. 8. de verit. art. 10. ad 2.) *per unam speciem animalis omnes species animalis cognoscat, inferior autem nonnisi per multas species; & præter hoc superior Angelus plures rationes intelligibiles ex iisdem rebus cognoscit.* Et iterum ad 3. *Non est inconveniens si una forma intellectus Angelici sit propria ratio plurium, secundum diversas ejus habitudines ad res diversas, ex quibus habitudinibus consurgit pluritas idearum.* Quorum verborum sensus est, quod sicut divinæ ideæ virtualiter multiplicantur penes diversas rerum habitudines, quas repræsentant; alia est enim idea arcis, domus, templi, quatenus componunt civitatem; alia idea domus per se sumptæ, & sic de cæteris: ita universalitas angelicarum specierum, quæ à divinis ideis exemplantur, explicari debet non solùm penes plures res cognitas, sed penes diversas ejusdem rei rationes, quæ in infinitum excrescere possunt, quatenus in eis, ex eis, & per eas plura & plura in infinitum fieri possunt. Sicque facilè salvabitur major universalitas per plurium rationum repræsentationem.

Dices: Vnusquisque Angelus omnia naturalia quæ sunt in universo comprehendit: ergo unus non potest plures rationes cognoscere quàm alter.

Respondeo, quemlibet Angelum comprehendere quidem omnia quæ sunt in universo, quoad rationes absolutas, sed minimè quoad respectivas. Sicut faber lignarius cognoscit quidem comprehensivè omnia accidentia absoluta, quæ sunt in ligno, longitudinem, latitudinem, robur, colorem; sed non omnes respectivas, putà non videt eas, quas attingit sculptor in ordine ad diversas figuras; nec sculptor eas quas attingit navificator; nec iste eas quæ possunt aliis artibus deservire. Addi potest, & forsan debet, quod licèt omnes Angeli intelligant omnes illas rationes naturales respectivas, subsistit tamen major superiorum universalitas, quia dum inferior in una specie duas habitudines exprimit, superior tres repræsentat, & sic ascendendo ad supremos.

Omnes objectiones contra specierum universalitatem militantes absque negotio dissolves, si præ oculis habeas universalitatem competere speciebus Angelicis ratione præcellentiæ, qua præditæ sunt, ex eo quod sint divinarum idearum participationes; ut enim docet S. August. *lib. 12. super Gen.* Deus ideas rerum priùs in se formavit, deinde eas in mentibus Angelorum insculpsit, demùm in proprio ordine produxit, eo proportionaliter modo, quo Architectus priùs in se ideam domus efformat, posteà illam exarat in charta, & demùm in externa materia fabricatur. Ex quo sequitur, quod sicut species angelicæ à rebus non exprimuntur, ab iis etiam prout sunt in se non mensurantur, sed prout sunt in ideis divinis, quarum sunt imitationes. Sicut tabella typis expressa, plura & opposita simul exhibet, quia ab idea artificis multa, distinctáque adunantis derivatur. Certè si sensus communis, quia est altior potentia, objecta per modum unius intelligit; si scientia plura objecta partialia sub ratione altiori contemplatur; si ars architectonica ad plura se extendit quàm plures ministeriales circa diversissima occupatæ, quidni poterunt admitti species ampliores plura sub eadem intelligibilitate conjungentes, & in inferioribus dispersa unientes?

REFLEXIO.

Tantò vos ampliùs perficere noveritis, quantò rem communem, quàm propria vestra curaveritis. Charitas enim, de qua scriptum est quod non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit, ait August. in regula. Si Angeli omnia per species universales intelligunt, ut Angelicam ducamus vitam, omnia & singula in bono communi, quod divinius est, inspicere debemus. Nihil in vita spiritus perniciosius, quàm agenda amoris proprii fallacibus & obliquis stateris appendere. Laborabis tota nocte, & nihil accipies; ibis & non pervenies; dormies somnum tuum, & nihil invenies in manibus tuis; appenderis in statera, & inveniêris minùs habens, nisi animum tuum ad illam redigas, quæ Christianos decet, occupantium præjudiciorum vacuitatem, & amoris privati exterminium. *Amor namque privatus* (ait Bern. de inter. dom. c. 66.) *quem erga nos ipsos habemus, aufert nobis verum judicium de nobis.* Quàm sæpè mentitur iniquitas sibi! quàm sæpiùs passione movemur, & zelum putamus! quàm sæpissimè quod apud nos aurum boni operis credimus, aurichalcum Indici illi apparebit, cui omnia nuda sunt & aperta; quem fallere non possumus, quia sapientia est; nec effugere, quia ubique est; neque corrumpere, quia justitia est. Formidant sancti ultimos cordis sui flexus & recessus, timent ne in reconditis viæ inviæ mentis suæ angulis lateant sordes; denique verentur amorem proprium, qui est primum vivens & ultimum moriens. Amor sui labyrinthus est anfractibus inextricabilis, viarum ambagibus inexplicabilis, laboriosis circuitibus, gyris, angulisque extructa. Ne ejus erroribus implicemur, apertâ & rectâ viâ procedamus, species universales Angelorum æmulemur, omnia ad bonum commune referamus, nec impiis morem geramus, qui teste Propheta Psal. 11. *in circuitu ambulant*, omnia à se, & propter se operantes, se principium, se finem operum statuentes, & nunquam ad finem pervenientes; nam ut ait August. in Psal. 139. *Qui in gyrum it, nusquam finit; ipse est labor impiorum, ut circumeant, & non stent; in gyrum eant erroris, ubi iter est sine fine.*

CAPUT

CAPUT II.

De objecto & medio cognitionis Angelicæ.

CUm constet ex dictis, Angelum per suam substantiam se & Deum cognoscere, alia verò per species congenitas, planum est objectum intellectus Angelici omnia quæ sunt in universo complecti. Difficultas tamen superest, utrum Angeli cognoscere possint futura, vel cordis secreta. Difficultas etiam circa modum cognitionis in duobus est posita, num nimirum modus cognoscendi eorum sit comprehensivus omnium naturalium, & utrum sit, vel possit esse discursivus. Pro decisione sit

SPECULATIO I.

Angeli futura, vel secreta cordium cogitata minimè cognoscunt, nisi ad summum conjecturaliter.

PRior pars est omninò consentanea Scripturæ & Patribus attestantibus futurorum notitiam esse proprium Divinitatis characterem. Isai. 46. *Ego sum Deus, & non est ultra, nec est similis mei annuncians ab exordio novissima, & ab initio quæ nondum sunt facta.* Consonant Patres à quibus recensendis supersedeo, cùm huic veritati omnes fermè nationes subscribant, certam futurorum cognitionem soli Deo asserentes.

Probatur ratione D. Thomæ. Duobus modis possunt cognosci futura, vel in suis causis, vel in rebus ipsis: atqui Angeli nequeunt cognoscere futura contingentia in suis causis, utpotè indifferentibus, & indeterminatis ad effectuum positionem. Non possunt etiam illa naturaliter cognoscere in causa prima, cujus latentia consilia ignorant. Non possunt etiam illa in rebus ipsis intueri, cùm nondum sint, nec cognitio Angelorum æternitate omnia succedentia ambiente & repræsentante mensuretur: ergo Angeli non possunt naturaliter cognoscere futura.

Scito tamen, quod quia Angeli præcellenti ingenio pollent, futura etiam facilè conjectant multò promptiùs & certiùs quàm ullus intellectus humanus. Certè si Medici sanitatis restitutionem vel mortem prænuntiant, ideoque à Galeno *Semidii* appellentur, quantò magis Angeli pleni sapientiâ post longam experientiam, & diligentem observationem futura detegunt. Unde ipsi dæmones plura verè prædicunt, tum subtilitate & acumine ingenii, quo vigent; tum bonorum Angelorum revelatione, Deo ita permittente, ut tradit August. *lib. 2. de Genes. ad litt. cap. 17.* tum prophetiarum memoriâ, vel lectione; tum notitiâ cœlestium impressionum, quæ licèt in solum corpus agant, quia tamen omnes fermè homines post suas concupiscentias eunt, facilè motus voluntatis conjiciunt, sicque ut æmulentur divinitatem, furantur divinationem, ut ait Tertull. *apolog. 22.*

Quod diximus de futuris, proportione servata de præteritis dicendum est: nam ut habetur Isai. 41. *Annuntiate nobis quæcumque ventura sunt, aut priora quæ erant, & dicemus quia Dii estis.* Hoc tamen intelligito de præteritis illis, quorum præsentiam non adverterunt, nec aliquod sui vel vestigium, vel effectum reliquerunt. Quæ profectò præterita ita se habent ad illos, ac si nunquam extitissent, cùm eos existentia illorum fugerit, nec possint hujusmodi cognoscere in rebus ipsis, cùm non sint; nec in causis, cùm ab eis egressa sint; nec per recordationem & memoriam, quæ fertur solùm ad aliàs cognita.

Dices: Angeli cognoscunt omnia per species sibi ab initio creationis inseminatas, nullasque successu temporis acquirunt: ergo in ipsorum speciebus relucent futura, aliàs indigerent novis speciebus, ut ea attingerent dum fiunt præsentia. Atqui cognita specie, detegitur quidquid in ea relucet: ergo in cognitione suarum specierum Angeli futura præsciunt.

Respondeo, Angelos per suas species non posse actu cognoscere, nisi quæ de facto pertinent ad ordinem universi; futura autem nondum ad illum pertinent, sed pertinebunt, quando præsentia erunt. Quomodo autem fieri possit, ut in temporis decursu fluxus rerum repræsentent, & actuale exercitium existendi, quod anteà non repræsentabant, explicatu difficile est. Existimant nonnulli, ideò species illas nondum explicare futura, non defectu sui, sed complementi, seu conditionis extrinsecæ: suámque doctrinam illustrant, tum exemplo relationis, quæ fertur ad plures terminos materiales, posita conditione existentiæ illorum; tum essentiæ divinæ, quæ repræsentat futura positâ conditione decreti; tum corporum gravium & levium, quæ ex virtute generantis prorumpunt in motum ad centrum, quoties ab eo extrahuntur, non per novæ formæ accretionem, sed per solam obicis remotionem. Ratio etiam eis suffragatur; nam species angelicæ sunt quædam similitudines exemplatæ ab ideis divinis: ergo id habent species Angelorum in repræsentando, quod ideæ divinæ in causando: ideæ autem divini artificis causant naturas rerum in individuis successivè productis; ergo species Angelorum repræsentant individua prout successivè fiunt à divinis ideis, quarum sunt veluti sigilla & expressiones.

Verùm difficile captu est, speciem aliquid repræsentare de novo, quod anteà non repræsentabat, nisi aliqua ei intrinseca perfectio adveniat. Nam repræsentatio in specie est aliquid intrinsecum, non denominatio extrinseca: ergo ut aliquid repræsentet intellectus angelicus quod antea non repræsentabat, vel debet novis speciebus perfundi, vel illæ quas habet infusas, novam debent acquirere perfectionem. Dicendum igitur, quod quando res fiunt successivè in universo, & ab arte divina formantur in tempore, profluunt etiam ab ideis divinis in mentium angelicarum species quædam modificationes & determinationes ad res illas actu attingendas; ut sic etiam in continua rerum productione verificetur aliàs tradita doctrina Augustini asserentis res fieri bis, nimirum in propria natura, & in mente angelica, non ratione novarum specierum inditarum, sed novæ modificationis præcedentium.

Instabis: Si hæc doctrina esset vera, sequeretur, Angelum cognoscere præterita, etiam illa, quæ sine ejus advertentia transierunt, quæve nullum vestigium reliquerunt: nam si ex participatione divinarum idearum derivatur in species angelicas quidam modus realis, quo determinentur ad attingenda præsentia, profectò re transeunte, & præterita, manebit illa realis determinatio specierum circa illam, beneficio cujus saltem per cognitionem reflexam poterit rem præteritam repræsentare. Consequens est contra superiùs stabilita: ergo & antecedens.

Respondeo, quod transeunte, & desinente re, perit etiam ille modus repræsentandi, seu applicatio & determinatio speciei ad tale individuum, cujus nec vestigium, nec memoria perseverat; hæc est enim modorum natura, ut pereunte termino, ipsi evanescant: sic mortuo filio, desinit relatio paternitatis; mutato loco vel tempore, cessat ubicatio, vel duratio, si dentur. Nec propterea corrumpitur species repræsentativa Angeli, sed modaliter variatur, dum fluenter perficitur, & veluti explicatur id quod in ea virtualiter antea repræsentabatur ex impressione, & veluti sigillatione

divinarum idearum. Quod angelicarum specierum perfectioni minimè officit, nec plenitudini sapientiæ, qua ab initio conditi sunt. Eaquisitus enim ille sapientiæ decor postulat solùm earum rerum notitiam, quæ ad ordinem universi spectant, ad quem sanè non pertinent individua, nisi quando fiunt ab ideis divinis, quarum species angelicæ sunt imitationes.

Posterior pars, quæ Angelis cordium cogitata denegat, non minùs apertè traditur in Scriptura & Patribus. 3.Reg.8. *Tu nosti solus corda omnium filiorum hominum.* Ierem.17. *Pravum est cor hominis, & inscrutabile; & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda.* Vocat autem cor hominis *pravum*, id est, impenetrabile, distortum, sinuosum, intricatum, impervium, & inextricabile, sicut via prava, & labyrinthus intricata. Et hoc ita verum arbitrantur Patres, ut ex secretorum cordis notitia Christi divinitatem contra Arrianos stabiliant. Vnde Chrysol. serm.50. *Cape divinitatis ejus insignia: audi eum pectoris tui penetrasse secretum: aspice eum ad cogitationum tuarum latebras pervenisse.*

Ratio est, Solus Deus habet dominium & influxum in actus liberæ voluntatis: ergo solus potest eos cognoscere. Vt probetur consequentia, advertendum est, sensum hujus D.Thom. rationis non esse, ea à solo Deo cognosci, quæ ab ipso solo producuntur; nam materia prima, corpora cœlestia, & animæ rationales à Deo solo creata sunt, nec Angelos latent: sed sensus est, actus qui taliter procedunt à causa secunda, ut solus Deus cum ea in ipsos influat, absque connexione, vel dependentia ab ulla alia causa naturali, soli Deo esse notos, & non Angelis, quod probatur, & simul suadetur consequentia.

Angeli nihil cognoscunt nisi contineatur intra ordinem universi: atqui si solus Deus influat in actus liberæ voluntatis, actus illi non pertinent ad ordinem universi: ergo si solus Deus habet dominium & influxum in actus voluntatis, solus eos cognoscere potest, & non Angeli. Major est clara ex probatione superioris partis, neque aliud exigere potest perfectio specierum angelicarum. Minor verò probatur. Ordo universi nihil est aliud quàm concatenata causarum connexio, qua inferiora per superiora, corporalia per spiritualia, particularia per universalia reguntur: ergo ut aliquid pertineat ad ordinem universi, debet esse vel causa universalis & superior, nata movere inferiores, vel saltem ab illis habere dependentiam, ut ratione talis connexionis sit veluti intra universi catenam: atqui si solus Deus influat in actus voluntatis, actus illi sunt immunes ab influxu & dependentia causarum naturalium: ergo non pertinent ad ordinem naturalem universi. Hanc rationem tangit Chrysost. *hom.23. in Ioan.* dicens: *Humanorum cordium cognitio solius Dei est, qui ea formavit; non egebat Iesus testibus ad eas quas formaverat mentes cogitandas.*

Dices: Imò actus liberi pertinent ad ordinem & perfectionem universi, ait enim D.Thom. suprà, q.19. art.8. *Deus quædam vult fieri necessariò, quædam contingenter, ut sit ordo in rebus ad complementum universi.* Et certè cùm actus liberi sint complementa & fines potentiæ pertinentis ad ordinem universi, scilicet voluntatis; fit inde, etiam ipsos pertinere ad præcipuam partem universi, cujus bonum esset valdè diminutum sine illis.

Respondeo, quod licèt perfectio universi exigat potentias liberas, necnon actus liberos earum, non tamen hos, vel illos determinatè petit, sed indeterminatè, prout ipsa potentia voluerit; unde nequeunt determinatè ab Angelis cognosci, sed solùm quando ad ipsos diriguntur, quia tunc incipiunt ad ipsum pertinere. Nam licèt per talem manifestationem non auferatur dominium voluntatis supra ipsos, transfertur tamen; unde incipiunt ingredi ordinem universi, non simpliciter (aliàs cognoscerentur ab omnibus) sed secundùm quid, quatenus manifestantur illi ad quem diriguntur; in mutuo enim superiorum ad inferiora, vel inferiorum ad superiora commercio consistit ordo & harmonia universi.

Aliam rationem hujus veritatis eruit S.Thomas in commentario illius loci Apostoli, 1.*Cor.*2. *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?* Ideò spiritus hominis penetrat secreta cordis sui, quia *in ipso est*: sed Angelus, neque bonus, neque malus, non potest ita illabi in mentem humanam, ut in ipso corde hominis sit, & intrinsecùs operetur, sed solius Dei hoc proprium est, ut suprà operosè monstratum est. Ergo solus Deus est conscius secretorum cordis humani, secundùm illud Iob 16. *Ecce in cælo testis meus, & conscius meus in excelsis.* Quare ea solùm conjectare possunt ex signis externis, vel corporalibus immutationibus, quæ interdum ex apprehensione præsertim forti consequuntur, & in appetitu, quandoque etiam in facie, vel gestu relucent, quæ Angeli, utpote subtilissimi, facilè discernunt. Vnde contingit, magos ope dæmonis aliquando cordis cogitata detegere; non tamen certò ea dignoscunt, quia hæc signa possunt habere diversas causas internas; hinc sæpè, & ferè semper falluntur.

Dices: Non obstante quod Angelus non possit illabi in voluntatem hominis, tamen potest cognoscere habitus in ea existentes ab actibus generatos: ergo & ipsos actus cognoscunt; per proprios enim effectus propria cognoscitur causa.

Respondeo, nonnullos Authores concedere, Angelos cognoscere habitus, non tamen actus; sicut possunt cognosci actus exteriores, non cognitis interioribus, à quibus imperantur. Sed hæc solutio grandem patitur difficultatem, quia cùm nullus fermè sit actus nostræ voluntatis, quo non inchoëtur, vel generetur, vel foveatur, vel perficiatur habitus, nulla penè cordis nostri cogitatio esset Angelis ignota; sicque frustra Scriptura & Patres tantoperè magnificarent privilegium cognoscendorum cordis secretorum, tanquam divinitatis characterem, si nullum ferè Angelos lateret. Veriùs ergo negandum est, Angelos cognoscere habitus voluntatis, qui non magis pertinent ad ordinem naturalem universi, quàm actus, sed solùm ad ordinem moralem: nec est simile quod dicitur de actibus internis & externis; nam actus externi non sunt necessariò manifestativi actus interioris: tum quia per illos nunquam potest cognosci intentio finis, quem habet operans: at verò in habitu omnia relinquuntur impressa, & fideliter delineata.

Ex his à fortiori sequitur, Angelos non posse cognoscere mysteria gratiæ, nec entia supernaturalia: si enim non possunt cognoscere cordis secreta, quia ex voluntate pendent, quanto minùs attingent entia supernaturalia, quæ sunt veluti secreta Dei, & arcana cordis ejus? Præsertim quia Angeli non habent effectuum supernaturalium species innatas; hujusmodi enim species sunt ipsis indebitæ, sicut & ipsa entia supernaturalia perficiunt universum non perfectione debita, sed superexcedente.

REFLEXIO.

Solus Deus scrutatur cor hominibus ignotum, Angelis impervium: solius ergo Dei judicium timeamus, quod nec falli, nec circumveniri, nec declinari potest. Vt enim Gregor. *lib.9. Moral. cap.2.* expendens illud Iob 9. *Sapiens corde est, & fortis robore, quis restitit ei?* ait: *Nec falli à nobis, quia sapiens; nec vitari,*

quia

quia fortis est, valet. *Nunc ut sapiens omnia invisibilia aspicit; tunc ut fortis sine ullo obstaculo quos reprobat, punit.* Oculos illos revereamur, qui ut dicitur Ecclef. 23. *Multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & hominum corda intuentes in absconditas partes*: id est, expendit facta, cogitationes trutinat, appendit intentiones, ipsas quoque justitias judicat. *Time illum* (ait Bernard. *serm. 55. in Cant.*) *qui per Prophetam dicit: Et ego scrutabor Hierusalem in lucernis. Quid tutum in Babylone, si Hierusalem manet judicium?* Quid opus facto, ut divini scrutinii rigorem caveamus, quod fugere non valemus? Vnum ad hoc necessarium est, nimirum ut ipsimet scrutemur corda nostra, & ploremus coram Domino, qui fecit nos, quæ fecimus nos, quia ut dicitur 1. *Cor. 11. Si nos dijudicaremus, non utique dijudicaremur.* Opportunè monet S. Fulgent. serm. de verb. Michææ: *Revertere ad te, ô homo, intra in secretum cordis tui; convince, ut victoriam possis adipisci; ibi te condemna, ut merearis absolvi; ibi te puni, si vis ab æterna punitionis supplicio liberari. Noli accipere personam tuam, cùm judicas causam tuam; sed cum severitate discute mala tua, cum rigore in peccata tua sententiam condemnationis prome, & peccata, quæ in te condemnas, occide.* Felix judicium nostrum, fortunata inquisitio cordis nostri, quibus districto Dei judicio subducimur, & abscondimur! Iudicemus proinde & mala nostra, judicemus & bona nostra. Mala melioribus actis curemus, diluamus lacrymis, puniamus pœnis. In bonis de nobis humiliter sentiamus, servos nos inutiles reputemus, amoris proprii jacturas formidemus, ut cordium scrutator Deus nihil in nobis inscrutatum, nihil indiscussum inveniat.

Speculatio II.

Angeli sibi sua mutuò secreta revelant per loquutionem, & illuminationem.

Admittendam esse loqutionem in Angelis, constat ex Scripturis. Isaiæ 6. *Seraphim clamabant alter ad alterum.* 1. *Cor. 13. Si linguis hominum loquar, aut Angelorum.* Et B. Thaddæus in sua canonica recenset disputationem Angeli apostatæ cum Michaële, quæ sine loqutione contingere non potuit. Sanè illam loquendi, exprimendique sensus sui facultatem exigit commercium vitæ socialis, quæ absque dubio longè perfectiùs in Angelis quàm in hominibus invenitur. Illuminationem quoque in Angelis inveniri, qua superiores *purgant, illuminant, & perficiunt* inferiores, post Dionysium docent Patres & Theologi, eamque exigit concinnata & modulata divinæ gubernationis œconomia, quæ facit ut inferiora per superiora regantur & perficiantur. Maximè quia de ratione boni est quod se aliis communicet; unde omne agens intendit producere sibi simile quantum potest: & quo perfectior est causa, eo magis suam perfectionem nititur transfundere. Vnde B. Petrus hoc monet, ut unusquisque sicut gratiam accepit, in alterum illam administret, sicut boni dispensator multiformis gratiæ Dei. Multò igitur magis Sancti Angeli plenitudinem quam à Deo hauriunt, in inferiores refundunt. Quare totum difficultatis momentum in hoc situm est, ut explicemus quomodo creatura purè intellectualis alteram alloqui, alteram illuminare queat.

Docet autem D. Thomas *quæst 107. art. 1.* loqutionem Angeli fieri per hoc, quod unus dirigit & ordinat conceptum suum ad alterum. Cujus ratio est, quia loqui nihil est aliud, quàm conceptum mentis interiùs latentem exteriùs manifestare: atqui per hoc quod Angelus ordinat suum conceptum alteri, eum ipsi manifestat: ergo in illa directione & manifestatione conceptus loqutio angelica consistit. Probatur minor ex præclara doctrina D. Thom. *ad* 1. In nobis interior mentis conceptus quasi duplici obstaculo clauditur. Primò quidem ipsa voluntate, quæ conceptum potest retinere interiùs. Secundò per grossitiem corporis; unde etiam cùm voluntas ordinat conceptum mentis ad manifestandum alteri, non statim cognoscitur ab alio, sed oportet aliquod sensibile adhibere. Vnde dicit Gregor. 2. Moral. cap. 5. *Alienis oculis intra secretum mentis quasi post parietem corporis stamus; sed cùm manifestare nosmetipsos cupimus, quasi per linguæ januam egredimur, ut quales sumus intrinsecus, ostendamus.* Hoc autem obstaculum non habet Angelus. Et ideò quàm citò vult manifestare conceptum suum, statim alius cognoscit. Ex quibus sic formatur ratio. Per id sufficienter manifestatur & innotescit conceptus angelicus, per quod excluduntur obstacula impedientia talem manifestationem: sed posita tali ordinatione cessant omnia obstacula, & auferuntur omnia velamina, quibus impeditur manifestatio conceptus: Ergo sicut Angelus per suas species cognoscit præsentia, quæ non cognoscebat futura, posita solâ conditione præsentiæ; ita & mentis cogitata positâ solâ conditione directionis attingit, qua stante jam incipiunt ingredi ordinem universi, & pertinere ad Angelum, ut speculatione præcedenti dicebamus.

Confirmatur; & simul omnes difficultates explanantur, ac objectiones præoccupantur. Ad loqutionem angelicam quatuor requiruntur conditiones. Primò debet habere aliquid pandens internum cordis secretum; nisi enim exteriùs manifestetur, semper internum, semper occultum manebit. Secundò debet excitari audiens, ut loquenti attendat, eumque percipiat; ad hoc enim tendit loqutio ut effundatur alteri cogitatio; non communicatur autem surdo, vel non attento. Tertiò exigit loqutio, ut possit fieri uni præ alio; tolleretur enim omnis convictus, & societatis commercium, si loquens omnibus sua privata cogitata exponere teneretur. Quartò quia Angeli possunt mentiri; & de facto sæpè mentitur cacodæmon, qui fuit mendax ab initio, requiritur ut possint in manifestatione suorum conceptuum decipere. Atqui omnes illæ conditiones salvantur in loqutione à D. Thom. explicata per ordinationem conceptuum: ergo in illa consistit loqutio. Probatur minor: & primò quidem hæc directio est manifestativa cordis cogitationis, quia per hujusmodi ordinationem ponitur internus conceptus intra sphæram cognoscibilitatis naturalis Angeli, cui dirigitur, & intra latitudinem rerum pertinentium ad ipsum; subindeque jus quod habet Angelus in conceptus suos, transfunditur & transfertur in alterum Angelum. Secundò per eam excitatur audiens ad auscultandum, quia tunc species innatæ Angeli ad quem dirigitur, conceptum illum explicitè repræsentant, sicut exhibent individua, positâ conditione præsentiæ; quæ sanè repræsentatio actualis resultat in specie vel sicut relatio, posito termino, vel ex participatione divinarum idearum successivè producentium aliquam modificationem & determinationem in speciebus, eo planè modo, quo diximus supra de cognitione futurorum contingentium. Tertiò salvatur ratio secreti, quia liberè dirigit Angelus conceptus suos, subindeque ad quem vult Angelum, eos ordinat, qui consequenter illis erunt occulti, ad quos non diriguntur. Denique salvatur, quomodo possit esse deceptio vel mendacium; quia potest Angelus formare duos conceptus, unum quo exprimat suos veros affectus; alterum quo explicet aliter quàm sen-

 tiat,

tiat. Primum non dirigit, sed apud se retinebit; secundum ordinabit, & mentietur. Potest etiam mentiri dicendo, se velle aliquid quod non vult, vel affirmando se habuisse in mente quod non habuit, vel ignorare aliquid de supernaturalibus, quod non ignorat.

Dices: Ipsa ordinatio est actus internus, & occultus: ergo per ipsam præcisè non manifestatur secretum; occultum enim non est manifestativum.

Respondeo, ordinationem illam esse quidem formaliter internam, immanentem, & occultam; sed esse virtualiter transeuntem & externam, quia tollit morale impedimentum quo occultatur conceptus, qui per illam incipit pertinere ad Angelum, ad quem sermo dirigitur; nec ampliùs est sub jure, dominio & potestate cognoscentis.

Instabis: Esto quod per illam ordinationem species Angeli ad quem dirigitur, incipiat repræsentare conceptum; non tamen propterea excitatur Angelus ad attendendum. Nam eodem modo repræsentat species conceptum, posita ordinatione, quo repræsentat futurum posita præsentia: atqui Angelus non necessariò attendere tenetur ad omnia præsentia: ergo similiter per solam ordinationem non excitabitur ut attendat Angelo loquenti: ergo aliquo alio opus est, quo Angelus excitetur, & quo ad audiendum urgeatur. Si enim Angelus loquens deberet expectare ut alter se reflecteret supra suas species, Angelus non posset loqui quando vellet. Et planè absurdum est admittere surditatem in Angelis, qualem admittere tenentur ii qui non reputant inconveniens, quod Angelus loquutionem alterius quandoque non percipiat, nec attendat.

Respondeo in primis, non esse certum, quod Angelus non attendat ad omnia præsentia; cùm enim nullam in hoc patiatur difficultatem, & aliunde hoc non mediocrem redoleat perfectionem, non potest certò definiri, an Angelus præsentia elabi sinat, quin ea advertat. Vnde argumentum fundatur in re incerta. Sed demus, Angelum omnia præsentia non annotare, jam gravis restat difficultas, per quid Angelus excitari possit.

Huic difficultati succumbentes Theologi extra scholam D. Thomæ, in varia placita abierunt. Scotus enim vult, Angelum loquentem producere notitiam actualem in intellectu Angeli audientis; quod tamen repugnat actui vitali, qui est necessariò à principio intrinseco, nec potest de foris advenire. Suares vult, Angelum loquentem immittere speciem sui conceptus. Alii recurrunt ad productionem quorundam signorum, vel spiritualium inexplicabilium, vel corporeorum in cœlis exaratorum. Verùm hi Authores dum unam difficultatem vitare satagunt, graviores alias accumulant, incidúntque in Scyllam cupientes vitare Charybdim. Tum quia unus Angelus non potest illabi menti alterius, ut in ipso notitiam actualem, vel speciem causet. Tum etiam, quia Angelus non potest operari in quacumque distantia, cùm habeat sphæram activitatis limitatam; & tamen potest alterum Angelum alloqui in quacumque distantia: nam ut ait S. Doctor *art.4. Loquutio Angeli in intellectuali operatione consistit: intellectualis autem operatio Angeli omninò abstracta est à loco & tempore: in eo autem quod est omninò abstractum à loco & tempore nihil operatur neque temporis diversitas, neque loci distantia. Vnde in loquutione Angeli nullum impedimentum facit distantia loci.* Tum deinde juxta hos modos dicendi non salvaretur ratio secreti, quia omnes Angeli cognoscunt quidquid est ordinis naturalis, & non est futurum contingens: species autem illa immissa est ordinis naturalis, non enim est actus liber: est etiam præsens, & non futura, ac proinde non occultatur aliis Angelis, sed continetur intra latitudinem cognoscibilitatis omnium Angelorum: quod etiam clariùs patet in illis, qui signa corporea admittunt in loquutione Angelica: de qua sententia sic loquitur Nazarius conclusione 4. *Falsa est eorum opinio qui dicunt, Angelorum loquutionem fieri per characteres, sive signa corporea. Sunt enim Angeli substantiæ spiritales, à substantia corporea minimè pendentes*; ac proinde nullâ existente corporeâ creaturâ, mutua possent invicem miscere colloquia.

Ad explicationem igitur hujus difficultatis dicendum, excitationem Angeli audientis fieri sufficienter per ipsum conceptum practicè ordinatum ad aliam. Nam, ut rectè docet Cajetanus, omnes sensitivæ vires nihil aliud sunt quàm diminutæ quædam participationes intellectivæ potentiæ, quæ cùm respiciat totam latitudinem entis, unitè & eminenter præhabet (præsertim in suo summo gradu, qui est angelicus) totam virium multitudinem, quæ in sensibus dispersa est; ac proinde iis omnibus signis æquivalet, quibus nos loquimur, & audimus. Hoc ergo ipso, quod Gabriel ordinat suum conceptum ad Raphaëlem, tunc excitatur mens Raphaëlis, ad quem conceptus ille incipit pertinere. Et quanvis Angelus non teneatur attendere ad omnia præsentia, bene tamen quando ad ipsum diriguntur: exigit namque naturalis angelicæ naturæ perfectio, ut ad se hîc & nunc pertinentia statim intelligat: unde ad illam attentionem statim divina providentia concurrit, & quidem connaturaliter; sicut enim Deus sibi legem quodammodo imposuit, ut introductâ ultimâ dispositione in embryone, statim animam ex nihilo creatam corpori infunderet; sic constituit ut Angelo conceptum suum ordinante, alter attenderet, ut in Republica angelica perfecta politia, suavis consensio, & ordinata societas eniteret. Non enim minor est supremi Numinis providentia circa spiritalem, quàm circa corpoream substantiam.

Illuminatio Angelorum exponitur.

Quantum verò ad illuminationem, quæ supra loquutionem addit manifestationem veritatis ignoræ, vel illustriorem notitiam rei notæ, variant etiam Authores in explicanda natura illius, & sententiarum discrepantiâ, dum illuminationem Angelorum explicare satagunt, tenebras hominibus offundunt.

Dicendum ergo cum D. Thoma, illuminationem consistere in artificioso magisterio, quo superior Angelus veritatem, quam in universali concipit, inferiori manifestat. Illuminare enim nihil est aliud, quàm veritatem sibi cognitam aliis manifestare; veritas enim est lumen rationis, quæ dum percipitur, intellectus illustratur, & objectum manifestatur; omne autem quod manifestatur, lumen est, ut dicitur *Ephes.5.* Atqui per hoc quod Angelus superior distinguit, dividit, & veluti partitur inferiori veritatem quam ipse in universali cognoscit, tunc verè ipsi veritatem manifestat: ergo in illa dearticulata, & enucleata veritatis expositione illuminatio consistit, quâ positâ Angelus inferior pro ea, quâ pollet perspicaciâ, statim apertam veritatem percipit.

Nec ad hoc indiget novi infusione luminis. Tum quia intellectus cujusvis Angeli est in supremo gradu immaterialitatis creatæ. Tum quia vel illud lumen esset naturale, vel supernaturale; non supernaturale, quia à solo Authore gratiæ Deo produci potest; naturale verò non sufficeret, quia illuminatio fit præcipuè de supernaturalibus. Vnde D. Thomas *q.106. art.1. ad 2.* ait: *Vnus Angelus non illuminat alium tradendo ei lumen naturæ, vel gratiæ, vel gloriæ.* Et

quanvis

quamvis Angelus possit esse instrumentum Dei ad producendum lumen supernaturale, hoc tamen nihil facit ad propositum, quia Angelus superior illuminat inferiorem ut causa principalis, & modus concurrendi instrumentalis ad effectus supernaturales, est communis corporibus; nam aqua Baptismatis concurrit instrumentaliter ad producendum lumen gratiæ in animam.

Dices: Angelus inferior est intrinsecè impotens ad attingendam veritatem illuminatione sibi notam; si enim esset potens, non indigeret illuminatione: ergo postulat sibi infundi aliquid physicum, quo intrinsecè roboretur; vel speciem aliquam, ut vult Suarez; vel saltem quod Angelus superior conjungat immediatè suum lumen intellectuale intellectui Angeli illuminati ad efformandam ejusdem objecti cognitionem, ut Bañes explicat.

Respondeo, sufficienter intellectum Angeli inferioris roborari per hoc quod veritas universalis proportionata & attemperato sibi modo proponitur, sicut Magister intellectum discipuli confortat, non per luminis infusionem, sed per claram veritatis expositionem, qua objectum proportionatur & accommodatur capacitati inferioris. Quod autem dicitur de impressione alicujus physici, vel luminis, vel speciei, paulò antè reprobatum est inter explicandum modum angelicæ loquutionis. Quod verò addit Bañes, non solùm inintelligibile, & incredibile est, sed etiam difficultati non satisfacit; nam concursus simultaneus Angeli inferioris non roborat intrinsecè intellectum inferiorem, nisi per illam assistentiam virtus aliqua interius superaccresceat.

Quare constanter tenendum est, illuminationem & conversionem Angeli superiorem non consistere in influxu physico per modum naturæ, sed in actione per modum artis cooperantis naturæ; sicut enim medicina adjuvat naturam ad acquirendam sanitatem, ita expositio veritatis à superiore prolata confortat inferiorem ad claram rei notitiam asciscendam; non quòd crescat virtus intellectualis Angeli nova propositione medii, sed quia tunc habet instrumentum sibi accommodatum, quo faciliùs veritatem assequatur. Sicut etiam miles instructus armis idoneis gloriosiùs dimicat non augmento virium naturalium, sed acquisitione medii magis ad pugnandum accommodati; sic intellectus immutatus diversas & excellentiores parit cognitiones, prout diversis utitur mediis altioribus, vel minùs altis, magisque suis viribus commensuratis; confortatur enim intellectus inferioris, dum sibi objectum limpidiùs, & efficaciùs repræsentatur.

REFLEXIO.

Angelica loquutio ad intelligendum difficilis, ad imitandum tamen facillima est, præsertim dum Deo loquuntur. *Angelus loquitur Deo* (inquit S. Doctor *quæst.* 107. *art.* 3.) *vel consulendo divinam voluntatem de agendis, vel ejus excellentiam, quam nunquam comprehendit, admirando. Unde ait Gregor.* 2. *Moral. Angeli loquuntur Deo, cùm per hoc quod se post respiciunt, in motum admirationis surgunt.* Quàm facilis loquela, quæ in alto silentio exercetur! quàm suavis, quæ nullo strepitu turbatur; qui desiderat, Deum ipsum alloquitur, & qui vehementer desiderat, ad Deum clamat. Nam ut ait præfatus Gregor. *Magnus clamor magnum est desiderium; tantò enim quisque minus clamat, quantò minùs desiderat; & tantò majorem vocem in aurem incircumscripti spiritus exprimit, quantò se in ejus desiderium pleniùs fundit.* Nemo ergo se excuset quasi Deum alloqui nesciat, sed seipsum accuset, quòd desiderare nolit. Quare in omnibus agendis Deum alloquamur, idest, divinam sapientiam consulamus. Hæc vitæ spiritalis maximatum maxima est, nihil nisi prævia oratione operari: postquam verò agenda confecimus, paululùm in laude & admiratione summæ excellentiæ commoremur, & sic duplex angelicæ ad Deum loquelæ munus exprimemus. Hæc vox aurea Dei demulcebit, & cor flectet. *Excitatus cum reverentia motus cordis* (ait idem Gregor.) *magnus est ad aures incircumscripti spiritus clamor vocis.* Felix Rhetorica charitatis, quæ ad Deum clamat, & Deum vincit. *Flagrantia charitatis* (ait August. in Psal. 37.) *clamor cordis est. Si semper manet charitas, semper clamas; si semper clamas, semper desideras.* Alloqui Deum nemo nos impedit; à tantæ majestatis convictu nemo repellet. Thronum ejus non cingit satellitum, vel stipatorum catena; commendatitiis schedulis opus non est, ut Summi Regis cubiculum ingrediatur; pauperibus peræquè ac divitibus sinum suum offert, omnes invitat, omnibus sui copiam præbet, omnes expectat; quòd tam pauci veniant, conqueritur; ingat ut accedant, qui rogari debebat ut sineret; obsecrat: Venite ad me omnes, qui laboratis: & dum non veniunt, ipse accedit, ipse prior accurrit, ipse prævenit in benedictionibus dulcedinis stupenda dignatione. *Propterea dignum est* (infert optimè Bernard. serm. 1. Advent.) *ut si non valet infirmitas in occursum tanti medici procedere longius, saltem conetur erigere caput, & aliquatenus assurgere venienti. Non te oportet, ô homo, maria transfretare, non penetrare nubes, non transalpinare necesse est; non grandis, inquam, tibi ostenditur via, usque ad temetipsum occurre Deo tuo, propè est enim verbum in ore tuo, & in corde tuo.* Si ad Deum loquutione accedamus, verè illuminabimur non solùm ab Angelis, sed à Deo; nam scriptum est: *Accedite ad me, & illuminamini.*

SPECULATIO III.

Angelus in modo cognoscendi tribus insignitur prærogativis: nam primò semper est actu intelligens multa: secundò est comprehensivus omnium entium naturalium, etiam superiorum Angelorum: tertiò est incapax discursus, vel compositionis, aut divisionis.

Prima pars, seu primum privilegium angelici modi intelligendi variis rationibus probatur à D.Thoma *lib.* 2. *contra Gent. cap.* 97. hæc tamen sufficiet. Omnis substantia vivens habet semper actu aliquam operationem ex natura sua, sicut animalia semper nutriuntur, licèt non semper sentiant: sed substantiæ separatæ sunt viventes sola vita intellectuali: ergo ex natura sua sunt semper intelligentes actu; unde rationabiliter dicendum, quod semper actu intelligunt suam substantiam, nulli enim objecto connaturaliùs unitur eorum intellectus. Et quia essentiam suam comprehendunt, vident dependentiam quam habet à Deo, quem proinde semper cognoscunt, præsertim quia in hac notitia felicitas eorum naturalis posita est; cognoscunt etiam semper actu ea quæ pertinent ad suum statum & officium, ut Angeli custodes attendunt semper suis clientibus, Provinciis, & Regnis sibi commissis.

Quæres primò, utrum illa objecta, vel saltem aliquod eorum, necessariò intelligant Angeli, ita ut non possint ab eorum actuali consideratione divertere.

Respondeo probabiliter, cognitionem sui esse necessariam necessitate exercitii; quia sicut in viventibus omnis

omnis motus reducitur ad aliquem primum à natura determinatum, ut in animalibus omnis motus reducitur ad motum cordis; sic similiter in Angelis datur una & determinata cognitio omnino aliarum radix, quæ maximè debet esse cognitio suæ substantiæ, qua sine specie semper informatur in esse intelligibili, ad quam primùm tam necessariò fertur, quàm oculus ad objectum illuminatum, cujus species pupillam oculi semper afficit. Ad alia verò objecta, quæ per species intelligit Angelus, liberè se applicat; licet enim intellectus non sit facultas formaliter libera, tamen in suis operationibus voluntati subditur, quæ cæteras potentias ad exercitium liberè movet. Sicut ergo habitibus utimur prout volumus, ita & Angelus speciebus suis: unde modò potest esse in actu illarum, modò illarum, prout voluerit.

Quæres secundò, utrùm Angelus plura per modum plurium intelligere possit?

Respondeo hanc difficultatem tractari in libris de anima, unde eam sub brevitate transcurremus ad intellectum doctrinæ D. Thomæ Dicendum ergo, Angelum non posse plura ut plura intelligere, quia vel illa intelligeret per unum, vel per diversos conceptus. Non quidem per unicum, quia sicut motus specificatur à termino, ita operatio ab objecto: unde sicut ad unitatem motus requiritur unitas termini, ita ad unitatem operationis unitas objecti: plura autem ut plura sunt, non habent rationem unius objecti, aliàs per modum unius cognoscerentur: ergo non attinguntur per unicum conceptum.

Non potest etiam dici, Angelum plura ut plura intelligere per diversos actus, quia illi diversi actus vel essent subordinati, vel omninò disparati. Non disparati, repugnat enim eandem potentiam terminari pluribus actualitatibus ultimis, putà lineam pluribus punctis terminari, quantitatem pluribus figuris, essentiam pluribus existentiis, naturam pluribus subsistentiis: plures autem cognitiones disparatæ habent rationem ultimæ actualitatis in ordine intellectuali, ut patet. Si autem dicatur, illos actus esse subordinatos, tunc possunt quidem esse simul, sed non attingunt plura ut plura, sed adunantur in attingentia unius objecti formalis, & materialiter solùm distincti, proindéque non versantur circa plura per modum unius.

Dices: Sensus communis attingit objecta quinque sensuum; sensus externus, putà visus, respicit colores distinctos, auditus percipit sonos disparatos, & nullo inter se ordine connexos: ergo à fortiori id poterit intellectus sensibus omnibus longè capacior; & multò magis intellectus Angeli, qui se & alia per species innatas attingit, quanvis nulla sit connexio sui ad res quas considerat. Quod clariùs apparet in Angelo beato, in quo est & cognitio naturalis sui, & cognitio intuitiva Dei, quæ sanè sunt valdè disparatæ.

Respondeo, potentias sensitivas non attingere plura nisi per modum unius, quatenus uniuntur in aliquo. Sic sensus communis attingit objecta quinque sensuum sub una ratione universaliori. Sic eadem visione plura objecta aspiciuntur, eadem auditione plures percipiuntur soni, quatenus in una specie totali adunantur. In hoc tamen excedit intellectus sensum, non quòd possit plura ut plura intelligere, sed quia longè plura per modum unius potest in unica specie introspicere, vel in pluribus speciebus subordinatis; & id potiori jure de Angelo est admittendum. Quare cùm se intelligit, & alia, non intelligit plura ut plura, quia species aliorum objectorum subordinantur suæ essentiæ, cùm omnia cognoscat ad modum propriæ substantiæ. Similiter cùm intelligit se & Deum, quia substantia propria essentiæ divinæ subordinatur tanquam primo exemplari, à quo species Angelicæ derivantur.

SECUNDA PARS.

Secunda prærogativa intellectus angelici est magis controversa etiam inter ipsos Thomistas; nam aliqui fatentur quidem Angelum cognoscere quidditativè superiorem; sed minimè comprehensivè. Nostra tamen assertio est omninò conformis doctrinæ S. Thomæ luculenter & directè affirmantis lib. 2. contra Gent. cap. 98. & 99. *Substantia intellectualis est comprehensiva totius entis. Et intellectus Angeli comprehendit ens intelligibile universale, omnesque differentias & species entis.* Ubi loquitur de ente creato & directe eorum ejus; subdit enim ibidem: *Quia intellectus substantiæ separata est in actu habens omnes similitudines ad quas est in potentia, habet autem virtutem comprehendendi omnes species & differentias entis, necesse est quod substantia separata qualibet cognoscat omnes res naturales, & totum ordinem earum.*

Nihil illis testimoniis planius, nihil evidentius. Neque verò S. Thomas hanc doctrinam ex suo ingenio peperit, sed ex Patribus deprompsit. Præsertim verò ex Magistro suo Augustino *lib. 4. super Genes. ad lit. cap. 32.* dicente: *Potentia spiritualis mentis angelica cuncta quæ voluerit* (supple naturalia, ut patet ex contextu) *simul notitia facillimè comprehendit.* Nec valet glossa adversariorum aientium D. Thomam loqui de comprehensione imperfecta, ut sensus sit, quod substantia separata est apprehensiva & complexiva totius entis. Non valet, inquam, quia si sic loqui voluisset Præceptor Angelicus, non defuissent tam accurato Doctori idoneæ voces, quibus sententiam suam suis limitibus astringeret. Præsertim quia ubi opus est, semper sollicitus est distinguere S. Doctor cognitionem quidditativam à comprehensiva, ut patet 1. *part. quæst.* 12. ubi per distinctos articulos examinat, an visio beata sit intuitiva, an comprehensiva.

Adde quod infra *quæst.* 109. *art.* 3. *ad* 2. ait: *Secundum ea quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non est necessaria manifestatio veritatis, neque in Angelis, neque in dæmonibus, quia statim à principio suæ conditionis omnia cognoverunt quæ ad naturalem cognitionem pertinent; & ideò major plenitudo naturalis luminis non potest esse ratio illuminationis.* Patet autem quod si Angeli inferiores non comprehenderent superiores, possent illi ab istis illuminari circa cognitionem superiorum, quos non comprehendunt. Ex quibus etiam manifestè excluditur responsio Ioannis à S. Thoma, volentis Angelum inferiorem non comprehendere superiorem viribus propriis tantùm, sed opitulante illuminatione superioris. Excluditur, inquam, evidenter; nam S. Doctor formaliter ait: *Secundum ea quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non est necessaria manifestatio veritatis.*

Probatur ratione: Illa cognitio est comprehensiva alicujus objecti, quæ ipsum cognoscit quantum cognoscibile est, ita ut nihil sit in tali objecto, vel formaliter, vel eminenter contentum, quod non attingatur per talem cognitionem; tunc enim est perfectissima adæquatio inter cognitionem & rem cognitam. Et hac de causa Beati Deum videntes, ipsum non comprehendunt, quia licèt eum clarè intueantur, tamen non vident omnia quæ in Deo sunt, tam formaliter, quàm eminenter; si enim omnia quæ in Deo eminenter continentur, scilicet omnes creaturas possibiles penetrarent, ad fundum Dei pervenirent, & eum comprehenderent, ut *lib.* 1. cum D. Thoma *q.* 12. *art.* 8. demonstravimus. Atqui Angeli inferiores attingunt superiores quantum cognoscibiles sunt, ita ut nihil sit in ipsis vel formaliter, vel eminenter contentum,

tentum, quod non penetrent. Ergo inferiores comprehensivè cognoscunt superiores.

Probatur minor ratione D. Thomæ locis citatis. Quælibet facultas potest comprehendere suum objectum proportionatum; hoc enim ipso quod est proportionatum, continetur intra sphæram activitatis ejus, modò potentia sit integra, & non infirma. Atqui quidquid est in Angelo superiori, sive formaliter, sive eminenter, est objectum proportionatum virtuti intellectus cujuslibet Angeli: tum quia quidquid pertinet ad ordinem naturalem, est objectum proportionatum intellectus angelici, ut dixit D. Thomas suprà. Tum quia Angeli inferiores habent connaturaliter species repræsentativas superiorum, quas utique comprehendunt, cùm non sint incomprehensibiliores suâ substantiâ, quam sanè comprehendunt. Sed impossibile est quod Angeli inferiores comprehendant species connaturales superiorum, nisi comprehendant ipsosmet Angelos superiores, cùm species intelligibilis sit ipsummet objectum in ordine intentionali, illiusque immaterialitatem in ordine illo adæquet: ergo quidquid est in Angelo superiori, tam formaliter, quàm eminenter, est objectum proportionatum virtuti intellectivæ Angeli inferioris.

Confirmatur penetrantiùs: Angelus inferior cognoscit quidditativè superiorem, ut ultrò fatentur adversarii, nimirum beneficio speciei connaturalis quidditativè repræsentantis superiorem: atqui non potest Angelus inferior habere speciem quidditativè repræsentantem superiorem, nisi ipsum superiorem comprehendat: ergo superiorem inferior comprehendit. Probatur minor. Species quidditativè repræsentans Angelum superiorem, exhaurit totam intelligibilitatem Angeli superioris, cùm sit ipsemet Angelus superior in esse intelligibili, etiam secundùm illum gradum quem habet supra inferiorem, alias non repræsentaretur ut superior. Unde in via D. Thomæ, si daretur species quidditativè Deum repræsentans, illa totam intelligibilitatem, actualitatem, & puritatem Dei exprimere deberet: unde qui comprehenderet talem speciem, comprehenderet etiam Deum, quia illa species foret Deus in esse intelligibili. Ergo si Angelus inferior habeat speciem connaturaliter repræsentantem Angelum superiorem, eamque comprehendat, ut nemo negare potest, manifestum est, quod ipsam substantiam Angeli superioris comprehendit.

Radix autem, quare omnes Angeli possint se invicem comprehendere, tametsi inæqualis perfectionis & gradus sint, profundè intelligetur, si consideres quod ut aliquis intellectus possit quidditativè, imò & comprehensivè attingere aliquod objectum, sufficit quod cognoscens & cognitum sint in eodem gradu intelligibilitatis, & immaterialitatis, quod utique convenit Angelis, qui omnes æquè sunt in gradu naturæ intellectualis completæ, & omninò à materia independentis. Hac de causa visio beata licèt secundùm communiorem sententiam sit entitativè imperfectior gratiâ, hanc tamen comprehendit, quia eodem gradu supernaturalitatis gaudet. Hac etiam de causâ, juxta plures Thomistas, scientia infusa animæ Christi comprehendit lumen gloriæ, & visionem beatam omnium Angelorum & hominum, quamvis scientia illa sit entitativè imperfectior visione. Et rationem hujus valdè nervosam assignant illi Theologi; quia non est necesse quod principium proximum cognitionis adæquetur entitativè perfectioni objecti, modò principium radicale vis cognoscitivæ adæquet principium etiam radicale intelligibilitatis objecti, quia ex principio radicali & proximo fit causa adæquata intellectionis, non quòd ambo concurrant ut causæ partiales, sed quia ambo sunt partes ejusdem causæ; unde licèt objectum excedat unam partem potentiæ, scilicet principium proximum; non tamen excedit alteram, scilicet principium radicale intellectionis, quod in Christo est unio hypostatica, in visione beata est supernaturalitas, in Angelis est immaterialitas, seu recessus & elongatio ab omni materia, quæ non est major in uno quàm in alio, siquidem in omnibus est omnimoda.

Illustrari idipsum potest exemplo & doctrina apud ipsos adversarios familiari, & ab omnibus Thomistis receptissima. Docent enim quod quilibet Angelus potest se movere majori & majori velocitate, in minori & minori tempore in infinitum; quia licèt Angelus habeat potentiam finitam, tamen hoc ipso quod est superioris ordinis ad corpora, & est ab omnibus impedimentis expeditus, fit inde, quemlibet Angelum posse quodcumque spatium sine medio pertransire, nec in hoc superiorem excedere inferiorem, ut benè tradit P. Gonet. *disput. 5. artic. 4. §. 2.* & rationem optimam dat Joannes à S. Thoma *disp. 20. art. 4. num. 22.* quia in motu discreto nulla datur sphæra in Angelis, sed ad quodcumque passum, sive intra, sive extra sphæram suam potest se applicare prout vult, quia hoc non fundatur in majori virtute motiva & activitate, sed in omnimoda independentia à commensuratione loci; quod omnibus Angelis commune est.

Recordari debent hujus suæ doctrinæ adversarii, & ex ea inferre, quod licèt superior Angelus habeat virtutem & operationes specie & gradu perfectiores; tamen non potest moveri velociùs quàm inferior, quia facultas se movendi provenit ex remotione à materia omnibus communi; ita quia vis cognoscitiva originatur in immaterialitate, ut tam constanter inculcat D. Thomas, ideò in comprehensiva cognitione rerum naturalium unus Angelus non excedit alium, cùm omnibus æqualiter conveniat immaterialitas, & remotio ab omni materia, quæ nata est coarctare vim cognoscitivam. Cum quo stat superiorem Angelum habere perfectiorem modum cognoscendi, non ex parte rei cognitæ, sed ex parte cognoscentis, quatenus lumine altiori, & speciebus universalioribus adornatur.

Objicies: D. Thomas 2. *contra Gent. cap. 98.* laudat hanc propositionem: *Intelligentia inferior cognoscit superiorem, non secundùm modum substantiæ cognitæ, sed inferiori modo.* Si autem Angelus inferior superiorem comprehenderet, non intelligeret ipsum inferiori modo. Et infrà *quæst. 106. art. 1. ad 2.* asserit quod Angelus superior manifestat veritatem inferiori de his quæ pertinent ad statum naturæ, gratiæ, & gloriæ. Certè si manifestat aliquid de his quæ pertinent ad statum naturæ, procul dubio inferior non omnia naturalia comprehendit, scilicet superiora se.

Respondeo ad primam authoritatem, certum esse Angelum inferiorem cognoscere superiorem inferiori modo, non ex parte rei cognitæ, sed ex parte cognoscentis, quia Angelus superior seipsum cognoscit per suam substantiam, & splendidiori lumine; inferior verò illum attingit per speciem, & lumine non ita eminente. Sed hoc nihil obest, nec impedit comprehensionem. Nam etiam superior Angelus attingit infima, v. g. corpora, nobiliori modo ex parte cognoscentis, scilicet specie universaliori, & lumine altiori; & utrque totum objectum comprehendit. Hanc solutionem tradit ipse D. Thomas 1. *p. q. 107. art. 4. ad 1.* ubi ait Angelos superiores habere scientiam magis in universali, quàm inferiores, etsi isti omnia cognoscant quæ illi attingunt, quia *superiorum Angelorum scientia dicitur universalior, quantum ad eminentiorem modum intelligendi.*

Ad secundum locum dico, Angelum superiorem illuminare

illuminare inferiorem de his quæ pertinent ad statum naturæ, scilicet futuris contingentibus, secretis cordium, quæ quandoque superior audit à Deo, & manifestat inferiori; sed non de aliis, cùm loco in probatione nostra relato disertè dicat S. Præceptor, quod secundùm ea quæ ad naturalem cognitionem pertinent, non est ulla in Angelis illuminatio. Addi potest ex ipsomet præcipuo nostro adversario (quem tamen honoris gratiâ nominatum velim, Magistrum Ioannem à S. Thoma intelligo, scholæ nostræ decus & ornamentum) quod licèt comprehensio sit adæquatio cognitionis cum intelligibilitate objecti, adhuc tamen admittit latitudinem, & ex parte cognoscentis, dum unus acutiori lumine attingit; & ex parte rei cognitæ, non quidem quantum ad rationes intrinsecas, quæ debent omnes cognosci à comprehendente, sed quoad rationes extrinsecas, quæ rei convenire possunt per ordinem ad diversas causas, ut diximus inter explicandum modum universalitatis specierum angelicarum. Quælibet enim res capacitatem habet ut in se fiant diversa à causis extrinsecis, cum quibus non habet naturalem connexionem, v. g. lignum capax est, ut ex se in se multa fiant artificiosa. Ex his ergo rationibus potest intellectus aliquis magis vel minùs comprehendere, quò fuerit sublimior. Vnde licèt omnes Angeli attingant omnia naturalia intrinseca, quod sufficit ad comprehensionem, non tamen ea quæ per respectum ad causas extrinsecas eis competere possunt; sed hoc pertinet ad majorem perfectionem & cumulum comprehensionis. Et de his rationibus fieri illuminationem nihil vetat.

Dices: Ex D.Thoma suprà *quæst.* 12. *art.* 4. *Cognitio contingit secundùm quod cognitum est in cognoscente: cognitum autem est in cognoscente secundùm modum cognoscentis; unde cujuslibet cognoscentis cognitio est secundùm modum suæ naturæ: si igitur modus essendi naturæ cognitæ excedat modum naturæ cognoscentis, oportet quod cognitio illius sit supra naturam cognoscentis.* Ex qua doctrina sic formatur ratio. Angelus superior est in cognoscente inferiori ad modum cognoscentis: sed impossibile est Angelum superiorem comprehendi, si cognoscatur ad modum Angeli inferioris: ergo Angelus inferior non potest naturaliter comprehendere superiorem.

Confirmatur: Vt Angelus inferior comprehenderet superiorem, deberet vis intellectiva inferioris adæquare intelligibilitatem superioris: sed hoc est falsum: ergo & illud. Probatur minor: Vis intellectiva, sicut & intelligibilitas, fundantur in perfectione entitativa, ut docet D. Thomas ibidem, & nos ex ipso probavimus *lib.* 1. ex gradatione omnium entium; sed perfectio entitativa est longè major in superiore Angelo, cùm specie & gradu differat: ergo vis intellectiva Angeli inferioris non adæquat intelligibilitatem Angeli superioris.

Respondeo manifestum esse, illam doctrinam S.Thomæ debere etiam explicari ab adversariis, aliter probaretur illo discursu Angelum inferiorem nedum comprehensivè, sed nec etiam quidditativè posse cognoscere superiorem, sicut etiam illo discursu probat S. Thom. Deum non posse quidditativè videri ab ullo intellectu creato viribus propriis, quia vis cognoscitiva correspondet perfectioni entitativæ: ergo Angelus inferior in perfectione non poterit quidditativè superiorem cognoscere.

Vides evidenter argumentum esse solvendum adversariis, qui nobiscum tenentur sic interpretari doctrinam illam D. Thomæ, ut sensus sit, quod ut aliquis intellectus possit aliquod objectum intuitivè, & comprehensivè cognoscere, requiritur & sufficit quod ambo sint in eodem gradu immaterialitatis: creatura autem, & Deus non sunt in eodem gradu immaterialitatis, ut patet, cùm solus Deus sit actus purus: Angeli tamen sunt inter se in eodem gradu immaterialitatis, cùm omnes sint omninò independentes à materia, omnes obnoxii eidem compositioni essentiæ & existentiæ, naturæ & suppositi, subjecti & accidentium, generis & differentiæ: unde in puritate, quæ est radix cognitionis, omnes sunt pares.

Ex quibus facilè in forma distingues majorem argumenti: Angelus superior cognoscitur ab inferiori ad modum cognoscentis, idest, ad modum perfectionis specificè cognoscentis, nego; ad modum immaterialitatis cognoscentis, concedo. Ex quibus etiam facilè occurres confirmationi negando vim intellectivam correspondere soli perfectioni entitativæ; nam præcipuè correspondet immaterialitati quantum ad vim comprehendendi, ut multis exemplis suprà declaravimus.

Instabis: si Angelus inferior comprehenderet superiorem, comprehenderet etiam species intelligibiles illius; species enim Angeli non sunt perfectiores substantia ejus, nec proinde incomprehensibiliores. Consequens est contra D. Thomam *quæst.* 16. *de malo, art.* 8. dicentem: *Species intelligibiles superioris intellectus sunt universaliores, & ideo non possunt comprehendi per species intelligibiles inferioris intellectus: ergo.*

Respondeo fatendo Angelum inferiorem comprehendere species Angeli superioris, non quidem per species æquè universales, sed magis particulares. Ad probationem in contrarium dicendum, S. Doctorem velle solùm species superioris Angeli non posse comprehendi à speciebus inferioris divisivè sumptis, quia species Angeli superioris & inferioris sunt inæqualis universalitatis. Cæterùm S. Thomas non negat species Angeli superioris non comprehendi ab Angelo inferiori per species collectivè sumptas: v. g. Angelus inferior per tres species comprehendit speciem Angeli superioris. Et ratio est evidens; nam cùm Angeli inferiores comprehendant objecta specierum Angelorum superiorum, necesse est ut species, quæ sunt ipsum objectum in esse intelligibili, comprehendant, non imitando earum universalitatem, sed pluribus speciebus exprimendo, quod superiores paucioribus attingunt. Sicut ipsimet adversarii volunt, quod beneficio illuminationis inferiores Angeli comprehendant superiores & species eorum; & tamen illuminatio non infundit novas species, sed solùm dividit & enucleat quod in specie universali superioris cótinetur.

Insistes: Si hæc ita sint, sequitur Angelum inferiorem æquè perfectè cognoscere Deum ac superiorem, proindéque istum non esse beatiorem beatitudine naturali; nam uterque habet æquè perfectam cognitionem effectuum naturalium, per quos Deus cognoscitur, cùm utriusque cognitio sit comprehensiva, quâ non datur perfectior.

Respondeo id minimè sequi, quia licèt omnium Angelorum cognitio sit comprehensiva rerum naturalium, in superiore tamen cognitio est eminentior, & utens universaliori specie, subindéque magis confert ad beatitudinem naturalem. Quod verò dicit quidam, ad comprehensionem exigi Angelum inferiorem habere modum illum universalitatis in cognoscendo, quem habet Angelus superior in sui cognitione, est apertè falsum; nam Angelus infimus comprehendit omnia corporalia, & tamen ea non intelligit tam universali specie, nec tam perfecto lumine ac superior: ergo ad comprehensionem Angeli superioris non requiritur inferiorem æquali modo & lumine intelligere superiorem ac ipse se intelligit; sed sat est, ut quidquid est in ipso, tam formaliter, quàm eminenter, per speciem quidditativam connaturalem attingat.

Tertium

Tertium privilegium intellectus Angelici.

Tertia pars, quæ negat discursum in Angelis, perspicuè sequitur ex præcedenti. Si enim intellectus angelicus est comprehensivus omnium entium naturalium, hoc ipso quod omnia attingit per species perfectas à divinis ideis exemplatas, & res uti sunt & à Deo derivantur repræsentantes; planè consequitur Angelum non indigere discursu ad veritates dignoscendas; comprehensio namque omnia penetrat, quæ sunt in objecto, nihil ignotum relinquit, nec indiget procedere de una manifestatione ad aliam, cùm nihil ipsam lateat. Discursus verò, quia totum objectum non pervadit, ex uno noto infert aliud ignotum paulatim, & pedetentim, donec veritas elucescat. Ergo intellectus angelicus non est discursivus.

Probatur uberiùs. Ad discursum tres requiruntur conditiones. Primò intellectus ex cognitione unius debet procedere in cognitionem alterius, ita ut priùs circa unum quàm circa aliud illuminetur; si enim uno inspecto simul intueatur & aliud, non est discursus; nam Deus sine discursu omnia videt in essentia sua, ut in causa & medio cognito, non quòd priùs videat essentiam suam, quàm res; sed quia essentia sua est ratio videndi creaturas. Secundò oportet, quod cognitio unius sit causa realis cognitionis alterius, si non causa strictè, saltem lato modo; idest ex cognitione unius debet pari cognitio alterius. Tertiò requiruntur plures cognitiones; unica enim cognitio plura intelligens in uno principio, non est discursiva, sed intuitiva.

Atqui totus hic processus non potest esse in Angelis, qui cùm habeant substantiam omninò independentem à materia, plenitudine sapientiæ, & luminis intellectualis præditi sint, & speciebus universalibus illis omnia repræsentantibus instructi, cuncta uno intuitu penetrant, quæ mens humana, seu rationalis rationis inquisitione attingit. Quod magis penetrabis, si consideres duplicem esse modum cognoscendi, per intuitum scilicet, & per discursum. Primus relucet & in apprehensione primorum principiorum, & in fine discursus & meditationis, cùm rem examinatam, & rationum ponderibus trutinatam quietè contemplamur, & in parta veritate suaviter delectamur. Secundus modus apparet in inquisitione veritatis, quam per varios syllogismorum circuitus indagamus. Constat autem primum modum cognoscendi esse eo perfectiorem secundo, quò melius est frui veritate, quàm in ea quæritanda fatigari. Igitur primus modus est Angelis concedendus, non secundus; quia juxta receptam D. Dionysii regulam. Supremum infimi attingit infimum supremi. Cùm ergo supremus modus cognoscendi hominis sit ille, quem habet sine discursu, ille debet esse modus cognoscendi angelicus. Et certè si inveniantur homines tam sublimis conceptionis, idcóque præeminentis ingenii, ut in uno principio intelligant, seu intus legant plures conclusiones, id tantò magis est Angelis concedendum, quantò cœlestes spiritus sunt supra humanos incomparabiliter elevati. Nam, ut dixit S. Thom. lib. 1. contra Gent. cap. 3. *Intellectus Angeli excedit intellectum humanum, sicut intellectus optimi Philosophi intellectum rudissimi idiotæ; quia hac distantia intra humanæ speciei limites continetur, quos angelicus intellectus excedit.*

Ergo intellectus angelicus non est discursivus sicut humanus, & inter utrumque eà est proportionaliter differentia, quæ inter corpora superiora & inferiora reperitur, quæ in hoc discrepant, quòd sublunaria per generationem & corruptionem, variorumque motuum apparatum, & incrementorum ac decrementorum successionem suam perfectionẽ acquirunt, & conservant; cœlestia verò integritatis suæ complementum omne ab initio conditionis suæ invariabiliter possident. Ita similiter inferiores spiritus, scilicet humani, per quendam motum & progressum spiritalem veritatem adipiscuntur, ad quam cœlestes mentes statim perveniunt. Unde eadem est differentia inter lumen intellectus nostri & angelici, quæ est inter lucem ortum ex collisione & attritu corporum, putà lapidum; & lucem effusam ex directa emissione radiorum Solis. Nam homines ordinariè veritatem non nisi post discussam & vexatam quæstionem attingunt, quam Angeli statim penetrant.

Dices: Esto his rationibus suadeatur Angelos non discurrere circa naturalia, quæ sunt necessariò connexa cum suis principiis, duo tamen sunt in quibus discursus videtur illis necessarius. Primò quando considerant aliquid quod est connexum solùm contingenter cum alio; tunc enim non certè, sed conjecturaliter possunt illud inferre, præcipuè dum conantur conjicere futura libera, vel cordium cogitata ex circumstantiis præsentibus, quas certò quidem & clarè intuentur, sed cum quibus futura, vel cordis arcana solùm conjecturaliter annexa sunt. Secundò idem discursus necessarius est ad intelligenda supernaturalia objecta, circa quæ naturali conjectura occupantur: v.g. dum ex patratis à Christo miraculis ejus divinitatem suspicabantur; tunc enim duplex concurrebat cognitio, quarum ab una altera causabatur, nimirum opinio & suspicio Deitatis causabatur à clara intuitione miraculorum; quod ad discursum satis superque est.

Respondeo, Angelos neque circa naturalia, neque circa supernaturalia discurrere, quia si modus connaturalis Angelorum sit sine discursu, lumen supernaturale non debet destruere, vel deprimere, sed perficere & attollere modum connaturalem. Gratia enim naturæ attemperatur, & perfectionem ejus nobilitat, non deponit; aliàs per gratiam homo fieret deterioris conditionis, quàm sit per naturam. Quando verò Angelus circa supernaturalia, vel contingentia futura, vel cordis secreta lumine naturali divagatur, tunc conjicit quidem, sed non discurrit; quia eodem aspectu & actu quo videt effectum videt etiam connexionem, sive necessariam, sive probabilem, quam habet cum aliis, unico & simplici intuitu omnem connexionem penetrante. Similiter dum videt miraculum, in eo videt conjecturaliter causam totâ naturâ superiorem ex sola penetratione effectus adeò insoliti, quia scit Deum posse facere in creatura plusquàm ullus intellectus creatus possit intelligere; & hoc eadem cognitione videt, quæ proinde est simul intuitiva & abstractiva; clara, & obscura, imò vera & falsa respectu diversorum; intuitiva, clara & vera respectu rei quam intuetur; abstractiva, obscura, & falsa respectu rei, quam conjicit. Sicut eodem actu videndi propter diversam applicationem luminis rem propinquam videmus clarè & distinctè, distantem verò obscurè & confusè. Et licèt in Angelis non possit esse falsitas circa naturalia, benè tamen per accidens circa supernaturalia, futura, & cordis secreta; si nimirum temerariè & imprudenter præcipitent suum judicium, ut perversi dæmones solent. In bonis verò Angelis non est præceps judicium, sed admiratio, ob quam petunt illustrationem vel à superioribus, vel à Deo, ut cùm *Psal.* 23. dicunt: *Quis est iste Rex gloriæ?* Et Isaiæ 53. *Quis est iste qui ascendit de Edon?*

Instabis: Non est necesse quod Angelus habeat omnem perfectionem suam in actu secundo, aliàs semper actu omnia intelligeret, quæ potest intelligere, quod omninò falsum est, cùm possit Angelus non uti omnibus suis speciebus, imò eadẽ specie potest uti inad-

æquatè, non contemplando omnia quæ in ipsa relucent: ergo potest Angelus procedere de uno noto ad aliud, quod est discurrere. Sicut scientia Christi, licèt esset omnium naturalium comprehensiva, poterat tamen esse discursiva, secundùm D. Thomam 3. part. quæst. 11. art. 3. quia poterat uti inadæquatè speciebus infusis, & ex uno objecto partiali contento in specie, procedere ad aliud partiale in eadem specie inclusum.

Respondeo, non esse contra perfectionem substantiæ creatæ, qualis est Angelus, habere plures operationes; magna tamen esset imperfectio, & debilitas in lumine intellectus angelici, si procederet de potentia ad actum, de imperfecto ad perfectum, de ignoto ad notum. Quare cùm utitur inadæquatè sua specie, hoc non facit quasi unum cognoscat, & aliud postea inferat ex vi connexionis unius cum alio; sed quia pro sua voluntate applicat speciem modò uni objecto, modò alteri; sed utrumque immediatè, non illativè præstat: sicut sol illuminans modò unam partem, modò aliam, semper tamen eodem modo effundit lumen suum. Nec est simile quod dicitur de scientia infusa Christi, quia ejus species, licèt inditæ, accommodabantur modo intelligendi intellectus Christi rationalis, & discursivi.

Urgebis: Eo modo Angeli habent suam perfectionem intelligibilem, quo corpora cœlestia entitativam, ut ex D. Thoma vidimus: atqui corpora cœlestia, licèt non acquirant suam perfectionem per motum augmentationis vel alterationis, eam tamen per motum localem consequuntur: ergo similiter licèt Angeli habeant totam perfectionem substantialem ab initio, tamen per motum intellectualem, qui est discursus, poterunt accidentaliter perfici.

Respondeo, similitudinem illam stare in hoc, quod sicut cœli carent motu quo perficiatur, aut augeatur ipsorum integritas, quia hoc magnam redoleret imperfectionem; habent tamen motum quo communicant aliis suam perfectionem, influendo in hæc inferiora, qui motus non est signum imperfectionis, sed argumentum plenitudinis & abundantiæ: ita Angeli habent totam suam intelligibilem perfectionem per species universales, in quibus comprehensivè veritatem attingunt; habent tamen pluralitatem diversorum actuum, quibus veluti effundunt suam scientiam; quod perfectionem arguit, sed creatam & limitatam, utporè pluribus actibus indigentem.

Ex his liquidò consequitur, Angelum non intelligere per compositionem & divisionem, quia cùm apprehendit quidditatem subjecti, subitò cognoscit quidquid potest illi tribui, & ab eo removeri. Et licèt in speciali non removeat omnia prædicata, v. g. ab homine esse equum, leonem, &c. in his enim considerandis otiosè non occupatur; hoc tamen non provenit ex eo quod ignoret quid removendum sit, vel quod indigeat indagatione ad videndum quæ conveniant, quæ non conveniant; sed quia oon omnibus applicatur. In qoo intellectum humanum longè superat, qui antequam ad veritatem perveniat, multa inqoirit, confert, affirmat, negat; non secus ac sculptor, qui multa à ligno aufert antequam in eo statuam quam quærit, inveniat. Potest tamen, & debet in Angelis admitti compositio, & divisio, sicut discursus virtualis, quatenus eminens eorum cognitio pluribus nostris æquipollet, & priùs naturâ terminatur ad causam, quàm ad effectum; ad principium, quàm ad conclusionem; & sic simplex eorum apprehensio est æqoivalenter judicium, & discursus; scientia, & intelligentia, quia quæ in inferioribus dispersa sunt, in superioribus unita resplendent.

Reflexio.

Ex multis, quæ in hac arida speculatione consideravimus, illud elici documentum facilè potest, nimirum eminentiam modi intelligendi Angelorum si assequi non valemus, illud tamen imitari possumus & tenemur, quod actu semper de se, semper de Deo cogitant. Si Angelorum perpetuam, & in externis functionibus nunquam interruptam Dei considerationem æmulari fragilitas humana non patitur, saltem inter negotia interdum siste, Lector, & quære otia. Attende tibi, & doctrinæ; ne rumpas opera, sed interrumpe; excute gravem negotiorum servitutem, animi libertate potire, si non semper, tamen sæpè; saltem quandoque redde teipsum tibi: utere tu quoque te inter multa, aut certè post multa. Quid solus fraudaris munere tui spiritus, vadens, & non rediens? Quid prodest universos lucrari, te unum perdens? Quid stulto labore consumeris in his quæ non sunt nisi afflictio spiritus, evisceratio mentis, evacuatio gratiæ? Denique vaca considerationi; *Cui tam pio, tamque utili otio nullam in vita operam dare, nonne vitam perdere est?* ait Bernard. *lib. 1. de considerat. cap. 8.*

A notitia tui ascende ad cognitionem Dei. Unica peregrinationis nostræ & prolongati incolatus nostri consolatio est dulcis ac jugis Dei memoria. Longa sanè molestia & tædiosa expectatio debet esse animæ christianæ tamdiu peregrinari à Domino, tanto tempore non dissolvi, nec esse cum Christo, vitamque ducere vanitati subjectam, sæculenti corporis horrido circumdatam carcere, funibusque peccatorum undique cinctam. Verùm adversùs hujus exilii nostri clades præsto est remedium cogitare Deo, in cœlestibus conversari, & mente inhabitare in domo Domini omnibus diebus vitæ nostræ. Ecquis non conabitur providere Dominum in conspectu suo semper, qui nos semper curâ, cogitatione, charitate prævenit? *Consurge in nocte* (ait S. Bernard. serm. 69. in Cant.) *in principio vigiliarum tuarum. Accelera quantumvis etiam ipsas anticipare vigilias; invenies eum, non prævenies, qui te magis amat, & ante.* Verùm si Angelus non potest plura ut plura intelligere, quomodo Deo mens humana vacabit, si tota infixa in limo profundi, nunquam se rettahat, nunquam se colligat intra se? Dic ergo cum Augustino lib. 2. confess. cap. 1. *Dulcedo non fallax, dulcedo felix & secura, & colligens me à dispersione, in qua frustatim discissus sum, dum ab uno te aversus in multa evanui.* Et præclarè Gregor. in Pastoral. part. 1. cap. 4. *Impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Unde quidam sapiens providè admonet, dicens: Fili ne in multis sint actus tui, quia videlicet nequaquam plenè in uniuscujusque operis ratione colligitur, dum mens per diversa sparsa partitur.*

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

DISSERTATIO IV.

De voluntate, & variis statibus Angelorum.

JAM sublimem intellectum Angelorum, totque præeminentiis decoratum non potest non sequi voluntas numeris omnibus absoluta, cujus cumulatam notitiam habebimus, si ejus naturam,

tam, libertatem, & amorem speculemur. Conducet etiam ad ejus dotes dignoscendas consideratio variorum statuum, in quibus Angelus inveniri potest.

CAPUT I.

Voluntas, libertas, & amor Angelorum exponuntur.

OMnem formam sequitur inclinatio quædam, apprehensionem comitatur appetitus elicitus, intellectioni voluntas seu propensio in bonum universale necessariò correspondet. Ex quo etiam fit, quod sicut in corporalibus inclinatio ad bonum extrinsecum distinguitur ab essentia, sicut inclinatio deorsum per gravitatem essentiæ superadditam, & inclinatio sursum per levitatem exercetur; ita voluntas distinguitur ab essentia Angeli, ut Angelus tendat in bona quæ sunt extra se. Solus quippe Deus, qui est bonitas per essentiam, in se uno bonitatis plenitudinem invenit, nec aliquid vult extra se, nisi ratione suæ bonitatis, ac proinde non indiget voluntate distincta, quia nihil extra Deum potest esse bonum Dei. Supponimus ergo dari voluntatem in Angelis distinctam à natura, distinctam etiam ab intellectu, ob diversum operandi modum; intellectus enim trahit res ad se, à quibus trahitur voluntas. Quare de solis voluntatis prærogativis agendum superest.

SPECULATIO I.

Voluntas Angelica est tam perfecta in ordine naturali, ut non egeat habitibus superadditis: tam recta, ut quamvis sit absolutè peccabilis, peccare tamen non potuisset, nisi elevata fuisset ad ordinem supernaturalem.

PRimam partem docet expressè S. Thomas 1. 2. q. 50. art. 6. ubi solùm agnoscit habitus necessarios Angelo, ut tendat in Deum authorem supernaturalem, non verò ut prosequatur objecta naturalia. *Quia nullus Angelus* (inquit) *pertingit ad perfectionem Dei, sed in infinitum distat; propter hoc ad attingendum ad ipsum Deum per intellectum & voluntatem, indiget aliquibus habitibus, tanquam in potentia existens respectu illius puri actus; unde Dionysius dicit habitus eorum esse deiformes, quibus scilicet Deo conformantur. Habitus autem qui sunt dispositiones ad esse naturale, non sunt in Angelis, cùm sint immateriales.* Ubi perspicuè admittit solùm habitus *ad attingendum Deum, tanquam in potentia existens.* Angelus autem non est in potentia ad Deum ut authorem naturæ, cùm sit semper in actu cognitionis illius per suam substantiam.

Ratio fundamentalis insinuatur ibidem à D.Thoma: Angelus sicut habet intellectum sapientiâ ingenitâ decoratum, & lumen plenum & perfectum, non indeterminatum & confusum; ita habet voluntatem naturaliter determinatam ad bonum ordinis naturalis, & hac de causa non potest primò peccare contra præcepta naturalia, ut posteà demonstrabimus; habet etiam beatitudinem naturalem ab initio conditionis suæ nulla difficultate comparatam, sed innatam, quam utique non haberet nisi voluntas esset in amore boni firmata: sed habitus non admittuntur nisi vel ad tollendam indeterminationem voluntatis in bonum, vel ad vincendas difficultates quæ in ejus prosecutione occurrunt: ergo superfluerent habitus ordinis naturalis in voluntate Angeli, quam tam perfectè natura formavit; sicut superfluerent in intellectu, cujus perfectioni omnino correspondet perfectio voluntatis. Unde D. Thomas citatus æqualiter loquitur de intellectu & voluntate Angeli quoad indigentiam habituum, eos solùm admittens ad participandum divinam bonitatem in ordine supernaturali.

Dices: Voluntas Angeli habet omnimodam contingentiam, & libertatem, ut posteà dicemus: ergo firmari eget per habitus bonos.

Respondeo voluntatem Angeli in præcisè ordine naturæ consideratam habere quidem libertatem exercitii circa diversa bona, servato ordine finis naturalis; sed non habere libertatem specificationis, quæ est capax boni & mali, ut posteà dicemus.

Instabis: Voluntas Angeli est capax vitii, nimirum firmæ obstinationis in malo, ut patet in dæmonibus: ergo & habitus virtutis; contrariorum enim eadem est disciplina.

Respondeo, Angelum non esse capacem vitii, si consideretur in ordine naturali, contra quem directè peccare nequit: verùm quia elevatus ad ordinem supernaturalem prævaricari potest, ideò sicut pro ordine illo eget virtutibus infusis, ita & vitiis ipsis oppositis infici potest. Per se ergo nullo virtutum acquisitarum superadditarum apparatu eget, sed per accidens, ne peccet contra finem supernaturalem.

Urgebis: Quæ distinguuntur realiter in Deo, distinguuntur virtualiter in creaturis: sed virtutes distinguuntur virtualiter in Deo: ergo distinguuntur realiter in creaturis, subindèque in Angelis.

Respondeo maximam in majori contentam esse omninò falsam; nam veritas & bonitas distinguuntur virtualiter in Deo, & tamen sunt idem realiter in creatura. Quare virtutes, sive intellectuales, sive morales, tametsi in Deo virtualiter distinctæ, in Angelis tamen realiter non distinguuntur. Non quidem intellectuales, quia posita repræsentatione specierum, intellectus Angelicus habet vim comprehensivam sine discursu, nec ullam patitur difficultatem in veritatibus naturalibus penetrandis, videtque primo intuitu omnem connexionem quam habet una res cum alia, sive necessaria sit, sive probabilis. Nec etiam morales. Tum quia perfectio voluntatis perfectioni intellectus contermina est. Tum quia in ordine præcisè naturali indefectibilis est, ut ostendam in tertia parte speculationis.

Secunda pars, quæ asserit Angelum posse absolutè peccare, nimis infelici experientiâ comprobata manet. Et probatur ratione generali, quia omnis creatura peccabilis est, nec potest ulla dari quæ indefectibiliter tendat in bonum, tam naturale, quàm supernaturale, nisi Deo speciali gratiâ manutenente. Tum quia omnis creatura habens esse ex nihilo, est absolutè vertibilis in nihilum: natura autem, quæ est capax transitus de non esse ad esse, est etiam capax defectionis in operatione, quia operari sequitur esse; deficere verò in operatione, peccare est. Tum quia nulla creatura habet omnem plenitudinem boni, quod tamen requiritur ad omnimodam impeccabilitatem. Sicut enim ad hoc ut agens indeficienter possit in aliquem actum perfectum prorumpere, debet indeclinabiliter habere principium talis operationis, putà ut corpus possit indesinenter calefacere, debet sibi calor immobiliter adhærere; ita ut creatura semper benè ageret, nec posset unquam malè agere, nec unquam à tota boni latitudine exorbitare, deberet habere in sito sinu & proprio fundo omnem bonitatis cumulum, vel saltem principia rectè agendi intra totum boni ambitum connaturaliter & inflexibiliter sibi unita, quod utrumque repugnat: nam primum est proprium Dei, secundum non convenit nisi substantiæ supernaturali, quam impossibilem esse aliàs demonstravimus: ergo Angelo, sicut & omni creaturæ convenit posse peccare; unde dicitur

dicitur Iob 4. *Ecce qui serviunt ei non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit gravitatem.* Et 15. *Ecce inter Sanctos ejus nemo immutabilis, & cæli non sunt mundi in conspectu ejus, quanto magis abominabilis & inutilis homo?*

Harum rationum momentum paucis complectitur Doctor Angelicus, reducens impeccabilitatem ad unionem cum sua regula, & vis ejus discursus talis est: Omnis illa facultas potest declinare à rectitudine sui actus, & peccare, quæ non est sua regula; ille siquidem actus est indeclinabiliter rectus, cujus regula est ipsa virtus agentis, ut si manus artificis esset regula incisionis, nunquam posset artifex nisi rectè incidere; sed si rectitudo incisionis pendeat ab alia regula & amussi, poterit contingere incisionem esse obliquam, & non rectam. Atqui nec voluntas angelica, nec ulla creata, vel creabilis est sua regula; sed regulatur à voluntate divina, cujus legi & imperio subdita est, non secus ac voluntas creata non est essentialiter conjuncta cum illa regula divina, sed ratione libertatis sese potest ab illa avertere, vel saltem illi non attendere. Ergo omnis voluntas creabilis est defectibilis, saltem circa bonum supernaturalis ordinis, ad quod non est ex suis principiis intrinsecis determinata. Ex quibus sponte corruunt omnes instantiæ contra hanc rationem fieri solitæ.

Tertia pars, quæ ait Angelos esse in ordine naturali impeccabiles, probatur. In angelico intellectu nullus potest esse error, vel defectus, etiam inconsiderationis circa naturalia, cùm omnia simplici intuitu speculetur, ut ex dictis est manifestum: ergo non potest intellectus angelicus proponere voluntati objectum, nisi consonum regulis morum, aliàs defectuosè & errantèr illud proponeret, dicens bonum malum, & malum bonum. Atqui non potest esse defectus in voluntate, nisi aliquis præcedat in intellectu; nec potest esse prava electio, nisi præeunte falso dictamine: sicut enim repugnat voluntatem ferri in aliquod, nisi præcognitum, ita repugnat ferri in aliquod defectuosè, nisi sit defectuosè cognitum ab intellectu, cujus judicium est regula voluntatis; non potest verò esse defectus in regulato quandiu exigitur ad regulam rectam: ergo cùm nullus defectus possit esse in intellectu angelico circa naturalia, ita nec in voluntate ullum peccatum circa illa, sed solùm circa supernaturalia, quæ non clarè & plenè attingit, quamdiu per fidem ambulat. Vide D. Thomam q. 63. art. 1. ad 2. & 3.

Totum ergo fundamentum nostrum in hoc positum est, quod sicut modus cognoscendi Angeli est intelligere principia, & in eis conclusiones; ita modus voluntatis ejus est incipere ab amore finis, quo efficaciter amato, non potest non amare media propter ipsum, nisi retrocedat ab amore finis, quod fieri nequit stante immobilitate intellectus proponentis, & comprehendentis ejus bonitatem. Voluntate autem rectè disposita circa finem naturalem, & illi firmiter adhærente, non potest non esse recta in prosequutione mediorum; ex bona enim intentione non sequitur mala electio, nisi ex errore; sicut ex principio vero nunquam sequitur falsum. Nam *sicut se habet primum principium in speculabilibus, ita ultimus finis in operabilibus.*

Sed dices: Redeunt contra istam tertiam partem rationes illæ, quibus stabilivimus secundam. Nam ut voluntas esset impeccabilis in ordine naturali, deberet omne naturalis ordinis bonum, quod infinitum est, includere; deberet esse sua regula, quod tamen repugnare perinde convincit ratio D. Thomæ. Nam voluntas Angeli etiam in ordine naturali habet superiorem, scilicet Deum, cui debet subjici, & accipere legem naturalem.

Respondeo non requiri perfectionem infinitam, ut voluntas sit impeccabilis in ordine naturali; sed sufficere ut habeat naturam integram, & intellectum incapacem defectus, quod non transcendit naturæ conditionem excellentis, qualis est Angelus, sed est illi valde conforme: unde hoc non provenit ex eo quod Angelus sit summum bonum naturale, sed quod habeat intellectum, qui natus est apprehendere rem sine defectu, quamdiu intra ordinem naturalem sistit. Et licèt absolutè voluntas Angeli possit repellere propositam sibi à ratione regulam, id tamen non facit, nisi intellectus proponat & dictet hic & nunc convenientem esse talem repulsam. Quia cùm voluntas sit potentia cæca, indigens in omnibus sequi facem intellectus præeuntis, & veluti manuducentis ipsam, est necesse quod si semper ducatur sine defectu, semper etiam indeficienter procedat, semperque sit conjuncta sibi naturali honesto, qui est regula ipsius.

Instabis: Deo imponente aliquod præceptum positivum de opere aliquo faciendo posset Angelus non obedire, saltem ex voluntaria inconsideratione præcepti illius; neque enim ejus intellectus est determinatus ad considerandum in exercitio omnes circumstantias operis faciendi: ergo potest peccare Angelus intra limites ordinis naturalis.

Respondeo in illo casu intellectum angelicum, utpote rectum, & incapacem defectus, semper imperaturum exequutionem divinorum præceptorum, nec posse proponere voluntati ut convenientem voluntariam omissionem eorum; aliàs ipsemet intellectus erraret, quod nequit esse in Angelis.

Urgebis: De facto quotidie cacodæmon peccat contra finem naturalem, mentiendo, blasphemando, suggerendo furta & adulteria: ergo potest peccare, ab actu enim ad potentiam valet consequentia.

Respondeo vel dæmones illa omnia nefanda patrare ex odio Dei authoris supernaturalis, ac proinde per se & directè peccare contra finem supernaturalem, & indirectè contra naturalem; vel dici potest, Angelos peccantes contra Deum Authorem supernaturalem instabiles factos esse; unde & periit naturalis rectitudo eorum, subindéque jam sæpissimè contra finem naturalem etiam directè peccant.

Insistes: Fatalis ergo, & noxia fuit elevatio illa ad finem supernaturalem, & per eam deterioris conditionis factus est, capax nimirum, & reus peccati, quo nihil infelicius.

Respondeo, sæpè contingere, creaturas in sui elevatione ruinam invenire, & præcipitium. *Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant*, non occasione data, sed accepta; sicut ex Incarnationis bono occasionem nacti sunt Iudæi Christum occidendi. Ioan. 15. *Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent.* Et Rom. 7. *Occasione accepta peccatum operatum est omnem concupiscentiam.* Innumeri etiam sunt, qui in statu privato salutem æternam consequerentur, qui ad sublimes honorum gradus provecti, ad infulas, vel pinguia sacerdotia assumpti, honorificentissimis officiis addicti, curæ animarum præfecti, ipsâ suâ exaltatione pereunt.

Reflexio.

Accuratè observanda est illa D. Thomæ maxima: *In tantum aliquis non peccat, in quantum conjungitur sua regula, quæ est divina voluntas.* Illi ergo quodammodo impeccabiles efficiuntur, qui totam suam divinæ subjiciunt voluntati, ut quod certum est Deum velle, ipsi velint omninò; quod certum est Deum nolle, similiter execrentur & ipsi; quod autem incertum est utrùm velit aut nolit Deus, neque ipsi velint ex toto, neque penitus nolint, sed inter utrumque pendentes, voluntatem

luntatem Dei sequi parati sint in quamcunque partem eam noverint inclinari. Si adhuc hæreant, ab Ecclesiæ Prælatis, suisque Superioribus in dubiis quærant Domini voluntatem, quibus vice ipsius obediunt. Felices prorsus, qui ejusmodi sunt; regulæ conjuncti immobili non deficient, naturâ peccatores evadent impeccabiles, vel rarò peccantes. In illis illud Propheticum implebitur: *Domine in lumine vultus tui ambulabunt.* Quæ sic præclarè ponderat Beroard. serm. de subjectione nostræ voluntatis: *Alius ambulat in lumine vultus sui, sollicitus facere suam voluntatem, & beneplacitum cordis sui considerans. Alius considerat in lumine vultus humani, in eo semper intentus, quid hominibus placeat, quid mundus judicet. Sed qui ambulant in lumine vultus tui, Domine, id solùm cogitant, quomodo tuam faciant voluntatem, & toto corde contendunt placere tibi.*

SPECULATIO II.

Voluntas angelica naturaliter quidem fertur ad Deum super omnia diligendum; ille tamen amor est liber quoad exercitium.

Prior pars est certa, quia ut altè discurrit S. Thomas, unumquodque quod est alterius, magis inclinatur in id cujus est, quàm in seipsum, ut patet in naturalibus, in quibus pars se exponit pro conservatione totius; sicut ad corporis incolumitatem manus absque deliberatione ictui exponitur. Et quia ratio imitatur naturam, idem etiam apparet in virtutibus politicis; bonus quippè civis sese mortis periculo exponit pro totius Reipublicæ salute; & si homo esset naturalis pars alicujus civitatis, hæc inclinatio esset ei naturalis. Deus autem est universale bonum totius universi, præsertim verò creaturæ intellectualis, quæ in ipso solo beatitudinem invenire potest, juxta illud August. lib. de Spiritu & litt. c. 33. *Illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur in bonis desiderium animi. Hoc enim est solùm sat ei, ultra non habet quod appetat, quò inhiet, quod requirat.* Ergo naturali dilectione Angelus & homo plus & principaliùs feruntur in Deum quàm in seipsos; al às propensio naturalis, cujus Deus author est, foret perversa; ordo enim præposterus est, quando magis diligitur medium quàm finis: & subinde inclinatio naturalis non perficeretur, sed destrueretur per charitatem, qua Deus diligitur super omnia, atque adeò supra ipsum amantem.

Secunda pars est magis controversa, nonnulli enim Thomistæ credunt, Angelum amare necessariò necessitate exercitii, non solùm Deum, sed etiam seipsum. Oppositum tamen docet Ferrariensis 3. *contra Gent.* c. 109. & Ioan. à S. Thoma *in* 1. 2. *dist.* 5. *art.* 5. *n.* 24. unde omninò falsò citatur pro adversa sententia; nam in tractatu de Angelis nec verbum facit de hac quæstione, & illam formaliter resolvit in nostrum favorem, 1. 2. *loco citato.*

Probatur ratione S. Thomæ 1. 2. *q.* 10. *art.* 2. Voluntas creata in proprio & connaturali statu considerata, procedens cum debita advertentia à nullo objecto extra Deum clarè visum necessitari potest quoad exercitium; voluntas enim est potentia universalissima in appetendo, quæ nullo particulari bono astringitur, sed potest se ad quodcumque protendere, sicut materia ad quamcunque formam: ergo nullum præter universalissimum bonum in se clarè visum potest capacitatem voluntatis implere. Atqui quamdiu voluntas non est plena, potest ad aliud bonum desiderio divertere: ergo à nullo bono præter summum bonum clarè visum potest necessitari quoad exercitium; unde nec à Deo lumine naturali noto rapitur, & multò minùs à se, cùm in se non videat omnimodam rationem boni.

Confirmatur profundiùs: volontas fertur ad bonum ex prævio dictamine rationis: ergo tunc solùm objectum propositum secum rapit & pertrahit voluntatem, quando non permittit rationem dictare, cessationem ab exercitio amoris non esse convenientem; & ideò amor beatus est necessarius quoad exercitium, quia in Deo clarè viso nulla apparere potest disconvenientia, quia in Deo sic cognito relucet universalissimum bonum, & in eo repulsa illius repelleretur ratio formalis voluntatis, quod est bonum in tota sua universalitate & latitudine. Atqui in statu viæ Angelus non videt clarè in Deo, & multò minùs in se rationem summi boni: ergo à tali amore potest divertere.

Confirmatur à posteriori: Si amor Dei esset in Angelis naturalis & necessarius quoad exercitium, maneret utique in dæmonibus, in quibus omnia naturalia permanserunt. Consequens est falsum, quia dilectio Dei super omnia stare neqoit cum peccato mortali, cùm illa convertat, istud avertat à summo bono; repugnet vero aliquem esse simul aversum & conversum ad Deum, æquè ac repugnat moveri simul sursum & deorsum. Præsertim cùm nullus possit esse aversus à Deo ut authore supernaturali, quin recedat ab eo ut authore naturali, cujus lex violatur. Ergo amor Dei non est necessarius in Angelis. Et certè licèt posset fortè concedi in dæmonibus amor Dei habitualis cum odio actuali, quod tamen convenienter negatur in tractatu de justificatione; tamen inintelligibile prorsus est, dari in illis amorem Dei actualem super omnia, & simul odium actuale, quo Deum de facto profiteqantur.

Nostræ etiam sententiæ planè favet Angelicus Præceptor impræsentiarum; nam eodem modo affirmat, Deum & homines diligere Deum super omnia amore naturali, ait namque: *Naturali dilectione Angelus & homo plus & principaliùs diligunt Deum quàm seipsum.* Quod idem repetit 1. 2. *q.* 109. *art.* 3. Quis tamen dicat homines in via necessitari ad amandum Deum quoad exercitium? Itaque ille amor naturalis sic explicandus venit, ut sit sensus, naturam intellectualem in sua integritate permanentem inclinari naturaliter ad Deum diligendum, sicut inclinatur ad bonum rationis, seu virtutem; unde & vitium dicitur contra naturam. Sicut ergo proclivitatem naturalem ad virtutem lædit, & veluti cohibet voluntas peccando, sic & propensioni diligendi Deum sæpè nimis coortadicit amor sui, & concepione peccati veluti repagulo præpeditur infitus ille à natura amoris divini impetus; nec impeditur modò, sed ad creaturam inordinatè prosequendam divertitur, & obliquatur, non secus ac rivus sponte ad Oceanum fluens ab hortulano detinetur, & in varios aquæductus dividitur, ut viridaria sua alluat.

Dices: Angelus semper actu seipsum cognoscit, ex qua naturali & comprehensiva cognitione resultat judicium practicum omninò immobile, quo judicat se & suam perfectionem debere amari; nec potest judicium illud suspendere, quia nulla potest esse ratio formandi judicium oppositum; neque enim amor sui, vel Dei generat tædium, vel potest esse impedimentum majoris boni. Atqui judicium practicum amandi Dei sequitur continuò amor: ergo amor in Angelis est necessarius quoad exercitium.

Respondeo mirum esse huic rationi tantopetè confidere quendam recentiorem suorum principiorum oblitum. Cùm enim alicubi doceat, voluntatem divinam, quantumvis actum purum, posse manere suspensam circa creaturas actu cognitas, planè mirari subit, cur reformidet in angelica voluntate admittere suspensionem actus circa Deum non clarè visum, sed lumine naturali actu notum.

Dicendum ergo cum Ferrariensi *loco citato*, *§. sed circa hanc responsionem*, in primis non esse certum, Angelum non posse divertere cognitionem sui & Dei; licèt enim eam actu semper habere conveniens sit, nullibi tamen dixit S. Doctor hujusmodi cognitionem esse necessariam quoad exercitium. Verum quidem est, intellectum & voluntatem Angeli esse semper in aliquo actu, nunquam enim dormiunt substantiæ separatæ; sed ad hoc sat est, quod modò unum, modò aliud objectum considerent utendo inadæquatè suis speciebus, quarum usus libertati voluntatis subditur.

Sed gratis admisso, quod non possint avertere cogitationem sui, nec Dei: quare non poterunt corrumpere dictamen & æstimationem de Deo & de se, & sic Deum & seipsos odio habere, ut faciunt dæmones, & homines perversi? Adsit ergo illis semper cognitio speculativa Dei & sui, per me licet; sed adesse semper practicam imperantem pro semper amorem Dei, quis credat in dæmonibus, quorum superbia ascendit semper, ut ædificent civitatem Babylonis, in qua regnat amor sui usque ad contemptum Dei, ut docet Augustinus? Certè cùm Angelus in diligendo se & Deo possit mereri impletione præcepti naturalis, necessum est amorem illum esse liberum quoad exercitium: fuisset tamen necessarius quoad specificationem, si Angelus non peccasset contra finem supernaturalem, quia in ordine præcisè naturali peccare nequit, ut suprà vidimus.

Instabis: Voluntas Angeli debet esse semper in aliquo actu; nam motus voluntatis est causa omnium motuum substantiæ spiritualis. Vnde sicut cessante motu cordis cessat omnis motus vitalis, & desinente motu cœli desineret operatio sublunarium; ita cessante motu voluntatis in spiritibus, suspenditur omnis operatio. Atqui omnis operatio Angeli fundatur in amore proprio, juxta illud, *Amicabilia ad alterum sunt ex amicabilibus ad seipsum*: ergo Angelus est semper necessariò in amore sui, ut possit facilè & expeditè prorumpere in quamlibet operationem, ad quod etiam requiritur intentio actualis finis ultimi naturalis, qua constituitur in actu primo volitionis mediorum. Igitur Angelus habet semper, & necessariò amorem sui, ac Dei ut authoris & finis naturalis.

Respondeo, in primo instanti Angelum fuisse specialiter motum à Deo circa intentionem ultimi finis, ex quo actu facilè potuit se movere ad alios, modò circa unum, modò circa aliud objectum, absque eo quod sit necesse quod necessariò se amet explicitè, vel finem naturalem particularem. Satis etiam est, quod semper sit in actu amoris beatitudinis naturalis in communi, quam in omni actu semper quærit creatura intellectualis, ut possit se variis operationibus applicare, ut alibi dicetur.

Vrgebis: Non est inconveniens, Angelum malum Deum amare actu ut universale bonum totius naturæ, & ipsum odio habere ut justum judicem. Vnde ait D. Thom. *art. 5 ad 5. Illi qui non vident essentiam Dei, cognoscunt illum per aliquos particulares effectus, qui interdum voluntati eorum contrariantur; & sic hoc modo dicuntur odio habere Deum, cùm tamen in quantum est bonum commune omnium, unumquodque naturaliter plus diligat Deum, quàm seipsum.*

Respondeo testimonium illud manifestè jugulare oppositam sententiam; nam si *unumquodque naturaliter plus diligit Deum quàm seipsum*: ergo de illo amore loquitur S. Thomas, qui unicuique inest, tam homini, quàm Angelo; & tamen in homine amor Dei non est necessarius. Loquitur ergo de propensione suprà exposita, quæ sæpè peccato impeditur. Illa autem diversa consideratio Dei ut authoris naturæ, & ut judicis, non potest facere ut sit in voluntate actu amor, & odium Dei, præsertim amor super omnia, & supra seipsum, aliàs idem posset esse in nobis, quod est evidenter falsum, ut alibi demonstratur: sicut quod sit error & scientia in eodem intellectu per diversa media, repugnat. Maximè quia odium Dei ut judicis indirectè est odium Dei ut authoris naturalis; natura enim præcipit justitiam Dei cognitam, & in se etiam exercitam diligere.

REFLEXIO.

Deum diligere super omnia, natura inspirat, & non amando vim patitur; naturam confirmat ratio, rationem urget lex, legem amantis Dei lenit & edulcat exemplum; & quos tanti amatoris non trahit charitas, terrent minæ. O calamitas generis humani, cui debuit præcipi amor Dei! *Quid tibi sum ego* (ait Augustinus) *ut amari te jubeas à me, & nisi faciam, irascaris mihi, & mineris ingentes miserias? Parvàne miseria est, si non amem te?* Porrò non solùm Deum non amant plurimi, sed etiam (proh indignitatem! claude oculos, Lector, vel si aperis, desle) ad amorem Dei actualem non teneri Christianos, Christiani, & (si Superis placet) Theologi novelli tradiderunt, docuerunt, scripserunt. Vbi timor mentis? ubi rubor frontis? Quis unquam Sanctorum (quid nomino Sanctos?) quis Philosophorum, quis Paganorum, quis Barbarorum vel Turcarum tale quid aut verbo docuit, aut reliquit exemplo? Licuerit novellorum Probabilistarum prurigini morum dissolutiones inducere, amori proximi adversari, præceptum eleemosynæ ad nihil redigere; licuerit usuras, simonias, quasi leviora peccata nequissimè excusare: hunc verò errorem quis ferre possit, qui errorum virus complectitur, qui cor Christianismi invadit, dum amoris Dei necessitatem sacrilegè peroegat? Quis non stupeat, in hominis mentem tam horrendam doctrinam incidere potuisse? Quis non horrescat, tam horrendæ blasphemiæ propugnatores ab Alexandro VII. non semel spiritu oris sui contritos, tam sacrilegam hæresim non retractare? Certè si aliquos non amare permitteret lex christiana, illos amoris Dei destructores libenter odissem. Verè Evangelium est lex amoris, cùm ipsos amoris divini hostes præcipiat amare, illisque amorem Dei optare, de quo tam malè merentur.

Justum est Domine (inquit Cyprianus serm. de Baptismo Christi) *ut diligamus te, quia & tu diligis. Hoc natura, hoc ratio, hoc verbi tui clamat authoritas, hoc ex ore tuo audivimus, hic invenit consummationem omnis religio.* Et mellitè Bernard. epist. 44. *Etsi cætera taceam, hoc solo certè non immeritò vitam sibi vendicat nostram, qui pro ea præbuit suam. Nemo igitur sibi vivat, sed ei qui pro se mortuus est. Cui enim justiùs vivam, quàm ei qui si non moreretur, ego non viverem? Cui commodiùs, quàm promittenti vitam æternam? Cui magis ex necessitate, quàm flammas perpetuas minitanti. Sed servio voluntariè, quia charitas libertatem donat, timorem expellit, labores non sentit, meritum non intuetur, præmium non requirit, & tamen plus omnibus urget. Nullus terror sic sollicitat, nulla præmia sic invitant, nulla justitia sic exigit.* Antea lacrymas doloris fundebas, Lector, jam funde amoris. Ipse, quæso, Christi amor me tibi inseparabiliter jungat, ipse me tibi aliquando repræsentet, horis maximè, quibus oras.

Specu

SPECULATIO III.

Voluntas Angeli post liberam electionem est inflexibilis, nec pœnitudine flecti potest post peccatum.

SVpponit hæc speculatio dari in Angelis liberum arbitrium; ex eo namque quod cognoscunt rationem boni universalis, possunt judicare hoc vel illud esse respuendum, vel acceptandum, nec ad ullum particulare bonum arctantur, sed cum indifferentia eligunt quod volunt, servato ordine finis, in ordine ad quem assumi possunt media. Recole quæ aliàs diximus de libertate Dei. Hoc posito,

Probatur ratione D.Thomæ. Angelus immobiliter res apprehendit, eo modo quo nos prima principia sine discursu intelligimus; per hoc enim differt à ratione humana, quæ per discursus circuitum de uno in aliud transit. Immobilem apprehensionem Angeli sequitur immobile judicium, quod nutare non potest, cùm procedat ex perfecta deliberatione fundata in cognitione comprehensiva attingente in objecto omnes rationes in eo contentas, omniaque motiva quæ possunt vel ad amorem illius allicere, vel retrahere. Atqui judicium sic irrevocabile & fixum non compatitur voluntatem nutantem, & bilancem; vis enim appetitiva in omnibus proportionatur apprehensivæ, à qua movetur. Cujus signum est, quod appetitus sensitivus fertur in bonum singulare, quia movetur à solo sensu, qui est dumtaxat apprehensivus singularium; voluntas verò fertur in bonum universale, quia movetur ab intellectu, qui fertur in universalia: ergo Angeli post primum judicium perfectè deliberatum, inflexibiles sunt post primam electionem perfectè & completè deliberatam, licèt ante ipsam potuerint objectum vel amplecti, vel respuere.

Confirmantur, & penetrantur intimi hujus rationis nervi. Ad retractationem prioris voluntatis requiritur nova & diversa cognitio circa objectum, quod diverso modo apparet nunc quàm anteà apparebat, aperitorque nova ratio quæ anteà latebat. Sed non potest de novo manifestari, vel novæ rationis lumine illustrari objectum quod semel resolutoriè, & deliberatè voluntas angelica amplexa est, quia illud à principio intellectus comprehendit: ergo voluntas Angeli post plenam deliberationem est inflexibilis, & irrevocabilis. Et hoc maximè verum est de regressu à prava intentione finis, quam habuit in via. Tunc enim cùm ageretur de gravissimo negotio, tota sua attentione, tota virtute, tota comprehensione usus est, pensatisque ac ponderatis pensandis & ponderandis, amore propriæ excellentiæ inebriatus superioris regulæ directionem repudiavit, & eadem firmitate qua proprium bonum amplexus est, divinum despexit. Sicut intellectus eodem actu & ictu proposuit voluntati proprium bonum inordinatè amandum, & divinum deserendum; unum enim ex alio sequitur: intellectus autem non minùs firmiter tendit ad conclusionem, quàm ad principium, in quo necessariò continetur; fertur enim eodem actu & tendentia ad utrumque.

Dices: Angelus, ut infrà dicemus, peccavit ex inconsideratione regulæ cui se subjicere tenebatur: ergo est locus reductioni per considerationem talis regulæ, quam videt se non satis considerasse; quidni ergo in se reversus illi attendat, & judicium retractet?

Respondeo Angelum peccasse ex inconsideratione non speculativa, sed practica. Non enim ignorabat in sua propria excellentia non esse suam ultimam beatitudinem, & tamen voluit in ea sistere, & se frui. Quod practicum judicium semper perseverat, quia superbia ejus ascendit semper; & licèt speculativè videat se malè judicasse, id tamen *non sentit per duritiem*, ut rectè ait Gregorius Magnus 34. *Moral.cap.* 14. Vnde peccatum dæmonum fuit simile peccato in Spiritum sanctum, quod opponit se gratiæ; voluntariè enim & protervè claudunt oculos, rebelles lumini. Non ergo fuit inconsideratio inadvertentiæ, sed despectus & contemptionis, proditque quasi ex adipe iniquitas eorum. Hujusmodi autem inconsideratio affectata non potest tolli per novam considerationem, quia totum vidit dæmon quod videre potuit, & voluntariè supernaturalia videre sprevit, unde omnem sibi aditum clausit, quo posset reduci; omnem projecit tabulam, qua posset post naufragium salvari.

Vrgebis: In primo instanti creatus Angelus perfecto & comprehensivo modo attingebat finem & media, principia & conclusiones: & tamen non immobiliter adhæsit bono tunc per intellectum proposito, sed in primo instanti illud acceptavit, in secundo repudiavit: ergo ex vi judicii comprehensivi non fit inflexibilis, & irreducibilis electio Angeli.

Respondeo non esse mirum, quod in primo instanti voluntas Angeli immobilitatem non fuerit consequuta; quia tunc non se movebat tanquam sui juris, sed à Deo specialiter movebatur, ut infrà dicemus. At verò in secundo instanti voluntas fuit veluti emancipata, unde quod elegit, vel respuit, indeclinabiliter retinet.

Insistes: Ideo voluntas Angeli ante electionem erat in utramque partem libera, quantumvis comprehensivè procederet, quia intellectus proponebat tale objectum cum indifferentia: atqui etiam electione facta, cognitio proponit objectum cum indifferentia; nullum enim objectum extra Deum clarè visum potest proponi cum necessitate rapiente, & veluti immobilitante voluntatem; sed cum indifferentia & contingentia, ut diximus speculatione præcedenti: ergo post electionem voluntas manet libera sicut ante illam.

Respondeo Angelum circa objecta creata immobiliter procedere posse, non ex meritis objecti contingenter solùm moventis, sed ex duplici alio capite: primò ex modo operandi Angeli, qui eodem actu indivisibili fertur in media & finem, sicut intellectus fertur in principia & conclusiones: secundò ex suppositione plenè deliberatæ electionis, supponentis cognitionem comprehensivam, perpendentem omnia motiva & rationes objecti. Non enim Angelus accipit novas notitias à rebus, sed exorditur à principiis penetratis; & ideò immobiliter semper procedit, nec potest reverti, vel resilire nisi per miraculum, quo removeatur modus connaturalis agendi, vel quo vincatur tota comprehensio naturalis per infusionem luminis gratuiti.

Vnde in continuatione talis obfirmatæ electionis libertas Angeli minimè tollitur, quia non est de ratione libertatis, ut possit se retractare, postquam voluit (ut patet in Deo, cujus decreta semel statuta sunt immutabilia) sed sufficit quod ante resolutoriam electionem potuerit utrumque eligere, & quo voluntariè se projecerit in statum illum, ex quo redire nequit. Id præclarè explicat Bernardus serm. 81. in Cant. *Nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato in deterius mutata necessitatem facit, ut nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas, cùm sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodam modo voluntaria, & favorabilis vis quadam premendo blandiens, & blandiendo premens, unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare allatenus valeat. Ita anima miro quodam & malo modo sub hac*

voluntaria quidem & misera necessitate, & ancilla tenetur, & libera; ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem: & quod magis mirum, magisque miserum est, eo rea, quo libera; eoque ancilla, quo rea; ac per hoc eo ancilla, quo libera. Quid opportunius ad explicandam necessitatem, in quam incidunt homo, & multò magis Angelus, dum voluntariè peccant?

Ex his habeo primò triplicem esse radicem obstinationis dæmonum, duplicem extrinsecam, & unam intrinsecam. Prima & intrinseca est inflexibilitas liberi arbitrii ejus: secunda est denegatio gratiæ; cujus enim vult Deus, miseretur, & quem vult, indurat; non quidem causando malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Non enim est dubium, quin posset Deus, si vellet, arbitrium dæmonum de bono in malum convertere sua omnipotentissima potestate, ut docet D.Thomas q.16. *de malo, art.5.ad* 13. Meritò autem Deus eis denegavit gratiam pœnitentiæ post lapsum, quia ut ait Greg. lib.9. Moral. cap.28. *Angelorum spiritus ideò irremissibiliter peccaverunt, quia tantò robustiùs stare poterant; quantò eos carnis commixtio non tenebat: homo verò idcircò post culpam veniam meruit, quia per carnale corpus aliquid, quo se ipso minor esset, accepit.* Cùm ergo non peccaverit ex ignorantia, vel infirmitate, sed ex affectu malitiæ & nequitiæ, non obtinuit misericordiam, vel pœnitentiæ locum.

Tertia ratio obstinationis dæmonum est conditio status in termino. Status enim importat quandam permanentiam, secundùm quam aliquis in quadam immobilitate constituitur. Et quia modus connaturalis voluntatis est ut sibi finem ultimum præstituat, & ejus veluti imperio mancipetur, hinc est, quod sicut ad illum tendit in via, ita in ipso quiescit dum est in termino; nam *in quam partem ceciderit arbor, ibi erit.* Quemadmodum gravia & levia, quando sunt extra centrum, exigunt in illud impelli; sed ad ipsum cùm pervenerint, sistunt. Peccatum autem Angeli posuit eum in termino, juxta illud Damasceni lib.1. cap.4. *Hoc est Angelis casus, quod hominibus mors.*

Habetur secundò Angelum post peccatum non posse elicere ullum opus moraliter bonum, quia semper amat finem pravum, cui se inflexibiliter devovit, illique omnes suas actiones subordinat, & tam prava intentione inficit, & detruncat. Maximè quia omni auxilio divinæ gratiæ, quod est necessarium ad singulos actus, destituitur; & ideò status damnatorum vocatur nox, Ioan.9. *Venit nox quando nemo potest operari.* Sicut enim nox causatur ex absentia solis; sic nox spiritualis ex carentia gratiæ solis intelligibilis oritur; & sicut in nocte terra est media inter solem & nos, quâ impeditur illuminatio; ita peccata dæmonum, & præcipuè superbia, ascendens semper, sese divinæ gratiæ luci opponunt, firmantque magnum illud chaos, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Vnde Ecclesiast.9. *Nec opus, nec ratio, nec scientia* (scilicet practica & affectiva) *erunt apud inferos.* Et quidem valdè justè; nam ut optimè ait D.Thomas q.24.de verit. art.10. *Iustum est, ut qui bene velle dum possent, noluerunt, ad hanc miseriam deducantur, ut bene velle omninò non possint?* Sicque implebitur in quolibet damnato illud Davidicum: *Dilexit maledictionem, & veniet ei; & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.*

Reflexio.

Hanc induratam cacodæmonum in peccato obfirmationem faciliùs percipies, Lector, si consideres quorundam, & utinam non tot, hominum insensibilitatem. Multos siquidem videmus initio quidem probos & pios, quos prava paulatim invertit consuetudo, quia nihil est tam firmum animo, quod incuriâ, neglectu, & tempore non obsolescat. In principio importabilis eis videtur iniquitas, sed successu temporis judicatur non adeò gravis, usu deinde levis fit, paulò post non sentitur, callus sensim obducitur insanabilis, quia insensibilis; & tandem infeliciter delectat, quod initio gravabat. Conspuitur, & non dolet; verberatur, & non sentit; & cùm in profundum venerit, contemnit, quia *frons meretricis facta est illi, & noluit erubescere*, ut dicitur Ierem.33. Hanc obstinatorum hominum, quos dimisit Deus secundùm desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis, duritiem mirè describit S.Bernard. lib.1.de consideratione cap.. *Ne pergas quærere quid sit cor durum? Si non expavisti, tuum hoc est. Solum est cor durum, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Quid ergo cor durum? Ipsum est quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec precibus; minis non cedit, flagellis duratur; ingratum ad beneficia, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina; præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens. Et ut brevi horribilis mali mala complectar, ipsum est quod nec Deum timet, nec homines reveretur.* Infelicem statum, & inferni præambulum! Ad illum non secus ac dæmones amore sui, & inconsideratione feruntur homines. Qui enim terrenæ voluptati immersos nihil adversi sustinet, facilè cœlestia contemnit; sicut enim sensibile supra sensum positum impedit sensationem, sic terrena bona cor implentia vetant sentire divina. Inde quos Deus amat, interdum castigat. *O beatum servum*, inquit Tertullianus, *cui ut emendationi dominus instat, cui dignatur irasci, quem admonendi dissimulatione non decipit.* Defectus etiam considerationis divinæ regulæ radix fuit obstinationis diabolicæ, & est genuina causa humanæ; qui enim divina non meditatur, judicia Dei non recogitat corde, beneficia non memorat, nec Deum, nec se considerat. Denique considerationi non vacat, frontem & cor dorat, & ita sensim seipsum privat sensu justi, utilisque doloris, quo nihil periculosius; membrum enim quod obstupuit, longius à salute obsistit; & ægrum se non sentire, est periculosiùs laborare.

CAPUT II.

De variis statibus naturæ Angelicæ.

VT perspicuè procedamus, quinque status, in quibus Angelus considerari potest, breviter & accuratè ante Lectorem oculos expandendi sunt.

Primus est status naturæ, in quo præcisè consideratur secundùm dotes naturales, essentiam scilicet & proprietates. Porrò ad istum statum pertinet tempus & locus creationis eorum. Quoad tempus docent modò omnes Theologi, ipsos creatos fuisse in principio mundi. Cùm enim Angeli sint præcipuæ partes universi ad ipsum gubernandum sub Deo institutæ, conveniens est ut cum ipso universo, & non antè producti sint, aliàs Angeli constituerent aliud universum separatum. Nec obest quod Moyses productionis illorum non meminerit, quia ut ait S.Thomas q.61.art.1. ad 1. *Rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam; & si eis fuisset expressum aliquas res esse super omnem naturam corpoream, fuisset eis occasio idololatriæ, ad quam proni erant, & à qua Moyses præcipuè eos revocare intendebat.*

Quæ verba si legisset quidam Neotericus Thomista, non ausus fuisset scribere, hanc responsionem sibi displicere,

displicere, nec eam si impugnasset: *Quia eadem ratione nusquam debuisset Moyses Angelorum mentionem facere: atqui sapius de ipsis in Genesi legimur*. Sed hæc instantia est levissima, quia in decursu Genesis eos non repræsentat nisi sub specie corporum, unde ansam non dabat Iudæorum proclivitati ad idololatriam, sicut fecisset si ab eis exorsus esset, eorum naturam, numerum, & præcellentiam supra corporea declarasset, uti debebat, si eorum historiam texere voluisset. Hinc Sadducæi, qui negabant dari ullum spiritum, ut habetur *Actor.* 23. solas tamen Scripturas Moysis admittebant; quia nimirum in illis non inveniebant occasionem suspicandi, dari aliquas naturas à corpore segregatas. Parco illius Thomistæ nomini, quia ut certò arbitror, hic ejus error non est formalis, sed materialis; nec dubito quin postquam noverit, palinodiam canter. Non potui tamen dissimulare ob S. Thomæ defensionem.

Scio Patres Græcos oppositum censuisse, & licèt eorum sententia non sit reputanda erronea, ut ait S. Thomas pro innata sua modestia; tamen propter Concilium Lateranense *cap. firmiter*, ubi dicitur, Deum ab initio temporis simul utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corpoream. Angelicam & mundanam, nullus auderet his instructioribus sæculis jam illam sententiam propugnare, quamvis illud *simul*, posset explicari de simultate rerum, sicut explicatur illud Ecclesi. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*; vel de simultate ordinis, quasi insimul, id est in ordine ad idem universum. Illud verò, *ab initio temporis*, exponi posset, ac si diceret, non ab æterno. Sed opinio D. Thomæ ut tutior tenenda est.

Quoad locum verò asserit Scriptura, Angelos creatos fuisse in cœlo; nam Lucifer cecidit tanquam fulgur è cœlo, & in deliciis Paradisi fuit. Sanè cùm Angeli toti naturæ corporali præsideant, conveniens fuit ut in supremo loco crearentur, è quo veluti specula toti universitati providerent. Nobilissimis etiam creaturis nobilissimus locus debetur. Nec obest quod *Isaia* 14. dicitur Angelus voluisse ascendere ad cœlum; id enim intelligitur de cœlo Sanctissimæ Trinitatis, cujus æqualitatem superbus ambiebat, ut posteà dicetur.

Secundus est status gratiæ, quo ad ordinem supernaturalem evecti sunt; nam fuit Deus in eis simul condens naturam, & largiens gratiam, ut ait August. Gratia autem in Angelis diffusa est *secundùm intensionem conversionis in Deum*, ut ait D. Thomas *quæst.* 62. *art.* 6. Gratia enim nunquam communicatur adultis sine consensu recipientis, quia per eam unitur amicitia inter Deum & homines, & quoddam spirituale matrimonium exigens reciprocum utriusque partis consensum. Cum his tamen stat, gratiam fuisse collatam Angelis secundùm gradum perfectionis naturalis: tum quia id requirebat modulata rerum harmonia; gratia enim perficit naturam, illique quantum possibile est, accommodatur. Tum quia perfectiores Angeli perfectiorem, & intensiorem conversionem elicuerunt, non quòd conatus naturæ disponat ad gratiam; sed quia Deus voluit talem proportionem ex sua liberalitate servare, juxta illud Basilii lib. de Spiritu sancto, cap. 16. *Secundùm proportionem excellentia, qua se invicem superexcedunt cœlorum virtutes, sanctificationis mensuram acceperunt*. Multa quæ ad illum statum spectant, differimus in librum de Deo motore.

Tertius est status beatitudinis, qui quidem fuit inchoatus in via per eximiam contemplationem optimi intelligibilis, scilicet Dei; quæ tamen, ut rectè & planè Augustinianè ait D. Thomas q. 62. art. 1. *Quodammodo beatitudo, vel felicitas dicitur*; quia simpliciter non debet dici beatitudo naturalis hominis; nam beatitudo absolutè talis, est inamissibilis, quietat appetitum rationalem, excludit omnem formidinem, removet peccandi possibilitatem; quomodo enim beatus est, vel quomodo non miser, qui quod habet, perdere potest, vel perdendi timore pulsatur, vel in peccatum prolabi? Quod totum fuit in Angelis in principio conditionis suæ. Non enim à principio videbant Deum ut in se est; sed per meritum pervenerunt ad visionem, quæ non est illis innata, vel debita: meritum autem est via ad beatitudinem tanquam ad terminum: quæ quidem via non est simul cum termino, nec tendentia cum fruitione, nec amor meritorius, qui liber est, cum beatifico, qui necessarius est. Omnes ergo in primo instanti meruerunt per actum dilectionis charitate informatum, sed omnino Deum viderunt. Fuit tamen Lucifer in deliciis paradisi; quia in paradiso creatus, ibidem innumeris gratiarum donis decoratus fuit.

Quartus est status peccati, in quod lapsi sunt Angeli prævaricatores post primum instans, in quo omnes peccato caruerunt; unde de Lucifero dicitur, quod *in veritate non stetit*, & malos Angelos non *servasse suum principatum, & cecidisse Luciferum qui manè oriebatur*. In illud ergo deinde præcipites ruerunt, & per seipsos mali facti sunt, qui boni à Deo conditi erant.

Quintus est status pœnæ, quæ peccatum consequuta est, in intellectu quidem per obtenebrationem, non quidem diminutione cognitionis naturalis, quæ in eis integra perseverat, sed extinctione cognitionis affectivæ in bonum permoventis, & privatione luminis gratuiti; nulla enim de supernaturalibus mysteriis norunt, nisi quæ ad implenda divinæ justitiæ officia necessaria sunt.

Circa hos quinque status variæ excitari possent difficultates, nos tantùm graviores ventilabimus. Prima, quot fuerint instantia viæ Angelorum: secunda, quodnam fuerit peccatum Angelorum: tertiâ quibusdam corollariis materiam hanc absolvemus. Cætera quæ ad gratiam, tum actualem, tum habitualem, vel ad pœnam ignis, cui addicti sunt, explicandam desiderare posses, opportuniùs aliis in locis invenies.

SPECULATIO I.

Via malorum Angelorum tribus instantibus completa est, bonorum verò via duobus finita est.

PRobatur tota speculatio eodem discursu. Tot sunt instantia in Angelis, quot sunt operationes eorum; nam ut ait S. Thomas q. 62. art. 5. ad 2. *Cùm Angelus sit supra tempus rerum corporalium, instantia diversa in his qua ad Angelos pertinent, non accipiuntur nisi secundùm successionem in ipsorum actibus*. Atqui à creatione malorum Angelorum usque ad pœnam eorum inclusivè fuerunt tres operationes; à creatione verò bonorum usque ad glorificationem eorum inclusivè duæ tantùm operationes fuerunt: ergo vera assertio. Minor probatur, & quidem de malis Angelis res est facilis; nam in primo instanti elicuerunt actum bonum & meritorium, diligendo Deum: deinde in actum malum proruperunt, & tandem patrato peccato persenserunt pœnas flagitii, quia post summam delectationem, & vanam suæ excellentiæ complacentiam, ingentem tristitiam, acerbissimumque dolorem perceperunt: qui tres actus sunt omninò distincti & incompatibiles; amor quippe Dei non stat cum peccato mortali, nec actus delectationis cum sensu doloris: ergo in Angelis prævaricatoribus tres operationes, subindéque tria instantia distinguenda sunt.

Quod

Quod verò in Angelis bonis fuerint tantùm duæ operationes, quarum prima præmium meruerit, secunda præmium receperit, ita ut instans glorificationis unicum instans meriti præcesserit, ita expressè docetur à S.Thoma, ut mirari subeat aliquos Thomistas in hoc ambigere. Nam S.Doctor id ex professo probat q.62. art.5. his verbis: *Dicendum quod Angelus post primum actum charitatis, quo beatitudinem meruit, statim beatus fuit. Cujus ratio est, quia gratia perficit naturam secundum modum naturæ; sicut & omnis perfectio recipitur in perfectibili secundum modum ejus. Est autem hoc proprium naturæ Angelicæ, quod naturalem perfectionem non per discursum acquirat, sed statim per naturam habeat. Sicut autem Angelus ex sua natura habet ordinem ad perfectionem naturalem, ita ex merito habet ordinem ad gloriam; & ita statim post meritum in Angelo fuit beatitudo consequuta. Meritum autem beatitudinis non solùm in Angelo, sed etiam in homine potest esse per unicum actum, quia quolibet actu charitate informato homo beatitudinem meretur. Unde relinquitur, quod statim post unum actum charitate informatum Angelus beatus fuit.* Quid planiùs? quid luculentiùs expressum, vel fortiùs probatum?

Nec valet responsio adversariorum dicentium S. Doctorem velle solùm, Angelum post primum actum completè liberum & deliberatum, consequutum esse beatitudinem, qui actus non fuit nisi in secundo instanti. Non valet, inquam, nam S. Præceptor non solùm dicit bonos Angelos fuisse glorificatos post primum actum, sed etiam post primum instans; ait enim q.63. art.6. *Cùm Angeli per unum actum meritorium ad beatitudinem perveniant, si diabolus in primo instanti in gratia creatus meruisset, statim post primum instans beatitudinem accepisset, nisi statim impedimentum præstitisset peccando.* Ergo evidenter in bonis Angelis, qui impedimentum non posuere, secundum instans non agnoscit.

Fundamentum rationis non est aliud præter id quod à S.Thoma positum est. Angelus post primam operationem meritoriam debet accipere præmium, nisi impedimentum præstet, ut servetur proportio gratiæ cum modo naturæ: atqui Angeli boni nullum impedimentum apposuerunt suo merito: ergo statim post primum actum meritorium, proindéque post primum instans beatitudinem consequuti sunt in secundo instanti.

Confirmatur nervosiùs, & præoccupantur omnes responsiones adversariorum. Amor quem Angelus elicuit in primo instanti, quamvis non esset consummatè deliberatus, id tamen non eveniebat ex defectu pleni judicii, advertentiæ, & indifferentiæ voluntatis, sed per accidens, defectu actus anterioris, quo se moveret; ille, inquam, amor perseveravit semper in bono Angelo, nec urgente Luciferi tentatione fuit mutatus, sed firmatus; in hoc quippe apparuit fidelitas bonorum Angelorum, quod in proposito steterunt intrepidi, & inconcussi. Et quamvis fortè urgente tentatione novum habuerint judicium practicum, quo judicarunt, resistendum esse hosti Dei; non tamen propterea mutarunt actum voluntatis, quia judicium illud novum non aliud præcipiebat, quàm ut starent fortes in bello, & in amore inchoato firmi, interritique perseverarent, ne declinando perderent victoriam simul & coronam: ergo plena deliberatio actum non mutavit, sed fovit; non exclusit, sed consolidavit. In hoc enim discernitur bonus Angelus à malo, quòd iste non stetit, seu perseveravit in eodem actu, secus ille; sola enim perseverantia electos à reprobis distinguit, quia virtus boni operis perseverantia est, & voce Veritatis dicitur, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Objicies: D.Thomas *q.63. art.6. ad 4.* ait, quod *prima operatio fuit omnibus communis, sed in secunda sunt distincti; & ideò in primo instanti omnes fuerunt boni, sed in secundo fuerunt mali à bonis distincti.* Ubi S. Doctor distinguit duas operationes, tam in bonis, quàm in malis; primam communem, secundam specialem & discretivam.

Respondeo S.Thomam non dixisse ibi, tam bonos, quàm malos Angelos secundam operationem elicuisse, sed quod in secunda sunt distincti, non in secunda bonorum, sed malorum, quam exercentes sibi fecerunt secundum instans, quod utique fuit in malis, sed non in bonis, ut tam apertè adductis locis S.Præceptor significavit.

Instabis: Esto perseveraverit in bonis Angelis idem actus quoad substantiam, non tamen quoad modum intrinsecum libertatis specificationis, quem in principio non habebat amor Angeli, qui in principio erat tantùm liber libertate exercitii, ut posteà dicemus: ergo amor Angeli habuit posteà aliquid intrinsecum, quod anteà non habebat, nimirum libertatem actualem, quæ debet relucere in operatione, sicut est in principio: atqui hoc sufficit ad multiplicanda instantia; omnis enim fluxus, & mutatio intrinseca operationis variat instans angelicum: ergo in via bonorum Angelorum duo fuere instantia.

Respondeo libertatem specificationis nihil addidisse intrinsecum actui voluntatis angelicæ, quia ut anteà dixi, non erat indeliberatus defectu cognitionis, vel advertentiæ, sicut contingit in nobis, sed defectu prioris actus, quo se moveret; nam ab initio semper æquè perfecta fuit cognitio in Angelis, præsertim quia libertas illa quoad specificationem nihil aliud addidit, quàm quod Angelus suo juri traditus potuit amorem suum mutare, non verò quod illum mutarit, quin potiùs in eodem perseveravit. Unde non transivit ex actu in actum, sed primum retinuit, non amisit.

Insistes: Per hoc actus voluntatis angelicæ fit deliberatus, quod voluntas de uno actu in alium se moveat: ergo si Angelus habuit actum deliberatum, ex uno actu se movit ad alium, subindéque duo fuerunt actus; unus à quo se movit, alter ad quem se movit.

Respondeo actum quidem esse deliberatum quando voluntas de uno se movet in alium; sed tamen adhuc esse deliberatum quando continuat eundem cum potentia ad oppositum se movendi, quamvis nolit ad alium actum divertere, sed in eodem persistere. Dici etiam potest, voluntatem deliberatam Angeli se movisse formaliter, non procedendo ex uno actu voluntatis ad alium, sed ex novo dictamine & judicio, quo arbitrabatur & præcipiebat, eundem actum esse continuandum, & ad perseverandum obligabat.

R E F L E X I O.

Ululet pinus, quia cecidit cedrus. Zachar. 1. *Judicia Dei abyssus multa. Potentes potenter tormenta patientur. Feriunt celsos fulmina montes.* Quis non paveat, dum considerat Angelos orbis miracula, viva divinitatis patella, nitentissima primæ bonitatis specula, expressa similitudinis signacula, & absoluta divinarum perfectionum compendia, post unum, aut alterum instans viæ irreparabiliter præcipitatos in æternum puniendos! Ob unicum cogitationis peccatum Deus non pepercit; quid fiet de bibentibus peccatum sicut aquam? Supremos spiritus tanquam vas figuli confregit; quid fiet de luto & putredine? Pœnitentiæ nec locum Angelis, nec tempus dedit: quid de peccatoribus in peccato perennantibus, tanquam luna deficientibus, semper labentibus, semper relapsis? An fortè saccum putredinis, & semen vermium, discipulum

pulum Epicuri, equum lasciviensem majori loco habebit & pretio? Absit, absurdum est. *Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus*, Abdiæ versu 4. & iterum Isaiæ 47. *Ultionem capiam, & non resistet mihi homo.* Sub eo curvantur qui portant orbem, qui non inidectus, à quo immittitur tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Qui scrutatur Hierusalem in lucernis, qui circumspicit omnes vias hominum in absconditas partes; quo accusante arescunt homines præ timore, quo judicante eunt maledicti in ignem æternum. Hunc, Lector, timeamus, rogemus ne contra folium quod vento rapitur ostendat potentiam suam. Imitemur beatum Iob *cap.* 31. dicentem: *Semper quasi horrentes fluctus super me timui Deum.* Simus auscultatores Ecclesiastis prædicantis c. 12. *Finem loquendi pariter omnes audiamus: Deum time.* Davidem imitemur contestantem: *Memorabor justitiæ tuæ solius.* Sed præcipuè hujus Magni Regis pœnitentiam æmulemur, qui sciens, Deum & Angelos, & Reges peccantes flocci facere, rugiebat à gemitu cordis sui, media nocte surgebat, septies in die Deo laudem dicebat, in jejunio animam suam humiliabat, vestimentum suum cilicium ponebat, genua infirmabat, carnem propter oleum immutabat; cujus pœnitentiam sic describit elegans Salvianus lib. 2. & 4. de providentia. *Deposito diademate, projectis gemmis, excussis purpuris, remota omnis splendoris regii dignitate solitarius, gemens, clausus, sacco squallidus, fletu madidus, cinere sordidatus, agnoscit David culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, pœnitet, cultu & corde mutatur, jejunio exsugitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.* Qui secutus es errantem, sequere pœnitentem, aliàs in judicium incides diaboli.

SPECULATIO II.

Primum Angelorum peccatum fuit superbia.

HAnc veritatem crebrò inculcat Scriptura. Isai. 14. *Detracta est ad inferos superbia tua, qui dicebas: In Cœlum conscendam, & similis ero Altissimo.* Ezech. 28. *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Tobiæ 4. *Superbiam nunquam dominari permittas, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* 1. Timoth. 3. *Ne in superbiam elatus in judicium incidat diaboli.* Ergo diabolus fuit judicatus, perditus, & ad inferos detractus propter superbiam. Et propterea Augustinus vocat superbiam, *delictum maximum, quia ex Angelo fecit diabolum.*

Probatur ratione. Superbia est appetitus inordinatus propriæ excellentiæ sine subjectione ad superiorem, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 162. Atqui primum peccatum Angelorum non est, nec potest esse aliud quam appetitus inordinatus propriæ excellentiæ absque subjectione ad superiorem: ergo primum Angelorum peccatum fuit necessariò superbia. Probatur minor. Natura purè spiritualis non potest primò peccare, nisi per inordinatam prosequutionem alicujus boni spiritualis, quod quærit sine circumstantia subjectionis ad Deum; peccatum enim Angeli debuit necessariò esse circa ultimum finem, qui primò ei occurrit, ut de eo deliberaret; circa ultimum finem verò nemo primò peccat per nolitionem quia in tantùm est nolitio finis ultimi veri, in quantum ab eo recedit; ab eo verò non receditur nisi per accessum ad alium, in quo ratio finis ultimi constituitur: unde necessariò peccatum Angeli fuit prosecutio, non fuga: prosecutio, inquam, boni veri, non verò mali ex suo genere, quia nullos habuit in voluntate habitus pravos; nec ullos sensit passionum æstus, quibus ad malum propenderet; nec in intellectu errorem, vel ignorantiam, quibus malum pro bono acciperet. Illud verò bonum debuit esse spirituale, quia bona corporea, vel peccata carnalia non sunt convenientia naturæ purè spirituali: ergo primum peccatum Angeli debuit esse prosecutio alicujus boni spiritualis: quod attendere debent viri spirituales, qui licèt non sint obnoxii vitiis carnalibus, sæpè tamen vitiis spiritualibus sordescunt, præsertim superbiâ, quæ etiam bonis operibus insidiatur, ut pereant, ut ait Augustinus, & ejus discipulus Aquinas *in* 3. *dist.* 2 2. *q.* 1. *art.* 1. *ad* 4. ibi: *Aliorum peccatorum occasio defectus aliquis esse solet; sola verò superbia est quæ fundamentum ex perfectione sumit.* Et D. Prosper epist. ad Demetr. cap. 9. *Malum superbia maximè virtutibus est cavendum, quia nullis opportunius insidiatur, quàm quibus laus justa debetur; & quos impulsione non movit, elatione dejecit.*

Iam subsumo: Atqui prosecutio boni spiritualis non potest esse mala, nisi malitiâ superbiæ; affectus enim bonorum spiritualium non potest esse malus, nisi quatenus in eo superioris regula non servatur, vel subjectio ei debita, in quo characteristica superbiæ malitia sita est, quæ majorem non agnoscit. Ergo primum peccatum Angelorum non fuit, nec potuit esse aliud quàm amor propriæ excellentiæ, in qua posuit suum ultimum finem, non subjiciendo eam Deo. Quando nimirum Angelus propria perfectione illectus, & veluti raptus, in ea ita sibi complacuit, ut diverteret se à consideratione finis ultimi superioris, scilicet supernaturalis (superbi enim dicuntur *sibi placentes*, 2. Pet. 2.) Non quòd crediderit suam perfectionem & pulchritudinem naturalem esse suum ultimum finem (fuisset enim error nimis crassus) sed quia ex modo quo eam appetivit, convertendo se ad proprium bonum absque ordine ad regulam superioris, voluntariè spernendo mensuram à Deo præscriptam & præstitutam, convictus est illam inordinatè appetivisse, & ita practicè, & in actu exercito se gessisse, ac si judicasset bona naturalia sibi sufficere, & superiori Deo non egere, nec ejus gratiam sibi ad hoc necessariam esse; unde Pelagianismus inceptis in cœlo. Hanc doctrinam tradit August. lib 12. de civit. cap. 1. *Sua potestate potius delectati, velut bonum suum sibi ipsi essent, à superiori communi omnium beatifico bono ad propria defexerunt.* Et Bern. serm. 3. de verb. Isai. *Qui sedere præsumpsit, seipso voluit esse contentus.*

Dices: Ex hoc discursu potiùs sequitur, primum peccatum Angeli fuisse nimiam in seipso complacentiam & delectationem, quam Scotus vocat luxuriam spiritualem.

Respondeo bona spiritualia non posse nimis amari, sed tunc solùm vitiosè appeti, quando voluntas ea prosequitur non se supponendo regulæ superioris. Quare illa complacentia suæ beatitudinis naturalis non fuisset peccaminosa, nisi fuisset illâ circumstantiâ viciata. Maximè quia inordinatus amor sui non constituit speciale peccatum, sed est principium & circumstantia cujusvis peccati: species autem peccati non desumitur ex persona cui peccator vult bonum apparens, sed ex materia circa quam versatur. Materia verò circa quam inordinatum suum amorem Angelus exercuit, fuit propria excellentia, cui ita adhæsit, ut eam subjici alteri excellentiori recusarit, ut singulariter emineret.

Instabis: Ergo primum ejus peccatum fuit inobedientia, qua præceptum subjiciendi se regulæ superioris, transgressus est; non superbia propriè dicta, nisi eo modo quo peccator dicitur superbus, quoties peccat, quia contemnit regulam & legem superioris.

Respondeo, inobedientiam formaliter committi quando voluntas tenuit subjici superiori tanquam Legislatori

gislatori libertatem arctanti, & ideò inobediens ampliùs nititur in vetitum, quia vetitum est, & quod prohibetur, ampliùs placet, fitque ipsa prohibitione suavius, quia est impatiens dominationis & domitoris. At vero nolle subjici regulæ superioris tanquam mensuræ propriæ excellentiæ, est superbia propriè dicta. Sicut humilitatis est moderari appetitum tendendi in excelsa, apponendo divinæ regulæ mensuram.

Insistes: Si ideo Angelus peccavit, quia se, & omnia sua in Deum, ut authorem supernaturalem non retulit; ergo primum ejus peccatum fuit omissio hujusmodi relationis, non commissio superbiæ.

Respondeo omissionem solam nunquam esse primum peccatum, quia Angelus non potest aliquid velle nisi in fine: sicut enim in principiis videt conclusiones, ita in fine media appetit: igitur si vult omissionem, vel eam vult ut finem, vel ut medium ad finem; non ut finem, privatio enim nequit habere rationem finis: ergo ut medium. Sed Angelus non potest velle medium nisi in aliquo fine, a quo semper incipit: ergo supponit alicujus pravi finis intentionem, nec omittit se referre ad Deum, nisi quia pravè se convertit ad se; non enim receditur a termino à quo, nisi per conversionem ad terminum ad quem. In quo Angelus valdè differt ab homine, qui non eodem actu vult finem, & ea quæ sub fine continentur; & sic potest velle omissionem sine commissione, licèt semper habeat actum qui sit causa & occasio omissionis.

Itaque peccatum omissionis relationis in Deum præceditur à peccato commissionis, nempe amore propriæ excellentiæ non subordinato divinæ regulæ & mensuræ. Sicut Sacerdos qui recitat officium sine attentione, quamvis peccet omissione attentionis, priùs tamen peccat peccato commissionis irreverentiæ, eliciendo actum sacrum irreligiosè. Et Typographus, cui Rex inhibuisset imprimere librum sine licentia, si prælo illum absque facultate mandaret, peccaret peccato commissionis contra præceptum Regis prohibentis librum cudi. Deus autem non solùm præcepit Angelo, ut ordinaret beatitudinem naturalem ad supernaturalem, sed prohibuit amare aliquid sine ordine ad tale objectum, quod esset regula & mensura subordinans propriam excellentiam.

Persistes: Eo proportionali modo fuit defectus in voluntate Angeli, quo in intellectu: sed in intellectu fuit solùm defectus & omissio considerationis regulæ superioris: ergo in voluntate non fuit nisi peccatum omissionis.

Respondeo inconsiderationem quæ præcessit peccatum Angelorum, non fuisse puram omissionem, sed defectum advertentiæ; noverat enim Angelus quid debebat facere, urgebatque præceptum satisfaciendi: sed fuit practica, & imperativa consideratio, quia licèt sciret se debere uti regula præscripta, eam tamen despexit, nolens apponere eam amori suo. Vnde convincitur etiam ex malitia peccasse; & eo ferè modo se gessit, quo artifex, qui habens ante oculos mensuram, qua dirigatur artefactum, eâ neglectâ & floccifactâ, procederet ad opus. Vnde hæc inconsideratio erat dupliciter mala, causaliter, & formaliter, quia & malè regebat voluntatem, & malè imperabatur à voluntate in diverso genere causæ; nam nec intellectus considerabat regulam, nec voluntas considerari volebat.

Ex his intelliges, quo sensu verum sit, Angelum peccasse appetendo esse ut Deum, quia voluit in seipso invenire felicitatem vel eam absque alterius adjutorio adipisci, quod tamen solius Dei est; non quidem judicando illam esse acquisibilem sine gratia & meritis, sed modo superbo, & arroganti ita se gerens, ut non solùm non invocaverit auxilium Dei, sed etiam illam ut sibi debitam velle non erubuerit. Et hoc motivum innuit illud, *Ascendam in cœlum Sanctissimæ Trinitatis.* Vbi ly, *ascendam*, designat Angelum appetiisse aliquid quod nondum habebat, nimirum beatitudinem supernaturalem. Vnde Anselmus dicit Angelum peccasse *appetendo illud ad quod pervenisset, si stetisset*; pervenisset autem ad beatitudinem supernaturalem. Certè cùm beatitudo supernaturalis fuerit in primo instanti creationis angelicæ menti objecta, non est credibile voluntatem circa illam fuisse urgente præcepto otiosam.

Porrò non est existimandum, Angelum appetivisse omnimodam æqualitatem cum Deo, etiam appetitu inefficaci & conditionato sub hac conditione ex parte objecti se tenente, si res esset possibilis. Nam Angelus perfectè cognoscebat hanc æqualitatem esse impossibilem; noverat enim se esse ens creatum, & per participationem, nec posse esse ens per essentiam, idque cognitione clara, comprehensiva, nullaque vel passionis, vel pravi habitus nube obscurata. Sanè non est verisimile tam nobilem creaturam in actibus fictitiis, vel potiùs somniis mentem occupasse suam in secundo creationis instanti, in quo agebatur de summa rerum.

Imò dato, & non concesso hoc frivolo actu, cujus etiam puderet hominem sapientem, tamen in hoc non potuit consistere peccatum superbiæ, quia appetere esse Deum, si non repugnaret, non est actus superbiæ, sed ad summum cogitatio vana, & velleitas inanis; nam voluntas absoluta circa hoc ferri non potest, aliàs prosequeretur aliquid impossibile cognitum ut tale. Præsertim quia primum peccatum Angeli fuit circa finem, quem voluit intendere & consequi; intentio autem non versatur circa aliquid impossibile cognitum: licèt enim possit aliquis in re chimærica delectari, non tamen ut finem ultimum seriò intendere, ita ut ex ejus efficaci voluntate cæteras actiones imperarit, & destructionem sui appetiverit; destrueretur enim proprium esse, si transmutaretur in aliam naturam.

Maximè quia non solùm Angelus efficaciter appetiit objectum sui primi peccati, sed etiam voluit negotiari, & ad illud alios Angelos sollicitare. Quis autem dicat, totam sollicitudinem tam sublimis, tamque sapientis creaturæ, sicut fuit Angelus loquens tam intelligentibus, & perspicacibus creaturis sicut erant Angeli inferiores, in illum unicum scopum collimasse, ut in re omninò impossibili, & cognita ut tali delectarentur. Quis, non dico Angelorum, sed etiam hominum admitteret, & non rideret, si diceretur sapientissimum omnium Theologorum omnibus orbis Vniversitatum, & Academiarum Magistris ascitis, omnium argumentorum nervis, & totius eloquentiæ lenociniis suadere velle, ut relictis omnibus suis negotiis occuparentur seriò & accuratè in inanissima cogitatione objecti impossibilis. Certè hujusmodi tentator tam stolidus in eum locum recluderetur, in quo detinentur furiosi.

Eatenùs Angelus appetiit esse ut Deus, quatenus appetiit suam finalem beatitudinem in suo fundo, vel per suam virtutem habere. In hoc enim consistit characteristicus superbiæ spiritus, quod habeat excellentiam singularem sibi propriam, & à quovis alio independentem. Sicut qui invitati sunt ad cœnam magnam, *Luc.* 14. noluerunt venire, potiùs eligentes suam privatam mensam utique lautam, quàm venire ad illam splendidam, quam sponsus parat; sed aliis communem, & à sua liberalitate pendentem. Quare hæc duo Angelicæ superbiæ motiva non debent separari, nec duo actus distingui, quia eodem actu quo recusavit habere beatitudinem supernaturalem ex gratia, voluit

ultimò

ultimò quiescere in seipso, ambitiosè simul ascendens, & turpiter descendens; Divinitatem æmulans, & in propriam relabens infirmitatem. Sic nimirum, sic dividitur, sic confunditur superborum animus; alta ambiunt, sed quia ad illa sine aliis consequi non possunt, quibus humiliari nolunt, malunt in proprio stercore volutare & repere, quàm ad superiorem statum aliorum ope pervenire.

REFLEXIO.

Superbia, & nimius sui amor summos Spiritus ad ima dejecit, castra eorum rupit, turmas collisit, cedros Libani deturbavit, ex Angelis diabolos fecit, & cœli aulicos in inferno sepelivit. Quid fiet de me & te, si libuerit ambulare in magnis & in mirabilibus super se? Nihil Lucifer fecit, nihil ille operatus est, tantùm cogitavit superbiam,& in momento,in ictu oculi præcipitatus est; quid fiet de luto & stercore, si voluerit se magnificare super terram? Proinde, ut monet Propheta, *Ero vir videns paupertatem meam*, ne sim similis illi, cui Ioannes scribere jussus est: *Dicis, quia dives sum, & nullius egeo; & nescis quia tu es pauper, & miser, & miserabilis, & cæcus, & nudus. Ergo* (concludit divinè Bernard. serm.54. in Cant.) *repudiatio Angelorum fiat emendatio hominum; scripta est enim ad ipsorum correctionem. Cooperatur mihi in bonum etiam diaboli malum, & lavem manus meas in sanguine peccatoris. Qualiter, inquis? Audi. Si sic actum est cum Angelo, quid de me fiet terra & cinere? Quis non tolerabiliorem in divite superbiam, quàm in paupere ducat? Va mihi. Si tam durè in potente illo ammadversum est pro eo quod elevatum est cor illius, nec ei profuit quod cognata potentibus superbia esse cognoscitur, quid de me exigendum,& misero,& superbo?* Quod superbierit natura angelica, tot dotibus ornata, tot pollens virtutibus,tot privilegiis decorata, eisque tumens & inflata, grave quidem peccatum est, sed non valde mirandum. Verùm superbire hominem natum de muliere, universam vanitatem, putredine coagulatum, peccatis sordidatum,quis non stupeat? *Odibilis coram Deo & hominibus superbia*,inquit Eccles.*cap.*10.& rationem subjungit: *Non est creata hominibus superbia*; id est,eo est magis in homine odibilis, quo minùs est naturæ ejus conformis. Si peccator est, humiliet se, ut gratiam advocet,quæ sicut aqua, montes deserit,valles profundiores inundat. Si sanctus est, humilior fit, ne cadens pereat,sicut Eleazarus occiso à se elephante,& cadente attritus est. Hinc Gregorius: *Sub bestia, quam prostravit, moritur, qui de culpa quam superat, elevatur.* Hinc Augustinus: *Mensura humilitatis,mensura magnitudinis; superbia amplius amplioribus insidiatur.* Quàm pulchra in magno humilitas! *Nulla splendidior gemma* (ait Bernard. lib.2.de consid.c.6.) *Quo enim celsior cæteris, eo humilitate apparet illustrior, & seipso.*

SPECULATIO III.

Derivatis quibusdam corollariis tota Angelorum materia absolvitur.

EX hactenus dictis sequitur primò, primum Angelorum peccatum fuisse mortale, cùm propter illud ceciderint in infernum diabolo & angelis ejus paratum. Imò asserit D.Thomas 1.2.*q.*89.*art.*4.in ipsis non posse esse peccatum veniale, quia sicut intellectus eorum incipit semper à principiis, in quibus penetrat conclusiones; ita voluntas in actibus deliberatis semper à fine exorditur: unde nunquam eligit media prava, quantumvis in parva materia sint,nisi ex aliquo perverso fine, ob quem talia peccata velit; unde peccata,quæ ex objecto forent levia, adjunctâ illâ pravi finis circumstantiâ fiunt gravia.

Sequitur secundò, supremum Angelorum prævaricatorum fuisse omnium Angelorum principem & hierarcham; quia cùm motivum peccati Angelorum fuerit excellentia, sicut in supremo fuit maxima, ita lapsu gravior fuit. Et ita docet Gregorius *lib.*32. *Moral. cap.*24. Nec obest, quod Lucifer vocetur *Ezech.*28. Cherubim; hoc enim ideo est,quia Cherubim denominatur à scientia, quæ compatitur peccatum, Seraphim verò denominatur ab ardore charitatis, cui repugnat peccatum, & propterea eis nomen illud denegatur, sicut nomen Throni, quod dicitur ab inhabitatione Dei. Sed solùm asseruntur eis nomina Cherubim, Principatuum & Potestatum, quia hæc nomina sumuntur à scientia & potentia, quæ bonis, malisque possunt esse communia. Ipsum sequuta est tertia pars Angelorum,ut innuit Scriptura *Apocal.* 12. credibile enim est, plures remansisse, quàm peccasse, quia peccatum est contra naturalem inclinationem; ea verò quæ contra naturam fiunt, accidunt in paucioribus: natura enim consequitur suum effectum, vel semper,vel in pluribus. Quæ ratio non militat pro hominibus, in quibus prædominatur inclinatio ad bonum sensibile hominibus innata, & ab illa, quam infecit peccatum originale, labe immensùm aucta.

Sequitur tertiò, Angelum in primo instanti non peccasse. Tria enim in ipsis instantia distinguenda esse superiùs diximus. Et rationem hujus consectarii absolutam tradit S.Doctor,quia in primo illo instanti peccare nequivit, aliàs peccatum refunderetur in Deum. Operatio namque quæ simul incipit cum esse rei, inest ei ab agente, à quo habet esse, ut motus sursum inest igni à generante, quia incipit cum esse; Author enim naturæ simul inclinationem inserit ad propriam perfectionem, aliàs opus suum imperfectum relinqueret. Et hoc maximè necessarium est in creatura intellectuali, cùt primum judicium practicum indispensabiliter, & specialiter debet à Deo infundi: dictamen enim non imperat aliquid exequendum, nisi ex efficacia præsupposita voluntatis, quæ tunc nondum datur, quia voluntas supponit judicium, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum, subindéque prima volitio primum judicium supponit; quod cùm non possit esse à voluntate, ne detur circulus & processus in infinitum, à Deo indi necessum est. Atqui judicium à Deo inditum non potest dictare actionem malam, aliàs Deus esset author sceleris, & implanans seminator erroris. Ergo primus actus voluntatis angelicæ non potuit esse peccato ullo sordescens, ne author naturæ sit causa malitiæ; sicut tibiæ in primo motu claudicantis defectus refunditur in principii debilitatem. Quare impeccabilitas Angeli in primo instanti non oritur ex perfectione naturæ, vel ex cognitione clara omnis boni, sed ex indefectibilitate principii, à quo tunc ut speciali authore movetur. Felix qui à Deo agitur, & specialiter permovetur! Quis sub tali ductore deficeret, qui non potest applicare intellectum nisi ad dictamen rectum, nec voluntatem nisi ad amorem castum.

Dices: In primo actu Angelus fuit liber, saltem libertate contradictionis; Angelus enim fuit creatus cum perfecto usu rationis exigente in intellectu indifferentiam judicii, & in voluntate libertatem: ergo potuit elicere, & non elicere actum imperatum; quod sufficit ut potuerit peccare omittendo.

Respondeo, quod licèt Angelus potuerit absolutè omittere actum præceptum, illa tamen omissio in primo actu non potuit esse privativa, sed merè negativa; quia ut omissio sit privativa & peccaminosa, requirit actum; omissio enim non est voluntaria sine aliquo

aliquo actu, saltem præsupposito. In primo autem instanti nullus potuit actus malus præsupponi, quia omnis actus malus supponit dictamen defectuosum, quod tunc esse nequivit. Potuit ergo Angelus omittere illum actum quantum est ex vi objecti non necessitantis, & ex modo procedendi intellectus cum indifferentia judicii: sed non potuit omittere, si omissioni adjungatur peccatum, quia Angelus prout subest speciali motioni Dei, non habet potentiam ad peccandum. Nec exigitur ad libertatem, quod voluntas possit omittere actum sub omni ratione & modo, sed quod ex meritis objecti, & ex modo tendendi non necessitetur ad illud ponendum. Vno verbo, præceptum non aufert potentiam, sed posito præcepto, omissio fit peccaminosa, ad quam ut talem Angelus non habet facultatem; quia omissio est illi possibilis absolutè & secundùm se, sed non sub reduplicatione, & appellatione defectibilis. Faciliùs & promptiùs juxta aliàs dicta de concordia libertatis respondeti posset, Angelum in primo instanti posse quidem omittere præceptum, sed nolle posse potentia antecedenti, non consequenti: vide ibi.

Vrgebis: Voluntas hoc ipso quod liberè agit, sese movet, seseque applicat; liberum enim dicitur quod sui causa est, præsertim quia præmotio Dei, quæ ad omnes actus datur, ponit voluntatem sufficienter in actu respectu primæ volitionis: ergo voluntas Angeli in primo instanti potuit se movere ad peccandum.

Respondeo in omni actu libero voluntatem se movere virtualiter, quia dum vult, sine dubio vult se velle; cæterùm formaliter non se movet, nisi præsupponantur aliquis actus. Per præmotionem verò generalem formaliter non se applicat, sed applicatur à Deo. Tunc autem dicitur se applicare propriè, quando id facit per aliquem actum, sicut & alias potentias applicat mediante aliquo actu: nullus autem datur actus qui primum præcedat.

Insistes: Homo in primo instanti usus rationis potest peccare, in via D. Thomæ, & peccat si non se convertat ad Deum; & tamen primum illud peccatum non refunditur in Deum: ergo licèt Angelus in primo instanti peccaret, non proptereà tamen Deo attribueretur tale peccatum.

Respondeo hominem posse peccare in prima rationis aurora, non mathematicè, sed moraliter spectata, supponente non solùm innumeros actus phantasiæ & appetitus sensitivi, ex quibus potest se movere, sed etiam discursum formalem. Vnde grandis est disparitas inter hominem & Angelum; ipse enim non pedetentim ab imperfecto ad perfectum procedit, sed ab exordio plenam intelligentiam habet, plenumque libertatis usum, ad quem proinde non se movet per actus præcedentes imperfectos, sed à Deo excitari debet. At verò homo paulatim ad usum rationis pervenit, subindéque per illum dispositionum apparatum, quem ante usum rationis acquisivit, potest se movere, & in instanti usus rationis in actum deliberatum prorumpere, & peccare.

Sequitur quartò, Angelos malos non fuisse bonos nisi per unicum instans indivisibile, etiam per correspondentiam ad tempus nostrum. Si enim ampliùs bonum actum protraxissent, in veritate immobiliter stetissent; quia post plenam deliberationem inflexibilis sunt firmitatis, ut anteà vidimus. Vnde dicitur 1. Ioan. 3. *Ab initio diabolus peccat*, id est, initium esse illius fuit initium, saltem extrinsecum, peccati. Et Ioan. 8. *In veritate non stetit*; id est, permansit. Et Augustin. lib. 11. super Gen. ad litt. cap. 23. *Factus continuò Angelus, se à luce veritatis avertit, superbiâ tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus.* Subscribit Bernard. serm. 1. Advent. *Fugite superbiam, fratres mei, quæso, multùm fugite. Nihil satan operatus est, tantum cogitavit superbiam, & in momento, in ictu oculi irreparabiliter præcipitatus est. Initium omnis peccati superbia, quæ tam velociter ipsum quoque syderibus cunctis clarius micantem caligine obtenebravit Luciferum.* Vnde concludit S. Doctor q. 63. art. 6. *Probabilior, & dictis Sanctorum magis consonans opinio est, quod statim post primum instans suæ creationis* (quod ut distinguitur ab instanti conservationis, est omninò indivisibile) *diabolus peccavit.* Additque *in responsione ad* 1. ambulationem illam viarum Angeli, tentationem, prælium, quæ Scriptura commemorat, non temporis durationem, sed variorum actuum subordinationem significare. Addi etiam potest, mutuum illum Angelorum se invicem impetentium conflictum durasse post secundum instans, post quod non est certum statim fuisse dæmones ad infernum detrusos, & bonos coronatos. Vnde per correspondentiam ad tempus nostrum potuerunt instaurare prælium, ne gloriosior foret Sanctorum Angelorum de dracone triumphus.

Sequitur quintò, peccatum Angelorum statim comitatam fuisse pœnam internam, etiamsi fortè statim non fuit ad ima detrusi. Sicut enim, teste Chrysostomo, statim post peccatum fert Deus in ipsum sententiam: *Huiusmodi est peccatum* (inquit homil. 12. in 2. ad Corinth.) *ut protinus ac perpetratum est, sententiam ferat judex*: ita peccatum pœna confestim comitatur. Inflexibilitas enim in malo grandis est cordis pœna. Et apud verè illuminatos, *maxima pœna peccati peccatum est. Iussisti Domine* (inquit Augustinus) *& ita est, ut omnis inordinatus animus pœna sit sibi.* Et Fulgent. *lib. de fide ad Pet. cap.* 3. sic ait: Initium suæ damnationis in ipsa voluntatis aversione invenit.

Sequitur ultimò, peccatum Angelorum per pœnitentiam non deletum, in alia suo pondere peccata traxisse; & ideò rectè dici in Scriptura superbiam *initium omnis peccati*. Nam non solùm peccavit contra charitatem non diligendo Deum, sed se super omnia; contra obedientiam, floccifaciendo summi Legislatoris præceptum; sed etiam contra spem, nimia præsumptione appetens bonum supernaturale propriis viribus comparare. Item contra charitatem fraternam peccato invidiæ, *quam*, ut ait Augustinus, *superbia continuò parit, nec unquam est sine tali prole, atque comite.* Hinc illi displicuit & excellentia divina, sed maximè torrodebatur de dignitate Hominis-Dei, cujus adorandi præceptum illi impositum fuit, juxta illud Hebr. 1. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Nec improbabile est, ipsum in suo decore intumescentem, speciei suæ admiratione sese continentem (non secus ac pavo gemmatas, & versicolores plumas in orbem turgidus circumagit) appetivisse unionem hypostaticam, nullum præter se eâ dignum reputasse, & humanitatem sibi in hoc prælatam ægrè tulisse, imò & se Verbo Dei prætulisse, ut innuit Bernard. serm. 69. in Cantic. *Omnis altitudo contrita est, Patre nimirum Zelante pro Filio. Domine quis similis tibi? Quis nisi splendor & figura substantiæ tuæ? Sedes illi à dextris tuis, non sub pedibus. Quo pacto audet quis pervadere locum Vnigeniti tui? Præcipitetur. Ponit sibi sedem in excelso: subvertatur cathedra pestilentiæ.* Vides quod abyssus peccati abyssum invocat, unde de dæmone rectè dicitur Ezech. 28. *In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate.*

Sed præcipuè odii & invidiæ œstro in homines abripitur dæmon, juxta illud Magni Leonis serm. 4. de collect. & eleemos. *Inventor ille, authorque peccati. Primùm superbus ut caderet, deinde invidus, ut noceret.* Vrunturautem invidiâ in homines, tum quia, ut ait Basilius, cùm in Deum furere nequeant, hominem

ejus

ejus imaginem rabiendo perſequuntur, & quantum poſſunt, diſcerpunt. Sic panthera ferociſſimum animal odio in homines implacabili depaſta, dum nequit effundere iram in perſonam, occurrentem ejus imaginem æſtuans lacerat. Tum quia ſciunt multis hominibus pœnitentiæ locum ſibi denegatum gratiâ Redemptoris indulgeri: proſperitas autem aliena invidiam facilè conciliat; & quos ſemel corripuit, efferat, depaſcit, exoculat.

Reflexio.

Peccantium Angelorum ruinas implere tenentur homines: ergo qui ad ſocietatem cœleſtium ſpirituum perduci deſiderant, neceſſe eſt ut ad cœleſtium virtutum imitationem, dum in hoc mundo peregrinantur, vitam & mores informent. Angelica vita in terra ab illis ducenda, quibus angelicæ æqualitas gloriæ promiſſa eſt: *Qualem putas hominem eſſe oportet* (ait Bernardus ſerm. in Kalend. Novemb.) *qui repudiati locum Angeli ſortiatur? Planè immunem ab omni peccato.* Anne convenienter ſufficietur in gradum & honorem Angeli diſcipulus Epicuri? Quomodo implebit ruinas per unicum peccatum illatas, qui apponit iniquitatem ſuper iniquitatem? Pœnâ diaboli, non ſede Angeli, dignus eſt mancipium diaboli. *Homines ſumus* (inquit Auguſtinus lib. de Bapt. cont. Donat. cap. 5.) *ſed ſpe Angeli ſumus, quibus æquales in reſurrectione futuri ſumus.* Igitur eorum conformemur virtutibus, ad quorum faſtigia aſſumemur. Ne dubites de tanto promiſſo tibi privilegiò. Ait enim Divus Thomas quæſt. 108. art. 8. *Quidam poſuerunt quod nullo modo homines transferri poſſunt ad æqualitatem Angelorum, quod eſt erroneum. Repugnat enim promiſſioni Chriſti dicentis Luc. 20. Quod filii reſurrectionis erunt æquales Angelis in cœlis.* Sed potiùs dubita, ne ad illam Angelorum ſocietatem admittaris, qui non angelicam, ſed vix humanam, & ferinè beſtialem vitam ducis. Angelorum novem choros mente revolve, & *vide ſi in numero horum agminum* (præclara eſt Gregorii meditatio homil. 34. in Evangel.) *ſortem tuæ vocationis invenias.* An inter Seraphim collocabere, qui nullas amoris divini ſcintillas ſentis? Scilicet occupabis Cherubim ſedes, terrena ſemper cogitans, ſcientiâ Sanctorum vacuus? Fortè Thronis ſufficieris, ut Deum portes, ut Deo plenus ſis, qui in paſſionibus vix tecum habitas, factus tibi ipſi gravis. Principatum, Poteſtatum, Dominationum, Virtutum forſan ruinas implebis, qui omnibus tentationibus victus ſuccumbis, vitiis ſervis, corpori mancipatis? Forſitan inter Angelos & Archangelos locus dabitur otioſo, obſcœno, in ſtercore volutanti? *Væ* (ſubdit laudatus Gregorius) *animæ quæ in ſe de his bonis minimè aliquid recognoſcit, eique adhuc væ deterius imminet, ſi & privatam ſe donis intelligit, & nequaquam gemit. Quiſquis ergo talis eſt, fratres mei, gemendus eſt valde, quia non gemit. Penſemus ergo electorum munera, & virtute qua poſſumus, ad amorem tantæ ſortis anhelemus. Suſpiremus ad eos, de quibus loquimur.*

DISSERTATIO IV.

De creaturis corporalibus, & de homine: ubi opus ſex dierum explicatur.

CORPORUM quidem conſideratio, & hominis ſpeculatio ad Philoſophos ſpectat, ſecundùm rationes lumine naturali cognoſcibiles, nihilominus prout illa ſunt effectus Dei; qui effudit ſapientiam ſuper opera ſua, & ſecundùm rationes illas, quas ſola fides detegit, corporalium contemplatio Theologici eſt inſtituti. Quid enim Theologo dignius creationis rerum notitiâ, quam in Geneſeos frontiſpicio Scriptura ſacra commemorat? Quid utilius meditatione ſtatus innocentiæ, in quo Protoparens conditus eſt, condirique fuiſſemus, niſi priùs fuiſſet interemptor, quàm pater. Mundum ergo corporeum conſiderabimus, quatenus eſt *hic mundus divinæ ſpecimen operationis, quia dum opus videtur, præfertur operator*, ait Ambroſius *lib. 1. hexaëm. cap. 5.*

CAPUT I.

Speculum divinorum operum, ſeu de productione & ornatu Univerſi.

POtuit Deus omnipotens omnia ſimul creare, diſtinguere, & ornare; voluit tamen divina ſapientia in hoc triplici opere relucere: tum ut ſplenderet in creatione potentia, in diſtinctione ſupremi Artificis œconomia, in ornatu effuſio bonitatis: tum ut dependentia & imperfectio clareret creaturæ, cujus egeſtas de ſtatu imperfecto ad perfectum debuit pertranſire: tum ut rerum productarum naturæ accommodaretur creatio. Angeli qui ſupra tempus ſunt, eo inſtanti, quo condìti, perfecti fuere; corpora verò tempori, motuique obnoxia modo ſucceſſivo perfici & adornari convenientiſſimè poſtularunt. Ea quæ ad creationem corporum pertinent, ſatis, ſupérque diſſertatione prima tradita ſunt, ubi monſtravimus corpora à ſolo Deo, & propter Deum creata, non mediis Angelis, qui non poſſunt res producere, nec per impetium proprium Creatori, nec per ſeminalem virtutem propriam corporibus; ſed applicando ſolùm activa paſſivis. Quare ſolùm agendum reſtat de opere diſtinctionis & ornatus, quod planè conficiemus agendo ſigillatim de operibus ſex dierum. Circa quæ multa philoſophica diſputari poſſent, ſed ea, utpote à ſtudio noſtro, & à divinæ lectionis ſerie aliena relinquimus, ſolo Scripturarum magiſterio contenti.

Speculatio I.

Convenientiſſimè ſex dierum opera Moſes delineavit.

POſtulat hæc ſpeculatio, ut ſeriem hiſtoriæ, quam texuit Scriptor Canonicus, pedetentim explicemus, preſſis ab ipſo veſtigiis inhærentes; juſtum enim eſt, ut eum ſequamur, qui & Authorem novit, & Gubernatorem. *Cui teſtificatur Scriptura, quod non in viſione, neque in ſomniis, ſed ore ad os cum Deo ſummo loquutus; neque in ſpecie, neque*

per ænigmata, sed clara, atque perspicua essentia divina cognitione dignatus, ut ait Ambrosius *lib.* 1. *Hexaem. cap.* 2.

In principio igitur Deus creavit cœlum & terram, id est, omnia corpora cœlestia & elementaria; gratis enim, & sine fundamento ullo diceretur, unum corpus ex alio genetasse. Et certè cùm Scriptura conceptis verbis dicat, Deum creasse terram, perperam negaretur homini corporum propriè dicta creatio, cùm non habeamus alium locum præter istum Geneseos, unde creationem propriè dictam probemus. Quod si infimum elementorum terram creatam esse credamus, irrationabiliter de aliis perfectionibus, aqua, aëre, igne id inficiaremur. Creata autem sunt corpora informia, quia & cœlum luce carebat, & terram fructu omni, & germine carentem aqua inundabat. Nam *tenebræ erant super faciem abyssi, & terra erat inanis & vacua.*

Portò duratunt hujusmodi tenebræ per multas horas; nam *factum est vespere & mane dies unus.* Cùm ergo dies illa fuerit in æquinoctio, secundùm omnes, vel vernali, vel autumnali, tenebræ, sub quibus mundus creatus est, debuerunt multùm durare, ut deservirent pro nocte primæ diei. Et sic vel per duodecim horas durarunt, si dies incipiat ab occasu solis; vel per sex, si dies incipiat à media nocte. De cœlo tamen empyreo credibile est, fuisse productum cum tota sua perfectione, & ut sic dicam formositate. Tum quia Scriptura ejus formationem non commemorat. Tum quia cùm non sit obnoxium motui & tempori, sine successione debuit perfectionibus omnibus cumulari. Lux tamen illius ob summam raritatem & subtilitatem abyssi tenebras non impediebat, sicut nocte lux ignis qui est in sua sphæra, non videtur. Præsertim quia ex dispensatione divina splendor ejus occultabatur, sicut Christus gloriam sui corporis suspendebat.

Prima die post creata corpora incepit opus distinctionis à formatione lucis, quæ est veluti decor mundi, & sine qua non fuisset prima dies. In quo autem corpore recepta sit lux illa, ut totum orbem tediis illuminaret suis, & splendorem in totum mundum ejacularetur? Aliqui putant lucem illam fuisse in aliqua nube receptam; sed vix intelligi potest, quomodo lux unius nubis potuerit totum orbem terrarum illuminare, & ad omnes tam ingentis magnitudinis sphæras emittere lucem; quamvis enim per miraculum id fieri possit, tamen Deus in prima rerum conditione non miraculis, sed ab eo quod naturale est, incepit. Vix etiam dici potest, quid de illa nube factum sit. Si desit: ergo in principio aliquid Deus ad destruendum, non ad perseverandum produxit. Si permansit, planè superfluit præsente sole. Quare probabilior est sententia D. Thomæ, lucem illam in sole fuisse productam, ut distingueret lucem à nocte; quia sol prima die quoad substantiam productus erat, quia cùm sit incorruptibilis, non per generationem, sed per creationem factus est. Dicuntur tamen facta luminaria quarta die quoad officium influendi in hæc inferiora quoad varios aspectus, & motus inducentes diversitatem tempestatum. Vnde signanter dicit sacer textus: *Fiant luminaria, & dividant diem ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos.* Quæ verba sunt formaliter intelligenda, id est, fiant luminaria quoad munus illuminandi.

Dices. Si substantia solis creata fuit in principio, in quo erant tamen tam opacæ tenebræ; ergo sol productus fuit sine proprietate sua connaturali, quod est admittere aliquid monstruosum, & præternaturale in prima rerum institutione.

Respondeo, lucem esse proprietatem solis, sed non pro statu informi, in quo productus est; sunt enim aliquæ proprietates quæ non conveniunt nisi supposita aliqua conditione, ut diximus suprà explicando, an species intelligibiles sint proprietates Angelorum. Sicut enim homini pro diversis ætatibus diversæ conveniunt proprietates; similiter soli ut informi non convenit ea plenitudo lucis, quæ ipsi competit ut est principium varietatis generationum & corruptionum. Nihil ergo desuit Soli, quod deberetur; sed tunc solùm collatum est, quando debebatur ob bonum universi, cui Solis creatio servire debebat.

Secunda die duo facta sunt, firmamentum scilicet, & divisio aquarum, quæ erant sub firmamento, ab iis quæ erant super firmamentum. Sed difficultas maxima est, quid per firmamentum, quid per aquas illas intelligatur. Nam omnia corpora cœlestia in principio creata sunt, & aqua sub igne & aëre connaturalem locum postulat; violenter ergo supra cœlum in prima conditione collocaretur. Quare planiùs dicitur per firmamentum, seu cœlum intelligi aërem, seu spatium illud in quo nubes coagulantur, sicut dicuntur *volucres cœli*, id est, aëris. Et Psal. 146. *Qui operit cœlum nubibus.* Per aquas verò intelliguntur nubes aquis tumentes, & torulentæ; & ideò aër dicitur firmamentum, quia ibi firmantur vapores; ibique dividuntur aquæ ab aquis, quia ibi est terminus, limes, & meta ad quam perveniunt vapores, quos ex aquis inferioribus elevat Sol. Quod maximè verum erat in principio, antequam aquæ congregarentur in locum unum; tunc enim non invenientes fundum, usque ad terram aëris regionem extendebantur; descendente verò aqua in mare, mansêre nubes super firmamentum, id est, regionem illam, in qua condensantur & glomerantur nubes. Porrò dicitur firmamentum factum, non quòd fuerit aër de novo productus, sed quia de novo virtutem retinendi vapores, nubesque condensandi accepit, & quia aër superior, recedentibus aquis paulatim diffundebatur, & loco illarum subintrabat: propter illam ergo rarefactionem & expansionem dicitur aër factus ad firmandos & retinendos aqueos vapores, juxta illud Iob 26. *Qui ligat aquas in nubibus, ne erumpant pariter deorsum.* Firmitas enim in Scripturis non solùm dicitur de re solida, sed etiam tenui & subtili; firmiter enim venti moventur: aër etiam dicitur firmus, Proverb. 8. *Quando æthera firmabat sursum.* Et panis dicitur firmamentum, Psal. 104. *Omne firmamentum panis contrivit.* Ex quibus solves aliquorum instantias ludentium in nomine firmamenti, ut impugnent nostram sententiam. Quod si malis per firmamentum intelligere cœlum sydereum, dicendum per aquas, quæ supra ipsum esse dicuntur, intelligi cœlum crystallinum, quod ob diaphaneitatem aqueum dicitur; sicut empyreum dicitur igneum, ob splendorem ignis, quem præ se fert.

Tertia die tres operationes narrat Scriptura, congregationem aquarum in unum locum; exsiccationem terræ, seu aridæ, recedentibus aquis, apparentis; & fœcundam herbarum, arborumque germinationem. Quos quidem effectus Deus immediatè operatus est, legem ponens aquis ne transirent fines suos, neque converterentur operire terram, & ut dicitur Ierem. 5. *Qui posuit arenam terminum mari præceptum sempiternum.* Tanta etiam herbarum, & arborum, quibus una die terra vestita est, germinatio non à creaturis, sed à solo Creatore procedere potuit. Facta autem fuit hæc aquarum congregatio vel per elevationem & ascensum aquæ in unum locum, juxta illud Psalm. 32. *Congregans sicut in utre aquas maris*; in utre autem intumescit aqua, non diffluit, sicut in stagno; vel per descensum aquæ in profundum terræ hiatum, in quem confluxere aquæ; vel per condensationem aquæ, quæ

in

in principio erat rarior, & tenuior. Porrò terra, quæ excavata est, & effossa ad dandum locum aquis, distributa est in montes pro variis vitæ humanæ commoditatibus; in illis enim aër est purior, calor temperatior, aqua limpidior, ut posteà dicemus.

Terra autem divinitùs exsiccata est; neque enim Sol, aut venti eam una die arefacere potuissent. Et statim terra herbas, fructusque protulit, juxta accommodatum cuique regioni temperamentum, ut haberent animalia, & homines posteà producendi opportunos sustentationis cibos, utque impleretur vacuitas, & tolleretur inanitas hujus elementi: & hæc die expeditum est opus distinctionis.

Quarta die incepit opus ornatûs à corporibus cœlestibus, sicut ab eis opus creationis & distinctionis initium sumpserat. Ornata autem sunt cœlestia luminaria, non quidem per alterationem ipsorum, cùm cœli sint incorruptibiles; nec per acquisitionem novæ pulchritudinis aut figuræ, quia in instanti, in quo datur corporibus cœlestibus perfectio debita, immutabiliter datur. Unde si Soli advenit nova qualitas, id non fuit per incrementum præcedentis, sed per alicujus novæ infusionem. Consistit igitur ille novus ornatus in quadam determinatione virtutis Solis ad inducendas temporum varietates in calore, frigore, siccitate, caussandosque varios aspectus, congressus, & digressus planetarum; unde resultat varietas climatum & tempestatum. Debebant autem differri usque ad quartum diem hi speciales cœlorum motus, quia primis tribus diebus nondum erat terra discooperta, in qua fiunt mixtorum generationes, ad quas cœlorum motus & influxus ordinantur.

Observat enim Sacer Historiographus quatuor ob fines ornata esse hac die luminaria. Primò, ut dividant diem ac noctem, quod non intelligitur de præcisa distinctione diei à nocte; id enim prima die factum fuerat; sed de distinctione cum aliquo ornatu, quatenus omnium efficiunt dies vel noctes longiores, vel breviores; calidiores, vel frigidiores; nebulosiores aut sereniores. Secundò *ut sint in signa*, quatenus penes diversos aspectus quos habent astra inter se, fiunt diversæ constellationes ad prognosticandum plures effectus deservientes, quibus notis possunt homines negotiis agriculturæ, navigationi, & medicinæ providere. Tertiò, *ut sint in tempora, & dies, & annos.* Nam ex diversis astrorum congressibus & oppositionibus annus fit magis abundans, vel sterilis; sanus, vel infirmus; pluviosus, vel serenus. Alios namque effectus parit luna in novilunio, alios in plenilunio; necnon juxta varios aspectus planetarum, & occursus signorum, ut constat experientiâ. Quartò, *ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram*, non quòd ibi tunc posita sint, sed quia novo modo determinata sunt ad mundum per varios aspectus illuminandum & fœcundandum.

Quinta die generati sunt pisces in mari, & volucres in aere; sexta verò die animalia super terram, quibus Deus benedixit, seséque juxta species suas propagandi virtutem impertitus est. Tot verò animantium greges solus Deus formavit, quia in tempore brevissimo, & solo imperio prodierunt: quæ autem ex putri materia concursu sydetum fiunt, longum præexigunt materiæ apparatum, & semina decisa, quod utique contingere non potuit quarta die. Signanter autem dixit Moses, *quod Deus creavit cete grandia, & omnem animam mobilem, quam produxerant aquæ in species suas*; ut indigitaret illa non esse simpliciter creata, sed ex aquis generata. Vtitur tamen verbo creandi, quia non modo connaturali, sed altiori, atque ad creationem accedenti ea Deus effecit, nimirum imperio, quo apertissimè significavit se esse Dominum totius entis, nec indigere materiæ paulatim alteratæ dispositione, sed modo proprio Creatoris, tempore brevissimo, in multitudine innumerabili, spretis consuetis caussarum secundarum modis.

An autem ex aquis solis, vel ex terra, vel ex aëre producta sint animalia, dubitant sacri Interpretes. Probabilior ea mihi sententia judicatur, quæ credit trium illorum elementorum materiam tali formationi serviisse: nam cùm in avibus & reptilibus prædominentur qualitates terrestres, soliditas, siccitas, ponderositas, negari rationabiliter non potest terram illis materiam ministrasse, idque apertè traditur cap. 2. *Formatis de humo cunctis animantibus, & universis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adam.* Pisces etiam cùm habeant substantiam firmam, tametsi perhumidam, credibile est ex aqua quidem potissimùm, sed etiam ex vaporibus terreis, & aereis esse productos. Porrò animantium species in statu perfecto factæ sunt, ut aliquæ possent servire labori homini necessario, & omnes propagationi suæ intendere. De multitudine verò numerali, qualis, & quanta fuerit, vix potest, nisi divinando, definiri. Hoc tamen certum, cujuslibet speciei animalium perfectorum masculum & fœminam producta fuisse. Dixi, animalium perfectorum, quia tunc non oportuit pullulare illa animalcula ex putri materia solita generari, quia ad orbis decorem, subindéque ad primam ejus institutionem minimè requiruntur, nisi fortè aliqua necessaria fuerint ad aliorum animalium esum. Eadem die produxit Deus hominem, sed quæcumque ad ipsum spectant, in caput sequens rejicimus.

REFLEXIO.

Hæc omnia, quæ descripsimus opera aspectu tam pulchra, distributione modulata, potentiæ & sapientiæ divinæ miracula non propter se fecit Deus nullius indigus, ab æterno beatus; sed propter te, Lector, tantos thesauros effudit; in honorem tuum & gloriam illa condidit, ut esses dominus terrenorum; & in illis, & super illa dedit tibi vices suas, ut non fraudaretur Domini Vicario mundi tam larga possessio. Hæc cùm ita sint (infert Chrysologus *serm.* 145.) *Homo, quare tibi tam vilis es, qui tam pretiosus es Deo? Quare sic honoratus à Deo, teipsum taliter inhonoras? Quare quæris unde factus sis, & ad quid factus sis non requiris? Nonne tota ista, quam vides, tibi facta est mundi domus? Tibi infusa lux circumfusas removet tenebras, tibi est temperata nox, tibi dimensus est dies; tibi cælum solis, luna vario fulgore radiatum est; tibi terra floribus, nemoribus, fructibus est depicta; tibi creata est in aëre, in campis, in aquâ speciosa mirabilis animantium multitudo, ne gaudium novi sæculi tristis solitudo confunderet. Nec tamen te terrenum terrestribus sic æquavit, ut non etiam te cælestibus exæquaret, ut esset tibi cum Deo ratio communis: corpus commune cum jumentis dedit tibi, animam de cælo dedit tibi, & corpus de terra, ut in te nexa cæli, terraque concordia servaretur.* Quid elegantius? Porrò data tibi sunt illa omnia, non ut illis inhæreas, sed pertranseas; non ut fruaris, sed ut utaris. Degener nimis est animus tuus, mens nimis servilis erit, si illis quæ sub te, & propter te sunt, cor totum apponas. O te miserum, & nulla misericordia dignum, si terreno enutritus in luto, cœlestia despiciat animus æternitatis candidatos. A cœli creatione exorsus est divinus Opifex, ut ad illud primos volveremus intuitus, inclinaremus affectus, ibique nostra fixa essent corda, ubi vera sunt gaudia. Sic eris major cœlo, quia Dei capax factus, transcendes cœlum, & ipsum possidebis in corde quem cœli capere non possunt. Eris clarior

sole, si virtutum radiis splendens, nulla te vitiorum nocte fuscari permittas. Eris lucidior lunâ, si nullo, sicut illa, menstruo interpoletis obscuro, sed in amore Dei continuò perseveres. Eris fulgentior stellis, quæ nocte rutilant, si vita tua recipiat nihil de nocte. Eris uberior plantis & arboribus, si sacrarum inspirationum pia semina facias germina, quæ sata sunt. Hoc tibi & mihi concedat Deus visitatione sua; hunc nobis affectum rore suæ pietatis infundat, & det ipsemet incrementum seminibus suis & verbis meis quo possimus in collectis manipulis meritorum ad fructum centesimum pervenire.

Speculatio II.

Illos sex dies fuisse plures naturales asserunt multi Patres; unicum tamen fuisse credidit S. Augustinus.

Placuit in hac positione Angelicum nostrum Doctorem imitari, qui pro ingenita sibi erga Patres Ecclesiæ reverentia explicans opificium mundi, potiùs elegit Sanctorum opiniones recensere, quàm suo judicio tametsi præcellenti, & oculatissimo, ulli sententiæ præjudicium inferre, præsertim verò Augustini, cujus spiritum ebiberat, & quo Magistro gloriabatur. Legerat illud August. lib. 1. de Genes. c. 1. *De obscuris naturalium rerum, quæ omnipotenti Deo artifice facta sentimus, non affirmando, sed quærendo tractandum est, in libris maximè, quos nobis commendat authoritas divina.* Quare utramque sententiam suis munimentis vallatam oculis, & libertati Lectorum exponemus.

Communis ergo Patrum intelligentia dies illos à Mose recensitos censet esse sex naturales & temporales, similes nostris ordinariis. Tum quia id videtur exigere plana sacræ Geneseos littera & historia, quæ in suo initio & frontispicio non debuit à metaphoris & allegoriis exordiri. Tum quia dies illi tanta proprietate, tanta distinctione exprimuntur & describuntur, ut nisi cogat ratio manifesta, durè admodum & violenter ad sensus mysticos detorqueantur. Aliàs nihil certum, nihil perspicuum è sacris & canonicis historiis elici unquam poterit, si tam aperta narratio ad dies angelicos vix sapientioribus notos referatur. Tum quia si omnia uno die, vel instanti confecit Deus, quid promptius erat ad dicendum, vel facilius ad credendum, quàm dicere Deum ea simul perfecisse? Quid opus erat *mane & vespere* tanta accuratione singulis diebus distinguere, & errandi occasionem dare? præsertim cùm in reliquo Scripturarum contextu nullibi *mane*, nullibi *vespere* pro diebus angelicis usurpetur. Imò *Exod.* 20. expressè dicitur: *Sex diebus operaberis; sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram.* Vbi cùm apertè in priori parte hujus præcepti loquatur de diebus naturalibus, ita & in secunda, aliàs non recta videretur illa causalis: *Sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram.* Tum demùm, quia videtur satis voluntarium distinguere dies penes diversas cognitiones in Angelis; unde enim scitur Angelos sex tantùm cognitiones habuisse? Vnde colligemus sex cognitiones illas fuisse in superioribus, vel in inferioribus, cùm superiores minùs dividant conceptus? Cur potiùs numerabimus dies propter cognitionem Angelorum inferiorum, quàm superiorum? cùm constet quod si Angeli inferiores habuerunt sex cognitiones, superiores pauciores habuerunt; vel si superiores sex elicuerunt, longè plures in inferioribus, & infimis admittendæ sunt.

Divus verò Augustinus *lib. de Genesi ad litteram*, per diversa capita, *& lib.* 11. *de civit. cap.* 9. expressè negat istos sex dies esse naturales, vultque omnia esse facta primo die, quamvis fateatur alios sex diebus esse propagata. Vt salvet tamen modum loquendi Scripturarum, ait sex illos dies recensitos non esse naturales, sed angelicos, distinctos non ex parte cognitionis, sed ex parte rerum cognitarum, ita ut primum opus ut cognitum ab Angelo, sit primus dies; secundum opus, secundus dies, & sic de aliis; vespere vero & mane, de quibus loquitur Moyses, interpretatur de cognitione matutina & vespertina, quarum illa cognoscit res in Verbo, ista extra Verbum per proprias species.

Motiva Augustini sunt primò, quia *Genes.* 2. Moyses recapitulans omnia in primo capite enarrata, ait: *Istæ sunt generationes cœli & terræ, in die qua creavit Dominus cœlum & terram, & omne virgultum agri, priusquam germinaret.* Vbi omnia producta reducit ad unum diem, & omne virgultum tunc productum asserit non actu, sed in virtute ad germinandum. Succinit Ecclesiasticus c. 18. *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul.* Si omnia; ergo non aliqua solùm. *Si simul*: ergo non successivè.

Secundò id ipsum indicat modus loquendi capitis primi, ubi expressè dicitur, Deum omnia fecisse dicto & præcepto: *Dixit enim, & facta sunt; mandavit, & creata sunt.* Dicere autem Dei non est successivum, sed instantaneum. Quis enim credat Deum, qui nescit tarda molimina, consumpsisse diem integrum in elaborandis suis effectibus? Certè si in aliquo opere Deus successivè egisset, maximè dum congregavit aquas in locum unum, ad quam congeriem necessarium videtur fuisse motum & tempus. Et tamen *Iob* 26 dicitur: *In fortitudine illius repentè maria congregata sunt.* Et D. Basilius homil. 25. hexaëm. *Post præceptum opificis sine ulla mora protinus omnes sylvæ surgebant: rosæ, lauri uno momento, cùm antea non essent, extitere.* Sanè si verba Christi, tactus, aspectus momento distillabant medicinam, ut indicaret se esse Deum & Creatorem; profectò tale ipsimet Creatori in agendo privilegium denegari nec decet, nec debet.

Quod si uno instanti cujuslibet diei omnia Deus opera peragebat, non videtur satis consentaneum, Deum toto reliquo die mansisse otiosum, & expectasse instans sequentis diei, ut se ad novum opus accingeret. Profectò magis divinæ virtuti & potentiæ congruit, si simul, non successivè cuncta creasset. Nec oppositum exigebat divina sapientia, quæ satis, superque in tam concinna rerum distributione relucebat.

Demùm, non multùm angi oportet propter illam dearticulatam dierum distinctionem, quos sacra historia recenset. Tum quia nos ipsi tenemur eam explicare, cùm dicimus solem & lunam non esse productos quoad substantiam quarta die, cùm tamen id perspicuè tradat textus. Cur ergo erit tam violenta, & tam intolerabilis Augustini expositio (ut quidam garriunt) quæ id de omnibus operibus asseverat, quod de luminaribus communis sententia fert.

Tum quia, omnis illa enarratio facilè explicari potest de opere propagationis, quod fuit successivum, sicut alii eam exponunt de opere ornatus. Vetè enim, & sine metaphora dicitur aliquid factum, quando consummatur ejus virtus per propagationem: tunc enim res plenè facta, & perfecta dicitur, cùm potest sibi simile producere: illis ergo diebus fecit Deus planetas, quando germinare, vel fructificare cœperunt; fecit solem, cùm ad generationem animalium primùm concurrit. Idque est conforme consuetudini Scripturarum, in quibus sæpè dicitur fieri aliquid, quando ei quidpiam de novo communicatur, vel diversimodè disponitur, ut Isai. 64. *Ecce ego creo cœlos novos*: idest, orno,

orno, & illustro. Et 1. *Reg.* 12. Dominus fecit Moysem & Aaron, idest, auxit, & magnificavit.

Tum demùm quia, ut rectè ait sapientissimus Cano, Moses populum rudem alloquens, voluit Deum ad instar humanorum artificum operantem repræsentare, ut eorum genio sese accommodaret sapiens Propheta, spiritualioribus spiritalem intelligentiam requirens. Vnde loquutio ejus est tantùm conditionata, ut sit sensus: Si Deus more humano paulatim & pedetentim processisset, illum servasset ordinem, quem cortex litteræ præfert, sicut cùm dicitur: *Cœlum & terra transibant, verba autem mea non præteribunt.* Et iterum: *Ipsi peribunt, tu autem permanes;* non est sensus absolutus, sed conditionatus, quasi diceretur: Si cœlum & terra transirent, & sicut vestimentum veterascerent; verba tamen Dei, ejusque substantia in sua immobilitatis firmitate durarent.

Vide quibus rationum momentis utraque sententia ultrò citròque muniatur. Id etiam observatu dignum est, quod licèt S. Doctor in Summa Theologica anceps in utrtram sententiam propendeat, & ob admirabilem, & juxta imitabilem erga Patres observantiam omnia utriusque partis argumenta dissolvat, tamen *in* 2. *dist.* 12. *quæst.* 1. specialem articulum instituit ad Magistri sui Augustini sententiam tuendam, & *art.* 2. de ea sic pronuntiat: *Hæc opinio p'us mihi placet.* Næ quod S. Thomæ magis placet, mihi syncero Aquinatis & Augustini discipulo displicere nequaquam potest, non magis placere non potest Quia *legi Dei deest, quod Augustino deest*, ut aiebat Volusianus.

Reflexio.

Disputent Interpretes & Theologi de instantanea, vel successiva mundi productione: unusquisque abundet in suo sensu, & salvo Ecclesiæ judicio, quod sibi probabilius est, id sequatur. Ex utraque sententia hunc saltem fructum colligito. Si tibi magis arridet successiva rerum operatio, hinc disce non præcipiti motu agenda perficere, sed in numero, pondere, & mensura. *Sat citò, si sat benè*, ait quidam. Festina lentè, inquit alter. Et opportunè Ambros. lib. 1. hex. cap. 7. *Imitatores nos sui Deus esse voluit, ut primò faciamus aliqua, postea venustemus, ne dum simul utrumque adorimur, neutram possimus implere.* Nemo repentè fit summus.

Si tibi magis instantanea rerum productio placet, fuge acediam, fuge torporem, & quodcumque potest manus tua, instanter operare. Boni operis mater fervor; universæ disciplinæ noverca negligentia est. Acedia remittit animum, resolvit vires, turbat orationes, terret laborantes, aliis ingrata, sibimet ipsi gravis.

Rursum si Deus cuncta instantaneè creavit, ut in se statim quiesceret; similiter externa negotia citò percurre; sæcularia præsertim, si militas Deo, vel omninò fuge, vel momento sarage transilire. Solas belluas in alvum natura prostravit, ut aliæ ventre repant; aliæ, quæ pedibus sustinentur, demerso corporis gressu erigendi se non habeant facultatem. Nec mirum si dum terræ adhæreant, terrenas solùm quærant voluptates. Homini verò vultum erectum, os sublime, cor nobile contulit Deus, ut humana præteriens, superiùs inhiet. *Cave, ò homo* (ait Ambros. lib. 6. hexaëm. cap. 3.) *pecudum more curvari. Cave ne in alvum te non tam corpore, quàm cupiditate deflectas. Respice tui corporis formam, & speciem congruentem celsi vigoris assume. Cur eo delectaris, in quo naturæ injuria est? Cur noctes & dies cibo intentus pecorum more terrena depascis? Cur illecebris corporalibus deditus, ipsum te inhonoras, dum ventri atque ejus passionibus deservis? Cur intellectum adimis, quem tibi creator attribuit? Cur te jumentis comparas, à quibus te voluit Deus segregari, dicens: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus.*

Speculatio III.

Peramœna opificii divini ducta pictura.

Sicut Deus post completam universitatis structuram quievit, & opera cuncta quæ fecerat, approbavit; sic verus Theologus paululùm contemplari debet, quàm magnificata sint opera Domini. Nihil enim est aliud totus hic mundus, qui sensibus percipitur, quàm speculum nobis ante oculos positum, in quo divinam pulchritudinem denitemur. Nihil aliud est orbis terrarum, quàm climatus, & elegans liber, quem digitis suis scripsit Deus, omniumque objecit obtutibus. Nihil aliud sunt nobiles, quas cernimus creaturæ, quàm totidem litteræ perpolitæ, exaratam Conditoris sui sapientiam præ se ferentes. Nihil aliud cœli, elementa, mixta, quàm altisoni concionatores, Authoris sui nuncii, gloriæ ejus enarratores, ignaviæ nostræ censores, amoris divini stimuli, & incentiva. Hac de causa placet quædam verè nectarea B. Ambrosii fragmenta colligere, quæ in suo Hexaëmeron huc illuc dispersit, paucis claritatis ergò adjectis.

In primis quis non miretur cœlum sole & luna geminis vultus sui luminibus fulgens? Attentum rapit Sol, cujus nimius fulgor sicut eorum hebetat obtutus & confundit aspectus, qui se tantæ claritati temerè committunt; ita aciem perstringit ingenii tantam ejus gloriam contemplantis. Sol oculus est mundi, jucunditas diei, cœli pulchritudo, naturæ gratia, præstantia creaturæ. Sol est generationum pater, fœcunditatis adjutor, altor fructuum, dispensator tempestatum. Dum abest, flet natura, terra rigescit gelu, stringitur frigore, umbris noctium prolixioribus operitur. Cùm redit, exhilaratur terra, temperies aëris reducitur, revocatur aurarum clementia, plantæ & semina semimortua reviviscunt, pariunt, propagantur.

Sed terram oculis viciniorem facilius cernere est, cujus repercussum lumen visus non formidat, sed viriditate allicitur & temperatur. Intuere ergo quod semper parturiens, nunquam exhausta terra, novos se continuò fundit in partus, viriditatis amictum induit, gratiam fœcunditatis assumit, diversisque compta germinibus proprios suscipit ornatus. Mirare quomodo tam citò germinet, & quemadmodum jacta in terram semina resolvantur, & nisi mortua fuerint, ullum fructum afferant; extincta verò in uberiores fructus resurgant.

Suscipit v. g. granum tritici putris gleba, & sparsum velut materno terra gremio fovet & comprimit; inde herbam germinat, quæ paulatim adolescit ut fœnum, culmusque pubescens erigitur, & assurgit. At ubi se geniculata jam spica sustulerit, vaginæ quædam futuræ frugi parantur, in quibus granum formatur interiùs, ne tenera ejus primordia aut frigus lædat, aut solis æstus exurat, aut ventorum inclementia, vel imbrium vis sæva decutiat. Succedunt quidam ordines spicæ mirabili arte formati, vel ad speciem grati, vel ad tutamen vexu quodam naturalis colligationis adstricti. Deinde vaginis quibusdam ipse culmus includitur, ut geminatis viribus frugem possit multiplicem sustinere, ne impar oneri curvetur in terram. Tum supra ipsam spicam vallum struitur aristarum,

rum, ne avium minorum morsibus aut vestigiis proteratur. Quid dicam, quemadmodum clementia Dei humanæ prospexerit utilitati? fœneratum terra restituit quod accepit, & usurarum cumulo multiplicatum. Idem dic de aliis seminibus.

Intuere quæ sit species agri pleni, quis odor, quæ suavitas? Quid describam purpurascentes violas, candida lilia, rutilantes rosas? depicta rura nunc aureis, nunc albescentibus, nunc variis floribus, in quibus nescias utrum species amplius florum, an vis odora delectet. Considerare lilia agri, quantus sit candor in foliis, quemadmodum stipata folia scyphi exprimant formam; ut auri quædam species intus effulgeat, quæ tamen vallo in circuitu obsepta, nulli pateat injuriæ. Si quis hunc florem decerpat, & sua solvat in folia, quæ tanti est artificis manus, quæ possit speciem lilii reformare? Quis tantus murator naturæ, ut florem hunc redintegrare præsumat? cui Dominus tantum testimonium tulit, ut diceret Matth. 6. *Nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut unum ex istis.*

Quid enumerem succos herbarum salubres? Quid virgultorum ac foliorum remedia? Et quis possit comprehendere varietatem, speciem, succorumque proprietatem? Quomodo ægritudinibus amariora medicentur, vulneraque claudant? Ideoque Medicorum opus & studium est herbarum noscere potestates. Quid ipsorummet foliorum describam diversitates, quemadmodum alia rotunda, alia longiora, alia flexibilia, alia rigidiora sunt; alia nullis facilè ventis labentia, alia quæ levi motu decutiantur auratum; alia ad ornatum, alia ad umbraculum, alia ad medicinam.

Intuere vitem, quæ primæ veris tepefacta temperie, lachrymas veluti totidem gemmas effundit, dehinc flores emittit balsamo suaviores, deinde ex sarmentorum articulis fructus emittit initio acerbos, postea dulcescentes. Demùm expressus succus poculi genus conficit, quod voluptati confert & saluti. Quid autem eo spectaculo gratius, quàm videre vineam vitidantibus pampinis vestitam, quibus & adversùs frigus, & à solis ardore defenditur? Quid jucundius, quàm cernere serta pendentia velut quædam speciosi ruris monilia? Quid dulcius, quàm carpere uvas vel aureo colore, vel niveo, vel purpureo renitentes? Hiacynthos, cæterasque gemmas fulgere facilè existimes, vel albarum emicare gratiam gemmarum.

Quid enumerem quanta varietas arborum, quàm diversus in singulis & pulcher ornatus, quàm patulæ fagi, quàm proceræ abietes, quàm comantes pinus, quàm umbrosæ ilices, quàm populi bicolores, quàm nemorosa & rediviva castanea, quæ simul ut excisa fuerit, tanquam silva ex se pullulare consuevit? Sed quid dicam de lignis pomiferis facientibus fructum secundùm genus suum, quorum semen in ipsis est? Quid de fructuum varietate, decore, suavitate? Nec obest, quod cum utilibus fructibus & plantis etiam lethalia & perniciosa generantur. Singula enim quæ gignuntur è terris, specialem quandam rationem habent, quâ pro virili portione complent universæ plenitudinem creaturæ. Nihil vacat, nihil inane germinat terra. Quod tibi putas inutile, aliis utile est; imò ipsum tibi frequenter alio usu est utile. Quod escam non adjuvat, medicinam suggerit, & sæpè eadem quæ tibi noxia sunt, avibus, aut feris innoxium ministrant pabulum. Quasi verò omnia gulæ causâ debuerint procreari? Nonne sat est ut nota sint nobis venena, oræ sint escæ salutares?

Contemplare miracula aquæ, quæ una cùm sit, in diversas plerumque se mutat species, ut inter arenas flava, inter cautes spumea, inter nemora viridantior, inter florulenta discolor, inter lilia fulgentior, inter roseta rutilantior, in gramine liquidior, in palude turbidior, in fonte limpidior, in mari obscurior, assumpto locorum quibus influit, colore decurrit. Rigorem etiam sæpè commutat, ut inter vaporantia ferveat, inter umbrosa frigescat; sole repercussa exæstuet, nivibus irrigata canescat. Quin sapor ejus sæpè convertitur, ut nunc asperior, nunc amarior, nunc vehementior, nunc austerior, nunc dulcior pro specierum qualitate, quibus infusa fuerit aqua, variatur. Asperatur in immaturioribus succis, amarescit in absynthio, in melle dulcescit, in olea pinguescit. Et cùm sit altrix omnium virgultorum, diversos singulis usus ministrat; nam radicem impinguat, caudicem provehit, ramos diffundit, fructuum alit semina, folia virescere, poma accrescere facit. Cùm eadem sit omnium nutrix, discrepant tamen fructuum succi, discrepant etiam lachrymæ arborum, quæ ejusdem aquæ alluvione generantur.

Si talis est aqua, quid dicemus de congregatione aquarum, quæ dicitur mare? Quàm pulchra species hujus elementi, vel cùm surgentibus albescit cumulis, & cautes, seu rupes nivea rorat aspergine; vel cùm æquore crispanti & sereno purpurascentem præfert colorem, vel quando non violentis fluctibus vicina tundit littora, vel potiùs pacificis ambit & salutat amplexibus? Quàm dulcis sonus? Quàm jucundus fragor! Quàm grata & consona resultatio! Sed quid mari utilius? Nam terras necessario irrorat humore, quibus per venas quasdam occultum succum subministrat. Mare est fluviorum hospitium, fons imbrium, derivatio alluvionum, invectio commeatuum, distantium populorum commercium, subsidium in necessitatibus, refugium in periculis, itineris compendium, salubritas valetudinis, thesaurorum fodina, sterilitatis alimentum, ciborum omnium promptuarium.

Imò piis hominibus devotionis incentivum est mare: nam in insulis, quas cingit, plerumque Sancti latent, & vitæ hujus dubios anfractus declinant, ut patet in insula S. Margaretæ, & S. Honorati, ubi condita fuit celebris illa Lirinensis Abbatia, de qua Vincentius ibi Monachos in principio Common. ait: *Ad quod me negotium* (scilicet componendi commonitorii) *opportunitas loci adhortatur, quòd urbium frequentias, turbasque vitantes, remotioris villulæ, & in ea secretum Monasterii incolamus habitaculum, ubi absque magna distractione fieri possit illud quod canitur in Psalmo: Vacate, & videte, quoniam suavis est Dominus. Quippe qui aliquandiu variis ac tristibus sæcularis militiæ turbinibus volveremur, tandem nos in portum Religionis cunctis semper fidissimum, Christo aspirante, condimus; ut ibi depositis vanitatis ac superbiæ flatibus, christianæ humilitatis sacrificio placantes Deum, non solùm præsentis vitæ naufragia, sed etiam futuri sæculi incendia vitare possimus.* Dum Romam pergerem, hanc sacram insulam Martyrum & Confessorum reliquiis refertam vidi, & miratus sum secretom temperantiæ opportunum, exercitium continentiæ, gravitatis secessum, portum securitatis, tranquillitatem sæculi, innumerorum Sanctorum seminarium. Quàm dulce cum undarum leniter alluentium sono certantes cantus psallentium audire, & sacrum locum simul tranquillo fluctuum motu plaudentem, & Sanctorum hymnis personantem.

Piscium genera innumera, innumeros quoque usus prætertire non decet: eorum copiam, multitudinem, magnitudinem, utilitatem omnibus notam silentio prætermittam; id tamen omittere nequeo. Aliqui pisces ova generant, quæ aquis fovenda committunt. Alii vivos fœtus edunt de corpore suo; sed cùm ediderint

ediderint partus, si quid fortè insidiatum quenquam circa catulos suos moliri præsenserint, ut eos tueantur, statim vel ore eos suspendont, vel genitali alvo abscondunt, ut objectu corporis sui eos defendant, & foto caloris sui eos animent, & vallo internorum viscerum pignora inoffensa conservent. Quid dicam de eorum colore, quem nullus adhuc fucus æquavit; nam nec pratorum gratia, nec hortorum amœnitas eorum potest æquare picturam.

Sed è gurgitibus profundis oculos tollamus in aëra, ut volucrum naturam, & carmina contemplemur; si enim nos alliciat mutorum piscium elegantia, rapiet profectò canoratarum avium cantus. Quàm dulcis merularum, quàm expressa vox psittaci est! Quàm jucundi cygnorum moduli, qui etiam sub gravi mortis imminentis terrore delectant! Quid pulchrius simplicitate columbæ, specie pavonis, astutiâ perdicis, jactantiâ galli, cyconiarum erga parentes charitate, hirundinum sedulitate, industriâ, vigilantiâ, ac pietate in filios; turturum castitate, apum industriâ, vigilantiâ, & republicâ; cicadæ cantilenâ, cæterorumque animantium, canum, elephantum, inò & formicarum dotibus & industriis, quibus describendis magna volumina non sufficerent. De his lege amœnissimas P. Granatensis in suo Catechismo descriptiones; operis enim nostri brevitas non sinit singularum rerum recensere proprietates, vel præclaras earum diversitates prolixa narratione distinguere.

Reflexio.

Postquam Deus opificium mundi cumulavit, quievit. Disce, Lector, non semper externis vacare negotiis; secede interdum; opera si non rumpas, interrumpe; sedeas solitarius, & leva te supra te; intra conscientiæ secretum, ubi sopiantur carnis affectus; cessent negotia, strepitus conticescant. Ne dubites, ampliùs invenies in sylvis, quàm in colloquiis: ibi creaturarum omnium voces Dei gloriam enarrantes pacatus audies, & Creatoris amore capieris; hinc cernes camporum latè patentium fusam planitiem, hinc montium in sublime erectos vertices, hinc fluviorum ex uno fonte amoes defusos, rivorum lenes inter prata decursus, amœnosque sinus, aliaque enumerata orbis miracula. Cernes creaturas supremi Artificis exscribere perfectiones, formosas pulchritudinem, fortitudinem robustas, majestatem ingentes, artificiosas sapientiam, splendidas claritatem, dulces suavitatem, ordinatas providentiam præ se ferre. Accedes ad cor altum. *Est triplex cor* (ait Bernard. *in parv. serm.*) *humile, mediocre, altum.* Primum descendit infra se, secundum manet intra se, tertium tendit ad Deum supra se. *Quatuor sunt gradus ascensionis,* (ait idem *ibid.*) *ad cor, in corde, de corde, supra cor.* Hos omnes in quiete solitudinis experieris. Reverteris ad cor, peccata plangens; manebis in corde, Deum audiens; prorumpes de corde suspiria æternitatis; supra cor tandem eveheris, cùm dabitur frui Deo cordis tui. Cernes facta, & ad factorem clamabis: O quàm justè tam multis creaturarum testimoniis credimus de te, Deus meus, quies non Vniversitate Athenarum vel Parisiorum, sed creaturarum omnium calculo probatus! Sanè qui tam suavem harmoniam, & vocum concentum non audit, surdus est; qui tam splendentes fulgores non videt, cæcus est; qui videt, si non laudat, mutus est; si offendit, amens est; si non amat, anathema est. Iustum est, quemadmodum minatur Scriptura, ut creaturæ omnes in Creatoris contemptores stent, conspirent, armentur.

CAPUT II.

Primi hominis descriptio.

Verè dixit Augustinus: *Ex mirabilibus omnibus, quæ fecit Deus propter hominem, majus miraculum ipse homo.* Et certè si tanta est ejus dignitas, ut cùm aliæ creaturæ solo jubentis sermone productæ sint, ipse consilio Sanctissimæ Trinitatis creatus sit, æquum est ut speciali capite ejus formationem, privilegia, & lapsum contemplemur.

Speculatio I.

Corpus elegantissimum Deus Adamo contulit, è luto tamen formatum: deinde ex ejus costa Evam produxit.

Erit hæc speculatio, ut formationem hominis & mulieris breviter describamus. In primis constat, solum Deum esse humani corporis plasmatorem; clarè enim dicit Scriptura, Genes. 2. *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ.* Et Ecclesi. 17. *Deus de terra creavit hominem.* Corpus enim humanum, quod est omnium mixtorum perfectissimum, non potuit influxo syderum ex putri materia generari. Nec ab Angelis effici poterat, quippe qui non agunt propria virtute mixtorum generationem, sed solùm applicant activa passivis, miscentque rationes seminales, quæ nullæ erant pro homine ante hominem.

Secundò formavit corpus illud Deus *de limo terra*, ut dicitur cap. 2. & c. 3. *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Et 1. Cor. 15. *Primus homo de terra terrenus.* Idque fuit admodum conveniens. Tum quia, ut ait D. Thom. *quæst.* 91. *artic.* 1. non posset esse mixtionis æqualitas in homine, nisi inferiora elementa, quæ sunt minoris virtutis, in homine abundarent ad bonitatem sensus tactus, qui est fundamentum aliorum sensuum. Tum ut homo tam humilis sui principii vilitate confunderetur. Quomodo enim superbiet homo de humo? Qui de terra est, de terra vivit, & in terram revertetur. *Ista semper in mente habeas* (ait Bernard.) *quid fuisti, quid es, & quid eris? Quid fuisti, quia sperma fœtidum: quid es, quia vas stercorum: quid eris, quia esca vermium.*

Tertiò formatum fuit illud corpus in instanti. Tum quia actio instantanea majestatem & plenitudinem dominii Creatoris magis decet. Tum quia Deus in instanti aquam in vinum in nuptiis Cana; & vinum in sanguinem in ultima cœna convertit? Quidni similiter momento Adam formasse credemus, cùm oppositum ex Scriptura non constet?

Quartò formavit Deus corpus illud in statu & dispositione perfectissima, ut posset operari, generare, filios educare, mundo præsidere. Id etiam clarè innuit Scriptura, dum ait, quod *posuit eum in paradiso, ut operaretur*: & quod benedixit ei, & præcepit ut crescerer, & multiplicaret speciem suam. Dum etiam ait quod uterque erat nudus, & non erubescebat, supponit protoparentes fuisse in ætate virili, quia in infantili non esset mirum, quod non foret erubescentia illa. Accedit quod opera immediatè à Deo producta, sunt semper numeris omnibus absoluta. Vnde corpus illud fuit ea statura, pulchritudine, temperamento, vigore ornatum, quæ ad consummatum opus desiderari possunt.

Quintò non statim cum Adamo produxit Evam, sicut

sicut dum alias efficeret animantium species, simul utrumque sexum formaret; sed ex homine jam producto eam eduxit, & ex ejus costa fixæ; idque fuit valde congruum. Tum ut homo cognosceret se ordinari ad nobilius opus vitæ, quod est intelligere; non verò ad generationem & propagationem, cui mulier deservit. Tum ut in hoc quædam dignitas hominis servaretur, ut sicut Deus est principium totius universi, ita & homo esset principium totius suæ speciei. Actor. c. 7. *Deus fecit ex uno omne genus hominum.* Tum ut vir magis diligeret mulierem, illique eo inseparabiliùs inhæreret, quo cognosceret eam ex se esse productam. Genes. 2. *De viro sumpta est: quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ.* Tum, ut præfiguraretur Ecclesiæ à Christo derivatio, & Christi cum Ecclesia inseparabilis unio. Ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.*

Congruum etiam fuit ut formaretur de costa viri. Tum ut significaretur socialis hominis & mulieris convictus, non decuit eam formari de capite, quia mulier non debet dominari in virum; nec de pedibus, quia non debet despici vel conculcari à viro; sed de latere, quia regi debet ut æqualis. Tum ut præfiguraretur quod de latere Christi dormientis in cruce fluxura erant Sacramenta, quibus Ecclesia instituta est.

Dices: Si Eva ex costa Adami producta est, vel ante ejus formationem habebat homo costas superfluas, vel post formationem Evæ mansit mancus. Difficile etiam intellectu est, quomodo ex una costa potuit grande mulieris corpus formari; si autem aliunde adjecta est materia, jam non è sola Adami costa Eva formata est.

Respondeo quod quia Adam erat fons & caput totius humani generis, non superfluè, sed omninò convenienter habebat unam superadditam costam deservientem formationi Evæ, quæ non poterat generatione produci. Nec Adam ante formatam Evam erat monstruosus, vel gibbosus, quia erat occulta, & à summo Artifice convenienter aptata. Nec post formatam Evam fuit mancus, quia illa costa non erat illi simpliciter & pro semper necessaria, sed secundùm quid, & ad tempus, donec scilicet formata esset prima fœmina. Porrò illi costæ adjecta fuit alia materia, sicut adjicitur semini in utetum matris deciso, vel grano in terra sato. Unde signanter dicit Scriptura, quod *ædificavit costam in mulierem*, quia costa illa fuit veluti fundamentum fœminei ædificii, sicut quinque panes fuerunt veluti semen ciborum, quibus quinque millia hominum Christus pavit.

Sextò quoad tempus formationis, nemo dubitat quin sit productus Adam sexta die, cùm eo producto dicat Scriptura, quod *factum est vespere & mane dies sextus*, & quod *die septimo quievit ab universo opere quod patrarat.* Quâ autem horâ, incertum est. Alii credunt hora tertia post meridiem Adam accepisse spiraculum vitæ, quia illâ horâ secundus Adam expiravit in cruce. Alii credunt formatum fuisse illum manè, ut possent illo die actiones impleri, quas Scriptura commemorat, nimirum quod hominem tulit in paradisum, præceptum de non comedendo fructu imposuit, animalia quæque ante ipsum adduxit, quibus & nomen Adamus designavit; quæ omnia non potuissent debito pondere, & decenti majestate exerceri, si homo hora tertia pomeridiana diei æquinoctialis, seu hora 21. Italica productus fuisset.

De Eva similiter dicendum, eam formatam esse sexto die, conceptis enim verbis ait Scriptura: *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, masculum & fœminam creavit eos. Benedixitque illis Deus*, & ait: *Crescite & multiplicamini, & replete terram: & factum est ita. Et factum est vespere & mane dies sextus.* Quibus verbis nihil clarius. Nec obest, quod capite secundo sequenti describatur formatio Evæ, & dicatur quod Adæ non inveniebatur similis. Quia hoc ideò fecit prudens historiographus, ut productionem viri & fœminæ summariè in principio tactam, distinctè posteà pro rei dignitate enarraret.

Septimò quoad locum, satis innuit textus hominem extra paradisum esse productum, cùm dicat quod tulit Deus hominem quem formaverat, & posuit illum in paradiso. Non enim illum introduxisset, vel tulisset, si in eo natus esset. Et quidem conveniens, ut locum tam amœnum non jure nativitatis sibi debitum, sed Dei beneficio cerneret esse concessum. In quo autem loco extra Paradisum productus sit, varii varia meditantur, vel circa Damascum, vel circa Ierusalem, vel circa Hebron. Sed nihil certi ex Scriptura, vel traditione colligi potest.

De Eva verò nemo in dubium revocare potest, quin formata sit in paradiso. Nam sopor non dicitur Adæ immissus, nec ex eo dormiente Eva extracta, nisi post translationem ejus in paradisum. Nec legimus Adamum locum tam fortunatum deseruisse, nisi quando post peccatum exulavit.

His positis, sic aliqui componunt diem formationis humanæ. Formatis in instanti, vel brevissimo tempore animantibus, hora circiter sexta matutina, seu duodecima Italica, productus est protoparens, & brevi tempore translatus in paradisum; & permissò esu omnium fructuum, lignum scientiæ boni & mali prohibuit circa horam septimam. A septima ad meridiem adducta sunt omnia animalia, ut eis nomina imponeret, idque ministerio Angelorum, qui rem satis citò absolverunt. Nec erat indecens animalia paradisum ingredi ad hominis supra se imperium recognoscendum. A meridie usque ad horam primam vel secundam, & fermè vigesimam Italicam, immissus est sopor in Adam, & Evâ formatâ, excitatus eam in conjugem accepit, & præceptum sibi à Deo impositum intimavit. A secunda ad quartam, seu vigesimam Italicam, Eva ambulavit per paradisum, fructum curiosè vidit, serpentem tentantem audivit, decepta comedit, & maritum ad comedendum induxit. A quarta ad sextam venit Deus ad auram post meridiem, idest post transactum fervorem caloris, utrumque parentem corripuit, punivit, ejecit.

Scio aliquos nolle tam justa clepsydra horas dividere, vel tale negotium sic celeriter esse transactum. Tum quia die sexto *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Quod non esset, si illo die tam grande malum patratum esset. Tum quia mulier serpenti sciscitanti, cur non comederet ex ligno vetito, respondit: *Ex omni ligno paradisi vescimur, de fructu verò præcepit*, &c. ubi ly, *vescimur*, significat protoparentes gustasse sæpiùs alios fructus. Verùm hæ conjecturæ non sunt vehementes; nam verum est quod ea quæ fecerat Deus, erant valde bona; sed peccatum istud fecit homo, non Deus. Illud etiam, *vescimur*, non cogit admittere frequentem usum ciborum, sed potestatem vescendi. Accedit quod probabiliter post meridiem comederunt, & appositis variis fructibus prandebant, unde verè Eva dicere poterat, *vescimur*, quia ferè è prandio veniebat, unde magis erat tentationi pervia. Nam bene pastos faciliùs aggreditur communis hostis, quàm jejunos.

REFLEXIO.

Ex tam eleganti Adami corporis præstantia & elegantia, quid superest, nisi pulvis, nec notus cinis? Iacet enim intra tumulum, qui tumulo carere poterat.

Fuit,

Fuit, sed non est; & tu qui es, aliquando non eris. Mortuus est Adamus, quia mortem non timuit: quia nimium ars artium est scire mori; & pauci sciunt, quod omnes faciunt. Nemo timet errare semel, ubi nemo bis errat. Nemo formidat naufragium, post quod non datur secunda tabula. Omnes vivunt quasi semper victuri, & vivere deberent quasi quotidie morituri. Ne fallaris à morte, decipe mortem. Meditare quotidie mortem & sepulchrum, & non te terrebit horror mortis & sepulchri. Assuesce pluries mori, ut benè moriaris semel. Inchoa æternitatem intra tempus ante mortem, ut beata post mortem fruaris æternitate. Non pallebis ad nuntium mortis, si tibi mortem prior sæpiùs annunties. Mathematicus es, mundum æstima ut punctum. Extende lineas ultra tempus, abstrahe à materia sensibili. Pulchrum ex æternitate circulum fac, qui tibi menti jugiter obversetur. Non amisisset tam fortunatum statum protoparens, si properasset ad æternitatem, si cogitasset nihil esse stabile posse sub fugaci tempore. Si Medicus es, disce nullum aphorismum veriorem esse, quàm: *Bene morietur, qui bene vixerit.* Si dives es, præmitte divitias in cœlum per manus pauperum; ibi thesauriza thesauros, ubi nemo pauper est, ubi nec tinea demolitur, ne fur ingreditur. Si nobilis es, quid interest quos majores habueris, si minor es? quo ex sanguine fluxeris, si es decolor? quo ex genere veneris, si degenerans? Omnis homo ab Adamo, & Adamus è nihilo est. Omnes cineres æquè viles, æquè inutiles sunt. Omnis Princeps ab ignoto venit, omnis plebeius ab ignobili est. Si Magistratum geris, accusa, judica, puni teipsum, considerans quod si nos judicaremus, non utique judicaremur. Si juvenis es, scito quod mora est in insidiis; si senex, in januis. Familiaris sit cogitatio mortis, ut peccati mortem vitemus, & attendamus cum Augustino lib. de prædest. Sanct. cap. 14. *non solùm non esse fidelibus inutilem mortem, verùm etiam utilem reperiri, quoniam peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitate constituit.*

SPECULATIO II.

Fortunatissimus fuit innocentiæ status, in quo Adam productus est.

PRobatur discurrendo per singula hujus beatissimi status privilegia. Primum privilegium: Anima Adami gratia & justitia originali perfundebatur. Ita expresè Trident. sess. 5. *Adam peccando amisit sanctitatem & justitiam, in qua constitutus fuerat.* Et colligitur ex Scriptura, Eccles. 7. *Fecit Deus hominem rectum.* Ephes. 4. *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia & sanctitate veritatis.* Et certè cùm Dei perfecta sint opera, procul dubio in eo perfectionis statu hominem produxit, in quo posset fructus æternæ vitæ, ob quam creatûs erat, germinare. Sicut & cætera omnia in eo statu produxit, in quo possent fructus juxta genus suum emittere, ut supra vidimus.

Imò probabilius est in via D. Thomæ, justitiam originalem, in qua productum esse Adamum nemo ambigit, esse ipsammet gratiam sanctificantem, quia ut docet S. Doctor, & omnes Theologi, per justitiam originalem subjiciebatur anima Deo ut Authori supernaturali, quem per fidem cognoscebat: illa autem subjectio est characteristicum munus gratiæ sanctificantis. Cum quo tamen stat, gratiam illam, vel importasse specialem perfectionis modum, vel saltem connotasse plurium donorum omnes hominis facultates singulariter perficientium apparatum, in quo nostram gratiam non parum excedebat, quia licèt nostra subjiciat mentem Deo, non tamen appetitum rationi, vel appetui corpus perfectè subdit. Quin facilè crediderim, primam illam gratiam Adamo collatam fuisse intensiorem, & uberiorem, & veluti capitalem; non quòd in alios homines potuerit illam infundere, sed quia caput humani generis plenior abundantia decebat.

Dices: Adamus per pœnitentiam gratiam amissam recuperavit, non tamen justitiam originalem: ergò aliud est gratia, aliud justitia originalis.

Respondeo, Adamum recuperasse justitiam originalem quantum ad primarium ejus effectum, sed non quoad illum specialem vigorem, quo omnes vires inferiores in officio sine difficultate continebat: unde nec simpliciter dicendum est, illi restitutam fuisse justitiam originalem, quæ præter subjectionem ad Deum importat etiam innumerabilium prærogativarum comitatum, quibus justè orbatus est.

Secundum privilegium: Intellectus Adami fuit plenitudine scientiæ perfusus. Nam de primis parentibus dicitur Eccles. 17. *Disciplinâ intellectus replevit illos, creavit illis scientiam spiritus, sensu implevit cor illorum.* Exigebat enim ratio capitis generis humani, ut sicut eam haberet ætatem & vires quibus pollet speciem propagare; ita & ea polleret sapientia, quâ posset filios erudire, & mundum sibi commissum administrare. Et hujus signum est, quod animalibus propria nomina imposuit; quod sanè temerè, & casu præstitisset, nisi intimas uniuscujusque proprietates apprimè calluisset. Lumine etiam supernaturali fidei Trinitatis illustratum fuisse certum est, ut de eo Mysterio nepotes erudiret. Imò & Christi venturi, non ut Redemptoris, sed ut consummatoris notitiam habuisse, post D. Thomam omnes tradunt. Cognitionem verò omnium individuorum, putà lapillorum, vel futurorum contingentium, vel secretorum cordis, vel supernaturalium, tali statui non necessariam, denegat S. Doctor *quæst. 94. art. 3.* ex quo infert *art. 4.* intellectum illius fuisse incapacem erroris, quia in illum induci non posset, nec per ignorantiam, cùm esset doctissimus; nec per impetum passionis appetitus sensitivi obscurantis, aut turbantis rationem; hunc enim non patiebatur status tam benè compositus; nec per malitiam voluntatis, quæ falsitatem amare non potest. Unde August. lib. 3. de liber. arbitr. cap. 18. *Approbare falsa pro veris, ut erret invitus, non est natura institutæ hominis, sed pœna damnati.*

Tertium privilegium: Appetitus Adami fuit omnigena virtutum & donorum supellectile instructus, seu ut dicitur Ecclas. 17. *vestitus*, & ut loquitur Ambros. lib. de Elia & jejuo. cap. 4. *opertus*; & August. conc. ad catechum. *armatus, compositus & splendidus.* Idque exigebat tum præcellens illa gratia, quam virtutes veluti proprietates consequuntur: tum fortunatus ille status, in quo vires omnes animæ virtutibus disponi, & ornari postulabant.

Quartum privilegium: Protoparens gaudebat pleno, & desporico super omnia animantia dominatu. Ita tradit Scriptura: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram* (ecce rationis, voluntatis, libertatis, omniumque virtutum, quibus Deo assimilamur, communicationem) *& præsit piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, omnique reptili quod movetur in terra.* Et certè valde conveniebat, ut ille principaretur animalibus, qui solus ratione, & prudentia prædiens erat. Ordinata etiam rerum universi constitutio non sinebat omnia susque deque miscere, sed uni subordinari postulabat. Rex isset etiam ipse in illo statu alios hominea, sed magis consilio, quàm imperio; nutu potiùs, quàm jussu; rogatu, non

dominatu;

dominatu. Nimis enim repugnasset felicitati & libertati illius status potestas coercitiva, vel dominium imperiosum.

Quintum privilegium: Homo in statu innocentiæ erat incapax ægritudinis, doloris, tristitiæ, & mortis. Ita docent communiter Patres, & colligunt ex Scriptura asserente, mortem & miserias esse pœnas peccati. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors.* Et post peccatum dixit Deus homini: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Et mulieri: *In dolore paries*, &c.

Convenientia desumitur ex felicitate illius status, qui erat prælibatio beatitudinis cœlestis gloriæ, in qua est immunitas à peccato, miseria, & morte: ergo similiter triplici illa immunitate gaudebat status innocentiæ, licèt non modo tam immobili. Nam in cœlo Beati non possunt illi triplici calamitati subjacere; homo verò poterat non peccando illam vitare. Beati v. g. non possunt mori; Protoparentes poterant non mori, quæ duo valde diversa sunt, ut notat Augustinus & alii Patres: primum enim significat mortem repugnare statui Beatorum; secundum verò innuit hominem potuisse vitare mortem, si voluisset vitare peccatum.

Dices: Corpus humanum contrariis, & pugnantibus qualitatibus constabat; calor etiam naturalis quotidie humidum radicale depascens, debilitatus fuisset: ergo homines in statu illo fuissent ægritudinibus, & morti obnoxii; non enim aliunde in nobis proveniunt, quàm ex illis duobus principiis intrinsecis.

Respondeo, quod his incommodis divina potentia providerat in statu innocentiæ, in quo non solùm hominis temperamentum erat ad pondus, & ad justitiam, ut loquuntur Philosophi, idest, in perfecta æquabilitate constitutum; sed etiam *inerat animæ vis supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione præservare, quandiu ipsa Deo subjecta mansisset*, inquit S. Thom. *quæst. 97. artic. 1.* id enim exigebat debita proportio servanda inter corpus & animam immortalem. Porrò caloris naturalis quotidianam jacturam resarciebat fructus arboris vitæ, unde sēper æquè vividus, æquè firmus semper durasset.

Instabis: Saltem ab extrinsecis causis potuisset homo lædi, vulnerari, interfici, vel ab animalibus venenatis, vel ab hominibus inimicis, vel à malignis saltem spiritibus.

Respondeo, in illo statu nihil fuisse timendum homini, nec à belluis, quarum venenum, vel feritatem sua tara scientia & prudentia præcavisset, potissimùm quia perfectum in eas dominium à Deo acceperat. Nihil formidandum ab hominibus, quos unanimis concordia sociasset. Nihil à dæmonibus, qui nullum nisi Deo permittente nocumentum inferre possunt, & quorum insidiis boni Angeli prospexissent.

Vltimum privilegium: Paradisus voluptatis.

Tam perfecto statui provisus est locus verè regius, ad miraculum fœcundus, elegans, amœnus. Ita expressè tradit sacer Textus, cujus in paradiso tam minutatim, tam dilucidè, tamque enucleatè describendo diligentia, Philonis, & Origenis deliramenta condemnat, qui omnia de ipso tradita ad sensus merè allegoricos detorquent; quorum fabulæ si veræ essent, quidquid de Protoparentum lapsu tradit Ecclesia, falsum esset. Prudentia etiam summi Artificis omnia in numero, pondere, & mensura condentis exigebat, ut sicut Angelis cœlum pro loco dederat; sic homini mundi Domino palatium singulare construeret, in quo omnia ad immortalitatem servandam necessaria velut in pleno promptuario inveniret.

Vt autem tam præclari loci præcellentias ob oculos ponam, eas ad quinque reduco, quæ ad habitationis amœnitatem, & utilitatem desiderantur. Primò igitur ad loci pulchritudinem confert suavitas regionis, & climatis, quod non debet nimiis caloribus, vel frigoribus esse obnoxium: Paradisus autem, juxta communem sententiam, situs est in orientali plaga, sub zona temperata; ille enim situs est suavissimus, cùm inde aromata præcipua asportentur. Hinc Christiani in principio orabant ad Orientem, & præcipua templa versùs illam partem ædificare solenne est, quia circa illam partem paradisus terrestris, qui erat imago cœlestis, conditus erat; ut nimirum homo cogitans bona in paradiso terrestri amissa, suspiret ad æterna in cœlesti promissa.

Secundò conducit ad loci decorem situs loci; & quia omnes non conveniunt, quinam situs sit gratior, vel salubrior, ideò variè opinantur Authores de situ paradisi. Aliqui tantam sublimitatem ei asserunt, ut excedere mediam aëris regionem velint: alii in planitie fertilissima eum collocant: alii in suprema infimæ aëris regionis parte. Sed omnes illæ sententiæ aliquid veritatis habent. Cùm enim paradisus fuerit ingentis magnitudinis, ut posteà dicemus, crediderim in illo fuisse & montes, & valles, & planities, quia omnia ad ubertatem, & ad delicias concurrunt. Temperant enim se invicem montes & campi; recreant aspectum colles dum coronant; fatigat oculos perpetua, & nusquam terminata planities. Nobilissimarum urbium situs partim in plano, partim in excelso est. Itaque negandum non est in paradiso fuisse montes, qui semper placuere Deo, qui ibi sæpè videri voluit, sæpè loqui. In montibus aër purus & defæcatus, herbæ salubres, vina generosa. Montes opportuni sunt orationi, quia inde propiores cœlo sumus, unde venimus; inde intuemur patriam futuram; inde elementis & caducis imperamus.

Aliunde verò paradisum non fuisse in solis montibus situm, hinc patet, quia in solis montibus sterilitas viget, aër nimis siccus, vel tenuis est; in illis sunt tantùm fermè duæ tempestates anni, æstas, & hyems; in illis venti importuni, accessus difficiles. Nec vallium secessus contemplationi, & solitudini obest, sed prodest; præsertim quia ad Deum non itur pedibus, sed affectibus. Vndique ad cœlum ascendit animus. Animum immortalem non deprimunt valles, non erigunt montes, si Deum ubique præsentem, ubique in spiritu & veritate adorent.

Tertiò. Ad loci ornamentum non parum facit debita magnitudo. Quanta autem fuerit amplitudo paradisi, problema est de quo disputant Authores. Verosimiliùs dicendum, ipsum quidem fuisse vastissimum, sed tamen spatium itineris trium, aut quatuor dierum non excessisse. Requirebatur quidem talis magnitudo, ut in ipso essent campi, vineæ, sylvæ, prata, ferarum vivaria, ad speciem plantarum, pulvinorumque elegantiam descripti horti, & ad omnis amœnitatis, utilitatisque copiam comparati, ut orbis totius Principem, mundi Dominum, Dei Vicarium decebat. Cæterùm latior magnitudo non exigebatur, aliàs non posset vocari convenienter hortus, sed Provincia, vel Regnum. Nec erat necesse, ut omnes Adami posteri possent in illo manere, debebant enim multiplicari, & replere terram: potuissent tamen omnes locum illum quasi jure hæreditario sæpè adire, inde fructum ligni vitæ deferre, vel ramos ejus variis in locis inserere.

Quartò. Ad loci laudem pertinet decor & ornatus, qui sanè fuit summus in paradiso terrestri, quem propterea Moyses *Paradisum voluptatis* appellat; D. Basil. *Locum deliciis omnifariam affluentem, omnem creaturæ*

creaturæ sensibilis exuberantem pulchritudinem; D. Damascenus, *Lætitiæ & voluptatis omnis promptuarium*. A Guillelmo Parisiensi dicitur *Paradisus, quasi parans Dei visum*. Quia divinæ pulchritudinis, quæ videtur in cœlo, radius erat micantissimus. Quidquid Poetæ, quidquid Oratores per hyperbolem alicujus loci amœnitatem describentes dixerint, totum Paradiso terrestri assere, & certus esto pulchriora latere.

Quintò. Ad loci commendationem spectat fœcunditas soli, quæ in paradiso terrestri fuit incompatabilis, eamque paucis tangit Moses: *Produxit Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suave*. Sed ejus ubertas maximè apparebat in productione arboris vitæ, cujus fructus verè dici poterat *pharmacum immortalitatis*, quia mira virtute confortabat vires, calorem nativum resarciebat, humidum radicale pascebat, juventutis florem flaccescere, vigorem marcescere non finebat. Verum arbor scientiæ boni & mali habuerit etiam aliquas speciales prærogativas, Scriptura non meminit, nec Patres tradunt, docentes eam ideò sic esse vocatam, quia post ejus esum homo per experimentum pœnæ didicit, quid intercesset inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Sicut puteus à geneis Isaac effossus, *puteus jurgii & calumniæ* dictus est ob contentionem pastorum Geraræ & Isaac.

Sextò demùm ad absolutum loci complementum exigitur, & plurimùm valet fluvii decursus, sine quo civitas, quantumvis elegans, inamœna est. In medio autem paradisi erumpebat fons ingens, qui in quatuor flumina derivabatur in varias orbis regiones. Primus est Physon, seu Ganges, Indiam fœcundans: secundus Gehon, seu Nilus, Ægyptum irrigans, & Æthiopiam: tertius Tigris, instar tigridis rapidissimè, & celerrimè decurrens: quartus Euphrates, qui duo Mesopotamiam, Assyriam, & Chaldæam alluunt.

Quærunt Authores, num integer adhuc perseveret paradisus terrestris? Affirmant probabiliùs Thomistæ, quia *Eccles. 44.* dicitur, *Henoch placuit Deo, & translatus est in paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*, nimirum tempore Antichristi. August. *lib. 2. de peccat. orig. cap. 23.* postquam dixit non pertinere ad fidem, qualis, vel ubi sit paradisus, subdit: *Tamen esse illum fides Christiana non dubitat*. Sequitur D. Thom. *3. p. q. 48. art. 5. ad 2.* ibi: *Henoch raptus est in paradisum terrestrem, ubi cum Elia simul creditur vivere usque ad adventum Antichristi*. Nec est magis inconveniens, paradisum ab inundantibus diluvii aquis esse servatum, quàm quod Henoch ab eis liberatus fuerit. Certè cùm locus conveniens illis sanctissimis Patriarchis ad ultimos agones reservatis debeatur, nullus opportunior paradiso terrestri assignari potest, qui proinde miraculosè ab aquis diluvii præservatus fuit propter tantorum incolarum reverentiam. Quis autem tot sæculis paradisi coluerit agros, arbores putarit, novas plantarit? Dicunt aliqui id præstitum fuisse ab Angelo; non enim magis dedecet aliquem eorum vices gerere hortulani, quàm janitoris custodientis paradisum. Unde verò oriatur quod post tot peregrinationes nondum inventus sit ille locus, asserit S. Thomas *1. p. q. 102. art. 1. ad 3.* ideo esse, quia *locus ille seclusus est à nostra habitatione aliquibus impedimentis, vel montium, vel marium, vel alicujus æstuosæ regionis, quæ pertransiri non potest*.

Reflexio.

Multa alia quæri possent circa statum innocentiæ, & paradisum terrestrem; sed quid interest scire, utrum paradisus desierit? Pluris refert cogitare paradisum nunquam desitutum. Quid prodest scrutari cineres unde venimus, & non meditari cineres ad quas citò perveniemus. Ante aliquot sæcula Adamus non fuit, & tu Lector, ante sæculum non eris. Crede mihi, stude de rebus futuris, non præteritis. In præteritis nihil invenies nisi ruinas & cineres, in futuris invenies felicitatem & requiem. Post excidium urbis suæ dicebant Trojani; *Fuimus Troes, fuit Ilium, & ingens gloria Dardanidum*. Sic nobis dicere licet: Fuit status innocentiæ, fuerunt innumeræ ipsius prærogativæ, fuit fortunatissimus protoparens noster. *Quia enim* (ut ait Bernard. *serm. 2. Annunt.*) *ei deerat, quem misericordia custodiebat, docebat veritas, regebat justitia, pax fovebat? Qui erat paradisi accola, terræ dominus, cœli civis, domesticus Domini, frater beatorum spirituum, & cœlestium cohæres virtutum*. His omnibus dotibus decoratus fuit homo qui modò nudus, & miserabilis est. Non ergo nos quæramus ubi fuimus, sed ubi sumus, ne quo longiùs progrediemur, eo longiùs à nobis recedamus. Sistamus intra nos, & attendamus, quod pulvis eramus antequam essemus, ante cinerem nihil. Quæ retro sunt, obliviscamur; ad ea quæ anteriora sunt, extendamur; auspicemur æternitatem intra tempus, incipiamus immortalem vitam intra tempus. Si paradiso terrestri privati sumus, cœlestem amittere caveamus. Jactatam præteritam corde semper recogitemus, terram ex qua orti, nihilum unde creati, & humiliemur. *Unde enim superbit homo?* (ait Bernard.) *cujus conceptio culpa, nasci pœna, labor vita, necesse mori?*

Speculatio III.

Protoparentes à statu tam beato dejecit peccatum superbiæ, quod alia peccata, & innumerabiles miseriæ comitata sunt.

Primam partem probat S. Thomas 2. 2. *quæst. 163. artic. 1.* simili ferè ratione, qua suprà ostendimus primum peccatum Angelorum non posse esse nisi superbiam, & sic formatur ratio. Primum hominis peccatum non potuit esse aliud quàm inordinatus appetitus alicujus boni spiritualis per modum finis. Cùm enim motus interior hominis (in quo primò invenitur deordinatio, quæ inde ad corpus derivatur) priùs feratur in finem quàm in media, ibi necessariò fuit peccatum hominis, ubi potuit esse primus appetitus inordinati finis: ille autem primus appetitus inordinatus non potuit ferri circa bonum sensibile, quia in illo statu nulla erat rebellio carnis ad spiritum, sed perfecta consonantia & subordinatio corporis ad animam, appetitus ad rationem, rationis inferioris ad superiorem, quando ista Deo obtemperabat: unde prima inordinatio non potuit incipere à viribus inferioribus, sed à voluntate & ratione, cujus objectum est bonum spirituale, nisi quando ab appetitu sensitivo ad corporea deprimitur. Atqui hoc posito primum hominis peccatum fuit superbia, quia bona spiritualia inordinatè appeti non possunt, nisi quatenus in eorum amore non servatur mensura à divina regula præstituta, sed potiùs contemnitur, qui est germanus superbiæ character. Ergo primum hominis peccatum fuit superbia; & sic verificatur illud Ecclesiastici 10. *Initium omnis peccati superbia*. Quia, ut exponit Gregor. lib. 34. Moral. cap. 17. *Scriptum est, Initium omnis peccati superbia; per hanc enim diabolus succubuit, per hanc se sequentem hominem stravit; etenim telo salutem nostræ immortalitatis impetiit, quo vitam suæ beatitudinis extinxit*.

Motivum verò superbiæ illius primitivæ asserit D. Thom. *art. 2.* fuisse divinam similitudinem, non quòd appeterit homo omnimodam æquiparantiam Deitatis tam

tam frivolum enim objectum cadere non potest sub apprehensionem sapientis; sed quatenus appetit proprium bonum contra regulam & mensuram praescriptam. Ad cujus evidentiam praeclarè distinguit Doctor Angelicus triplicem Dei similitudinem. Prima est secundùm naturam, quae fuit in ipsa creatione impressa; fecit quippe Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam, quae quidem imago in gehenna uri potest, non exuri, ardere, sed non deleri, ut aliàs ex Bern. diximus. Secunda est similitudo cognitionis, quam homo etiam in creatione non actu, sed potentiâ accepit hoc ipso quod rationalis est conditus. Tertia est similitudo operationis, quam nondum fuerat assequutus; restabat enim aliquid agendum, quo ad beatitudinem perveniret. Homo ergo propriae excellentiae amore captus, & veluti fascinatus, ac ferè infatuatus, appetiit similitudinem Dei quantum ad scientiam boni & mali, sicut serpens ei suggessit; voluit enim esse sua regula, & sibi per propriam virtutem determinare quid bonum, quidve malum esset agendum, vel futurum. Hic non stetit superbia, quae ascendit semper; nam etiam appetiit similitudinem Dei quantum ad propriam potestatem operandi, ut scilicet virtute propriae naturae beatitudinem consequeretur: unde tam benè vocari potest Protopelagianus, quàm Protoparens, volens sibi innixus, divinae regulae ordinem, & adjutorii divini opem impudentissimè contemnens. Vnde Aug. *in Psal.* 68. *Adam & Eva rapere voluerunt divinitatem, & perdiderunt felicitatem.* Et lib. de vera Relig. *Magis voluit potentiâ suâ frui, quàm Dei.* Et q. 4. ad Oros. *Homo elatus superbiâ suasioni serpentis obediens praecepta Dei contempsit.* Et lib. 11. super Genes. ad litt. *Verbis serpentis mulier non crederet, nisi jam inesset menti amor ille propriae potestatis, & quaedam de se superba praesumptio.*

Vides utriusque Doctoris, Augustini & Aquinatis consonantiam & constantiam in asserendo primum peccatum Adami fuisse superbiam. Quod etiam ex ordine tentationis apparet; nam primum quod vafertimus serpens ad decipiendum objecit, fuit: *Eritis sicut Dii*, ut amorem excellentiae (qui omnibus inviscera tus est, primum vivens & ultimum moriens) titillans, & ad inordinatum motum provocans; quae est inter omnem tentationem eo periculosior, quo blandior. Vnde orabat David, *Oleum peccatoris non impinguet caput meum.* Et praeclarè August. in Psal. 18. *Peccatum superbiae est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit*; quia inest in ultimis voluntatis recessibus, ideò ultimò exuitur.

Secunda pars, quae asserit inordinationem primi hominis multis sordescere peccatis, facilè probatur: nam primò Protoparens peccavit contra obedientiam. Rom. 5. *Per inobedientiam unius peccatores constituti sunt multi.* Vescendo enim fructu vetito, praeceptum sui Legislatoris violavit.

Secundò peccavit peccato gulae; dicitur enim Genes. 3. *Vidit mulier quod lignum esset bonum ad vescendum, & tulit de fructu ejus, & comedit.* Et Adamo dixit Deus: *Quia audisti vocem uxoris tuae, & comedisti ex ligno, ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.* Ergo in utroque fuit inordinatus appetitus cibi, in quo turpiditudo gulae sita est.

Tertiò peccavit inordinato amore, & nimia complacentia uxoris, quam noluit contristare; quod est peccatum personarum bonae indolis, & suavis temperamenti, quae saepiùs illamet peccata, à quibus abhorrent, vel committunt, vel dissimulant *amicabili quadam benevolentia* (ait August. *lib. 11. de Genesi ad litt. c. 42.*) *qua plerumque fit ut offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.* Heu quoties confessarii erga seipsos rigidi & austeri, politico & assentatorio obsequio lenimenta quaerunt perversis hominum cupiditatibus accommodata! Non intendunt corrumpere mores, sed flexibilibus institutis omnes ad se allicere. Hinc quotidie novas normas, novas formas excogitant, teneras, molles, cereas, & in quamcunque velis formam ductiles, variisque suavitatibus iter salutis laevigatum, & cum vitae deliciis copulatum ostendunt; quia poenitentes suos alienare, vel contristare vanissimè timent. Quoties peccatoribus in eadem semper flagitia relabentibus, & repetitis spurcitiis validum vitiorum habitum contrahentibus absolutionem minimè differunt ad emendationem eorum explorandam, *ne* Dominus ille, Princeps iste, insignis benefactor, Comitissa, vel Baronissa liberalis, *ex amicis fiant inimici: & plerumque offenditur Deus*, quia semper redeunt ad vomitum, nullaque in eis vitae in melius mutatae vestigia apparent. Solumque ad eos convertendos remedium foret firmitas confessarii hos relapsos intrepidè ab altaribus removentis.

Quartò peccavit peccato curiositatis, per inordinatum appetitum scientiae, in quo magis excessit mulier quàm vir; illa enim ex verbis, & promissione serpentis tumens & elata, credidit verum esse quod dicebat serpens, nimirum Deum ligni usum prohibuisse, ne perfectionem divinae scientiae acquirerent: unde contra Dei voluntatem non potuit muliebrem curiositatem continere, donec gustasset fructum illum. Vir verò tale commentum serpentis non credidit, sed sociae suae amori succubuit. Ex quo infert D. Thomas, peccatum Evae simpliciter gravius, quia in ea magis apparuit malitia in vetitum nitendo, & peccatum patratum viro suggerendo, unde peccavit in Deum & proximum; secundùm quid tamen peccatum Adami fuit gravius, propter circumstantiam personae, quia vir, utpote perfectior, fortiùs resistere, & Evam peccantem corrigere tenebatur.

Tertia pars posita est ad declarandam primi peccati granditatem; cùm enim poena proportionetur culpae, facilè judicabis quanta fuerit illius peccati atrocitas, si poenas illi severissimè inflictas mediteris. Prima, & omnium maxima est privatio gratiae & amicitiae divinae, quâ anima sibi vivens, reverà moritur. Nam, ut ait August. *Vita animae viventis in corpore, anima est; vita animae, Deus*, ut dicetur alibi. Et serm. 47. de diversis: *Prima hominis perditio fuit amor sui; si enim se non amaret, sed Deum, sibi proponeret Deo esse semper subjectus.*

Secunda poena fuit naufragium omnium bonorum spiritualium, & facultatum omnium desolatio. Opinio Philosophi apud Thomistas recepta est, in corruptione substantiali ad resolutionem usque ad materiam primam, id est omnes omninò proprietates, omnia accidentia funditus perire, quia pereunte toto, quod est illarum subjectum & fulcrum, non possunt illa subsistere. Similiter quia gratia & justitia originalis caeterorum coelestium donorum basis erat & origo, ipsa desinente, omnia corruerunt, nihilque remansit, nisi confusio & desolatio; ita enim Gregor. expendens illud Iob 9. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* ait: *Qui sub, ecta Deo in tranquillitate persistere renuunt, ipsa se sibimet dimissa confundunt, quia in se pacem non inveniunt. Perversa mens unde se contra authorem erigit, inde se in semetipsa confundit.*

Hinc primò statim caro adversùs spiritum pugnare coepit, & turbidus passionum insurrexit tumultus, mentem obnubilans. Vnde Gregorius 26. Moral. cap. 13. *Quia authori suo esse subditus noluit, jus carnis subdita quam regebat, amisit; ut in seipso videlicet inobedientiae suae confusio redundaret, & superatus discereret quod elatus amisisset.* Et divinè August. lib. 14. de civitat. cap. 15. *Iusta damnatio subsequuta est, talisque*

talisque damnatio, ut homo, qui custodiendo mandatum futurus fuerat etiam carne spiritualis, fieret etiam mente carnalis.

Hinc secundò omnes hominis vires sauciatæ, quia ut rectè discurrit Hugo Victorinus super Abdiam Prophet. in unoquoque homine tria sunt, *posse, velle, nosse*, quæ peccati originalis sordibus inquinata, duræ dæmonum tyrannidi mancipantur. Potestatem infirmatam sentiebat Apostolus, dum dicebat Rom. 7. *Video aliam legem captivantem me in lege peccati*. Voluntatem sauciatam noverat cùm diceret: *Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio*. Scientiam quoque turbatam viderat dicens 1. Cor. 13. *Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus*. Hæc tria Psalmographus breviter insinuat Psal. 37. *Cor meum conturbatum est* (ecce voluntas sauciata) *& dereliquit me virtus mea* (ecce potentia infirmata) *& lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum*) ecce scientia obscurata.)

Alio egregio discursu hanc humanæ naturæ per peccatum vulneratæ virium infirmitatem explicat D. Thomas 1. 2. q. 28. art. 3. ubi probat quatuor esse vulnera naturæ ex peccato consequentia, scilicet *infirmitas, ignorantia, malitia*, & *concupiscentia*. Quia sicut per justitiam originalem perfectè continebantur vires animæ, quandiu ratio Deo subjecta manebat; ita recedente hujusmodi justitia vires illæ penitus destitutæ, & infirmatæ sunt. Quatuor autem sunt vires animæ: scilicet ratio, in qua est prudentia; voluntas, in qua est justitia; irascibilis, in qua est fortitudo; & concupiscibilis, in qua est temperantia. In quantum ergo ratio destituitur ordine ad verum, est vulnus ignorantiæ; in quantum voluntas destituitur ordine ad bonum, est vulnus malitiæ; in quantum irascibilis destituitur ordine ad arduum, est vulnus infirmitatis; in quantum concupiscentia destituitur ordine ad delectabile moderatum ratione, est vulnus concupiscentiæ: quæ destitutio ordinis vocatur vulnus, quia per illam rumpitur unio ad Deum, sicut vulnere corporis fit continui divisio.

Hinc tertiò infirmatum est liberum arbitrium, & ita attenuatum, collisum & confractum, ut nullum bonum opus sine Dei gratia operari queat; voluntas enim humana fuit & gratiâ nudata, & in naturalibus sauciata, & semiviva relicta, sicut ille homo descendens à Hierusalem in Iericho, qui incidens in latrones, spoliatus, vulneratus, & semivivus relictus est, ut dicitur *Luc.* 10. Sed de his operosiùs dum de gratia.

Hinc quartò orta est necessitas moriendi. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors*. Quanvis enim mors sit homini naturalis ratione corporis ex contrariis compositi, unde sequitur corruptibilitas; tamen quia Deus ab homine priùs instituto, singulari beneficio necessitatem moriendi ex materia natam sequi ademerat, quod quidem beneficium peccato primorum parentum subtractum est; ideò mors jam est pœnalis. Nec obest quod annos plurimos postea primi parentes vixerint, quia illo die mori cœperunt, quo mortis legem, qua in senium veterascerent, acceperunt, ut ait August.

Hinc quintò pullularunt innumeræ miseriæ; nam præter exilium à paradiso terrestri, præter multiplicatas mulieribus ærumnas conceptuum, dolores partuum, subjectiones ad viros; præter terræ sterilitatem, labotis anxietatem, spinarum & tribulorum importunitatem, quibus homo punitur quantum ad corpus; confusionem ex rebellione carnis ad spiritum, increpationem & irrisionem Dei, non tam insultantis, quàm deterrentis, & impositionem pœnæ mortis, Deo ipso pronunciante, *Pulvis es, & in pulverem reverteris*; præter illa, loquamur, quæ Scriptura commemorat, videamus, quæso, amice Lector, alias sensibiliores illius culpæ pœnas, ut inferas quantum malum peccatum sit, & quàm horrendum incidere in manus Dei viventis.

Considera non miserias temporum, sed animorum horrenda nimirum peccata, quæ ab initio orbis patrata sunt. Ipse Caïn tam accuratè ab Adamo piis moribus imbutus, primus homicida fuit; nam maligna erant opera ejus, sacrificia Deo immunda offerebat, & terram fraterno cruore polluit. Quot sectatores habuit hic scelestus? nam tempore diluvii omnis caro corruperat viam suam, & deinceps idololatriæ lues per totum, quàm longè, latéque patet, orbem terrarum grassata est. Considera milliones hominum in infidelitate degentium, chiliades peccatorum mortalium, myriades puerorum sine Baptismo decedentium. Hæc omnia meritus est unicum Adæ peccatum, & longè plura damna tulisset, nisi Salvator advenisset: quia *nullum peccatum facit homo, quod non faceret alter homo, si desit rector, à quo factus est homo*, ut liberato de non liberato discat, *quale supplicium sibi conveniret, nisi gratia subveniret*.

Contemplare demùm labores, sudores, pressuras, inopias, fames, egestates, infirmitates, morbos, dolores, cruciatus, bella, rixas, internecziones, quibus mundus oppletus est. Intuere Xenodochiorum fœtores, putores, tabes, lues, carcinomata, lepras, scabies, vulnera, & cicatrices. Cerne carcerum ergastula, vincula, tenebras, stercora, servitutem. Cerne triremium clades, si potes (nam fortè oculos averteres coget tanta infelicitas) & vide homines scalmo addictos, catenis nexos, capite attonsos, corpore ferè nudos, post verbera, post algores, & sudores, post portatum pondus diei & æstus, durissimo pane, crudâ aquâ refici, supra tabulatum dormire. Audi lamenta viduarum, orphanorum planctus, oppressorum ululatus, mœrentium suspiria. Hæc omnia rivi sunt fontis venenati ab orbe condito semper fluentis, nunquam exhausti, nunquam exhauriendi. Profectò peccatum summum malum est, & malorum omnium summa, cui expiando tanta nondum satisfecit pœnitentia.

REFLEXIO.

Felix quem faciant aliena pericula cautum. Vidisti superbiâ cecidisse hominem; superbiam ergo time, occultissimum vitium est, & profundis visceribus ac medullis infixum: illud sæpè committimus, etiam dum fugere credimus; & ut ait Cyprianus serm. de jejun. Christi: *Etiam in sinu dormit, ubi sub umbra recubat, in secreto thalami se fraudulenter occultat*. Animadvertant ergo viri spirituales. Nam ut dixit Prosper aliàs laudatus: *Nullus opportunius superbia insidiatur, quàm quibus laus justa debetur*. Per fœminam cecidit homo. Crede mihi, fuge consortium mulierum, nec Davide sanctior, nec Salomone sapientior, nec Samsone fortior, nec Adamò fortunatior eris. In colloquiis mulierum est semper *lucrum cessans*, & *damnum emergens*. Post peccatum subitam veniam, & forsan pristini status restitutionem non obtinuit Adam, quia ad Deum statim non confugit, sed à Deo fugere voluit. Nam *cùm audisset vocem Domini Dei deambulantis in paradiso, abscondit se Adam, & uxor ejus à facie Domini Dei*. O bone! ô cæce! Bene, ut video, didicisti scientiam ex fructu à bonis illius. An nescis quod nullus est locus ubi non sit Deus? Quomodo et abscondi satagis? Quomodo ejus ferres iram, cujus non vales mansuetudinem tolerare. Revertere; clementia te invitat, ad vitam te Deus revocat, dum ait: *Adam ubi es*? Tam suavi voce allectus ad Deum non confugit, sed quæsivit excusationes excusare

in peccatis ; & qui peccare non erubuit, veniam petere formidavit. Non sic te geras, Lector : peccata fatere, sed ad medicum citò confuge. Quàm divinè Augustinus in Psalmum 30. expendens illud, *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii*, sic ait: *Cùm irascitur tibi Deus, quò fugies ? Quocunque ieris, te invenium : & si irasceris, ultorem te invenio ; si placatus es, adjutorem. Nihil ergo mihi restat nisi ad te fugere, non à te. Vt evadas hominum dominum, quicumque servus es, fugis in ea loca, ubi non est Dominus tuus : ut evadas Deum, fuge ad Dominum ; nam non est quo effugias eum.*



DISSERTATIO VI.

De divina rerum gubernatione.



Testatur Scriptura, Deum die septimo complevisse opus suum, & quievisse ab omni opere quod patrarat. Hoc autem non est ita intelligendum, quasi fuerit in laborando fatigatus Deus, qui verbo & præcepto omnia crearat, & *cujus voluntas mensura rerum est*, ut ait Ambr. *lib. 2. hexaem. c. 2.* Sed quia intra sex dies opificium mundi consummavit, ei fixum, & firmum statum tribuit, & à novis speciebus condendis cessavit. Non est etiam sic accipiendum, quasi Deus nihil post creationem agat; non enim opera producta deserit pius pater, sed dicitur quiescere eo modo, quo Rex post provinciam variis bellorum motibus acquisitam quiescit, tametsi ipsam continuò administret & regat. Vnde de divina gubernatione agendũ superest.

CAPUT I.

De immediato Dei gubernantis regimine.

Suppositis iis, quæ de divina providentia *lib. 2.* operosè tradidimus, pauca circa gubernationem, quæ providentiæ exequutio est, examinanda supersunt. Portò quia Deus gubernans & creaturas immediatè regit, & nonnullas in consortium sui regiminis admittit, ideò quidquid ad divinam gubernationem spectat, sub hoc duplici capite complectemur.

SPECULATIO I.

Creaturas omnes Deus immediatè gubernat.

Hanc veritatem expressè docet Scriptura Sap. 14. *Tu autẽ, Pater, gubernas omnia providentiâ.* Sap. 8. *disponit omnia suaviter.* Et *Matth. 6. & 10.* & *Luc. 12.* Christus Dominus ait, Dei gubernationem non solùm circa superiora & majora, sed etiam circa minima occupari, ut nec passer unus sit in oblivione coram Deo, vel sine ipso in terram cadat. Vnde Augustin. *lib. 5. de civit. cap. 11.* hæc ait : Deus non solum cœlum & terram, nec solum hominem & Angelum, sed nec exigui & contemptibilis animalis viscera, nec avis pennulam, non herbæ flosculum, nec arboris folium sine suarum partium convenientia dereliquit. Et eleganter Boët. *lib. 3. de consolat. metr 9.*

O qui perpetua mundum ratione gubernas,
Terrarum, cœlique sator, qui tempus ab ævo
Ire jubes, stabilisque manens, das cuncta moveri.
Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida conveniant liquidis, nec purior ignis
Evolet, aut mersas deducant pondera terras.

Probatur : Gubernatio est exequutio divinæ providentiæ, mandans tempore præfixo exequutioni id quod ab æterno præfinitum est. Atqui Deus sapientissimè exequitur quidquid ab æterno constituit : ergo Deus omnia gubernat. Minor probatur. Videmus in rebus evenire, & recurrere semper præclarum illum ordinem qui attendentes in admirationem rapit, quod sanè non fieret, nisi daretur aliquis supremus rector cuncta gubernans ; sicut in domo non posset esse elegans, & uniformis œconomia, modus, disciplina, nisi esset aliquis supremus rector, cui pareatur : multò magis, ait ipse Tullius *lib. 2. de natura Deor.* in tantis motibus, tantisque vicissitudinibus, tam multarum rerum, atque tantarum ordinibus, statuere necesse est ab aliqua mente illos gubernari. Addit D. Thom. q. 103. art. 2. ad 1. *Sicut motus sagitta ad determinatum finem demonstrat apertè quod sagitta dirigitur ab aliquo cognoscente ; ita certus cursus naturalium rerum cognitione carentium, manifestè declarat mundum ratione aliqua gubernari.*

Cujus ulterior ratio est, quia Deus creavit res ex consideratione suæ bonitatis, ut anteà visum est. Sed ad bonitatem Dei pertinet, ut sicut res produxit in esse, ita etiam eas ad finem perducat, in quo consistit gubernatio ; perfecti enim artificis est ut rebus productis ultimam perfectionem largiatur, quæ habetur in consequutione finis. Ergo sicut nihil est quod non sit à Deo productum, ita nihil esse potest, quod ejus gubernationi non subdatur.

Objicies : *Eccles. 9.* dicitur, *Vidit tempus, casumque in omnibus.* Et 1. *Cor. 9.* habetur : *Nunquid de bobus cura est Deo ?* Sed si Deus omnia gubernaret, non esset casus in omnibus ; haberet etiam curam de singulis : ergo Deus non omnia gubernat.

Respondeo, in tantùm in istis inferioribus inveniri casum, in quantum multa accidunt præter intentionem causarum particularium ; sed non quòd aliquid præter intentionem supremi Gubernatoris eveniat. Cùm autem Apostolus ait, quod Deo non est cura de bobus, non intendit totaliter subtrahere boves à cura gubernationis divinæ, sed solùm quantum ad modum qui competit creaturæ rationali, quæ regitur per præcepta, & prohibitiones ; præmiis incitatur, & minis: quo pacto non gubernantur creaturæ irrationales, quæ tantùm aguntur in finem, sed non agunt propter finem.

Dices : Si omnia à Deo gubernarentur, nullum accideret malum in rebus ; aliàs refunderetur in gubernantis dispositionem ; nihil etiam esset casuale, siquidem omnia fierent secundùm ordinationem supremi Regis : nihil etiam esset contingens, sed omnia evenirent propter certum, & immutabilem divinæ gubernationis ordinem ; cui nihil potest reniti. Sed in rebus multa sunt mala casualia, & contingentia : ergo omnia non reguntur à divina gubernatione.

Respondeo, hoc argumentum, quod importunè objiciunt impii, sæpiùs solutum esse. Quomodo in rebus sit casus, explicuimus responsione ad præcedens argumentum. Quomodo gubernatio non tollat contingentiam à rebus, vel libertatem, sed potiùs causet adhibendo causas proximas, quæ in suis effectibus deficere possunt, fusè aliàs explicuimus. Quomodo verò, vel cur permittat mala pœnæ, nec author sit mali culpæ, sæpius iteravimus, nec est opus repetere. Vt tamen una vice pro omnibus hanc calumniam reprimamus,

Adverte præclaram doctrinam D. Thom. *lib. 3. cont. Gent. cap. 75.* ubi probat non debere divinam gubernationem omnia mala excludere à rebus. Tum quia

supremus Gubernator debet permittere ut res agant secundùm modum propriæ naturæ defectibilis, & alteri contrariæ, & repugnantis. Tum quia multa sunt in rebus, quæ nisi mala essent, locum non haberent, sicut non esset patientia justorum, si non essent malignitas persequutorum; nec esset locus justitiæ vindicativæ, si delicta non essent: in rebus etiam naturalibus non esset unius generatio, nisi esset alterius corruptio. Tum quia bonum totius præeminet bono partis: ergo ad gubernatorem pertinet aliquem defectum negligere in parte, ut fiat augmentum bonitatis in toto; sicut artifex abscondit fundamentum in terra, ut tota domus habeat firmitatem. Bonitas autem, & perfectio totius universi ex ordinata bonorum, & malorum ordinatione consurgit, sicut & silentii interpositio facit cantilenam esse suavem. Tum quia aliàs multùm de bono hominis diminueretur, & quantum ad cognitionem, & quantum ad boni desiderium & amorem: nam bonum ex comparatione mali magis cognoscitur, & dum aliqua mala patimur, ardentiùs bona optamus, sicut infirmi bonum sanitatis melius agnoscunt, magisque concupiscunt. Hæc omnia compendiosè, & eleganter tradit Aug. lib. 11. de civit. cap. 18. *Deus ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam quasi antithetis honestavit. Antitheta enim quæ appellantur in ornamentis elocutionis, sunt decentissima. Sicut ergo contraria contrariis opposita sermonis pulchritudinem reddunt; ita quadam non verborum, sed rerum eloquentia, contrariorum oppositione sæculi pulchritudo componitur.* Ergo distinctio, & inæqualitas rerum à Deo est.

Reflexio.

Si Deus per seipsum cuncta regere dignatur, audiant Prælati, qui tam facilè à commisso sibi grege corpore absunt, qui pro ovibus animas ponere deberent. Non considerant se prodesse magis quàm præesse teneri. Gloriantur nomine patris & pastoris, & in alios patentis officia transferunt, vel dividunt; quia si adsunt verbo, nunquam pascunt. Contra illos reclamat ipsa natura. Terra omnium parens, quæ genuit, ea nutrit. Quod aqua gignit, in aquis educatur. Nullum est animantis genus tam ferum, nulla leæna, vipera nulla invenitur, quæ non alant fœtus suos; & Pastores animas abjiciunt? Quid crudelius iis, non tam matribus, quàm novercis, quæ prolem educationis tædio exponunt? An non expositionis genus est animas teneras, conscientias infirmas, adhuc peccato sordidas, pastorem spirantes, & patris spiritalis opem ea voce implorantes quæ feras moveret, vel prorsus negligere, vel iis ea tradere, quibus pluris est pecunia, quàm conscientia? eisque artem artium, regimen animarum committere, quibus palatii sui custodiam credere formidarent? Apostolus filiolos parturiebat, & quasi mater fovebat pullos suos; lac dabat & escam. Qua ergo fronte Apostolorum successores, & divini regiminis Vicarii filiis mammam negant, vel ad conducticios relegant semipatres; non enim totus pater est, nec absolvitur genitoris munus, nisi animum alat, qui in Christo peperit. Porrò quid indignius quàm nonnullos temporalibus immediatè attendere, & animas per alios, etiam dum ipsi possunt, curare. Præclarè Bernard. lib. 5. de consid. cap. 6. *Quid Episcopo turpius quàm incumbere supellectili, & substantiola sua scrutari omnia, sciscitari de singulis, morderi suspicionibus, moveri ad quæque perdita vel neglecta? Ad verecundiam dico quorundam, ut usmodi servantium quotidie omnem substantiam suam, numerantium singula, de minutis & quadrantibus exigentium rationem. Mira res? Satis superque Episcopi ad manum habent quibus animas credant, & cui suas committant facultatulas non inveniunt? Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis; parvam, aut nullam de maximis curam gerunt. Sed ut liquidò datur intelligi, patientius ferimus Christi jacturam quàm nostram. Quotidianas expensas quotidiano reciprocamus scrutinio; & continua Dominici gregis detrimenta nescimus. De pretio escarum, & numero panum cum ministris quotidiana discussio est; rarò admodum cum Presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum. Cadit asina, & est qui sublevet eam; perit anima, & nemo est qui reputet.*

Speculatio II.

Deus res omnes in esse perenniter conservat.

Ita docet Scriptura ad Hebr. 1. *Portans omnia verbo virtutis suæ.* Portare verò per virtutem, est conservare agendo. Sapient. 11. *Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu voluisses; aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?* Act. 17. *In ipso vivimus, movemur, & sumus*, quod fit, ut ibi explicatur, quia dat nobis Deus vitam & inspirationem.

Subscribunt omnes Patres. August. lib. 4. super Genes. ad litt. c. 12. *Quod Dominus ait: Pater meus usque modo operatur, conservationem quandam operis ejus, quâ universam creaturam continet atque administrat, ostendit.* Et iterum: *Virtus Dei ab eis quæ creata sunt regendus, si cessaret aliquando, simul & illorum cessaret species, omnisque natura concideret.* Et D. Greg. *lib. 16. Moral. c. 18.* expendens verba illa Iob, *Ipse solus est*, inquit: *Sunt hæc omnia, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minimè subsistant, & nisi gubernantis manu teneantur, esse nequaquam possunt; cuncta namque in illo subsistant, à quo creata sunt. Cuncta quippe ex nihilo facta sunt, rursusque ad nihilum tenderent, nisi ea Author omnium regiminis manu retineret.* Quibus affinia Anselm. *in monol. c. 12.* scribit: *Dubium non nisi irrationabili menti esse potest, quod cuncta quæ facta sunt, eodem ipso sustinente vigeat, & perseverant esse quamdiu sunt, quo faciente de nihilo habent esse quæ facta sunt. Sicut nihil factum est, nisi per creatricem essentiam; ita nihil viget, nisi per servatricem ejus potentiam.*

Probatur ratione D. Thomæ q. 104. *art. 1.* Aliquid dicitur dupliciter conservari. Primò indirectè, cùm removentur corrumpentia, sicut conservatur puer cùm removetur ab eo ignis, vel gladius. Secundò directè, quando effectus ita pendet à causa, ut sine ea esse non possit. Atqui licèt omnes creaturæ non conserventur à Deo primo modo, quia multa sunt quæ non timent corruptionem, ut sunt Angeli, animæ rationales, corpora cœlestia, quæ sunt incorruptibilia; nulla tamen est creatura, cujus esse non pendeat à continuo influxu Dei. Ergo omnia conservantur à Deo. Probatur secunda pars minoris. Effectus dependet à causa sua secundùm eam rationem, quâ causa sui est, id est, si principium est solùm causa fieri, effectus dependet ab eo in fieri; si verò est causa esse permanentis, necnon durationis, & ipsius permanentiæ, effectus pendebit ab ea quantum ad esse & permanere. Sed omnis creatura pendet à Deo non solùm in fieri, sed etiam in esse, ac in duratione, & permanentia illius: ergo nulla est creatura, cujus esse non pendeat ab influxu Dei. Major est certa, quia causa per se alicujus causat illud ubicumque invenitur; non enim potest separari ab aliquo id quod convenit ei per se; unde si alicui causæ per se conveniat producere talem effectum, & alicui effectui per se conveniat dependere à tali causa, ubicumque invenietur effectus, invenietur dependentia à tali causa. Minor verò probatur. Licèt effectus creati non pendeant à suis causis creatis in permanentia sui esse, sed solùm in fieri, cùm videamus corruptis causis durare effectus;

tamen duratio & permanentia rerum dependet à Deo, quia cùm sit ens per essentiam, nihil potest participare rationem entis, nisi ab illo; subindèque ipsa duratio & permanentia in esse, est effectus Dei, aliàs rem semel productam non posset destruere, & annihilare; siquidem non aliter concipi potest rem à Deo annihilari posse, nisi quatenus suspendit influxum concursus sui in illam.

Confirmatur alia duplici ratione, quam tradit idem S. Doctor *lib.3. contra Gent. c.65.* Impressio agentis non remanet in effectu, cessante actione agentis, nisi vertatur in naturam effectus; formæ enim generatorum, & proprietates ipsarum remanent in eis post generationem, quia efficiuntur eis naturales: quod autem pertinet ad naturam superioris generis, nullo modo post actionem agentis manet, sicut lumen non manet in diaphano, recedente illuminante. Esse autem non est essentia, vel natura alicujus rei creatæ; nec proprietas, quæ non fluat ab essentia, aliàs essentia sibi daret esse; sed solius Dei. Nulla ergo res remanere potest in esse, cessante operatione divina.

Secunda. Sicut opus artis præsupponit opus naturæ, ita opus naturæ præsupponit opus Dei creantis. Nam materia artificialium est à natura; naturalium verò per creationem à Deo. Sed artificialia conservantur in esse virtute naturalium, sicut domus per soliditatem lapidum. Ergo similiter omnia naturalia non conservantur in esse, nisi virtute Dei.

Observa, quod licèt nomine conservationis intelligatur præcipuè perennis, & indeficiens influxus Dei in esse rerum, unde & communiter dicitur quod conservatio est continuata productio; tamen sub illo nomine plura etiam intelligi possunt, quibus tanti beneficii magnitudinem magis percipies. In primis igitur sub conservatione continetur depulsio innumerabilium periculorum, & discriminum, quibus passim obnoxia est vita nostra; tum in utero matris, in quo innumeri suffocantur, & sine baptismo decedunt; tum in partu & pueritia, necnon in toto vitæ decursu, in quo occurrunt tot ægritudines, infortunia, & casus tam infesti, quorum plures advertimus, sed innumerabiliores sunt qui nos latent. Sub hoc etiam beneficio comprehenduntur illa omnia, quibus fovetur vita nostra, ad quam tuendam concurrunt elementa, influunt cœli, serviunt plantæ, & animalia, nedum ad necessitatem, sed ad delicias; ita ut mundus totus sit in perpetuo motu, ut nostræ conservationi incumbat & saluti.

Ex dictis sequitur primò, creationem & conservationem esse unam & eandem actionem, ut continuatam, quia eodem modo dependet creatura à Deo in conservatione, quo aër à Solis influxu, ut habeat lucem; conservatio autem lucis in aëre est per continuatum influxum Solis. Adde quod creatio & conservatio non distinguuntur nec ex parte principii, quod est idem Deus; nec ex parte termini, cùm sit eadem res producta & conservata; nec ex temporis intercapedine, nam sine ulla interruptione res quæ producitur, conservatur. Unde potest esse solùm distinctio rationis, quatenus creatio dicit inchoationem, conservatio verò continuationem actionis.

Sequitur secundò, quod licèt Deus possit omnia ad nihilum redigere, subtrahendo concursum suum rebus quibus liberè dat esse, tamen de facto nullam rem omninò annihilat: quia vel creaturæ sunt immateriales, & incorruptibiles, & illæ semper subsistunt; vel sunt materiales, & sic remanent saltem secundùm materiam, quæ est incorruptibilis. Nam sicut creatio est productio è nihilo subjecti, ita perfecta annihilatio est destructio rei etiam quoad subjectum. Et sic verificatur quod dicitur Eccles. 3. *Didici quod omnia opera quæ fecit Deus, perseverant in perpetuum.*

Reflexio.

Frustra forent cuncta creata, nisi ea Deus jugiter conservaret, portans omnia verbo virtutis suæ. Nam, ut ait Bernard. lib.5. de consider. *Tam nihil esse sine ipso, quam nec ipse sine se esse potest. Ipse sibi, ipse omnibus est, ac per hoc quodammodo solus est ipse.* Hanc perennem Dei conservantis curam æmulari Prælati tenentur, ut bonum quod Deo donante inceperint, jugiter perficiatur. Quid proficit terram fodere, arbusta plantare, & nascentes fructus aspicere, si non æquo animo curentur etiam maturescere? Deum *animam mundi* vocabat Plato, & *mentem universi* Seneca; quia in orbem semel conditum intimiùs animâ influit, attentiùs mente invigilat. Unde *Psal.44.* dicitur: *Deus in medio.* Et Psal.47. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Quia ut ait Aug. ibid. *Æquus est omnibus Deus, & personas non accipit. Quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines: ita Deus aequaliter omnibus consulens.* Et Bernard. serm. 1. Purific. *In medio templi misericordia est, non in angulo, aut diversorio; quia non est acceptio personarum apud Dominum. In communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit.* Sic pastores animarum, sic affici, sic imbui debent rore misericordiæ, sic affluere pietatis visceribus, ut Deum valeant imitari, *Isai.46.* dicentem: *Audite me domus Iacob, & omne residuum domus Israël, qui portamini à meo utero. Ego feci, & ego feram: ego portabo, & ego salvabo.* Tantam pietatem Apostolus ille imitabatur, qui ut ait Chrysost. *totus factus est charitas*, dum dicebat 2. Cor.12. *Ego autem libentissimè impendam, & superimpendar pro animabus vestris.* Æmulabatur & ipse Chrysost. homil.13. ad pop. *Vtinam*, inquit, *posset fieri, ut ego pro vobis omnibus bene mererer, & meritorum bravia vos caperetis.*

Speculatio III.

Divina gubernatio exigit, ut Deus interdum miracula operetur, quæ solus ea operari potest.

Prima pars probatur. Pertinet ad supremum rerum moderatorem agere interdum præter ordinem & cursum institutum, cùm voluerit, & conveniens esse judicaverit. Talem enim rebus modum Deus indidit, ut sibi reservaverit aliter operari, cùm ad gloriam suam & utilitatem nostram opus esse judicaverit. Nullo enim modo meliùs manifestari potest, quod tota natura divinæ subjecta est voluntati, quàm ex hoc quod quandoque ipse præter ordinem naturæ aliquid operetur, ut ait S. Thom. *lib.. contra Gent. cap.99.* Ut autem pleniùs hunc extraordinarium divinæ gubernationis effectum intelligas,

Nota primò, nomen miraculi derivari ab admiratione, quæ consurgit dum apparet effectus, occulta manente ejus causa; nam ut aliquid verè mirabile sit, non sufficit quod causa ignota sit alicui, & aliis sit, vel possit esse nota; sed cùm est ita omnibus occulta, ut à nullo dignosci possit, & necessariò recurrendum sit ad virtutem primi Entis, qui præter totius naturæ ordinem agit. Unde definitur miraculum, *Opus arduum, & insolitum supra facultatem naturæ, & spem admirantis proveniens.* Dicitur *arduum*, eo quòd semper facultatem naturæ excedit, non verò dicitur tale respectu divinæ potentiæ, cui nihil est difficile; nec nullum est tam perfectum opus, quo sine fine perfectius producere non valeat. Dicitur *insolitum*, non quòd aliquando frequenter non eveniat, ut ad Christi transitum,

transitum; vel umbram Petri catervatim sanabantur omnium languores, sed quia est præter naturæ consuetudinem. Dicitur *supra facultatem naturæ*, quia excedit totam sphæram virtutis agentium naturalium. Denique dicitur *supra spem admirantis*, non quidem supernaturalem, quæ sequitur fidem, cùm potiùs fides sit maxima dispositio ad impetranda miracula; unde aiebat Veritas: *Fidem habete*; id est, fiduciam: sed præter spem naturalem fundatam in cursu ordinario causarum naturalium.

Nota secundò, aliquid posse excedere facultatem naturæ, atque adeò esse miraculum tripliciter. Primò quantum ad substantiam facti, sicut quod duo corpora sint simul, quod Sol retrocedat, vel corpus humanum glorificetur. Et hæc tenent summum gradum in miraculis. Secundò quantum ad id, in quo fit, sicut resuscitatio mortui, & illuminatio cæci; quanvis enim vita, & visus sint effectus in substantia naturales, non potest tamen natura nec vitam mortuo, nec visum cæco restituere. Tertiò, aliquid excedit facultatem naturæ quantum ad modum, & ordinem faciendi, sicut cùm aliquis per virtutem divinam à febre curatur absque curatione, & consueto modo naturæ; vel cùm aër in pluvias subitò densatur, vel nubilosus serenatur, naturalibus causis non modò non juvantibus, sed ad oppositum conantibus. Huic affinis, imò & coincidit divisio miraculorum *contra naturam*, & revocantur ad prima, non quòd Deus violentiam afferat naturæ, sed quia agit contra particularem alicujus propensionem, non contra universalem, quam habent res omnes, ut in ipsis faciat quidquid voluerit author naturæ, ut alibi dicemus: alia sunt *supra naturam*, & reducuntur ad secundam classem: alia *præter naturam*, & coincidunt cum tertiis.

Secundam partem docet Scriptura Psal 71. & 136. *Qui facit mirabilia magna solus*. Ratio est, quia miraculum est cùm aliquod fit præter ordinem totius naturæ; si enim fit solùm præter ordinem alicujus naturæ particularis, tunc non est miraculum, ut patet ex dictis: sed solus Deus potest agere præter ordinem totius naturæ, quia quidquid facit Angelus, vel dæmon, vel homo, semper fit secundum ordinem naturæ: ergo solus Deus miracula operari potest, non Angeli, nec Sancti, qui eatenus solùm dicuntur miracula patrare, quatenus ad eorum desiderium vel orationem Deus miracula facit.

Multas alias hujus veritatis rationes affert S Thom. 3. *cont. Gent. cap.* 102. quarum vis ad hoc reducitur, quod quia creatura omnis in sua actione requirit subjectum, cùm creare non possit, sequitur causam creatam nihil posse efficere nisi id ad quod subjectum est in potentia, cùm ad hoc tendat omnis sua virtus, ut effectum suum educat de potentia subjecti. Sed multa miracula fiunt, ad quæ non datur potentia in subjecto, sed potiùs repugnantia, ut suscitatio mortui, penetratio corporum, retrocessio solis. Sequitur etiam quod si causa secunda non possit operari nisi ex subjecto id ad quod subjectum est in potentia, hinc fit causam creatam non posse producere effectum, nisi per determinata media, quibus hujusmodi potentia præparetur; sicut cibus non statim fit caro, nisi cùm conversus fuerit in sanguinem: sed in miraculis non servatur ille ordo naturalis: igitur virtute creaturæ fieri non possunt. Pro quorum majori luce

Adverte cum D. Thoma q. 114. *art*. 4. quod interdum miraculum accipitur pro aliquo mirabili, quod excedit humanam facultatem & considerationem; in qua lata acceptione multa dicuntur miracula, quæ naturaliter fiunt. Sic dicit Augustinus tract. 42. in Ioan. *Miracula, quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt.* Et post pauca: *Majus miraculum est gubernatio totius mundi, quàm saturatio quinque millium hominum de quinque panibus.* Et sic Angeli, & dæmones possunt facere aliqua mira: sicut etiam homines rari & excellentis ingenii interdum aliqua artefacta efficiunt, quæ omnium rapiunt admirationem. Hæc autem mirabilia efficiuntur à spiritibus dupliciter, vel producendo veros effectus latentibus causis, sicut magi Pharaonis veros serpentes & ranas fecerunt, adhibendo & latenter spargendo quædam semina, quæ in elementis mundi inveniuntur; vel secundùm apparentiam tantùm, quando videntur aliquæ transmutationes naturaliter impossibiles, ut cùm corpus humanum mutatur in bestiale, aut cùm simulant suscitare cadaver, & id præstant vel turbando phantasiam videntium, vel fascinando oculos, vel formando corpus ex aëre circumstante, in quo forma hominis, quem repræsentare volunt, figuratur. Addit etiam D. Thomas 3. *cont. Gent. cap.* 103. spiritus ad efficienda hujusmodi insolita uti determinatis effectibus, quasi instrumentis quibusdam: ex instrumento autem procedit effectus non solùm correspondens virtuti instrumenti, sed etiam ultra propriam virtutem, in quantùm agit in virtute principalis agentis; nam serra, & securi elaboratus lectus eo perfectior, quo artifex est peritior. Similiter ergo ex ipsis effectibus naturalibus proveniunt altiores effectus ex hoc quod spirituales substantiæ eis utuntur quasi instrumentis. Vnde non debet solùm attendi vis rerum quas applicant, sed etiam applicantium industria.

Quæres occasione horum effectuum mirabilium, quid & quotuplex sit magia?

Respondeo magiam in communi esse facultatem efficientem virtute naturali aliqua mira & insolita. Dividitur verò in naturalem, artificialem, & diabolicam. Prima est vis alicui naturæ insita, causans aliquos effectus extraordinarios, qualis est vis magnetis ad attrahendum ferrum, remoræ ad sistendam ingentem navem, basilisci intuitus ad mortem afferendam, fluxus & refluxus maris, consonantia duarum fidium, quarum unâ pulsatâ, alia unisona tinnit; cadaver coram occisore sanguinem fundens, leo gallum gallinaceum arcanâ antipathiâ metuens, & vis sanativa multis plantis, lapillisque ingenita.

Artificialis est cùm arte & industria humana fiunt hujusmodi mirabilia. Vnde nihil est aliud, quàm exacta quædam arcanorum naturæ cognitio, & observatio influxus & cursus syderum, sympathiæ & antipathiæ rerum; ea qua notitia accurata procedi potest ad res certo modo, loco & tempore applicandas, ut hujusmodi conjunctione nascantur effectus mirabiles, vel prænuncientur effectus naturales futuri, putà sanitatis & mortis. Et hæc præcipuè reperitur in perfectis Medicis, qui propterea à Galeno vocantur Isothei, id est, semi-Dii, quia ex plena rerum naturalium peritia multa possunt prædicere. Ad hanc etiam reducunt aliqui efficaciam pulveris sympathici, licèt alii de tacito dæmonis pacto subdubitent. Reducuntur etiam illa artis operæpretia & specimina eximia, qualia fuerunt illa septem mirabilia mundi omnibus nota; *specula etiam illa, per quæ naves in obsidione Syracusana combustæ sunt, & alia innumera, quæ ab orbe condito prodierunt, & quotidie prodeunt.

Diabolica est, cùm apparent aliqua mira virtute cacodæmonis, vel immediatè agentis, vel mediis precibus & pactis cum hominibus initis; quæ magia quando præterita, vel futura, vel præsentia occulta detegit, dicitur divinatio: quando hominibus nocumentum affert, dicitur maleficium: quando soli vanitati, voluptati, curiositati, vel apparenti utilitati servit, vana observantia nuncupatur. Sed sciendum

ea D. Augustino *lib. 3. de Trinit. cap. 7.* hæc non fieri à dæmonibus, vel magis, nisi quoties Deus permittit, alias totum orbem infestissimi spiritus perturbarent, Id autem permittit Deus, tum ad fallendos fallaces, & in pœnam peccati magorum, qui justè seducuntur à dæmonibus, quia eis in peccatis obediunt. Tum ad monendos fideles, ne tale quid facere tanquam aliquid magnum desiderent, quod à tam vilibus personis, scilicet magis, ope dæmonis fit. Tum ad manifestandam justorum patientiam, quæ his modis à dæmonibus exercetur, ut patet in Iob.

Quæres secundò, quomodo discerni poterit opus magiæ.

Respondeo, quod cùm aliquid mirum & insolitum videtur, non statim debet attribui dæmonibus, ut quidam imperiti solent; quare priùs omninò considerandæ sunt causæ naturales, v. g. vis & natura imaginationis, quæ sæpè juvat ad hujusmodi mira causanda: quod diligenter adverte pro quibusdam, qui putantur energumeni, à diabolo obsessi, vel possessi, & non sunt; pro aliis etiam, præsertim mulieribus, quæ visiones, ecstases, raptos pati videntur. Conveniunt enim omnes maximam esse vim imaginationis, præsertim in corpus proprium, quia ea objectorum speciebus potens est ad movendum appetitum, cujus passiones concitatæ eo corpus vehementiùs immutant, quo fortior est apprehensio. Et experientiâ compertum est, multa mirabilia effecta esse in somno vi imaginationis, ut patet in noctambulis, qui multa moliuntur, quæ vigilantes non auderent; tectum sublime ascendunt, per semitas periculosas incedunt, flumina natando trajiciunt, quia vaporum caligine ligata ratio pericula non reformidat. Duti ergo, & difficiles sint Patres spirituales & Confessarii in adhibenda fide mulierculatom narrationibus.

Quod si effectus insolitus maturè indagatus non possit attribui causæ ordinariæ, scilicet nec imaginationi, nec temperamento, nec temporis mutationi, nec cœli influxibus, ut sunt illi quos enumerat S. Thomas *loco citato, c. 104.* ut cùm redduntur responsa de furtis sublatis, aliisque actionibus occultis; sicut enim corpora cœlestia non influunt directè in intellectum, ita ea eorum influxibus non possunt dignosci effectus ab intellectu procedentes: similiter apparent aliqui colloquentes, & ratiocinantes de diversis etiam absentibus, vel thesauros occultos detegentes, quæ ob eandem rationem non possunt esse effectus cœlestium corporum: similiter quod aliquis invisibilis reddatur, quod statua moveatur, aut vocem emittat, non est possibile fieri virtute corporis cœlestis, quæ se extendit ad solos effectus naturales, quales non sunt prædicti; nec sic possibile quod hujusmodi statuæ sortiantur aliquod principium intrinsecum vitæ, cùm nulla eis data sit forma substantialis nova, sed maneat antiqua cupri vel auri, mutatâ solâ figurâ; unde & dicitur Psal. 113. *Simulachra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquuntur, neque enim est spiritus in ore ipsorum*: tunc manifestum est effectus illos tribuendos esse spiritibus separatis.

Hoc etiam apparere potest ex his quæ adhibent ad hujusmodi effectus producendos. Primò utuntur quibusdam vocibus, quibus putant se transmutare res, cùm tamen vox nullam habeat virtutem nisi ea intellectu: intellectus autem & cognitio nostra non est causa rerum, sed causatur à rebus. Secundò adhibent quosdam characteres & figuras determinatas, quæ tamen nihil faciunt ad rem, sicut nec litteræ, vel imagines, quas aliquando sculpunt, ad nihil aliud valent, nisi ut sint signa quæ dicunt ordinem ad aliquem intellectum, ad quem intentio magi dirigitur.

REFLEXIO.

Dei gubernatio interdum miracula patrat, ut certò sciant mortales naturæ cursum in eorum gratiam mutari, qui in Deo spem suam posuerunt; quin tunc ad opem nobis ferendam præsto esse Deum, cùm omnia undique desunt auxilia. In verba Dei supersperant justi, cùm omnis creatæ spei aditus præcluditur. Et quo graviores persecutiones hostes, majorem sperandi sumunt profectum. *Prœliator Dei* (inquit Gregorius *lib. 31. moral. cap. 17.*) *cùm vim tentationis incumbere conspicit, utilitatem supernæ dispensationis considerans, ex ipsa validiùs adversitate confidit.* Quàm pulchrè Iob 13. *Etiamsi me occiderit, in ipso sperabo*; quia non dubito, quin Deus miracula præter cùm desperatum erit naturæ subsidium, aderitque opportunus auxiliator, quando res ad id erit deducta discrimen, ut omnis penè salutis spes defecisse videatur. Verè Chrysost. in Psal. 117. *Quando res in maximam inciderint inopiam, tunc tu spera maximè. Tunc enim Deus maximè ostendit suam potentiam, quando res planè fuerint ab hominibus desperata; hoc est enim tempus divini auxilii. Nec attende rerum naturas, quæ præcipites agunt in desperationem; sed Dei potentiam, quæ desperata adducit in bonam spem.* Succinit præclarè Chrysost. qui ponderans quare Christus expectarit quatuor dies antequam Lazarum suscitaret, ait serm. 63. *Videtis quemadmodum dat locum morti, licentiam dat sepulchro, corruptioni posse permittit, negat nihil putredini, nihil fætori; atque ut tartarus rapiat, trahat, habeat, admittit, atque agit, ut humana spes tota pereat, & tota vis humanæ desperationis accedat, quatenus quod facturus est, divinum sit, non humanum.*

CAPUT II.

De consortio divini regiminis in creaturas effusi.

NOn solùm Deus omnia immediatè gubernat, & ut ait Salvianus lib. 1. de Provident. *Sentit omnia per subtilitatem, movet per fortitudinem, regit per potestatem, custodit per benignitatem.* Sed etiam ex abundantia suæ bonitatis creaturis participationem sui regiminis permittit, non secus ac navigans gubernator, qui manum suam à gubernaculo non tollit, & auras captans, & saxa vitans, & astra suspiciens totus est tam corporis, quàm cordis officio operi suo deditos; & tamen variis ministrorum obsequiis navim perducit ad portum. Sic Deus noster ab universitate omnium rerum nec munus dignantissimæ visionis avertit, nec regimen suæ curæ tollit, nec indulgentiam pietatis aufert: & tamen non quidem ex indigentia, sicut nauta; sed ex plenitudine bonitatis in executione sui regiminis quasdam creaturas mediantibus aliis fovet, & moderatur. Dum enim creaturas producit, talem eis contulit perfectionem, quam posset in alia diffundere. Sicut eruditus magister non solùm doctos instruit discipulos, sed etiam aliorum efficit Doctores. Id in speciali consideremus.

SPECULATIO I.

Ad divinæ gubernationis gloriam exigitur, ut inferiora per superiora, scilicet per Angelos, & per homines regat.

NOn est sensus hujus assertionis, Deum mediatè solùm agere, id est, mediis causis secundis suæ guber

gubernationis adminiſtris ; nam divina gubernatio, quæ eſt executio providentiæ, maximè deſcendit ad circumſtantias individuales, quia hoc exigit cognitio practica : ſicut ille dicitur optimus Medicus, qui non ſolùm profundè ſpeculatur principia medicinæ, ſed qui ea particularibus morbis applicat. Senſus ergo eſt, Deum in regimine univerſi non agere ſolùm, ſed creaturas cum ipſo, immediatè tamen agente. Hoc poſito

Probatur prima pars. Creaturæ debent aſſimilari Deo non ſolùm quantum ad hoc, quod Deus in ſe bonus eſt, ſed etiam quantum ad hoc, quod Deus eſt cauſa bonitatis : ergo Deus non ſolùm conſervat res in bono, ſed etiam ſuperiora movet, ut inferioribus ſuam bonitatem diffundant, quia non eſſent divinæ bonitatis expreſſiva, niſi per actionem ſuam bonitatem communicarent ; bonum enim eſt ſui diffuſivum. Id etiam exigit ordo & unitas univerſi ; rerum enim diverſarum nulla eſſet colligatio, nulla inter illas harmonia, nulla relatio vel conſonantia, niſi ſuperiora ſibi inferiora actione ſubjicerent, & ſubjectione unirent.

Secunda pars, quæ aſſerit Angelos in conſortium divini regiminis admitti, eſt certa ; ſi enim nobiles, & ſapientes ad gubernandum eligi meritò ſolent, profectò à conſortio divini regiminis excludi non debent Angeli, quorum naturæ præſtantia, & intellectus ſapientia cæteras creaturas ferè immenſùm excedit.

Exercent autem Angeli regimen, tum erga ſe mutuò per loquutionem & illuminationem ; unde Deus varias inter eos hierarchias & choros diſtinxit, ut illa ſubordinatio ſervaretur ; ſed de his *diſſert. 2. & 3.* abundè egimus : tum erga iſta inferiora ; unde Iacob *Geneſ. 28.* vidit in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram,& cacumine tangentem cœlum, Angelos quoque aſcendentes, & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. Quæ ſcala ſecundùm Theodoret. *q. 28. in Geneſ.* generalem Dei providentiam ſignificat ; aſcenſus verò & deſcenſus Angelorum, miniſterium eorum declarat circa omnia quæ ſunt ſuper terram. Et quanvis eis materia non obediat ad nutum, ut docet Auguſt. *lib. 3. de Trinit. cap. 8.* poſſunt tamen applicando activa paſſivis plures mutationes efficere, ad quas agentia corporalia non ſufficerent, quia pro ſui ingenii ſubtilitate ſemina rerum nobis occultiora noverunt, & eas per congruas temperationes latenter ſpargere poſſunt ; atque ita gignendarum rerum, & accelerandorum incrementorum materiam præbere. Præcipuè verò obediunt corpora Angelis quoad motum localem, quem imprimunt corporibus cœleſtibus,quæ incredibili celeritate cient. Nec ſolis corporalibus præſunt Angeli, ſed præſertim mittuntur à Deo in cuſtodiam hominum, de quo ſuprà ſermo copioſior fuit.

Tertia pars, quæ hominibus tribuit participium divini regiminis, eſt conſtans : ſi enim Deus regit mundum per Angelos & creaturas corporales, certum etiam eſt gubernationis ſuæ participem reddere hominem, quem creando conſtituit præſidem univerſæ terræ. Sicut autem actio hominis eſt duplex, ſpiritalis, & corporalis, ſicut ipſe ſpiritu & corpore conſtat, ita per utramque divinæ gubernationi cooperatur. De actione corporali, ſcilicet nutritione & generatione, de quibus agit S. Doctor in fine primæ partis, fusè diſputatur in Philoſophia. De ſpiritali verò ſciendum, eam exerceri magiſterio, dum præceptor erudit diſcipulos, quos ad veritatis cognitionem manuducit, procedendo ex minùs univerſalibus & notioribus, ad univerſaliora & minùs nota, vel declarando ordinem principiorum ad concluſiones. Nec propereà magiſter producit lumen vel ſpecies intelligibiles in diſcipulo, ſed inſtructione ſua dirigit ipſum ad hoc ut promptè, facilè, & ſolidè formet intelligibiles conceptiones, & ex principiis concluſiones deducat, ut *quæſt. 117.* explicat D. Thomas.

Dices : Chriſtus prohibet plures magiſtros fieri ; imò nec quemquam magiſtrum vocari permittit, ut patet *Matth. 23.* Sed ſi homines poſſent alios docere, verè eſſent magiſtri : ergo homines non poſſunt alios docere.

Reſpondeo, Chriſtum non prohibere alios docere, cùm ipſe dicat Matth. 5. *Qui fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* Vnde Apoſtolus paſſim inſinuat ſe eſſe Doctorem, 1. Timoth. 2. *In quo poſitus ſum ego prædicator, & Apoſtolus, Doctor Gentium in fide & veritate.* Et 1. Cor. 12. *Quoſdam Deus poſuit in Eccleſia, primò Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores.* Sed quia omnis ſcientia & ſapientia deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, qui ſignavit ſuper nos lumen vultus ſui ; ideò Deus dicitur ſimpliciter magiſter, ad quem omnes ſapientiſſimi, tanquam humiles diſcipuli recurrere ſemper neceſſe habent.

Fateor tamen his verbis Salvatoris damnari ambitioſam nimis quorumdam ſuperbiam, qui ad Doctoratus Lauream tam fervidè anhelant, cùm ſint omnis eruditionis expertes. Nullum lapidem non movent, nulli parcunt ſumptui, ut poſſint Magiſtri, vel Præſentati, vel Baccalaurei nomenclaturâ ſalutari. O deplorandam fatuitatem ! ambire titulum, & rem negligere ; vocari Doctorem, & eſſe indoctum. *Quid enim eſt titulus in indigno, niſi ornamentum in luto?* aiebat Salvian. Abſit à viris Sanctis & Religioſis affectata quorumdam jactantia, qui nunquam ſe nominari volunt, aut ſinunt, niſi cum præfatione Magiſtri, vel Præſentati, vel Lectoris. Antiquum fratris nomen retineamus, quod in primitiva Eccleſia in uſu erat. Sacerdotes vero nomine Patris honoremus : quem morem viguiſſe in Palæſtinæ & Ægypti Monaſteriis teſtatur Hieronymus *in cap. 23. Matth.* Et certè dum videmus ipſum Eccleſiæ Hierarcham pro ſumma gloria ducere ſe ſervum ſervorum Dei nominari, erubeſcat, & contundatur hujuſmodi ſemi-Doctorum immoderata licentia, qui licèt habeant pileum, vel ſolennes litterarum formulas in terra, non habebunt tamen aureolam in cœlo, niſi verè docti ſint, & in juſtitia erudiant plurimos.

Quàm verò damnanda ſit quarumdam Academiarum & Profeſſorum facilitas in promovendis ad Lauream Magiſterii ineptis, attende. Notanda ſunt verba Petri Gregor. Toloſani lib. 18. de Republ. cap. 9. num. 6. *Multum nocuit Reipublicæ, quod Profeſſores aliqui reperiantur parum timoratæ conſcientiæ, & non conſiderent; quale pecus Arcadicum intrudant Eccleſiis, & ſubſelliis; ad gratiam ſæpè gradus profanis concedentes ; nec conſiderant ſe reddituros rationem coram Deo & hominibus de tanta in probandis ſtudiis negligentia.* Et ratio eſt, quia gradus magiſterii ſunt publica eruditionis teſtimonia, quibus condecorati reputantur idonei obeundis muniis ſuæ Facultatis ; Theologi animabus ſoſpitandis ; Iuriſperiti juribus tuendis ; Medici corporibus curandis : quæ ſunt tria humani orbis bona, nimirum ſalus animæ, jura bonorum, & ſanitas corporum, quæ per imperitos & titulares Doctores ſummo in diſcrimine verſantur. Sed de his forſan aliàs.

Reflexio.

Omnia in vobis ordinatè fiant. Ordinavit in me charitatem. Sicut divina gubernatio inferiora per ſuperiora regit, ut mutuâ dependentiâ veluti vinculo partes univerſi conjunctæ ordinatiſſimè conſiſtant : ita vitæ humanæ, & chriſtianæ felicitas in voluntaria inferiorum ad legitimos ſuperiores ſubordinatione ſita eſt ;

pax

pax enim est *tranquillitas ordinis*, sine quo mundus confusionem imitatur inferni, in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Pervertitur autem ille ordo (ut pulchrè observat S. Humbertus, quintus Ordinis nostri Magister Generalis) sex modis. Primò, *quando id quod deberet esse intus, est extra*; quam inordinationem causat hypocrisis, externam affectans sanctitatem, internam negligens. Secundò, *quando id quod deberet esse sursum, est deorsum*; quam inordinationem superbia efficit subditorum, suis sese Prælatis anteponentium. Tertiò, *cùm id quod deberet esse dextrum, est sinistrum*; quod facit sapientia carnis inimica Deo, quæ dat dexteram, seu locum honoris non viris sanctis, sed in sæculo potentibus; justorum verò simplicitatem irridet & floccifacit. Quartò, *quando id quod deberet esse ante est retro*; quod præstat cupiditas, spiritualia despiciens, temporalibus semper intenta; aquam fontium de longè adducens, aquam sapientiæ parum curans; domum & vestes auro & serico operiens, & ornatum internum parum curans. *O vanitas vanitatum* (exclamat Bernardus) *sed non vanior quàm insanior! Fulget Ecclesia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides auro induit, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum servitur oculis divitum. Inveniunt curiosi, quo delectentur; & non inveniunt miseri unde sustententur. Proh dolor! si non pudet ineptiarum, cur non piget expensarum?* Quintò, *quando quod deberet esse medium, est extremum*; quod causat acceptio personarum. Nam charitas est in medio, ut omnibus omnia fit; acceptio verò personarum & indiscretio medium deserunt, & in extremis partibus se ponunt, ut quibusdam partialiter, & juxta inique faveant: quod verò in medio est, paria habet spatia ad omnes fines. Sextò, *quando quod deberet esse in principio, in finem rejicitur*, quod facit pigritia, negotium salutis, à quo ducenda essent primordia, semper differens, semper procrastinans.

Speculatio II.

Deus etiam utitur corporibus superioribus in regimine universi.

Inter corpora, quæ Deus adhibet ad gubernationem universi, primatum tenent cœlestia, in quæ reducuntur motus varii & multiformes horum corporum inferiorum; quia cùm hæc corpora magis immobilia (non enim moventur nisi motu locali) in ipsum revocantur omnes motus inferiores, cùm omnis multitudo ab unitate procedat, omnisque motus ab immobili. Unde Philosophus *lib. 2. de generat. text. 56.* ait necesse esse ponere aliquod principium activum mobile motu locali, quod per suam absentiam vel præsentiam causet varietatem circa generationem & corruptionem corporum inferiorum. Et ita etiam docet Dionysius *cap. 4. de divin. nomin.* dicens: *Lumen solis ad generationem sensibilium confert, & ad vitam ipsam movet, & nutrit, & perficit.* Verùm ad pleniorem materiæ hujus intelligentiam

Observa primò, quod licèt corpora cœlestia possint agere directè in facultates quæ sunt addictæ organis corporeis, non tamen in intellectum & voluntatem. Quia quod fit in rebus ex impressione corporum cœlestium, naturaliter fit. Et ita sequeretur, quod homo non esset liberi arbitrii, sed naturali necessitate ageretur in suas actiones, quod est hæreticum, & repugnat humanæ societati, & conversationi. Indirectè tamen, & per accidens possunt agere corpora cœlestia in intellectum & voluntatem, quatenus hujusmodi facultates spirituales indigent pro hoc statu uti viribus inferioribus sensitivis; unde turbata imaginativa, æstimativa, memoria, vel vehementer commoto appetitu, operatio rationis necessariò perturbatur. Nō est tamē simile de voluntate, quæ licèt habeat sympathiam cum appetitu sensitivo, cujus passiones non parum inclinant voluntatem; tamen in potestate ipsius libera manet passionum motibus resistere, vel obtemperare.

Observa secundò, hinc sequi, Astrologos per syderum exortum, occasum, collisionem, commixtionem, variosque influxus non posse prædicere futuros actus humanos, qui à libertate nascuntur. Unde & dicitur Hierem. 10. *A signis cœli ne timeatis.* Et Deuter. 18. Deus astrologiam judiciariam irridet & abominatur. *Nec inveniatur in te qui observet somnia* (in Hebræo habetur *Meghonem*, quo significatur observator sirus astrorum, & planetarum) *nec incantator; omnia enim hæc abominatur Dominus.* Unde in Concilio Tolet. I. can. 15. *Si quis astrologiæ, vel mathesi existimat esse credendum, anathema sit.* Idem habetur in jure, *cap. ex tuorum, de sortilegiis.* Et Sixtus in Bulla, quæ incipit *Cœli & terra*, anno 1586. statuit, ut contra astrologos artem judiciariæ astrologiæ exercentes de successibus, casibus fortuitis, aut actionibus humanis, etiamsi id non certò affirment, inquiratur ab Episcopis, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus; tum ob incommoda, quæ sæpiùs eveniunt ex hujusmodi prædictionibus; tum quia sæpè in hujusmodi horoscopantibus, & divinatoribus latet malitia, & superstitio; tum ob periculum introducendi errores eorum, qui astris directionem humanorum actuum attribuerunt.

Observa nihilominus tertiò cum D. Thoma, posse Astrologos plura vera prædicere circa actus humanos, eo quòd corpora cœlestia influunt in appetitum sensitivum, cujus passiones major hominum pars sequitur. Unde *Eccles. 7.* dicitur, *quod stultorum infinitus est numerus*; stulti enim sunt, qui passionum impulsui brutorum more obediunt; pauci verò sunt sapientes, qui hujusmodi motibus reluctentur. Unde quia ex astris possunt Astrologi cognoscere complexiones, inclinationes, & passiones hominum, juxta quas aliqui sunt magis propensi ad iram, alii ad concupiscentiam, hinc sit astrologos posse conjicere liberas electiones voluntatis; sicut etiam nos ex complexionibus & moribus eorum quibuscum convivimus, inferimus probabiliter quid facturi essent in tali, vel tali occasione.

Observa quartò, quod licèt Astrologi possint modo dicto futura conjicere in communi, non tamen in speciali. Tum quia liberum arbitrium potest passionibus resistere. Tum quia sæpè in eodem homine est conflictus passionum, diversitas occasionum, circumstantiarum, societatum, negotiorum. Unde licèt fortè ratione unius passionis aliquid acturus esset, tamen ratione alterius aliud præstabit, vitium vitio vincens. Tum quia licèt astra influant in complexiones, & in appetitum sensitivum, tamen eorum influxus non est causa adæquata hujusmodi temperamenti, & constitutionis, quæ pendet à pluribus aliis circumstantiis loci, temporis, genitorum, aliisque causis proximis, quæ influxus causarum universalium sæpè impediunt, sæpiùs turbant, semper modificant, & determinant ad modum suum. Et certè si judicia Astrologorum de pluviis & ventis falsa esse quotidie cernimus in his quæ per Ephemerides singulis annis prædicuntur à peritissimis Astrologiæ Magistris; quia nimirum dispositio materiæ non correspondet dispositioni syderum, sicque impediuntur effectus ad quos astra inclinabant; quantò magis id verum est de actibus humanis inter tot negotia occurrentia, tot contingentias improvisò obviam factas, cupiditates urgentes, motiva huc illuc impellentia, prementes curas, & insperatos rerum concursus, quibus implicatur, & irretitur cor humanum?

Tandem

Tandem id potest confirmari, quia videmus interdum duos homines in eodem climate, & oppido, eadem hora, momentoque natos, adeò diversas sortiri propensiones, ut indole, ingenioque discrepent magis quàm si alter ex India, alter ex Europa esset oriundus. Imò advertimus gemellos iisdem parentibus generatos, eodem utero gestatos, eodem momento conceptos, eodémque cubiculo partos, discrepanti indole, ac repugnantibus moribus præditos esse, ut satis in Esaü & Iacob apparet. Sed quid mirum? Cùm in ipsis ejusdem arboris pomis diversum colorem, saporem, magnitudinem, suavitatem, sanitatémque cernamus.

Dices: Corpora agunt in dæmones, qui sæpè arcentur & expelluntur herbis, lapidibus, animalibus, sonis: & 1. *Reg.* c. 16. dicitur, quod citharæ David harmonià recedebat à Saüle spiritus malus. Et *Tob.* 6. quod cordis piscis à Tobia capti fumus extricat omne genus dæmoniorum. Multi etiam Authores referunt varias plantas, & potiones, quibus dæmones fugantur. Ergo corpora poterunt etiam agere in intellectum & voluntatem, præsertim cœlestia, quæ sunt virtuosiora.

Respondeo, nulla corpora, etiam cœlestia, influere in dæmones, qui cùm sint substantiæ intellectuales completæ, quæ corporibus nec uniuntur, nec uniri possunt, non possunt subdi, nec per accidens; nec directè, nec indirectè, actioni corporali alicujus, nisi sit speciale instrumentum Dei, qua ratione subduntur igni Inferni. Et certè fortiores sunt dæmones quàm quod possint à vilibus corporibus expelli. Unde ad exempla adducta respondeo, quod si illæ creaturæ corporales adhibentur à Necromanticis, tunc optima est solutio D. Thomæ q. 115. *art.* 5. *ad* 3. post August. *lib.* 21. *de civit. cap.* 6. dicentis: *Demones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum, non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis; in quantum scilicet hæc eis exhibentur in signum divini honoris, cuius ipsi sunt cupidi.* Si verò illæ creaturæ adhibentur contra dæmonis voluntatem, dicendum res illas non agere in dæmones, sed in corpora eorum, qui à dæmone vexantur, vel auferendo pravam & morbidam dispositionem, vel dissipando vapores melancholicos, ad quod juvant herbæ & potiones medicæ; vel imaginationis attentionem avocando & interrumpendo, ut non apprehendat objecta illa lugubria, quibus cogitabundus animus læditur, sicut suavis harmonia expellebat Saülis dæmonem; vel denique Deo specialiter operante, ut in exemplis illis, quæ adducit Scriptura.

R e f l e x i o.

Omne cœlorum decus, omnem astrorum cursum, omnem inferiorum, superiorumque indissolubilem catenam, omne corporum & animantium genus, quod per convexa montium, vel prærupta rupium, aut opaca sylvarum degit, quidquid aquis tegitur, quidquid præpetibus pennis in aëra suspenditur; omne demùm quod in mundo vides, & plura quæ non vides, & majora quæ Deo dante in cœlis videbis, servitio tuo, Lector Christiane, liberalitas munifici conditoris indulsit. Certè dum considero tam paternum erga nos divinæ gubernationis affectum, occurrunt verba illa dulciora super mel & favum, quæ scribit Apostolus 1. Corinth 8. *Nobis est unus Deus, Pater, & Dominus unus.* Totidem verba, totidem fiduciæ incentiva. *Nobis*, id est, Christianis, Dei-hominis sanguine redemptis, tot Sacramentis munitis, tot gratiarum benedictionibus præventis non deerit Deus, nisi desimus. *Nobis* patrata sunt miracula, Apostoli orbem terrarum peragrarunt, sanguinem martyres fuderunt, Doctores lucubrandis libris insudarunt. Quid plura? *Nobis* perfectiones suas effundit Deus, Filium unigenitum dedit, Paraclętum largitus est. *Est unus Deus.* Nomen Dei à cura & providentia dictum est, quia semper necessitati intendit, ut occurrat; occurrit, ut succurrat. *Oculi* enim *Domini super justos; & aures ejus in preces eorum. Pater.* Deterreret Regis Majestas, nisi tantam celsitudinem Patris pietas temperaret. Quàm tenerè, quàm suaviter Chrysol. sermone 55. *Charitas dolum non habet, fraudem pietas, affectio non recipit falsitatem. Si Pater est, non potest, nec debet non amare; Ideò te Deus patrem fecit, qui utique quem de terra fecerat, poterat fecisse quamplurimos; sed egit ut generando scires quanta esset generantis affectio. Certè non solùm in te quid esset generantis affectio sentire te Deus voluit, sed in feris, & in pecudibus, & avibus hoc Deus voluit te videre, quas paternus amor compellit mutare patrias, loca cubilibus apta conquirere, fœtus gemitibus edere, laboribus enutrire, ac se morti, si natos suos capi viderint, non negare. Unde si non hominis, vel ferarum comparatione disce quanta sit in paterna charitate sinceritas. Et Dominus*, ad quem pertinet cura subditorum. Hoc interest Dominum inter & Tyrannum, quòd iste propriam utilitatem, ille populorum commoda quærit. *Unus*, author unitatis & pacis, & unicè quærendus.

S p e c u l a t i o III.

Derivatis duobus corollariis absolvitur divini regiminis œconomia.

Ex hactenus dictis sequitur Deum esse verum Regem, ut tam expressè inculcat Scriptura. Psal. 144. 1. *Exaltabo te Deus meus Rex*, & *Regnum tuum, regnum omnium sæculorum. Regi sæculorum immortali & invisibili.* Hoc Dei regnum præclarè explicat D. Thomas expendens illud Psal. 94. *Quoniam Deus magnus Dominus & Rex magnus super omnes Deos, quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ, & altitudines montium ipse conspicit, &c.* In quæ verba *lib.* 3. *contra Gent. cap.* 1. sic ait: *Unum esse primum entium, totius esse perfectionem plenam possidens, quod Deum dicimus, ostensum est superius, quod ex sua perfectionis abundantia omnibus existentibus esse largitur, ut non solùm primum entium, sed & primum principium omnium esse comprobetur. Esse autem aliis tribuit, non necessitate naturæ, sed secundùm suæ arbitrium voluntatis. Unde consequens est, ut factorum suorum sit Dominus. Nam super ea quæ voluntati nostræ subduntur, dominamur; hoc autem Dominus super res à se productas perfectum habet, utpote qui ad eas producendas non exterioris agentis adminiculo indiget, nec materiæ fundamento, cùm sit totius esse universalis effector. Eorum autem quæ per voluntatem producuntur agentis, unumquodque ab agente in finem aliquem ordinatur; unde necesse est, ut quæ ex voluntate procedunt, ad finem aliquem ordinentur. Finem autem ultimum unaquæque res per suam consequitur actionem, quam oportet dirigi ab eo, qui principia rebus dat per quæ agunt. Necesse est igitur ut Deus, qui in se naturaliter est perfectus, & omnibus entibus ex sua potestate esse largitur, omnium etiam rector existat, à nullo utique directus; nec est aliquid quod ab ejus regimine excusetur, sicut nec est aliquid, quod ab ipso esse non sortiatur.*

Hoc divino repletus spiritu Psalmista considerans uti nobis divinum Regnum demonstraret, primò describit nobis primi Regentis perfectionem; naturæ quidem, in hoc quod dicitur, *Deus*; potestatis, in hoc quod dicitur, *magnus Dominus*, quasi nullo indigens ad suæ potestatis effectum producendum; authoritatis,

thoritatis, in hoc quod dicitur, *Rex magnus super omnes Deos:* quia etsi sint multi regentes, ejus tamen regimini omnes subduntur. Secundò nobis describit regiminis modum; & quidem quantum ad intellectualia, *quia non repellet Dominus plebem suam;* & quantum ad corporalia, *quia in manu ejus sunt omnes fines terræ.* Tertio ipsius universalis regiminis rationem assignat, quia necesse est, ut ea quæ à Deo sunt condita, ab ipso etiam regantur. Et hoc est quod dicit: *Quoniam ipsius est mare, & ipse fecit illud, &c.*

Sequitur secundò, quid dicendum sit de fato, de quo agit D. Thomas *q.* 106. Si enim per fatum intelligatur necessitas quædam in res naturales vel humanas à corporibus cœlestibus inducta, seu dispositio syderum, in qua quisque conceptus est, vel natus, ex qua omnis vitæ ipsius ratio inevitabiliter derivatur, sic est omninò repudiandum tanquam à dæmone introductum, paganismum sapiens, & divini regiminis suavitati repugnans: in hac acceptione in fatum vehementer invehunt Patres. Quod si per fatum intelligatur dispositio divinæ voluntatis, cui omnia subduntur, quasi ab eo præordinata, & quasi præloquuta; sic non inconvenit admittere fatum, quod dicitur à fando, seu loquendo: unde à fato fieri dicuntur quæ ab aliquo determinante sunt antè præloquuta. Vnde August. *lib* 5 *de civit. cap.* 7. ait: *Si propterea quisquam res humanas fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat; sententiam teneat, & linguam corrigat.*

Ratio est, quia licèt in istis inferioribus multa sint casualia & fortuita per comparationem ad causas proximas, non tamen per comparationem ad divinam providentiam; sic enim nihil temerè fit in mundo, sed omnia sunt à Deo præordinata, & veluti præloquuta; unde sic intelligit Augustin. *loco citato, cap.* 9. illud Psalm 65. *Semel loquutus est Deus*, id est, immutabiliter. Et Boëtius lib. 4. de consol. pros. 6. *Fatum est inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam providentia suis quæque nectit ordinibus.* Dicitur inhærens rebus mobilibus, quia ordinatio, & series causarum, ex quibus emanant effectus, à Deo est, & veluti texitur. Dicitur autem hæc dispositio immobilis, quia licèt secundùm considerationem causarum secundarum mobilis sit dispositio, tamen prout subest divinæ providentiæ, quæ in sui dispositione non fallitur, immobilitatem sortitur. Nec propterea causatur necessitas in causis liberis, quia & ipsa libertas à Deo disponitur, & causatur. Observat tamen idem S. Doctor *lib.* 3. *cont. Gent. cap* 93. quod quia cum Infidelibus nec nomina debemus habere communia, ne ex consortio nominum possit sumi erroris occasio, nomine fati non est fidelibus utendum, ne videamur illis assentire, qui malè de fato senserunt, omnia necessitati syderum subjicientes.

R E F L E X I O.

Adveniat regnum tuum. Quàm necessarium est, Domine, ut in nobis regnes, quo non regente cespitamus, ruimus, & perimus! Quàm justum, Regi Regum & Domino Dominantium vilem subjici creaturam! Graviter August. serm. 4. de verbis Apostoli: *Domasti equum, quem non fecisti; & non domat te qui te fecit? Imago Dei domat feram, & non domat Deus imaginem suam?* Et lib. de decem chordis, cap. 10. *Servum si haberes, velles ut serviret tibi servus tuus; servi tu Domino meliori, Deo tuo. Servum tuum non tu fecisti; & te, & servum tuum ille fecit. Vis ut tibi serviat cum quo factus es, & non vis servire ei à quo factus es?* Quàm jucundum regi ab eo, cujus mandata gravia non sunt, sed jugum suave & onus leve! Bellissimè August. in Psal. 59. *Christi jugum subditos non opprimit, sed elevat; ita alleviat, ut faciat volare animas. Alia sarcina premit, & aggravat; Christi autem sarcina sublevat te. Alia sarcina pondus habet, sarcina Christi pennas habet.* Quàm demùm utile, quàm beatum illi obsequi Regi, *cui servire regnare est*, cujus subditi sunt *genus electum, regale Sacerdotium.* Redeat laudatus, sed nunquam satis laudandus, omni laude superior Augustinus *tract.* 50 *in Joan.* ubi expendens acclamationem populi in die Palmarum dicentis, *Hosanna! benedictus qui venit in nomine Domini*, ait: *Sed quid fuit Domino Regem esse Israel? Quid magnum fuit Regi sæculorum Regem fieri hominum? Non Rex Israel Christus ad exigendum tributum, vel exercitum ferro armandum, hostesque visibiliter debellandos; sed Rex Israel, quòd mentes regat, quòd in æternum consulat, quòd in regnum cælorum credentes, sperantes, amantesque perducat.*

E L O G I V M D E I T R I N I.

Compendio doctrinæ D. Thomæ, à quæst. 27. ad quæst. 44.

*S*CRIPTURI *de Trinitate Thomæ manus comburitur, nec dolor sentitur.*
Non erat tunc animus in manu, sed in Empyreo.
Et Empyreum ignis est non comburens, sed illuminans.
Loquuturi Isaiæ calculus ignis purgat labia, ne errarent.
Scribentis Thomæ cremantur digiti, qui sine ullo prorsus errore scripserunt.
Vritur, nec percipit, qui ardebat igne Dei, vel igne Deo.
Nam Deus noster ignis consumens est.
Segnior fuit ignis, qui foris ussit, quàm qui intus accendit.
Vrebatur in carne, ardebat in corde:
Maior ignis minorem absumit, nec charitas superari flamma potest.
Dum comburitur manus, elevatur de terra corpus.
Non aggravabat animum corpus immaculatum.
Elementa non gravitant in propriis sphæris:
Nullo cogente, vel sinente repetunt centrum.
Et centrum Thomæ Trinitas est.
Revertere Thoma de ecstasi, pango quæ audisti.
Si nequeunt scribere adusti digiti, quatuor amanuenses excipient.
Magnorum fluminum est multiplices exitus quærere:
Et scientia tua fluvius est inexhaustus.
Accipite, inquit, & credite quod sciri non potest:
Deum unum demonstrare queo, Trinum nequeo.
Declarari potest arcanum illud, non patefieri.
Ecquis demonstret unitatem numero non tolli?
Quis explicet numerum unitate non confundi?
Quis non miretur tres subsistentias in una substantia?
Quis intelligat personas procedere sine causalitate?
Referri sine dependentia, distingui absque inæqualitate?
Quis explicet nec ditiorem esse quæ dat, nec pauperiorem quæ accipit?
Vnam esse primam sine antiquitate?
Alteram secundam sine minoratione?
Alteram tertiam sine successione?
Quamlibet esse aliam, & non aliud?
Auscultate grandiora, quæ rationem captivant, non fallunt.

Pater

Pater loquitur, & loquendo parturit:
Qualis eloquentia, quæ Filium parit, & talem Filium?
Qualis sermo qui exhaurit Oratorem infinitum!
Audienti Filio dat omnia Pater, & nihil perdit.
Reservavit titulum Patris, ut à dilecto & distincto Filio posset amari.
Redamat Filius amantem Patrem, & producunt Spiritum Sanctum.
Quàm grande pignus mutui amoris, quod Deus est!
Et licèt Deus, non tamen utriusque filius,
Quia procedit corde, non mente:
Nec cor facit filium, sed suspirium, & amplexum.
Imò ipse est amantium cor, suspirantium anhelitus:
Ipse duorum spirantium, non spiratorum nexus:
Ipse personarum duarum, & unius principii osculum.
Sic absolvitur processionum circulus, & nunquam finitur.
Semel loquutus est Deus, & semper loquitur:
Semel spirarunt Pater & Filius, & semper eliciunt flammam, quam anhelant.
Sufficit eadem Deitas tribus personis, nec locus est quarta.
Quia nihil novit Deus nisi cognoscere & amare.
Tres processiones fundant relationes, & tamen hæ sunt quatuor.
Relationibus innituntur notiones, & hæ sunt quinque.
Hæc tamen sic differunt, ut Deus unus sit, licèt non solus.
Intra se non sistit Trinitas, nam ad nos venit:
Triangularem figuram cordi dedit, ut sibi pararet sedem.
Ad illud venit Pater, & mittit Filium, & Spiritum Sanctum.
Quid dico, Mittit? In corde nostro producit utrumque.
Libenter relinqueret cœlum Deus, si non esset immensus,
Ut ad cor justi descenderet, quod solo Deo impleri potest.
Cognitione & amore Deus unus fit Trinus.
Hac duplici emanatione quiescit Deus.
Hoc duplici motu obtinemus Deum.
Ergo ibi sistat Theologia mentis & cordis.



ELOGIUM
ANGELORUM.

Compendio doctrinæ D. Thomæ, à quæst. 50. ad 65. & à quæst. 106. ad quæst. 114.

OMNIBUS *titulis esset decorandus unus Thomas, qui omnes titulos implet & decorat;*
Sed Thomam qui Angelum dixerit, prædicavit satis.
Nihil majus potest dici, nihil debet minus.
Quomodo non Angelus, qui in carne præter carnem tam castè vixit?
Quomodo non castus, qui Ave Maria, pro lacte bibit?
Nisi foret Angelus, non scripsisset de Angelis tam angelicè.
Quæ sunt hominis nemo novit, nisi spiritus hominis:
Et quæ sunt Angeli, quis novit nisi spiritus Angeli?
Audi quæ docet, & veritate coactus fatebere,
Quod si non naturâ, eruditione Angelus fuit.
De Angelis narrat tam recondita, quasi spiritus esset:
Tantâ asseverantiâ, quasi vidisset.

Tam mirâ veritate, ut totidem articuli sint totidem miracula.
Angelus est comprehensivus totius entis: & Angelorum comprehensivus Thomas.
Angelos, inquit, incorporeos admittit pura Theologia.
Spiritales sunt, supremi Spiritus specula viva.
Non minùs repugnat materia spiritalis, quàm spiritus materialis.
Assumunt tamen corpora ex dignatione, ut juvent animas:
Nam sunt ejus ministri, quem charitas incarnavit.
Assumunt oculos, ut significent se advertere miserias nostras.
Assumunt aures, ut testentur se attentos orationibus nostris.
Simulant se comedere & bibere, qui cibo invisibili utuntur:
Quia lachrymas sitiunt pœnitentiæ, & amoris.
Formant voces, ut eructent dilectionem cordis sui.
Et aspectabilis eorum conversatio futuræ societatis præsagium est.
Infinitus est fermè numerus Angelorum, ut non careamus auxiliatoribus.
O bonitatis prodigium! Millia millium assistunt Deo, & decies centena millia ministrant nobis.
Quos fecit Deus sui laudatores, hos instituit salutis nostræ ministros.
Distinguuntur specie, ut ornent universum.
Quale pomarium plenum fructibus, & distinctis:
Quale pratum refertum floribus, nec similibus:
Quale convivium, cujus innumera dapes alia aliis pretiosiores:
Tale est cœlum, cujus incolæ sese perfectione excedunt.
Infinitam multitudinem adornat ordo sine confusione:
Pulchra est, ut castrorum acies ordinata:
Eam dividunt Hierarchiæ, interstinguunt chori: sed charitas facit concordiam in sublimibus.
Alii assistunt Deo, ascendentes ad vultum ejus:
Alii ministrant nobis, descendentes ad nutum ejus.
Adsunt nobis, ut prosint; adsunt nobiscum, ut pugnent.
Expediti corporis sarcinâ moventur de extremo in extremum sine medio:
Non subjiciuntur legibus loci, qui sola operatione occupant locum.
Non indigent metiri spatia, quorum pedes sunt cognitio & amor.
Momento ad terras descendunt, nec à Dei visione unquam recedunt.
Spiritalitatem sequitur plenitudo scientiæ, non acquisita, sed innata.
Singularia per species universales, omnia sine discursu comprehendunt.
Semper sunt in actu, qui semper vivunt, & quorum vita contemplatio.
Quilibet est compendium doctrinæ, quam acquisivit sine studio disciplinæ.
In quolibet omnis ars, omnis scientia recolligitur in gradu summo.
Momento describunt orbem sine penicillo:
Intra quemlibet vivunt infinitarum rerum imagines, nec se confundunt.
Habitant in quolibet dissimilium rerum species, nec se excludunt.
Quilibet deprehendit invisibilia, pervadit solida, percellit subtilia:
Quilibet scrutatur res, si lateant; excurrit ultra, si pateant; ascendit supra, si emineant.
Apud Angelos rem vidisse, penetrasse est.
Quilibet novit, ubi res incipiant, ubi deficiant, unde veniant, quò pertingant.

Inveniunt rerum terminos, si habeant; præfigunt, si non habeant.
Descendunt infra se ad inferiora; ascendunt ultra se, comprehendentes superiora.
O intellectum majorem seipso, & minorem.
Tam sublimes conceptus explicant oraculis, non sonis.
Voluisse loqui, dixisse est: miraculum est loquutio, prodigium intellectio.
Futura tamen eos latent, & cordis arcana:
Debet aliquid deesse Angelicæ cognitioni, ne sit Divina;
Ita tamen ignorant, ut penè conjiciant; & dum explorant, fermè penetrant.
Hæc magna sunt, sed nobiliora latent, & majora teguntur.
Cœlum dicitur à celando, & omnes Angeli cœlestes sunt.
Intellectum sequitur voluntas libera, sed immobilis post electionem.
Impeccabilis per naturam, nisi intumuisset adversum gratiam.
Tot privilegia naturæ coronavit gratia, ut eorum perfectioni nihil deesset.
Gratiam sanctificantem muniverunt auxilia sufficientia:
Sed stantes ampliùs adjuti ad beatitudinis plenitudinem pervenerunt.
A Deo enim initium bonum infunditur, & quod seminatum est, enutritur.
Et qui fecit quos salvaret, etiam fecit unde salvaret.
Ipse merita donavit, qui fecit quibus donaret.
Ab eo prima & ultima gratia, ut totum detur Deo.
Veruntamen uno impetu ad Deum pervenit velox natura:
Instans meriti sequuta est æternitas præmii:
A momento creati pugnarunt, superarunt, triumpharunt.
Momento Michael venit, vidit, vicit.
Momento Lucifer superbit, aggreditur, prosternitur.
O momentum decretorium, ex quo pendet æternitas!
Quale monstrum superbia, quæ ex Angelis diabolos fecit!
Quales tenebræ, quæ ex Lucifero tenebriferum, noctiferum effecere!
Qualis morbus, cui sanando necessaria fuit humilitas Dei.
Quale pondus, quo oppressus cecidit spirituum Princeps!
Cecidit more lapidum (ait Caietanus) non descendit more viventium.
Perdidit cadens decorem, quia fecit suum:
Perdidit gratiam, quia non egit gratias Deo:
Perdidit lucem, quia ardere noluit: totus Lucifer, nequaquam ignifer.
Perdidit gloriam, quia voluit gloriari in semetipso:
Perdidit quòd habebat, dum plus voluit esse, quàm erat:
Perdidit efficax adjutorium, quia non posuit Deum adjutorem suum:
Perdidit gratiam, quia Pelagianus fuit ante Pelagium.
Cecidit à se, quia non stetit in se, ambulans in magnis & mirabilibus super se.
Nec solus ruit: plures habuit socios reatus, & ruinæ.
Verbis movit, exemplis traxit, sceleris Dux, & Magister.
Vix ortus occidit, & occîdit, qui fuit homicida ab initio.
In ipsa splendoris aurora eclipsin passus est.
Vnico instanti bonus fuit, quia à Deo gubernatus:
In secundo factus Rex sui, factus est exlex Dei.
Peccatum continuò sequuta est impœnitentia, & pœna:
Non est veniâ dignus, qui inflexibiliter vult peccare.
E fronte aggressus est Deum, qui pœna perversorum, & humilium gloria est.
Majestati illisus tumor conturbetur, impingat, conquassetur necesse est.
Superbos dejicere delectatur cedere nescia rectitudo.
Gratiis spoliavit plenum sapientiâ, & perfectum decore:
Ad infernum detrusit, qui in deliciis Paradisi Dei conditus fuerat,
Vbi miris, sed veris modis ab igne torquetur.
Et portat secum ignem, quocumque vadat.
Perseverat tamen imago Dei naturalis, & signaculum similitudinis.
Quia uri potest, non exuri; ardere, non deleri.
Manet ad supplicium prima pictura, conturbata, non deturbata.
Omisit gloriam Angelorum, quia in cor hominis non ascendit.
Eam sperare convenit, desiderare expedit, declarare non licet.
Eadem est mensura hominis & Angeli, sed non eadem lingua.
Hæc dum tradit Aquinas de Angelis, Angelici nomen fortitus est.
Sed titulum magis promeretur illum, qui Angelos imitatus est.
Angelorum vitam expressit, & munia unus absolvit.
Purgat enim, illuminat, perficit Angelorum compendium Aquinas.
Purgat errores, errori impervius, regula veritatis,
Nullis obsidetur temporum nebulis, æternitatis candidatus.
Stellam in fronte ferebat Dominicus, solem Thomas gestat in pectore.
Nunquid potest stella parere solem?
Nunquid pater est minor filio?
Singularis felicitatis est parentis lucem non minuere, sed augere.
Et gloria Patris est, talem filium lucis genuisse.
Et honor filii, lucem Patris extendisse.
Sol dum lucet, astra obscurat.
Sed eclipsin patitur, & interdum trepidat.
Major Sole Thomas, qui sine ullius diminutione micat, & stat intrepidus sine errore, ubi sol titubat.
Illuminat plenus luce sibi, superplenus nobis.
Hausit ex ore Filii, quod de paterno hauserat filius.
Angelos illuminat Deus vivens, Angelicum Doctorem Deus moriens,
Influitque Aquinati verba vitæ Verbum mortis.
Christus pendens consummat Ecclesiam; Christus in cruce consecrat Thomam.
Perfecit dum accendit, mentibus Lucifer, cordibus ignifer, ex utroque Angelus Thomas.
Ejus doctrina lucis filia est, & mater ardoris.
Ei lucere vanum; ardere parum; lucere, & ardere innatum.
Amande Custos, Genie tutelaris, tibi mandatum est, ut custodias nos in omnibus viis nostris.
Vtinam & Angelis associes Angelici discipulos & cultores.
Cœlestia non attingit nisi acies pura, nec te capit nisi mens munda.
Tuam qui vult assequi mentem, sequatur puritatem:
Non est Thomista, qui non est Theologus mentis & cordis.

LIBER



LIBER QUINTUS.

De Deo ultimo fine.

PRÆLOQVIVM.



SI ad locum unde exeunt flumina revertuntur, si rebus omnibus insitus est centri amor, ad Deum tendat creatura rationalis necesse est, ut postquam ab eo primo principio egressa est, in ipso ultimo fine conquiescat. Hic est unicus Christianæ disciplinæ, quam aggredimur, scopus; quæ ideò tota quanta est, in actibus humanis dirigendis versatur, ut ad finem humanæ vitæ, Deum scilicet charitate dilectum, & visione beata tandem possidendum, indigitatis ab ipsomet semitis tutissimè & juxta felicissimè manuducat. Hinc ultrò sese offert Ethicæ, Religionisque Christianæ supra alias sectas dignitas & eminentia; istæ enim intra hominem sistentes, solius naturalis rationis innumeris obnoxiæ erroribus, præeunte lumine regebantur: & quia terminum ignorabant, sæpius cespitabant in via, doctrinisque variis & peregrinis abducebantur; quia sicut in eodem prato bos herbam quærit, canis leporem, ciconia lacertum; sic ex amplissimo scientiarum campo suis quique privatis præiudiciis, & studiorum affectibus aptas opinationes colligebant Philosophi, & in diversas ibant sententias, non vero, sed tantùm fucato colore vestitas; nam teste Tertull. lib. 2. de nat. *Varietas opinionum venit ex ignorantia veritatis.* At verò Religio Christiana lumine fidei illustrata, ab ipsa veritate edocta, eiusque cœlestis doctrinæ pabulo nutrita offusam menti humanæ caliginem dissipat, affectus purgat, Philosophorum offutias discutit, quia ex firmo & immoto veri finis intuitu de humanæ vitæ officiis, eorumque ramis & consectariis disserit, summam & æternam legem puro cernit obtutu, atque ad præceptum Domini lucidum illuminans oculos hominum componit actus.

Verùm quanvis finis ille nobis omnibus sui indiderit appetitum, quia nos fecit Dominus ad se, & inquietum est cor nostrum, donec in ipso requiescat; quanvis etiam finis illius micantissima veritas & justitia per se sit evidens, & in ea tenebras comminisci, sit tenebras in Sole cogitare; Deus enim, ut ait Ioannes, lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ: nihilominus veritatis circa morum potissimè præcepta dignoscendæ difficultas innata, & per peccatum immensùm aucta tanta est, ut in multarum rerum per se verissimarum notitia caliget; tam obliquata ratio, ut in contrarium errorem nonnunqnam abeat; tam infirma, ut ex veritatis intuitu nullam in agendo firmitatem, sed opinandi instabilitatem hauriat; tam offuscata concupiscentiæ nebulis, ut nullum fermè sit Christianæ Ethicæ caput, quod non fuerit in dubium vocatum, vel contrarii erroris turpi approbatione turpissimè reprobatum. Quid ergo inter tot superstites ex primi peccati labe tenebras opus est facto, ne malum bonum, & bonum malum dicentes, à Propheta maledicamur? Finis ultimus verus præ oculis semper habendus est, quia ut veridicè dixit Augustinus: *Minùs novimus quid Deo placeat, quia ipse minùs notus est nobis.* A quo si tantisper divertamus, sicut nullum est tam dirum nefas, quod non alicubi gentium innoxium habeatur, ita nulla erit tam ridicula de fide sententia, nulla tam laxa de moribus opinio, cui suus non suffragetur patronus.

Sed quia finis ultimi lux plenior aliis quàm aliis concessa, nulli tamen perfectè in hac vita patescit, ideò & tibi, & mihi timendum est, Lector; quid enim ea Veritatis voce terribilius, Matth. 13. *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt:* vel illa Isaiæ 10. maledictione, *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt.* Si enim (quod absit) æternæ veritati, aut vero fini aliquid scribam adversum similitudine veritatis indutum, & aliis laqueum, & mihi ruinam parabo incautus; quia pejus est malam legem condere, aut benè conditam depravare, quàm mala patrare: tunc enim non solùm malè agentibus consentit commentator, sed & malè facta corroborat, & ad facienda invitat. Tunc amabit peccator languores suos, & pro sanitate habebit quod ægrotare se nesciat. Nec propterea ille, vel ego

excusabimur, quia ut benè dixit Tertull. de spectac. cap. 10. *Nusquam, & nunquam excusatur quod Deus damnat; nusquam, & nunquam licet, quod semper, & ubique non licet.*

In aliis scientiis, salvâ fide, unusquisque abundare in suo sensu facilè potest, promptaque venia conceditur luxuriantibus Philosophorum ingeniis, quia sive aliquid novi dicant, nihil prosunt; sive delirant, nihil nocent. At verò in Morali, totius vitæ status disponitur; unde eo majorem diligentiam necesse est adhiberi, quo periculo majori exponimur, si nesciamus, vel negligamus quomodo nos oporteat vivere. In hac scientia nullus debet esse dissidio, nullus errori locus: omnes unum sentire oportet, quia si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. *Nullus hic temeritati locus*, inquit Lactantius lib. 13. cap. 13. *in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona mantis, aut opinio falsa deceperit.*

Vt ergo tui, meique lapsum, pie Lector, præcaveamus, antequam de ultimo fine vitæ humanæ in hoc quinto libro, necnon de humanæ vitæ officiis in sequentibus sermonem habeamus, prælibanda est non perfunctoria dissertatio de Locis Theologicis, seu de puris sacræ doctrinæ fontibus, in qua etsi pro rei gravitate satis strictè, tamen ad solidæ doctrinæ jacienda fundamenta satis amplè disputabimus. Absit enim à vero Theologo, absit à discipulo S. Thomæ divinæ voluntatis interpretis, Traditionis, & Patrum omnium echo; absit, inquam, ut doctrinæ Christianæ, id est cœlestis & divinæ principia & normas hauriat ex quorundam modernorum lacunis, in quibus nulla pietas, nulla eruditio, nulla antiquitatis pervestigatio, nulla in evolvendis Patribus diligentia relucet, sed incondita volaticarum opinionum farrago obstrepit. Absit ut momentosissimum salutis negotium, quod est unum necessarium uni Dei gratiæ innixum, eorum prolubiis exponam, qui gemente Alexandro VII. & dolente universo Cleri Gallicani conventu, Christianæ disciplinæ leges dissiparunt, & Evangelicam vivendi normam ita adulterarunt, ut novitiarum opinionum scientia quavis ignorantiâ longè sit pejor. Absit ut justitiæ esuriem & sitim, quæ inter beatitudines annumerantur, neglectis Ecclesiæ Catholicæ Doctorum fontibus, turbidis neotericorum fluentis temperaturi impuras cisternas adeamus. Absit demùm, ut in nostris commentariis singulæ de fine, & mediis decisiones recentiorum nominibus, locisque perstrepent, & gravissima Christianismi decreta in illorum authoritate, & ratiunculatum fuco induta fundentur. Potior semper, ut par est, Scripturæ, Traditionis & Patrum erit authoritas; verba eorum universæ nostræ clamabunt paginæ; semper, aut crebrò veneranda Augustini, Gregorii, Aquitanis, aliorumque Sanctorum nomina comparebunt, qui de Christianis institutis tam immaculatè scripserunt. Sed antequam videamus quid doceant, consideremus eos qui docent; primus enim discendi ardor, nobilitas est magistri. Expendamus Scripturæ, Patrum, cæterorumque Theologicorum locorum efficaciam, antequam ex eis veritates eruamus. Ex his ordo & œconomia hujus libri claret. Divus enim Thomas Ethicen Christianam instituturus, non solùm Aristotelem, sed Christum maximè imitatus est. Sicut enim Divinus Legislator Evangelicæ Prædicationis exordium à beatitudine sumpsit: ita Doctor Angelicus ab ultimo fine vero Moralem disciplinam auspicatur, acturus deinde de mediis vel ex natura rei, vel ex Dei arbitrio ad beatitatem ducentibus. Idque magis ex perpetua nostrarum dissertationum serie liquebit.



DISSERTATIO PRÆAMBVLA.

Commendatio locorum Theologicorum, seu de puris Ethicæ Christianæ fontibus.

DECEM communiter assignantur loci Theologici, quibus omnium discursuum nervi atque artus firmi, solidique consistunt. De his omnium primus methodicè, nec minùs eleganter egit Melchior Canus, vir litteris & eruditione præcipuus, moribus & pietate insignis, Pontificalibus etiam infulis conspicuus, & in rebus Theologicis summâ eloquentiâ dicendis nulli sui temporis secundus.

Insignis ille Author integrum & aureum librum de decem locis edidit, quem verè Thesaurum dicam è variis fodinis extractum, in quo nihil non pretiosum, non obrysum, non numeris omnibus absolutum invenitur. Nam secum advehit omnes priscorum hominum divitias, quas magnis aliorum voluminibus diffusas compendiosa utilitate contrahit, non arido stylo, sed verbis sejunctis, loquutione selecta, ornato verborum contextu, & perquàm exquisito rerum apparatu proponit. Patrum & Ecclesiasticæ doctrinæ gemmas non parca manu, sed plena diffundit, & cuncta quæ sunt vel difficiliora dictu, vel sensu grandiora, vel digniora lectu excerpsit, & in uno medullato volumine Theologorum usibus profutura transtulit. Hæc præter morem, sed non præter necessitatem dicta sint in laudem Authoris nostri, quem dilacerare Petrus à Valleclausa non semel tentavit. Sed quantumvis obganniat inimicus homo, fatebitur quisquis seriò & attentè Canum legerit, vix ullum hactenus librum, aut copiâ ditiorem, aut methodo commodiorem, aut varietate feraciorem, aut oratione cultiorem, vel rerum omnium digestu illustriorem (solis exceptis Ecclesiæ Patribus) post hominum memoriam prodiisse; quippe in quo eximius elegantiæ nitor, sublimis sapientia, & profunda eruditio de palma contendunt.

Itaque Canus locos, seu sedes argumentorum in decem

decem partitus est, & quidem opportunissimè. Primus est sacrarum litterarum authoritas. Secundus, perennis Apostolicarum traditionum usus. Tertius, Universalis & Oecumenici Concilii definitio. Quartus, totius Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, usus, & praxis. Quintus, Summi Pontificis, Romani scilicet Episcopi, in Fidei controversiis decernendis, & Ecclesia Christi regenda authoritas. Et hi quinque sunt *infallibilis*, & *irrefragabilis authoritatis*. Sextus est authoritas alicujus Patris ab Ecclesia inter suos Doctores connumerati. Septimus est Theologorum & Canonistarum gravissimorum sententia. Octavus est momentum rationum naturalium, quas advocat Theologia veluti ancillas ad veritates fidei declarandas, confirmandasque. Nonus est assensus Philosophorum rationem ducem sequentium, à quibus veluti ab injustis possessoribus veritas, si quam habent, extorquetur. Decimus est historia humana à scriptoribus omni exceptione majoribus enarrata.

CAPUT I.

Sacrarum Scripturarum, & Apostolicarum traditionum, necnon Ecclesiæ Catholicæ authoritas.

ACturi de limpidis Theologiæ fontibus, à sacris litteris sumenda sunt primordia. Religionis enim Christianæ puritas, quam in hoc tomo inquirimus, & divinæ gratiæ omnipotentissima potestas, quam sustinemus, non nostro modulo, sed divino lumine vestigandæ sunt, ne vel à vero & summo bono aversi, vel gratiæ Christi ingrati reperiamur, atque cum periculo propriæ salutis, & Ecclesiæ Catholicæ injuria aliis venditemus, quod vel superbiam pascat, vel concupiscentiæ blandiatur. Hîc, vel nullibi omnis sermo noster debet esse sale conditus, ne plus sapiamus quàm oportet sapere, sed sapiamus ad sobrietatem. Nullatenus indulgendum est ingeniorum voluptati, sed hæc tam divina dogmata divinè, si fieri posset, tractanda forent, id est, ex oraculis divinis depromenda, nec ultra procedendo, nec infra manendo. Ad illam incorruptam Divini Verbi amussim exigenda sunt hæc præclara Religionis ædificia, nec plura tentanda, quàm Apostolica traditio permittit; ut enim verè & eleganter dixit Hilarius lib. 10. de Trinit. *Ut sol ita videndus est, ut possit videri, tantusque excipiendus lumine est, quantus admittitur, ne si plus velimus expetere, minus quoque quàm possumus consequamur: ita & ratio cœlestis in tantum intelligenda est, in quantum se permittit intelligi, in tantum expetenda est, in quantum apprehendendam se dedit, ne si contenti indulgentiæ moderatione non simus, amittamus indulta.*

SPECULATIO I.

Sacra Scriptura, ejusque editio vulgata est infallibilis authoritatis.

PEr sacram Scripturam intelligimus libros canonicos ab Ecclesia Fidelibus propositos, qui communiter dividuntur in legales, historiales, sapientiales, & prophetales. In prima classe Moysis Pentateuchum constituitur: in secunda collocantur libri Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, duo Esdræ, unus Tobiæ, Judith, Esther, Job, duo Machabæorum. Ad tertiam revocantur Psalterium, Proverbia, Cantica, Ecclesiastes, Sapientia, Ecclesiasticus. In quarta reponuntur Isaïas, Ieremias, Baruch, Ezechiel, Daniel, & duodecim Prophetæ minores. Simili divisione partiuntur novum Testamentum: nam ad legales quatuor Evangelia, ad historiales Acta Apostolorum, ad sapientiales Pauli Epistolas aliasque canonicas, ad Prophetales Apocalypsim reducunt.

Hos igitur libros admittendos, eorumque oracula omni reverentiâ & fide excipienda definivit sacrum Tridentinum Concilium *sess.* 4. ubi post enumeratos utriusque Testamenti libros omnes, sic pronuntiat: *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non susceperit, & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit, anathema sit.* Et rationem indicat sapientissima Synodus ibidem, quia illa editio pro authentica habenda est, *quæ longo tot sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata est.* Certè si Ecclesia Christi, quæ est columna & firmamentum veritatis, tot annorum centuriis hanc editionem, tametsi falsam comprobasset, & tanquam à Spiritu sancto revelatam proposuisset, profectò defuisset Deus Ecclesiæ suæ in re tam necessaria; & meritò existimare possemus, nihil esse certum in Bibliis, si aliqua falsitas irrepsisset. Nutabit profectò, imò infringetur & enervabitur Sacrarum Paginarum veritas, ac Ecclesiæ proponentis authoritas, si semel possit erroris convinci.

Unde non sine speciali divinæ providentiæ dispensatione semper Scripturarum puritas cum rectitudine fidei connexa est. Quandiu enim Iudæi fidei firmitatem retinuerunt, tandiu apud eos Scripturarum integritas permansit. Postea fide à Iudæis repulsa, & à Gentibus suscepta, Scriptura sacra Græco idiomate, quod erat vulgatissimum, exarata fuit. Græcis autem ab Ecclesiæ corpore disjunctis, Latina Ecclesia divinarum litterarum puritatem suâ linguâ habere necesse habuit; aliàs semper vacillaret Orthodoxorum fides, nec posset firma consistere, nisi vulgata editio tuta sit legentium anchora, lapisque lydius quo possit exortarum controversiarum veritas discreta patescere, & hæreticorum petulantia cōdignâ authoritate revinciri.

Quare in fidei ac morum disciplina non licet Catholicis ad Hebraïca, vel Græca exemplaria provocare, præsertim quia jam Rabini Christianismi hostes jurati Scripturas, ut eas ad suum sensum traherent, violarunt, truncarunt, depravarunt, multisque supposititiis, adulterinis, & ementitis detractionibus, vel adjectionibus corruperunt. Id etiam Hæreticis omnibus solenne est, quia ut optimè Tertul. *lib. de præscr. cap.* 38. annotavit: *Quibus fuit propositum aliter docendi, eos necessitas coegit aliter disponere instrumenta doctrinæ: non potuissent aliter docere, nisi aliter haberent ea, per quæ doceant. Sicut illis non potuisset succedere corruptela doctrinæ sine corruptela instrumentorum ejus; ita in nobis & à nobis integritas doctrinæ non competiisset sine integritate eorum quæ doctrinâ tractantur.* Quibus ergo, ut rectè ait Cano, putas potiùs credendum esse? Num Iudæis hostibus Christi? Num hæreticis injuriis Ecclesiæ? Nonne magis Septuaginta Interpretibus? Nonne magis Hieronymo, aliorumque Patrum venerandæ cohorti, virisque Ecclesiasticis, qui omnes inter se concinentes eadem asserere nullo modo possent, nisi uno Divino Spiritu, qui facit concordiam in sublimibus, continarentur? Certè cùm nulla sit veritas tam firma, contra quam aliquid cavillari humana argutia non possit, non debemus propter leves aliquas conjecturas ab Erasmo aliisque novitatum amantibus, & quæque carpendi libidine actis collectas, à trita Doctorum via recedere. Tutiùs enim antiquis Conciliis, tutiùs Pontificibus & Patribus, tutiùs Ecclesiæ mori nos committimus, quàm novitiis veritatis perturbatoribus, in quos rectè quadrat illud ab August. *lib. de bon. persev. cap.* 11. dictum: *Scripturas sic accipiunt,*

ut suo quodam privilegio, imò sacrilegio quod volunt, sumant; quod nolunt, recipiant.

Accedit quod si semper recurrendum esset ad Hebraicos, vel Græcos fontes, mira & confusa esset diversitas sententiarum, pro diverso modo explicandi Interpretum, qui omninò varius est, ut videre est in Aquila, Theodotione, Symmacho, Xante Pagnino, Vatablo, Oleastro, Cajetano, Malvenda. Sed id maximè claret in hæreticorum commentariis, qui non modò ab aliis dissident, sed à seipsis sæpiùs discrepant, dum suas editiones adornant. Vnde inquit bellissimè Cano, *non tam ex fontibus sacras litteras vertunt, quàm circa fontes ipsi vertuntur.*

Certè nisi inconcussa maneat vulgatæ editionis firmitas, in tanta expositionum varietate inducetur discordia fidelibus omnibus formidanda. Quomodo enim unitas subsistet Ecclesiæ, si pereat unitas Scripturarum versionum, vel potiùs inversionum varietate? Nam, ut rectè ait Hieron. epist. ad Damas. *Non est verum, quod variat.* Fateor quidem in primis Ecclesiæ cunis Patres ad Hebraïca, Græcave exemplaria frequentem habuisse recursum, quia tunc erat magna Latinorum codicum discrepantia, quæ ut conciliaretur, consulendi erant primitivarum linguarum codices tunc puri & limpidi, nec hæreticorum, curiosorumque novitatibus turbidi. Iam verò in vulgata lectione Ecclesia tota sine dissensione consentit; Ecclesia, inquam, civitas illa Dei, quam fluminis impetus lætificat, quæque filios suos à sexcentis supra mille annis hujus editionis aquis perenniter potavit.

Ex quo fit, omnes apices, syllabas, & particulas Sacrosancti librorum canonicorum voluminis Spiritu sancto afflante scriptas esse. Aliàs si minimus error obreperet, posset de totius libri volumine dubitari, sicque tota Scripturarum labefactaretur authoritas, subindéque totius Christianismi fundamentum firmissimum convelleretur. Vnde negare partem, librum, caput, versum, vocem, syllabam, apicem Scripturæ, est negare totam; quia si alicubi deficit, ubique deficere potest; nec sola divina authoritate recipitur, quod humana ratione eligitur. Incertum suspectumque jure meritò habetur ejus testimonium, quod semel falsum deprehensum est; nec est infallibilis veritas, quam vel tenuissimum mendacium obscurare potest. Daretur planè hæreticis omnia sugillandi ansa, & pro suo arbitratu vel gravia, vel levia judicandi quæcumque voluerint, si semel concedatur Spiritum sanctum astitisse scriptioni rerum præcipuarum, non levium, & nihil ad salutem pertinentium; facilè enim sibi persuadebit quilibet argutulus & morosus, in libris præsertim historialibus multa non necessaria referri, quamvis utilissima, & adoranda omnia Scripturarum verba teneat communis Ecclesiæ Romanæ, seu Catholicæ sensus à Patribus acceptus, & veris Orthodoxis indivulsè sculptus.

Quare non mihi probatur limitatio Ioannis Caballutii, aliàs eruditissimi, contendentis Sacrum Concilium non singulas vulgatæ editionis particulas consecrasse, sed tantùm libros quosdam sacros, quos Novatores de Canone obliterabant; vel aliquas insigniter amplas partes, quas hæretici spurias, addititias, & suppositas contendebant, sacro Canoni asseruisse, debitæque authoritati vindicasse. Nam licèt verum sit, id potissimùm intendisse Patres Tridentinos, ut comprimeretur hæreticorum modernorum intolerabilis impudentia, quæ libros integros expunxit, vulgatam editionem Catholicis omnibus pervenerabilem floccifecit, partes & versus quamplures mutilavit, & plenitudinem potestatis, quam Conciliis Oecumenicis denegat, superbissimè usurpans, supprefsit quæ explodi placuit: Nihilominus tamen ut tam temerario ausui radicitus provideret, *libros integros cum suis omnibus partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata editione habentur*, suscipiendos præcipit, & non suscipientes anathemate percellit.

Non inficior Typographorum incuriâ librum Bibliorum sæpè sæpiùs scatere mendis, quia nullus ferè cuditur liber omni ex parte elaboratus, fiuntque in dies editiones aliæ aliis castigatiores, in quibus postremè Sixti V. & Clementis VIII. diligentiam universa Respublica Christiana collaudavit. Hoc tamen contendimus, & Tridentinum contendisse affirmamus, omnes vulgatæ editionis voculas, & syllabas sine ulla exceptione sacras esse & canonicas, nec ulla irrepere, ut sæpè pro humana infirmitate solet, menda, quin statim ab Ecclesia dignoscantur. Adducit quidem Caballutius nonnulla loca, quæ quibusdam Interpretibus mendosa visa sunt; sed hos nodos dissolverunt alii, & in promptu explanare possemus, si id instituti nostri brevitas pateretur. Quod autem addit præfatus auctor *pag.* 714. menda nonnulla sic ab antiquo irrepsisse, ut nulla suppeterent correctoribus exemplaria his mendis vacua; id verò non solùm in vulgata editione, sed in ipsis Hebraïcis, Græcisque exemplaribus ipsis ita contigisse certum esse, ut nullum hujusmodi exemplar immune prorsus reperiri possit, ipsaque Ecclesia sancta in omni sæculorum decursu vix ac ne vix quidem Bibliis Hebraïcis, aut Græcis, aut Latinis potita sit, quæ omni ex parte illibata & expurgata essent. Illud, inquam, si semel admittitur, nihil superest, de quo dubitare non liceat, dabiturque hæreticis continua cavillandi occasio, si concedamus vulgatæ editionis sacrum depositum hominum manibus, & annorum decursu nævorum & depravationum haud paucas injurias pertulisse ab scribentibus antiquariis, & correctoribus imperitis, nec ullum occurrere exemplar illibatum, ad cujus fidem modernæ lectiones exigantur.

Præoccupantur objectiones.

Pro solutione objectionum nota primò, non omnes libros fuisse simul ab Ecclesia Catholica receptos: unde in posterioribus Conciliis re maturiùs expensa, Deoque paulatim Ecclesiam illustrante, fuerunt accepti qui in prioribus nondum satis fuerant explorati. Initio enim nascentis Ecclesiæ, ac primus Christianismi exordiis tam citò difficultas hæc ventilari non poterat, nec oportebat; quia non erat adeo procax hæreticorum audacia in libris ad libitum vel acceptandis, vel rejiciendis. Sed simpliciter Christiani omnes adhærebant volumini à S. Clemente proposito, qui tamen non omnes libros canonicos collegit, sed aliquos silentio prætermisit. Re autem ab Innocentio I. primùm decisa, omnis Catholicorum dubietas cessavit, qui in varias anteà sententias abierant, quia nihil adhuc certi in alteram partem ab Ecclesia definitum erat.

Nota 2. fuisse quidem de quorundam librorum Authoribus dissidium, putà libri Sapientiæ, Ecclesiastici, Epistolæ ad Hebræos, & secundæ Petri, propter styli diversitatem; sed hoc parum, vel nihil refert, dummodo Spiritus sanctus eorum librorum auctor esse credatur. Nec est inconveniens, in illa quæstione facti non revelari aliquem nonnullis contigisse errorem. Cæterùm in enumerandis libris canonicis errare nequaquam Ecclesia potuit, quia hoc ad facta revelata spectat, quibus tota fides & orthodoxa doctrina suborsa est. Cum quo stat, non esse facilè dubitandum de authore libri canonici, quando favet conspirans Ecclesiæ sensus. Nec obesse debet styli diversitas, quæ sæpissimè in eodem auctore observatur pro diversa materia, vel lectorum ad quos scribit distinctione, vel interpretum inæqualitate.

Nota

Nota 3. ad veritatem sacrorum librorum non esse opus Scriptores omnia ex immediata revelatione accepisse; nam à Petro Marcum, ab aliis Apostolis, Beataque Virgine Lucam audivisse constat. Sed id quod contendimus est, omnes omninò Scripturarum phrases & versus speciali Dei instinctu, afflatu, assistentiâ, directione, & manutenentiâ fuisse exaratos, ita ut eorum librorum Spiritus sanctus author sit, juxta illud Psalm. 86. *Dominus narrabit in scripturis populorum.* Et illud Salvatoris: *Spiritus suggeret vobis omnia.* Necnon illud 2. Cor. 13. *In me loquitur Christus.* In omnibus igitur habuerunt non revelationem, sed assistentiam & auxilium, ne laberentur. Quod sanè auxilium num debuerit esse efficax & prædeterminans, an verò purè indifferens & expectans determinationem æquilibrii voluntatis, suo loco dicetur, & interim tuo judicio permitto, Lector. Quomodo enim labilem hominum manum, & fallibilem arbitrii vertibilitatem constanter, & indeclinabiliter à lapsu etiam minimo, tam formali, quàm materiali liberabit auxilium libertati submissum, ejusque expectans acceptationem, quale admittunt assertores scientiæ mediæ? Nec obest quod aliquando Paulus se in insipientia dixisse significet; hoc enim loquendi modo ostendere satagit, se ea ex necessitate duntaxat protulisse, quæ solent citra necessitatem ab insipientibus jactari. Unde insipientis personam sapienter gessit, sicut cùm dicebat: *Nos stulti propter Christum.*

Nota 4. quod dum nolumus vulgatam editionem esse per Hebraïca, vel Græca exemplaria corrigendam, non propterea damnamus, sed totis viribus laudamus Græcæ, Hebraïcæque linguæ peritos & studiosos, ut calumniosè Dominicanis imponit Petrus a Valleclausa: quasi verò in tota sua Valle fuerit ullus unquam Xante Pagnino, Oleastro, Malvendâ Dominicanis sanctæ linguæ peritiâ par? Non damnant Dominicani linguam Hebraïcam, Syriacam, Græcam, aliasque; sed contendunt à Vulgata totius Ecclesiæ, & Oecumenici Concilii authoritate consecrata non esse provocandum ad fontes Hebraïsmi. Cæterùm probè sciunt *in Clement. 1. tit. de Magist.* Concilium Viennense ordinasse in Universitatibus Bononiensi, Parisiensi, Salmanticensi trium linguarum Magistros instituendos, qui eas discipulos doceant.

Idque variis sanè emolumentis statutum est. Tum 1. quia in vulgata editione verba Hebraica & Græca non sunt de verbo ad verbum scrupulosè translata, sed potiùs servata est sensuum veritas, quàm verborum ordo. Ut ergo videatur nativa verborum series, adire licet textum Hebraïcum. Tum 2. quia vox Hebraica æquivoca est, subindéque multis sensibus fœta, ex quibus ingeniosus lector plures potest eruere sensus ad subjectam materiam variis conceptibus adornandam. Tum 3. quia phrasis in propria lingua majorem emphasin ex innata proprietate sortitur, quæ non parum conducit ad multa adagia explicanda. Sicut cùm dicitur Luc. 10. *Neminem per viam salutaveritis*, non præcipitur inurbanitas Christi discipulis, sed magna in itinerando celeritas hoc Hebraïco proverbio designabatur. Quod diligenter nota pro variarum intelligentia formularum, quæ passim ubique, sed in proverbiis Salomonis crebrò occurrunt; quia hujus regolæ ignoratione sæpe alieni sensus ac fictitiæ interpretationes magno, & juxtà inani labore quæruntur. Tum 4. ad corrigenda quotidiana Typographorum menda, quibus scatent editiones. Tum demùm quia in editione Latina multa Hebraïca, Græcaque vocabula remanserunt, vel ob antiquitatis reverentiam, vel quia in Latinum transferri commodè non potuerunt.

Duplex corollarium momentosum.

Ex dictis infertur primam dignitatem sacrarum Litterarum esse incomparabilem & planè divinam. Tum quia habent auctorem Deum. 2. Petr. 1. *Spiritu sancto inspirati loquuti sunt Sancti Dei homines.* Luc. 1. *Loquutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt Prophetarum ejus.* Idem repetitur in principio Epistolæ ad Hebræos. Unde Chrysost. *homil. 2. in Genes.* ait, Divinas Scripturas esse litteras & epistolas Deo dictante exaratas, & ad homines missas. Cui concinit August. in Psal. 90. *De illa civitate, unde peregrinamur, litteræ nobis venerunt. Ipsæ sunt scripturæ, quæ nos hortantur, ut benè vivamus.* Tum quia Scriptura habet Deum pro argumento; nam ubique Deum loquitur, ad Deum movet, ejus attributa laudesque pangit, mandata promulgat, cordis divini secreta aperit. Tum quia ejus pia, humilis, & assidua lectio homines divinos efficit, dicente Veritate, Ioan. 10. *Illos dixi Deos, ad quos sermo Dei factus est.* Et Iustinus Martyr orat. 2. *Hæc nos non efficit Poëtas, non Philosophos reddit, neque Oratores excellentes; sed ex morti obnoxiis immortales, & Deos ex immortalibus facit*, inspirando scilicet cordibus hominum affectus divinos.

Dices: Scripturæ dignitatem decere non videtur ea, quæ ubique patet, simplicitas, sermo incultus, metaphorarum usus frequens & parabolarum, quibus vilescit & repit divinorum majestas eloquiorum.

Respondeo quod sicut dum oculi ægri Solis lucem non ferunt, non Solis, sed lipporum oculorum defectus est: ita si quibusdam vilescit Divinarum sapientia Scripturarum, legentium infirmitas est, non libri. Quamvis enim in sacris Paginis fucata verborum pompa affabrè non concinnetur, quia ut rectè ait Prosper lib. 3. de vita contemp. cap. ultimo: *Sententiarum vivacitatem sermo ex industria cultus enervat; non res pro verbis, sed pro rebus enuntiandis verba sunt instituta.* Tamen rectè consideranti apparet in sacris Litteris divina quædam eloquentia, quæ inania quidem & pendula non crepitat, sed multùm movet non verborum, sed rerum avidum. Legesis Rhetoricam P. Ludovici Granatensis, & tibi palam erit sacras Litteras argumentorum, figurarumque copiâ cultuque locupletissimas esse.

Quod verò in sacris Litteris, præsertim verò in Evangeliis parabolæ & metaphoræ frequentes sint, non inconsultò, sed de industria factum docent Patres, cujus divini consilii plures afferunt rationes. Primò propter hominum à sensibilibus dependentiam: *impossibile enim est*, ait Dion. cap. 1. cœlest. hierarch. *nobis aliter divinum lucere radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum.* Et Hilarius lib. 1. de Trinit. *Infirmitas nostra intelligentiæ cogit species quasdam ex inferioribus tanquam superiorum indices quærere, ut rerum familiarium consuetudine admonente, ex sensus nostri conscientia ad insoliti sensus opinionem educeremur.* Secundò, ob rudium ineptitudinem, quibus sub similitudine corporalium debent divina proponi à sacris Scriptoribus, qui docente Paulo *Rom.* 1. sapientibus & insipientibus debitores sunt. Tertiò, propter studiosorum exercitium; sunt enim, ut Aug. ait, *in Scripturis sacris profunda mysteria, quæ ad hoc absconduntur, ne vilescant; ad hoc quæruntur, ut exerceant; ad hoc aperiuntur, ut pascant.* Quartò ad occultandam infidelibus divinorum arcanorum sublimitatem, juxta illud Math. 7. *Nolite Sanctum dare canibus.* Quintò ad edomandam curiosorum superbiam, quibus divina absconduntur, dum simplicibus & parvulis revelantur. Sextò, quia cùm in hac vita faciliùs de Deo cognoscamus quid non sit, *ideo*, inquit

S. Thom. 1. p. q. 1. artic. 9. ad 3.) *similitudines illarum rerum, quæ magis elongantur à Deo, veriorem nobis faciunt æstimationem, quod sit supra illud quod de Deo dicimus, vel cogitamus.* Septimò, ut veritatem sub his parabolarum involucris latentem assiduis precibus impetremus ab eo, qui dat affluenter. Octavò, ad intellectum à fastidio revocandum; solent enim facilè inventa vilescere: sensus verò reconditi, dum deteguntur, delectant, & eo sunt pretiosiores, quo explicatu difficiliores. Nonò, ut ex una eademque littera plures Patrum interpretationes haberemus, quibus Ecclesiastica & Litteraria Respublica ditescit.

Infertur 2. uberrimam esse sacrarum Litterarum fœcunditatem ob multiplices sensus, quibus abundant. Primus est litteralis, quem faciunt nuda verba in sua naturali significatione accepta. Secundus est mysticus & spiritualis, qui ex verbis eruitur, vel ad fidei mysteria, ut cùm figuræ veteris Testamenti applicantur mysteriis novi, & dicitur sensus allegoricus, seu figuratus; vel ad instructionem morum, cùm gesta in Scripturis enarrata ad mores componendos flectuntur, & dicitur sensus tropologicus, vel moralis; vel ad ea prænuntianda, quæ in futura vita contingent, & dicitur sensus anagogicus, seu sublimis. Quæ his tritis versibus continentur:

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quid speres anagogia.

His quatuor sensibus utitur ipsemet Apost. Galat. 4. *Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera* (en sensum litteralem,) *quæ sunt per allegoriam dicta; hæc enim sunt duo Testamenta* (ecce sensum allegoricum.) *Illa autem, quæ sursum est, Ierusalem libera est, quæ est mater nostra* (vide anagogicum sensum.) *Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum, ita & nunc.* Ecce tropologicum sensum, quo per Ismaëlis in Isaacum persequutionem significabatur persequutio Iudæorum in Christianos.

Hæc sacrarum litterarum ubertas significatur *Ezechiel. 2. & Apocal. 5.* ubi dicitur liber *scriptus intus & foris*: intus, ob sensum mysticum, qui est interior & reconditus: foris, ob sensum litteralem omnibus pervium. Asseritur etiam à Patribus. August. tract. 24. in Joan. *Ea quæ fecit Dominus noster Iesus Christus stupenda atque miranda, & opera, & verba sunt*: opera, quia *facta sunt*: verba, quia *signa sunt.* Et Gregor. Magn. lib. 20. Moral. cap. 1. *Sacra Scriptura omnes scientias ipso loquutionis suæ more transcendit, quia uno eodemque sermone, dum narrat textum, prodit mysterium. Interrogemus miracula, quid nobis loquantur de Christo; habent enim, si intelligantur, linguam suam. Nam quia ipse Christus Verbum Dei est, etiam factum Verbi verbum nobis est.*

Dices: Parit confusionem, æquivocationem, & deceptionem multiplex sensuum ejusdem textus varietas: Ergo quadruplex sensus verbis Scripturæ asserendus non est.

Respondeo quod licèt argumentum efficax desumatur solùm ex sensu litterali, potest tamen è spirituali elici, si à Canonico Scriptore ita factum inveniatur. V. g. Paulus *Hebr. 1.* illud Psal. 2. *Ego hodie genui te*, intelligit de Divinitate Filii: *Actorum verò* 13. de resurrectione ejus, quæ secunda expositio per se est tantùm mystica, sed jam à Canonico Scriptore respectu nostri habet rationem, vim, & energiam sensus litteralis. Quia ut ait S. Doctor, *Spiritus sanctus, qui est author Scripturæ, plures potuit intendere sensus*, quos deinde Scriptoribus Canonicis manifestavit. Nec propterea sequitur confusio objecta, quia *sensus isti non multiplicantur propter hoc quod una vox multa significet, sed quia res significatæ per voces, aliarum rerum possunt esse signa*, inquit S. Thom. *1. p. q. 1. artic. 10. ad 1.* unde nulla oritur deceptio, cùm omnes sensus innitantur litterali, qui in proprio sensu debet semper accipi, si nihil absurdi, vel falsi apertè sequatur, ut sæpè docet Augustinus.

Dices iterum: Si tanta est Scripturarum fœcunditas omnibus accommodata, cur Ecclesia Catholica lectionem earum omnibus promiscuè non permittit? Cur prohibet sacras Litteras vulgari lingua non cudi, & nationibus omnibus in proprio idiomate palam legi?

Respondeo, puritatem Scripturarum citò maculatam iri idiomatum omnium versione & permixtione. Sapientissimè ergo Romana Ecclesia sacri depositi in sua integritate custodiendi æmulatrix solam vulgatam lectionem adhibet, aliarum verò linguarum translationes sobriè concedit, ne tantus thesaurus pateat novitatum corruptelis, utque Ecclesia toto orbe diffusa labii unius sit, & sermonum eorumdem. Apud hæreticos verò versionum librorum nullus est finis, tantaque obstrepit discrepantia lectionum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui; alia quippe est versio Lutheri, alia Oecolampadii, alia Besæ, &c.

Nec propterea privat pia mater filios suos commodis spiritualibus, quæ è Scripturis eliciuntur. Tum quia editio vulgata est omnibus obvia, & qui tàm planam & simplicem latinitatem non callent, vix ac ne vix quidem eam in lingua vulgari absque interprete intelligerent ob sacri textus profunditatem. Tum quia plurima extant intellectu difficillima, quæ pusillorum infirmæ conscientiæ possent esse occasio erroris, si omnibus indiscriminatim talis lectio concederetur, & periculum immineret imperitis. Tum quia non prohibuit absolutè Sacrarum Scripturarum lectionem, & versionem, sed eam cum dependentia à Pastoribus ordinariis permittit. Rectoribus enim animarum incumbit discernere aptos, coërcere indignos, aliis lac, aliis potum dare & escam: v. g. non omnibus expedit lectio Cantici Canticorum, non omnibus congruit lectio Paulinarum Epistolarum, *in quibus* (ait Petrus epist. 2. cap. 3.) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & imbecilles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Rectè etiam dixit Nazianzenus lib. 1. Theolog. *Neque omni loco, neque omnibus, neque omnia sunt propalanda.* Tum quia non frustrantur Scripturarum sacris utilitatibus populi suæ salutis amantes, quibus accommodatiora è sacris Paginis Ecclesia seligit, & ore, calamoque eruditiorum eis proponit. Quid enim expressiùs Parochis & Episcopis præcipiunt, inculcantque Concilia, quàm ut oves verbo pascant, populisve sibi concreditis Scripturarum, Evangelii præsertim maximas, meditationis igne digestas explanent, & sacrorum eloquiorum medullam eliquent.

Hic etiam diligenter observandum est, quod apud Gravinam, aliosque legisse me memini, quod licèt vernacula Scripturæ lectio de se mala non sit; imò si bono animo, humilibusque precibus eam ab Apostolica Sede peterent Nationes, facilè crediderim obtentuias ab eo throno misericordiæ ad omnem indulgentiam comparato, & ad benignitatem proclivi; sicut aliàs Cyrilus & Methodius à Romano Antistite impetrarunt, ut & ipsis rem divinam facientibus lingua Sclavorum uti liceret; & jam de facto concessum Patribus nostris Armenis vidi ipse Romæ, dum ibi morarer. Tamen quia Lutherani & Calvinistæ eo solùm animo vulgarem lectionem extollunt, non ut ad pietatem, pœnitentiamque, cui sunt insensissimi, lectores alliciant, sed ut Ecclesiæ Romanæ jussa, cujus sunt transfugæ & desertores, damnent, atque per so-

litæ

litæ iniquitatis scandulas gradum sibi faciant ad suæ impietatis dogmata propaganda, justè denegat Ecclesia, quod fortè concederet, si eo modo peterent, quo deberent. Nam etsi nihil sit in rebus, quæ petuntur, mali; tamen in schismate tantum est, ut nihil pejus esse possit.

Hoc etiam in nostris Novatoribus minimè ferendum est, quod Scripturas omnibus indiscriminatim non tam exponunt, quàm projiciunt margaritas ante porcos. Certè cùm Apostolus attestetur, non omnes esse Apostolos, nec omnes Prophetas, nec omnes Doctores, non omnibus promiscuè concedenda est divinarum interpretatio Scripturarum, illis præcipuè, quibus brevis & compendiosa articulorum cardinalium notitia sufficit ad salutem, si modò diligant Deum super omnia, amicos in Deo, inimicos propter Deum, & sicut seipsos; in his enim duobus præceptis pendet universa lex & Prophetæ, & ut ait August. lib. contra epist. fundam. *Homo fide, spe, & charitate subnixus, easque inconcussè retinens, non indiget Scripturis nisi ad alios instruendos.* Hoc demùm intolerabile, quod apud illos mulieres, quas lanam texere, vel apprehendere fusum magis expediret, & quidem zonarias, bovillas, pistrices, sutrices faciunt Apostolas, de Scripturis opportunè importunè, & semper ineptè garrientes. Ab illis, utpote ex assidua Scripturæ lectione consummatis disciplinæ Dei doctricibus liberter peterem interpretationem hujus loci Ecclesi. 32. *Melior est iniquitas viri, quam mulier benefaciens.*

R e f l e x i o.

Scrutamini Scripturas, quærat Theologus thesaurum illum opulentissimum, & inexhaustum divitiarum spiritualium, bonum super millia auri & argenti: lætetur super eloquia Dei, sicut qui invenit spolia multa. In illis virtutum omnium, quæ veræ animorum divitiæ sunt, documenta traduntur, morborum omnium spiritalia remedia apponuntur, offerturque omnibus mensa illa spiritalis in conspectu omnium parata, in qua pro morte cibum doctrinæ, pro peccatorum venenis antidotum, pro necessitatibus auxilium, pro adversis tutamen, pro laboribus levamen, pro periculis securitatem invenimus. *In ea*, inquit Ambros. in Psal. 118. *invenit unusquisque, quo aut vulnera sua curet, aut merita confirmet.* In Scriptura exhibentur fercola *deliciosa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficacia ad medicinam*, inquit Doctor Mellifluus *serm. 67. in Cant.* Ex ea veluti armamentario munitissimo educuntur arma, ut in continuo carnis, mundi, dæmonisque conflictu nequissimorum hostium impetus & insidias elidamus, exemplo Ducis nostri Christi, qui triplicem Sathanæ tentationem tribus è sacra pagina testimoniis veluti jaculis compressit, ut discamus quod nulla nos poterit suasio ad malum pertrahere, si consultis Scripturarum oraculis, ejusque instructi monimentis in aciem descendamus. Per illas illustratur intellectus; lucerna enim pedibus nostris verbum tuum, & lumen semitis nostris: purgatur affectus, dum sordes deteguntur, & curantur. Nam teste Augustino serm. 6 t. de verb. Dom. *Divina scriptura speculum est, quod te falso natore non fallit.* Cui subscribit his verbis Magnus Leo serm. 1. de Quadrag. *Artifex misericordia Dei splendidissimum in mandatis suis condidit speculum, in quo homo sue mentis faciem inspiceret, & quàm conformis imagini Dei, aut quàm dissimilis esset, agnosceret.*

Hæc sunt ex infinitis pauca specimina prærogativarum Sacræ Scripturæ, quas pia & assidua lectione experietur magis Theologus, quàm à nobis verbis efferri posset. Nam sicut aromata (comparatio est Chrysostomi *homil. 13. in Genes.*) quanto magis digitis atteruntur, tanto majorem naturâ suâ fragrantiam reddunt; ita etiam in Scripturis usu venit, quanto quis illas ampliùs tractare studuerit, tanto magis videre poterit latentem in ipsis thesaurum, pluresque percipere indicibilium deliciarum fructus. Omittamus ergo, & procul à nobis repudiemus nugas nugarum; tractationes, inquam, inanes quibus tanquam pictis epulis frustra refici cupit humana curiositas. Castas sitiamus Scripturarum voluptates *de melle cœli melleas, & de Dei lumine luminosas*, ut loquitur August. *lib. 9. Confess. cap. 4.* Inquiramus Scripturarum *fortissimum solatium* (sic vocatum ab Apostolo *Hebr. 6.*) quod dum recreat, non enervat, sed roborat; non hebetat, sed vegetat; non aggravat, sed sublevat: non parit fastidium, sed tollit; non emollit voluptate, sed roborat suavitate, veluti oleum quod dum lenit, ad pugnam iungit.

Verùm hæc divinorum sermonum suavitas super mel & favum dulcis, super aurum & topazion pretiosa cor impurum non percipit, in tumentes non defluit, in otiosos non diffunditur: eam sapit charitas, videt munditia, suscipit humilitas, fovet meditatio; quæ in præsentis vitæ tenebris jam de lumine æternitatis intermicans, eos nobis cœlestes prægustandos sapores proponit, qui sentiri possunt, exprimi non possunt. Ad hanc profundam Scripturarum penetrationem & sapidam notitiam non sufficit linguarum peritia, verborum copia, conceptuum ubertas, eloquentiæ ornatus, nisi unctio doceat nos. Scripturas cortice & superficie tenus intelligemus, nisi humili oratione intellectum ab eo petamus, à quo omne donum de sursum est, descendens à Patre luminum. Unde Hieronym. in illud Galat. 1. *Notum vobis facio Evangelium meum, quia non est secundùm hominem*, ait: *Marcion, Basilides, & cæteræ hæreticorum pestes non habent Dei Evangelium, quia non habent Spiritum sanctum, sine quo humanum fit Evangelium, quod docetur. Nec putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Pondera, *Evangelium fieri humanum sine Spiritu sancto*, quia nimirum qui versant Evangelium, nec aguntur Spiritu Dei, nec habent Spiritum Christi. Tonent licèt in pulpitis, suspendant etiam auditores sermonum nitore, aut sublimitate: evanescent tandem in cogitationibus suis humanis, ad quas Evangelium detorquent. Quia nimirum non habent experimentum Christi in ipsis loquentis, nec in oratione audiunt verbum bonum, quod aliis eructent, volentes, ut ait Bernardus serm. 18. in Cant. *antè effundere, quàm infundi; loqui, quàm audire paratiores, & prompti docere quod non didicerunt.* Rectè Propheta Regius Psalm. 35. *In lumine tuo videbimus lumen.* Quia sicut visibilem solem non nisi sole adjuti cernimus: sic lumen Evangelii Christi, nisi Christo intus coruscante non percipimus.

S p e c u l a t i o II.

Perennis Apostolicarum Traditionum usus omninò admittendus est, non secus ac divina vivæ vocis oracula de aure in aurem pervenientia.

HAnc veritatem ita perspicuè docet Scriptura, ut non minoris impietatis sit Traditiones respuere, quàm Scripturas ipsas non acceptare, cùm nihil habeamus in sacris litteris apertiùs definitum. Psalm. 43. *Deus auribus nostris audivimus, patres nostri annuntiaverunt nobis.* Deuter. 32. *Interroga patres tuos, & dicent tibi: & majores tuos, & annuntiabunt tibi.* 2. Thessal. 2.

Thessal. 2. *State & tenete traditiones, quas accepistis, sive per epistolas, sive per sermonem.* Quid evidentius? 2. Tim. 1. *Cætera cùm venero disponam.* Non ergo omnia necessaria litteris exaraverat. Et cap. 2. *Formam habe sanctorum verborum, quæ à me audisti: bonum depositum custodi, & quæ à me audisti per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ergo quædam commendavit Apostolus, quæ voluit nonnullis tantùm esse nota, ut juxta dominicum præceptum non daretur sanctum canibus, nec spargerentur margaritæ ante porcos. Et Ioannes epist. 2. *Plura habens vobis scribere, nolui per chartam & atramentum; spero enim me futurum apud vos, & ore ad os loqui.* Non ergo omnia scitu necessaria chartis mandaverat Apostolus.

Rationes verò irrefragabiles ad stabiliendam contra hæreticos modernos hanc cardinalem catholicæ nostræ Religionis assertionem, non desunt. Prima est: Cœlestes veritates non ideo sunt certæ, quia sunt litteris scriptisque concinnatæ, sed quia sunt à Veritate prima inspiratæ, hominibusque traditæ: sive autem scriptis, sive verbo, perinde est. Certè ante ullam scripturam, ante Mosem populus Deo fidelis (qualis fuit semper aliquis ab initio) quasdam servabat leges, & sacrificiorum ritus, non in membranis tabulisque delineatos, sed consuetudine & traditione receptos. Christus ipse Legislator noster nihil scripsit, nec scribendum ordinavit: & Apostoli priùs Evangelium vivâ voce docuerunt, quàm fuerit litteris commendatum, ut ex Evangelii Lucæ proœmio patet, ubi se audita scribere testatur, sicut tradiderant ipsi, qui ab initio viderant, & ministri sermonis fuerant. Sanè, ut præclarè ait sapientissimus Cano, duas Petri epistolas habemus: num nihil aliud verbo docuit? Credemusne annis septem Antiochiæ sedisse elinguem, & Romæ annis vigintiquinque? Quid Andreas, Thomas, aliique? Nonne sine scriptura, solo interveniente verbo, Ecclesias sibi destinatas & fundarunt in fide, & in Religione propagarunt? Ergo usus traditionum viva voce manantium semper fuit in Ecclesia, eisque credere necessarium *necessitate approbationis* (sic eam vocat Cardinalis Perronius,) id est, nec eas inficiari licet, nec de eis ritè ab Ecclesia propositis dubitare fas est.

Secunda ratio: Multi sunt fidei orthodoxæ articuli, qui clarè in sacris litteris non habentur, ut præter innumeros alios constat de virginitate Beatissimæ Deiparæ, de processione Spiritus sancti à Filio, de descensu Christi ad inferos, de quibus non ambigunt novi recentesque hæretici; & tamen clarè in Scripturis non leguntur. Et quod caput est, hos vel illos libros veteris & novi Testamenti, non plures vel pauciores esse recipiendos, nullibi Scripturarum exprimitur, nullibi declaratur quinam spurii sint, quinam legitimi, vel quomodo apocryphi à canonicis secernantur: Ergo velint nolint hæretici, traditiones admittere coguntur, nisi apertissimis Christianismi notionibus renonciare decreverint. Hanc rationem paucis complectitur August. lib. cont. epist. fundam. c. 4. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas.* Ipse etiam Apostolus *ad Gal.* 2. loquens de Evangelio suo, quod utique erat verbum Dei, tamen conferre illud voluit cum Petro, aliisque Apostolis, ut probaretur & constabiliretur. *Deinde*, inquit, *post annos quatuordecim ascendi Ierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito: ascendi autem secundùm revelationem, & contuli cum illis Evangelium, quod prædico in Gentibus, ne fortè in vacuum currerem, aut cucurrissem.* Quæ verba ponderans Hieronym. *epist. ad August.* ait Apostolum *non habuisse securitatem Evangelii prædicandi, nisi Petri, & eorum qui cum eo erant, fuisset sententiâ roboratum.*

Tertia ratio: Cùm nullus sit Scripturarum locus tam conspicuus, qui non possit in varios sensus detorqueri, nulla erit firmitas, securitas nulla si sola Scriptura ad quæstionum decisionem adhibeatur. Ergo recurrendum est ad Ecclesiasticas traditiones, in eisque sistendum, quibus veluti lydio lapide vera falsaque doctrina probetur, ac germanus sensus ab adulterino secernatur. Præsertim quia solennis semper fuit hæreticorum vafrities errores suos Scripturarum testimoniis confirmare, & ut egregiè ait Lirinensis: *Videas eos volare per singula quæque Sancta legis volumina. Sive enim apud suos, sive alienos; sive privatim, sive publicè; sive in conviviis, sive in plateis, nihil unquam penè de suo proferunt, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur.* Nulla ab ipsis scribuntur opuscula, quæ non novi, aut veteris Testamenti sententiis fucata & colorata sint; quia nihil tam sacrum est, quod sacrilegum non inveniat. Sed tanto magis cavendi sunt, quanto occultiùs sub divinæ legis umbraculis latitant. Vnde præmonuit nos Salvator, attendendum esse à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecùs autem sunt lupi rapaces: quia nimirum hæretici ut caulas Ecclesiæ infestent, lupinam speciem deponunt, & sese sacrarum paginarum sententiis veluti quibusdam velleribus obvolventes, eo fallaciùs incautis ovibus obrepunt, quo venena sua medicaminum vocabulis præcolorant: amara hæreseon pocula melle circumliniunt, ut incauti dulcedinem præsentientes, amarorem non reformident, nec ibi suspicentur venenum, ubi Scripturarum antidotum propinatur. Et ut præclarissimè dixit Aug. lib. 3. de Bapt. contra Donat. cap. 19. *Scripturas tenent ad speciem, non ad salutem.* Et Hieron. in cap. 1. ad Gal. *Omnes hæreses è Scripturis sibi consuunt cervicalia, quæ ponant sub cubito universæ ætatis.*

Nec mirum, illum esse hæreticorum omnium, sed maximè modernorum genium, cùm eorum pater diabolus Christum Scripturarum verbis veluti callidissimis machinamentis appetiverit. *Si Filius Dei es*, inquiebat Matth. 4. *mitte te deorsum, scriptum est enim: Angelis suis Deus mandavit de te*, &c. Sicut ergo tunc caput capiti, ita nunc quoque mēbra membris loquuntur; membra scilicet diaboli membris Christi, hæretici Catholicis, quæ profectò nusquam commiscerentur, nisi exploratum haberent, nullam omninò esse ad decipiendum artem magis idoneam, quàm ut subindocta divinorum verborum authoritate latentes errores fucent. *Sciunt enim* (ait prælaudatus Vincentius Lirinensis) *fœtores suos nulli ferè citò placituros, si nudi & simplices exhalentur, atque idcirco eos cœlestis eloquii velut quodam aromate aspergunt, ut ille qui humanum facilè despiceret errorem, divina facilè non contemnat oracula.*

Itaque cùm hæretici sæpè sæpiùs, & semper sacris Scripturarum testimoniis abusi sint, & Scripturas bonas non benè intellexerint, ut ait Augustin. ad vitanda errorum contagia nullum efficacius remedium Patres omnes existimarunt, quàm si tenaciter, & immobiliter Apostolorum traditionibus inhæreamus. Maximè cùm Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo; alioquin si pro nostro arbitratu, & privato spiritu agere liceat, possemus quotidie nova nobis dogmata componere, putà si asseramus in Ecclesiam non esse recipiendos qui calceati sunt, & duas tunicas habent, & sic de aliis. *Si divinis eloquiis, sententiis, promissionibus & diabolus, & discipuli ejus utuntur; quid facient Catholici homines, & matris Ecclesiæ filii?* (inquit semper laudandus Lirinensis.) *Quonam modo veritatem à falsitate discernent? Hoc scilicet facere magnopere curabunt, quod sanctos & doctos viros*

nobis

nobis tradidisse scripsimus, ut divinum Canonem secundùm universalis Ecclesiæ traditionem, & juxta dogmatis regulas interpretentur.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò. Incertum est, nec satis constare potest, quænam inter Apostolicas traditiones sint annumerandæ, nec potest sterni expedita ulla via, quâ pervenire possimus ad veræ traditionis notitiam, quave discernantur fabulæ aniles à veris Ecclesiæ traditionibus: Ergo locus traditionum non est certus & firmus.

Respondeo, certas posse designari regulas hujusmodi traditionum Apostolicarum dignoscendarum. Nam & ipsa Ecclesia plerasque traditiones humanas ut mera figmenta exsufflat, & explodit, tametsi eas nonnulli veluti certas venditent. Hinc illa Pontificum Romanorum diligentia in proscribendis apocryphis libris, & expungendis inanibus conjecturis. Prima autem regula est: Illud ad Apostolicam traditionem pertinet, cujus nullum initium in Ecclesia Catholica invenitur; argumento enim est, illud ab Apostolis esse profectum, cujus nullum exordium invenimus, donec ad Apostolorum tempus perveniamus. Hanc regulam in omnibus fermè libris contra Donatistas inculcat August. nominatim lib. 5. cap. 5. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi authoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Et epist. 118. *Illa autem quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe observantur, dantur intelligi vel ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis (quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas) commendata, atque statuta retineri.* Secunda regula: Si primorum sæculorum Patres in aliquo asseverando conspirent, & oppositum tanquam hæreticum damnent. Tertia regula: Cùm Ecclesiæ Proceres in Spiritu sancto congregati, nullo renitente aliquid tanquam ab Apostolis derivatum esse, re maturè examinata consentiunt.

Objicies 2. ea quæ de aure in aurem transeunt difficilè perseverant, facilè mutantur, & injuriâ temporum corrumpuntur, nisi scriptis mandata serventur: Ergo ex traditionibus nihil firmi elici potest.

Respondeo, hoc quoque argumento probatum iri, nutare firmitudinem Scripturarum, quæ tot annorum centuriis violari, contaminari, & corrumpi temporum calamitatibus potuere. Quare sicut Deus habet specialem curam & providentiam, ut illibata Scripturarum puritas conservetur, ita & de traditionibus necessariis fatendum est. Adde quod omnis Apostolica traditio, etsi non sit in libris canonicis exarata, tamen in authenticis Ecclesiæ monumentis servatur: unde periculum non est, ut mutatione temporum ipsæ mutentur, aut pereant revolutionibus sæculorum.

Objicies 3. In Scripturis & Patribus non semel legimus, homines juxta legem Dei docendos esse, & per verbum Dei nos sufficienter & plenè erudiri; imò prohibetur aliquid ipsi addere, & simul præcipitur ipsos Angelos, si quid aliud evangelizent, quod ab Apostolis non sit traditum, anathema esse, ut patet *Galat.* 1. Ergo frustra ad traditiones recurrimus, & malè eas Scripturis addimus.

Respondeo, legem Dei non solùm in chartis papyraceis scriptam haberi, sed etiam ore proferri, & auditu percipi: unde traditiones non sunt additamenta ad verbum Dei, sed sunt ipsummet Dei verbum, non scriptum quidem, sed vivæ vocis oraculo prolatum, ab ipsis etiam Scripturis commendatum; ac proinde per Scripturas plenè instruimur de rebus ad salutem necessariis, quia ipsæ Scripturæ sacrarum traditionum usum perspicuè tradunt. Vnde fit, traditiones Apostolicas non esse additiones, sed interpretationes verbi Dei, quibus quod in Scripturis latens est innotescit, controversiæ emergentes deciduntur, dirimuntur Fidelium lites, formantur Conciliorum decreta, in quibus condendis non nova fundamenta jaciuntur, aut novæ fabricæ eriguntur, sed superædificantur super fundamentum Apostolorum & Prophetarum aurum, argentum, & lapides pretiosi; seu, ut ait Eusebius lib. 3. Eccles. hist. *Regni cœlorum semina redduntur, non alia, sed eadem auctiora.*

Id ipsum præclarissimè illustrat sæpe laudatus Lirinensis similitudine crementi corporis humani, atque religionem animarum rationem corporum imitari: sicut enim corpora annorum processu se explicant, & augentur, eadem tamen quæ erant permanent; & quamvis intersit inter pueritiæ florem, & senectutis maturitatem, iidem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes, ut quamvis unius ejusdemque hominis status habitusque mutetur, una tamen nihilominus, eademque persona sit, eadē lactentium & juvenum membra, totque parvulorum artus, quot virorum; nec potest fieri membri additio vel detractio, nisi totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certè debilitetur: *Ita etiam*, inquit, *Christianæ Religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumque permaneat.* Id etiam elucidat exemplo segetis triticeæ, in qua extrema respondent primis; & licèt accessu temporis frumenta crescant, eadem tamen generis natura permanet. Sic articuli Fidei iidem fuere semper, idem semper perseveravit verbum Dei: sed ex eis jugiter permanentibus aliæ & aliæ controversiarum occurrentium resolutiones antea latentes explicantur. Quod ut legitimè fiat, ad sensum Ecclesiæ, qui traditione perseverat, exigendas esse definitiones, nemo sapiens eat inficias. Verum quidem est, Christianos jam scientes res fidei, non necesse habere ut aliquis doceat eos, sed unctionem docere eos de omnibus, imò parum prodesse externam fidei prædicationem, si non sit intus qui doceat: non tamen propterea excluditur necessitas regulæ exteriùs determinantis & dirigentis credenda; fides enim ex auditu, & ut ait August. tract. 3. in epist. Ioan. *Tu dixisti, quia unctio docet vos de omnibus: ut quid talem epistolam fecisti? Quid illos tu docebas? Quid instruebas? Quid ædificabas? Iam hîc videte magnum sacramentum, fratres: sonus verborum nostrorum aures percutit, Magister intus est.* Qua observatione innumera explicabis Sacrarum Paginarum loca, quibus commendatur quidem interior schola Spiritus sancti loquentis ad cor, reddentis testimonium Spiritui nostro, sed minimè excludentis externæ propositionis necessitatem.

Reflexio & apostrophe ad Novatores.

Lutheranos & Calvinistas Patrum traditiones sæculorum omnium Doctoribus firmatas flocci facientes, & privato suo spiritui postponentes, sæpiùs tomo præcedenti alloquutus iterum aggredior, non meis, sed Patrum Ecclesiæ armis, utique amabilibus; à Patre enim pro salute feriri suave est.

Non erubesciris (verba sunt Augustini *lib. 2. contra Julian.* nostro instituto accommodata) dicere & scribere, vestrum esse destitutam veritatem tueri, fidemque Ecclesiæ reformare. Cur non potiùs auditis traditas à Patribus omnibus sententias, qui de controversiis nostris, antequam viveretis, judicaverunt liberi ab omni studio partium, antequam vestra damnabilia dogmata pullularent. Opponimus vestris Ministris

Episcopos

Episcopos doctos, graves, sanctos, veritatis acerrimos defensores adversùs garrulas vanitates, in quorum ratione, eruditione, libertate (quæ tria bono judici exiguntur) non potestis invenire quod spernatis. Hos fideles, sed excellentes dispensatores suos Deus, per diversas ætates temporum, locorumque distantias, sicut ei placuit, dispensavit. Hos itaque de aliis atque aliis temporibus atque regionibus ab Oriente & Occidente congregatos videre potestis, non in loco quò navigare cogantur homines, sed in libro, qui navigare possit ad homines. Quanto vobis essent isti judices optabiliores, si teneretis Catholicam fidem, tanto vobis sunt terribiliores, quia oppugnatis Catholicam fidem, quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cujus lac & cibum parvis magnisque ministraverunt, quam contra inimicos, etiam vos tunc nondum natos apertissimè, ac fortissimè defenderunt. Talibus post Apostolos Sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit: ideo prophanas voces vestræ novitatis expavit, & cauta & sobria ex admonitione Apostolica, ne sicut serpens seduxit astutiâ suâ, sic & mens corrumperetur à castitate quæ est in Christo, Catholicæ fidei virginitati insidias vestri dogmatis subrepentis exhorruit, & tanquam caput colubri calcavit, obtrivit, abjecit.

Patrum contestantium retinendas esse Apostolicas traditiones catalogum quid opus est texere, cùm vestram miserandam duritiem non emolliat tam harmonicus Sanctorum consentientium chorus, nec pervicaciam confundat tanta nubes testium locupletum, & omni exceptione majorum? Quem enim tam saxeum & adamantinum cor, nisi hæretica pravitas obduraffet, non frangeret illud ab Ignatio Martyre *epist. ad Heron.* scriptum: *Omnis qui dixerit præter ea quæ tradita sunt, tametsi fide dignus sit, tametsi jejunet, tametsi virginitatem servet, tametsi signa faciat, tametsi prophetet, lupus tibi appareat.* Certè si lupus habendus est tot virtutibus clarus, quâ stultitiâ credam Calvinistis, & Lutheranis, nec jejunantibus, nec virginitatem servantibus, nec signa facientibus, nec prophetantibus, sed à jejunio abhorrentibus, cœlibatum damnantibus, Ecclesiæ signa & miracula irridentibus?

Vos sanè illuminaret longiusculum quidem, sed nitentissimum Basilii Magni testimonium *lib. de Spiritu sancto, cap. 27.* nisi schismatis tenebræ præpedirent. *Dogmata quæ in Ecclesia prædicantur, quædam habemus è doctrina Scripturæ prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, idest in occulto tradita recepimus: quorum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sanè vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines quæ scripto prodita non sunt, tanquam haud multum momenti habentes, conemur rejicere, imprudentes & ea damnabimus, quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Et adductis variis traditionum non scriptarum exemplis, quale est signi sanctæ Crucis usus, ceremoniæ Baptismatis, ait hæc omnia sciri *à tacita & secreta traditione.* Et rationem dat: *Nam quæ nec intueri fas est non initiatis, qui conveniebat horum doctrinam publicitùs circumferri scripto?* Et post adductas varias traditione probatas consuetudines, quæ in sola Ecclesia Romana adhuc perseverant, sic concludit: *Deficiet me dies, si Ecclesiæ mysteria citra scriptum tradita pergam recensere.* Idem prosequitur tam fusè, tamque evidenter, ut omnis verisimilis effugii viam præcluserit.

Sed quid ad ista Tertull. *lib. de coron. militis*, non tam verba, quàm fulmina respondebitis? *Harum hujusmodi disciplinarum si legem expostules Scripturarum, nullam invenies. Traditio tibi prætendetur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Legite integrum D. Irenæi librum tertium adversus hæreses, ubi Gnosticos hæreticos solis traditionibus confundit. Specialiter autem cap. 3. Ecclesiæ Romanæ traditiones commendans, ait: *Ad hanc Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles, in qua semper ab his qui sunt, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio.* Legite Augustinum traditiones sexcenties commendantem, & seorsim *lib. 5. de Bapt. cap. 23.* sic loquentem: *Apostoli quidem nihil exinde præceperunt* (idest an Baptismus sit iterandus) *, sed consuetudo illa ab eorum traditione exordium sumpsisse credenda est, sicut sunt multa quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur.* Has, quæso, voces audite, & cernite tandem, quod si omnes traditiones negliguntur, corruat necesse est omnis erga Deum pietas, ceremoniarum cultus, mysteriorum, Sacramentorumve observantia, quæ sola consuetudo corroborat, quæ ab Apostolis dimanans cum Christiana Republica adolevit. Auscultate, amabò, Magistros optimos; quia si Episcoporum ex toto orbe conventus celebrandus foret, qui controversias nostras decernerent, nec tales possent facilè sedere, nec tot. Vos ergo, Lutherani, vos Calvinistæ cæterique Sectarii, vos in Concilium appello, vos provoco, vos non in lyceum aut Academiam induco, sed in Sanctissimorum Patrum pacificam honorandámque societatem. Ponite vobis ob oculos, rogo, tam numerosam seriem eruditissimorum virorum, quos in hanc usque diem tot sæculorum consensus approbavit, quosque supra eximiam sacrarum litterarum peritiam vitæ quoque pietas mira commendat. Aspicite illos, obsecro, quodammodo aspicientes vos, ac mansuetè leniterque dicentes vobis: Itáne nos in Sacrarum expositione litterarum simul omnes erramus? Itáne nobis omnibus, quos Ecclesiæ Christus præceptores dedit, spiritus intelligentiæ defuit? Itáne unus Calvinus adversùs nos pugnare audet, & Ecclesiam credits unius sensum hominis sequuturam, hujus verò gravissimi sanctissimique Senatus commune judicium deserturam? Minusne tribuendum esse judicatis tot Sanctorum præjudiciis, quàm vestro singulari privatoque judicio?

Speculatio III.

Conspirans etiam totius Ecclesiæ Catholicæ sensus invictum præbet infallibilis firmitatis argumentum.

Addit iste tertius locus aliquid supra traditiones. Quia si de aliqua quæstione noviter orta dubitatur, an ejus clara explicatæque decisio tradita sit, illa sententia reprobanda est, cui fidelium omnium conspiratio refragatur; si verò applaudat Orthodoxorum concio tota, suscipienda est. Huic loco contermina est universalis Ecclesiæ consuetudo laudabiliter inchoata, & nullo repugnante propagata. Quantumvis enim illa consuetudo non fuerit ab initio, modò non repugnet perpetuæ doctrinæ, sine hæresi rejici non potest. Vnde legitima est hæc consequentia: Tota Ecclesia docet illud esse verum & licitum, v. g. tota Ecclesia tenet ritum celebrandi Missam hoc vel illo modo licitum esse; hunc vel illum Sanctum albo recenter ascriptum, esse publicè invocandum; hanc vel illam regulam vivendi formam de novo institutam esse salutarem: Ergo talis ritus, talis Sanctus, talisque Religio inter res sacras debent annumerari. Itaque traditio

traditio est vetusti dogmatis propositio; authoritas verò Ecclesiæ etiam sese extendit ad nova, sed antiquitati non contraria, sed potiùs virtualiter in illa inclusa: non secus ac scientia ex universalibus, & antiquissimis principiis lumine naturali notis novas in dies & certas conclusiones derivat.

Portò hujus veritatis, quam speculatio tradit, propugnandæ zelantissimi fuerunt semper viri Catholici. Quia, ut rectè Doctor Angelicus 2. 2. *q.* 10. *art.* 12. ait: *Consuetudo Ecclesiæ semper est in omnibus æmulanda, quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesia authoritatem habet. Unde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm authoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque Doctoris.* Et ante ipsum August. epist. 118. *Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, hoc quin ita faciendum sit disputare insolentissima insania est.* Consentit Hieron. dialogo advers. Luciferian. cap. 4. *Etiamsi Scripturæ authoritas non subesset, totius orbis in hanc partem consensus instar præcepti obtineret. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesiis observantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpaverunt.* Cui dicto subscribit ibi Orthodoxus.

Immobilis hujus loci firmitas peti aliunde non debet, quàm ex promissionibus divinis, quibus fidem Ecclesiæ nunquam defecturam Dominus pollicitus est. Cùm enim militans Ecclesia sit collectio fidelium, qui de se fallere, fallique possunt, cùm sit omnis homo mendax; proinde inalterabilis veritatis constantia proficisci non potest nisi à Spiritu veritatis, à quo dum regitur homo, in fide continetur, & in errorem labi non potest. Atqui illustres habentur promissiones de assistentia illa Spiritus sancti ab Ecclesia nunquam abfuturi. Nam *Matth.* 16. dicitur: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Ioan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis.* Quin & in veteri Instrumento ejusdem inconcussæ & inconcutiendæ veritatis promissiones habentur. Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in fide.* Si autem Ecclesia in fide deficeret, profectò dissolveretur illud matrimonium. Isaiæ 59. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, & de ore seminis tui à modò usque in sempiternum.* Ergo Ecclesia tota errare non potest, sed est columna & firmamentum veritatis, fundata super stabilitatem suam, quæ non inclinabitur in sæculum sæculi, juxta illud Pauli 1. Timoth. 3. *Est Ecclesia Dei vivi firmamentum, & columna veritatis.*

Probatur etiam convenienti ratione: Si tota collectio fidelium eadem religione & fide Deum confitentium posset errare, nulla esset in Ecclesia legum ferendarum auctoritas certa, nulla firma clavium potestas, nulla Ecclesiasticorum judiciorum vis, quæ non possit eludi. Nam si verum est, Ecclesiam sub cœlo totam posse interdum errare, dubia semper erit fides, num Ecclesia hoc vel illo in puncto aberret à vero, si semel cespitare potest: subindeque erimus semper sicut parvuli fluctuantes, agitati omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris. Hoc argumentum urget ipse Paulus *Ephes.* 4. ut probet in Ecclesia debere esse Prophetas, Apostolos, Doctores, Pastores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. Plura ad hanc firmandam assertionem videre poteris dissertatione præambula tomi superioris, quæ iterare non expedit.

Respondebis, promissa illa tam magnifica de protectione veritatis nunquam & nusquam perituræ intelligenda esse de Ecclesia prædestinatorum & Sanctorum; unde si contingat corruptio vitiorum generalis, Spiritus veritatis, quem mundus non potest accipere, discedet ab Ecclesia, quæ repentè in variorum barathrum errorum ruet.

Sed hæc hæreticorum modernorum responsio Ecclesiam ad solos prædestinatos soli Deo notos, nobis verò incognitos relegans, superiori tomo reprobata est, nec tam est opinantium hominum quàm insanientium vel desperatorum subterfugium. Non negamus quidem bonorum collectionem specialiori quodam pacto ad Ecclesiam Dei pertinere, sed contra hæresum pestes verè & jure contendimus Ecclesiam Catholicam bonos & malos simul complecti, quippe quæ juxta veritatis oracula assimilatur sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti; agro frumento & zizaniis, tritico paleaque constanti; familiæ ex virginibus fatuis & prudentibus, probis & nequam servis coalescenti; & magnæ domui, in qua vasa aurea & argentea, lignea quoque & fictilia, sive in honorem, sive in contumeliam inveniuntur.

Deinde: Promissiones Dei de Ecclesia non sunt sic accipiendæ, ut sint inutiles & exitiosæ; hoc enim divinæ sapientiæ esset injurium. Si enim Principum leges, Senatuum consulta & privilegia intelligi non possint eo sensu, quo inania essent Reipublicæ, vel fatalia; multò minùs id credendum est de favoribus, quibus sponsam suam Ecclesiam Christus promeruit. Atqui si dona, authoritas, jus, & non etiandi privilegia collata Ecclesiæ, de solo piorum vel prædestinatorum incognitorum cœtu intelligerentur, Lex Evangelica esset inanis, utpote ad ignotos provocans, unde esset dissidiorum interminabilium inexhausta scaturigo: ergo sanctitas promissa est Ecclesiæ independenter à sanctitate ministrorum.

Non inficiamus quandoque ita inundare flagitia, ut boni in comparatione malorum non solùm pauci, sed ferè nulli videantur. Hinc illæ querelæ, illæ Prophetarum lacrymæ, illa suspiria Sanctorum lamentantium, non esse à planta pedis usque ad verticem sanitatem, omnes dereliquisse Deum, non esse qui faciat bonum, non esse usque ad unum. Nec tamen sequitur totam Ecclesiam defecisse; nam semper fuerunt dolentes & gementes super cunctis abominationibus populi, ut habetur *Ezech.* 19. Unde Paulus quos in epistolis suis schismaticos, carnales, inflatos, infensatos, fascinatos, propter permixtos malos appellat; eosdem sanctificatos, sanctos, spirituales appellat. Quia nimium, ut Augustin. *epist.* 48. observavit, habent Scripturæ hunc arguendi morem, *Ut tanquam omnibus dicatur, & ad quosdam verbum perveniat.*

Objiciunt hæretici & coacervant omnes, quas possunt, sæculorum sordes, ut Ecclesiam matrem suam, postquam dereliquerunt, impiè inhonorent: furtiva quorumdam scelera deducunt in publicum, & in conspectu Solis denudant opera tenebrarum. Sponsæ Christi erroris notam inurunt, & antiquos & modernos membrorum emovent fœtores, ut parentem, si possent, consputcarent. *Sopitos jam cineres* (ait sæpe memoratus Lirinensis) *profana manu ventilant, & quæ silentio sepeliri oportebat, rediviva opinione diffamant, sequentes omninò vestigia authoris sui Cham, qui nuditatem venerandi Noë non modò operire neglexit, verùm quoque irridendam cæteris enuntiavit.*

Sed eorum impietatem facilè confundet, qui consideraverit cum Augustino paulò antè citato, Ecclesiam, etiam dum videtur multitudine scandalorum obscurata, etiam tunc in suis firmissimam eminere. Sic tempore nascentis Ecclesiæ Pastores & oves errabant in montibus & sylvis, latitabant in lacubus & speluncis, nec tam videbatur Ecclesiæ congregatio, quàm dispersio fidelium. Sic item tempore Arianæ

perfidiæ ingemuit totus orbis, & teste Hieronymo, Arrianum se esse miratus est. Tunc sanè periclitabatur navicula Petri, urgebant venti, fluctibus latera tundebantur. Tunc temeratis conjugibus, profanatis virginibus, depopulatis viduis, demolitis Monasteriis, disturbatis Clericis, verberatis Levitis, actis in exilium Sacerdotibus Orthodoxis, aliisque innumeris partim vi, partim fraude deceptis, caligo quædam tota Ecclesiæ usfundi visa est. Sed in alto tot hæreseon, nimborum, discriminumque pelago fuit quidem procellis jactata Ecclesia, & penè fluctibus operta; nunquam tamen demersa est, sed eo magis, juvante Deo, emicuit fidelium in remigando labor, quo proximiùs periculum imminebat. Fuerunt enim, & adhuc sunt viri intrepidi, quos nulla vis, nulla enumeratarum ab Apostolo calamitatum tetricula menta separare possunt à fide & charitate Christi. Perennis illa Spiritus sancti protectio singulis quibusque insurgentibus hæresibus aptas opposuit acies, instruxitque Duces idoneos, qui prostratas repararent Ecclesias, vivificarent extinctos populos, dejectasque reponerent Sacerdotum coronas. Sic Arrio Athanasium, Nestorio Cyrillum, Eutycheti Leonem, Augustinum Pelagio, Prosperum Massiliensibus, Albigensibus Dominicum, Luthero Ignatium, aliosque sine numero per cuncta singularum temporum curricula objecit, qui mundum sæva repentinæ hæreseos tempestate percussum à novella pravitate ad antiquam fidem revocarent.

Dices: Tempore Synagogæ totus populus à fide deficiens in idololatriam prolapsus est, & in fine mundi fidem in terra se non inventurum Filius hominis comminatur, *Luc.* 18. Quidni similiter in medio annorum interdum cæcutit Ecclesia, quæ non debet esse melioris conditionis præsens, quàm præterita, vel futura.

Respondeo, quod licèt populus Iudaïcus videatur fuisse aliquando ita dispersus, ut nulla fermè species appareret; fuerunt tamen semper aliqui secundùm cor Dei, qui & peccatorum excessus plangerent, & integritatem Fidei conservarent. Est etiam aliqua differentia inter Synagogam & Rempublicam Christianam; illa enim aliquando casura ruinam minabatur, & sempiternâ nocte obscuranda alternatim obumbrabatur: isti verò Sol justitiæ æternum veritatis diem attulit. Quod verò dicitur *Luc.* 18. de ultimis diebus, vel intelligitur de fide illa, de qua scriptum est, *Fides tua te salvum fecit*: & iterum Matth. 17. *Amen dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, Transi hinc, & transibit.* Vbi fides accipitur pro firma fiducia, quæ etiam apud eos qui benè credunt, difficilè invenitur, & interdum in ipsis sanctitatis columnis trepidat. Vel significatur illis verbis, Antichristi vi, & peccatorum pondere multos à fide Christi discessuros. Vel denique de fide charitate formata, & per dilectionem operante explicari commodè potest.

Objicies iterum: Inter Ecclesiæ consuetudines nonnullæ servantur, aliæ veluti antiquatæ in desuetudinem abierunt, ut patet legenti Ecclesiasticam historiam. Ergo ex ritibus Ecclesiæ, ejusque authoritate non potest firmum elici argumentum.

Respondeo hanc objectionem, si quid probaret, militare etiam contra ipsam Scripturam, cujus præcepta ceremonialia veteris legis rescissa sunt, & nonnulla etiam ab Apostolis lata, ut de abstinentia à sanguine & suffocato. Sciendum ergo, præcepta non solùm Ecclesiastica, sed etiam ab ipsis Apostolis immediatè verbo vel scriptis tradita, alia fuisse temporalia, seu ad tempus præscripta, ut Baptismus in nomine IESU, & abstinentia præfata; alia verò perpetua, seu perpetuis futuris temporibus observanda, putà lex de aqua calici permiscenda in Sacrificio Altaris, & sic de aliis.

Rursum sacrarum consuetudinum aliæ sunt à Christo auditæ, ut formæ & materiæ Sacramentorum; aliæ quas ipsimet supremi Ecclesiæ Pastores Spiritu sancto inspirante, & plebe Christiana usu firmante sanxerunt, qualia sunt jejunium quadragesimale, institutio Religiosorum, &c. In illa quæ à Christo audierunt, cùm sint juris divini, Ecclesia nihil habet potestatis, nec ea potest contraria consuetudo abrogare. In secundis verò Ecclesia & ejus Caput Romanus Antistes gravibus de causis dispensat vel ex toto, vel ex parte: inter quæ numerantur trina immersio primitùs in Baptismo adhibita, quotidiana Eucharistiæ perceptio, pœnitentiæ rigor in Canonibus Apostolicis præfinitus, & sic de aliis, quæ erant pro certorum temporum necessitatibus constituta. Lex enim quæ ex fine pensanda est, tunc potest à legitimis Superioribus immutari, cùm ab illis offensionibus, periculis, aliisque quibus occurrere voluerunt primitivi Legislatores, nihil ampliùs timendum est.

REFLEXIO.

Consuetudo Ecclesiæ est in omnibus æmulanda, inquiebat S. Thomas: Ergo contra illam humanus abusus non prævalebit. Quantum hac in re cavenda plurimùm est intolerabilis plurium modernorum licentia, qui ut sacras S. Ecclesiæ Romanæ leges pro libito negligant, statim desuetudine abrogatas affirmant? Hoc effato omnem disciplinæ modum enervant, severitati aditum obsepiunt, pœnitentiam ad nihilum redigunt, multorumque flagitiorum patrocinium suspiciunt. Certè nisi hæc nimis tuta doctrina cohibeatur, nihil erit tam Sanctum quod non attentetur, nullus erit Pastorum conatus, & in legibus condendis zelus, qui non sit irritus & inanis; & quantumcumque ad instaurandam collapsionem Superiores incumbant, proficere tamen nihil omninò poterunt, si paucorum annorum desuetudo per inobedientiam introducta, omnes sine delectu Ecclesiæ leges abroget. Ad quid enim proderit Rectorum animarum solicitudo, qui sacros Canones condiderunt, ut ministrorum formarent mores, reformarent abusus, resecarent nascentes labes, succrescentes rescinderent, veteres eradicarent, si solâ hominum in iis violandis audaciâ annis firmatâ, subindeque magis ob contumaciam reâ, jam veneranda decreta ad componendos mores, frenandaque vitia instituta jacere, abrogarique putentur, nec ullam obligandi habere vim, quoties oscitanti alicui semidocto dictitare, vel scriptitare libuerit, sanciones non esse usu receptas.

Vbinam gentium sumus, Christiane Lector? Siccine cœlestia illa Patrum instituta, firmatæque Spiritu Dei regulæ ad mores pertinentes conculcantur, exolescunt, extinguuntur? Nonne idem perseveranter regit Ecclesiam Spiritus sanctus, qui temporum decursu nullam pati labem, nullam vicissitudinis obumbrationem potest? Nunquid minùs nunc quàm olim scelera detestatur Ecclesia? Nunquid minorem, saltem internam, ad Sacramenta percipienda sanctitatem præcipit? Nunquid minùs castos, minùs avaros & ambitiosos optat Ministros? Absit, absurdum est, indignum est, & antichristianum.

Verum quidem est, præcepta illa, quæ ad cæremonias pertinent, externamque Ecclesiæ disciplinam, pro varietate temporum sæpe variare. Observat tamen D. Thomas quodlib. 9. art. 15. *Quod jura antiqua quantum ad hoc quod continent jus naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationabilem. Eo quòd dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis, sed solùm ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.* Vnde quavis

desuetudine

desuetudine obstante, non continuò Canonum vigor extingui putandus est, quia manet semper ipsa sacratissimarum legum ratio, semper durat quidquid in eis divini ac naturalis est juris; semper vivit spiritus Christi in vivis membris residens, eundemque semper inspirans de moribus sensum, fixum, immutabilem, immortalem: quem *spiritum Christi qui non habet, hic non est ejus.*

Lutheranos & Calvinistas Ecclesiæ consuetudines & sacros ritus calcantes execramur, & jure detestamur; & patienter quosdam Catholicos ratiunculis nescio quibus non probantes ea quæ olim probata fuer, non ingemiscentes & dolentes, quòd tam necessariæ leges passim floccifiant; non desiderantes, ut instaurentur, non studentes, ut teneantur; non curantes, ut renoventur; non conotestes, ut ad illas Fideles prudenter quidem, sed ferventer mores exigant suos? Considerent hujusmodi laxiores axioma illud in Iure traditum, & à S.Thoma loco citato memoratum: *Multa per patientiam tolerantur, quæ si in judicium fuerint deducta, justitiâ cogente cassarentur.* Attendant ad grave Petri Cantoris dictum: *Non minùs peccas, quia cum multis, sed magis peccas; nec minùs ardebis, quia cum pluribus.* Videant omnem disciplinæ sanctitatem sine metu ac pudore fore citò exsufflandam, si in improborum resistentium potestate omnia Ecclesiæ decreta ponantur. Audiant istud egregium S.Thomæ pronuntiatum 1. 2. q. 97. art. 7. *Si manet ratio eadem, propter quam lex primò utilis erat, non consuetudo legem, sed lex consuetudinem vincit.* Sciant sanctiores disciplinæ leges in corde Sacerdotum impressas & consignatas esse debere. Sciant Prælati, peccantium multitudine servorum Dei constantiam non frangi, sed roborari, ut fideles inveniantur. Sciant Pastores animarum, malas consuetudines non minùs quàm perniciosas corruptelas esse vitandas, radicitùs evellendas, à solis improbis recipiendas, à probis autem prævaricationis loco habendas. Sciant Episcopi, non levem ab eis exacturum Deum rationem, nisi irruentibus collabentia Ecclesiæ disciplinæ abusibus totis viribus obnitentes vehementissimè reluctentur. Sciant ipsorum esse observantiam legum instaurare, & efficere ne abolitæ putentur. Sciant non ad hoc divinitus datam ipsis esse potestatem, ut promiscuè rigorem decretorum mitigent, sed ut observetur totis viribus incumbant, & prævaricatores puniant, quia eorum est depositum custodire; potestatis thesauros non dissipare, sed dispensare; magisque prodesse, quàm præesse. Quàm sapienter Magnus Gregor. lib. 5. epist. 12. *Justitia & rationis ordo suadet, ut qui sua à successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui procul dubio voluntatem & statuta custodiat.* Et lib. 12. epist. 31. *Si ea destruerem quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse justè comprobarer.*

CAPUT II.

De Conciliorum, & Romani Pontificis authoritate, necnon de aliorum quinque locorum vi.

Quæstiones infinitas de Conciliorum, Romanique Antistitis authoritate non persequor, Canonistis ventilandas relinquens. Verùm quia hæreticorum, nominatim Calvinistarum nostrorum in Romanam Sedem contentio pertinax & odium æternum est, ideo hîc longiores parum erimus, quàm solemus: sed si prolixior videatur dissertatio, cum utilitate tamen comparata brevis videbitur.

SPECULATIO I.

Concilium in Spiritu sancto congregatum in fide errare non potest, subindeque ejus definitiones firmissimæ sunt authoritatis.

Probandæ huic veritati quædam præmittenda sunt omninò necessaria. Sciendum igitur primò, Concilia alia esse generalia, alia provincialia, alia diœcesana. Generalia indicuntur & celebrantur authoritate summi Pontificis universi Catholici orbis Episcopos convocantis, ad quod tamen non est necesse quod omnes conveniant, in nullo enim hactenus omnes visi sunt; requiritur tamen quod in magno numero, & ex multis & melioribus Provinciis congregentur. Provincialia celebrantur à Metropolitano vel Primate alicujus Provinciæ vel Regni Episcopos cogente. Diœcesana instituuntur ab Episcopo Parochos & Sacerdotes suæ diœceseos convocante.

Sciendum rursus Episcopos in Concilio œcumenico congregatos, non esse tantùm Consiliarios, sed judices controversiarum. Nam in Concilio primo Hierosolymitano non solùm Petrus, sed etiam alii Apostoli judices esse dicuntur. Dixit enim Iacobus Act. 15. *Propter quod ego judico, non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus, &c.* Et ratio est, quia aliàs in ferenda sententia non solùm Episcopi, sed etiam eruditi prudentesque Theologi adhiberi possent; quod usui Ecclesiæ repugnat. Tum quia omnibus Episcopis in persona Apostolorum collata est potestas ligandi atque solvendi. Tum quia id perspicuè indigitat solita Conciliorum forma loquendi, quia Patres sententiam suam non per modum consilii, vel opinationis, sed statuti, decreti, & anathematis ferunt.

Sciendum tertiò, conventus Episcoporum carere certa & infallibili in suis decretis authoritate, nisi fuerint à Romano Antistite congregati, ab eodemque confirmati, sine quo sunt acephala iniquitatis conventicula, quibus semper exitiales fines contigerunt. Vnde S. Damasus ingentem numerum Concilii Ariminensis contempsit, & tantæ illi multitudini paucos Orthodoxos opposuit. *Neque enim* (inquit in epist. ad Episcopos Illyrici) *præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimini congregatum, quando constat Romanum Episcopum, cujus ante omnia deceat eos expectare decretum, talibus non præbuisse consensum. Neque ulla unquam Concilia rata leguntur* (addit idem Pontifex vel quivis alius epist. ad Stephanum & Concilium Afric.) *quæ non sunt fulta Apostolicâ authoritate.* Et in Concilio Chalcedonensi caput accusationis contra Dioscorum Patriarcham Alexandrinum fuit, quod Synodum inconsulto Romano Pontifice convocatit, quod nec fieri licet, nec aliàs unquam factum est. S. etiam Leo Papa epist. 51. dixit: *Nulla sibimet de multiplicatione congregationis Concilia blandiantur, quasi refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo.* Hujus tamen doctrinæ duas exceptiones afferunt communiter Theologi & Canonistæ. Prima, si Papa in hæresim labatur, sicut adversus Marcellinum idolorum cultorem Concilium coëgit Clerus Romanus; si tamen vera est illa Marcellini historia. Secunda, in casu schismatis, & juris utrimque ambigui, ut ex Constantiensi notissimum est.

Sciendum quartò, Concilia Provincialia legitimè à Metropolitano congregata de se ante Romani Pontificis approbationem probabilissimum veritatis argumentum efficere, implicito enim Ecclesiæ consensu comprobari censentur, donec expressè damnentur. Idem

censendum est de communi Episcoporum Catholicorum sensu per literas Pastorales in toto aliquo regno explicato, qualis fuit Apostolica illa totius ferè Galliæ Episcoporum conspiratio, quæ non ita pridem enituit in cohibenda profana modernorum Casuistarum laxitate. Et ratio est, quia ut dicitur dist. 83. *Error cui non resistitur, approbatur.* Vnde si Ecclesia Romana acta Concilii Provincialis, vel concordem Catholicorum Præsulum sensum sibi notum dissimulet, comprobat. Si verò Concilia Provincialia in Ecclesia recepta, authoritate summi Pontificis confirmentur, tunc infallibilem præbent regulam credendorum. Et ideo in 8. Synodo, *sess. ult. can.* 1. dicitur: *Regulas Ecclesiæ Sanctæ, quæ tam à Sanctis Apostolis, quam ab Orthodoxorum universalibus, necnon & localibus* (idest Provincialibus) *Conciliis tradita sunt, servare ac custodire profitemur.*

Sciendum quintò, Spiritum sanctum infallibiliter assistere Patribus Concilii, non dormientibus vel oscitantibus, sed summâ diligentiâ rei, de qua disseritur, veritatem quærentibus. Neque enim Ecclesia habet novas revelationes, sed ratione, examine, doctrinâ, disquisitione verum discernit à falso, nec nisi post multas collationes, & preces ad Deum fusas. Quia Deus fortiter quidem, sed suaviter omnia disponit: & ideo quia Deus Ecclesiæ fidei firmitatem promisit, illi etiam viros idoneos tribuit ad fidei controversias discutiendas; largitur gratiam & spiritum precum ad auxilium suum impetrandum, exigitque simul curam, vigilias, dissertationes, & operas Patrum in Concilio sedentium. Vnde si evidenter constaret de Prælatorum incuria, nutarent Concilii definitiones. Cæterùm id nunquam præsumendum est de Synodis ab Apostolico throno confirmatis, sed potiùs certum & constans esse debet, Concilia à Pontifice approbata omnem operam & diligentiam navasse, aliàs firmum ratumque in Ecclesia nihil haberemus, & Patrum negligentiam prætexerent semper hæretici & morosi. His præmissis

Probatur speculatio: Ecclesia Catholica errare non potest, ut superiori capite demonstravimus. Ergo neque Concilia generalia legitimè congregata & approbata ullum continent errorem. Probatur consequentia. Impossibile est totam Ecclesiam non errare, si Orthodoxi Episcopi in Oecumenica Synodo congregati errent. Si enim omnes Pastores, & præcipuè dum simul conveniunt, à recto fidei tramite devient, aberrare quoque oves universas necesse est. Si sal terræ totius, qui sunt Doctores condiendis populis destinati, evanuerit, in quo salietur? Si lux mundi tenebræ fiat, quomodò subsistet lumen veritatis? Si Ecclesiæ oculi fuerint nequam, nonne totum corpus tenebrosum erit? Ita planè Ergo si tota Ecclesia errare non potest, neque etiam errare possunt Concilia œcumenica, quæ totam Ecclesiam repræsentant. Neque enim ad exhibendum totius Ecclesiæ sensum requiritur consensus & suffragium fidelium singulorum, alioquin ad abstrusæ cujusvis quæstionis decernendam inquirendamque veritatem, sæcularium sensa postulare, rusticorum decisiones expectare, mulierecularum judicia vestigare oporteret, quod ridiculosissimum est. Ergo ad exprimendam Ecclesiæ totius sententiam sufficit Pastorum judicia ventilare. Nam ut dicit Aug. lib. 1. de Bapt. contra Don. cap. 18. *Plenarii Concilii sententia, totius Ecclesiæ consensio est.* Et ideò Gregor. Magn. se quatuor Concilia generalia, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, non minori prosequi reverentiâ testabatur eâ quam quatuor Evangeliis deferebat. Et Ambr. epist. 2. *Sequor tractatum Concilii Nicæni, à quo nec mors, nec gladius me separabit.* Et Magnus Leo de rebus apud Nicæam & Chalcedonem definitis, ait ep. 78. *Nullum audemus inire tractatum, quasi dubia, vel infirma sint quæ tanta per Spiritũ sanctũ fixit authoritas.*

Dices: Si Concilium œcumenicum infallibili polleret authoritate, non indigeret confirmatione Romani Pontificis, quam tamen esse necessariam superiùs supposuimus.

Respondeo Conciliorum definitiones nondum esse completas donec Romani Pontificis decisio veluti ultimum sigillum apponatur; nam ad illum tandem referenda est omnis fidei quæstio, pro quo Christus oravit ne deficeret fides ejus, & cui præcepit, ut confirmaret fratres suos. Quod sanè incomparabile privilegium uni Romano Pontifici eximium est, nec illud in Legatos transfundere potest, sicut non potest facere quin solus ipse Vicarius Salvatoris, solus Pastor Vrbis & Orbis, solus sit Petra, cui innixa perseverat Ecclesia. Idque experientiâ ipsâ compertum fuit; nam errori & schismati Concilii Basileensis Cardinalis Iulianus Apostolicæ Sedis Legatus dum turpiter subscripsit, turpissimè erravit, & ministerium suum inhonoravit: sicut etiam cum Dioscoro Ephesinum Concilium secundum à Leone convocatum, sed minimè firmatum, infeliciter impegit. Vno verbo, Concilium totam Ecclesiam non repræsentat, donec Capitis habeat assensum, sine quo truncatum & acephalum est. Adde quod Concilium ea propria ratione Concilii non est ultima regula credendorum, quia contingere potest in Concilio esse dissensiones, & sententiarum diversitates; ideo necessariò debet dari regula superior, quæ nunquam, saltem cum Concilio, possit sentire defectum. Quod si concors Patrum mens in unam nullo refragante sententiam conspiret, tunc Concilium errare non potest, quia totam Ecclesiam, quæ errare non potest, non entitativè, sed authoritativè repræsentat, & in hoc sensu intelligitur speculatio nostra.

Reflexio, & apostrophe ad hæreticos.

Dum Ecclesiam totam in tot Conciliis Oecumenicis, & novissimè in Tridentino post hominum memoriam celeberrimo errare iterum atque iterum occinitis (moderni Lutherani & Calvinistæ) mirum est tantùm apud vos potuisse diabolum, ut à solis ortu usque ad occasum tot ac tantos Christianæ fidei Doctores antiquos, & nostræ ætati contiguos non solùm deserere, verùm etiam errantes infrunito ore audeatis appellare. *Sed mirum* (ait August. lib. 1. cont. Iul. c. 5.) *si in facie hominis tantum intervallum est inter frontem & linguam, ut in hac causa frons non comprimat linguam.* Sed absint à verbis meis injuriæ, quæ à vestrorum Ministrorum Romanam Ecclesiam inclementer lacerantium sermonibus non absunt. Ego enim pro dilectione, quæ mihi est erga vos, quam Deo propitio quibuslibet conviciis absit ut de medullis mei cordis exstirpetis, iterum atque iterum rogo: Auscultate maternas Ecclesiæ Catholicæ voces, quæ aperit vobis sinum & ubera, non typho turgentia, sed lacte manantia, & ore Doctorum suorum in hæc verba prorumpit.

Revertere, revertere secta novella, revertere ad matrem, quæ Patres tuos concepit: veritati cede, fruere bono meo, cohibeatur perduellio, impietas expietur, vera Religio conservetur. Apud me invenies, quod Hæresiarchæ tui summâ intentione quæsierunt, nec invenire potuerunt. Ostendam tibi veritatem non solùm facilem, sed etiam favorabilem. Errores quosque tuos iisdem telis, quibus armaris, retundam. Traditionum depositum, quod custodio, quod sexaginta fortes ambiunt, ex quo mille pendent clypei & omnis armatura fortium, quod viginti Oecumenica Concilia circumvallant, quod nubes testium doctissimorum, & jura sanctissimorum adornat, monstrabo tibi; aliaque quæ facilius est sentire, quàm dicere, tibi spondeo majora percepturæ. Ne timeas vinci,

quia si vincaris, & vinces; nam si ego victor tui, ita tu triumphatrix erroris: nec solam me superasse existimabo, vincemus utraque, utraque nostrûm palmam referet: ego tui, tu hæresis, si tandem benè deseras quod malè tenuisti.

Errorem tuum, amabò, jam tandem agnosce, & erubesce, vel serò discas ab Apostolo non omni spiritui credere; discas à Salomone multos quidem amicos, unum autem habere consiliarium de mille, nempe Romanum Antistitem, Patrum Patrem, afflictorum perfugium, totum ad clementiam natum, & ad pietatem comparatum. Discas Præcursorum Domini exemplo non solùm mollibus non vestiri, id est carnalibus Lutheri doctrinis pasci; sed nec in modum vento agitatæ arundinis circumferri omni vento doctrinæ. Discas Evangelio domum tuam supra Petram fundare; nam qui ceciderit super lapidem istum, confringetur, super quem verò ceciderit, conteret eum. Obsecro te per viscera misericordiæ Dei nostri, & contra juris ordinem rogo te, à qua rogari debueram: revoco læsa eam quæ me læsit, spreta requiro contemptricem. Veni, veni tantùm, veni citò, & pax erit. Revertere, & satisfactum est. Humilitatem exhibeo, charitatem promitto, & tu times? Intrepida veni, quò te vocat humilitas, pertrahit amor, recipiet mansuetudo. Secura accede talibus præventa obsidibus. Quod si Concilia Oecumenica, in quibus, ut ait Tertull. lib. de jejun. cont. Psychicos, *ipsa repræsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur*, te nec vincunt, nec convincunt; quid respondere poteris supremo Iudici dicenti tibi: Cur Lutherum Calvinumque toti Ecclesiæ prætulisti? Cur hos apostatas in Apostolos elegisti? Spiritum privatum infallibiliter veritatem discernentem cuilibet fidelium asseruisti, quem perfracta fronte toti Ecclesiæ Petri, pro quo rogavi, ut non deficeret fides ejus, impudoratè denegasti? Cur meam de Ecclesia providentiam, dum abstulisti, inhonorasti; & infidelitatis, quasi non steterim clarissimis promissionibus, blasphemè accusasti? Verbis meis, quibus solis omnes vis controversias dirimi, adulari finxisti, & proprium judicium superbissima extulisti, quia videlicet Scripturam meam pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt, sed ejusdem eloquia aliter atque aliter, alius atque alius interpretatur, ut penè quot homines sunt, tot illius sententiæ erui posse videantur; suntque non pauca difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant in suam ipsorum perditionem, & tu eorum intellectum sola tibi impudentissimè arrogasti. Id dixit olim Christus sponsus meus, zelotes. Sed iterum atque iterum hæc Hieronymi *epist. 65. ad Oceanum*, tibi inculco: *Vsque ad hanc diem sine ea doctrina mundus Christianus fuit, eam senex tenebo fidem, quam à parentibus accepi; cur post quadringentos annos* (sexcentos supra mille) *docere nos niteris, quod antea nescivimus?* Si me audis, Christum audis: si me spernis, illum spernis, qui in judicio suo majorem ex hac mea hortatione tibi habet inferre damnationem, si nullam ex ea in te reperérit emendationem.

SPECULATIO II.

Summi Pontificis, Romani scilicet Episcopi in universam Christi Ecclesiam Primatus ostenditur: Romana Sedes ex institutione divina centrum est Catholicæ unitatis, & veræ Religionis.

AB hac assertione abhorruere semper hæretici omnesque novitatum amantes. Cathedra enim Petri fuit semper signum, cui contradictum est, illudque

veræ Religionis firmamentum variis artibus diabolus subruere molitus est; modò schismatibus dividere, modò irrisionibus & blasphemiis inhonestare, modò hæresibus infestare, modo non satis cordatorum Catholicorum jaculis sæpè sæpiùs vibratis ferire tentavit, sciens oves Christi citò dispersum iri, si pastor exturbetur, citòque casurā ædificationem, si fundamentum, cui superstructa est, concutiatur. *Neque enim*, ut scripsit Cyprianus ep. 55. *aliunde hæreses obortæ sunt, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.* Illum Sacerdotem esse Romanum Episcopum, clarè significat, dum ait: *Navigare audeat & ad Petri Cathedram, atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta est. Vna Ecclesia*, inquit ep. 40. *& Cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Quisquis alibi collegerit, spargit.* Vt autem solidè stabiliatur tam momentosa veritas, quâ totius Ecclesiæ unitas continetur, statuitur incorrupta schismatum promptè extinguendorum regula, indigitaturque lydius lapis Catholicismi puri, probati, & purgati septuplum. Totum probationum ab authoritate & ratione momentum ad hoc unum argumentum revoco.

In Ecclesia Christi agnoscenda est aliqua visibilis potestas divinitus instituta, quæ oves Christi pascat & regat, veritates orthodoxas proponat, & controversias fidei componat. Atqui hæc potestas primariò & principaliter Petro Apostolo, ejusque successoribus Romanis Episcopis divinitus concessa est. Ergo Romano Pontifici eximius est in universam Christi Ecclesiam primatus, atque ut rectè ait Illustrissimus Godeus in epistola ad Alexandrum VII. Venciæ die 9. Augusti, anno 1661. Romanus Antistes in ea cathedra collocatus est, *quæ non solùm unitatis centrum est, sed ad quam in rebus dubiis velut ad veritatis oraculum, qui non vult errare, confugere debeat.::: Nam ut verbis Cæsarii Arelatensis utar, sicut à persona B. Petri Episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis quid agere debeant, evidenter ostendat.*

Singulæ propositiones, earumque singulæ partes seorsim sunt demonstrandæ. In primis residere in Ecclesia Christi aspectabilem aliquam potestatem Christi ovile regentem, fidei litibus præpositam, quam fideles consulere, cui uniri, à qua schismatis non sejungi oporteat, antiqui hæretici non sunt inficiari, qui propterea frequentia Episcoporum conciliabula cogebant, Romanumque Præsulem, & per eum universam Ecclesiam decipere non semel, sed frustra semper suis moliminibus conabantur. Sed moderni Novatores apponentes iniquitatem super iniquitatem, & Patrum suorum impietatis mensuram implentes, eò præcipitii lapsi sunt, ut ultimum controversiarum de fide judicium privato cujusvis spiritui asserant, & innixi prudentiæ suæ, contra sensum quem tenuit & tenet sancta Mater Ecclesia, Scripturas ad suos sensus detorquere cuique permittant. Sed verbo Dei, ad quod solùm provocant, condemnātur. Dicitur enim Deuter. 17. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore, & facies quodcumque dixerint.* 2. Paral. 19. *Vbicumque quæstio est de lege, de mandato, de cæremoniis, de justificationibus, ostendite eis*, idest Sacerdotibus, de quibus inibi sermo est. Matth. 23. *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, quæcumque dixerint vobis, servate & facite.* Si ita in veteri lege provisum erat, deterioris ne cōditionis erit lex nova? Certè non poterit esse una fides, nec idipsum valebunt dicere omnes, sed continua erunt schismata, si tot judices sint, quot capita. Frustra tot expēsis, laboribus, peregrinationibus congregabuntur Concilia: frustra ad superiores

Prælatos per sexdecim sæcula quæstiones fidei delatæ sunt, si omnia privati judicii sententiâ determinari tutò potuerunt. *Si non sit in Ecclesia una eminens potestas*, inquit Hieronymus dialogo adversus Luciferianos, *tot futura sunt schismata, quot Sacerdotes.* Id etiam constare ex novi Testamenti oraculis, & Patrum traditione statim clarebit. Iste interim locus, quo ut ait Estius, flagellantur omnes hæretici, sufficiet: *Omnis prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit.* 2. Petr. 1.

Radix totius hac in parte hæreticorum deceptionis est, quod in controversiis dijudicandis jus à judice discernere nolunt, vel nesciunt. Ius dicitur non solùm opus bonum & justum, sed ipsa etiam regula, per quam justum constituitur; quæ regula scriptis mandata dicitur lex: Iudex verò ille est, qui authoritate sua jus illud proponit, & juxta illud lites dirimit, & causas omnes judicat. Novatores confundunt jus cum judice, nec advertunt Scripturam esse quidem jus nostrum, juxta quod judicari & regulari debemus; sed illam tamen non esse judicem controversias de ipso Scripturarum intellectu sæpe exortas dirimentem, sed alium, & quidem visibilem esse assignandum.

Nec propterea sequitur authoritatem Ecclesiæ esse supra Scripturam, cujus canonicos libros & sensum illa determinat; sicut non sequitur judicem esse supra jus, sed supra explicationem juris, & determinationem dubiorum occurrentium. Quia nimirum judex non est causa & ratio per se impertiens juri authoritatem, sed conditio necessaria ad talem authoritatem exponendam. Ex quibus evanescunt plura hæreticorum sophismata ex prava intelligentia illius axiomatis, *proper quod unumquodque tale, & illud magis*, deducta, quod solùm de causis per se influentibus intelligitur, secus de illis quæ se habent ut conditio, qualiter se habet Ecclesia respectu Evangelii, cui non crederemus, nisi nos Catholicæ Ecclesiæ commoveret authoritas, ut olim dicebant Augustinus, & Tertullianus de præscript. c. 19. *Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum tuta.* Quia, ut ibi prosequitur, de intellectu Scripturarum controversia excitatur. Vnde consulenda est visibilis aliqua Christianæ disciplinæ regula, ad quam privatas nostras Scripturarum expositiones exigamus. *Vbi enim apparuerit*, inquit, *esse veritatem disciplinæ, & fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, & expositionum, & omnium traditionum.* Sed de his satis in superioribus speculationibus actû est.

Quod verò potestas illa primaria Petro eximiâ & singulari prærogativâ divinitus concessa sit, quæ est minor propositio syllogismi suprà positi, sic demonstratur: Petrus à Christo institutus est pastor Ecclesiæ universalis; ei enim semel, & iterum, & tertiò à Salvatore & summo Pastore dictum est, Ioan. 21. *Pasce oves meas*, ubi non fit distinctio inter has & illas oves, demonstrans alienam esse à suo ovili, quæ Petrum pastorem non agnosceret. Et Matth. 16. *Beatus es Simon Barjona. Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claves regni cælorum.* Vbi Veritas manifestissimè loquitur de persona particolari, hanc enim magis singularem & individuè indigitare non potuit, quàm exprimendo & nomen ejus, & nomen patris, & nomen à Christo illi impositum. Quod verò potestas collata Petro centrum sit unius & veræ Religionis, patet: tum quia Petrus petra est super quam ædificata consistit Ecclesia; tum quia adversus Ecclesiam supra Petrum ædificatam *portæ inferi non prævalebunt*, ut ibidem Christus testatur: Ergo Petro data potestas immobile est Ecclesiasticæ veritatis firmamentum, quo labante, adversus Ecclesiam inferi prævalerent, concusso enim fundamento, ruat fabrica necesse est super ipsum ædificata.

Rursum Lucæ 22. *Simon, ecce sathan expetivit vos, ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sicut ergo oratio Christi semper est pro sua reverentia exaudita, ita Petro collata authoritas basis est, cui nunquam defectura Ecclesiæ fides innixa est, ad eamque pertinet & titubantes confirmare, & confirmatos ne ab unitate decidant retinere. Vnde ipsemet aiebat Act. 15. *Viri fratres, vos scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus vos nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelii, & credere.* Non potuisset autem Deus eligere eum, ut quæ doceret, gentes crederent universæ, nisi in totam Ecclesiam ubique gentium diffusam concessam sibi à Deo spiritalis regiminis potestatem haberet. Quamvis enim verum sit omnes Apostolos habuisse extraordinariam potestatem, eamque amplissimam, ut nascentem Ecclesiam propagarent, unde & dictum est eis, Matth. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo.* Hæc tamen quantaquanta erat potestas, Petro tanquam capiti subordinabatur, ut unitatis integritas permaneret, & schismatum tolleretur occasio. Sicut duci summa datur in exercitum potestas, Regi tamen subjecta. *Inter duodecim unus eligitur*, inquit Hieronymus lib. 1. contra Iovin. *ut capite constituto, schismatis tollatur occasio. In quo* (Petro) *primatus Apostolorum*, addit Aug. lib. 2. de Bapt. c. 1. *tam excellenti gratia præeminet. Quis nescit illum principatum Apostolatus cuilibet præferendum?*

Idem privilegium Beatissimo Petro cæteri catervatim Patres asserunt. Selectiora testimonia producam, alia deinceps in decursu recitaturus. *Deus unus est*, inquit Cyprianus epist. 40. *Christus unus, & una Ecclesia, & cathedra una super Petrum Domini voce fundata. Petrus* (addit epist. 73.) *quem primum elegit, & super quem fundavit Ecclesiam.*

Nec minùs eleganter quàm apertè Chrysost. homil. 44. in cap. 6. Isaiæ: *Quid autem Petrus basis Ecclesiæ? Ille vehemens amator Christi; ille sermone indoctus, & Rhetorum victor; ille imperitus, qui Philosophis obturavit os; ille qui Græcanicam sapientiam non aliter quàm aranearum telam dissolvit; ille qui sagenam misit in mare, & piscavit orbem.*

Succinit Magnus Leo serm. 2. in natali Apostolorum: *In Petro*, inquit, *omnium fortitudo munitur, & divinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Et serm. 3. de sua assumpt. *Tantam potentiam dedit ei Dominus, quem totius Ecclesiæ principem fecit, ut si quid etiam nostris temporibus rectè per nos agitur, rectèque disponitur, illius operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

Astipulatur Optatus lib. 4. cont. Parmen. *Negare non potes*, inquit, *scire te in urbe Roma Petro primò cathedram Episcopalem esse collatam. In qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, nec cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent: ut jam schismaticus, & peccator esset, qui contra singularem cathedram, alteram collocaret. Piscator*, addit lib. 7. *accepit claves, ut negotium unitatis formaretur, ne qua necessaria est, unitas esse non posset.*

Ergo *sicut in Salvatore* (verba sunt Aug. lib. qq. novi & vet. Testam.) *erant omnes causæ Magisterii, ita & post Salvatorem in Petro omnes continentur: ipsum enim constituit caput eorum.* Hinc Chrysost. *hom. 55. in Matth.* vocat Petrum omnium Apostolorum os, aitque ipsum *universo terrarum orbi Christum præposuisse.*

Quod autem illa regendæ totius Christi Ecclesiæ primaria potestas successoribus Petri divino jure concessa sit, quæ est altera minoris propositionis pars, facilè convincitur, tum rationibus Theologicis, tum perpetua

perpetua traditione. Etenim cùm regnum Ecclesiæ perpetuum sit, & usque ad consummationem sæculi duraturum, Principe perpetuo eget, qui Petri primatui succedat, sicut cæteris Apostolis & Discipulis Domini successerunt Episcopi & Sacerdotes; nec est major ratio, majorque necessitas unius quàm alterius. Neque enim Ecclesia quæ modò subsistit, minùs exigit unitatem, minusve unius supremi Capitis regimen, quàm Ecclesia primitiva, cujus clavo astabat Petrus; si enim mutaretur modus regiminis, eadem non permaneret Ecclesia: teste namque Philosopho 3. Politicor. cap. 2. *Civitas dicitur manere eadem, quandiu remanet eadem forma Reipublicæ.*

Sanè si, ut paulò antea vidimus, In veteri lege unus erat summus Iudex, ad quem majores causæ referebantur, cujus mandatis parêre non declinando ad dexteram vel sinistram, populi astringebantur, ut multis veteris Instrumenti testimoniis confirmari potest, quantò magis id Ecclesiæ Christi negandum non est, quod Ecclesiæ eo magis necessarium est, quo ex variis nationibus, linguis, ingeniisque constat & instituitur? Profectò deterioris conditionis esset Ecclesia quàm Synagoga. Imò meliùs esset regnis & rebuspublicis temporalibus provisum, quæ Reges & Duces moderantur. Quin ordinatior foret privatarum familiarum institutio, quas unus paterfamilias administrat. Quamobrem sicut unitas mundi uniformiter gubernati unitatem Dei enarrat, positisque duobus primis principiis, regiminis unitas scinderetur: sic unitas Ecclesiæ ab unitate capitis membra omnia in eadem communione continentis planè dependet.

Sed traditionis luculentissimos testes audiamus. *Quanam de causa*, inquit os Chrysostomi aureum lib. 2. de Sacerdotio, *sanguinem suum Christus fudit? Certè ut pecudes eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat.* Ergo Petro concessa pascendarum Christi ovium potestas in successores ejus Romanos Antistites perenniter derivatur. *In qua*, inquit Augustinus *epist.* 162. de Ecclesia Romana loquens, *semper Cathedræ Apostolicæ viguit principatus.* Et ante ipsum S. Irenæus lib. 3. *Ad hanc Ecclesiam* (Romanam) *propter potentiorem principalitatem omnem Ecclesiam convenire necesse est.* Ergo Romana Sedes aspectabile est Religionis Catholicæ centrum.

Quid autem apertiùs his Hieronymi *epist.* 57. *&* 58. *ad Damasum*, verbis? *Inde mihi cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam: unde nunc animæ meæ postulo cibum, à Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ovis flagito. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est cathedræ Petri, communione consocior. Super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio. In tres partes scissa Ecclesia me ad se rapere festinat. Præsidiis fulta mundi Arriana rabies fremit. Ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Ergo vera catholicitatis tessera est indivulsa cum Romano Pontifice communio, ejusque Sede Apostolica, quæ ut ait Cyprianus, est Ecclesia principalis, unde unitas Sacerdotalis exorta est. Nec exorta tantùm, sed per illam etiam usque ad finem sæculi permansura, juxta illud Magni Leonis serm. 2. de sua assumpt. *Soliditas illius fidei, quæ in Apostolorum Principe est laudata, perpetua est: & sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit.* Permanere autem non potest nisi in successoribus. Ergo sicut qui negaret Romano Pontifici facultatem ligandi atque solvendi Petro assertam, hæreticus meritò censeretur: ita & qui ei denegat pascendarum Christi ovium, & confirmandorum in fide fratrum primariam potestatem, quæ Petro non ut privato homini, sed ut Ecclesiæ præfecto congruebat.

Hinc esse Catholicum, & ab Ecclesia Romana non sejungi, sed cum illa consentire, synonymum Patres existimarunt. *Rogavit*, inquit B. Ambrosius de fratre suo Satyro orat. de ejus obitu, *si eum Episcopis Catholicis, hoc est cum Ecclesia Romana consentiret.* Quia nimirum quoties divisio aliqua ebulliebat, una Catholicorum omnium cura erat, ut se ab Sede Petri nunquam separarent, ad eamque amussim veram Religionem exigerent.

Hinc communionem ad Romanam Sedem Catholici Episcopi tota accuratione fovebant, tum litteris mutuis, quibus præcipuarum Sedium Episcopi electionem & ordinationem suam ad Romanos Præsules scribebant, & vicissim Romanus Pontifex principalioribus Episcopis promotionem suam indicabat, ut ex Cypriani epist. 40. & 41. notum est. Tum litteris formatis, quæ erant catholicitatis testimonia. Vnde Optatus lib. 2. *Damaso Syricius hodie successit, cumque nobis totus orbis commercio formatarum in una societatis communione concordat.* Et Chrysostomus *epist.* 1. quæ habetur *tom.* 5. ab Innocentio Romanæ Sedis Pontifice petit, ut cùm reus convictus non sit, litterarum ejus communione fruatur. Easdem litteras Augustinus *epist.* 162. appellat *Communicatorias cum Romana Ecclesia, in qua semper Apostolica Cathedra viguit principatus.* Et lib. 3. *cont. Cresc cap.* 13. quarundam litterarum falsitatem inde damnat, quòd ad Carthaginis Episcopum, Romano Pontifice prætermisso, nunquam Orientalis Ecclesia scriberet. Vide Nazianzenum *orat.* 51. ubi eas litteras vocat *Communionis indices.*

Hinc cùm aliquid universæ Ecclesiæ judicandum erat, sive quoad disciplinam, sive quoad dogmata, ipse Romanum Antistitem, utpote quem maneret omnium solicitudo Ecclesiarum, fieri curabatur. Ejus etiam sententia expectabatur, ut damnatæ in Catholicis Synodis hæreses orbi Christiano innotescerent. Nam & diem Paschalem per Romanum Pontificem toti Ecclesiæ indicari fuisse solitum, ex Concilio Nicæno habetur. Sed ad eam stabiliendam veritatem, & integram assertionem nostram persuadendam, gesta Patrum Africanorum tempore Augustini, & cum ipso Augustino congregatorum proferre liber, quæ ex epistolis 90. 91. 92. & 93. inter Augustinianas dignosci possunt.

In primis *epist.* 90. Patres Concilii Carthaginensis sic ad Innocentium Papam scribunt: *Hoc itaque gestum, Domine Frater sancte, charitati tuæ intimandum duximus, ut statutis nostræ mediocritatis etiam Apostolicæ Sedis adhibeatur authoritas, pro tuenda salute multorum, & quorundam perversitate etiam corrigenda. Non dubitamus Venerationem tuam, cùm gesta Episcopalia perspexerit, quæ in Oriente in eadem causâ confecta dicuntur, id judicaturam, unde omnes in Dei misericordia gaudeamus.* Illis autem Episcopis sic S. Innocentius respondet: *In requirendis de his rebus, quas omni cum solicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero justeque & Catholice tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla servantes, & Ecclesiasticæ memores disciplinæ, vestræ religionis vigorem non minùs nunc in consulendo, quàm antea cùm pronuntiaretis, vera ratione firmatis, qui ad nostrum referendum approbastis esse judicium; scientes quid Apostolicæ Sedi, cùm omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum, debeatur; à quo ipse Episcopatus & tota authoritas nominis hujus emersit.* ::: *Vt quidquid de disjunctis remotisque provinciis afferetur, non priùs ducerent finiendam, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ubi tota hujus authoritate, justa quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ, & velut de natali suo fonte aquæ cuncta procederent,*

docent, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorrupta manarent; quid præcip. r , quos abluere, quos velut in cœno inemundabili fordidatos, mundis digna corporibus unda vitaret. Gratulor igitur, Fratres charissimi, qui id per cunctas totius orbis terrarum Ecclesias, omnibus unà quod prosit decernendum esse depoſcitis.

Rursum *epist.* 92. Episcopi in Concilio Milevitano, cujus ingenium authore Prospero Augustinus erat, coacti sic ad eundem S. Innocentium scribunt, & *Apostolico ejus pectori insinuantes* petunt, ut *magnis periculis infirmorum membrorum Christi pastoralem diligentiam adhibere dignetur.:::* *Imitantes Carthaginensis Provinciæ Coepiscopos nostros, quos ad Sedem Apostolicam, quam Beatus illustras, hac de causa scripsisse comperimus.* Episcopis porrò illis in Spiritu sancto congregatis sic sanctissimus Papa respondet: *Diligenter ergo & congruè Apostolico consulitis honori; honori, inquam illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecus, solicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxiis rebus, quæ sit tenenda sententia; antiquæ scilicet regulæ formam sequuti, quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam. Verùm hæc missa facio, neque enim hoc vestram credo latêre prudentiam. Quid id etiam actione firmastis, nisi scientes quod per omnes provincias de Apostolico fonte petentibus responsa semper emanent: præsertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres & Coepiscopos nostros non nisi ad Petrum, id est, sui nominis & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit vestra dilectio, quod per totum mundum possit omnibus Ecclesiis in commune prodesse. Fiant enim necesse est cautiores, cum inventores malorum ad duplicis relationem Synodi sententia vestra statutis viderint ab Ecclesiastica communione sejunctos. Gemino igitur bono charitas vestra fungitur; nam & Canonum potiemini gratia servatorum, & beneficio vestro totus orbis utetur.*

Iterum *epist.* 35. ad eundem Sanctissimum Innocentium quinque Episcopi, quos inter Augustinus, post prolixam Pelagianæ hæreseos expositionem & confutationem, cum litteris suis finem imponunt, quo Apostolicæ Sedis singularem primatum, & universalem pascendæ potandæque totius Ecclesiæ spiritalem potestatem & inseminatum Catholicis omnibus in Romanam Ecclesiam temperatum veneratione amorem clarissimè profitentur: *Dabis sanè nobis veniam,* inquiunt, *suavitas mitissima cordis tui, quod prolixiorem epistolam fortassis quam velles, tuæ misimus Sanctitati. Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus; sed in hac non parva tentatione temporis, unde nos liberet cui dicimus, Et ne nos inferas in tentationem, utrum etiam noster, licèt exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc à te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione unius gratiæ consolari.* Quibus respondet S. Innocentius, jam satis eorum se quæsitis duobus superioribus rescriptis respondisse, quid vel de Pelagianorum perfidia, vel de Episcoporum Catholicorum sententia ipse sentiret.

Vides ex hoc præclaro reciprocarum literarum commercio, quanta solicitudine Patres, & Patrum facilè Princeps Magnus Augustinus, Sedi Apostolicæ tanquam Religionis centro visibili, basi communionis, & Christianæ veritatis cathedræ principali adhæserint. Nec illam cum Ecclesia Romana, velut perenni & præcipuo doctrinæ fonte, communionem Occidentales dumtaxat Episcopi, sed ipsi etiam Orientales totâ & sanctâ accuratione ambiebant, uti ex multis passim obviis. sed nominatim ex epistola III. Hieronymi perspicuum est, in qua sic habetur: *Ante annos plurimos cùm in chartis publicis juvarem Damasum Romanæ Vrbis Episcopum, & Orientis, atque Occidentis synodicis consultationibus respondentem.*

Eandem veritatem perennis Ecclesiæ consuetudo clarissimis testificationibus confirmat. Etenim totius orbis Catholici consensione sæculorum omnium usu firmata fideles omnes à Romani Præsulis ore controversiarum judicia postularunt, postulata expectarunt, & data præcipuâ reverentiâ susceperunt. Semper etiam ab exordio Christianismi usque in præsentem diem in gravaminibus, in fidei controversiis, in conscientiæ casibus & dubitationibus, in legibus ferendis, in dispensationibus obtinendis, in Episcopis ordinandis, adversus tyrannos protegendis, vel etiam ob delicta deponendis, vel ad partes infidelium propagandæ christianitatis gratiâ mittendis, in Synodis confirmandis, in sæcularibus potestate sua abutentibus corrigendis, puniendis spiritali gladio, & anathemate feriendis ad Sedem Apostolicam & totius Ecclesiæ caput recursum fuit. Atqui nullus est legum Christi sanctior interpres, quàm perpetua Ecclesiæ Catholicæ consuetudo, quâ non ad Antiochenum, Alexandrinum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Parisiensem, Lugdunensem, Coloniensem, Toletanum, sed ad Romanum Antistitem omni tempore, ab omni loco personæ quælibet Catholicæ & Orthodoxæ confugerunt, intelligentes ad illum pertinere & transfundi verborum eorum efficaciam, quæ Petro Veritas non semel inculcavit, *Pasce oves meas: Confirma fratres tuos, &c.* Vnde in luce, 24.q.7.dicitur: *Quoties ratio fidei ventilatur, non nisi ad Petrum, id est ad sui nominis honorem & authoritatem habentem, recurrendum est.* Et iterum: *Majores Ecclesiæ causas, præsertim circa articulos fidei contingentes, ad Petri Sedem referendas intelligit, qui novit pro eo Dominum exorasse, ne deficeret fides ejus.* At enim quid aliud sunt omnia ferè decretorum & decretalium volumina, quàm Romanorum Pontificum ad Episcoporum, aliorumque plurimorum consulta & dubia variis in regnis enata responsiones, atque rescripta?

Ipsa etiam Sacra Concilia hanc veritatem ultrò confitentur. Sardicense in epist. ad Iulium, Chalcedonense epist. ad Leonem, sexta Synodus in epistola ad Agathonem, aliaque tum provincialia, tum generalia non minùs huic assertioni favent, quàm supra laudata Africana. Hinc decretorum suorum confirmationem à sancta Sede postularunt, ut nominatim in calce Concilii Tridentini videre est; Patribus nimirum existimantibus perseverantem in Sede Petri vivere potestatem, & excellere authoritatem, ut ait Magnus Leo. Illud etiam Augustini *in Psal. contra partem Donati,* præ oculis habebant: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri; ipsa est Petra Ecclesia, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Si autem Romana Ecclesia nullâ in orbem Christianum primatus & principalioris regiminis prærogativâ eminere, cur illam solam recognoverunt? cur ab illa firmitudinis robur doctrinæ suæ adjici petierunt Synodi in Spiritu sancto congregatæ? Quia nimirum illi iidem sanctissimi Patres, qui se ovium suarum Pastores in suis quique diœcesibus noverant, Ecclesiæ se Romanæ oves esse sincerissimè fatebantur, juxta illud ab Eusebio Emisseno, vel potiùs Eucherio Lugdunensi serm. de nativitate Ioannis, præclarissimè scriptum. Expendens enim magnificam illam Petro demandatam provinciam pascendi agnos, pascendi & oves, ait: *Prius agnos, deinde oves Petro commisit, quia non solum Pastorem, sed Pastorum Pastorem constituit. Pascit igitur Petrus agnos, pascit & oves: pascit filios, pascit & matres: regit & subditos, & Prælatos. Omnium igitur Pastor est, quia præter agnos & oves in Ecclesia nihil est.*

Hinc Concilia etiam numerosissima à Romani Pontificis fide & communione sejuncta in varios sæpè errores prolapsa sunt. Testis est Antiochenum II. in quo

quo damnatos est Athanasius; testis Mediolanense tempore Liberii; testis Ariminense quadringentorum & amplius Episcoporum tempore Felicis II. ut ex S. Athanasio, Severo Sulpitio, & Sozomeno constat; testis Ephesinum II. tempore Leonis Magni, in quo Eutychiana impietas firmata est; testis denique, ut alia missa faciam, Constantinopolitanum tempore Gregorii II. contra sacras Imagines coactum. Concilia verò à Sede Apostolica indivulsa, ab eademque confirmata, nunquam errasse deprehensa sunt; quin imò post hujusmodi Conciliorum definitiones, non posse sine audacia quæstiones & disputationes institui, docet S Athanasius; quia eorum sententiæ sunt verbum Domini, inquit idem Pater epist. ad Africanos. Nec dubia esse possunt aut infirma quæ tanta per Spiritum sanctum fixit authoritas, ut ait S. Leo *epist.* 78. *cap.* 30. Unde Ambrosio *epist.* 32. teste, moriendum potiùs est quàm ab iis recedendum; & Magnus Gregorius *epist.* 24. eorum decreta sic se suscipere ac venerari fatus est, ac sancti Evangelii quatuor libros. Ergo unio ad Romanam Sedem ejusque Antistitem Christiani orbis Pastorem primum & summum, catholicitatis tessera est. Et sicut unicum in terra sancta templum Dominus esse voluit, inquit eximius Doctor Sorbonicus Ludovicus Haléin suis de Ecclesia manuscriptis, ut omnes in unum Israelitæ convenirent, nullumque inter eos schisma oriretur, ut patet *Deuteron.* 12. *vers.* 4. sic Sedes Romana in medio Ecclesiæ constituta est velut signum conspicuum & aspectabile, nationum omnium oculis objectum, ad quod respicientes Ecclesiæ omnes & singulæ in unitate florerent, & sese adversus omnes hæreses & schismata incolumes conservarent.

Sed ipsorum sacrorum Conciliorum mentem, non argumentorum circuitu deductam, sed propriis eorum verbis expressam, ante Lectoris oculos expandamus, ut quid de Ecclesiæ Romanæ principalitate censuerint, ipsa nos doceant. Et quidem veterum Conciliorum sententias multas retulimus, plures omisimus, quia veras à dubiis secernere sine grandi prolixaque indagine non potuimus. Ultimorum tamen œcumenicorum Conciliorum doctrinam in medium proferre, Theologis Catholicis non erit ingratum.

Luculentæ sunt Magni Concilii, & Conciliorum numerosissimi, utpote 1250. Prælatis constantis, Lateranensis sub Innocentio III. *cap.* 5. voces in hunc modum: *Romana Ecclesia disponente Domino super omnes alias ordinariæ potestatis obtinet principatum, utpote Mater omnium Christi fidelium & Magistra.* Concilium etiam Constantiense *sess.* 45. propositionibus quibus suspectos in fide post interrogationem assentiri vult, istam accenset: *Ut credat quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, ejus nomine proprio expresso, sit successor B. Petri, habens supremam authoritatem in Ecclesia Dei.*

Consonat definitio Concilii Florentini in literis S. Unionis, ubi *approbante sacro Concilio*, sic Eugenius pronuntiat: *Definimus S. Apostolicam Sedem, & Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, & ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri Principis Apostolorum, & verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem & Doctorem existere, & ipsi in B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam à Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse.*

Sacrum etiam Concilium Tridentinum eandem veritatem & in actu signato, ut loquuntur, & in actu exercito, id est & disertis verbis, & variis factis doctrinam illam supponentibus exertè tradit. *Si quis dixerit*, inquit sess. 7. de Baptismo, can. 3. *in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum Mater est & Magistra, non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam, anathema sit.* Et sess. 14. de Extrema Unctione: *Nec profectò*, inquit, *Ecclesia Romana aliarum omnium Mater & Magistra*, &c. Et sess. 25. de delectu ciborum, &c. *Hortatur sancta Synodus*, inquit, *& per sanctissimum Domini nostri atque Salvatoris adventum Pastores omnes obtestatur, ut tanquam boni milites illa omnia quæ sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum Mater & Magistra statuit, quibuscumque fidelibus sedulò commendent, &c.* Hinc *sess.* 6. *c.* 1. *de reform.* Romanum Pontificem *Dei in terris Vicarium* appellat, qui in omnes Episcopos delinquentes *sua suprema Sedis authoritate animadvertere* possit. Hinc *sess.* 14. *cap.* 7. declarat: *Meritò Pontifices Maximos pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuisse peculiari judicio reservare.* Hinc *sess.* 24. *de reform. cap.* 1. docet, *Beatissimum Romanum Pontificem sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debere, & ovium Christi sanguinem, quæ ex mala negligentium & sui officii immemorum Pastorum regimine peribunt, Dominum nostrum Iesum Christum de manibus ejus esse requisiturum.* Hinc *sess.* 25 *cap.* 21. salvam vult intelligi authoritatem Sedis Apostolicæ. *Postremò*, inquit, *Sancta Synodus omnia & singula sub quibuscumque clausulis & verbis, quæ de morum reformatione atque Ecclesiastica disciplina in hoc sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit, & esse intelligatur.* Hinc affirmat ad ipsum pertinere Ecclesias de Pastoribus providere, Concilia generalia indicere & confirmare, de eorum intellectu dubia declarare, Ecclesiæ universalis tranquillitati invigilare, abusus corrigere, causas Episcoporum graviores terminare, non residentes punire, circa impedimenta matrimonii disponere & dispensare, de calicis concessione judicare, ita ut nihil eo inconsulto novum, aut hactenus in Ecclesia inusitatum decernatur; idque non tam docet, quàm ubique passim inculcat & supponit. A textibus referendis supersedeo, ne vel Concilium exscribere, vel infinitis citationibus has chartas implere cum cruce & fastidio Lectoris compellar. Tantæ autem innumerorum sacræ Synodi testimoniorum nubi fidem negare, vel eorum conspiranti & consentienti sententiæ non cogi, nisi impiis & perfrictæ frontis hominibus permissum non est.

Denique ab hac doctrina & assertione nostra nunquam recessit Ecclesia Gallicana, sive vetus, sive moderna. Nam præter Irenæum suprà memoratum, & alios infinitos brevitatis gratiâ prætermittendos, rem hanc confecerunt gemina Galliæ nostræ immortalia ornamenta & primæ magnitudinis astra Prosper Aquitanicus, & Bernardus Claraevallensis. Prior enim carmine de ingratis sic modulatissimè pangit:

Sedes Roma Petri, quæ Pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

Eodem modo loquitur Author librorum de Vocatione gentium, à Gelasio Papa opusculo adversùs Pelagianos cum laude memoratis. Hos libros nonnulli Ambrosio, sed absque ullo solido fundamento asseruerunt, plures Prospero vindicarunt: unde sub istius nomine Duaci anno 1576. & deinde Coloniæ 1609. editi sunt. Favent huic sententiæ tria pervetusta manuscripta nomen Prosperi præferentia. Sed quia has conjecturas infirmas esse docti recentiores contendunt, affirmantque Authorem illorum librorum, sicut & celebris epistolæ ad Demetriadem (quem eundem esse fatentur) Africanum esse, nec more veri Prosperi inimicos gratiæ exagitare, nec ipsum Augustinum commemorare, quod à methodo Prosperi Aquitanici tam alienum est quàm quod maximè; ideò ab hac critica quæstione

quæstione abstraho. At enim quia omnes fatentur authorem illum incognitum pervetustum esse, catholicum, imò & a Gelasio Magistris Ecclesiæ annumeratum, placet testimonium illius è Prospero, mox relatæ sententiæ simillimum proferre, quod habet lib. 2. cap. 16. *Quanvis gratia christiana non contenta sit eosdem habere limites quos Roma, multosque jam populos sceptro crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non domuit; quæ tamen per Apostolici sui principatum amplior facta est arce religionis, quàm solio potestatis.* En primatum Ecclesiæ Romanæ stricta & soluta oratione clarissimè expressum.

Sed apertius nihil produci potest iis quæ variis in locis tradit Bernard. Duo selectiora referre sat erit. *Non modo ovium* (inquit Eugenium alloquens lib 2 de consideratione) *sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Unde id probem, quæris? De verbo Domini. Cui enim non dico Episcoporum, sed Apostolorum sic absolutè & indiscretè tota commissa sunt oves. Si me amas, Petre, pasce oves meas? Quas? illius, vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut certè regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur ubi distinguitur nihil.* Et infrà: *Ergo, juxta canones tuos alii in partem solicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es. Aliorum potestas certis arctatur limitibus, tua extenditur & in ipsos qui potestatem super alios acceperunt. Nonne si causa extiterit, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & satanæ tradere potes? Stat ergo inconcussum privilegium tuum tibi tam in datis clavibus, quàm in ovibus commendatis. Cum quisque cæterorum habeat suam, tibi una commissa est grandissima navis facta ex omnibus, ipsa universalis Ecclesia toto orbe diffusa.* Horum omnium porrò privilegiorum rationem ab Ecclesiæ unitate repetit ibidem his verbis: *Sunt quidem alii cœli janitores & gregum Pastores; sed tu tantò gloriosius, quantò & differentius præ cæteris nomen hæreditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos. Tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor. Ubi unitas, ibi perfectio.* Quam rationem superiùs ponderavimus, paulò etiam inferiùs magis magisque illustraturi.

Non sunt etiam prætermittenda ejusdem Bernardi verba epist. 190. ad Innocent. II. *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt. Dignum namque arbitror, ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Cui enim alteri Sedi dictum est aliquando: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur, à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. In eo planè Petri impletis vicem, cujus tenetis & sedem, si vestrâ admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, si vestra authoritate conteritis fidei corruptores.* Nihil arbitror planius vel luculentius in nostræ assertionis confirmationem posse produci.

Consentiunt Doctores Ecclesiæ Gallicanæ recentiores. Dies me citiùs deficeret, si Cardinalis Perronii, Coeffetei, aliorumque Doctorum Sorbonicorum verba recensenda proponerem. Compendio agam si sacræ Facultatis Parisiensis solenne decretum anno 1659. unanimi consensione editum proferam in medium. *Omnes & singuli Magistri nostri palam apertoque ore professi sunt, nihil se in Summorum Pontificum authoritatem decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle. Imò verò omnes & singuli, ut obedientiæ filii, ipsum Romanum Pontificem ut summum Iesu Christi Vicarium & universalem Ecclesiæ Pastorem, cui plenitudo potestatis à Christo data sit, cui omnes utriusque sexus obedire, cujus decreta venerari, & pro se quisque tueri, & observare tenentur, ut semper agnoverunt & confessi sunt, ita nunc quoque sincerè, fideliter, & libenter agnoscunt & confitentur.* Hæc inclyta Facultas, quæ tum fidei zelo, cùm rerum omnium scientiâ dubios omnes eruditos facit, utra harum virtutum alteram vincat.

Nonnullis permagni momenti documentis variæ præoccupantur quæstiones & objectiones.

Plures de Romani Antistitis authoritate quæstiones pro dignitate resolvere operis nostri angustiæ non sinunt, nonnullas etiam inter consectaria infrà derivanda sufficienter, tametsi non operosè, attingam; at infinitas alias Theologis positivis, & Iuris Canonici peritis ventilandas relinquo. Ad doctrinæ tamen stabilitæ lucem & tutamen quasdam placet præceptiones instituere, quibus innumeras lites quadantenus interlucabimus, & pullulantes sine fine objectiones putabimus.

Sciendum itaque primò, eximiam aliis à Petro Apostolis quæcumque super terram ligandi concessam potestatem, ob quam pari omnes consortio honoris fuisse præditos, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudinem solidatam Patres nonnulli affirmant, Petri tamen primatui nullatenus officere vel adversari, ut satis suprà ostendimus, omnique argumentorum genere communivimus. Sed in præsentiarum magis exponere, magisque ex Patribus illustrare, ut innumeræ difficultates præcludantur, operæpretium est. Itaque Apostolis non est ligandi solvendique vis collata, tanquam supremis & independentibus potestatibus; sed sicut ministris præcipuis, uni tamen superiori principaliorique authoritati subordinatis, ut unitas totius corporis uno in capite radicata & fundata salva consisteret. *Inter Beatissimos Apostolos*, inquit Magnus Leo epist. 84. *in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut cæteris præemineret.* Et B. Cyprianus lib. de unit. Eccles. *Hoc erant utique & cæteri Apostoli quod fuit Petrus, pari consortio præditi honoris & potestatis: sed exordium ab unitate proficiscitur, primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & cathedra una monstretur.*

Et sanè hierarchica Ecclesiastici ordinis unitas & tranquillitas sicut unum adorat Deum, unum Redemptorem agnoscit, unam fidem prædicat & baptisma unum, unam legem, unum exigit eorundem Sacramentorum usum: ita unum caput postulat, & totius uniformis regiminis Principem veneratur. Quocirca regimen spiritale politico longè antecellit. Cùm enim diversæ nationes pro varietate locorum variis egeant institutis genio & moribus accommodatis, plurima etiam sunt in distinctis discrepantibusque ditionibus Reges, quorum unus ab alio nequaquam pendet: At verò in spiritali Christi regno gentes omnes quàmlibet moribus discrepantes, in unam tamen coïre fidem, eidem subdi Evangelio, iisdem disciplinæ legibus collum subjicere tenentur, unde ad unam sacri regiminis formam à cœlesti hierarchia exemplatam, unitas omninò requiritur summi Sacerdotis. Si enim Rex unus est apibus, si ductor unus in gregibus, si in armentis rector unus, si militum copias unus continet Dux, si regno imperat Monarcha unus, si Rempublicam Dictator administrat, si domum paterfamilias, navim nauclerus unus gubernat; quidni Hierarcha unus unam Christi reget Ecclesiam ovili, exercitui, regno, navi, & domui sacris in literis comparatam?

Verùm enim verò, si Apostoli ad tantum sublimis potestatis culmen provecti, Principem tamen unum Petrum agnoscebant, multò potiùs non possunt Episcopi in cujusvis Sedis fastigio sedentes Romanæ Sedis Antistitum primariam potestatem & principatum spiritalem

titalem detrectate. Veritas enim est, Apostolis, utpote primis Evangelii præconibus, Ecclesiæ Christi, ut sic dicam, confundatoribus & propagatoribus, & nominatim Paulo Doctori gentium & Magistro in veritate, & Vasi electionis nomen Christi coram gentibus omnibus portaturo, extraordinariam in totum orbem concessam fuisse potestatem, in illis Ecclesiæ nascentis cunis pariquè singulis necessariam, ut cœlestem doctrinam per totum quàm latè patet mundum propagarent. Sicut eandem ob causam illis primitias Spiritus, plenitudinem scientiæ, confirmationem in gratia, donum linguarum, virtutem miraculorum, assistentis Spiritus sancti munera, spiritualiumque charismatum beatissimam copiam largissimè Deus effudit, quo Ecclesiam, ut ita dicam, in fieri, id est nascentem, & adolescentem alerent, pascerent, informarent. Huic autem insolitæ & extraordinariæ potestati, quam Patres mirati sunt, cæteri Episcopi minimè successerunt; neque enim unus in alterius sibi æqualis Antistitis diœcesim potestatem habet, quia nimirum non sunt fundatores, sed conservatores Ecclesiæ jam institutæ, & in omnem terrarum orbem protensæ: unde extra Concilium œcumenicum, in quo sedentes pro tribunali, totius corporis Ecclesiæ causarum judices sunt, & Patres, & Doctores, extraordinariâ Apostolorum potestate non vigent, sed ordinariâ, qua ut Episcopi positi à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, in suis quique ditionibus post distributionem provinciarum pollebant. Porrò potestas saltem ordinaria Apostolis eorumque successoribus Episcopis concessa, & in Ecclesia permanenter duratura, uni omnium supremæ supposita est, ut Fidelium congregatio non assimiletur scopis dissolutis, sed sit veluti castrorum acies ordinata. Quia ut dixit Bernardus, *Ubi unitas, ibi perfectio.*

Sciendum secundò, nonnullos antiquos & recentiores quietis impatientes, & laborantes prurigine omnia sugillandi, atque de Romanis Pontificibus obloquendi cacozeliâ actos, receptam à Catholicis omnibus de primatu Petri & successorum ejus sententiam lacessere non desinere: quia consuetudine omnia fastidiendi in naturam inductâ, amoréque sui tumentes, nihil magni habere se crederent, nisi maxima quæque carperent, & conquisitis affectatæ eruditionis technis inumbrarent. *Parvo nihil parvum, magno nihil magnum*, aiebat non coram Deo, sed coram se magnus Seneca. Ita istis Apostolicæ Sedis, cui veluti centro uniti Catholici sumus, hostibus parva parvique facienda videtur illa Cathedra, cui Christus commisit orbem terrarum, ut cunctis ovibus & agnis sibi sine discretione concreditis latiùs præsideret religione divina, quàm dominatione terrena: minusque esset quod sibi bellico labore olim Roma subdiderat, quàm quod pax Christiana subegit, ut multa regna uno confœderarentur imperio, & citò pervios haberet populos prædicatio generalis, quos unius teneret regimen civitatis, uti Magnus Leo *serm. 1. in Natali Apost.* prosequitur. Isti verò morosi ardeliones omnem de Apostolica Sede detrahendi occasionem nanciscentes, nulla ex Ecclesiæ Romanæ juratis hostibus argumenta deprompta prætereunt; nova etiam omni labore adinvenientes, videntur se loqui aliquid grandius ore mortali, ratì sibi fore honorificum & gloriosum, si cum Sede soli Deo inferiori congrediantur. At enim quid emolumenti tandem reportant? Suum in Ecclesiam illam Apostoli ore laudatam odium non argumentis, sed levissimis conjecturis, vel potiùs sophismatis, malisque artibus produnt.

Sed dices: Magnus ipse Gregorius *lib. 7. epist. 69.* titulum *Episcopi Universalis* repudiavit; unde in multis Iuris Canonici locis ex eodem Gregorio prohibetur, ne Romanus Antistes, Universalis Episcopi nomenclaturâ insigniatur: Ergo Romano Pontifici non est in universam Christi Ecclesiam divinitus collata potestas suprema.

Respondeo, titulum Universalis Episcopi humillimum S. Gregorium respuisse, tum ad confundendam Ioannis Patriarchæ Constantinopolitani superbiam, qui eum sibi turgentem titulum impudentissimè arrogarat. Tum ad æquivocationem sub nomine *universalis* latentem retegendam, quod vel universalem in essendo, ut loquuntur, vel in causando significare potest. Quanvis enim Romanus Præsul sit Episcopus universalis veluti in causando, quatenus omnes inferiores Prælatos regit, ad eorum consulta respondet, in eosque fluenta doctrinæ & disciplinæ, uti suprà S. Innocentius aiebat, derivat: non tamen Episcopus est universalis in essendo, quasi ipse sit proprius & proximus cujuslibet Ecclesiæ particularis Pastor. Et hunc sensum indicat Gregorius in ratione quam subjungit: quia si esset universalis, cæteri non essent Episcopi. *Si unus*, inquit, *universalis est, restat ut vos Episcopi non sitis.* Et lib. 4. epist. 34. *Triste valde est, ut patienter feratur, quatenus despectis omnibus, prædictus frater & Coepiscopus meus, solus conetur appellari Episcopus.*

Porrò si Pontificibus sentientibus in se sicut in Christo Iesu, id est christianâ humilitate, prærogativarum inflatos titulos detrectantibus tam sponte vitiligatores illi credunt, cur iisdem Sedis suæ primatum & potestatis plenitudinem affirmantibus non credunt? Syricio pro suo arbitratu rem à Synodo maturè discussam absque ratione rescindere nolenti, sed statuta Patrum sicut propria custodire satagenti: Gregorio etiam Episcopi universalis in essendo, id est solius Episcopi titulum invidiosum respuenti fidem lubentissimè adhibent: quidni ergo sancti Innocentii, Sanctique Leonis non tam vocibus quàm fulminibus superiùs productis cedunt? Ipsius saltem Gregorii Magni, cujus profundam humilitatem mirari, non in depretiationem primæ Sedis intorquere debuerant, voces audiant, quas ad Mauritium Imperatorem scribens, sic extulit lib. 4. epist. 32. *Cunctis Evangelium scientibus loquor, quod sancto, & omnium Apostolorum Principi Petro Dominicâ voce totius Ecclesiæ cura commissa est.* ::: *Et cura ei totius Ecclesiæ & principatus committitur.* Ex quo infert, quod si Petrus tantis licèt privilegiis decoratus, non dicitur Apostolus Universalis, multò iniquiùs Ioannes Constantinopolitanus *superbam atque pompaticum* Universalis Episcopi nomen arripit, quasi solus ipse totius Ecclesiæ Episcopus sit. *Absit*, inquit, *à cordibus Christianorum nomen istud blasphemiæ, in quo omnium Sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.*

Duo etiam sunt in præfatis geminis Gregorii Magni epistolis diligenter observanda. Primum est, nomen illud Episcopi Universalis à Concilio Chalcedonensi Romano Pontifici esse assertum, sed illud Romanos Episcopos præ modestia Vicarius Christi digna non usurpasse tamen. *Certè*, inquit, *pro B. Petri Apostolorum Principis honore per venerandam Chalcedonensem Synodum Romano Pontifici* (nomen illud) *oblatum est. Sed nullus eorum unquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito Sacerdotes privarentur universi. Quid est ergo quod nos hujus vocabuli gloriam & oblatam non quærimus, & alter sibi hanc arripere etiam non oblatam præsumit?* Vide sanctæ Sedis egregiam supremæ authoritatis & majoris humilitatis temperaturam ex hoc Gregorii loco invictè probatam. Supremam primatus illius dignitatem demonstrat vocabulum Episcopi Universalis ab œcumenica Synodo Romano Episcopo oblatum, cujus etiam meminit lib. 4.

lib.4. epist.36.& 38. Sed eximiam christianæ humilitatis moderationem evincit tantæ tanti vocabuli gloriæ repulsa, ipsa nominis usurpatione gloriosior.

Alterum quod observetur dignum est, Gregorium *epist. illa 69. lib.7.* dum titulum illum ambitiosum rejicit, unà suæ Sedis primatum demonstrare, dum ait acta in Synodo à Ioanne *sine Apostolicæ Sedis authoritate atque consensu nullas vires habere.* Vnde Eusebium Thessalonicensem aliosque complures Episcopos coram omnipotente Deo contestatur & admonet, ut propriâ *pastorali constantiâ*, & suâ *Apostolicâ authoritate suffulti prædonem, irruentemque lupum excludant*, nec sinant Synodum celebrari, *quæ nec legitima quidem, nec Synodus* (reluctante nimirum Sede Apostolicâ) *dicenda est.*

In illo Gregorii processu, an christiana humilitas, an pastoralis vigoris generositas palmam referant, difficilè judicaverim. Id solùm constans & perspicuum est, nullum suâ humilitate Romanæ Sedis primatui detrimentum accersivisse Gregorium, sed primariam illius potestatem validè confirmasse. Nam & Ioannis superbiam contrivit, & acta Synodi illius, *Sede contradicente Apostolica*, soluta esse, *lib.4. epist.34.* affirmat: & injurias suæ Sedi illatas in Petrum ipsum refundi ibidem contestatur. *Etsi peccata Gregorii tanta sunt*, inquit, *ut pati talia debeat, Petri tamen Apostoli peccata nulla sunt ut pati ista mereatur.* Et nisi Ioannes resipuerit, se juxta canones adversus illum Apostolica authoritate processurum comminatur. Quibus suæ Sedis in cæteras Ecclesiss nedum Occidentis, sed & Orientis, easque præcipuas, qualis Constantinopolitana erat, primariam authoritatem clarissimè demonstrat.

Romanæ Sedis primatus Regum monarchiæ & supremo dominio egregiè favet.

Sciendum tertiò, inimicos S. Sedis, ut Pontificii Primatus defensoribus invidiam creent, opportunè importunè Regiæ Majestatis jura objicere, quæ citò dicunt peritura, si Romano Antistiti supremus in totam Christi Ecclesiam Principatus asseratur.

Verùm hæc invidiosissima, & juxta iniquissima calumnia (quæ etiam Conciliorum potestatem, & supremam Ecclesiæ authoritatem, ubicumque tandem resideat, peræquè petit) à clarissimis Doctoribus validè repulsa, falsitatis convicta, & in authores regesta est. Et certè nec exemplorum præsidia, nec rationum momenta desunt, quibus facile est demonstrare, sanctæ Sedis hostes Regum quoque esse inimicos, & supremæ Romanorum Antistitum potestatis spiritalis inficiatores disjiciendis quoque Regibus, deturbandæ Monarchiæ, fovendis perduellibus, convellendis sceptris viam sternere & munire.

Illud est & fuit semper hæreticorum genium, infinitæ libertatis amore dominationem omnem pessumdare. Illis, ut alicubi apud Sinnichium legisse me memini, classicum præcinerunt quidam Iudæi, à Iuda Galilæo antesignano dicti Galilæi, qui solum Deum appellari Dominum fas esse credebant, ideoque referente Iosepho *lib.18. Antiquit. cap.2.* gravissimas luere pœnas maluerunt, quàm Cæsarem Dominum appellare. Quamobrem Apostoli, qui à Christo Galilæo dicto Galilæi etiam cognominabantur, sæpius ejusdem criminis insimulabantur ab æmulis in nominis æquivocatione malignè ludentibus; unde ut ab ea sese suspicione discipuli Domini purgarent, debitam Regibus obedientiam inculcabant.

Quis nescit Vviclefum post indictum Ecclesiæ bellum, Reges etiam aggressum fuisse, dum peccati mortalis consciis dominii & regni jura denegavit? Hieronymum à Praga, & Ioannem Hussum, gemina diabolicæ informationis ostenta, his pestilentissimis dogmatis persussos Boëmiam intestinis rebellionibus incendisse nemo ignorat. Lutherum Henrico Angliæ Regi peræquè ac Romano Papæ fuisse injurium, & atrocissimis insectationibus maledixisse compertum est. Galliam nostram concitatis à Calvino flammis flagrantem non ita pridem Patres nostri viderunt, quas nec millionum hominum sanguis, nec infinitæ profusæ lachrymæ extinguere potuerunt. Batavia legitimi Regis imperium post introductum Calvinismum à suis cervicibus depulit. Parricidium post hominum memoriam flagitiosissimum, & solo Christi Deicidio inferius, post ejuratam Romanæ Sedis reverentiam Angliæ Primores in Regem suum Carolum Stuart, stupente orbe sub Sole toto perpetrarunt. Nec ex impetu subitæ iracundiæ, vel clandestini sicarii pugione, sed solenni Senatusconsulto in eam impietatem perduelles prorumpunt, quam credere posteri detrectabunt, nosque ipsi vix crederemus, nisi tantum facinus sæculum nostrum æternis tenebris obscurasset.

E contra pleni sunt omnes libri, pleni nominatim Gallorum Annales felicissimis eventibus, quibus regna Sedi Apostolicæ devotiora fortunavit Deus, ut in Constantino, Pepino, Carolo Magno, Ludovico Pio, Ludovico Iusto, aliisque claret. Sed invictissimi Monarchæ nostri Ludovici decimiquarti cognomento Msgni exempla hodierna splendidiora sunt, quàm ut ea prætermittam, quæ omnium oculos perstringunt, omnium admirationem cient & rapiunt. *Neque Hercules contra duos.* At noster Ludovicus Hercule major, fœderatis cum Batavis totius Europæ Potestatibus non obsistit modò, sed aggreditur etiam & prosternit. Interim urbes & provincias inexpugnabiles eâ celeritate capit, quâ venatores capiunt feras; & Cæsare felicior, nunquam venit, nunquam videt, quin vincat. Ne mirare si vincat Heros Christianissimus, qui sub Deo militat, pro Deo pugnat, pro Catholicæ & Romanæ Ecclesiæ fide & finibus propagandis laborat.

Hi sunt & fuere semper rebellionis gradus, ut primùm Monarchiæ spiritalis Romano Antistiti eximiæ jugo excusso, in deturbationem terreni & temporalis Principatus sponte irruat, superioris omnis impatiens, fiatque simul & exlex & exrex. Quia sicut non minùs reipsa quàm vocabulo affinia sunt Lex & Rex: sic hæretici legum omnium hostes & effrenis libertatis amantes, in Reges legumlatores qua data vel accepta occasione libentes insurgunt. A solis ergo Ecclesiæ hostibus caveant sibi Reges; hæretici enim post eversam infandis moliminibus spiritalem Ecclesiæ potestatem, monarchiam terrenam totam concutiunt, omnia sus déque miscent, Principatus suffodiunt, & dicunt: *Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea.* Certè cùm non sit in Scripturis expressior Regibus in populos, quàm Ecclesiæ ejusque Capiti Romano Pontifici in oves Christi à Deo collata potestas, quid acceptius tumultuosis, turbidis, & seditionum amantibus esse potest, quàm si per scandulas contritæ Ecclesiasticæ hierarchiæ, & scissæ in capite unitatis, ad illam Principum cervicibus periculosissimam, & coronis omnibus exitialem assertionem viam pateat, qua Regia potestas populo, Reipublicæ, Comitiis, vel Senatibus ad libitum arctanda, vel protendenda, punienda quoque audacissimè subjicitur?

Ratio verò fundamentalis traditæ huc usque doctrinæ ex ipso Romani Pontificis primatu deducitur, adeò ut Regum potestas in suo ordine suprema eo sit firmior, quo primatus ille est certior. Etenim dum Papa tanquam Ecclesiæ caput universas sibi subditas oves docet, non magis politicam Regum potentiam minuere, quàm suam spiritalem infringere potest; quia

utraque

utraque pariter à Deo stabilita, peræquè à Traditione recepta est. Regula autem ad quam Pontifex oves verbo doctrinæ pascens pronuntiata sua exigit, Scriptura est, vel Sacra Traditio: unde quidquid in contrarium Romanus Pontifex in Regum jura (quod absit, & nunquam Deo benè vertente, & Ecclesiam suam dirigente continget) moliretur, totum vel in errorem facti, vel privatam ipsius personalemque sententiam facilè revocaretur.

Manifestum est autem, quod ille idem qui absque ullis limitibus dixit Petro: *Pasce oves meas*, non minùs edixit: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Ille idem qui prædicavit, *Gentes sibi electas, ut per os suum audirent verbum Evangelii, & crederent*; non minori sollicitudine inculcavit: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus tanquam à Deo missis. Quia sic est voluntas Dei, ut benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam::: Regem honorificate. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dyscolis.* 1. Pet. 2.

Si quid ergo circa Regum potestatem pronuntiare vellet Pontifex, ad illius profectò verba suam definitionem exigere teneretur, cujus vices gerit Christi Servatoris; illius vestigiis insistet, cujus occupat sedem; Principis nimirum Apostolorum doctrinam æmulabitur Sedes Apostolica, dicetque procul dubio cum Beato Iuda Thaddæo, *perverforum esse, dominationem spernere, majestatem blasphemare.* Illud Apostolicum perduellibus reget: *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Commisso sibi gregi, verisque præcipiet Catholicis reddere omnibus debita; cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal; cui timorem, timorem; cui honorem, honorem. Sacerdotibus etiam imperabit, fieri supplicationes pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt. Omnes denique admonebit, Principibus & Potestatibus subditos esse, & dicto obedire.

Quia nimirum scit Romanus Antistes, quod quemadmodum nullus Catholicorum gregi incorporatus censendus est, qui ejus jussibus non paret, quem Christus æternus Pastor & Episcopus animarum orbi Christiano sine discretione præfecit: ita Christiani nominis indigni sunt, qui Regum imperium & jussa contemnunt. Scit quod ipse Christus æterni Regis Filius, Patri æqualis & consubstantialis, cùm posset à tributis immunitatem jure obtendere; nihilominus ut præberet exemplum, factisque probaret quod verbo docebat, maluit exactoribus morem gerere, quàm sibi exemptionem à communi lege vindicare. Scit Pontificiam & Regalem potestatem in suo quamque genere & ordine esse supremam; & quod sicut authore Ennodio Ticinensi, Romanæ Sedis Præsulem suo sine quæstione Deus reservat arbitrio (casibus hæresis, aliisque in sacris Canonibus memoratis exceptis;) *quia*, inquit, *Beati Petri Apostoli successores cœlo tantùm debent innocentiam*: ita etiam authore Irenæo lib. 5. cap. 24. *Cujus jussu homines nascuntur, eodem & jussu Reges constituuntur.* Scit denique Apostolum non dixisse, Non est potens nisi à Deo; sed, *Non est potestas, nisi à Deo*; quia tanquam bona colenda potestas est etiam in præfecto non bono. Vnde prudentissimè Carolum VII. Pius II. admonebat: *Vnum à te petimus, charissime Fili, ut Sedis Apostolicæ detractoribus semper non credas, multa illorum passionibus tribuens*; illorum nimirum qui Pontificiam authoritatem Regali adversari comminiscebantur.

Momentosa de Ecclesiasticis judiciis consectaria derivantur.

COROLLARIUM I. *De quæstionibus juris.*

Ex dictis hactenus sequitur, Romani Pontificis fideles docentis sententiam locum esse theologicum, unde argumenta & probationes eruere est. Si enim ad Petri successorem pertinet oves Christi verbo pascere, & fratres confirmare, sine dubio ejus authoritas pluris in Theologia facienda est, nec potest à Catholicis contemni.

Ad cujus claritatem considerandum est primò, quod quamvis laudabilis sit eorum zelus, qui Pontifices etiam ut privatas personas nunquam in hæresim lapsos esse contendunt, quia, inquiunt, non est verisimile quod homini hæretico fidei summam Deus committat, vel possit alios in fide confirmare, qui seipsum dirigere non valet: tamen ut ab infioriis ex Ecclesiastica historia depromptis instantiis expediti liberemur, distinguere placet errorem in personalem & judicialem. Nam in Petro aliud erat pertinens ad privatam excellentiam, aliud ad communem Ecclesiæ utilitatem. Romanus autem Pontifex non est hæres culparum, virtutum, sanctitatis, aut prærogativarum personalium Petro à Domino concessarum; sed in his Petro succedit, quæ spectant ad communes & necessarias Ecclesiæ utilitates. Quidquid ergo sit de erroribus personalibus, abstrahendo etiam ab illa quæstione (quam pro sua dignitate in præsentiarum resolvere non vacat) utrum Summi Pontificis definitio ad Ecclesiam directa sit infallibilis regula fidei: quidquid, inquam, sit de illis quæstionibus, à quibus omninò abstrahimus & intactas volumus, id tamen certum est, Pontificem per sua judicia Christi Ecclesiam nunquam posse in errorem abripere.

Quin etiam, ut rectè in suis de Ecclesia commentatiis observat eximius Sorbonæ Doctor Ludovicus Halé, abstrahendo à quæstione de infallibilitate Summi Pontificis, ea tamen est præcogitativa Sedis Romanæ, quæ à fide ita nunquam deficere potest, ut ab Ecclesiæ corpore per apertam separationem avellatur. Ecclesia enim nunquam ab unitate sua discedet. At Romana Sedes centrum est Ecclesiasticæ unitatis: Ergo nunquam sedes illa ita à fide defectura est, ut à reliquo Ecclesiæ corpore avellatur. Vnde Augustinus in Psal. contra partem Donati: *Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Sede Petri; ipsa est Petra Ecclesia, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Hinc Nicolaus I. *in epist. ad Michaelem Imperatorem*, ait: *Privilegia ipsius Sedis perpetua sunt, divinitus tradita atque plantata: impingi possunt, transportari non possunt.* Et Leo IX. *in epistola ad Petrum Antiochenum*, asserit orationem Christi obtinuisse, *quod hactenus fides Petri non deficit, nec defectura creditur in throno ipsius.* Quia nimirum, ut Magnus Leo sæpè citatus ait, sicut permanet quod in Christo Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Christus instituit, in cujus Sede Petri vivit perseveratque potestas, & excellit authoritas. Vnde nec ab Ecclesia Catholica toto orbe diffusa Sedes Romana separari, nec à Romana Sede vera Christi Ecclesia recedere unquam potest. Vnde præclarè Petrus Aurelius *in vindiciis censuræ, pag.* 13. ait posse quidem privatos homines crimen illud admittere, & ab Ecclesia Romana deficere schismata conflantes: *Sed tota*, inquit, *simul multitudo Christianorum fidelium tanti mali est incapax: ideòque nec ad punctum temporis sponsi sui Pontificis maximi vel viventis amorem, vel mortui desiderium abjicere potest.*

Considerandum secundò, non solum Romanum Pontificem, sed etiam Prælatos omnes, & quosvis in

dignitate constitutos duplicem veluti personam induere, privatam scilicet & publicam. Quam distinctionem licèt quidam irrideant, nihilominus tot sunt illius præsidia, ut nemo prudens respuere illam meritò possit. Quis enim nisi communi sensui intercedens valeat inficiari, Prælatos supremosque judices, dum decreta edicunt, dum censuras ferunt, dum sedent pro tribunali, non privatæ, sed publicæ personæ munus gerere & sustinere? Quis ignorat Magistratibus, Legatis, Regumque Oratoribus longè excellentiorem deferri honorem eo, qui eis ut privatis personis exhibetur, injuriasque eis quà publicis Ministris intentatas eo esse atrociores, quo bonum commune est peculiari divinius? Nonne Caïphas, quia erat Pontifex anni illius, quantumvis ut privatus de Christo malè sentiret, præter mentem divinum illud oraculum, quo tota Redemptionis œconomia compendiosè continetur, Spiritu sancto linguam præmovente, eructavit tamen: *Expedit ut unus moriatur pro populo, ne tota gens pereat?* Nonne ipse Legislator noster Christus post improbatas Scribarum & Pharisæorum privatas noxas, eorundem tamen super cathedram Moysis sedentium dicta reverenter excipienda, & exequutioni mandanda præcepit? Denique quid crebrius & verius in libris asceticis, Theologisque moralibus inculcatur? quid Concionatores commovendorum ad pœnitentiam hominum causâ majoribus clamoribus de sacro suggestu deplorant, quàm non paucos, qui quà privati ad regna cœlorum pervenissent, perfunctos tamen honoribus & prælaturis æternùm perituros? Quia nimirum immanè distant vitæ privatæ & publicæ officia; unde potentes potenter tormenta patientur, qui licèt privatis muneribus fecerint satis, publica tamen officia vel sustinuerunt incuriosè, vel certè prodiderunt. Ergo homines, illi potissimùm qui aliis præsunt, duabus quasi induuntur personis, quarum una communis est & publica, altera quæ propria spectat negotia, & prudentià domesticâ, vel etiam monasticâ gubernatur. Ergo distinctionem illam personæ publicæ & privatæ, quam expungere nonnulli moliti sunt, omnium non Theologorum modò, sed & hominum communissimas notiones non respuentium usus induxit, & consensus munit.

Ex quibus consequitur, privatas summi Pontificis sententias (quod idem de aliis quibusvis Ecclesiæ Prælatis proportione servata dicendum est) longè minoris esse ponderis & authoritatis iis decretis quæ pro communi bono Ecclesiæ post orationum, collationum, disputationum, aliarumque id genus dispositionum apparatum Pastor Ecclesiæ constituit. Nemo, ni fallor, dubitabit, quin Innocentii III. opuscula, gravia licèt & erudita, iis Decretalibus authoritate inferiora sint, quibus idem Pontifex ad Episcoporum & Ecclesiarum consulta respondet. Adriani Papæ in libros Sententiarum commentarios nullus epistolis Innocentii I. ad Synodos Africanas directis æquiparabit. Omnes etiam Theologi fatentur Romanæ Sedis responsa & pronuntiata, quibus rogata ab Ecclesiis aliquid ad fidem vel bonos mores pertinens, directis ad totam universim Ecclesiam diplomatis, Ecclesiáque universâ consensu suo decreta illa divinis Fidei morumque regulis consona esse comprobante, definit, fideles omnes adstringere. Ergo manifestum est posse aliquid ab Ecclesiæ judicibus quà publicis ministris proficisci, quod majorem sibi vendicat authoritatem. Et in hoc sensu distinctionem decretorum Episcopalium, atque adeò & præcipuè summi Antistitis *ex Cathedra*, vel ex privata sententia, commodam & legitimam esse nemo inficias iverit.

Est tamen alia distinctio nonnullis quidem probata; quam tamen, ut quod sentio aperiam, nec veram reor, nec ferè intelligibilem. Quidam ergo Romanam Ecclesiam à Romano Antistite discernentes, illi præcipuam authoritatem concedunt, quam isti denegant. Sed hic scrupulus facilè evellitur. Tum quia omnia alicujus Sedis privilegia non nisi pro sedente instituta sunt. Tum quia qui ad Sedem Apostolicam accedit, non omnes Romanos incolas, vel Clerum adit universum, sed sanctissimum Christi Vicarium consulit, ab eoque expectat & oracula doctrinæ, & responsa salutis. Tum quia non populo Cleroque Romano, sed Petro ejusque successoribus factæ sunt promissiones ita præcisè & minutatim, ut Petrum in individuo iis characteribus Christus designaverit, quibus accurati, & ut sic dicam formalistæ tabelliones solent tabularum publicarum acta solicitè & penè anxiè communire, ut anteà ponderavimus. Tam luculenta autem Christi verba tam singulatim Petro asserta in sensus tropologicos detorquere, est illis aditum patefacere, qui verba illa, *Hoc est corpus meum*, sensibus metaphoricis inumbrant. Tum quia à Romano duntaxat Episcopo sacra hactenus Concilia decretorum confirmationem, difficultatúmque enucleationem postularunt. Tum demùm, quia alioquin in Christianismum democratia & confusio Babylonica invehetur, Ecclesiastici Imperii sacra monarchia destruetur, & radicitus exstirpato Ecclesiæ Capite, totum Ecclesiæ corpus à fundamentis evertetur. Vnde quidam Theologus Parisiensis in paucis celebris Author, nimirum Theologiæ familiaris, sic rectè scripsit: *Authoritas Pontificalis stabilis penitus & immobilis, & velut anima Ecclesiæ; subjectum autem & quasi materia authoritatis illius est persona illa, cui Deus potestatem largitur.* Et longè antè S. Leo *serm. 3. de sua assumpt.* io divinum hunc rugitum prorupit, quo tota hæc dissertatio compendio continetur: *De toto mundo unus eligitur Petrus, qui & universarum gentium vocationi, & omnibus Apostolis, cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur; ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Christus.* Quod autem ibi de Petro dixit, in successores ejus esse dilatandum, & perpetuò in Ecclesia duraturum manifestissimè locis suprà laudatis affirmavit.

Denique advertendum est, Ecclesiastica de jure judicia, sive à Pontificibus, sive à Conciliis lata, esse diligenter ex contextu ponderanda. Neque enim intendunt omnia quæ proferunt æquali semper authoritate vigere. Cùm enim verbis opinandi, vel probabilitatis utuntur (sicut in Clementina unica de summa Trinitate, probabilior eligitur opinio de infusione virtutum) vel si controversia relinquitur indecisa & indefinita, ut in omnibus de conceptu immaculatæ Virginis hactenus emanatis diplomatis liquet; tunc etsi Pontifex in unam vel alteram partem videatur propensus, non intendit tamen rem tanquam ad fidem pertinentem definire. Tunc verò intendunt Ecclesiastici judices rem ad fidem spectare, cùm vel sub interminatione anathematis, vel sub pœnis hæreticis infligendis aliquid proponunt, oppositumque aiunt Ecclesiæ regulis, Scripturæ & sacræ Traditioni adversari. Illud etiam considerandum, quod quando Pontifices & Concilia aliquid obiter & in transcursu præter præcipuum institutum dicunt, non continuò censent illud ad fidem pertinere. In decretis namque duo distinguere est, & intentam conclusionem, & rationes conclusionis: conclusionem fidelibus credendam proponunt; ad rationes autem quas producunt defendendas, pro aris & focis pugnare inutile est, quia sæpè afferunt causas non necessarias, sed verosimiles; non cogentes, sed congruentes.

COROLLARIUM II. *Ecclesiæ de quæstionibus facti judicia magnâ quidem cum reverentiâ excipienda sunt, at errori absolute obnoxia sunt tamen.*

NUlla est, vel esse potest in prima hujus consectarii parte difficultas. Nemini enim Catholico dubium est, quin authoritas summi Pontificis & Ecclesiæ in quæstionibus facti decidendis magni sit ponderis & momenti, quas in suis constitutionibus & diplomatis ad totam Ecclesiam directis recensent. Quæ enim authori gravi & cordato, vel historico locupleti adhibetur fides, non est summo Antistiti, aliisque Ecclesiæ judicibus deneganda, qui in omnibus quâ par est gravitate & prudentiâ, ascitoque peritiorum judicio procedere solent. Sanè idcirco credimus Arium circa Trinitatem, Nestorium circa Incarnationem, Pelagium circa gratiam impegisse, quia Pontifices & Concilia, à quibus hæresiarchæ illi profligati sunt, ita esse testantur. Usus etiam ad nostra usque tempora perennitet certos libros proscribens, idem apertè confirmat. Si enim Christi Vicario, Prælatisque Ecclesiæ parendum humiliter est dum alicujus codicis lectione interdicunt, quidni iisdem parendum erit, dum personam aliquam feriunt, & hæreticis accensent? cùm etiam per excommunicationis latam sententiam personæ ipsæ censuris iniustæ proscribantur.

Itaque certum est & fuit semper, Pontificiam authoritatem posse se ad privatas personas, earumque libros extendere, eosque erroris & accusare, & damnare, ut continenti Ecclesiæ praxi perspicuum est. Ergo cùm legitimam authoritatem revereri teneamur, manifestum est Ecclesiæ & Pontificum de quæstionibus facti judicia magno esse honori habenda.

Quanvis ergo hujusmodi judiciis non sit, nec possit fidei infallibilitas & certitudo esse annexa, non hoc propterea solo nomine judicia Pontificia, vel Synodalia eludi possunt, ne omnia ludificari velimus: quia ut rectè & eleganter dixit Petrus Aurelius, omnes Prælatorum sententias juridicas (de quarum subreptione non constat, aut justa est dubitandi ratio) omnes colere, omnes venerari oportet, ut Pastorum vocem, ut Magistrorum Ecclesiæ doctrinam, ut eorum quibus dictum est, *qui vos audit, me audit.* Non omnia morosè perscrutari, vel viriliti gādo dijudicari oportet, sed piè, sed humiliter, sed quietè eorum judicium suscipiendum est, quibus pascere oves, & dubios confirmare fratres à Domino commissum est.

Falli in his judiciis & Pontifices & Concilia posse omnes alicujus notæ Theologi posteà referendi docuerunt: at non continuò respuenda illa judicia sunt, quandiu falsitas, vel subreptio non apparent. Quod in his falli possint, dum falli eos nulla bona ratio persuadet, nihil mea refert, ut cum Bernardo *lib. de precept. & dispens. cap.* 12. loquar, qui non sum conscius. Præsertim cùm teneam de Scriptura, quod labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex ore ejus requirunt, quia Angelus Domini exercituum est. Ergo à labiis custodientibus scientiam leges omnes reverenter accipiam: *ipsumque proinde* (verba sunt Bernardi) *quem pro Deo habemus, tanquam Deum, in his quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus. Hi fuere sensus* (inquit præfatus Aurelius Bernardi verba ponderans) *hæc pietas, hic in Deum & Dei Præsules honor meliorum Christianorum, & ipsorum etiam hæreticorum,* qui nimirum Episcopalia judicia hoc solo nomine nunquam eluserunt, quòd dicerent infallibilis non esse authoritatis. *Tanta enim* (subdit) *per omnem Ecclesiam, tam humilis, tam casta in Episcopos Ecclesia Patrum observantia percrebuerat, ut ejus etiam vestigia in transfugis hæreticis remanerent.*

Sanè si in humanis judiciis nemo mentis compos eo defensionis seu effugii genere utitur, quis tuto eo solo titulo Ecclesiastica judicia ludificari, & ad nihilum redigere præsumet, quòd errori absolutè obnoxia sint? At nemo ita insanit, ut idem Author egregiè monet, ut judicis, vel Senatus, vel Regis sententiam repudiet, quòd sit ab hominibus lata, infirmis utique ac labilibus. Nemo exceptionem illam admittit, judicem nimirum falli posse, dum reipsa deceptum esse non patet. Certè nisi gravis urgeat in contrarium ratio, hoc effugium nemo cordatus aliud esse censuerit, quàm pertinacis animi, & ipso lumine communi carentis obstinationem obedire detrectantem. Privilegium infallibilitatis, inquis, in rebus facti non habet Ecclesia. Dictum benè. At tu privilegium iis judiciis sine gravi causa obsistendi unde habes? In facti litibus dirimendis Ecclesiæ Præsules non sunt ab errandi periculo immunes, addis, infirmitate circumdati, labiles, mortales denique, non Angeli, vel Beati. Ita planè: sed an propterea expectandus de cœlo Angelus, vel Beatus immobili æternitate fruens, ut quæstiones illas exerto ore definiant? Hanc cogitationem respuit communis sensus, respuit tam quietique animi verecundia.

Stultissimum est (aurea sunt Aurelii verba) *& inauditum istud genus exceptionis adversus constitutas publicè authoritates, quarum nulla incolumis esse poterit, si debitum eis honorem pudoremque hoc telo concutere liceat, quo humanarum rerum omnis ordo & discrimen evertitur, omniaque ad peræquationem & confusionem fœdissimam deducuntur. Falli posse publicarum potestatum judicia, non inficiamur; homines enim sumus, & naturæ nostra meminimus. Sed si illa judicando falli possunt tot tantisque præsidiis, quibus ab errore vindicentur præmunita, quantò magis in reprehendendo falli poterunt privati homunciones, nulla re cum eis conferendi? Superbia nimia est modestiam exigere, quam ipse non exhibeas; infirmitatis humanæ admonere, quam in te obliviscaris. Quod si & tu homo es, & falli potes, & nihil est quod in te audiendo me securum ab errandi periculo præstet, quantò æquius spectatarum, commendatarumque publicè authoritatum judicia reverebor quoad mihi de earum errore, si quis subest, certiore argumento constet, quàm reprehensione tua hominis longè incertioris, & futilioris, & ad errandum pronioris, & rebus omnibus infra earum præstantiam authoritatemque dejecti? Nam quandiu dubitandi locus est, nec aperta erroris fides, perspicuaque erroris evidentia in judiciis publicis ostenditur, repudiari debent, longèque amandari privatorum voculæ, ac reorum, præcipuè damnatorum protervi clamores. Nec illustres probatique judicantium consessus à perpetuæ notissimæque authoritatis, ac fidei possessione sine manifestis & ineluctabilibus argumentis depelli possunt. Hoc enim gentium omnium commune jus in minimis rerum minimarum controversiis quotidiano usu observatur, nec sine summa iniquitate in rerum omnium maximis negligi potest. Hoc denique cuneo Ecclesia Catholica suam in fidei mysteriis, disciplinæque mysterii perpetuitate authoritatem tueri solet adversus hæreticorum temeritatem, errores ei, imperitias, hæreses, fœdas in omni genere labes similiter objectantium: strenuèque asseverat, & hoc uno verbo petitiones eorum elidit, non posse sibi sine perspicua iniquitate abjudicari & eripi antiquæ perpetuæque authoritatis possessionem, nisi illa crimina & illa reprehensiones ita evidenter & apertissimè patefiant, ut nulla penitus dubitatio supersit, quemadmodum in legitimis tribunalibus usurpatur; alioquin in dubio meliorem esse conditionem possidentis, atque adeo immobilem & invictam.* Ergo cùm Ecclesia Catholica judicandorum factorum potestatem possideat, nec possit illi antiquæ, perpetuæque authoritatis possessio sine perspicua iniquitate eripi quoad lucidissimæ & penitus ineluctabiles in contrarium rationes proferantur, ex certissima justitiæ lege judicia illa revereri tenemur.

Altera corollarii pars exponitur, & demonstratur, atque concordi Theologorum assensu confirmatur.

Præcipuus & totus difficultatis cardo in hoc positus est, utrum hujusmodi de factis occurrentibus lata judicia tam infallibili polleant authoritate, ut non solùm illa revereri, illis parère debeamus, sed illis etiam assentiri fide divina teneamur. Res fiet exemplo illustrior & planior: Quando Concilium, vel Papa pronuntiant, aliquem librum esse hæreticum ob quasdam propositiones in suo naturali sensu erroneas, quæ ex eò affirmantur excriptæ, quæritur utrùm tunc non solùm sint reprobandæ propositiones damnatæ (quod pertinet ad quæstionem de jure) sed etiam utrum credendum sit fide divina & supernaturali, propositiones illas totidem verbis repetiri in authore damnato, sensumque erroneum fuisse ab ipso Authore prætensum, nec posse ad catholicum revocari. Et hæc vocatur quæstio facti non revelati. Dico *non revelati*; nam de factis revelatis, & apertè in sacris paginis expressis nemo ambigit quin ad objectum fidei saltem secundarium pertineant; quia cùm divinâ revelatione (quæ est ratio formalis & motivum fidei) innotescant, non minùs repugnat illis posse subesse falsum, quàm impossibile sit mentiri Deum. V. g. non solùm doctrina Hymenei & Phileti (de qua 2. *Timot.* 2.) fuit hæretica, sed etiâ ipsos à veritate excidisse, & in hæresim lapsos esse, sicut etiam Sadducæos & Samaritanos schismaticos extitisse, ea fide credimus, quâ factis Scripturis & verbo Dei assentimur, idest immobili, supernaturali, divinâ, falli vel fallere nesciâ.

Statu quæstionis sic ob oculos posito, sententiâ nostra ita certa est, ut nullus alicujus nominis Theologus ante quindecim circiter annos inveniatur, qui non solùm oppositum non senserit, sed qui eam etiam vel in dubium unquam revocarit. Imò illud firmissimum adversus hæreticorum calumnias præsidium esse existimarunt, si Conciliis & Pontificibus nonnullis ab aliis Conciliis, aliisque Pontificibus impositas hæreses ad errorem & deceptionem circa facta nonnunquam contingentem revocarent.

Ita expressè Cardinalis Bellarminus *lib.* 4. *de summo Pontifice, cap.* 11. affirmat sextam & septimam Synodum, necnon Adrianum Papam, & Leonem II. in causa Honorii potuisse decipi, quando eum hæreseos Monothelitanæ damnaverunt. Eadem ratione affirmat Stephanum & Sergium errasse in quæstione non juris, sed facti gravissimi, dum pronuntiarunt Formosum non esse Papam legitimum, ab eodemque ordinatos iterum ordinari præceperunt. Idem affirmat Cardinalis Baronius in eadem causâ Honorii, contestans id nemini dubium esse posse. Subscribunt eidem veritati Nicolaus Coëffetæus *in suis pro Pontificibus apologiis*, satis notis; Duvallius *in suo de infallibilitate summi Pontificis tractatu, part.* 2. *q.* 1. Stapletonus *in suis controversiis*, Petavius *lib. de pœnitentia publica, cap.* 2. & *opere de dogmatibus theologicis*, collatam à Conciliis in Honorium & Theodorum hæreseos criminationem hac nostrâ doctrinâ diluendam contendit. Idem Dominicus Gravina *in suis præscriptionibus*, Melchior Cano *opere de locis*, & Ioannes à Sancto Thoma *in tractatu de summo Pontifice*, non semel docuerunt. Denique Cardinalis Pallavicinus nostram assertionem tanquam exploratam supponit *Historia Concilii Tridentini lib.* 7. *cap.* 14. & *lib.* 11. *c.* 8. De mente porrò S. Thomæ postea elucebit.

Nec sanè potuerunt Catholici Theologi illi assensu suum non præbere assensum, quod in Ius Canonicum tanquam regula immobilis & indubitata insertum est. Nam *cap. Nobis, de sententia excommunicationis*, sic habetur: *Iudicium Dei veritati, quæ non fallit, nec fallitur, semper innititur: judicium autem Ecclesiæ nonnunquam opinionem sequitur* (in definitionibus nempe factorum, judicia enim Ecclesiæ de jure & controversiis fidei uni etiam veritati, nimirum verbo Dei scripturis vel traditione ad nos transmisso innixa sunt,) *quam & fallere sæpè contingit & falli. Propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud Ecclesiam sit solutus; & qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit sententiâ innodatus.*

Hujus etiam sententiæ veritate fuisse persuasam sacram Congregationem Cardinalium, patet ex judicio lato de opere Gregorii de Laude, Neapoli edito anno 1660. Scopus ejus Authoris *cap.* 67. *pag.* 281. is est, Abbatem Ioachim ab erroribus illi à Magno Concilio Lateranensi affictis vindicare. Huic suo conatui præmittit ex Dominico Gravina, magnum interesse discrimen jus quæstionis inter & factum authoris, quo posito non intendit attributas Ioachimo sententias adversus Concilium Lateranense defendere, sed ipsum ab hujuscemodi errorum labe purgare. Ad examen vocavit librum illum sacra Congregatio, & re maturè discussâ, verba illa Authoris, quibus se *id intendere* professus fuerat, ita mutari præcepit: *Conabimur tamen, si fieri potest, Ioachimum defendere.* Ergo ex mente sacræ Congregationis etiam post judicia Ecclesiæ, & tale judicium, quo nullum in Ecclesia solennius hactenus fuit, Magni nimirum Concilii Lateranensis 1280. Patribus constantis, licitum est ob graves rationes, reprobandos errores, Authores illos purgare, qui eis inspersi sunt. Noverat siquidem sapientissima Congregatio, quod sicut Augustinus *lib. de utilitate credendi* docet, non solùm nihil esse detrimenti, sed non parum esse utilitatis, cùm ex alieno scripto intelligitur aliquid veri, etsi fuerit hoc ille qui scripsit, non intellexerit, nec ob aliud Author placeat, nisi quòd eum sensisse non putatur, quod sentire non oporteat, tunc nullus error obsibitur: quod si in malè intelligendo, & ad bonum sensum Authore reducendo contingit, *Hic error non modò humanus est, sed etiam homine dignissimus. Non enim mala facta* (addit idem Pater *epist.* 38. quod de libris & scriptis peræquè valet) *hominum cognoscendo, sed cognitis non consentiendo, de incognitis autem non temerè judicando, innocentiam custodimus.*

Ipsi etiam summi Pontifices non negarunt, sed confessi sunt, se in factis judicandis & falli quandoque, & fallere etiam posse, & humiliter & verè agnoverunt se interdum intellectu imprudentiâ obscurato, interdum voluntate infirmâ peccare, qui propterea, sicut alii, ad Sacramentum pœnitentiæ quotidianarum culparum conscientiâ acti accedere tenentur. *Quid mirari* (inquit Magnus Gregorius lib. 1. dialog. cap. 4.) *quia fallimur, qui homines sumus? Quid mirum, si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui Propheta non sumus? Multùm verò est quod uniuscujusque Præsulis mentem curarum densitas vastat, cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula; tantòque ei in una qualibet re subripitur, quantò latiùs in multis occupatur.* Hinc lata ab uno Pontifice de his factis judicia, & ab eodem, & ab aliis Pontificibus nonnunquam rescinduntur, aut revocantur, aut abrogantur, aut immutantur, aut temperantur. Quia nimirum Pontifices in hujusmodi decretis condendis nec divinâ ullâ revelatione, nec Scripturis, nec traditione, sed humanâ duntaxat prudentiâ reguntur. Quamvis autem evidens esse possit videntibus, & ab absentibus præsumi debeat, summum Pontificem esse prudentem & fidelem dispensatorem, id tamen nunquam fide constat. Cùm etiâ sapientiores & sanctiores Pontifices veritate coacti, & propriis experimentis eruditi ultrò fateantur, supremam suam dignitatem non solùm in applicandis legibus, aut

aut in judiciis quæ pendent ex informatione factorum & ponderatione circumstantiarum ferendis, ab errandi periculo non eximi, sed potiùs propter illam qua obruuntur negotiorum immensam molem, pluribus erroribus aut fraudibus exponi. Vnde Alexander III. *cap. Si quando, de rescriptis*, ad Archiepiscopum Ravennatensem aiebat: *Aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas quare adimplere non possis, rationabilem causam prætendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.*

Ergo ipsismet Pontificibus fatentibus, judicia de factis errori obnoxia sunt & reformationi. Vnde omne de quacumque re, etiam ex informatione factorum & circumstantiarum pendens judicium eadem fide suscipere, & sine delectu defendere, non est Ecclesiæ vel Apostolicæ Sedis authoritatem & jura fovere, sed labefactare; non firmare, sed evertere; non decorare gloriam, sed imminuere, & hæreticorum ludibrio & sannis exponere. Non eget Petrus nostro mendacio, adulatione nostra non eget, primaque ac summa Sedes veris tam abundè cumulata prærogativarum titulis, falsis & commentitiis non eget honoribus. Quin potiùs non in vindicanda sibi in factis judicandis infallibilitate, sed in revocandis quæ interdum per subreptionem judicata sunt, gloriam suam quàm verissimè constituit, quia nihil illi veritate charius, nihil antiquius æquitate. *Hoc solet habere præcipuum Apostolica Sedes* (inquit Bernardus epist. 180.) *ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate, & laude digna, ut de mendacio nemo lucretur, præsertim apud sanctam & summam Sedem.*

Rationes hujus secundæ partis.

Ratio à priori hujus posterioris partis traditur à S. Thoma 2. 2. q. 1. ubi docet articulos fidei temporum successione non crescere quoad substantiam, sed penes explicationem dumtaxat. Manifestum est autem, fidem nova quotidie suscepturam esse incrementa, si facta emergentia ad objectum fidei pertinerent. Sic ergo formatur ratio: Vt aliquid ingrediatur objectum fidei essentialiter, requiritur ut innotescat verbo Dei vel scripto, vel continua traditione ab Apostolis & Patribus ad nos derivata: tum quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi: tum quia Ecclesia non habet novas revelationes, nihil de novo condit, sed vetera dumtaxat proponit aut exponit; idcóque juxta præceptum Pauli, depositum custodit sibi creditum, non à se inventum; quod accepit, non quod excogitavit; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad se perductam, non à se prolatam, in qua nemo debet esse author, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens, ut alibi ex Lirinensi diximus. Tum denique quia non potest habitus ullus vel virtus ulla extra suum objectum adæquatum & specificativum dilatari. Ratio autem formalis fidei Christianæ est divina revelatio in Scripturis vel Traditione expressa.

Atqui facta singularia de novo contingentia, v. g. utrum ille Author hæreticè senserit, utrum talis fuerit ejus sensus, necne, & alia similia, non innotescunt verbo Dei in Scripturis exarato, vel de manu in manum, de ore ad os ab Ecclesia recepto, & ad nos per Apostolos virosque Apostolicos perenni traditione transmisso, ut est per se evidens. Ergo nec in summo Pontifice, nec in tota Ecclesia residet facultas definiendi infallibiliter dubia facti; ita ut determinatio circa hujusmodi, tametsi summa sit humilitate & reverentia excipienda, nunquam tamen fide divina credenda sit.

Vnde qui factis singularibus ab Ecclesia definitis fidem detrogat, non continuò hæreseos reus censendus est, sed ad summum temeritatis accusari potest, si se torrenti totius Ecclesiæ sine causa opponat. Quia fides ex singulis factis à Deo minimè revelatis non pendet; idcóque Ecclesia in disceptandis quidem fidei controversiis infallibili Dei Spiritu regitur & agitur. Verùm in facti quæstionibus sensibus, rationi, & diligentiæ humanæ innititur, quæ licèt sæpè certa sint, interdum tamen patere deceptioni nemo ambigit, qui scit cogitationes hominum timidas, & incertas providentias nostras. Hinc Cardinalis Baronius ad annum 681. num. 39. *In iis quæ ad personas pertinent & scripta ipsarum, non tam rigidè reperitur custodita censura. In his enim quæ facti sunt unumquemque contingere posse falli, nemini dubium est; & tunc illud Pauli ad Corinthios usurpari potest: Non enim possumus aliquid adversus veritatem, sed pro veritate.* Et Cardinalis Bellarm. lib. 4. de summo Pontif. cap. 1. *Concilium generale legitimum non potest errare in dogmatibus fidei definiendis; tamen errare potest in quæstionibus de facto.* Et cap. 2. *Conveniunt omnes Catholici posse Pontificem etiam ut Pontificem, & cum suo cœtu Consiliariorum, vel cum generali Concilio errare in controversiis facti particularibus, quæ ex informatione, testimoniisque hominum præcipuè pendent.*

Ratio à posteriori petitur ex variis exemplis in quibus apertè claret, sacra Concilia Oecumenica, summosque Pontifices non semel in his facti controversiis à veritate aberrasse. Etenim sexta Synodus generalis, & Constantinopolitana III. cui præerat Papa Agatho per Legatos, Honorium I. tanquam Monothelitarum hæresi infectum solenniter damnavit, ejusque epistolam lectam & excussam diligenter cum aliis hæreticorum scriptis palam cremari mandavit. Quod sextæ Synodi decretum non solùm omnes Doctores per septem aut octo sæcula receperunt, sed etiam duo Concilia œcumenica, itemque Leo II. & Adrianus II. clarissimis verbis confirmaverunt.

Quod si dicas cum Baronio aliisque recentioribus, acta sextæ Synodi à falsariis fuisse corrupta, adulterata à Theodoro Archiepiscopo Constantinopolitano, propter obfirmatam in hæresi Monothelitana pertinaciam dejecto, & deinde conciliatâ Imperatoris gratiâ restituto, qui nomen suum obliteravit, & Honorium supposuit, cujus signum est quod nulla in actibus illis mentio fit Theodori, qui tamen ob Monothelismum meritò fuerat exauthoratus. Si etiam dicas cum aliis, Honorium in sua ad Sergium epistola reprehensibilem fuisse, quia quanvis ejus verba sint ita contexta ut possint Catholico sensu exponi, in speciem tamen videntur Monothelitanæ causæ favere: unde infertur Honorium non leviter peccasse, simulationem tunc temporis adhibens, quando ex officio incumbebat grassantem hæresim cohibere; subindéque non contra fidem, sed contra officium Pastorale peccasse quando toto Oriente tumultibus & Monothelitarum publicis moliminibus vexato siluit, & mali grandiærem verbis ambiguis & hæresi verisimiliter astipulantibus dissimulavit, non ascendit ex adverso, nec pro domo Dei murum se & propugnaculum opposuit, ut staret in prælio in die Domini, atque speculator constitutus vidit gladium venientem super terram, & non insonuit buccinâ, ne loquitur Scriptura, imò tanquam mercenarius, & non Pastor, vidit lupum venientem, & fugit. Quocirca Sergius Constantinopolitanus sceleratissimus, totique orbi notissimus hæresiarcha, cui dudum perspecta erat Honorii pusillanimitas, apud Pontificem accusat Monachum Sophronium intrepidū Catholicæ doctrinæ defensorem, ad Ierosolymitanam postea Sedem evectum, quòd duarū Christi voluntatum & operationum assertione Christianum orbem molestaret.

Cui Honorius accommodato ad omnia tempora ingenio respondit supprimendas esse voces *unius* aut *duarum voluntatum*, concluditque: *Vnum esse Christum Dominum divina, vel humana in utrisque naturis operantem*; ut hac verborum eludentium tergiversatione importunam Sergii in aula Imperatoris plurimùm valentis insectationem declinaret.

Si, inquam, hæc dicantur, libenter audio, eorumque Doctorum intentionem probo, qui non solùm Pontifices prove Pontifices ab errore longissimè abfuisse asseverant, sed etiam contendunt, ex speciali Dei providentia nullum Romanum Antistitem, etiam ut privatam personam in fidem Catholicam peccasse. Quod confirmant tum ex celebri S. Maximi cum Pyrrho Monothelita disputatione, in qua ab Honorio hæresis crimen amolitur. Tum ex successoris Agathonis verbis: *Va mihi*, inquit, *si veritatem Domini mei, quam illi* (Pontifices prædecessores) *sinceriter prædicaverunt, prædicare neglexero*. Vbi affirmat Pontifices decessores à tramite Apostolicæ traditionis nunquam erraise, vel aliqua hæreticæ suspicionis labe hactenus aspersos fuisse. Sed ex his magis instauratur & roboratur veritas nostri consectarii.

Etenim tametsi hæc omnia Baronio concedamus, demusque sextam Synodum suppositiis additamentis fuisse falsatam, quantumvis in contrarium obstare videantur non modò exemplaria Græca, sed etiam Latina translatio contexta à Leone Papa, qui primus Synodum confirmavit, Agathone qui eam indixerat, morte prævento; imò Leo in epistola sua formaliter ait: *Honorium, qui hanc Apostolicam Sedem non Apostolicæ traditionis doctrinâ lustravit, sed profana proditione immaculatam fidem subvertere conatus est*: qui itemm epistola ad Hervigium Regem, & ad Episcopos Hispaniæ memoriam Honorii damnat. Sed esto demus illa omnia tam multa, tam antiqua, tanta consensione per multa secula admissa, fuisse corrupta, quid responderi poterit ad septimam Synodum, quæ eundem Honorium damnat ita luculenter, ut Cardinali Bellarmino nihil aliud dicendum occurrat, nisi Patres septimæ synodi fuisse deceptos sequendo sextam, quæ vel corrupta erat, vel per errorem facti Honorium damnaverat? Quid ad octavam Synodum, & ad epistolam Adriani in ea insertam, quibus conceptis verbis asseritur Honorium fuisse anathematizatum, rephcari poterit? Cùm ipse Cardinalis Baronius confiteatur utriusque illius Synodi, maximè octavæ acta esse sincera & integra: quid, inquam, responderi poterit, nisi quod ait idem Baronius, gemina illa Concilia cum Adriano fuisse decepta ex adulteratis sextæ Synodi exemplaribus? Sed ex hoc habemus intentum, nimirum Pontifices & Concilia in quæstionibus facti posse errare, ut prælaudatus Cardinalis ita certum esse dicit, ut de hoc nemini posse esse dubium asseveret.

Accedit quod in sexta Synodo, quæ falsata perhibetur, refertur epistola Honorii, quam esse ipsius legitimam parum nemo ambigit, cùm ex ea conentur eruere Authores, Pontificis illius in fide innocentiæ argumenta. Et tamen legentibus constat Honorium in suis litteris approbare epistolam Sergii hæreticam. Quo in facto excusant Honorium ejus vindices, dicendo Papam illum haud benè epistolam Sergii penetrasse, eamque quantumvis hæresi foedentem, in Catholico, quem pari poterat sensu benignè fuisse interpretatum, & ita Honorium excusat P. Petavius *lib. 1. de Incarn. cap. 21.* Sed ex hoc clarius habetur intentio nostra, nimirum illum non continuò esse hæreticum, qui decisiones facti fide divina non credit (ut quidam moderni de nihilo magnas turbas commoventes planè ignoranter effutierunt) & aliquam propositionem in suo naturali sensu hæreticam, quales erant Sergii propositiones, in alio esse Catholicam censet; subindéque si Honorius non fuit hæreticus exponendo epistolam hæreticam hæretici apertè in sensu orthodoxo, multò minùs, nisi per summam iniquitatem, censeri debere hæreticum, qui Catholicum Authorem in communione Romani Pontificis decedentem ad sensum catholicum reducere conatur.

Hujusmodi benignarum interpretationum, & charitate plenissimarum innumera occurrunt exempla. Et certè qui non sunt historiæ Ecclesiasticæ omninò rudes & imperiti, probè sciunt, quod licet in Fidei decretis legitima Concilia inter se nunquam dissideant, vel quæstiones juris & dogmatum Vniversalis Synodi judicio semel sopitæ nunquam iterum excitentur, quia regula fidei semper una & eadem est, semper immobilis, semper irreformabilis, ut ait Tertull. nihilominus in facti quæstionibus, in exponendo Authorum sensu non rarò à se invicem dissentiunt, decisasque quæstiones ad judicium iterarò revocant. Sic quandam Monachorum Scytharum propositionem, quam Hormisdas Papa hæretico sensu acceptam damnaverat, Ioannes II. successor benigniùs intelligens Catholicam esse declaravit, nec ex duobus istis Pontificibus alteruter hæreseos reus peractus est. Sic Dionysii Alexandrini Episcopi scripta ut Catholica defendebat Athanasius, quia illa ad Ecclesiæ sensum inflectebat; reprobabat verò Basilius, quia in eis Arianorum sensum sibi legere videbatur: nec propterea Arianismi fuit insimulatus Athanasius, qui fuit Arianorum hostis capitalis, sed ad summum in pura facti quæstione errare potuit, dum Arianum sensum abesse, & Catholicum inesse arbitratus est. Sic Origenis libros innumeri Doctores, plurima Concilia, non pauci Pontifices, & tota quinta Synodus œcumenica ut hæreseos scatentes condemnarunt. Et tamen Picus Mirandulanus, Genebrardus Doctor Sorbonicus & Archiepiscopus Aquensis, P. Binetus, aliique Origenis quidem asseritas hæreses detestantes, ipsum nihilominus Origenem ab erroribus à talibus & tantis impositis vindicarunt. Sic Theodoretum in Cyrillum scribentem, eadem quinta Synodus, tanquam Nestorianæ impietatis reum proscripsit, cujus tamen libros innoxios labisque puros esse testatur & contendit P. Sirmundus. Nec propterea hujuscemodi Apologistæ pro hæreticis habentur, quia damnatos errores ipsi rejiciunt; sed in scriptis eorum, quos defendunt, inesse errores non concedunt. Sic ab Apollinario Damasum, à Celestio Zozimum circumventos in quæstionibus facti, nemo inficiatur. Sic per quosdam Monachos ad Innocentium II. fallaciam obrepsisse testatur Bernard. epist. 327. *Nec mirum, nec novum est*, inquit, *humanum animum posse falli & fallere. Monachi venerunt ad vos in spiritu mendaci & spiritu erroris adversus Dominum, & adversus Christum ejus. Verbum iniquum constituerunt adversus Episcopum, cujus conversationis & vita bonus odor fuit hactenus in omni loco. Qui sunt isti, qui ut canes mordent, qui dicunt bonum malum, qui ponunt lucem tenebras? Qui sunt isti, qui contra legem maledicunt surdo, & coram caco ponunt offendiculum? Quare Domine irasceris in filium tuum? Quare lætificasti inimicos ejus? Vbi est illud Apostoli: Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt? In Domino confide, quia dissipabitur consilium eorum; & cùm apparuerit quod verum est, evacuabitur quod ex falso est, ut mentita sit iniquitas sibi*. Sic postulantibus Ratisponensibus Monachis Leo IX. corpus S. Dionysii è Gallica Abbatia Ratisponam translatum pronuntiavit; nec tamen tanto thesauro orbatam se Gallia credit. Sic Cosmographorum quorumdam minimè malorum suasu circumventus Zacharias Papa S. Virgilium anathemati subjecit, quòd antipodas dari doceret: nec propterea antipodæ defierunt; quia veritates facti, cùm

non

non sint supra naturam, non Scripturæ, Ecclesiæ, Pontificumque decretis, sed sensibus aut ratione metimur, quibus istorum judicium à natura affectum est. Sic demùm ipsi Summi Præsules in omnibus suis quotidianis diplomatis, decretis, concessionibus, dispensationibus, factorumque judiciis istam aut exprimunt, aut subaudiunt exceptionem, *Si preces veritate nitantur.* Quia rectè sciunt multa sibi pravâ insinuatione suggeri: sciunt non defuturos calumniatores, quandiu non deerunt innocentes: sciunt quorum suis circa facta decretis inesse veritatis, quantum sibi facta ritè veréque exposita sint: sciunt nullam tantam in mundo vigere authoritatem, quæ suo pondere aliquod facti caput persuadeat; nullam extare potentiam, quæ facta reddat infecta; sed soli Deo eximiam esse prærogativam dicere & facere, mandare & creare, videre res & causare: sciunt non debere Ecclesiam solicitari, nec in ea contentiones ac turbas foveri ob leviculas de meris factis concertationes, quia parum Reipubl. Christianæ interest, parum summi Pontificis, parum Episcoporum, Doctorum & Ecclesiæ, modò proscripti errores libentissimè damnentur. Sciunt Ecclesiam debere prorsus esse contentam jure sibi divinitus tradito Fidei capita infallibili authoritate decernendi, & decretis suis refragantes è corpore suo rescindendi, si pertinaciter Spiritui veritatis, quo in quæstionibus juris finiendis agitur, imbecillam rationis humanæ sapientiam opponant; ad facta verò infallibiliter determinanda sensuum judicio permissa, jura sua non protendi, quia ex ejusmodi disceptationibus consilii hæresis nequaquam potest. Id rectè scivit beatissimæ memoriæ Clemens IX. qui ad tranquillitatem Ecclesiæ Gallicanæ his facti quæstionibus superioribus annis interturbatæ, vires omnes suas conatusque felicissimè contulit.

Nonnullæ occupantur objectiones.

Objicies 1. Si vera sit nostra doctrina, hæreses reddentur immortales, omniumque hæreticorum libri tuti & intacti: nullus siquidem liber erit ita proscriptus, cujus censuræ non possint eludi distinctione juris & facti, & adinventione cujusdam sensus Catholici, ad quem damnatæ propositiones inflectentur.

Respondeo sufficere ad extinctionem hæreseon, quod possit Ecclesia propositiones erroneas in eo, quem naturaliter præferunt, sensu infallibiliter damnare, quantumvis in dubiis facti non sit infallibilis. Sanè sicut sæpè contingunt calumniatores, qui innocentibus coram Judicibus Ecclesiasticis falsa crimina imponunt, ob quæ insontes & plectuntur & infamantur, quia in ore duorum vel trium testium stat omne verbum: ita & Catholicis viris possunt erroneæ assertiones ascribi; & tunc Ecclesia infallibili quidem judicio hæresim impositam proscribit, sed nequit infallibili judicio definire, utrum actores jure an injuria, veténe an falsò accusarint. Nec sequitur propterea omnes libros hæreticos in tuto poni, tum quia ad proscribendos libros non exigitur infallibilitas, sed potestas allegatis & probatis innixa: sicut crimina sceleratorum in tuto non ponimus, licèt Principibus & Senatibus infallibilitatem non afferamus. Tum quia præter securitatem fidei datur humana certitudo, cui nemo sine temeritate vel amentia contradicit. Sic nemo sanæ mentis Arrii, Nestoriique perfidiam negaverit, de qua nullus Catholicus Scriptor dubitavit. Tum quia sensum libri proscripti sæpissimè non inficiantur ipsi hæretici, putà Calvinistæ non negant sensum Calvini fuisse transsubstantiationem impugnare: unde tunc & error, & author erroris justissimè proscribitur, ille infallibiliter, iste evidenter. Tum demùm quia religiosa filiorum Catholicorum obedientia librorum proscriptioni humiliter obsequitur, nec satis censuris cum scandalo se opponit, probè sciens Ecclesiam non solùm veritatum infallibiliter definiendarum jure, sed etiam factorum secundùm allegata & probata determinandorum facultate potiri. Ergo nec hæresibus, nec hæreticis favet nostra doctrina.

Objicies 2. In Concilio Nicæno post anathemate perculsum Arii errorem, procedere ulteriùs voluerunt Patres ad ipsius Hæresiarchæ damnationem. Et quia Eusebius Episcopus Nicomediensis, & Theognis Nicænus damnationi personæ subscribere noluerunt, eos, tametsi ab hæresi se abhorrere profitentes, priùs excommunicatos sancti Patres Sedibus privaturt. Ergo censebat Concilium œcumenicum, non errorem modò, sed hæreticum etiam anathematizari oportere.

Respondeo argumentum multis peccare. Primò enim etiamsi totum antecedens verum foret, nihil tamen contra nos concluderetur. Nunquam enim negavimus, posse Ecclesiam de personis earumque libris pronuntiare, cùm de illis ipsa tribunalia sæcularia ferre judicium queant. Sed infallibilia, & fide divina credenda esse illa judicia nemo unquam probaverit, nullusve Theologus ante paucos aliquot annos affirmare ausus fuerit. Secundò permisso toto antecedente, de cujus veritate statim, nihil inde contra nos. Faremur enim quod quando hæresis est manifestè ab aliquo tradita, nec est in Ecclesia Catholica controversia, utrum author illam docuerit, tunc tueri hæreticum est hæresim propugnare, sicque nolle damnare Arium erat consubstantialitatem inficiari. Etenim nemini Catholico dubium erat, quin in Christum blasphemiam Arius evomuisset; erant enim convincentia testimonia, & notorietate facti manifestissima.

Sed enim in antecedente, historia Eusebii Nicomediensis, & Theognidis Episcopi Nicæni perperam nobis objicitur, quippe quæ nostræ sententiæ non solùm non incommodat, sed eam potiùs singulari luce illustrat. Etenim si Socrati, ex cujus narratione hæc objectio conflata est, credimus, Episcopi illi consubstantialitati Verbi subscribere noluerunt. *Hanc fidem* (inquit Socrates lib. 1. cap. 5.) *approbarunt trecenti decem & octo Episcopi, atque omnes assensi sunt, quinque solùm exceptis, qui hanc vocem* ὁμούσιον, *id est consubstantiale, repudiarunt: Eusebio videlicet Nicomedia Episcopo, Theognide Nicæa, Mari Chalcedonis, Theona Marmarica, Secundo Ptolemaidos.* : : : *Proinde & vocem illam vehementer irriserunt, & abdicationi Arii subscribere noluerunt. Ob quam causam Concilium non solùm Ario & omnibus opinionis ejus fautoribus anathema denuntiavit, verùm etiam vetuit, ne Alexandriam ipse Arius omninò adventaret. Edictum porrò Imperatoris Arium, Eusebium, & Theognidem in exilium ire mandavit.* Vides authore Socrate, fidei consubstantialitatis, Episcoporum omnium calculo probatæ assensum suum præfatos Episcopos denegasse, imò illam irrisisse, unde & à Concilio anathemate perculsi, & ab Imperatore in exilium amandati sunt.

Nec obest quod *cap.* 10. *seq.* idem Socrates referat libellum pœnitentiæ Eusebii & Theognidis, quo declarant se *fidei decisioni consensisse, anathemati autem Ario à Concilio denuntiato non eam ob causam non subscripsisse, quòd fidem illam incusaremus, sed quòd minimè crederemus, eum qui erat accusatus, hominem ejus generis fuisse.*::: *Pro certo persuasi, ipsum longè alium esse.* ::: *Iste libellus fuit palinodia sive retractationis Eusebii & Theognidis. Ex cujus libelli verbis conjecturam facio* (addit Socrates) *istos quanquam fidei in Concilio decretæ subscribebant, abdicationi Arii subscribere noluisse.* Non obest, inquam, tum quia hoc libello testantur se *vi & notione verbi consubstantialis*

diligenter ponderatâ, sententiam suam revocare: unde Socrates eorum formulam appellat *libellum pœnitentiæ, palinodiæ, & retractationis.* Tum quia in illo libello non significant se abdicationi Arii assensisse, sed *libenter cupere hæresis vitare suspicionem*, quin potiùs se esse omninò persuasos, Arium esse innocentem, & Arium seipsum in Concilio purgasse, *& iis, quæ ipsi objiciebantur respondisse;* supponuntque Concilium anathemate Arium solvisse & liberasse. Ergo si vera est Socratis narratio, ob negatam fidem Episcopi illi proscripti sunt & Sede pulsi; restituti verò sunt, non damnando Arium, sed fidei decisioni subscribendo.

Abundè hæc ad hujus objectionis confutationem sufficerent, sed veritas est, falsam esse illam Eusebii & Theognidis resistentiam, falsam & supposititiam palinodiam. Constat enim illos & fidei definitioni, & depositioni Arii mente licèt simulata in Concilio cum aliis Episcopis subscripsisse, ut claret tum ex collatione Catholicorum cum Severianis habita Constantinopoli sub Pontificatu Ioannis II. & Iustiniano imperante; tum ex Theodoreto *lib.* 1. *historiæ*, *cap.* 7. *&* 9. expressè dicente, Episcopos omnes Arii fautores, *solis Secundo & Theona exceptis, sententiam excommunicationis contra Arium pronuntiavisse. Quocirca impio illo Ecclesiâ exturbato, fidei formulâ, quæ adhuc in Ecclesiis servatur, communi consensu compositâ, & subscriptionibus omnium confirmatâ, Concilium dimissum est. Verùm enim verò Episcopi, quorum nomina suprà citavimus* (inter quæ est Eusebii Nicomediensis, & Theognidis nomen) *veteratoriè & parum sincerè huic fidei formulæ subscripserunt.* Quod probat ex iis quæ ab illis posteà gesta sunt. Eosdem fidei definitioni & excommunicationi Arii subscripsisse docent S. Athanas. lib. de decretis Nicænæ Synodi, ubi subscriptionem illam Eusebio Nicomediensi, qui ad vomitum reversus fuerat, objicit. Idem tradit S. Hieronymus *dialogo adversus Luciferianos*, idque constare ex actis & nominibus Episcoporum Concilii Nicæni affirmat. Vnde patet Episcopos illos veteratores, hypocritas, & politicos, & fidei decretis, & damnationi Arii, ne concitatum in se tumultum magis accenderent, subscripsisse. Vnde rebus omnibus, ritè ponderatis, vel hæc historia non est ad rem, vel assertionem nostram validè confirmat.

Pro solutione aliarum objectionum nota, Theodoretum semper catholicè sensisse, sed multa ab Episcopis Ægyptiis sibi infensis, & à Legatis Imperatoris excessûs damnatis fuisse perpessum. Etenim propalam spectante sacro Concilio Chalcedonensi fidem suam his verbis significavit: *Ego per Dei gratiam, & ab Orthodoxis sum nutritus, & orthodoxè prædicavi; & non solùm Nestorium & Eutychetem, sed & omnem hominem qui rectè non sentit, aversor & alienum existimo.* Quam luculentam damnationem non totum Concilium, sed quidam Episcopi parum ipsi affecti, subterfugii loco habentes, urgebant ut Nestorium prætermisso omni verborum circuitu strictim & præcisè damnaret. Quâ exacerbatione justè ille permotus, ægrè primùm tulit tam acrem importunorum hominum instantiam; deinceps tamen Nestorium suo anathemate perspicuè proscripsit. Sed utut sit, nihil ex illa historia confici contra nos potest, quia cùm nemo dubitaret de facto Nestorii à viginti annis in Concilio Ephesino damnati, meritò à Theodoreto exigi poterat non solùm hæresis, sed hæresiarchæ etiam damnatio. Qua observatione variis aliis minutioribus ex Ecclesiastica historia petitis exemplis absque negotio satisfacere est.

Reflexio & apostrophe ad inimicos S. Sedis.

Non solùm Hæreticorum in Romanam Sedem contentio pertinax, & odium æternum est; sed etiam non pauci, ut se dicunt, Catholici, & si Superis placet, Theologi, hanc fixam & immobilem Romanæ Petræ firmitatem omni machinarum genere conquatere visi sunt: quos sic supremus Antistes sequentibus paterni cordis affectibus è Bernardi mellea doctrina deprompsis alloquitur. Nec enim infensos sibi dedignatur Vicarius illius, qui pro omnibus, cùm adhuc inimici essent, mortuus est. Non abjicit oves errantes summus Pastor, sed sedulò quærit, & de inventis congratulari sibi amicos peroptat. Corde prosternitur illis qui pedes suos osculantur; & inter præcipuos gloriæ suæ titulos, *Servi Servorum Dei*, nomen elegit, ut charius & nobilius.

Mirabimini (inquit) forsan, si non valens regere dolorem meum, anxietatem reprimere, dissimulare tristitiam, contra juris ordinem revoco læsus qui me læserunt, spretus requiro contemptores, passus injuriam injuriatores ambio, rogo denique à quibus debueram supplicari. At si attenderitis quod scriptum est: Sapientibus & insipientibus debitor sum; & illud, Charitas non quærit quæ sua sunt, desineris fortè mirari, cur non ad vos objurgandum, sed alliciendum compellor, qui vobis condoleo quamvis non dolentibus; vobis misereor, miseriam licèt non sentientibus suam. Sed inde magis doleo, quod cùm sitis dolendi, non doletis; inde magis misereor, quod cùm miseri sitis, miserabiles vobis ipsis non estis. Nec frustra forsitan vobis compatiar, dummodo vos patienter audiatis unde compatior. Volo vos vestrum sentire dolorem, ut jam non habeatis unde doleatis: volo vos vestram scire miseriam, ut miseri non esse incipiatis. O bona mater charitas, quâ promoveor, quæ sive foveat infirmos, sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, sive consoletur pusillanimes, sive corripiat errantes, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos! Cùm ergo per me vos arguet, mitis erit; cùm blandietur, simplex: quia piè solet sævire, sine dolo mulcere, patienter novit irasci, humiliter indignari.

Cernite, quæso, ô Sectarii, vosque semicatholici, quomodo mirâ Dei providentiâ cæteris Ecclesiis vel ab infidelibus occupatis, vel ab hæreticis fermento reprobæ doctrinæ infectis, sola Romana toto orbe commoto, Principibus repugnantibus, hæreticis contradicentibus, schismaticis defectionem molientibus, permansit in fide stabilis, & inter tot illidentium fluctuum tumultus inconcussa. Insurrexerunt Pagani, frenduerunt dentibus suis Hæretici, pugnarunt vehementer Græci, desudarunt Episcopi infiniti Ecclesiæ Romanæ privilegium labefactare; tantis suis simultatibus addebant Imperatorum Regumque arma, nunquam tamen efficere potuerunt, ut Romani Præsulis authoritas abrogaretur. Visa quidem interdum est sicut luna deficere, quæ tempora sua habet persequutionis & pacis: sed quàmlibet obumbrata, obscurari penitus nunquam potuit. Quia hæc est Petra, adversus quam portæ inferi non prævalebunt, à qua qui recedunt Schismatici, cui qui refragantur Hæretici meritò nuncupantur. Hæc Sedes est lumen unum, unde multi radii; radix una, unde multi rami; fons unus, unde rivi multi; Pastor unus, à quo oves Christi reguntur, & continentur: à qua proinde si radios tollis, extinguantur; si præscindas ramos, intereant; si dividas rivos, arescant; si retrahas oves, dispergantur necesse est. Hæc Ecclesia præparata est in vertice montium, & elevata super colles, ut fluant ad eam

omnes

omnes gentes. Ipsa est in sole posita, idest in manifestatione omnibus nota, nationibus omnibus conspicua, cujus caput Christus, cujus cor Spiritus Sanctus, quæ ut ait August. lib. 1. de Symb. *Pugnare potest, expugnari non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa; ipsa autem manet in radice sua, portæ inferi non vincent eam.* Ipsa est sponsa Christi, quæ ut ait Cyprian. *incorrupta & pudica adulterari non potest: quæ Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit. Illius fœtu nascimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus animamur.* Ergo accedite, & qui unum Deum Patrem agnoscitis, qui ad unam hæreditatem aspiratis, ad unam matrem confugite, occurrite omnes in unitatem, finite vos adduci, ut fiat unum ovile, & unus Pastor.

Sed volumus (dicitis) Evangelii libertatem, formidamus Romanæ Ecclesiæ servitutem. Anne, amabò, est libertas Reipublicæ nullum habere ducem, à quo regatur? Estne utilis navi libertas, qua fine gubernatore undis ventisque permittitur? Qualis libertas, nullum haberi in scholis magistrum, nullum in corpore caput, nullam in homine mentem, nullum in grege pastorem, sed solis cupiditatibus turbari & misceri omnia pro libidine? Talem profectò libertatem ne pecudes quidem peterent, si petere possent; nam earum interest pastoribus regi, à quibus deducantur in pascua, atque in eis a ferarum injuria defendantur. Anxiam superstitionem, Religionis Romanæ sacratissimas leges appellatis, quia non licet apud nos omnia sus deque ad libitum permiscere, sed omnia ad veneranda Canonum Patrumque decreta exigimus; & cùm disputare, aut scribere de rebus divinis filiis nostris concedimus, certis limitibus ac præscriptis lineis continemus licentiam, prurientem frenamus libidinem novitatum. Hinc illæ vestræ lacrymæ, hinc querimoniæ, quibus sentiendi libertas, dicendi scribendique infrunita facultas placet. Vultis vivendi licentiam, & sic vivendo impunitatem. Vultis sine capite corpus, ut membra principentur, & regno diviso desolentur. Vultis sine pastore oves, ut cum lupis Domini gregem occidatis. Vultis sine judice lites, ut nullus sit dissidiorum finis. Vultis omnia confusione perturbari, quia ut tritum adagium fert: *Turbatum flumen Piscatorum est lucrum.*

Venite ergo omnes ad illam Sedem, clementiæ sinum, misericordiæ thronum, indulgentiæ thesaurum. Et licèt à vobis se queratur offensam, læsa tamen non provocat, sed spreta revocat, & vestris onerata licèt injuriis, si conversi fueritis ad illam, obviabit vobis quasi mater honorificata. Contempta, sed oblita sui ruet in amplexum, gaudens quos perdiderat esse inventos, & qui mortui jacebant, vivos. Securi accedite, surgite, venite ad Patrem. Qua spe? Qua fiducia? Qua confidentia? Qua spe? Illa, qua Pater sum. Vos perdidistis quod erat filii; ego quod Patris est non amisi. Apud Patrem non intercedet extraneus, intus erit in Patris pectore ipse qui interveniet & exorabit affectus. Urgebuntur, credite, paterna viscera iterum vos genitura per veniam. Venite ad Patrem rei; sed Pater visis filiis coopertam mox reatum, dissimulabo judicem, qui magis implere volo genitorem; & sententiam citò vertam in veniam, qui redire cupio filios, non perire.

His edocti & allecti, instructi talibus redite ad domum Patris, Matris in gremio duraturi: fratrum constringemini amplexibus, sed paternus potissimùm visus filiorum illustrabit aspectum, ut tota fugetur obscuritas, quæ circumfusa fuerat de errore, & totam confusionis caliginem amantis auferet intuitus. Cadam super collum, non lapsu viscerum, sed compassionis. Cadam, ut erigam sic jacentes. Cadam, ut amoris onere onus tollam peccatorum. Sic judicabo, sic emendabo, sic peccantibus filiis dabo oscula, non flagella. Delicta non videbit vis amoris, & ideo peccata redimam pacis osculo, claudam amplexu. Tardam misericordiam nesciam Pater, quia amor nimius non deliberat, non verecundatur, non consulit rationem, non metuit dignitatis damnum, legi non attemperat, judicio non acquiescit, modum ignorat & ordinem.

Omninò quæ in primam Sedem sine causa fecistis, non requiro, cur, vel quomodo fecistis. Culpas non discutio, non retracto causas, non recordor injurias; solent enim hæc magis instigare, quàm mitigare discordias. Solùm quod mihi magis est cordi loquor. Me miserum, quod vobis careo, quod vos non video, quod sine vobis vivo, pro quibus mori mihi vivere esset, sine quibus vivere est mori. Non quæro cur abieritis, sed cur jam non redieritis queror. Non causas discessionis, sed moras causor regressionis. Venite tantùm, & pax erit. Revertimini, & satisfactum erit. Ego enim, ut verum fatear, Patris erga vos, utpote segreges, sum liberatus officio, sed non depræedatus affectu. Olim Romanæ Sedi invisceratì fuistis, non facilè eruemini. Moneo proinde vos, non ut Dominus, non ut magister, sed ut Pater, imò ut Mater, sed semper ut amans. Amens vobis fortassis videar; sed ei qui non amat, ei qui vim non sentit amoris.

His auditis adhuc moramini, adhuc non reditis ad Patrem? Nolite ejus contemnere vocem, quem sacratarum litterarum testimonia extollunt, quem Conciliorum decreta confirmarunt, quem Sanctorum Patrum chorus venerandus concinit, quem verorum Christi fidelium concio reveretur, quem perennis traditio probat, & perpetuus Ecclesiæ usus omnibus præfecit & singulis. His testimoniis sole ipso illustrioribus credite, tam integris & incorruptis testibus detrectare fidem nolite.

SPECULATIO III.

Quinque locorum probabilium vis expenditur.

Superiori speculatione longiores fuimus quàm putavimus; sed si longior visa est, cum utilitatis tamen magnitudine comparata brevis apparebit. Perspicuitas etiam, quam præcipuè aucupamur, non solet esse conjuncta brevitati: obscuros esse necessum est, qui breviores esse laborant; nec decebat rem adeo difficilem & momentosam, si eam tetigissemus, potiùs quàm tractassemus. Utut sit, nimiam præcedentis loci prolixitatem quinque reliquorum simul comprehensorum brevi examine compensabimus.

1 Primus est authoritas alicujus Patris ab Ecclesia inter suos Doctores connumerati, quales sunt Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Gregorius, Chrysostomus, Aquinas, &c. quorum authoritas seorsim sumpta specialem postulat venerationem. Dico *seorsim sumpta*, quia si omnes Patres in aliquo asserendo conveniant, tunc elicitur argumentum infallibile, & reducitur ad locum Traditionum. Sed illud singulariter observandum, nonnullos Patres in quibusdam materiis primas obtinere, ut Athanasius & Hilarius in materia de Trinitate, Leo in Mysterio Incarnationis, Augustinus in arcanis Divinæ gratiæ; quia cùm specialiter à Deo electi sint, ut nascentes circa hæc puncta hæreses in ipsis exordiis debellarent, præcipuâ harum veritatum intelligentiâ illustratos fuisse credendum est.

Ad hujus loci pleniorem intelligentiam notandum est, septem esse veluti gradus approbationis alicujus Doctoris vel doctrinæ. Primus & infimus est quando libet

liber permittitur edi cum solita Theologorum approbatione, servatisque regulis à Tridentino præscriptis. Secundus est quando Author aliquam in Scholis authoritatem nactus est, ob commendatam à longo tempore doctrinam, quæ in Academiis habet & discipulos & sectatores, quales sunt Scotus, & Durandus. Tertius est, quando aliquis inter Ecclesiæ Patres annumeratur, ita ut ejus scripta non solùm in Scholis & pulpitis, sed etiam in solennibus Ecclesiæ officiis usurpentur. Tales sunt Chrysologus, Maximus, Venerabilis Beda, aliique sexcenti. Quartus, quando quis speciali præcipui Doctoris nomenclaturâ insignitur, ad quod non sufficit sola probatæ doctrinæ antiquitas, sed peculiare requiritur judicium Ecclesiæ tam eximiio honoris prærogativam decernentis. Illos Bonifacius VIII. *in cap. Gloriosus, de reliquiis & veneratione Sanct. in 6.* determinavit. Quo etiam titulo Aquinatem nostrum sublimavit Pius V. & Bonaventuram Sixtus V. Quintus est judicium speciale de aliquo singulari libro, materia, tractatu, & doctrina. Sic Ecclesia Augustini de prædestinatione & gratia sententiam consecravit, ut patet ex epistola Hormisdæ ad Possessorem Episcopum, & Celestini I. ad Episcopos Galliæ. Addit hæc approbatio supra præcedentem specialem quandam commendationis modum. Sextus gradus est judicium magis particulare, & ad individuas circumstantias descendens, quo propositio aliqua ventilata, vel opusculum examini Ecclesiæ suppositum comprobantur. Sic officium SS. Sacramenti à S. Thoma editum Ecclesia, tanquam suum recepit & sacravit. Sic in Clementina *de sum. Trinit.* ut probabilior eligitur opinio de infusione virtutum cum gratia. Septimus denique gradus est approbatio decretoria & definitiva Ecclesiæ. Sic approbatur epistola Magni Leonis ad Flavianum, *in cap. Sancta Romana.* Sic in Concilio Arausicano II. quædam Augustinianæ doctrinæ capitula firmata sunt. Sic epistolæ Agathonis & Sophronii in VI. Synodo generali, & anathematismi Cyrilli in Concilio Ephesino accepta sunt.

Secundus locus probabilis est authoritas Doctorum Scholasticorum, quorum concors sententia sine temeritate non respuitur; in quacumque enim arte peritis credendum est. Nec Ecclesia toleraret grassantem Scholarum omnium errorem circa fidei vel morum capita sustineri. In hac etiam sede reponuntur Doctores Canonistæ, seu juris Pontificii periti, quorum in Ecclesia præcipua ratio habetur. Hæc tamen non ita intelligito, ut quilibet Theologus, quantumcunque gravis appelletur, imò trium vel quatuor consensus opinionibus suis securitatem conciliet. Vidimus enim his temporibus, Casuistarum (quos eruditissimos morum Doctores indocti prædicant) fluxam authoritatem à Religiosis & Sacerdotibus quamplurimis, ab Episcopis sine numero, & à Romano Antistite nedum contemptam, sed damnatam ut exitiosam. Unde de illis potissimùm restibus eorumque testimoniis, juxta Augustini regulam, tantum credere vel non credere licet, quantum momenti ad faciendam fidem habere, vel non habere perpenderimus. Cùm enim è puris Ecclesiæ fontibus conclusiones suas derivent, sed iis neglectis, turbidis se proluant probabilismi fluentis, unde in tam horrenda inciderunt opinionum portenta, non solùm sua authoritate opinationibus suis non adsciscunt probabilitatem, sed potiùs detrahunt corrupti sui judicii fundatissimâ suspicione. Sed de his infrà sermo redibit.

Tertius locus probabilis est ratio naturalis, qua utuntur Theologi veluti ancilla ad res Fidei declarandas confirmandasque. Vtitur autem sacra doctrina ratione humana, ut monet S. Thomas *1. parte, quæst. 1. art. 8. ad 2.* non quidem ad probandam fidem, quia per hoc tolleretur meritum fidei, sed ad manifestandum aliqua quæ traduntur in hac doctrina. Cùm enim gratia non tollat naturam, sed perficiat, oportet quod naturalis ratio subserviat fidei, sicut & naturalis inclinatio voluntatis obsequitur charitati. Vnde ait Apostolus 2. Cor. 10. ***In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium fidei.*** Et certè cùm Gentiles & Infideles instructi sint doctrinâ sæculari, qua veluti castrorum acie impetunt orthodoxam, operæpretium est iisdem armis eos confodere, & veluti alterum Goliath proprio mucrone truncare. Qua in re mirè excelluit D. Thomas, qui ita rationem Fidei servire coëgit, ut meritò à R. P. de Gondran, secundo Congregationis Oratorii Generali, Philosophiæ & Philosophorum Apostolus dictus sit, quia quæ ab illis scripta sunt, collegit, & in usum fidei vindicavit possessoribus illis injustis erepta: & sordentem per se, patumque mundam scholarum barbariem depurgare atque illustrare aggressus est sapientiæ suæ Sole.

Quartus locus est authoritas Philosophorum rationem præeuntem sequentium. Licèt enim in multis ob superbiam, vel ingenitas ignorantiæ tenebras per peccatum immensùm addensatas cæspitarint; tamen in eis scintillarunt quandoque non pauci veritatis radii, lumine illo vultus divini signaro super omnes, præclaras interdum boni malique notitias imprimente. Si ergo non pauca quæ rationabiliter, sapienter, eruditè loquuti sunt, habent à divina sapientia, quam effudit Deus super omnia opera sua, justum est ut quæ in scriptis eorum velut gemmæ in luto veritates larent, in Dei sapientiæ gloriam usurpentur, sine qua omnis cognitio vanitas & delirium est, dicente Tertulliano: *Cui veritas cognita sine Deo? Cui Deus sine Christo?* In Palæstra Theologica imitamur exercituum copias, in quibus equitum quidem præcipua opera est, sed non propterea spernuntur sagittarii, & funditores. Assimilatur etiam Theologicum opus construendo ædificio, in quo Architectǽ quidem industria primas obtinet, sed non despiciuntur administrorum operæ. Sic sacra doctrina, Divina & Christiana ut meliora & graviora præponit; verumtamen lapides, cæmenta, aliaque ex diu lapso Philosophiæ ædificio comportati sinit, ut omnibus omnia facta omnes lucrifaciat, ipsius Apostoli more, qui authoritate cujusdam Arati Poëtæ Athenienses alloquutus est, *Act. 15.*

Quintus locus probabilis est historia humana, è qua eo verisimiliora eruuntur argumenta, quo ejus authores sunt accurati. Nihil autem refert sive historia illa sit per authores locupletes scripta, sive de gente in gentem tradita, modò non superstitiosè atque aniliter, sed gravi constantique si ratione narretur. Postponendi porrò sunt illi authores, qui absque delectu non tam curarunt quid scriberent, quàm ut nihil omitterent, quibus credimus leviter, si citò. Aliis verò gravibus, doctis, piis, & emunctioris naris historicis fidem detrectare fastidiosi est & morosi, præsertim si plures fide digni in eandem rem gestam narrandam concurrant, cùm in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: aliàs si homines hominibus non crederent, humana societas interiret. Theologum etiam Lectorem hic monere placet, ut Ecclesiasticæ historiæ operam navet; multa enim è thesauris suis historia suppeditat non solùm grata, sed necessaria, quibus si careamus, in re Theologica sæpe sæpiùs apud doctos peregrini & rudes inveniemur.

REFLEXIO.

Ex decem ergo locis argumentatur Theologia; in hoc tamen ab aliis scientiis differt, quòd in his primum

mum locum ratio tenet, postremum authoritas. At sacra doctrina non tam rationis quàm authoritatis momenta quærit; & locum à divino testimonio ita propitium sibi vendicat, ut rationes vel tanquam hospites & peregrinas accipiat, vel in suum obsequium asciscat, quasi ancillas vocatas ad arcem. Quia nimirum vera Theologia fidei potissimùm innititur; fides autem ita ab authoritate proficiscitur, ut sine ea fides esse non possit; fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei, cui credimus. Si hæc ita sint, profectò Theologiæ moralis nomine indigna est illa doctrina, quæ uni rationis humanæ infirmitati subnixa est. Si præcipuus veræ Theologiæ locus sit Verbum Dei, illud potissimè quo in Evangelio voce Veritatis erudimur. Ergo adoranda Christi verba audiamus, scrutemur, legamus, meditemur, quibus ut Augustinus dixit, & salubriter prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. Et ille huic doctrinæ inimicus est animus, qui vel errando eam nescit esse saluberrimam, vel odit ægrotando medicinam. Evangelium reverenter & assiduè lectitatum uberrima est curandarum animarum officina, è qua medelam quisque suo morbo accommodatam potest seligere; apotheca est instructissima omnibus & singulis arma, pharmaca, & spiritalia instrumenta suppeditans. Thesaurus est inexhaustus, unde Martyres constantiam, Doctores sapientiæ lumen, nutantes fidei firmitatem, tepidi diligentiam & fervorem, omnes in prosperis modestiam, in adversis patientiam hauriunt. Compendium est, & totius Philosophiæ Christianæ breviarium, cujus author Vnigenitus qui est in sinu Patris; cujus materia lex immaculata convertens animas, ipsis Gentibus pervenerabilis; cujus finis beatitudo sempiterna. Speculum est nemini blandiens, nullum seducens, in quo se quisque talem reperiet, qualis fuerit. Ibi fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus: ibi sentimus quantum proficimus, ibi à profectu quàm longè distamus, cujus assiduus intuitus mentem irradiat, cor purificat, timorem gehennæ incutit, ad gaudia superna cor instigat contemplantis.

Ergo Evangelium, mi Theologe, pervolve assiduè, adeo ut *tenenti codicem*, ut Hieronymus ait, *somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat*. Hilariter lege, quia ut idem Hieronymus contra Vigilantium scribit, quando legitur Evangelium, accenduntur luminaria etiam Sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum, & ut sub luminis corporalis typo divina lux ostédatur, de qua scriptum est: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*. Lege reverenter, non enim minori cultu audiendum est Evangelium, quàm Christus ipse. Nam monente August. tract. 10. in Ioan. *Non itaque sic audiamus Evangelium, quasi præsentem Dominum. Sursum est Dominus, sed etiam hic est veritas Dominus*. Vnde juxta sacrum Ecclesiæ morem Evangelio quasi Christo loquenti omnes assurgunt. Lege instanter, cogitans ibi latêre aliquid quod petentibus datur, oblatrantibus negatur, à quærentibus invenitur, reprehendentibus subtrahitur, pulsantibus aperitur, oppugnantibus clauditur, ut August. *lib. 3. contra Faustum, cap. 2.* prosequitur. Lege sincerè, ut tam divina dogmata in mores conferas tuos. *Non sit mora in faciendo*, inquit August. serm. 112. de temp. *quod intus sapitis intelligendo. Et ille beatissimus, qui divinas Scripturas vertit in opera.*

Divinas ergo novi potissimùm Testamenti paginas sæpiùs lege, imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur, inquit Magn. Greg. in quibus prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. Quidquid homo extra didicerit, addit Augustinus, si noxium est, hic damnatur; si utile est, hîc invenitur; & cùm ibi quisque invenerit omnia, quæ utiliter alibi didicit, multò abundantiùs ibi inveniet ea, quæ nusquam alibi invenire potuit. Sic loquitur in Evangelio veritas, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affabilitate parvulos nutriat. Ad tam divina eloquia penetranda amore potiùs opus est, quàm eruditione; compunctione, quàm investigatione; suspiriis quàm argumentis; crebris gemitibus quàm copiosis rationibus; lacrymis, quàm verbis; oratione, quàm lectione. His instructi præsidiis percipiemus quod quidquid ibi docetur, veritas est, quidquid præcipitur, bonitas; quidquid promittitur, felicitas: veritas sine fallacia, bonitas sine nequitia, felicitas sine miseria.

Ad ciendos etiam pietatis & reverentiæ in sacra Christi verba motus observat ex Patribus Theologus modernus præstanti eruditione, nec minori pietate præditus, plures esse inter verbum Dei & Divinam Eucharistiam analogias. In primis corpus Christi realiter præsens priùs adoramus, quàm sumamus: sic adoranda Scripturarum verba priùs venerari congruit quàm legere, more B. Caroli Episcoporum gemmæ, qui genibus provolutus adoratione continuâ Biblia sacrum legere solebat. Secundò, sicut sub signis Eucharisticis latent res eximiæ, nimirum corpus Christi realissimè præsens: sic sub simplicium verborum cortice includuntur immensi sapientiæ & scientiæ Dei thesauri. Tertiò, dum panem Angelorum manducamus, remanentium accidentium saporem non quærimus, sed spiritus pinguedine è corpore Christi profluente saginari peroptamus. Sic in verbis Domini non concupiscentiam oculorum, vel humanam cupiditatem pascere, sed cor veritate alere curandum est. Quartò, in Eucharistia non sumitur caro mortua, sed viva; sic verbi Dei non superficies attendenda est, sed medulla, sed spiritus Christi, quem qui non habet, hic non est ejus: sicut enim caro non prodest quidquam, ita sola littera occidit, spiritus autem vivificat, & unctio docet nos omnia. Quintò, in hoc quadamtenus verbum Dei divinæ Eucharistiæ præstat, quod hanc nemo nisi sacrilegè accipit, qui non fuerit antè sanatus: at verò sacram Scripturam utiliter legunt peccatores, in qua & vulnera detegunt, & peccatorum remedia inveniunt, & intentatas sceleribus pœnas discunt, quibus salubriter permoventur, ut cœlestis Medici, qui venit salvum facere quod perierat, misericordiæ se committant. Eucharistia ergo est Sacramentum vivorum, & cibus justorum: verbum autem Dei est peccatorum solamen, cæcorum lux, medicina infirmorum, mortuorum resurrectio & vita. Sextò, præcipua dispositio ad Eucharistiam est fervor charitatis, quem sanè excitat ignitum eloquium Christi seriò mente agitatum; in meditatione enim exardescit ignis. Hinc Christus corpus suum gloriosum discipulis euntibus in Emaüs traditurus, verborum suorum sacrâ eos flammâ aptavit, quam persentientes exclamarunt: *Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis Scripturas?* In actis etiam expressè dicitur, discipulos non minùs in doctrina Apostolorum, quàm in fractione panis perseverasse. Denique certis tantùm diebus & horis Divinorum Mysteriorum licet nos esse participes; sæpius etiam infirmitatibus, peccatis, negotiis, aliisque obicibus sacrâ mensâ vel privamur, vel arcemur. At Verbum Dei tandiu revolvimus, quandiu volumus, noctu & interdiu, intus & foris, domi & ruri illud corde, mente, & ore versamus. Eucharistia est panis, quem non fert ægroti stomachus, nisi purgatus. Verbum Dei aër est, quem singulis momentis captare possumus & debemuss.

DISSER



DISSERTATIO II.

De ultimo fine, & Beatitudine objectiva hominis.



RITUM est adagium: *Quidquid agas prudenter agas, sed respice finem*; quia nimirum in humanis actibus dirigendis finis ultimus inspiciendus est. Sicut enim conclusionum veritas & certitudo à primi principii firmitate derivatur: ita humanarum actionum bonitas ab ultimi finis intenta bonitate promanat, juxta illud à Philosopho usurpatum: *Sicut se habet primum principium in speculabilibus, ita ultimus finis in operabilibus.* Primus ergo vitæ moralis gressus est amor finis ultimi boni, cui se consecrare voluntas debet. Errabunt consilia nostra, si non habeant quo dirigantur. Scire debet quid petat ille qui sagittam vult mittere. Ignoranti quem portum petat, naufragium imminet. Sic planè in vita morali prima boni finis ultimi intentio ad omnium virtutum profectum exordium est; exertatio verò ab illo ad omne sceleris præcipitium viam parat. Æquum ergo est, ut ab illo auspicemur Moralem tractationem, à quo debemus incipere vitam. Ne autem in ejus prosequutione fallamur, duo monstranda sunt. Primum quanta sit actionum nostrarum ab eo fine dependentia: alterum in quonam objecto finis & beatitudo nostra inveniatur, ut ibi quæratur, ubi verissimè reperitur. Summum enim bonum si ignoretur, vivendi rationem ignorari necesse est; ejus verò notitia rudimentum est fidei, virtutum anchora, & basis totius honestatis.

CAPUT I.

Illicia ultimi finis, seu de dependentia actionum humanarum ab ultimo fine.

SUpponimus ea quæ de fine Philosophi edisserunt, nimirum essentiam ejus, quæ definitur, *Id cujus gratiâ aliquid fit*; vel, *Cujus gratiâ agens operatur.* Finis enim amatur propter se, & propter illum cætera diliguntur. Vanas etiam ejus divisiones in finem *qui*, seu rem illam quæ intenditur; & finem *cui*, seu subjectum cui res intenta desideratur: finem formalem, seu operationem obtinentem finem; & finem objectivum, seu rem ipsam obtentam: finem ultimum ad quem omnia referuntur, nec ipse ad ulteriorem ordinatur; & finem intermedium, cujus bonitas non solùm est in se amabilis, sed etiam utilis asciscendo alteri fini, cui subordinatur. Nam sicut in causis efficientibus subordinatio secundæ ad primam non tollit rationem causæ in secunda, sed solùm subjicit illam primæ: ita à fine intermedio non aufert rationem finis respectu mediorum anteriorum ulterior relatio ad finem, ut Vasquez frustra contendit. Sed in his tricis theologica gravitate non satis dignis immorari non vacat; sed, ut dixi, omnia philosophica principia supponimus, ad utiliora progrediamur, ut ad finem illum perveniamus, non qui consumat, sed consummet & impleat creaturæ rationalis appetitum.

SPECULATIO I.

Proprium est solius creaturæ rationalis agere propter finem.

PRobatur duplici ratione D. Thomæ. Prima: Omnia quæ sunt in aliquo genere, derivantur à principio illius generis; primum enim in unoquoque genere est causa cæterorum sibi in tali genere subordinatorum; si enim sibi subordinata non sint, ab eo non derivantur: qua de causa annuntia non pendent ab homine, nec colores ab albedine; benè tamen corpora inferiora a cœlestibus: Atqui finis est principium operabilium ab homine, seu actuum humanorum, qui à fine desumunt moralitatem: Ergo convenit homini in suis actibus agere propter finem.

Secunda ratio D. Thomæ supponit esse duplex genus actionum ab homine elicitarum, alias vocat *actiones humanas*, alias *actiones hominis*. Actiones humanæ sunt illæ quæ conveniunt homini in quantum est homo, prout discernitur à brutis, à quibus distinguitur per hoc quod est dominus actionum suarum per rationem & voluntatem. Est verò homo dominus actionum suarum cùm ex deliberatione procedit: unde actiones illæ humanæ sunt quæ à voluntate deliberata procedunt. Actiones verò hominis sunt illæ quæ absolutè ab homine ut principio procedunt, sed non ex deliberatione rationis, ut cùm homo aliis intentus manum, pedemve movet, vel barbam fricat. Ad quam classem reducuntur etiam actiones ridendi, admirandi, flendi, quæ licèt à solo homine procedant, non tamen exprimunt characteristicum hominis operandi modum, qui est ex deliberatione. Hoc posito speculatio intelligitur de actibus deliberatis, &

Probatur: Omnes actiones quæ procedunt ab aliqua potentia, causantur ab ea secundùm rationem sui objecti; id est, nullus actus potest procedere ab aliqua potentia, qui feratur extra objectum adæquatum talis potentiæ: v. g. nulla potest esse cognitio, quæ non feratur circa verum, quod est objectum intellectus; nulla volitio, nisi circa bonum; nulla visio, nisi circa coloratum aut lucidum; nulla auditio, nisi circa sonum occupari potest, nec generaliter ullus actus sphæram objecti formalis suæ potentiæ transilire. Atqui objectum adæquatum voluntatis deliberatæ est finis; voluntas quippe deliberata nullum potest prosequi bonum, nisi ab eo sibi proposito alliciatur; bonum verò propositum ad sui amorem alliciens finis est, ut patet. Ergo voluntas deliberatè procedens in omnibus actibus humanis, finem intendit, finem quærit, propter finem agit.

Objicies 1. Amor beatus est actus humanus, per illum enim maximè differt homo à brutis: Sed ille amor non est propter finem, cùm sit actus necessarius, nec ad illum se moveat voluntas ex prævia deliberatione, nec sit in libera hominis potestate, quæ tamen requirit S. Thomas in actibus humanis propter finem elicitis. Ergo homo in omnibus actibus humanis non agit propter finem.

Respondeo amorem beatum esse actum humanum perfectissimum, cæterorum omnium fructum & coronam; quia licèt ex necessitate procedat, tamen hæc necessitas non provenit ex imperfectione cognitionis, sed ex plenitudine & adæquatione voluntatis, quæ bono universali clarè viso impletur, non cæco impetu propellitur. De illo tamen non loquitur D. Thom. qui agit solùm de actibus humanis hujus vitæ, quos homo ex prævia deliberatione & consilio elicit.

Objicies 2. Prima intentio, seu volitio finis est actus verè humanus: amare enim finem sub ratione finis

non

non convenit nisi homini: Sed prima volitio finis non est propter finem; non enim procedit ex deliberatione prævia, cùm sit id unde incipit deliberatio, & D. Thomas illos solùm actus dicat esse propter finem, qui ex voluntate deliberata procedunt. Ergo non omnes actus humani sunt propter finem.

Respondeo de ratione finis esse quod appetatur propter se, & quod alia propter ipsum appetantur. Per primam autem volitionem finis appetitur propter se; unde relinquitur primam volitionem esse propter finem. Ad cujus pleniorem claritatem considera, quod sicut in eodem actu intellectus duo distinguimus, scilicet rationem intellectionis, & rationem dictionis; quia idem actus verbum mentis producit, & productum contemplatur: ita in actu voluntatis duo etiam discernimus, & rationem spirationis seu ponderationis; & rationem amoris seu tendentiæ in objectum; nam voluntas dum amat, & trahitur ab objecto amato, & objectum amatum amplectitur. Sub prima ratione patitur ab objecto, sub secunda agit circa objectum, ut egregiè explicat S. Doctor infià, *quæst. 26. art. 2.* dicens: *Motus appetitus circulo agitur; appetibile enim movet appetitum, faciens quodammodo in eo sui intentionem; & rursum simul appetitus tendit in appetibile, ut ibi sit finis motus, ubi fuit principium illius.* Ubi vides quod sicut amor finis procedit à voluntate, ita & a fine allicitur.

Nec obest quod prima intentio non sit deliberata deliberatione propria & rigorosa, quæ antecedit electionem mediorum, & sequitur intentionem finis: non, inquam, obest; quia sufficit quod sit radix totius deliberationis, vel etiam quod oriatur ex virtuali deliberatione, quatenus regulatur cognitione advertente, & discernente bonitatem finis. Sicque primus ille amor est propter finem, non præamatum, sed præcognitum, & ut sic dicam coamatum.

Objicies 3. Fruitio, gaudium, delectatio, & quies in fine possesso sunt vere actus humani, cum nequeant competere brutis: Sed illi actus non sunt propter finem allicientem ad sui amorem, cum potiùs supponant finem habitum, & possessum: Ergo non omnes actus humani sunt propter finem.

Respondeo plerosque docere delectationem de fine esse etiam propter finem, quia sicut bonitas finis apprehensa causat moraliter sui amorem, & absens causat sui desiderium, sic præsens & possessa causat sui delectationem. Certè, inquiunt, cùm delectatio sit actus voluntatis tanquam causæ efficientis, exigit etiam moveri à fine, quæ est causarum omnium prima, & omne quod habet causam efficientem, debet etiam habere finalem. Maximè quia juxta principium S. Thomæ, respectu voluntatis idem est objectum & finis. Sed delectatio respicit bonum ut objectum: Ergo & ut finé.

Alii tamen cum Martinez contendunt actus qui versantur circa finem jam adeptum, non esse strictè effectus finis, cujus tota causalitas sita est in hoc, quod alliciat appetitum ad sui desiderium, vel ad media ex sui amore eligenda; adeptum autem finem nemo desiderat, nemo in ordine ad illum aliquid eligit, sed in illo sistit appetitus, sobindéque cessant omnes actus humani, qui ad finem acquirendum ordinantur. Favet S. Doctor *quæst. 2. art. 6. ad 1.* ubi docet delectationem non esse propter aliud tanquam propter causam finalem, sed tanquam propter formalem, seu objectum: ubi non loquitur de delectatione objectiva, quæ non ponit in numero cum fine, ut quidam exponunt; sed de formali, cùm de ea loquatur, quæ est quietatio appetitus in bono. Iuxta quam solutionem dicendum esset delectationem non esse rigorosè actum humanum, sed metam & complementum actuum humanorum, quod adepto fine non efficitur per veram actionem, sed connaturaliter resultat. Elige quod magis arriserit; est enim subtilitas levis momenti.

Objicies 4. Bruta animalia agunt propter finem, ut cùm unum medium præ alio eligunt in ordine ad aliud quod intendunt: quod variis exemplis confirmari posset. Ergo agere propter finem non est proprium solius creaturæ rationalis.

Respondeo creaturas rationales non agere propter finem formaliter se movendo in illum ex prævia cognitione finis & proportionis mediorum ad ipsum. Quia appetitus brutorum est naturaliter determinatus ad unum, unde quando per sensum vel imaginationem sibi aliquid conforme inclinationi repræsentatur, statim in illud non consilio vel discretione, sed impetu fertur. Contingit autem in operibus brutorum apparere quasdam sagacitates, quatenus habent inclinationem naturalem ad quosdam ordinatissimos processus à summa arte ordinatos. In quo sanè splendet increatæ sapientiæ ratio; nam virtus moventis apparet in motu mobilis, sicut artis humanæ industria in horologii structura refulget. Nullam tamen inesse brutis rationem, prudentiam, vel sagacitatem, apparet ex hoc quod omnia quæ sunt unius naturæ similiter operantur. Sed de his plura & curiosa in Philosophia.

Reflexio.

Si solius hominis sit agere propter finem, eaque sola operatio humana merito dicatur, quæ ex deliberatione procedit, profectò brutis annumerandus est, qui naturæ suæ oblitus, nec finem suis actibus præstituit quem intendat, nec rationis præeuntis lucem sequitur, sed passionis impetum, vel solius naturæ instinctum. *Bestiis bestialior homo est* (ait Bernard.) *ratione vigens, & ratione non utens.* O rem pudendam! homo ad æterna natus, Dei capax, cœli candidatus, rationis particeps, dum rationis ductum non sequitur, ad brutorum greges deponitur, comparatur jumentis insipientibus, & similis fit illis; fit sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, ut ait David: Imitatur *irrationalia pecora, quæ naturaliter feruntur*, ut dicitur 2. *Petr* 2. & filium prodigum æmulatur, qui patrem deseruit, *ut pasceret porcos.* Et justè *pietatis desertor* (ait Chrysolog. serm. 1.) *deputatur porcus, porcorum traditur servituti, ut sentiat quàm miserum sit, amarum quàm sit quietis paternæ beatitudinem perdidisse.* Semper agamus ut homines, idest opera præveniat deliberatio, comitetur prudentia, judicii tranquillitas subsequatur. Sic semper rationabilia meditantes ad finem intentum tandem perveniemus, & in Deo voluntas inveniet consummationem, si ab eo intentionum suarum ducat exordium. Væ autem miseris à vero fine aberrantibus, quærentibus brutorum more unde finiant appetitum, & insipienter respuentibus unde vero propinquent fini. *Quærunt finem consumptionis, non consummationis*, ut egregiè observat Bernard. tract. de dilig. Deo. *Quia non beato fine consummari, sed consumi vacuo labore accelerant, qui rerum magis specie quàm authore delectati, priùs universa percurrere, & de singulis cupiunt experiri, quàm ad ipsum curent universitatis Dominum pervenire.*

Speculatio II.

Impossibile est voluntatem intendere simul plures fines ultimos totales adæquatos.

Probatur exponendo rationes D. Thomæ *artic. 5.* Prima: Finis ultimus est ille cui omnia quæ sunt in potestate hominis subjiciuntur, ultimus enim finis

affectui hominis omninò dominatur, unde de gulosis dicitur Ph lipp. 3. *Quorum Deus venter est.* Quia habent voluptatem veneris pro Deo, ad quem omnia referunt. Atqui non possunt dari duo supremi domini voluntatis, cui omninò subjiciantur omnes ipsius affectus; quia saltem amor unius amori alterius non supponetur, aliàs uterque finis non esset supremus dominus. Ergo impossibile est voluntatem intendere simul plures ultimos fines disparatos, juxta illud Matth. 7. *Nemo potest duobus dominis servire.*

Secunda ratio D. Thomæ: Finis simpliciter ultimus debet satiare & explere appetitum; si enim plenè non satiet, in eo ultimò non quiescet voluntas, sed ad ulteriorem suspirabit, ut in eo consummatam perfectionem inveniat; unde definitur ab Augustino finis ultimus ille, *non quo consumitur homo ut non sit, sed quo perficitur ut plenè sit.* Atqui voluntas non potest intendere duo bona perfectè satiativa; bonum enim perfectè satiativum tale est, ut nihil extra ipsum appetendum relinquatur; quod utique non esset, si præter unum ex illis bonis aliud voluntas ad sui perfectionem requireret. Ergo voluntas non potest simul intendere plures ultimos fines totales.

Confirmatur hæc ratio penetrantiùs: De ratione ultimi finis simpliciter est quod omnia ordinentur ad ipsum, ipse verò ad alium ulteriorem non ordinetur: Sed repugnat dari duo bona hujusmodi, nam vel unum ordinaretur ad aliud, vel non; si ordinaretur, jam esset bonum subordinatum, non ultimus finis; si non ordinaretur ad alium, jam iste alius non esset finis ultimus, utpote non subjiciens omnia suæ ordinationi: Ergo repugnat duplex ultimus finis.

Tertia ratio D. Thomæ. Finis ultimus est primum principium in processu voluntatis, sicut veritas indemonstrabilis est primum principium in processu intellectus: Sed primum principium voluntatis non potest esse nisi unum, quia sicut in processu rationis principium naturaliter cognoscitur, ita in processu voluntatis finis naturaliter amatur; quod autem naturaliter desideratur, non potest esse nisi unum, quia natura non tendit nisi ad unum: Ergo voluntas non potest intendere sub ratione ultimi finis nisi unum.

Ad intelligentiam hujus reconditæ rationis, quæ prima fronte videtur obscura, nec aliud probare quàm finem ut sic, seu beatitudinem in communi debere unicam esse, considera quod qui finem particularem ultimum sibi constituit, illi saltem practicè asserit omnes conditiones ultimi finis ut sic, eo ferè modo quo qui eligunt Regem, ipsum omnibus regiæ majestatis insignibus decorare debent. Unde sicut nequit appeti finis ultimus ut sic, nisi unus, ita nec finis ultimus particularis: quia quod voluntas in ultimo fine in communi naturaliter appetit, solùm hoc voluntas fini particulari attribuit, quem sibi assumit. Et ratio radicalis hujus profundæ doctrinæ est, quia voluntas ut libera non operatur nisi servando naturæ leges: sicut ergo voluntas ut natura exigit unum ultimum finem, quod fit principium actionum naturalium; ita voluntas ut libera licèt possit pro suo arbitratu finem particularem qui magis placuerit intendere, non tamen potest rationem finis ut sic dividere, & pluribus applicare. Nam ut ait S. Doctor q. 10. art. 1. ad 1. modus operandi voluntatis ut naturæ, participatur à voluntate ut libera. quæ practicè & in actu exercito totalem rationem finis & beatitudinis ut sic fini suo particulari attribuit, qui proinde tali ratione supervestitus non potest non esse unicus.

Quarta demùm ratio sic formatur: Actiones liberæ voluntatis speciem moralem sortiuntur ex fine proximo, ut dicemus dum de moralitate: ergo à fine ultimo, qui est communis, sortiuntur rationem generis: nam in hoc conveniunt omnes actus humani, quod sunt propter ultimum finem; sicut etiam in hoc conveniunt omnia appetibilia, seu omnes fines particulares, quod non movent voluntatem nisi ratione ultimi finis, ut dicemus postea. Sed quod habet rationem generis est unum, Ergo necessariò finis ultimus est semper unicus.

Ad elucidandam hujus difficilis, sed eruditæ rationis energiam, sciendum finem ultimum habere rationem generis, non in essendo vel prædicando (de quo agunt Dialectici,) sed in movendo & causando; sicut etiam finis proximus habet rationem speciei seu specificativi voluntatis, quatenus movet & terminat actus illius. Iam sensus rationis clarebit. Fines proximi non specificant, nec movent actus voluntatis nisi per ordinem ad ultimum finem ad quem omnes conspirant, & in cujus virtute alliciunt: Ergo finis ultimus à quo omnes proximi derivant rationem communem seu genericam movendi, debet esse unus, aliàs non per se, sed per accidens ad eum acquirendum conspirarent. Ergo in genere finalizandi necessariò requiritur unicus ultimus finis, qui omnes alios subjiciat, sicut in causis efficientibus prima quæ ordinat alias ad agendum debet esse una, aliàs foret confusa directio.

Objicies: Voluntas potest ita esse comparata, ut hoc vel illo fine contenta sit: Ergo saltem disjunctivè poterit voluntas appetere plures ultimos fines.

Respondeo, quod cùm de ratione ultimi finis sit, ut extra ipsum nihil appetendum relinquatur, & cæteris omnibus anteponatur; si darentur duo objecta quorum bonitate æquè foret contenta voluntas, tunc illa non essent plures ultimi fines formaliter, sed tantùm materialiter, quatenus in utroque amaretur aliqua ratio quam voluntas unicè quæreret. Sicut bonus Christianus qui finem in tribus personis S. Trinitatis ponit, non tres ultimos fines, sed unicum prætendit, nimirum bonitatem divinam in illis peræquè repertam.

Dices: Esto voluntas nequeat appetere plurimos ultimos fines ut necessarios, quid tamen vetat ipsam appetere unum ut satiativum, alterum ut superabundantem? Licèt enim natura abhorreat à superfluo, & studeat unitati, voluntas tamen sæpe sæpiùs exorbitat, & entia multiplicat sine necessitate. Certè si Gentilium immoderata licentia Deos sine modo exaugebat, quidni plures ultimos fines non necessitate, sed excessu luxuriante voluntas intendet? Neque enim minùs immultiplicabilis est Deitas, quàm ratio ultimi finis.

Respondeo voluntatem finis ultimi amore veluti plenam non posse alium appetere: sicut stomachus cibis repletus alias dapes non concupiscit, sed fastidit. Sanè cum finis ultimus sit unicum & principale bonum appetentis, quidquid amatur ut superfluum, à ratione ultimi finis exulat, seu potiùs ultimo fini subordinatur.

Ad id quod de Ethnicorum diis subditur, dicendum idololatras, tametsi pluribus diis adolerent, non tamen omnes ut Deos perfectissimos coluisse, sed inter eos principem Deum, purà Iovem agnovisse. Vel dicendum, quod sicut divinitatem partiebantur, ita rationem ultimi finis dividebant, non in uno solo adæquatè constituebant. Vel demùm dicendum, quod sicut, dum plures deos fingebant, errabant; ita dum plures in illis ultimos fines collocabant, mentiebatur iniquitas sibi. Nam reverà seipsos habebant pro ultimo fine, siquidem pro suo arbitratu divinitatem pensitabant, ut aliàs dum de unitate Dei cum Tertulliano diximus. Quamobrem non tam deos, quàm suam rationem, suamque voluntatem divinitatum distributricem, & dispensatricem adorabant. Imò vitia in deo consecrabant; induxit enim Venerem impuritas, Martem

tem ferocitas, Bacchum ebrietas: amabantur scelera, deinde consecrabantur, postremò ne scelera arguerentur à diis, deos fingebant sceleratos. Ergo scelus pro deo & ultimo fine habebant.

Instabis: Peccans mortaliter habet creaturam pro ultimo fine, quia ut ait D. Thomas q. 28. de verit. art. 1. *Quantum ad affectum praponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam quàm Creatorem*, juxta illud: *Dilexerunt gloriam hominum magis quàm Dei.* Atqui idem homo committit plura & diversa peccata mortalia disparata: Ergo habet tunc plures ultimos fines.

Respondeo, certum esse peccatorem per peccatum lethale constituere suum ultimum finem in creatura, dum spreto bono incommutabili amplectitur bonum commutabile. In quo sita est grandis illa perversitas cordis humani bonis illis fruentis, quibus tantùm uti debebat. Sed non propterea habet tunc peccator plures ultimos fines totales, sed unicum, nimirum proprium bonum, in quo pravè quiescit, sicque amore sui ædificat civitatem Babylonis usque ad contemptum Dei. Babylonica enim confusio est, ubi amor proprius principatur; siquidem nec Deo ratio, nec rationi voluntas, nec voluntati appetitus subjiciuntur, sed omnia sus deque miscentur, & prælibatur infernus in quo nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat; & licèt bonum proprium non sit de se malum, tamen bonum proprium amari ut summum bonum, & cum contemptu Dei, est perversitas perversitatum, accedens ad impietatem idololatriæ. Deum naturalem Regem cordis humani deturbantis à solio, & coronam, quantum in se est, in creaturam transferentis. Vnde dixit Chrysostomus idololatram esse peccatorem quemlibet, imò & multorum Deorum cultorem.

Vrgebis: Homo existens in peccato mortali, dum elicit aliquod bonum opus, non ordinat illud ad suum ultimum finem pravum, aliàs peccaret mortaliter, sed ad aliud finem ultimum inefficaciter amatum: Ergo potest voluntas duos fines ultimos intendere, unum efficaciter, alium inefficaciter.

Respondeo quosdam non diffiteri, posse hominem simul intendere duos fines ultimos, unum efficaciter, alterum inefficaciter; sicut, inquiunt, in physicis non repugnat duas formas contrarias in eodem subjecto reperiri, unam quidem in gradu intenso, alteram in gradu remisso. Sed hæc explicatio videtur non doctrinæ D. Thomæ adversari; cùm enim de ratione ultimi finis simpliciter sit totaliter dominari voluntati, & omnes alios fines sibi subjicere, planè repugnat posse aliqua ratione dari plures fines. Nam ille ultimus finis inefficaciter amatus vel subordinatur fini efficaciter intento, vel non: si subordinetur, jam non erit finis ultimus, sed intermedius; si non subordinetur, jam finis efficaciter intentus non erit totalis & ultimus; siquidem non omnia sibi subjiciet, nimirum finem illum inefficaciter desideratum. Quare exemplum illud de formis non quadrat, quia inter illas est tantùm oppositio contraria: at inter duos fines ultimos est oppositio contradictoria, quia uterque esset, & non esset ultimus; ab utroque pen se, & non per se penderet voluntas.

Ad argumentum ergo dicendum, peccatorem, dum aliquem bonum actum elicit, non habere plures ultimos fines totales, sed unicum suprà assignatum, qui tamen permittit aliquando voluntatem non contra se, sed præter se operari. Sicut enim causa prima finit interdum causam secundam deficere; sicut etiam ultimus finis justi non omnia sibi ejus opera subjicit, scilicet peccata venialia: ita similiter finis peccatoris ei quandoque indulget extra sphæram suæ causalitatis transcurrere. Si autem quæras quinam sit tunc finis ultimus peccatoris benè agentis, vel justi venialiter peccantis, dicemus speculatione sequenti esse beatitudinem, quam in omni actu incessanter inquirimus.

Reflexio.

Nemo potest duobus dominis servire. Regnum in seipsum divisum desolabitur. Porrò unum est necessarium. His Veritatis testimoniis damnantur qui Deo servire volunt & mundo, militare Deo & sæculo, æterna sperare gaudia, & terrena degustare. Non considerant quod ait Gregor. *Impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa, quia videlicet nequaquam plenè in unumquodque operis ratione colligitur, dum mens per diversa sparsa partitur. Nam si plusquam necesse est se exterioribus implicat, quasi occupata in itinere obliviscitur quo tendebat.* Erras, Lector, & vehementer erras, si cor tuum partim Deo, partim mundo dividas. Totum, vel nihil vult, qui ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus vult amari. *Minus te amat, qui tecum aliquid amat*, aiebat August. & lib. de morib. Eccles. cap. 11. *Summum bonum, quod etiam optimum dicitur, non modò diligendum esse nemo ambigit, sed ita diligendum ut nihil amplius dil gere debeamus. Natura semper tendit ad unum,* inquit D. Thom. tendit ars, tendit ratio, tendit voluntas. Vnicum est circuli centrum, quò omnes lineæ concurrunt; unicus est orbis sol, unicus sagittarii scopus, unus navigantium ultimus portus, unus itinerantium terminus, unus in Monarchia Rex, unus in orbe Deus, unicum in homine cor soli Deo consecrandum. Quia scriptum est: *Dominus Deus tuus unus est, Deus amulator & zelator.* Et iterum: *Dominum tuum adorabis, & illi soli servies.* Et rursum: *Vt quid claudicatis in duas partes?* Et iterum Isaiæ 28. *Angustum est stratum, ita ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non potest.* Quàm cæcus qui extra Deum aliud quærit! Quàm avarus cui Deus non sufficit! Vnicè ergo ad illum suspiremus, qui ut ait Bern. *lib. 5. de consid.* summa beatitudo est, creans mentes ad se participandum, vivificans ad sentiendum, afficiens ad appetendum, dilatans ad capiendum, justificans ad promerendum, accendens ad zelum, fœcundans ad fructum, dirigens ad æquitatem, formans ad benevolentiam, moderans ad sapientiam, roborans ad virtutem, visitans ad consolationem, perpetuans ad æternitatem, implens ad felicitatem, circumdans ad securitatem, implens in bonis omne desiderium nostrum.

Speculatio III.

Quidquid homo deliberatè vult, illud appetit propter ultimum finem.

Hanc assertionem, quam unanimis Patrum & Philosophorum consensus docet, probat Sanctus Thomas. Primò, quia ultimus finis hominis est summum hominis bonum appetitus ipsius satiativum: Atqui homo in omni suo actu vel illud summum bonum explicitè appetit, vel saltem ad illud implicitè tendit; nam impossibile est quod aliquid appetat voluntas nisi sub ratione boni sibi convenientis vel perfecti, vel tendentis in perfectionem consummatam beatitudinis. Ergo in omni suo actu homo ultimum finem inquirit.

Altera ratio D. Thomæ sic procedit: Finis ultimus eo modo se habet in movendo appetitum, quo causa prima in permovendo secundas ad agendum: Sed nulla causa secunda prorumpit in actum, nisi moveatur à causa prima: Ergo similiter secunda appetibilia,

lia, seu fines intermedii non movent voluntatem nisi dependenter à primo appetibili, qui est ultimus finis; subindeque in omni actu appetitur finis ultimus & beatitudo non solùm tanquam ratio volendi, sed etiam tanquam res volita; finis enim non posset esse ratio volendi, nisi esset in se volitus, sicut lux non est ratio videndi cætera, nisi videatur in se.

Confirmatur utraque ratio: Dum voluntas deliberatè vult aliquid, vel quiescit in amore illius objecti, vel non sistit in eo, sed ad ulterius tendit; si quiescit, profectò in ipso rationem ultimi finis ponit; si ad aliud pergit, cùm non detur processus in infinitum in finibus subordinatis, omninò deveniendum est ad unum finem, in quo sistat voluntas, aliàs nihil determinatè appeteretur, nec terminaretur consilium, nec quiesceret intentio agentis. Ergo necessariò voluntas agit propter unum aliquem ultimum finem explicitè, formaliter, & expressè, quando ex distincta finis ultimi cognitione & amore agit; vel saltem virtualiter, quando ratione præcedentis intentionis voluntas manet determinata ad agendum, etiamsi de fine illo actu non cogitetur; & tunc implicitè amatur ultimus finis in bono particulari, in quo finis ultimus involvitur. Et horum omnium radix est, quia nihil homo appetit, nisi intendendo satisfacere appetitui, ut patet: id autem est implicitè appetere beatitudinem, quæ est expletio appetitus: Ergo quidquid homo agit, id facit propter ultimum finem vel explicitè in se amatum, vel in aliqua sui participatione quæsitum.

Dices: Sæpe de ultimo fine non cogitamus, dum circa particularia objecta occupamur: Ergo finem ultimum non volumus; nihil enim volitum, quin præcognitum.

Respondeo fatendo sæpe contingere nos appetere finem proximum & bona particularia, non cogitando de fine ultimo in communi, ut experientiâ compertum est, contra quam non est disputandum. Nec enim ullatenus placet quod quidam aiunt, intentionem illam haberi sine attentione & reflexione, subindéque fugere mentem vel memoriam. Nam cùm cogitatio necessariò involvat sui conscientiam, quia non solùm est in nobis, sed etiam à nobis; & cogitatio quam non advertimus, similis sit voci quam non audimus; dicere cognitionem finis in communi præcedere, & tamen non averti, est dicere quod talis cognitio non præcedit; cùm nihil prosit cognitio nisi percepta, & ut sic dicam, conspicua. Quare dum nulla præcessit cognitio vel intentio finis ultimi & beatitudinis, etiam tunc tacitè quæritur finis ultimus & beatitudo in aliquo suo radio, quatenus per omnem actum in omni objecto quæritur aliquid pertinens ad beatitudinem, putà honestas, delectatio, pax, quæ sunt conditiones ultimi finis. Vnde rectè ait August. lib. 13. de Trinit. cap. 3. *Quidquid aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus hominibus satis nota est, non recedit.* Vbi innuit, omnem humanæ voluntatis actum esse vel ipsam beatitudinis appetentiam, vel ei subnecti & inniti, vel saltem aliquam ejus inchoationem & participationem quærere.

Instabis: Finis ultimus justi est Deus. Atqui ea quæcumque facit justus, non ordinat ad Deum: committit enim multa peccata venialia, quæ sicut non procedunt à Deo ut primo principio, ita nec ad eum ut ultimum finem referri possunt; absurdum enim in terminis est dicere justum peccare propter Deum. Ergo quidquid homo facit, non operatur illud propter ultimum finem.

Respondeo hominem in omni suo actu non agere propter ultimum finem particularem, cui se semel devovit, nisi vel formaliter, vel virtualiter ad ipsum se referat; agere tamen semper propter ultimum finem communem, idest beatitudinem. Et hoc solùm intendunt S. August. & D. Thom. dum aiunt omnes homines convenire in appetentia ultimi finis, seu beatitudinis, quia semper quærunt bonum inchoatum vel consummatum. *Quantum ad rationem ultimi finis* (inquit D. Thom. art. 7.) *omnes conveniunt in appetitu finis ultimi, quia omnes appetunt suam perfectionem adimpleri, quæ est ratio ultimi finis, ut dictum est. Sed quantum ad id in quo ista ratio invenitur, non omnes conveniunt in ultimo fine.* Ecce D. Thomam manifestum sui interpretem, & asserentem quod cùm dixit *art. 6.* præcedenti, hominem in omni actu agere propter ultimum finem, id intelligendum est non de fine particulari & materiali, sed formali, scilicet beatitudine & consummata perfectione, quam omnes naturaliter concupiscunt, juxta illud præclarum Boëtii lib. 2. de consol. pros. 2. *Omnis mortalium cura, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso calle procedit, sed ad unum beatitudinis finem nititur pervenire.*

Hac expositione elimpidantur plures difficultates aliàs importunæ. In primis solvitur objectio facta de peccato veniali. Quia justus dum illud committit, appetit quidem ultimum finem, scilicet beatitudinem, vel aliquam ejus participationem; sed non appetit finem ultimum particularem, scilicet Deum, tametsi illi maneat semper habitualiter subordinatus. Vnde non amat objectum peccati venialis propter Deum, sed præter Deum. Quia ut benè observavit D. Bonaventura, in peccato veniali, *neque est usus, neque fruitio, sed abusus*; quia usus tendit ad ultimum finem particularem, fruitio in eo sistit, abusus verò est recessus ab ultimo fine particulari, citra contemptum illius.

Per hanc etiam explicationem solvitur aliud argumentum satis intricatum, quo probatur omnia opera hominis infidelis, imò & fidelis existentis in peccato mortali esse peccata; siquidem finis ultimus infidelis est idolum, finis lethaliter peccantis est proprium bonum inordinatè amatum, vel vilis illa creatura, cui se peccator oppignoravit. Ergo si in omni actu agunt propter ultimum finem, profectò omnia opera sua referunt in finem illum pravum, cui se consecrarunt, quâ relatione tam sordidâ non potest non inquinari omne opus illorum.

Sed hæc instantia præfatâ interpretatione enervatur. Nam in operibus ex objecto bonis, v. g. largitione eleemosynæ, cultu parentum, defensione patriæ, aliisque ex naturali motivo compassionis, pietatis, vel gratitudinis elicitis, non agit infidelis vel peccator propter suum ultimum finem particularem, sed ex præciso motivo honestatis, ut supponimus: Finis verò ultimus hujuscemodi operationum est beatitudo, quam in omni actu indesinenter quærimus. Qui finis, utpote naturaliter amatus, & ab honesto vel inhonesto de se abstrahens, nullam in actum bonitatem vel malitiam refundit. Portò si infidelis aut peccator omnia sua opera, quàmlibet ex objecto bona referat in ultimum suum finem particularem pravum, procul dubio in omni actu peccabit. Qua de causa veridicè scripsit & inculcavit Augustinus, omnia opera infidelium esse peccata, idest infideliter agentium, & opera sua ordinantium in finem infidelitatis suæ. Propositio enim Augustini in sensu formali intellecta verissima est, ut alibi operosiùs examinabimus.

Insistes: Eo modo finis intermedius dependet ab ultimo in movendo voluntatem, quo causæ secundæ pendent à prima in influendo, ut ait D. Thomas hic: Atqui causa secunda non influit in effectum nisi dependenter à causa prima singulari: Ergo finis intermedius non movet voluntatem nisi dependenter à fine aliquo ultimo particulari.

Respondeo, comparationem causæ primæ efficientis

cum

cum ultimo fine intelligendam esse servato modo utriusque causæ; modus autem agendi causæ efficientis est per influxum physicum in effectum singularem, qui non procedit à causa in communi, sed singulari; nam *actiones sunt suppositorum & existentium*, subindeque singularium. Modus verò causæ finalis est moralis & metaphoricus, in hoc consistens quod media sui apprehensione alliciat voluntatem. Sicut ergo intellectus potest apprehendere bonum & beatitudinem in communi, ita ad illam semper anhelat voluntas in omni actu. Non quòd moveatur à beatitudine vagè sumpta, sed in hoc vel illo particulari objecto quæsita, vel secundùm totam perfectionem, vel saltem secundùm aliquam ejus derivationem & participationem. *Quoniam verum est* (inquit August. lib. 13. de Trinit. cap. 5.) *quod omnes homines esse beati velint, idque unum ardentissimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcumque appetant.*

Persistes: si voluntas in omni actu suo beatitudinem incessanter desideratet, nullus daretur actus, nullum verbum otiosum; nam otiosum non est quod tam justè ad amatum beatitudinis finem ordinatur. Consequens repugnat Veritati dicenti nos in extremo judicio de minimo verbo otioso rationem reddituros: Ergo.

Respondeo, perpetuam illam beatitudinis appetentiam non impedire quominus fint plures actus otiosi. Tum quia non solùm actus est otiosus ex fine, sed etiam ex circumstantiis, putà si quis in eo actu nimius immoretur, aliis necessariis prætermissis, quibus debet attendere. Tum quia licèt otiosum non sit beatitudinem amare, inutile tamen est & noxium eam quærere per actus qui non habent piam utilitatem, vel justam necessitatem; quæ sunt conditiones quas requirunt Sancti, ut actus, vel verba non fint otiosa. Tum quia actus semper est otiosus & inanis, nisi ad aliquem finem particularem honestum tendat; finis enim ille communissimus beatitudinis nec bonitatem, nec malitiam moralem actibus tribuit: nam & amatur necessariò, & est de se indifferens ut applicetur objecto honesto vel turpi. Voluntas verò quæcumque operatur, finem intrinsecè honestum quærere debet, aliàs non fructum boni operis, sed inanissima folia germinabit.

Reflexio.

Refert D. August. *lib. 3. de Trinit. cap. 3.* facetum dictum cujusdam mimi, qui promiserat se detecturum quid omnes in mente & voluntate haberent, & promissis se satisfacere credidit dum dixit: *Vili vultis emere, & carò vendere.* Id refutat S. Doctor, quia virtute justitiæ vitium avaritiæ vinci potest, quâ quis justum semper dare pretium velit, & subdit: *Si dixisset, omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua non agnosceret voluntate.* Ita est, beatitudinem omnes & semper quærimus, sed ibi non est ubi quærimus. Dereliquimus fontem aquæ vitæ, & fodimus cisternas dissipatas, quæ sitim extinguere non valent. *Quia creatura rationali non sufficit ad beatam requiem quidquid Deo minus est*, ait idem Aug. *lib. 13. confess. cap.* 8. Ultimum aliquem finem velit nolit semper voluntas inquirit: ergo eliciat, juxta tritum proverbium, ex necessitate virtutem. Ad verum ultimum finem, tanquam ad scopum singulos actus dirigat, quæ alicujus ultimi finis amorem continere non potest; aliàs non beatitatem, cui inhiat, sed miseriam, quam declinat, certissimè inveniet. Tota nocte laborans nihil capiet: concipiet dolorem, & pariet iniquitatem. Mihi credito, ut vitæ tuæ cursus feliciter dirigatur, respice finem, non quem vulgi opinio, aut falsa æstimatio humanis actibus præfixit, sed quem lux & lex Christiana monstravit. Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus. Erit animus tuus velut navis huc illuc jactata, nisi hunc clavum firmiter teneas. Audi Ethnicum christianè scribentem: *Ideo peccamus, quia vel de nulla re consilium inimus, vel tardè consulimus, vel de partibus vitæ deliberamus, de tota nemo deliberat. Quoties ergo quid fugiendum sit, aut quid petendum, ad summum bonum & propositum totius vitæ respice. Non disponet singula, nisi cui jam vitæ sua summa proposita est.* Quàm probrosum nobis, si post fidem eò non camus, quò ante fidem pervenit Seneca, qui vixisset christianè si scriptis vita respondisset: an responderit, definit Augustinus dum ait: *Adfuit sapientia christiana scribenti, viventi defuit.* Sed quid prodest de beata vita bene scribere, & ad beatam vitam bonâ vitâ non pervenire? Sed quàm deplorandum de beata vita benè sentire, & eam ibi quærere, ubi nemo potuit invenire! *Fieri non potest* (inquit Aug. in Psal. 31.) *ut res deterior te faciat meliorem. Homo es, deterius te est quidquid cupis, quo beatus esse desideras. Aurum, argentum, qualibet corpora, quibus inhias acquirendis, possidendis, fruendis, inferiora sunt te, tu melior es.* Ergo illa aspernare, & ea ultrò desere, quæ volentem nolentem deserent aliquando. *An non ea satius cum honore spernis, quàm cum dolore perdis?* ait Bernard. epist. 103. *An non ea prudentius Christi cedis amori, quam morti.*

CAPUT II.

De beatitudine objectiva.

Statuto semel ultimi finis irrequieto voluntatis desiderio, designanda res illa est ubi inveniri possit; frustra enim esset infitus tam intimus felicitatis appetitus, nisi tandem expleri posset. Hoc tamen mirum est, quod cùm capessendæ atque retinendæ beatitudinis voluntas una sit omnium, tanta nihilominus extitat de beatitudine varietas sententiarum, ut Aug. 19. *de civit.* ex Marco Varrone ducentas octoginta de summo bono opiniones referat: cujus alia ratio non est, quàm gustuum, seu propensionum humanarum diversitas, vel meliùs perversitas, beatitudinem non pro veritate, sed pro sua pronitate definiens. *Ut enim eos quæque res maximè delectavit, ita in ea constituerunt vitam beatam*, ait August. *13. de Trinit. cap. 3.* Inquirimus ergo impræsentiarum, in quonam objecto inveniri possit creaturæ intellectualis beatitudo, quæ teste Boëtio est status bonorum omnium aggregatione perfectus: vel, ut Tullio placet, bonorum omnium, secretis omnibus malis, cumulata complexio: vel, ut Augustinus tradit, rerum omnium optandarum cumulata plenitudo: vel, ut definit S. Thomas: *Bonum totaliter quietans & satians appetitum.*

Speculatio I.

Bona quævis creata occupare possunt cor humanum; satiare, vel beare non possunt.

Probatur primò ratione generali: Beatitudo est bonum perfectum quo totaliter impletur appetitus, & ultra quod nihil appetendum restat: Sed nullum bonum creatum vel creabile, imò nec tota creaturarum universitas potest explere & quietare voluntatem hominis; nam objectum voluntatis est universale bonum, sicut objectum intellectus est verum universale, quod utique non invenitur in aliqua

creatura,

creatura, quæ habet solùm veritatem & bonitatem participatam, & ordinatam ad ipsum Deum, qui est fons totius bonitatis: Ergo nulla creatura cor hominis implere potest. Et ideo Ethnici in beatitudinis indagine laborarunt plurimùm, & turpissimè aberrarunt: *Instruxerunt sibi varias vias erroris, ut bonum hoc invenirent; sed latuit eos semper, sicut lateret etiam nos, nisi venisset bonum ipsum ad nos*, inquit August.

Probatur rursus discurrendo per singula objecta, in quibus homines terreni beatitudinem collocarunt. In primis nemo divitiis satiari potest. Tum quia divitiæ artificiales ordinantur ad divitias naturales ad usum vitæ necessarias, scilicet victum, vestitum, habitationem; istæ verò divitiæ naturales ad vitæ sustentationem vel commoditatem referuntur: ergo in neutris consistit ultimus finis, qui ad aliquid ulterius non refertur. Tum quia beatitudo est bonum possessione percipiendum: divitiæ verò bonæ non sunt possessione, sed effusione. Tum quia beatitudo est omne bonum: divitiis verò haberi quidem possunt corpori necessaria, sed emi spiritualia non possunt. Proverb. 17. *Quid prodest stulto divitias habere, cùm sapientiam emere non possit?* Tum demùm, quia beatitudo est firmum bonum: divitiæ verò obnoxiæ fortunæ sunt, & in malis copiosiùs quàm in bonis abundant; semper autem cum labore acquiruntur, cùm timore possidentur, cum dolore amittuntur, concupitæ turbant, possessæ vilescunt, amissæ affligunt. Perperam ergo in illis beatitas quæritur. Immò ille verè ditior, qui minùs pecuniis impeditior. Divitiæ enim sarcinæ sunt & pondera, quibus non sublevatur anima, sed gravatur, ac sæpissimè inquinatur. Nam *quædam societas est penè etiam nominis duabus his rebus, vitiis & divitiis*, ait Sanctus Euchet.

Secundò in fama & gloria beatitudo non consistit. Tum quia supponit bonitatem, vel excellentiam: unde nemo cognosci desiderat nisi in bonis, in malis autem quærit unusquisque latère. Ergo vera gloria, si sit vera, signum est & testimonium bonitatis, non summum bonum; si verò sit falsa, hominem miserum supponit, non bonum. Tum quia beatitudo est bonum stabile; fama autem falso rumore de facili perditur, vel obscuratur. Tum quia cognoscere nobilius est quàm cognosci; non enim cognoscunt nisi quæ sunt nobiliora in entibus, cognoscuntur autem etiam infima: non igitur summum bonum consistit in hoc quod aliquis cognoscatur, & famâ celebretur, quæ est clara cum laude notitia. Imò nihil æquè formidant solidè illuminati, quàm vanæ gloriæ insidiantes jacturas; gloriæ enim subrepens appetitus superbiam pascit, quæ ut aiunt Patres: *Dulcis est spiritalium opum exspoliatrix & expilatrix, subtile malum, secretum virus, venenum latens, virtutum fucus, tinea sanctitatis.*

Tertiò beatitudo in potestate temporali sita non est. Tum quia beatitudo est bonum possessum propter se, cùm sit omnium finis: potestas autem ordinatur ad alios. Nam ut verè dixit S. Isidorus Pelusiot. lib. 3. epist. 74. *Imperii regula hæc demùm est, quæ ad subditorum utilitatem omnia molitur.* Et epist. 194. *Tyrannis ad suam, regnum autem ad subditorum utilitatem omnia refert.* Tum quia beatitudo est bonum perfectum & tranquillum: potestas autem maximè imperfecta & inquieta est; neque enim tollit morsus sollicitudinem, nec vitare potest aculeos formidinum. Non enim potentes satellitibus stipari vellent, nisi quos terrent ipsi plus metuerent. Vnde illud: *Necesse est ut multos timeat, quem multi timent.* Tum quia beatitudo stabilis est, & excludit malum quodvis: potentia autem mundana instabilis est, obnoxia fortunæ, & in improbis ea abutentibus sæpiùs absolutior & munitior, qui nec eâ obtentâ contenti sunt, sed ad majora contendunt. *O ambitio ambientium crux! quomodo omnes torques, & omnibus places? Nihil acriùs cruciat, nihil molestiùs inquietat, nihil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis suis*, inquit Bernardus.

Quartò beatitudinem voluptas mundana afferre non potest. Tum quia illa sequitur ex possessione boni convenientis, si sit honesta & spiritalis; unde est potiùs consectarium, quàm essentia beatitudinis. Si verò sit merè corporea, non satisfacit præcipuæ hominis parti, scilicet animæ rationali. Tum quia beatitudo est bonum hominis proprium, voluptas autem corporea communis est pecudibus; imò & perfectiùs in ipsis inveniuntur bona corporea, diuturnior enim est vita in elephante, fortior est virtus in leone, celerior cursus in cervo, acutior visus in aquila. Tum quia beatitudo est altissimum hominis bonum: Ergo non potest consistere in hoc, per quod conjungitur homo rebus sibi inferioribus, scilicet bonis sensibilibus corporis. Desinamus ergo ea sequi, quæ & assequi miserum est. Eorum enim nimius usus & mentem deprimit, judicium præpedit, memoriam confundit, vires enervat. *Si sapis, si habes cor tuum, si tecum est lumen oculorum tuorum, desine jam ea sequi, quæ & assequi miserum est.*

REFLEXIO.

Ergo erravimus. Hanc conclusionem deducunt ipsimet impii in via iniquitatis lassati. Vident, sed serò, in illis perperam beatitudinem quæsivisse, quæ ut ait Bernard. epist. 105. *possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant.* Intelligunt tandem miseri, fucata illa bona esse vera mala, & *speciosa supplicia*, ut loquitur Cyprian. *epist. ad Donat.* Dolent ea toto corde amasse, quæ melius fuerat ignorasse, vel cognita reputasse ut stercora, quæ dispersa & calcata prosunt, congregata aërem hominesque corrumpunt. Lugent tam fluxis lubricisque adhæsisse, quæ ut ait Seneca ad Polyb. *cum labore possidentur, cum invidia conspiciuntur, eosque ipsos, quos onerant, premunt.* Stupent omnia transisse, & se cum illis; quia cuncta creata *triplex tollit interitus*, ait Chrysost. *homil. 15. in Matth.* aut à seipsis veterascunt, aut à dominis fortunas suas obligurientibus dissipantur, aut ab extraneis dolo, vi, injustitiâ diripiuntur. Considerant humanam gloriam, cujus erant adoratores, theatricæ histrionum pompæ assimilari, quæ completâ comœdiâ evanescit. Cernunt vitam hanc vaporem esse ad modicum parentem, & quasi umbram transeuntem; nam & Reges, & Imperatores, & Pontifices habuimus, qui nec annum, nec mensem, nec hebdomadam numerare potuerunt. Hæc cùm ita sint, utamur hoc mundo, nec illi hæreamus. Non nocebunt bona temporalia sapientiæ, ait Seneca, si doceamur sapere. Habeantur à nobis, ne nos habeant: sint captiva, ne nos capiant: quærantur innocenter, emittantur liberaliter; serviant, non imperent. Et sæpe inter prospera illud occurrat, quod Eugenio III. Bernardus *epist. 236.* objiciebat: *In omnibus operibus memento te esse hominem, & timor ejus, qui aufert spiritum Principum, semper sit ante oculos tuos. Quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? Ipsi te prædecessores tui tuæ certissimæ & citissimæ decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nunciet tibi. Iugi proinde meditatione inter hujus præsentis gloriæ blandimenta memorare novissima tua, quia quibus successisti in Sedem, ipsos sine dubio sequeris ad mortem.* Extra Deum quærere requiem potes, invenire non potes. Quàm verè, quàm vividè August. lib. 6. Confess. c. 13. *O tortuosas vias! Væ animæ audaci, quæ speravit si à te recessisset, se aliquid melius habituram!*

Versa

Versa & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia. Tu solus quies à labore.

Speculatio II.

Creatura rationalis in proprio sinu & fundo felicitatem invenire non potest, vel in scientiis intellectus, vel in virtutibus voluntatis.

TRia communiter distingui solent bona, alia sunt extra animam, alia circa animam, alia intra animam. Extra animam sunt bona fortunæ: circa animam sunt bona corporis: intra animam sunt bona mentis, scientiæ nimirum & virtutes. A duobus primis beatitudinem exclusimus speculatione præcedenti: in tertiis perfectam felicitatem non inveniri monstrandum est.

Probatur 1. ratione generali: Intra animam nihil est nisi substantia, potentiæ, habitus, & actus: Sed in illis non invenitur summum bonum. Non quidem in anima nudè sumpta, quæ exigit ulteriorem perfectionem, qua proinde caret. Non in anima instructa potentiis, ornata habitibus, fœcunda actibus, quia illa omnia sunt bona finita, & limitata, quæ non excludunt omne malum, nec implent omne desiderium; quantumcunque enim animus rationalis sit scientiis & virtutibus auctus, multis tamen malis subjacet, quæ vitari non possunt, nimirum ignorantiæ in intellectu, inordinato passionum æstui in appetitu, multiplicibus pœnalitatibus in corpore.

Probatur 2. in speciali. In primis in scientia beatitudo non invenitur. Tum quia vera beatitudo terminat hominis appetitum; in hac autem vita quanto plus aliquis intelligit, tanto magis desiderium sciendi augetur, nec unquam ad finem sciendi pervenit. Et sæpè, ut dicitur Eccles. 1. *Qui addit scientiam, addit & laborem, & in multa sapientia multa indignatio.* Quia ex profundiori eruditione majores emergunt dubitationes. Tum quia beatitudo est bonum stabile & perpetuum, unde corpora naturalia à suo centro non removentur, nisi per motum violentum; contemplatio autem in hac vita stabilis, & perpetua esse non potest; sæpè enim impeditur tum ab aliis occupationibus, tum corporis infirmitate, tum tempestatum incommodis, frigore, æstu, &c. tum passionum insurgentium motibus, tum falsarum opinionum tenebris, tum continuationis tædio. Tum demùm, quia beatitudo appetitum quietat; cognitio autem etiam fidei desiderium non quietat, sed magis accendit, quia unusquisque desiderat videre quod credit, ut illi uniatur objecto, à quo quamdiu per fidem ambulat peregrinatur.

Idem suadetur de operationibus virtutum moralium. Tum quia beatitudo est ultimus finis ad ulteriorem non tendens; operationes autem virtutum ad aliud ordinantur, putà operationes fortitudinis ad victoriam & pacem, operationes justitiæ ad Reipublicæ integritatem, & sic de aliis virtutibus moralibus, quæ omnes ad hoc ordinantur, ut per eas conservetur medium in passionibus internis, & decor in operibus externis. Fateor quidem beatitudinem, tota quanta in hac misera vita haberi potest, in actibus contemplationis, & virtutum moralium consistere; nam sola virtus, præsertim charitate formata, bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Tamen in illis ratio summi boni inveniri non potest, cùm omnis vera virtus ad summum bonum Deum obtinendum ordinetur. Unde Augustinus: *Epicurus ait, Frui carne mea bonum est. Stoicus, Frui mente mea bonum est. Christianus verò, Mihi adhærere Deo bonum est.*

Confirmantur hæc omnia ratione D. Augustini lib. 14. de Trinit. cap. 14. & 15. Quamvis non omnes qui habent quod volunt, continuò beati sint, nemo tamen beatus est nisi habeat quod vult, & nihil malè vult: miser verò est, qui vel id non habet quod vult, vel id habet quod non rectè vult: Sed in hac vita nullus quamlibet scientiis & virtutibus ornatus vivit ut vult; nam quis hominum potest ut vult vivere, quando ipsum vivere non est in potestate? Certè non vivit ut vult, qui non vivit quandiu vult, & qui volens vivere, mori cogitur. Deinde etiam ipse justus non vivit ut vult; nam eum teotat error ut fallat, tentat libido ut accendat, tentat labor ut frangat. Ergo justus non vivit ut vult, nisi eò pervenerit, ubi mori, falli, offendi omninò non possit, eique certum sit ita semper esse futurum. Hoc enim natura expetit, nec plenè atque perfectè beata erit, nisi sit adepta quod expetit.

Reflexio.

Si separaveris pretiosum à vili, quasi os meum eris; id est, si justâ staterâ appenderis verum bonum, & discreveris illud à falso, imitaberis oris mei veritatem, quæ suum cuique rei nomen & pretium indit. Nihil tam in vita morali necessarium, quàm æqua rebus pretia imponere, & tanti res singulas facere quanti valent. *Omnia æstimatorem desiderant*, aiebat Seneca. *Omnia probate, quod bonum est tenete*, ait Spiritus Sanctus. Certè si justum de rebus feramus judicium, miseria plenum mundum, non beatitudinis locum fatebimur. Mundus iste (inquit B. Humbertus quintus Ordinis nostri Magister Generalis, in anteo opusculo *de eruditione Religios. p. 2. cap. 1.*) est tenebrosus, falsus, modicus, implicatus, transitorius, cruciaos, periculosus. Unde Beatitudo longè ab illo est, qui tot malis scatet. *Tenebrosus est mundus.* Proverb. 4. *Via impiorum tenebrosa.* Quia nimirum mundani iotet se & verum Solem obicem peccatorum interponunt, unde sunt in perpetua eclipsi, & quod deterius est, cæcitatem suam non agnoscunt, vel non dolent. Augustinus, *Quid miserius misero non miserante seipsum?* Falsus est mundus. Psal. 5. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Assimilantur enim bona terrena Sodomæ fructibus ad speciem pulchris & suavibus, sed morsu pressuve tentati in fumum ac favillam vanescunt. Sic mundi insaniæ falsæ promittunt & ostentant copiam, sed revera indigentiam augent. *Modicus est mundus.* Sapient. c. 11. *Tanquam momentum stateræ, sic ante te orbis terrarum.* Nam respectu cœli tota terra punctum est. Seneca: *Punctum est id in quo navigatis, bellatis, regnatis.* Implicatus est mundus. *Luc. 10.* Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. August. in illud Psalmi, *Diligite Dominum omnes Sancti ejus*, ait: *Disce non diligere mundum, ut discas diligere Deum; averte, ut converteris; funde, ut implearis. Felices exonerati qui sequi possunt expediti*, addit Bernardus. *Transitorius* est mundus. Sapient. 5. *Transierunt omnia illa tanquam umbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam navis, quæ pertransit fluctuantem aquam. Spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur: & tanquam spuma gracilis, quæ à procella dispergitur, & tanquam fumus qui à vento diffusus est, & tanquam memoria hospitis unius diei prætereuntis.* Crucians est mundus. Eccles. 2. *Cuncti dies ejus (avari) pleni sunt doloribus & ærumnis.* Augustinus: *Curre per singula, & invenies tot animæ tormenta, quot vitia. Periculosus* est mundus. Psal. 103. *Hoc mare magnum & spatiosum.* Cujus periculum, ait Bernard. probat transeuntium raritas, & pereuntium multitudo. In mari Massiliæ de quatuor animabus non perit una: in hoc mari de quatuor animabus non salvatur una.

Mirabiles elationes hujus maris, in quo qui perit, in æternum perit. Si modicum frumenti totam massam corrumpit, quem non corrumpet mundus, cujus tota massa corrupta est? Felicitas ergo in mundo non est, sed potiùs terque quaterque beatus est, quem Deus à mundo educit in secessum claustri vel communitatis, unde exire non liceat nisi ad salutem animarum.

Speculatio III.

Animam rationalem solus Deus unus & trinus implere & beare potest.

HÆc speculatio est corollarium præcedentium. Si enim creatura intellectualis felicitatem invenire nequit, nec infra se in bonis terrenis, nec circa se in deliciis corporis, nec intra se in ornatu virtutum; restat ut illam quærat supra se, in Deo scilicet totius bonitatis fonte, extra quem quiescere nequit animus immortalis. Nam dum circa creaturas occupatur, aut sequitur bonum quod non assequitur, & non habet requiem; aut bonum obtinet quod retinere non potest, & sentit dolorem; vel illud retinet, sed perdere potest, & habet timorem. Vnde oportet verum bonum in Deo quærere. *Bonorum summa Deus nobis est* (ait præclarè August. lib. de mor. Eccles. cap. 8.) *Deus est nobis summum bonum: nec infra remanendum nobis est, nec ultra quærendum; alterum enim periculosum, alterum nullum est.* Planè nullum & inane; bona enim terrena desideria non extinguunt, sed accendunt: unde Ioannes omne quod est in mundo *concupiscentiam* vocat, quia rabidam sitim inflammat.

Ratio est, quia in Deo inveniuntur omnes illæ conditiones, ob quarum carentiam felicitas in bonis creatis non invenitur. Nam Deus est summum bonum, ad nullum aliud ordinatum; est omne bonum, omnia possibilia eminentissimè præcontinens; est purum bonum, omnis defectus & imperfectionis incapax; est sufficiens, & exuberans bonum, satians omne desiderium; est stabile bonum, cùm sit æternum; est connaturale bonum, ad quod videndum creatura rationalis naturaliter inclinatur. Vnde August. *lib. de spirit. & lit. cap. 33.* ait: *Illa cognitione, illa visione, illa contemplatione satiabitur bonis anima desiderium; hoc enim ei solum sat est: ultra non habet quod appetat, quò inhiet, quod requirat.* Quæ aliàs diximus de possibilitate visionis, faciunt ad præsens institutum. Sed quia in tam uberi materia sterilem esse non decet,

Probatur ampliùs hæc veritas: in illo objecto invenitur summum bonum hominis, quo possesso satiatur omne desiderium cordis humani; bonum enim est quod omnia appetunt, & bonum hominis ad quod ascicendum tendunt omnes desideriorum ejus motus, & quo adepto omnes cessant. Atqui per fruitionem Dei Optimi Maximi omne desiderium hominis completur. Ergo in possessione Dei vera felicitas invenitur. Probatur minor: Quatuor sunt potissimùm desideria, quibus cietur cor humanum, non dissimilia quatuor elementis, quibus constat mundus; quatuor humoribus, quibus componitur corpus; quatuor ventis, quibus perflatur orbis; quatuor fluviis, quibus irrigatur paradisus terrestris. Primum est desiderium veritatis, commune cum Angelis. Secundum est desiderium voluptatis, commune cum brutis. Tertium desiderium æternitatis, commune cum omnibus entibus, quæ fugiunt interitum & corruptionem quantum possunt. Quartum desiderium honoris & dignitatis, proprium hominibus ad vitam politicam & civilem. Ex hac quadruplici scaturigine omnes actus, artes, & industriæ vitæ humanæ, virtutes etiam & vitia promanarunt. Nam amor veritatis studium & scientiam; amor voluptatis atrium amœnitatem; amor æternitatis honestam matrimonii fœcunditatem, & Reipublicæ perennitatem; amor dignitatum politicæ & regiminis maximas peperere. Sicut è contra dum hæc desideria exorbitant, omnia sus déque confundunt; nam appetitus sciendi inordinatus hæreses & errores; appetitus voluptatis obscœnitates, superstitiosam sanitatis curam; appetitus æternitatis liberorum cæcum amorem, monumentorum vanitatem; appetitus dignitatis ambitionem, & tyrannidem germinarunt.

Atqui hæc quatuor desideria cumulatissimè & juxtà honestissimè complet Deus clarè visus & possessus. Tunc enim apparet veritas sine ænigmate, sicuti est. Tunc torrente voluptatis potatur animus, quando perfectum objectum perfectæ potentiæ perfectissimè unitur, quæ est triplex conditio delectationis. Tunc attollitur nostra vilitas ad divinitatis consortium, quo nihil sublimius. Tunc inamissibilem obtinet perseverantiam bonorum, & interminabilem perfectæ vitæ possessionem. Quàm doctus qui omnia scit, & videntem omnia videt! Quàm lætus qui intrat in gaudium Domini sui, quod non limitat capiendo, sed quo inundatur intrando! Quàm excelsus, cui disposuit Filius, ut edat & bibat super mensam suam in regno Patris sui! Quàm securus, cui æternitas bonorum firmat possessionem. Verè tunc erit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum: profundum scientiæ scrutantis arcana Dei, sublimitas dignitatis evehentis ad regnum Dei, latitudo charitatis cor dilatantis & implentis voluptate Dei, longitudo æternitatis firmantis stabilitate Dei. Ergo in Deo vera felicitatis ratio cumulatissimè invenitur.

Secunda pars, quæ asserit Trinitatem personarum ingredi essentiale beatitudinis objectum indicatur à veritate, Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Vbi pro objecto vitæ æternæ assignat Patrem & Filium cognitos.

Probatur ratione contra Scotistas ex essentiali conditione objecti beatifici. Illud solùm potest esse objectum beatificum, quod potest explere desiderium beati; quandiu enim desiderium frustrabitur, tandiu miseria erit, non felicitas; & ideo rationem objecti beatifici ab omnibus creaturis excludimus, quia desiderium quidem accendere, sed nunquam explere possunt. Atqui Deus non satiaret Beati justa desideria, nisi videretur ut trinus. Tum quia Beatus desiderat Deum videre ut in se est intuitivè & quidditativè; cognitio autem intuitiva, & quidditativa feruntur ad objectum eo modo quo subsistit: Deus verò subsistit in tribus personis. Tum quia Beatus videndo essentiam connaturaliter desiderat videre proprietates cum essentia necessariò connexas: proprietates autem personales sunt ita necessariò cum essentia connexæ, ut sint de conceptu implicito Divinitatis, ut libro 3. demonstravimus. Ergo Trinitas personarum ingreditur rationem essentialem objecti beatifici, & summi boni, cujus præcipua diffusio & infinita fœcunditas in distinctione personarum relucet.

Dices: Sola essentia divina est objectum formale visionis, sicut & divinæ cognitionis: Ergo in præcisa cognitione illius sita est beatitudo, eo modo quo concipimus Patrem Æternum beatum in illo priori originis, in quo nondum concipitur Filius productus, nec subinde visus.

Respondeo, ipsas etiam personas ingredi rationem objecti primarii divinæ cognitionis; quia eadem indivisibili veritate, & immaterialitate gaudent cum essentia divina, quæ licèt sit ratio *sub qua* attingendi, non est tamen sola ratio *quæ* primariò attacta. Accedit

quod

quod licèt essentia esset sola objectum visionis ut cognitio est, non tamen ut est cognitio beatificans & explens omne desiderium Beati, quod fertur ad Deum ut est in se. Sicut aliàs diximus, quod licèt daretur solam essentiam esse objectum cognitionis paternæ, ut cognitio est; non tamen ut est cognitio comprehensiva, quæ omnia pervadit, nihil relinquit. Similiter cognitio beatificans ut talis omnia illa attingit, quæ voluntas concupiscit. Quid autem connaturalius inclinationi videntis Deum, quàm intueri personas in quibus subsistit? Pater autem æternus in illo priori non est beatus sine Filio, & quia nunquam est sine illo, & quia semper contemplatur in sua fœcunditate Filium in signo posteriori producendum. Vide plura circa hoc *lib. 3. dissert. 4. cap. 1.*

Instabis: Sub ea ratione Deus est beatitudo objectiva & ultimus finis, sub qua est primum principium creaturarum; nam ad illud tendit creatura rationalis à quo processit, sicut ad mare unde exeunt flumina revertuntur. Atqui Deus non est principium creaturarum ut Trinus, sed tantùm ut unus; nam *monas genuit monadem, & in se suum reflexit ardorem*; ut est, unus Deus unum mundum propter suam gloriam produxit, ut exponit D.Thomas aliàs citatus. Et certè si à Deo trino per se procederet mundus, posset ex creaturis Trinitas demonstrari. Ergo Deus ut trinus non ingreditur formaliter rationem ultimi finis, & beatitudinis creaturarum.

Respondeo, omissa solutione eorum qui dicunt, Trinitatem non pertinere ad constitutionem metaphysicam Dei & ultimi finis, benè tamen ad constitutionem physicam, quam exigit penetrare cognitio beatificans; omissa, inquam, & quia valdè obscura & metaphysica est illa responsio, & quia non satisfacit comparationi finis ultimi cum primo principio, & quia hîc quærimus constitutivum metaphysicum & formalissimum objecti beatifici, à quo si removeatur Trinitas, profectò vera erit sententia Scotistarum, qui non inficiantur Trinitatem physicè & realiter inveniri in objecto beatifico, sed contendunt illam non ingredi formalem & metaphysicam ipsius rationem constitutivam.

Dicendum igitur planiùs & solidiùs, quod licèt illud idem quod est primum principium, sit etiam ultimus finis & beatitudo objectiva, tamen plura importat ratio beatitudinis quàm primi principii, ut fateri coguntur ipsi adversarii. Nam ratio primi principii importat solùm perfectionem naturaliter cognoscibilem; ratio verò ultimi finis importat essentiam Dei etiam ut authoris supernaturalis clarè & in se visam; & tamen clara & explicita possibilitas visionis per lumen gloriæ non potest naturaliter cognosci: Ergo in possessione ultimi finis aliquid necessariò importatur, quod non includitur in primo principio. Similiter à Deo trino per se non procedit creatura intellectualis; non beatur tamen nisi per Deum trinum, quia nunquam contenta erit nisi videat Deum sicuti est. Vnde negari debet major; licèt enim illud quod est primum principium, sit etiam ultimus finis beatificans; non tamen per illam eandem rationem constituitur beatificans, qua constituitur primum principium.

Insistes: Ergo etiam creaturæ ingredientur objectum beatitudinis; nam Beatus desiderat videre aliquas in Verbo; saltem ipsum ens creabile ut sic, non potest non videri in omnipotentia divina, quæ habet necessariam connexionem cum possibilitate creaturarum.

Respondeo Beatum desiderare videre aliquas in Verbo creaturas secundùm exigentiam sui status, non ex necessitate, sed ex abundantia, & veluti refluentia beatitudinis; non ut objectum essentiale beatitudinis, sed ut accidens, & corollarium illius. Quia ut aliàs ex S.Thoma & D.Augustino accepimus, si solus Deus videretur, qui est fons totius esse & veritatis, ita repleret naturale desiderium sciendi, ut nihil aliud quæreretur. Et qui Deum & creaturas novit, non propter illas beatior, sed propter Deum solus beatus. Quod verò additur de ente creabili relucente in divina omnipotentia, facilis est solutionis. Non enim inde sequitur ens creabile beatificare, sed solam omnipotentiam in qua relucet. Vnde non ex propriis, ut sic loquar, meritis beatitudinis objectum ingreditur, sed solùm ab objecto beatifico connotatur.

Persistes: Eodem proportionali modo philosophandum est de beatitudine objectiva, quo de formali: Sed pro beatitudine formali constituenda non colligimus omnes Beati operationes, sed unam quærimus & seligimus, quæ sit aliarum radix & origo: Ergo similiter ad constituendam rationem essentialem beatitudinis objectivæ non est assignandus bonorum omnium cumulus aggregatione perfectus, sed inquirenda est una ratio formalis, quæ sit bonorum omnium origo & radix satietatis appetitus. Atqui essentia divina est illud primarium & præcipuum bonum, quod est radix prima totius boni, per quod satiatur appetitus, cùm sit ratio à priori omnium attributorum & personarum: Ergo objectum essentiale beatitudinis est sola essentia Dei, non verò attributa aut personæ.

Respondeo latum discrimen beatitudinem objectivam inter & formalem inveniri, quia beatitudo formalis est possessio summi boni; unde illa operatio, quæ prima summum bonum possidet, sortitur rationem formalis beatitudinis: at verò beatitudo objectiva est bonum satians & implens appetitum, ita ut nihil possit ultra desiderare: illud autem bonum consummatum & replens in bonis desiderium, est Deus ut in se est unus & trinus, ob rationes allatas, quibus adde, quod eo solùm modo potest Deus satiare cor humanum, quo potest esse objectum appetitus intellectualis; creatura enim non elevatur ad fruendum Deo, ut aliàs *libro 1.* ostendimus, nisi sub ratione naturæ intellectualis: Sed Deus est objectum appetitus intellectualis sub ratione universalissima, nimirum secundùm essentiam & personas: Ergo non habet rationem satiantis appetitum, subindéque objectivæ felicitatis, nisi secundùm essentiam, attributa, & personas. Adde rursum, quod illud est objectum appetitus nostri satiativum, quod est nostræ dilectionis objectum: tota autem Trinitas est objectum supremum & essentiale nostræ dilectionis super omnia, quæ ratio magis urget Scotistas asserentes formalem beatitudinem in actu dilectionis sitam esse. Hanc dilectionem tibi & mihi opto, Lector, ut per illam consequamur infiniti objecti beatitatem. Vel potiùs eam ab ipso petamus, qui sicut solus Beatos, ita solus efficere valet amantes. Vterque ergo nostrûm cum Bernardo dicat: *Etsi quantum debeo, amare non possum, tamen ultra quam possum: potero vero plus, cum plus donare dignaberis; nunquam tamen prout dignus haberis.*

REFLEXIO.

Hic non tam reflexione opus est, quàm suspiriis. Dum enim quidquid temporale est, transit & evanescit, quid superest nisi gemere & suspirare ad illam æternitatem, quò tendunt omnia sitientis animæ desideria, ubi requies appetendi, ubi fruendi securitas, ubi tranquillissimum gaudium optimæ voluntatis invenitur. Concupiscat planè, & deficiat anima nostra in atria Domini, qui erit omnibus plenitudo lucis, multitudo pacis, securitas æternitatis. Prorsus expedit illum sitire fontem, qui non solùm nobis aquam refrigerantem

gerantem profundit, sed intra nosmetipsos ingreditur, ut per se satiet, per se repleat Deus unus & trinus, qui solus beare potest. *O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas!* (exclamat August. lib. 7. Confess. cap. 10.) *Tibi suspiro die ac nocte. Ibi fige mansionem tuam, ibi commenda quidquid inde habet anima, saltem fatigata fallaciis. Nam & me miserum, heu!* (subdit Bernard. serm. 33. in Cant.) *longè agentem, & de longè salutantem. En ipsa ejus recordatio ad lacrymas provocat planè, juxta affectionem, & vocem dicentium: Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus, dum recordaremur tui Sion.* Ut tanti boni desiderium in te concites, placet melleum simul & igneum Augustini hymnum hîc apponere ex meditationibus ejus collectum, paucis tantisper à me mutatis, ut verborum pariter sonantium servetur rhythmus, & concinnitas.

Ad perennis vitæ fontem mens sitivit arida,
Claustra carnis præsto frangi mens exoptat languida.
Glifcit, ambit, eluctatur exul frui Patriâ:
In pressuris & ærumnis cœli cupit atria.
Quam amisit cum deliquit, contemplatur gloriam:
Præsens malum auget boni perditi memoriam.
Ecquis promat summæ pacis quanta sit lætitia?
Ubi vivis margaritis surgunt ædificia.
Solis gemmis pretiosis hæc structura nectitur:
Auro mundo tanquam vitro urbis via sternitur.
Hyems horrens, æstas torrens illic nunquam sæviunt:
Virent prata, vernant sata, rivi mellis influunt.
Flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum:
Nox & tempus desunt ei, diem fert continuum.
Candent lilia, rubet crocus, & desudat balsamum:
Pigmentorum spirat odor, liquor & aromatum.
Non alternat luna vices, Sol, vel cursus syderum.
Agnus est felicis urbis lumen inocciduum:
Nam & Sancti quique velut Sol præclarus rutilant:
Post triumphum coronati meritò conjubilant.
Mutabilibus exuti repetunt originem:
Et vitalem vivi fontis hauriunt dulcedinem.
Uno pane vivunt omnes in cœlesti gloria:
Nihil est ultra quærendum habentibus omnia.
Avidi & semper pleni, quod habent desiderant.
Esurientes semper edunt, & edentes inhiant.
Non satietas fastidit, neque fames cruciat e
Quia sitis saturatur, & saturos recreat.
Christe palma bellatorum rumpe meum vinculum.
Heu! me quæso post solutum militare cingulum,
Fac consortem donativi beatorum civium,
Ut te merear videre sine fine præmium.



DISSERTATIO III.

De essentia, & proprietatibus formalis beatitudinis.

INVENTO & detecto Thesauro beatitudinis objectivæ, inquirendum superest, quomodo tantum bonum possidere liceat, quave operatione illud consequemur in Patria quidem consummativè, in via verò inchoativè. Neque enim existimandum est creaturam intellectualem in visione & possessione summi boni merè passivè se habere, Deumque per increatam intellectionem intueri. Cùm enim intellectio sit actio immanens, & vitalis, quæ necessariò egreditur à principio intrinseco, non potest ab extrinseco advenire, sed ab interno principio essentialiter promanat. In quo differt à subsistentia divina, quæ cùm non sit actio vitalis, sed complementum substantiæ, optimè potest naturæ creatæ communicari; quid enim vetat eas participatum ab ente per essentiam sustineri, & portari Verbo virtutis ejus? At verò intellectio est operatio vitæ, à principio interiori essentialiter promanans, & in eo manens à quo manat. Quæ ratio convincit etiam contra Nominales, intellectionem beatam non infundi à Deo, intellectu merè passivè se habente; id enim characteristicæ actionis vitalis notioni repugnat.

Non est etiam existimandum, formalem beatitudinem in aliqua Dei unione, vel aliquorum donorum apparatu operationem Beati antevertente consistere. Quantumcunque enim Deus intimè in animam vel potentias ejus illabatur, & quàmlibet exquisitus sit habitualium virtutum ornatus, nondum tamen potitur vel fruitur summo bono, qui ipsum operatione non assequitur, vel tenet; Deus verò sola visione tenetur, ut postea dicemus. Et quomodo beatus esset, qui se beatum esse non perciperet? Quomodo autem perciperet, nisi actu videret? Unde Benedictus XII. determinavit animas *visione & fruitione fieri beatas.* Accedit quod beatitudo formalis est ultima perfectio hominis in genere vitæ intellectualis; habitus autem non est ultima perfectio, cùm tendat ad ulteriorem perfectionem actus. Non est etiam perfecta vita, nisi ubi est motus vitæ, quia habere virtutem in actu primo commune est non viventibus. Relinquitur ergo, beatitudinem formalem in aliqua Beati operatione consistere, nec aliter posse intelligi quomodo beatitudo ad creaturam intellectualem pertineat, nisi ab ipsa per modum operationis procedat. Potest quidem Deus effectum quem producit causa secunda producere, aut se solo conservare, qui causarum omnium virtutem eminentissimè præhabet; sed tamen efficere non potest, ut operatio vitalis sit, si à solo Deo procedat. Sicut potest quidem Deus producere hominem sine generante; efficere tamen nequit ut homo ille productus sit filius alterius hominis, qui ipsum non generavit. Plura contra hujusmodi veterum nonnullorum Theologorum, beatitudinem in habitu, vel illapsu divinæ essentiæ, vel in operatione infusa, & de foris adventitia constituentium positiones dicenda occurrerent, nisi forent ipsâ suâ improbabilitate obsoletæ. Nec est verum, ut quidam ignoranter dixerunt, opinionem Thomistarum negantium verbum creatum in visione Beati, confundi cum aliquo ex illis placitis; nam rationem verbi seu speciei expressæ distingui ab intellectione, in schola D. Thomæ notissimum est.

Supposito ergo, summum bonum non nisi operatione obtineri, restat explicandum quænam operatio formaliter bonum illud assequatur. Et quidem non est difficultas de operationibus sensitivis; purissimus enim spiritus Deus est omninò extra sphæram objecti adæquati potentiæ sensitivæ, quæ materialia & sensibilia transilire non potest; sed dubium duntaxat est de operatione intellectus & voluntatis, quæ potentiæ cùm sint universales, illa in cognoscendo, ista in appetendo, ad universale bonum ferri possunt, & internis cognitionis & amoris motibus veluti pennis ad ipsum volant, ut in ipso quiescant.

CAPUT I.

In quo actu consistat formalis beatitudo, cùm Patria, tum via.

NEmo ambigit plures in beatitudine actus reperiri cùm enim per eam constituatur homo in statu bonorum

bonorum omnium aggregatione perfecto, planum est in beatitudine facultates omnes bonis omnibus repleti, & ut ait Scriptura, inebriari ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis ejus potari. Quare restat inquirendum quidnam in tot operationum apparatu se habeat ut formale & essentiale, quid per modum comitantis, consequentis, & complementi, sive in beatitudine patriæ, sive in beatitudine viæ.

SPECULATIO I.

Hæc est plena, & formalis beatitudo hominis videre faciem Dei sui.

Hanc veritatem totidem ferè verbis ex Augustino desumptam satis claré indicat Scriptura. Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Visio etiam illa sæpè proponitur tanquam tota merces, Matth. 5. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt* 1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus* (subindéque Beati) *quia videbimus eum sicuti est.* Ioan. 17. *Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Quod benè noverat Philippus dum dicebat, Ioan. 14. *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.*

Subscribunt SS. Patres. Nazianz. orat. ad plag. grand. *Regnum Cœlorum est contemplatio Trinitatis.* Ambros. lib. 2. de off. cap. 2. *Scriptura divina vitam beatam in cognitione posuit Divinitatis.* Chrysostomus homil. 8 1. in Ioan. dicit Beatos non participare gloriam Dei, sed videre; quia *omnis requies est Filium Dei videre.* Cyrill. Alexand. lib. 3. cont. Iul. *Hominum felicitas est habere summam contemplationem.* Basilius const. monast. cap. 19. *Contemplatio summum boni est thesaurus Angelorum.* Sed præcipuè sententiam suam ex Augustino Magistro suo deprompsit Angelicus Doctor, Quid enim apertius his verbis libri 1. de Trinit. cap. 8. *Hæc contemplatio promittitur nobis omnium actionum nostrarum finis?* Sed nihil planius, nihil evidentius istis lib. 83. qq. quæst. 35. *Nemo beatam vitam novit, & miser est: hoc est eam nosse, quod habere. Quid est aliud beatè vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere? Æternum est enim, de quo solo rectè fiditur, quod amanti auferri non potest; idque ipsum est, quod nihil sit aliud habere, quàm nosse. Omnium enim rerum præstant simum est, quod æternum est, & propterea id habere non possumus, nisi ea re quâ præstantiores sumus, id est mente. Quidquid autem mente habetur, noscendo habetur.*

Scio aliquos testimonia Scripturarum & Patrum hac in controversia fastidire, utpote quæ facilè eludi possint dicendo significari solùm beatitudinem formalem appellari visionem, quia ad eam præsupponitur. Vnde inferunt recurrendum esse ad solas rationes metaphysicas, quibus unicè confidunt. Verùm id sine ulla specie veritatis obtenditur. Cùm enim expressissimè Scripturarum Patrumque conspiratio inculcet visionem esse totam mercedem, totum Sanctorum thesaurum, veramque & plenam beatitudinem constituere, profectò negari non potest visionem claram Dei ingredi essentiam beatitudinis. Cùm enim tota Scriptura & Traditio ad hunc scopum unicum collimet, ut creaturas rationales ad ultimum finem verum dirigat, profectò dum tam constanter visionem Dei pro præmio laborum, & mundi cordis mercede proponit, illam pertinere ad beatitudinem nemo negare potest. Vnde funditus evertitur sententia Scoti, quæ solum amorem amicitiæ ad essentiam beatitudinis requirit, visionem excludit. Maximè (ut eximii Magistri Ioannis à S. Thoma ponderatio) quia Scriptura sacra à capite ad calcem nullibi unquam mentionem facit nisi visionis & gaudii; nullibi meminit amoris amicitiæ pro beatitudine nostra futura explicanda: Ergo dicere visionem non ingredi essentialem rationem beatitudinis formalis, est ut videtur, sacris litteris contradicere; pertinuit enim ad sacram Scripturam, pertinuit ad Patres veram & propriam beatitudinis rationem non solùm objectivam, sed etiam formalem indigitare, aliàs valdè diminutè procederent. Cùm ergò indicent solùm visionem & gaudium, in alterutro, vel in utroque beatitudo essentialiter consistit. Ergo visio non debet excludi ab essentia beatitudinis, ut voluit Scotus.

Duplicem rationem nostræ sententiæ tradit Augustinus loco antè citato, quam ex tanto Doctore derivavit S. Thomas. Prima continetur his verbis: *Quid est aliud beatè vivere, nisi æternum aliquid cognoscendo habere?* Ex quibus sic formatur discursus: Beatitudo formalis consistit in assequutione & possessione Dei; in eo quippe essentialiter sita est beatitudo formalis, per quod essentialiter possidetur, & sic nostra beatitudo objectiva, quæ Deus est: possidetur autem Deus, dum illum Beatus assequitur, eique veluti centro conjungitur: Atqui creatura intellectualis perfectè possidet & assequitur Deum per actum intellectus, non verò per actum voluntatis: Ergo in sola operatione intellectus, scilicet clara Dei visione, sita est formalis beatitudo nostra. Probatur minor. Tum quia hæc est differentia inter intellectum & voluntatem, quod intellectus trahit res à se, easque sibi præsentes efficit, vel secundùm esse intelligibile, si cognitio sit rei aut absentis; aut materialis; vel secundùm esse entitativum, si cognitio sit objecti spiritualis intimè præsentis, qualis est Deus clarè visus. Voluntas verò non trahit ad se res, sed potiùs fertur in illas; nam *amor meus pondus meum, eo feror quocumque feror.* Atqui trahere res ad se, easque sibi facere præsentes, est eas consequi & possidere; trahi verò, est possideri, vel potiùs impelli in rem amatam, ut ibi mens vivat ubi amat, non ubi animat.

Tum quia illa operatio est vera assequutio & possessio beatitudinis objectivæ, quæ ita Deum ponit in potestate ipsius Beati, ut ex eo omne commodum percipere possit, quod percipi potest, quia tunc Deus fit bonum nostrum: Sed per visionem Deus fit ita præsens Beato, & si dicere fas est, ita in ejus potestate constituitur, ut ex Deo omnia commoda, omnesque fructus percipere possit, quæ ex Deo percipi possunt; ex visione enim amor intensissimus, delectatio suavissima, potentiarum omnium perfectio cumulatissima continuò derivantur: ergo visione intuitiva verè Deum possidemus. Visio quidem auri, vel agri (ut occupetur tacita instantia) non est eorum possessio; benè tamen visio Dei. Tum quia ager, & aurum non per se, sed per emissam speciem intuentur visui; Deus seipso illabitur. Tum quia per solam visionem agri ager non ita fit præsens videnti, ut omnia sua commoda in intuentem derivet: Deus autem visus est omnia in omnibus, & singulis.

Tum quia per illam operationem Deum possidemus, per quam in eum intimè transformamur, & transformatione ei assimilamur: Atqui per solam visionem intimiùs in eum transformamur, sumusque Deiformes; ut enim Ioannes: *Cùm apparuerit similes ei erimus, quia* (attende causalem) *videbimus eum sicuti est.* Ratio est, quia sola operatio intellectus est perfecta assimilatio cognoscentis cum re cognita; & ideò processio Verbi Divini est generatio, non verò processio Spiritus sancti, quia illa est assimilativa, ista impulsiva: Ergo actio intellectus per se tendit ad uniendum, & veluti identificandum cognoscentem cum re cognita: unde, teste Philosopho, *intellectus intel*

intelligendo fit omnia. Quid autem intimiùs conjungitur cum alio quàm quod per se tendit ut fit idem cum ipso? Ergo per visionem Dei clarè & sine specie visi Deum assequimur, & summo bono intimè conjungimur, & in eum veluti transfundimur. Pulchrè D. Thomas in 4.dist.49.q.1.art.1.q.2. *Per visionem Dei fit quasi quidam contactus Dei ad intellectum, cùm omne cognitum sit in cognoscente secundum quod agnoscitur; & ideo ultimus finis hominis est in actu intellectus.*

Tum demùm, quia nullus ex actibus voluntatis potest habere rationem possessionis. Non desiderium, quod est de re absente nondum habita. Non delectatio, quæ bonum non possidet, sed possessum supponit, & de possessione gaudet. Non amor amicitiæ, ut vult Scotus, qui abstrahit à bono præsenti & absenti, solùmque tendit in bonum amici prout est in se. Vnde charitas viæ est vera amicitia erga Deum, ejusdem speciei cum illa quæ habetur in Patria, nam charitas nunquam excidit, & utraque respicit idem objectum, & candem formalem rationem objecti, nempe Deum summè bonum, & propter se amandum. Imò in quibusdam viatoribus major & intensior est charitas, quàm in pluribus Beatis, v. g. charitas B. Virginis longè charitati Angelorum præstabat; & tamen beata non erat Mater pulchræ dilectionis ante Deum clarè visum, quia nimirum Deum nondum possidebat. Ergo solus actus intellectus, non voluntatis, est summi boni possessivus. Scrutentur quantum libuerit Adversarii omnes actus voluntatis, omnesque eorum formalitates; & in nullo invenient formalem rationem assequutionis objecti, quæ tamen est ratio essentialis & characteristica differentia formalis beatitudinis. Quia nimirum voluntas omnibus suis actibus non potest nisi velle objectum; velle verò non est habere illud, quia ut solidè & lepidè ait S.Thomas hîc, q.3. art 4. *Si consequi esset per actum voluntatis, statim à principio cupidus consequutus esset pecuniam, quando vult habere illam.* At verò clarè videre objectum sine specie ulla, est ipsum tenere & possidere.

Secundam rationem indicat Augustinus suprà citatus, his verbis: *Omnium rerum præstantissimum est quod æternum est, & propterea id habere non possumus, nisi ea re, quâ præstantiores sumus, id est mente.* Sic ergo argumentor. Beatitudo formalis creaturæ rationalis est perfectissimus actus perfectioris potentiæ; sicut enim ad beatitudinem formalem requiritur operatio, ut initio hujus dissertationis supposuimus; ita inter operationes illa censenda est beatificare, quæ perfectior est, cùm beatitudo sit ultima hominis perfectio. Atqui intellectus est altior & nobilior potentia quàm voluntas. Tum quia intellectus respicit objectum abstractius, & immaterialius, & modo ampliori & abstractiori attingibile; sic enim verum movet intellectum, ut possit omnia penetrare quæ sunt in objecto, in quocunque statu & conditione, tam existentiæ, quàm non existentiæ, præscindendo, dividendo, componendo, discurrendo, in ordine ad se, & in ordine ad alia, & secundùm omnes formalitates quæ in illo reperiri possunt. Ergo modo ampliori & eminentiori fertur intellectus in suum objectum quàm voluntas, quæ ad singularia in individuo practicè tendit sub illo solùm statu, quo possunt ipsam allicere. Nobilitas autem potentiarum ex perfectione objecti, atque ex perfectiore modo attingendi pensanda est. Tum quia intellectus est propinquior ipsi animæ, cùm intellectus sit radix voluntatis; sicut enim inclinatio innata sequitur formam naturalem, ita appetitus intellectivus, qui est voluntas, sequitur formam apprehensam per intellectum; & ideo Verbum est secunda persona, Spiritus sanctus tertia; quia priùs naturâ procedit Verbum, quod in posteriori signo spirat amorem. Ergo perfectior est intellectus quàm voluntas, non solùm quia radix & causa reduplicativè ut talis perfectior est germine, sed etiam quia tanto aliqua passio est perfectior, quanto est immediatior essentiæ, à qua fluit; quia sicut aquæ sunt in fonte puriores, ita res omnes uberiorem hauriunt ex propinquitate principii perfectionem. Scio aliquem recentiorem Thomistam istam rationem veterum omnium Thomistarum calculo probatam non admittere; sed de hoc speculatione sequenti.

Solvuntur Objectiones.

Eodem planè modo arguunt contra nos Scotistæ, quo ipsos aggressi sumus: primò authoritates accumulant in favorem voluntatis: secundò asserunt voluntati competere rationem assequutionis: tertiò contendunt operationem voluntatis esse operatione intellectus perfectiorem. Et quidem in explicandis authoritatibus non immorabor, quia ut antea observavimus, nullibi Scriptura meminit amoris amicitiæ ad constituendam beatitudinem, sed solius visionis, vel gaudii & delectationis, quâ satiantur, & inebriantur Sancti ab ubertate domus Dei, cùm apparuerit gloria Dei. Porrò his testimoniis potiùs juvatur nostra sententia, quia gaudium non est nisi de bono præsente & obtento: Ergo supponit assequutionem Dei per visionem naturâ anteriorem. Nihil quidem certius, quàm quod in beatitudine futurum est gaudium plenum; sed gaudium esse assequutionem summi boni, ac proinde beatitudinem formalem, ubi invenient Adversarii vel in canone Scripturarum, vel in traditione Patrum? Accedit, ideò Scripturas & Patres persæpe gaudii & fruitionis meminisse, quia loquuntur de beatitudine consummata, numeris omnibus & proprietatibus absoluta, sub qua ratione importat & gaudium, & gloriam corporis, cùm sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. Adde rursum, quod sæpè sæpiùs in eodem contextu, quo gaudium assignant ad cumulum beatitudinis, semper visionem tanquam essentiam ejus insinuant, ut postquam Augustinus *lib.10.Confess. cap.22.* dixit: *Hæc sola est vita æterna gaudere ad te, de te, propter te*, subdit cap.23. *Beata vita est gaudium de veritate.* Similiter *serm.53.de tempore*, dum dicit: *Charitas est summum premium in cœlo, quia in perenni gaudio nihil gratius, nihil dulcius habent Sancti perfecto amore Dei*; quis non crederet ibi definitam sententiam Scoti, nisi subderet S.Doctor: *Quem quia præsentem vident, suaviùs diligunt, dulciùs fruuntur.* Vnde amor & fruitio manifestè Deum visione præsentem & præobtentum supponunt.

Objiciunt Scotistæ ex secundo capite: Beatitudo formalis est adeptio, & assequutio summi boni, & intima cum ipso unio: atqui talis adeptio & unio fit per actum amoris. Tum quia, teste Dionysio, *amor est virtus unitiva*, & teste August. 8. de Trinit. cap.10. *amor est junctura quædam duo aliqua copulans, vel copulare appetens.* Vnde amicus dicitur *alter ego.* Et *benè quidam dixit de amico suo, dimidium animæ suæ*, inquit Augustinus 4.*Confess.cap.6.* Tum quia per illammet potentiam quâ tendimus ad bonum aliquod, illud assequimur, eique unimur: Sed voluntas tendit ad summum bonum, seu ultimum finem, sperando, amando, bonaque opera eliciendo, vel imperando: Ergo voluntatis est assequi summum bonum.

Respondeo, per amorem fieri unionem affectivam, sed non effectivam, & realem conjunctionem, ad quam requiritur contactus, & approximatio objecti, quæ fit per intuitivam visionem objecti sine specie uniti, non per amorem. Cujus signum habemus valde universale: nam generali inductione constat, non pertinere ad

appetitum

appetitum realiter acquirere, & sibi unire realiter objectum quod quærit, sed in illud ponderare, si sit absens, vel in illo quiescere, si sit præsens. Id apparet in appetitu tam innato, quàm elicito. Nam elementa gravitate & pondere, vel levitate quærunt centrum, cui ubicatione conjunguntur; non enim gravitant vel levitant in propriis locis. Appetitus sensitivus animalis finem sensibilem concupiscit, nec acquirit per seipsum, sed sensu externo, tactu, gustu, visu, & bono sensibili per facultates externas obtento ipse fruitur, ipse quiescit. Similiter ergo appetitus rationalis finem intelligibilem amat, quem tamen solo actu intellectus assequitur. Et ratio radicalis hujus doctrinæ est, quia omnis appetitus creatus fertur in bonum ut conveniens subjecto: quod verò bonum sit conveniens, ipse non facit, sed supponit: Ergo sicut debet supponi conveniens ut appetat, ita debet supponi unitum ut in eo quiescat; sicut enim præsupposita convenientia reddit objectū appetibile, ita præsupposita unio reddit suave. Ex quibus facillimè respondetur objectioni; nam Patres loquuntur de unione affectiva. Major verò rationis subjunctæ est evidenter falsa.

Instabis: Beatitudo formalis est assequutio Dei sub ratione summi boni & ultimi finis creaturæ; unde Mosi ad beatitudinem suspiranti dixit Deus: *Ego ostendam tibi omne bonum*. Atqui intellectus non attingit Deum sub ratione boni & ultimi finis, sed tantum sub ratione veri; benè tamen voluntas: Ergo non actu intellectus, sed voluntatis constituitur beatitudo formalis. Hanc rationem magni faciunt Scotistæ, & putant eam esse demonstrativam.

Respondeo, beatitudinem esse assequutionem summi boni, non ut moventis affectivè & sub ratione allicientis per modum finis (sub qua formaliter est objectum voluntatis;) sed sub ratione boni præsentis, perficientis & realiter possessi, sub qua ratione pertinet ad objectum intellectus, qui possidet divinam bonitatem dum eam contemplatur. Et manifestè iusto in bono sensibili; nam appetitus quærit bonum delectabile: ergóne propterea pertinet ad appetitum assequi bonum illud? Minimè gentium, ea etenim quæ appetitus desiderat, tactu, manu, contrectatione, gustu, visu, non actu interiori assequitur: similiter voluntas desiderat homini summum bonum, sed illud non assequitur homo nisi intellectuali attactu visionis intuitivæ: bonum ergo est res quæ habetur, sed cognitio est veluti os creaturæ intellectualis, quo cibus cœlestis fœlicitatis assumitur ut gustetur, juxta illud: *Os justi meditabitur sapientiam*. Adverte etiam, Joanem Poncium Scotistam, rationem adductam in instantia uti debilem despicere; quia cùm dicitur solum verum esse objectum intellectus, non significatur intellectum non respicere bonum; id enim apertè falsum est, aliàs non posset distinguere inter verum & bonum: nec voluntas posset ferri in bonum, cùm non feratur nisi in illa, quæ sibi ab intellectu proponuntur. Cùm etiam dicitur, bonum esse objectum solius voluntatis, non est sensus, solam voluntatem posse cognoscere bonum, & perfici ab eo; nam voluntas vult scientiam intellectui, sanitatem corpori, quæ omnia immediatè voluntas non percipit. Quæ si rectè penetres, facilè penetrabis sophisma illius objectionis.

Urgebis: Sancti non solùm ex inclinatione gratiæ desiderant videre Deum, sed etiam ipsum clarè visum amare. Ergo amore beatifico assequuntur quod optabant: ergo amor est assequutio, subindéque formalis beatitudo.

Respondeo, omissâ solutione eorum qui distinguunt inter primariam & secundariam inclinationem, aiuntque primariam inclinationem ferri ad veritatem, secundariam ad bonitatem; illam satiari formaliter, istam ex consequenti. Cæterùm hoc patitur difficultatem, quia sicut intellectus primariò inclinatur ad veritatem, ita voluntas ad bonitatem: ex quo saltem sequeretur, ad rationem formalem beatitudinis ex æquo desiderati actum intellectus & voluntatis, ut intendunt Suares & Valentia. Dicendum ergo, quod licèt justus in via non solùm desideret videre Deum, sed etiam ipsum ut in se est amare; licèt etiam justus amore amicitiæ, quæ respicit bonum amati, ardentiùs optet Deum amare, quàm videre; non tamen amore concupiscentiæ, cujus solius satiativum est vera beatitudo, quia beatitudo est bonum nostrum: non sit autem nostrum per amorem amicitiæ, quæ sæpè fertur in absentia, & quâ volumus bonum non nobis, sed amico; sed per contactum intelligibilem, quo implemur eo bono, quo præsente fruendum est.

Insistes: Actus amoris est magis amabilis voluntati, quàm actus visionis; amor enim benè ordinatus magis amat quæ sunt magis propria, magísque intima. Ergo voluntas plus appetit amare quàm videre: ergo amando magis assequitur quod optabat.

Respondeo actum voluntatis magis amari à voluntate absolutè in ratione effectus sibi conjuncti, & sub munere appetendi, non verò sub munere conjungendi ultimo fini, ad quod non est aptus; sicut appetitus concupiscens colorem, sonum, vel saporem, magis quidem amat actum suum absolutè, sed non pro munere videndi, audiendi, vel gustandi, ad quod magis diligit aurem, oculum & gustum, qui ad istas functiones aptiores sunt.

Objiciunt secundò Scotistæ: Voluntas est perfectior potentia quàm intellectus: Ergo in amore voluntatis, non in visione intellectus sita est beatitudo. Probatur antecedens: sex possunt assignari characteres nobilitatis potentiæ, objectum, efficacia, proprietates, actus, effectus, & oppositi deterioritas. Illa ergo potentia est nobilior cujus objectum est perfectius, cujus virtus est efficacior, cujus proprietates sunt digniores & illustriores aliis, cujus actus est nobilior, cujus effectus est præstantior, & cujus oppositum est deterius. Atqui objectum voluntatis est perfectius, cùm sit ipsum bonum actuale & existens, quod idem est ac perfectum; eo enim aliquid est perfectius, quo est actualius: & ideò Deus, qui est perfectio per essentiam, est actus purus. Virtus etiam voluntatis est efficacior; nam voluntas cæteras potentias movet, ipsi etiam intellectui imperat: nobilius autem est imperare quàm subjici. Proprietas etiam voluntatis est nobilior, nimirum libertas, quæ fulget in anima sicut gemma in auro, ratione cujus habet dominium & in actus suos, & in actus aliarum potentiarum. Actus etiam charitatis est nobilior, nempe amor Dei super omnia; nam teste Paulo, major horum est charitas, quæ est vinculum perfectionis. Et ideò Ordo Seraphim est perfectior cæteris, quia excellit amore: & teste D.Thoma 1.*part.q.*82.*art.*3. licèt cognitio eorum quæ infra nos sunt, sit perfectior amore eorum, tamen amor superiorum est melior eorum cognitione. Effectus etiam voluntatis est præstantior; nam à voluntate simpliciter denominamur boni vel mali, non ab ingenii præcellentia. Demùm quod opponitur amori Dei, qui est actus voluntatis, nempe odium Dei, vitiorum omnium pessimum, & ipsa infidelitate deterius est. Ergo voluntas intellectui longè antecellit.

Respondeo hoc argumento probari quidem voluntatem esse nobilem potentiam, sed minimè esse intellectui præferendam. Dicendum igitur ad primum, simili modo probatum iri, sensum esse perfectiorem intellectu, cùm sensus ad singularia & existentia unicè feratur. Quare licèt objectum voluntatis sit perfectius

in ratione entis, non tamen in ratione objecti, & in modo immutandi potentiam. Præsertim quia intellectus attingit etiam existentiam, non quidem exercitam, sed signatam, id est sub ratione quidditatis; nam bonum est quoddam verum: unde totum quod attingit voluntas, universaliori, & altiori modo attingitur ab intellectu.

Ad secundum dicendum, quod licèt voluntas moveat intellectum ad exercitium, ipsa tamen movetur ab intellectu quoad specificationem, quia proponit voluntati objectum & finem unde specificantur actus, qui sanè modus movendi eo est nobilior, quo altius est dirigere quàm exequi. Videmus enim superiores artes dirigere opus, quod inferiores & ancillæ exequuntur. Per quod patet ad tertium; licèt enim dominium formale, & libertas actualis sit in voluntate, origo tamen ejus est in ratione: unde dicitur liberum arbitrium, liberum propter voluntatem, arbitrium propter rationem, ut observat D. Bernardus. Quis autem neget radicem esse perfectiorem fructu, fontem rivo? Maximè quia amor Patriæ est etiam necessarius, sicut visio; unde ei hac in parte non præeminet. Nec libertas est semper perfectior necessitate, saltem in genere physico, aliàs perfectior esset Deus dum agit ad extra, quàm dum ad intra operatur.

Ad quartum respondeo, perfectissimum actum voluntatis non esse physicè perfectiorem perfectissimo actu intellectus, nempe clara visione; quanvis sit perfectior aliis actibus intellectus. Ad agnoscendam autem nobilitatem potentiæ oportet comparare actus unius cum alia ex æquo, id est perfectissimum unius cum perfectissimo alterius, non cum aliis minùs perfectis, quos potest vincere actus potentiæ inferioris. Sed de his operosiùs speculatione sequenti, ubi dicemus charitatem & amorem esse perfectiorem cognitione fidei; & ideo Seraphim, qui denominantur ab amore viæ, primum in Hierarchia Angelica occupant locum, & de hoc amore viæ loquitur Paulus, ait enim: *Fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Et in hoc sensu loquutus est S. Thomas *loco citato, q. 83.* quamvis dici possit, ibi S. Doctorem seipsum accuratè explicuisse. Ibi enim ait, quod *simpliciter intellectus est nobilior, quàm voluntas; secundum quid autem voluntas invenitur interdum altior intellectu, ex eo scilicet, quod objectum voluntatis in altiori re invenitur, quàm objectum intellectus. Sicut si dicerem, auditum esse secundum quid nobiliorem visu, in quantum res aliqua, cujus est sonus, nobilior est aliqua re, cujus est color; quanvis color sit nobilior & simplicior sono.* Et hoc modo ait amorem superiorem esse nobiliorem cognitione. Ubi S. Præceptor intendit solum amorem rerum superiorum magis dignificare & elevare hominem, quia fertur ad rem ut est in se; cognitio verò fertur ad modum suum, unde deprimit objectum nobilius se: subindéque melius est, & utilius amare quàm cognoscere Deum per fidem, sicut melius est audire suavissimum concentum, quàm videre vultum deformem, quanvis visio sit simpliciter & ex intrinseco modo potentiæ auditu dignior. Plura speculatione sequenti.

Ad quintum dicendum, bonam voluntatem reddere simpliciter bonum bonitate morali; sed contemplationem Dei clarè visi reddere simpliciter hominem bonum in ordine physico, qui tunc est perfectus quando obtinet centrum. Maximè quia voluntas non reddit bonum nisi ut subjecta regulis rationis, quas dum sequitur, bona est. Melior ergo est ratio; nam propter quod unumquodque tale, & illud magis. Ex quibus patet ad sextum. Nam licèt odium Dei sit in ordine morali pessimum, in ordine tamen physico pessima est privatio visionis, quæ constituit damnationem malorum omnium abyssum, & summam miseriam. Certè hoc argumento probaretur actum cujusvis virtutis moralis esse perfectiorem visione; nam malum culpæ etiam venialis est pejus in genere moris, quam privatio gloriæ; & nullus est Sanctorum, qui si daretur optio, non eligeret carere visione, quàm in minimum peccatum labi.

Ex his refutata manet eorum sententia, qui ad essentiam formalis beatitudinis actum intellectus & voluntatis ex æquo requirunt. Cùm enim actui voluntatis non conveniat ratio assequutionis, quæ formalem beatitudinem constituit, non potest actus voluntatis essentiam formalis beatitudinis ingredi, sed tantùm præcedere per desiderium, vel sequi per fruitionem. Item si formalis beatitudo est perfectissima operatio, nequit ex duabus integrari, quia cùm specie distinguantur, una aliam perfectione antecedit: imperfectior ergo non erit formalis beatitudo, quæ est operationum perfectissima, sicut beatitudo objectiva est bonorum omnium cumulatissimum.

REFLEXIO.

Annuntiat de ea amico suo quod possessio ejus sit, & ad eam posse ascendere. Iob 36. id est, ut exponit Gregorius lib. 27. Moral. cap. 8. *De luce æterna patria amico suo Deus annuntiat quod possessio ejus sit, ut nequaquam infirmitatis suæ fragilitate desperet, sed tanto certiùs sciat, quia illius lucis claritatem possideat, quanto nunc vitiorum pulsantium tenebras verius caltat.* Ergo in possessione primæ lucis, quæ utique visione obtinetur, sita est ratio spei nostræ. Quàm dulce nuntium, quàm suave Evangelium, quod *ad eam amicus Dei possit ascendere.* Difficile id quidem videbatur homini in terra edito, fragilia membra gestanti, materia lutea corporato: sed postquam purus spiritus ad nos venit, & incarnatus est mirâ potentiâ, mirabiliori pietate, ima vilitatis humanæ ad summa suæ divinitatis assumet. *Cujus cor in hujus pietatis admiratione non exsiliat? Cujus torpor in sublevatione tanta considerationis non expavescat?* Homo de terra editus, atque à cœlesti Patria exigentibus meritis longè damnatus, non solùm ad statum conditionis reducitur, sed etiam gloriosiùs exaltatur: ut qui paradisum perdidit, cœlum recipiat, *& usque ad celsitudinem contemplanda intima lucis ascendat,* subdit Gregorius. Unde etiam statim subjungit Iob: *Super hoc expavit cor meum, & motum est de loco suo.* Expavit per admirationem; motum est per conversionem. Nunquam enim perveniet homo ad promissam possessionem, nisi post sinceram vitæ cordis mutationem. Quomodo autem moveturi de loco suo cor humanum, ut ad annuntiatam Dei per visionem possessionem possit ascendere, divinè explicat Gregorius cap. 9. sequenti. *Locus humani cordis est delectatio vitæ præsentis. Sed cùm divina aspiratione tangitur locus nostri cordis, fit amor æternitatis. Consideratione igitur æternæ Patriæ de loco suo animus movetur, quia derelictis infimis, in supernis cogitationibus ponitur. Priùs enim quæ essent æterna nesciebat, in præsentium delectatione torpuerat, simulque ipse transiens, amore transeuntia tenebat. Sed postquam quæ essent æterna cognovit, postquam superna lucis radios raptim contemplando contigit, admiratione summorum sese ab infimis suscitatus elevavit, ut nulla jam ei, nisi quæ æterna sunt, lubeant; & despectis transeuntibus, sola quæ permanent, requirat.*

Speculatio II.

Beatitudo supernaturalis viæ in amore Dei sita est.

Hanc assertionem expressè docet S. Doctor in expositione Cantici Canticorum, quam morti proximus, subindéque scientiâ consummatus, in Monasterio Fossænovæ, Ordinis Cisterciensis dictavit. Sic autem in illa verba, *Meliora sunt ubera tua vino*, scribit: *Notandum quod dulcedo quam sponsa Christi desiderat, potissimè habetur secundum contemplativam vitam. Vita autem contemplativa secundum quod de ea loquuti sunt Theologi, & Philosophi, non accipitur uniformiter: nam Philosophi finem contemplationis ponunt in sapere; ideo in 10. Ethic. ubi declaratur de felicitate, ostenditur operationem per actionem perfectam secundum speculationem esse felicitatem: nam speculari in sapientia secundum Metaphysicum est summa felicitas, quam posuerunt Philosophi. Sed contemplatio, ut de ea loquuntur Theologi, magis consistit in sapore quàm in sapere; & magis in dilectione & dulcedine, quàm in contemplatione. Et si inveniatur studium litterarum aliquando pertinere ad contemplativam vitam, secundum Theologos, hoc est quantum per hujusmodi studium manuducimur in amorem Dei. Si ergo ad hoc studeat aliquis non ut adsciscat, & in dilectione Dei proficiat, cognoscat se vivere vitâ contemplativâ secundum Philosophos, & non secundum Theologos.* Quæ verba sunt ita perspicua, ut ponderatione non egeant.

Antequam probemus ratione, sciendum quod beatitudo consistit in perfectiori operatione: perfectiori, inquam, tum in ratione assequutionis finis, tum absolutè in ratione entis, ut præcedenti speculatione ostendimus. Utramque hanc conditionem apponimus, quia aliqui contendunt ex excessu entitativo unius operationis supra aliam non benè inferri unam esse præ aliis beatitudinem formalem, nisi habeat rationem assequutionis; quia si per impossibile perfectissima operatio non esset assequutio ultimi finis, in illa formalis beatitudo non consisteret. Quæ quidem doctrina mihi semper displicuit. Tum quia non solùm Thomistæ passim, sed etiam ipsemet D. Thomas sæpè probat beatitudinem futuræ vitæ consistere in cognitione & visione Dei, quia hæc est perfectissima operatio. Sic 1. part. quæst. 26. art. 2. *Beatitudo significat bonum perfectum intellectualis naturæ. Id autem quod est perfectissimum in qualibet intellectuali natura, est intellectualis operatio. Unde cujuslibet natura intellectualis creata beatitudo consistit in intelligendo.* Et 1. 2. quæst. 3. art. 5. *Si beatitudo hominis est operatio, oportet quod sit optima operatio hominis: optima autem operatio est, quæ est optime potentiæ respectu optimi objecti: optima autem potentia est intellectus, & ideo ultima & perfecta beatitudo, quæ expectatur in futura vita, tota consistit in contemplatione.* Vides ergo S. Doctorem non solùm ex ratione assequutionis, sed etiam ex præcellentia operationis statuere formalis beatitudinis rationem; & ideò invictè probat in visione futuram consistere beatitudinem, quia est & perfecta assequutio, & nobilissima operatio; proinde alterutra conditione deficiente, deficeret etiam perfectio beatitudinis. Quod potest hoc exemplo demonstrari: Si beatitudo consisteret in aliqua operatione sensibili, profectò magis consisteret in visione, quàm in tactu: optabilius enim est videre hortum amœnum, quàm manu vel pede contrectare, quamvis solus tactus illum realiter assequatur. Si verò daretur aliquod objectum, quod simul videndo assequeretur, & assequendo oculus videret, qualis est lux quæ sine ulla specie unitur potentiæ visivæ, tunc visio lucis beatitudinem sensibilem constitueret, quia est perfectior operatio, & simul assequutiva. Utrumque ergo requiritur ad essentialem rationem beatitudinis, & assequutio boni, & perfecta operatio circa illud, ita ut operatio quæ minùs habet de assequutione, minusve de perfectione, magis etiam à beatitudine formali recedat. Hoc præmisso

Sic formatur ratio: Quamvis absolutè voluntas sit imperfectior intellectu, nec actui voluntatis conveniat ratio assequutionis; tamen datur quidam actus voluntatis, nempe amor charitatis, qui est perfectior, magisque accedit ad rationem assequutionis & possessionis, quàm aliquis actus intellectus, scilicet actus fidei: Ergo in actu amoris, non actu fidei sita est beatitudo supernaturalis hujus vitæ. Antecedens est D. Thomæ 1. 2. quæst. 66. art. 6. *Magnitudo virtutis secundum suam speciem consideratur ex objecto. Cum autem virtutes theologicæ respiciant Deum sicut proprium objectum, non potest una earum dici major ex eo quod sit circa majus objectum, sed ex eo quod una se habeat propinquiùs ad objectum quam alia. Et hoc modo charitas est major aliis: nam alia importante quandam distantiam ab objecto: est enim fides de non visis, spes autem de non habitis; sed amor charitatis est de eo quod jam habetur, est enim amatum quodammodo in amante, & etiam amans trahitur per affectum ad unionem amati; propter quod dicitur 1. Joan. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo.* Ex quibus sic argumentor.

Ille actus est perfectior non solùm in esse moris, sed etiam in esse physico, magisque habet rationem assequutionis, qui fertur in objectum modo perfectiori, eique propinquiùs unitur: Atqui amor charitatis fertur in objectum modo perfectiori; nam charitas fertur in Deum ut est in se; fides verò fertur in Deum prout cognoscitur per speciem creatam. Nam *operatio intellectûs* (inquit S. Doctor 2. 2. quæst. 23. art. 6.) *completur secundum quod intellectum est in intelligente, & ideo nobilitas operationis intellectualis attenditur secundum mensuram intellectûs: operatio autem voluntatis, & cujuslibet virtutis appetitivæ perficitur in inclinatione appetentis ad rem sicut ad terminum: ideò dignitas operationis appetitivæ attenditur secundum rem quæ est objectum operationis. Ea autem quæ sunt infra animam, nobiliori modo sunt in anima quàm in seipsis; quia unumquodque est in aliquo per modum ejus in quo est, ut habetur in libro de causis. Quæ verò sunt supra animam, nobiliori modo sunt in seipsis quàm in anima; & ideo eorum quæ sunt infra nos, nobilior est cognitio quàm dilectio; sed eorum quæ sunt supra nos, & præcipuè dilectio Dei, cognitioni præfertur, & ideo charitas est excellentior fide.* Ergo sicut Deus habet esse nobilius in se quàm in intellectu nostro per fidem cognoscente, ita amor viæ est physicè perfectior cognitione fidei.

Quod verò amor propinquiùs uniatur Deo, intimiùs eum possideat suo modo quàm actus fidei, subindéque magis accedat ad rationem assequutionis, peregregiè probat & explicat idem Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 27. art. 4. *Actus cognoscitivæ virtutis perficitur per hoc quod cognitum est in cognoscente: actus autem appetitivæ virtutis perficitur per hoc quod appetitus inclinatur in rem ipsam: & ideo oportet quod motus appetitivæ virtutis sit in res secundum conditionem ipsarum rerum, actus autè cognoscitivæ virtutis secundum modum cognoscentis. Est autem ipse ordo rerum talis secundum se, quod Deus est propter seipsum cognoscibilis & diligibilis, utpote essentialiter existens ipsa veritas & bonitas, per quā alia cognoscuntur & amantur. Secundùm hoc ergo dicendum est, quod dilectio, quæ est appetitivæ virtutis actus, etiam in statu viæ tendit in Deum primò, & ex ipso derivatur ad alia. & secundùm hoc charitas Deum immediatè diligit, alia verò Deo mediante. In cognitione verò est è converso, quia scilicet per alia Deum cognoscimus, sicut causam per*

per effectus, vel per modum eminentiæ, aut negationis. Et quia statim sese offert difficultas, quomodo possimus Deum ut est in se immediatè diligere, si Deum non immediatè cognoscamus, cùm amor non feratur in Deum nisi prout cognoscitur, & eo perfectiùs Deus ametur, quo perfectiùs cognoscitur; ideo hanc difficultatem præoccupavit in responsione ad 1. *Dicendum* (inquit) *quod quamvis incognita non possint amari, tamen non oportet quod sit idem ordo cognitionis & dilectionis; nam dilectio est cognitionis terminus, & ideò ubi desinit cognitio, scilicet in ipsa re quæ per aliam cognoscitur, ibi statim dilectio incipere potest.* Et ad 2. *Quia dilectio Dei est majus aliquid, quàm ejus cognitio, maximè secundùm statum viæ, ideò præsupponit ipsam: & quia cognitio non quiescit in rebus creatis, sed per illas in aliud tendit, in illo dilectio incipit; & ideò per hoc ad alia derivatur per modum cujusdam circulationis, dum cognitio à creaturis incipiens, tendit in Deum, & dilectio à Deo incipiens sicut ab ultimo fine, ad creaturas derivatur.* Qua doctrina nihil præclarius. Et hujus signum est, quod licèt amoris unio de se non sit physica & possessiva, tamen Deum advocat, & facit ipsum realiter præsentem, quia amicitia vera & perfecta requirit convictum realem amicorum. Vnde illud: *Si quis diligit me, diligetur à Patre, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Vnde Gregorius hom. 30. in Evang. *Qui mente integra Deum desiderat, profectò jam habet quem amat; neque enim quisquam posset Deum diligere, si eum quem diligit non haberet.* Quod sola fides non præstat, ut patet in fideli peccato mortali inquinato. Ergo in actu amoris, non in actu fidei sita est beatitudo hujus viæ, & in charitate est finis omnium operationum hujus vitæ, ut docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 1. Quod probat ex illo Pauli: *Finis præcepti charitas.* Hinc Augustinus docet amore Dei contineri veram religionem, quâ verum finem peccato perditum reeligimus, & ad eum pervenimus. *Ipse* (inquit lib. 10. de Civit. cap. 4.) *fons nostræ beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis, hunc eligentes, seu potiùs religentes; amiseramus enim negligentes. Hunc ergo religentes, unde Religio dicta perhibetur, ad eum dilectione tendimus, ut perveniendo requiescamus: ideò beati, quia illo fine perfecti.*

Dices: Fides etiam cùm sit virtus theologica, habet Deum immediatè pro objecto: unde Theologia quæ derivatur à fide, per hoc distinguitur à Metaphysica, quòd ista à creaturis ascendit in Deum, illa à Deo descendit ad creaturas. Ergo fides immediatè attingit divinam veritatem cui innititur, & priùs attingit quàm amor: Ergo primitus in actu fidei sita est beatitudo viæ.

Respondeo, in fide distinguendam esse rationem assensus, & rationem cognitionis. Ratio assensus immediatè quidem, id est sine ullo medio, primæ veritati innititur: sed ratio cognitionis non immediatè Deum repræsentat, quia non habet propriam speciem ejus. Charitas autem immediatè attingit Deum, ibi incipiens ubi fides desinit, & ut loquitur Hugo Victorinus, *intrat dilectio ubi scientia foris est.* Quia nimirum ad rationem amoris per accidens se habet quod amatum sit clarè vel obscurè cognitum, quia non fertur in cognitionem, sed in rem cognitam, quæ eadem est sive clarè, sive obscurè cognoscatur. Et licèt cæteris paribus tanto perfectiùs amemus, quanto perfectiùs cognoscimus; non tamen hoc provenit ex eo quod cognitio clarior faciat magis tendere amorem ad objectum ut est in se, sed quia facit tendere intensiùs.

Instabis: In illo actu consistit formalis beatitudo viæ, qui magis assimilatur formali beatitudini Patriæ; siam primum in unoquoque genere est mensura cæterorum, subindéque quod magis accedit ad illud primum, perfectiùs rationem illius participat. Atqui contemplatio supernaturalis fidei magis assimilatur formali beatitudini patriæ, scilicet visioni, cujus fides est expressio & vicaria, non verò amor. Ergo in contemplatione supernaturalis fidei sita est formalis beatitudo viæ. Vnde D. Thomas q. 3. art. 5. disertè ait: *Vltima & perfecta beatitudo, quæ expectatur in futura vita, tota consistit in contemplatione: beatitudo autem imperfecta, qualis hic haberi potest, primò quidem & principaliter consistit in contemplatione, secundariò verò in operatione practici intellectus ordinantis actionem & passiones humanas.* Et D. Cyrillus *lib.* 3. *contra Iulian.* illud dictum Veritatis, Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum*, intelligit de contemplatione viæ, dicens: *Nihil vera Dei contemplatione est pretiosius, quandoquidem nos summæ beatitudinis facit esse participes. Vnde Dominus Iesus Christus loquens ad Patrem & Deum, qui in cœlis est, inquit: Hæc est vita æterna.*

Respondeo, actum fidei magis imitari visionem beatam in ratione cognitionis, sed non in ratione assequutionis & unionis cum summo bono, in quo tamen consistit ratio beatitudinis formalis. Itaque actus intellectus & voluntatis possunt considerari dupliciter, tum secundùm rationem intellectionis, tum secundùm modum specialem quem habet quidam actus intellectus, vel quidam actus voluntatis. Primo modo actus intellectus sunt perfectiores actibus voluntatis, quia linea intellectualis est perfectior lineâ voluntatis, quà talis: sed secundo modo aliquis actus intellectus potest excedi ab actu voluntatis; sicut licèt visio sit perfectior tactu in ratione communi sensitiva, tamen in ratione unionis tactus visioni præstare potest.

Ad authoritatem S. Thomæ dicendum, ipsum loqui de contemplatione prout contraponitur actioni, ut patet ex verbis subjunctis, & in argumento relatis; non verò prout contraponitur amori charitatis, quæ est præcipua pars contemplationis, ad quam tendere debet omnis speculatio, quæ sine amore & unctione inanis est, & evanida occupatio, afflictio spiritus, & evisceratio mentis. Nam contemplatio secundùm Theologos magis consistit in sapore quàm in sapere, ut ex D. Thoma retulimus. In eodem sensu intelligitur S. Cyrillus; loquitur enim de contemplatione affectiva, prout distinguitur contra actionem, ut de contemplatione Magdalenæ, quæ est optima pars præferenda sollicitudini Marthæ. Vide quæ diximus *con.* 1. in secunda appendice ad dissertationem præambulam, ubi de commercio Theologiæ cum pietate.

Insistes: Species generis perfectioris antecellit cuicumque speciei generis inferioris; hac enim ratione dicimus vermiculum esse perfectiorem cœlo: Sed actus fidei pertinet ad genus cognitionis, quod est perfectius genere volitionis: Ergo actus fidei est physicè perfectior actu charitatis, subindéque in illo beatitudo viæ posita est.

Respondeo, majorem esse universaliter falsam. Nam corpus incorruptibile est perfectius corruptibili; & tamen illud dividitur per differentias animati, viventis, & hominis, quæ longè præstantiores sunt differentiis cœlorum, quibus contrahitur genus corporis incorruptibilis. Et ratio est, quia genus est totum potentiale continens suas differentias non actu, sed potentia, ut dicitur in Logica, assimilaturque materiæ in ordine ad formas. Sicut ergo materia imperfectior potest actuari per formam perfectiorem, ut patet in materia sublunari, quæ est imperfectior cœlesti, & tamen nobiliori forma perficitur: ita similiter dicendum de genere respectu differentiæ, inter quæ non requiritur proportio æqualitatis, sed tantùm habitudinis, qualis est inter materiam & formam.

REFLEXIO.

Reflexio.

Si in amore Dei hujus vitæ felicitas sita est : ergo qui non amat, miser est, anathema est, manet in morte. Sed amandus Deus non Iudaïco ritu & externis tantùm officiis, sed Evangelico cultu in spiritu & veritate ; non corpore tantùm, sed potissimùm corde ; non corde variis quasi amoribus distracto atque diviso, sed toto corde, tota anima, tota mente. *Vt omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in eum conferas, à quo habes ea ipsa quæ confers ; & totam dilectionem tui & proximi referas in illam dilectionem Dei, quæ nullum à se rivulum duci extra patitur, cujus derivatione minuatur*, ait Augustinus *lib. 1. de doctr. Christ. cap.* 22. Hoc amore Deum possidemus, & jure dicimus cum Propheta Psal. 7. *Domine Deus meus*. Dominus per creationem : Deus per gubernationem : meus per amorem. Quàm beatus autem populus, cujus Dominus Deus ejus ! Quàm fortunati illi, de quibus dicitur Ierem. 24. *Et dabo eis cor, ut sciant me, quia ego sum Dominus ; & erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum*. Sed *quàm rarus in terris* (subdit Ambrosius in Psal. 118.) *qui potest dicere : Portio mea Dominus*. Quàm rarior qui potest dicere cum Sponsa : *Tenui eum, nec dimittam* : vel, *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Ille mihi, quia benignus & misericors est : ego illi, quia amorem rependo. Ille mihi gratiam ex gratia : ego illi gratiam pro gratia. Ille meæ liberationi : ego illius honori. Ille saluti meæ : ego illius voluntati. Ille mihi, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me : ego illi, qui est Deus cordis mei, & pars mea in æternum. Ille mihi, qui me sic amat quasi solam amaret : ego illi, qui omnia quæ amo, propter illum solum amo. Crede mihi, Lector, incumbamus dilectioni Dei. Quid proderit tam diuturna rerum meditatio, & speculationum defatigatio, nisi verum Dei interiorem, actualem, & supernaturalem amorem consequamur, tum in actu cum operibus conjunctum, tum in affectu : ardentem illum intelligo, tenerum, & plenum suavitatis, & abundantia quadam dulcedinis circumfluentem, cujus torrente in patria Sanctos inebriat Deus, & nunc in via quibusdam stillicidiis stillantibus super terram, & undæ cœlestis rivulis nonnunquam religiosas solatur animas, & spiritus pinguedine reficit. Porrò si magna miseria est Deum non amare, quid erit docere, homines Christianos ad amorem Dei non teneri ? Quis ante aliquot annos præceptum amandi Dei, tam clarè, tam significanter expressum, tam horrenda novitate ludificatum fuerat, quæ vix audita credi potest ? Libenter cum Augustino 3. *contr. Parmen. cap.* 4 scripserim : *Væ cæcis ducentibus, væ cæcis sequentibus !* Sed benedicta sit Ecclesia Catholica, & terque quaterque beatus sit Alexander VII. qui tantam blasphemiam semel, iterum & tertiò compressit. Næ hic unus error omnium sæculorum præcedentium vitus complectitur, futurorum præoccupat iniquitatem, possibilium superat horrorem. Non habent jam quo crescant flagitia doctrinæ, si ista toleretur. Ad hoc summum errorum fastigium meritò summa Sedes, meritò tota Ecclesia cohorruit. Non immorabor hoc loco pluribus, idem argumentum aliquando terum latiùs prosequuturus. Sed ad propositum redeuntes ploremus tempus quod in amando Deo non insumpsimus, cujus tamen amore in hac vita beamur. Relege præclarum locum Pici Mirandulani in fine tomi primi relatum, cui istum Augustini connecte ex tract. 10. in epist. Ioan. *Quid tibi jubet Deus? Dilige me. Aurum diligis, quæsiturus es aurum, & fortè non inventurus. Quisquis me quærit, cum illo sum. Amaturus es honorem, & fortè non perventurus. Quis me amavit, & ad me non pervenit? Patronum vis facere aut amicum potentem ambis per alium inferiorem? Me ama, non ad me ambitur per aliquem, ipse amor præsentem me tibi facit.*

Speculatio III.

Beatitudo Christiana in tribulatione & cruce potissimùm percipitur.

HAnc veritatem, quæ statim paradoxum videtur, expressit Salvator *Matth.* 5. ubi legem Evangelicam promulgare incipiens, sapientissimè à Beatitudine inchoavit, quia in actionibus humanis primum principium est finis, ex quo ratio actionis & operis sumitur ; beatitudo autem est actionum & laborum nostrorum omnium finis. Sic autem exorsum est Verbum caro factum : *Beati pauperes spiritu, beati mites, beati qui lugent, beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, beati misericordes, beati mundo corde, beati pacifici, beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam*. Mirum profectò beatitudinis genus, & cui ægrè fidem daret animalis homo, nisi ipsum Veritas propalasset. Observarunt autem Patres & Interpretes, quinque ex sex beatitudinibus intermediis promisisse Christum mercedem in vita futura, primæ tamen, id est paupertati spiritus, seu humilitati, beatitudinem præsentem spopondisse. *Beati*, inquit, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*. Et similiter octavæ, *Beati qui persequutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Est non tantùm in spe, sed in re*, ait Anselmus. Vnde subdit Veritas : *Beati estis* (pondera tempus præsens) *cùm maledixerint vobis homines, & persequuti vos fuerint, & dixerint omne malum*. Vides quàm diversæ sint cogitationes Dei & hominum, viæ Domini, & viæ nostræ. *Inde incipit beatitudo judicio divino, ubi ærumna æstimatur humano*, loquit Ambrosius *lib. 1. de offic. cap.* 16.

Vt autem probetur hæc momentosa & plena solatii speculatio, considerandæ sunt tribulationes, quibus tota nostra vita contexitur (nam *triplici morbo laborat genus humanum, principio, medio, fine*, ut ait D. Bernard.) Considerandæ, inquam, sunt non oculis carnis, sed spiritus ; non oculis Paganorum, sed Christianorum, ut ait Augustin. in Psal. 56. *Intendite, fratres mei, christianos oculos habere, nolite habere oculos Paganorum*. Fides enim quanvis sit obscura, est tamen valdè oculata, quia est expressio scientiæ Beatorum ; unde eam vocat Guillelmus Parisiensis *crepusculum gloriæ*. Vnde in tribulatione patienter tolerata reconditam percipit suavitatem & felicitatem, quam animalis homo non percipit : hoc posito,

Probatur speculatio. Triplex est nota veri boni, ut post Platonem docet S. Dionysius, nimirum quod sit *à bono, per bonum, in bonum*. Id est, debet procedere à bono principio, quia arbor mala non potest bonos fructus facere ; debet transire per bonum medium, quia sæpè aqua pura in fonte, in decursu inficitur & sordidatur ; debet tendere in bonum finem, & ad eum perducere : quod enim in malum proclive est, bonum esse non potest. Atqui triplex hæc conditio in tribulatione pro Christo patienter tolerata invenitur. In primis tribulatio est à bono, Deo scilicet, qui affligi Sanctos sinit, non impotentiâ, cùm ejus virtus sit infinita ; non incuriâ, cùm nec unus passer cadat in terram sine voluntate ejus ; non odio, nam diligit omnia quæ sunt, & nihil odit eorum quæ fecit ; non invidiâ, nam Deus charitas est ; sed sincera dilectione, quia quos diligit, castigat & corripit, ut virtutis materiam amplissimam suppeditet. Hac de causa præcepit Dominus Abrahæ, ut filium in monte dissito immolaret, ad quem non nisi post tres dies perveniret. *Vt dum*

ambulat (inquit Orig. homil. 8 in Genes.) *dum iter agit, per totam viam cogitationibus discerpatur, ut hinc perurgente præcepto, hinc verò unici affectu obluctante crucietur. Propterea ergo etiam via ta, ungitur, etiam montis ascensio, ut in his omnibus spatium certaminis accipiat affectus & fides, amor Dei, & amor carnis, præsentium gratia, & expectatio futurorum.* Hinc Sancti pressuras tanquam præcipuam propensæ voluntatis Dei significationem accipiebant; quia sicut virga Moysis, in terra ut serpens repebat, in manu Prophetæ miracula patrabat; & sicut quidam pisces Bæticæ in aquis auream, extra aquas solitum colorem præ se ferunt: sic adversitas in seipsa amara, in corde vel in manu Dei considerata suavissima est. Hinc Sanctus Iob in sterquilinio volutans consolatus eructabat: *Si bona suscepimus de manu Domini, mala autem quare non suscipiemus?* Quia nimirum infirmitates, dolores, calumnias, persequutiones, nec in ipsis, nec in causis secundis infensis contemplantur Sancti, sed in causa prima, scientes cum Propheta, quod ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum *faciunt verbum ejus.* Et illud August. in Enchir. cap. 93. *Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Et illud ejusdem, quod refert Prosper sent. 58. *Nihil fit visibiliter & sensibiliter, quod non de visibili & intelligibili summi Imperatoris aula aut jubeatur, aut permittatur.*

His de causis, Lector, eodem modo te gere ac infirmus, cui adhibentur hirudines, seu sanguisugæ. In hujusmodi appositione non consideres appetitum animalculi sese sanguine saturantis, sed benignam applicantis medici voluntatem. Inimicus homo fortunas tuas direptione exinanivit, iniquis litibus intentatis persequitur, falsis criminationibus infestat, plagis omnibus contundit: ne respicias hanc harpiam, vel sanguisugam; intende in cœlum oculos, & paternum divini medici cor intuere, & in eo veluti in speculo cernes consilia amici fingentis se esse inimicum, juxta illud Ierem. 2. *Tetendit arcum suum inimicus*, qui mortificat ut vivificet, percutit ut sanet, affligit ut compellat nocentem, erudiat ignorantem, protegat infirmantem, excitet torpentem, roboret pugnantem, humiliet superbientem, purget pœnitentem, perseverantem coronet.

Secundò tribulatio transit per bonum, quia per Christum veluti canalem ducta dulcescit, & consecratur. Vt hanc solidè profundam Theologiam penetres, considerato cum Cardinali Cajetano 3. *part. quæst.* 46. *art.* 5. quod Verbum Divinum sibi uniens humanitatem, totum universum extulit, quia aliquid omnis creaturæ est homo, qui ideò compendium, & horizon mundi, imò & parvus mundus dicitur, subindéque omnes mundi partes in homine sublimatæ sunt, non secus ac Rex puellæ nubens totam familiam illustrat & attollit. Porrò homo non solùm est epilogus perfectionum universi, sed etiam miseriarum ejus summa, & veluti *elixir*; & ideò appellatur à Propheta, *universa vanitas omnis homo vivens.* Est enim obnoxius peccato Angelorum, mobilitati cœlorum, corruptioni mixtorum, mortalitati plantarum, dolori animalium. Verbum autem assumpsit omnes humanos defectus, solâ exceptâ culpâ & ignorantiâ. Ergo cæteras miserias, ut egestatem, dolorem, mortem assumendo inauguravit, consecravit, deificavit, & ut ait Damasc. lib. 3. fid. cap. 20. *Omnes itaque accepit, ut omnes sanctificet.* Tertullian. *apolog.* 12. ut probet Martyres per tormenta consecrari & deificari, ait: *Solatium pœnarum est, quod eadem patiantur Dii vestri ut fiant. Vngulis deraditis latera Christianorum: an in Deos vestros per omnia membra validius incumbunt asciæ, & runcinæ, & scobinæ? Ignibus urimur: hoc & illi à prima quidem massa in metalla damnantur: Ergo qui puniuntur consecrantur, & numina erunt dicenda supplicia.* Quantò majus nobis solatium pœnarum est, quod eadem passus sit Deus verus, quæ nos perferimus.

Illustratur hæc veritas. Per Incarnationem mirabile commercium initum est; nam sicut Deus factus est homo, & homo Deus: sic virtutes divinæ factæ sunt humanæ, & passiones humanæ factæ divinæ mirabili illa idiomatum communicatione suo loco explicanda. Sic fortitudo Dei ita debilis facta est, ut Deus-homo sit mortuus: infirmitas verò humana tam fortis evasit, ut principem mundi hujus foras ejecerit. Divitiæ Dei in tantam paupertatem commutatæ sunt, ut Filius hominis non haberet ubi caput suum reclinaret: cunæ nascentis præsepe fuit, lectus morientis crux: paupertas verò hominis ab omnibus copiis tam luculenter parata & instructa fuit, ut in ipso absconditi sint omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei. Felicitas Dei in tantam miseriam conversa est, ut homo-Deus meritò vir dolorum dictus sit: & miseria, calamitatesque humanæ ita suaves factæ sunt, ut in persona Christi dicat Psaltes: *Convertisti planctum meum in gaudium mihi; concidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.* Et ratio est, quia Christus quæcumque assumpsit, quæcumque tetigit, consecravit: hinc est, quod aqua & panis sine prævia benedictione possunt esse materia Sacramenti, illa Baptismatis, iste Eucharistiæ; secus verò oleum vel chrisma, quod priùs debet esse ab Episcopo benedictum, quàm possit esse materia Confirmationis, Ordinis, vel Extremæ-Vnctionis. Vnde hoc? Quia Christus tactu mundissimæ carnis aquas Iordanis, & panem in ultima cœna consecravit; oleum verò tetigisse non legimus. Atqui nihil proximiùs tetigit Christus quàm crucem, nihil intimiùs sibi univit quàm dolores; nam à planta pedis usque ad verticem non erat in eo sanitas. Ergo crucem & tribulationem potissimùm sanctificavit, & bonam effecit. Quod considerans Andreas exclamabat: *O bona crux! diu desiderata, &c.*

Quin etiam tribulatio non solùm bona, sed etiam suavis per Christum facta est, juxta illud præclarum Hieronymi epist. ad Oceanum: *Felle, & aceto potatus est, ut in nobis jam nec fellis amaritudo, nec aceti esset asperitas.* Hinc Propheta comparat Christum unicorni. Sciunt Cosmographi numerosam serpentium multitudinem Libyæ fontes & stagna inficere. Cætera animalia venenum naturali instinctu præsentientia stant juxta fluenta, & siti adusta bibere non audent, donec veniat monoceros aquas purgans, & continuò non solùm largiùs bibunt sed & corpus totum immergunt. Peccatum protoparentum, & sibilus antiqui serpentis aquas tribulationum affuso veneno & amarore, gustatu ita fecerat injucundas, ut nemo vellet bibere: at postquam Verbum incarnatum potatum est aceto, & ut loquitur Apostolus Hebr. 9. *pro omnibus gustavit mortem*, jam Sancti juxta Moysis Prophetiam, Deuteron. 33. *inundationes maris quasi lac sugunt.* Quia sicut aqua maris per subterraneos ducta meatus salsedinem perdit, sic & tribulatio amaritudinem, dum per Christum fluxit, amisit. Sicut enim ejus mors vivificavit nos, sic ejus & trepidatio robustos, & mœstitia lætos, & tædium alacres, & turbatio quietos fecit, & desolatio consolatos.

Hinc Laurentius tristis quòd non moreretur cum Sixto, sublevatus fuit dum audivit: *Majora tibi debentur pro Christi fide certamina.* Quod meritò suspicit August. *tract.* 27. *in Ioan.* dicens: *Quæ consolatio ista?* Hinc S. Ignatius Martyr, Beatus Dominicus, & alii sexcenti sitiebant martyrium, sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, quia à tempore passionis Christi, ut ait S. Leo, *Crux omnium est fons benedictionum, per*

quam

quam credentibus datur virtus de infirmitate, gloria de opprobrio, vita de morte. Amandos prorsus talis medicus, qui amaritudinem medicinæ bibendo abstulit, ut nonnisi suavitatem infirmus inveniret. Hac de caosa in mediis tormentorum carnificinis stabant Martyres & triumphantes; in laboribus, vigiliis, jejuniis Confessores; imò & delicatæ Virgines, aut mori, aut pati anhelantes non modò fortiter, sed alacriter. Vnde hoc? Vnde tantum prodigium, tam animali homini incredibile? Non faciebat hoc stupor, sed amor; non amittebatur sensus, sed perfusus cœlesti delectatione submittebatur; non deerat dolor, sed victrici delectatione superabatur. Igitur si tribulationem patimur, si aporiamur, si deficimus, recogitemus eum qui talem pro nobis sustulit adversùs semetipsum contradictionem, ut non fatigemur animis nostris deficientes: & Christo in carne passo, eadem nos cogitatione armemur. Nam nobiscum est in tribulatione, & carni infirmæ & murmuranti dicit, quod olim B. Petro Martyri: *Et ego Petre quid feceram?*

Tertio demùm tribulatio tendit in bonum. Nam sola est arcta via quæ ducit ad vitam; & ideo Apostoli 5 *Rom*. 5. inculcat: *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio verò spem. spes autem non confundit.* Miram gradationem! Totidem verba, totidem documenta, quæ tuæ meditationi expendenda relinquo. Certè si oportuit Christum pati, ut intraret in gloriam suam; *si caput regnare noluit*, inquit August. *neque levare sursum corpus nisi per tribulationis viam, non speremus meliorem viam: quà præcepit, eamus: quà duxit, sequamur: si enim a vestigio ejus aberraverimus, perimus.* Ne nobis perperam blandiamur: nemo potest transire à deliciis in delicias: qui in labore hominum non sunt, in labore profectò dæmonum erunt, ait S. Bernard. *Non potest quis*, inquit August. *in hoc sæculo & in futuro gaudere; sed unum necesse est ut perdat, qui alterum voluerit possidere.* Et ideò Abraham dicebat diviti epuloni, Luc. 16. *Fili recordare quia bona recepisti in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.* In quæ verba Gregor. homil 40. ait: *Ista sententia pavore potius indiget, quàm expositione.*

Dices: Beatitudo & miseria, felicitas & calamitas è diametro opponuntur: Ergo toletantia adversitatum non potest constituere beatitudinem Christianam.

Respondeo adversitatem in se & nudè sumptam non posse constituere felicitatem, sed unctione divina conditam, & amore Dei lævigatam esse illius vitæ maximum bonum, honestum, utile, & delectabile: honestum quidem, quia nihil gloriosius quàm pati pro gloria Dei, nihil honorificentius quàm sequi Christum: utile verò, quia si compatimur, & conregnabimus: delectabile autem, quia in eo quod amatur, non laboratur; aut si laboratur, & labor amatur. Cujus signum est, quod Sancti pati volunt, & in tribulatione gaudent, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Hanc rationem præclarè illustrat Salvian. *lib*. 1. *de provident.* Sancti quamlibet videantur ignorantibus esse miseri, non possunt tamen esse aliud quàm beati. Superfluum autem est ut eos quispiam vel infirmitate, vel paupertate, vel aliis istiusmodi rebus existimet esse miseros, quibus se illi confidunt esse felices. Nemo enim aliorum sensu miser est, sed suo; & ideo non possunt cujusquam falso judicio esse miseri, qui sunt verè sua conscientia beati. Nulli enim, ut opinor, beatiores sunt, quàm qui ex sententia sua, atque voto agunt. Humiles sunt Religiosi, hoc volunt: paupetes sunt, paupertate delectantur: sine ambitione sunt, ambitum respuunt: inhonori sunt, honorem respuunt: lugent, lugere gestiunt: infirmi sunt, infirmitate lætantur. Itaque quidquid illud fuerit, quicunque verè Religiosi sunt, beati esse dicendi sunt; quia inter quamlibet dura nulli beatiores sunt, quàm qui hoc sunt quod volunt: soleant quamvis esse nonnulli, qui turpia atque obscœna sectantes, etsi juxta opinionem suam beati sunt, quia adipiscuntur quod volunt; te tamen ipsa beati non sunt, quia quod volunt, nolle debuerant. Religiosi autem hoc cunctis beatiores sunt, quia & habent quæ volunt, & meliora quàm quæ habent omninò habere non possunt. Labor itaque, jejunium, & paupertas, & humilitas, & infirmitas non omnibus sunt onerosa tolerantibus, sed tolerare nolentibus. Sive enim gravia hæc, sive levia, animus tolerantis facit. Nam sicut nihil est tam leve, quod ei non grave sit qui invitus facit; sic nihil est tam grave, quod non ei, qui id libenter exequitur, leve esse videatur.

REFLEXIO.

Ardiant, quæso, inimici crucis Christi, qui terrena sapiunt, & quorum Deus venter est: nec putent se esse felices, quia quod malè volunt, consequuntur. Nam velle quod non decet, miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod velis, quàm adipisci velle quod non oporteat. Quàm dolendum quosdam sic à Deo esse desertos, ut ipsis in infelicissimis consiliis tam felicibus eventis uti sinat! Nihil ista eorum felicitate miserius, nec invideri ipsis potest, nisi ab eo qui veram felicitatem ignoret. Vivere omnes beatè volunt, sed ad discernendum quid sit quod beatam vitam efficiat, ferreni homines caligant. Felicitatem longo studio, sed trito labore quærunt, quia omnes mundi viæ devia quædam sunt, quæ eò perducere non valent, quò se perducturа falsò promittunt. Oculata sanè, & valdè artificiosa Ethica Christiana, quæ felicitatem ibi invenit, ubi mundus miseriam arbitratur. Stoico supercilio dicebat olim Seneca epist. 85. *Sapiens est artifex domandi mala: dolor, egestas, carcer, ignominia, exilium, & cætera horrenda, cum ad hunc pervenere, mansueta sunt. Quid miraris, si uri, vulnerari, alligari juvat? Aliquando etiam libet.* Hæc quidem Ethnicus effutiebat, sed ad praxim minimè redigebat. *Præclara verba*, inquit Ambros. epist. 7. *verba tamen.* Sola Religio Christiana plus facit, quàm fabula finxit, quamve arrogans Stoicorum bucca crepuit. Sola etiam in catenis, atque suppliciis beatitatem vel invenit, vel infundit. *Si enim* (inquit Salvian. antè laudatus) *à quibusdam nunc etiam sapientibus viris miseri non putantur, qui nullos laboris sui fructus nisi ex præsenti tantùm laude capiebant, quanto magis religiosi ac Sancti viri miseri non putandi sunt, qui & præsentis fidei oblectamenta capiunt, & beatitudinis futuræ præmia consequuntur.* Porrò advertant spirituales illi (si Superis placet) Rectores, qui nolunt loqui nisi placentia, & crucem Christi evacuantes, delicias corporis cum pietate spiritus sociare nituntur. Et tamen viri Sancti mortificationem Iesu in corpore suo circumferentes, infirmi esse volunt: *Quia si fortes fuerint, Sancti esse vix possunt*, inquit idem Salvianus. Corpus suum cum Apostolo castigant, & mentis subjiciunt servituti, ne reprobi efficiantur. Si infirmitatem corporis appetendam sibi etiam Apostolus putat, quis sapientet evitat? Si fortitudinem carnis Apostolus metuit, quis rationabiliter fortis esse præsumit? Legimus Timotheum carne infirmissimum fuisse; quemque etiam ipse Apostolus Paulus, licèt nimis jam infirmitatibus laborantem,

non tamen nisi pauxillulum vini sumere ac delibare permisit: hoc est, ita eum voluit infirmitati suæ consulere, quod noluit tamen ad fortitudinem pervenire. Et ratio est, quia caro immodicis distenta blanditiis, & nimiis deliciis affluens, concupiscit adversus spiritum. Quod si repugnante exundantis voluptatis fortitudine, quæ optamus facere non possumus, infirmandam nobis est carne, ut optata faciamus. Infirmitas autem carnis vigorem mentis exacuit, ut mortificatis membris, affectisque attubus, vires corporum in virtutes transferantur animorum, ut non turpibus flammis medullæ æstuent, ut mentem latentia concupiscentiæ incentiva non succendant, ut non vagi sensus per varia oblectamenta lasciviant; sed si la exultet anima, læta corpore infirmo, quasi adversario subjugato. Hæc ferè omnia Salvianus.

CAPUT II.

Prærogativæ, & proprietates Beatitudinis.

Octo sunt beatitudinis gradus. Primus est Iustorum, qui inter vitæ hujus ærumnas hinc timore perculsi, hinc spe allecti, absque certitudine perseverantiæ vivunt. Secundus est is quem habuere in Paradiso Protoplasti ante peccatum, quemve remoto peccato habuissent posteri. *Quàm felices erant*, inquit August. lib. 14. de civit. cap. 10. *primi homines? Nullis agitabantur perturbationibus animorum, nullis corporum ledebantur incommodis.* Hoc gradu potiebantur etiam Angeli in statu viæ, tametsi eo perfectiùs, quo natura angelica longè præstat humanâ. Tertius gradus est justorum habentium revelationem de salute, cujus securi sunt. Quartus est ille quem habent Enoch & Elias, non solùm justitia prædicti, securitate quieti, sed etiam à miseriis omnibus immunes. Quintus est animarum Purgatorii, quæ in mediis flammis non solùm justitiam habent & securitatem, sed etiam consummaturunt finalem agonem, solvetuntque terribilissimum debitum mortis, cui adhuc Enoch & Elias obnoxii sunt, nec constat utrum ad statum mortalitatis reversi immunes futuri sint à noxa veniali, quam non tollit confirmatio in gratia. Sextus est gradus ille quem habebant olim Patres in sinu Abrahæ, seu lymbo, qui supra animas Purgatorii addebat à pœna temporali immunitatem. Septimus est animarum beatarum nondum corpori reunitarum, fruentium quidem Deo, sed beatitudine accidentali corporis orbatarum. Octavus est eorum, qui resumpto corpore immortalitate donato consummatè beati nihil ultra desiderant, sed suaviter cantitant: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* De proprietatibus sex priorum graduum non agimus in præsenti, de octavo verò pleniùs agemus in fine Theologiæ, ubi quæ S. Doctor in Supplemento edisserit, exponemus; sed de proprietatibus septimi gradus agendum est, quæ sunt potissimùm tres, perpetuitas, impeccabilitas, & felix Dei amandi necessitas.

SPECULATIO I.

Perpetuitas est per se & ab intrinseco annexa beatitudini.

Hanc veritatem perspicuè tradit Scriptura, quæ beatitudinem nostram vocat, *hæreditatem incorruptibilem, incontaminatam, immarcessibilem, vitam æternam, gaudium quod nemo tollet*, ut patet 1. Petr. 1. Matth. 25. & Joan. 22. *Nullo enim modo esse poterit vita veraciter beata, nisi fuerit sempiterna*, inquit August. *lib.* 15. *de Trinit. cap.* 8.

Probatur ratione: Beatitudo formalis est visio Dei assequens summum bonum, satians & implens omne animæ desiderium, ut ex dictis constat: Atqui visioni & assequutioni summi boni ab intrinseco convenit perpetuitas, & per se connaturaliter repugnat corruptibilitas. Visioni quidem quæ non potest cessare ex voluntate videntis, qui percipit in illa visione sitam esse suam ultimam felicitatem, ac proinde tam non potest illam respuere, quàm non potest velle non esse felix: & impossibile est quod aliquis à bono quo fruitur, velit discedere, nisi propter aliquod malum quod in fruitione illius boni apprehenditur. Quodnam autem malum apparere potest in visione illa quæ est consummatio omnis desiderii, possessio summi boni, conjunctio fonti totius bonitatis, vita æterna, & operatio attollens hominem ad modum agendi divinum. Nec in ejus duratione potest esse fastidium, quod accidit solùm propter hoc, quod res, quâ prius aliquis delectabiliter fruebatur, immutationem faciat in te, corrumpendo vel debilitando virtutem ipsius. Vnde post longam, vel vehementem meditationem fastidium patimur, quia potentiæ sensitivæ organis addictæ, à quibus pro hoc statu pendet intellectualis operatio, fatigantur; divina autem substantia non corrumpit, sed perficit intellectum, nec ad ejus visionem concutit aliquis actus qui per organa corporalia exerceatur. Non potest etiam cessare visio ex parte Dei, qui nunquam recedit à nobis, nisi nos recesserimus ab ipso, cùm ejus dona sint sine pœnitentia, qui nunquam infligit pœnam, & tantam pœnam qualis est privatio Dei visi, nisi præcedat culpa, juxta Augustini communem doctrinam, cui præcinuerat Tertull. lib. 2. contra Marcion. *Deus ex seipso bonus est, ex nobis justus: prior est bonitas Dei secundùm naturam, posterior severitas secundùm causam: illa propria, hæc accommodata: illa edita, hæc adhibita.* Nullum autem peccatum committi potest à vidente Deum, ut posteà ostendemus. Nullum denique assignari potest principium naturale corruptivum visionis, quæ cùm sit actionum creatarum perfectissima, nulla potest creata potestate dissolvi; & cùm perfectè compleat totam intellectûs beati capacitatem, totamque ejus faciet & impleat potentiam, nulla prorsus rimula est, per quam subintrare possit corruptio. Sicut quia forma cœlorum totaliter replet materiæ appetitum, nulla potest naturali causa corrumpi.

Perpetuitas etiam per se convenit assequutioni summi boni, quæ talis esse non potest nisi justis desideriis satisfaciat; cùm enim voluntas sit appetens boni, tandiu non adipiscetur summum & omne bonum, quandiu inquietus erit appetitus. Quid autem justius, quid connaturalius Beato quàm desiderare non privari summo bono, cujus possidendi si desit securitas, non potest non affligi timore, non intermisceri dolore? *Quid enim illa beatitudine falsius vel fallacius*, ait August. *ubi nos futuros miseros aut in tanta luce nesciamus, aut in summa felicitatis arce timeamus?* Ergo ex intrinseca conditione possessionis summi boni exigitur ut Beatus habeat claram notitiam, firmum judicium, & perenne dictamen de securitate suæ felicitatis. Vel ergo illud judicium verum est, vel falsum & erroneum; si verum, igitur revera beatitudo est de se incorruptibilis; si falsum, phantastica erit eorum beatitudo, similisque felicitati somnientium, nihil post somnum in manibus suis invenientium; siquidem falso judicio, & ignorantiæ innitetur. Ergo beatitudo ex sua ratione, ex intrinseca conditione, atque ex intimis assequutionis summi boni visceribus sicut petit securitatem, ita & exigit perpetuitatem. Nunquam enim

enim obtinetur summum bonum, vel saltem non beatè obtinetur, si cum anxietate perdendi habeatur; formalis namque beatitudo est radix omnium bonorum. Si autem radix illa sit de se corruptibilis, est etiam origo amittendi tanta bona, quod est grande malum. Quomodo autem arbor bona, & tam bona posset tam malum fructum facere? Vel quid infelicius esse potest, quàm assequi summum bonum, & posse perdere illud?

Dices: Nonne satis est ad removendum timorem & anxietatem, quod malum non sit futurum, tametsi non sit possibile? Futurum autem incorruptibilem visionem potest scire Beatus, cognoscendo decretum Dei de futuritione illius.

Respondeo quod licèt ad perpetuam visionis durationem sufficiat voluntas Dei, cujus virtus deficere non potest; & ad remotionem timoris sufficiat privationem visionis non esse, vel non apprehendi ut futuram; tamen visio beatifica petit ex propria ratione conservationem sibi titulo connaturalitatis non minùs debitam, quàm cœlo, Angelo, vel animæ rationali; quia aliàs nisi Deus faceret gratiam indebitā, visio corrumpi posłularet ex natura sua, utpote non petens ab intrinseco perpetuitatem. Ergo visio illa ex natura suā non esset beatificans, afferens omne bonum, nec excludens omne malum; grande enim malum est posse de se desinere, grandius non tollere de se timorem amittendi. Quod sanè malum excludere debet possessio & abundantia omnis boni, juxta illud Proverb. 1. *Qui me audierit, absque terrore requiescet, & abundantiâ perfruetur, timore malorum sublato.*

Instabis: Lumen gloriæ, & visio beata non debentur intellectui creato, nec illi sunt, vel esse possunt connaturalia: Ergo gratuita Dei voluntate tribuuntur & conservantur, subindeque de se perpetuitatem non petunt. Etenim forma in subjecto extraneo recepta, in eo amissibiliter inest; quæ in connaturali invariabiliter manet; sicut calor qui transeunter est in aqua, immobiliter igni inhæret, & lux in transcursu aerem perfundens, Soli indissolubili nexu vincitur.

Respondeo, quod licèt Deus gratuitò det gloriam & visionem; ex suppositione tamen quod illam det, illam incorruptibilem præbet, quia ex natura sua perpetuitatem postulat, quæ illi subinde connaturaliter debetur. Forma autem sin subjecto extraneo recepta inest amissibiliter, si subordinetur & subjiciatur subjecto, secus verò si subjectum sibi plenè subjiciat, perfectè subordinet, & ad suam immutabilitatem sublimet. Visio autem Dei quæ est gratia consummata, terminus & centrum creaturæ rationalis, mutabilitati intellectus, vel voluntatis instabilitati non subjicitur, sed potiùs totam creaturæ defectibilitatem firmat, consolidat, & æternitate participata donat. Per quod differt à gratia & charitate viæ, quæ voluntatis infirmæ & peccatricis mutationi subditur. Cum quo tamen stat, lumen illud, visionemque illam de potentia Dei absoluta posse destrui, & ad nihilum redigi, unde produxit omnia. Sed hoc nihil obest visionis perpetuitati, quia non est regulanda interna corruptibilitas alicujus, per ea quæ Deus supremâ suâ potentiâ & suspensione concursus efficere potest, sed per intrinseca principia, ut libro tertio agentes de incorruptibilitate Angelorum satis superque demonstratum est.

Vrgebis: Visio beata fuit in Paulo amissibiliter, & transeunter communicata, & de facto desiit: Sed visio Pauli, quam habuit in via, est ejusdem speciei cum illa quam habent in patria, cùm habeat utraque idem specificativum, nimirum divinam essentiam clarè visam: Ergo utraque peræquè corruptibilis est ab intrinseco.

Respondeo visionem Paulo in raptu communicatam postulasse quidem ex principiis intrinsecis perpetuitatem; supernaturaliter tamen per miraculum destructam fuisse, quia Deus res perpetuas destruere, & vivificare destructas eadem facilitate potest. Sicut ignis ex principiis intrinsecis petit calorem, & tamen in fornace Babylonis divinitùs refrigerabat. Sol connaturaliter lucem postulat, & tamen tempore Passionis Redemptoris obscuratus est. Corpus Christi dotes gloriosas ex redundantia beatitudinis animæ exigebat, & tamen illis tota vita mortali caruit, ut pro nobis pateretur. Similiter ergo visio Pauli perpetuitate sibi debita privata est, ut Doctor Gentium plantaret Ecclesiam, & ad visionem illam innumeros alios sua prædicatione perduceret. Nemo autem negat quin per subtractionem divini concursus possit visio desinere; sed inde pensari non debet intrinseca rerum corruptibilitas, vel incorruptibilitas; sed ex internis causis necessitatis, vel defectibilitatis.

Insistes: Impossibile est quod aliqua proprietas sit magis perpetua & immutabilis quàm essentia à qua profluit: Sed visio beata est proprietas gratiæ, cui non est per se annexa perpetuitas, ut patet ex hominum & Angelorum lapsu: Ergo visio non est de se perpetua.

Respondeo primò, visionem & lumen gloriæ esse proprietates gratiæ, non absolutè & secundùm se sumptæ, sed gratiæ ut consummatæ, & in statu connaturali positæ: quem quidem statum habet in patria, ubi incorruptibilitas est ei connaturaliter debita. Verùm hæc solutio grandes patitur difficultates; non enim est facilè explicatu quid sit gratiæ consummatio antecedens visionem, ita quod à gratia ut consummata promanet visio & lumen. Etenim ista consummatio vel addit confirmationem; & hoc non sufficit, siquidem Beatissima Virgo in gratia confirmata nondum erat beata: vel significat positionem extra viam; & hoc adhuc non satisfacit, nam gratia animarum Purgatorii est extra viam & meritum, nec est consummata: vel importat gratiam cum gloria seu visione; & jam visio non fluit à gratia consummata, sed gratiam consummatam constituit. Certè si gratia de se petit perpetuitatem sicut gloria & visio, cur ad illam permanentiam non trahit subjectum, sicut visio? Vtut sit de probabilitate, vel difficultate hujus responsionis,

Respondeo planiùs & faciliùs cum Ioanne à Sancto Thoma *disp. 2. art. 6. num. 6 2.* lumen & visionem non esse proprietates rigorosas dimanantes physicè à gratia, sicut dimanant aliæ virtutes supernaturales. Tum quia à gratia dimanat fides, quæ repugnat visioni: nequeunt verò proprietates repugnantes ab eadem essentia profluere. Tum maximè, quia visio & lumen gloriæ dantur in præmium gratiæ sanctificantis: quod autem datur in præmium alicui, non dimanat per modum passionis naturalis ab illo; præmium quippe non à principiis intrinsecis, sed ab extrinseco derivatur. Dicitur tamen gloria proprietas gratiæ quadamtenus, quia gratia & charitas tendunt ad Deum clarè videndum, illi inhiant, illumque merentur. Ex his,

Inferes quàm verè diximus *lib. 1. dissert. 6. cap. 2.* visionem beatam mensurari æternitate participata, non solùm quia non sunt in illa volubiles cogitationes ab aliis in alia redeuntes, ut ibidem ex Augustino diximus; sed etiam quia cùm conjungat Beatos Deo immutabili, eis incommutabilitatem præstat, eosque immobili perpetuitate donat. Quæ quidem æternitas vocatur participata, quia beatitudo quocumque modo sumpta, semper est aliquid creatum; ac proinde existentia non est illi essentialis, sed liberè à Deo communicata, liberè à Deo conservata, subindéque defectibilitatis absolutè capax. Quia tamen esse radi-

com,

cem. & principium incorruptibilitatis per ſe convenit viſioni, imò illi eſt eſſentiale, ſicut eſt eſſentiale ſubſtantiæ eſſe ens per ſe exiſtens, tametſi actualis exiſtentia non ſit de ejus eſſentia; ideò viſio beata menſuratur non tempore, quod variabiliter fluit; non ævo, quod compatitur accidentales varietates; ſed æternitate, non eſſentiali, quæ eſt ipſe Deus, ſed participatâ, quia ad modum divinum, ejuſque uniformitatem maximè accedit; & non ſolùm ad Deum clarè viſum fertur immutabiliter, ſed etiam habet eſſentiam divinam vices ſpeciei tam impreſſæ, quàm expreſſæ gerentem, cujus proinde immutabilitatem veluti ingreditur, & quantum creaturæ licet exſcribit.

R e f l e x i o.

Pulchrè dixit Ariſtoteles 1. Ethic. cap. 7. *Ver neque una hirundo facit, neque unus dies; & beatum eodem modo felicemve nec unus dies, nec breve efficit tempus.* Pulchrius Auguſtinus lib. cit. de Trinit. *Si verè beati eſſe omnes volunt, profectò & eſſe immortales volunt: immortalitas ergo eſt de ratione beatitudinis.* Et rationem egregiam addit, quia vel perpetuitas deſereret volentem, aut nolentem, aut neutrum. Non volentem, cùm nullus velit non eſſe beatus. Si nolentem, magna eſſet beatitatis miſeria, quæ poſſet etiam à nolente auferri. Non neutrum, quia ſummum bonum clarè viſum & poſſeſſum non poteſt indifferenter amari, quippe cujus nec converſatio amaritudinem, nec tædium convictus habet. Quod ſi beatitudini per ſe connexa eſt incorruptibilitas perpetua, immutabilis, immarceſſibilis, certò ſcias te nunquam ad beatitudinem perventurum, niſi gratiâ ſtabilias cor. Bellè de Seraphinis dicitur Iſaiæ 6. *Stabant, & duabus alis volabant.* Ad quid tunc alæ, ſi ſtant? *Et ſi ſtant, quomodo volant?* (inquit Bernard. ſerm. 4. de verb. Iſaiæ.) *Credo autem, ſicut in volatu alacritatem, ſic & in ſtatione immobilitatem promitti.* Stare ſimul & volare tenentur futuræ beatitudinis candidati, in fide ſtabiles, in opere efficaces. Fruſtra ſperat beatitudinis perpetuitatem, qui non fuerit in operum bonorum praxi aſſiduus, & indefeſſa bonorum operum ſectatione, acrique virtutis ſtudio bonis operibus inſudarit. Sola perſeverantia mater eſt æternitatis: ergo ſolus ille ad hæreditatem perveniet immarceſſibilem, qui ſeriò virtutibus inſiſtit, qui animum in illarum actionibus ſacro rigore extentum tetinet, qui de ſolitis exercitiis, præſcriptiſqua pietatis officiis nihil remitti patitur, nec ſinit conſtantem intrepidi animi vigorem ullatenus inflecti vel tantiſper inclinari. Ille ille Deum ſina fine videbit, cujus oculi ſemper ad Dominum: illum ſibi acceptabilem mundabit Deus, qui ut docet Paulus, fuerit bonorum operum ſectator; quia non ſufficit cum Pſalmiſta iniquitatem odio habere & abominari, niſi cum eodem legem Dei diligamus; nec ſolùm *odientes malum*, nos jubet eſſe Apoſtolus; ſed *adhærentes bono*: id eſt, ut exponit Chryſoſtomus, eo debemus virtutis amore flagrare, eo eam animi diligentis & accurati proſequi ſtudio, ea in illam impendere officia, eaſque navare operas, quibus ardens ſponſus unicè dilectam modis omnibus ſatagit demereri, quem nullus labor frangit, nulla flectit difficultas, nulla deterret repulſa, cui dies videntur pauci præ amoris multitudine, modò illâ tandem fruatur, cujus dilectione captus eſt. Denique *nemo fugit iniquitatem*, inquit Ambroſius, *niſi qui diligit æquitatem.* Vel virtutibus, vel vitiis animum plenum eſſe oportet; quia ſicut in rerum natura, ita in ordine gratiæ vacuum nihil admittitur. Ergo niſi aſſiduè opera virtutis exerceas, in peccata prolabêre, quibus à beatitudine excides. Ergo ſi velimus ad perennis vitæ fontem pervenire, juxta monitum Cypriani lib. de zelo & livore, *meditatione corroborandus eſt animus, exercitatione contra omnia diaboli jacula firmandus. Sit in manibus divina lectio, in ſenſibus dominica cogitatio: oratio jugis omninò non ceſſet, ſalutaris operatio perſeveret, ſpiritualibus ſemper actibus occupemur, ut quotieſcumque inimicus acceſſerit, quoties adire tentaverit, & clauſum adverſus ſe pectus inveniat, & armatum.*

S p e c u l a t i o II.

Beatitudinem formalem eſſentialiter comitatur felix amandi Dei neceſſitas.

DVplicem diſtinguere ſolent in actibus voluntatis neceſſitatem duplici oppoſitam libertati. Prima dicitur neceſſitas ſpecificationis, quæ poteſt quidem ſuſpendere actum; ſed ſi voluerit in aliquem prorumpere, non poteſt non elicere actum talis ſpeciei. V. g. voluntas hominis viatoris non arctatur ad amandam actu ſemper beatitudinem, ſed ſi circa illam velit negotiari, non poteſt niſi amare. Secunda dicitur neceſſitas exercitii, quæ non ſolùm tollit indifferentiam ad diverſas ſpecies actuum, ſed etiam non permittit ſuſpendi actum, vel tantiſper ab eo diverti. Nemo dubitat quin Beati Deum videntes neceſſitentur neceſſitate ſpecificationis ad Deum amandum: cùm enim in fonte bonitatis eſſentialis nulla poſſit apparere mali obumbratio, nullo pacto ipſum odiſſe, vel fugere poteſt voluntas, quæ eſt appetitus boni. Sed difficultas eſt de ſecunda, propter Scotiſtas contendentes amoris beati exercitium eſſe liberum. Nos verò aſſerimus voluntatem ejus ita rapi, ut amorem vel divertere, vel ſuſpendere nequaquam poſſit.

Quod

Probatur: Libertas voluntatis eſſentialiter dependet & ſupponit indifferentiam judicii, quæ eſt radix libertatis, quatenus proponit voluntati objectum liberè amabile. Cùm enim voluntas ſit potentia cæca præeuntis rationis facem ſequens, impoſſibile eſt quod quandiu judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad unum, voluntas feratur in objectum propoſitum abſque indifferentia; ſi verò judicium ſit determinatum & per modum naturæ, voluntas objectum propoſitum naturaliter, & ſine ulla prorſus indifferentia amabit; & ideo motus ſubiti non ſunt liberi, quia non ſubſunt judicio indifferenti & collativo, quod ad exercendam libertatem tanquam dux & lucifer à natura datum eſt. Vnde D. Thomas 1. p. q. 83. art. 1. ait: *Quia judicium rationis ad diverſa ſe habet, & non eſt determinatum ad unum, neceſſe eſt quod homo ſit liberi arbitrii.* Atqui poſita viſione Dei intuitiva, nulla manet indifferentia judicii non ſolùm circa bonitatem objecti, ſed neque circa exercitium actus. Ergo in conſpectu Dei viſi voluntas non poteſt ſuſpendere amorem. Probatur minor. Non poteſt voluntas liberè ſuſpendere actum amoris, niſi exercitium amandi proponatur ut malum & diſconveniens, vel impeditivum majoris boni, vel tædio moleſtum, vel labore & fatigatione importunum; ſi enim ſemper apparet ut bonum, ut maximum bonum, ut ſuave, ſemper alliciens, ſemper ineſcans, non poterit judicium rationis proponere objectum illud ut deſerendum, & exercitium ut liberè ſuſpendendum. Atqui ſtante clara Dei viſione non poteſt proponi voluntati exercitium amoris aliqua mali ſpecie veſtitum vel inumbratum, cùm per illud conjungatur voluntas fontali bonitati, in illo quieſcat cor humanum ſemper inquietum donec ad illud perveniat: nec in continuatione exercitii tam ſuavis labor ullus, nauſea ulla erit, ut ſpeculatione præcedenti oſtenſum eſt. Quia ut

differt. 6.

differt.6. lib.1. operosiùs ex Gregorio diximus: *Cum ad fontem vitæ devenerimus, erit nobis delectabiliter impressa situ simul & satietas; sed longè aberit à siti necessitas, longè à satietate fastidium; quia sitientes saturabimur, & saturati sitiemus.* Et ideo dicit Scriptura, quod in Deum semper Angeli prospicere desiderant, ut ibidem exposuimus. Ergo voluntas videntis Deum nequit suspendere actum amoris.

Confirmatur radicitùs, & præoccupantur omnes objectiones. Tunc inducitur necessitas exercitii, quando non remanet in voluntate potentia actus suspendendi: Sed in conspectu Dei clarè visi non remanet hujusmodi potentia bilanx & indifferens: Ergo amor beatus est in exercitio necessarius. Probatur minor: Voluntas est potentia capax boni, à quo cognito & proposito movetur: Ergo cùm totaliter impletur, vincitur, & adæquatur hujusmodi potentia, tunc non manet facultas resistendi, vel ad aliud divertendi, vel circa illud non operandi; si enim non totaliter vinceretur, sed posset se subducere objecto proposito, potentia voluntatis non esset plena: Atqui potentia voluntatis omnifariam vincitur, adæquatur, impletur, imò & inundatur à Deo clarè viso; quia objectum adæquatum & extensivum voluntatis est bonum: Deus autem clarè visus est omne bonum, & ut tale ostensum & cognitum, secundùm illud Exod.33. *Ego ostendam tibi omne bonum.* Ergo in conspectu & præsentia Dei clarè visi non remanet indifferentia voluntatis, sed omnis ejus potestas superatur, & satiatur, ac proinde necessitatur non necessitate cæcâ & inanimi, proveniente ex defectu, vel minutione judicii, ut in brutis aut motibus indeliberatis contingit; sed oriente ex perspicuitate cognitionis objecti, plenitudine sua non ligantis, sed adæquantis voluntatem, & cordis creati infinitam capacitatem. Certè si divina voluntas non obstante infinita perfectione libertatis suæ necessariò rapitur à bonitate sua, quanto magis vincetur capacitas voluntatis creatæ, ut non possit tantis obsistere illecebris amabilitatis infinitæ?

Objicies: Nullum objectum necessitat voluntatem quoad exercitium, ut sæpiùs inculcat D. Thomas, quia objecti quidem est specificare potentiam, sed non movere illam quoad exercitium; vel si necessitat, duntaxat quoad specificationem necessitat: Ergo Deus etiam clarè visus non necessitat voluntatem ad exercitium amoris.

Respondeo quod licèt objectum ex vi & formalitate objecti non necessitet potentiam ad exercitium actus; tamen cum hoc stat, quod præsupposito objecto tali modo repræsentato, voluntas ita disponatur, ut necessariò prorumpat in actum: sic autem disponitur per intuitivam Dei visionem, ex qua formatur judicium clarum & evidens, bonitatem universalem intuitivè visam totam vincere voluntatis indifferentiam abundantiâ plenitudinis suæ: quo stante judicio, immobilitatur voluntas in amore bonitatis. Mitto quod licèt objectum in statu viæ propositum non possit necessitare exercitium amoris, quia potest aliquis cogitationem divertere, & consequenter illud non amare (& de hoc objecto loqui D.Thomam patet ex contextu locorum, qui possent afferri in contrarium;) nihilominus objectum clarè & necessariò visum, & semper menti repræsentatum ut vestitum omnibus amabilitatis motivis, non potest non rapere exercitium amoris, quia adepto centro, non potest non illud amare appetitus, non potest non in illo quiescere quandiu cognoscit se illud possidere.

Instabis: Omnis actus potentiæ liberæ est liber: Sed voluntas est potentia libera: Ergo amor beatus est liber, saltem quoad exercitium. Vnde August. in Enchir. cap.105. *Aut voluntas non est, aut libera dicenda est.* Et Bern. lib de grat.& lib. arb. *Ibi ergo consensus, ubi voluntas. Porro ubi voluntas, ibi libertas.* Certè cùm ex una parte modus agendi liber sit perfectior naturali, utpote universalior, & in quo magis nos movemus; perfectius verò sit movere quàm moveri, fit inde amorem beatum qui est omnium actuum perfectissimus, non esse necessarium, sed liberum. Quis enim credat perfectissimam & splendidissimam operationum intellectus hominem à culmine rationis in modum agendi brutalem dejicere?

Respondeo, quod sicut in intellectu nostro inveniuntur & discursus, & simplex intelligentia principiorum, quæ naturaliter adest: ita in voluntate reperitur modus agendi naturalis, & electivus. Omnis ergo actus voluntatis ut naturæ, est naturalis; omnis verò actus voluntatis ut liberæ, liber existit. Porrò non dixit August. voluntatem in omni actu liberam esse, sed quod voluntas non est, si in aliquo actu libertatem non habet. Et similiter Bernardus loquitur de voluntate, ut formaliter voluntas est, non in quantum natura; voluntas autem ut talis formaliter libertas est. Ille autem modus agendi naturalis est imperfectior libero, quando ejus necessitas oritur ex imperfectâ cognitione, quando verò provenit ex majori plenitudine luminis & advertentiæ boni universalissimi implentis totam voluntatis capacitatem, tunc necessitas est omni libertate perfectior. In tantum enim libertas est perfecta, in quantum est universalis, quam universalitatis amplitudinem arctare videtur necessitas. Quando autem necessitas oritur ex apprehensione objecti implentis totam voluntatis vastitatem, tunc non minoratur, nec decoloratur perfectio & universalitas voluntatis, sed consummatur; non ligatur, sed satiatur: & ideo tunc perfectior & eminentior est necessitas, quàm libertas; nec per eam dejicitur homo, sed attollitur, & coronatur; quia ab instabilitate & fluxu in perpetuam Sanctorum stabilitatem erigitur, ut modum illum æmuletur quo Pater & Filius producunt Spiritum sanctum, amore utique necessario, sed infinitè perfectissimo; quia hæc necessitas non ex imperfectione cognitionis, sed ex plenitudine & superplenitudine sapientiæ incircumscriptæ promanat.

Vrgebis: Amor necessarius non potest crescere, neque esse major, cùm necessariò à voluntate dimanet: Atqui amor beatus potest esse major & intensior; nam in beatiori ardentior est amor: Ergo amor ille non est necessarius, sed liber.

Respondeo, quod sicut visio est in beatiori perfectior, quamvis visio non sit libera, sed necessaria: ita & amor majori impetu posset erumpere, tametsi semper necessariò; sicut etiam in motibus subitis quidam sunt aliis vehementiores, licèt omnes sint necessarii; sicut etiam corpora gravia feruntur omnia necessariò ad centrum, majori tamen impetu fertur saxum quàm lignum,& lignum quàm fœnum. Et ratio est, quia cor Beati toto quidem conatu eructat amorem, sed non omni totalitate, quæ potest esse major in infinitum, sicut potest in infinitum crescere charitas à qua fluit, & visio à qua regulatur.

Insistes: Beatus inferior potest desiderare gradum altiorem amoris superioris: Ergo amor ille debet esse liber, aliàs illum appetere non posset appetitu efficaci.

Respondeo, inferiorem Beatum gaudere quidem de nobiliori gradu superioris, sed ita esse de sua beatitate contentum, ut ad superiorem ascendere non concupiscat, ut latiùs diximus dum de visione beata. Et ratio est, quia Deus satiat cor nostrum hoc ipso quod est summum bonum clarè visum, & reverà possessum: quod verò ampliùs, vel pleniùs possideatur, facit quidem ad inæqualitatem & modum beatitudinis, sed non ad substantiam, quæ obtinetur per hoc quod habetur

in

in veritate centrum bonitatis, juxta modum capacitatis charitatis uniuscujusque. Quod familiari exemplo illustro. Qui in lauto convivio parum comedit ob stomachi debilitatem, æquè satiatur atque ille qui plura ob stomachi voracitatem absorbet; uterque tamen peræquè gaudet, peræquè contentus est, si eodem cibo, tametsi non in eadem quantitate recreetur. Sicut etiam parvæ staturæ homo, qui eodem panno vestitur, quo alter proceri corporis, non minùs contentus est, quia vestem habet moli corporis justam, & concinnè accommodatam. Et similiter erit in gloria, in qua disposuit nobis Christus ut edamus & bibamus super mensam suam in regno suo panem vitæ & intellectus, & torrentem voluptatis: in qua etiam omnes erunt amicti lumine, sicut vestimento, ut ait Scriptura. Opportunè Gregorius Magnus lib. ultimo Moral. cap. 14. *Vnusquisque juxta dispar meritum locum disparem percipit, sed ejusdem disparilitatis damna non sentit, quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit.* Et præclarè August. 15. de civit. cap. 5. *Nullo modo fit minor accedente, seu permanente consorte, possessio bonitatis; imò tanto fit latior, quanto concordior eam individua sociorum possidet charitas. Non habebit istam possessionem, qui eam noluerit habere communem: & tanto eam reperiet ampliorem, quanto ibi amplius potuerit amare consortem.*

Persistes adhuc: Idem amor charitatis viæ perseverat in patria; charitas enim nunquam excidit: Ergo sicut in via est liber, ita & in patria; non enim posset actus idem manens transire de libero in necessarium.

Respondeo perseverare in patria eundem amorem viæ, sed non eo modo regulatum, quia in via dirigitur & originatur à judicio & dictamine indifferenti, defectibili, obscuro, & sæpiùs passionum motibus, vel tentationum impetu obnubilato. In patria verò subest judicio proponenti determinatè bonum universalissimum sine ulla mali umbra. An verò amor perseverans sit idem numero, vel tantùm specie, parum refert, ut non excidat charitas, quæ sufficienter manet per hoc quod idem habitus perseverat: Sicut non excidit charitas viatorum dum interrumpunt exercitium amoris, & de uno actu in alium prorumpunt. Hic posset fieri difficilis instantia de amore beato Christi, cui non videtur deneganda libertas, sicut nec meritum: sed de hoc abundantiùs dum de merito Christi Domini.

Obsistes rursum: Deus liberè produxit mundum, quanvis immobili voluntate, quam retractare non potest, illum produxit; quia pro priori ad suum irrevocabile decretum ex vi principii quo se applicavit ad volendum, sine necessitate voluit, nimirum ex indifferentia judicii repræsentantis bonitatem creaturarum ut non necessariò amandam, quanvis semel statutum decretum revocare nequeat divinæ immutabilitatis constantia. Atqui amorem beatificum antecedit saltem in via judicium indifferens etiam per modum principii influentis & elicientis, ut patet maximè in amore viæ Angelorum, quem nulla interrupit mors, sed idem numero perseveravit in patria, qui erat in via: Ergo amor patriæ quantumvis sit immobilis, & indefectibilis, nihilominus verè liber dicendus est.

Respondeo amorem Angelorum viæ perseverare adepto termino, sed non cum indifferentia viæ, quia non manet judicium indifferens, sed succedit intuitiva visio boni infiniti absorbentis indifferentiam rationis, & implentis libertatem voluntatis. In quo differt amor Beatorum ab amore quo Deus prosequitur & producit creaturas, qui est immobilis, non mutatione judicii divini, quod semper proponit creaturarum contingentiam liberè amandam; sed ex natura voluntatis, quæ mutationem, vel vicissitudinis obumbrationem non compatitur.

Ex his inferes, visionem & amorem Beatorum comitari ineffabile gaudium & delectationem, secundùm illud Psal. 19. *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo; delectationes in dextera tua usque in finem.* In primis gaudent de bono divino; vera enim amicitia, qualis est charitas, congaudet bonis amici. Secundò gaudent de bono proprio, & de felicitate qua potiuntur, fruendo Deo tanquam proprio bono: quod gaudium non elicitur à spe, ut ait Suares, quia non manet in patria; nam *quod videt quis sperat?* ut dicitur *Rom.* 8. Et ratio est clara, quia spes fertur in bonum futurum & arduum: in patria verò omne bonum est præsens & possessum. Elicitur ergo tale gaudium à charitate, quâ non solùm Deum, sed etiam nosmetipsos, & proximum diligimus propter Deum, quando bonum proprium & proximi non opponitur, sed potiùs subordinatur bonis amici, ut contingit in beatitudine. Tertiò gaudent de bonis aliorum Sanctorum, apud quos non erit invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis. Vnde Gregorius *homil.* 16. *super Ezech.* explicans illud, *Mensura una trium*, ait: *Diversa quidem beatorum civium dignitates erunt, sed tamen una requies æterna retributionis. Nam etsi dispar erit meritum singulorum, non erit diversitas gaudiorum; quia etsi alter minùs, atque alius ampliùs exultat, omnes tamen unum gaudium de Conditoris sui visione lætificat.*

Sed quis poterit gaudii abundantiam illius, & torrentem voluptatis, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, tantisper exscribere. Prorsus ineffabile percipiet Beatus gaudium, considerans quod habet vitam sine corruptione, æternam, immarcessibilem, indefectibilem; ad hoc enim debet unicuique prodesse benè vivere, ut detur illi semper vivere. Habet notitiam sine errore; nam in lumine Dei videt lumen, & in Deo omnia ad se pertinentia absque ulla tenebrarum permixtione contemplatur; nam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. Habet gloriam & honorem sine depressione, vel confusione. *Quem honorem majorem*, inquit August. tract. 51. in Ioan. *accipere poterit adoptatus, quam ut sit ubi est unicus; non æqualis factus Divinitati, sed consociatus æternitati?* Habet lætitiam sine mœrore, abstergente Deo omnem lacrymam ab oculis Sanctorum. *Reverà* (inquit Bernard. epist. 114.) *illud verum & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de Creatore concipitur; & quod cum possederis, nemo tollet à te: cui comparata omnis alia jucunditas, mæror est; omnis suavitas, dolor est; omne dulce, amarum; omne decorum, fœdum; omne postremò quodcumque delectare potest, molestum.* Habet abundantiam sine defectione, & indigentia. Pulchrè Hugo Victorinus aliàs laudatus: *Quando satietas est? Quando satis est, tunc satietas est. Veniant plura, & habeas ea; adhuc non dices, Sufficit. Apponantur universa, & invenies te egentem, & nondum satis habentem. In omnibus ergo his satietas esse non potest. Veniat autem illud unum bonum, & satietas erit. Quare satietas ibi? Quia satis est. Propter quod benè dicitur: Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Et August. in illud Psal. 102. *Qui replet in bonis desiderium tuum*, ait: *Summum bonum hoc est tuum bonum. Quid ergo deest, cui summum bonum, bonum est?* Nihil planè; tunc enim erit Deus omnia in omnibus, omnis veritas intellectui, omnis convenientia voluntati, omnis pulchritudo aspectui, omnis abundantia suavitatis indigenti, ubi fulgebit animæ, quod non capit locus; ubi sonabit, quod non rapit tempus; ubi olebit, quod non spargit flatus; ubi sapiet, quod non minuit edacitas; & ubi hærebit, quod non divellit satietas, ut loquitur Augustinus. Denique ibi erit plenitudo à Deo non nisi de Deo, qui futurus est menti plenitudo lucis, voluntati multitudo

titudo pacis, memoriæ continuatio æternitatis; quia Deum videbimus ad voluntatem, habebimus ad voluptatem, fruemur ad jucunditatem, ut Bernardus prosequitur *serm. 9. in Cant.*

Reflexio.

Deum visum necessariò non amabit in patria, qui Deum liberè non amarit in via. Igitur omnes cogitationes nostras, omnem vitam, omnem intellectum in illum amore conferamus, à quo habemus ea omnia quæ conferimus. Totis ergo viribus, totis orationum instantiis amorem ab eo postulemus, à quo omne donum desursum est, ut radice cupiditatis evulsâ, bonorum omnium radix charitas in corde plantetur, plantata nascatur, nata nutriatur, nutrita roboretur, roborata perficiatur, & cùm ad perfectionem venerit dicat: Mihi vivere Christus est, & mori lucrum; & ad hoc tandem perveniat, ut patienter vivat, delectabiliter moriatur, cupiens dissolvi, & esse cum Christo. Terminus tempus, Lector, & miserè terimus, si quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc non rapiatur quò totus impetus dilectionis currit; veridicè enim dixit August. de nat. & grat. cap. 70. *Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas magna, magna justitia est; sed charitas de corde puro.* Ergo sine amore Dei nulla justitia. In illo solo pura, & minimè adulterina delectatio invenitur; in illo placida & fida tranquillitas; in illo prægustata felicitas Paradisi. Facessant hinc (inquit Bernard. serm. de Magdal.) sæcularis plausus insania, & lætitia mundialis abscedat. Nunquid qui vestiuntur purpura & bysso, & epulantur quotidie splendidè, gaudium & lætitiam obtinebunt? Absit ut in terra suaviter viventium gaudiorum inveniatur materia, cùm tantis alternationibus tota mundi facies immutetur, ut elevans allidatur, & respiret allisus. Sed est gaudium continua sibi jucunditate firmissimum, quod perfectus animus securâ sibi conscientiâ pollicetur. Mens enim ab hujus mundi aspergine purè, pressèque detersa, & in divinæ contemplationis acumen totum desiderii sui figens affectum, gaudens gaudet in Domino, & exultat in Deo salutari suo. Et quia paratus est quod amat, ad illum incessanter suspirat locum, ubi ferventissimus amor erit. Beatitudinem quidem futuram extremis veluti labiis prægustat, sed adhuc se miseram putat, & sentit. quia ut dixit Augustinus de moribus Eccles. cap. 3. *Beatus, quantum existimo, nec ille dici potest, qui non habet quod amat, qualecunque sit; nec qui habet quod amat, si noxium sit; nec qui habet quod non amat, etiamsi optimum sit.* Illò ergo tendit amore languens, ubi omnes amoris causæ certatim concurrunt, absentibus procul cunctis amoris impedimentis. Intelligit quàm dilecta tabernacula Domini virtutum, & in atria Domini concupiscit, ubi erit cognitio pulchri, præsentia boni, benevolentia amari, concordia amantium, beneficentia amoris. Ibi enim postquam aspiravit dies, & inclinatæ sunt umbræ noctium, cognoscitur veritas increata, & sub umbra illius qui diu desideratus fuerat, degustabitur suavissima dilectionis fructus, plenitudo pacis, securitas æternitatis.

Speculatio III.

Impeccabilitas necessarium est futura vitæ consectarium, & visioni Dei repugnat essentialiter quodvis peccatum.

Hæc assertio variis solet rationibus confirmari; sed quia intentionis nostræ non est argumenta congerere, sed ima veritatis fundamenta penetrare, totum rationum momentum ad unicum discursum reducemus, quo omnes simul partes suadebimus, hoc pacto. Non potest voluntas amare aliquid contrarium Deo, vel ab ipso deficiens, nisi proponatur ab intellectu ut amandum, non obstante repugnantia quam habet cum fine recto, vel deficientia ab illo; voluntas enim est potentia cæca, quæ sequitur ductum intellectus, nec potest peccare, nisi præcedat judicium imprudens. Vnde dicitur, quod omnis peccans est ignorans, supple practicè: & Proverb. 14. *Errant qui operantur malum.* Atqui volūtati Beati Deum videntis nō potest proponi aliquod objectum contra, vel præter Deum, ei repugnans, vel ab eo deficiens, mortale, vel veniale: quia potiùs visio beata proponit practicè Deum ut summum bonum, implens omnem voluntatis capacitatem, & totam vincens illius indifferentiam, subindeque ut in exercitio præferendum omni alteri minori bono: ex quo judicio derivatur amor necessarius quoad exercitium, ut ex speculatione præcedenti manifestum est. Ergo repugnat, quod stante visione maneat in voluntate potentia ad ullum prorsus peccatum, sive mortale, sive veniale; siquidem per visionem extinguitur omne dictamen defectuosum, subindéque omnis radix peccandi convellitur, & ab imis fundamentis subruitur. Quia repugnat proponi summum bonum, ut summum bonum est; & simul proponi ut relinquendum, quia sic proponeretur practicè ut minùs bonum, & alteri postponendum. Sub illa enim ratione, qua proponeretur ut deserendum, utique non proponeretur ut summum bonum, nec ex omni parte amabile. Ergo si proponatur ut summum bonum, non solùm impedit ne proponatur aliud bonum repugnans, sed etiam ne proponatur sine subordinatione & relatione ad ipsum. Illud enim non proponitur ut summum bonum, quo majus potest excogitari; majus autem bonum est omnia allicere, omnia sibi subordinare, quàm pati aliquod à se diverticulum, vel deflexum.

Dices: Hac ratione convincitur quidem immobilem esse in Beato firmitatem, ut peccare non possit; sed minimè suadetur, visioni repugnare præteritum peccatum antecedens visionem.

Respondeo, ex ratione adhibita confici etiam, vi & efficacia visionis expelli omne omninò peccatum, non solùm actuale, sed etiam habituale. Tunc enim expellitur omne prorsus peccatum, quando persona manet conversa ad Deum, & Deus remittit offensam; quid enim aliud requiri potest ad justificationem? Atqui formaliter ex vi visionis homo convertitur ad Deum; ita quippe disponitur, ut nihil nisi Deum, vel in ordine ad Deum diligere possit: non autem esse major potest, aut concipi rectitudo creaturæ rationalis, quâ stante funditus tollitur omne peccatum: Deus etiam tunc condonat offensam; siquidem gloriam largitur, & gratiam consummatam: quæ collatio non potest non esse effectus gratuitæ voluntatis Dei: si enim collatio gratiæ quæ dat tantùm jus ad gloriam, remittit offensam, reconciliat, & gratificat reum, quanto magis ipsius collatio hæreditatis? Absit enim quod via melior sit quàm terminus; meritum dignius, quàm præmium. Absit quod summa felicitas, quæ visione obtinetur, non excludat summam infelicitatem, in quam per peccatum incurrimus. Nam si, teste Petro, per gratiam divinæ sumus consortes naturæ; per gloriam visionis, teste Ioanne, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est. Imò Beatus non esset ex vi & efficacia visionis conversus in Deum, nisi Deus esset placatus & conversus ad hominem, quia ut *lib. 2. dissert. 9. cap. 1. spec. 2.* diximus, amor divinus est infundens & creans bonitatem in rebus, unde nec Deum amaremus, nisi amore suo nos

redderet ipse amantes. *Confidit enim amari qui se sentit amare, quia amor Dei amorem animæ parit*, ut ibidem ex Bern. vidimus. Ergo non stat visionem permanenter & habitualiter esse in Beato, nisi simul expellatur omnis peccati macula, omnéque peccatum habituale, cùm per visionem permanentem radicaliter, virtualiter, & eminenter convertatur homo ad bonum, adeoque firmetur ut in actum peccati prorumpere non possit, quod repugnat aversioni peccatoris. Quid enim implicantius, quàm esse simul aversum à Deo per peccatum, & simul conversum ad Deum, & ita ad illum inclinatum, ut nisi per miraculum & suspensionem concursus non possit impediri amor.

Instabis: Peccatum est privatio gratiæ & charitatis: Ergo quandiu non infunderur gratia sanctificans, vel charitas, tandiu manebit macula peccati, quantumvis intellectus lumine gloriæ perfusus visionem beatam eliciat.

Respondeo ad expellendam privationem, vel formam, non exigi aliquid formaliter oppositum, si habeatur forma eminenter opposita. Nam per introductionem formæ ignis sufficienter expelleretur frigus: & per unionem hypostaticam, etiamsi non resultaret gratia habitualis in anima, emundaretur humanitas ab omni peccato: & ita similiter visione beata eminenter opponitur peccato, non reduplicativè prout est in intellectu, sed quia mediante intellectu informat animam, & rectificat voluntatem; quia est radix totalis conversionis in Deum, quatenus firmiter & immobiliter dictat esse adhærendum Deo; & quia intellectus est radix voluntatis, ideo sanctificata radice, ipsa quoque sanctificatur; sicut sanctificatâ essentiâ animæ per gratiam, sanctificatâ personâ per unionem hypostaticam, mundatur & sanctificatur ipsa voluntas, quatenus redditur immobiliter conjuncta dictamini recto, ac proinde minimè à Deo aversa. Quorum omnium ratio adducta est, quia ad destruendum ex omni parte peccatum, & potentiam peccandi, sat est quod destruatur radix illius; convulsô enim fundamento, corruant parietes necesse est, eradicata rationalitate perit risibilitas, & destructo sole, lux deficit. Radix autem potestatis peccandi est dictamen defectuosum, quod totum extinguitur per claram visionem, subindéque extollitur potentia voluntaris ad peccandum, sed manet determinata ad Deum in omnibus super omnia diligendum determinatione permanenti, indefectibili, æterna, conferente statum perfectissimum, subindéque excludente omne malum, maximè peccatum, quod malum summum, & summa malorum est. Nec obest, quod visio non recipiatur immediatè in anima, in qua est macula, quia sufficit, quod inhæreat intellectui, & eo mediante animæ, quæ consequenter manet indefectibiliter unita summæ bonitati. Et similiter rectificatur voluntas, quia ex vi visionis practicè dictantis amandum esse Deum, virtualiter retractatur omne præteritum peccatum. Scio aliquos aliter se expedire ab hoc argumento, dicentes visionem beatam necessariò, essentialiter, & indispensabiliter supponere gratiam habitualem; quia sicut actus vitales naturales supponunt principium radicale vitæ naturalis, scilicet animam: ita actus vitales vita supernaturali, quorum apex est visio beata, supponunt omninò principium radicale vitæ supernaturalis, scilicet gratiam. Vnde sicut implicat hominem mortuum elicere operationes vitæ, ita hominem gratiâ destitutum Deum videre. Verùm hæc ratio patitur difficultatem, quia fortè suppleri potest gratia habitualis per auxilium actuale; & quia actus fidei supernaturalis est vitalis vitalitate supernaturali; & tamen elici potest à peccatore, in quo desinente gratia manet fides: & demùm quia illa solutio videtur concedere solam visionem non sufficere ad excludendum quodvis peccatum, saltem habituale præteritum, quod rigidæ S.Thomæ doctrinæ non quadrat.

Vrgebis: Esto quod per visionem determinata maneat voluntas circa Deum ipsum immediatè, tamen voluntas manet libera circa creaturas, in quibus potest nimis immorari, ac consequenter peccare venialiter, vel mortaliter peccato omissionis, non adimplendo aliquod præceptum de illis: ergo visio beata non est essentialiter insociabilis cum peccato.

Respondeo voluntatem videntis Deum habere libertatem circa creaturas, non defectivam, sed effectivam; quia potest sese circa diversa exercere, servato semper ordine finis. Sanè si beneficio gratiæ, auxilii, & protectionis Dei voluntas Beatissimæ Virginis ita erat in bono firmata, ut non peccaret venialiter, quanto magis id præstat gratia consummata, felicitas sempiterna? Nulla siquidem est gratia, nulla auxilii protectio, vel infusio æquè potens ac visio beata, quæ radicem peccati evellit, nimirum dictamen omne, & inconsiderationem defectuosam; nullum donum ita constans ac solidum, sicut visio, cui per se annexa est perpetuitas, & est vita æterna ponens Beatum in termino, illumque indeclinabiliter uniens centro: Ergo habet vim & efficaciam super omnem gratiam, super omne auxilium ad rapiendam voluntatem ad Deum, ad regulandam voluntatem, ne in actibus liberis aberret, vel ab amussi divinæ legis quadantenus deflectat.

Insistes: Beatus est capax legis imperantis, vel prohibentis opus faciendum: Ergo est capax transgressionis, aliàs frustrà imponeretur lex.

Respondeo, Beato posse imponi præceptum, non quia prævaricari potest, sed quia dirigi potest, & subjici optat superiori, cujus regulæ immobiliter adhæret, ac subinde legem cognitam necessariò amplectitur; quæ tamen ut cognoscatur, debet imponi & intimari; & ideo est capax legis.

Persistes: Semel imposita lege, indiget Beatus auxilio ad eam implendam, & debet orare Deum ut illud sibi largiatur; potest enim illud Deus denegare, sicut liberè confert: quo denegato omittet implere legem, subindéque peccabit.

Respondeo, Beatum indigere auxilio ad servanda præcepta, quod est quidem gratia respectu naturæ, non tamen respectu status beatitudinis, quæ cùm sit adeptio immobilis summi boni, titulo connaturalitatis exigit omnia necessaria ad benè agendum. Quod si urgente præcepto denegaretur præmotio physica, tunc omissio operis non esset peccaminosa, quæ semper supponit dictamen pravum & defectuosum, quod omninò incompossibile est cum visione clara summi boni. Maximè quia nunquam est omissio voluntaria sine actu, qui sit causa, vel occasio omittendi; subtracto autem omni concursu, profectò Beatus nullum actum eliceret.

Obsistes adhuc: Non est magis incompossibile peccatum cum visione beata, quàm dolor aut tristitia; si enim visio beata compatiatur secum malum pœnæ, cur non malum culpæ? utrumque enim peræquè repugnat beatitudini, seu statui omnium bonorum aggregatione perfecto. Atqui visio beata compatitur malum pœnæ, ut patet in Christo Domino, qui fuit viator & comprehensor, simul fruens Deo, & vir dolorum. Ergo statui illi absolutè non repugnat peccatum.

Respondeo, esse toto cœlo disparitatem inter malum culpæ & malum pœnæ, quia istud non avertit à Deo, nec procedit ex judicio erroneo; sed est defectus vel disconvenientia naturæ, quam quidem per se nata est excludere visio, cujus abundantia

redundare

redundare petit in corpus ; sed hic effectus miraculosè potest impediri , quia non est essentia , sed accidens beatitudinis. At vero peccatum est aversio à Deo , quæ omninò repugnat conjungi cum visione dictante summum bonum clarè visum esse necessariò amandum.

Totam hujus speculationis doctrinam compendiosè tradit Angelicus Doctor *quæst.* 24. *de verit. art.* 8. inquiens : *Divinam essentiam videntes cognoscent ipsum esse finem maximè amandum ; cognoscent etiam omnia quæ ei uniunt, vel ab eo disjungunt in particulari, cognoscentes Deum non solùm in se, sed prout est ratio aliorum ; & hac cognitionis claritate in tantum mens roborabitur, quod in inferioribus virtutibus nullus motus insurgere poterit, nisi secundùm regulam rationis.* Ubi principium intrinsecum impeccabilitatis Angelorum conferens immobilem firmitatem reducit S. Doctor ad visionem , & valdè consentaneè ad doctrinam Patrum. Isidori lib. 1. de sum.bono, cap. 12. *Quamvis Beati sint mutabiles naturâ , non tamen sinit eos contemplatio mutari divina.* Anselmi lib. de casu diab. cap. 6. *Iam vident quod plus velle possunt, & propter hoc peccare non possunt.* Eliæ Cretensis , qui *in orat.* 3. *Nazianz.* ait Angelos esse immobiles *per defixionem mentis in Deum.*

Ex quibus patet , impeccabilitatem Beatorum non reduci solùm ad extrinsecam Dei protectionem , ut opinati sunt Scotus & Nominales , sed in causam intrinsecam , visionem scilicet & amorem , quibus conjunguntur immobiliter regulæ rectæ operationis. Et certè id maximè verum esse debet in sententia Scoti , qui credit amorem esse de essentia beatitudinis : amor autem perpetuus , æternus , & nunquam interpolatus, non compatitur ullum prorsus peccatum , quia omnia actu refert in Deum. *Ubi amor boni immutabilis est* (inquit August. 14. de Civit. cap. 9.) *profectò, si dici potest , mali cavendi timor securus est.*

Certè si voluntas videntis Deum ex vi talis visionis necessariò Deum amat super omnia , omnia consequenter amat sub ordine ad Deum , & se habet ad minus sicut voluntas viatoris ad bonum in communi, quod solùm necessitat quoad specificationem. Sicut ergo impossibile est , quod voluntas vel amet aliquid oppositum bono in communi , vel præter ordinem ad ipsum : ita impossibile est , quod voluntas videntis Deum aliquid contra , vel præter ipsum concupiscat , aliàs non videret in Deo summum bonum , & ipsam bonitatis essentiam, ut satis superque ponderavimus.

REFLEXIO.

Impeccabilitas est necessarium beatitudinis corollarium , & fuga peccati in via est necessaria ad beatitudinem. Nam *aliquid coinquinatum non intrabit in eam.* Apocal. 21. Ergo *sequimini sanctimoniam , sine qua nemo videbit Deum.* Hebr. 12. Nec habitabit in tabernaculo Domini , nec requiescet in monte sancto ejus , nisi *qui ingreditur sine macula, & operatur justitiam.* Et præclarè August. lib. 3. cont. duas epist. Pelag. *Hic præceptum est , ut non peccemus : ibi præmium est, non posse peccare.* Porrò sicut felix Beatorum impeccabilitas ex jugi visionis Dei immobilitate derivatur ; ita fugam peccati assidua Dei præsentia , quâ providemus Dominum in conspectu nostro semper, efficiet. Pulchrè observat Hugo Cardinalis *in Psalm.* 113. expendens illud, *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Iacob* , quadruplicem posse assignari faciem Dei ; nimirum faciem *viventis, morientis, judicantis, regnantis* , quæ oculis mentis continuò debent observari , ut peccata vitemus. Prima est facies paupertatis, secunda doloris , tertia indignationis , quarta delectationis. Primam faciem ostendit nobis in nativitate , & in omni vita sua , pro nobis factus egenus , non habens ubi caput reclinaret , in alieno natus , in alieno conversatus , in alieno sepultus. Secundam faciem ostendit in passione, ubi visus est non habens speciem, neque decorem , à planta pedis usque ad verticem plagis supra modum , vel potiùs uno continenti vulnere percussus. Tertiam faciem ostendet reprobis in judicio , qui ejus perterriti aspectu dicent montibus, *Cadite super nos, & abscondite nos à facie sedentis super thronum, & ab ira Agni.* Quartam faciem demonstrabit Sanctis in Patria videntibus eum facie ad faciem, absconditis in abscondito faciei Dei à conturbatione hominum. *A facie Domini mota est terra* ; quia à prima facie, & aspectu ejus debet moveri terra cordis nostri ad contemptum terrenorum : secunda facie ad compassionem & patientiam ciemur , ne simus duriores petris Christo patiente scissis. Et certè *devotus miles sua non sentit, cùm benigni ducis vulnera intuetur*, ut ait Bernardus. A tertia facie movemur ad timorem & pœnitentiam, timentes Deum quasi tumentes super nos fluctus. A quarta facie impellimur ad amorem æternorum , & futuræ vitæ desiderium. Si Deum sub aliqua facie præsentem contemplamur , citò novam faciem induet vita , induet conversatio nostra , juxta illud Isaiæ 26. *A facie tua Domine concepimus , & quasi parturivimus spiritum salutis.* Veridicè Hieron. in cap. 8. Ezechiel. *Memoria Dei excludit cuncta flagitia.* Et rursum : *Quando peccamus , si cogitaremus Deum videre, & esse præsentem, nunquam quod ei displiceret , faceremus.*



LIBER SEXTUS.

De Deo prima regula vitæ humanæ.

PRÆLOQVIVM.

INDIGITATO Beatitudinis ſcopo, in quem collimare tenemur, quærenda eſt via quâ ad ipſum perveniamus. Nam ut prudenter ſcripſit Seneca lib. de vita beata, cap. 1. *Proponendum eſt primùm quid ſit quod petamus; tunc circumſpiciendum eſt,quà contendere illò celerrimè poſſimus. Decernatur itaque & quò tendamus, & quà.* Sed dicet fortaſſis nonnemo: Quomodo tam arduum, tam ſublime bonum, in quo beatitudinem hominis collocavimus, aſciſcere nobis valebimus? Quis audebit ambire magnitudinem præmii, quod in cor hominis non aſcendit? Verùm noli diffidere, ne deſperes illuc poſſe pervenire, ſi benè volueris non pedibus, ſed affectibus ambulare. Actibus humanis comparatur felicitas: Ergo tuæ tu faber eris fortunæ, ſi volueris; & Deum ſummum bonum, & ultimum finem conſequeris, ſi ipſum primam regulam ſequaris. Nihil homini facilius velle, nihil felicius benè velle. *Regnum cæleſte*, inquit Auguſtinus, *aliud non quærit pretium quàm teipſum. Tantum valet, quantum es tu. Te da,& habebis illud.* Dat autem ſe homo actibus humanis & moralibus, de quibus proinde impræſentiarum differendum eſt. *O ſummam Dei Patris liberalitatem!* inquit eximiè Picus Mirandulanus, *ſummam & admirandam hominis felicitatem! Cui datum id habere quod optat, id eſſe quod velit.*

Ut autem materia infinita certis limitibus præfiniatur, ut ſuus cuique libro ordo conſtet, ne in materia, ut ita dicam, immenſa temerè ac ſine lege vagemur, ut denique in tanta, tamque multiplici rerum moralium diſquiſitione levamen habeat memoria,in hoc ſexto libro de actibus humanis ad amuſſim divinæ regulæ exigendis agemus,in ſeptimo ſequenti de virtutibus à Deo ſummo exemplari exſcribendis, vitiiſque quibus divina obliteratur imago, ſermo inſtituetur; in octavo tandem ſupremi Legiſlatoris mandata proponemus, quibus ſervatis honeſtè, chriſtianèque vivamus.

Quærunt autem, & conqueruntur non pauci & pietate inſignes, & doctrina conſpicui, & dignitate præfulgidi, potiſſimùm verò Paſtores animarum, unde non multis abhinc annis tanta in doctrina morali irrepſerit laxitas, effrenīſque noviter opinandi libido? Videmus enim & lugemus nova quotidie prodire volumina, egregio Theologiæ moralis titulo corruptelas tegere innumeras, ut ſordidarum opinionum fæces illuſtri fuco velentur, non ſecus ac profundum cœnum & graveolentem paludem veſtit viridanti fronde fragilis cæſpes, vel ſicut fumum nubes induunt, ipſiſque anguibus pulchrum veneni tegmen verſicolore tergo & ſquamis fulgentibus non deeſt. Cernimus & flemus nuſquam ſe latiùs effudiſſe ſcribendi licentiam, nuſquam majorem criminibus veniam datam, nuſquam magis contra Deum & naturam peccaſſe impotentis ingenii humani laſciviam; & poſt tot corruptelas neſcio quid dicam, niſi ut cum Auguſtino doleam præſumptionem humanam, & mirer patientiam divinam. Vnde hoc quæſo? Vnde hoc? Vnde nova quotidie adduntur pejora prioribus? Vnde ſicut in corporibus infirmis foſſulæ quædam, vel cavi imprimuntur (cauteria vocantur) quæ ſunt velut cloacarum oſtia & emiſſaria, quibus ſordes ex univerſis ædibus educuntur, in quæ cæterorum membrorum infeſta pituita noxiique humores derivantur: ſic in non paucas hujus ſeculi ſcriptiones præteritorum omnium fæces, cunctarumque immanitas culparum confluxiſſe videntur?

Duplex hujus morbi, quo laborat orbis, mihi & ſapientioribus origo occurrit. Prima, quia nonnulli (heu non tot!) narrationes Patrum & ſeniorum prætereuntes propriæ innituntur prudentiæ: non ad amuſſim lapidem, juxta Philoſophi præceptum, ſed ad lapidem amuſſim aptantes, mores non ad normam canonum componunt, ſed canones ad morum corruptelas turpi accommodatione inflectunt: non ad Evangelium opinationes ſuas, ſed

ad

ad suarum opinationum præjudicia Evangelium metiuntur: non legibus subjiciendo voluntatem, sed ad voluntatem voluptatemque trahunt obliquantque legem, inductoque probabilitatis specimine, fucatoque involucro omnia ita satagunt honestare, ut nullus jam supersit casus, in cujus gratiam bivium protinus non sit apertum, & quæ hactenus pugnantia & repugnantia videbantur, opinantium beneficio conciliata sint. Cernere enim est in non paucis Neotericorum lucubrationibus sententiarum pugnas perpetuas non ullo Scripturarum, Canonum, Patrumque præsidio munitas, sed modernorum & coætaneorum Doctorum syllabo benè longo hinc inde vallatas. Vt hoic ingenti, præsentique malo provideretur, monui dissertatione prima superioris libri, Theologo recurrendum esse ad fontes, quorum purissimas aquas ibi propinavi. Et certè indignum est controversias quasque morales ad solos humanæ rationis calculos, vel ad dialecticos, vel metaphysicos laqueos contrudere. Quid perniciosius Fidei, quid hæreticis favorabilius esse potest, quàm Ethicæ Christianæ, divinarumque institutionum authoritatem, quarum una propemodum ratio, æterna lex, una revelatio, una Dei voluntas est, offuso minutiarum inanissimarum pulvere importuno obducere, ut illusis animorum oculis majestas Religionis, splendorque vilescat? Sanè præposteri & levis ingenii est res tam sacras, tam augustas ad meras distinctiones metaphysicas, & Logicæ præcisiones admetiri. Suus cuique ordini genius: sancta sanctè tractanda sunt, & Christiana instituta non sunt lubricis humanæ mentis evagationibus, vel corruptæ voluntatis proluviis expendenda. Apage ergo, apage illos egregios scilicet instauratores, qui cùm ex legibus abusus inolitos emendare deberent, ex ipsis abusibus perpetuam Romanæ Ecclesiæ disciplinam intolerabili rerum theologicarum distorsione & contumelia delere conantur. Captivanda est ratio in obsequium fidei; castiganda lascivientis animi subtilitas utilis amans, & in propriis commodis quæritandis ingeniosa: nec ad pueriles Logicorum argutias & captiunculas revocanda sunt Catholica dogmata, & Ethicæ capita; quia nullis sophismatis, nullo rationum apparatu aut ornatu mutabitur veritas, quæ neque cœlo ipso & terra transeunte transibit: nec ullis temporum corruptelis depravabitur incorruptus Ecclesiæ Romanæ, seu Catholicæ sensus, à primis Christianismi cunabulis ad hæc tempora confirmatus. Etenim diebus nostris gavisi sumus gaudio magno valde, dum summi Ecclesiæ Præsules novitatum monstra cùm speculativa, tum moralia, tot venenis tormentia, tot erroribus farta confixere.

Alter tot malorum fons est, quia faciliùs quàm par sit in materia morum deseritur S. Thomas. Audivi nonnullum de discipulatu D. Thomæ gloriantem, sed reverà pseudothomistam temerè effutiisse, S. Doctoris sensis speculativis se adhærescere, sed resolutionum ejus moralium nô esse tenacem. Veritas tamen est, veros Angelici Præceptoris discipulos rigidiores esse moralis ejus doctrinæ sectatores, adeò ut si aliquando rerum deserendus foret Magister ille, in cujus verba jurarunt, data optione mallent ab ejus speculativis assertionibus recedere, quàm decisiones morales quadantenus temerare. Sciunt de nullo seorsim moderno Doctore, nec de omnibus simul sumptis neotericis Scriptoribus dictum fuisse, quod de Aquinate asseruit Innocentius VI. quod qui ejus doctrinam tenuit, nunquam inventus est à veritatis tramire deviasse, & qui eam impugnavit, semper fuit de veritate suspectus. Sciunt quod, teste Clemente VIII. ad Neapolitanos, S. Thomas in omni disciplinarum genere sine ullo prorsus errore scripsit. Sciunt consultò & de industria à Sapientia incarnata scripta Thomæ consecrante dictum esse: *Benè scripsisti de me Thoma.* Quæ particula *benè*, licèt omnia elogia compendiosè concludat, potissime tamen illo adverbio significatur, Angelicam doctrinam bonos efficere suos sectatores.

Ratio verò, cur S. Doctor licèt ubique reverenter audiendus sit, in moralibus tamen sit omnibus, etiam sibi præferendus; ratio, inquam, est duplex. Prima, quia cùm in negotio salutis nulla sit satis magna securitas, ubi tota periclitatur æternitas, illius profectò Doctoris assertis immobiliter hærere debemus, cujus doctrina est ex omni parte tuta, & Deo dante eam sectando salutem consequemur, quam ille docendo adeptus est sanctitatem. Dicebat olim confidenter Hugo Victorinus, tantum esse fidei credibilitatis argumentorum concentum, ut si error foret, planè essemus à Deo decepti. Eandem ferè ingenerat mihi Angelici Præceptoris nostri doctrina fiduciam, quam sequens si devio, a Pontificibus, à Conciliis, à Christo inaugurante deceptus sum.

Altera ratio & valdè profunda est, qoia in merè speculativis ingenium subtile, acre judicium, vigor mentis, eruditionis supellex plurimùm valent; sed in moralibus determinandis sanctitas vitæ potissimùm desideratur, ut judicium sit rectum, quia moralia pendent à prudentia, prudentia verò à recta intentione & pietate eximia; qui enim non habet appetitum rectum, facilè ingenii subtilitate legem nititur depravare, ut suis faveat desideriis, & concupiscentias suas honesti fuco prætolorct; nam qualis unusquisque est, talis & finis videtur ei, teste Philosopho. Intus etiam existens prohibet extraneum; unde sicut

icterico morbo correptus omnia flavo colore inducta & tincta videt; sic vir quàmlibet doctus, pravis affectibus inquinatus, sæpiùs bonum malum, & malum bonum definiet. At verò Sancti priùs faciunt quàm doceant, more illius qui cœpit facere & docere. Vnde non legem ad privata detorquent præjudicia, sed de omnibus in spiritu & veritate judicant; & ideo dicitur, quod spiritalis homo judicat omnia, ipse verò à nemine judicatur: item quod justo non est posita lex, quia de omnibus juxta interiorem Spiritus sancti motum sententiam ferunt, & in bonum veluti sponte & connaturaliter appetitus eorum propendet. Quare sicut facta Sanctorum approbata sunt ab Ecclesia per publicam canonizationem, quâ fidelibus veluti conspicua pietatis exemplaria exponuntur; ita doctrina eorum in tuto posita est, quia sicut docuerunt, ita & fecerunt. Doctor autem qui non sedulam operam navat sanctitati, qui non gustavit quoniam suavis est Dominus, qui non est spiritalis, nec experimentum habet Christi in se loquentis, talis in moralibus consiliis dandis sæpè cæcutiet, sæpè cæcis ducatum præbens ambo in foveam cadent. Præclarissimè, nec minùs tempestivè Ambrosius lib 2. de officiis: *Advertendum quod in acquirendis consiliis plurimùm valet vitæ probitas, virtutum prærogativa, benevolentiæ usus, facilitatis gratia. Quis in cæno fontem requirat? Quis de turbida aqua potum petat? Itaque ubi luxuria est, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis utilem judicet causæ alienæ, quem videt inutilem suæ? Quomodo enim potero eum judicare consilio superiorem, quem video moribus inferiorem? Supra me debet esse, cui me committere paro. An eum idoneum putabo qui mihi det consilium, quod non dedit sibi? Et mihi eum vacare credam, qui sibi non vacat, cujus animum voluptates occupant, libido devincit, avaritia subjugat, cupiditas perturbat.* Quid elegantius, vel opportunius?



DISSERTATIO I.

HVMANORUM actuum physicam entitatem non physicè vel metaphysicè examinabimus, sed quatenus sont fundamenta, quibus Ethica Christiana superstructa est.

CAPVT I.

Repræsentatur Oeconomia mirabilis actuum humanæ voluntatis in esse physico.

SVper omnia opera sua effudit quidem Deus sapientiam suam, sed in animam rationalem profudisse videtur. Res digna admiratione: anima cæterarum rerum naturas describit, & seipsam vix novit, oculata in rebus alienis, cæca in propriis. Solus qui condidit Deus, eam rectè definivit, dum ait esse ad imaginem & similitudinem suam; quia elucet in ejus ingenio sapientia, fœcunditas in memoria, in voluntate libertas, ut in universitate vices Dei gerat anima, & homo sit in orbe spectabilis Deus. Sed inter animæ miracula suspicienda occurrit humanorum actuum harmonia. Quis enim non miretur assiduos voluntatum fluxus, noluntatumque refluxus? Quis non stupeat ad tot organorum motum, passionum impetum, potentiarum exercitium, quæ voluntatis subduntur imperio? Quem non rapiat actuum successio assidua, multitudo infinita, concentus singularis, & tantus virtutum ornatus, quo (si charitas non desit) quasi vestitu deaurato circumamicta ineffabili circumdatur varietate. Vnde non desunt qui eam harmoniæ musicæ conferunt, quæ in sonorum concordi discordia sentiri solet, & quasi fluere. Vnde benè nonnullus dixit, cor humanum infinitam esse profunditatem; ibi sunt triclinia, cubilia, fores, vestibula, ministeria multa, & exitus multi; ibi est officina, tum justitiæ, tum iniquitatis: ibi abyssus immensa, ubi tot specus, tot antra, tot latibula, quot affectuum ostia, in quibus immanes passionum feræ latent. Conjice qualis sit voluntas ex secunda Summæ D. Thomæ parte, quæ quàmlibet immensa sit quantitate molis & virtutis, tota quanta in speculanda voluntatis supellectile occupatur. Exhibeamus primùm actus humanos in esse physico, sed operæpretium est priùs rationem voluntarii & involuntarii delibare.

SPECULATIO I.

Omnes de voluntario difficultates ex ejus definitione liquido derivantur.

PLures & spinosæ agitari hîc solent difficultates; sed quia eas diffusè pertractant Philosophi morales, earum dumtaxat medullam exprimemus, eaque seligemus, quæ Theologico sunt opportuna instituto. Porrò nemo mentis compos in dubium revocare potest, num detur voluntarium; id enim peræquè certum est, ac dari voluntatem. Definitur autem communiter voluntarium, *Quod est à principio intrinseco cum cognitione finis.* Dicitur *à principio intrinseco*, ut distinguatur à violento & artificiali, quorum principia sunt extrinseca; principium namque artefacti est ars existens in intellectu artificis; principium violenti est agens inferens vim passo renitenti. Distinguitur etiam per illam particulam à volito, quod est idem ac objectum terminans voluntatem: unde non est nisi denominatio extrinseca petita ab actu voluntatis: voluntarium verò est aliquid à voluntate procedens, cùm debeat à principio intrinseco, vel eliciente, vel imperante, vel aliquo tandem pacto influente prosilire. Additur, *cum cognitione finis*, ut voluntarium distinguatur à merè naturali, cujus principium est quidem internum, sed nulla prælucente cognitione dirigitur. Per hoc etiam distinguitur ab actibus intellectus, qui licèt sint à principio intrinseco, & cognoscant finem, imò ex cognitione finis ad cognitionem mediorum progrediantur; non tamen essentialiter cognitionem finis moraliter allicientis præsupponunt, aliàs daretur in infinitum processus. Maximè quia actus intellectus non procedunt ex cognitione finis formaliter, ut finis & bonum est, sed ut est quoddam verum: unde unum inferunt quidem ex alio, sed non alliciuntur ab illo: atque adeo particula illa, *cum cognitione finis*, formalissimè intelligenda est de cognitione practica finis, quà finis est.

Dices:

Dices : Actus supernaturales sunt maximè voluntarii, cùm sint motus bonæ voluntatis : Sed illi actus sunt à principio extrinseco, nempe auxilio Divino de foris adveniente : Ergo non omne voluntarium est à principio intrinseco.

Respondeo actus salutares non à sola gratia procedere voluntate merè passivè se habente, sed à voluntate divino quidem adjutorio præventa, adjuta, & roborata, sed agente : *Aguntur, ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Et Bernardus aliàs laudatus : *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt ; totum quidem hoc, & totum illa ; sed sicut totum in illo, ita totum ex illa.* Ex hac definitione voluntarii benè penetrata continuò deducuntur innumeræ difficultates, ut sequentibus corollariis dearticulatè monstrabimus.

Corollarium I. *Duplex est voluntarium, aliud perfectum, aliud imperfectum.*

Probatur : Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione finis : Ergo distinguenda est ratio voluntarii penes cognitionem finis, quæ duplex est, perfecta scilicet & imperfecta. Perfecta apprehendit non solùm rem, quæ est finis, sed etiam rationem finis, & proportionem mediorum ad ipsum, & sic convenit naturæ rationali agenti ex deliberatione : imperfecta in sola rei, quæ finis est, apprehensione sistit, nec rationem finalem considerat ; & sic reperitur in brutis animantibus, quorum appetitus fertur in bonum apprehensum, non ex præviæ deliberationis luce, sed naturali impetu ; à quo agendi modo non multùm recedunt actus hominis subiti & indeliberati, qui cùm rationis advertentiam præveniant, ex perfecta finis cognitione & directione minimè procedunt.

Dices : Primus amor finis est perfectè voluntarius : Sed ille amor ex prævia deliberatione non procedit : Ergo ad perfectum voluntarium præviæ deliberationis apparatus minimè exigitur.

Respondeo primum amorem finis non subjici deliberationi consummativè, sed inchoativè, quia ex illo amore finis procedit voluntas ad mediorum electionem ; sicut motus cordis vitalis est, quantumvis ab alio vitæ principio non promanet, quia ab ipso ut à fonte omnis vitæ motus profluit. Accedit quod licèt de fine in communi non sit deliberatio, omnes quippe volunt beatè vivere, & bonum quà tale nemo odisse potest ; tamen finis in particulari sub deliberationem cadit. V.g. omnis bonus Christianus vitam rectè instituere concupiscit, verùm an statum Regularem sæculari præferre debeat, examini deliberationis subjicit.

Corollarium II. *Amor beatificus est perfectè voluntarius.*

Probatur contra Vasquem & Lorcam existimantes perfectam rationem voluntarii in solis actibus liberis inveniri. Voluntarium est id quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis : Ergo ille actus est perfectè voluntarius, qui à principio maximè intrinseco, & à perfectissima cognitione finis procedit : Atqui amor beatificus talis est ; procedit enim à voluntate toto corde, totis præcordiorum affectibus, totisque viribus Deum amante ; procedit etiam ex perfectissima cognitione finis, scilicet visione beata ipsam bonitatis essentiam ut in se est clarissimè repræsentante : Ergo amor ille est perfectissimè voluntarius.

Dices : D. Thomas *quæst.6. art.*2. perfectam rationem voluntarij iis solum actibus asserit, qui cum libertate & deliberatione procedunt, quosve laus & vituperium comitatur : Sed amor beatificus est necessarius, non liber, nec subinde meritorius, vel laude dignus : Ergo non est perfectè voluntarius.

Respondeo S. Doctorem ibi rationem voluntarii non adæquatè in tota sua latitudine explicare, sed illud exemplo actus liberi nobis notioris declarare. Nisi dicas S. Præceptorem loqui de actibus voluntatis viæ, quod patet ex eo, quod ibi distinguat voluntarium perfectum ab imperfecto, quod in motibus subitis rationem prævenientibus invenitur : constat autem amorem beatificum visionem beatam consequentem non esse motibus illis repentinis annumerandum.

Hæc profundiùs penetrabis, si consideres quod licèt in amore beato non inveniatur libertas formalis, sed necessitas ; illa tamen necessitas non ex ligatæ potentiæ coarctatione, vel tenuitate aut imbecillitate apprehensionis objectum proponentis oritur, sed ex plenitudine & eminentia summi boni clarè visi, satiantis & implentis totam voluntatis universalitatem & amplitudinem, quæ est germana radix libertatis ; quia cùm nullo bono creato expleri possit, circa illa habet indifferentiam. Necessitas autem orta ex plenitudine cognitionis, & universalitate objecti adæquantis capacissimum voluntatis sinum, non minuit rationem voluntarii, sed perficit, & coronat. Et in hoc sensu amor ille omni laude eminenter dignus est, cùm illi conferatur æterna gloria, quæ est omnis laudis cumulatissimum coronamentum. Præsertim quia amor beatus est expressio ipsius increati amoris, quo Deus se amat, quove producit Spiritum sanctum, quem Dei amorem perfectissimè voluntarium, non minùs videtur esse per se notum, quàm voluntatem divinam esse perfectissimam. Quid enim absurdius vel dici, vel cogitari potest, quam si asseratur Deum magis voluntariè creaturas, minùs voluntariè seipsum redamare ? Quo exemplo omnes adversariorum instantiæ evanescunt, quæ fundantur in hoc, quod perfectius sit agere cum libertate & dominio super actus suos, quàm cum necessitate : sed hoc principium falsitatis convincitur in actu Dei necessario, qui non solùm perfectissimus, sed mera perfectio est. Igitur necessitas non impedit quominus amor beatus perfectè voluntarius sit, cùm perfectissima cognitione dirigatur, sitque maximè à principio intrinseco, utpote ex intima voluntatis propensione, & totali inclinatione procedens. Sicut enim voluntas Deum videntis totaliter summo bono præsente impletur, ita totaliter in illud fertur.

Corollarium III. *Ratio voluntarii non convenit univocè hominibus & brutis, sed tantum analogicè.*

Probatur : Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione finis : Ergo juxta modum cognitionis est modus voluntarii, nec potest esse univoca ratio voluntarij, nisi sit univoca ratio cognoscitivi : Atqui bruta non conveniunt univocè cum homine in ratione cognoscitivi ; cognitio enim rationalis & intellectiva, quæ est character hominis, non est simpliciter eadem in bruto, cùm per eam differat à bruto, in quo ratio non invenitur, nisi penes imperfectam imitationem & participationem deficientem, multò minorem participatione entis, quæ invenitur in accidente comparato substantiæ : unde non simpliciter eadem, sed simpliciter diversa est ratio voluntarii in natura rationali, & brutali ; & in ista participativè & deficienter, in illa essentialiter invenitur, ut docet S. Thomas *q.6. art. 2. ad* 1.

Et certè cùm in brutis non inveniatur voluntas, falsò omninò ratio voluntarii illis simpliciter asseritur, cùm illis desit principium illud internum, à quo

voluntarium nomen & essentiam sortitur. Deest etiam illis cognitio finis; bruta siquidem non cognoscunt rationem finis formaliter, non solùm quia finis quidditat. in non attingunt, quam etiam non omnes homines, sed soli sapientes norunt; sed etiam quia munus & officium finis correlati ad media, nec mediorum ad finem proportionem norunt, sed instinctu & impetu ab Authore naturæ indito feruntur, subindéque carent utraque voluntarii conditione, moventurque dumtaxat vitaliter à principio interno, modo quidem super plantas & arbores altiori, sed ad voluntarii rationem nequaquam pertingente.

COROLLARIUM IV. *Remoto omni actu voluntatis, omissio non potest esse voluntaria, etiam advertente ratione, & urgente præcepto.*

Ratio est: Voluntarium est id quod procedit à principio intrinseco cum cognitione finis: Atqui si nullus sit actus voluntatis, nihil intelligitur procedere à voluntate, nec voluntas potest actualem libertatem exercere per solam actus suspensionem; voluntas namque carens omni actu est veluti mortua, vel saltem dormiens, carens omni actu secundo vitæ: quis autem intelligat ibi esse libertatem actualem, ubi non est vita actualis? Quomodo autem est vita actualis, si nullus sit motus voluntatis? Ergo omissio non potest causari à voluntate modo proprio voluntarii, id est vitaliter & voluntariè, si ab omni actu suspendatur.

Confirmatur: Duplex est voluntarium, aliud in actu primo, aliud in actu secundo. Primum solam facultatis potentiam requirit: secundum exigit quod illa facultas sit quodammodo reducta in actum. Cùm enim voluntarium dicat habitudinem ad voluntatem ut causam, voluntarium in potentia est illud ad quod voluntas est indifferens: voluntarium verò in actu requirit aliquam voluntatis causalitatem & influxum. Atqui si nullus sit actus voluntatis, nulla est causalitas, nullus positivus influxus, sed mera operationis carentia, & suspensio manens in statu indifferentiæ? Ergo omissio non potest esse voluntaria sine aliquo actu, qui sit causa, vel occasio illius.

Ad quorum claritatem & æquivocationum ambages dissipandas considerandum est, non requiri actum ut omissio sit voluntaria ex vi & natura omissionis, de cujus essentiali ratione est privatio & cessatio actus voluntarii; sicut cæcitas est carentia visus, & mors privatio vitæ: Sed sicut cæcitas ex positiva actione oculum alterante consequitur, mors ex actione corrumpente animal resultat: ita omissio voluntaria & privativa non consequitur nisi ex aliquo actu, qui sit causa vel occasio omittendi. Et ita expressè tradit S. Thomas quæst. 71. art. 5. *Si in peccato omissionis consideretur id quod per se pertinet ad rationem peccati, sic aliquando est omissio absque omni actu, tam exteriori quàm interiori. Si verò in peccato omissionis intelligantur etiam causæ, vel occasiones omittendi, sic non est omissio absque aliquo actu.* Quibus verbis intelliguntur & conciliantur plura alia S. Doctoris testimonia, in quibus ait voluntarium posse esse absque omni actu, tam exteriori, quàm interiori, scilicet cùm homo non vult; & omissionem posse esse peccaminosam sine actu, præcisè ex hoc quod homo dum tenetur, non vult: in illis enim loquitur de omissione secundùm propriam & essentialem rationem; quæ tamen ut in individuo exerceatur, exigit actum, qui sit causa & occasio illius: sicut licèt corruptio passivè sumpta in sua essentiali ratione non dicat actum, sed carentiam, tamen reapse nunquam causatur sine aliqua actione; corruptio namque sequitur actionem generativam introducentem novam formam, & expellentem veterem.

Quod diximus de actu voluntatis, à fortiori verum est de actu intellectus, ita ut omissio nullatenus voluntaria sit, si nullus præcedat, vel comitetur actus intellectus; tunc enim omissio nec procedit à principio intrinseco, cùm à nullo voluntatis actu originetur; nec cum cognitione finis, siquidem nullus supponitur esse actus intellectus: ergo tunc deest utraque conditio essentialiter ad voluntarium requisita, subindéque omissio illa non est voluntaria, sed ignorata ignorantiâ invincibili, nisi fortè esset negligentia in expellenda illa ignorantia, quod semper formidant viri Sancti, & orant: *Ignorantias meas ne memineris.* Quod si Sancti tam studiosi, tam vigiles incuriam in ignorantia sua timent, quomodo se excusant desides, & peccatis ignorantiæ cum novis Probabilistis colores prætexunt. Sed de his alibi.

Dices: Voluntas est potestas ad velle & non velle: Sed non velle dicit negationem actus, cùm contradictoriè opponatur velle, qui est actus voluntatis: Ergo voluntas exercetur & per velle, & per non velle, suppositâ tamen advertentiâ rationis. Certè in hoc distinguitur libertas contradictionis à libertate contrarietatis, quod illa elicit unum actum, vel oppositum ejus, v. g. amorem vel odium: at verò libertas contradictionis exercetur vel eliciendo actum, purà amorem, vel advertenter suspendendo illum: Ergo omissio est sufficienter voluntaria eo ipso, quod homo prudens & sciens non vult elicere actum.

Respondeo, voluntatem habere potestatem ad non velle non merè negativè, sed privativè vel contrariè sumptum, quatenus tale non velle causatur à voluntate: nam ipsa potentia secundùm se, & undè considerata dicit carentiam velle, sed tunc non causat omissionem, sed eam patitur. Nec refert quod homo sciens & prudens actum illum omittat, quia hoc probat quidem tunc adesse cognitionem finis, sed non influxum principii intrinseci, qui tamen est essentialiter requisitus ad rationem voluntarii. Ad id verò, quod additur de differentia inter libertatem contrarietatis & contradictionis, similiter respondetur, libertatem contradictionis ad amandum exerceri quidem per non amorem, sed supposito actu qui antecedat, vel comitetur hujusmodi amoris suspensionem; voluntas etenim nequit seipsam vel alias facultates vitaliter suspendere, nisi talem suspensionem velit vel directè per actum expressum, vel indirectè eliciendo alium actum, ad quem divertit. Præsertim quia propter sympathiam intellectus & voluntatis, stante cognitione de aliquo objecto, non potest dormire voluntas, sed ad velle, vel nolle, aut directè, aut saltem indirectè necessitatur. Cujus ulterior ratio est, quia omissio voluntaria est fuga & recessus ab objecto proposito per intellectum: voluntas autem nunquam actu recedit ab aliquo objecto, quod sibi proponitur ut malum, nisi ex prosequutione alicujus boni ad quod afficitur. Unde necessariò omnis omissio supponit aliquem actum, seu affectum erga bonum amatum, qui affectus antecedit, vel comitatur, subindéque fundat omissionem voluntariam.

COROLLARIUM V. *Ut omissio sit indirectè voluntaria, non solùm physicè, sed etiam moraliter, non requiritur præceptum.*

Ita Martinez & Ioannes à S. Thoma contra Medinam, Lorcam, aliosque: & probatur. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione finis: Atqui etiamsi non sit præceptum, omissio est à principio intrinseco cum cognitione; supponimus enim intellectum advertere, & voluntatem elicere aliquem actum, ex quo mediatè consequatur omissio à voluntate:

Ergo

Ergo semoto præcepto & obligatione, omissio est verè voluntaria; non enim aliter omissio à voluntate indirectè procedit: omissio namque cùm sit aliqua carentia, non petit immediatum influxum, sed quod sequatur ex actu voluntaris incompossibili cum actu cujus est privatio.

Vigetur hæc ratio: Sicut voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione, ita quod impertinenter se habet ad rationem principii intrinseci & rationem cognitionis, impertinenter etiam se habet ad rationem voluntarii: Atqui præceptum nihil omninò facit, sed penitus impertinenter se habet ad rationem principii intrinseci, cùm præceptum forinsecus sonans sit omninò extrinsecum, versans circa voluntarium tanquam materiam quam dirigit, non causat; subindéque omissionem in potestatem voluntatis non ponit, sed supponit. Nihil etiam conducit præceptum ad rationem cognitionis, quia licèt addat & ingeneret cognitionem obligationis, non tamen parit majorem cognitionem omissionis, quæ sola influit in omissionem, dum eam proponit voluntati ut respuendam, vel acceptandam.

Quod autem omissio etiam seclusо præcepto sit voluntaria non solùm physicè, sed etiam moraliter, facilè ex eodem principio suadetur. Voluntarium est à principio intrinseco cum cognitione finis: Ergo nullum datur voluntarium, quod non dirigat cognitio rationis, subindéque quod non subjiciatur rationi, sicut nihil est volitum quin præcognitum: Sed quod subjicitur regulæ & directioni rationis, pertinet ad ordinem moralem: Ergo omissio, seclusо præcepto, non solum physicè, sed etiam moraliter est voluntaria. Idque illustrari potest exemplis; nam plures omissiones nullo urgente præcepto sunt meritoriæ, v.g. qui sciens & volens omittit nubere, vel sæculi bonis uti, quia Clericalem, vel Regularem statum ingreditur, utique copiosè apud Deum meretur, tametsi nullum sit præceptum de assumendo statu clericali, vel regulari: qui sciens & volens caret aliqua recreatione, quia eo tempore vacat orationi, quo posset licitis illis solatiis indulgere, sine dubio meritoriè omittit, nec oppositum videtur posse dici sine sensus & pietatis communis manifesta offensione. Quod si omissio est meritoria sine præcepto & obligatione, profectò est libera, proindeque voluntaria.

Objicies auctoritatem S.Thomæ *q.6. art.3.* docentis, *quod non semper id quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo quod non agit, sed solùm tunc cùm potest & debet agere.:: Quia igitur voluntas volendo & agendo potest impedire hoc quod non est non velle & non agere, & aliquando debet; hoc quod est non velle & non agere imputatur ei, quasi ab ipsa existens.* Ergo ut omissio sit voluntaria, requiritur debitum & obligatio.

Respondeo S. Doctorem seipsum apertè interpretari; manifestè enim dat intelligere se loqui de omissione ut imputabili, quæ tunc solùm contingit, cùm quis potest & tenetur agere; ait enim: *Quia voluntas debet, hoc quod est non velle, imputatur ei quasi ab ipsa existens.* Cum quo tamen stat, omissionem illam esse physicè & moraliter voluntariam, eo modo quo actus, ex quo sequitur omissio, est voluntarius. V.g. omissio Missæ in die profesto est eo modo voluntaria, quo labor propter quem contingit est voluntarius, qui utique & physicè & moraliter voluntarius est: omissio tamen illa Missæ non imputatur voluntati, quia ad eam audiendam non tenetur, sicut labor ille non imputatur, nec reputatur malus, quia ab eo relinquendo non obligatur: In moralibus autem non imputatur omissio, vel effectus ullus, nisi cùm adest obligatio, urgetque præceptum.

Dices: Omissio Missæ die feriali non est voluntaria, secluso præcepto, si non habeat rationem privationis, sed meræ negationis; omissio enim purè negativa erat, etiam antequam voluntas vellet: unde ut negativa est, causari nequit à voluntate, subindéque non potest esse voluntaria: Atqui semoto præcepto, omissio non habet rationem privationis, sed meræ negationis; privatio enim est carentia formæ debitæ subjecto: secluso autem præcepto, non est debitum audiendi Missam: Ergo omissio absente, vel cessante præcepto, non est voluntaria.

Respondeo duplex esse debitum, unum morale seu legale, aliud physicum seu naturale: vel quod in idem coincidit; aliud est debitum obligationis, aliud exigentiæ & dispositionis: utrumque illud debitum comitatur duplex privatio; alia moralis, quæ est carentia actus debiti propter imperium legis; alia physica, quæ est carentia actus, cujus est aliqua dispositio, vel exigentia. Licèt ergo opus, v.g. auditio Missæ, sublatu præcepto non sit debitum debito morali & obligationis, est tamen sufficienter debitum debito physico exigentiæ vel dispositionis, hoc ipso quod est cogitatio, vel dictamen proponens practicè opus, putà auditionem Missæ; quod rationis dictamen respuitur per hoc quod homo prudens & sciens aliud opus aggreditur; subindéque non obstante cogitatione disponente, & quadantenus exigente auditionem Missæ, homo voluntariè omittit Missam, nec merè negativè, sed privativè se habet ad illam; sicut materia quæ habet aliquam exigentiam & dispositionem ad formam, dicitur ea privari, si non obstante tali dispositione alia introducatur. Manifestum est autem, quod cogitatio proponens auditionem Missæ, de se & per se disponit ad illam audiendam; initium enim cujusvis operis est cogitatio de illo: & ideo Semipelagiani convincebantur admittere dispositionem naturalem ad gratiam, hoc ipso quod initium congruæ cogitationis prævenientis auxilium naturæ viribus affectabant. Veritas ergo est, cogitationem esse dispositionem physicam ad opus, subindéque si non obstante cogitatione & advertentia Missæ aliquis voluntariè ludit, tunc omissio Missæ habet rationem privationis, & non meræ negationis.

Instabis: Si opus quod tempore Missæ exercetur, refunderetur in voluntatem tanquam in causam omissionis Missæ, eamque redderet indirectè voluntariam, efficeret etiam voluntarias omnes omissiones actuum incompossibilium cum illo opere, quæ sunt innumeræ. Consequens est absurdum; nam aliàs infinitæ illæ omissiones essent meritoriæ, sicut liberæ voluntariæ, quod tamen nullus admittit: Ergo & antecedens admitti non debet.

Respondeo quod cùm voluntarium sit à principio intrinseco cum cognitione finis, non sufficit ad rationem voluntarii indirecti, quod producatur aliquis actus incompossibilis cum aliis actibus, sed insuper exigitur ut sit cogitatio actus omissi; & quia dum homo elicit aliquod opus, non semper, imò nunquam advertit ad omissionem omnium actuum incompossibilium cum opere suo; ideo non sequitur, omissiones innumerorum actuum possibilium, & cum actu præsenti incompossibilium esse voluntarias, sed illius solùm, quem sciens, & advertens omittit. Quis enim dicat, hominem existentem in Ecclesia audientem Sacrum, in medio Missæ advertentem extre de Ecclesia ad ludendum; & tamen illum non voluntariè omittere Missam, quia id facit in die profesto, vel non magis voluntariè Missam prætermittere, quàm prandium, de quo non cogitat? Vides ergo cognitionem operis omissi & incompossibilis cum actu qui elicitur, esse radicem cur omissio alicujus operis sit voluntaria.

taria, non verò omissio infinitorum operum, de quibus nulla subit cogitatio.

Vrgebis: Omissio Missæ, secluso præcepto, non est bona vel mala in exercitio: non bona, si fiat intuitu minoris boni, qualis est ludus: non mala, cùm non sit contra præceptum. Ergo omissio illa non est voluntaria, nullum quippe datur voluntarium indifferens in individuo.

Respondeo omissionem Missæ, secluso præcepto, eandem habere bonitatem & malitiam, quam habet actus ex quo consequitur, & in quo fundatur. Si ergo ludus propter quem Missa prætermittitur, die profesto benè fiat, omissio bona erit; si malè, mala erit, quod venandum erit ex fine, & aliis circumstantiis, quæ actum in individuo exercendum concernunt. Nec obest quod dicitur, omissionem illam non esse contra præceptum, id enim falsum esse suo loco monstrabitur; jubet enim & lex, & ratio, ut omnia voluntaria ad bonum finem referamus.

Corollarium VI. *Effectus tamen omissionem voluntariam indirectè consequens vel concomitans, nullatenus est voluntarius, si non sit præceptum, vel obligatio impediendi illum effectum.*

Probatur, & simul præoccupatur totum objectionum momentum afferendo rationem disparitatis, quæ omissionem inter, & effectum intercedit, & in hoc consistit. Omissio volendi est immediatè in potestate ipsius voluntatis, quæ non minorem habet facultatem ad non volendum, quàm ad volendum: Ergo ut omissio sit voluntaria, non indiget voluntas nisi advertentia rationis, & suspensione sui influxus modo vitali, quod præstat divertendo ad alterum actum; tunc enim omissio procedit indirectè à principio intrinseco cum cognitione. At verò eventus, seu effectus comitans omissionem, non est in sola potestate voluntatis, quia nisi interveniret alia causa, non sequeretur. V. g. submersio navis non sequitur solùm ex eo quod nauta non succurrat periclitanti, sed ex tempestate, & impetu procellarum: homicidium rixantium non venit solùm ex defectu ejus, qui eos non disjunxit, sed ex gladio occisoris: Ergo omissio succursus per se non influit in effectum illum contingentem, nec physicè, cùm negatio non influat realiter in effectum positivum; nec moraliter, cùm supponamus nullam esse succurrendi obligationem: Ergo ut eventus ille quadantenus in voluntatem omittentem refundatur, eique interpretativè attribuatur, exigitur necessariò aliqua connexio moralis obligationis, ratione cujus talis effectus pertineat ad voluntatem, cui commissa est talis eventus impeditio. Vno verbo, omissio quidem sequitur à voluntate mediante aliquo actu, sed non mediante alia potentia, quia ex eadem sua potestate voluntas divertit ad alium actum, ex quo sequitur omissio, quæ proinde est à principio intrinseco cognoscente: At effectus sequitur mediante alia causa, quæ nec est ipsa voluntas, nec physicè movetur à voluntate; unde effectus ille non est à principio intrinseco, nec subinde voluntarius.

Dices: Præceptum est aliquid extrinsecum respectu talis effectus, sicut respectu omissionis: Ergo si effectus ille ante præceptum non sit à principio intrinseco, nec voluntarius, nec talis erit post præceptum.

Respondeo duplex esse voluntarium, aliud physicum, aliud morale: physicum est illud, quod procedit à reali & physico influxu voluntatis: morale est illud, quod non procedit quidem à voluntate, sed deberet procedere ab ejus potestate, quia tunc in æstimatione hominum voluntas perinde censetur ac si influeret. Effectus igitur iste urgente præcepto non est quidem voluntarius physicè, ut benè probat argumentum, cùm non oriatur à voluntate, sed ab alia causa interveniente; sed est tantùm voluntarius moraliter, interpretativè, & imputabiliter; quia qui scit, potest, debet, & non impedit effectum, censetur moraliter velle eum, etiamsi voluntas non se exerceat circa illum, quia debebat se exercere, & poterat, si voluisset. At verò omissio immediatè est in potestate voluntaria, quæ potestas reducitur in actum vel directè, dum vult explicitè omissionem; vel indirectè, cùm advertenter elicit actum incompossibilem cum eo qui omittitur. Ex quibus obiter notabis, quod licèt omne voluntarium physicum sit morale, cùm sit subjectum regulis morum; non tamen omne morale, præsertim interpretativum, est semper physicum, quia voluntarium interpretativum est in solo intellectu interpretantis prudenter existimantis hominem velle illum eventum, quem impedire potest & debet. Loquimur autem impræsentiarum de voluntario physico, & à reali voluntatis influxu pendente.

Illustratur exemplis discrimen illud omissionis ab eventu concomitante. Deus permittens peccatum ex denegatione & omissione sui auxilii, non est causa peccati, tametsi sit causa omissionis & denegationis gratiæ; quia peccatum non ex sola omissione auxilii, sed ex malitia & perversitate peccatoris consequitur. Quin etiam non solùm eventus comitantes omissionem, sed etiam actum aliquem per accidens consequentes, nec sunt, nec reputantur voluntarii, si absit obligatio evitandorum eventuum, & interveniat alia causa à qua deriventur: sicut Deus concurrens ad entitatem materialem peccati non est causa deformitatis, quia deformitas non sequitur à peccati entitate ut est à Deo efficiente, sed ut est à creatura deficiente. Mulier formosa, & juxta statum suum modestè ornata, non est causa peccati eorum qui ejus venustate ad libidinem incitantur, quia turpes illi & voluntatis concupiscentiæ motus ex perversitate cordis eorum nascuntur. Qui necessitate oppressus mutuum petit à fœneratore, vel communionem à Parocho sacrilege, nec usuræ causa est, nec sacrilegii; quia utens jure suo, non ex sua voluntate, sed ex aliorum iniquitate peccata illa consequi sinit. Idque posset innumeris aliis exemplis demonstrari, in quibus clareret, quod licèt omissio, vel effectus aliquis sit voluntarius, eventus tamen ex illa omissione vel effectu sequuti, nec sunt, nec reputantur voluntarii, quantumvis aliquis eventus illos prævideat, si ad illos impediendos minimè teneatur.

Dixi in corollario, effectum comitantem omissionem *indirectè voluntarium*, non esse voluntarium; quia si omissio sit directè voluntaria & volita, prout est causa talis effectus, tunc sine dubio eventus ille est voluntarius & volitus; siquidem tunc voluntas ordinat omissionem illam ut medium ad effectum illum obtinendum, quem voluntas positivè intendit. Sed hîc non disputamus de voluntario directo, sed dumtaxat de indirecto.

Corollarium VIII. *Quatuor sunt causæ involuntarii, violentia, metus, concupiscentia, & ignorantia; aliter tamen & aliter.*

Ratio generalis corollarii est, quia sicut ad rationem voluntarii duo essentialiter requiruntur, principium intrinsecum, & cognitio dirigens: ita involuntarium causari necesse est, quando operatio est à principio extrinseco, vel quando tollitur, vel ligatur,

vel

vel aliquo modo turbatur cognitio. Per violentiam operatio est à principio extrinseco, passo nihil conferente, sed renitente: v. g. motus primò primi dum antevertunt deliberationem rationis sunt involuntarii defectu cognitionis; dum verò advertente ratione resistit & repugnat voluntas, tunc illi motus sunt violenti, quia præcipua hominis pars vim patitur. Operatio etiam ex metu facta est quodammodo à principio extrinseco, quia licèt voluntas consentiat & cedat metui, & propter illum velit quod antea nolebat; tamen quia tunc voluntas agit contra propriam inclinationem, & cum non mediocri difficultate & renitentia, talis actio dicitur à principio extrinseco, non quantum ad suum egressum, sed quantum ad dispositionem, quæ introducta est contra inclinationem voluntatis, quâ tamen stante mutatur inclinatio voluntaris de uno actu in alium. V. g. licèt mercator velit simpliciter & absolutè projicere merces urgente tempestate, ut servet vitam, illa tamen projiciendi necessitas dura est voluntati, quæ illi propterea per actus inefficaces renititur, ut posteà dicemus. Concupiscentia verò licèt simpliciter & absolutè augeat voluntatem, ut majori cum complacentia atque suavitate eliciat actum, ad quem inclinat; tamen quia sæpè sæpius rationis oculum turbat, vim considerationis obscurat, judiciumque in præceps agit; ideo rationem perfecti voluntarii minuit, quia voluntarium non solùm ab intrinseca principii inclinatione procedit, sed etiam ex cognitione finis, & accurata circumstantiarum inquisitione, quam fanè vel funditus tollit, vel admodum præpedit concupiscentiæ motus antecedens, & comitans rationis judicium, quod sæpè passionum æstu exoculari solet. Auget ergo concupiscentia voluntarium, ut ita dicam, brutale; sed minuit & obnubilat liberum & rationale, nisi concupiscentia sit consequens, seu fluens & redundans ex voluntate, ut cùm ex amore voluntatis & pinguedine spiritus cor & caro exultant in Deum vivum. Alia etiam de causa compatitur per accidens concupiscentia involuntarium, quatenus passiones quandoque inter sese pugnant, ut cùm ad acquirendam pecuniam accendit libido, & in ea prodigenda dolorem patitur avaritia. Ipsas etiam voluptates, trepidas & inquietas reddit timor, turbat sollicitudo, minuit fastidium, & comitatur amaritudo.

Denique ignorantia si sit antecedens, causat involuntarium simpliciter; quia ignorantia antecedens est ea, quæ nullo modo est volita, & tamen est causa faciendi aliquid quod nullatenus vellet voluntas, si non ignoraretur. V.g. cùm aliquis omni diligentiâ adhibitâ ignorans amicum transire per viam, vibrat sagittam, quâ ipsum occidit, tunc ignorantia est causa (sumendo nomen causæ pro eo ex quo aliud quovis modo sequitur) effectus planè involuntarii & inclinationi voluntatis repugnantis. Si autem ignorantia sit concomitans, id est merè per accidens & concomitanter se habeat, nec sit ratio cur voluntas aliquid faciat vel omittat, quia eodem modo se gereret præsente scientia, tunc causat voluntarium negativum, seu non voluntarium. V. g. sit aliquis ardenter hostis necem exoptans, qui casu per sylvam obambulet, & credens interficere feram, necet inimicum: hæc hostis internecio ex una parte non est involuntaria positivè, cùm inclinationi occisoris nequaquam repugnet; non est etiam positivè voluntaria, cùm voluntarium debeat esse à principio intrinseco cum cognitione. Quare quantumvis hæc occisio sit consentanea inclinationi habituali voluntatis, & etiam actuali conditionatæ, quatenus si sciret ibi latitasse hostem, eum lubenter interfecisset; tamen si factâ sufficienti diligentiâ ignoret ibi esse inimicum, & credat sincerè esse feram, non habet, nec habere potest actualem hostis occidendi voluntatem ex vi emissionis sagittæ, quæ non imperatur, nisi ea voluntate necandi feram.

Quod si ignorantia sit consequens actum voluntatis, vel expressè, & dicitur ignorantia affectata; vel implicitè & indirectè, & dicitur crassa vel supina, cùm quis potest & tenetur scire aliquid quod negligit, tunc causat voluntarium simpliciter; quia sicut ignorantia illa est voluntaria, ita & effectus ea illa sequutus. Causat tamen involuntarium secundùm quid, quatenus sic ignorans sæpè non produceret effectum, si scientia adesset, nisi fortè sit ingens malitiæ cumulus, qualis fortè in illis qui dicebant, Iob 21. *Scientiam viarum tuarum nolumus*; non ut à peccatis præsente scientiâ abstinerent, sed ut sine remorsu omnibus sese flagitiis effreni impetu dederent. Ex quibus vides, ignorantiam antecedentem excusare, consequentem accusare, concomitantem nec excusare, quia non tollit omnem voluntatem, saltem conditionatam peccati; nec accusare de se, quia voluntas non peccat dum omnem debitam, & sufficientem adhibet diligentiam. De ignorantia juris naturalis agemus dum de opinionum probabilitate.

Corollarium IX. *Voluntas non potest cogi in productione actuum elicitorum.*

Quia quod est voluntarium, non potest esse violentum: Sed omnes actus eliciti à voluntate sunt voluntarii, cùm sint à principio intrinseco cum cognitione, sintque semper secundùm inclinationem voluntatis, imò sint ipsa actualis inclinatio voluntatis, & pondus affectivum, quo fertur in objectum: Ergo in actibus elicitis nulla potest esse coactio, nulla violentia, juxta illud Anselmi: *Nemo invitus potest velle, quia non potest velle nolens velle.* Cum quo tamen stat, voluntatem interdum elicere actum contra inadæquatam inclinationem suam, quæ tamen vincitur per aliam, ut cùm peccat, agit quidem contra inclinationem naturalem ad bonum honestum naturaliter homini inseminatam; sed prævalet inclinatio ad bonum apparens omni creaturæ ex nihilo productæ innata, & per peccatum originale immensùm aucta, ad malum sponte proclivis, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.

Corollarium X. *Voluntas potest cogi in actibus imperatis aliarum facultatum.*

Nam aliarum potentiarum actus possunt vel exerceri, vel impediri contra inclinationem voluntatis. V. g. possunt homini volenti videre, oculi vi claudi, vel nolenti aperiri. Vnde actus aliarum potentiarum, quæ motioni voluntatis subsunt, dupliciter considerari possunt, nimirum per ordinem ad potentiam à qua eliciuntur, & per ordinem ad voluntatem à qua imperantur. Primo modo nullatenus possunt esse violenti, cùm procedant à principio intrinseco; benè tamen secundo modo considerati, si renitente voluntate eliciantur, vel ipsa nitente impediantur. Et tunc actus ille imperatus simpliciter violentus dici debet, utpote præcipuæ suppositi potentiæ, aliarumque facultatum reginæ repugnans, cui omnes aliæ obedire propensæ sunt, quarum proinde inclinatio universalis veluti extinguitur, vel impeditur, vel retardatur.

Dices: Vel voluntas vult efficaciter ut potentia exequutiva imperata operetur, vel inefficaciter: si efficaciter, fortiter effectum, sine quo non est efficax: si inefficaciter, non petit effectum habere, subindéque non patitur vim, dum non habet.

Respondeo,

Respondeo, efficaciam voluntatis humanæ non esse semper pensandam ex effectu, sed ex sinceritate & constantia affectus; quoniam voluntate sæpè conante impeditur effectus ab extrinseco impedimento exequutioni sese opponente. Vnde voluntas stante affectus efficacitate, in exequutione sæpè vim patitur, quia omnes occurrentes obices vincere nequit: in quo à divinæ voluntatis efficacia infinito distat intervallo; hæc enim est & in decernendo efficax, & in exequendo omnipotens, & in disponendo infallibilis, cujus ordinem nulla causa effugere, nulla declinare potest; quia cùm ab ipsa recedere sa credit, in ipsam relabitur. *Divinæ* enim *voluntati quis resistit?* Hîc disputant nonnulli, an Deus possit voluntatem, aliasque causas creatas cogere, ipsisque renitentibus vim inferre. Sed hæc operosiùs & opportuniùs dum de Deo primo motore, tractabuntur.

COROLLARIUM XI. *Ea quæ fiunt ex solo metu, sunt voluntaria simpliciter, & involuntaria secundùm quid.*

Dico, *ex solo metu*; nam aliud est fieri ex metu, aliud cum metu; particula enim *cum*, solam concomitantiam; particula verò *ex*, causalitatem importat. Quando autem metus est purè concomitans, tunc non causat involuntarium, quia ab alio motivo repugnantia omnis vincitur & absorbetur: sicut Redemptor pavidus & tristis ibat ad mortem; & tamen mortem non ex metu, sed ex ingenti charitate foras mittente timorem subibat. Et Sancti cum metu & tremore suam salutem operantur; & tamen voluntariè sacrificant Deo, quoniam bonum est. Intelligitur ergo hoc consectarium de opere solo metu impellente elicito.

Et probatur. Illud quod hîc & nunc est voluntarium, & solùm secundùm se est involuntarium, est simpliciter voluntarium, & involuntarium secundùm quid; nam per hoc distinguitur voluntas ab intellectu, quod iste considerat res secundùm se, & cum abstractione à materia singulari; illa verò respicit objectum existens & vestitum omnibus circumstantiis, cum quibus in exercitio ponitur, subindéque illud quod est voluntarium hîc & nunc, est simpliciter voluntarium, unde & de illo voluntas habet actum efficacem: Atqui quod est ex solo metu, est voluntarium hîc & nunc, cùm de facto ex imperio efficaci voluntatis exerceatur; & est duntaxat involuntarium secundùm se, & præcisis circumstantiis: Ergo ea quæ fiunt ex solo metu, sunt voluntaria simpliciter, & involuntaria secundùm quid, quatenus sunt juxta inclinationem efficacem, & contra inclinationem inefficacem. V. g. mercator ingruente tempestate simpliciter vult projicere merces ad propulsandum imminens periculum vitæ; ex amore tamen mercium patitur quandam in illis projiciendis tristitiam, quæ tamen amore vitæ vincitur, præeligiturque mercimoniæ jactura, tanquam medium utile saluti, non secus ac porio amara, scissio venæ, cauterii ustio quàmlibet displiceant, eliguntur tamen ad vitandam mortem.

COROLLARIUM XII. *In homine agente ex solo metu concurrunt quatuor actus.*

Primus est amor vitæ & salutis, & studium declinandi periculi impendentis. Secundus est electio jacturæ, tanquam medii ad tuendam vitam necessarii. Tertius est amor mercium absolutè sumptarum, unde fentitur tristitia dum projiciuntur & immerguntur. Quartus est voluntas conditionata non eligendi medium istud amarum, si cessaret tempestas; non enim projectio illa posset dici involuntaria, nisi foret contra aliquem actum voluntatis: cùm enim actus voluntatis nihil aliud sit quàm tendentia vitalis, & actualis inclinatio & pondus voluntatis, ubi sunt diversæ tendentiæ & propensiones actuales, profectò debent esse diversi actus: experientiâ autem compertum est in projiciente merces, duas illas inclinationes actu reperiri, alteram per modum prosequutionis, & alteram per modum fugæ. Verum quidem est, quod in amore conservandæ mercimoniæ continetur radicaliter nolitio eas projiciendi, non tamen formaliter; sicut licèt in voluntate conservandi vitam contineatur radicaliter voluntas projiciendi merces in periculo, non tamen formaliter explicatur: Ergo sicut præter voluntatem conservandi vitam, requiritur volitio projiciendi merces, ita præter amorem conservandarum mercium absolutè dicitur etiam nolitio conditionata projectionis earum, sicut generaliter appatet in omnibus mediis, quæ licèt radicaliter sint volita in fine, tamen postea formaliter concupiscuntur.

Objicies primò: Dolor de peccatis ex metu gehennæ conceptus, qui attritio dicitur, non est voluntarius simpliciter, & involuntarius secundùm quid; nec in illo dolore reperiuntur quatuor actus præfati, aliàs in pœnitente esset amor conditionatus peccandi, si non esset infernus; esset etiam complacentia de peccato secundùm se, esset tristitia aliqua de conversione ad Deum, ac de observantia mandatorum; esset denique voluntas conditionata non relinquendi peccati, si cessaret periculum damnationis, sobindéque non excluderet omnem voluntatem peccandi, sed eam compateretur, ac proinde non esset actus simpliciter bonus, cujus oppositum determinavit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. *can.* 5. Ergo doctrina utriusque præcedentis consectarii non est vera.

Respondeo, omissa solutione eorum qui admittunt in attrito quandam divinæ legis displicentiam ob difficultatem & molestiam operis præcepti secundùm se spectati; omissa, inquam, quia licèt displicentia appetitus sensitivi conducat ad virtutem & meritum, cùm fuerit in Christo usque ad mortem præ dolore tristi: tamen omnis displicentia & repugnantia voluntatis ad legem Dei veræ repugnat conversioni, quæ debet esse ex toto corde, omnemque peccati mortalis affectum excludere; & inde est quod tam sæpè pœnitentia nostra est falsa, quia sæpiùs secretum & latentem peccati amorem non extinguit. *Sæpè* (inquit Magnus Gregorius 1. part. Pastor. cap. 9.) *sibi de se mens ipsa mentitur, fingue ut aliud in intimis intentio supprimat, & aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.* Qua voluntate peccandi etiam inefficaci remanente, inanis est & merè naturalis contritio nostra: quo sensu dixit August. epist. 144. *Timet ardere, non peccare; non agitur foris negotium cupiditatis, ipsa tamen cupiditas intus est hostis.* Et serm. 19. de verb. Apost. *Audeo dicere, si timore gehennæ non facis malum, est quidem in te fides, quia credis futurum Dei judicium: gaudeo fidei tuæ, sed timeo malitiæ tuæ.* Et hinc *serm. 7. de temp.* concludit: *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.* Quia nimium si timor gehennæ sit naturalis, sicut est cùm non tollit omnem peccati mortalis complacentiam, non efficit pœnitentiæ veræ aurum, sed aurichalcum.

Hac ergo solutione prætermissa, dicendum attritionem ex metu gehennæ conceptam, quæ est motus Spiritus sancti nondum quidem inhabitantis, sed moventis, excludere omnem prorsus peccandi voluntatem, ac proinde pœnitentiam tunc non esse ullatenus involuntariam; quia tunc solùm metus causat involuntarium, quando opus agendum est disconveniens

&

& malum secundùm se; si verò objectum sit non solùm hîc & nunc, sed etiam absolutè, secundùm se, & semper bonum, tunc opus agendum ex metu est omnibus modis voluntarium, & nullo modo involuntarium. Id exemplis elucidabitur. Si quis diceret Petro, Nisi citò deambules per hortum, vel haurias scyphum vini, morieris; statim ille metu mortis vel ambularet, vel biberet; & tamen nec ambulatio, nec potus haberent aliquid involuntarii (præsertim si supponamus ipsum esse ad ambulandum bibendumque vel propensum, vel saltem indifferentem;) quia ambulatio & potus vini de se nihil mali, nihil disconvenientis habent. Si autem præcipiatur Petro vel ut amaram potionem ebibat, vel membrum sibi scindi permittat, vel brachium, cruſve ignito cauterio inusto aperiri, ut noxiis humoribus ejiciendis exitus pateat; tunc adhibitum remedium erit quidem voluntarium simpliciter, sed tamen secundùm quid involuntarium, quia minimè de se conveniens est, sed potiùs absolutè ingratum & molestum; unde non mirum, si actum displicentiæ terminet. In proposito verò observantiæ divinæ legis, fugaque peccati, non solùm non est mala de se, sed etiam ipsa est verum & solum bonum, idque pœnitens & cognoscere, & diligere incipit, ut observat loco citato Tridentinum. Unde qui operatur & pœnitet ex metu, qualem sacra Synodus exigit, nihil habet involuntarii.

Instabis: Ergo metus ex vi sua non causat involuntarium, contra D.Thomam generaliter *q.6. art.5.* asseverantem ea quæ fiunt ea metu, mixta esse ex voluntario & involuntario: Ergo deficimus ab universali doctrina S. Thomæ.

Respondeo, veram esse doctrinam S.Thomæ formaliter acceptam; loquitur enim S. Doctor de metu qui incutitur à causa extrinseca extorquente opus; quod nullum habet fundamentum in ipsa voluntate, quæ potiùs renititur, & pro virili repugnat. In nostro autem casu incutitur quidem metus ab extrinseca voluntate divina minitante peccatores; sed tamen quia minæ illæ inferni hîc & nunc non instant, vel saltem plenam libertatem non tollunt; & quia videt verus pœnitens quod nisi omne peccandi propositum, omnemde peccato complacentiam ab imis radicibus evellat, punietur, quia unum fundamentum pœnæ est culpa voluntaria; ideò ad evadendas minas, pœnasque inferni, omnis peccandi complacentia expungitur, ut omne fundamentum pœnæ convellatur; quia ipse metus ad hoc à Spiritu sancto salubriter incutitur, ut omnis peccati amor auferatur: unde & conditionata peccandi voluntas eradicatur, quia ipsa est sufficiens causa pœnæ, & nisi penitus extirparetur, incurreret pœnam quam reformidat. Sed hoc est per accidens, quia materia hujus sacri timoris in propria voluntate fundatur: Sanctus autem Thomas loquitur per se, & in his quæ regulariter metum consequuntur.

Insistes: In ipso etiam mercatore ratio involuntarii non provenit ex metu; metus quippe non est causa voluntatis inefficacis servandi merces, cùm ad eas projiciendas compellat, sed talis voluntatis causa est amor mercium: Ergo metus etiam in casu à nobis admisso non causat voluntarium simpliciter & involuntarium secundùm quid.

Respondeo quod ut metus causet voluntarium & involuntarium, sufficit ut actio, quæ ex illo procedit, sit juxta inclinationem efficacem, & contra inclinationem inefficacem. Unde ad tollendos innumerorum sophismatum cavillos diligenter observa, quod non ideò metus dicitur causare involuntarium, quia est causa nolitionis inefficacis, à qua projectio dicitur involuntaria; sed quia mercatorem amantem merces suas ad projectionem earum inducit, victo earum servandarum desiderio, sicque metus non formaliter, sed consequenter involuntarium infert, quia dum voluntatem impellit ad prosequendum opus odibile projectionis, statim oritur nolitio inefficax illius.

Objicies 2. Qui contrahit matrimonium, vel emittit, vel celebrat alium quemvis contractum ex metu cadente in virum constantem, non obligatur, ut patet ex tuto titulo *De his quæ vi, metusve causa fiunt*: unde Tridentinum concedit Religiosis ea metu professis facultatem reclamandi intra quinquennium: Sed si illi contractus essent simpliciter voluntarii, forent validi: Ergo ea quæ fiunt ex metu, non sunt simpliciter voluntaria.

Respondeo contractus ex metu initos jure quidem naturali obligare, jure tamen positivo rescindi; quia cùm Ecclesia, omnisque Respublica rectè ordinata velit omnes contractus esse liberrimos, ideò ea authoritate, qua valet quasdam contractibus conditiones apponere, statuit contractus tanquam involuntarios reputandos, subindéque irritos esse, qui non fuerint ab omni metu alieni; sicut etiam promissiones, donationes, juramenta, aliaque metu extorta Iudex declarat invalida ob defectum conditionum à jure, vel consuetudine requisitarum, vel in pœnam illius, qui iniquè metum incussit, consensumque extorsit. Quod autem actus vel contractus illi, attento jure merè naturali sint validi, patet: tum quia sunt voluntarii simpliciter: tum quia votum ingrediendi Religionem ex gravi metu tempestatis, morbi, persequutionis debet impleri: tum quia non major requiritur libertas ad validum contractum, quàm ad peccatum mortale. Constat verò, hominem negantem fidem metu tormentorum, vel adolentem thura idolis ad fugiendam mortem, gravissimè peccare.

Pro pleniori dictorum intelligentia nota, metum illum dici gravem, justum & cadentem in virum constantem, quando vir prudens & cordatus sapienter timere debet: v. g quando timetur grave malum, ut mors, infamia, carcer, jactura fortunæ & status, servitus, exilium, aliaque similia, quæ turpia, indecora, aut graviter nociva apud probos reputantur. Requiritur etiam ut qui talia mala intentat & comminatur, sit causa potens damna illa inferre. & ad exequendum probabiliter proclivis, quia vel solet exequi minas, vel insolitis iræ moribus percellitur, vel habet superiores sibi cæco affectu faventes, à quibus proinde nihil timet, vel quia ab aliis impelli & circumagi facilè solet, vel denique ex aliis circumstantiis & gravibus præjudiciis maturè pensatis rationabiliter præsumitur ipsum in exequutionem iturum. Et tunc ad evadenda intentata damna licet fugere etiam Religioso, aliaque omnia media assumere, quæ non sint intrinsecè mala, monendo tamen legitimos superiores ad quos pertinet (si fieri potest) de toto processu, ut subalterni Prælati tyrannis clateat. Timor vèrò levis ille dicitur, vel quando damnum intentatum est parvi momenti; vel quando, si grave sit, non seriò vel graviter intentatur; vel si seriò ingeritur, nullum tamen est exequutionis periculum; vel si imminente periculo facilis sit ad majorem Prælatum recursus, cujus judicio humiliter se permittere tenetur.

Nota secundò, quod licèt præcepta naturalia negativa stante metu gravi nos obligent ad sui observationem, quia ad nullū evadendum periculum licet desperare, blasphemare, &c. Tamen præcepta quævis affirmativa, sive naturalia, sive positiva, jure divino, vel humano non obligant, accedente metu gravi; quia præcepta affirmativa non obligant pro semper, maximè quia tunc occurrit præceptum majus de declinando periculo, servanda vita: in concursu autem præceptorum homo per charitatem ordinatam incipit à seipso.

Excipe, nisi Lagislator ipsum periculum vitæ prævideris, ut cùm dux præcipit militi ad urbis impugnationem irrumpere, quantumvis explosarum catapultarum, sclopetorum, & bombardarum ictus instar creberrimæ grandinis præcipitent. Sicut etiam cùm Christus præcepit Episcopis & Pastoribus animam suam ponere pro ovibus suis. Excipe etiam quando metus infertur in derisum & contemptum præcepti, ut cùm Machabæis detrectantibus comedere carnes porcinas mortem Tyranni comminabantur. Ratio exceptionis est, quia tunc præceptum affirmativum habet adjunctum negativum de non inhonoranda Religione & lege, cujus contemptio in ipsum Legislatorem refunditur cum non medioctri dehonestamento boni communis, quod omni privato anteponi debet.

Hic disputant multi de circumstantiis actuum humanorum: sed quia de illis iterum sermonem habet S Doctor, dum explicat moralitatem, ideò de illis posteà agemus. Quærunt etiam hic aliqui qui conducat habitus ad rationem voluntarii? Sed facilis responsio est, nimirum habitum secundùm propriam rationem augere voluntarium, siquidem voluntati pronitatem, facilitatem, & promptitudinem ad agendum confert, omnemque repugnantiam & difficultatem aufert. Quin etiam habitus, si sit bonus, voluntarium liberum auget & perficit, cùm inclinet voluntatem ad expeditè operandum conformiter ad rationem, diminutâ potentiâ peccandi, quæ non est perfectio, sed defectus, & excrementum libertatis. Si verò habitus sit pravus, causat etiam actus volontarios voluntate deficiente. Vnde actus mali ex habitu pravo non retractato prodeuntes sunt magis culpabiles, quia magis voluntarii, quàm dum non procedunt ex habitu. Hoc retineant Confessarii, hoc audiant & seriò timeant qui tam crebrò jurant nomen Dei in vanum, sive pro vero, sive pro falso; nec ad excusandas excusationes in peccatis sibi blandiantur se ex habitu peccare. Vide, miser, eo magis te esse peccando reum, quo profundiores & penitiores radices habet peccandi nefanda consuetudo. Quæ nisi securim admoveas, fiet necessitas tibi à tua libertate illata, & ex propria voluntate consequuta.

Reflexio.

Voluntariè sacrificabo tibi. Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine. His Regius Propheta vocibus bonæ voluntatis pretium indicat & commendat. Ita planè, *nihil offertur Deo ditius bona voluntate*, inquit Gregorius: & teste Salviano, *oblata affectu placent, animo commendantur data.* Vnicum humanæ Christianæque felicitatis organum bona voluntas, ideoque pax hominibus bonæ voluntatis denuntiatur; sicut certa ad miseriam via malâ voluntate sternitur, *sola quippe voluntate*, ut Augustinus tradit, *miser quisque efficitur, sed miserior potestate, qua desiderium mala voluntatis impletur.*

O quàm grata Deo, quàm utilis sibi, quàm facilis omnibus bona voluntas! Grata Deo, quidquid enim verè vis, & verè non potes, factum Deus computat: nimirum *Deus cor quærit, cor inspicit intus, testis est, judex, approbator, coronator. Sufficit ut offeras voluntatem: cùm potes, ore confitere ad salutem; cùm autem non potes, corde crede ad justitiam. Corde laudas, corde benedicis, corde in ara conscientiæ victimas sacras imponis: & respondetur tibi, Pax in terra hominibus bonæ voluntatis*, inquit Augustinus. Vtilis sibi bona voluntas, qua appetimus rectè honesteque vivere, & ad summam sapientiam pervenire; quia ut idem Augustinus & Bernardus docent, cùm voluntas nihil liberum habeat nisi se, meritò non judicatur nisi ex se. Nec tardum ingenium, nec labilis memoria, nec inquietus appetitus, nec obtusus sensus, nec vita languens, nec corpus ægrotans, nec penuria rerum reum per se statuunt hominem, sicut nec contraria innocentem, quia præter voluntatem posse provenire probantur. Bona voluntas sola est fœcunda aurifodina, unde solidi thesauri eruuntur; est lapis Philosophicus metalla convertens in aurum, mala ipsa in bonum transmutans, tristia in gaudium transformans, paupertatem ditans, vilitatem nobilitans, infamiam illustrans, mœrores amœnans; & ut rectè dixit Philosophus Moralis epist. 72. *Valentior fortunâ est voluntas: in utramque partem ipsa res suas ducit, beataque ac misera vita sibi causa est.* Denique facilis est bona voluntas; nam ut Augustinus tradit: *Dilige & fac quod vis, nihil tam facile bonæ voluntati, quàm ipsa sibi, & hoc sufficit Deo.* Voluntatem non impediunt carceres, non ligant vincula, non domant Tyranni dominantes: libera est, & maximè si spiritu ducitur, quia ubi spiritus, ibi libertas; unde voluntas teste Cassiodoro dicta est à volatu, quoniam quò vult nimia velocitate transfertur. Sciscitanti sorori, quid ad sanctitatem compendio asciscendam opus esset facto, respondit juvenis, sed super senes intelligens Aquinas: *Bona voluntas exigitur, & sufficit.*

Speculatio II.

Actuum humanorum pictura & harmonia describitur.

UT dearticulatè processum appetitus intellectualis explicemus, sciendum in negotiis moralibus novem actus ordinatiè intervenire, qui vel ad ordinem intentionis finis, vel exequutionis mediorum reducuntur, quibusque finis tandem obtinetur. Hoc egregium novendiale pedetentim decurremus.

Cognitio finis.

Primò itaque occurrit cognitio finis allicientis voluntatem, quia ejus amabilitas & convenientia proponitur, & veluti inspiratur. Nihil enim volitum quin præcognitum; sicut enim appetitus naturalis sequitur formam naturalem, sensitivus formam apprehensam per sensum: ita appetitus rationalis formam per intellectum propositam amore prosequitur; quæ apprehensio non solùm debet esse speculativa, quæ semper voluntatem bilancem relinquit & dubiam, ut patet in peccatore bonum sciente, & non faciente, malum cognoscente, & non fugiente; sed debet esse practica, alliciens, & impulsiva, quatenus exhibet objecti bonitatem, quæ ad sui amorem invitet.

Vnde quantumvis voluntas in sublimi orationis gradu, qui passivus dicitur, suspendi & extra se rapi videatur, nunquam tamen omninò cessat rationis intuitus, quamvis desinat meditationis circuitus: uno ictu & impetu voluntas inflammatur, sed tam divina flamma ardens & lucens, quia nemo amat quod ignorat. Quod si aliqui Patres Mystici dicant solam voluntatem negotiari in profunda beatæ illius quietis oratione, quam propterea David & Salomon somnum vocant: *Cùm dederit dilectis suis somnum. Nolite evigilare dilectam quoad usque ipsa velit:* Ideò est quia non discurrit ratio, sed statim atque Deum proponit fervidæ voluntati, hæc continuò emittat suspiria, amorem effundit, & totum *cor liquefactum est, ut dilectus loquutus est.* Et quia amans amore trahitur, nec agit nisi quia ab objecto alliciente patitur, hinc est quod oratio illa passiva dicitur. Da amantem, & sentit quod dico: Da desiderantem,

da

da ferventem, atque sitientem, & fontem æternæ patriæ suspirantem; da talem, & scit quid dico. Sed lingua amoris omnibus ferè barbara est, & inaudita, quia inexpertis loquitur. Non potest capere ignitum eloquium frigidum pectus, inquit alicubi Bernardus; quomodo enim græcè loquentem intelliget, qui Græcam linguam non novit; vel latinè loquentem, qui Latinus non est? Sic lingua amoris ei qui non amat, barbara est & peregrina.

Simplex volitio finis.

Secundò cognitionem finis sequitur simplex volitio illius, quæ sæpè voluntas appellatur nomine suæ potentiæ, cujus objectum adæquatum est bonum verum vel apparens, sicut objectum adæquatum intellectionis est veritas. Quod si aliquando feratur ad malum per modum fugæ, id propter bonum, quo allicitur, operatur. In peccatis etiam puræ malitiæ aliquod bonum apparens quærit in objecto, cujus deformitatem perspectam habet. Sed de his plura in Philosophia, in qua disputatur an malum sub ratione mali possit terminare voluntatem, sicut & an media habeant bonitatem intrinsecam, relatam tamen & dependentem à fine; aliaque plura examinantur, quæ Theologicis permiscere importunum esset.

*H*æc autem volitio cùm sit primus voluntatis partus, quo voluntas incipit in actum prorumpere, indiget motivo aliquo, quo veluti obstetrice emittatur; idque potiori jure ei convenit, quàm aliis actibus, qui cùm præcedentium actuum apparatum supponant, habent in illis à quibus moveri possunt. Et ideò specialiter inquirit S. Thomas de motivo voluntatis, tam intrinseco, quàm extrinseco: cujus rei tractationem in librum de Deo Motore operosiùs discutiendam remittimus. Porrò hic actus vocatur simplex volitio, quia vult finem in se, & secundùm se, non in ordine ad media: unde & velleitas dicitur, quia arridet quidem bonitas finis, sed in ea sistit, nec de ea obtinenda meditatur. Sic in tepidis frequenter est volitio simplex boni; vult enim, & non vult piget, & velleitatibus plenum esse infernum docet Bernardus. Rari enim sunt quibus ostensa virtutis pulchritudo non placeat, sed omninò multi in ea nuda complacentia sistunt, nec ad ejus intentionem respicientem media festinant. Pauci esuriunt & sitiunt justitiam, quam omnes semivolente & seminolente diligunt voluntate, quod non sufficit, quia ut ait Hieronymus: *Non nobis sufficit velle justitiam, nisi justitiæ patiamur famem.*

Intentio finis.

Tertiò volitionem finis comitatur efficax illius intentio, quæ respicit finem non absolutè solùm, sed comparativè ad media; per hoc enim distinguitur à simplici volitione, quæ non duplicat objectum, sed solâ attingentiâ finis contenta est: intentio verò respicit finem ut est ratio volendi media, & quatenus est assequibilis per illa, unde in intentione finis virtualiter & implicitè media appetuntur. Imò licèt voluntas non possit eodem actu primariò & per se ferri in finem & media, quæ sic terminant duos actus specie distinctos, intentionem scilicet & electionem: tamen si unum eorum attingatur primariò, aliud verò secundariò, in obliquo, & de connotato, tunc eodem actu respiciuntur: sicut enim intellectus plura per modum unius ordinatè se habentia unica cognitione intuetur, ut cùm conclusiones in principiis intus legit: sicut potentia visiva in eodem corpore plures colores respicit adunatos, eodemque aspectu colores cernit & lucem: Ita similiter voluntas eodem motu in finem mediaque fertur, si unum se habeat ut ratio formalis amandi, alterum ut res amata. Præsertim quia media, esto quod habeant intrinsecam bonitatem, illam tamen ita relatam & dependentem habent, ut sine ordine ad finem nequaquam amarentur. Vnde ait D. Thomas quæst. 8. art. 3. *Finis, ut est ratio volendi medium, eodem actu appetitur, quo medium.* Cum quo tamen stat, intentionem & electionem esse actus distinctos realiter, ut patet quando medium appetitur propter finem virtualiter intentum: ut cùm quis ex intentione videndi Romam quotidie proficiscitur, non est necesse quod in singulis peregrinationis passibus cogitet de suo fine, sed sat est quod ex intentione virtuali finis moveatur; sed tamen potest quando vult de fine illo expressè cogitare, & tunc eodem actu & finem & medium attingere: sicut lux potest seorsum à colore videri, & simul cum colore. Actus itaque electionis & intentionis formalis semper realiter distinguuntur; sed tamen intentio virtualis, vel si dicere fas est, virtualitas intentionis in electione medii relucens non distinguitur ab electione, sicut nec virtualis electio ab intentione, quia in omni causa ut tali includitur respectus ad effectum, & in effectu ordo ad causam.

Nota verò sæpè Patres intentionem inter actus intellectus annumerare, ut cùm ait Bernardus: *Affectio in voluntate, intentio in ratione consistit.* Et Ecclesia in vigilia Ascensionis: *Nostra mentis intentio quò fide pergit, conversatione perveniat.* Sed hoc ideò dicunt quia intentio actum intellectus præsupponit, vel intentionem pro attentione accipiunt, vel metaphoricè loquuntur; quia sicut attentio rationis dirigit operationes, ita intentio finis totius vitæ moralis œconomiam regulat; & ideò *oculus*, & *lucerna* à Domino appellatur, quia sicut oculus manuum operationes, pedumque gressus regit, ita pia intentio totam humanorum actuum seriem in ultimum finem ordinat, & præcedere debet, ut ad debitum finem omnes actiones dirigere valeamus, non secus ac naviganti portus, ad quem deveniat, ante omnia statuendus est, & sagittario priùs inspiciendus est scopus in quem collimet. Necesse est enim multùm in vita nostra casus possit, ut ait Seneca, si vivamus casu. Vivit autem casu, cui jam vitæ suæ summa per bonam intentionem proposita non est. Qualis intentionis oculus, quàm fortunatus! Nam si fuerit simplex, totum corpus lucidum erit; si autem fuerit nequam, totum corpus tenebrosum erit. Necessarius oculus, sine quo qui merces congregat, mittit eas in sacculum pertusum vanæ gloriæ, quæ est dulcis spiritalium opum expilatrix, & jucundus animarum nostrarum hostis, in peccato primus, in conflictu postremus, ut loquuntur Basil. & Bernard. Quàm utilis oculus, quia dum holocausta medullata offere Deo, dies pleni inveniuntur in nobis, nec audimus illam Angelo Ecclesiæ Sardis scriptam exprobrationem Apocal. 3. *Non invenio opera tua plena coram Deo.* Quàm efficax, cujus intuitus cor vulnerat sponsi, qui non pensat censum, sed affectum; non quantum, sed ex quanto; non munus, sed cor! Quàm purus & fixus oculus, qui mercenarius non est, nec de spe vires sumit, nec aliud præter Deum quærit, solo amore contentus! Quia castus amor, *per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi est amor: præter se non requirit causam vel fructum. Fructus ejus usus ejus. Amo, quia amo; amo, ut amem*, ut prosequitur Bernard. lib. de dilig. Deo, & serm. 86. in Cant. Quàm suavis oculus! Nam ut ait idem Pater: *Amor iste mons est, & mons Dei excelsus: revera mons coagulatus, mons pinguis. O amor sanctus & castus! O dulcis & suavis affectio! O pura & defæcata intentio voluntatis! Eo certè defæcatior & purior, quo in ea de proprio nihil admixtum relinquitur; eo suavior & dulcior,*

quo totum divinum est, quod sentitur. Sic affici, deificari est. Denique quam facilis! Nam quid tam promptum, tam in manu voluntatis, quàm velle & amare? *Offer* (inquit August. in Psalm 50.) *Quid? Sanè in te habes quod offeras. Noli extrinsecus thura comparare, sed dic, In me sunt Deus vota tua. Noli extrinsecus pecus, quod mactes inquirere; habes in te quod occidas. Sacrificium Deo Spiritus.*

Consilium de mediis.

Quartò intentionem sequitur consilium, quod est discursus intellectus practici inquirentis media ad obtinendum finem, & de eorum convenientia judicantis: unde perfectum & completum consilium non solùm importat inquisitionem & consultationem, sed etiam judicium de mediorum utilitate: & secundùm hanc posteriorem formalitatem consilium invenitur in Deo, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ, non propter inquisitionem, sed propter certitudinem cognitionis & judicii, ad quam consiliantes solent inquirendo pervenire, sicut datur in Deo scientia non ratione discursus, quam in nobis importat; sed ratione certitudinis cognitionis effectuum omnium in prima causa.

Itaque consilium importat inquisitionem & judicium de mediis, quæ inquisitio supponit media non esse determinata, sed incerta & dubia; quæ enim determinata sunt, sub inquisitionem non cadunt: supponit etiam rem de qua agitur, esse alicujus momenti; frivolum enim esset ingentem inquisitionis sollicitudinem rebus levibus adhibere. Sicut autem discursus speculativus procedit à duplici virtute intellectuali, scilicet intelligentia quantum ad præmissas, & à scientia quantùm ad conclusionem; ita in discursu practico consilii duæ concurrunt virtutes, nempe eubulia, quæ benè consiliatur in inquisitione mediorum, & synesis seu gnome, quæ de mediorum convenientia judicium & sententiam fert.

Ex quo sequitur, consilium semper præcedere electionem, ad hoc enim consulimus, ut eligamus, & ex consultatione mediorum caussetur electio unius præ alio. Ad electionem quippe nunquam sufficit simplex apprehensio convenientiæ vel disconvenientiæ objecti, ut docet Vasques, quia voluntas capax est non solùm actus prosequutionis, sed etiam fugæ: Ergo ut possit reprobare malum & eligere bonum, præexigitur omninò ut objectum voluntati proponatur cum discretione convenientis aut nocivi, quod fieri nequit absque præeuntis consilii indagine & judicio. Quin etiam ipse brutorum appetitus sensitivus non fertur in suum objectum, nisi præcedat actus potentiæ æstimativæ, quæ licèt non componat & dividat, habet tamen judicium simile affirmationi & negationi. In quo habitus tam rationalis quàm sensitivus differunt ab aliis potentiis, putà visu, auditu, quæ à simplici objecti sui propositione moventur.

Consilium adhibendum in agendis non solùm inculcant Philosophi morales, sed Scriptura frequenter & Patres monent in rebus seriis præ oculis semper habendum, an liceant, an deceant, an expediant; & inconsultè facta comitem habere pœnitentiam. *Turpe est* (ait Bernard. lib. 4. de consid. cap. 4.) *tibi sæpius retractare quod feceris, & judicium tuum frequenter periclitari non decet. Diligenter proinde omne quod faciendum erit tracta apud te, & cum his qui te diligunt, tracta ante factum, quia post factum sera retractatio est. Sapientis consilium est: Omnia fac cum consilio, & post factum non pœnitebis.* Ad consilium autem vocandi sunt soli prudentes & benevoli, quia imprudens errat, malevolus prodit. Hinc hominum Sapientissimus monet Proverb. 9. *Ego sapientia in consilio habito, & eruditis intersum cogitationibus.* Et cap. 25. *Causam tuam tracta cum amico, & secretum extraneo ne reveles.* Vbi ad consiliarii munus obeundum duo exigit necessaria, & prudentiæ eruditionem, & amicitiæ benevolentiam. Vnde rara avis in terris bonus consiliarius: qua de causa Ecclesi. cap. 6. dicitur: *Multi sint tibi amici; unus autem sit tibi consiliarius de mille*, qui nimirum sit fidelis & prudens, nec præceps in sententia, nec vehemens in vindicta, nec remissus in correctione, nec austerus in punitione: non citus ad promittendum, non tardus ad reddendum, non superfluus in victu, nec curiosus in vestitu, nec prodigus in sumptu. Vno verbo, dilectus Deo & tibi, sed potissimè pietate & doctrina conspicuus, juxta illud Ambrosii 2. de officiis: *Talis debet esse qui consilium dat, ut seipsum formam aliis ad exemplum bonorum operum exhibeat in doctrina, in integritate, in gravitate: ut sit ejus sermo salubris atque irreprehensibilis, consilium utile, vita honesta, sententia decora.* Si talem invenias, thesaurum invenisti. Nam *amicus fidelis medicamentum vitæ. Amico fideli nulla est comparatio: Non est digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius*, ut Ecclesiast. cap. 6. ingeminat. Et certè experientia compertum est, nullum esse ad pietatem utilius compendium, nullum in adversitatibus promptius solatium, quàm amici & prudentis consiliarii remedium. Sicut enim vulnera clausa plus cruciant; & putredo, quæ intrinsecus fervet, ad salutem ejicitur; sic celata in sinu cordis mœstitia corrodit animam, scriptum est enim Psalm. 31. *Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea.* Et Iob 19. *Quare tacens consumor?*

Advertant autem consiliarii, nunquam licere malum culpæ suadere sub specie, vel spe cujusvis boni; non enim sunt facienda mala, ut veniant bona. Tamen si ille qui consilium petit, sit determinatus ad alterutrum è duobus malis, tunc non licet quidem ad minus malum hortari, cùm sit intrinsecè inhonestum positivè influere, vel inclinare in quodcumque peccatum; sed tantùm licet minus malum dissimulare, permittere, & tolerare, passivè, vel negativè se habendo. Sic licet furtum latronis tolerare, ut mortem, quam inferre decrevit, evitemus.

Consensus approbans media.

Quintò consilii inquisitionem & judicium sequitur consensus voluntatis approbans media proposita, eaque acceptans tanquam utilia & conducentia ad finem præintentum, qui actus distinguitur ab electione unius præ alio. Potest enim fieri, & sæpè contingit, quod per consilium inveniantur, & proponantur voluntati plura media ad finem obtinendum idonea, quibus complacere & consentire voluntas potest, quamvis deinde per electionem unum alteri præferat. Si tamen contingat in ordine ad finem dari unicum medium idoneum, tunc consensus non distinguitur ab electione, quæ tunc non est determinativa alicujus medii inter plura; sed idem actus est consensus prout complacet in medio proposito; est electio prout præfert illud aliis, quæ non placent.

Ex quibus habes, consensum esse actum voluntatis adhærentis propositioni consilii, seu acceptantis media ab intellectu consiliata. Dico media, quia de fine non est propriè consensus. Cùm enim consensus sit applicatio & complacentia voluntatis in eo quod ex consilio judicatum est, de illis tantùm est consensus, de quibus est consilium. Constat autem consilium non esse de fine, sed tantùm de mediis; finis enim est principium in operabilibus: unde sicut in speculabilibus non est quæstio de principio, sed de conclusione;

ita

ita non est consilium de fine, sed de mediis; & ideo dicitur consilium *quasi considium*, eo quòd multi confident ad simul conferendum de mediis opportunis ad finem consequendum. Quod si aliquando inquirimus de fine, an sit amandus, dubitantes de bonitate ipsius, hoc provenit ex eo quod bonitas finis in particulari nos latet; & ideo potiùs inquirimus an tale objectum materiale debeat habere rationem finis, quàm an finis sit appetendus; quia si constaret talem rem esse finem, non inquireremus de ea. Sicut etiam dum inquirimus utrum unus finis debeat amari præ alio, hoc non est nisi ratione finis ulterioris quem prætendimus, aliàs non esset ratio inquirendi, vel dubitandi, cùm finis semel cognitus ut talis sit per se appetibilis, & ideo nunquam sit inquisitio de fine, nisi sit finis intermedius, sicut discurrimus de principio unius demonstrationis, quod est conclusio alterius anterioris. Quare sicut non datur scientia de principiis, sed intellectus, ita non datur consensus de fine, sed voluntas.

Occasione hujus actus adverte communem Patrum & Theologorum doctrinam distinguentium in tentationibus sensum à consensu. Hinc Bernardus de interiori domo, cap 8. *Locum superiorem ratio semper obtineat. Si verò aliquem motum ad id quod non debet, vel quomodo non debet, senserit, non consentiat, sed illi è resistat. Nam solus consensus reos nos facit. Tunc enim anima mori, sicut scriptum est, dicitur, cum ipsa ratio ad peccatum per consensum curvatur. Anima enim quæ peccaverit ipsa morietur. Resistat ergo ne moriatur; pugnet, ut coronetur: molesta est lucta, sed fructuosa; quia si habet pœnam, habebit & coronam. Non nocet sensus ubi non est consensus: imò quod resistentem fatigat, vincentem coronat.* Idem etiam distinguendum est in motibus piis: nonnulli enim putant se multùm Deum diligere, quia pios motus sentiunt, quibus eos non consentire inertia eorum convincit; inanis enim est pietatis sensus, si desit exhibitio operis, quæ est vera probatio dilectionis: est ergo ibi sensus, sed non consensus, qui solus salvat, juxta illud Bernard. tract. de grat. & lib. arb. cap. 1. *Gratia operanti salutem cooperari dicitur liberum arbitrium dum consentit, hoc est, dum salvatur; consentire enim salvare est.* Hæc diligenter advertant & scrupulosi, ne turbentur de tentationum sensu; & tepidi, ne inflentur de consolationum quarumdam, vel divinorum motuum inerti gustu.

Electio mediorum.

Sextò consilium sequitur electio, quæ est actus voluntatis versans circa media, quorum unum acceptat præ alio in ordine ad finem. Dicitur actus voluntatis, licèt enim electio præsupponat actum rationis ordinantis & conferentis, earumque utilitatem ponderantis, tamen exercitium electionis consummatur in ipsa voluntate. Quando enim duo principia concurrunt ad aliquem actum, unum ut dirigens, aliud ut directum, præbens materiam ordinandam, tunc actus ille non elicitur à potentia dirigente, sed à directa & imperata, ut patet in omnibus actibus imperatis & regulatis à potentia superiori. V. g. cùm actus virtutis moralis, putà temperantiæ, refertur à charitate in Deum ut ultimum finem, actus ille non ab habitu charitatis, sed temperantiæ elicitur. Et generaliter in omnibus potentiis & habitibus subordinatis ordinatio pertinet ad facultatem dirigentem, exercitium verò à directa procedit, cùm ideo solùm dirigatur ut agat. Atqui in electione mediorum homo fertur in bonum ordinatum per rationem: Ergo substantia actus electionis à ratione quidem dirigitur, sed à voluntate entitativè elicitur. Accedit quod objectum electionis est bonum utile liberè acceptabile: ergo ab ea facultate procedit, cujus est respicere bonum, & ad quam pertinet libertas: ad illam quippe potentiam attinet actus, ad quam pertinet objectum actus: patet autem respicere Bonum, & liberè ferri in illud esse voluntatis vel naturam, vel corollarium.

Dicitur deinde electionem versari circa media, non circa finem, quia cùm electio sit præacceptio unius præ alio, præsupponit amorem finis, qui sit ratio discernendi & postponendi unum alteri. Notat tamen S. Doctor, quod sicut principium unius scientiæ potest esse conclusio alterius: ita bonum, quod est finis respectu inferiorum, potest esse medium ad finem ultimum, sicque potest esse electio finis, non ut finis est formaliter, sed ut medium. In lata tamen significatione dicitur finis ultimus particularis eligi, quatenus bona aliis omnibus anteferuntur, juxta illud Deuteron. 26. *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus, & ambules in viis ejus.* Et Luc. 10. *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea.*

Dices: teste D. Thoma quæst. 13. ordinatio se habet ut formale in electione: quod autem est formale in actu, est magis intrinsecum, cùm pertineat ad constitutivum, & ut sic dicam, ad medullam rei: ergo essentia electionis ab intellectu elicitivè procedit, ad quem pertinet ordinare.

Respondeo diligenter & attentè advertendum esse quod cùm S. Thomas ait in moralibus unum se habere ut formale, aliud ut materiale, non loquitur de formali constitutivo & specificativo, sed de formali movente. Cujus eruditæ loquutionis ratio est, quia cùm forma dicat actum, illud formale meritò nuncupatur, quod est in actu; omne autem movens est in actu respectu mobilis, quod est in potentia: & quia in moralibus finis habet præcipuam rationem formalissimè movendi; ideò principium ordinans actum ad finem, dicitur informare actum ordinatum, sicut actus fidei & virtutum à charitate in Deum relatarum dicuntur à charitate formati; & tamen entitas hujusmodi actuum à suis specialibus virtutibus elicitur. Regula ergo generalis ad intelligendam reconditam S. Thomæ doctrinam, cujus sæpè in tota morali meminit, est: Quando duo principia concurrunt ad aliquem actum, attendenda est formalis ratio movendi. Ad illud quod movet, pertinet formale actus; ad illud quod movetur, materiale & substantia actus.

Instabis: In actu electionis sunt duæ formalitates, nempe prosequutio rei utilis, & ordinatio seu collatio unius medii cum alio, quarum prima pertinet ad voluntatem, secunda ad rationem: ergo à voluntate & ab intellectu electio ex æquo procedit.

Respondeo quod cùm electio sit actus immanens & vitalis, non transit de una potentia in aliam, nec in duplici recipitur. Præsertim quia à potentiis specie & genere diversis, quales sunt intellectus & voluntas, non potest actus ejusdem speciei ex æquo promanare, sed ab una elicitur, ab alia movetur: & ita contingit in electione; quantumcunque enim intellectus media ordinet, & conferat, nunquam tamen electio consummabitur, donec unum præ alio à voluntate acceptetur; supposita tamen directione rationis imprimentis voluntati modum ordinatè & cum collatione procedendi, cujus tamen impressionem nulla necessitate voluntas sequitur. Vno verbo, voluntas quidem non ordinat, sed tamen in objectum non tendit, nisi secundùm ordinem rationis.

Insistes: Ergo potiùs electio consistet in actu ordinativo præsupponente actum efficacem voluntatis acceptantis medium, & moventis intellectum ut unum ordinet præ alio, sicut imperium & prudentia sunt actus intellectus; quia licèt præsupponant efficacem

voluntatis applicationem, important tamen formaliter ordinationem unius ad aliud, quæ ordinatio est formalissimus rationis character. Vnde ergo disparitas, cur potiùs voluntati, quàm intellectui electionis partus asseratur.

Respondeo magnum esse discrimen, ex quo magis S. Thomæ doctrinæ profunditatem mirabilem penetrabis. Ad discernendum ad quam potentiam spectet entitas actus à duplici potentia pendentis, semper præ oculis habendum est, quid in illo actu se habeat ut motum, quid verò se habeat ut movens & dirigens extrinsecè: & quia gemina illa ratio aliquando se tenet ex parte intellectus, aliquando ex parte voluntatis; ideò reconditum D. Thomæ principium, & ab Antithomistis non intellectum, oportet diversimodè applicare, juxta naturam actus de quo agitur: & quia voluntas quæ est movens cæteras potentias, interdum se habet ut mota, nec movet nisi in virtute prioris ordinationis & motionis intellectus, interdum verò se habet tantùm ut movens & applicans intellectum; ideò actus moralis quandoque in intellectu, quandoque in voluntate consummatur.

In proposito ergo imperium, prudentia, & lex sunt actus eliciti ab intellectu, quia ad illos voluntas se habet quidem ut movens & applicans, sed tamen ratio se habet ut mota & exercens: imperium siquidem est practica denuntiatio, & intimatio efficacis decreti voluntatis; præceptum etiam prudentiæ, necnon dictamen legis, quod est regula & lux agendorum, exercentur in intellectu, tametsi efficaciam habeant à voluntate obligante intellectum, ut denuntiet, ut præcipiat, ut dictet quæ voluntas intendit, & elegit. At verò in electione ordinatio se habet tantum ut movens, & non ut mota & exercens, unde non in actu ordinante, sed in acceptante ordinationem perficitur; unde completur in voluntate, & ex participatione voluntatis in appetitu sensitivo, in quo residere virtutes morales dicemus. Alias non paucas de electione & libertate difficultates, quas hic versant Interpretes, consultò prætereo, tum ne Ethicam Philosophicis plus justo implicem, tum quia libro de Deo motore operosè ventilabuntur.

REFLEXIO.

Parce, Lector, si de his tam speculativis fortè plus satis egimus; sed speculationis contentionem hoc pietatis emolumento reportato compensabo, & subtilitatum prolixitatem & molestiam hoc documento levabo. Si electionem ordinatio rationis prævenire debet, clarum est frequentes actiones nostras, non electiones, sed impetus, sed motus brutales esse nominandos. Quid mirum si sensualitas premat, excandeat ira, insolescat authoritas, evagetur ratio, fugiat prudentia, labatur lingua, quia considerationis ordinatio & tutrina motus nostros non præcedit. Considerationi ergo aliquid cordis & temporis quotidie sequestrandum est, si vis rectè in agendis eligere, affectus regere, dirigere actus, corrigere excessus, componere mores, & vitam ordinare totam. Si non semper, saltem sæpè loquere tecum, considerationi vaca, quæ eligenda præordinet, acta recogitet, agenda prævideat, & in omnibus motibus tuis suavissimus quidam concentus, complexusque virtutum elucebit, si ut aliàs ex Bernardo diximus, omnem electionem tuam trina hæc consideratio præveniat, *an liceat, deinde an deceat, postremò an expediat.* Vel si velis cum eodem Patre lib. 5. de consider. cap. 2. omnem electionem præcedat, vel comitetur, vel sequatur consideratio triplex, *dispensativa, æstimativa, speculativa.* Prima rebus ordinatè utitur, ad promerendum Deum: Secunda res diligenter scrutatur, ad vestigandum Deum: Tertia ab humanis rebus se eximit, ad contemplandum Deum, quem nisi respiciamus dum eligimus, & postquam elegimus, inter electos non computabimur. Prima multa serit, parum metit. Secunda vadit, sed nondum evadit. Tertia venit, & ad Deum pervenit. *Quod prima optat, secunda operatur, tertia gustat.* Pura erit electio, si sic incipiat: constans, si sic pergat: felix, si sic finiatur.

Hîc etiam diligenter advertas, ad bonum opus non solam desiderari bonæ intentionis rectitudinem, nisi bona electio consequatur. Verum quidem est pravâ intentione bonum opus corrumpi, quia ut dixit Magnus Gregorius, si semel cor intentione corrumpitur, sequentis actionis medietas & terminus ab hoste callido securè possidetur: *Quoniam totam arborem sibi fructu ferre conspicit, quam veneni dente in radice vulneravit.* Verùm planè summâ nobis curâ vigilandum, ne vel bonis operibus serviens mens reprobâ intentione polluatur, servandusque omni cura à malitiæ pulvere oculus cordis, ne quod in actione rectum hominibus ostenditur, insidiante superbiâ vel concupiscentiâ destruatur. Cæterùm id non sufficit: nam sicut bonum condemnat intentio prava, ita malum opus non excusat intentio recta. Piam intentionem sequatur recta electio necessum est, ut christianè operemur; quia nihil interest quo animo facias, si vitiosum est quod facis; nec desinit esse pestifera labes putredinis, tametsi bonæ intentionis specie & colore recta obducatur. Hinc observat Bernardus serm. 40. in Cant. per sponsæ faciem mentis intentionem designari, ex qua nimirum pulchritudo operis, sicut ex facie pulchritudo corporis æstimatur: signanter tamen genas pluraliter nominasse Spiritum sanctum, cujus sapientiæ non est fas vel modicum quid omninò ascribere otiosum, aut secus dictum quàm oportuerit: *Pulchræ,* inquit, *sunt genæ tuæ sicut turturis.* Quia *duo quædam in intentione (quam faciem animæ esse diximus) necessaria requiruntur, res & causa, id est, quid intendas, & propter quid. Ex his sanè duobus vel decor, vel deformitas judicatur: ut anima, quæ ambo ista recta atque pudica habuerit, illi meritò veraciterque dicatur: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. Quæ verò altero horum caruerit, non poterit dici de ea, quod pulchræ sint genæ ejus sicut turris, propter eam quæ adhuc ex parte erit deformitatem.*

Idipsum divinè & juxta peropportunè prosequitur idem Doctor Mellifluus lib. de præcep. & dispens. cap. 14. longiusculis, sed nullis non observandis verbis: *Vt interior oculus verè sit simplex, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem Zelum Dei, sed non secundum scientiam; & nescio quemadmodum judicio Veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem magistra Veritas: Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Præmisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodo denique verè simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? aut verò vera dici potest simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim: Ignorans ignorabitur. Patet ergo laudabilem illam, & à Domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, benevolentiâ atque prudentiâ, ut oculus videlicet cordis non solum pius, qui fallere nolit, sed & cautus sit, qui fallere non possit.* Hinc Sancti tam sæpè, tam solidè trepidi sunt, ne fortè displiceat Deo quod ab ipsis bona intentione rectum existimatur; quia apud Gregorium aliosque doctos à Domino Patres legerunt, plerumque se nobis vitia sub specie virtutum tegere, quasi blanda ad nos facie venirent. Sæpè immoderata ira, justitia; sæpè dissoluta

dissoluta remissio, misericordia vult videri. Sæpè incautus timor, humilitas; sæpè effrænata superbia, appetit libertas apparere. *Sæpè*, inquit lib. 5. Moral. cap. 6. *opus nostrum causa damnationis est, quod profectus putatur esse virtutis. Sæpè unde placari Iudex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur, Salomone attestante, qui ait: Est via quæ videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem. Vnde Sancti viri cùm mala superant, sua etiam benè gesta formidant, ne cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris. Sciunt enim quia corruptionis adhuc pondere gravati dijudicare bona subtiliter nesciunt; & cum ante oculos extremi examinis regulam deducant, hæc ipsa ut se nonnunquam & quæ approbant metuunt, & tota quidem mente interna desiderant; sed tamen de incertitudine operum trepidi quò gradiuntur ignorant.*

Quod si intentio gloriæ & honoris Dei per se honesta, per se casta, & semper laudanda opus malum non justificat, quomodo excusabuntur cædes, vindictæ, gulæ, ambitiones, aliaque id genus scelera, vel *ob voluntatem dandi signa excellentiæ*, vel *ob existimationem apud homines captandam*, vel *ut appetitus suis actibus fruatur*, vel *ut Sacerdotium pinguius obtineatur*, vel *ob naturalem fastus inclinationem*, vel *propter temporalem commoditatem*, ut quidam novelli corruptores excogitarunt. Vbinam gentium sumus, mi Lector? Ab qui has publicis voluminibus spurcitiæ sordes Theologi, Christiani, vel hominis nomenclaturâ digni sunt, qui tam apertè contra trina illa officia peccatunt? Illudne est adeo mirabile & momentosum dirigendæ intentionis methodi inventum veteribus ignoratum, quo res tam æqua temperatione componuntur, ut servata conscientiæ integritate, & honor Dei, & amor mundi, quamlibet inter sese oppositi, concilientur; quo arctæ & latæ viæ hactenus existimata repugnantia in concordiam adducitur, initurque commercium, quod Sanctis omnibus non dicam arduum, sed inaccessum, sed impossibile visum est? Comburatur prorsus, comburatur Evangelium necesse est; deleantur de libro viventium Conciliorum sanciones, expungantur Romanorum Pontificum veneranda decreta, extinguantur ipsa naturalis pietatis & virtutis semina omnibus implantata, si tales, tamque exitiales maximæ locum habeant; si actiones per se nocentes emendet finis innoxius, si actus noxâ purget imaginarius animi flexus in eo situs, ut peccatum pro fine non habeat, ut hac arte Deo & hominibus dilectus utrique satisfaciat; mundo opera, Deo intentionem bellè concedat; & legem carnis, quam Apostolus captivantem in lege peccati, & spiritui repugnantem sentiebat, cum divinis præceptis urbanissimè copulet, & ficulneis quasi foliis turpia contegat & scelerata.

Hujus perversissimi principii hortenda consectaria prudens missa facio, ut iterum moneam, iterum inculcem, non satis esse ut benè agere dicaris, si bonum finem tibi præstituas, nisi ipsum officium per se sit licitum; quia & bonum opus prava intentio vitiat, & piam intentionem corrumpit operis illiciti turpitudo: immò hoc ipso pia esse desinit intentio, si malum imperet opus, quia arbor bona non potest malos fructus facere, nec in Deum summum bonum referri potest, quod à Deo summo bono immitti nequit opus malum. In omnibus ergo priùs respice Deum, propter quem si non facis quæcumque facis, peccare convinceris; veræ quippe virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscunque commodis, & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt, ut Augustinus non semel tradit. Hæc intentio summi momenti, summæ necessitatis est; sed reapse non sufficit, nisi vera sequatur electio, quæ frustra intentionis bonitate purgatur, nisi vel opus sit bonum, vel saltem naturâ suâ indifferens & licitum, quod redditur bonum non quidem perversissimis & distortissimis obtrusis intentionibus, de quibus supra; sed vel charitate movente, vel necessitate cogente, vel urgentiori præcepto concurrente, vel aliis circumstantiis supervenientibus, quibus opus aliàs otiosum, vel inane, vel interdum malè sonans, sed nunquam intrinsecè malum efficitur bonum, & conditionibus item ipsam immutantibus emendatur, purgatur, decoratur. Audi non me, sed Augustinum lib. contra mendac. cap. 7. *Interest quidem plurimùm qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat. Sed ea quæ constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi bono fine, nulla velut bona intentione facienda sunt.* Audi Gregorium Magnum lib. 3. Moral. cap. 10. *Scriptum est, si rectè offeras, non autem rectè dividas, peccasti. Sed rectè non dividitur, si non hoc quod piè agitur, etiam subtiliter discernatur. Oblata quippe rectè dividere, est qualibet bona studia nostra sollicitè discernendo pensare. Quod nimirum qui agere dissimulat, etiam rectè offerens peccat; & nonnunquam hoc fit reatus criminis, quod putatur causa virtutis.* Hæc, inquam, audi, & instanter operare. Sic eligens eris non ex multis solùm vocatis, sed ex paucis electis. Quod tibi & mihi concedat ille qui nos elegit, ut essemus Sancti & immaculati.

SPECULATIO III.

Prosequutio ejusdem materiei, & eorum qui supersunt, actuum explicatio.

TRes adhuc supersunt actus, imperium, usus, & fruitio, de quibus continenti serie agemus.

Imperium intimans exequutionem.

Septimò ergo electionem efficacem comitatur imperium intimans mediorum exequutionem, & vocatur imperium monasticum, quo intellectus ex efficacia electionis imperat omnibus potentiis internis & externis, sibi etiam voluntati, in qua post electionem datur usus activus, seu exequutio, quæ post electionem vincenda superest, ut patet in Petro, cujus electionem non exequutio, sed fuga sequuta est. Vnde in intellectu debet dari actus specialis regulans talem usum, rumpens moras, intimans præstitutæ electionis exequutionem, ad quam non sufficit judicium intellectus, ut ait Vasquez. Quia post inquisitionem & judicium videns & meliora probans, voluntas deteriora sequitur, prava eligit, & in exequutione deficit, veniens ad partum, & vires non habens pariendi. Quia, ut egregiè ait Scholæ nostræ decus & ornamentum Ioannes à S.Thoma, eligere est actus merè internus, in quo voluntas secum dumtaxat certat, nec habet aliud impedimentum, quàm velle, quod est in manu ejus: in exequendo autem non solùm secum pugnat, sed cum aliis & potentiis, & subjectis, & circumstantiis, quorum concursus & experientia difficultates accumulat, ipsumque voluntatis impetum quàmlibet ferventem, vel detinet, vel minuit, vel fatigat, & sæpè frangit, nisi urgeat imperii vis, & instet pondus præcepti. Ergo præter judicium de agendis oportet relinquere locum alteri tribunali ultimò resolventi, & dicenti: *Fac hoc etiam in illarum individuarum circumstantiarum concursu.* Hinc præter eubuliam, quâ rectè inquirimus & consulimus; & præter synesim, quâ rectè judicamus, exigitur prudentia, quâ id quod electum est ordinatè præcipiamus, & exe-

quutionis teporem superemus : quod per electionem adhuc factum non fuerat, quia nondum occurrerat circumstantiarum exequutio electionem sæpe retardans, sæpe inflectens ob emergentes difficultates, quarum discussio & victoria novo eget rationis imperio insistente, & cum manifestatione imperante & opus agendum, & modum actionis, & temperamentum conatûs. Ideo imperium & lex dicuntur Proverb. 6. *Lucerna & lux* : & Psalm. 4. *Lumen vultus Domini signati super nos.*

Ad horum omnium clariorem intellectum, atque totius humanorum actuum œconomiæ harmoniam perspiciendam, præ oculis habenda est præclara D. Thomæ doctrina de mutua intellectus & voluntatis sibi correspondentium sympathia, dependentia, & subordinatione, ob quam & ratio voluntatem, & voluntas rationem in diverso genere causæ & movet, & movetur ; & imperat, & obedit. Hinc quotiescumque altera potentiarum harum agit, semper in actibus ejus aliquid secundùm modum propriæ naturæ, aliquid ex impressione alterius, cui subordinatur, relucet ; non quòd actus immediatè ab utraque facultate prosiliat, sed quia ab una elicitur, ab altera movetur ; una proximè, altera præsuppositivè se habet ; una communicatur, altera participatur. Et quia ordinare est proprium rationis, movere verò efficaciter est proprium voluntatis ; ideo quidquid ordinationis in actibus voluntatis relucet, à ratione provenit ; quidquid efficaciæ in operationibus intellectus apparet, totum à voluntate derivatur. Atque in hoc sensu non solùm intellectus in voluntatem, sed etiam voluntas dominatum superioris exercet : impressio autem superioris agentis semper splendet in inferiori. *Et ex hoc* (inquit præclarè D. Thom. quæst. 22. de verit. art. 13.) *inferius agens non solum agit actione propria, sed actione superioris agentis ; sicut sphara Solis movetur proprio motu, qui spatio unius anni expletur, & motu primi mobilis, qui est motus diurnus. Similiter & aqua movetur motu proprio tendendo in centrum, & habet quendam motum ex impressione Luna, qua movet ipsam, ut patet in fluxu & refluxu maris. Corpora etiam mixta habent quasdam operationes sibi proprias, qua consequuntur naturam elementorum, ut tendere deorsum, calefacere, infrigidare ; & habent alias operationes ex impressione cœlestium corporum, ut magnes attrahit ferrum. Ratio autem & voluntas sunt quadam potentia operativa adinvicem ordinata : & absolutè considerando ratio prior est, quamvis per reflexionem efficiatur voluntas prior, & superior, in quantum movet rationem.*

Hinc in actu electionis voluntatis resplendet ordo rationis, & in actu imperii efficacia voluntatis impellentis ad opus. Vnde sicut substantia actus electionis est à voluntate elicitus, ita substantia actus imperii manifestantis, dictantis, & imperantis exequutionem, est ab intellectu productus, quantumcunque motivè à voluntate originetur : aliàs imperium non procederet modo rationali & humano, sed ferè modo brutali, cum impetu non discernente opus agendum, sed merè exequente, nec prout oportuerit, sed cæco modo conante. Sanè idem dicendum est de actu imperii ac de lege, cùm lex sit præceptum & imperium, & Legislatoris sit præcipere & prohibere. Dictamen autem legis, aut ejus intimatio non potest esse actus voluntatis, cùm dictamen illud sit id cui conformari debet voluntas tanquam regulæ : actus autem voluntatis non potest esse regula sui, aliàs esset impeccabilis ; nam peccatum non committitur in operatione, nisi cùm recedit à regula ; nec posset recedere, si esset sua regula : Ergo similiter imperium debet esse actus intellectus expressus, non per modum puræ enuntiationis, sed per modum denuntiationis, quæ dirigitur immediatè ad voluntatem ut utatur, & exequatur ; mediatè verò ad alias potentias voluntati subordinatas. Vnde electionem sequitur imperium, sed usum præcedit. *Quia* (inquit S. Thom. q. 17. art. 3. ad 1.) *post determinationem consilii, qua est judicium rationis, voluntas eligit, & post electionem ratio imperat ei per quod agendum est quod eligitur ; & tunc demum voluntas alicujus incipit uti exequendo imperium rationis, quandoque quidem voluntas alterius, cum aliquis imperat alteri ; quandoque autem voluntas ipsius imperantis, cùm aliquis imperat sibi ipsi.*

Dices : Voluntas est potentia cæca, quæ nequit percipere ordinationem imperii rationis : Ergo frustra ponitur imperium exequutionem dirigens & dictans.

Respondeo hoc sophismate probatum iri (si quid probaret) voluntatem nullo judicio, imò nulla apprehensione posse moveri, quia rationis lumen videre nequit. Dicendum ergo cùm D. Thoma, quod sicut oculus non solùm sibi, sed toti corpori videt, ita intellectus non modò sibi, sed etiam omnibus facultatibus intelligit : sicut ergo ridiculè diceretur, pedem vel manum non posse dirigi ab oculis, quia videre non possunt ; ita perperam obtenditur, voluntatem non posse rationis intimatione moveri, quia nullum objectum cognoscit ; quia quod percipit homo per intellectum, appetit per voluntatem, & per alias potentias inferiores mandat exequutioni. Vnde intellectus oculos spirituales, voluntas pedes seu affectus mutuatur : quod explicant nonnulli emblemate duorum hominum, quorum unus sit cæcus, & alter claudus ; cæcus claudum gestat humeris, claudus verò cæcum dirigit oculis suis ; *quodque deest socio præstat uterque suo.*

Pro solutione aliarum objectionum, in quibus operosè confutandis immorari omnis philosophicum esset, advertendum est primò, quod licèt in intellectu speculativo sint tantùm tres actus, apprehensio, judicium, & discursus ; tamen in intellectu practico plures alii reperiuntur, ut vocare, interrogare, orare, imperare.

Advertendum 2. quod licèt ad voluntatem pertineat exercitium actus, cùm voluntas sit primum movens ad exequutionem operis ; tamen exercitium ordinatum & temperatum est effectivè ab intellectu, seu potiùs ipsa ordinatio, denuntiatio, & temperamentum operis agendi in intellectu consummantur, præsupposita tamen efficaci motione voluntatis : unde imperium illud movet voluntatem & quoad specificationem, & quoad exercitium ; quia non solùm allicit & suadet, sed obligat & impellit : ita tamen ut non cogat, sed ordinet, ut rationabile sit obsequium voluntatis obedientis.

Advertendum 3. in intellectu & voluntate continuum dari actuum directorum & reflexorum fluxum & refluxum : per actum directum facultas fertur in objectum suum ; per reflexum supra seipsam redit. Quod fit vel formaliter, vel virtualiter : formaliter quidem, quando unus actus est objectum alterius ; virtualiter verò, quando plures actus implicitè in uno involvuntur & veluti implicantur : v. g. cùm voluntas eligit media, virtualiter eligit electionem, consentit se eligere, utitur seipsa ad eligendum. Licèt ergo imperium formale requiratur ad usum activum strictè sumptum, virtuale tamen reperitur ubi est usus virtualis. Ex quibus solves difficilem instantiam, quâ dici posset, quod si requiratur imperium ad applicandam voluntatem usui & exequutioni, ita etiam requiritur ad eam applicandam intentioni, & electioni. Sed ab hac difficultate, aliisque sine fine sophismatis te expedies, si consideres in actibus intellectus & voluntatis

voluntatis perpetuum esse reflexionis vel formalis, vel virtualis laoyrinthum. Quod verò dicunt aliqui, se hujusmodi imperii actum minimè experiri, non urget; quia interiores animi motus non experientia, sed ratio discernit: ex effectibus tamen dignoscit ille qui difficultates exequutionis vincere conatur, dum resistit vitiis & concupiscentiis, dum ratio dominatur in medio inimicorum suorum, dum regnum Dei intra nos est, in quo vera vitæ felicitas posita est. Vnde dicebat Philosophus Moralis: *Si vis tibi subjicere omnia, subjice te rationi, rationem subjice Deo.* Quomodo autem imperio rationis subdantur actus & motus qui sunt in homine, alibi dicetur.

Vsus & exequutio voluntatis.

Octavò imperium sequitur usus activus voluntatis exequentis præceptum, qui actus omninò distinguitur ab electione; habet enim objectum formaliter diversum, electio siquidem versatur circa medium ut futurum; usus vero attingit medium ut præsens & in exequutione ponendum per egressum actualem à potentiis exterioris, quàs applicat voluntas per actionem virtualiter transeuntem juxta exigentiam & difficultatem negotiorum occurrentium, & finis prætenti naturam; quod grandem sæpe difficultatem addit, ad quam promptè & celeriter evincendam novo conatu voluntatis opus est superante laborem & tædium, quibus sæpe frangitur animus, nisi virtute constantiæ & perseverantiæ roboretur.

Hinc crebrò & sanè nimis in inceptis deficimus, & sæpe desistimus, quia fatigantur durationе facultates, nisi ob instantiam voluntatis exequentis firmentur, atque fallidum & labor amore molliantur & temperentur; quia *in eo quod amatur, non laboratur, aut si laboratur, & labor amatur.* Hinc etiam experientiâ compertum est, nonnullos summa cum facilitate rectè judicare, consiliari, & eligere, qui deinde in exequutione torpescunt. Vnde bonæ memoriæ R. P. Petrus Girardellus, instauratæ vitæ regularis Ordinis nostri in Gallia decus & columna, ante obitum à Reverendissimo P. Nicolao Rodulpho Generali Ordinis Magistro jussus, ut vitæ spiritalis (cujus erat callentissimus) compendium Fratres strato circumfusos doceret, eructavit hoc verbum bonum: *Totum nostrum negotium consistit in exequutione.* Et iterum cuidam Fratri asserenti se vidisse radios capitis Patris orantis illustrantes, festivè & solidè respondit religiosissimus Pater: *Optandi sunt radii manibus, at ab sciamus opera tenebrarum; & quæ cognoscimus, sine mora faciamus.*

Atque ideo viris sanctis inest materia justi doloris à quotidianis jacturis voluntatis semel statuta pia proposita minimè exequentis; quia, ut eleganter ait Aug. lib.8. confess.cap.10. *Ego deliberabam ut servirem Domino meo: ego eram qui volebam, ego eram qui nolebam: ego eram, nec plenè nolebam; ideo contendebam & dissipabar à meipso,& ipsa dissipatio me invito quidem fiebat, nec tamen ostendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ.* Nec minùs egregiè Bernard. lib.1. de consid. cap. t. *Quoties vis, & in cassum ? Quoties moves, nec permoves ? Quoties conaris, & non datur ultra ? Eniteris, & non obtines; parturis, & non paris; tentas, & abriperis; abs incipis, ibi deficis; & dum adhuc ordiris, succidunt te. Venerunt filii usque ad partum (ait Propheta) & vires non habent parturiendi.* Quorum omnium radix est infirmitas voluntatis, quæ à benè judicatis, consiliatis, electis in exequutione recedit. Hinc videmus firmissimas columnas ad unius auræ impulsum contremiscentes, cedros sanctitatis uno tentationis flatu eradicatos, Petrum ad mulieris auditum, David ad aspectum corruisse. Vnde hoc? Ex ægritudine voluntatis, quæ vult in electione, & in usu non vult, & non quod vult bonum hoc agit, sed quod non vult malum, hoc facit; sicque nunquam est plena nisi per usum, ut describit August. *lib.8. confess. cap.9.* ubi sic: *Imperat animus, ut velit animus, nec facit tamen. Vnde hoc monstrum ? Non ex toto vult, non ergo ex toto imperat: nam in tantum imperat in quantum vult, & in tantum non fit quod imperat, in quantum non vult. Voluntas imperat, non utique plena imperat; ideo non est quod imperat. Non igitur monstrum partim velle, partim nolle; sed ægritudo animi est, quia non totus assurgit veritate sublevatus, ægritudine prægravatus.*

Assequutio finis, seu fruitio.

Nonò denique omnium actuum humanorum corona est fruitio, quæ non est actus intellectûs, ut putat Soto, sed voluntatis. Sicut enim voluntatis est desiderare finem possidendum, ita ipsius est eo possesso frui; ejusdem namque potentiæ est motus in finem, & quies in ipso. Est ergo fruitio quies appetitus cum suavitate, & gaudium seu delectatio de fine amato. Neque enim audiendus est Scotus, qui existimavit fruitionem esse actum amoris. Nam in Scriptura fruitio pro suavi delectationis experimento usurpatur. Sapient. 2. *Venite fruamur bonis.* Rom. 5. *Si vobis primum ex parte fruitus fuero.* Id est, si præsentiâ vestrâ fuero delectatus. In eodem sensu accipitur à Grammaticis ac Oratoribus, & patet ex etymologia nominis desumpti ex fructu, qui est ultimus arboris effectus, qui suaviter carpitur, & suaviùs gustatur. Similiter ergo fruitio est actus ultimus potentiæ percipientis fructum cum jocunditate: *Frui enim dicimur ea re de qua capimus voluptatem, & rebus cognitis fruimur, in quibus voluntas delectata conquiescit*, ut Aug. semel & iterum dixit. Fruitio ergo non est formaliter amor, sed ex amore, vel ex præsentia objecti amati sponte fluit, sicut tristitia ex præsentia objecti odio habiti pullulat.

Porrò quia finis dupliciter haberi potest, vel perfectè ac consummatè, vel imperfectè, seu inchoativè; ideo duplex fruitio distinguitur, alia initiativa, quæ est complacentia de fine cognito & sperato, secundum illud Rom. 12. *Spe gaudentes*; alia plena & cumulata, quæ habetur solùm post finem adeptum. Non enim quiescimus simpliciter, dum adhuc sumus in via, & ad patriam tendimus; sed quando finito itinere & consummato, nihil restat acquirendum, sed datur merces illa magna nimis, & ostenditur summum bonum, quo omnia desideria in bonis implentur. Et quia per primam fruitionem sternitur via ad intentionem, electionem, imperium, usum, & delectationem perfectam; ideo de fruitione priùs egit S. Thomas, quàm de aliis actibus dissereret.

Si autem quæras, an illæ fruitiones specie inter se differant? Respondeo probabilius esse distingui, quia distinctio specifica & formalis actuum ex ratione formali objecti venanda est; nam circa idem objectum materiale sæpe sæpius versantur actus specie distincti. Ratio autem formalis imperfectæ complacentiæ finis, & perfectæ fruitionis est planè distincta; prima enim fertur ad bonum fide cognitum & speratum, ac nondum habitum; unde elicitur ab habitu spei: secunda fertur ad bonum præsens, possessum, & cognitum visione intuitiva, & ideo elicietur in patria ab habitu charitatis: sed bonum diversimodè propositum voluntati est diversa ratio formalis objecti voluntatis, quia cùm objectum voluntatis sit bonum apprehensum, & per rationem propositum, distincta apprehensio & propositio rationis diversitatem in actus voluntatis

voluntatis refundit: neque enim alia ratione distinguuntur amor, & gaudium; intentio, & fruitio; electio versans circa media futura, usus circa præsentia hic & nunc: Ergo simplex complacentia finis amati & obtinendi specie differt à fruitione in bono possesso quiescente.

Et confirmatur breviter (est enim res levis momenti.) Delectatio & fruitio sequitur operationem, eamque perficit & adornat, inquit Philosophus, sicut pulchritudo juventutem; quia est corollarium operationis, & veluti ejus condimentum à natura institutum, ut in opere insistamus, nec deficiamus: Ergo distinctam specie operationem sequitur distincta specie fruitio & delectatio, aliàs delectatio non saperet naturam operationis, cujus est comes individua: Atqui fruitio imperfecta de Deo, v. g. in via, sequitur cognitionem fidei, & spem futuræ visionis; fruitio in Patria sequitur visionem Dei summè amati, quæ duæ cognitiones sunt utrique operationes specie diversæ; Ergo fruitiones illæ distinguuntur non solùm sicut perfectum & imperfectum intra eandem speciem, putà puer a viro; sed sicut actus ejusdem potentiæ habentes objectum formale distinctum, ut amor, gaudium, & desiderium; vel sicut diversæ habitudines lapidis ad centrum, putà motus ad centrum, & quies in centro. Vnde illæ fruitiones distinguuntur in esse physico.

Dices: Charitas viæ & patriæ sunt ejusdem speciei, tametsi objectum charitatis viæ sit obscurè cognitum & absens, charitatis verò patriæ objectum sit intuitivè præsens: ergo sicut objecto charitatis accidit esse obscurè vel clarè cognitum, esse absens, vel præsens; ita similiter & objecto fruitionis, quæ proinde eadem erit essentialiter, sive in via, sive in patria.

Respondeo quod licèt idem habitus charitatis sit idem specie in via & in patria, quia charitas nunquam excidit; tamen omnes actus charitatis non sunt ejusdem speciei in esse physico, esto quod ad eandem speciem moralem pertineant. Paralogizat ergo vehementer arguens dum fruitionem comparat charitati, quia charitas est habitus, fruitio actus; & ab habitu ejusdem speciei procedere possunt diversi specie actus in esse physico, ut à virtute Religionis procedit oratio, devotio, votum, juramentum; ab eadem charitate prosilit desiderium de Deo, amor ad Deum, gaudium de Deo: qui actus non differunt specie physica, nisi quia objectum idem habentes, illud sub diversa ratione præsentis, vel absentis, vel abstrahentis à præsentia & absentia respectivè attingunt. Similiter ergo complacentia viæ, & fruitio patriæ erunt actus specie distincti, multò magis quàm amor & delectatio Beatorum.

REFLEXIO.

Vide quò collimat tota humanorum actuum œconomia, ad fruitionem nempe, ad quam tendit & conatur studium cognitionis, desiderium voluntatis, fervor intentionis, inquisitio consilii, approbatio consensus, electio mediorum, ordinatio imperii, fidelitas exequutionis, ut perveniat ad fructum delectationis Dei. Sed miser homo ratione vigens, & ratione non utens, derelinquens fontem vivum, fodiensque sibi cisternas dissipatas, totam humanorum actuum seriem eò inflectit, ut iis fruatur, quibus tantùm debuerat uti. Amor delectationis in causa est; ideo sese totos voluptatibus corporeis homines tradunt; volunt coronare se rosis antequam marcescant: nullum est pratum quod non pertransire velit luxuria eorum; sed extrema falsorum ejusmodi gaudiorum luctus occupat, quia in materia transmutabili non magis fixum gaudium inveniri potest, quàm in arena solidum ædificium construi: quod hoc eleganti simili declarat Bernard. serm. 5. de divers. *Accenditur cereus, non purum lumen est, sed lucerna; siquidem ignis ipse propria fomenta consumit, nec nisi ipsa consumptione fovetur. Porrò deficiente materia, etiam ipse deficiet: & ubi illam videris prorsus exustam, hunc quoque extinctum esse reperies. Sicut ergo flamma illius novissima fumus occupat & caligo, sic lætitia læta rei in tristitiam commutatur.*

Solidum & verum gaudium, quod nemo tollet à nobis, in Deo positum est. *Si gaudes de nummo, times furem*, inquit August. in Psal. 37. *Si autem gaudes de Deo, quid times, ne tibi quisquam auferat Deum? Deum tibi nemo auferet, si tu eum non dimiseris.* Securum est ergo de Deo gaudium in hac quidem vita degustatum, sed in futura consummatum, dum intrabimus in gaudium Domini nostri, quando erit torrens voluptatis, fluminis impetus, inundatio lætitiæ, flumen gloriæ & pacis; flumen planè, sed quod affluat, non quod fluat, vel effluat; flumen non quod transeat, vel pertranseat, sed quod abundet. Hujus sacri fluminis in hac vita stillas guttatim & per minutias bibit anima sancta, in oratione liquescens, mente excedens, desideriis æstuans, ardenter sitiens, assiduè meditans, hora videlicet quâ se intus astringi quibusdam æternæ sapientiæ brachiis, infundique sibi sentit sancti suavitatem amoris. Felix hora, sed brevis mora, quâ mens ungitur unctione misericordiæ Dei, & oleo lætitiæ & exultationis perfunditur, dum cogitat de civitate Dei, de pace civitatis, de æternitate pacis, de statu æternitatis, de felicitate status, de plenitudine felicitatis! *Quid enim pulchrius, quidve dulcius, quàm inter tenebras hujus vitæ, multasque amaritudines, divinæ dulcedini inhiare, & æternæ beatitudini suspirare, illicque teneri mente, ubi vera haberi gaudia certissimum est.*

Verùm ut ad has divinæ fruitionis hìc inchoatæ, in Patria consummandæ delicias admittaris, humanas floccifacias necesse est. *Pretiosa divina consolatio est, nec omninò tribuitur admittenti alienam*, inquit Bernard. *tract. de vita & morib. Cleric. cap.* 11. Quæ tenuit consolari anima, centuplum imperfectæ fruitionis accipiet in vita, & vitam æternam in perfecta fruitione Patriæ possidebit. Illa consolatio præteotis laboris, hæc futuræ felicitatis consummatio; illa cibus in opere, hæc merces in fine operis: illa militantibus stipendium pro necessitate laboris, hæc novissimum donativum pro quantitate laboris: illa manna in deserto; ista copia terræ promissionis. Hunc divinarum consolationum rorem, hanc victricem delectationem tam necessariam ad incipiendum, tam utilem ad proficiendum, tam opitulantem ad pugnandum, tam animantem ad perseverandum, hoc manna absconditum, quod victori promittitur, quod nemo scit nisi qui accipit, quod nemo videt nisi gustaverit, quod nullus intelligit nisi crediderit; hoc datum optimum desursum descendens à Patre luminum in filios adoptionis, has delicias charitatis, hanc conscientiæ pacem, hoc regnum Dei, quod intra nos est, quodve non est esca vel potus, sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto; hunc ignem, quem mittere venit Salvator in terra, quoque voluit nos vehementer accendi; hanc virtutem de alto, quæ Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum orare pro lapidantibus; hanc pacem quam reliquit Christus, non quomodo mundus dat, dedit, quæque exsuperat omnem sensum; hanc denique gratiam devotionis, teneritudinem compunctionis, fervorem orationis, pinguedinem Spiritus, Dei præsentis experimentum,

unctionem

unctionem docentem de omnibus, fruitionem inchoatam tibi opto, Lector, & mihi, obsecro, precibus obtine, ut in hac valle ploratonis, quæ militia est super terram, certemus, vincamus, coronemur: ut per immixtas gaudiis terrenis tribulationes, sentientes amaritudinem mundi, discamus æternam desiderare suavitatem: & præventi in benedictionibus dulcedinis non deficiamus in via, sed de exhibitione præsentium munerum firma sit expectatio futurorum.

CAPUT II.

De moralitate actuum humanorum, & de prima ejus specie, scilicet indifferentia.

QUia proprium voluntatis est agere propter bonum regulis rationis conveniens, quod idem est ac morale, quod ratio proponit, lex regulat, conscientia dictat, voluntas divina jubet; ideò explicans actibus humanis sub ratione voluntarii, agendum est de illis sub ratione moralis, idest prout subsunt regulis morum, vel ab eis deficiunt. Soli namque actus voluntarii & liberi sunt capaces subjectionis ad normas vitæ moralis, quia in illis solis tenetur homo rectæ rationi conformari, cùm in illis duntaxat operetur cum advertentia rationis, seu cum indifferentia judicii apprehendentis bonum & malum. Et certè *ubi non est lex, nec prævaricatio.* Lex autem non decernit supplicium aut præmium pro actibus necessariis, sed liberis, qui soli sunt materia regulabilis per prudentiam, & ordinabilis per legem, sicut res externæ factibiles sunt mensurabiles per artem. Ut autem in hac materia perspicuè & utiliter procedamus, implexos difficultatum nodos, & importunas nimiarum subtilitatum moras prætermittemus.

Mirari enim subit cur apud non paucos de moralitate disputantes illud minus actum videatur, quod fuerat tractationis argumentum. Non docent vivere, sed disputare, & acutis totius Dialecticæ & Metaphysicæ subtilitatibus inconcinnis, non disponunt vitæ statum, non formant mores, non temperant affectus, non componunt vitam, non tradunt scientiam Sanctorum Christianæ vitæ doctricem & ductricem; non parant animis medicinam, pietatis officinam, sed artem cavillandi instituunt. Ethicam non ex limpidis Ecclesiæ fontibus derivant, sed formularum argutiis implicant, litium infinitarum laqueis irretitam tenent, chartasque abstrusis & spinosis disseitationibus implent: sicut evenit in labyrintho properantibus, qui longiùs ab eo quod petunt semper abscedunt, & quo plus operæ impendunt, eo se magis impediunt.

His de causis priùs certa præmittemus, deinde utilia dubia & Theologo digna resolvemus, aliis vel omninò prætermissis, vel brevissimè insinuatis, vel in Philosophiam amandatis, ut juxta præscriptum nobis finem Theologia nostra operam det parandis virtutibus, vitiis profligandis, voluptatibus coërcendis, libidinibus arcendis, timoribus, cæterisque animi labibus abstergendis: ut non eruditis solùm intersit sapientiæ cogitationibus, sed moribus potissimùm informandis incumbat, tesellatque non modò fidei Christianæ hostes, sed etiam non minùs periculosos Catholicæ pietatis adversarios. Primùm igitur de moralitate universim, deinde de prima ejus specie in hoc capite disputabimus.

SPECULATIO I.

Moralitas superaddit actui libero subjectionem ejus ad regulas morum.

HAnc assertionem perspicuè tradit S. Thomas *per totam quæst.* 18. passim, & nominatim *art.* 5. *ad* 3. ubi docet species moris esse accidentarias actui considerato in esse physico; quia, inquit, idem actus physicus potest habere plures species moris, ex quibus eruitur ratio fundamentalis. Non potest variari moralitas, aut multiplicari, invariato & immultiplicato illo in quo essentialiter consistit, ut de se patet. Sed potest variari & multiplicari moralitas invariatâ & immultiplicatâ libertate; sicut celebratio Missæ initio bona fit mala & illicita, si adveniente interdicto continuetur: idem etiam actus liber potest duplici affici moralitate, v. g. duplici bonitate, vel duplici malitia ex fine & circumstantiis derivatâ; imò secundùm plures potest idem actus bonitatem ex fine, malitiam ex circumstantiis sortiri; & idem actus in materia indifferenti transire de bono in malum, sicut eadem propositio in materia contingenti transire de vera in falsam. Ergo moralitas est quid distinctum à libertate, quatenus moralitas ut principium morale operatur cum subjectione ad regulas morum, quibus conformat vel deformat suam operationem: voluntas verò præcisè ut principium physicum operatur cum subjectione ad rationem solummodò ut proponentem objectum cum indifferentia vel amandum, vel respuendum: unde non est idem formaliter principium liberum, & principium morale. Moralitas ergo actus est tendentia actualis voluntatis in objectum ut subjectum regulis morum. Quod meliùs intelliges, si consideres esse morale non parvam cum esse artificiali affinitatem habere: unde sicut in artefactis distinguimus materiam dirigibilem, regulas artis dirigentis, & formam artificiosam resultantem in opere conformiter ad normas artis elaborato: ita in moralibus materia dirigibilis sunt actus liberi voluntatis, qui debent ad amussim rationis & legis exigi; regulæ sunt lex, voluntas Dei, & conscientia; forma verò moralitatis in actu est subjectio, seu conformitas ad regulas bonæ operationis.

Dices: Habitus voluntatis distinguuntur specie & essentialiter per differentiam boni & mali: ergo & actus ejusdem voluntatis, per quos habitus producuntur; eadem quippe ratio quæ in actu primo invenitur in habitu, relucet & explicatur in actu secundo, sive operatione.

Respondeo esse disparitatem inter actus & habitus, quia habitus generantur ab actibus ut subjectis regulis morum, unde in illis moralitas est essentialis, bonitas scilicet virtuti, & vitio malitia & deformitas. At verò actus non procedunt essentialiter à voluntate ut directa per regulas rationis & honesti; quia tametsi nulla daretur regula morum, manente indifferentia voluntatis, actus liber à voluntate profluetet: unde moralitas est tantùm proprietas libertatis, sicut veritas est proprietas actus intellectus, licèt sit essentialis habitui intellectuali; & artificium est forma accidentalis in artefacto, etsi sit essentialis habitui artis. Quod si aliquando S. Thomas actiones voluntatis esse per se in genere moris doceat, ly *per se* idem est ac non per aliud, quia loquitur de actibus interioribus, qui sunt immediatè moralitatis capaces, per quod distinguuntur ab exterioribus, qui non nisi mediantibus internis regulis morum subjiciuntur. In communi etiam modo loquendi actus liber & moralis pro eodem crebrò usurpantur, quia licèt distinctio formalis inter utrumque intersit, idem tamen est entitativè, materialiter,

raliter, convertibiliter, & inseparabiliter actus liber & moralis.

Si autem quæras quid illud tandem sit, quod moralitas libertati superaddit? In longum imus, & ad illas subtilitates me reducis quas decreveram declinare. Breviter tamen quid Authores sentiant exponam tibi verisimiliora electuro.

In primis Vasques existimat moralitatem nihil reale adjicere libertati, sed merum ens rationis. Sed quia hujus positionis inanitas per se abit in fumum, cùm actus temperantiæ sit bonus, actus intemperantiæ malus, nemine cogitante; ideo addit hæc sententia actum non dici bonum vel malum per præcisam relationem rationis regulabilitatis per legem, sed propter suum fundamentum, quod est potentia passiva, quam habet actus ut dirigatur per rationem; & hoc modo aliqua entia rationis denominant subjectum, etiam nemine cogitante, ut tituli Ducis, Prælati, Magistratus, non quidem ut sunt mera entia rationis, sed ratione fundamenti, putà electionis, quæ licèt transierit, moraliter tamen in hominum memoria perseverat. A qua sententia parum vel nihil recedit illa, quæ astruit moralitatem in denominatione extrinseca petita à regulis morum, quibus actus subjicitur. Fundatur verò utraque, tum quia moralitas in objecto non est nisi denominatio extrinseca, vel respectus rationis; cùm idem objectum transeat de bono in malum, de licito in illicitum absque ullius realis entitatis adjectione per solum Legislatoris intimatum, vel suspensum imperium: Ergo idem dicendum est de actu; nam sicut moralitas objecti in commensuratione & habitudine ad rationem consistit, ita & moralitas actus; præscribit enim ratio quæ sunt ad ejus bonitatem necessaria. Tum quia relatio signi ad placitum, valor monetæ, titulorum insignia & decors, dignitatum splendor sunt entia rationis (vide obiter quid sint idola quæ adorat mundus,) quia pendent ex libera hominum voluntate non operante physicè mediâ potentiâ executivâ, sed ut constituente aliquid circa officia humana: atqui similiter quod actus sint boni vel mali, dependet ex libera voluntate Legislatoris; nam si Deus præciperet, homicidium esset licitum, & celebratio Sabbathi esset illicita, si Deus eam prohiberet. Quorum omnium radix est, quia relatio quæ pendet ex libera voluntate aliquid præscribente, non habet aliud fundamentum præter institutionem voluntatis superioris, quæ sicut nihil influit reale in actum humanum, ita non potest illi tribuere nisi denominationem extrinsecam.

Alii verò opinantur, moralitatem superaddere actui libero modum realem dicentem habitudinem transcendentalem ad objectum ut subjectum regulis morum; quia actus specificantur ab objectis nedum in esse physico, sed etiam in genere morali: sicut enim actus in esse physico comparatur ut via & tendentia ad objectum in esse naturæ, tanquam perfectibile ad suum extrinsecum perfectivum; ita actus moralis tendit ad objectum in esse moris, ad quod proinde dicit ordinem intrinsecum. Qui sanè ordo & tendentia sunt aliquid reale in actibus non minùs quàm in habitibus moralibus, qui per distinctas realiter bonitates specificè distinguuntur, cùm habitus per actus generentur; subindeque quidquid in habitibus impressum est, in actibus relucere necessum est. Ex quo planè consequitur, illam habitudinem esse transcendentalem, & in habitu, qui est qualitas habens entitatem absolutam; & in actu, quia per actus morales habitus gignuntur, ut ab iis genitis faciliùs actus & veluti sponte fluant. Tum quia bonitas moralis habet contrarium, scilicet vitium; relationi autem nihil est contrarium. Tum quia relatio prædicamentalis respicit terminum ut purum terminum, non ut objectum, aut principium: at bonitas respicit terminum ut objectum specificativum, circumstantias ut causantes bonitatem. Tum quia relatio prædicamentalis dependet ab existentia termini, quo desinente evanescit: moralitas verò non sic; actus enim complacentiæ de bono præterito bonus est, & delectatio morosa de præterito malo perversa est. Tum demùm, quia quantumcunque affingatur relatio prædicamentalis ad constituendam moralitatem, putà bonitatem, debet assignari aliquod illius fundamentum, quod utique morale est, habens conformitatem cum ratione relatione prædicamentali priorem. Ergo in actibus moralibus invenitur ordo & habitudo intrinseca & transcendentalis ad objectum subjectum regulis morum; quæ habitudo cùm non inveniatur in objecto ipso, nec in moneta, nec in titulis dignitatum, mirum non est horum moralitatem per denominationem extrinsecam abundantissimè constitui.

REFLEXIO.

Actus est moralis, qui morum subditur regulis; Ergo bruti animantis instar agit, qui normæ detrectat leges: Ergo adhoc bestialior est, qui renisu leges despicit, & conculcat. Ergo perfecta obedientia non servili metu, sed charitate servata, non timore pœnæ, sed amore justitiæ suscepta, non deprimit hominem, sed attollit; non terminis arctat, non ligat angustiis, sed ut ait Bernard. lib. de præcept. & dispensat. *Largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne quod injungitur, spontaneo vigore liberalis, alacrisque animi motum non considerans, in infinitam libertatem extenditur.* Tu itaque, Christiane Lector, qui veram requiem, quæ post hanc vitam fidelibus servis promittitur, quæris, etiam hîc eam inter amarissimas vitæ hujus molestias suavem jucundamque gustabis, si ejus qui eam promisit, præcepta dilexeris; quia mandata ejus gravia non sunt, sed jugum suave, & onus leve. Et ratio est, quia qui divinæ regulæ subjicitur, Deo adhæret, unus cum illo spiritus efficitur, suoque centro unitur. Sicut ergo elementa non gravitant in propriis locis, sic sarcina Christi, dum nos Deo nectit, non pondus, sed pennas habet; non labore premit, sed requie implet & gaudio illo, quod cùm acceperimus, nemo tollet à nobis. Præclarè Augustin. 10. Confess. cap. 20. *Nunc quem tu imples, sublevas eum. Et quoniam tui plenus non sum, oneri mihi sum.*

Væ homini refugienti regulam, & suæ tradito voluntati. Nam sicut bonus, etiamsi servit, liber est; sic malus, etsi regnet, servus est non unius hominis, sed tot dominorum, quot vitiorum. Servit prorsus quicunque vel metu frangitur, vel delectatione irretitur, vel cupiditatibus ducitur, vel ira percellitur, vel indignatione exasperatur, vel mœrore dejicitur, quibus noctu, & interdiu premitur, qui à domesticis passionum tyrannis subjugatur. Nullam spera pacem, si in te non sit tranquillitas ordinis. At nullus ordo, sed Babylonicâ deterior confusio est constitutis à Deo non subjici regulis. Non erit sanè caro subjecta animæ, nec vita rationi, si animus non sit subditus Creatori. Tunc autem tibi subjicientur omnia quæ sub te sunt, si ei subjiciare, à quo omnia tibi subjecta sunt. Talis enim vicissitudo jure recipitur, ut qui amanti Domino servire noluerunt, odientibus inimicis cogantur esse subjecti. Nam *quid iniquius*, inquit Augustinus, *quàm velle sibi obtemperari à minoribus, & nolle obtemperare majoribus?*

SPECULA

Speculatio II.

Indifferentia est vera species actus moralis.

HUic assertioni, cui adversantur Salmanticenses, subscribit verò Martines & Ioannes à S. Thoma, favet Angelicus Doctor *tota q.* 18. ubi passim tria membra dividentia moralitatem assignat, seu tres istas illas species moralitatis, quas membra dividentia appello, ut abstraham ab illa controversia alibi dirimenda, an malitia sit vera & positiva species moralitatis. Expressè autem *quæst.* 2. *de malo*, *art.* 5. divisionem actus humani sub ratione moralis, in bonum, malum, & indifferentem tradidit, & omnes Cornelis & Salmanticensium oppositum sentientium solutiones præclusit dicens: *Si loquamur de actu morali secundùm suam speciem, sic non omnis actus moralis est bonus, vel malus, sed est aliquis indifferens.* Ubi S. Doctor perspicuè admittit speciem indifferentiæ, nec potest explicari de indifferentia tantùm negativa; actus enim indifferens indifferentiâ negativâ non est moralis, sed merè physicus, cùm ejus objectum non sit in esse moris constitutum.

Fundamentalis ratio hujus responsionis jacta est à S. Thoma: Ille actus est verè & formaliter moralis, qui procedit à voluntate deliberata ut subjecta regulis morum; cùm enim, ut vidimus, moralitas nihil aliud sit, quàm subjectio actus humani ad regulas morum, profectò omnis actus procedens à voluntate ut subjecta regulis morum, non potest non esse moralis, & ad aliquam moralitatis speciem pertinere. Atqui non solùm actus boni & mali, sed etiam actus indifferentes ex objecto possunt procedere à voluntate deliberata subjecta regulis morum: à voluntate quidem deliberata, si aliquis consultò & de industria velit peragrare rura, v. g. per amœna hortorum ambulare, quia id licitum est, quia nulla lege prohibitum, sed potiùs à Deo summo & primo Legislatore concessum & permissum, tunc & plenâ advertentiâ, & deliberatione præviâ agit voluntas: agit etiam ut subjecta regulis morum, ideo namque in actum illum sine scrupulo liberè prorumpit, quia cernit ipsum à lege & ratione toleratum. Res exemplo illustris & aperta fiet. Petrus surgens nescit an hodie sit festum de præcepto, hac de causa suspendit opus ad quod se accingebat: accipit deinde à Parocho nullum festum diem agi, continuò evellit scrupulum, & manus applicat operi. Ille autem cum consilio & deliberatione agit, elicitque opus non bonum ex se, neque malum; si verò ordinetur ad bonum vel malum finem, erit bonus vel malus in individuo ob appositam circumstantiam; sed est ex natura & specie sua indifferens, idque præstat ex subjectione ad legem quam consulit, & cujus reverentiâ ab opere abstinebat. Ergo actus indifferens potest esse, & sæpe est deliberatus, subjectusque regulis morum, rationi scilicet & legi; siquidem voluntas in opus externum minimè se diffunderet, nisi sciret ratio opus illud esse à lege indultum & toleratum.

Hanc rationem peregregiè tradit Angelicus noster Præceptor 1. 2. *quæst.* 92. *art.* 2. ubi docet legem habere triplicem actum, *prohibere, præcipere, & permittere*: & hinc infert, quod *sunt tres differentiæ actuum humanorum. Quidam sunt boni ex genere suo; & respectu horum ponitur legis actus præcipere, seu imperare: quidam autem sunt actus mali ex genere suo, sicut actus vitiosi; & respectu horum lex habet prohibere: quidam verò ex genere suo sunt actus indifferentes; & respectu horum lex habet permittere.* Quid luculentius? Dicere verò actum indifferentem esse duntaxat negativè subditum legi, quatenus ejus objectum neque præcipitur, neque prohibetur; hoc, inquam, dicere est manifestè S. Thomæ contradicere, nam circa illud lex non se habet negativè, circa quod exercet actum: at teste S. Thoma, triplex est actus legis, præcipere, prohibere, permittere. Et ratio est, quia legislator, vel ratio consulta an talis actus sit licitus, positivè respondent illum ex se esse licitum; & nisi sic responderet ratio, faceretque eliciendi licentiam & facultatem, vir timoratus in actum illum non prorumperet, ut anteà expendimus, & experientiâ compertum est: ergo nedum negativè, sed etiam positivè actus indifferens subditur legi, & regulis morum dictantibus illum esse licitum, & à Deo permissum. Et certè sicut non solùm entia naturalia & effectus necessarii, sed etiam actus liberi cadunt sub divinam providentiam omnia fortiter, & juxta suaviter disponentem: ita nullus est actus humanus, qui non subjiciatur legi æternæ, quæ est fontalis ratio, & primitiva radix totius moralitatis; subjiciatur, inquam, non solùm per ordinem ad Deum, sed etiam in ordine ad nos, & prout est regula voluntatis creatæ, medio dictamine rationis nobis intimatæ. Siquidem de illo actu potest consuli, & sæpè consulitur ratio, ne pateat in eo qui continet opus, donec ratio denuntiet opus illud esse licitum; agenda enim quælibet juxta præclarum Bernardi monitum triplex considerario præcedere debet, an liceat, an deceat, an expediat; si licet, actus non est malus, sed indifferens; si decet, actus est bonus; si expedit, actus est perfectus: sed & indifferentem, & bonum, & perfectum consideratio præcedit; subindeque de quolibet ratio dictat: unde ex habitudine ad illam actus moralitatis speciem non induere non potest.

Dices: Omnis species moralitatis debet per aliquid positivum constitui, cùm moralitas ut sic, sive in communi, sit aliquid positivum: Sed indifferentia, quam habet actus ex objecto, non consistit in aliquo positivo, sed in mera negatione bonitatis & malitiæ, cum capacitate ad alterutram aliunde quàm ex objecto habendam; etenim omnis species positiva debet posse salvari in aliquo individuo; non potest verò dari actus indifferens in individuo in doctrina SS. Augustini & Thomæ posteà propugnanda: Ergo indifferentia non constituit speciem moralitatis mediam inter bonitatem & malitiam.

Respondeo utrasque præmissas nutanti niti principio in sententia S. Thomæ. Majorem quidem: nam in satis frequenti Thomistarum sententia, divisio moralitatis in sua membra dividentia non est generis in species, sed subjecti in accidentia, quia malitiam non per aliquid positivum, sed per privationem formaliter constituunt. Minor etiam est apertè falsa, indifferentia enim actus deliberatè eliciti est aliquid positivum; est enim habitudo positiva, & tendentia ad objectum ut permissum à lege; actus enim indifferens hoc ipso quod est deliberatus, dicit habitudinem realem ad objectum; & quia objectum illud respicit ut à lege permissum, habitudo ad objectum illud non potest non esse moralis, siquidem respicit objectum ut subjectum regulis morum illud permittentibus. Cùm verò additur, quod si indifferentia sit differentia positiva pertinens ad ordinem moris, poterit dari actus indifferens in individuo, quia non datur positiva species cui repugnet individuum, existentia quippe speciei non est nisi in singularibus: facilè respondetur cum D. Thoma, illud idem argumentum sibi objiciente, ut mirum sit illud potuisse à Thomistis nobis opponi. Dicendum ergo, non in eo sensu dari actum indifferentem secundùm speciem, quasi ei repugnet bonitas, vel malitia ex fine vel circumstantiis; sed eatenus dicitur indifferens secundùm speciem, quatenus ex sua specie, & ex meritis objecti etiam à lege permissi non habet quod

sit bonus vel malus, sed per aliquid aliud potest fieri bonus vel malus, appositione nimirum finis, vel circumstantiæ. Hic est planus & naturalis sensus S. Doctoris *q.* 18. *art.* 9. *ad* 1. quibus clarè significat actum indifferentem habere quidem speciem indifferentiæ moralis ex vi objecti attacti sub ratione liciti & permissi à lege; supervestitis tamen adventitiâ bonitate, vel malitia finis, vel circumstantiarum.

Instabis: Vnum individuum non potest participare duplicem speciem, v. g. idem animal non potest esse homo, & equus: id autem contingeret si indifferentia esset species moralitatis, nam actus in individuo præter indifferentiam ex objecto, habet semper bonitatem vel malitiam ex circumstantia.

Respondeo idem individuum posse pertinere ad duplicem speciem subordinatam secundùm diversam rationem, maximè in genere moris; quia ea quæ pendent à ratione vel voluntate, sicut diversam possunt impetrare habitudinem, ita ratione diversorum ad diversam speciem pertrahuntur: sic eadem materialiter propositio sub diversa consideratione ad distinctas scientias attinet: idem actus pietatis à diversis specie virtutibus diversis motivis bonitatem geminantibus elicitur. Similiter ergo nihil vetat eundem actum ex meritis objecti solam haurire speciem indifferentiæ; ex fine tamen & circumstantiis bonitate vel malitia superindui.

Alia quæ frustra multiplicant Adversarii argumenta supponunt non dari mediū inter actum bonum & malum, inter objectum consonum vel dissonum rationi. Verùm hæc suppositio est manifestè contra D. Thom. sæpe sæpius asserentem bonum & malum in moralibus non opponi immediatè, quia inter utrumque actū medius est actus indifferens. Est etiā contra veritatem; nam præter objectum consonum, vel dissonum regulis morū, datur objectum licitum à lege permissum, de se neque bonum, neque malum, sed intrinsecè indifferens; vel benè sonans, si suapte natura in bonum propendeat, ut etie in Ecclesia; vel malè sonans, si sua sponte in malum proclive sit, quamvis quibusdā circūstantiis positis laudabiliter fieri possit. Quale est celebre illud quod à S. Thoma memoratur exemplum illius, qui propter ingentes Ecclesiæ utilitates, non ob proprias commoditates, plures præbendas retinet, quamvis de se malè sonet, & avaritiam vel ambitionem præ se ferat plurium Sacerdotiorum occupatio. In eundē numerum jure reponitur absentia Episcopi à diœcesi & grege sibi commissis, quæ per se malè olens, adjunctis tamen veræ, & non imaginariæ boni cōmunis necessitatis, aut propter plebis gravissimæ utilitatis circumstantiis excusatur & purgatur, si non licentiosa libertate, vel aulæ frequentandæ prurītu, sed necessaria servitute cogantur Episcopi peregrinationes, & labores quoque marinos & transmarinos sustinere, ut instaurandæ gratiâ disciplinæ, vel fidei Orthodoxæ in periculum vocatæ conservandæ Episcoporum conventibus, vel Romanæ Curiæ adsint. His affinis & conterminus est exquisitus mulierum cultus à christiana modestia abhorrēs, & ab Apostolo circumpositiones auri vetante reprobatus; qui tamen dura mariti jubentis conditione cogente fit rectus, quia mulier viro suo subesse jubetur, qui proinde si exorari non possit, non peccabit mulier, si vanis citra scandalum assumptis ornamentis habeat in superbo cultu cor humile. Et de his actibus monet Aug. lib. 5. de serm. Dom. in mont. *Sunt quadam facta media, quæ possunt bono vel malo animo fieri, de quibus judicare temerarium est.*

REFLEXIO.

Triplex bonum distinguit Philosophia, honestum, utile, delectabile: unicum agnoscit Theologia, unum honestum prædicat, & unum honestum amat; cætera vel ut mala rejicit, vel ut indifferentia floccifacit. Quia nimirum divino illustrata lumine suis ponderibus res quasque examinat. Quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si quæ virtus, si quæ laus disciplinæ, hæc cum Apostolo cogitat, hæc probat, & commendat, cætera quæque ut inania & falsa, ut umbram, larvam, & picturam inanem, quibus nihil veri aut solidi subsit, aspernatur, vel ad summum ut indifferentia, unde actus neque bonus, neque malus efficitur, tolerat. Nam in conspectu veri boni, in claritate æterni Solis quodnam poterunt terrenorum bonorum scintillæ & nebulæ habere momentum? Oculata planè Christiana Theologia, quæ cœlestia cogitans, terrena despicit, in cœlestibus mardescens nihil in terris libet, deforme conspicit quidquid de terrenæ rei placebat specie, quia sola christianæ vitæ puritas & claritas refulget in mente. Imitatur navigatores sapientia nostra; sicut enim in navi positus videt terras, montes, & promontoria transeunda, quæ prospero flante vento, & impellente subducta moveri videntur: sic Christianus secundis Spiritus sancti motibus afflatus temporalium blandam & fucatam speciē, ementitamque pulchritudinem cernit ac pertransit, & æternitati defigens oculos, quæcumque videt, transiisse & non esse pronuntiat, quia aliquando desitura in Dei veritate cognoscit. Vnde Propheta Regius Ps. 36. *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani; & transivi, & ecce non erat.*

Divinis erudita cogitationibus, & in lumine Dei ambulans cuilibet suum designat pretium. Quæ vulgus bona existimat, mala cernit esse, aut vana: bona illa vera existimat, quæ ratio dat, quæ fides exhibet & promittit; illa solida arbitratur, quæ sempiterna, quæ nec cadere possunt, nec decrescere. Cætera opinione bona esse, non re pronuntiat. Quos spargit voluptas odores, quos avaritia demonstrat thesauros, quos spondet amores mundus, insidias laqueosque arbitratur. Quæ sese oculis ingerunt, non continuò amplectitur, sed suis quæque momentis examinat: internam rerum faciem, interiora velaminis pervadit, ad rerum inanitatem & fluxum, ad peccati fœditatem & vindictam, ad impudicitiæ indecorem, & marcentes libidines, & terram collu-vionem, ad animæ vulnera, & conscientiæ cicatrices attendit; & ibi cernit vanitatem aut sordes, ibi advertit venenum inauratо sibi atque gemmato poculo propinatum, ubi pulchritudinem & bonitatem inesse arbitrabatur; quia omnia ad rationis trutinam, ubi non exterior rerum facies, sed veritas & rectitudo præsident, vocat. His cogitationibus mente conceptis, libido penitus effugata discedit, & miranda quædam quies & tranquillitas animæ reparatur: *Velut* (inquit Zeno Veronensis serm. de præcep.) *si inverecundarum, protervarumque tumultus ac strepitus famularum per adventum & præsentiam gravis ac severa domina comprimatur.*

SPECULATIO III.

Omnis actus deliberatus, quantumvis ex objecto indifferens, in individuo semper vel bonus, vel malus est ex fine, vel circumstantiis.

Hanc veritatem variis Patrum testimoniis confirmare necesse non est; nam Vasques oppositum sentiens ultrò confessus est, & non negavit, sed confessus est suam sententiam SS. Augustin. & Thomæ, eorumque discipulis adversari. Et meritò; nam *lib. de peccat. merit. & remiss.* apertè tradit voluntatem non posse in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit; quia *voluntas in omni actu aut bona est, aut mala.*

Totum authoritatum pondus, & rationum momentum ad unicum discursum D. Thomæ sic revoco: Omnis

Omnis actus advertenter in individuo exercitus, & à voluntate procedens, vel ordinatur ad finem bonum, vel malum, vel indifferentem, vel nullum determinatum. Si in bonum vel malum finem referatur, nemo ambigere potest, quin actus vel bonus, vel malus sit. Si vero in indifferentem ordinetur, vel si nullo fine præintento voluntas advertenter casui operationes suas committat, tunc actum malum esse probatur.

Quotiescumque homo liberè operatur, tenetur dirigere operationes suas in bonum & honestum finem: tum quia homo tenetur operari propter finem consonum suæ naturæ, & sibi ut rationalis est, proprium, quod non est aliud quàm bonum conforme rationi: tum quia est præceptum prohibens verbum otiosum. Matth. 12. *Dico autem verbo, quoniam omne verbum otiosum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Quo eodem præcepto vetatur etiam actus otiosus, quia teste Hieronymo in Psalm. 16. *Si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus?* Et ideo generaliter dicitur Ecclesiastis ultimo: *Cuncta quæ fiunt adducet Deus in judicium.* Et 2. Cor. 5. *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit, sive bonum, sive malum.* Ille autem actus est otiosus & inutilis, cui debitus finis non apponitur, quive ut ait Gregorius Magnus, caret vel pia utilitate, vel justa necessitate, quibus utique carent verba & opera in ventum defluentia, quibus inaniter exercetur anima, & teritur ac prodigitur tempus, de quo ait Bernard. *Nihil pretiosius tempore, & heu! nihil hodie eo vilius invenitur. Transivit dies salutis, & nemo recogitat. Nemo sibi perire diem, & nunquam rediturum causatur. Sed sicut capillus de capite, sic nec momentum peribit de tempore.* Tum quia operari propter solam utilitatem, vel objecti delectationem, non est agere ut hominem, cùm id etiam brutis commune sit, imò id apertè rationi, quà homines sumus, repugnet; quia cùm operationes non sint institutæ propter delectationes, sed è contra operationibus, quas condiunt, debeant deservire, operari propter delectationem est pervertere ordinem naturæ rationalis. Vide in veridica Augustini sententia, conjux petens debitum matrimonii ob solam carnis delectationem, peccare convincitur. Quare tunc solùm operatur homo ut homo est, quando propter bonum honestum operatur: Ergo si homo nullum bonum vel indifferentem intendat finem; si solâ concupiscentiâ, non ratione ad agendum exstimuletur; si Deum sibi in singulis actionibus vel formaliter vel virtualiter non præponat; si soli corpori, vel hominis parti vegetativæ tantummodò consulat; si seipsum, & quæ sua sunt duntaxat quærat in circuitu ambulans, à se recedens, in se semper reflexus, profectò peccabit. Quia bonus finis apud Christianos nullus est, nisi Deus. Bonum ergo opus tunc solùm rectè fit, quando propter Deum fit: quod si ad ipsum aliquo saltem pacto non referatur, hoc ipso non rectè fit, quantumvis aliunde rectum esse videatur.

Certè si in fundatissima Patrum doctrina ipsa pietatis officia per se bona, per se honesta, & suapte natura in Deum ipsum tendentia hoc ipso non rectè fiunt, quod propter commodum temporale fiunt; si asserente Augustino lib. 3. contra Iul. cap. 4. *Virtutes quæ carnalibus delectationibus, vel quibuscumque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt; quæ autem nulli servire volunt, nec ipsæ veræ sunt. Veræ virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus: Deo serviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis;* procul dubio ille peccare censendus est, qui actus indifferentes recto fine in bonum non flectit. Itaque totum rationis momentum ad hoc tandem reducitur: Quidquid homo deliberatè agit, vel fit propter bonum finem, & tunc benè agit, modò aliunde opus non sit malum; vel propter malum finem, & tunc perversè agit; vel propter indifferentem, & tunc otiosè agit, proindeque malè: quia si prodigalitas inaniter expendens pecunias mala est, quomodo peccato carebit actus otiosus, tam vanè expendens tempus omni auro pretiosius?

Respondebis, voluntatem solam commoditatem, vel voluptatem facultatum humanarum in actibus de se licitis quærentem non peccare, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui ob temporalem commoditatem, ob naturalem fastus, vel sensibilis delectationis inclinationem: sic v. g. comedere & bibere ad satietatem citra necessitatem ob solam voluptatem peccati non damnatur, nisi fortè obsit valetudini, & gravia inde sanitatis incommoda exoriantur.

Sed contra hanc responsionem à nonnullis modernis magnificatam, non tam argumentis agendum esset, quàm gemitibus; nec tam instillandum esset scribendo atramentum, quàm lacrymæ fundendæ. *O ubi estis fontes lacrymarum! Et quid faciemus? Quò ibimus?* ut in simili dixit Augustinus. Enimverò quid contra hanc doctrinam tam spurcam, tam obscœnam, tam Epicuro magis quàm Christiano, tam pecude magis quàm homine dignam occurrere potest nisi lacrymæ, quæ ut ait Augustinus, *testes sunt nostræ miseriæ.* Nihil planè aliud occurrit, quia ut bellè dixit Ambrosius in Luc. *Quod defendi non potest, ablui potest;* & tantum recentis Theologiæ delictum lavare possunt lacrymæ, quod voce pudor est dicere, vel refellere. Et fortè sicut Deum non vocis clamor flectit, sed cordis dolor lenit, & lacryma cogit, quæ teste Hieronymo *vincit invincibilem, ligat omnipotentem, inclinat filium Virginis:* sic lascivientium ingeniorum sibi plus justo indulgentium licentiam & contentiones sedabunt magis fletus quàm argumenta, quia ut Chrysostomus tradit: *Sicut post vehementes imbres mundus aer ac purus efficitur; ita & post lacrymarum pluvias serenitas mentis sequitur, atque tranquillitas.* Pudeat Theologos quosdam non ita sanè sentire ac Philosophum Moralem *epist.* 88. aientem: *Temperantia voluptatibus imperat, alias odit, atque abigit, alias dispensat & ad sanum modum redigit; nec unquam ad illas propter illas venit. Scit optimum esse modum cupiditatis, non quantum velis, sed quantum debeas sumere.* Porrò quod addunt, licere facultatibus actibus suis frui, est deploranda doctrinæ Patrum ignorantia. Quid enim tam pervulgatum, quàm illud Augustini lib. 83. qq. q. 30. *Omnis humana perversio est, quod etiam vitium vocatur, fruendis uti velle, & utendis frui.* Et rursus: *Omnis ordinatio, quæ virtus etiam nominatur, fruendis frui, & utendis uti.* Cui præluserat Seneca lib. de vit. beat. cap. 10. *Tu voluptatem complecteris, ego compesco: tu voluptate frueris, ego utor.* Denique illud sanguineis lacrymis flendum, quod solius nocumenti corporis, non animæ meminerint. Verùm ne infirmitati asserant adversarii, quod à compassione proficiscitur, & imbellis animi significationem esse pronuntient pignus charitatis, contra hanc responsionem

Sic insurgo: Nihil magis repugnat rationi, quàm rationem ipsam concupiscentiæ & appetitui inferiori deservire; quia ut ipsemet Philosophus Moralis lumine naturali ductus *epist.* 65. scripsit: *Major sum, & ad majora natus, quàm ut mancipium sim corporis mei, quod equidem non aliter aspicio, quàm vinculum aliquod libertati meæ circumdatum.* Et certè nihil indignius, nihil magis contra ordinem, quàm facultatum reginam iis potentiis ancillari, quibus debuerat principari. Atqui si voluntas deliberatè procedens ageret tantùm propter finem delectationis sensibilis, utque potentiæ inferiores suis fruerentur actibus, major serviret minori,

tatio concupiscentiæ obsequeretur; illa namque facultas, scientia, & habitus dicuntur alteri subordinati & deservire, quorum objectum & finis, objecto & fini alterius subordinantur. Sic ars dolandi lapides deservit ædificatoriæ, sic frenofactoria militari; operatio pariter voluntatis deliberatè agentis propter finem delectationis vel commoditatis sensibilis illi omnique mancipatur: Ergo per illam præposteram ordinationem peccatum & perversitas ordinis admittitur.

Confirmatur: SS. Patres, præsertim verò D. Augustinus, luculentissimè docent, libidinem sentiendi per se vitiosam, per se rationi repugnantem, utpote primævi peccati miserrimum germen; docent, inquam, esse necessitatis limitibus astringendam. Quia inquit S. Doctor lib. 4. contra Iulian. c. 14. *Cum suppleta necessitate amor edendi animum solicitat, iam libido est, iam malum est, cui cedendum non est, sed resistendum.... Discernere ac nosse debemus, quid necessitas refectionis, quid libido edacitatis exposcat, quorum negotium est contra concupiscentem carnem spiritu concupiscere, & condelectari legi Dei secundum interiorem hominem, ejusque delectationis serenitatem nullis libidinosis delectationibus nubilare.* Hinc tam crebrò docet expugnandum, frenandum, comprimendum cibi & potus appetitum, non illi omnia citra cruditatem indulgenda, non esse laxandas cæteris sensibus habenas. *Nam si cum eis pugnare destiteritis, vincemini & vinciemini, & ad immunda omnia pertrahemini.* Ergo peccat qui propter solam delectationem operatur, intenditque solùm viribus inferioribus satisfacere, quia à conditione rationali degenerans fit sicut equus & mulus, quibus non est intellectus; assimilatur jumentis insipientibus, & similis fit illis; imitatur prodigum, quem vitæ luxuriosæ pruritus à domo paterna disjiciens deputavit porcis, porcis addixit, porcorum tradidit servituti, ut porcorum pascua lutulenta percurreret. *Iunxit porcis*, inquit Chrysol. serm. 1. *à Patre pissimo quem se junxit, ut serviret cœnoso pecori, qui pietati sanctæ parere contempsit. A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.*

Dices: Iugum est importabile, & labyrinthus scrupulosis conscientiis inextricabilis, si omnes omninò actiones suas, quantumvis indifferentes & leves teneatur homo in bonum finem referre, si omnibus teneatur delectationibus valedicere & renuntiare, si absque ulla voluptate carnali alimenta, vel naturalia blandimenta debeat sumere, sicut sumimus hæc aëria, quæ ut loquitur Augustinus, de circumfusis auris respirandò & spirando sorbemus & fundimus. Austerior sanè & horridior illa Theologia est, quæ pulchrum vetat prospectare campum, fragrantem rosam odoratui ob voluptatem admovere, suavi melodiæ liberas aures dare. Durum planè, & juxtà ridiculosum est in omnibus operibus meram naturæ commoditatem sectantibus peccatum comminisci. Quid mali est, quæso, dum homo ad depellendum frigus manus fricat, vel ambulationi ad concoctionem conferenti indulget? *Bonum est continentia*, inquit Hieronymus epist. 89. *malum est luxuria, inter utrumque indifferens ambulare, egerere alvi stercora, capitis naribus purgamenta projicere, sputis rheumata jacere, hoc non est bonum, nec malum; sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam habebis, nec injustitiam.* Vbi S. Pater loquitur de actibus in individuo; ly enim *feceris*, practicum operis exercitium significat.

Respondeo nostrâ sententiâ non gravari conscientias, sed levari; ex amore enim honesti finis sicut melior, ita suavior efficitur operatio agentis, qui exoneratur sarcina peccatorum animum aggravantium. Non implicatur etiam scrupulis, vel anxia efficitur ac inquieta piorum vita, quia non exigimus actualem operum quorumvis in Deum relationem, sed sola virtuali contenti sumus, quâ in Deum sincerè amatum omnes discretas utilitates, & moderatas delectationes referimus: nam *hoc ipsum*, inquit S. Thomas q. 18. art. 9. *quod aliquis agit ordinatè ad sustentationem vel quietem sui corporis, ad bonum virtutis ordinatur.* Vnde assignantur quædam virtutes morales recreationibus & delectationibus modum apponentes; quia postulat rationabile obsequium nostrum quandoque jocosa seriis permisceri, ut temperetur conversatio, ut reficiatur animus fatigatus, quia quod caret alterna requie durare nequit.

Quare non rejicimus omnes vitæ commoditates vel delectationes, sed eas ut par est, rationi subjicimus: ultrò permittimus delectationibus condiri operationes necessarias; sed nolumus quod delectatio corporis sit finis, sed medium ad faciliùs & perseverantiùs in opere insistendum. Non est ergo molesta Theologia nostra, sed casta, sed ordinata, Deumque ipsum imitatur; nam ut ait S. Doctor 1. 2. q. 2. art. 2. ad 2. *institutor naturæ delectationes apposuit propter operationes.* Fateor tamen, quod quia appetitus delectationis valde sæpe fallit, quia voluptas quæ propter operationem admittitur, *præcurrere aut ducere conatur*, ut in se experiebatur Magnus & humilis Augustinus; ideo septies, idest sæpiùs cadunt justi in die, & *in ipsis bonis operibus positi trepidant, ac ne in eisdem occulto aliquo errore displiceant, continuis lamentis vacant*, inquit Magn. Gregor. *lib. 5. Moral. cap. 7.* Nec propterea scrupulosis superstitionibus angimur, sed coram Deo confundimur & humiliamur. Quotidie peccare nos fatemur, anne propterea ab operando cessandum, vel tristitiâ animus obruendus? Minimè gentium, sed potius in Domino gaudendum, & ut ait Psaltes, exultandum Domino in tremore. Sanctorum enim timor non turbat, sed humiliat, & humilians sublevat, quia cor contritum & humiliatum non despicit Deus, sed illi eam infundit pacem, quæ in ipsis quoque timoribus exsuperat omnem sensum. Quare D. Thomæ sententia non miseram, non inquietam efficit vitam, sed quietam & felicem; quia sicut in luctu, paupertate, & persequutione beatitatem Christus, ita in timore felicitatem Sapiens collocavit, dum dixit: *Beatus homo qui semper est pavidus.* Itaque illos omnes actus, qui inter objiciendum enumerati sunt, ex objecto indifferentes esse non inficior, sed in exercitio esse bonos, si ad bonum finem referantur; malos, si in pravum ordinentur; otiosos, subindeque malos, si bono fine non honestentur. S. autem Hieronymus vult solùm quod si illa fecerimus ex vi, & meritis objecti, nec malitia, nec bonitas in actum refunditur; sed non negat ex circumstantiis in alterutrum trahi, cùm ipse suprà docuerit, non solùm de verbis, sed etiam de operibus reddendam esse rationem.

Instabis: Communiter assignantur quatuor motiva, per quorum alterutrum rectificari dicitur usus matrimonii, nimirum proles in Dei cultu procreanda, carnis concupiscentia sedanda, sanitas propria uxorisve conservanda, propria obligatio obeunda. Sed in illis omnibus motivis non quæritur aliquid honestum, sed utile, vel delectabile: Ergo non peccat qui solo utili, vel delectabili ad agendum movetur.

Respondeo majorem propositionem esse è diametro oppositam S. Thomæ *in 4. dist. 26. & 31.* cum Magistro docente: *Duobus solis modis conjuges absque omni peccato conveniunt, scilicet causâ procreandæ prolis, & debiti reddendi, aliàs semper est ibi peccatum ad minus veniale.* Quam doctrinam S. Præceptor è sacris Doctoribus hauserat; nam Aug. *lib. de bon. conjug. c. 6. & 7.* ait: *Conjugalis concubitus generandi gratiâ non habet culpam; concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge, propter fidem tori, venialem habet culpam. Reddere debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem,*

necessitatem, est culpa venialis. Succinit Magnus Gregor. *lib. 32. Moral. cap. 20. ibi: Tunc solum conjuges in admixtione sine culpa sunt, cùm non pro explenda libidine, sed pro suscipienda prole miscentur. Unde necesse est* (addit 3. part. Pastor. admonit. 28.) *ut crebris exhortationibus moneantur, ut defleant, quod pulchram copulæ speciem admixtis voluptatibus fœdant.*

Notant tamen iidem Patres, in casu quo non posset aliquis à libidine lethaliter mala sibi temperare, indulgendum esse ei ut ad sedandam concupiscentiam uxorem ducat, juxta illud Apostoli: *Hoc autem dico, sed non secundum veniam, secundum imperium.* Quia nimirum cedere libidini etiam non prohibitæ, non laudatur quidem, sed in comparatione mali pejoris ignoscitur: etsi enim non præcipienda, toleranda tamen sunt minora mala, si sit evidens periculum mali grandioris. *Cum in dubiis constringimur,* inquit prælaudatus Gregorius, *utiliter minimis subdimur, ne in magnis sine venia peccemus. Itaque plerumque nervorum Behemot perplexitas solvitur, dum ad virtutes maximas per commissa minora transitur.* Quæ regula est summe observanda à viris spiritualibus ad deponendos de levibus scrupulos, necnon à rectoribus animarum, qui specie levissimi mali vitandi inhibita bona præpediunt. V. g. nolunt subditis idoneis, & aliàs probatæ vitæ licentiam prædicandi impartiri, ne regulare silentium frangant, neve in alia etiam citra scandalum observantia dispensent; similes imprudentibus rei familiaris, & œconomicæ administris, qui ne obolum impendant, thesaurum perdunt.

Urgebis: Scotista, vel discipulus Vasquesii authoritate & rationibus suorum Magistrorum confisi, elicientes actus ex objecto & fine indifferenti, non producent actum bonum, cùm nulla ei bonitatis ratio affulgeat; nec etiam malum, cùm nulla in eo malitia appareat. Cùm enim sententia opposita (præcisa ab illis sordibus recentiorum quorumdam, quas in responsione ad rationes nostras attulimus) sit probabilis, qui illam sequetur, actum indifferentem in individuo saltem probabiliter eliciet: Ergo tunc dabitur saltem per accidens actus indifferens in individuo ex conscientia probabili, vel ignorantia invincibili. Sicut si aliquis ignoraret se teneri ad restitutionem, non peccaret illam omittendo: sic qui authoritate Scoti fretus credit se non teneri ad dirigendos actus in bonum finem, omittens dirigere non peccabit.

Respondeo nullius Doctoris authoritatem posse bonum efficere actum, quem lex naturalis æternæ legis expressio vetat: lumen autem naturale signatum super nos, & generale dictamen synteresis & prudentiæ gentibus omnibus implantatum, sicut præcipiunt omnia opera deliberata in finem rationali naturæ consonum referre, ita actum otiosum ex fine solius utilitatis vel delectationis elicitum prohibent. Lex etiam naturalis omnibus sese ingerens dictat Deo omnium factori & fini ultimo esse offerenda, & in ipsum saltem virtualiter opera cuncta referenda. Unde qui in otiosis occupatur, & inclinationi naturæ rationalis, & præcepto Dei super omnia diligendi adversatur. Nec est simile quod dicitur de restitutione, quia licèt in quæstione juris nemo possit ignorare bonum alienum esse restituendum; in quæstione tamen facti, an hoc, vel illud sit alienum, potest ignorari, nec potest ex solis synteresecos principiis determinari: secus verò an omnia opera sint in honestum finem referenda. Ad quam veritatem perdiscendam non est opus Doctore, sed ratione, qua persuasi Philosophi, imò & Poëtæ ante fidem, quibusdam Theologis Christianis æquiores finem præcisæ delectationis damnarunt, ut patet his versibus sequentibus:

Vina sitim sedant, natis Venus alma creandis

Servit: finem horum transiliisse nocet.

Insistes: Datur actus indifferens secundùm speciem: Ergo & secundùm individuum; nulla enim est species quæ non habeat, vel saltem habere possit aliquod individuum.

Respondeo, bonam non esse consequentiam, quia actus secundùm speciem attenditur duntaxat penes ordinem ad objectum, quod cùm sæpe neque bonum, neque malum per se sit, nullam bonitatem vel malitiam, sed specificam tantùm indifferentiam in objectum refundit. At verò actus in individuo consideratur ut vestitus omnibus circumstantiis, quarum præcipua est finis, qui debet esse honestus, ne actus sit otiosus.

Persistes: Ideo actus nullam percipit ex objecto bonitatem vel malitiam, sed meram indifferentiam, quia objectum est indifferens: Ergo similiter si voluntas agat propter finem indifferentem, nulla derivabitur malitia in voluntatem: tùm quia eadem est, & par utriusque ratio: tum quia finis non potest refundere in actum nisi quod habet: Ergo indifferens indifferentiam causabit, nec potest finis innoxius noxiam efficere actionem; fructus quippe naturam arboris sapit & exprimit.

Respondeo non teneri quidem hominem respicere semper objectum honestum in suis actibus, quibus tamen finem honestum apponere tenetur. Et ratio disparitatis est, quia etsi objectum non sit intrinsecè honestum, modò aliàs sit licitum, potest supervenienti bonitate finis honestari: si verò & objectum, & finis sint ambo indifferentia, nihil erit per quod honestetur operatio creaturæ rationalis, quæ in omnibus actibus deliberatis benè & honestè agere tenetur. Nec verò ista veritas adeo obscura est, ut à solis Doctoribus Ecclesiasticis doceatur: vidit enim eam, scripsitque infidelitas Paganorum, ut pietas Christianorum erubesceret. Quid enim crebrius apud Tullium in suis libris de legibus, & de officiis, & de finibus bonorum & malorum, ac Tusculanis quæstionibus legitur, quàm solum bonum esse quod rectum, & honestum, & cum virtute est, & quod nisi quod honestum est, nihil putari bonum potest. Hinc docet *nos occultare appetitum voluptatis, etiam cùm summe erecti erimus ad virtutem;* quia generosos animos pudet voluptatis primò intentæ, etiam cùm virtuti student. Hinc infert, *corporis voluptatem non satis esse dignam hominis præstantiâ, & pertinere ad omnem officii quæstionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus, reliquisque bestiis nihil nisi voluptatem sentientibus antecellat.* Qualis pudor, eò post fidem non pervenisse Theologos, quò ante fidem Philosophi pervenere! Quod additur, finem indifferentem non posse in actum nisi indifferentiam refundere, verum est quantum est ex meritis finis indifferentis; falsum verò est, si attendatur obligatio agentis rationalis, qui finem rationi consonum sibi in actibus deliberatis præstituere tenetur. Nam ut ait Augustinus lib. 1. de nupt. & concupisc. cap. 4. *Malè utitur qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluptate.*

Obsistes demùm: Illud non est malum, ad quod natura inclinat; cùm enim opus naturæ sit opus intelligentiæ, in Deum refunderetur talis propensio: Atqui natura non modò non rejicit, sed etiam inclinat in voluptatem, saltem licitam, & in utilitates convenientes: ergo actus propter delectationem vel utilitatem eliciti non sunt mali, sed indifferentes.

Respondeo, naturam instituisse delectationes propter operationes, unde naturalis ordinis perversitas est si operatio in delectationem referatur. Tunc ergo solùm rectè delectationes adhibemus, cùm per eas agimus, non propter illas. *Hoc malo* (idest carnali volupate) *benè utuntur nuptiæ, cùm conjuges procreant filios per illam, nihilque faciunt propter illam,* ait August.

Fateor quidem naturam vegetativam & sensitivam in voluptatem & utilitatem etiam contra rationis ordinem propendere, voluntatem etiam in suas partes & castra pertrahere: sed homo ut animal sibi ipsi ut rationalis est subjici debet; qua rationalis est, sibi ut Christiano supponi, cùm longè major sit intercapedo inter hominem ex primo Adamo natum, & ex secundo regeneratum, quàm intercedat inter hominem & brutum. Unde omnes sensualitatis motus, de quibus omnis pudens, impudensque confunditur, vel comprimendi sunt, dum in malum feruntur; vel parti superiori subdendi, dum in indifferentia invitant. Nec obest quod hic voluptatis appetitus in pecoribus invenjatur, fuhindeque innoxius videatur; quia ut divinè dixit Augustinus lib. de peccat. origin. cap 40. *Tanta excellentia est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris.*

REFLEXIO.

Magna est nobis imposita necessitas benè agendi, quibus de omnibus & minimis agenda ratio est, de singulis aut pœnas subituris, aut præmia. *O celsitudinem Religionis Christianæ!* (exclamat alicubi P. Granatensis) *Aculei lingulæ rationem quis dominus à servis exposcere cogitavit!* Et tamen Christus minutias factorum, verborum otia ad districti examinis advocabit tribunal, & ut loquitur Scriptura, interrogabit opera, scrutinium in lucernis instituet super usu abusuque libertatis, inquiret facta, cogitationes scrutabitur, intentiones appendet, justitias ipsas judicabit; & quidquid invenerit non esse honesti gratiâ & virtutis amore patratum, totum respuet tanquam pannum menstruatæ. Dic, sodes, crederesne Philosophos Deo esse æquiores, & rigidiores virtutis exactores? Tûne pateretis eò infamiæ Evangelium Christi delabi, ut laxioris sit disciplinæ quàm Ethica Philosophorum, quæ ut supra vidimus, voluptatem damnat non solùm ex turpibus consequutam, sed ex sola virtute justissimè profluentem, si sola, aut prima delectatio illa quæratur. Minimè sanè ita credere licet, sed certissima fide tenendum, hominem toties à ratione aberrare, & à suæ sortis gradu in brutorum ordinem vili degeneratione delabi, quoties semota, aut postposita honestate, utilitatem, aut voluptatem, vel solùm, vel primò aucupatur. Quis ferat eloquia Domini eloquia casta, legem ejus immaculatam convertentem animas, à Pagana sapientia vinci, eaque indulgere quæ Philosophi prohibuerunt. *Obsecro* (ut aliàs ex Augustino diximus) *non sit honestior Philosophia Gentium, quam Christiana.* Si Tullius, si Seneca virtutem solâ convenientiâ cum natura, non nuda, aut sana, sed geniali peccato corrupta dimetientes, adeo puram absolutamque esse voluerunt, ut nedum libidinis sordes, sed etiam voluptatem ex rebus bonis perceptam sua sponte honestam reprobarint, si prima spectetur, *si ducat*, ait Seneca, *& non sit accessio*, si sit scopus unicus, & non condimentum; quid à Christianis exiget, vel non exiget Christus? Quid à membris suis tam sanctum caput postulabit, quæ gratiâ in Baptismo regeneravit, sancto oleo inuncta in Confirmatione sacravit, carne sua in Eucharistia pavit, divinisque præsidiis munivit & donis, ut novæ creaturæ personam gererent, & ad finem vires & vota nostra excedentem pervenirent?

Hæc cùm ita sint, *delicta quis intelligit?* Rara enim avis in terris homo, qui in omnibus motibus deliberatis solo honesti amore permoveatur, cùm omnes quæ sua sunt quærant, non quæ Iesu Christi. Accepi ab uno Ordinis nostri insigni Concionatore, peccatum tempori esse confitendum, eo quòd sicut natura utriusque occultissima singulos quosque latet, sic utriusque usus notissimus & frequentissimus est. Omnes de tempore loquuntur, omnes temporis jacturas & bonum usum norunt, omnes ferè tempus terunt, aut fallunt; & tamen si ab eis quæras quid sit tempus, nesciunt, & cum Augustino vix posse definiri credunt. Similiter quid sit peccatum, explicatu difficillimum est, quia illud exponere perobscurum est, quod nec in Deo ideam habet; & tamen peccatum singula fermè momentis nobis obrepens, per omnea sensus quasi aquam ebibimus, quasi aerem haurimus, quia ubique voluptatem, aut solam utilitatem captamus. Quin etiam in ipsis sacræ Religionis exercitiis semper occurrit, semper se insinuat circumstans nos peccatum: nam Litterarum sacrarum studium per se honestum, ex una sciendi voluptate initum, curiositatis vitium pascit: ipsa etiam oratio mentalis, Sacramentorumque frequentia, quibus in vita spiritus nihil utilius, solâ deliciarum cœlestium voluptate susceptæ, & cum minùs sapiunt neglectæ, nonnihil sordescunt, quia libidinis spiritualis aliquid resipiunt.

Agnosce ergo, ô Christiane, Religionis tuæ puritatem, agnosce & dignitatem tuam, & Divinæ consors factus naturæ, noli infra te tepere, noli in brutorum ordinem & vilitatem degeneri conversatione descendere. Memento cujus capitis, cujus corporis sis membrum, cujus Evangelii discipulus, & quorum Sanctorum filius. Reminiscere quod quia eruris es de potestate tenebrarum, translatusque in Dei lumen & regnum, plura à te exiguntur quà Christiano, quàm ut homine. Fecit te Dominus ad se: ad paradisum ergo mente transgredere, & esse incipe quod futurus es. A Christo regeneratus novum habes esse, novam vitam: novas ergo operationes habeat nova creatura necesse est, ne inveniaris coram Domino vacuus, & postquam tota vitæ tuæ nocte laboraveris, nil te cepisse convincaris. Triplex est bonorum genus, infra nos, intra nos, supra nos: infra nos voluptas, & fortuna: intra nos virtus moralis, & merè humana: supra nos Deus, summum bonum. Si prima quæras, brutum eris: si secundis contentus sis, Philosophus vocaberis: si tertiis inhies, Christianus eris. Semper nos agere oportet hominem, vel Christianum: imò solius Christiani personam gerere decet, quia sicut ratio est fides hominis (juxta illud, *Quod non est ex fide*, id est ex rationis regula & conscientia, *peccatum est*:) ita fides est tota ratio Christiani, ex qua nobis vivendum est, quia justus ex fide vivit: at quomodo vivit ex fide, qui ex fide non operatur? cùm vita in operatione posita sit.



DISSERTATIO II.

De bonitate & malitia actus moralis.



EXPLICATA actus humani cùm entitate, tum moralitate, necnon primâ ejus specie indifferentiâ; de duplici alia, bonitate nimirum & malitia agendum superest, ut pari æquo totius conatus impetu illam prosequamur, istam detestemur. Eò namque totum collimat Ethicæ Christianæ studium, ut declinantes à malo faciamus bonum, & ad ipsum tandem perveniamus summum bonum. Nec illi sola Religio Christiana incumbit; honestatis decorem vidit & amavit Philosophia

Philosophia Gentium, cui nihil bonitate pretiosius, nihil antiquius erat; cæteras artes & scientias atri vitæ comparatas floccipeodebat. Nam ut prosequitur Seneca *epist.* 88. quid Geometriæ studes, ut discas metiri latifundia? Id potiùs disce, quomodo metiaris quantum tibi sit satis. Quid me doces, quomodo inter se acutæ & graves voces consonent, quomodo nervorum disparem reddentium sonum fiat concordia? Fac potiùs quomodo animus meus secum consonet, nec consilia mea discrepent. O egregiam artem! Scis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcunque acceperis formam; nihil quod in mensuram tuam non cadat. Si artifex es, si Geometra, metire animum, dic quàm magnus sit, dic quàm pusillus sit. Scis quæ recta sit linea; quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignores?

CAPUT I.

De principiis & regulis bonitatis moralis.

EX his quæ suprà de moralitate in communi diximus, satis superque constat quid de bonitate sentiendum sit. Si enim moralitas actus nihil aliud sit quàm ejusdem subjectio ad regulas morum, ille actus bonus erit qui regulis benè agendi conformabitur. Quamvis enim ad bonitatem moralem actûs exigatur multiplicium conditionum concursus, variatimque collectio circumstantiarum, quas recta ratio præscribit, unde eam S. Doctor *plenitudinem essendi* appellat, quâ nihil actioni humanæ deest ex his quæ ad ipsius rectitudinem, sive quoad finem, sive quoad locum, sive quoad tempus, aliaque id genus desiderantur; ille tamen conditionum apparatus magis se tenet ex parte objecti, quod debet omnibus illis circumstantiis obvestiri, ut actus in ipsum debitè tendat; unde in illa actus tendentis habitudine, proportione, relatione, & commensuratione ad objectum debitis omnibus circumstantiis instructum bonitatem actus sitam esse perspicuum est, subindeque plenitudinem essendi objectivè & præsuppositivè; respectum verò ad objectum regulis morum consonum formaliter bonitatem constituere, probatum sufficienter manet. Quare de principiis & regulis moralitatis agendum superest, ut ex illis, & juxta illas bonorum operum praxi sedulam operam navemus. Nam ut ait August. lib. 8. de Trinit. cap. 3. *Quærendum bonum animæ, non cui superveniat cogitando, sed cui hæreat amando.* Imò nec ipse amor boni plenè bonus est, si sterilis est; quia ut idem Pater *lib. 4. contr. Julianum, cap. 3.* scripsit: *Fieri non potest ut steriliter boni simus.*

SPECULATIO I.

Tria sunt principia bonitatis, objectum, circumstantiæ, & finis; unde multiplex in actum honestas derivatur.

PRobatur prima pars: Actus bonus est prosequutio, via & tendentia ad objectum ut consonum regulis morum: ergo primitus inspicit objectum, ab eoque haurit priùs bonitatem, quàm eam à fine extrinseco, vel circumstantiis mutuetur. Unde ut tradit S. Doctor, objectum se habet ut forma extrinseca mensurans bonitatem illius. Quod quidem intelligitur de objecto non secundùm entitatem realem considerato, sed de eodem regulis morum consono, & induto circumstantiis honestatis. Siquidem ad idem materiale objectum non minùs mali quàm boni feruntur actus; eandem pecuniam amat avarus vir divitiarum floccifacit Sanctus thesaurizans sibi thesauros in cœlo: eundem cibum modestiâ utentis accipit temperatus, libidine fruentis & amantis affectu helluo vorat. Sicut etiam in speculativis idem objectum provt diversorum subest lumini principiorum, à diversis etiam scientiis consideratur. Quod objectum coincidit cum fine operis, seu fine intrinseco operationis; omnis enim potentia tendit per operationem in objectum circa quod operatur. Et hoc est quod sibi vult S. Doctor, dum interdum ait actus humanos specificari à fine; loquitur enim non de fine operantis, quem sibi agens præstituit, sed de fine operis, in quod actio sua sponte propendet.

Dices: Dantur plures actus qui nullam hauriunt ex objecto bonitatem; v.g. actus fortitudinis nullam ex tolerantia passionum præcisè sumpta dignitatem recipit, nisi in finem justitiæ & religionis referatur: & similiter abstinentia à veneteis non est actus virtutis virginitatis, nisi ad cultum Dei & cœlestium contemplationem referatur, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 124. & 152. Imò S. Augustinus crebrò tam constanter docet, non ex officiis, sed ex fine pensandas esse virtutes. *Quidquid fit ab homine*, inquit lib. 4. contr. Julian. cap. 3. *& non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Idem etiam apparet in actu indifferenti in individuo, in quem nulla ex objecto bonitas, sed ex fine tota refunditur. Idem quoque in actu interiori, cujus objectum est actus externus: nec tamen ex hoc in illum, sed ab illo in hunc tota bonitas derivatur. Denique iste actus, quem in fervore spiritus elicit Christianus, *Volo piè vivere, & in novitate vitæ studiosè ambulare*; vel Clericus post attentam status sui præcellentiam eructans hoc verbum bonum, *Volo ad normam canonum meam exigere vitam*; vel Religiosus laxatæ disciplinæ miserias deplorans, & inquiens, *Volo juxta rigorem regulæ meos componere mores*: illi omnes actus non desumunt honestatem ab objecto, aliàs omnium continerent virtutum bonitatem, cùm in earum omnium objecta & materias implicitè protendantur.

Respondeo, in omnibus illis actibus primariam ex objecto bonitatem derivari. In primis fortitudo ex tolerantia passionum, virginitas ex omnium venereorum contemptu commendatur, cùm in objecto illarum sit gravis evincenda difficultas, quam sola superat virtus. Requiritur tamen per modum conditionis finis extrinsecus bonus, quia bonum nisi fiat benè, nihil valet apud Deum, qui affectum magis pensat quàm censum, nec quantum, sed ex quanto, nec verba, inquit Granatensis, sed adverbia pluris facit: & hoc est quod intendit S. Thomas locis memoratis, necnon D. Augustinus libro adducto: non quòd negent ex objecto bono refundi in actum honestatem, sed voluit talem effluxum apposito malo fine penitus impediri. Unde ait S. Pater: *Noveris itaque non officiis, sed finibus, à vitiis discernendas esse virtutes: officium autem quod faciendum est; finem verò propter quem faciendum est.* Hinc Sancti (ut hoc obiter dicam) tantoperè amoris proprii insidias, & falsarum virtutum technas & larvas in ipsis bonis operibus reformidant, quia ut idem Sanctus tradit: *Omnibus virtutibus non solùm sunt vitia manifestâ discretione contraria, verùm etiam vicinâ quodammodo non veritate, sed quadam specie fallente similia. Nec istorum vitiorum, quæ finitima virtutibus diximus, possunt omnium facilè nomina reperiri. Verùm etsi non invenitur quemadmodum nuncupentur, cavenda sunt.*

Quoad alios verò actus idem etiam patet. Actus

enim indifferens non debet ab objecto desumere bonitatem, quia secundùm suam speciem, quæ ex objecto inspecto accipitur, neque bonus, neque malus est; inpræsentiarum verò de actuum bonorum honestate sermonem habemus. Ad id quod dicitur de actu interno, dicendum dari quidem inter utrumque mutuum bonitatis fluxum & refluxum, sed in diverso genere causæ; actus quippe internus externum respicit ut mensuram & causam formalem extrinsecam, quam in intentione sibi proponit, ut juxta illum operetur; actus verò externus bonitatem ab interiori in genere causæ efficientis participat. Planiùs etiam dici potest, tam actum internum quàm externum, quorum est eadem moralitas, primariam bonitatem desumere ab objecto, seu materia externa, non physicè, materialiter, & entitativè sumpta, sed ut consona regulis morum, quam uterque actus respicit & attingit: externus quidem immediatè, sed internus mediante externo: node uterque actus in moralibus non ponit in numero, sed pro eodem computatur. Denique generalis ille viræ honestæ, Christianæ, Ecclesiasticæ vel Regularis amor respicit honestatem, pietatem, vel observantiam: quod objectum licèt sit commune & genericum, tamen prout respicitur sub uno motivo consonantiæ ad rationem, vel Evangelium, vel institutum regulare, est unum unitate objecti; sicut objecta scientiarum, habituum, & potentiarum, quantumvis ampla sint & latè diffusa, tamen ut substernuntur uni rationi formali unitatem specificam in ratione objecti obtinent. Quia nimirum virtutum omnium varietas, Christianismi multiplex officium, & status Clericalis aut Regularis præclarissima instituta ab illo actu respiciuntur sub una sola ratione; in illis enim omnibus quamlibet variis una placet conformitas ad rationem, una Christianismi puritas, una Cleri vel Religionis sanctimonia. Ad venandam quippe specificam actuum unitatem, non est sola objecti unitas, aut multiplicitas consideranda, sed motivum potissimè pervidendum est, onde speciem sortiuntur. Adde quod licèt objectum illius actus, *Volo studiosè, christianè, & regulariter vivere*, multa virtualiter contineat, ad unum tamen tendit, nempe ad ultimum finem bonum, quem sibi proponit, dum seriò in corde nascitur diligendi Dei propositum; amor enim sæpè in hujusmodi actus prorumpit, si verus est; quia germana amoris Dei nota est firma & constans studiosè vivendi, & à peccato recedendi voluntas. Quod si hic actus amorem Dei præcedit, proficiscitur ab appetitu boni, quem Deus nobis implantavit veluti virtutum omnium seminarium, quive fundatur in illo universalissimo principio à synteresi attacto: *Declina à malo, & fac bonum.* Vnde actus ille ante justificationem elicitur ab amore naturali boni, post justificationem à charitate.

Secunda pars, quæ asserit actum humanum desumere bonitatem ex circumstantiis in quibus elicitur, manifesta est. Tum quia sic naturalis perfectio non in sola forma posita est, sed ex variarum proprietatum & accidentium comitatu consurgit: humana v.g. perfectio non solâ animâ constat, sed ex variis animæ facultatibus, corporisque concinno habitu, membrorumque proportione, elegantia, aliisque accidentibus integratur; quia generaliter omnis creata bonitas composita est, solus Deus in inexhausto indivisibilis essentiæ suæ fundo infinitam reperit perfectionem: Ergo similiter bonitas actus moralis non à solo objecto, quod habet rationem formæ extrinsecæ, à qua specificatur, sed ab adjunctarum circumstantiarum concursu derivatur. Tum quia actus humanus ab illo accipit bonitatem quod respicit juxta regulas morum, quibus conformatur: Sed actus humanus non solùm respicit objectum nudè sumptum, sed fertur in illud ut est circumstantiis vestitum; quia non solùm est conveniens circa tale objectum operari, sed etiam tali modo, tali loco, tali tempore: v.g. non solùm congruit subvenire miseriæ alienæ, sed etiam decet eleemosynam cum affectu, magis indigenti, tempore & loco necessitatis erogare. Et idem apparet in actu malo; rationi enim non solùm repugnat alienum eripere, sed magis ab egeno, quàm à divite; magis in loco sacro, quàm profano; magis cum vi, quam dolo; magis ad mœchandum, quàm ad elargiendum pauperibus de mammona iniquitatis. Similiter malum est percutere quemvis innocentem, pejus ferire benefactorem, & adhuc deterius in Sacerdotem manus inferre violentas.

Confirmatur idipsum discurrendo per singulas circumstantias, quæ septem enumerari solent hoc versiculo comprehensæ, *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.* Circumstantia *quis* sæpè exaggerat opus bonum vel pravum; commendabilior enim est humilitas Regis quàm plebeii; damnabilior quoque iniquitas Clerici vel Regularis, quàm sæcularis: facit enim ad operis pretium status & conditio personæ conjugatæ, vel solutæ; voto astrictæ, vel liberæ; subditæ, vel in dignitate aut potestate constitutæ. Circumstantia *quid*, est accidens objecti, vel effectus ex actione consequuti. Sic commendatur eleemosyna à quantitate profusionis, furtum augetur ex quantitate rei alienæ raptæ, gravitas percussionis crescit ex personæ læsæ dignitate, vel consecratione. Circumstantia *ubi*, explicat locum, in quo patratur operatio, quæ est scandalosa, si fiat in publico; sacrilega, si fiat in Ecclesia; utilis, & in ædificationem, si lux bonorum operum luceat coram hominibus, ut videant opera bona, & glorificent Patrem qui in cœlis est. Circumstantia *quibus auxiliis*, enumerat varia instrumenta, quibus utitur operans: v. g. commendatur zelus Prædicatoris, qui ad convertendas animas præter verba & exempla adhibet crebras & diuturnas preces, pœnitentias, fletus, &c. pro salute eorum quibus evangelizat. Sicut è contra crescit & amplificatur malitia operantis, si ad assequendum propositum, fraudibus, dolis, malis artibus, magicis incantationibus utatur. Circumstantia *cur*, non designat finem intrinsecum operis, qui ab objecto non distinguitur, sed finem significat operantis, quæ circumstantia in moralibus præcipuum locum habet, quia intentionem dirigit, quæ cæteris actibus humanis præit, quia est prima rota vitæ moralis, ut posteà patebit. Circumstantia *quomodo*, exponit modum & actionis, & operis, & mediorum ad finem ducentium. Sic considerare solemus an opus fiat tardè, velociter; rectè, ineptè; spontè, ægrè; ferventer, tepidè; sincerè, insidiosè; temperanter, luxuriosè. V g. in gula attenditur an quis comedat præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè. In aliis quoque excessibus perpenditur modus, cultus, consectatio, fastus, nimis exquisitus deliciarum delectus, affectatio vanitatis, libidinis fluxus, & effrænata licentia. Ex oppositis verò circumstantiis opera virtutum non mediocrem hauriunt honestatem. Circumstantia *quando*, expendit qualitatem temporis, & quantitatem durationis. V.g. opus servile reprobatur in die festo, & eo pejus est, quo diutiùs exercetur.

Circa hujusmodi circumstantias tria notanda sunt. Primùm, nos hîc loqui de circumstantia supervenientе actui in sua specie constituto, quæ est accidens actum humanum in ordine morali circumvestiens, & veluti circumstans: & tunc circumstantia non est volita primariò & directè, sed secundariò, accessoriè, & consequutivè. V. g. aliquis intendit furari præcisè, sed quia non se offert occasio nisi in loco sacro; ideo oblatam in Templo latrocinii opportunitatem arripit, sed

sed tunc malitia sacrilegii supervenit furto. Quod si circumstantia transeat in rationem objecti, ut si in allato exemplo aliquis intendens violare locum sacrum furatur, tunc sacrilega prophanatio non est circumstantia, sed objectum nefariæ intentionis. Secundum notabile est, circumstantiam loci tunc solùm exaggerare opus bonum aut malum, quando aliquid indecoti, vel decoti ex loco redundat in opus, vel in locum; si secus, circumstantia materialiter, & impertinenter se habet: sic firmum pœnitentiæ propositum, sive in Ecclesia, sive in cubiculo conceptum peræqui meriti est: actus superbiæ interioris non minùs malus in agro, quàm in templo, nisi fortè in Ecclesia fieret specialis relicaio domus Dei, quam decet sanctitudo, præsentiæ Christi, celebrationis augusti Sacrificii, quorum venerationi repugnat ad alia quævis, & multò magis in peccata excursus, & mentis evagatio. Tertiò observandum est, ab aliquibus inter circumstantias præfatas annumerari *Quoties*, seu numerum: sed frustrà; numerus quippe pertinet ad substantiam actus pluries repetiti, & ideò est specialiter in confessione exprimendus, ut declaravit Tridentinum *sess.* 14.

Dices: Omnis circumstantia moralis afficiens objectum, transit in rationem objecti, cùm nullam afferat actui, quem circumstat, bonitatem, nisi sit volita: quod autem volitum est, utique est objectum voluntatis, sicut omne visum est objectum visus: Ergo perperam distinguimus bonitatem ex objecto à bonitate ex circumstantiis petita.

Confirmatur enumeratione singularum circumstantiarum. In primis circumstantia *Quis*, seu conditio, status, aut dignitas personæ, non amplificant actum amoris Dei, v. g. cum eadem intensione eliciti; Deus enim qui acceptor personarum non est, operis pretium, & intentionis puræ rectitudinem respicit, non agentium inæqualitatem. Circumstantia *Quid*, seu quantitas materiæ & objecti, si augeret bonitatem, aut malitiam actus qui in infinitum objectum protenderetur, putà qui desideraret infinitis pauperibus subvenire, infinitis nocere, infinitam bonitatem vel malitiam respectivè perciperet, si juxta proportionem objecti nova acciperet actus crementa bonitatis, aut turpitudinis. Circumstantiæ *Vbi*, & *Quibus auxiliis*, cùm sint valdè extrinsecæ actui humano, nullam queunt illi bonitatem intrinsecam afferre. Circumstantia *Quomodo*, v. g. intensio actus, non auget bonitatem, quia est incognita latitudo gradualis actuum; si autem non est volita, profectò nullam in voluntatem refundere bonitatem potest. Denique circumstantia *Quando*, si augeret bonitatem, actus per horam durans haberet infinita bonitatis crementa correspondentia singulis instantibus & partibus temporis in infinitum divisibilibus.

Respondeo ad argumentum, circumstantias non transire in rationem objecti, quando non sunt per se primò, & immediatè volitæ, sed tantùm mediatè, per modum accidentis & accessorii supervenientis; tunc nihilominùs dicuntur volitæ secundariò, virtualiter, implicitè, & indirectè: & in hoc sensu dixit S.Thomas *q.* 19. *art.* 2. actum interiorem à solo objecto bonitatem desumere, quia etiam circumstantiæ intra objectum saltem secundarium voluntatis continentur, subindéque in aliquo vero sensu rationem objecti voluntatis induunt. Sicut ergo rectè distinguimus objectum primarium à secundario, ita & bonitatem petitam ab objecto, ab ea quæ supervenit ex circumstantiis.

Ad confirmationem dicendum, ex singulis circumstantiis singularem in actu effluere bonitatem, quia omnis circumstantia moralis convenientiam, vel repugnantiam habet cum ratione, aliàs non esset circumstantia moralis, sed merum accidens physicum, nihil conferens honestatis, vel turpitudinis. Itaque conditio & dignitas personæ materialiter & merè concomitanter se habens, nihil quidem adjicit bonitati, sed si ex illa aliquid decoris, vel dedecoris consequatur, ut cùm personæ dignitas subjicitur, cùm consecratio profanatur, tunc opus majoris bonitatis lucem, vel pejoris turpitudinis tenebras contrahit. Maximè quia personæ in sublimitate constitutæ, vel Deo specialiter sacræ exemplum alios ad se pertrahit; nam Regis ad exemplum totus componitur orbis, & omne animi virium tanto conspectius in se crimen habet, quanto qui peccat major habetur. Hinc scriptum est: *Potentes potenter tormenta patientur*. Quia ut Gregorius *in Past.* scribit: *Nemo amplius in Ecclesia nocet, quàm qui perversè agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplis culpa vehementius extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur.*

Ad id quod dicitur de quantitate objecti, dico per illam augeri bonitatem, stando intra limites quantitatis capacitati intellectus, & voluntatis proportionatæ: cùm enim bonitas non augeatur ex quantitate objecti in esse rei, sed in esse objecti, prout nimirum voluntati ab intellectu proponitur; aliunde verò hæc propositio sit imperfecta & confusa, quia intellectus nequit infinita clarè, distinctè, & declarativè proponere secundùm individuas singularium partium rationes, sit inde actum voluntatis, qui fertur in objectum quantitate infinitum, non propterea habere bonitatem infinitam. Quod verò dicitur circumstantias *Vbi*, & *Quibus auxiliis*, utpote extrinsecas, nihil internæ bonitati opitulari, facillimæ est solutionis, quia licèt circumstantiæ, sicut & objectum, cæteroquin sint, ordo tamen ad illa interior est, in qua habitudine sitam esse intrinsecam bonitatem actuum, ea suprà dictis manifestum est.

Quod verò additur de intensione actus, quæ ad circumstantiam *Quomodo* reducitur, dico quod licèt intensio non sit cognita in actu signato determinatè, & veluti speculativè, est tamen cognita in actu exercito, & practicè; quia sentitur, & experimento percipitur fervor aut tepor voluntatis, & hoc ipso quod voluntas illum actum fervidum vel tepidum eacteet, intensionem, vel remissionem illius amat.

Quod si urgeas: Intentio indeterminatè volita & cognita determinatum causat bonitatis gradum, quidni similiter quantitas objecti infiniti indeterminatè volita non afferet bonitatem majorem quacumque finita, subindéque infinitam? Respondeo grandem esse disparitatem, quia intensio se tenet ex parte actus; & quia actus non est directè volitus nisi per actum reflexum, & tunc unus actus habet rationem objecti alterius: ita intensio non debet esse directè volita, ut specialem addat bonitatem. At verò quantitas se tenet ex parte objecti, unde eo modo communicat bonitatem, quo objectum: Ergo sicut objectum ut eam distinctè communicet, debet esse distinctè, formaliter, & explicitè volitum, ita ut ex quantitate objecti bonitas actioni superaccrescat, debet distinctè desiderari. Nota etiam ad solutionem argumenti ex quantitate objecti infiniti petiti (quod fateor esse difficile & importunum, ut contingit in omnibus argumentis calculatoriis) deservire posse ea quæ antea dicebamus de objecto illius actus, *Vola studiatè vivere*: sicut enim objectum illud est indeterminatum & quadantenus infinitum ita & quantitas objecti. Sed hæc iterare non expedit, tum quia brevitati studemus, tum quia bona mens tua, Lector, multis non indiget litteris.

Denique

Denique quantum ad durationem actus dicendum illâ non augeri bonitatem actus juxta numerum instantium vel partium proportionalium, sed juxta partes aliquotas, & æquales, utique finitas, sicut aliæ omnes qualitates sine interruptione per aliquod tempus adauctæ non intenduntur gradibus infinitis, sed in determinato numero perfectionibus. Notandum verò, durationis diuturnitatem non parum amplificare operis moralitatem, quia si sit duratio operis mali, arguit majorem appetitus corruptionem, ardentiorem peccandi libidinem, profundiores peccati radices; sicut è contra continuatio operis boni specialem habens difficultatem à perseverantia vincendam, præcipuam meretur laudem, quia singularem firmi, & intrepidi animi constantiam, patientiam, soliditatem significat. Vnde vocatur à Bernardo epist. 129. *Nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium, soror patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, amicitiarum nodus, unanimitatis vinculum, sanctitatis propugnaculum. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui inceperit, sed qui perseveraverit usque ad finem, hic salvus erit.*

Tertia pars quæ tradit, finem esse principium bonitatis, satis superque constat ex præcedenti, cùm finis sit una ex præcipuis operis circumstantiis. Specialiter tamen de illa disputat S. Thomas, quia potissimus fons bonitatis, finis est. Et ita indicat Scriptura, in qua ex fine pensantur opera. Matth. 6. *Lucerna corporis tui est oculus tuus? Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit; si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Ideò tam seriò monet Salvator, ut à perversa superbiæ, vel alterius vitii intentione caveamus. *Attendite*, inquit Matth. 6. *ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum.* Ad quæ alludens Augustinus *in Psal.* 31. inquit: *Non valde attendas quid homo faciat; sed quid, cùm facit, aspectat.* Et Ambrosius in cap. 1. Luc. *Bona est misericordia, bona est oratio; sed potest injustè fieri, si jactantiæ causâ aliquis pauperi largiatur, ut videatur ab hominibus.* Hac de causa præcipit Apostolus omnibus operibus etiam sua sponte innoxiis & indifferentibus finem bonum præstituere, 1. Corinth. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Quæ verba sic ponderat Basilius homil. 11. in Sanctam Iulit. *Accumbens mensa, ora; esitans panem, largitori gratiam rependito; bibis vinum, memento ejus qui illud tibi dedit ad lætitiam, & infirmitatum solamen; tunicam indueris, gratiam agito benigno datori; suspicis in cœlum & syderum pulchritudinem intueris, procide Deo, & cole eum qui omnia hæc in sapientia condidit.* Et sic continens & indivulsa erit oratio, si recta sit in omnibus intentio nostra.

Ratio verò est, quia omnis actus humanus ex deliberata voluntate procedens dependet à fine, ejusque influxu, ut *dissert.* 2. demonstravimus; quia per hoc actus humanus, & actus hominis distinguuntur, ut ibidem ex S. Thoma vidimus: Ergo si finis sit bonus, non potest non influere bonitatem; si pravus, non potest non refundere pravitatem: unde opus ex objecto bonum in ulteriorem finem bonum relatum, magis esse meritorium nemo ambigit. Ideò passim hortantur Patres, nominatim verò Gregorius, ne in bonis actibus per intentionem titubemus, néve inter recta opera sinistra cogitatio illudat; quia *sicut fabrica columnis, columna autem basibus innituntur: ita vita nostra in virtutibus, virtutes autem in intentione intima subsistunt.* Quarta pars speculationis sequentibus consectariis clarebit.

Corollaria quæ observentur dignissima.

Ex his infert S. Doctor *q.* 19. *art* 4. quadruplicem posse contingere bonitatem in actu. Prima quidem considerari potest secundùm genus, prout scilicet est actio: quæ bonitas dicitur generica, non quòd sit genus ad alias bonitates, sed quia sequitur rationem genericam actionis physicè spectatæ; nam quantum aliqua operatio habet de actu & entitate, tantum habet de bonitate, cùm ens & bonum convertantur. Secunda est bonitas ex objecto & specifica, quam S. Doctor vocat absolutam, non quòd non dicat relationem transcendentalem ad objectum, sed ut distinguatur à bonitate ex fine profluxa, quæ convenit actioni prout ordinatur ad finem accidentalem extrinsecum: unde ista dicitur adventitia, illa absoluta, quia hæc convenit actui absolutè, & independenter à relatione accidentali. Tertia desumitur ex circumstantiis adjacentibus, quibus actus condecoratur. Quarta denique ex fine defluit, quâ tota operationis perfectio coronatur. Non est tamen sensus, quod bonitas in illo aggregato sita sit, sed in habitudine ad illud, quatenus qui benè agit, in objectum bonum, convenientibus indutum circumstantiis, & fine recto impellente tendit.

Infert 2. S. Præceptor *art.* 6. *&* 7. actum tendentem in objectum bonum ex fine bono, duplici gaudere bonitate. Quod & repetit *lib.* 3. *cont. Gent. cap.* 138. ubi: *Contingit*, inquit, *unum actum duorum vitiorum esse, dum actus unius vitii ad finem alterius vitii ordinatur, ut cùm quis furatur ut fornicetur, actus quidem secundùm speciem suam est avaritia, secundùm intentionem vero, luxuria. Eodem modo in virtutibus contingit, quod actus unius virtutis ad aliam virtutem ordinatur: sicut cùm aliquis dat sua, ut cum altero amicitiam habeat charitatis, actus quidem ex sua specie est liberalitatis; ex fine autem, charitatis.* Ratione etiam probatur contra Vasquem: In actu bono ex objecto & fine duplex est habitudo conformitatis ad rationem, quarum una non pendet necessariò ab alia, à qua potest separari: nec una se habet ut differentia respectu alterius, quia inter genus & differentiam debet esse ordo per se, qualis non reperitur inter bonitatem ex objecto & fine petitam, cùm una alteri accidentaliter superveniat: Ergo in actu bono ex objecto & fine duplex bonitas invenitur, quæ à duplici virtute procedit, quarum una actum imperat, altera elicit actum. *Nihil prohibet*, inquit S. Thomas 2. 2. q. 31. art. 2. *actum, qui est propriè unius virtutis elicitivè, attribui alteri virtuti sicut ordinanti & imperanti ad suum finem.* Et q. 124. art. 2. ad 2. *Martyrium*, inquit, *est actus charitatis ut imperantis, fortitudinis autem ut elicientis.* Quia nimirum quælibet virtus & determinatum objectum, & specialem difficultatem vincendam habet: unde una quidem potest actum alterius imperare, sed non elicere; quia nequit præfixam sibi sphæram transilire: aliàs unica tantùm necessaria foret virtus, si illa sola eliceret actus, ad quam pertinet finis intentio, sicque innumerabilis virtutum honestas deperiret; & charitas, cujus est finem ultimum supernaturalem intueri, non esset forma, sed expulsio; non corona, sed ruina virtutum, quas non perficeret, sed destrueret, eorumve actus non attolleret, sed extingueret, & ad nihilum redigeret.

Quare sententia Vasquesii non solùm repugnat veræ Theologiæ, sed etiam vitæ spiritali, & solidæ pietati. Etenim Patres spiritales docent, quod sicut coqui ut cibum efficiant acceptum innumeras species salsamentorum adhibent, quibus palatum delectent; alias atque alias de omnibus succis efficiunt permix-

tiones,

tiones, quibus esculenta condiant, gulam provocent, excitent appetitum, quia illis nomina mille, mille demulcendi artes: sic in vita spiritus monent pietatis opera variis esse diversarum virtutum adornanda motivis, ut ad Deum ascendat operatio deliciis affluens, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & universi pulveris pigmentarii. Hæc autem frustra docerent Sancti; si enim nulla ex objecto bono fini ulteriori subordinato bonitas refluat in actum, planè in congregandis virtutum omnigenarum thesauris oleum perdimus & operam. Parvi profectò referret heroïcis vel mediocribus virtutibus insudare, modò quæcumque fiunt de radice charitatis proveniant. Sic nihilo melius erit martyrium jejunio unius diei, nec majoris apud Deum meriti status virginitatis quàm connubii, si in omnibus illis operibus & statibus unica refulgeat bonitas charitatis: quod & communissimis pietatis notionibus, & Patrum documentis diversa præmia accidentalia seu aureolas heroicorum actuum praxi asserentibus repugnat.

Dices: Quando aliquod bonum ex objecto opus eligitur relatum ad finem honestum ulteriorem, tunc opus assumptum habet rationem medii utilis & conducentis ad finem, propter quem amatur, non propter se: Ergo in ipso amatur sola bonitas finis, quæ sola proinde redundat in actum, quia ab illo duntaxat haurit actus bonitatem, à quo allicitur & movetur.

Respondeo in electione operis boni in finem superiorem honestum ordinati arridere simul & objecti honestatem, & finis rectitudinem. Vtraque placet, tametsi una alteri subjiciatur; utraque movet, licèt una dependenter ab alia impellat. Sicut enim causa prima secundæ influxum non consumit, sed juvat & perficit: ita finis superioris illicium objecti honestatem non extinguit, sed auget, & dum sibi subordinat, decorat. Vnde objectum honestum in finem bonum relatum non habet conditionem puri medii, sed etiâ finis intermedii ratione propriæ bonitatis inescantis appetitum; non secus ac medicina sapida & gustui suavis, propter sanitatem assumpta, præter bonitatem utilis conducentis ad sanitatem, habet etiam internam suavitatem, quæ per se placet. Similiter ergo objectum honestum ad ulteriorem finem relatum amatur etiam propter se, quia in se, & in proprio fundo habet internam amabilitatem, etiamsi non ordinetur ad aliud; qua ordinatione propriam non perdit, licèt eam subjiciat, & subjiciendo nobilitet.

Infert 3. S. Doctor multis in locis, actum ex objecto bonum, & ad finem extrinsecum ordinatum desumere bonitatem essentialem ab objecto, & accidentalem à fine. Et ratio est, quia quod advenit enti in sua essentia constituto, advenit ipsi accidentaliter: Sed actui circa objectum bonum versanti in sua essentia constituto advenit imperium & ordinatio in ulteriorem finem; Ergo bonitas ex fine derivata non potest non esse accidentalis, cùm possit adesse & abesse, permanente eodem actu. V.g. idem misericordiæ actus in sua specie permanens accidentaliter in finem pœnitentiæ, vel religionis, vel charitatis refertur. Cujus etiam signum est, quia habitus eliciens actum imperatum non desumit speciem essentialem à fine operantis; cùm enim essentia habitus sit invariabilis, nequit speciem sortiri à fine, qui pro operantis arbitratu variatur; absurdum verò est, toties habitum mutare essentiam, quoties mutatur intentio agentis: Atqui idem est specificativum habitus & actus ab ipso eliciti, cùm habitus non specificetur ab objecto, nisi mediantibus actibus: Ergo actus circa objectum bonum versantes, quantumvis imperati ab intentione finis superioris, speciem essentialem ab objecto desumunt. V.g. actus martyrii à charitate imperatus essentialiter specificatur ab objecto fortitudinis, quia actum bonum ordinari ad ulteriorem finem non mutat ejus naturam, quam proinde ordinatio supponit, non causat; ideo enim intentio actum illum imperat, quia circa tale objectum occupatur, aliàs casu & fortuitò actum illum imperaret: Ergo illum actum non præcipit nisi ut specificatum ab objecto, & fine operis.

Objicies authoritates & rationes. Ex authoritate quidem; nam sæpè post Aristotelem inculcat Divus Thomas, quod qui furatur ad mœchandum est magis fur quàm mœchus, & consequenter ille actus est magis in specie mœchiæ quàm furti, subindéque illa, non ista est essentialis. Addit etiam S. Doctor *art. 6.* quod sicut actus exterior accipit speciem ab objecto circa quod versatur, ita actus interior accipit speciem à fine, quia finis est objectum actus interioris. Et *art. 7.* docet, quod quando actus ordinatur per se ad finem, bonitas ex objecto continetur sub bonitate ex fine tanquam sub genere; species autem non continetur accidentaliter sub genere: Ergo bonitas ex fine in actu imperato non est accidentalis, sed essentialis.

Ratio à priori est: Actus voluntatis non specificatur ab objecto materiali, sed à formali, id est à ratione formali volendi, à qua desumitur differentia essentialis: Sed quando actus imperatur à fine, ratio volendi illum actum est finis, cujus gratiâ objectum illud eligitur; tota enim ratio quæ movet ad eligendum, non est nisi bonitas finis: Ergo actus ex fine bonus, in ulteriorem finem honestum ordinatus, à solo fine specificatur: sicut assensus conclusionis non accipit speciem ab objecto assensus materialiter sumpto, sed à motivo, & medio illius.

Ratio à posteriori est: Multi actus distinguuntur specie morali ex sola & præcisa intentione operantis, putà idem actus mendacii jocosi prolatus fine recreationis, distinguitur specie ab officioso proximi sublevandi gratiâ commodato, & à pernicioso nocendi causâ conflato. Similiter idem verbum molestum à Prælato zelo disciplinæ prolatum est actus observantiæ; animo moderatè jocandi, actus eutrapeliæ; animo admonendi ne uoxa deteriùs putrescat in corde, actus misericordiæ; animo detrahendi, actus contumeliæ; animo seminandi discordias inter amicos, actus susurrationis; animo confundendi, actus irrisionis: Ergo signum est actus morales non ab objecto, sed à fine speciem sortiri.

Respondeo ad authoritates, quod ille qui furatur ut mœchetur, non ideò dicitur magis mœchus quàm fur, quia actus furandi speciem sumit à fine luxuriæ, sed quia actus imperans est principalior, & erga luxuriam magis afficitur sic operans, quàm circa bonum alienum eripiendum. Certè cùm dicatur magis fur quàm mœchus, profectò utramque malitiam contrahit, utriusque turpitudine inficitur actus, quamvis finis perversi iniquitas magis ibi appareat. Adde Philosophum & Doctorem Sanctum loqui de actu imperante in quantum hujusmodi, qui ut est formaliter & reduplicativè imperatus, reputatur unus & idem cum imperante, & idem objectum respicit; si tamen ille actus specificativè, & in se spectetur, speciem priùs desumit ex objecto: qua distinctione omnes authoritates, quæ specie tenus videntur oppositæ, conciliam facillimæ sunt. Ad alium locum dicendum cum Cajetano, S. Præceptorem nomine actus exterioris intelligere actum imperatum, sive ab alia potentia, sive à voluntate elicitum: per interiorem verò actum intelligere imperantem, quia sicut actibus aliarum potentiarum accidit ordinari in ulteriorem finem, ita & actui interiori voluntatis; nam ideò S. Doctor asserit actum exteriorem ordinari ad finem, quia interior comparatur ad illum sicut formale ad materiale: patet autem

autem ex eodem S. Thoma suprà, *quæst.* 13. *art.* 1. quod actus imperans comparatur ad imperatum sicut formale ad materiale: unde pro eodem accipit actum exteriorem & actum imperatum. Cùm ergo ait actum interiorem specificari à fine, *quia finis est ob,ectum voluntatis*, illa causalis intelligenda est de fine ut abstrahit à fine operis, vel operantis; & ita universaliter verum est, finem esse objectum voluntatis; finem quidem operantis respectu voluntatis imperantis, finem verò operis respectu voluntatis operatæ.

Cùm verò tradit S. Doctor, bonitatem ex objecto contineri sub ea quæ est ex fine, tanquam speciem sub genere, facilè verum esse probatur, quando bonitas ex objecto nonnisi ratione distinguitur ab ea quæ ex fine petitur, ut cùm bonitas abstinentiæ ordinatur ad finem temperantiæ; quia tunc bonitas ex fine est essentialis, utpote indivisa ab ea quæ petitur ex objecto. Si autem sit diversa bonitas, tunc est difficilius explicatu, quomodo finis sit genus. Id tamen dupliciter intelligi potest. Primò bonitas finis dicitur generica, quia ut vidimus libro præcedenti, *dissert.* 2. *cap* 1. *§pecul.* 2. finis est universale & genus, non in prædicando, cùm finis sit circumstantia, genus verò ad substantiam pertineat; sed in causando, sicut Sol est causa universalis corporalium, & sicut justitia legalis respiciens bonum commune alias virtutes ad finem boni communis ordinat, religio ad cultum Dei, charitas ad ejus bonitatem. Quia ergo finis subjicit sibi media, meritò genus & universale in causando nominatur, subindeque bonitas ex illo petita generica dicitur. Secundò explicari potest cum Conrado, bonitatem finis appellari genericam, non in strictâ, sed latâ acceptione, quatenus nimirum genus sumitur pro quacumque re communicabili multis; bonitas autem finis, putà quæ à charitate profluit, in actus justitiæ, misericordiæ, aliosque effunditur, per se quidem in actus virtutum infusarum sibi subordinatarum; per accidens verò in actus virtutum naturalium & moralium.

Ad rationem à priori dicendum, motivum adæquatum eliciendi actum ex objecto bonum non esse solam finis honestatem; per se enim voluntatem allicit objecti boni rectitudo, etiamsi in finem ulteriorem non referretur; quia non puri medii, sed finis intermedii rationem habet, à fine quidem dependentem, sed in proprio sinu interna bonitate gaudentem: unde & actus imperatus habet & rationem intentionis respectu finis intermedii, & electionis, prout objectum quod prosequimur fini superiori subjicit; aliàs ille actus non haberet duplicem bonitatem, quod non negat Valentia cum quo in præsenti disputamus. Nec est simile quod subjungitur de assensu conclusionis, quia objectum conclusionis non habet rationem scibilis, nisi prout substat lumini principiorum; unde nec assensum conclusionis specificat, nisi ratione medii, propter quod assentitur: at verò honestas objecti per se bona est, per se nata allicere appetitum, & etiam à fine extrinseco minimè dependet, licèt ei supponi possit. Objectum quippe virtutis per se amabile est. Vnde aiebat Seneca epist. 114. *Iustum esse gratis oportet, non est quod expectes, quod sit justa rei pretium majus, quàm justum esse.*

Ad rationem à posteriori dicendum, omnes illos, qui enumerantur, actus distingui specie ex intentione operantis, non præcisè quà intentio est, sed prout finis intentus refluit & transit in conditionem objecti, sieque intrinsecam causat in actibus diversitatem; quando nimirum finis operantis, qui solet objecto esse extrinsecus, objectum ipsum ingreditur, & quodammodo in illo imbibitur. Et ita contingit in proposito. Cùm enim mendacium sit prolatio falsi cum intentione fallendi, planum est, intentionem pertinere ad objectum mendacii.

Quorum ratio radicalis est, quia cùm lingua sit interpres mentis, expandens quod in mente latet, speciale est omnibus peccatis linguæ pro distinctione intentionis distinctam habere malitiam, quia ad mentis, cordisque cogitationes & intentiones exprimendas verba sunt instituta. Et ideò linguam appellat Iacobus *universitatem iniquitatis*, quia verbis omnes cordis sordes, omnes mentis noxæ, omnes obliquatum intentionum putores veluti apertis emissariis, & cloacarum ostiis funduntur. Idcircò Sancti custodiam ori, & ostiū circumstantiæ labiis ponere tam serid, tam crebrò monent: quia periculum est non solùm falsa, sed etiam vera sine cautela dicere: quia in multiloquio non deest peccatum, in silentio vix adest. Alligant ergo Sancti sermones suos, advocant ad limam potiùs quàm ad linguam, ut sit gravitas in sensu, in sermone pondus, in verbis modus; ne per verba se inaniter lingua solvat, cùm restringi debet; aut cùm loqui utiliter potest, semetipsam pigrè restringat; ne aut laxa in vitium defluat, aut arctata nimis ab utilitate torpescat; ne sint loquutione præcipites, & quod volatilis animus citò concipit, levior protinus lingua prodat; ne per multiloquium exteriùs sparsum cor vim intimæ considerationis amittat. Audiamus Senecam epist. 40. *Summa summarum hæc erit tibi, tardiloquentem te esse jubeo. Imago animi sermo est: qualis vir, talis oratio.* Audiamus meliùs clamantem Bernardum: *Tenerum membrum lingua, & tamen vix teneri potest. Levis sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter urit: leviter penetrat, sed non leviter exit: leviter profert, sed non leviter revocatur: facilè volat, ideò charitatem facilè violat.* Legesis cap. 1. & 3. Epistolæ Iacobi.

Inferes 4. bonitatem quam actus habet ex circumstantiis, esse etiam accidentalem, utpote non minùs adventitiam illi quæ est ex objecto, eâ quæ est ex fine: & idem proportionaliter dicendum est de malitia. Nec obest quod aliquando circumstantiæ mutatio novam & distinctam speciem invehat; quia quando duæ species morales ordine quodam afficiunt actum, una dicitur accidens respectu alterius, nimirum ea quæ supervenit. Non obest etiam, quod bonitas, vel malitia ex circumstantia aggravante petitæ sint partes, vel modi intrinseci ipsius substantiæ actus, purà duratio, intensio, &c. Quia illæ circumstantiæ non afficiunt actum individualiter sumptum, nisi accidentaliter: cujus signum est, quod modò major, modò minor intensio, aut duratio in actu invenitur. Variatur enim quotidie judicium, & in contrarium vertitur, sæpeque mutatur animus nondum habens vigorem suum. *Mirum* enim *non est*, inquit Magnus Gregorius lib. 12. cap. 24. *si quis bona inchoet; sed valdè mirabile est, si intentione rectâ in bono opere perduret.*

Inferes 5. quantitatem bonitatis actus imperati aliquando commensurari bonitati actus imperantis, aliquando illi non correspondere. Etenim si actus imperans consideretur ut tendens ad proprium objectum, tunc non est necesse quod bonitatem actus imperantis adæquet, sive quoad substantiam, sive quoad intensionem; quia objectum imperantis potest esse nobilius, subindeque nobilior erit entitative actus imperans; & fine intensè amato, potest deinde medium, quod est objectum actus imperati, remissè appeti. Si verò actus imperatus reduplicativè consideretur ut tendens & relatus in finem actus imperantis, tunc bonitas imperantis refluit & redundat in actum imperatum, & quoad substantiam, & quoad intensionem; quia quanto finis actionis est excellentior, tanto & præstantior est actio; & qui desiderat intensè finem,

finem, media etiam ut conducunt ad finem ardentee concupiscit. Si verò intensio actus imperantis comparetur ut objectum ad actum imperantem, tunc intensio non derivatur in actum imperatum actu exercitum: v.g. si quis intendat elicere intensissimum actum amoris Dei, non propterea intensissimi amoris fervorem & meritum continuò habebit, si in exercitio tepidum actum amoris eliciat. Unde sequitur, quemvis non mereri quantum mereri intendit; quia quantitas meriti non petitur ex eo quod concupiscat desiderare; sed ex quantitate, intensione, & sinceritate actus exerciti. Qua in re multi semispirituales persæpe falluntur, qui magno se Dei amore flagrare confidunt, quia desideriis æstuant, quæ tamen in praxim nequaquam rediguntur. Vellem, inquiunt, et nihilo minus quàm Seraphim ardetem igne Dei & igne Deo, utinam Apostolorum zelum, Martyrum constantiam, Virginum candorem exprimerem. Bene est, sed si velles, cur non vis? Cur tepidus es? Cur minima negligis, qui tam magna animo & superficie cogitationis revolvis? Cur tam citò, dum teotaris & sine mora promis, qui magnis in speciem conatibus ad summa pervenire moliris? Timeo ne igne volatico fatuæ vanitatis ardeas, non solido genuinæ charitatis. Timeo ne ex illis sis, quorum graves culpæ superducta specie virtutes imitantur, quia imaginaria eorum pietas non solùm in pœnitentiam non humiliat, sed etiam superbia inflat. *Plerumque*, inquit Magnus Gregorius lib. 1. in Ezech. homil. 9. *impetus carnis se sub velamine spiritalis impetus palliat; & quod carnaliter facit, mentitur sibi ipsa cogitatio, quia hoc spiritaliter facit. Et quamvis* (addit part. 1. Pastoral. cap. 9.) *hoc elationis intentione appetunt, operaturos tamen se magna pertractant: sicque ut aliud in imo intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.*

REFLEXIO.

Si ad bonum opus & intentio recta, & objectum bonum, & circumstantiæ debitæ exiguntur, profectò ponentes corda nostra super vias nostras, videbimus cum Aggæo Propheta nos seminare multùm, sed inferre parùm; comedere, & non satiari; bibere, & non inebriari; operiri, & non calefieri; mercedes congregare, & eas in sacculum pertusum mittere, vel in dolium perforatum. In primis igitur huc noster animus, huc nostra intentio tendat, ut quidquid boni agimus, in Dei honorem & laudem sedulò referamus: quia *quidquid agitur*, inquit Magnus Gregorius lib. 1. in Ezechiel. hom. 7. *id radice intentionis pensandum est, quo merito apud judicium Creatoris habeatur. Cum enim*, addit lib. 1. Dialog. cap. 10. *perversa est intentio quæ præcedit, pravum est omne opus quod sequitur, quamvis esse rectum videatur.* Si verò Dei gloria unus sit scopus, non solùm sancta perficiuntur, sed indifferentia & honesta justa fiunt & divina. *Radix sit intus dilectionis*, inquit August. tract. 7. in epist. Ioan. *non potest de ista radice nisi bonum existere.* Quid prodest altam virtutis arborem erigere, si radicem ejus inanis gloria arefaciat? Cùm teste Bernardo, Deo quodammodo insulsa sit quævis operatio, *nisi omnium quæ agimus & patimur, ipse sit causa.* At quomodo Deus erit nobis causa agendi, qui propria commoda tam avidè quærimus, proprium honorem tam anxiè ambimus, tam jucundè excipimus.

Illéne verè canere potest illud prophericum: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, qui omnia ad proprium referens honorem in omnibus vult videri, nesciri odit, extolli avet, externa pietatis opera, si quæ edit, & quæ offert Ecclesiæ munera, sexcentis sui nominis titulis, familiæ tesseris, nobilitatis insignibus, Majorum inscriptionibus, Deo vacuis opplet. Et tamen Deo non tam munus quàm affectus placet, ut duarum viduarum exemplo claret, quarum altera victu modico Eliam pavit, altera duo minuta in gazophylacium misit. Quia ut ait Ambros. lib. 1. offic. cap. 30. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo. Quomodo à te proficiscitur, sic æstimatur. Vides quàm moralem judicem habeas, te consulit quomodo opus tuum suscipias, mentem tuam priùs interrogat.* Illéne sincerè Deum quærit, qui omnia propriis emolumentis metitur, ita propriorum avarus commodorum, ut nollam aliorum rationem habeat; quasi solus terræ spatium occupaturus sit, alis è toto terrarum orbe exulaturis?

Certè cùm video non paucos (quotidie autem flentes videmus) sibi solis optare quidquid illustre, quidquid splendidum, quidquid utile in Republica Christiana invenitur; ubique non modò primos, sed & solos esse peroptare, ut soli luceant, soli micent, soli colantur, aliis quibuslibet inumbratis; cùm, inquam, hæc video, cum Augustino tract. 27. in Ioan. concludo: *Vix quæritur Iesus propter Iesum.* Certè si Iesum propter Iesum quæreres, si non quæ tua sunt, sed quæ Iesu Christi concupisceres, utique gauderes ab aliis quibusvis gloriam Dei propagari, cùm sit messis multa, operarii autem, saltem boni & fideles dispensatores, pauci. Utinam gentium sumus, & quonam in sæculo nati sumus? Multi bona operari satagunt, sed per alios sancta patrari ægrè ferunt: & tantùm abest ut aliorum commodis aliquid cum propria incommoditate præstent, ut omnes vel maximè suis commodis cum aliorum incommodo consulant. Clerico Regularis, & Religioso Clericus invidet, eorumque *nonnulli sunt*, ut Gregorii lib. 1. dialog. cap. 10. verbis utar, *qui idcirco bona facere student, ut gratiam alienæ operationis obnubilent.* Si unius Dei honor in se & propter se placeret, parum tua referret an à Presbytero, an à Monacho, sive albo, sive nigro, an à laïco obveniret. Mosem imitarere *Num.* 11. objurgantem Iosue: *Quid æmularis pro me? Quis tribuat ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum.* Et Iacobum audires serio & Apostolicè increpantem cap. 3. *Si zelum amarum habetis, & contentiones sint in cordibus vestris, non est illa sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica.* Magno Gregorio obtemperares lib. 22. Moral. cap. 16. monenti: *Pia Pastorum mens, quia non propriam gloriam, sed authoris quærit, ab omnibus vult adjuvari quod agit. Fidelis prædicator optat, si fieri valeat, ut veritatem, quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.* Augustino pareres in Regula dicenti: *Charitas enim de qua scriptum est, quod non quærit quæ sua sunt, sic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus antepenit.* Succinit Bernardus homilia de discipulis Emaus: *Charitas nescit angulum; non amat proprium, deservire desiderat utilitatibus singulorum.*

Itaque exigitor planè intentio pura, sed sola non sufficit, nisi boni objecti sequatur electio, quia ut dissertatione superiori vidimus ex Bernardo, ut rectus sit intentionis oculus duo requiruntur, nempe *charitas in intentione, & in electione veritas*, & quod de se malum est, nulla potest intentione honestari; non enim facienda sunt mala, ut veniant bona.

Necessaria etiam est prudens circumstantiarum consideratio, & matura ponderatio, præsentia ordinans, futura prævidens; præterita recolens, & quæ possunt contingere, cuncta secum proponens, ut nihil à nobis prodeat subitum, nihil præceps, nihil incautum. Quia ut Gregorius, Bernardus, aliique Patres tradunt, quanto majora timentur esse dispendia, tanto

promptior & perfectior debet esse cautela. Minùs enim jacula feriunt quæ prævidentur, & tolerabilius mala mundi suscipimus, si contra hæc per providentiæ clypeum munimur. Maximè verò in cunctis debet præesse discretio virtutum moderatrix, affectuum ordinatrix, doctrix morum, quæ omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem & perpetuitatem confert; quam si tollis, & virtus vitium erit, ipsaque affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumque naturæ. Ex studio namque arcus interdum distenditur, ut in tempore cum utilitate tendatur. Tutiùs, teste Chrysostomo, interdum chorda remittitur, quàm nimium protendatur; quia remissa artificis peritiâ citius convalescit, quàm semel rupta ejusdem artificio reparetur. Cunctam ergo disciplinam moderetur æqualitas discretionis, ne vel nimia remissio nutritiva sit criminum, vel impia discretio sit parricida virtutum. Benè Seneca epist. 107. *Optimum est pati quod emendare non possis, & Deum sine murmuratione comitari.* Sed meliùs Papa Gregorius *lib. 24. Moral. cap. 5.* loquens de Prælatis: *Necesse est ne is qui præest vigilanter inspiciat, ne jura debita potestatis immoderatius exigat, ne disciplina jus mutetur in rigorem superbiæ; & unde à perversitate subditos restringere poterat, inde magis inventium corda pervertat. ::: Inde se qui præsunt circumspiciant, ut sibi, & subditis vivant; ut subditorum animadvertentes culpas corrigant, nec tamen per vim ejusdem animadversionis intumescant; ut quædam leniter correpta tolerent, nec tamen disciplinæ vincula eadem lenitate dissolvant; ut quædam tolerando dissimulent, nec tamen ea crescere dissimulando permittant.* Si hæc discretionis temperatura fortis & suavis, intrepida in perditos, plusquam mitis in humiles adhibetur, citò ad primam observantiam Regulares revocarentur, citò restauraretur Clerus, citò in officio continerentur Christiani. Væ ergo, væ Prælatis negligentibus, væ cæcis ducentibus, væ cæcis sequentibus. Si Episcopus, si Pastor, si Rector quilibet & Deum præ oculis pura intentione haberet, & bona semper eligeret, quia est in actu perfectionis, & prudentiâ spiritus omnia conditet, si ministerium suum impleret arguendo, obsecrando, increpando in omni patientia & doctrina, tandem aliquando collapsam disciplinam resarciret. Sed *qui honorem prælationis & dignitatem ambiant, innumeri sunt; qui verò laborem ministerii appetant, pauci*, inquit alicubi Gregorius Magnus.

Speculatio II.

Actus exterior nullam intrinsecam bonitatem actui interiori sincero & efficaci superaddit. Commendatio vitæ interioris.

Plures Patrum sententias hanc speculationem apertè significantes reflexione proxima referemus; interim eam hac ratione demonstramus. Sola potentia libera capax est moralitatis, sive bonitatis, aut malitiæ; cùm sola subjiciatur regulis morum, quibus minimè subduntur actus necessarii, ut ex prædictis manifestum manet: ergo solus actus interior est formaliter moralis, exterior verò extrinsecè, denominatione ab interiori petita: Sed actus qui non est intrinsecè moralis, non potest augere intrinsecam bonitatem: Ergo actus exterior nullam intrinsecam bonitatem actui interiori superaddit; actui, inquam, sincero & efficaci, quia inefficaci & semipleno voluntatis motui actus exterior adjicit bonitatem, non ex propriis actûs exterioris meritis, sed ex conjunctione ad interiorem efficacem unda derivatur. Quare qui vellet diligere Deum, sicut Beatissima Virgo, non tamen æquè mereretur ac Deipara; quia non peræquè intenso efficacis amoris fervore flagraret.

Intelligitur etiam assertio, modò actus interior conjunctione ad opus non fiat intensior & diuturnior, quod sæpè contingit tam in actibus bonis quàm malis. Et in hoc sensu veridicè dixit Augustinus lib. 13. de Trinitate, cap. 6. *Mala voluntate vel solâ quisque miser efficitur, sed miserior potestate, quâ desiderium malæ voluntatis impletur.* Quia nimirum dum potentiæ exteriores proniores sive ad bonum sive ad malum redduntur, suavior efficitur operatio, subindéque amabilior; unde crescit actus interior experientiâ operis. Et etiam, quia dum exercitii sentitur difficultas, crescit voluntatis conatus, ut obicem vincat, rumpat moras, tepôrem excitet, tollatque fastidium. Quod si voluntas eadem permanere supponatur, nulla procul dubio bonitas interna superadditur; quia ut S. Thomas *in 2. dist. 40. q. 1. a. art. 3.* scribit: *Actus exterior nihil addit ad meritum essentiale; tantum enim meretur qui habet perfectam voluntatem aliquod bonum faciendi, quantum si faceret illud; ut si facit unum actum, quantum si faceret multos, voluntate æqualiter perfecta manente.*

Dices: Actus interior & exterior prohibentur distinctis præceptis, donantur etiam diversis præmiis, si boni sunt; & differentibus pœnis puniuntur, si mali sunt. Nam in Decalogo non solùm adulterium & furtum prohibentur, sed etiam concupiscentia alienæ & alieni. Duorum æqualem habentium audiendæ Missæ, vel ad sacram Synaxim accedendi voluntatem, sacra participans majorem percipit fructum. Qui revera jejunio corpus affligit magis satisfacit debili, vel impedito voluntate jejunandi in actum se non exercente. Item aureola Martyrii non confertur nisi actu passo, secus verò illi qui æquali, vel etiam majori moriendi pro Christo voluntate æstuaret, quæsita etiã totis viribus patiendi pro causa religionis occasione. Denique per actum exteriorem irregularitas, excommunicatio, carcer, obligatio restituendi incurruntur; quibus tamen pœnis sola peccandi voluntas q à nibet efficax minimè plectitur.

Respondeo præceptorum distinctionem malitiæ diversitatem non arguere, quando ea eodem motivo statuuntur. Patet autem actum internum & externum à Deo eadem de causa vel præcipi, vel prohiberi. Fuit tamen conveniens, ut concupiscentia cordis, & executio nefandi operis diversis præceptis vetarentur, ne carnales homines sufficienter divinæ legi crederent obtemperare, si ab externis se facinoribus continerent; & divinæ legis immaculatæ convertentis animas puritas commendaretur, quæ non solos externos corporis, sed cordis potissimùm motus componit.

Ad exempla subjuncta dicendum, cum qui sacris, venerandisque mysteriis interest, vel potitur, non ideo majorem obtinere fructum, quia actu exteriori interno bonitas accrescit, sed quia gratia ex opere operato profluit ex fontibus Salvatoris, quâ effusione carent, qui ad Sacramenta non accedunt. Ad id quod subditur de satisfactione & aureola martyrii: respondeo, satisfactionem & aureolam non requirere opus magis meritorium, sed magis pœnale; quia congruum est ut actuali laboris experimento aliquod speciale solamen, aut decus respondeat. Vnde sæpè contingit opus magis meritorium esse minùs satisfactoriũ, proindéque satisfactio & aureola sicut non sunt majoris meriti essentialis signa, ita nec majoris bonitatis. Plectuntur autem actus externi ab Ecclesia, quia de internis non judicat; sed Deus qui scrutatur renes & corda, non minori afficiet pœna voluntatem efficacem mali, quàm operis exequutionem, quia apud eum voluntas

pro

pro facto reputatur, juxta illud Servatoris Matth. 5. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Unde August. lib. 1. de lib. arbitr. cap. 3. *Si cui non contingat facultas concumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse, non minus reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur.*

Instat Pontius ratione quæ sibi, ut ait, est unicum suæ sententiæ fundamentum: Actus malus externus superaddit malitiam actui interno, quia aliàs non teneremur exprimere in confessione actum externum, v.g. homicidium aut adulterium, sed sufficeret si diceremus nos habuisse efficacissimum patrandi peccati desiderium; si enim actus externus non augeat malitiam, nec peccatorem vituperabiliorem efficiat, nulla esset ratio cur externum opus exprimeremus. Non ut gravitatem & intensionem actus interni aperiremus, quæ sufficienter exponitur, dum dicitur tale extitisse desiderium quod ad operis positionem sufficeret. Non ad videndum an peccator sit obnoxius restitutioni; nam pœnitens potest firmissimum restituendi propositum habere, & multa sunt peccata ex quibus non oritur restituendi obligatio, ut violatio festi, & pollutio voluntaria. Non propter scandalum inde sequutum; nam sæpè nimis peccata externa clam peccator perpetrat. Uno verbo, non tenemur aperire in confessione, nisi quod requiritur ad explicandam speciem & numerum peccatorum: atqui si actus externus non addit malitiam interiori, exprimendo solùm internum cum suo objecto & circumstantiis, explicat quis speciem & numerum suorum peccatorum, tametsi non explicet externum: ergo non tenetur externum exprimere. Quod si actus externus malus aliquid malignitatis adjiciat interiori unde procedit, idem de actu bono perspicuum erit, cùm sit par utriusque ratio.

Respondeo nihil omninò referre ad hoc ut actus externus sit in confessione aperiendus, quod interiori malitiam superaddat, modò reverà malus sit, sive denominatione intrinseca, sive extrinseca à malitia interiori petita. Quia præceptum confessionis abstrahit ab eo unde malitia proveniat, sed quodvis opus malum imperat aperiri. Quare non propter illas dumtaxat rationes, quæ inter arguendum referuntur, peccata externa aperire tenemur; sed propter Dei præceptum, quo actos externos explicandos jubet, continens Ecclesiæ usus & praxis demonstrat. Cujus præcepti ratio sufficiens est voluntas Legislatoris, quæ peccatores ad illud onus astrinxit. Convenientia tamen præcepti non deest, quia nunquam perfectè efficacia voluntatis explorari potest, nisi per operis exequutionem; nam *à fructibus eorum cognoscetis eos*, & sæpè mens sibi interiùs blanditur, sibique videtur velle quod reapse non vult, saltem plena & consummata voluntate.

Pro solutione aliarum objectionum adverte, quòd licèt bonitas objectiva priùs inveniatur in actu externo debitis circumstantiis vestito, in quantum proponitur voluntati à ratione ut quoddam bonum apprehensum refundens bonitatem in actum interiorem, qui ab objecto specificatur; tamen bonitas formalis quæ convenit actui prout est tendentia in finem & alias circumstantias, primordialiter convenit actui voluntatis, unde in actus externos derivatur. Adverte iterum, difficultatem posse adhuc urgeri contra nostram sententiam; tum quia secundùm aliquos actus appetitus sensitivi participant internam libertatem, subindéque distinctam bonitatem & malitiam ab ea quæ convenit actibus voluntatis: tum quia secundùm alios voluntas movendo alias potentias influit & imprimit aliquid reale in illas, subindéque bonitatem, vel bonitatis internæ aliquem radium derivat. Sed quia gemina hæc difficultas supponit multa alibi discutienda, ideò non possumus hîc in ea dissolvenda immorari.

Atque hinc sponte fluit vitæ interioris, seu internæ conversationis, quæ vitæ spiritalis medulla est, commendatio, necnon Angelicæ præstantia doctrinæ, quæ Deum docet in spiritu & veritate adorare, dum totam honestatem, totum meritum solis actibus internis robustis asserit. Felix ergo, ut prosequitur Bernard. *lib. de interiori domo*, qui interiorem domum, id est conscientiam ædificat, dum in pace Christi fundatus, & in Dei amore solidatus, si exteriùs bella patitur, interiùs tamen non turbatur; si molestiæ foris perstrepunt, tamen usque ad silentium internæ quietis non irrumpunt; quoniam gustu internæ dulcedinis tactus, intus colligitur, totus Deum possidet, & in externa sese fundere non valens, totus per amorem intus quiescit. Facit Deo sanctuarium, dignum parat habitaculum, & domum cordis sic à peccatorum sordibus studet emundare, ut nec ratio decepta, nec voluntas perversa, nec memoria sit inquinata. Ibi sapientia ædificat sibi domum conscientiæ, erigitque columnas septem, bonam nimirum voluntatem, gratam beneficiorum memoriam, cor mundum, animum liberum, spiritum rectum, mentem devotam, rationem illuminatam.

In primis intus erigitur columna bonæ voluntatis. *Nam*, inquit cap. 8. *primum & principale bonum bona voluntas esse cognoscitur. Primum, quia à bona voluntate bonum omne inchoatur: principale, quoniam bona voluntate nihil hominibus utilius datur. Voluntas bona nec dari potest invito, nec auferri nisi volenti. Quantum vis, tantum mereris: quantum crescit voluntas tua bona, tantum crescit meritum tuum. Ita est, piissimus & misericordissimus Pater in eo redemptionem nostram posuit, in quo nullus nisi velit, potest egere. Amare namque homines æqualiter possunt, & divites & pauperes, etiamsi pecuniam æqualiter dare non possunt. Voluntas tamen bona non est, si non operatur quod potest.*

Excitatur deinde memoria beneficiorum Dei, qui bona tribuit, in periculis constitutos clementer eripuit, peccatis vinci non potuit, oblitos sui de se admonuit, aversos à se revocavit ad se, venientes benignè suscepit, pœnitentibus indulsit, perseverantes custodivit, stantes tenuit, cadentibus ne collidérentur, manum supposuit, malas delectationes in amaritudinem convertit, salubriter amaricatis consolationes tribuit, tribulatione purgatis quietem restituit & pacem. Anima ergo intus collecta memoriam suavitatis Dei eructans recogitat quanta sibi Deus impertitus est, non roganti aut desideranti, sed ingrato, sed recusanti, & penè invito. Quidni omni momento Dei recolat beneficia, cùm nullum sit momentum quo nõ ejus obruatur misericordiâ? Gratiarum memoriam sequitur cordis munditia, ut eum toto corde diligamus, à quo tanta beneficia accepimus. Munditiam cordis comitatur libertas animi, ut nulla perturbatione concussus, nullis capiatur illecebris, nullis frangatur molestiis, sed possit cùm voluerit, aut sibi intendere, aut proximiorum saluti inservire, aut in cœlestium contemplatione quiescere. Ex libertate mentis profluit spiritus rectitudo, obliqua & tortuosa ad amussim applicans; quia dum intra se habitat, nec exit, mentis speculum quotidie inspicit, quotidie tergit, quotidie tenet, quotidie custodit; inspicit, si quid displicet Deo; tergit, ut nihil remaneat, quod offendat Deum; tenet, ne deorsum corruens, & terrenorum affecto sordescens recedat à Deo; custodit, ut quotiescumque intrare voluerit, receptaculum mundum inveniat Deus. Rectitudini spiritus adjungitur mens devota, totum absorbens affectum, nonnisi IESUM, & ea quæ sunt IESU sentiens cuncta quæ adsunt, tanquam non sint considerans, sola interiora amat, solis cœlestibus inhiat, soli divinorum

incumbit amori. Mentem devotam veri luminis perfundunt radii, & scientiæ Sanctorum plenitudo, quia dum seipsum animus sedulò intuetur, surgit in Deum. *Præcipuum* enim, *& principale speculum ad videndum Deum, est animus rationalis intuens seipsum. Si enim invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, ubi quæso, quàm in ejus imagine cognitionis ejus vestigia expressiùs impressa reperiantur?* inquit laudatus Pater.

Bonum est, Lector, bonum est nos hîc esse. Quàm fortunata anima, quæ ad dilecti sui adventum summo cum desiderio semper inhiat, semper parata & expedita est, ut pulsantem cœlestem sponsum absque ulla dilationis injuria suscipiat, ut vocanti cum omni alacritate occurrat, ut ingredientem toto amore complectatur, ut sola deinde cum solo moretur, & exteriorum omnium oblita ejus dumtaxat dulcedine perfruatur! Quàm suave ascensiones in corde suo disponere, mentis excessu experiri, quoniam suavis est Dominus, meditatione assurgere in contemplationem, contemplatione in admirationem, admiratione in mentis alienationem!

Attende ergo tibi, Lector Theologe: vitæ interiori setiato operam da, loquere ad Deum intra te, & loquentem ad te Deum intus audi. Spiritus enim Deus est, spiritus & anima tua, & habent ambo linguas suas, quibus sese vicissim alloquantur. Verbi lingua favor dignationis, animæ lingua fervor est devotionis. Verbum Dei loqui ad animam, est infundere unde illa amet & confidat amari: animam loqui ad Deum, est mirari dignationem, & stupere ad gratiam. *Loquutio Verbi, infusio doni*, ait præfatus Doctor Mellifluus serm. 45. in Cant. *responsio animæ, cum gratiarum actione admiratio. Et idcirco plus diligit, quod se sentit in diligendo victam; & ideo plus miratur, quod se præventam agnoscit.*

Ejusdem interioris vitæ inchoatam felicitatem alibi sæpè, sed nominatim homilia de duobus discipulis euntibus in Emaüs, explicat idem doctus à Domino Bernardus, cujus tibi succum, detractis nonnullis, additis aliis, claritatis gratiâ verbis, Lector, eliquabo; ornam tibi, & mihi interdum liceat experiri. Convertere anima mea in requiem tuam: elige iotus conversari cum Deo tuo, cujus dulcor præsentiæ omnem excedit eloquentiam, totam absorbet conscientiam, & transformat in supernæ jobilationis imaginem & deliciarum cœlestium novitatem. Quàm mira suavitas, quæ totas inebriat medullas animæ! Quàm dulcia faucibus mentis Dei loquentis ad cor eloquia, ex quorum singulis verbis sentitur quidam ignis erumpere, qui totos depascit angulos amantis conscientiæ; cùm nimirum per orationem illuminatur meditatio, in meditatione exardescit oratio, & in contemplatione suspenditur admiratio. Meditatio ruminat beneficia, quæ ante mentis oculos digna cum gratiarum actione reducens, & in vasculo pectoris pistillo crebræ considerationis conterens, igne sancti desiderii suavissimè inardescit. Oratio verò fundit suspiria, piæ devotionis stillat aromata, tota resolvitur in lamenta. Contemplatio autem radius est suavissimus, quo anima per cincinnum capitis elevatur, cum meditatione exardescente, & oratione scintillante. Unde nascitur in corde jubilus quidam, scilicet mellifluos cordis rivus, quem nemo scit, nisi qui sentit, nec etiam ipse qui sentit, quia citò pertransit. *Felix hora, sed brevis mora, qua factum est silentium in cœlo quasi mediâ horâ. Norunt experti quæ dico, qui hac experientia suavitatis intimè didicerunt.* Quando nimirum erumpit de medio ignis decori contemplationis radius, & scintillæ quasi æris candentis, suspiria scilicet conscientiæ jubilantis. Quando effunditur stilla dulcedinis totam mentem inebrians, totam mentis latitudinem novis deliciis coangustans: quando Deus cordi illabitur, & interiùs loquens amoris submoistrat incendia, & quasi oleum projicit in flammam. Quando illo, quem diligimus, nec videmus, ad memoriam reducto, dulcis dolor augmentatur, & amor semimortuus in eaminum prorumpens de igniculo, puros in medullis reviviscit, & resloret. Deus, Deus quantas jubilationes concepta de tua absentia tristitia gignere solet! Et quàm suaves suavitates ruminatæ, & quàm dulcia suspiria tunc peteurrunt in corde! *Bone Iesu, quàm jucundo consolaris susurro, quos de tua vides absentia contristatos! Quàm libenter astas orantibus, assistis suspirantibus respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos! Quàm jucundus latitas post parietem nostrum, ut audias voces orantium, & dulcescant tibi dolores diligentium, de pœnis videas innocentium!*

Si hæc aliquando rerum experire, Lector, quàm libenter exteriora contemneres! Quàm ardenter ad regnum Dei, quod intra nos est, quodque non est esca & potus, sed gaudium & pax in Spiritu sancto, suspirares! Quàm festinè & festivè ante lucem surgeres ad quærendum dilectum, ut vigiliis intenderes, ut effunderes cor tuum coram Domino, ut cœlestibus abundans deliciis super hoc expavesceret cor tuum, & dulci suavitate moveretur de loco suo; ut in lectulo etiam tuo quæreres per noctes quem diligit anima tua, & ad ejus loquelam liquefieres. Scaturire enim solent sponsi verba teneritudinem amoris, & quasi mustum quod dirumpit novas laguneulas, de medullis procedere diligentis. Solet inæstimabilis redundare in labiis intus loquentis sermonis elegantia super mel & favum, & dulcescere ejus eloquium super omnia aromata. Solet inter gratiosa susurra, inter devota suspiria non diu abscondere multitudinem dulcedinis suæ, quam abscondit timentibus & diligentibus se. Solet per occultam iospirationem, per sacram psallentium conspirationem, per Scripturæ sacræ lectionem tristitiam in jubilum commutare. Quod si aliquando recedere, & ab oculis evanescere videatur, sentitur quidem dolor, sed suavis, utpote de amoris fonte promanans. *Mira res, cùm incipit Magister cordi dulcescere, tunc fugit, ut de absentia sua facias nos dulciter dolere. Tales sunt amoris deliciæ.*

Quod si nondum tam felicis experientiæ gustum noveris, si quadam duritiâ cor tuum senseris indevotum, insta orationibus, intende meditationibus, ingere te vigiliis, sint oculi tui sicut piscinæ in Hesebon præ multitudine lacrymarum, indeficienti & sacra obstinatione vince Dominum majestatis, & dic ei, ut maneat tecum, quoniam advesperascit. Quia omnium te obnubilant tenebrarum angustiæ, te confundit mœror tristitiæ, omnes mentis angulos ventus tentationis concutit, timor & tremor venerunt super te, contexerunt te tenebræ, & infirmata est in paupertate virtus tua. Ad ipsum ergo clama, ne cesses; ad eum intenti sint oculi tui, & multitudine miserationis ejus concipe fiduciam, ne tradat animam confitentem sibi potestatibus tenebrarum. Viriliter age, confortetur cor tuum, & sustine Dominum, & orietur ut lucifer splendor ejus, cùm te consumptum putaveris; si enim instantibus & humilibus precibus eum advoces, veniet, & non tardabit, & tunc dulciter coges cum ad manendum, invitabisque ad cœnandum, juxta quod scriptum est: *Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad eum, & cœnabo cum eo, & ipse mecum.*

REFLEXIO.

Non minùs solves, Domine, non minùs solves, inquiebat è modernioribus viris sanctis nonnullus post exanglatos

exantlatos sine fructu Apostolicæ vitæ labores, quia per ipsum nullo modo steterat, nulla in ipso mora fuerat, quominus felicem sua prædicatio sortiretur effectum. Quantum in se erat, toto corde plantaverat, tota sollicitudine rigaverat, sed Deus incrementum non dederat. Quàm bonus, quàm suavis, quàm commodus negotiator Deus, apud quem sincera voluntas pro facto reputatur! Vide quid dixerit Abraham non mactanti filium, sed mactare parato: *Quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi*, ut dicitur Genes. 22. Et rationem dat Chrysostomus *homil.* 47. quia *quantum ad voluntatem cruentaverat dexteram Patriarcha, perfectumque obtulerat sacrificium; & idcirco Dominus quasi sacrificio reipsa consummato, laudat justum.* Vide quomodo duo pauperis viduæ minuta in gazophylacium missa profusis divitum eleemosynis Salvator prætulerit, quia non operis externi decus, sed efficacem puri cordis respexit affectum. *Viduam*, inquit Cyprianus tract. de operib. & eleem. *cùm videret Dominus, non de patrimonio, sed de animo opus ejus examinans, & considerans non quantum, sed ex quanto dedisset, dixit: Vidua ista plus omnibus misit in dona Dei.*

Profectò malus mercator est, qui non vult cum Deo inire commercium, cui non minùs accepta est sinceri animi promptitudo, si reverà desit operis externi facultas. *Ante oculos Dei*, inquit Magnus Gregorius homil. 5. in Evangel. *nunquam vacua est manus a munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate.* A jejunio excusatur infirmus, ad eleemosynam erogandam non tenetur mendicus: sed quonam obsecro, perfugio utetur, quam speciosam obtendet causam, qui bona caret voluntate? *Quia*, inquit August. in Psal. 105. *si non habet saccus vel arca quod donet, habet cor & voluntas.* Nihil autem facilius quàm velle, sicut nihil utilius benè velle. *Si enim voluntas prompta est*, inquit Apostolus 2. Corint. 8. *secundùm id quod habet accepta est, non secundùm id quod non habet.* Age ergo, Lector! esse serve fidelis, animum erige, ne corde cadas, ne mentem despondeas: quæcumque non potes, si verè velis, apud Deum fecisti, à Deo mercedem accipies. *Mens enim bona studii ac pii voti*, inquit Salvianus in prol. lib. de provid. *etiamsi effectum non invenit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis.*

SPECULATIO III.

Triplex est regula bonæ operationis, lex æterna, ratio recta, & divina voluntas cognita vel per præceptum, vel per inspirationem.

Prima ergo regula est lex æterna, quæ est veluti ratio Dei, quæ de se est firma, constans, invariabilis, quæ sunt conditiones necessariæ, ut aliquid sit primum in aliquo genere. Etenim effectus qui pendet à causis subordinatis, magis à prima dependet, quàm à secunda, quia ista agit in virtute illius. Sed omnis regula creata, ipsa etiam ratio recta subordinatur legi æternæ, juxta illud: *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Signatum est super nos lumen vultûs tui Domine*, id est lumen rationis mentibus nostris divinitus insculptum, quatenus est participatio vultûs & luminis divini, seu legis æternæ, dictat nobis quomodo sit declinandum à malo, & bonum faciendum; ideoque peccatum dicitur, *Dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam.* Ergo prima regula totius honestatis est lex æterna animabus nostris sine magistro inspirata, sine appatitore intimata. Unde August. *lib.* 2. *de serm. Domini in mont. cap.* 9. ait: *Nulla anima est quæ ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur Deus.*

Et ita agnovit ipse Tullius *lib.* 2. *de legib.* dicens: *Sapientissimorum fuit sententia, legem neque hominum ingeniis fuisse excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum, sed æternum quiddam, quod universum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia.*

Et certè hanc æternæ legis notionem nobis impressam esse, & in aliqua saltem sui irradiatione conspicuam, constantissimum est. Veritatis enim insita cognitio, innata ad bonum propensio, & à malo aversio sunt æternæ legis derivationes, & quædam veluti transumpta, & exscriptiones, quibus & ad æternæ legis notitiam manuducimur, & ad ejus observantiam Dei nomine allicimur ac munimur. Quod sanè arcanum celebriores Philosophos non latuit, qui propterea felicitatem, *Vitam naturæ convenientem*, definierunt. Naturæ autem nomine non solùm rationem intellexerunt, juxta illud Senecæ: *Multos reges, si te ratio rexerit: vis tibi subjicere omnia, subjice te rationi.* Nec solùm pro universi ordinatissima constitutione acceperunt, secundùm illud ejusdem Philosophi: *Quàm suave est cum universo rapi!* Sed etiam legem æternam in mente Dei existentem, & variis in nobis characteribus inscriptam interpretati sunt, juxta illud ab eodem Stoïco identidem repetitum: *Deum sequere. In regno nati sumus, Deo parere libertas.*

Secunda regula est ratio. Quia bonitas voluntatis pendet ab objecto; objectum autem voluntatis est bonum per rationem propositum, non solùm speculativè, sed & practicè, quatenus & hîc & nunc, tali vel tali modo agendum: Ergo ratio recta habet rationem regulæ & amussis, ad quam exigenda & mensuranda est boni operis rectitudo. Unde in progressu rectæ operationis mira contingit circulatio; nam ratio non est recta nisi per conformitatem ad appetitum rectum; & rursus ut appetitus rationalis sit rectus, debet esse conformis rectæ rationi. Qui tamen circulus non est vitiosus, quia ideò appetitus circa media est rectus, quia est conformis rationi debita media proponenti; ratio verò ideò circa media recta est, quia est conformis appetitui recto circa finem; intentio verò finis recta est per conformitatem ad judicium synteresis: judicium autem synteresis per conformitatem ad legem æternam rectitudinem sortitur. Intelligitur autem hæc doctrina de ratione practica, & non tantùm speculativa; sæpè enim contingit quod judicio speculativo existente falso circa media, appetitus rectus est circa illa, ut patet in illis qui peccant ex ignorantia invincibili, sicut cùm Iacob accessit ad Liam, quam suam arbitrabatur: & è contra judicio speculativo existente vero, potest appetitus esse perversus, ut patet in eo qui judicans furtum esse malum, nihilominus furatur, videns meliora, probansque, & deteriora sequens. Verùm id non continget post judicium & dictamen prudentiale hîc & nunc præcipiens & informans operationem; quod dictamen intelligimus in præsenti per rectam rationem, quæ etiam reverà coincidit cum jure, & lege naturali.

Tertia regula est divina voluntas, quæ cùm sit ipsa rectitudo, ipsa sanctitas per essentiam, illi conformari debet omnis humanæ vitæ rectitudo, juxta illud August. in Psal. 32. *Rectum cor habet, qui vult quod Deus vult.* Unde in omnibus operibus nostris tenemur ex præcepto dilectionis Dei super omnia eundem finem ultimum, quem habet voluntas divina, vel formaliter, vel virtualiter prætendere, quod est ei in genere causæ finalis, & in volito formali conformari: quia tunc ad idem scopum divina & humana voluntas sub eadem boni divini ratione collimant. Non tamen semper tenetur creata voluntas divinæ in volito materiali conformari; quia licèt omne quod Deus vult sit bonum per ordinem ad bonum universale,

quod ipse, qui est provisor generalis, quærit; illud idem tamen potest ille malum respectu agentis particularis. Hac de causa *tome 5. dissert. 8. cap. 2. specul. 3.* diximus, quod quia Deus est provisor universalis, cujus est commune universitatis bonum curare, potest multa mala pœnæ inferre, & ipsa etiam mala culpæ permittere, ob latentes profundissimorum consiliorum suorum rationes; quæ tamen amare, vel procurare, vel in illis complacere, nec debet, nec potest voluntas creata, quia est causa particularis, cujus est peculiare bonum providere,& mala imminentia à se depellere,& totis viribus amoliri. *Aliquando bona voluntate*, inquit Augustinus in Enchir.cap. 10.*homo vult aliquid, quod Deus non vult. Tanquam si bonus filius patrem velit vivere, quem Deus bona voluntate vult mori.* Sic etiam infirmus potest adhibere remedia adversus infirmitatem, quam tamen divina voluntas decrevit; potest, inquam,non conando voluntatem divinam infringere,aut impedire, quia non solùm irrita foret contentio (voluntati enim Dei efficaci quis resistit? & quis eam frustrare connititur, in illam volens nolens relabitur, ut aliàs demonstravimus;) sed etiam perversus foret ille conatus; adoranda enim, reverenda,amanda sunt divinæ voluntatis, & supremi provisoris arcana, tametsi non sint à nobis agentibus particularibus in exemplum proponenda.

Imò licèt volitum materiale divinæ voluntatis non sit à nobis semper eligendum, tamen ipsa ratio, propter quam Deus vult, nimirum justissima & sanctissima rerum omnium dispositio à sapientissimo gubernatore provisa, semper amanda, semper optanda est, ut fiat sicut in cœlo,& in terra. Et fortè hoc pacto in concordiam vocari possunt antiqui quidam Theologi affirmantes nostram voluntatem divinæ debere in volito materiali conformari, ex lege perfectæ amicitiæ, quæ concordem in omnibus amantium exigit consensum, idem velle, idem nolle, cor unum, & animam unam postulat. Sed illi Doctores absque negotio explicari possunt de volito materiali, non præcisè secundùm se spectato, sed prout substernitur fini agentis supremi, & Regis totius universi; qui finis est summa Dei bonitas omnium aliorum volitorum regula & mensura, cui conformari exigit amicitia, quæ magis in concordia voluntatum quoad finem, quàm quoad ipsa volita consistit. Præsertim quando ipse amicus vult quidem laudari, probari, & amari sua consilia; sed non in exemplum trahi ab agentibus particularibus, quæ debent intra sphæram suæ, ut sic dicam, parvitatis contineri, cætera verò divinæ providentiæ committere, eique ultrò parère, cum quo semper temerè & frustra pugnatum est; cui omnes voluntates bonæ, malæque militant; cui rationes factorum suorum sine dubio constant, etiam cùm de illis nihil nobis constat; cui nihil difficile, nihil impossibile, cùm non vincat solùm obluctantes hostes, sed ita vincat,ut arma pro Dei victoria ferant; ita flectat, ut quæ contra voluntatem ejus creaturæ moliuntur, ejus serviant voluntati. Cæterùm investigabiles vias ejus, latentes fines, supremas ideas nec rimari debemus, nec imitari, sed mirari, & venerari. Nec propterea erit discordia voluntatum, quia idem materiale objectum sub ratione superiori & æterna vult Deus, sub ratione particulari non vult creatura; sicut nullum est inter voluntatem antecedentem & consequentem dissidium, quia sub diversa ratione procedunt, dum illa salutem reprobi vult,ista justam statuit damnationem; quia prima personam reprobi in se præcisam à circumstantiis inspicit, secunda ut eisdem involutam attendit. Et ita ferè in proposito.

Tunc ergo solùm divinæ voluntati conformari tenemur, quando innotescit per præceptum, vel per afflantis Spiritus inspirationem. Tenemur quidem, quando præcepto manifestatur, quia ut docet S. Thomas 2.2 q.104. art.4 ad 3. *Etsi non teneatur homo velle quod Deus vult* (scilicet quoad volitum materiale) *semper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle; & hoc homini præcipuè innotescit per præceptum divinum, & ideò tenetur homo in omnibus divinis præceptis obedire.* Secundò innotescere potest divina voluntas secretis inspirationibus, quibus interdum ad insolita cientur viri Sancti, quæ vix honestari possent, nisi in illum referrentur, qui est conditor legum, ut cùm S. Apollonia majori igne succensa sese in ignem præcipitem dedit; & alii per multos dies & hebdomadas abstinuerunt à cibo, & idem dic de cæteris similibus, quæ ad miracula revocantur. Per inspirationes etiam internas intelligimus sacras illas immissas cordi cogitationes, quibus ad opera consilii, vel ad æmulanda charismata meliora permovemur. Nec enim probari potest eorum laxissima sententia, quæ affirmat, nihil peccare eos,qui sacros inspirationum motus vel negligunt, vel repellunt. Licèt enim non teneamur, nec sæpè debeamus omnes quæ occurrunt pias cogitationes sequi, quia probandi sunt spiritus si ex Deo sunt, nec omnia possumus omnes; si quis tamen eò rerum spiritalium fastidii, eò erga salutem & profectum corporis deveniret, ut nullum sacris inspirationibus ad meliora extimulantibus locum dare constitueret; certè qui sic esset comparatus, peccati saltem venialis reus esset: nam juxta communem Christianæ pietatis sensum, quotquot non solidæ virtutis expertes, de divinarum inspirationum neglectu & repulsa humiliter se accusant, ne [illegible] ecus ac de infidelitate spiritali, quâ Deo ad majora vocanti non respondent. Quia nimirum sciunt Deum hujusmodi repulsam interdum non leviter punire, dum eos cadere sinit qui progredi non nituntur; & ab illicitis & lethalibus rapi, qui semper permissis indulgent, juxta illud Augustini epist. 143. *Tandiu non relabimur,quandiu ad priora contendimus: at ut cœperimus stare,descendimus,nostrumque non progredi, reverti est. Si volumus non redire, currendum est.* In his tamen magnâ prudentiâ & discretione opus est, præsertim circa cogitationes inspirantes status per se boni, & non corrupti mutationem. Si enim in eo positus sis, in quo tuæ vocationis perfungi officiis non valeas, sine mora ad alium tutiorem transeundum est, & in re tam justa nulla est consultatio. Quia licèt semper ad perfectiora,& saluti viciniora contendere debeamus, nemo quippe perfectus, qui perfectior esse non appetit; quia cùm consummatus fuerit homo, tunc incipit: nihilominus non debemus omni spiritui mutationem status per se boni specie melioris suadenti credere, nec citò moveri certa pro incertis deserendo, scientes diabolum soli semper perseverantiæ insidiari, quam solam virtutum novit coronari; tutiusque esse in ea vocatione, quâ vocati sumus, simpliciter perseverare, quàm sub specie quasi melioris boni, id quod jam cœpimus, amittere, nec ad id quod præsumimus, fortassis sufficere.

Objicies contra primam partem: Illa non potest dici primaria regula bonitatis & malitiæ, quæ supponit actum esse bonum, aut malum; frustra enim diceretur prima alicujus operis regula, postquam opus factum esset: Atqui lex æterna supponit actum esse bonum,aut malum, præsertim quando actus est bonus vel malus ab intrinseco ex objecto essentialiter bono, vel malo: v. g. amor Dei est actus intrinsecè bonus, sicut odium Dei est a[illegible]us intrinsecè malus; nec talea fiunt, quia Deus judicat, sed ideò Deus judicat esse tales, quia reipsa ita se habent: Ergo prima regula bonitatis moralis non est lex æterna. Major est clara, minor etiam videtur perspicua, & insuper suadetur.

Etiamsi

Etiamsi nulla lege præciperetur amor Dei, aut vetaretur odium, aut certè non intelligeretur vetitum, semper amor esset bonus, semper odium esset malum, & disconveniens. Certè sicut calor non ideo est malum aquæ, quia Deus judicat illud esse malum, sed ideo Deus judicat, quia reapse illi malum est: ita judicium Dei de bonitate ac malitia objectorum & actuum, præsupponit bonitatem, aut malitiam eorum; aliàs nullus esset actus, quem Deus non posset permittere.

Respondeo, essentiale esse actui cuivis bono esse juxta legem, sicut malo esse contra legem. Vnde in Scriptura peccatores dicuntur prævaricatores. Ps. 118. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Rom. 4. *Vbi non est lex, nec prævaricatio.* Vnde Ambros. lib. de de Parad. cap. 8. *Quid est peccatum, nisi divinæ legis prævaricatio, & cœlestium inobedientia mandatorum?* Licèt ergo dentur actus intrinsecè boni, & alii intrinsecè mali; idto tamen tales sunt, quia essentialiter concordant, vel repugnant legi æternæ, per quam non debet intelligi judicium, vel cognitio libera subsequens Dei decretum, & supponens bonitatem, aut malitiam in actu, ut putant adversarii; sed debet intelligi dictamen Dei præcipiens, quod est ipsa Dei essentia, ut habet rationem speciei expressæ respectu intellectus divini, cui ea quæ sunt de jure naturali necessariò repræsentat. Vnde sicut verum est dicere: Homo est rationalis, quia est conformis divinæ ideæ sic hominem repræsentanti, licèt homo sit essentialiter rationalis; ita odium Dei non est malum, nisi quia prohibitum lege æterna, seu expressione necessaria divini dictaminis, licèt odium illud sit ab intrinseco malum. Quare si per impossibile non esset Deus, nec lex æterna, vel in se, vel participata in dictamine rationis, tunc non daretur peccatum morale, sicut non datur in brutis, sed solummodò daretur peccatum prout dicit defectum naturalem, eo ferè modo quo calor dicitur malus respectu aquæ; vel ad summum daretur bonum, vel malum morale fundamentaliter, non formaliter, utpote non consonum, vel dissonum ulli regulæ morum.

Hinc fit, peccato essentialem esse rationem injuriæ Dei, ut primi & supremi legislatoris; omnis quippe peccator sciens transgreditur legem naturalem, quæ est emanatio æternæ, nec deest illi sufficiens notitia; sicut enim natura ita sentit Creatorem, ut illum non possit invincibiliter ignorare: ita lea naturalis percipit æternam, cui veluti clientelæ jure obstringitur. Cujus argumentum est, quod sciente peccans percipit se reum pœnæ à supremo judice, quem propterea timet, infligenda. Idque Philosophi ratione duce noverunt; Plato enim, teste August. *lib.* 8. *de Trinit. cap.* 10. & 14. dicebat, in rebus humanis nihil esse Deo & virtute gratius, nihil vitio & peccato ingratius. Quod si aliqui id non sentiunt, magna est obstinati, & multitudine peccatorum obscurati cordis pœna. Ex quo fit, omnia peccata esse rebelliones, & contra obedientiam latè sumptam, quæ est virtus generalis in omnibus actibus bonis inclusa; non strictè sumptam, nisi quando violatur præceptum ex contemptu, vel ex speciali amore libertatis eximentis se à lege, excutientis jugum superioris, & in vetitum singulari complacentia nitentis, vel taodem odio subjectionis ad legem, quia tunc prodit ea adipe iniquitas, & est manifesta rebellio.

Objicies 2. contra secundam partem, seu alteram regulam honestatis. Regula bonitatis antecedit, non subsequitur bonitatem actuum: Sed recta ratio subsequitur bonitatem objecti; nam objectum non dicitur honestum, quia judicatur tale; sed ideo tale judicatur, quia revera ita se habet: Ergo recta ratio non est regula bonitatis actus. Ex quo etiam sequeretur circulus vitiosus inter actum bonum, & rectam rationem; nam recta est ratio, quæ præcipit actum bonum; actus verò bonus est, quem præcipit recta ratio; subindeque & actus bonus per rectam rationem, & vicissim recta ratio per actum bonum definientur. Imò recta ratio in sui definitione involveretur; recta enim ratio est quæ bonum objectum præscribit; objectum verò bonum est conforme rectæ rationi, undè recta ratio definitur per ordinem ad objectum, in quo ipsamet implicatur.

Respondeo, rectam rationem non posse excludi à ratione regulæ bonitatis, cùm teste Philosopho 6. *Ethic. cap.* 1. & 2. recta ratio definiat modum virtutibus omnibus moralibus consentaneum, ideoque in illam veluti signum respiciunt, & tanquam in scopum collimant universæ, sicut artifex ad ideam operis attendit, ut opus perfectum elaboret. Hinc etiam communiter docent Theologi, quod sicut triplex est regula operationum omnium, natura, ars, ratio; ita vitia sunt in triplici differentia; alia sunt defectus naturales & peccata, naturæ scilicet monstra; alia sunt aberrationes artificum à recta linea declinantium; alia inquinamenta morum à recta ratione declinantium. Et certè mirari subit, cur aliqui recentiores, quos sequitur P. Georgius de Rhodes, rectæ rationi munus regulæ vitæ moralis denegarint, cùm ipse homo non sit agens morale nisi per rationem, quam solemus consulere ut rectè agere valeamus, cùm etiam actus quantumlibet sint intrinsecè boni aut mali, nunquam tamen tales moraliter dicantur, si absit judicium, & dictamen rationis, ut patet & in pueris, & in amentibus, & in operantibus vel ex conscientia erronea, vel ex ignorantia invincibili.

Ad argumentum ergo dicendum, falsum esse, actum bonum præsupponi ad dictamen prudentiale præscribens & mensurans bonitatem; cum enim ad ipsum pertineat determinare medium & modum operis agendi, non potest præviè, & independenter ab ipso opus dici bonum. Peccat etiam hoc argumentum sicut præcedens, quia confundit judicium de bonitate actus cum dictamine inspirante, & informante opus bonum, sicut idea artis præscribit & informat opus artificiale. Vnde tunc opus judicatur bonum, quando videmus esse conforme dictamini prudentiæ; malum verò, si difforme. Nec ullus committitur circulus vitiosus, ut inter probandam speculationem dicebamus; quia actus est bonus, qui est consonus rationi, non speculativæ tantùm, sed practicæ, idest dictamini recto: ratio autem, & dictamen recta sunt, si sint conformia legi æternæ: onde nec idem involvitur in definitione sui ipsius, quanvis si sub diversa ratione id contingat, nullum fit inconveniens, præsertim in entibus respectivis, quorum unum clauditur in conceptu alterius; quia relativa sunt simul naturâ, & cognitione.

Ex his apertè sequitur, primariam regulam vitæ moralis non esse naturam rationalem, ut præfati recentiores opinantur. Natura enim rationalis præcisè sumpta pertinet ad ordinem physicum; ipsa sicut indiget dirigi regulis, ità eis subjicitur, nec est regulâ dirigens, sed subjectum directionem recipiens. Regi enim debet natura rationalis, & per rationem, & per præcepta, quibus in suum finem permovetur, & via illi, quam sequi debet, præmonstratur.

REFLEXIO.

Non in solo claustro præscribendæ sunt, & observandæ regulæ. Omnem Christianum, imò omnem hominem regularem esse necesse est, quia & in sæculo,

& in Religione, & in civitate non minùs quàm in Cœnobio ad tres præfatas exigere regulas singula opera nostra & possumus, & debemus.

In primis præ oculis habenda est lex æterna, seu supremi Domini & Legislatoris jus, quod est fons legum omnium, quæ ab ipso velut à sole radii continuò exoriuntur. Illam nemo fugere potest, nemo eludere, nemo declinare; ab illa nulli appellare, vel adversùs illam allegare quidquam, neque quid excipere, neque replicare, neque ad alium Iudicem licet provocare. Quia ut ait August. lib. 2. confess. cap. 4. *Lex tua, Domine, in cordibus hominum scripta est, quam nec ulla unquam delet, aut delebit iniquitas.* Eam Deus indelebilibus exaravit characteribus, nec tam inscripta est, quàm innata, & profluo quodam naturæ fonte in singulis expressa. Excogita quantum volueris glossas, inquire favorabiles interpretationes, accumula probabilitatum benignitates; nusquam tamen, & nunquam excusabitur quod lex eterna damnat, nusquam, & nunquam licebit, quod per illam semper & ubique non licuit, quia ut dixit Tertull. de spect. cap. 20. *Omnia penes veritatem Dei fixa sunt.* Æternæ, & incommutabili Dei legi tam non potest humana solertia adjicere digitum unum latitudinis, quàm non potest ad staturam hominis adjicere cubitum unum longitudinis; quia qui vitæ hominis constituit parvitatis & magnitudinis terminos, qui præteriri aut transiliri non possunt; ille idem æterna & indispensabili lege præfinivit terminos honestatis, qui nec contrahi possunt, nec dilatari. Audi Ethnicum Christianè scribentem, Tullium inquam nonnullis Theologis æquiorem, cujus verba exscripta refert Lactantius lib. 1. Divin. instit. cap. 8. *Est vera lex recta ratio naturæ congrua, diffusa per omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium jubendo, vetando à fraude deterreat. Huic igitur legi nec prorogari fas est, neque derogari aliquid licet, nec tota abrogari potest* (etiam conante & enitente malitiâ.) *Nec verò per Senatum, aut per populum solvi hac lege possumus: nec est quærendus explanator, aut interpres alius. Non erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & sempiterna, & immutabilis continebit.* Hæc lex, quæ est divinum de agendis dictamen, inducit vim coactivam & obligantem pro præceptis, & consultivam pro consiliis, quorum posteriorum observatio est maximè secundùm legem, tametsi transgressio non sit contra legem; quia pleniùs, & abundantiùs finem legis attingit, qui consiliis morem gerit; magis quippe præceptum de non mœchando observat virgo, quàm uxoratus; & fini præcepti de non furando magis obsequitur qui omnia pauperibus erogat, quàm qui aliena tantùm non eripere contentus est.

Post consultam, & adoratam divini numinis æternam legem, ito in tuæ penetralia mentis, & intus incisos apices, & inscripta volumina mentis inspice, & natam tecum rationis tuæ agnosce legem, æternæ legis participationem, divi luminis impressionem, vultus Dei lumen signatum super te, & transfusum in animum rationalem, quo homo vivit ut homo est, & à brutis distinguitur. Erige intra te tribunal adversum te, reduc ante oculos cordis incessanter admissa, quia Deus non respiciet iratus peccata tua, si illa pœnitens respicere ipse non cesses. Constitue te ante faciem tuam, ne tibi aliquando rerum audias dici: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam. Constituto in corde judicio*, loquit August. hom. 50. *adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor.*

Felix, heu! nimium felix, qui præeuntis rectæ rationis prælucentem facem semper sequitur. Nam ut dicitur Proverb. 15. *Secura mens juge convivium.* Hinc Bernard. lib. de inter. dom. cap. 23. *Nihil est*, inquit, *jucundius, nihil tutius, nihil ditius conscientiâ bonâ. Premat corpus, trahat mundus, terreat diabolus, illa erit secura.* Porrò quàm miser & miserabilis homo ratione præditus, & rationis judicium despiciens! Quid deplorandum magis, aut molestum esse potest, quàm in se experiri rationem accusatricem sui, juxta illud Psal. 50. *Peccatum meum contra me est semper?* Ipsa, ut observat Chrysost. *hom. 20. in Matth.* compulit Lamech seipsum accusare, dum dixit *Genes. 4.* Occidi virum in vulnus meum. Quis ipsum obsecro ad confessionem adegit? Nullus planè, quàm ratio, & conscientia inclamans, & ostendens magnitudinem peccati. Nec solùm accusat ratio, ipsa testis est. Vnde Bernard. *lib. 5. de considerat.* expendens illud Iob 7. *Quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihimet ipsi gravis*, ait: *Nullus molestior oculus suo cujusque, non est aspectus, quem tenebrosa conscientia suffugere magis velit, minùs possit. Non latent tenebræ vel seipsas. Se vident quæ aliud non vident.* Nec testis duntaxat ratio: tribunal est, cùm sit thronus luminis divini signati super nos. *Hoc tribunal*, inquit Chrysost. hom. 3. de verbis Isaiæ, *non pecuniâ corrumpitur, non adulationibus acquiescit, eo quòd divinum est, & à Deo nostris impositum meatibus.* Quid inquam, tribunal? Ipsa ratio judex est: *Vnusquisque*, ait Ambros. lib. 7. epist. 47. *animum suum severum judicem, sui ultorem sceleris, & vindicem criminis habet.* Nullum profectò severius judicium, quàm domesticum, quo unusquisque sibi est reus, sibi judex; quidni sibimet ipsi sententia? Ita planè ipsa ratio decretoria sententia est, quâ homo de suo volens nolens damnat judicio. Nec judicium modò, ipsa ratio hominis carcer est; nec carcer tantùm, sed carnifex secum sedens, secum habitans, secum ambulans, & ut ait Chrysost. hom. 10. in Genes. *Peccator secum carnificem circumgestat.* Quid plura? Non solùm carnifex & tortor est ratio, & conscientia rea, sed etiam supplicium ipsa est, ipsa tortura; Iussisti enim, Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus pœna sit sibi. Tandem post supplicia infert mortem, quia ut verè alicubi scripsit Philo: *Impii multas sustinent mortes ante ultimam.* Et veriùs Psalmographus Psal. 114. *Circumdederant me dolores mortis.* Vnde Caïn tremulus, & mortis labore ante mortem oppressus aiebat: *Omnis qui invenerit me, interficiet me.* Mortem comitatur horror, fœtor, & tenebræ sepulturæ. Eccl. 11. *Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt.* Et Ioëlis 2. *Ascendet fœtor ejus, & ascendet putredo ejus, quia superbè egit.* Et Matth. 23. *Similes estis sepulchris dealbatis, quæ à foris parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* E sepulchro formicăt vermes. Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur in æternum.* Quis in hac vita incipit, & in inferno corrodere animam non cessabit; nam ut eleganter ait Bernard. lib 5. de consid. cap. 12. *Hic est vermis qui non moritur, memoria præteritorum. Semel injectus, vel potiùs innatus per peccatum hæsit firmiter, nequaquam deinceps avellendus. Nec cessat rodere conscientiam, eaque pastus esca, utique inconsumptibili, perpetuat vitam. Horreo vermem mordacem, & mortem vivacem. Horreo incidere in manus mortis viventis, & vitæ morientis. Hæc est secunda mors, quæ nunquam peroccidit, sed semper occidit.* Et post pauca: *Itaque durante anima, durat & memoria: sed qualis? Fœda flagitiis, horrida facinoribus, vanitate tumida, contemptu hispida & neglecta. Quæ priora transierunt & non transierunt. Transierunt à manu, sed non à mente. Quod factum est, factum non esse non potest. Proinde etsi facere in tempore fuit, sed fecisse in sempiternum manet. In æternum ergo necesse est cruciet, quod perperam te egisse in æternum memineris.* Iustum profectò est, ut qui rationem calcavit, ratione ipsa obruatur: perpetuò tundatur, perpe-

tuóque

tuóque confundatur lumine propalatæ veritatis æquissimum est, qui rationis dictamen perpetuò flocci fecit.

Denique viri spirituales æmulantes charismata meliora, cogitant semper quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta, cui conformantur per amorem, quia est summa bonitas: per imitationem, quia est pura perfectio; per subjectionem, quia est summi Imperatoris decretum. Læti canunt cum Propheta: *Paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Et iterum: *Paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Si non semper, saltem sæpè frequentant illud verbum Apostolicum, verbum breve, sed plenum, sed efficax, sed dignum omni acceptione, *Domine quid me vis facere?* Hinc pace imperturbabili, & felicitate inchoata perfruuntur: gaudium eorum plenum est, & gaudium eorum nemo tollet ab eis, qui solam Dei voluntatem quærunt, quam necesse est semper impleri. Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, eorum corda custodit; quia dum adhærent illi qui sempiternus est, contristare justos non potest quidquid acciderit eis; & uni Dei voluntati inhiantes, nolentes propriam explere voluntatem, illam semper explevisse inveniuntur. Hoc securo bonæ voluntatis coronatu æquales sunt in inæqualitate fortunæ, iidem in prosperis & in adversis, repleti consolatione, superabundantes gaudio in omni tribulatione sua; quia mens in Dei voluntatem forti, Dei intentione directa, quidquid sibi in hac vita amarum est, in Dei voluntate dulcescit; omne quod affligit, requiem putat: quin & transire per mortem non reformidat, sed appetit, ut divinæ voluntati adhærere strictiùs, conjungi intimiùs, perfrui pleniùs possit.

Nihil justius quàm divinam in omnibus quærere voluntatem; nihil suavius quàm se summi provisoris totum committere voluntati, quam non distringit, aut distinet magnitudo rerum, aut varietas; sed sic intendit singulis, ac si vacet à cunctis, & sic omnibus simul intendit, ac si vacet à singulis; sed potissimùm eruit sustinentes se, & ponentes in Domino Deo spem suam. Spargit quidem superna lux quoquoversum suos radios, & uno, eodemque ictu, sive nictu sinus omnes & abyssos penetrat cœli, terræ, maris; sed præcipuè oculi ejus in pauperem respiciunt sperantem in Domino, & divinæ sese permittentem voluntati. Necessitatem saltem in virtutem convertamus. Vltrò voluntatem illam amemus, ultrò pateamus, quam effugere non valemus, cui inscii & inviti servimus. Sponte Deum sequere, cum quo temerè, & frustra pugnabis; nam aurea quædam veluti catena à Dei voluntate supernè demittitur, ad quam omnia inferiora alligantur. Conare, enitere, versa, reversa, volve te in omne latus, voluntatem Dei non declinabis; quia nihil omninò præter peccatum in hac grandi machina geritur, turbatur, miscetur, cujus non causa & origo sit à prima illa causa. Omnis humanarum rerum fluxus & refluxus, eventuum ortus & occasus ab illa dependent. Quid ergo indignum magis, quàm ut in eam homo insurgat, & indignetur, illique pro virili eripiat sceptrum, cui omnia creata parent non invita? Eleganter Lipsius de constant. lib. 1. cap. 14. *Cæca moralitas! Sol, Luna, sydera, elementa, & omnia hæc sola obediunt supremæ illi legi: nobilissimus rerum homo solus in conditorem suum calces jacit, & resistit. Atqui si vela ventis dedisses, sequerere non quò voluntas impelleret, sed quò illi; & in hoc vitæ oceano spiritum illum sequi recusas temperatorem universi? Et recusas tamen frustra, quia aut sequêre, aut trahêre: & cœlestia illa decreta vim suam ordinémque servabunt, sive in volentem, sive in rebellem. Rideamus, si is qui cimbam ad rupem alligavit, & funem identidem trahat, rupem ad se accedere censeat, cùm ipse ad illam. Et non major nostra stultitia est, qui ad rupem illam æternæ providentiæ nexi, trahendo & reluctando volumus eam nobis obsequi, non nos ipsi? Mittamus aliquando hæc vana; & si sapiamus, sequamur ab alto attrahentem illam vim, & æquum censeamus, ut homini placeat quidquid placuit Deo.* Et paucis interjectis affert hæc auro meliora verba Senecæ: *Ad hoc sacramentum adacti sumus, ferre mortalia, nec perturbari his quæ vitari nostra potestatis non est. In regno nati sumus Deo parere libertas est.*

CAPVT II.

De malitia actus moralis.

Dura sanè, & ingrata de peccato & malitia sermonem habendi necessitas! Quid de eo tractat Theologia, cujus ne nomen utinam audivissem? Et quomodo de eo facilè erit verba facere, quod via sub conceptum cadit, quod nec Deus ipse primò & per se novit, quia nec ejus ideam habet? *Nemo ex me scire quærat quod me nescire scio*, ait alicubi omniscius Augustinus, *nisi fortè ut nescire discat, quod sciri non posse sciendum est.* Ea quippe quæ non in specie, sed in ejus privatione sciuntur, si dici aut intelligi potest, quodammodo nesciendo sciuntur, & sciendo nesciantur: cùm enim acies etiam oculi corporalis currit per species corporales, nusquam tenebras videt, nisi ubi cœperit non videre. Tale autem est peccatum, quod nullum habet modum, nec speciem, nec ordinem. Sed tamen de illo tacere non possumus, quia jam de tertia specie actus moralis agendum restat, nimirum de actibus malis, quos dari de facto infelix nedum experientia, sed & ratio convincit. Cùm enim nihil aliud sit peccatum & malitia sive in rebus naturalibus sive in artificialibus, sive in voluntariis & moralibus, quàm defectus & inordinatio propriæ actionis operantis aliquid non secundùm quod debitum est agi, ut dicitur 2. *Physicorum*; manifestum est voluntatem toties peccare, quoties à regulis honestatis superiori capite constitutis recedit: quod sanè sæpe nimis contingit. Tum quia voluntas creata ratione suæ indifferentiæ non est determinata ad immutabilem amorem boni. Tum quia quod ex nihilo creatum est, ad nihilum continuò tendit. Tum quia nulla creatura est prima sui actus regula, sed subjicitur superiori à quo divertere potest: peccare autem nihil est aliud, quàm declinare à regulis, ad quas exigi debent actus liberi. Tum quia charitas in hac vita non implet totam voluntatis potentialitatem, ut patet ex eo quod voluntas non actu semper fertur in Deum; forma autem, quæ non implet totam subjecti potentialitatem est in illo amissibilitet, ut patet in formis corporum sublunarium. Vnde sicut materia sublunaris transit de una forma in aliam, ita crebrò voluntas de actu bono in malum. Certum ergo est, dari peccatum commissionis, & malum morale, à quo voluntas naturâ suâ bona simpliciter mala dicitur, juxta illud August. lib. 2. de nupt. cap. 28. *Ecce ex bono oritur malum, nec fuit omnino unde oriretur, nisi ex bono: ipsam dico voluntatem malam.*

Sed difficultas, & quidem gravis in hoc tota sita est, an malitia peccati commissionis sit formaliter aliquid positivum, vel privativum. Neque enim immorandum nobis est in rejicienda Authorum illorum sententia, qui volunt peccatum esse de formali extrinsecam tantùm denominationem, vel putum ens rationis. Quia hujusmodi sententiæ fundantur in anteà refutatis de moralitate in communi sententiis. Et certè sive malitia sit formaliter aliquid positivum, sive privativum,

vativum, necessariò tamen importet vel supponit habitudinem realem actus ad objectum dissonum regulis morum, superadditam actui libero; quæ habitudo ad objectum malum non est minùs intrinseca, quàm tendentia, & habitudo ad objectum physicum, cùm utraque peræquè à voluntate producatur. Maximè quia malitia peccati verè inest actui malo à parte rei, nemine cogitante, ut per eam actus malus distinguatur à bono: Ergo est aliquid reale, eo saltem modo, quo privationes realiter dantur; nec potest dici merum ens rationis, licèt pendeat à ratione, sicut artefactum ab artifice. Totum ergo controversiæ momentum in hoc positum est, an malitia actus moralis, quæ est formale peccati commissionis, consistat in positivo, an in privativo, an in utroque. Licèt enim certum sit, actum malum, seu peccatum commissionis importare relationem, habitudinem, & ordinem positivum ad objectum dissonum; certum etiam sit, in actu malo dari privationem rectitudinis debitæ inesse actui humano, & difformitatem ad regulas morum; dissidium tamen est, an ordo fundans privationem dissonantiæ, an verò ipsa privatio fundata sint formale constitutivum mali moralis, seu peccati; seu an actus sit ideo & priùs malus moraliter, quia tendit in objectum dissonum; an quia tendendo privatur ordine rationis. Occasione etiam malitiæ moralis explicabimus an idem actus possit esse simul bonus & malus sub diversa ratione, purè bonus ex objecto, malus ex fine & circumstantiis, vel è contra.

SPECULATIO I.

Sententia affirmans constitutivum formale mali moralis esse quid positivum, proponitur, & judicio Lectoris permittitur.

DElicta quis intelligit? Nemo sanè nec quoad numerum, nec quoad essentiam. Adeo enim obscura est natura peccati, ut nulli spti. vel satis atri colores occurrant, quibus horrendum peccati vultum depingant. Diversitas etiam sententiarum quibus ipsimet inter sese pugnant Thomistæ, & varia S.Thomæ testimonia, quibus modò uni, modò alteri sententiæ favere videtur Angelicus Doctor, me diu pendulum & ancipitem tenuete. Et certè non levis eorum conjectura est, qui suspicantur S. Doctorem hac in controversia quadantenus ambiguè loqui studuisse, modòque in unam, modò in aliam propendisse, ut indigitaret hac in controversia via certi aliquid posse definiri. Quapropter visum est, primam sententiam priùs cum omni suo robore, tuo (Lector) permittendam arbitrio proponere, quàm ut nostram longè probabiliorem confirmemus, ut unusquisque in suo sensu abundet; parvi quippe interest fetie peccati definitionem, sed summi momenti est ejus in nobis extirpare dominationem.

Cajetanus ergo, Curiel, Martines, Salmanticenses, Ioannes à S. Thoma, aliique non pauci opinantur, rationem formalem constitutivam peccati esse quid positivum, nimirum habitudinem transcendentalem actus humani tendentis ad objectum ut dissonum legi æternæ, & rationi. Triplici viâ suaderi potest hæc sententia: primò authoritate: secundò impugnatione sententiæ oppositæ: tertiò rationibus positivis.

Primò ergo sic proceditur: In sacra Scriptura, Patribus & Conciliis peccata sæpè sæpiùs vocantur mala opera, ut præsertim videre est in Tridentino, *sess. 6. can. 6.* ubi sermonem habet de peccatis formaliter, cùm dicat ea esse solùm permissivè à Deo; mala autem opera non constituuntur sine aliquo positivo.

Idem videtur satis perspicuè docere D.Thomas. Nam *1.p quæst.48.art.1.* quærit an malum sit natura quædam? Et cùm sibi proposuisset, malum debere esse aliquam naturam, quia constituit speciem in moralibus, respondet: *Malum in quantum malum non esse differentiam constitutivam in moralibus, sed ratione boni ad unctì.* Unde censet, malum morale esse quoddam bonum, ut fundat privationem. Idem tepetit *3. cont. gent. cap. 9.* & alibi sæpiùs, ubi docet differentiam constitutivam actus mali in moralibus esse habitudinem ad objectum ut dissonum; & quod peccatum non sortitur speciem ex parte privationis, vel aversionis, sed ex conversione ad objectum. Denique expressa videntur illa verba quæstionis 2.de malo, art.1 1.ad 13. *Peccatum non est privatio pura, sicut tenebræ, sed est aliquid positivè.*

Secunda via ad eam sententiam stabiliendam petitur ex refutatione oppositæ sententiæ. Nam illud non est formale constitutivum mali moralis, seu peccati commissionis, quod non est ejus distinctivum ab aliis. Sed privatio rectitudinis non potest esse formale distinctivum peccatorum; nam peccata extremè opposita eidem virtuti mediæ, v. g. prodigalitas & avaritia oppositæ eidem liberalitati, distinguuntur specie, cùm specificent diversos specie habitus; & tamen non habent privationem rectitudinis specie diversam, privationes quippe non distinguuntur aut multiplicantur, nisi ratione formarum, forma verò quâ privant hæc duo vitia, est unica specie, scilicet rectitudo liberalitatis: igitur privatio rectitudinis non potest constituere formaliter malum morale, seu peccatum commissionis.

Confirmat idipsum Curiel, quis constitutivum peccati commissionis debet esse quid afficiens & actuans actum pravum; per hoc namque distinguitur peccatum commissionis à peccato omissionis, quod istud est carentia actus in voluntate, illud verò est actus difformis, sed positivus. At privatio rectitudinis non potest intrinsecè afficere actum malum, cùm rectitudo non sit forma debita actui malo, qui (maximè si sit intrinsecè malus) est essentialiter incapax bonitatis, nec ulla potest ratione honestari: Ergo privatio rectitudinis non est formale constitutivum peccati commissionis.

Tertia via fundatur in variis rationibus positivis. Prima & præcipua est: Illud est formale constitutivum peccati, à quo peccatum habet primò quod sit malum morale; essentia enim alicujus rei est primum quod concipitur in ea, si sit ratio propria, & distinctiva ab aliis. Atqui peccatum commissionis habet esse malum morale primò per habitudinem positivam & vitalem tendentiam ad objectum dissonum. In primis per illam habitudinem habet actus malitiam moralem; nam illa habitudo procedit à voluntate ut subjecta regulis morum, & simul respicit objectum morale, nempe dissonum regulis morum: Ergo illa habitudo pertinet ad lineam moralem, contrahitque ab illo objecto sic attacto aliquam speciem moralem; non desumit autem bonitatem aut indifferentiam cùm per illam homo recedat à Deo, & ratione: Ergo malitiam formalem. Quod autem illa habitudo priùs conveniat actui pravo, quàm privatio rectitudinis, videtur manifestum; nam ideo actus peccati est privatus rectitudine, & caret debita commensuratione ad omnes leges, quia tendit ad objectum pravum; omnis quippe motus tendens ab uno termino ad alium, per se primò respicit terminum ad quem, ex quo sequitur aversio & recessus à termino à quo: Ergo positiva illa tendentia ad objectum dissonum primitus in actu malo invenitur, quàm in illo privatio ulla intelligatur. Certè sicut actus haurit ab objecto consono honestatem, ita

ita ab objecto dissono non potest non desumere malitiam; facti enim sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt: Sed actus malus non derivat ab objecto malitiam, nisi mediante respectu positivo: Ergo ille respectus positivus, ille ordo, illa tendentia, illa pravi objecti prosequutio fructos utendis, & amplectens stercora, mala sunt ante ullius privationis accessum.

Secundam rationem pro hac sententia urget Cajetanus, quæ est hujusmodi: Non datur oppositio contraria, nisi inter extrema positiva, inter quæ datur medium, & quæ sub eodem genere maximè distant: Sed bonum & malum morale opponuntur contrariè, & non secundùm privationem & habitum, ut expressè docet S. Thomas multis in locis post Aristotelem *cap. de oppositis*. Cujus etiam signum est, quod inter bonum & malum datur medium, scilicet actus indifferens: Ergo.

Tertia ratio talis est: Moralitas in communi, quæ dividitur in bonitatem, malitiam & indifferentiam, est de formali quid reale positivum, ut ex supradictis est manifestum: Ergo malitia peccati, quæ est membrum dividens moralitatem in communi, est necessariò aliquid positivum. Tum quia ratio superior positiva non contrahitur, nisi per differentias positivas inferiores. Tum quia rationes, quas suprà pro moralitate in communi attulimus, vel nihil evincunt, vel idem, si quid probant, de malitia morali persuadent.

Hæc sunt præcipua authoritatum & rationum momenta, quibus sententia peccatum & malitiam moralem in aliquo positivo sitam asserens stabilitur, quibus procul dubio non tenuis, aut mediocris probabilitas ei vindicatur. Fateor tamen singulas non peræquè urgere rationes & nihil ferè confici ex authoritatibus adductis. Scriptura enim & Patres, dum sermonem habent de peccato commissionis distincto ab omissione, sine dubio debent dicere, peccatum esse malum opus, & involvere aliquid positivum; commissio enim peccaminosa duo necessariò includit, & quod sit commissio, & quod sit peccaminosa: in ratione commissionis utique per actum constituitur; sed in ratione peccaminosæ ubinam Patrum ullus vel leviter indigitavit constitui per positivum, & non per privationem? Nullibi sanè: cujus etiam argumentum est clarissimum, quod semper S. Thomas meminit privationis, dum peccati essentiam explicare curavit. Hac ergo distinctione peccati considerati in ratione commissionis & in ratione peccaminosi, solvuntur omnia testimonia S. Thomæ: cùm enim ait, actum malum constituere speciem in moralibus, & causare diversitatem specificam per aliquid positivum, loquitur de peccato & malo morali in ratione commissionis, quæ substernitur malitiæ, sub qua consideratione importat bonum adjunctum, & non est pura privatio, sed includit necessariò, & essentialiter aliquid positivum; per quod distinguitur à peccato omissionis. Sed in illis iisdem locis, in quibus admittit aliquid positivum ad constituendum peccatum commissionis, quo distinguatur ab omissione, & ad explicandum quid sit commissio reduplicativè ut commissio est; in illis, inquam, iisdem locis apertissimè tradit privationem constituere essentialiter peccatum commissionis in ratione peccati & mali moralis, quæ privatio est communis tam peccato commissionis, quàm omissionis, ut videre est in omnibus locis, quæ pro se citant Authores hujus sententiæ, in quorum antecedentibus, vel consequentibus statim meminit S. Præceptor privationis, sine qua nullum malum intelligitur, ut *in illa quæst.* 48. 1. *p.* ex professo ostendit, & in aliis testimoniis claret, quæ propterea ab his Authoribus nonnisi truncata, nec cum suo ingenito splendore referuntur; quia statim seipsum interpretatur S. Doctor, ut demonstrare in promptu foret, si id nostræ opellæ brevitas permitteret: sed tu ipse, Lector, proprio experimento comprobabis. Addunt alii S. Præceptorem, quando in peccato involvit positivum, sumere malum morale fundamentaliter; quia cùm ex illo fundamento infallibiliter sequatur privatio, quæ sola est essentialiter malum morale, jure merito fundamentum illud malum esse dicitur. Nec dici potest, hanc S. Thomæ explicationem esse vel voluntariam, vel obtortam, vel violentam. Nam S. Præceptor semper solicitus fuit distinguere in peccato commissionis id quod se tenet ex parte actus, ab eo quod se tenet ex parte aversionis, quam clarissimè semper voluit esse rationem formalem peccati. Ita apertissimè seipsum explicat S. Doctor 2. 2. *q.* 10. *art.* 5. *ad* 1. verbis, quæ meritò dixeris spongiam, nisi mavis interpretationem omnium adversariarum authoritatum: *Si consideretur*, inquit, *peccatum secundùm rationem mali, illud bonum à quo receditur, est formale objectum peccati; sed ex hac parte peccatum non habet speciem, imò est privatio speciei.* Illud etiam observandum, quod licèt sæpè dixerit S. Doctor, actum malum importare aliquid positivum, quod est per se notum, cùm omnis actus sit positivus, nunquam tamen, & nusquam S. Præceptor affirmavit malitiam esse quid positivum, de quo sola est quæstio.

Tota etiam rationum adductarum congeries facili negotio dissolvitur. Prima quidem evidenter retorqueri potest in suos authores, qui volunt vitia extrema distingui specie per ordinem ad objecta mala, & rationi dissona: ab illis itaque quæro, num illa objecta dissona sint specie diversa, vel non? Secundum dici non potest, cùm habitudines non possint specie distingui, nisi per ordinem ad objectum specie distinctum. Si autem primum dicatur, explicent quæso hi Authores, quomodo objecta, quorum malitia est quid privativum, & non positivum secundùm omnes, possint specie distingui, cùm utraque sint privata rectitudine objecti virtutis mediæ? v. g. quomodo distinguatur malitia objecti avaritiæ, & objecti prodigalitatis, quod utrumque honestate rectitudinis objecti liberalitatis caret?

Quare huic rationi occurrere possumus dicendo, peccata extremè opposita eidem virtuti mediæ, putà liberalitati, distingui quia important privationes specie non physica, sed morali distinctas. Distingui autem specie hujusmodi privationes, patet, & quia in materia liberalitatis sunt duo modi attingendi medium rationis per recessum à duobus extremis; & quia in materia liberalitatis sunt duo dictamina, unum non excedendi, alterum non deficiendi. Unde actus prodigalitatis, & avaritiæ eadem quidem liberalitatis honestate, sed modo essentialiter diverso privantur. Quia nimirum virtus liberalitatis, si non formaliter, saltem virtualiter duplicem includit rectitudinem, & quatenus inducit ad convenientem & prudentem pecuniæ conservationem, quodamtenus distinguitur à seipsa ut ad decoram effusionem inclinat; & ideo privationes illæ distinguuntur moraliter, non secus ac maculæ diversorum peccatorum sunt ejusdem speciei physicæ, quatenus removent eundem gratiæ nitorem; sunt tamen distinctæ moraliter speciei, propter distinctos actus voluntarios, à quibus eo ferè modo causantur, quo diversæ umbræ è diversis corporibus lucem impedientibus, & opacantibus inducuntur. Neque hinc inferas, dari etiam plures hominis ejusdem mortes, quia anima est virtualiter vegetativa, & sensitiva, vel dari plures pariter tenebras, quia lux solis est virtualiter multiplex. Non, inquam, hæc inferre licet, quia non sunt plures moriendi, vel tenebras effundendi modi, sed unicus per recessum animæ à corpore, vel corporis illuminati à Sole.

Cæteræ verò rationes sunt paulò efficaciores, & difficiliores, præsertim ea quam urget Curiel in confirmatione adducta, sicut & prima quæ inter positivas recensetur; & ideò eas specialiter speculatione sequenti refellemus. Porrò aliæ duæ, prima ex contrarietate, altera ex ratione moralitatis depromptæ, nihilo meliores eâ sunt, quam statim refutavimus. Illa quidem quæ ex contrarietate elicitur, facilè corruit, quia sufficientissimè salvatur oppositio contraria, quæ malum inter & bonum actum intercedit, per hoc quod fundamentum malitiæ contrariè actui bono opponatur. Diligenter etiam observanda est differentia, quæ inter contraria, naturalia & moralia invenitur; illa enim sunt absoluta, ista relativa. Porrò absoluta contrarietas exercetur positione, vel remotione alicujus dispositionis, sicut introductio caloris expellit frigus. Vnde non oportet quod unum sit capax alterius, sed quod subjectum sit capax utriusque; & ideo unum non importat privationem alicujus perfectionis, quæ sit in alio, quia utriusque contrarietas non dependet ab exterius. At verò actus bonus, & malus per hoc sunt contrarii, quod opposito modo se habent ad regulas morum, quibus ille se subjicit, iste recedit: quo recessu obliquatur, & fit malus carentiâ debitæ subjectionis; unde malitia formalis non adversatur sed tantùm fundamentalis. Ratio etiam ex moralitate in communi desumpta non urget; quia moralitas in communi non est ratio univoca, sed analoga, importans duas rationes simpliciter diversas, alteram positivam, negativam alteram. Sicut in sententia Cajetani malum non est univocum, sed analogum respectu moralis & transcendentalis.

Quare tota hujus sententiæ medulla in duobus consistit: primo quomodo actus intrinsecè malus non sit talis independenter à privatione rectitudinis, cùm ipse sit essentialiter incapax honestatis, cujus carentia proinde, non privatio, sed mera negatio censenda est. Secundò, quomodo ordo vitalis & positivus, quem dicit actus malus procedens à voluntate moraliter operante circa objectum morale, non sit malus moraliter ante privationem quam præcedit, cùm sit in linea morali ante illam nec bona, nec indifferens. In his duobus continetur summa difficultatis, & ut verum fatear, utraque difficultas summa est, sed Deo dante summa accuratione posteà explananda.

REFLEXIO.

Malitia actus moralis vel positivam in sua essentia ordinem probabiliter involvit, vel necessariò supponit; quia nimirum, ut eleganter ait Salvianus lib. 5. de provid.* *non in scientia, sed rebellione peccamus. Scientes enim bona non benè agimus, & discretionem recti ac pravi intelligentes prava sectamur. Legem legimus, & legitima calcamus; & ad hoc tantùm præceptorum sacrorum scita cognoscimus, ut graviùs post interdicta peccemus.* Vah nefandam humani generis temeritatem, mala malis addentem, Deo indicentem bellum, capessentem arma, & sanctissimæ ejus voluntati jugiter repugnantem! Hic nunc interrogo, non Catholicos vel Christianos, sed omnes qui sanæ mentis sunt, quis unquam credidisset in hanc usque Dei contumeliam humanæ cupiditatis & impudentiæ progressuram esse audaciam, ut in eum armet se infirmitas, cujus potestati nihil resistit? O facinus inæstimabile & prodigiosum, sed nihilo minùs stupidum, & insanum! Et illud perpetras, Lector, quotiescumque perversè agens, malum prosequeris, & in Deum tuum intolerabili molimine insurgis.

Positivus iste ordo, quo stercora iniquitatis amplexaris, clamor est ingens similis illi Gomorrhæorum, & Sodomorum divinis auribus obstrepenti, & ultionem divinam extorquenti, immanitate scelerum, turpitudine criminum, obscœnitate libidinum. *Pulchrè,* inquit idem Salvianus lib. 1. citato, *clamorem dixer.t, in se habere peccata. Grandis absque dubio peccantium clamor est, qui à terra ascendit ad cœlum. Et verè clamor, & grandis clamor est, quando pietas Dei peccatorum clamoribus vincitur, ut peccantes punire cogatur.* Illam, illam positivam, & fœtentem peccati prosecutionem, utendis fruit avertem, felicitatem in his nugis nugaturi, quæritantem justo judicio invitus quidem, sed gravissimè Deus plectit. Illam internæ, occultæque pœnæ comitantur, angores scilicet pœnitudines metus, & conscientiarum mille morsus, mille remorsus, quos improbi effugiunt nunquam. Illi ipsi qui in bonis videntur ducere dies suos, qui coronant se rosis antequam marcescant, & omne pratum, ut loquitur Scriptura, pertranseunt luxuriâ suâ; illi, inquam, nisi fortè in profundum venerint, animum sibi sentiunt lancinari; & quamdiu aliquod sanitatis intervallum habent, quamdiu prorsus duri non sunt, obdurati, & occallentes, quamdiu non sunt ad omne flagitii nefas projecti, tamdiu acria quædam flagella, & veluti repetitos intestini ulceris ictus experiuntur, sive in patrando scelere, sive magis post patratum. Verè enim olim Plato: *Subsequa injuriæ pœna.* Fortiùs Hesiodus: *Coætanea & æqualis est culpa multa.* Sed divinè Augustinus: *Jussisti Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus pœna sit sibi.* Cognatum planè, imò & innatum omni sceleri supplicium sceleris, & illicitæ turpium prosecutioni aspersa est amaritudo. Non ea sola punitio censenda est, quæ in oculos incurrit, & externis se ingerit obtutibus. Graviores sunt quæ intus latent, quàm quæ foris patent. Nam sicut cruciarii quondam Romano ritu crucem gestabant suam, ab ea mox ferendi: sic perverso & positivo voluptatum amori positivam imponit Deus conscientiæ crucem, levis quidem & minoris, sed quotidianis pungentem ictibus, quibus laniatus animus etiam in aurato corpore cæditur & laceratur. Sed quid justius, quàm ut ille semper angatur, semper metuat impressioni immissi supplicii terrorem, semper interna impendentis & onerantis torturæ imagine supra equuleos, fidiculas, uncos acerbiore positivè premiatur, qui positivo in Deum impetu insilire non dubitavit?

Sed quia de te, Lector, confidimus meliora & viciniora salutis, aliud emolumentum spirituale ex positiva peccati tendentia reporta. Si peccatum vel consistit, vel fundatur in positivo, quo voluntas fertur in objectum dissonum: Ergo omni custodia serva cor tuum; ab externorum & sæcularium cura negotiorum quantum poteris abstine, quia vix ac ne vix quidem creata quisquam prosequitur, quin sordes contrahat peccatorum; nam qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Tantum à Deo & cœlestibus averteris, quantùm ad creata converteris; quia dum anima in exteriora effunditur, tot modis inquinatur, quot sensibus per externa divagatur. Nam ut dicitur Ierem. . *Ascendit mors per fenestras nostras,* quia dum foras per sensus in mala egredimur, mors intus ingreditur. Vnde Hugo Victorinus *serm.* 35. ait quod sicut erant quinque porticus piscinæ, in quibus jacebat multitudo magna languentium, sic *unusquisque sensus tot servat languentes, quod appetituum patitur corruptiones.* Et S. Basilius *lib. de sanct. Virgin.* notat animam per quinque sensus assimilari tormenti, quod emittens fluentum suum, quidquid corruptum occurrerit, ad se pertrahit, limoque implet. Ergo si non vis, positivis peccatorum sordibus infici, contine corporis sensus, quibus in externa dilabitur animus. Ne incautè aspicias, audias, & tractes, quod postmodùm invitus amabis; quia

intueri

intueri non decet, quod non licet concupisci. Time ne oculus tuus deprædetur animam tuam, & si in faciem virginis intenderis, ne te scandalizet vultus ejus. *Non potest*, inquit Hieronymus lib. 2. cont. Iovinian. cap. 7. *antè metropolis & arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus.*

Speculatio II.

Formale malitiæ actus moralis, seu peccati essentialiter in privatione debitæ rectitudinis consistit.

HOc assertum, cui subscribunt Capreolus, Ferrariensis, Araujo, aliique innumeri, tam domestici, quàm extranei, perpetua & constans S. Thomæ doctrina clarissimis verbis tradit. Quid enim apertius his testimoniis inter mille aperta apertissimis, 1. 2. q. 18. art. 1. *Actus est malus moraliter, in quantum ei deficit aliquid de plenitudine essendi.* Et quæst. 71. art. 6. *Peccatum nihil est aliud quam actus humanus malus; & quod sit humanus, habet ex hoc quod sit voluntarius; quod verò sit malus, ex hoc quod caret debita commensuratione.* Et subdit quod carentia illa commensurationis *est quasi formale in peccato.* Et q. 88. art. 4. *Est quoddam bonum, quod est ipse actus ordinatus, & hujus privatio est essentialiter ipsum peccatum.* Idem inculcat 2. 2. q. 10. art. 3. *Omne peccatum formaliter consistit in aversione à Deo.* Et q. 118. art. 5. ubi docet quod *privatio boni formaliter se habet in peccato, conversio autem ad bonum commutabile materialiter.* Quod & repetit 3. p. q. 86. art. 4. ad 1. *Culpa mortalis utrumque habet, aversionem à Deo, & conversionem ad bonum creatum: sed aversio à Deo est sicut formale, conversio autem ibi est sicut materiale: remoto autem formali cujuscumque rei, tollitur species, sicut remoto rationali tollitur species humana; & ideo ex hoc ipso dicitur culpa mortalis remitti, quòd per gratiam tollitur mentis aversio à Deo simul cum reatu pœna æterna.* Quæ testimonia sunt adeo evidentia, ut nulla ponderatione egeant.

Illud tamen statim se menti offert, quod in testimoniis pro nostra sententia adductis Angelicus Magister expressis, conceptis, & explicatissimis verbis loquitur; in illis verò quæ pro opposita sententia referuntur, per consequentiam non sponte fluentem, sed vi & veluti invitè deductam trahitur. Libenter etiam hîc Adversarios interrogare averem, utrum S. Doctor potuerit clariùs nostrã sententiam significare? Respondeant, sodes, sed apertè, sed ingenuè, sed candidè, & ut sic loquar, nudè & citra effugia & subtilitates conquisitas. Esto quod D. Thomas nostram sententiam non renuerit, dicant tamen, amabò, si illam tenuisset, potuissetne tam accuratus Doctor, cui utique idonea ad se explicandum verba non deerant; potuissetne, inquam, nostram sententiam significantiùs exprimere? Quæritur utrum actus malus, seu peccatum consistat formaliter in privativo? Quid ad hoc Adversarii! Quid ad hoc S. Præceptor? Illi contendunt positivum esse formale & essentiale; privationem se habere consequutivè. Divus verò Thomas ait positivum se habere *sicut materiale, privationem sicut formale, & privationem esse essentialiter peccatum.* Certè, velint nolint, fateri coguntur Adversarii, D. Thomam ea in favorem nostræ sententiæ scripsisse verba, non semel, sed sæpè, sed semper, sed ex professo, quibus expressiora nullus Author nostræ sententiæ hactenus excogitavit, vel excogitare unquam potuit. Postquam D. Thomas dixit, *formale peccati, essentiam peccati commissionis* consistere in privativo, qui dixerit eum non stare à nobis, poterit etiam dicere me opinari peccatum consistere in positivo, quantumvis reclamem; nam clariora verba ad exprimendum sensum meum invenire non potui iis quæ D. Thomas usurpat. Quod si dicas, nos in voce Sancto Doctori congruere, in sensu verò, in ipsa re, in vi nominis ab ipso dissidere, & discordes esse. Hæc, inquam, si dicis, manifestè veritati contradicis. Nam S. Doctor ly *formale*, ly *essentialiter*, eodem planè sensu accepit, quo cæteri omnes Theologi, & Philosophi accipiunt. Vocabulorum, quibus sententia exprimitur, vulgarem sensum in alienum, & tritas notiones in insolitas, & peregrinas non commutavit Doctor communis, antiquitatis amans, novitatis impatiens. Hoccine simplex, hoccine sincerum est, dicere S. Thomam in his verbis *formale*, & *essentiale peccati*, tam crebrò iteratis, singularem & inauditum sensum reposuisse, distinctum ab eo quem Thomistæ, Scotistæ, Neutristæ, ad extremum omnes Philosophi & Theologi quotquot scripserunt hactenus semper habuere? Sic D. Thomam interpretari ludere est, & tanto Doctori illudere. Ergo vocum nostratum, & S. Thomæ indivulsa societas, vel invitis omnibus sensuum quoque conjunctionem notat.

Multa congerunt Adversarii, quibus tam expressa testimonia elevent, tam perspicua & illustria obscurent. Alii enim volunt S. Thomam non loqui in sensu formali, sed tantùm illativo; quia infallibiliter illud malum est, cui est adjuncta privatio. Vel S. Præceptorem intelligere per carentiam & privationem, carentiam & privationem causalem, non formalem; privationem in fieri, quæ est positiva tendentia ad objectum dissonum, non privationem in facto esse; & aversionem accipere non purè privativam, quæ consistit in recessu, separatione, & carentia conjunctionis cum Deo; sed positivam, contrariam, & in Deum rebellem. Denique contendunt S. Thomam vel loqui de peccato omissionis, non commissionis; de habituali, non actuali; de formali, non primario, sed secundario, & completivo. Sed quis non videt has responsiones esse mera effugia, quæ sola verborum in fonte legendorum vi per se corruunt & evanescunt? Nec enim nostra brevitas patitur tam prolixum D. Thomæ testimoniorum contextum huc adducere. Quod verò S. Thomas non accipiat aversionem contrariè, sed merè privativè, hinc manifestè colligitur, quod *q. 71. art. 6.* explicans illam definitionem peccati ab Augustino traditam, *Dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*, qua contrarietas aliqua expresè significari videtur; tamen D. Thomas ait quod per ly *dictum, factum, vel concupitum*, significatur actus humanus, qui in peccato commissionis se habet per *sicut materiale, per* ly autem *contra legem*, significatur carentia debitæ commensurationis, quæ se habet *ut formale.* Quomodo alibi per privationem potuit intelligere aversionem contrariam D. Thomas, qui eò loci ubi contrarietas positiva indicari videbatur, illam de privatione pura interpretatus est?

Sed ut omnis evasionis aditus præcludatur, placet referre decretoria S. Thomæ verba, quæ habet *opusculo* 2. seu in compendio Theologiæ, quibus omnes ab Adversariis excogitatas solutiones prævidit, & omnes excogitabiles occupavit, & totam controversiam definivit. Postquam enim *cap.* 114. probavit, quod *nomine mali nihil aliud intelligitur, quàm privatio esse perfecti, & quod manifestum est, quod ex hoc aliquid dicitur malum, quòd caret perfectione quam debet habere:* postquam *cap.* 115. demonstravit impossibile esse quod malum sit aliqua natura, vel actus, vel potentia, vel compositum ex actu & potentia; *capite* 116. descendit ad malum morale, & proponit sibi argumentum, quod est unum è fundamentis oppositæ sententiæ, his verbis: *Considerandum igitur restat, quomodo bonum & malum*

dicuntur contraria, & contrariorum genera, & differentia aliquas species, scilicet habitus morales constituentes. Contrarietas enim est aliqua natura; non enim non potest esse neque genus, neque differentia, cum genus prædicetur de re ea in quod quid; differentia verò in eo quod quale quid. Ecce geminum adversæ sententiæ fundamentum ex eo petitum, quod cùm inter actum bonum & malum contrarietas exerceatur, & actus morales mali differant specie inter se, necesse est actum malum per aliquid positivum constitui. Sed quid ad hæc S. Doctor? *Secundum est igitur,* inquit, *quod sicut naturalia consequuntur speciem à forma, ita moralia à fine, qui est voluntatis objectum, à quo omnia moralia dependent. Sicut autem in naturalibus uni formæ adjungitur privatio alterius, puta formæ ignis privatio formæ aëris; ita in moralibus uni fini adjungitur privatio finis alterius. Cùm igitur privatio perfectionis debitæ sit malum, in naturalibus formam accipere, cui adjungitur privatio formæ debitæ, malum est, non propter formam, sed propter privationem ei adjunctam; sicut igniri malum est ligno. Et in moralibus etiam inhærere fini, cui adjungitur privatio finis debiti, malum est, non propter finem, sed propter privationem adjunctam: & sic duæ actiones morales, quæ ad contrarios fines ordinantur, secundùm bonum & malum differunt; & per consequens contrarii habitus differunt bono & malo, quasi differentiis existentibus, & contrarietatem adinvicem habentibus, non propter privationem ex qua dicitur malum, sed propter finem cui privatio adjungitur.* Ecce manifestam adversæ sententiæ jugulationem, & convincentem nostræ assertionis decisionem. Ibi enim S. Doctor loquitur de peccatu commissionis, non omissionis, vel habituali, cùm sermonem habeat de duabus actionibus moralibus, quæ ad contrarios fines ordinentur, ex quibus prodeunt par consequens contrarii habitus. Non loquitur etiam de privatione in fieri & causali, sed de privatione in facto esse, quæ est adjuncta actioni inhærenti malo fini. Et tamen affirmat actionem illam non esse malam per hoc quod inhæret & tendit ad finem malum, sed quia illi actui adjungitur privatio; & in hoc convenire malum morale cum malo naturali, quod utrumque formaliter importat privationem, illud formæ debitæ, istud finis debiti. Ergo ex D. Thoma malum morale consistit in privativo. Quam quidem sententiam S. Doctor non è proprio ingenio peperit, sed ex Scripturis, & continenti Patrum traditione, potissimùm verò ex Augustino Magistro suo proxima reflexione referendis derivavit.

Probatur rationibus, quas ne contra nostrum institutum nimis multiplicemus, sed tantùm veritatem è fundamentis eruamus, ad tres reducemus. Primò ratione à priori, deinde ratione à posteriori, tertiò positiva impugnatione adversæ sententiæ hanc speculationem confirmabimus.

Ratio à priori sæpè traditur à S. Thoma. Malum ut sic, prout abstrahit ab omni particulari malo, est privatio, & non ens, ut probat ex professo S. Doctor 1. p. q. 48. art. 1. ex D. Dionysio cap. 4. *de divinis nominibus*, ubi S. Pater ait: *Malum, quemadmodum sæpè diximus, infirmitas, imbecillitas, ac privatio est. Malum est non existens.* Et ratio est, quia omne ens in quantum ens, bonum est, cùm entitas & bonitas convertantur. Unde malum quod opponitur bono non potest esse ens, sed privatio entis. Ergo similiter malum morale in aliqua privatione, nimirum rectitudinis debitæ, positum est. Probatur consequentia: tum quia malum morale est directè inferius ad malum transcendentale, sicut bonum morale ad bonum transcendentale: Ergo si malum transcendentale in privatione sit situm, ita etiam & morale. Tum quia inductivè in omnibus aliis generibus malum est privatio alicujus perfectionis, malum v. g. naturale est privatio perfectionis naturalis; & nulla forma haberet rationem mali etiam suspectivi, nisi illi adjungeretur privatio alterius formæ debitæ subjecto, ut dicebat D. Thomas opusculo ultimùm adducto. Malum item artificiale est privatio conformitatis ad regulas artis: & licèt tam in malo naturali, quàm artificiali detur aliquod positivum fundans talem privationem; tamen nec malum naturale in operatione vel forma naturali, nec malum artificiale in positiva tendentia artificis operantis, sed in privatione formæ, aut operationis naturalis, vel in privatione conformitatis ad regulas artis respectivè consistunt. Quidni ergo similiter dicemus, malum morale consistere in privatione rectitudinis? Nam mala præfata non possunt consistere in privativo, nisi quia hæc est natura mali et sic importare essentialiter privationem. Certè cùm peccatum sit malorum omnium maximum, imò ferè solum malum, malorum summum & summa, profectò minus debet habere de bono, quàm malum physicum: Atqui si malum physicum, seu naturale, sicut & artificiale consistant in pura privatione, moralia verò in positivo, malum naturale non habebit minùs de bono, sed è contra morale habebit magis de bono; siquidem essentialiter importabit aliquid positivum, quod ut tale bonum est, & à Deo amabile, & in ipsum referibile, non obstante contrarietate ad virtutem, sicut amatur malum pœnæ non obstante contrarietate ad naturam: Ergo si malum naturale & artificiale consistant in privativo, multò magis malum morale.

Tum denique, quia privatio debitæ rectitudinis est aliqua malitia moralis, sicut privatio bonitatis physicæ est malitia physica, privatio visus est malum cæcitatis, privatio vitæ est malum mortis: unde etiam in peccato originali, in macula peccati, in peccato omissionis invenitur ratio mali moralis, quia important privationem gratiæ & rectitudinis Christianæ, & moralis: Ergo quidquid positivi invenitur in peccato commissionis, nequit habere rationem formalem mali moralis, aliàs duo essent formalis malitiæ constitutiva, quod est planè impossibile. Maximè quia ratio formalis peccati mortalis etiam commissionis, non sumitur formaliter ex conversione, sed ex aversione; dicitur enim tale, quia per illud recedimus à Deo, qui est animæ anima, & sic perit vita spiritalis; tantoque culpa gravior est, quanto magis recedit à Deo, à quo qui minùs recedit minùs peccat, tametsi tendentia & conversio ad objectum pravum sit intensior & vehementior: sic difformitas infidelitatis, desperationis, odii Dei deterior longè est ardentissimo libidinis æstu. Qua de causa S. Thomas 2. 2. q. 20. art. 1. ait, *peccata quæ opponuntur virtutibus Theologicis, principaliter consistere in aversione*. Nec placet subtilis evasio authoris ubique subtilitatem, ubique soliditatem spirantis Ioannis à S. Thoma, dicentis eò loci insinuari à S. Doctore, reliqua peccata his virtutibus non opposita non consistere in privativo. Non placet, inquam (si quid tamen displicere potest in Doctore omnibus Theologiæ gratiis instructo) quia de vitiis oppositis virtutibus theologicis, putà de odio Dei, est potissima difficultas. Si ergo de illis affirmet S. Præceptor, quod principaliter in aversione & privatione cōsistunt, quàm potiori jure id de aliis omnibus affirmandum est?

Ratio à posteriori nostræ sententiæ talis est: Si malitia moralis esset aliquid positivum, Deus esset causa peccati formaliter æquè ac virtutis; Deus enim debet esse causa omnis positivi, aliàs nō esset omnium prima, & universalissima causa, quæ exigit ut omne reale positivum sub omni reali formalitate & positiva sit ab eo qui est fons totius esse. Unde si formale peccati & malitia moralis sint essentialiter aliquid positivum,

Deus

Deus peræquè erit author & causa realis boni ac mali, peræquè in utrumque influet, peræquè in Deum ultimò utrumque referri poterit, peræquè erit participatio divinæ bonitatis & entitatis, peræquè erit à Deo amabile & amatum, peræquè habebit ideam in Deo, in quo rerum omnium positivarum exemplaria relucent. Consequens autem non solùm repugnat lumini rationis, quia ut Augustinus ait: *Nemo Deo authore fit deterior*; sed etiam expressè damnatur in Tridentino *sess.6.can.6.* his verbis: *Si quis dixerit mala opera ita ut bona Deum operari, non permissivè solum, sed etiam propriè & per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Iudæ quàm vocatio Pauli, anathema sit.*

Vigetur hæc ratio ex Araujo, & præveniuntur omnes Adversariorum evasiones. Saltem positivæ malitiæ assertores non possunt inficiari Deum producere formale peccati sub ratione entitatis, si formale illud entitas sit. Cùm ergo dicunt Deum producere formale peccati sub ratione entis, vel particula *sub* reduplicat rationem *qua* producitur, ita ut sit sensus, Deum producere dumtaxat rationem communem entis; & hoc est apertè falsum, tum quia aliàs gradus specificus Dei causalitatem subterfugeret, tum quia gradus communis & gradus specificus realiter identificantur, & producens unum alium producit: vel est sensus, quod reduplicat rationem *sub qua* res producitur, ita ut Deus attingat omnia positiva, in quibus imbibitur ratio entis, si sub ratione entis ea producat. Sed adhuc insisto, quia jam gradus specificus peccati verè causabitur à Deo, licèt sub universaliori ratione. Sicut licèt Deus non attingat rationem vitalitatis sub ratione vitalitatis, si ly *sub*, dicat rationem sub qua, quocirca Deus non potest denominari volens, videns, audiens, quantumvis volitionem, visionem, & auditionem producat; tamen attingit Deus rationem *qua* est in vitalitate, licèt sub ratione entis eam producat, quia talis vitalitas est aliqua ratio entis: Ergo similiter licèt Deus non possit attingere malum sub ratione malitiæ, si ly *sub*, importet rationem sub qua sicut etiam sub ea ratione non attingit meritum; unde sicut non potest denominari peccans, ita nec merens: benè tamen erit causa malitiæ, non secus ac meriti, si causet omnem realem rationem formalem, quæ in malitia invenitur. Quorum omnium radix est, quia ratio superior imbibita in inferiori est eadem cum illa: ratio entis, v.g. inclusa in homine homo est, quia ens non præscinditur perfectè ab inferioribus; & similiter ratio entis inclusa in malitia, si sit positiva, est ipsamet malitia: Ergo quod est causa entitatis est etiã causa iniquitatis, si malitiæ iniquitas sit de formali aliquid positivum.

Penetratur profundiùs vis hujus rationis: Deus erit vera & formalis causa peccati, si attingat in peccato nedum rationem entitatis, sed etiam rationem deformitatis; hæc enim distinctio est ultimum adversæ sententiæ perfugium. Atqui si formale peccati sit aliquid positivum, Deus attinget in peccato rationem deformitatis; cùm enim deformitas non solùm sub conceptu entitatis, sed etiam sub conceptu & ratione deformitatis sit aliquid positivum, non potest Deus attingere entitatem peccati, quin attingat deformitatem: divinus namque concursus cùm sit universalissimus, profundens totum ens & differentias ejus, totam rei entitatem, omnesque ejus modos pervadit, non secundùm nostram phantasiam & considerationem, sed prout est à parte rei; nec est præcisivus, sed omninò productivus. Ergo si formale peccati consistat in positivo, Deus erit causa & author, sin particularis & specialis, certè universalis peccati; quomodo enim poterit concursus divinus intactam malitiam relinquere, & ab ea præscindere, à qua nec intellectus præscindere vellet, si malitia sit essentialiter aliquid positivum? Nam essentia nec quidem ratione separari potest à re quam constituit, cùm sit formalissimè ipsa.

Nec valet quod quidam aiunt, quod sicut in divinis productio ad intra terminatur ad personalitatem Filii, non tamen ad naturam divinam cum illa identificatam, quia natura sub ratione naturæ est extra sphæram actionis interioris Dei: ita conceptus deformitatis identificatus cum ratione entitatis non attingitur à concursu Dei, quia est extra sphæram actionis Dei ad extra. Non valet, inquam: tum quia comparare entitatem peccati arcano totius Religionis reconditissimo, & difficultatem concursus divini explicare similitudine mysterii rationis vim transcendentis, non est eam mollire, sed insuperabiliorem & intricatiorem efficere. Tum quia si comparatio subsistat, sicut verum est dicere quod aliquid reale in Deo non producitur, scilicet natura, tametsi identificetur cum aliquo reali quod producitur: ita in peccato erit aliquid reale quod fugiet divinam causalitatem, nimirum ratio specifica peccati, quod nemo concedit. Tamen quia licèt natura in Deo non producatur, productâ personâ, tamen impossibile est quod producatur personalitas, nisi producatur subsistentia; quia una est de conceptu, & importatur in definitione formali alterius: quod non est verum de natura respectu personæ & relationis, quam formaliter non includit. Atqui si malitia moralis consistat formaliter & essentialiter in positivo, aliquid positivum erit de conceptu, & importabitur in definitione malitiæ moralis, positivus nimirum ordo, & tendentia ad objectum dissonum: Ergo Deus erit causa deformitatis per actionem transeuntem extra se, quamvis non sit principium naturæ divinæ intra se, si deformitas peccati consistat formaliter in positivo.

Dices, hac quidem ratione vehementer stringi, & ferè opprimendam fore oppositam sententiam, nisi idem in nos telum retorqueri posset; & tamen idem argumentum æquè militat adversùm nos. Etenim quod est causa fundamenti reduplicativè ut fundamentum est, causa etiam est privationis ex illo consequutæ; quia privatio non per se primò, & directè causari quit, sed secundariò resultat ad positionem fundamenti. Atqui Deus est causa fundamenti quà talis, cùm sit aliquid positivum, non consistens in mera negatione, vel privatione. Ergo Deus erit causa peccati.

Respondeo disparitatem esse toto cœlo diversam, & argumentum factum nullam adversùm nos habere vim. Quia nimirum entitas, & materiale peccati, licèt sit quid reale & positivum, non tamen est à Deo, in quantum est fundamentum privationis; quia esse fundamentum privationis rectitudinis dicit duo, unum in recto, aliud in obliquo, seu de connotato: in recto dicit entitatem, quæ est à Deo, & à creatura, in obliquo, & de connotato importat causam deficientem, à qua egreditur, nimirum voluntatem avertentem se à regula rationis & legis, sub qua ratione non dependet à Deo, sed ipsa est causa prima in ratione deficiendi. Vnde fundamentum quà tale non est à Deo.

Quod si urgeas: Fundamentum quà fundamentum est aliquid positivum: Ergo est à Deo, qui est causa omnis positivi. Facilè ex his respondebo, fundamentum quà fundamentum est quid positivum secundùm id quod dicit in recto, concedo; secundùm quod importat in obliquo, nego: nam connotat voluntatem deficientem, voluntas verò non constituitur deficiens per aliquid positivum, sed per carentiam regulæ rationis, & directionis legis, ut apertè tradit S.Thomas quæst 75. art.1. *Provenit defectus ordinis in actu ex defectu directionis in voluntate. Voluntas sine adhibitione regulæ rationis vel legis divinæ est causa peccati.*

Nec datur propterea processus in infinitum, quia quod voluntas agendo, non attendat ad legem & regulam diligentis rationis, non est alia causa, nisi quia ipsa ita vult, & in genere deficiendi ipsa est primum principium ab alio independens.

Hanc totam doctrinam expressis verbis tradit S. Doctor *quæst. 79. art. 2.* dicens: *Peccatum nominat ens & actionem cum quodam defectu; defectus autem ille est ex causa creata, scilicet libero arbitrio, in quantum deficit ab ordine primi agentis, scilicet Dei. Unde iste defectus non reducitur in Deum sicut in causam, sed in liberum arbitrium; sicut effectus claudicationis reducitur in tibiam curvam sicut in causam, non tamen in virtutem motivam, à qua tamen causatur quidquid est motionis in claudicatione: & secundum hoc Deus est causa actus peccati, non tamen est causa peccati; quia non est causa hujus, quod actus sit cum defectu.* Quibus verbis non solùm apertè docet nostram sententiam, dicens peccatum esse actum cum defectu, sive privatione; sed etiam mirè explicat quomodo actus ille non sit fundamentum malitiæ prout est à Deo, sed tantùm prout est à libero arbitrio: quia nimirum sicut motio prout est ab anima, non est fundamentum claudicationis, sed tantùm prout est à tibia curva, quia esse fundamentum claudicationis supponit curvitatem, seu defectum rectitudinis in principio: ita esse fundamentum malitiæ non convenit entitati actus prout est à Deo, sed prout est à voluntate subducente se à regulis honestatis. Unde esse fundamentum malæ operationis duo importat, alterum in recto, & hoc fatemur esse à Deo; & alterum in obliquo, & hoc non est à Deo, qui ut ait Doctor Sanctus, *non est causa hujus, quod actus sit cum defectu.* Quod sanè in opposita sententia non salvatur, quia esse malum morale essentialiter putum positivum importat, quod proinde omni prorsus modo à Deo esse necesse est.

Confutantur positivè objectiones.

Denique probatur hæc speculatio convellendo duo præcipua fundamenta oppositæ sententiæ, quæ præcedenti speculatione retulimus, io hancque rejecimus, omnibus aliis dissolutis. Primum quo movetur Cuiiel, in eo innititur, quod actus intrinsecè malus, purà mendacium, vel odium Dei, non est capax rectitudinis, cùm nulla unquam ratione vel circumstantiâ honestari possit: Ergo non habet privationem, quæ est carentia formæ in subjecto apto, proindeque in ratione mali moralis per privationem constitui nequit, cùm actus malus semel egressus non sit capax reformationis, sicut artefactum distortum instaurari, & debitæ formæ reddi potest, adhibitis regulis artis.

Verùm hæc ratio manifestæ insufficientiæ convincitur. Constat enim nullum esse actum quantumcunque pravum, cui non sit debita rectitudo, nec actum posse dici malum moraliter, qui non sit privatus rectitudine morali, sicut actus bruti non est malus moraliter, quia nullius rectitudinis est capax. Quia nimirum actus quantumcunque intrinsecè malus, consideratus ut actus humanus ac liber; est regulabilis per rationem, ut distinguatur ab actibus partis vegetativæ & sensitivæ, qui sunt incapaces legis, & punitionis. Et certè repugnat actui egredienti à voluntate libera non posse mensurari per rationem: Sed actus qui petit mensurari per rationem, est capax rectitudinis, & illam ut sibi debitam exigit, aliàs non deberet dici actus deficiens, irregularis, & obliquus: Ergo actus quivis liber & deliberatus est capax rectitudinis. Quorum omnium radix est, quia omnis actus quamlibet malus, & à Deo recedens, habet pro motivo aliquod bonum, saltem apparens, & fugam alicujus mali, purà fugam alicujus afflictionis. Unde ille actus habet ex parte motivi aliquid mensurabile per rationem; quod apertè insinuat D. Thomas q. 18. art. 1. dum ait, actum esse malum in quantum ei deficit aliquid de plenitudine essendi, inquens omni actui morali talem deberi plenitudinem, non solùm ratione subjecti, scilicet voluntatis, quæ est capax honestatis; sed etiam ratione ipsius considerati ex parte motivi.

Pro profundiori, & simul clariori difficultatis hujus intelligentia accipiamus actum inter omnia peccata commissionis pessimum, minusve honestatis capacem, scilicet odium Dei. Sed priùs supponendum est, adæquatum voluntatis objectum esse bonum, ita ut non possit prosequi aliquid sub ratione mali; unde quidquid velit, & quacumque ratione velit, bonum aliquod latenter vult, & ab hac voluntate nunquam recedit, nec potest. Quia cùm voluntas sit appetitus rationalis, & inclinatio totius suppositi, necesse est ut in bonum sibi conveniens semper tendat, aliàs non esset inclinatio voluntaria; quia inclinari, & ultro ferri nemo potest, nisi in sibi conveniens bonum, & ad disconveniens nullus inclinatur, nullus propendet, sed fugit omnis & abhorret. Quæ doctrina etiam locum habet in actu odii, etiam inimicitiæ, quæ vult malum etiam ut malum est hostis, sicut amor amicitiæ vult bonum amico, ut illi bonum est. Tunc enim inimicus malum hosti peroptat in ratione effectus, non in ratione objecti, quia vult quidem aliquid quod inferat damnum & destruat adversarium; sed illud sub ratione boni cupit, quatenus hosti illatum nocumentum induit rationem boni apparentis, exterminii scilicet hostis sibi contrarii. Nec obest quod interdum aliquis peccet ex certa malitia, & non tantùm ex passione succumbente delectationi, vel ex infirmitate præ labore & tristitia sæpè prostrata; quia tunc peccatores etiam amantes malum ut est offensio Dei, dicentes Deo, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*, prodeunte quasi ex adipe iniquitate; tunc, inquam, perversa voluntas delectatur in illis pessimis ex perverso judicio, quo practicè hîc & nunc judicat conveniens esse sibi sic averti à Deo, ab ejus regula subduci, & erecto collo, elato corde, ac diabolicâ audaciâ in Deum impudentissimè, & juxta inanissimè arma sumere. Unde malum illud reapse vestitur aliqua ratione boni, saltem satisfacientis propriæ perversitati; & cùm aversio à Deo placeat tam malignæ voluntati, utique sub aliquo boni colore placet, aliàs non placeret, sed displiceret. Et in veritate ita contingit peccatori in profundum venienti, in Deum de industria recalcitranti; quia Deus, qui ut ait Bernardus, *pœna perversorum est*, apparet peccatori onerosus, & molestus, cujus proinde jugum excutere, legem extinguere, & legislatorem ipsum exterminare vellet, si posset, & optat posse. Et sanè si illis Deus bonus appareret (sicut revera totus est centrum bonitatis) impossibile foret quod illum odio haberent. Quare scelesti illi Deum non odio habent ratione sui, sed ratione effectuum displicentium, ob quos Deum considerant ut illatorem mali, non ut fontem boni.

Ex hac fundatissima doctrina omninò sequitur, quod actus peccati commissionis, ipsius etiam odii inimicitiæ Dei, peccatorum omnium nefandissimi cumuli est aliquis amor, subindéque tendentia ad aliquod bonum, saltem beatitudinem, quam in omni actu inquirimus. Qui amor beatitudinis per se bonos malus efficitur, quando recedit à regula præscribente modum quærendi illam. Ille ergo Dei hostis nō peccat quærendo beatitudinem, sed eam appetendo, non servata regula præscripta; unde dicebat Augustinus aliàs relatus: *Quærite quod quæritis, sed ibi non est ubi quæritis. Quæritis vitam in regione umbræ mortis, non est hîc.*

Hinc

Hinc actus odii abhorrentis à Deo ut, judice prohibente delicias, ultore criminum, dicitur privatus rectitudine, quia amor beatitudinis in illo imbibitus est de se per rationem regulabilis, sicut motus tibiæ curvæ dicitur privatus rectitudine, quia motus animæ est de se capax rectitudinis, quanvis per accidens incurvetur, & inflectatur per tibiam claudicantem.

Dices: Tendentia ad objectum pravum est essentialis actui malo: Ergo in illo non est aptitudo ad rectitudinem: ergo rectitudo non est illi debita, nec ejus subinde carentia habet rationem privationis.

Respondeo, tendentiam in objectum pravum esse essentialem actui reduplicativè ut versanti modo obliquo circa objectum dissonum, quam ut sic exuere non potest; tamen ille actus consideratus specificativè ut humanus est, præbet rationi materiam regulandam, cùm procedat à principio operante ex amore boni, sub lege, & cum deliberatione rationis. Sicut motui obliquo tibiæ ut vitali debita est rectitudo, licet in sensu composito, & in actu exercito ut procedenti à tibia clauda non possit rectitudo convenire. Sic etiam syllogismus imperfectus privatur perfectione debita syllogismo, quamvis reduplicativè ut imperfectus talem perfectionem habere nequeat. Denique in omnibus ferè speciebus, & physicis, & artificialibus, & moralibus id verum esse probatur: in illis enim inveniuntur opera, quæ etiam in individuo considerata sunt capacia rectitudinis ratione materiæ regulabilis, licèt de facto non possint reformari, nisi destruantur.

Instabis: Actus intrinsecè malus talis est ante ullam prohibitionem legis; odium enim Dei, tametsi nulla lege vetaretur, semper foret malum: Ergo privatio legis, & regulæ, & honestatis ex conformitate ad illam non constituit malum morale, & peccatum commissionis.

Respondeo patere ex dictis capite præcedenti solutionem hujus instantiæ; monstravimus enim ibidem, omnem actum malum esse recessum à lege æterna: unde si per impossibile non daretur illud dictamen æternæ legis in Deo, odium Dei non esset peccatum, quia sublato illo judicio & dictamine, non esset Deus, cui dictamen illud non liberè, sed necessariò inest: alias veritas in ipso non esset, & seipsum Deus negaret. Quid autem mirum, si destructo Deo non remaneret peccatum: Sed relege dicta capite superiori, *specu*.3.

Secunda ratio adversæ sententiæ, cujus vim speculatione præcedenti non dissimulavimus, sed cum omnibus suis nervis proposuimus, petita ex eo, quod tendentia positiva ad objectum malum sit mala moraliter, & prior privatione, sic etiam refellitur: Actus non constituitur malus per aliquid positivum ante privationem, si ante illam non caret perfectione sibi debita, nec plenitudine essendi; si enim habet totam perfectionem cujus est in suo genere capax, profectò malus esse, nec dici potest; illud enim censetur bonum & perfectum in quocumque genere, cui nihil deest perfectionis sibi debitæ: unde actus qui non caret perfectione moraliter debita, non potest esse formaliter malus. Atqui ante privationem actus non caret perfectione ulla sibi debita, nec plenitudine essendi; quia si caret perfectione debita, jam est privatio: Ergo non per ordinem tendentiæ positivæ, sed per privationem rectitudinis malum morale formaliter constituitur.

Dices: Illa habitudo & dilectio objecti abominabilis est in linea morali procedens à voluntate deliberata, & tendens ad objectum dissonum regulis morum. à quo desumit, & veluti ebibit non bonitatem, nec indifferentiam, sed pravitatem, fitque abominabilis sicut objectum dilectionis suæ; idque totum contingit antecedenter ad privationem, quæ supponit objecti dissoni attingentiam, cui unicè innititur, & ex qua resultat: Sed illa tendentia est positiva: Ergo in aliquo positivo malum morale primitus invenitur. En totius difficultatis medullam. En argumentum, in quo dissolvendo ingenia acuunt Authores nostræ sententiæ, sed magis torquent. Quæ ipsi eruditè afferunt non exscribam, quia ex inexhausta S. Thomæ doctrinæ uberrimæ copia aliquid fortè non novi, sed novè eruam, quibus hanc difficultatem, quam adversarii putant insuperabilem, D. Thoma magistro molliam, & efficaciam non modò planam, sed etiam favorabilem.

Dicendum ergo, nos posse concipere privationem se habere ad actum moralem vel consequenter, vel concomitanter, vel etiam quadantenus antecedenter. Consequenter se habet privatio, quia intelligitur resultare ex actu tendente in objectum dissonum; unde actus amplectens objectum pravum est causa receptiva, seu subjectum & fundamentum privationis. Concomitanter intelligitur se habere privatio, quia quantumcunque conversio & tendentia ad objectum dissonum rationi sit realis, importat tamen necessariò privationem adjunctam & immixtam, ita ut non priùs tendat quàm sit privatio, quia est tendentia ad finem indebitum amatum, qui amor simul & semel privatur fine debito, nec elicitur ut privetur, sed elicitur debito fine privatus. Unde in actu malo privatio non se habet quidem ut genus vel differentia, quia cùm sit non ens, non potest privatio esse genus contrahibile per differentias positivas, nec differentia contrahens genus positivum; genus enim, & differentia debent esse ejusdem generis: Sed habet se privatio tanquam modus imbibitus in actu malo, constituens rationem essentialem malitiæ, eo ferè modo quo obscuritas involvitur in actu fidei, & negatio divisionis in ratione unitatis. Antecedenter denique aliquo modo intelligitur se habere privatio ad conversionem, quia nimirum ille idem actus qui tendit ad objectum commutabile, recedit à bono incommutabili, & à rectitudine rationis. Et sicut corruptio in genere causæ materialis & dispositivæ præcedit generationem, & recessus à termino à quo in eodem genere causæ antecedit accessum ad terminum ad quem; nam verum est in aliquo genere causæ ideo Petrum se movere ad orientem, quia relinquit occidentem: ita similiter ideo voluntas ultrò amplexatur objectum abominabile, quia recedit à Deo, bonum rationis fugit, divertit à regulis, & veluti bono incommutabili terga vertit. Quia nimirum, ut antea ex Angelico Magistro dicebamus, peccatum egreditur à voluntate deficiente. *Nemo*, inquit August. 12. de Civit. cap. 7. *quærat causam efficientem humanæ pravitatis, non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa affectio est, sed defectio.* Voluntas autem est deficiens, quia despicit directionem rationis, nec adhibet regulam legis: Ergo dum malè agit, priùs aliqua vera ratione intelligitur recedere à Deo, & privari ejus directione, quàm fruatur utendis, & inhæreat creaturæ. Quam sanè doctrinam ipsa indigitat Scriptura, Ieremiæ 2. *Duo mala fecit populus meus* (in unico idololatriæ peccato, de quo ibi loquitur) *me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas.* Vides peccatorem non priùs fodere sibi cisternam dissipatam perversâ objecti prosequutione, quàm Deum dereliquerit voluntaria privatione. Opportunè Magnus Gregorius *lib. 4. Moral. cap. 15.* expendens illud Iob 3. *Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo*, inquit: *Homo in die nascitur, sed in nocte concipitur; quia nequaquam ad delectationem peccati rapitur, nisi priùs per voluntarias mentis tenebras infirmetur,*

Ante enim cæcus in mente fit, & postmodum fit reproba delectationi substernit.

Iuxta hanc triplicem privationis considerationem solvi potest argumentum, juxta primam quidem difficilius, sed juxta secundam & tertiam evidentissimè difficultas evacuatur. Si prima explicatio, quæ apud Authores communior est, magis placet, respondendum est, tendentiam illam nondum esse formaliter & essentialiter malam, sed tantùm formaliter proximè, eo ferè modo, quo in sententia Thomistarum natura per præcisionem intellectus possibilis est universalis, non formaliter ante comparationem, sed fundamentaliter, non remotè, sicut est à parte rei, vel in abstractione intellectus agentis, sed proximè. Et cùm urgetur, tendentiam illam non esse in ordine physico, sed in linea morali, quia procedit à principio morali, & tendit ad objectum morale, eodem modo respondebis, quo Thomista Logicus respondet ad hoc argumentum: Natura per præcisionem intellectus possibilis non est in statu, ordine, vel conditione singularitatis: ergo est formaliter universalis: & sicut iste negat consequentiam, quia inter singulare & universale formaliter datur medium, scilicet universale fundamentaliter: ita inter esse in ordine physico, & esse in ordine morali formalis malitiæ datur medium, nempe malum fundamentale proximè. Et ratio hujus radicalis, & omninò Thomistica suprà insinuata est quia quandiu actus non est privatus rectitudine, non potest esse formaliter, sed tantùm causaliter malus, cùm perpetuus sit in hac doctrina D. Thomas, quod actus humanus non habet esse malus, nisi ex carentia debitæ commensurationis, & inquantum ei aliquid deficit de plenitudine essendi: Ergo tendentia illa antecedenter ad privationem potest quidem esse fundamentaliter sed non formaliter mala. Sicut etiam in sententia Thomistarum sublatâ ratione superaddita, subjectum non formaliter, sed tantùm fundamentaliter proximè, positâ ratione fundandi ad terminum refertur. Et quæ ad hanc de relatione sententiam explicandam afferri solent, huic nostræ sententiæ adornandæ omninò deservire possunt.

Quod si secundæ, aut tertiæ explicationi, quæ cùm sint communiores, & à nobis D. Thomæ luce inventæ, vel potiùs ex ejus doctrinæ fundo inexhausto erutæ, certè nihilo minùs solidiores sunt, inhæreas; abit in fumum argumentum, quod supra omne quod dicitur demonstrativum extollebat profundissimus Ordinis nostri Theologus P. Ioannes Franciscus Dufant, quodve ipse unicè urgebat in suis manuscriptis nondum prælo commissis, sed immortali luce dignissimis. Sed salvâ reverentiâ, quæ viro eruditissimo & juxtà pissimo debetur maxima, & bonâ illius veniâ, cujus amicitiâ nihil mihi antiquius, si consideretur privatio ut concomitans & intermixta actui malo, & multò magis si actus consideretur privatus rectitudine per recessum à Deo, diversionem a lege, & fugam regulæ non adhibitæ priùs quàm feratur motu prosequutionis in objectum abominabile, argumentum factum nullam habet vim, siquidem prosequutio & tendentia illa non erit prior, sed concomitans, vel obsequens privationem, à qua habet actus primò & per se, quod sit malus.

Et cùm urgetur: Illa habitudo est moralis, tendens ad objectum morale, ab eoque hauriens non honestatem, aut indifferentiam: ergo malitiam. Respondetur tripliciter juxta alterutram considerationem: Illa habitudo est moralis ratione privationis intermixtæ, concedo; ratione entitatis, nego: nam ratione illius habet tantùm esse subjectum malitiæ. Vel iterum: Illa habitudo est moralis, quia tendit præcisè, nego; quia obliquè tendit, concedo: non est autem obliqua tendentia nisi ratione permixtæ privationis. Vel tertiò Illa tendentia ad objectum pravum est & supponit in genere causæ materialis recessum à Deo, fugam illius, & privationem regulæ rationis, ratione cujus habet primitus malitiam, concedo; & non supponit, nego. Nam ille actus non solùm est privatus rectitudine, quia prosequitur objectum commutabile, sed quia derelinquit fontem aquæ vitæ, & privat se voluntariè ordine rationis. Cujus signum manifestum est, quia si per impossibile actus prosequutionis tendentis ad objectum non esset privatus debita rectitudine & carentia conformitatis ad legem, non esset malus, ut patet in actibus indeliberatis, & ex his quæ de regulis bonitatis superiori capite diximus. Ex quo fit; quod sicut omnis actus peccati est & recessus à bono incommutabili, & accessus ad bonum commutabile: ita in illo duplex privatio importatur; altera, quia est aversio à Deo; altera, quia conversio ad creaturam: unde priùs quàm sit conversio & tendentia, est malitia privativa Dei, & boni rationis, ac proinde in illa sita est formale peccati, quia primitus in illo invenitur. Imò sine illa privatione nequit dici actus formaliter moralis, quia esse morale dicitur tale per ordinem ad regulas motum, nisi vel per subjectionem, & est actus bonus; vel per privationem, & est actus malus priùs terga dans, & a Deo faciem avertens, quàm stercora, & nugas nugarum amplexans.

Duplex aliud argumentum posset fieri contra nostram sententiam. Primum, quia videtur sequi, omnia peccata esse omissionis, si peccatum nihil formaliter importet nisi carentiam rectitudinis debitæ. Secundum, quia videtur etiam sequi, omnia peccata esse æqualia, siquidem privatio in qua consistunt, non suscipit magis & minus. Sed utraque hæc difficultas multa supponit in materia de peccatis elucidanda, ubi de peccatis omissionis, de æqualitate & comparatione peccatorum ex professo disputabimus, unde eam illum in locum rejicimus. Pro nunc dicito, peccatum omissionis non dici tale ex sola carentia rectitudinis, sed ex carentia actus; peccatum verò commissionis ex positione actus privati rectitudine debita; quia omittere est non agere, tametsi sit præceptum affirmativum urgens operationem; committere verò est agere contra præceptum negativum: & in hoc distinguuntur peccatum omissionis, & commissionis, non penes carentiam rectitudinis debitæ utrique peccato communem.

Non sequitur etiam omnia peccata commissionis esse æqualia, quia ratione fundamenti suscipiunt magis & minus, secundùm quod per illud plus minusve diminuunt de inclinatione naturali; repugnant synteresi, & opponuntur legi naturali, quæ penitus extingui non potest, sicut est major infirmitas una quàm alia, quia magis corporis vires minuit. Unde D. Thomas *q. 18. art. 8. ad 1.* & alibi vocat privationem in fieri, non in facto esse. Ad cujus intellectum sciendum, privationem in fieri removere quidem formam, sed non totaliter eam exstirpare, quia non tollit radicem ejus: v.g. ægritudo removet sanitatem, sed eam funditus & radicitus non evellit, quia non aufert vitam, quanvis ad eam destruendam disponat, sicque relinquit aliquid de opposita forma, saltem in radice. Privatio autem in facto esse non tendit remotione unius ad aliam veluti suffodiendam, sed omnem oppositam formam & in se, & in radice ab imis subruit fundamentis, ut cæcitas, & mors. Sic igitur privatio peccati dicitur in fieri, quia licèt rectitudinem auferat, tamen totaliter boni radices & semina non labefactat, nec destruit principia vitæ honestæ, nimirum rationem, synteresim, & libertatem, licèt primam obnubilet, secundam impediat, tertiam sanciet. Illud porrò observandum, utrumque hoc argumentum in

advet

adversarios facilè retorqueri, qui de eo dissolvendo non minùs laborant. Nam explicent, quæso, quomodo peccata omissionis sint, ut revera sunt, inæqualia; pejus enim est cibum extremè indigenti, quàm laborem citra periculum mortis patienti denegare. Et tamen utriusque peccati malitiam in privatione sitam esse nemo adversariorum inficiatur. Rursum peccatum commissionis & omissionis conveniunt in ratione mali moralis, cujus sunt membra dividentia: quomodo autem id fiet, si malitia peccati commissionis sit aliquid positivum? Vnde hoc argumentum fortius militat contra adversarios.

Hactenus cum Thomistis positivæ malitiæ duce Cajetano architectis certamen inivimus. Verùm quia plures recentiores extra Scholam S. Thomæ formale peccati in positivo statuentes diverso calle procedunt, paucis eorum mens perstringenda, paucis confutanda est. In primis quidam recentiores, quos sequitur P. Georgius de Rhodes, novissimus Societatis Scriptor, sed eruditione, acumine, & perspicuitate nulli sociorum secundus, censent malitiam moralem esse formalitatem aliquam positivam, sive relationem prædicamentalem disconvenientiæ ad naturam rationalem & legem, quæ non producitur per ullam actionem, sed advenit actui malo immutato, prout fit ab homine. Ex quo principio explicant, quomodo Deus non sit author peccati; quia formalitates actuum nihil aliud sunt quàm connotationes, quæ sunt quidem entia realia, nec per intellectum ficta, sed non actui superadduntur, sed sunt ipsimet actus, prout respiciens extrinsecum connotatum. Vnde inferunt, hujusmodi formalitates non esse aliquid producibile in actu per influxum alicujus causæ, sed resultare ab actu, non fluxu alicujus entitatis, sed connotatione alicujus extrinseci. Vnde licèt causa formalitatis sit etiam causa entitatis, quia formalitas est ipsamet entitas; causa tamen entitatis non illicò est causa formalitatis, quia formalitas non est entitas absolutè & nudè sumpta, sed entitas prout respiciens aliquid extrinsecum; idcóque non potest tribui causæ nudè sumptæ, sed causæ per quam ut respicientem connotatum extrinsecum talis entitas producitur. Cùm igitur malitia formalis sit solùm connotatio & formalitas nihil adjiciens entitati actus, malitia illa non est producibilis per aliquam actionem, sed resultat in actu, prout actua producitur à causa subjecta legi, & quæ tenebatur in actum illum non prorumpere, sub qua utique ratione Deus actum illum non producit.

Verùm illa doctrina, quamlibet subtilis, est tamen soliditate destituta. Tum quia fundamentum est valde incertum, nimirum quod formalitates reales libertatis, bonitatis, & malitiæ (si sitæ sint in positivo) non sunt aliquid distinctum actui superadditum, cùm secundùm adversarios possint adesse & abesse realiter ab actu, & separabilitas sit manifestissimum distinctionis realis argumentum. Tum quia natura ut respiciens, ut connotans aliquid extrinsecum, ut procedens à principio libero & advertente suam obligationem, vel importat aliquid reale præter entitatem actus, vel nihil: si aliquid, ergo aliquid reale non erit à Deo, & ruit fundamentum præfatæ doctrinæ: si nihil, ergo quotiescumque erit actua, erit formalitas & connotatio, quod negant adversarii: ergo qui producet entitatem, producet connotationem: ergo per illa verba, *ut connotans, ut respiciens, ut procedens*, & alia innumera quæ ex Nizolio vel Calepino erueri possunt, nihil significatur, quod non significetur nomine actus. Tum quia, ut superius argumentabamur, licèt Deus non sit causa formalitatum, ita ut ab eis possit denominari, quia non agit modo limitato causæ particularis, sed modo universalissimo, & sub ratione altioti causæ primæ; tamen Deus est causa omnis realis formalitatis creatæ & creabilis, quæ cùm sit ens ab alio, & per participationem, necessariò debet esse ab ente per essentiam, sive per efficientiam, sive per resultantiam procedat. Tum quia si ideò formalitas positiva malitiæ non est à Deo, quia formalitas actus ut producti à causa secunda, non est à Deo, formalitas etiam bonitatis ob similem rationem non erit à Deo: quod licèt concedat P. de Rhodes, nescio tamen qua veri specie; nam secundùm Tridentinum suprà recitatum, Deus est causa operis boni, non mali, & anathemate percutiuntur qui dixerint conversionem Pauli non esse magis à Deo, quàm proditionum Iudæ. Et certè tribuere Deo entitatem, & denegare bonitatem, eamque soli libertati creatæ asserere, est ut alicubi argumentatur Augustinus, creaturæ quod melius est tribuere. Accedit, quod actus bonus est sæpe numero supernaturalis; actus autem supernaturalis quà talis non potest non esse à Deo fonte gratiæ, & hoc negare est purum putum hæresis Pelagianæ virus secundùm omnes Theologos.

Dices: Illud est formale peccati commissionis, per quod formaliter repugnamus præcepto negativo prohibenti exercitium actus, & imperanti actus negationem; peccatum enim commissionis est illud, quo violamus & transgredimur præceptum negativum, cui conformamur dum ab actu vetito abstinemus. Atqui præcepto negativo prohibenti exercitium actus, & imperanti actus negationem non repugnamus formaliter per privationem, sed per aliquid positivum, quia negationi non possumus repugnare formaliter per aliam negationem, cui opponitur solùm quod est positivum, alias daretur negatio negationis, & processus in infinitum. Ergo in aliqua formalitate positiva sita est ratio constitutiva peccati. En quò devolvitur tota istorum Formalistarum subtilitas.

Respondeo præceptum negativum non violari quidem negatione actus, sed violari per actum habentem privationem rectitudinis & conformitatis ad legem ipsum prohibentem; non enim qualiscumque actus violat legem, ut patet de actu deliberato & primò primo, sed actus privatus subjectione ad regulam legis, qualis est actus deliberatus, voluntariè avertens se à lege, & obliquè tendens in objectum prohibitum. Non ergo per meram negationem repugnamus præcepto negativo, sed per actum affectum privatione: quocirca Ambrosius appellat peccatum nihilum rebelle, & armatum contra Deum.

R E F L E X I O.

Filii hominum usquequà gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Psal. 4. Væ vobis qui, ut dicitur Amos 6. *lætamini in nihilo*, ad nihilum redacti, & nescistis. Quia nimirum peccatum nihil est, inquit Augustinus *tract. 1. in Ioan.* & nihil fiunt homines cùm peccant. Nec homo solùm, sed & Angelus ad nihilum redigitur dum peccat, eo longè pejus unde creatum est; nam sicut de viro iniquo dictum est Psal. 14. *Ad nihilum deductus est malignus:* ita & de Angelo rebelli scriptum est Ezech. 28. *Tu Cherub extentus, dante inventa est in te iniquitas, & nihil factus es.* Vide quid ambias, quid consecteris, Lector, quoties peccas umbras persequeris, nihilum ambis, vanitates, idolum adoras, quod teste Apostolo nihil est in mundo. O curas hominum, ô sollicitudines peccantium ridiculas, ô quantum est in rebus inane! Post susceptos labores, post exantlatos labores, post exhaustas vires, dum beatitatem reperisse se credunt, lassati in via iniquitatis peccatores nihil inveniunt in manibus suis. Nam *quid est malum*, inquit Ambrosius

lib de Isaac, cap. 7. *nisi boni indigentia? Non est injustitia*, subdit Anselmus lib. de concord. cap. 1. *qualitas, aut actio, aut aliqua essentia, sed tantùm absentia debitæ justitiæ. Malum*, addit Damascenus lib. 2. de fid. cap. 4. *nihil aliud est quàm boni privatio, aut virtutis defectus.* Fecisti peccatum, ut carperes voluptatem; præterit momentaneum, quod fugitivè delectat; remanet infame nihilum, quod lethaliter damnat. Nam *quid est peccatum*, inquit Gregorius exposit. in 7. Psal. pœnit. *nisi mors? Mors namque est, quæ animam à Deo separat, sensuum internorum intercludit officia, divinam deturpat imaginem, lucis adimit claritatem.* Et adhuc post hæc malum amabis, & saporem mali habebis, & lætaberis in rebus pessimis? Si amara est mors, quomodo tibi dulce est peccatum, quo mors intravit in mundum? Sed si nondum times peccatum, time quò perducit peccatum. Sed proh cæcitas! Illud non modò non times, sed sicut aquam bibis, & consuetudine vilescit, & fit tibi quasi nullum sit. Certè si sentires hujus mortis horrores, si perciperes onus peccati & animæ læsionem, exteriorem utique aut parum sentires, aut ex toto non sentires corporis pœnam, nec reputares laborem, quo peccata scires deleri præterita, futura caveri. Sed quid mirum, si non sentit peccator, qui mortuus est. *Mors equidem*, inquit Augustinus in Psalm. 48. *quam timent homines, separatio est animæ à corpore: mors autem vera, quam non timent homines, separatio est animæ à Deo.* Et qui timent istam, quæ separat animam à corpore, ultrò incidunt in illam, ubi anima separatur à Deo. *Quod non dolet*, addit homil. 28. inter 50. *non pro sano habendum, sed pro mortuo computandum est. Quando aliquid pungitur & dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando autem tangitur, pungitur, vellicatur, nec dolet, pro mortuo habendum est.* Ergo morieris, dum malè agis, quicumque tantæ privationis ruinam non sentis, qua Deo summo bono orbaris.

Nec mirum quod homo per peccatum in nihilum prolabatur. Cùm enim homo flante Deo factus est in animam viventem, inspiravit Deus in faciem ejus spiraculum vitæ, in interiora statim transmissum, & per universa corporis spatia diffusum. Sicut ergo homo divina aspiratione densatus, & ut ait Tertullianus, in forma gelatus est: ita recedente per peccatum Deo, totus homo diffluit, totus evanescit. *Qui enim*, inquit optimè Petrus Damianus epist. ad Desiderium, *ab illo qui verè est, recedit, necesse est ut non sit, quia ad nihilum tendit.* Huic cogitationi mirè concinit Rupertus *lib. 7. de glorificat. Trinit. cap. 12.* ubi & nostram sententiam de peccati constitutivo egregiè illustrat his verbis: *Esse in eo quod est, verè est esse. Quod si quis ab esse excidit, is non est in esse; esse enim in peccato non est propriè esse, quia ipsamet in se, & secundum se malitia non est, cùm malitia sit privatio, & non existentia boni. Quemadmodum igitur ille, qui est in eo qui est, in esse est; sic qui in nihilo est (tale verò est malitia) itidem nihil fit, & annihilatur.* Vnde observant Patres, rectè ad interrogata respondisse Petrum, dum dixit se, negando Christum, non esse: *Non sum. Quia videbatur Christi negare societatem, utique se negavit*, inquit Ambrosius *lib. 10. in Lucam.*

Sed quia te à peccato sicut à facie colubri fugere confido, pie Lector, saltem dum totam vides mundi universitatem peccatis sordentem, fle super illam. Talem vitam vivere, vel potiùs tali morte mori, nonne lacrymis & lamentis dignum est? Nullus certè meliori jure defletur, quam à Christianæ sortis dignitate degenerans; nulli potiori ratione debetur lacrymarum profusio, quàm qui è vivis excessit. Et heu! cerne peccatorum strages, & clades per mundum sub cœlo totum longè latèque, & ubique grassantes. *Mortalis est ista vita*, inquit Chrysologus serm. 1. *quæ moritur virtutibus, quæ vitiis vivit.* Nec minùs eleganter serm. 19. *Quomodo mortui sepeliunt mortuos suos? Fratres, ipse dixit: Ego sum vita. Quod est anima corpori, hoc est animæ Christus. Sine anima corpus non vivit: non vivit anima sine Christo. Recedente anima, mox corporis fœtor, corruptio, putredo, vermis, cinis, horror, & omnia visu detestanda succedunt: discedente Deo confestim venit in animam peccatorum fœtor, corruptio criminum, vitiorum putredo, conscientiæ vermis, vanitatis cinis, infidelitatis horror, & fit in corporis sepulchro vivo funus animæ jam sepultæ.*

Peccatum privatio est: Ergo mors est: Ergo peccatores dum vivunt, portant funera sua, & in eorum corporibus veluti sepulchris omni putredine vitiorum, omnium immunditiarum saniè animæ fœdantur. Igitur ob mundi peccata effusissimæ profluant lacrymæ, nec desinant ex imo pectoris recessu jugiter prosilire suspiria. Quia ut monet Scriptura Eccles. 22. *Supra mortuum plora, defecit enim lux ejus.* Si quem de tuis charis mortalitatis exitu perdidisses, utique ingemisceres; quin & barba inculta, veste mutata, habitu lugubri, neglecta cæsarie, flentibus ocellis, facie demissa, ore pallente & dejecto interni ostenderes mœroris indicia. Dum ergo vides tot homines animas suas miserè perdere, & spiritaliter mori, & funus gestare suum, & vitam agere nihil à mortuis distinctam, imò & mortuis deteriorem, quia ut inquit Chrysostomus homil. 28. in Matth. *Certè si posses animam hominis peccatis involutam oculis cernere, non dubitares multò melius esse in sepulchro jacere, quàm delictis irretitum detineri, & lapide potiùs quàm gravi peccatorum pondere premi.* Hæc, inquam, dum vides, & acriter plange, & graviter ingemisce, & jugiter lamentare. Et pro virili ad vitandum sive in te, sive in aliis peccatum nullo parce labori, vires omnes confer tuas, profunde facultates, nullum non move lapidem, omnes adhibe machinas, nec credas te tempus vel operam perdidisse, si unum mortale peccatum ne patraretur obtinuisti. Quàm præclarè Augustinus tract. 49. in Ioan. *Laborat ne moriatur homo moriturus, & non laborat ne peccet homo in æternum victurus: & cùm laborat ne moriatur, sine causa laborat; id enim agit, ut multùm mors differatur, non ut evadatur: si autem peccare nolit, non laborabit; & vivet in æternum. O si possemus excitare homines mortuos, & cum ipsis pariter excitari, ut tales essemus amatores vitæ permanentis, quales sunt homines amatores vitæ fugientis! Quid non facit homo sub mortis periculo constitutus? Gladio impendente cervicibus prodiderant homines quiquid sibi unde viverent reservabant. Quis non continuò prodidit, ne percuteretur? & post proditionem fortasse percussus est. Quis non ut viveret, continuò perdere voluit unde viveret, eligens vitam mendicantem, quàm celerem mortem? Cui dictum est, Naviga ne moriaris, & distulit? Cui dictum est, Labora ne moriaris, & piger fuit? Levia Deus jubet, ut in æternum vivamus, & obedire negligimus? Non tibi Deus dicit, Perde quidquid habes, ut vivas exiguo tempore in labore sollicitus; sed, Da pauperi unde habes ut vivas, semper sine labore securus. Accusant nos amatores vitæ temporalis, quam nec cùm volunt, nec quamdiu volunt habent. Et nos invicem non accusamus, tam pigri, tam tepidi ad capessendam vitam æternam, quam si voluerimus, habebimus; cùm habuerimus, non amittemus.* Faxit Deus, ut ad illam fugâ peccati perveniamus.

Superioribus speculationibus peccati naturam, & malitiæ formalem rationem diutiùs forsan quàm par erat exposuimus. Viri enim pii convenientius fortassis judicarent, mallentque Theologos peccati terrorem atque horrorem incutere, quàm in ejus constitutivo explicando plus justo immorari. Nam & legimus

Principem

Principem Apostolorum Simoni Mago in celebri illa disputatione sciscitanti, quid esset peccatum, an natura, an privatio & nihil? despectâ illa subtili controversiâ, his verbis à D. Clemente relatis, & Apostolo dignis respondisse: *Non præcepit nobis Dominus de natura peccati disputare, sed docere quomodo sit fugiendum peccatum.* Verumtamen non inanis censenda est hujus monstri pervestigatio, quo cognito & audito pietas humana tota cohorret, tota animo respuit, & auribus ipsis, si sapit, aspernatur.

Speculatio III.

Idem actus moralis respectu diversorum bonus simul & malus esse potest: & sæpè sunt mala mixta bonis, sunt bona mixta malis.

Dixi *respectu diversorum*; nam respectu ejusdem rei, & eodem modo attactæ actum esse bonum & malum repugnat. Actus enim hoc ipso bonus est, quo est rectæ rationi conformis, malus verò, quatenus est eidem rationi difformis. Patet autem impossibile esse eundem numero actum habere simul conformitatem & difformitatem ad rationem respectu ejusdem. Unde difficultas dumtaxat esse potest, utrum idem actus possit ex diversis principiis esse simul bonus & malus, putà bonus ex objecto, malus ex fine; honestus ex fine, pravus ex objecto, vel ex circumstantiis. Dixi etiam *simul*, quia non est dubium, quin idem actus successivè possit transire de bono in malum ex variatione objecti ex natura sua indifferentis ad bonitatem, vel malitiam, si uno tempore permittatur, alio præcipiatur, vel prohibeatur. V. g. labor voluntarius ob honestum finem die profesto inchoatus, & in diem Dominicum sine interruptione continuatus, fit malus ob Dei interdicentis inhibitionem. Et in hoc assimilatur intellectui voluntas; nam idem intellectûs judicium in materia contingenti transit de vero in falsum, putà hæc propositio mentalis per horam in mente perdurans, *Petrus studet*, primâ mediâ vera est, quia Petrus operam dat literis; sed secundâ, in qua Petrus à studio abscedit, falsa est. Quæstio ergo est de eodem actu, & pro eodem tempore, an possit respectu diversorum principiorum esse simul bonus ratione unius, & malus ratione alterius. Sicut in naturalibus idem subjectum perfectione naturali secundùm unam partem ornatur, quâ secundùm aliam caret, ut si decora facie speciosus homo, gibbosus sit, vel claudus. Et in artificialibus idem opus secundùm unam partem regulis artis consonans, ab eis secundùm aliam recedit. Quod in moralibus posse contingere asserit speculatio cum Cajetano, in cujus gratiam superioribus speculationibus violatam hac assertione redimus.

Sed antequam probetur efficaciter speculatio, & simul occupetur tota rationum moles, cui adversa sententia innixa est, advertendum quod quando elicitur actus ex objecto bonus propter finem pravum, tunc opus bonum vel eligitur præcisè per modum puri medii conducentis ad finem, vel per modum finis intermedii, ita ut voluntas non solùm alliciatur à fine, sed etiam ab objecti bonitate moveatur, quamvis illi objecti amori superadjiciatur finis mali relatio, vel intermisceatur importunæ circumstantiæ inordinatio. V. g. videns quis pauperem indigentem misericordiâ movetur, & placet voluntati alienæ miseriæ sublevatio. Sed quia egenus petit eleemosynam in Ecclesia, præsente fidelium corona, subintrat vanæ gloriæ stimulus, & voluntatem fortassis pigram excitat ad citò erogandam pecuniam, quam tamen ulterò largitur ut fratris laborantis necessitati opituletur: vel etiam voluntatem subveniendi, & ipsam largitionem comitantur tepor, repulsæ motus, inconsideratio, vel indiscretio non advertens magis indigentem, vel aliæ imperfectionum labes, quibus veluti asperso pulvere nonnihil sordescit opus. Sed sit alius qui videns mulierem paupertate adactam mendicare, & necessitate cogente ad turpia, esse ad omnia fanda & nefanda paratissimam; tunc ille opportunam libidini occasionem nanciscens, ejus miseriæ opem ferre proponit, ut eam ad illicita pertrahat. In primo casu erogatio pecuniæ habet rationem finis intermedii, quia aliena miseria sublevanda per se amatur, per se, & in se placet, licèt fini ulteriori inhonesto supponatur, vel circumstantiæ indiscretæ permixtione sordidetur, sicut medicina sapida, & suavitate condita per se inescat appetitum, quamvis ob ventris dolores, quos ciere solet, vel propter fœtores quos emovet, ingrata esse possit; sed tamen non habet rationem puri medii, quia eatenus tantùm placet eleemosyna, quatenus est instrumentum & adjutorium libidinis. De hoc secundo non est difficultas, quia tunc electio boni operis non solùm bona est, sed pejor; non diminuit malitiam actus, sed auget; quia quoddam sacrilegii genus est opus de se bonum non alio motivo assumere, quàm ut serviat iniquitati. De primo autem casu est controversia, & contendimus tunc actum bonitatem ab objecto, malitiam à fine & circumstantiis desumere.

Probatur à priori, & à posteriori. Ratio à priori est: Actus quo voluntas per se & propter se amat levamen & solatium alienæ miseriæ, quamvis feratur in finem malum, vel inficiatur intempestivæ circumstantiæ inordinatione, aliquam tamen ex objecto illo honesto haurit bonitatem, si objectum illud prosequatur tanquam finem intermedium, & non tanquam purum medium: atqui voluntas potest esse, & sæpè est ita comparata, ut solamen alienæ miseriæ in se, & propter se amet, quamvis illud fini ulteriori vanitatis referat, vel malâ circumstantiâ inumbret & sordidet: Ergo tunc actus largitionis eleemosynæ bonitatem ab objecto, malitiam à fine & circumstantiis mutuabitur. Omnes & singulæ propositiones sont apertæ, si penetrentur termini. Minor quidem est evidens, & experientiâ ipsâ comperta; quid enim vetat, quin voluntas sit ita disposita, ut honestate misericordiæ alliciatur, quamvis ad effundendam sine mora pecuniam sine vanæ gloriæ veluti calcaribus excitetur? Certè hoc tantùm supposito disputamus; si enim eleemosynam tantùm ut medium conducens ad vanam gloriam, & nulla alia de causa eligeret, fatemur tunc actum ex objecto bonum non reddi, sed deteriorem potiùs effici affirmamus; quia nullus ibi est amor boni, sed profanatio illius, & mera idolorum servitus, & hypocrisis, seu simulata æquitas, quæ duplex est iniquitas, ut aiunt Patres; quia totum & unicum fructum in laude hominum ponit, nec studet virtutes colere, sed vitia colorare; clausa vitia abscondit & palliat, ac in usum propriæ laudis assumit, dum per ipsa quoque, quæ se agere sancta ostendit, non objecti amat honestatem, sed auras favorum. Major verò videtur etiam clara, & insuper cum minori sic efficaciter suadetur. Bonitas objecti per se volita & amata refundit aliquam bonitatem in actum; nam ut ex dictis suprà, dum de moralitate, constat, actus imperatus ad finem extrinsecum ordinatus speciem essentialem desumit ab objecto, & non à fine, quia objectum primò & immediatè respicit: ergo moralitas quæ à fine, vel circumstantiis supervenit, est tantum accidentalis, supponitque actum in sua essentia constitutum, quam proinde non potest tollere; quia quando manet id per quod res in sua essentia constituitur, à nullo superveniente destrui potest. Unde ordinatio actus ad

finem

finem extrinsecum operantis non mutat ejus naturam, sed solùm addit novum ordinem, novamque speciem accidentalem inducit, quia objectum actus imperati, & finis imperantis accidentaliter conjunguntur; siquidem idem opus pro voluntate agentis potest ad innumeros fines bonos malosve ad libitum ordinari, ac proinde bonitas vel malitia ex fine proveniens variabilis est, potestque adesse & abesse ab actu; moralitas verò quæ ex objecto convenit, inseparabilis est, ut superiori capite cum torrente Theologorum diximus: Ergo actus qui fertur in objectum bonum allectus ab ejus bonitate, non desinit esse bonus, quanvis inficiatur vel pravi finis, vel alterius inordinatæ circumstantiæ accidentali accessu.

Et radix horum omnium loco citato allata est, quia licèt actus qui est pura electio, à solo fine specificetur; tamen actus qui non solùm est electio, sed etiam intentio, tenditque in objecti bonitatem tanquam finem intermedium, primò & per se ab objecti bonitate speciem sortitur, quia nimirum non respicit objectum illud ut purum medium utile ad finis assequutionem, sed etiam ab interna ipsius bonitate cietur, quippe quæ habet aliquid in se unde quæratur, habet in natura sua aliquid movens ad diligendum, tametsi ad aliud ordinetur. Ordinatio autem objecti ad finem quemcunque ulteriorem, non aufert ab eo rationem finis intermedii, sicut dependentia causæ secundæ à prima, non tollit, vel absumit rationem causæ in secunda. Vide D. Thomas 1.2. quæst. 18. art. 4. ad 3. *Nihil prohibet*, inquit, *actioni habenti unam prædictarum bonitatum, deesse aliam. Et secundùm hoc contingit actionem, quæ est bona secundùm speciem suam, vel secundum circumstantias, ordinari ad finem malum, vel è converso; non tamen est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant.*

Quæ verba sunt ita expressa, & in illis tam perspicuè nostra sententia continetur, ut identidem mihi excidat, quo pacto Adversarii conentur illa ad suum sensum detorquere. Cùm enim dicunt, verba illa non facere sensum compositum, sed divisum, & significare actum illum habitum esse bonitatem, nisi malitia finis supervenisset; sicut si diceretur, nihil prohibet parietem habentem albedinem fieri nigrum, & hominem sanum fieri infirmum; cùm, inquam, hæc dicunt, manifestè S. Thomæ contradicunt, & textui vim inferunt. Etenim S. Præceptor affirmans actioni habenti unam bonitatem deesse aliam, inde infert actionem illam non posse dici simpliciter bonam, quia non concurrunt omnes bonitates: Ergo credit ibi unam adesse bonitatem, licèt non sit concursus bonitatum; aliàs actio non solùm deberet dici non bona simpliciter & purè, sed nullatenus bona. Vnde *in 2. dist. 36. quæst. unica, art. 5.* ut clarè innueret se loqui in sensu composito, ait: *Contingit actum habere bonitatem ex materia, & tamen eum malè fieri propter indebitas circumstantias.* Quod autem contingit fieri, non potentiam ut fiat, sed actum & sensum compositum apertissimè declarat. Sicut si diceretur, Contingit hominem habere præmotionem ad bonum, & tamen eum malè operari propter liberum arbitrium, manifestissimè significaretur, præmotioni posse liberum arbitrium dissentire in sensu composito, imò & de facto dissentire, si quidem dissensus contingeret, & eveniret. Eandem suam mentem perspicuè aperit Angelicus Præceptor *suprà citata quæst. 18. art. 7.* ubi rationem radicalem hujus assertionis tradit his verbis: *Quando objectum non est per se ordinatum ad finem, differentia specifica, quæ est ex objecto, non est per se determinativa ejus quod est ex fine, nec è converso. Vnde una istarum specierum non est sub alia, sed tunc actus moralis est sub duabus speciebus quasi disparatis.* Nec potest dici, quod S. Doctor loquatur in casu quo objectum & finis sunt in eodem ordine boni. Nam id exemplo ejus qui furatur ad dandam eleemosynam, illustrat S. Doctor inquiens: *Dicendum quod objectum exterioris actus dupliciter potest se habere ad finem voluntatis: uno modo sicut per se ordinatum ad ipsum, sicut benè pugnare per se ordinatur ad victoriam: alio modo per accidens, sicut accipere rem alienam, per accidens ordinatur ad dandam eleemosynam.*

Ratio verò à posteriori est, quia sæpè, & ferè semper contingit, actus bonos supervenientis finis, vel circumstantiarum malitiâ, veluti terreno halitu obnubilari; cùm enim nullus ferè sit actus bonus in viris etiam Sanctis, quantumvis vigilantibus, cui in hac vita non desit aliqua circumstantia, vel non admisceatur aliqua mala, licèt levis, sequeretur nullum dari actum meritorium, si quavis circumstantia veniali in actum quàmlibet heroïcum irrepente, tota bonitas extinguatur; meritum enim soli innixum est bonitati, quâ absumptâ, omnis operum fructus perdatur necesse est. Consequens autem est valdè durum, imò & Patrum doctrinæ, & suavi, & solito summi Provisoris modo agendi repugnans. Etenim licèt Sancti fateantur omnes justitias suas esse tanquam pannum menstruatæ, ideoque se servos inutiles prædicent; non tamen despondent animum, nec corde cadunt, sed bonis operibus incessanter insistunt, scientes quod Deus, qui scrutatur renes & corda, separabit pretiosum à vili, & bonorum operum sordes veluti paleas igne Purgatorii examinabit, sicut examinatur argentum; qui ignis propterea appellatur à Patribus *rationalis*, quia mira discretione actus bonitatem nō puniet, sed circumstans peccatum purgabit, ut per opera sancta veluti aurum obryzum, legitimum, & nō adulterinum, possint emere regnum cœlorum. Hortantur quidem sacri Doctores, ut curemus ne bona nostra pauca sint, curemus ne indiscussa; quia pauca agentes inveniuntur steriles, & indiscussa relinquentes socordes: sed tamen humiles & veri fatentur in hac valle miseriæ opera justa à venialibus circumstantiis aut separari vix posse, aut certè nequaquam posse. *Nonnunquam*, inquit Magnus Gregorius lib. 1. Moral. cap. 16. *virtutes aliquantula elatione nos polluunt. Sæpè*, addit cap. 19. *bono operi dum laus humana obviat, mentem operantis immutat; quæ quamvis quæsita non fuerit, tamen oblata delectat.*

Quod idem Pater humillimus, & Magistri humilitatis discipulus, semper pavidus, atque ex omni latere circumspectus adversùm jacula elationis pugnans, suo experimento confirmat in fine Moralium, his verbis Christi Bono odore refertissimis: *Redeundum est ad curiam cordis, ut quasi in quodam concilio consultationis ad meipsum discernendum convocem cogitationes mentis, quatenus ibi videam, ne aut incautè mala, aut bona non bene dixerim. Tunc enim benè dicitur bonum, cùm is qui dicit, soli ei à quo accipit, per id appetit placere quod dicit. Et quidem mala me aliqua etsi dixisse non invenio, tamen quia omninò non dixerim, non defendo. Bona verò si qua divinitus accipiens dixi, meo videlicet vitio minùs me dixisse profiteor. Nam ad me intrinsecus rediens, postpositis verborum foliis, postpositis sententiarum ramis, dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidem ex ea me summoperè placere voluisse cognosco; sed eidem intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se, nescio quomodo, intentio humanæ laudis interserit. Quod cùm jam postmodùm, tardeque discerno, invenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic etenim sæpè intentionem nostram, dum ante Dei oculos rectè incipitur, occultè sibi subjuncta, & eam velut in itinere comprehendens intentio humanæ laudis assequitur: sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu, dum furtim gula subrepit, edendi delectatio permiscetur. Fatendum*

dum est igitur, quod rectam quidem intentionem nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnunquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Si autem de his divinitus districtè discutimur, quis inter ista manet salutis locus, quando & mala nostra pura mala sunt, & bona quæ nos habere credimus, pura bona esse nequaquam possunt? Vides ex veridica Gregorii sententia, vix ac ne via quidem dari in hac vita *pura bona*, & tamen non esse omni ea parte vacua bonitatis. Ergo sicut in naturalibus bonitas essentialis etiam cum defectu accidentali subsistit, sicut pavo ocularis & ad aspectum præclaris pennis elegantissimè discriminatus sordescit in pedibus: ita in moralibus actus ex objecto honestus potest circumstantiarum maculis aspergi. Nam ut ait S. Thomas quæst. 18. art. 1. *De bono & malo in actionibus oportet loqui, sicut de bono & malo in rebus.* Ex quo infert: *Quia de ratione boni est ipsa plenitudo essendi, si alicui aliquid defuerit de debita essendi plenitudine, non dicitur simpliciter bonum, sed secundùm quid.*

Plures alias rationes ab Authoribus nostræ sententiæ adductas missas facio. Mitto quod per actum venialibus circumstantiis inquinatum impleri potest præceptum, quod utique secundùm S. Thomam non potest esse nisi de bono, sicut prohibitio de malo, & permissio de indifferenti. Mitto quod actus eleemosynæ propter honestatem illius elicitus, tametsi circumstantiarum labe fœdatus, elicitur à virtute misericordiæ objectivam difficultatem evincente, & facilitatem eliciendi conferente, non solùm per remotionem impedimentorum facultatem retardantium, ut quidam dicunt, sed etiam inclinante ad objecti honestatem; cùm supponamus eleemosynam non eligi ut purum medium, & instrumentum iniquitatis, sed ut finem intermedium ratione nativæ bonitatis placentem, sed circumstantiis adventitiis maculatum. Mitto plures actus supernaturales ex objecto bonos à virtute infusa, vel saltem auxilio gratiæ elicitos, posse malâ circumstantiâ sordidari, ut si quis sit ita comparatus, ut nolit quidem credere nisi propter infallibile primæ veritatis revelantis testimonium, nec prædicare nisi propter majorem Dei gloriam propagandam enarrandamque, nec ad Sacramentum pœnitentiæ accedere, nisi ut juri divino læso satisfaciat; ad illa tamen solet opera concitari & veloti inescati vel commoditate occurrente, vel amoris proprii titillatione irrepente, vel consuetudine ducente, vel sociorum choro & comitatu invitante, vel aura populari demulcente; rara enim avis est in terris, cujus operibus nonnihil humani affectus sensim sine sensu misceatur. Et tamen sic credens, sic prædicans, sic ad pœnitentiæ tribunal vitæ suæ noxas expiaturus contritus accedens, non committit sacrilegium (supponimus namque illa supernaturalis pietatis opera non assumere ut mera instrumenta vanitatis, quia in hoc casu grande foret peccatum, & quoddam simoniæ genus opera de se tam sacra pro vano gloriolæ flatu, vel temporalis commodi lucro vendere;) sed opera supernaturalia, quanvis non omni ex parte defæcatissima edit ope divini adjutorii, operis boni honestatem à circumstantii malitia præscindentis. Has, inquam, rationes aliasque missas facio, quia duplex à nobis facta affatim probat intentum; nec nostri instituti est rationes congerere, sed selectiores è rei visceribus ductas urgere.

Objicies: Objectum de se bonum, seu in malum finem relatum, vel malâ circumstantiâ vitiatum nullo modo est conforme rationi, & idem est de fine aliàs bono acquirendo per malum medium; velle enim objectum relatum in malum finem, & finem per malum medium obtinendum, nulli rationi consentaneum est, sed omninò repugnans: Sed quod nullo modo bonum est, & quod omni modo rationi adversum est, nullam tribuit actui bonitatem: Ergo actus non potest ex objecto bonitatem, & ex circumstantiis malitiam sortiri.

Confirmatur: Nulla, quantumvis minima potest esse bonitas in actu, nisi prout est conformis judicio prudentiali, quod est proxima & immediata regula actuum humanorum: Atqui actus circumstantiâ vel levissimâ vitiatus, nequit esse conformis judicio prudentiali, quod non est de actu vel objecto præcisè, sed ut vestito circumstantiis hic & nunc occurrentibus; prudentia enim dictat bonum esse faciendum benè, nec facienda mala, ut veniant bona. Ergo actus aliquâ circumstantiâ sordidatus nullam prorsus retinet bonitatem.

Confirmatur rursum: Cùm aliquis dat eleemosynam propter inanem gloriam, objectum illius actus desinit esse bonum, & fit malum, cùm evadat medium conducens ad finem pravum, instrumentum criminis, & materia in qua exercetur peccatum sub specie & larva misericordiæ: Sed objectum quod desinit esse bonum, & incipit esse malum, nequit refundere bonitatem in actum: Ergo electio actus de se boni in finem malum relati nullam derivat ab objecto honestatem, sed malitia finis in medium refusa totam objecti, subindeque electionis bonitatem absorbet, & extinguit. Unde D. Thomas q. 19. art. 7. ad 2. *Qui vult dare eleemosynam propter inanem gloriam consequendam, vult id quod de se est bonum sub ratione mali, & ideo prout est volitum ab ipso, est malum, unde voluntas ejus est mala.* Et ad 3. *Sive voluntas sit ejus quod est secundùm se malum, & sub ratione boni, sive sit boni sub ratione mali, semper voluntas erit mala.* Et fortiùs in 2. dist. 38. q. 1. art. 4. *Cùm aliquis vult dare eleemosynam propter inanem gloriam, hic est unus actus voluntatis, & hic actus totus malus est, licèt nunquam ad omne id quod in eo est, malitiam habeat.* Hæc sunt argumenta, quibus innixi Salmanticenses, Ioannes à S. Thoma, aliique non pauci valde probabiliter, sed nimis durè existimant, nullum dari bonum in moralibus nisi purum; & desinere esse penitus bonum, si minima sit circumstantia mala.

Respondeo hæc omnia argumenta ex suprà positis manere occupata distinctione illa de opere bono electo ut puro medio in ordine ad finem malum, vel assumpto ut fine intermedio propter suam intrinsecam bonitatem placente, sed accessorii finis, vel circumstantiæ vestientis malitiâ vitiato. Ex qua doctrina ad objectionem dico, actum bonum ordinatum ut purum medium in finem turpem, nullo modo esse consonum rationi, sed omninò dissonum, quin potiùs esse malitiam auctiorem, dum vult bonitatem servire iniquitati; sed tamen actum qui fertur in objectum bonum, propter istius bonitatem in se amatam sortiri aliquam honestatem, quantumvis accedente, & circumstante aliquo defectu non puram, sed permixtam.

Qua eadem distinctione infringitur vis utriusque confirmationis, & exponuntur S. Thomæ recensita testimonia. Licèt enim actus prout relatus in finem pravum, & ut indutus malâ circumstantiâ, nequeat esse prudentiali dictamini consentaneus; tamen amari objecti illius honestatem propter se attidentem, omni prudentiæ conforme est, cui omne bonum ubicumque sit, placere debet, more Dei qui bonum, ut ait alicubi D. Thomas, in omnibus amat absque acceptione rerum, vel personarum. Certè sicut prudentia & bonum objectum, & bonas circumstantias præcipit: ita actus qui objecti honestate allicietur, tametsi circumstantias omnes non eligat, erit partiali prudentiæ dictamini consentaneus, ejusque regulæ partim conformis, partim difformis erit. Præcipit, fateor, prudentia

dentia bona benè fieri; sed inde duntaxat sequitur, actum circa bonum non benè versantem, prudentiæ amussi ex parte consonum, ex parte dissonum esse, subindeque non purè bonum, sed mixtum; secundùm quid bonum, malum autem simpliciter. Non enim est actio bona simpliciter, nisi omnes bonitates concurrant; quia quilibet singularis defectus causat malum, bonum autem causatur ex integra causa.

Secunda autem confirmatio, sicut & testimonia D. Thomæ probant solùm, objectum bonum fieri malum cùm eligitur ut medium ad iniquitatem, ut instrumentum sceleris, & ut materia, in qua sub pietatis umbone peccatum exerceatur, subindeque actum ut est mera electio, esse perversum, & totum malum: Sed sicut illud objectum habens rationem finis intermedii per se ob ingenitam bonitatem amari honestum est, ita actus qui fertur in illum ut intentionis rationem habet, pariter bonitate afficiatur necesse est. Et hoc ipsum indicat S. Præceptor in locis objectis, affirmans voluntatem esse unicè & totaliter malam, quando *bonum sub ratione mali, vel malum sub ratione boni eligitur.* Cùm autem bonum sub ratione mali eligitur, tunc bonum non amatur in se, sed tantùm ut deserviens malo, subindeque est purum medium, non finis intermedius. Nihil autem mirum, si actus sit tunc omni ex parte malus, quia malitia finis transit in rationem objecti, cùm voluntas nulla objecti nativâ honestate alliciatur, sed eam materialiter assumat, ut sit instrumentum perversitatis; grandis enim perversitas est fruendis uti, id est ea quæ propter se amari debent, non alia ratione diligere, quàm ut sint gradus ad scelera. Sic agens nec bonum, nec benè agit, sed bonum profanat, foris Cato, intus Nero, totus ambiguus, in vestimentis ovis, intrinsecus autem lupus rapax. Et in hoc sensu Patres, & eorum echo S. Thomas, veridicè dicunt bonum propter malum perpetratum esse pejus cordis malum; quia dum hypocrita externis simulatæ pietatis officiis vult bonus apparere, non esse, veneni latens virus mellis dulcedine præcolorat; malitiam cordis depingit colore sanctitatis, adulatur, ut mordeat; ossa jejuniis atterit, ut mente turgeat; despectis vestibus corpus tegit, faciem exterminat, corpus torquet, ut appareat hominibus jejunans, & non esse sicut cæteri hominum. Hujusmodi quodcumque opus, quàmlibet fulgeat, non virtus, sed pharisaica justitia dicenda est, virtutum fucus, tinea sanctitatis; non pietas censenda est, sed impietatis medulla, vera simulans, simplicia fallens, sincera adulterans, religionem mentiens, videntibus illudens, sanctimoniam vendens, famæ gloriam emens, vulgi laudes solas captans, & arte crudeli virtutes truncans mucrone virtutum.

Sed de his operibus specie bonis, & larvâ solùm honestis non haberi quæstionem, iterum, & iterum monuimus, sed de illis in quæ veluti per rimulas subintrant guttæ iniquitatis. Quæ si bona esse prorsus desinunt labe cujusvis inordinatæ circumstantiæ, poterunt Authores oppositi totum orbem lustrare, & assumptâ etiam illius Philosophi hominem in meridie quærentis lucernâ, bonum aliquod opus vestigare, & vix ullum invenient, quia in hac vita nihil omni ex parte beatum, & omnis nostra justitia est tanquam pannus menstruatæ. Cujus sequelæ vim subodoratus emunctissimæ naris Theologus, & omnium penè bonorum operum carceminium inferri benè videns oculatissimus Ioannes à S. Thoma, dixit opera pietatis, fidei, & justificationis œconomiam compati quidem interdum imperfectionum, & minutiorum peccatorum sordes, aut pulveres, sed non amore illorum elici opera; fieri cum illis, non oriri ex illis. Benè est: atqui adjunctam habere malitiam, compati sordem, malum est, sicut eam non habere sociam, bonum esse nemo inficias eat: Ergo tunc opus habemus mixtum, non purum bonum, sed tantisper vitiatum; quod intendimus.

Instabis: Voluntas eleemosynæ, vel jejunii ob vanam gloriam, vel in malis circumstantiis, derivatur à pravo dictamine: Ergo tunc jejunii voluntas non potest esse bona.

Respondeo semper eadem distinctione: Voluntas jejunii assumpti tanquam puri instrumenti vanitatis derivatur à pravo dictamine, concedo; assumpti propter internam honestatem, & amati per modum finis intermedii, nego. Ergo voluntas tunc non est bona, si sit pura electio, concedo; si sit simul intentio, nego. Vel iterum: Non est bona prout subjicitur fini extrinseco operantis, concedo; prout allicitur ab ingenita honestate finis operis per se amari, nego. Vel tertiò: Ergo non est bona, si finis transeat in rationem objecti, sicut contingit in opere hypocritarum, concedo; si finis maneat intra limites circumstantiæ, ut sæpè accidit viris sanctis, nego. Quæ omnia hactenus perspicuè exposita non debent iterari. Adde solùm hæc D. Thomæ verba quæst. 2. de malo, art. 4. ad 2. *Actus bonus potest malè fieri, quia non requiritur quod sit integrum malum, sed sufficit quod sit particulariter malum.*

Insistes: Arbor bona non potest malos fructus facere: Ergo eo ipso quod fert fructus malos, desinit esse bona, & fit mala: Sed finis bonus movens ad mala media, fit radix mali: Ergo tunc finis desinit esse bonus, subindeque nulla ex illo refluit bonitas in actum.

Respondeo quod sicut arbor bona edit per se fructus bonos, qui tamen ex accidenti temporis injuriâ, vel aëris inclemantiâ, vel loci intemperie, aliisve de causis si non corrumpuntur penitus, certè inficiuntur, vel ex parte alterantur, vel saltem marcescunt; ita ex bona intentione nonnunquam sequitur per accidens opus pravâ electione, vel aliâ perversâ circumstantiâ aliquo pacto vitiatum.

Ad quorum pleniorem & clariorem intellectum diligenter advertendum est, quod sicut in opere bono malâ finis circumstantiâ vitiato duo distinximus, rationem puri medii, & rationem finis intermedii, asseruimusque quod si opus bonum non alia ratione ametur, quàm ut deserviat malo fini, sitque purum medium ad ejus assequutionem conducens, tunc actus est totaliter malus, tunc oculus nequam totum operis corpus tenebrosum reddit, tunc non est actus virtutis, sed simulationis, quæ cujus animum semel imbuerit, tota eum virtutum sinceritate & veritate fraudat, non secus ac modicum fermentum totam farinæ, cui injicitur, massam corrumpit, universamque non conspersionem suo sapore commaculat. Si tamen opus illud placeat ratione honestatis nativæ, nec finis intrinsecus malus transeat in rationem objecti, sed sit non motivum totale, sed vehiculum, calcar & quadantenus incentivum ad agendum, tunc actus nonnullam ex objecto percipit honestatem. Ita similiter amor finis honesti, ex quo sequitur mala vel vitiata electio, considerari potest vel ut est volitio finis ab ejus honestate illecta, vel ut est causa dicens ordinem ad media. Quatenus est volitio finis honesti, non potest non esse bona, quia amare bonum quà tale, bonum esse necesse est; quatenus verò ille actus habet rationem causæ moventis & dicentis ordinem ad media indecentia, incipit esse mala. Si autem ille actus haberet solùm rationem motivi ad malum, id est, si homo vellet finem illum de se honestum, quatenus est per malum medium obtinendum, & ut movet ad illud, tunc actus esset omnimodis malus, sicut diximus de eo qui nollet objectum bonum, nisi ut serviret iniquitati.

iniquitati. Ex quibus facilè respondetur in forma distinctione minoris : finis bonus movens ad mala media fit radix mali, subindeque malus, quatenus amatur ut movens ad mala media, concedo ; quatenus amatur ob innatam bonitatem in se & propter se placentem, nego.

Persistes : Non est de hoc magna difficultas, sed quæritur, utrum electio objecti pravi, putà voluntas mendacii vel furti per se mala, habeat aliquam honestatem ex ordinatione ad finem extrinsecum bonum, putà solatium proximi egentis, vel periclitantis : illa autem electio est incapax omnis honestatis, actua quippe intrinsecè malus nulla potest intentione honestari, nulla circumstantia, nulla utilitate licitus reddi : Ergo actus ex objecto malus nullam ex fine extrinseco percipit bonitatem.

Respondeo sufficere ad veritatem nostræ assertionis, si habeamus aliquem actum in intentione bonum, electione sordidati, ut docet D. Thomas *in 2. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 5. Et potest exemplis illustrari, in quibus claret electionem labe aliqua inquinatam non extinguere penitus intentionis honestatem. V.g. si quis fervida pœnitentiæ intentione permotus carnem acerbiùs comprimens, tantisper à modo & medio discretionis recedat, fructum suæ pœnitentiæ non perdet. Si parens, vel Magister zelo disciplinæ in juvenem lascivientem animadvertens paululùm in correctione excedat, non continuò suæ solicitudinis meritum amittit. Si quis ut satisfaciat necessitati, utque Deo validiùs inservire queat, cibum sumens, nonnihil insidianti indulgeat voluptati, non illico suæ temperantiæ & præstitutæ gloriæ Dei laude privatur ; aliàs vix ulla daretur unquam honestatis intentio, quæ non in electione deperiret, quia sæpe, & ferè semper exequutionem peccati alicujus venialis furtim subrepentis circumstantiâ comitatur.

Quod si electio sit intrinsecè mala, ut voluntas furti, & mendacii ad sublevandum proximum, dicendum tunc electionem illam esse omninò malam, quia furtum & mendacium habent objectum essentialiter malum ; moralitas autem ex objecto derivata est essentialis, quæ proinde semper manet, ut discurrit S. Doctor quæst. 2. de malo, art. 4. ad 2. *Illud*, inquit, *quod consequitur speciem alicujus, semper inest. Cùm ergo actus hominis speciem consequatur ex ratione objecti, secundùm quam est bonus vel malus actus, sic specificatus in malo nunquam potest esse bonus, nec specificatus in bono unquam potest esse malus.* Vbi vides, actum retinere semper eam, quam ex objecto haurit moralitatem. Nihilominus liberandi, vel adjuvandi proximi affectus, ex bona intentione in electionem illam derivatus & permanens, est quidam bonitatis radius, licèt nigricans. Cujus signum est, quod Deus licèt electionem reprobet & puniat, affectum tamen laudat, & remunerat, ut patet in Ægyptiis obstetricibus, quæ licèt contra præceptum Regis Ægypti conservassent mares Hebræorum, tamen accersitæ ad Regem id negaverunt, propter conservandum populum Dei, & cultum divinum, cui se obsequium præstare credebant, unde dixerunt, Exod. 1. *Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres ; ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam ad eas veniamus, pariunt.* Qua in narratione licèt peccarint obstetrices mentientes, earum tamen divini cultus propagandi amorem in illo mendacio permanentem laudavit, & remuneravit Deus, cui nihil nisi bonum placere potest. Vnde ibidem dicitur : *Quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos.* De quibus mulieribus loquens D. Thomas 1. 2. *quæst.* 114. *art. ult. ad* 2. ait : *Obstetrices habuerunt bonam voluntatem quantum ad liberationem puerorum, non tamen fuit earum recta voluntas quantum ad hoc, quod mendacium confinxerunt.* Vbi Cajetanus : *Deus tanta bonitate affluit, ut etiam inter malas nostras voluntates gaudeat se ordinare opera, quæ remuneret. Cui sit honor & gloria in sæcula sæculorum.*

Ad argumentum ergo dicendum, electionem furti, & mendacii semper esse malam, nunquamve reddi honestam ex bona intentione, quia semper est contra legem & rationem ; desiderium tamen proximi vel sublevandi, vel à periculo gravi imminenti liberandi in illa electione intermixtum, esse stillam bonitatis à pia intentione promanantem. Vnde in hac parte bona intentio imitatur concursum Dei. Et sicut iste attingit actionem intactâ malitiâ, quia malum opus non quà malum est, sed ut habet aliquam entis bonitatem, producit : ita bona intentio proximo succurrendi, vel gloriam cultus divini propagandi, in malam electionem non quà malam influit (malum enim ut malum nequit in bonum referri, vel ei deservire ;) sed quatenus opus illud materialiter sumptum proximo impendentem mortis vel famis calamitatem depellit & propulsat. Fateor tamen malitiam electionis bona intentione diminui, quia ut ait D. Thomas 2. 2. quæst. 110. art. 2. *Quantò bonum intentum est melius, tantò magis minuitur culpa mendacii.* Et juxta Augustinum lib. cont. mendac. cap. 88. *Pejor est qui concupiscendo, quàm qui miserando furatur. In suo quippe genere alia aliis ejusdem generis peccatis leviora fiunt, quæ bono animo videntur admitti.*

Sed hic diligenter unum explicandi modum advertas per optem, ex quo tota hujus difficultatis elucidatio patet. Nimirum, quod cùm elicitur actus ex objecto bonus malâ circumstantiâ vitiatus, vel intenditur finis bonus mala electione deturpatus, semper & in producendo opere bono ob malum finem, & in eliciendo opere malo ob bonum finem interveniunt duo actus, qui tamen pro eodem computantur, quia ubi est unum propter aliud, ibi est unum tantùm, ut ait Philosophus. Quam doctrinam perspicuè tradit S. Thomas q. 2. *de malo, art* 4. *ad* 2. *Dare eleemosynam pauperi est actus secundùm se bonus, sed referre actum hujusmodi ad finem aliquem inordinatum, scilicet cupiditatis, aut inanis gloriæ, est quidam alius actus malus ; qui tamen duo actus quodam ordine in unum rediguntur.* Ex qua doctrina omnia argumenta facta, & tota controversiæ difficultas evanescit ; si enim voluntas ordinans bonum in malum, & è contra, duos actus partiales producit in unum veluti coalescentes, quid mirum si tunc voluntas ratione unius bona sit, & mala ratione alterius ?

Obsistes demùm : Ergo idem actus erit simul meritorius & demeritorius, cui simul debeantur merces & supplicium.

Respondeo, non esse inconveniens quod actus bonitati respondeat merces, & malitiæ debeatur aliqua pœna vel in Purgatorio, si sit malitia venialis mixta operibus justorum ; vel in Inferno, si sit malitia mortalis. Actus autem quà malus non est meritorius, etiam imperatus à bono fine, quia ut talis nequit ordinari per charitatem in Deum. Certè Patres, ipse etiam Augustinus, non semel docent, Romanos orbem universum sub suam redigere ditionem meruisse ob præclara gesta ex objecto bona, tametsi vanæ gloriæ fine sordentia. *Frequenter*, inquit D. Thomas in 2. dist. 27. q. 1. art. 4. *Deus in hoc mundo remunerat eum, qui præmium futuræ gloriæ non meretur, ut sic nullum bonum irremuneratū inveniatur.*

Resistes demùm, & fortiùs adhuc insurges : Actus bonus est actus virtutis : Sed actus virtutis nequit ulla ratione esse malus : Ergo non potest dari actus bonus simul, & malus. Probatur minor : Tum quia virtute nullus malè utitur, ut post Augustinum docet D. Thomas *infrà*, q. 55. *art.* 4. addens ibidem ad 5. *Virtute potest aliquis malè uti tanquam objecto, puta cum malè*

sentie de virtute, cùm odit eam, vel superbit de ea, non autem tanquam principio usus, ita scilicet quod malus actus sit virtutis. Tum quia nulla virtus per suum actum potest ferri extra suum objectum specificativum adæquatum, & multò minùs in illud quod opponitur & repugnat objecto specificativo illius: atqui actus quacumque ratione malus, non solùm est extra latitudinem objecti specificativi virtutis, sed etiam repugnat objecto virtutis; virtus enim moralis est perfectio potentiæ operantis cum subordinatione ad rationem: unde quod non est consonum rationi, est extra sphæram objecti illius; quod verò est dissonum, est illi repugnans & infensum. Ergo repugnat habitum virtutis elicere actum qui feratur in malum, vel ex fine, vel ex circumstantiis. Tum quia ut anteà objiciebatur, & ampliùs confirmatur, bonitas moralis desumitur ex unica regula, & ex unico judicio prudentiali, de cujus ratione est ferri in actum vestitum hîc & nunc omnibus circumstantiis; unde nequit dictare actum vel minima malitia sordentem, nullumque objectum potest esse conforme dictamini prudentiæ, nisi secundùm omnia bonum sit. Etenim ad judicium prudentiale tria potissimè requiruntur. Primò rectitudo voluntatis per bonam intentionem finis; qua de causa prudentia præsupponit virtutes morales, quibus appetitus in ordine ad fines particulares rectus fit, unde actus ex objecto bonus, ad malum finem relatus non potest à prudentia elici, nisi fortè à prudentia carnis, quæ magna imprudentia est. Secundò ad prudentiam requiritur bonum consilium, & judicium verum de mediis eligendis, ex quo fit prudentiam non posse dictare bonum finem esse per malum medium eligendum; sed hoc est proprium astutiæ, quæ est vitium prudentiæ oppositum. Tertiò necessaria est circumspectio, seu attentio & perscrutatio circumstantiarum hîc & nunc occurrentium, conferens eas cum fine, & mediis ad finem. Unde dictare opus sine ponderatione circumstantiarum, non est actus prudentiæ, sed levitatis, & inconsiderationis: ergo ut aliquid sit conforme dictamini prudentiali, debet illi obsequi secundùm omnia, objectum nimirum, finem, & circumstantias; subindeque virtus ulla moralis, quæ immediatè per prudentiam regulatur, nequit influere in actum quacumque ratione malum.

Respondeo actum virtutis ut à virtute procedit, nullam sortiri malitiam, sed bonitatem; sed eundem ut est à voluntate ex parte deficiente, vel à malo habitu se ingerente, posse nonnihil sordium contrahere. Præsertim si tunc juxta ultimum dicendi modum duo actus partiales inveniuntur adunati, quorum unus est fructus virtutis, alter ab habitu vitioso, vel sola voluntate deficiente promanat. Sed utut sit, bonitas unius rationis, seu (ut dicunt) unius lineæ, non destruitur nisi per malitiam sibi immediatè oppositam: malitia autem proveniens moderatæ comestioni ex vana gloria, non est ejusdem ordinis, seu lineæ cum bonitate temperantiæ, cui vanæ gloriæ flatus extrinsecus est. Ad id verò quod eruditè additur de prudentia finem, media, & circumstantias moderante, satis superque diximus, actum illum non esse quidem secundùm se totum dictamini prudentiæ consentaneum, ac subinde esse & denominari simpliciter malum; ex parte tamen illi conformari, subindeque actum illum esse *particulariter* duntaxat bonum, ut dicebat S. Thomas. Dictat enim prudentia esse temperatè comedendum, licèt non dictet, sed vetet sobrietatem vanâ gloriâ inficere. Et sufficit ad hoc ut actus sit à temperantia, quod non sit difformis dictamini prudentiæ, prout prudentia est regula in particulari temperantiæ; neque enim per se, & ex propria ratione exigit conformari prudentiæ, ut est regula universalis omnium virtutum; quia sicut temperantia habet materiam determinatam, ita directione prudentiæ circa illam contenta est. Sanè moderata comestio per se, & propter se amari nequit à mala voluntate, licèt ab ea possit inquinari. Ergo ut talis à virtute eligatur, necesse est. Ex quibus patet nec actum illum ex meritis objecti pensatum esse extra, vel contra latitudinem objecti virtutis, nec adæquatè dictamini prudentiali adversari.

REFLEXIO.

Verebar omnia opera mea. Quia multa pura mala sunt, rara autem, aut ferè nulla pura bona sunt: si enim aliqua circumstantia desit, bonum non benè fit. *Omne* autem *factum*, inquit Aug. lib. de utilit. credendi, cap. 12. *si rectè factum non est, peccatum est.* Ergo quanto major es, humilia te in omnibus; quia non sunt opera tua plena, nec juxta D. Paulini expressionem *bonus nummularius* es, nec probabiles cudis nummos charitate signatos, sed vanis circumstantiarum percussis characteribus. Time ne tota nocte laborans nihil capias, nihilque invenias in manibus tuis, qui vir divitiarum tibi ipsi videris. Tam insidiosè, & juxtà frequenter in opera nostra irrepunt circumstantiarum sordes, ut vix, ac ne vix quidem sit ullus, qui ab amoris proprii, vel inanis gloriæ cupiditate se extricet; ullus qui ad egregia opera peragenda accingatur, quin priùs alicujus gloriolæ, vel commodi flatu non exstimuletur. Quoties dum putamus crucem portare, sic portamus, ut plus habeamus in crucis nomine dignitatis, quàm in passione supplicii? Quoties abstinentiæ fluctus intramus, continentiæ conscendimus undas, enatamus jejuniorum pelagus, & operis difficultate superatâ, in ipso externarum macerationum portu naufragamus? Ita est, ita planè, ita nimis. Laudari volumus in hac vita; quæ nostra sunt quærimus, à recta placendi Deo intentione ad inanis consolationis cupiditatem transimus, & dum favoris auras captamus, nec ad Deum referimus, ipsi quod suum est furamur.

Operari sequitur esse, & quia in iniquitatibus concepti sumus, & in peccatis conceperunt nos matres nostræ, hinc opera nostra sordibus conspersa sunt. Maneat ergo oportet in hac vita solicitudo quædam ac tremor, ut illud impleatur Apostoli præceptum: *Cum timore, & tremore vestram salutem operamini.* Sic affecti in ipsis bonis operibus positi trepidemus, ac ne in eisdem occulto aliquo errore displiceamus, continuis lamentis vacemus; quia semper & ubique nobis suppetit unde Deo dicamus: *Ignorantias nostras ne memineris, & ab occultis nostris munda nos Domine.* Opportunè, & verè, sed terribiliter Magnus Gregorius lib. 5. Moral. cap. 6. *Sæpe unde placari judex creditur, inde ad irascendum placidus instigatur, Salomone attestante, qui ait: Est via quæ videtur homini recta, & novissima illius ducunt ad mortem. Unde Sancti viri cùm mala superant, sua etiam benè gesta formidant, ne cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera labes putredinis, sub boni specie lateat coloris. Sciunt enim quia corruptionis adhuc pondere gravati dijudicare bona subtiliter nesciunt; & cùm ante oculos extremi examinis regulam deducant, hæc ipsa in se nonnunquam & quæ approbant metuunt, & tota quidem mente interna desiderant; sed tamen de incertitudine operum trepidi, quò gradiuntur ignorant.*

Heu nos miseros, & fatali peccandi necessitate captivos! Quis nos liberabit à corpore mortis hujus, corpore corruptionis, in quo mala pura agere sæpè sentimus, pura bona vel rarò, vel nunquam elicimus? Proh durum & intolerabile concupiscentiæ pondus, quo gravati pura bona agere nec sinimur,

nec

nec valemus! Bonum ex omni parte integrum non invenitur in terra viventium, quia ut ipsemet ratione duce Philosophus agnovit, uno solo modo contingit honesti operis rectitudo, peccatum autem infinitis modis subrepere valet, & sæpissimè insidiatur. Benè agere simpliciter, & omnibus modis uno duntaxat pacto contingit; sed peccare tot modis accidit, quibus subintrare quit circumstans nos undique peccatum. Tangere signum, & in scopum rectà collimare haud parum difficile est, quia unico modo centrum attingitur: ab ipso verò non ægrè recedes, cùm sint infinitæ lineæ à centro ductæ, sed quæ signum nequaquam sunt.

Ergo si sapis, time ne dum vigilant tentatoris insidiæ, ibi subrepat elatio, ubi proficere creditur devotio. Quanto magis in mandatis Dei te crescere arbitraris, tanto graviores tibi suppetunt causæ formidinis. Ne de ipsis probitatis verisimilibus incrementis mens tua sibi blandiens, in frivolæ vanitatis rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute. Ne rursum ipsis operibus pietatis clara deseratur ope gratiæ, & remaneat in infirmitate naturæ. Scito ergo, & nullatenus dubites, quod inflatio, quod ambitio etiam fucata, quod propriorum bonorum, vel communitatis tuæ colore zeli latens, sed superba defensio possunt bonum sin omninò destruere, certè non mediocriter dedecorare. Scito quod dum mala miscentur bonis, fortassis malitia inondans absorbet guttulas bonitatis, & evacuat merita, si ad illum de corde puro & optimo non referatur victoria laudis, à quo scire debent omnes se vires accepisse certaminis; si totum quidquid sunt, misericordiæ ejus non asserant, qui est coronæ author, & certaminis opitulator. Profectò imprudens eris, si innixus prudentiæ tuæ illi non fidem, spem, charitatemque, atque bonorum omnium operum commitas puritatem, à quo bona cuncta procedunt; cujus gratia ad bona permovet, cujus justitia mala tegit; qui pro nobis mortem semel vicit, & mortis reliquias semper vincit in nobis; qui militantes servos non tantùm spectat, sed & luctatur in illis; in illis ipse congreditur; ne cadant, ipse tenet; cùm ceciderint, ne collidantur supponit manum suam. *Ipse*, inquit Cyprian. epist. 9. *in certamine agonis nostri & coronat pariter, & coronatur.* Coronat Christus operia bonitatem; coronatur, quia misericordiâ suâ, & effusi cruoris copiosâ redemptione irrepentium tegit labecularum iniquitatem.



DISSERTATIO III.

De novello probabilitatis commento.

CONSTITUTIS superiori dissertatione regulis honestatis unanimi Theologorum calculo probatis novam adjecere vel substituere recentiores antiquis omnibus incognitam, quâ puras Christianæ Ethicæ normas teneris, cereis, flexibilibus, & in quamcunque velis formam ductilibus institutis dum mollire conati sunt, vel depravaverunt penitus, vel certè ad nihilum redegerunt. Celebrem illam intelligo probabilitatis assertionem, quâ nulla hujus sæculi post hominum memoriam corruptissimis moribus vel commodior, vel favorabilior, vel exoptatior potuit inveniri. Hujus eterum quæstionis ramos persequenti manifestè pellucet advenisse tempus illud ab Apostolo prænuntiatum, quo hominibus sanam doctrinam non sustinentibus, & ad sua desideria magistros prurientes auribus sibi coacervantibus fons probabilismi apertus est, unde tot aberrationes, tot doctrinæ moralis flagitia scaturierunt, & innumera in dies scaturiunt, & in posterum scaturient magis, si ad opiniones securitate donandas humanum sufficiat ingenium, nullis severioris doctrinæ repagulis coërcitum, sed laxissimis volaticæ probabilitatis prolubiis fucato verisimilitudinis colore illia permissum.

Ut igitur lata porta & spatiosa, quæ ducit ad perditionem, obstruatur, ut præcludatur ingens ille ad omnem corruptelam aditus; ut tergatur pestiferum illud venenum, eo à nonnullis incautiùs, quo suaviùs obbibitum; ut denique securis ad radicem admoveatur, hic, vel nunquam recurrendum est ad puros Ecclesiæ Catholicæ fontes, ne si fortè incorrupto Romanæ Ecclesiæ lumini propriæ mentis lumen, aut potiùs tenebras anteponamus, in varia citò præcipitia rutturi de via veritatis exorbitemus. Quocirca tam momentosum totius Ethicæ Christianæ cardinem iis omnibus munire præsidiis operæpretium est, quibus Ecclesiastica quævis veritas roborari potest. Et accitis cunctis Theologiæ locis, iis eam Scripturarum oraculis astruemus, eo perpetuarum traditionum consensu firmabimus, eo argumentorum pondere, ea vi Deo dante evincere confidimus, ut post tot probationum momenta nemo prudens dubitare queat, quin arbitraria in rebus moralibus inducta licentia à paucis lustris invecta, sed in dies ad Christianæ pietatis excidium, & Catholici nominis dedecus grassans firmis æternæ legis aggeribus cohibenda sit, postquam planum visum fuerit & apertum, novitium Probabilistarum inventum & divinæ authoritati, & Patrum documentis, & Sanctorum exemplis, & bonorum praxi, & ipsius rationis lumini, & ferè totius naturæ voci adversari.

CAPUT I.

Novitium probabilitatis commentum petitis ab authoritate argumentis evertitur.

ANtequam sacræ authoritatis testimonia, quæ primum, & supremum apud omnes Theologos occupant locum, in hoc priori capite expendamus, in sequenti rationibus veluti auxiliaribus copiis acturi, facturum me operæpretium existimavi, si præmisso præsentis controversiæ statu, Lectori in ipso limine certis priùs principiis constitutis appareret quid impugnandum, quidve propugnandum suscipiamus.

Præmoneo 1. quod licèt omnes sententiæ, sive speculativæ, sive morales, in se spectatæ sint veræ vel falsæ, quia reipsa sunt objecto suo vel conformes, vel difformes; tamen quia sæpe sæpiùs nec veritas, nec falsitas certò percipitur, ideo præter sententiam veram, cujus certa veritas nobis patet; præter sententiam falsam, cujus falsitatis convicti sumus, datur alia sententia probabilis, quæ in se revera, & coram Deo vera aut falsa est, respectu tamen intellectus nostri rem penetrare non valentis, est tantùm probabilis; quia licèt ignoret veráne, an falsa sit, verisimilitudinis tamen specie vestitur. In qua probabilitate latitudo gradualis omninò invenitur. Cùm enim opinio sit probabilis, quia assertioni illi aliqua verisimilitudo inest, vel saltem ei attribuit intellectus veritatem objectivam, minimè persuadens; fit inde eo magis, minusve probabiles sententias apparere, quo pro diversitate luminis, vel humanæ mentis tenebrarum, magis, vel

minus controversiæ difficultas, & rei objectiva veritas perspicitur. Unde sæpè contingit, ut ea quæ uni probabilia, alteri probabiliora sint, alteri certa & explorata videantur; quia major, vel minor luminis abundantia certa à dubiis, clara ab obscuris tanto magis discernit, quanto fuerit intellectus perspicacior, & affectus purgatior.

Præmoneo 2. quod etsi duæ propositiones contradictoriæ non possint simul esse veræ, aut falsæ, ut lumine naturali constat, tamen ambæ contradictoriæ possunt probabilitatem præfatam sortiri: imò nulla propositio potest intra solius probabilitatis fines contineri, quin ejus opposita sit probabilis; quia eo ipso quod aliqua opinio est alicui tantùm probabiliter, & non certò vera, ejus opposita non potest apparere certò falsa, aliàs prior appareret certò vera; certæ enim falsitati opponitur certa falsitas. Quod totum ex præmonitione superiori claret; quia sententia probabilis ea est, quæ opinanti non apparet evidenter & certò vera aut falsa, sed veri colore induta. Utraque ergo contradictionis pars verisimilis esse potest, licèt necessariò una vera, altera falsa existat.

Difficultas ergo modò est, utrum probabilitas sententiæ etiam falsæ, & æternæ legi & juri naturali reapse repugnantis, etiam in concursu probabilioris & tutioris pro lege stantis sit recta regula bonæ operationis, & ad conscientiæ securitatem sufficiat. Affirmant recentiores non pauci, licere cuique eam opinionem tutâ conscientiâ sequi, quæ probabilis sit, id est quæ non appareat evidenter falsa, ut ait Caramuel, quæ ratione, vel authoritate alicujus momenti nitatur, modò ex altera parte nihil appareat convincens, etiam opinione probabiliore relictâ, etiam omissâ tutiore, etiam communi. Quia, inquit Tamburinus, dum probabilitate, sive intrinseca, idest rationi innixa; sive extrinseca, idest authoritate alicujus docti & pii munita, quantumvis confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Ex quo inferunt, ex falsâ opinione, modò nonnullis Casuistis judicetur probabilis, quemlibet in jus naturale peccantem excusari: fas etiam esse minùs probabilem, & minùs tutam sententiam in conspectu probabilioris, & tutioris cognitæ & repulsæ eligere: posse item consultum de aliquo casu Doctorem prudenter juxta minùs probabilem, minusque tutam, sprétâ suâ probabiliore, consilium dare. *Etsi*, addit Hermannus Busembaum in editione vigesima suæ medullæ Theologiæ, lib. 1. tract. 1. cap. 2. dub. 2. *ad inconstantiæ notam fugiendam expediat virum doctum respondere semper secundùm eadem principia, potest tamen vir talis consultus significare consulenti opinionem à quibusdam doctis tanquam probabilem defendi, quam proindè ipsi sequi liceat, quamvis ipse consultus eandem speculativè falsam esse judicet, & proinde in praxi ipse sequi non audeat.* Quorum omnium confectariorum, aliorumque sine fine, numero, & modo pullulantium, sive formicantium una ratio omnibus loco hastæ & clypei est, quia opinio probabilis est regula tuta, ex qua qui vitam suam dirigit, non modò securus existit, sed etiam æternam vitam promereri, & rectà ad Superos tendere possit.

At contrà veri S. Thomæ Discipuli, tanti Doctoris vestigiis à Sanctis Patribus designatis inhærentes huic novitati capitaliter adversantur, quia credunt hoc novo probabilitatis commento lascivientibus ingeniis ad depravandam Evangelii castimoniam laxissimas habenas remitti, ruinam Ecclesiasticæ disciplinæ imminere, tantamque in Theologia stragem edi, ut quomodo cum eo Romanæ Ecclesiæ fides, pietas, disciplina consistere possint, omninò non videant. Unde contendunt in primis, ulla opinione quovis probabilitatis fuco oblita neminem in jure naturali excusationem posse obtendere, præsertim si minùs probabili, minùsque tutæ sententiæ, relictâ probabiliore, & tutiore, adhæreamus; proindéque illicitum esse ad conscientiæ consulta ex sententia quæ speculativè falsa creditur consilium dare, quia consulenti gratior est & optatior, ut ex decursu magis magisque liquebit. Verùm ut tantæ molis opus solidè exstruamus, jacienda sunt altissima conscientiæ fundamenta, quibus tota ista controversia subnixa est.

SPECULATIO I.

Definitio, divisio, & obligatio conscientiæ præmittuntur.

Nihil conscientiâ notius, nihil conscientiâ obscurius: nihil quidem eâ notius, quâ nemo caret, si homo est; quam nemo non videt, si cæcus non est; nemo non sentit, si penitus insensibilis non est, aut insensatus. Quid conscientiæ lege apertius, quæ non tam lata est homini, quàm nata; non accepta de foris, sed indita in intimis; non incisa lapidibus, sed cordis inscripta membranis! Quid clarius lumine vultus divini, æterni Solis radio, increati Verbi revibrato splendore, imagine Deitatis, Trinitatis apographo, creaturæ rationalis charactere? Lumine, inquam, non humano, sed divino; radio non fluxo, sed stabili; splendore non caduco, sed perenni; imagine non mortuâ, sed spirante; apographo non adulterato, sed fideli; charactere signato, ne defluat; impresso, ne evanat; inciso, ne deleatur; insculpto, ne eradatur; aperto, ut legatur; conspicuo, ut dirigat, & spectetur?

Verùm quid conscientiâ obscurius, quæ abyssus est multa, profundum inexhaustum, mare immensum, sinus inscrutabilis, anfractus sinuosus, interior domus densis septa tenebris, scrinium impervium, conclave secretissimum, labyrinthus mille mæandris intertextus? Ita est, conscientiam sentimus & experimur, sed vix definimus, & ut benè ait P. Labbé ingeniosissimus Societatis Theologus: *Sola conscientia est quæ præfari non amat*, quia hoc ipsum repugnare sibi conscientia putat, si laudetur, *quia mavult facere magna, quàm dicere*. Non avet conscientia fucatam verborum lenocinijs orationem, quæ fucos odit, non quærit concinnos culti sermonis lepôres, non amat blandientis oratoris mella, non timet indignantis impetus; quia ipsi neglecta decoris cura plus placet, se ornatam credit, dum non affectat ornatum, nec blanditur nisi sincerè, nec irascitur nisi justè. Grammaticæ leges spernit conscientia, ne sit vana; Poësis metros, ne sit ficta; Rhetoricæ pompam, ne sit turgida; Philosophiæ argutias, ne sit curiosa; Scholasticorum distinctiones, ne sit casuistica; scrupulorum nænias, ne sit superstitiosa. Studet simplicitati, quæ non fallitur; puritati, quæ non fallit; prudentiæ, quæ non errat; orationi, ne aberret. Ut tamen de illa aliquid dicamus, quæ semper in corde loquitur, quidquid de ipsa à Theologis disputari solet, brevitatis & claritatis gratiâ sequentibus interrogationibus exponemus.

Quæres primò, quid sit conscientia?

Respondeo conscientiam esse actum intellectus practici ex principiis synteresis deducens conclusionem syllogismi prudentialis, dictantem hîc & nunc quæ agenda sunt. Explicantur singula. Dicitur *actus*, & non habitus, ut existimavit Scotus. Tum quia possumus

mus benè agere sine habitu, sed non sine conscientia. Tum quia conscientia sæpe deponitur & mutatur: potentia autem est inseparabilis, & habitus difficilè mobilis. Tum quia conscientia est quoddam dictamen applicans scientiam ad actum; applicatio autem non fit sine actu, etiam habitu inexistente. Tum quia ad conscientiam pertinet instigare, ligare, accusare, remordere, excitare, quæ omnia actum sonant.

Dicitur *actus intellectus*, & non voluntatis, ut opinatus est Durandus. Tum quia Scriptura ait, *Conscientiam testimonium reddere*, Rom. 9. & *scire*, Eccles. 7. Tum quia actus memorativi pertinent ad intellectum. Tum quia Patres conscientiæ ea asserunt, quæ nonnisi actui intellectus possunt convenire. Conscientia, inquit Tertullianus, est *naturalis tabula, in qua legit unusquisque opus suum*, & agnoscit quod scripsit. Est *lex intellectus*, inquit Damascenus, quam ratio promulgat voluntati. Est *spiritus corrector, & animæ pædagogus*, teste Origene; *naturale judicatorium animæ, & testis fidelissimus*, ut Basilio & Chrysostomo placet. Est *cordis scientia*, inquit Bernardus, non in corde nata, sed circa cor dirigendum occupata. Dicitur *actus intellectus practici*, non vero speculativi; non enim sistit in contemplatione operis faciendi, sed instigat ad bonum, retrahit à malo, inferiores facultates ad opus accingit, nec solùm prælucet operantibus ne fallantur, sed etiam stimulos addit, ne otientur. Additur, *ex principiis synteresis deducens conclusionem syllogismi prudentialis*. Quia in processu voluntatis synteresis, quæ est habitus primorum principiorum practicorum à natura inditus, majorem format, & mediantibus principiis particularibus in minori propositis conscientia elicit conclusionem; & teste Hieronymo, conscientia est *scintilla animæ*, quam ratio silicem verberando exprimit.

Denique dicitur conscientiam elicere conclusionem *dictantem hic & nunc quæ agenda sunt*. Quia ad conscientiam non sufficit consideratio bonitatis & malitiæ actuum humanorum in communi, nisi sit motio & applicatio ad opus, quâ inclinatur animus volens, impellitur nolens, adjuvatur laborans, reluctans arguitur. Ratio agenda examinat, virtus eligit, conscientia promulgat & imperat; & si voluntatem videat inobedientem, adversariam se gerit, ut arguat; testem, ut convincat; judicem, ut damnet; vindicem, ut castiget; tortorem, ut cruciet; vermem, qui non moriatur. Si verò voluntatem obtemperantem advertat, sed segnem & torpentem, proponit honestatem, ut moveat; utilitatem, ut persuadeat; mercedem, ut invitet; coronam, si vincat. O dictamen forte, & juxtà suave! illustre, & igneum! justis amabile, impiis terribile; apud quod non moritur omne quod gerimus: *cùmque non habeat loquendi usum, nescit tamen tenere silentium*, ut ait Victor Carnotensis lib. de pœni........

Dices: Omnis actus vel generat habitum, vel ex aliquo habitu generatur: Sed per nos conscientia est actus: Ergo generat aliquem habitum, vel ab aliquo producitur; qui habitus generans, vel genitus, conscientia est.

Respondeo actum conscientiæ procedere ab habitu sapientiæ, & scientiæ, ut docet S. Thomas q. 17. *de verit. artic. 7. ad 4.* quia conscientia est scientia cum aliquo modo, nempe applicatione ad opus; unde geminatis conscientiæ actibus non producitur novus habitus à scientia distinctus, sed habitus scientiæ perficitur & extenditur, sicut intellectus speculativus fit extensione practicus; unicus enim est in homine intellectus, si spectetur entitas; quasi duplex, si virtus attendatur: ut speculativus, præcisionibus & abstractionibus contentus est; ut practicus, se accingit ad opus, & non secus ac primum mobile inferiores sphæras secum rapit, sic intellectus practicus omnes animæ facultates ad opus pertrahit. Et quod in intellectu distinguimus, idem proportionaliter in habitu scientiæ contingit.

Instabis: Multa dicuntur de conscientia, quæ aliquid habituale exigunt: nam conscientia dicitur subjectum peccati, ad Titum 1. *Inquinata sunt eorum mens, & conscientia.* Subjectum autem significat vel potentiam, vel habitum, vel aliquid pertinens ad actum primum. Conscientia etiam semper in homine perseverat, etiam dormiente, in quo nullus est actus: Ergo conscientia non est actus.

Respondeo, conscientiam non dici subjectum peccati, quamvis dicatur inquinari à peccato; per hoc enim contrahit sordes mala conscientia, quòd ad malum inclinat, & quia ex corruptione voluntatis oritur pravum dictamen intellectus. Unde ab Apostolo 1. *Timoth.* 4. appellatur *conscientia cauteriata*; quia ut ibi exponit D. Thomas: *Cauterium est corruptio in carne per ignem, ex qua egreditur continuè putredo; ita ex igne perversæ voluntatis, iræ, odii, concupiscentiæ ulceratur conscientia, & egreditur falsa doctrina*; falsa, inquam, si non in speculatione, saltem in exercitio & praxi, cùm aliqui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Nam *sicut habens scientiam in universali potest errare in particulari, ita habens fidem in universali, in particulari tamen agibili corrumpitur propter corruptionem affectus*, inquit idem Angelicus Doctor in expositione illius loci *ad Titum*. Ad id quod additur, conscientiam semper manere, respondeo manere non formaliter, si nullus est actus, sed virtualiter in suo principio habituali permanente, vel moraliter in hominum æstimatione, apud quos conscientia bona, vel mala tandiu dicitur remanere, quandiu non retractatur.

Ex his intelliges bonam esse definitionem conscientiæ, quam tradit P. Mercorus 1. part. art. 1. *Conscientia est judicium præconsultatum & certum, immediatè directivum humanæ operationis.* Dicitur *judicium* non imperium per modum exequentis, *Fac hoc*; quia istud semper sequitur operatio, & dictamen conscientiæ sæpiùs voluntas respuit: habet tamen aliquid de imperio per modum indicativi, *hoc est faciendum.* Dicitur *præconsultatum*, quia conscientia supponit circumspectionem circumstantiarum. Dicitur *certum* certitudine morali, quæ necessaria est ad rectam operationem. Denique dicitur *immediatè directivum operationis humanæ*, quia conscientia, ut anteà dicebamus, est conclusio particularis, quâ ex regulis moralibus per se notis, & per principia proxima applicatis scientia moralis applicatur operationi hîc & nunc. Unde patet quod in sententia Thomistarum, actum conscientiæ sequitur actus imperii, qui est ultimus actus prudentiæ.

Quæres secundò, quotuplex sit conscientia?

Respondeo, conscientiam dividi communiter in certam, dubiam, probabilem, rectam, erroneam, scrupulosam, & laxam. Cujus multiplicis divisionis ratio ex ipsa conscientiæ definitione consequitur; cùm enim conscientia sit judicium dictans voluntati quæ agenda sunt, tot modis accipi potest conscientia, quot intellectus in dijudicanda operis honestate se habet: intellectus autem aliquando determinatum judicium fert de objecti honestate vel malitia, & tunc est conscientia certa; interdum anceps & pendulus neutri contradictionis parti adhærens suspendit judicium, & tunc est conscientia dubia; quandoque determinatè de aliqua sententia judicat, quia sibi verisimilis apparet, formidat tamen de opposita; & tunc est

opinativa conscientia: quod si judicio rationis veritas objectiva, & conformitas ad rationem & legem æternam correspondeant, tunc est conscientia recta; si verò aliter judicet de objecto, quàm sit à parte rei, dicendo bonum malum, & malum bonum, tunc est conscientia erronea: qui error si oriatur ex levissimis animæ se superstitiosè torquentis ratiunculis, dicitur conscientia scrupulosa (si tamen non suspendat judicium, quia si hæret scrupulosi judicium, conscientia ejus ad dubiam reducitur, non apparentem, sed frivolam & irrationabilem.) Si autem error ex inordinato corruptæ voluntatis affectu, vel effrenato lascivientis passionis æstu, vel ex affectata crassæ ignorantiæ culpa, vel ex nimio placendi hominibus, laxandarumque concupiscentiæ habenarum studio nascitur, dicitur laxa. Fateor tamen, quod quia, ut anteà vidimus, conscientia secum fert judicium certum, ideo conscientia dubia, probabilis, & scrupulosa vix conscientiæ nomen promerentur: cujus signum est, quod quis operans in dubio, & minùs tuta sequens peccat, quia contra conscientiam rectam operatur; & tamen operatur ex dubia conscientia: nemo autem habet simul duas conscientias, sed unam cui obtemperat, vel refragatur.

Quæres tertiò, an & quomodo conscientia erronea liget, vel excuset?

Respondeo expositione articuli 5. & 6. q. 19. 1. 2. S. Thomæ. Sciendum igitur primò, voluntatem agentem contra conscientiam erroneam non depositam, semper peccare. *Dicendum*, inquit S. Doctor art. 9. *quod simpliciter omnis voluntas discordans à ratione, sive recta, sive errante, semper est mala.* Ratio est, quia ut voluntas sit mala, etiam dum fertur in objectum ex natura sua bonum, sufficit quod prosequatur objectum judicatum hîc & nunc malum, ratione & conscientiâ dictante illud esse illicitum; voluntas enim non fertur in objectum nisi ut propositum à ratione, & moralitas non pendet ab objecto, nisi ut à ratione exhibito voluntati cæcæ: Ergo si conscientiâ dictante aliquid esse malum voluntas in illud feratur, procul dubio peccabit, quantumvis objectum illud suapte natura honestum sit. *Omne* enim *quod non est ex fide*, idest conscientia, & maximè quod est contra fidem, seu conscientiã, secundùm Apostolum *Rom.* 14 ita à Patribus intellectũ, *peccatum est*; qui & ibidem docet cibi esum per se innoxium, et fieri prohibitum & immundum, qui conscientiâ erroneâ existimat esse vetitum: *Si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide.* Vnde D. Thomas laudatus: *In bonum non fertur voluntas, nisi secundùm quod à ratione proponitur. Si ergo proponatur ut malum à ratione errante, fertur in hoc sub ratione mali; unde voluntas erit mala, quia vult malum, non quidem id quod est malum per se, sed id quod est malum per accidens, propter apprehensionem rationis.* Et tunc peccatum illud reducitur ad speciem malitiæ sub qua apprehendit objectum illud.

Nec obest quod opus illud sit legi æternæ consentaneum, cui lex conscientiæ subordinari debet. Non obest, inquam; quia, ut optimè tradit idem Angelicus Doctor, lex æterna non derivatur in nos, nec promulgatur voluntati nisi mediante ratione. Vnde non solùm legi æternæ, sed etiam rationi conveniens debet esse voluntatis actus, ut sit bonus. Et licèt judicium erroris non derivetur à Deo; tamen ratio errans judicium suum proponit nomine Dei ut verum, & consequenter ut à Deo derivatum, à quo est omnis veritas. Certè quando præceptum Imperatoris non nisi mediante Proconsule innotescit populo, Proconsuli ementita Imperatoris anthoritate abutenti parendum foret; quia licèt inferiora potestas non obliget, dum superioris præcepto adversari cognoscitur: *Si quis tamen crederet*, inquit, *quod præceptum Proconsulis esset præceptum Imperatoris, contemnendo præceptum Proconsulis contemneret præceptum Imperatoris. Et similiter si aliquis homo cognosceret, quod ratio humana dictaret aliquid contra præceptum Dei, non teneretur rationem sequi, sed tunc ratio non totaliter esset errans; sed quando ratio errans proponit aliquid ut præceptum Dei, tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum.*

Instabis: Ergo ex conscientia erronea obligabimur ad malè operandum, & ad æternam Dei legem violandam: consequens videtur absurdum, quia in homine non potest esse obligatio ad opposita, quia sic ex necessitate peccaret, & foret perplexus; sive enim sequeretur conscientiam, sive contra eam operaretur, semper peccaret.

Respondeo, quod quia habere conscientiam de re aliqua facienda, nihil aliud est quàm æstimare Deum illud præcipere, omninò sequitur cum qui non facit id ad quod conscientia inducit, peccare mortaliter, non ex genere operis, sed ex intentione operantis; conscientia enim obligat non virtute propria, sed virtute præcepti divini: unde non mirum si per accidens virtute præcepti divini obliget ad malum, quod conscientia proponit tanquam præceptum à Deo: non mirum etiam, hominem tunc, quòcumque se vertat, peccare; quia ut optimè discurrit S. Thomas art. 9. ad 3. *Sicut in syllogisticis uno inconvenienti dato, necesse est alia sequi, ita in moralibus uno inconvenienti posito, ex necessitate alia sequuntur. Sicut supposito quod aliquis quærat inanem gloriam, sive propter inanem gloriam faciat, quod facere tenetur, sive dimittat, peccabit. Nec tamen est perplexus, quia potest intentionem malam dimittere. Et similiter supposito errore rationis, vel conscientiæ, qui procedit ex conscientia non excusante, necesse est quod sequatur malum in voluntate; nec tamen est homo perplexus, quia potest ab errore recedere, cùm ignorantia sit vincibilis, & voluntaria.* Nec propterea inferas, Deum obligare ad peccatum; sed tantùm conscientiam errantem proponere ut bonum & præceptum à Deo, quod revera malum & prohibitum est.

Sciendum secundò, quod licèt agere contra conscientiam, etiam errantem, sit semper peccatum; tamen agere juxta conscientiam errantem non continuò excusatur à peccato. Quia ut discurrit S. Thomas *art. 6.* eo modo excusat conscientia erronea, quo ignorantia propter quam errat: Sed ignorantia non semper excusat à peccato, quia sæpe sæpius est volita, vel directè, vel indirectè: directè quidem, quando voluntas expresso & explicito actu vult ignorare: indirectè verò, quando voluntas illud scire negligit, quod scire tenetur: Ergo qui agit juxta conscientiam erroneam, non continuò excusatur à culpa, tametsi ille qui agit contra conscientiam erroneam semper labatur in culpam.

Quæres quartò, quænam, & cujus rei ignorantia excuset, vel accuset voluntatem juxta conscientiæ errantis dictamen operantem?

Respondeo, gravissimam hîc, & ferè totius Theologiæ Moralis difficillimã quæstionem proponi excutiendam; sed quia ea opportunè importunè abutuntur Probabilistæ, indeque suas laxitates colore oblinunt, ad penetrandum, vel potiùs exsiccandum tam virulentum probabilisticæ fæcis fontem, ex eoque manantes corruptelarum rivos exhauriendos, operæpretium est pauca, sed selecta ex S. Thoma documenta hinc inde deprómpta libare.

In

In primis docet S. Præceptor, ignorantiam facti citra negligentiam excusare à peccato, subindéque voluntatem tunc rationi erranti concordem non esse malam. Sic docet art. 6. *Si sit error qui causat involuntarium proveniens ex ignorantia alicujus circumstantiæ absque omni negligentia, tunc talis error rationis vel conscientiæ excusat ut voluntas concordans rationi non sit mala.* Idque explicat hoc exemplo: *Si ratio erret in hoc quod credat aliquam mulierem submissam esse suam uxorem, & ea petente debitum, velit eam cognoscere, excusatur voluntas ejus ut non sit mala; quia error iste ex ignorantia circumstantiæ provenit, quæ excusat, & involuntarium causat.*

Docet secundò S. Thomas, quod si ignorantia sit aliquo pacto voluntaria, sive directè, sive indirectè, tunc voluntas malum prosequens peccat, etsi ratio & conscientia dictent illud esse bonum, & licitum. Et satis apertè innuit S. Doctor tunc semper errorem esse culpabilem quando provenit ex ignorantia alicujus juris, quod aliquis scire tenetur; & semper esse reum negligentiæ, quoties error provenit ex ignoratione legis, præsertim naturalis. *Si ratio, vel conscientia,* inquit articulo mox citato, *erret errore voluntario, vel directè* (quando nimirum actus voluntatis fertur in ignorantiam, quam ambit, ut anteà dixerat) *vel propter negligentiam, quia est error circa id quod quis scire tenetur; tunc talis error rationis, vel conscientiæ non excusat, quin voluntas concordans rationi, vel conscientiæ sic erranti sit mala, eo quòd error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur.*

Ubi S. Doctor discrimen assignat inter ignorantiam juris & facti, seu circumstantiarum; asseritque ignorantiam facti, putà mulieris suppositæ, excusare si sit *absque omni negligentia*; ignorantiam verò legis quam homo scire tenetur, non excusare: *putà si ratio errans dicat, quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, quia error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur.* Nec addit errorem juris, quod homo scire tenetur, accusare si sit negligentia, & excusare si desit; sicut hanc exceptionem adjecit dum loquutus est de ignorantia facti; sed supponit semper adesse negligentiam culpabilem quando est ignorantia ejus juris quod homo scire tenetur, quia ut addit solutione ad primum, ad hoc ut opus sit malum, sufficit vel quod apprehendatur ut malum, vel quod reipsa malum sit, tametsi bonum erroneè judicetur: ut verò opus bonum sit, utrumque omninò necessarium est; quia nimirum verum malum non justificat error, & bonum malè eligitur, si malum esse putatur. *Cujus ratio est,* inquit S. Thomas ad Galat. 5. lect. 1. *quia habere conscientiam de re aliqua facienda, nihil aliud est, quàm æstimare quod faciet contra Deum, nisi illud faciat: facere autem contra Deum, est peccatum. Sic ergo dico, quod nisi faceret hoc ad quod inducit conscientia, peccaret mortaliter, non quidem ex genere operis, sed ex intentione operantis. Et similiter si facit, peccat; quia hujusmodi ignorantia non excusat, cùm sit ignorantia juris. Nec tamen est perplexus simpliciter, sed secundùm quid, quia potest deponere erroneam conscientiam.* Sed de his pleniùs quæsito sequenti.

Docet tertiò D. Thomas suprà, *quæst. 6. art. 8.* ignorantiam tripliciter se habere ad actum voluntatis, uno modo concomitanter, alio modo consequenter, tertio modo antecedenter. Concomitanter se habet ignorantia, quando ignorantia accidit actioni, quam producere æquè comparata est voluntas, sive sciat, sive nesciat: unde ad agendum ignorantia non inducit: v. g. si aliquis volens occidere hostem, factâ tamen diligentiâ putat se occidere cervum, quamvis revera hostem latitantem in sylva interficiat, tunc ignorantia non causat involuntarium, cùm ex ea nihil fiat repugnans voluntati; nec voluntarium, sed non voluntarium facit, quia non potest esse actu volitum quod factâ diligentiâ ignoratum est. Consequenter autem se habet ignorantia, vel quando actus voluntatis fertur in ignorantiam, sicut cùm aliquis ignorare vult, ut excusationem peccati habeat, aut ut non retrahatur à peccando; & tunc prodit quasi ex adipe iniquitas scientiam viarum Domini nolens: vel *quando quis potest scire, & debet; sic enim non agere, & non velle, voluntarium dicitur, ut suprà dictum est. Hoc igitur modo dicitur ignorantia, sive cùm aliquis actu non considerat quod considerare potest, & debet, quæ est ignorantia malæ electionis, vel ex passione, vel ex habitu proveniens; sive cùm aliquis notitiam, quam debet habere, non curat acquirere; & secundùm hunc modum ignorantia universalium juris, quæ quis scire tenetur, voluntaria dicitur, quasi per negligentiam proveniens.* Et tunc ignorantia cùm sit aliquo modo voluntaria, non causat simpliciter involuntarium, sed secundùm quid, ut addit S. Doctor. *in quantum præcedit motum voluntatis ad aliquid agendum quod non esset scientia præsente.* Antecedenter autem se habet ad voluntatem ignorantia, quando nullo modo est voluntaria, & tamen est causa volendi quod aliàs non vellet. *Sicut,* inquit D. Thomas, *cùm aliquis homo ignorat aliquam circumstantiam actus, quam non tenebatur scire, & ex hoc aliquid agit quod non faceret, si sciret: putà cùm aliquis diligentiâ adhibitâ, nesciens aliquem transire per viam, projicit sagittam qua interficit transeuntem; & talis ignorantia causat involuntarium simpliciter.* Ex qua doctrina S. Doctor sibi constans tradit, sufficere ad hoc ut ignorantia sit consequens, subindéque causa peccati, & voluntaria, quod sit alicujus quod homo potest & debet scire: ad hoc verò ut ignorantia sit antecedens, subindéque inculpabilis, & omninò involuntaria, opus esse, ut sit alicujus circumstantiæ, quam operans scire nec potest, nec tenetur.

Docet quartò Angelicus Præceptor *quæst. 76. art. 1.* ignorantiam posse esse causam peccati. Ad cujus evidentiam considerandum est, hîc ignorantiam accipi in propria significatione, quâ distinguitur à nescientia, quæ est nuda carentia scientiæ indebitæ subjecto; quâ ratione in ipsis etiam Angelis invenitur, quâ etiam distinguitur ab errore importante pravam intellectus dispositionem, assensum scilicet positivum contrarium scientiæ: ignorantia verò strictè accepta est privatio scientiæ debitæ, quando ea nescimus, quæ scire possumus & tenemur. Quæ quidem ignorantia non potest esse causa peccati per se, quia non ens non est per se causa actionis malæ, sed per accidens, per modum removentis prohibens, quatenus ignorantia removet scientiam, quæ si adesset, impediret peccatum. Sicut enim gravi inclinato ad motum deorsum, ablatio columnæ sustinentis & prohibentis casum dat per accidens motum deorsum: ita voluntati inclinatæ in actum peccati negatio scientiæ, quæ prohiberet actum, si adesset, dare dicitur talem actum. *Unde patet,* inquit S. Thomas, *quod non qualibet ignorantia peccantis est causa peccati, sed illa tantùm quæ tollit scientiam prohibentem actum peccati* (idest, cum qua non fieret peccatum.) *Unde si voluntas alicujus esset sic disposita, quod non prohiberetur ab actu parricidii, etiamsi patrem agnosceret, ignorantia patris non est huic causa peccati, sed concomitanter se habet ad peccatum; & ideo talis non peccat propter ignorantiam, sed peccat ignorans.*

Observandum verò est cum Cajetano, S. Thomam in hoc articulo non determinare utrum illud peccatum, cujus ignorantia dicitur causa, sit imputabile, necne incurrenti ipsam, quia hoc in sequentibus articulis decidit; sed sat est quod opus quod de se peccatum est, causetur, sive imputabiliter; sive non.

Tunc porrò opus malum ex ignorantia factum imputatur, quando ipsa ignorantia peccatum est, quod resolvit *art. sequenti*; in isto verò explicat influxum ignorantiæ in opus peccati, assentque ignorantiam per accidens, & concomitanter se habentem non esse causam peccati, quia sive adesset scientia, sive non, eodem modo se gereret operans. Vnde sequitur ex mente D. Thomæ, quod sive ignorantia sit consequens, sive antecedens, si tollit scientiam cum qua non fieret peccatum, per accidens causat peccatum: & de tali verè dicitur, quod peccat propter ignorantiam; quia si benè sciret quod facit, ab opere prohibito abstineret: v. g. qui occidit hominem ex ignorantia antecedente, eum minimè occidisset, si adhibitâ omni diligentiâ ibi adesse advertisset. Qui etiam facit aliquid ignorantia consequente contra legem, quia neglexit inquirere illam, ab opere illo abstineret, si ad indagandam pro officio suo veritatem diligentem navasset operam. Nec obest quod ignorantia antecedens causet involuntarium simpliciter, unde non videtur posse esse causa peccati, quod est voluntarium; nam, ut monui, non loquitur S. Doctor in hoc articulo, sed tantùm in sequentibus, de peccato ut imputabili, sed de actu peccati quem causat per accidens ignorantia antecedens, sicut removens prohibens, vel sicùt ipsa remotio prohibentis; quia removet scientiam, quæ si adesset, non prorumperet homo in actum. Quod si sermo esset de actu ut imputabili, illa maxima D. Thomæ, *Ignorantia causa est peccati, quia removet scientiam, quæ si adesset, impediret peccatum*, intelligitur de remotione voluntaria vel formaliter, quæ dicitur ignorantia affectata, cùm quis de industria vult nescire; vel indirectè, quæ dicitur ignorantia crassa, quia est voluntaria ob incuriam negligentis voluntatis, quæ præ tepore veluti impinguatur, & incrassatur: dicitur etiam supina, quia qui desides sunt, supini jacere solent.

Docet quintò S. Doctor *art. 2. ejusdem quæstionis*, ignorantiam eorum quæ scire tenemur, esse peccatum propter negligentiam; quia quicumque negligit habere, vel facere id quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis. Ad cujus intellectum observa primò, S. Doctorem non loqui de ignorantia habituali, sed actuali. Cùm enim præcepta non imponantur de habitibus, sed de actibus eliciendis, vel omittendis, ad quos ordinatur directio legum, fit inde, ignorantiam habitualem non esse contra legem immediatè, sed ad summum mediatè, quatenus homo actus ad acquisitionem debitæ scientiæ necessarios exercuisse tenetur. Vnde ignorantia habitualis non tam peccatum, quàm effectus peccati est; quia ex actibus, vel omissionibus peccaminosis originatur.

Observa secundò, tunc ignorantiam censeri actualem, quando urgente scientiæ acquirendæ præcepto, homo vel sponte claudit oculos sese objicienti lumini, vel negligit ea vestigare quæ addiscere tenetur. *Dicendum*, inquit D. Thomas ad 5. *quod sicut in aliis peccatis omissionis solo illo tempore homo actu peccat, pro quo præceptum affirmativum obligat; ita est etiam de peccato ignorantiæ: non enim continuò ignorans actu peccat, sed solùm quando est tempus acquirendi scientiam, quam habere tenetur.* Ex quo fit, non solùm ipsam negligentiam sciendi, sed etiam ipsam actualem ignorantiam esse culpabilem & peccatum, tametsi non nisi ratione negligentiæ mala sit; multa enim verè in se peccata sunt, licèt dependenter ab alio sordes contrahant peccati. *Sicut in peccato transgressionis*, inquit S. Doctor ad 3. *peccatum non consistit in solo actu voluntatis, sed etiam in actu volito, qui est imperatus à voluntate; ita in peccato omissionis non solùm actus voluntatis est peccatum, sed etiam ipsa omissio, in quantum est aliqualiter voluntaria; & hoc modo ipsa negligentia sciendi, vel etiam ipsa consideratio est peccatum.* Quæ quidem negligentia sciendi dupliciter potest incurri, vel commissione; cùm quis vult positivè errare; vel omissione necessariæ inquisitionis. Quâ seclusâ negligentiâ nunquam ignorantia peccatum foret, ut patet ex eo, quod si quis adhibitâ omnia diligentiæ operâ, nulloque divino lumini obice posito, ignoraret aliquid scitu debitum, tunc ignorantia minimè peccatum foret, nec malum morale, sed naturale. Vnde cùm præcipitur scientia, præcipitur etiam simul actus virtutis studiositatis, id est præcipitur necessariorum addiscendorum diligentia, quæ si sincerè, & strenuè, sicut oportet adhibeatur, juris naturalis ignorantia vincetur, & implebitur sciendi lex, cujus rationabile obsequium studiosâ inquirendæ veritatis sollicitudine contentum est. Tunc itaque ignorantia est peccatum, quando voluntariè est causa proxima, vel occasio transgressionis divini alicujus mandati.

Observa tertiò, ignorantiam per se loquendo non esse peccatum distinctum ab opere malo, cujus est causa, quia per se ignorantia non est prohibita, nisi ut vitetur opus malum; unde non habet specialem malitiam, sed eam dumtaxat quæ ex opere malo prohibito derivatur: sicut actus qui est causa omissionis, non est distinctum ab omissione, sed unum numero cum illa peccatum. Aliquando tamen ignorantia est speciale peccatum, cùm nimirum scientia præcipitur, non propter aliud faciendum vel vitandum, sed propter seipsam: sic ignorantia articulorum fidei, præceptorum Decalogi, & aliorum quorum notitia propter se desideratur, speciale peccatum est contra præceptum studiositatis, speciali tunc intentione & veluti reflexione violatum: sicut cùm quis aliquod Decalogi mandatum transgreditur, non statim specialem inobedientiæ malitiam incurrit, sed tunc solùm cùm perversæ & recalcitrantis voluntatis intentione divinis amat repugnare mandatis.

Docet sextò Angelicus Doctor eodem articulo, quod ignorantia *non imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea quæ scire non potest; unde horum ignorantia invincibilis dicitur, quia studio superari non potest: & propter hoc talis ignorantia, cùm sit voluntaria, eo quòd non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum. Ex quo patet, quod nulla ignorantia invincibilis est peccatum. Ignorantia autem vincibilis est peccatum, si sit eorum quæ aliquis scire tenetur, non autem si sit eorum quæ quis scire non tenetur.* Quibus notandissimis verbis S. Doctor duo requirit ut ignorantia sit peccatum, alterum ut sit acquirendæ scientiæ obligatio, alterum quod sit ignorantiæ depellendæ potestas; quia si non sit debitum sciendi, ignorantia non privationis, sed meræ negationis & nescientiæ naturalis rationem habet; si verò desit sciendi potestas, non potest culpæ incusari voluntas, quia ad impossibile nemo tenetur, & Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet facere quod possis, petere quod non possis: unde si absit & faciendi facultas, & petendi possibilitas, nullum prorsus potest esse in ignoratione peccatum. Quod si concurrant sciendi facultas & obligatio, tunc ignorantia peccatum est, & tunc illud verum est: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Ad quorum pleniorem evidentiam

Docet septimò D. Thomas *art. 3.* quod tunc ignorantia de se excusat à peccato quando facit actum esse omninò involuntarium, eo quòd voluntarium est de ratione peccati. Ad cujus doctrinæ elucidationem cõsidera, quod sicut est triplex ignorantia, antecedens, concomitans, & cõsequens, quæ diversimodè se habent ad rationem voluntarii; ita variè quælibet illarum se habet ad rationem peccati. Itaque ignorantia antecedens, quia omnem removet voluntarii rationem,

&

& propter eam adhibita diligenti veritatis inquisitione sit opus, à quo abhorreret voluntas, si sciret esse prohibitum, de se etiam excusat à peccato. Quod tamen limitat S. Doctor in uno casu, in quo licet ignoretur antecedenter species peccati, manet tamen cognitio peccati: ut si quis adhibitâ sufficienti diligentiâ ignoret hominem transeuntem esse Patrem, in quem, si discerneret, nullo modo telum vibraret, & ab homicidio retraheretur, licèt propter ignorantiam antecedentem circumstantiæ patris non peccet, non tamen totaliter excusatur à peccato, quia licèt fortè non sit reus parricidii, homicidii tamen meritò accusatur, quia hominem à se occîdi non ignorat.

Ignorantia verò concomitans, quæ per se non influit in actum, quia voluntas est ita comparata, ut sive scientia adesset, sive abesset, eodem planè modo se gereret, nec ab opere illo patrando temperaret; ignorantia, inquam, illa de se non excusat à peccato, quia non facit actum esse involuntarium. E. g. sit aliquis qui adhibitâ omni morali diligentiâ occidit hostem putans interficere feram, retinens tamen habitualem & non retractatam occidendi inimici voluntatem. Quin etiam ita sit dispositus, ut si sciret ibi latitare adversarium, libentiùs catapultam exploderet, vel sagittam vibraret: imò ob capitale quo in illum æstuat odium, dicat intra se: Utinam inter vepres lateret hostis, ut ipsum confoderem & jugularem; vel iterum: Si id quod puto esse feram, sit inimicus, cujus sanguinem sitio, libentiùs emitto sagittam, tunc ignorantiam excusare contendunt nonnulli, sed expressè contradicunt S. Thomæ dicenti: *Si scientia, quâ per ignorantiam privatur, non prohiberet actum propter inclinationem voluntatis in ipsum, ignorantia hujus scientiæ nõ facit hominem involuntarium, sed non volentem, ut dicitur in 3. Ethic. Et talis ignorantia, quia non est causa actus peccati, quia non causat involuntarium, non excusat à peccato.* Quia nimirum hæc ignorantia in operante relinquit affectum peccati, maximè dum prorumpit in actus illos conditionatos recensitos; tunc enim interpretativè emissio teli imperatur à voluntate feriendi hostis.

Nisi dicas cum Cajetano, quod sicut actus tunc nec est voluntarius, utpote non cognitus, nec positivè involuntarius, seu repugnans voluntati, sed non voluntarius; ignorantia enim hujus scientiæ facit non volentem, ut ait D. Thomas: ita ignorantia concomitans de se nec excusat, nec accusat operantem. Non excusat quidem, quia homo non potest dicere, Si scivissem ibi esse hostem, non occidissem; cùm mortem inferendi votum habeat: non accusat etiam, quia supponitur venatorem invincibiliter ignorare ibi adesse hostem, nec vibrare telum, nisi præmissâ diligentissimâ inquisitione, num inibi lateat hostis; impossibile enim est occisionem illam esse hîc & nunc voluntariam, nisi sit cognita, vel cognosci neglecta. Quanvis etiam replicari possit quod est sufficienter occisio hominis cognita ad incurrendam malitiam homicidii, propter illos actus conditionatos, quos cruoris sitibunda voluntas elicit, vel antea elicuit. Unde tutius esset, ut talis homicida peteret absolutionem ab irregularitate, & censuris; quia licèt voluntas formalis & absoluta non imperet hostis necem, benè tamen interpretativa; subindéque ignorantia tunc non tollit omne voluntarium, saltem interpretativum.

Ignorantia verò consequens dupliciter contingit. Primò cùm ignorantia est directè voluntaria, sicut cùm aliquis studiosè vult nescire aliqua, ut liberè & effrænatè omni se vitio dedat; & tunc ignorantia non solùm non excusat à peccato, sed potiùs peccati granditatem exaggerat: illud namque auget peccatum, quod auget voluntarium; illud verò auget voluntarium, quod intendit voluntatis conatum: At ignorantia hoc modo consequens, quæ & affectata dicitur, id facit; ideo enim rebellis est lumini, affulgenti se Soli justitiæ oculos claudit, tenebrasque ignorantiæ amat, ut absque ullo exedentis conscientiæ remorsu omnibus se libidinibus tradat, ut non retardetur, aut impediatur peccandi conatus, ut nullo piæ cogitationis immisso vel intermixto amarore perturbetur falsa peccati voluptas: Ergo tunc occallentis cordis obscuritas simpliciter auget peccati iniquitatem. Unde D. Thomas *art. 4.* ait: *Cum aliquis sua sponte nescit aliquid, ut liberiùs peccet, talis ignorantia videtur augere voluntarium, & peccatum; ex intensione enim voluntatis ad peccandum provenit quod aliquis vult subire ignorantiæ damnum propter libertatem peccandi.* Dico *simpliciter*, quia per illam interdum quadantenus minuitur peccatum in ratione inobedientiæ. Si enim duo perditæ conscientiæ viri cum æquali voluntatis conatu, sed unus ex ignorantia affectata, alter ex certa scientia peccatum amarent, paribus cæteris paribus minùs graviter posterior peccaret, quia impudentiùs Legislatoris præceptum conculcaret.

Secundo ignorantia dicitur consequens indirectè, *sicut cùm aliquis*, inquit S. Thomas, *propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id per quod à peccato retraheretur. Talis enim negligentia facit ignorantiam ipsam esse voluntariam & peccatum, dummodo sit eorum quæ quis scire tenetur, & potest.* Fatetur tamen S. Doctor *art. 4.* hujusccemodi ignorantiam diminuere peccati malitiam: *Puta*, inquit, *cùm aliquis non vult laborare in studio, ex quo sequitur eum esse ignorantem: vel cùm aliquis vult bibere vinum immoderatè, ex quo sequitur eum inebriari, & discretione carere, talis ignorantia diminuit voluntarium, & per consequens peccatum. Cùm enim aliquid non cognoscitur esse peccatum, non potest dici quod voluntas directè, & per se feratur in peccatum, sed per accidens: unde est ibi minor contemptus, & per consequens minus peccatum.*

Docet octavò S. Thomas *art. 2. ejusdem quæstionis*, tria esse quæ homo scire tenetur, sine quibus nemo actus humanos benè exercere potest. Primò quilibet debet scire articulos fidei, quia qui non crediderit, & baptizatus non fuerit, salvus esse non poterit. Secundò debet homo universalia juris principia callere, ad quæ reducuntur præcepta Decalogi, quæ ad vitam honestè instituendam ordinantur. Tertiò nullus ea quæ ad proprium officium, vel statum pertinent, licitè ignorare potest. Sic quilibet fidelis præcepta Ecclesiæ scire & addiscere tenetur, suosque subditos ea docere. Sic Sacerdos, Parochus, Episcopus ea scire tenentur, quæ ad implendum officium Angelicis humeris formidandum desiderantur. Sic Religiosus regulam, & statuta suæ professionis legere, meditari, retinere tenetur, ut ea possit observare. Unde planè deploranda est quorumdam laxatissimæ disciplinæ Regularium conditio, apud quos nunquam proponitur Regula sub cujus nomine militant in Ecclesia Dei. Vidi quosdam Canonicos Regulares contestantes se nunquam audivisse Regulam D. Augustini, ad eamque observandam minimè se teneri effutientes: & cùm quæsivissem ab eis, quid toto Probationis anno profecissent, ingenuè respondentur se simplicibus modis Gregoriani cantus artem didicisse, sæpéque cantitantes, & sæpiùs dissonantes flagris à Magistro severissimè exceptos fuisse: Regulam verò D. Augustini non magis audivisse, quàm si non extaret in orbe terrarum. Vah indignitatem! Ubi pudor mentis? ubi rubor frontis? Siccine irridetur Deus, & illuditur Ecclesia? Væ Abbatibus & Prioribus oscitantibus & dissimulantibus: væ Magistris sic Novitios educantibus: væ sic professis judicandis non secundùm adeò rationi adversam consuetudinem

tudinem, sed secundùm vota quæ distinxerunt labia sua, quæve reddiderunt coram omni populo Dei.

Quæres quintò, an requiratur semper prævium conscientiæ dictamen de malitia operis, ut contra jus naturale liberè facta sint peccata; & an dari possit ignorantia invincibilis ejusmodi juris?

Responsioni præmitto primò, signanter inquiri de operibus contra jus naturale liberè commissis, v. g. an ille qui mendacium profert, vel vindictam de adversario sumit, excusetur à peccato; quia licèt benè videat se veritati adversari & hosti nocere suo, ab illis tamen operibus sibi perspectis non retrahitur, quia erroneè putat id sibi licitum, vel saltem non cogitat id esse illicitum. De illis, inquam, operibus quæstio, & quidem momentosissima agitatur. Quia de operibus ex ignorantia facti, vel juris positivi elicitis, vel nulla, vel sanè exigua controversia esse potest. Cujus discriminis rationes varias posteà referemus. Conjungimus autem duas in hoc quæsito difficultates, ob indivulsam utriusque connexionem posteà aperiendam.

Præmitto secundò, certum quoque esse, si daretur invincibilis juris naturalis ignorantia, homines à peccato excusatum iri, & actus ex illa admissos omni culpâ vacaturos. Etenim S. Doctor *in calce art. 3. q. 76.* quam inpræsentiarum continuo fermè commentario explicamus, expresè ait: *Si sit talis ignorantia, quæ omninò sit involuntaria, sive quia est invincibilis, sive quia est ejus quod quis scire non tenetur, talis ignorantia omninò excusat à peccato.* Vbi perspicuè S. Præceptor opus quodvis à peccati labe abstergit, si fiat ex ignorantia invincibili; & ad accusandum malitiæ opus ex ignorantia patratum, duo omninò requirit; & quod ignorantia illa non sit invincibilis, sed possit vinci; & quod ad eam vincendam homo teneatur. Quorum alterutrum si desit, deerit etiam ratio peccati, aderitque justa de peccato excusatio. Quam doctrinam deprompserat Aquinas ex Augustino Magistro suo *lib. 3. de lib. arbit. cap. 12.* docente: *Non enim quod naturaliter nescit, & naturaliter non potest, hoc animæ deputatur in reatum; sed quòd scire non studuit, & quòd dignam facultati comparanda ad rectè faciendum operam non dedit.* Quibus verbis non vult Augustinus aliquâ ignorantiâ in jus naturale facta excusari, ut quidam non satis ad contextum advertentes interpretantur; sed concedit opera per ignorantiam perperam adversum jus naturale admissa, ideo dumtaxat culpanda, quòd caveri per diligentiam potuerunt. Non arguitur ergo in operante ignorantia veri, vel difficultas recti, si utraque sit naturalis, eo quòd à peccato originali oriatur, ut contendit Iansenius; sed quia eâ ignorantiâ laborans *perficere noluit, aut à profectu relabi voluit*, inquit ibidem Augustinus, id est, non quia invincibilis, sed vincibilis ignorantia fuit. Et certè si propterea opera quævis ex ignorantia juris naturalis profecta damnari peccati possunt, quia talis ignorantia à peccato originali orta est, omnes actus indeliberati imputabuntur etiam ad peccatum, cùm ex concupiscentia, quæ non minùs quam ignorantia pœna primæ culpæ est, indeliberati illi impetus enascantur. His præmissis,

Respondeo nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, sed omnem esse vincibilem, & culpabilem, ac proinde opera contra jus naturale admissa perperam excusari ex eo quod nulla præcesserit prævia malitiæ cogitatio, quâ animus actu illustretur, & affectus vitandi peccati desiderio exstimuletur, ut quidam moderni ad excusandas excusationes in peccatis comminiscuntur; quia semper carentia scientiæ juris naturalis est vincibilis & voluntaria, sin directè & expresè, certè indirectè, & in suis causis propriâ & personali culpâ appositis.

Itaque ultrò quidem fateor, nullum esse tam impium, ad cujus cor non interdum loquatur Deus: fateor lumen divinum non ita à mentibus hominum abscedere, ut non quibusdam divini fulgoris radiis identidem illustrentur; unde proficiscitur ille scrupulus, qui nefanda comitatur, ille pudor quo, teste Tertulliano, flagitia perfusa sunt, illéque horroris sensus turpibus adjunctus. Fateor quoque nullum esse adeo scelestum, qui non habeat vires sensu Thomistico sufficientes ad pellendam juris naturalis ignorantiam, quam reverà pelleret, si vellet, si peccatis suis ampliori gratiæ, id est victrici, & per se efficaci obicem non poneret voluntarium, & sibi benè notum. Vltrò, inquam, hæc in antecessum fateor, ea uberiùs posteà data occasione expositurus. Sed nihilominus contendo, hominem in jus naturale liberè operantem semper peccare, & imputabiliter peccare, tametsi fortè de peccati malitia hîc & nunc non cogitet, eamque ignoret; quia ignorantia juris naturalis nunquam, vel nusquam est invincibilis; semper & ubique vincibilis est in hominibus rationis compotibus. Duo ergo probanda sunt, & ignorantiam juris naturalis cujuscumque invincibilem nullam dari, & opera in jus illud liberè admissa non posse ex eo à peccato abstergi, quod sine prævia malitiæ consideratione, sed ex ignorantia patrata sint.

Primò ergo sic ostendo, nullam dari juris naturalis non vincibilem ignorantiam. Tum quia ita tradit Augustinus, qui sæpè pronuntiat, neminem sini legem naturæ ignorare: quod idem est ac nullam dari invincibilem juris naturalis ignorantiam. *Nullus est*, inquit conc 25. in Psal. 118. *qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit; & in hoc transgreditur naturæ legem, quam non sinitur ignorare.* Et præclarè in Psal. 57. *Quis de justitia interrogatus, quando* [illegible] *habet causam, non facilè respondet, quid sit justum? Quandoquidem manu Formatoris nostri in ipsis cordibus veritas scripserit: Quod tibi non vis fieri, ne facias alteri. Hoc & antequam lex daretur nemo ignorare permissus est, ut esset unde judicarentur etiam hi quibus non esset data. Sed ne sibi homines aliquid defuisse viderentur, scriptum est in tabulis quod in cordibus non legebant; non enim & scriptum non habebant, sed legere nolebant. Appositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei, ad interiora sua homo compulsus est.* Sed si nemo legem naturalem sinitur ignorare, si semper habet in corde unde dijudicetur qui contra legem naturalem operatur, talis ignorantia non potest esse invincibilis & excusabilis, sed semper est vincibilis & inexcusabilis: Ergo nulla ex Augustino datur juris naturalis invincibilis ignorantia. Plura ex eodem Patre addemus inter probandam secundam responsionis partem.

Tum quia ita apertè tradit S. Thomas iis omnibus locis, quæ superiori quæsito ponderavimus, nec hîc repetemus ubi nullam ignorantiam antecedentem agnoscit circa illa quæ juri naturali adversantur, sed in factis tantùm contingentibus. Loqui autem S. Doctorem de lege & jure naturali, non verò divino vel positivo, hinc patet, quia ibi de actibus humanis disputat ex principiis vitæ moralis omnibus hominibus notis, & ab ipso Aristotele traditis. Idipsum evidentissimè tradit S. Doctor *quodlib. 8. art. 13.* verbis suo posteà loco referendis, ubi inter alia sic decretoriè pronuntiat, & rem definit sententiâ, quâ veluti fulmine vagus probabilismus conteritur & profligatur: *Illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec*

excusatur

excusatur per hoc quod est secundùm conscientiam. Sed de aurei hujus loci efficacia infrà.

Idipsum apertè tradit D. Thomas cum Aristotele hac in re quibusdam recentibus Theologis æquiore, & legis naturæ zelantiore. Etenim Philosophus 3. *Ethic. cap.* 1. expressè docet, quod licèt ignorantia facti, seu circumstantiarum, quæ sunt accidentia actibus nostris circumjecta & circumfusa, excuset à malo, ut qui rhombum catapultarium, seu ignitam rotatæ catapultæ machinulam intendens & explodens vulnerat fidissimum amicum, vel loco feræ interficit suavissimum filium; addit tamen ignorantiam juris naturalis non efficere ut actio sit involuntaria, sed mala, quia ipsa ignorantia vitio vertitur. Verba Philosophi sunt hæc: *Non ideo quisque involuntariè agere dicitur, quia quid expediat, nescit. Omnino enim illa ignorantia, qua quis eligit certum aliquod malum, non efficit ut involuntaria sit actio, sed ut sit mala. Quod idem de ea dici potest, quâ quis præcepta benè vivendi generatim ignorat. Talem enim ignorantiam vitio vertimus. Quæ verò involuntarias facit actiones, ac venia vel misericordia dignas, circa singulares rerum circumstantias tota versatur, & tunc est propriè veniæ locus.* Quam ignorantiam vocat ibi Aristoteles *universalem*, & D. Thomas q. 76. art. 2. *ignorantiam universalium juris præceptorum*, non quòd sola universalissimorum principiorum juris naturalis ignorantia sit culpabilis; sed quia, ut explicat *ibidem* D. Thomas, & fatetur Vasques *disp.* 122. *in* 1. 2. *cap.* 1. nomine ignorantiæ universalis intelligitur ignorantia juris, quando videlicet quis in universum existimat fornicationem esse licitam, vel adulterium, & ignorat jus naturale quod in universum ostendit quid bonum, quidve malum sit.

Rationem fundamentalem hujus veritatis sæpè tradit S. Doctor, sed nominatim 1. 2. *q.* 94. *art.* 6. ubi sic habet: *Ad legem naturalem pertinent primo quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota; quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia, lex naturalis nullo modo potest à cordibus hominum deleri in universali; deletur tamen in particulari operabili secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam, vel aliquam aliam passionem. Quantum verò ad alia præcepta secundaria, potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones (eodem modo quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias) vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos: sicut apud quosdam non reputabantur latrocinia peccata, vel etiam vitia contra naturam, ut etiam Apostolus dicit ad Rom.* 1. Ex quibus sic formatur ratio: Illa ignorantia non est invincibilis, sed semper vincibilis, in quam non incurrimus, nisi per peccatum personale; sicut enim peccatum est voluntarium, ita ignorantia ex personali proprii vitii corruptione profecta in illo peccato voluntaria est, subindéque non est invincibilis, sed superabilis proprii fugâ peccati: Atqui ignorantia juris naturalis est hujusmodi, siquidem *lex naturalis scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas*, ut ait Augustinus *lib.* 2. *confess. cap.* 4. Nec ejus præcepta communissima ad particularia operabilia malè applicantur, nisi propter concupiscentiam & passionem; nec possunt deleri secundaria ejus præcepta, nisi propter pravas consuetudines, vel habitus corruptos, ut tradit S. Thomas, ob quos in eam opinionem quis adducitur, ut credat illud esse licitum, quod illicitum esse cerneret, & citò judicaret, nisi foret pravorum affectuum præjudiciis ante-occupatus. Ergo nulla ignorantia cujusvis juris naturalis est invincibilis, sed vincibilis, & superabilis. Quia cùm ejus præcepta lumine naturæ omnibus implantato cognosci possint, suo quivis debet imputare vitio, si lumen illud pravis motibus offuscet.

Illustratur, & firmatur hæc ratio. Licèt lumen vultus divini signatum super nos sit primigenii peccati strage non extinctum quidem, sed obscuratum: tamen ad excutiendas offusas menti tenebras divinus concursus semper præsto est, nec eo semper præsenti, semper oblato, nisi culpâ nostrâ caremus: Ergo ignorantia illius juris invincibilis dici non potest, ad quam vincendam semper Sol justitiæ ut Author naturalis, & ut loquitur Augustinus, Formator noster, suos offert radios, quos semper circumfundit, nisi cordis oculos voluntaria cæcitate clausos inveniat. Igitur quia Deus omnibus, & singulis auxilium sufficiens actualis illuminationis & sæpe confert, & semper offert; & tamen voluntas concupiscentia prævalente, & amore creaturarum fascinante sæpe naturale & divinum lumen rejicit, semper synteresis morsibus benigna crudelitate sævientibus obstaculum ponit, & depravati affectus vitio sese domesticis, sese divinis subtrahit splendoribus; ideò non mirum si talis ignorantia non sit excusabilis, cùm sit voluntaria in suis causis, nempe peccatis, ob quæ circumfusæ legis naturalis luci oculos non aperit voluntarius cæcus, nec pædagogum internum consulit, nec urgente concupiscentiæ tentatione ad divinum auxilium se convertit, quod si tantum invocaret quantum res tanta invocari debet & potest, illud profectò impetraret ab eo, qui nullum à se desertum patitur, nisi priùs deseratur ab illo. In vitium ergo voluntatis ignorantia juris naturalis refunditur, quo vitioso statu durante, semper peccato interno & divino lumini oculos claudet, semper legis naturalis radiis obstaculum culpabile ponet.

Nec obest quod peccator eò devenerit, ut malitiam esse non suspicetur. Sic Mahometanus in opinione illa versatur, fornicationem esse criminis expertem, quia non suspicatur id esse noxium, quod in communi gentis suæ, id est, maximæ orbis partis more cernit positum, & suæ sectæ sapientum judicio confirmatum, & majorum authoritate probatum, & parentum imitatione persuasum.

Non obest, inquam, quia firma illa errantis & pertinacis judicii asseverantia nonnisi ex corrupto voluntatis habitu & affectu derivatur; si enim non tanto amore prosequeretur creaturas, si tam infrunitè post suas concupiscentias non iret, si considerationi Dei, suique vacaret, si Deum (quem ut aliàs demonstravimus, invincibiliter ignorare nequit) invocaret, si in dubii animi anxietate tutioribus & securioribus adhæreret, sine mora innatæ, imò & divinæ lucis semper præsentis, & sæpè pulsantis radios perciperet, quos non advertit, nisi quia vel malitia, vel socordia innato & divino lumini est rebellis. Vt enim ait August. lib. 3. de lib. arbitr. cap. 19. *Nulli homini ablatum est scire utiliter quærere quod inutiliter ignorat, & humiliter confitendam esse imbecillitatem, ut quærenti & confitenti ille subveniat, qui nec errat dum subvenit, nec laborat.* Ergo ignorantia juris naturalis fugâ peccati, vitatione culpæ, apposito concupiscentiæ freno, terrenorum nimio amore abdicato, fusaque ad Deum oratione, cui citra miraculum Deus auxilium præberet, vincenda est.

Maximè quia juxta suavem Dei omnium salutem sincerè volentis providentiam nullus est qui circa primum rationis diluculum (in quo ad Deum se convertere tenetur, ut veridica S. Thomæ sententia fert) aliquem divinæ lucis radium inter humanas tenebras intermicantem non experiatur (nisi fortè aliquo actuali notæ pravitatis scelere divinum fulgorem impediat,) quâ divini splendoris scintillâ boni rationis conscientia,

conscientis, vel etiam amor ingenerantur; quâ notitiâ si benè peccator uteretur, abundantiori immissâ luce omnes tenebras sensim depulsum iri certissimum est. Verùm quia hac luce uplurimùm & ferè semper abutitur prædictus Mahometanus suæ voluntati justo Dei judicio relictus (*lux enim in tenebris lucet, & tenebræ eam non receperunt,*) ideo oblatum lumen contemnens in diversa deinde scelera sponte sua ruit, quæ non semper præcedit cognitio malitiæ, quia eam in primo divinæ lucis contemptu, vel neglectu voluntariè extinxit. Nec eam posteà quotiescumque vult habet, quia eam dum oblata fuit, noluit. *Illa enim,* ut Augustinus tradit, *peccati pœna justissima est, ut amittat unusquisque quo benè uti noluit, cum sine ulla posset difficultate, si vellet; id est, ut qui sciens recta non facit, amittat scire quod rectum sit; & qui rectè facere cùm posset, noluit, amittat posse cùm velit.* Sic *lib. 3. de lib. arb. cap. 18.*

Illustratur & confirmatur ampliùs ex triplici differentia quæ inter ignorantiam facti & juris positivi, & ignorantiam juris naturalis intercedit, quibus innumeræ præoccupantur objectiones. Prima differentia, quam tradunt Cajetanus & Estius, est quia actus solo jure positivo prohibitus, non est intrinsecè malus, sed de se licitus & indifferens; nec inter pravos annumeratur, nisi quia prohibitus est: unde si ignoretur prohibitio, sitque involuntaria prohibitionis ignorantia, tunc actus v. g. comestionis in die jejunii erit secundùm rationem peccati prorsus involuntarius. Cùm enim ignorantia juris positivi tollat cognitionem prohibitionis, nihil relinquit in objecto quod malum sit, proindéque opus, non fractio jejunii, sed licita comestio dici debet, quæ nihil habet pravitatis, sive in se, sive in intentione operantis. In ignorantia autem facti opus quoque malum est prorsus involuntarium, cùm operans orbetur cognitione rei per se malæ, v. g. qui interficit filium unicum volens interficere bestiam, qui cognoscit alienam putans cognoscere suam, non vult hunc actum qui est interficere filium, vel cognoscere alienam; unde nec voluntate facti, nec voluntate peccati vult opus pravum, quia nec ejus rationem specificam, nec rationem genericam peccati advertit. At verò in ignorantia juris naturalis res aliter se habet; licèt enim ignorans jus naturale in actu signato non apprehendat rationem genericam peccati, eam tamen in actu exercito cognoscit, quia apprehendit rationem specificam actus, cui intrinseca, & essentialis est turpitudo; ac proinde opus illud non est involuntarium, etiam qua ratione peccatum est, quia operans non privatur cognitione rei per se malæ: v. g. non privatur adulter, nisi sit ebrius, vel insanus, cognitione mulieris alienæ; non privatur mendax cognitione veritatis, quam negat, etsi an opera illa habeant contrarietatem ad legem, passionis æstu abreptus non consideret.

Favent huic discrimini S Augustinus, ejusque pedissequus D. Thomas. Ille enim *lib. 1. retr. cap. 15.* sic luculentissimè loquitur: *Qui nesciens peccavit, quia voluit, fecit, etiamsi non quia voluit, peccavit, nesciens peccatum esse quod fecit: ita nec tale peccatum sine voluntate esse potuit, sed voluntate facti, non voluntate peccati, quod tamen factum fuit; hoc enim factum est, quod fieri non debuit.* Quibus verbis negat Doctor Sanctissimus, opera ex ignorantia juris naturalis facta esse involuntaria, quia sic operans benè cognoscit peccati speciem, tametsi ex sua culpa non reflectat super contrarietatem, quam habet ad virtutem. D. autem Thomas *quæst. 76. art. 3.* proponens sibi argumentum quod est unicum recentiorum fulcrum, sic sibi objicit tertio loco: *Homo est subjectum virtutis & peccati in quantum est particeps rationis: Sed ignorantia excludit scientiam, per quam ratio perficitur: Ergo ignorantia totaliter excusat a peccato.* Cui S. Doctor: *Dicendum quod si esset talis ignorantia, quod totaliter usum rationis excluderet, omnino à peccato excusaret, sicut patet in furiosis & amentibus; non autem semper ignorantia causans peccatum talis est, & ideo non semper totaliter excusat a peccato.* Vbi S. Præceptor tunc solùm ignorantiam juris naturalis invincibilem & excusabilem affirmat, cùm usum rationis totaliter excludit.

Vtriusque sacri Doctoris mentem optimè assequutus est Thomistarum ingeniosissimus Cajetanus in commentario articuli 4. ubi quidquid hac in parte desiderari à doctioribus potest, peregregiè complexus est; sic autem ait: *Ignorantia privans sola scientia ejus, quod quis tenetur scire, est duplex, scilicet ignorantia juris, sive universalis, sive particularis, ut quando quis nescit hunc actum esse peccatum; & ignorantia facti, ut quando quis nescit suâ negligentiâ hominem esse in loco quò projicit sagittam. Peccata autem facta ex ignorantia juris sunt duplicia; quadam secundùm se mala, ut fornicatio, furtum, & similia; quadam solo juris positivi statuto, ut jejunare tali die, & similia. Inchoando autem à peccatis, quæ sunt secundùm se mala, & fiunt ex ignorantia juris, dicendum est quod sunt peccata ejusdem speciei, cujus essent, si fierent à sciente. Et ratio est, quia sunt actus voluntarii in seipsis per se & directè, non solùm materialiter, sed formaliter, secundùm conversionem ad objectum, quamvis secundùm contrarietatem ad virtutem, indirectè & per accidens sint voluntarii. Gentes namque nescientes simplicem fornicationem esse peccatum, consentiebant in cognitionem mulieris non suæ, unde sumitur fornicationis species; quamvis fortè aliqui si scivissent esse peccatum, non fecissent; & sic non directè & per se, sed per accidens in actum illum ex parte contrarietatis ad virtutem consentiebant. Et hoc modo Paulus consensit in mortem Stephani confitentis Jesum Nazarenum, unde sumitur peccati species; quamvis non nisi per accidens consenserit in contrarietatem illi actui intrinsecam, quam si cognovisset adesse, non consensisset actui.*

Dices: Vt operatio sit peccatum, non solùm requiritur ut opus sit voluntarium in se, sed etiam quoad malitiam & contrarietatem ad virtutem; quomodo enim contrahet malitiam objecti, si eam non velit & veluti ebibat? & quomodo eam volet, si malitiam non advertat? Atqui nisi præcedat cognitio malitiæ, actus qui creditur bonus, vel indifferens, est omninò involuntarius quantum ad ejus malitiam: Ergo nisi semper præcedat actualis conscientia malitiæ, opus malum non erit voluntarium, sed involuntarium.

Respondeo, in argumento illo manifestum contineri sophisma, & in adversarios retorqueri. Si enim aliquid efficeret, probaret etiam opus ex ignorantia crassa patratum eximi à culpa, imò nullum omninò dari peccatum ex ignorantia; omnis enim ignorantia quavis negligentiâ contracta tollit cognitionem malitiæ actus, subindéque malitiæ voluntatem, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum: Ergo si ad omnem peccati rationem tollendam sufficit, quod non præcedat actualis reflexio super malitiam, nihil ignorantiâ commissum poterit habere rationem peccati. Quod est & contra Ecclesiæ doctrinam orantis Deum ne meminerit fidelium ignorantias, & ad excusanda innumera peccata defensionem suppeditat, & Christianos ad negligendam scientiam salutis invitat.

Dicendum ergo, quod licèt homo ille qui vult opus intrinsecè malum, non attentâ ratione malitiæ, nolit, nec cognoscat malitiam in actu signato, ut dicunt, quia rationem peccati concupiscentiâ illectus non considerat; eam tamen in actu exercito novit, & vult, hoc ipso quod factum intrinsecè malum quoad suam rationem specificam cognoscit, & amat. Quod explicatur

explicatur cum D. Thoma suprà relato ea differentia quæ ebrium vel amentem inter, & ignorantem jus naturale intercedit. Ebrius enim, aut furiosus hominem occîdens non modò pravitatem actus, sed ipsum factum ignorat, quia quid agat nescit; unde ejus factum homicidii speciem non servat, licèt ebrietatem graviorem efficiat, ea qua tanquam è causa homicidium effluxit. At verò qui ignorantiâ juris naturalis hominem prodens occidit, interfectionem hominis privatâ authoritate patratam agnoscit & vult; unde & actio ejus homicidii speciem verè retinet, quia voluntas fertur in objectum intrinsecè pravum, unde species derivatur, non ex contrarietate ad virtutem; sicut nec species albi sumitur ex contrarietate ad nigrum, sed ex abundantia lucis in se, ut benè dixit Cajetanus.

Idipsum alio exemplo eruditè illustrat idem Cardinalis, peritum ea differentia quæ interest inter illum qui ex culpabili negligentia facti vacans venationi sagittat hominem loco cervi ex incircumspectione, & illum qui ea ignorantia juris naturalis in hominem propriâ authoritate manus injicit violentas: prioris enim actio non pertinet directè, sed ad summum reductivè ad speciem homicidii, quia interfectionem nec videt, nec intendit; sed ad speciem venationis periculosæ & imprudentis, quam quidem prorsus aggravat; sed in suam speciem non formaliter, sed tantùm reductivè trahit, quia non est voluntaria in se, sed in sua causa. Qui enim interficit amicum volens interficere feram, nullo modo vult hunc actum, qui est interficere amicum. At verò peccans ex ignorantia juris naturalis, ipsam interfectionem & videt & intendit, unde & propriè dictum homicidium perpetrat. Verba Cajetani sunt hæc: *Ex his habes differentiam velaminis inter peccata ex ignorantia juris, & peccata ex ignorantia facti; quia in illis ignorantia non velat objectum, sed contrarietatem ad legem, seu virtutem: in istis ignorantia velat objectum; & ideo illa in eadem sunt specie, ista non, quia ab objecto per se intento species est.* Nec obest quod malitiam fortè non meditetur, quia id provenit ex libidine voluntatis ardendis toto impetu fluentis, & obscurantis congenitam juris naturalis notitiam. Sicut enim aqua calefacta citò redit ad congenitum frigus, si ab igne removeatur: sic animus rationalis facilè objecti honestatem vel malitiam perviderer, si vitiorum castigatione cordis oculos aperiret.

Secunda, & plausibilior differentia est, quia nimirum ignorantia juris naturalis non aliunde proficiscitur, quàm ex perverso & pertinaci creaturarum amore, quo peccator se ab illo lumine continenter avertit, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quod lumen semper præsens, semper peccatori circumfusum, illum identidem suis fulgoribus illustrat; nec enim est qui se abscondat à calore ejus, cujus ductum si sequeretur dum affulget, nihil est in jure naturali tam abstrusum, quod esset clausum, vel ignotum; sed quis mavult post suas concupiscentias ire, quàm illi oculos aperire, quid mirum si imputetur ad culpam quidquid ex illius juris ignorantia perperam operatur? Vnde sponte fluit disparitas inter ignorantiam juris naturalis, & ignorantiam facti & juris positivi; quia juris positivi, factique quæstiones non ejusmodi sunt, ut mentis affectusque purgati castimoniâ, sed solâ scientiâ, vel oculis dijudicentur; quia nullam habent cum primis motum principiis in animo naturaliter inscriptis cohærentiam, nec comparantur reflexione super se, nec per se obscurantur cupiditatis illecebris; unde in illis discernendis qui pejores sunt, sæpè sæpiùs sunt oculatiores, si sint ingenio, oculisque valentiores. At verò in jure naturali totum oppositum est, quia nihil in illo invenitur, quod non ea communissimis motum notionibus in ipsis humanæ mentis medullis & visceribus indelebiliter impressis certa connexione non pendeat; quam connexionem Deo juvante vident quotquot propriis, & voluntariis peccatorum tenebris non excæcantur; quia Deus ad illuminandum errantem in jure naturali semper paratus est, nisi à voluntate positum obicem inveniat, ut statim & clariùs exponemus, & Patrum authoritate illustrabimus.

Denique (& est tertia disparitas) quia licèt in peccante ex ignorantia nativi juris, hîc & nunc non alluceat hujus operis explicata apertaque malitia; tamen semper adest principium agenti conspicuum, in quo opus suum mentita sibi iniquitas damnat. V. g. nullus est homo quamlibet ferus, quem licèt hîc & nunc ob libidinis æstum lateat fortè mendacium, furtum, adulterium, quæ meditatur, esse mala; tamen semper scit aliquid quo seipsum condemnat, & in quo, licèt subobscurè, virtualiter videt sui operis pravitatem. Nam si ille interrogaretur, an vellet per mendacium falli, an libenter ferret bona propria vel uxorem suam ab alieno rapi, utique responderet illa mala se nolle pati: Ergo ore suo judicatur servus nequam, quia alteri facit quod sibi fieri non vellet, licèt aggravante malitia, dum alteri facit, non advertat, quod sentit dum sibi fit: Ergo facit aliquid repugnans naturali principio sibi noto, de quo Tob. 4. *Quod ab alio oderis tibi fieri, vide ne tu aliquando alteri facias.* Quod idem in usuris, vindictis, aliisque remotioribus juris naturalis consectariis facilè verum esse probatur. At verò in erroribus facti, vel in quæstionibus juris positivi totum contrà est. Nam quod mulier supposita nocte sit propria vel aliena; quod cibus cæco datus sit furto sublatus, necne; quod hac die præcipiatur jejunium, prohibeatur opus servile, nullo principio naturaliter noto determinari potest, nec orationibus à Deo de via ordinaria impetrari, sed studio, oculis, & auribus addisci potest. Vnde in iis quæ ad jus positivum spectant, ignorantia nonnunquam excusat, nonnunquam accusat, vel vitio vertitur, nisi cùm ex nimia negligentia nascitur, & aliqua cognitione prævidetur. Vno verbo, Iuris naturalis cognitio naturæ humanæ congenita est, ratione cujus gentes quæ legem non habent, sunt sibi lex, ut loquitur Paulus; unde non potest radicitus tolli, aut penitus obscurari. Vnde ex ea emergunt plerumque cogitationes bonæ, quibus nullus homo per totam vitam caret. At verò juris positivi, factorumque notitia adventitia est; unde contingere citra culpam potest, ut nulla illorum cognitio suboriatur.

Dices: Non minùs necessaria est ad salutem cognitio Fidei, Baptismatis & nominis Christi, quàm scientia juris naturalis; qui enim non crediderit, condemnabitur; qui non regeneratus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non salvabitur, quia non est aliud nomen sub cœlo, in quo nos oporteat salvos fieri: Ergo non minùs flagitanda à nobis est istorum cognitio, quàm cognitio scientiæ naturalis juris: Ergo utraque peræquè dici potest vincibilis in negligentia orationis, qua rem tantam obtineremus, si quantum petenda est, peteremus: Ergo nulla est inter utramque disparitas, si vera sunt quæ hactenus affirmavimus. Quod in ignorantia facti similiter claret. Connubio, v. g. ex ignorantia facti inito, nulla inest veritas, seu consensio cum lege æterna, cùm reipsa sit incestus; & tamen opus illud culpâ vacat, quia ignoratur malitia operis primis syntereseos principiis repugnantis: Ergo opus repugnans remotioribus legis naturæ corollariis, tametsi sit reapse contra legem æternam, excusabitur tamen, si ejus malitia ignoretur. Ergo ex præcisa conformitate, vel difformitate ad legem æternam, non debet operi asseri, vel negari rectitudo; sed ex conscientiæ dictamine, cui consentiat, vel repugnet.

Respondeo, propter hoc argumentum nonnullos non ignobiles Theologos longe ante Iansenium natos & florentes (quod dico propter quosdam importunos & impertinentes recentiores, qui argumentis destituti sententiam negantem dari ignorantiam juris naturalis, Iansenismi puerıliter insimulant. & sicut ictero laborantibus subflavus semper & ubique color occurrit, ita illi quamvis sententiam suis laxitatum præjudiciis adversam, Iansenismi & novi dogmatis ineptissimè notant) Theologos, inquam, celebres, Hugonem à S. Victore, B. Bonaventuram, Gersonem, Adrianum, Guillelmum Parisiensem docuisse, nullam etiam apud Infideles dari juris nedum naturalis, sed nec divini invincibilem ignorantiam; quia, inquiunt, possunt recurrere ad supremum quem intra se habent Magistrum Deum facilè exorandum, si veritatem studio quæsitam continuis precibus à Deo efflagitent, & se pœnitentiâ, vitæque emendatione divina luce dignos efficiant: unde fidei ignorantiam eis imputandam credunt, quia Deus fidem nutritis etiam in sylvis minimè negaret, si illam adhibitis omnibus, quibus potest comparari, mediis postularent.

Verùm quia illa sententia non solùm durior videtur & austerior, sed etiam parum est SS. Augustino & Thomæ consentanea, ut deinde palam erit, dico disparitates allatas adhuc manere in sua vi. Dicendum ergo, quod licèt ignorantia juris divini nunquam sine damno contingat, cùm tollat media ad salutem necessaria, lege divinâ constituta, qualis est vera religio & charitas infidelitate etiam negativâ sublatæ; non tamen hæc ignorantia peccatum est, sed pœna peccati. Quia ut aliqua ignorantia sit peccatum, non sufficit quod potentiâ remotissimâ possit operans scientiam obtinere; sic enim privatio visionis beatificæ non pœna tantùm, sed peccatum esset, quia ad eam possunt infideles pervenire. Sed exigitur ut ignorans habeat in se principium proximum, in quo si velit, potest pervidere objecti honestatem aut turpitudinem: quod principium in manu sua positum, & sibi conspicuum, si non consulat, non invincibilis, sed culpabilis erit ignorantia, cui sanandæ, quæ penes se habet media proxima negligit adhibere. Sic autem est in proposito; nam notitia factorum, & multò minùs fidei supernaturalis, nullam habet naturalem colligationem cum principiis naturalibus, unde fidem non potentia naturali, sed solùm obedientiali Ethnicus sibi asciscere potest. At verò juris naturalis notitiam in manu habet, quia lex naturalis cordi inserta ad eam acquirendam est proximè potens, proximè sufficiens, nisi corruptæ voluntatis pravitate fuerit impedita. Vtraque ergo cognitio est peræquè necessaria, utraque peræquè peccati pœna, sed non peræquè peccatum, quia non est peræquè superabilis. Qua doctrina solvitur id quod de incestu per ignorantiam facti admisso additur, quia nulla luminis naturalis virtute potest factorum scientia comparari. Maximè quia, ut antea dicebamus, cùm illius facti turpitudo nec generica, nec specifica cognita sit, sub nulla ratione voluntaria esse potest.

Instabis: Potest contingere, ut nulla præcedat notitia obligationis sciendi aliquas remotiores juris naturalis conclusiones, ratione cujus eam vincere possimus; si enim nulla cogitatio, aut dubitatio præcesserit, non magis erit in potestate nostra earum cognitio, quàm sit fides mysteriorum supernaturalium: Ergo utriusque ignorantia potest esse æqualiter invincibilis, cùm non sit in nostra facultate de ulla re deliberare, an amplectenda sit, vel rejicienda, de qua nulla in mentem venerit cogitatio.

Respondeo semper disparitatis allatas rationes subsistere, quia fidei supernaturalis principia non constant lumine naturali, sicut legis naturalis præcepta, quæ hominum cordibus ita altè insculpta sunt, ut non possint unquam obliterari; & licèt possint vitiis pravisque moribus obscurari, ipsis tamen imputandum est, qui conscientiam se suique officii admonentem audire noluerunt, vel ne moneret, voluntarium obicem posuerunt. Vno verbo ignorans infidelis non cogitat se supernaturalium scientiam debere comparare, nec aliquod lumen in se habet, in quo possit talem obligationem intueri; secus verò est de ignorante officia juris naturalis, ut ex dictis manifestum est.

Confirmatur & illustratur demùm authoritate Scripturæ & Patrum, ex qua sic formatur ratio verè theologica. Ex Scriptura & Patribus dantur plura peccata ignorantiæ, non solùm directè crassæ & affectatæ, quæ magis accusat quàm excuset, ut ex D. Thoma *quæst. superiori* vidimus; sed etiam cùm quis benè fieri putat quod malum est, nec solùm dum non cogitat de malitia operis, sed etiam cùm putat erroneè illi inesse bonitatem. Atqui nulla sunt peccata ignorantiæ, nisi sit affectata, quæ non magis excusari possint, quàm illa quæ in jus naturale admittuntur; nec ulla est ignorantia magis vincibilis & inexcusabilis, quàm ignorantia juris naturalis. Ergo vel nullam ignorantiam censent Patres vincibilem, vel maximè ignorantiam juris naturalis. Minor, & consequentia per se patent, si intelligantur termini; cùm enim præcepta legis naturalis sint naturaliter insita, non verò scientia juris positivi vel factorum, evidens est ignorantiam juris naturalis esse magis vincibilem ignorantiâ juris positivi, vel factorum contingentium, subindéque opera ex ignorantia juris naturalis facta multò magis peccati labe & nomine aspergi debere, quàm opera ex ignorantia juris positivi vel facti contingentis elicita, nisi ista ignorantia sit crassa, supina & affectata. Major ergo, in qua est difficultas, nota est cuivis in lectione Scripturarum & Patrum non omninò peregrino; cui enim non sunt obviæ illæ voces: *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc justificatus non sum.* Et tamen Apostolus nihil ex ignorantia supina operabatur. Quibus, aliisque postea referendis locis persuasa Synodus Palæstina damnavit Pelagianos arbitrantes ignorantiam & oblivionem non subjacere peccato. Nec loquebantur illi hæretici de ignorantia crassa & directè affectata; siquidem Pelagius apud Augustinum *lib. de nat. & grat. cap.* 17. asserebat, *ideo esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentiâ, quod adhibitâ diligentiâ scire debuisset.* Loquebantur ergo Pelagiani de ignorantia juris naturalis, cui aliqua boni cogitatio præluceret; & ideo eam culpandam affirmabant, si præeunte dictamine aliquo, scire officia sua homo negligebat. Ergo aliquid ampliùs voluit Concilium, nempe ignorantiam juris naturalis subjacere peccato, etiamsi non semper præcedat aliqua de ea expellenda cogitatio; quia nimirum quod talis interdum cogitatio non affulgeat, ex voluntario à libertate posito obice proficiscitur. Vnde sæpè contingit, ut bonum malum, malum bonum dicat, ut cæcus cæco ducatum præstet, & videatur sibi via rectissima, cujus novissima ducunt ad mortem.

Sed satius est audire Bernardum non solùm sententiæ nostræ assertorem, sed etiam luculentum defensorem, qui accersitis variis Scripturæ testimoniis, sic habet epist. ad Hugonem à S. Victore: *Veritatis testimoniis paucis & manifestis manifestum mendacium confutetur. Is forsitan qui asserit nunquam posse peccari per ignorantiam, nunquam pro suis ignorantiis deprecatur, sed potius Prophetam irridet deprecantem & dicentem: Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Forsitan & reprehendit Deum exigentem pro peccato ignorantiæ satisfactionem. Si ignorantia nunquam peccatum*

catum est, cur dictum est in epist. ad Hebræos : Quia in secundo tabernaculo semel in anno solus Pontifex intraret non sine sanguine, quem offerret pro sua & populi ignorantia ? Si peccatum ignorantia nullum est, non ergo peccavit Saulus, quod persequens est Ecclesiam Dei, quoniam quidem ignorans hoc fecit, manens in incredulitate. Bonè itaque faciebat quod erat blasphemus, & persequutor, & contumeliosus ; quod erat spirans minarum & cædis in Discipulos Domini, in hoc ipso quippe abundanter æmulator existens paternarum suarum traditionum. Non ergo debuit dicere : Misericordiam consequutus sum, sed mercedem recepi ; quippe quem ignorantia peccato reddebat immunem, insuper & æmulatio remunerabilem indicabat. Si, inquam, ignorantiâ nunquam peccatur, quid ergo causamur adversus occisores Apostolorum, quoniam non quidem malum esse nescierant interficere illos, sed insuper quoque id faciendo arbitrati sunt obsequium se præstare Deo ? Sed & frustra in cruce Salvator pro suis orabat crucifixoribus, quippe nescientibus (ipso teste) quid facerent, & ita nunquam peccantibus. Nunquid non ex his satis apparet, in quantis jaceat ignorantia tenebris, qui ignoras peccari posse interdum per ignorantiam ?

Quam veritatem ex Augustino hauserat Bernardus. Nam Doctor gratiæ, *lib. 7. de peccat. merit. cap. 36* sic habet : *An nullum est ignorantia malum, & ideo nec purgandum? Et quid ait illa vox. Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris? Etsi enim damnabiliora peccata sunt, quæ ab scientibus committuntur ; tamen si ignorantiæ peccata nulla essent, hic non legeremus, quod commemoravi, Delicta juventutis meæ & ignorantias meas ne memineris.* Quod ipsum confirmat ex illo Salvatoris, Luc. 12. *Ille autem servus qui cognovit voluntatem domini sui, & non præparavit, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis ; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Quæ verba sic ponderat Augustinus : *Ecce ubi ostendit gravius peccare hominem scientem, quàm nescientem. Nec tamen ideo confugiendum est ad ignorantiæ tenebras, ut in eis quisque requirat excusationem ; aliud est enim nescisse, aliud nescisse voluisse. Voluntas quippe in eo arguitur, de quo dicitur, Noluit intelligere ut benè ageret : sed & illa ignorantia, quæ non est eorum qui scire noluere, sed eorum qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat, si propterea non credidit, quia non audivit omnino quid crederet, sed fortassis ut mitius ardeat.* Et paulò terribiliter, sed non minùs verè epist. 105. ad Sixtum : *Inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento propriæ voluntatis ; sive qui novit, sive qui ignoret ; sive qui judicat, sive qui non judicat ; quia & ipsa ignorantia in iis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est ; in iis qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio.*

Quorum verborum sensus non est, ignorantiam invincibilem juris naturalis esse peccatum, ut quidam sentiunt ; sed germanus sensus est, juris naturæ violatores nunquam per ignorantiam excusari, sed ignorantiam illam semper esse vincibilem ; quia ut verbis infrà referendis docet idem Augustinus, per hujusmodi peccata transgredimur legem, *quam non sinimur ignorare.* Quod multis exemplis illustrat *in Psal. 57.* expendens illud Isaiæ 46. *Redite prævaricatores ad cor,* ut ibi legant legem in corde conscriptam. Vnde ignorantia juris naturalis, & pœna peccati, & peccatum est : pœna, quia radicaliter ex primigenia labe proficiscitur : peccatum verò, quia semper vinci ac deponi potest diligentiâ & auxilio Dei . quod Deus solis voluntarium obicem ponentibus negat, ut infrà ampliùs exponemus. Vnde sic ignorantes verè peccant, quia ut benè dixit Hilarius *in Psal. 118.* expendens illud, *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ : Prævaricatores existimantur, qui quod à natura legis accipiunt, derelinquunt.*

Nec potest dici, Augustinum loqui de ignorantia prævisa, seu directè crassa vel affectata. Non potest, inquam, id dici. Tum quia solâ textus lectione hæc responsio corruit, cùm damnet & illum qui non vult intelligere ut benè agat, & illum qui simpliciter ignorat. Imò & illum damnat, qui re pensata credens se benè agere, contra jus naturale ex malitia voluntatis obscurantis juris naturalis notitiam peccat. Sic enim habet epist 134. *Si quis bonum putaverit esse quod malum est, hoc putando utique peccat : & ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat quod malè fit.*

Quibus verbis quàm reprehendatur illa eorum imaginatio, qui credunt actum intrinsecè malum, ex conscientiæ erroneæ dictamine bonum existimatum meritorium esse, nemo non videt. Et mirum est, quod ad hoc probandum offerant doctrinam S. Thomæ q 19 *art. 5.* ubi ait : *Non solum id quod est indifferens, potest accipere rationem boni & mali per accidens, sed etiam id quod est bonum, potest accipere rationem mali, vel illud quod est malum, rationem boni, propter apprehensionem rationis : puta abstinere à fornicatione, bonum quidem est : si ergò proponatur ut malum à ratione errante, voluntas erit mala, quia vult malum.* Sed quid inde inferri possit, planè non video. Licèt enim S. Doctor illo articulo 5. doceat quod voluntas etiam dum benè agit, si discordet à ratione errante, peccat ; tamen articulo 6. sequenti ex professo demonstrat, quod non propterea voluntas concordans rationi erranti continuò bona est : *Quia,* inquit ad 2. *ratio humana potest errare ; & ideo voluntas concordans rationi humanæ, non semper est recta, nec semper est concordans legi æternæ. Quia,* inquit ad 1. *bonum causatur ex integra causa, malum autem ex singularibus defectibus ; & ideo ad hoc ut dicatur malum id in quod fertur voluntas, sufficit sive quod secundum suam naturam sit malum, sive quod apprehendatur ut malum : sed ad hoc quod sit bonum, requiritur quod utroque modo sit bonum.*

Doleo P. Mercorum, Thomistam celebrem & mihi variis titulis venerandum, in re tam perspicua caligantem cespitasse, & ex doctrina generali articoli 5. illa derivasse, quæ S. Doctor *art 6. ex* professo refutat, & ipso turpitudinis exemplo, quo perperam intellecto, fornicationem meritoriam posse esse comminiscitur, sic ejus assertionem reprobat idem doctus à Domino S. Thomas in corpore articuli : *Si ratio errans dicat quod homo teneatur ad uxorem alterius accedere, voluntas concordans huic rationi erranti est mala, eo quòd error iste provenit ex ignorantia legis Dei, quam scire tenetur.* Ergóne ex D. Thoma meritoria est turpitudo, ideo volita, quia à ratione tanquam bona apprehenditur ? Imò S. Præceptor solutione ad 3. solvit principium hujus Authoris, nimirum : *Actuum oppositorum si unus malus est, alter bonus est.* Quod negat S. Thomas asserens utrumque posse esse malum, & quócumque se vertat, voluntatem peccare. Angelica verba sunt hæc : *Supposito errore rationis, vel conscientiæ, qui procedit ex ignorantia non excusante, necesse est quod sequatur malum in voluntate ; nec tamen est homo perplexus, quia potest ab errore recedere, cùm ignorantia sit vincibilis & voluntaria,* modis posteà explicandis. Constituit ergo D. Thomas *art. 5.* hypothesin, in qua homo potest ex conscientia erronea credere, abstinere à fornicatione esse malum : sed nunquam, vel nusquam inde fornicationem purgavit, sed exertè articulo sequenti damnavit.

Dices : Patres laudati perinde damnant ignorantiam juris naturalis & positivi, perinde utramque imparem affirmant ad peccati excusationem, ut in

illis ipsis, quæ retulimus, testimooiis non leviter indigitant: Ergo vel nullam juris utriusque, vel aliquam juris etiam naturalis inculpatam admittere possumus, salvâ Patrum doctrinâ, quæ aliquo debet à nobis lenimento temperari.

Respondeo falsum esse, Patres ignorantiam juris naturalis & positivi semper æquiparasse, sed eam accuratè interdum distinxisse; nec eam parem fecisse, nisi quando io ignorantia juris positivi includitur aliquid juris naturalis; vel cùm jus positivum ita proponitur, ut ejus ignorantia non minùs sit vincibilis, quàm ignorantia juris naturalis. In primis ignorantiam factorum excusare posse à peccato, clarè tradit Augustinus lib. 2. cont. Crescon. cap. 26. *Si tunicâ ex latrocinio nesciens vestiretur, ex eo fit iniquitatis vestis illa, ex quo cognoverit; & ipse iniquus, nisi abjecerit. Et qui nesciens uxorem duxerit alienam, ex illa fit adulter, ex quo cognoverit, nisi discesserit.* Vides excipere Augustinum ignorantiam latrocinii & adulterii, quæ tunc solùm censet esse peccata, cùm eorum specificam malitiam, & facti veritatem cognoverint operantes. Idem habet epist. 48. *Certè nullus crimen maculat nescientem. Cur ergo innocentes falsis criminibus accusantur, quia crimina aliena, seu falsa, seu vera nescierunt? Quis locus innocentia reservatur, si crimen est proprium nescire crimen alienum? Nam & facta nocentium, qua innocentibus demonstrari vel ab innocentibus credi non possunt, non inquinant quemquam.* Vnde ex Augustino claret, ignorantiam factorum à peccato excusare.

Deinde ignorantiam quoque joris positivi, etiam divini, quod nullo modo, nullaque conoexione pendet à principiis morum in animo naturâ consignatis, excusare à peccato, nec hominum vitio verti posse, clarè docet idem Augustinus *epist. 50. versus finem*, ubi exponens illud Servatoris, Ioan. 15. *Si non venirem, peccatum non haberent*, ait: *Vtique non omne peccatum intelligi voluit, quandoquidem pleni erant multis magnisque peccatis; sed aliquod proprium peccatum, quod si non haberent, possent illis omnia dimitti quæ habebant, id est, quod in eum venientem non crediderunt.* Ergo infidelibus, quibus non propooitur Evangelium, non imputatur mysteriorum supernaturalium ignorantia. Idem reperit *tract. 89. in Ioan.* ubi expeodens hæc verba: *Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent*, ait: *Nunquid sine peccato erant Iudæi antequam Christus ad eos in carne venisset? Quis hoc vel stultissimus dixerit? Sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum, quasi sub generali nomine voluit intelligi. Hoc est enim peccatum, quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata: hoc est autem, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc peccatum, si non venisset, non utique haberent.* Et ne crederemus Augustinum loquutum tantùm fuisse de Iudæis, subdit S. Pater: *Sed quod adjunxit, atque ait: Nunc autem excusationem non habent de peccato suo, potest movere quærentes, utrum hi ad quos non venit Christus, nec loquutus est eis, habeant excusationem de peccato suo. Si enim non habent, cur dictum est, propterea istos non habere, quia venit, & loquutus est eis? Ad hæc inquisita pro meo captu Domino donante respondeo, habere illos excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt, ad quos non venit, & quibus non est loquutus.* Eandem juris positivi exceptionem adducit Bernardus epistola memorata ad Hugonem Victorinum, quæ est 77. *Si loquutus fuisset*, inquit, *sed non eis, inobedientiæ culpam ignorantia excusaret.* Vides ergo Patres ignorantiam juris positivi aliquando excusabilem agnovisse, juris verò naturalis ignorantiam nullibi excusasse: Ergo cùm nihilominus tam constanter, tam asseveranter sententur darpeccata ignorantiæ, illa procul dubio intelligere censendi sunt, quæ ex semper vincibili, semper damnabili juris naturalis ignorantia perpetrantur.

Sed dices: Quid ergo causæ est, quod interdum Augustinus ignorantiam juris positivi accusat? Cur dum contra Pelagianos disputat, & contra ipsos contendit ignorantiam malam esse & peccatum, plurima igooratiæ facti & juris positivi exempla producit? Nam in insigni illo loco ex libro *de gratia & libero arbit.* relato, ait ignorantiam illum non excusare, *si propterea non credidit, quia non audivit omnino quod crederet: non enim sine causa dictum est, Effunde iram tuam in gentes quæ te non noverunt.*

Respondeo tunc solùm Patres ignorantiam juris positivi & naturalis peræquè damnasse, quando in ignorantia juris positivi aliqoid ignorantiæ juris naturalis permiscetur. Sic persequutores Apostolorum putabant quidem se obsequium præstare Deo ex ignorantia veritatis Christianæ; sed contra jus naturale peccabant viros tam Sanctos & inoocentes morti sine causa tradentes. Sic ignorans io incredulitate Saulus Christianismi veritatis noo convincebatur; sed quod spirans minarum & cædis esset io discipulos Domioi, jure naturali damnabatur. Et licèt fortè hujus naturalis juris voces non audiret, non tamen simpliciter omni veniâ dignus erat, quia præ passionis & furoris voluntario impetu obsurduerat. Vnde ejus juris ignorantia, vel non advertentia culpabilis erat. Nam sicut io dubiis contra jus naturale agere semper malum, ita & io agendis de jure naturali non dubitare sæpè malum est, dicente Bernardo epistolâ præfatâ: *Multa scienda nesciuntur, aut sciendi incuriâ, aut discendi desidiâ, aut verecundiâ inquirendi; & quidem ejusmodi ignorantia non habet excusationem.*

Adde etiam ideò Patres ignorantiam joris positivi non semel damnare, quia ob fidei & veritatis Catholicæ præsentem & propositam veritatem, ignorantia juris positivi desinit esse iovincibilis, & fit vincibilis sicut ignorantia juris naturalis. Illam ergo ignorantiam juris positivi meritò æquiparant ignorantiæ juris naturalis. Nec hoc voluntariè dico, sed id luculentissimè tradit, & enocleatè distinguit Augustious tractatu præfato in Ioannem, ubi postquam asseruit illis omnibus Infidelibus infidelitatem noo imputari, qoi nihil de Christo audieruot, subdit: *Sed non in eo sunt numero hi, ad quos in discipulis venit, & quibus per discipulos est loquutus, quod & nunc facit; nam per Ecclesiam suam venit ad gentes, & per Ecclesiam suam loquitur gentibus. Ad hoc enim pertinet quod ait: Qui vos recipit, me recipit, & qui vos spernit, me spernit.* Ergo tunc censet Augustinus ignorantiam juris positivi esse ignorantiæ juris naturalis æquiparandam, cùm Evangelii veritas Gentibus prædicatione affulget. Et tamen ibidem Gentes peccaotes contra jus naturale semper accusat, quia licèt possint in excusationem peccatorum suorum dicere se oullam legem positivam audivisse, noo tamen possont effugere damnationem, licèt propterea eam sint fortassis experturi mitiorem. Verba Augustini seipsum planissimè interpretantis, sunt hæc: *Restat inquirere, utrum hi qui priusquam Christus veniret in Ecclesia ad Gentes, & priusquam Evangelium ejus audirent, vita hujus fine præventi sunt, seu præveniuntur, possint habere hanc excusationem?* (omnium se nihil audivisse.) *Possunt planè, sed non ideo possunt effugere damnationem. Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege & peribunt.* Quia nimirum legem naturalem vel contempserunt, vel suâ culpâ audire noluerunt. Illi ergo & qui ante propositam legem Christi, contra legem naturalem perperam agunt; & qui propositam legem contemnunt, nec tantùm contradicendo, sed & eos à quibus audierunt, odii-

odiis persequendo resistunt ; & qui legem suscipientes eam infirmitate non implent, illi omnes ad perditionem sine dubio pertinebunt. *Quamvis dici possit*, addit S. Doctor, *alios gravius, alios levius perituros ; id est, alios graviores, alios leviores pœnas in sua perditione passuros. Tanta est autem suppliciorum, quanta est diversitas peccatorum, quæ quomodo se habeat, altius indicat sapientia divina, quàm conjectura scrutatur, aut effatur humana.*

Itaque juxta doctrinam Patrum, Augustini, Bernardi, Aquinatis, Sole ipso clariorem dicendum est, omnem juris naturalis ignorantiam esse vincibilem & culpabilem ; imò & juris divini per se invincibilem ignorantiam legitimâ & rectè factâ propositione vincibilem effici. Et quidem de ignorantia juris naturalis id pluribus demonstravimus, quia nulla tam profunda caligo æquitatis principia & boni honesti præcepta in cordis membranis scripta in totum tollit, nulla ita occupat mentem tenebrarum nox, quin residua semper sit aliqua boni honesti scintilla, interdum ad meliorem frugem movens, quam si evacuatis præjudiciis in agendis, uti debet, consuleret peccator, pravitatem prospiceret sibi sæpius ob concupiscentiæ & passionum voluntarias nebulas ignoratam. Quod idem, duce Augustino, de illis omnibus generatim contestor, qui rejecta Evangelii rectè propositi luce, in multa deinde peccata sine reflexione ruunt ; quia eorum omnium ignoratio jure merito culpatur, de quorum iniquitate catholicæ veritatis sibi propositæ, & à se repudiatæ ope erudirentur. Quocirca quotidiana illa & gravia, quibus se nostri Calvinistæ, Lutheranique commaculant flagitia, per prætensam juris naturalis, vel catholicæ veritatis ignorantiam à peccato minimè liberantur ; quia illam vel propriis sceleribus, vel rejecta Catholicæ fidei luce sibi accersitam quotidiana obstinatione, & voluntario creaturarum amore fovent. Quapropter immeritò ignorantiam suam causantur, immeritò eam in excusationem proferunt, quia illam nonnisi voluntariâ divini luminis repulsâ contrahunt, quia divini splendoris radiis continuos obices ponunt, quibus si se permitterent, si suos illi oculos aperirent, jam jamque sine mora clariùs illustrarentur, & de claritate in claritatem inducti, ita crescerent eorum semitæ in perfectum diem, ut nihil tandem in lege naturali clausum haberent, vel obscurum.

Dixi, *qui rejecto Evangelio ritè proposito*, ut non solùm cum S. Augustino, & D. Thoma excusarem infideles negativè, qui nihil de fide unquam audiverunt ; sed etiam juxta eorundem Patrum principia illos, quibus Evangelium malis artibus denuntiatur. Qua fortè de causa excusavit Deus Indos, quibus primùm innotuit Christus non prædicatione vel signis, sed militum corruptissimorum armis, cædibus, rapinis, quibus visis justa in illis poterat dubitandi suspicio suboriri. Immaculata enim Religionis Christianæ lex nec tam nefandis mediis, nec talibus Apostolis nihilo melioribus exigit introduci, vel se præcipit suscipi. Et ratio est, quia testante Spiritu sancto, qui citò credit, levis est corde : unde ut infidelitas sit culpabilis, debet tam arduorum mysteriorum fides rationem immensùm superans iis credibilitatis argumentis proponi, quibus perspectis fidei propositæ vel credere, vel ejus veritatem suspicari auditores teneantur.

Quæ sanè ratio Lutheranos & Calvinistas non excusat, sed vehementer accusat, nec habet de magno infidelitatis suæ peccato ullam excusationem, quâ possint dicere : Non vidimus, non audivimus ; cùm illis undique circumfusa sit Catholici luminis abundantia, & Orthodoxorum Doctorum beatissima copia, à quibus si vellent, scientiam salutis edocerentur. Unde quod errent, quod veritatem ignorent, quod de suæ apostasiæ iniquitate nec minimam dubitationem patiantur, in ipsis & pœna peccati, & peccatum est ; quia affulgentem Catholicæ, Romanæque fidei toto orbe diffusæ inconcussam, inconcutiendamque veritatem citò Deo juvante perviderent, nisi cupiditatis voluntariis tenebris voluntariè cæcarentur. Quamvis si nolint dissimulare quod sentiunt, vel nulli, vel omninò pauci sunt, quorum cor si non semper, saltem sæpè non pulset Deus intus agens, intus coruscans, intus monens ut à profana novitate ad antiquam & immortalem Ecclesiæ Romanæ veritatem revertamur. Et quia in hac mentis anxietudine nec à peccatis abstinent, nec cordis munditiei incumbunt, nec Doctores haud suspectos consulunt, nec confugiunt ad Deum, ad quem, cùm nescimus quid agere debeamus, hoc solùm, testante Scriptura, habemos residuum ut recurramus ; quia hæc, inquam, non præstant, quid mirum si ob obfirmatam nefariæ hæresis infidelitatem justo Dei judicio in æternum damnentur ? Quos hîc obiter, & toto corde exoro, ut sinceras, certè frequentes pro veritate impetranda preces apud Deum fundant ; quia si tales Dei auxilio offerant, quales esse convenit ; si de corde sincero, & veritatis amante exeant, ab illius, spero, misericordia sapientiam obtinebunt, qui dat omnibus affluenter, & non improperat. Et qui hactenus diu nimis ambulaverunt in tenebris, videbunt lucem magnam, & habitantibus in regione umbræ mortis lux orietur. Quod illis votis omnibus concupisco.

Peccata sæpe quidem, sed non semper præcedit malitiæ cogitatio.

Atque hinc sponte consequitur, non requiri semper explicitam & actualem super malitiam reflexionem, ut opera adversùm jus naturale admissa peccata esse dicantur. Cùm enim ex perenni Ecclesiæ traditione constet dari peccata ignorantiæ, quæ viris Sanctissimis non rarò sunt causa timoris, & pro quibus delendis orationibus à se institutis deprecatur Ecclesia, profectò non semper adest actualis attentio percipiens & penetrans quid in actione mali insit ; nec opus est, sicut nonnullus somniavit, ut immissâ divini præcepti suavitate priùs admoneatur homo infirmitatis suæ, deinde inferatur cognitio medici, undique cogitatio, & desiderium instillentur. Si enim hæc omnia desiderarentur, non darent unquam ignorantiæ peccatum, quod continenti Ecclesiæ traditioni adversatur ; sed omne peccatum malitiæ nomen, & iniquitatem promereretur, cùm per illud prævia semper inspiratio flocciﬁat, infusa dilectionis stilla in rem imperatam inclinans rejiciatur, præscripti à lege limites prudenter simul, & imprudenter transiliantur, & demùm Deo inspirante notitiam medici, desiderium sanitatis, affectum implorandi auxilii, animus superbiâ tumens orare negligat, medicum spernat, & malens in legem peccati, quàm Dei consentire, in peccatum ultrò ruat. Quis, quæso, cum aliqua veri specie vel umbra affirmare potest, tunc peccatum ignorantiæ contigisse ? Attentio namque animi super operis malitiam meditantis, & præclara scilicet illa confictarum inspirationum semper occurrentium catena omnem penitus ignorantiam excludit.

Accedit, sæpè sæpius, & nimis plures inveniri peccatores, qui non alia de causa peccatum sicut aquam bibunt, nisi quia vitia rationis usum pervertentia piarum cogitationum identidem pulsantium afflatum penitus extinxerunt. Et quia in limo profundæ iniquitatis infixi sunt, in captandis undique voluptatibus totam vitam suam consumunt, libidinibus se totos,

& totaliter tradunt ; nullam de infirmitate curanda, nullam de cœlesti implorando medico, nullam de exorando precibus, aut placando contritionibus Deo cogitationem subeunt. Hos plenos & inveteratos peccatores quis non accusabit, quis excusare non abhorrebit? Et tamen illos non solùm nulla de mutanda in melius vita cogitatio incessit, sed de apponenda super iniquitatem iniquitate actualis cogitatio & concupiscentiæ motus semper sollicitant. Imò eò aliquando perveniunt, ut libidinum impetum ne minimus quidem scrupulus reprimat, quia consuetudine in necessitatem conversa, illum miseriæ cumulum assequuti sunt, ut Deum penitus oblivifcantur.

Dicere verò, illos obduratos piis cogitationibus & desideriis semper pulsari, & actuali peccati notitia, vitandique peccati instinctu priùs cœlitus donari quàm peccent, tam est insulsum, quàm quod maximè. Nullum enim commentum est apertiùs cum experimento & ratione pugnans, quàm si asseratur, impios quosvis urgentes semper conscientiæ morsus in se experiri, & divinis motibus etiam cùm se totos libidinibus dedunt, non carere; cùm omnis Dei vocantis pulsus bonæ cogitationis motum immittens, si sit in nobis, & à nobis peccati malitiam sentientibus, possent attestari omnes quàmlibet scelesti, quámlibet libidinum cœno demersi, quàmlibet cupiditatibus nefandis implicati, sibi pias cogitationes & remorsus non deesse: Atqui licentiores animi nulli sæpè se turbari remorsibus contestantur, & per se manifestum est; quia non solùm sine dolore peccant, sed etiam cum gaudio & gloriatione lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis. Ergo absurdum est asserere, impios quoties (id est millies & infinities) ad peccandum illiciuntur, toties pias cogitationes experiri. Absurdum est, & manifestam nimis præfert falsitatem credere, Stoïcos naturam integram, & illæsam arbitrantes, de invocanda divini Medici ope semper dum peccarent cogitasse. Absurdum est opinari, Epicuræos divinæ providentiæ curam obstinatè negantes, & Deum ab implorantibus auxilium ejus injuriâ affici censentes, toties de Deo exorando desideria sensisse, quoties in peccata prolapsi sunt.

Et tamen à peccato non posse excusari impios prædictos, demonstratio S. Thomæ suprà facta convincit. Quia tunc solùm ignorantia excusat opus ex illa factum, quando est purè antecedens, id est quando propter eam fit opus à quo abhorreret voluntas, si sciret esse malum, & simul adhibetur omnis possibilis diligentia ad asciscendam veritatem: si verò voluntas vel directè nolit scire, vel etiam si sciret, ita se, eodemque modo gereret, vel propter alias occupationes scire negligat, vel in culpa ita sit quod non advertat sese astundentis, & omnibus offerentis veritatis lumen; tunc ignorantia vel accusat, vel saltem non excusat, quia ignorantia tunc consequens est, sin formaliter & directè, certè virtualiter & indirectè, etiamsi piæ cogitationis instinctus & dictamen arguentis conscientiæ desint. Sæpè enim in pœnam præcedentium peccatorum actualium, vel incuriæ desidis & tepescentis voluntatis, vel nimii terrenorum affectus à Divinis cordis oculos avertentis, divinis motibus non tangimur; & tamen inæqualiter quidem, sed reverà peccamus, quia testante Veritate, & prudenter post cognitam Domini voluntatem peccantes, & imprudenter ignoratâ ex culpa prohibitione malè agentes, verâ pœnâ, impari tamen plectendi sunt: illi etiam, qui ad Ecclesiæ perniciem incumbentes, Deum promereri, illique se obsequium præstare arbitrantur. Quia justo Dei judicio suum lumen ob peccata non impertientis, in tenebris, & in umbra mortis sedent, à Deoque dimissi, & propriæ voluntati in reprobum sensum traditi ingrediuntur vias suas, ut loquitur Scriptura, quanvis scelera ignari, aut supra malitiam non reflectentes admittant.

Quod in justis quoque idem verum esse demonstratur; etenim secundùm S. Thomam, & omnes alicujus notæ Theologos & Patres spiritales, vel his temporibus de pietate scribentes, sæpè committuntur peccata venialia non solùm ex deliberatione & advertentia, sed sæpiùs per incogitantiam & subreptionem; quin etiam viri sanctitate eximii vix alio modo peccant, quia cùm summo totius diligentiæ studio puritatem cordis sectentur, quidquid per cogitationem apparet illis noxium, tota cautione declinant: & tamen ipsi Sancti de quotidianis peccatis suis testimonium perhibent, & verum est testimonium eorum: ipsi aggravans concupiscentiæ pondus, & occultos intetentis amoris proprii laqueos veritate coacti & experimento convicti confitentur, & orant cum Propheta: *Ab occultis meis munda me, Domine.* Nec tamen ab illis, sive à Deo, sive à se omninò excusantur; sed pro illis & puniuntur sæpè, & conteruntur sæpiùs, & semper humiliantur. Quia etsi de peccato non semper cogitent, liberè tamen titillans & subrepens peccatum veniale eligunt, liberè in creaturis plus justo immorantur, liberè epularum voluptati serviunt sub specie sanitatis, liberè passione moventur, & zelum putant, liberè quæ sua sunt quærunt, dum nihil aliud nisi quæ sunt Jesu Christi sibi videntur habere proposita; ut enim aliàs ex Gregorio dixi, & iterum repeto, quia non satis repeti tam momentosa doctrina potest: *Plerumque fit ut aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpè sibi de se mens ipsa mentitur, & fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.*

Hinc viri Sancti, & solidè pii obrepentes quotidianas culpas quotidianis lamentis plangunt, peccatorum suorum numerum & magnitudinem soli Deo nota censent, & quanvis nihil sibi malè conscii sint, in timore tamen & tremore salutem operantur suam, quia nesciunt utrum odio, vel amore digni sint. Invigilant quidem illi incessanter, & incumbunt in cupiditatibus suis quàm possunt maximè comprimendis, ut iis accisis, ad Dei lumen quandocumque affulserit suscipiendum retinendumque paratiores sint: virtutum officiis jugiter & indefessè funguntur, jejunia frequentant & orationes, eleemosynas profundunt, cupiditates domant, conscientiam pro virili humanis affectibus expurgant; & quanvis inde multam non immeritò spem, fiduciamque concipiant, plenam tamen & omnimodam, quam promittunt, & non dant Probabilistæ, securitatem non habent; quia sciunt bonorum operum merita latentes sordes infuscare; sciunt cum siligine latère fui fures, frumentoque lolium permisceri, quibus opportunum sit incerniculum; sciunt quod nihil proderunt humani conatus, nisi ipsos spiritu suo in nobis operetur Spiritus sanctus; sciunt opera ab amore sui orta reverà vitiosa esse, & quando oriuntur in hac vita internosci non posse; sciunt nos latère voluisse Deum, utrum verus in nobis ipsius amor inhabitet, an divinam charitatem amor sui mentiatur; num bona quæ agimus, vel agere videmur, amor sui, amor mundi, non patens, sed occultus non sincerus, tametsi apparens Dei amor edat. Ergo ex ipsorummet justorum testimonio non minus vero quàm humili certum est, non semper adesse eis illorum conscientiam & reflexionem delictorum, quæ quotidie multa committunt.

Objicies: Nullum est peccatum, nisi sit voluntarium; Atqui nisi toties quoties præcedat cognitio peccati,

peccati, & conſcientiæ morſus, quo neglecto progredimur, & lineas virtutis tranſilimus, niſi adſit aliqua malitiæ conſcientia, & oppoſitæ virtutis inſpiratio, actus malus non erit voluntarius: Ergo non erit peccatum, ſaltem imputabile ad culpam, & quod vitio vertatur. Probatur minor; voluntarium enim eſt à principio intrinſeco cum cognitione: Ergo niſi præcedat cognitio iniquitatis, actus non poterit dici voluntarius, nec malus, ſed tantùm cùm proficiſcitur ab eo qui videt & introſpicit quid boni, malive in opere inſit.

Reſpondeo certum eſſe, actionem non poſſe vitio verti, ſi ſit involuntaria; ſed falſum omninò eſſe, actionem deſinere eſſe voluntariam, ſi deſit illa commentatio, & actualis reflexio intellectus conſiderantis & inquirentis bonitatem, vel pravitatem ejus rei, in qua animus occupatur. Tunc enim actio eſt ſatis ſuperque voluntaria, & à principio intrinſeco, quando operans benè novit quid agat, nec ob aliud facit, niſi quia vult; etenim qui ex vehementi paſſionis impetu inter ludendum jurat, in comeſſationibus luxuriat, vix ac ne vix quidem de rerum, quibus occupatur, nefandarum malitia vel bonitate cogitat, & tamen voluntariè agit, & peccat; imò ſi ignoret ſe in his exceſſibus & inſaniis falſis peccare, tunc error vitio vertitur, quia ut ſuperius S. Thomas docebat, *error ipſe provenit ex ignorantia legis Dei, quam ſcire tenetur.* Quam doctrinam tradit ipſe Ariſtoteles *lib. 3. moral.* ut anteà vidimus.

Adde quod peccata contra jus naturale commiſſa dicuntur ſimpliciter voluntaria, non ſolùm quia peccans directè cognoſcit & amat ſpeciem peccati, ſed etiam quia actum illum in ratione peccati & contrarii ad virtutem indirectè, & ignorantiâ vincibili vult, quatenus circumfuſos luminis naturalis radios vel repudiat dum affulgent, vel ne affulgeant, voluntarium obicem ponit. Optimè Cajetanus ſuprà laudatus, & in hac materia nullis ſatis laudibus exæquandus: *Contrarietas intrinſeca ipſi peccato à ſcienter peccante eſt directè & per ſe volita, ab ignorante aut errante per accidens tripliciter. Primò ex parte actus, quia eſt volita ad volitionem actus. Secundò ex parte ignorantiæ voluntariæ, quia in ipſa volita ſunt voliti omnes ejus effectus, quorum unus eſt incurrere in hoc contrarium; ſicut homo voluntariè oculis velatis vult in ſua cauſa quidquid mali inde ſequi natum eſt: unde ſi impingat in laſivum aliquod, voluntariè impingit voluntate ſuæ cauſæ, ſcilicet velationis, vel velati inceſſus. Tertiò, &c.* Quare in operibus contra jus naturale ea ignorantia admiſſis, vel malitia, vel negligentia in cauſa ignorantiæ invenitur. Vnde Auguſtinus lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *Cùm ubique ſit præſens, qui multis modis per creaturam ſibi Domino ſervientem averſum vocet, doceat credentem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quòd invitus ignoras, ſed quòd negligis quærere quod ignoras.*

Inſtabis: Qui nullam de Deo, vel peccatis cogitationem habet, nec apprehendit præcepti prohibentis, vel præcipientis inſtantiam, ille nullam habet gratiam actualem, quæ non infunditur abſque inſpiratione & pia cogitatione, quæ nobis divinæ voluntatis notitiam, & ejus implendi vel deſiderium immittit, vel obligationem demonſtrat: Ergo tunc ignorantia legis naturalis eſt invincibilis & excuſabilis. Probatur conſequentia: Illa ignorantia dicitur invincibilis, quæ nullâ poteſt diligentiâ ab operante ſuperari: Sed qui caret gratiâ actuali piæ cogitationis, nullatenus poteſt ignorantiam ſuperare, quia niſi Deus illam piam cogitationem inſpiret, non ſumus ſufficientes aliquid boni cogitare ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra à Deo eſt: Ergo ſi nulla præcedat operis mali cogitatio, operans laborabit ignorantiâ invincibili, ſub indeque à peccato excuſabitur.

Reſpondeo jam nos à quæſtione totius Ethicæ Chriſtianæ difficillima ad aliam ſpeculativam nihilo faciliorem provocari, ut videas, quod aliàs monuiſſe me memini, non mediocrem eſſe ſententiarum de gratia cum vitæ moralis regulis connexionem. Sed utut ſit, facillimè ex dictis reſponderi poteſt, quia ſicut errorem cum veritate conciliare maximi operis eſt, ſic veritatem puræ & immaculatæ diſciplinæ moralis cum veritate de gratia Chriſtiana ſociare nullius negotii, aut laboris. Miſericordia divini adjutorii, & legis Domini caſtimonia obviaverunt ſibi, & oſculatæ ſunt: at verò ut Auguſtinianus & Angelicus D. Thomæ incorruptus de gratia ſenſus cum vagæ probabilitatis commento congruat, inflectendus, obſcurandus, & obtorto collo trahendus eſt.

Dicendum ergo, hominem ſine prævio gratiæ dictamine contra jus naturale peccantem, gratiam actualem habuiſſe ſemel ineunte rationis aurora (niſi poſitivum obicem fortè poſuerit) habere ſæpe in vitæ decurſu monentem, habere ſemper à Deo paratam, & oblatam; unde carentiam ejus ad excuſandas excuſationes in peccatis obtendere peccator non poteſt, nec debet Dei gratiam accuſare, ſed ſuam perverſam arguere voluntatem divino lumini claudentem oſtium cordis, & cœleſtem lucem ſibi circumfuſam, ac legem naturalem in corde ſculptam creaturarum amore tenebrarum repellentem. Vnde quod non ſemper habeat actualem bonæ cogitationis gratiam, ſuæ culpæ merito vertere debet, quia qui non facit quando poteſt, juſtè perdit bonum poſſe. *Quod ergo ignorat*, inquit Auguſtinus ſuperiùs laudatus, *quid ſibi agendum ſit, ex eo eſt quod nondum accepit; ſed hoc quoque accipiet, ſi hoc quod accepit bene uſus fuerit.* Eſt ergo ignorans, vel non actu advertens jus naturale ſemper reus, quia ſemper potentia antecedenti & expedita ignorantiam ſuam ſuperare poteſt & debet. Poteſt, inquam, quia in ejus libera voluntate poſitum eſt Dei auxilio removere obſtaculum, quod divino, naturalique lumini objecit, & etiamnum objicit.

Itaque peccatores ignorantiâ juris naturalis laborantes, præter exteriora librorum ſacrorum auxilia, quibus vix aut nunquam carent, præter internam, nec extinctam luminis naturalis virtutem, ſentiunt etiam identidem divini luminis fulgores, quos ſi fideliter ſequerentur, ad uberius pleniuſque lumen pervenirent: ſed ſuo vitio non perveniunt, non defectu poteſtatis, ſed perverſitate voluntatis liberæ, ſed tenaciſſimo creaturarum amore repentis. Vt enim aliàs ex D. Thoma didiſcimus, licèt non ſit in poteſtate hominis divinum advocare lumen, in ejus tamen libertate eſt ejus luci objectaculum ponere, ſicut Solis mundum illuminantis radiis poteſt homo velum obducere. Quem obicem tandiu ponet, ſed liberè ponet, quandiu pertinaciter creaturis adhæreſcet; tandiu verò adhæreſcet, quandiu Deus effuſo victricis gratiæ auxilio adverſos ſibi aggeres non rumpet: tunc verò ponere deſinet, quando Deus altiùs miſertus, non neceſſitatem, ſed conſtantem infuderit ſibi ſerviendi voluntatem. *Lumen divinum*, inquit Auguſt. lib. 1. retract. cap. 10. *non irrationalium animalium oculos paſcit, ſed pura corda eorum qui Deo credunt, & ab amore viſibilium rerum & temporalium ſe ad ejus præcepta implenda convertunt: quod omnes homines poſſunt, ſi velint. Quanvis ii tantum velint, quibus voluntas à Domino præparatur.* Vide quæ aliàs de concordia libertatis creatæ cum gratia, & de retentione potentiæ activæ & antecedentis, etiam in juſta gratiæ ob peccata actualia abſentis denegatione ſatis operosè diſputavimus.

Insistes : Gratia sufficiens omnibus datur, præsertim verò justis, quibus præcepta Dei possibilia sunt secundùm præsentes quas habent vires, ut Innocentius X. & Alexander VII. definiverunt : Atqui si absente pia cogitatione culpentur facta in legem, deest gratia sufficiens etiam justis, qui sæpè sine reflexione in opera mala labuntur : Ergo ut actio sit mala, tamque possit vitare voluntas, requiritur prævia bonitatis, aut malitiæ inquisitio, vel saltem cogitatio.

Respondeo hac instantiâ præmaturiùs occupari abstrusas de auxiliis difficultates hic minimè discutiendas, ne omnia sus déque misceamus. Quia tamen in his materiis vix una ventilari potest, quin altera occurrat, aliqua pingui minervâ libabo, aliquando tetum ea fusiùs Deo benè dante prosequuturus.

Dicendum ergo, quod si ad defendendum nulli deesse gratiam sufficientem, non alio præsidio munirentur Theologi, quàm si affirmerent singulis & semper pias cogitationes, instinctus, & secretos monitus in ipsis etiam flagitiis immitti, profectò actum esset de gratia sufficiente. Cùm enim ex Scriptura & Traditione, compellaiâ etiam hominum peccantium experientiâ compertum sit, non dari in singulis flagitiis expressas mali cogitationes, non potest non causâ cadere gratia sufficiens, si dogmati tam incerto, & quod falsum esse multi intimo sensu percipiunt, innitatur. Vni tam ruinoso fundamento superstructa corruat machina necesse est, & injurii gratiæ sufficienti sunt, qui eam tam fragili scuto circumdant, sub quo procul dubio timebit à timore nocturno, à sagitta volante in die, & à negotio perambulante in tenebris tam obscuræ opinationis. Certè omnibus hominibus sicut deesse semper, ita & adesse semper internos afflatus, peræquè falsum est, peræquè est contra experientiam disputare.

Fateor ergo omnes, maximè verò justos secundùm præsentes quas habent vires posse divina servare mandata, imò & peccata venialia divisivè vitare ; sed ad hoc ut possint, minimè requiritur, ut semper pias persentiant cogitationes, aliàs semper actu bona cogitarent ; sed sat est quod possint, ut revera possunt, ab actibus illicitis & animum nimis, sed venialiter occupantibus abstinere. Maximè quia piarum cogitationum subtractio voluntaria est, saltem in sua causa, amore nimiorum sui, & creaturarum, unde ipsa inconsiderationis imprudentia, & peccatum, & pœna peccati est, spargente Deo pœnales cæcitates super illicitas cupiditates. Verè ergo, catholicéque decreverunt Summi Pontifices justos secundùm præsentes, quas habent vires, posse divina implere mandata ; quia & gratiam, & virtutes infusas, & crebras habent inspirationes, & pro modo habitualis gratiæ & statu modò majoribus, modò minoribus gratiis actualibus permoventur, amplioribusque permoverentur, nisi voluntariâ cæcitate sæpe nimis clauderent oculos cordis. Sed quod actu infundantur omnibus, & singulis, & semper piarum cogitationum continentes motus, non solùm non definiverunt, sed nec cogitare, vel imaginari sapientissimi Præsules potuerunt.

Quod verò dicunt nonnulli, voluisse Romanos illos Antistites Deum justis semper actu immittere bonas cogitationes, ut auxilium sufficiens semper habere dicamur, sed cogitationes illas animum fugere, mentemque latêre ; qui, inquam, hæc dicunt, Summos Pontifices & reverà inhonorant, & sententiam suam magis infirmant, falsam doctrinam falsiori ratione cumulantes. Vbinam credo Pontificium aliquod diploma legerunt, ubi affirmetur dari in nobis cogitationes nobis ignotas, ut per eas auxilium sufficiens habere dicamur ? Non potest cadere non dico in Pontifices, non dico in Innocentium X. præ judicii acerrimi emunctione, vel Alexandrum VII. ob politissimi ingenii præstantiam, à testibus oculatis (qui mihi Romæ narrarunt) commendatissimos ; non dico in Theologos, sed nec in homines, nec mulieres, nec infantes cadere unquam potest tale commentum. Ad irridendam & aspernandam tam ingentem à ratione exorbitationem sufficit communis sensus, & ad eam refutandam sufficiunt communissimæ Theologorum notiones. Non sponte homines tam absurdi nascuntur, ut credant pias cogitationes immitti, & non sentiri, & quod absurdius est, per eas sufficientes vires præberi. Gratiam sufficientem hoc modo defendere, prodere est, prævaricari est ; & qui eam penitus negant, desperatam meritò credent ejus causam, cui tam desperatum adhibetur remedium.

Quas vires, amabò, dabit menti cogitatio, quæ utrum menti insit, nescio ? Quomodo tentationis periculo opitulabitur non percepta inspiratio ? Ne mirere, inquies, quia est auxilium fluens. Sed quid prodest ipsum fluere, si sui conscientiam non instillat, si torporem non excitat, si surdo canit, si à peccante non percipitur ? Hoccine est sufficientes suppeditare vires ? Hoccine est voluntatem ad bonum agendum malumque vitandum satis instruere, satis firmare, satis munire ? Deus ! quales copiæ auxiliares, quæ sunt pugnantibus invisæ ? Quale donum, quod est occultum ? Quale subsidium, quod est ignotum ? Qualis sufficientia, quæ ipsa inanitate inanior est ? Certè qui gratiam sufficientem omnibus indiscriminatim dari pernegant, parùm tacitas illas cogitationes, & minimè conspicuas, ut nihil suæ sententiæ incommodas ; parùm, inquam, vel nihil curant : non enim illi chimæricas occultasque cogitationes impugnant.

Sed durum est, inquies, justos gratiâ sufficiente privare. Fateor : sed quo, quæso, privantur, si carent cogitatione, quam menti suæ inesse nesciunt ? Non possunt certè ob illa præsidia sibi erepta queritari, quæ etiam dum adsunt nihil intellectum illustrant, nihil permovent voluntatem. Ea sic habere, & iis carere perinde est, & ferè synonymum. Sed injustus erit Deus, addes, si dum præcipit, vires sufficientes non præbet. Esto ita sit (esto, inquam ; nam quamcunque gratiam etiam sufficientem Deus non ex justitia, sed ex misericordia dat, aliàs non esset gratia.) Sed justiorne, quæso, erit Deus, si tale auxilium fluens, ut sufficienter possimus, det, quod nec intellectus videt, nec voluntas sentit ? Si conqueri possint peccatores gratia sufficienti sibi debita carentes, nonne justiùs conquerentur, quòd sibi debitam tam malè solvat Deus ? Non indiget patrono & defensore Deus, qui justificatur in sermonibus suis, & vincit cùm judicatur ; sed si ad tuendam justitiam Dei hæc adinvenerunt recentiores nonnulli, certò sciant se magis eam accusare quàm defendere. Sed Deus, replicabis, semper præsens est, semper stat ad ostium, semper monet & pulsat. In quo sensu id verum sit suprà monui, alibi ampliùs Deo juvante explicaturus. Sed quid inde lucri reportant Adversarii ? Cogitatio de qua non cogitatur, auxilium fluens, sed non affulgens, motio transiens, & nihil permovens, quomodo monet, quomodo pulsat ? Si hoc monere est, moneri quoque sufficienter diceretur dormiens, cui somno demerso, nec audienti imminens periculum denuntiatur.

Pro solutione aliarum minutiorum objectionum adverte, nonnullos recentiores punctum hujus difficultatis minimè attingere, dum nostram sententiam impugnant, quasi asserentem ignorantiam invincibilem juris naturalis non excusare à peccato : sed falluntur ; omnem enim ignorantiam invincibilem inculpatam esse credimus, sed contendimus nullam dari

juris

juris naturalis invincibilem ignorantiam. Breviter tamen eorum argumenta proponam & refellam, quia nonnihil, & veluti ex obliquo nostram videntur sententiam impugnare.

Arguunt 1. Videtur hæc sententia favere Luthero alicubi proferenti hoc spurciloquium : *Scholastici dicunt, invincibilem ignorantiam reddere excusabiles: tanta cæcitas est in Papa Scholis & Ecclesiis.* A quo non dissentit Hieronymus Zanchius hæreticus, dicens: *Falluntur Scholastici, cùm talem ignorantiam, quam invincibilem vocant, ideo à peccato excusant, quia invincibilis est.*

Secundò : Nostra sententia videtur esse Iansenianæ etenim Iansenius *lib. 1 2. de statu naturæ lapsæ*, ignorantiam invincibilem juris naturalis nunquam excusare pronuntiat, benè tamen ignorantiam juris positivi.

Tertiò : Adversari etiam videtur nostræ doctrinæ Augustino *epistola* 10. dicenti : *In illis qui non audierunt, neque potuerunt, pœna peccati est non credere, non autem peccatum.* Atqui similiter in jure naturali aliqui rustici sunt qui non audierunt, neque potuerunt aliquem consulere de remotioribus juris naturæ consectariis; Ergo in illis ignorantia non peccatum, sed pœna peccati est.

Quartò : Nemo peccat in eo quod vitare non potest. Quod axioma, teste Augustino, unanimi concentu decantant & in montibus Pastores, & in theatris Poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Magistri in Scholis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum: Atqui stante ignorantia juris naturalis, vitare peccatum non est in potestate hominis; cùm illud solùm in nostra censeatur potestate, quod fit à voluntate cum plena advertentia rationis : Ergo ignorantia juris naturalis excusat à peccato.

Quintò : Lex virtutem obligandi non obtinet, nisi cùm applicatur hominibus per promulgationem, ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 90. *art.* 4. Sed promulgatio legis fit per dictamen rationis intimantis homini agenda vel omittenda ; quod dictamen in laborantibus ignorantiâ juris naturalis deest : Ergo lex naturæ non obligat ad sui observationem, dum adest ignorantia juris naturalis.

Sextò : Illud excusat à peccato quod tollit rationem voluntarii, quod usque adeò verum esse testatur Augustin. lib. de veræ Relig. cap. 14. *Vt nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Sed ignorantia juris naturalis tollit involuntarium, cùm tollat cognitionem dirigentem, & voluntati facem præferentem : Ergo ignorantia juris naturalis excusat à peccato.

Demùm ex nostra sententia sequuntur multa absurda. Primò, si ignorantia juris naturalis nunquam excusat à peccato, quia nunquam excusatur quod Deus per legem æternam damnat, sequeretur peccare eum qui probabilissimam sententiam eligit, cùm sæpe falsa sententia sit verâ probabilior, ut docet Aristoteles 2. *Topic.* Secundò sequeretur, peccasse Iacob, cùm accessit ad Liam, cùm actum per se illicitum perpetrarit, & legi æternæ repugnantem; & tamen ejus ignorantiam excusavit ipse Dominus, dicens : *Et ego scio quod simplici corde feceris, & ideo custodivi te, ne peccares in me.* Tertiò fortunæ esset, & non voluntatis, quod homines peccarent, vel non peccarent, prout opera sunt, vel non sunt æternæ legi consentanea. Quartò ex nostra sententia oritur perplexitas, & peccandi necessitas, quia qui ex ignorantia judicat malum bonum, tenetur illud efficere, ne repugnet conscientiæ ; & efficiendo peccabit, quia à lege æterna recedet : unde quoquò se verterit, & faciendo quod in se est, peccabit. Vnde nostra sententia videtur durissima.

Respondeo ex dictis hæc argumenta esse occupata, sed ad majorem prædictorum lucem singulis satisfaciemus. Ad primum dicendum, sæpe sæpius me asseruisse ignorantiam invincibilem excusare à peccato, sed nullam dari ignorantiam invincibilem juris naturalis. Accedit argumenta ex testimoniis hæreticorum petita nullius esse ponderis vel momenti, ut aliàs diximus, & tradit Augustinus epist. 50. *Ipsa pietas, veritas, charitas nos non permittit eorum hominum accipere testimonium, quos in Ecclesia non vidimus, cui Deus perhibet testimonium. Qui enim divina testimonia non sequuntur, pondus humani testimonii perdiderunt.*

Ad secundum dicendum, pueriliter & ignoranter nostræ sententiæ authorem fingi Iansenium, atque impertinenter tam antiquæ doctrinæ Iansenismi notam inuri, ut ille vulgi cretur invidia. Nam ut Vasques in 1. 2. *disp.* 1 2 2. *c.* 1. & Paulus Comitolus *lib.* 5. *respons. moral. cap.* 1. aiunt, omnes antiqui Theologi in ea fuerunt sententia, nunquam invincibilem, sed semper vincibilem esse juris naturalis ignorantiam. Fuere Iansenistæ fuerunt Alexander de Hales, Gratianus, Durandus, Alphonsus à Castro, Antissiodorensis, Albertus Magnus, Gabriel, Hugo Victorinus, Guillelmus Parisiensis, Adrianus, S. Bonaventura, & ipsemet D. Thomas? Fortè Iansenista fuit Gerson, quia *lib. de vita spiritualis, lect.* 4. *coroll.* 3. scripsit : *Quidquid sit de ignorantia facti aut juris humani positivi, concors est sententia, nullam in his quæ legis divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem.* Certè nisi præjudicatarum opinionum amor adversùs antiquæ doctrinæ studium invalescat, si ad illam, quæ Theologos decet, æquitatem nos reducamus, semotis odio, contentione, & litibus, quibus omne judicium exoculatur, fatebimur sententiam nostram ab omnibus Theologiæ luminibus longè ante Iansenium uno fuisse ore prædicatam. Et cùm tot habeam securitatis præstites ac fidejussores, libenter cum Augustino dixerim arguenti : *Vide cum quibus sit mihi causa communis, quam nullâ consideratione sobriâ pulsare calumniis, & expugnare conaris.*

Adde Iansenium concedere, posse dari ignorantiam invincibilem juris naturalis, quæ nihilominus peccatum sit, quia per culpam primi parentis in hominum mentes invecta est, & est voluntaria voluntate capitis. At Ego contrà existimo, ignorantiam juris naturalis nunquam excusare, quia nunquam invincibilis est; invincibilemque esse primi peccati pœnam, sicut & inordinatos concupiscentiæ motus; sed minimè peccatum actuale, de cujus ratione est quod propria voluntate admittatur. Ita enim tradit August. lib. de duab. animab. cap. 11. *Nec peccatum, nec rectè factum imputari cuiquam justè potest, qui nihil fecerit propriâ voluntate.* Et D. Thom. in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 2. *Oportet quod secundum hoc quod aliquid rationem culpæ habet, secundùm hoc ratio voluntarii in ipso reperiatur. Sicut autem est quoddam bonum quod respicit naturam, & quoddam quod respicit personam: ita etiam est quædam culpa naturæ, & quædam personæ. Vnde ad culpam personæ requiritur voluntas personæ, sicut patet in culpa actuali, quæ per actum personæ committitur; ad culpam verò naturæ non requiritur, nisi voluntas in natura illa.*

Quod si contendas Iansenium voluisse duntaxat ignorantiam juris naturalis eatenus invincibilem appellari, quia eam sine auxilio Dei superare non possumus, quo quidem auxilio nisi culpâ nostrâ caremus, imò quodam vero sensu nunquam caremus; hoc, inquam, si contendas, ad quæstionem facti devolveris, & Iansenium ad antiquorum sensum benigna interpretatione revocas. Verùm licèt parum curanda sit discordia verborum, si absque pugnæ sensûs varietur

duntaxat

duntaxat verborum ootio, meliùs tamen est sicut D. Thomæ & antiquiorum sensum, ita & verba retinere. Maximè quia fundamentum Iansenii ex eo repetitum, quod ignorantia ideo peccatum est, quia ex primigenia culpa proficiscitur, S. Thomæ adversum judicamus. Porrò in his facti quæstionibus non vacat immorari, quia ut verbis August. *epist. 50.* utar: *Ecclesia Christi non litigiosis opinionibus fingitur, sed divinis attestationibus comprobatur. Neque enim, quod sine injuria innocentia illius dixerim, si peccavit Cæcilianus* (Iansenius) *ideo hæreditatem suam perdidit Christus. Facile est homini seu vera, seu falsa de altero homine credere; sed scelerata impudentia est, propter crimina hominis, quæ orbi terrarum non possis ostendere, communionem orbis terrarum velle damnare. Virum Cæcilianus à traditoribus divinorum codicum fuerit ordinatus* (utrum Iansenius à sententia antiquiorum de ignorantia juris naturalis recesserit) *nescio, non vidi, ab inimicis ejus audivi. Non mihi de lege Dei, non de præconio Prophetarum, non de sanctitate Psalmorum, non de Apostolo Christi, non de Christi eloquio recitatur.* ::: *Cæcilianus, Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus* (Iansenius Iprensis Ecclesiæ Episcopus, & in communione Ecclesiæ Romanæ mortuus) *humanis litibus accusatur; Ecclesia Christi in omnibus gentibus constituta divinis vocibus commendatur.* Vni Ecclesiæ Romanæ adhæreo, impertinentem Iansenismi suspicionem depulsu facilem, & jam depulsam floccifacio.

Adde rursùm, iniquum esse, & planè tyrannicum, velle aliquem Authorem ob aliquot propositiones damnatum, in aliis omnibus reprobare, & illos damnatarum propositionum reos asserere, qui in aliis illæsis, intactisque dogmatibus cum eo consentiunt. Certè si juxta Patres licet veritates in libris Gentilium veluti in stercore gemmas latentes, tanquam ab injustis possessoribus extorquere; si Philosophicis disciplinis veluti ancillis vocatis ad arcem utitur semper D. Thomas, ipsumque Aristotelem fidei servire cogit; si teste August. lib. 3. quæst. Evang. cap. 4. *Nulla falsa doctrina est quæ non aliqua vera intermisceat;* si ipsis hæreticis de suo schismate gloriantibus applicat idem Pater illud Davidicum; *Quoniam in multis erant mecum.* Cur non licebit cum Authore aliàs Catholico, gravi, & erudito, tametsi per incogitantiam in nonnullis sine pertinacia lapso, & Sedis Apostolicæ devotissimo quidquam habere commune? cùm non ex hominibus fides, sed ex fide homines judicandi sint. Aliàs suspecta foret fides Trinitatis, quia eam Calvinus tutatur; suspecta realis Christi in Eucharistia præsentia, quia illam Lutherus non est inficiatus.

Ad tertium dicendum, quemcunque etiam rusticum posse legem naturalem cordi impressam audire dum monet, consulere cùm dubitandi ratio adest, & à voluntariis peccatorum obicibus sibi temperare; unde nullâ juris naturalis ignorantiâ unquam potest nisi in amentia excusari. Porrò nota, locum illum ex Augustino relatum, apud Augustinum non inveniri: (unde doleo celebrem Thomistam hoc testimonio ex aliquo Probabilista bona fide exscripto, agere contra Iansenium; adeo verum est optimos Authores à Casuistis non rarò decipi, nec posse istos sine falsitatis periculo, & contage tractari.) Etenim totam epistolam decimam accuratissimè perlegi, & in ea ne verbum quidem facit de peccato ignorantiæ; sed Hieronymum dehortatur à libris veteris Testamenti ex Hebræo vertendis, & simul hortatur ut Septuaginta versionem malè depravatam suæ reddat veritati. Quare crediderim locum illum ex epistola 105. depromptum, sed vitiatum & truncatum; sic enim habet Augustinus: *Ipsa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati.* Illam verò particulam, quæ sola facit ad rem, *Non autem peccatum*, non habet Augustinus, sed addit adversarius in eo loco, ubi clarissimè ignorantiam juris naturalis culpabilem affirmat Augustinus. Exponens enim illa verba, Ioan. 15. *Si non venissem, & in eis loquutus non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo:* fatetur Gentes excusari quidem à peccatis infidelitatis, sed non ab illis quæ contra jus naturale peccarunt, quantumvis obtendant se ob carentiam fidei & Evangelicæ prædicationis illa peccata non agnovisse. *Non utique*, inquit, *peccatum nullum haberent, qui pleni erant aliis magnis, multisque peccatis; sed hoc peccatum vult intelligi non eos habituros fuisse, si non venisset, quo cùm audissent eum, non crediderunt in eum.* Et post pauca: *Dei tamen judicium nec illis parcit qui non audierunt. Quicunque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt. Et quamvis se ipsi excusare videantur, non admittit hanc excusationem*, &c. Vbi asserit, non damnari quidem infideles eo quòd non audierunt, sed superbiam eorum falsò excusatam se putare à peccatis in jus naturæ admissis, ex eo quod nihil audierint; quia ignorantia juris naturalis reatu originis pœna peccati est, & additamento propriæ voluntatis peccatum.

Ad quartum dico, homines peccata contra jus naturale utique posse vitare, cùm liberè in illa labantur; posse etiam ignorantiam superare, ut suprà fusè ostendimus, nec opus est ea iterum cum fastidio, & cruce lectoris iterare. Vnde etiam patet ad 5. lex enim naturalis in corde scripta satis seipsam promulgat, nisi oculos cordis voluntariè clausos invenerit. Patet similiter ad sextum, fusè enim demonstravimus, peccata ignorantiâ juris naturalis patrata esse voluntaria directè voluntate facti, & indirectè voluntate peccati. Certè si hæc argumenta quicquam efficerent, probarent etiam omnia quæ ignorantia vincibili fiunt, peccato eximi; nam ignorantia vincibilis tollit plenam rationis advertentiam, tollit actualem dictaminis promulgationem, tollit cognitionem diligentem, & voluntati facem præferentem. Quare fateantur adversarii necesse est, sæpe nos incidere in peccatum sine cognitione non prælucente, sed in sua causa voluntariè extincta; unde non mirum si opera tenebrarum edant, qui sponte abjiciunt arma lucis. Quàm præclarè, quàm doctrinæ nostræ consonè, & opportunè August. serm 44. de divers. cap. 6. *Iustitia præsto est justè viventi: secundùm ejus regulam videt quemadmodum justè vivat; & sicut justi benè vivendo eam vident, ita injusti malè vivendo eam non vident. Nam & ille justè vivit, cùm eam videt, ut secundùm eam actus suos dirigat; quia nisi secundùm justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur.*

Ad septimum ex variis inconvenientibus conglobatum dicendum, nihil absurdi ex nostra sententia ab omnibus antiquis Theologis unanimi consensu tradita sequi. Vnde ad 1. fateor opinionem legi æternæ adversam non esse nisi ex errore probabilissimam, unde & à peccato non excusare. Et quid mirum si opinio relativè ad judicium peccato corruptum sit sæpe probabilissima, cùm illi videatur etiam frequenter certa? Et tamen conscientia erronea legi naturali adversa, teste D. Thoma, nunquam excusat, quia error ille ex voluntariè offusa menti humanæ caligine nascitur. Laboranti etiam ignorantia vincibili sæpe opinio sua probabilissima videtur: Ergóne excusatur à peccato? Igitur frivolum est, & D. Thomæ contrarium prætensum primum absurdum. Aliàs & fornicationes Turcarum, & latrocinia Germanorum, quæ certè arbitrabantur innoxia, bona forent.

Frustra huc exempla congeram, quæ affatim referunt

qui

qui de gentium ritibus scripserunt; cùm certum sit, nullum esse tam immane facinus, quod non fuerit tuti alicui populo non solùm probabile, probabilius, probabilissimum, sed etiam certum, & legibus sancitum, & consensione populi firmatum,& religionis ritu consecratum; quibus præjudicis omnis scrupulus & dubitatio ablegabantur. Et certè quid aliud volunt Patres dum aiunt, nihil esse deterius corde duro, & malâ conscientiâ simul & tranquillâ, quæ mala sine repugnantia, sine pudore, sine dubitatione operatur, quia bona esse deplorandis tenebris, sed peccatorum frequentiâ accersitis arbitratur. Hinc Bernardus *lib. de conscientia ad Religios. Ord. Cisterc.* versùs medium; *Sequitur mala & tranquilla conscientia, quâ sicut nihil pejus, ita nihil est infelicius. Quæris quanam illa sit? Quæ nec Deum timet, nec hominem reveretur; quæ cum venerit in profundum malorum, contemnit. De hujusmodi in Scriptura veritatis expressum est: Verberaverunt me, & non dolui; traxerunt, & non sensi. In brevi temporis spatio non solùm non sentit, sed & placet, & dulce fit quod amarum erat, & asperum vertitur in suave. Ducitur deinde in consuetudinem, ut jam non modò placeat, sed & assiduè placeat, & se continere non possit. Ad extremum verò non potest avelli, quia consuetudo vertitur in naturam, & quod prius ad faciendum erat impossibile, jam impossibile est ad continendum. Sic enim descenditur, imò caditur à Ierusalem in Iericho. Sic itur in aversionem & duritiam cordis. Hic peccator fœtet, hic quatriduanus est. Hic lapis spelunca superpositus illos misericordes radios divini luminis non admittit. Hæc est mala conscientia, quæ per hujusmodi discrimina, imò præcipitia ruit, & corruit, & irruit super seipsam. Quomodo tranquilla? Cùm mundi hujus prosperitas alludit, & illudit: cùm laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur; cùm peccantium favor, & peccare nolentium pavor, nolens & dolens arridet ei: cùm non est qui arguat, sed & qui arguere peccatorem audeat ex omnibus qui in circuitu ejus sunt. Nihil æquè exasperat illius tremendi judicis majestatem, quàm peccare, & securè peccare, & de vitiis quasi de virtutibus gloriari. Non miserearis Domine, ait justus, omnibus qui operantur iniquitatem. Hæc est iniquitas, cujus non miseretur Deus, cùm homo defendit quod Deus odit, & peccatum justitiam asserit. ... Resistere ex æquo est. Ille autem ex æquo Deo resistere proponit, qui quod Deus adstruit, destruit quantum in ipso est, dicens malum bonum, & bonum malum; amarum dulce, & dulce amarum; lucem tenebras, & tenebras lucem. Hanc verò tranquillitatem nutrit impunitas, securitatis & negligentia mater, noverca virtutum, religionis virus, tinea sanctitatis.*

Secundum etiam nihilo magis valet, quia ab ignorantia juris ad ignorantiam facti nulla est consequentia, & discriminis rationes hìc minimè iterandas superiùs adduximus. Tertium & quartum absurdum suprà ex Angelico Doctore illa sibi sæpiùs proponente & concertente refutavimus. Præclara ejus verba *ex lect. 1. ad Galatas*, adduximus paulò superiùs *pag. 438. ex art. 6.* testimonium elegantissimum & argumentosum *pag. 437.* retulimus.

Quod denique additur, nostram sententiam durissimam apparere Probabilistis, fateor; divinæ legis amantibus, nego. Quomodo enim durum creaturæ rationali esse vel censeri potest, ad instiam legis naturalis animam, quâ homines sumus, & Dei imagines, mores componere suos? Nonne est omni rationis lumini renuntiare, fingere in illo præcepto laborem, quod Deus in hominum animis penitùs infixit, quodve observandum esse natura clamat, ratio insonat, & invitat? Non ergo præcepti duritiem, sed obdurati cordis se voluntariè occæcantis malitiam accusemus. Nec imitemur Pelagianos similiter apud Hieronymum *lib. 1. adversus ipsos*, murmurantes: *Rogo, quæ est ista justitia, ut in peccato tenear erroris, cu us reatum non habet conscientia? Nescio me peccasse, & ejus rei quam nescio, pœnas luo. Et quid plus faciam, si sponte peccavero?* Notat etiam Augustinus *epist. 105.* hujusmodi querelas ex superbia proficisci: *Humana superbia,* inquit, *tanquam præsumens de viribus liberi arbitrii excusatam se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est quod peccat.*

REFLEXIO.

Multi quærunt scientiam, pauci conscientiam. Conscientia tamen quam scientia citius apprehenditur, & utilius retinetur, inquit Bernardus *lib. de conscient.* In omnibus ergo agendis naturale illud tribunal consule, bonam intelligo conscientiam, qua nihil in hac vita securius, nihil jucundius possidetur. Assiduè internas domestici cordis paginas intellige, seu intus lege; confer illas cum libro vitæ, ne fortè in ultima discussione abjiciaris,si ex æterno libro internum non emendaveris. Vnicuique liber est sua conscientia, ad quem emendandum omnes sacri libri inventi sunt: ergo scriptis digito Dei voluminibus conscientiæ, si qui sunt, corrige errores, ut recta sit conscientia tua. *Porrò bona est conscientia*, ait præfatus Bernardus, *quæ habet in corde puritatem, in ore veritatem, in actione rectitudinem. Munda est, cùm nec de præterito justè accusatur, nec de præsenti injustè delectatur. Pura est, cui nec Deus peccata sua imputat, quia non fecit; nec aliena, quia non approbavit; nec negligentiam, quia non tacuit; nec superbiam, quia in unitate permansit. Secura est, quando accusationem non patitur, vel pro torpore boni, vel pro præsumptione mali. Recta est, cui peccatum suum displicet, nec aliena peccata dissimulat; & cùm corripit, non insultat. Talis est bona conscientia.*

Hinc semper lege, semper habe præ oculis; quia omnium supergreditur sententias, qui à sua conscientia suâ sententiâ condemnatur. Quem alter judicat, potest excusationem prætexere, sed reus sine excusatione erit, qui conscientiæ bonæ judicio condemnabitur. Has conscientiæ loquentis voces, quæ nesciunt tenere silentium, semper audires, nisi pravitatis obicem ejus luminibus poneres. Est conscientia cordis scientia; quid mirum si interdum eam non sentis, & contra conscientiam agis, qui cor concupiscentiâ perversum habes? Quid mirum, si oculis ægris odiosa & invisa lux est, quæ puris est amabilis? Ergo preces pro veritatis impetrandæ cognitione fusæ sint assiduæ; quia si tales sint, quales esse convenit, non illorum modò notitiam obtinebimus, quorum nobis inesse ignorantiam conscii sumus, sed eorum etiam quæ nescientes ignoramus. Ergo justos imitare, qui ut ait Augustinus lib. 22. de Civit. cap. 23. *Vigiliis continuis excubant, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebra alicujus erroris offundant, ne quod bonum est, malum; quod malum est, bonum esse credatur.* Ergo continuis lamentis vaca, ne in ipsis bonis operibus occulto aliquo errore displiceas; & ad hoc valebunt preces, vigiliæ, & lamenta, ut dimittantur tibi peccata ignorantiæ, non quidem quandiu esse peccata culpâ tuâ ignoraveris, nec eorum proinde affectum deposueris; sed ut lucem tibi Deus infundat, quâ intelligas illa esse peccata, &-postquam intellexeris, toto corde detesteris; ut aperiat Deus quod latebat, & suave fiat quod antea non delectabat.

Sed potissimùm mentis castimoniæ, cordis munditiei, affectus puritati operam da, quia si te iniquitas non oneret, si non fascinet delectatio, si non inclinet voluptas, si non graver cupiditas, si non deprimat

amor

amor mundi, si non trahat superbia vitæ, inter multiplices humanæ vitæ tenebras, innumerabiles negotiorum molestias nulla supererit ne in obscurissimis quidem Decalogi conlectariis ignorantia; sed te, Deumque cognosces; te audies, & Deum sedulò orabis, ut a voluntariis erroribus semper defendat. Divinam enim lucem, & naturalis legis claritatem sæpè non videmus, non ex absentia lucis quâ circumfundimur, sed defectu voluntatis, quam in creatura liberè, sed tenacissimè defigimus. *Non ideo cogitent stulta corda*, inquit August. tract. 1. in Ioan. *quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt; ipsi enim propter peccata tenebræ sunt, quomodo positus in Sole cæcus, præsens est illi Sol, sed ipse Soli est absens.* Hæc si præstes, bonæ conscientiæ motus & discernes facilè, & faciliùs exequêris, quia nihil à te durum exigit, asperum nihil rationali creaturæ imponit; quia hoc solùm petit, ut sicut villam, ita & colas animam tuam. Præclarè Cæsarius Arelarensis homil. 20. *Clamat tibi in conscientia tua æterna justitia: Quomodo gubernas agrum tuum, guberna & cor tuum. Quomodo colis villam tuam, & cole animam tuam. Quomodo superfluos palmites tollis de vite tua, sic malos affectus tolle de anima tua. Præcidis de vite tua quod malum est, incide de anima tua quod iniquum est. Quomodo in vite tua totos superfluos palmites amputas, & duos aut tres qui sunt legitimi, derelinquis: sic & in anima tua omnia desideria, quæ res alienas malè respiciunt, & pessimè concupiscunt, Spiritus sancti gladio, & crucis falce debes incidere; & hoc tantùm, unde justitia vel misericordia cernitur, reservare.*

Speculatio II.

Probabilismum, seu sententiam revera falsam & æternæ legi adversam, non esse tutam agendi regulam, præsertim in concursu probabilioris, omni genere authoritatum suadetur.

QUidam recentiores omnibus traditionis & antiquitatis pro tuenda vaga probabilitate præsidiis destituti, videntes nullum in Scriptura aut Patribus verbum extare, quo vel minimùm larga hæc opinandi licentia insinuetur, illud effugium excogitarunt, quod si vim justæ defensionis habeat, nulla erit unquam novitas, quæ justè possit accusari. Nihil mirum, inquiunt, probabilitatem tacuisse Patres, quòd eam tanquam certissimam supponerent. Sed hæc exceptio si recipiatur, in tuto ponimus quidquid humana ratio semper luxurians, semper novorum prurito laborans voluerit invenire. Id sanè mirum, recentiores illos contendere, juris naturalis posse contingere & de facto dari ignorantiam; & tamen (quod sanè ridiculum est) nullam unquam contigisse ignorantiam suæ probabilitatis, quam dicunt ejusdem esse cum orbe originis & perennitatis. Experiamur an probabilitatis assertio non solùm sit silentio prætermissa, quod non diffitentur adversarii, sed etiam significantissimis antiquitatis oraculis prædamnata.

Probatur 1. authoritate sacræ Scripturæ, quæ *Deuteron.* 26. præcipit ut impleamus mandata *ex toto corde, & ex tota anima.* Qua autem veri specie dici ille potest Deum ex toto corde diligere, qui illud eligit quo probabiliùs existimat Deum offensum iri? Illéne amicum non dico toto, sed sincero corde diligeret, qui ea admitteret, quibus probabiliùs intelligeret amicitiæ necessitudinem dissolvendam? Præcipit etiam Spiritus sanctus, Eccles. 37. ut *ante omnia opera verbum verax præcedat te, omnem actum consilium stabile.* Non est autem verbum verax quod ipsa æternæ legi & immutabili veritati adversum est, & tale esse probabiliùs judicatur. Nec consilium stabile censeri potest instabilis & nutans minoris probabilitatis fucus, securitati majorique probabilitati scienter prælatus. Præcipit Sapiens *Proverb.* 6. fugere periculum, quia *qui amat periculum peribit in illo.* Ille autem procul dubio periculum amat, periculoque se committit, qui et adhæret parti, cui salutis periculum inesse probabiliùs videt. Præcipit Veritas, Matth. 7. *Intrate per angustam portam, quia lata porta & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem. Quam angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam!* At quomodo intrat per angustam portam, qui intuitu utilis & commodi laxiorem opinionem æternæ legi adversam aliquo tantùm minoris probabilitatis colore oblitam, spretâ tutiore, & probabiliore, pro lege ac commodo stante consultò eligit? Certè vaga probabilismi licentia lata porta est & spatiosa, omnibus morum corruptelis longè lateque patens, quotidianisque Probabilistarum inventis magis magisque dilatata. Ea omnes asperitates ita molliuntur, ut fatentibus suis authoribus, dejecto quovis tetriculo, pietas viris facilior, voluptateque suavior effecta sit; ut difficiliùs multò sit simpliciter vivere, quàm ex pietate vivere; ut gratissimâ rerum in melius commutatione, feliciter pleraque quæ illicita vulgò putabantur, innoxia probentur & licita; ut mirabilibus ejus artificiis, salubribusque versuris alacriùs nunc purgentur crimina quàm committantur, plurimique vix citiùs maculas contrahant, quàm eluant; ut denique in omnibus Christi vel Ecclesiæ mandatis nihil duri, acerbi nihil relictum sit, sed omnis fuerit asperitas acerbitasque detracta, atque omnibus ad vitam commodiùs agendam lenocinius inventis, omnes viæ Christi salebræ complanatæ, omnes ex illa spinæ evulsæ, omnes omnibus ferè criminibus fuerint veniæ datæ.

Denique præcipit Apostolus veritatis, Thessal. 5. *Omnia probate, quod bonum est tenete, ab omni specie mali abstinete vos.* Omnia quidem probant recentiores, dum omnia probabilia esse effutiunt: sed absit ut in sensu Apostoli omnia probent, idest omnia discutiant, omnia examinent, ut exponunt Patres, ut quod bonum est, id est æternæ legi consonum, teneant, ab omnique mali specie abstineant: quod utique non faciunt, qui ea insequuntur quibus turpis inesse speciem probabiliùs arbitrantur.

Confirmatur cum Iulio Mercoro ex variis Scripturarum factis & exemplis, in quibus criminis damnantur opera, quibus reverà non defuissent verisimiliores probabilitatum fuci, illis quibus moderni laxitates suas præcolorant. Damnatur in primis Protoparentum ligni vetiti comestio, & ita damnatur ut in omnes posteros transierit tantæ damnationis maledictum; & tamen Protoparentes ex probabilitatum *antiquissima, & universalissima*, sic à Caramuële vocatur, officina excusationes eruere poterant & securitatem. Poterant enim sibi facilè persuadere, legem Dei mortem minitantis esse pœnalem, ob quam culpa solùm civilis, vel ad summum venialis prævaricantibus contingit. Poterant sapientissimi illi Casuistæ prætexere ob materiæ parvitatem se in peccatum mortale lapsuros nunquam, nec pœnam à jure communi adeo exorbitantem, & ad personas saltem non nominatas minimè extendendam promerituros; & tamen has probabilitatis cœlo & chao antiquioris, mundoque, si Superis placet, coævæ exceptiones non produxerunt primi genitores, quas utique non ignorasset tanta ipsis cœlitus infusa sapientia, nec omisisset tanta necessitas, si eas sibi prodesse credidisset.

Similiter 1. *Regum* 15. nomine Dei præcepit Samuel Saüli: *Nunc ergo vade, & percute Amalech, & demolire*

demolire universa ejus : non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid : sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum. Præceptum autem illud benignè & probabiliter interpretatus est Saul, arbitrans servandum Agag incolumem ad magnificentiam triumphi, retinenda quoque pecora in gratiarum actionem immolanda. Vnde Saül increpatus à Samuele quod non obtemperasset voci Domini, respondit : *Tulit de præda populus oves & boves, primitias eorum quæ cæsa sunt, vel immolet Domino Deo suo in Galgalis.* Nonne justa, vel probabilis videbatur hæc exceptio ? Nonne pia aderat gloriæ Dei intentio, quâ recentiores opera quævis etiam intrinsecè mala purgant ? Nonne aliquis tenuis probabilitatis gradus illi Saulis defensioni inerat, longéque major quàm insit illis terrenis proprii commodi & delectabilis intentionibus, ob quas simoniis, usuris, vindictis veniam dant plures Casuistæ *lib. 6. dissert. 1. cap. 2. specul. 3.* relati & refutati ? Et tamen Deus qui non juxta probabilitatis regulam Lesbyam, sed legis impositum rigorem judicat, Saulis operis colores despexit, intentionis prætensam pietatem aspernatus est, dicens : *Nunquid vult Dominus holocausta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini ? Melior est enim obedientia, quàm victima ; & auscultare magis quàm offerre adipem arietis : quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abjecisti sermonem Domini, abjecit te Dominus, ne sis Rex.*

Mitto alia plura quæ facilè Probabilismus à peccato purgaret, quæ tamen æquissimus judex Deus gravissimis pœnis in Scripturis enarratis ultus est. Excusaret procul dubio Probabilistarum laxitas uxoris Loth levitatem oculos in civitatem igne conflagrantem retorquentis. Excusaret Davidis populi ex vana gloria recensionem, tot hominum strage & gravioribus morte pœnis punitam. Excusaret utique Ozæ pietatem probabilem, Arcam è curru præcipitem retinentem, quia eam rebatur casuram, nisi præsto fuisset. Excusaret etiam, ac levissimâ injunctâ pœnitentiâ absolveret Ananiam cum Sapphira uxore sua, quos ob mendacium probabiliter leve Princeps Apostolorum contrivit spiritu oris sui, *Act. 5.* Ergo vaga probabilitas ad excusandas excusationes in peccatis nata sacræ Scripturæ factis non est consentanea.

Probatur 2. ex Patribus, quorum in hac parte silentium sufficeret, & esset omni tuba vocalius ad exsufflandam Probabilismi novitatem. Cùm enim tot, & tanta sint probabilitatis compendia, ut hac doctrinâ, si vera esset, nulla sit vel ad dubia resolvenda commodior, vel ad evellendos scrupulos aptior, vel ad complanandum salutis iter expeditior ; creditu difficile esset, eos ejus regulæ adeò vitæ negotiis & morum dubiis necessariæ nunquam meminisse. Quis non ægrè ferat, cui non suspectum erit & periculosum, novam vitæ moralis regulam, quæ per omnia quàm latè patent humanæ vitæ officia protenditur, invehi, quâ cuique permissum sit opinionem minùs probabilem, commodo affectibusque contra legem & honestum indulgentem sequi, & eam à Patribus vel omninò prætermissam, vel æterno silentio sepultam fuisse ? Atqui recentiores fatentur probabilitatis regulam fuisse Patribus ignoratam, qui propterea in citandis recentioribus copiosissimi, parcissimi sunt & muti in antiquis referendis ; qui propterea gratulantur Ecclesiæ, quòd exuberet recentiorum turbâ benignas opiniones introducentium, fiantque in dies opiniones probabiles, quæ antea non erant ; proindeque jam non peccent homines, qui antea peccabant ; qui propterea etiam in mutuas crebrò laudes excurrunt, seseque mutuò scabunt, ut suis inventis reciprocas concilient modernorum laudes, & authoritatem extrinsecam emendicent. Ergo ipsismet Probabilistis authoribus, probabilismus ab authoritate Patrum desertus est, quod ad probabilismi abundantissimam eversionem apud æquos æstimatores satis superque sufficeret. Sed absit ut in re tam necessaria tacuerint Patres, qui vagam opinandi licentiam non semel exertissimè reprobaverunt.

In primis Patres omnes relati speculatione præcedenti peccata ex ignorantia juris naturalis patrata non excusant, sed accusant, etiam quando quis benè fieri putat quod malè fit, quia legi naturali & æternæ adversum semper malum est. Ergo juxta Patres ibi citatos totus ruit, & à fundamentis subruitur probabilismus, qui omnes opiniones probabilitatis colore indutas, tametsi falsas & tales probabiliùs existimatas, securitate donat. Si juxta Patres ignorantia velans malitiam non excusat per se mala, præsertim si aliqua sit, ut sæpe contingit, conscientiæ vellicatio ; quid dixissent, vel quid non dixissent Patres, quidve statuissent de operibus adversùs jus naturale conscientiâ probabiliùs reclamante admissis ? Scio quidem modernos opiniones quascumque probabiles ignorantiæ invincibilis fuco colorare, & nefanda inde opera honestare. Esto, hoc illis demus, quod tamen in veritate negandum est ; tamen hoc illis ex indulgentia permisso, qua verisimilitudine ignorantiam invincibilem possunt prætexere in conflictu opinionum inter se pugnantium, cùm id relinquat operans non quod ignorat, sed quod probabiliùs censet esse faciendum ; id faciat non quod latet, sed quod probabiliùs censet non licere ? Ergo ex opinionum varietate non in ignorantiam incidit, sed in formidinem, qua stante si minùs probabilia eligit, utique peccat ; quia ut veridicè Augustinus *epist. 154.* scripsit : *Si quis bonum putaverit esse quod malum est, hoc putando utique peccat. Ea sunt omnia peccata ignorantiæ, quando quisque benè fieri putat quod malè fit.*

Sed clariores Magni Augustini definitiones audiamus. Non potuit S. Doctor clariùs mentem suam aperire, quàm *lib. 3. contra Academ. cap. 16.* ubi Academicorum commune axioma, quod ipsissima est Probabilistarum doctrina, refert : *Cum agit*, inquiebant, *quisque quod ei probabile videtur, non peccat, nec errat.* Ex qua maxima semel probata omnia probari & honestari crimina, infert Augustinus : *Taceo*, inquit, *de homicidiis, parricidiis, sacrilegiis, omnibusque omninò quæ fieri aut cogitari possunt, flagitiis aut facinoribus, quæ paucis verbis, & quod est gravius, apud sapientissimos judices defenduntur. Quomodo enim non facerent quod probabile visum est ? Qui autem non putant ista probabiliter persuaderi posse, legant orationem Catilinæ, quâ patriæ parricidium, quo uno continentur omnia scelera, persuasit. Illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod nefas omne, si hæc ratio probabilis erit, cùm probabile cuiquam visum sit esse faciendum, non solùm sine scelere, sed etiam sine erroris vituperatione committatur.* Ergo conceptis verbis probabilitatem debellavit Augustinus, & ex illa omnia nefaria dogmata certissimis, & necessariis consequutionibus sponte derivari ita perspicuè demonstravit, ut omnia probabilitatis monstra hac ætate nata prævidisse, & prænuntiasse videatur. Vnde fit, Probabilismum in diverso sensu esse antiquum & novum : antiquum, utpote in Academia patrum : novum, quia jampridem extinctum novi recentesque Probabilistæ suscitarunt.

Eundem probabilismum rejecit & exarmavit idem Augustin. *lib. 1. de Bapt. cont. Donatist. cap. 3. & 5.* ubi proponens quomodo se gerere debeat Donatista qui fatetur quidem rectè suscipi Baptismum in Ecclesia Catholica, sed dubitat an rectè apud Donatistas suscipiatur, respondet S. Pater, *eum graviter*

peccare vel, eo solo quod certis incerta præponeret. Accipere itaque in parte Donati, si incertum est esse peccatum, quis dubitet certum esse peccatum, non ibi potius accipere, ubi certum est non esse peccatum. Vides ex Aug. illum sine dubio & certissimè peccare qui certis incerta præponit, unde à Doctoribus celebratur illud consilium ex Augustini verbis concinnatum: *In his quæ salutis sunt, tene certum, dimitte incertum.* Sed qui opinionem falsam, & legi æternæ adversam, & talem probabiliùs exstimatam, relictâ probabiliore & tutiore sectatur, certis incerta præponit; nam opinio minùs probabilis incerta est, ut patet hoc ipso quod est opinio, & minùs probabilis, præferturque tutiori & probabiliori, quam sequi, certum est nullum esse peccatum: Ergo opinio probabilis quæ reverà falsa est, quæve probabiliori præfertur, in peccatum operantem, ex August. præcipitem agit.

Plura aliorum Patrum huc congerere in promptu esset, sed postquam Augustinus tam luculenter loquutus est, ab aliis referendis supersedere brevitas me mea compellit. Mitto illud Chrysost. hom. 44. in Matth. *Si vestimentum empturus unum gyras negotiatorem, & alterum, & ubi meliores vestes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi sincerè veritas Christi venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere plus quàm vestimentum?* At juxta Probabilistarum leges potior habenda est vestimenti ratio, quàm veritatis, quam respuere etiam in sententia probabiliore affulgentem, licere sine verecundia docent. Certè non boni mercatores sunt, nec æqui rerum æstimatores, illisque procul dubio filii hujus sæculi prudentiores in generatione sua sunt, qui & vestes quæ apparent commodiores, & cibos qui creduntur salubriores, & vias quas existimant tutiores, omni quâ possunt solicitudine quærunt: at nostris Probabilistis anima non est plus quàm esca, nec timent animæ legem dare, quam corpori suo præscribere nollent.

Mitto SS. Patres semper in rebus agendis, ubi non erat ipsis explorata veritas, tantum timoris præ se tulisse, ne fortè quod eis rectum videbatur, iniquum à Deo judicaretur & pravum. Hinc Magnus Gregorius tam seriò timendum monet, ne vitia incautis animis virtutum specie illabantur. *Vnde Sancti viri*, inquit 5. Moral. cap. 6. *cùm mala superant, sua etiam benè gesta formidant, ne cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur, ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris.* Vnde infert, quod Sancti *de incertitudine operum trepidi, quò gradiuntur ignorant.* Et cap. 7. *Iusti in ipsis bonis operibus positi trepidant, ac ne in eisdem occulto aliquo errore displiceant, continuis lamentis vacant.* Hinc Aug. liquidam veritatem non cernens, sic mentis cordisque opera sua verentis solicitudinem aperiebat epist. 250. *Quis vindicandi modus non solùm pro qualitate, vel quantitate culparum, verùm etiam pro quibusdam viribus animorum, quàm profundum & latebrosum est? Ego in his quotidie peccare me fateor, & ignorare quando, quove modo custodiam id quod scriptum est: Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Quis in his omnibus timor, mi Pauline sancte homo Dei, quis tremor, quæ tenebræ? Nonne putamus de his esse dictum: Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ?* Hunc autem timorem tam justum, tam castum funditus Probabilistæ tollunt tanquam inanem, cùm actos per se illicitos boni coloris specie, & falsa verisimilitudine honestari singulis penè versibus inculcent, negentque in eo quemquam meritò culpari, quod duce opinione probabili, & rejecta probabiliori & tutiori operatus fuerit. Ergo vanis sese scrupulis, anxiisque superstitionibus exedebant Patres ob totius moralis disciplinæ cardinem ignoratum. Ergo infelicitati eorum condolendum est præclaris Guigonis Carthusiani Ordinis Generalis verbis: *O Apostolorum tempora infelicissima! ô viros illos ignorantiæ tenebris involutos, & omni miseratione dignissimos, qui ut ad vitam pertingerent, propter verba labiorum Dei tam duras vias custodiebant, & hæc nostra compendia nesciebant!*

Mitto Patres tantopere curâ animarum, officioque Pastoris, & Rectoris se idcirco indignos credidisse, tam periculosum regimen conscientiarum prædicasse, tamque accuratè fideles monuisse ne se remissis dissolutisque directoribus instituendos traderent, ne si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadant, ne si sal evanuerit, non sit in quo salietur, & tota vita cœlesti sale destituta corrumpatur. Quia nimirum à cæco ducitur, qui ejus sequitur opinionem, quæ æternæ & incommutabili veritati contraria est, cùm veritatis lumen non cernat, sed fatuum & volaticum ignem falsitatem exhibentem & in foveam trahentem. Hinc S. Franciscus Salesius conscientiæ moderatorem non solùm è mille unum, uti volebat Magister Avila, sed è decem millibus unum post varias orationes seligendum docet. Hinc Patres Spiritales inculcant, continentibus apud Deum precibus agendum esse, ut & nostras, & rectorum nostrorum tenebras illuminet, quia nusquam certa securitas, nisi in veritate invenitur: nusquam, & nunquam licet, quod semper & ubique non licet. Hinc S. Basilius *de abdicat. rer.* ait: *Contendit adversarius noster, ut nobis persuadeat, ut alicui nos credamus, propter vitia simulata quadam lenitatis specie commendanti, ut hoc modo innumeris nos pravis libidinibus irretiat. Si ergo cum corpore tuo mitiùs agere volens, magistrum tibi quæsieris tecum se ad vitia tua demittentem, vel ut veriùs dicam, tecum unà in eandem perniciem corruentem, frustra mundanis rebus nuncium remisisti, qui cæcum tibi ducem asciveris, cujus ductum sequuto in foveam tibi sit procidendum.*

At verò juxta modernos Probabilistas, sicut quælibet opinio probabilis tuta est agendorum regula; ita quilibet de plebe doctus, quilibet Sacerdos, post semel aut iterum perlectum Bertinom Berrauldum, post exploratum compendiom Dianæ, vel Bonacinæ, idoneus habetur regendis animabus dux; cùm tamen res admodum periculosa, lubrica, ingentis cautionis, & divinæ prudentiæ, ac divinorum experientiæ sit de conscientiæ latebris, de gravitate criminum, de culparum distinctione, de pœnitentiæ injungendæ modo definire. Vidi non sine acerbissimo doloris sensu in quibusdam communitatibus austeritatem non mediocrem profitentibus, excipiendarum confessionum curam infirmissimis ingeniis committi, quibus perpensa divinarum rerum cognitio nulla, nulla librata judicii maturitas, sed temeraria de rebus ignotissimis & minimè meditatis disserendi fiducia. Vidi & dolui illis sanandarum animarum provinciam miserrimè demandari, quibus vix claves januæ domus credere voluissent. O perversam rerum æstimationem! O puniendam augustissimarum rerum profanationem! Illis videmus artem artium imponi, quibus nunquam notum fuit non modò quid esset Confessarius, sed omninò quid esset Christianus. Patres divini luminis abundantiâ præcellentes falsitatem timent similitudine veritatis indutam, formidant corruere, & secum alios in eandem foveam trahere; & nemo Probabilistarum non se ad animarum curam putat idoneum, probabilitate non minùs quàm Dei revelatione securum. Væ peccatoribus in hujusmodi duces incurrentibus! Sed terribilius væ Prælatis tam miseros duces tam damnabiliter præficientibus! Formidabat Augustinus in dandis morum consiliis, ne cespitaret; & pronuntiabat inanem esse securitatem à se datam, si foret à divina lege dissentanea: & jam quilibet semidoctus probabilitatis umbone tectus nihil non arduum definit, & in favorem

favorem libertatis contra legem ascito aliquo extrinseco, vel intrinseco, ut loquuntur, veritatis colore impavidus, intrepidosque sententiam fert. Audiat, quæso, hujusmodi præsidentes Augustinum *homil.* 12. aliter de se sentientem, & dicentem: *Ecce das tibi securitatem procurator. Quid tibi prodest si paterfamilias non acceptet? Procurator sum, servus sum. Vis dicam tibi: Vive quomodo vis, Dominus te non perdet, securitatem tibi procurator dedit? Nihil valet securitas procuratoris. Utinam tibi Dominus securitatem daret, & ego te sollicitum facerem; Domini enim securitas valet, etiamsi nolim; mea verò nihil valet, si ille noluerit. Quæ est autem securitas, fratres, vel mea, vel vestra, nisi ut Domini jussa intentè, diligenterque audiamus, & promissa fideliter expectemus?* Ridebunt, scio, formidines nostras Probabilistæ; scrupuli, terroris panici, & superstitionis nimiæ nos damnabunt: sed pro eorum risu libenter post Sanctos lacrymas damus. Quærant, Lector, non me, sed Augustino doctiores, sed caveant ne inveniant præsumptores. Et si ridere pergant, melius cum eodem Augustino eorum risum committo fidelium gemitibus, quàm impugno sermonibus. Et *plus eis sine dubitatione præstamus, si ut corrigantur oremus, nec cum tantis ingeniis vel pereant, vel alios perdant.*

Mitto demùm Patres ad operis rectitudinem præter puræ intentionis charitatem desiderasse semper electionis veritatem, quarum altera absente, vitiosam esse operationem contestantur. Præclarus ea de re extat Bernardi locus *lib. de præcept. & dispensat. cap.* 14. ubi sic longiusculè, sed eximiè & nervosè probabilismi licentiam exinanit usque ad fundamentum in ea: *Ut interior oculus verè sit simplex, duo illi esse arbitror necessaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem. Nam si bonum quidem diligat, sed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, sed non secundùm scientiam: & nescio quemadmodum judicio veritatis vera esse possit cum falsitate simplicitas. Volens denique ad veram discipulos instruere simplicitatem magistra Veritas: Estote, inquit, prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Præmisit ergo prudentiam, sine qua neminem satis esse posse simplicem sciret. Quomodo denique verè simplex erit oculus cum ignorantia veritatis? aut verò vera potest dici simplicitas, quam simplex ignorat veritas? Scriptum est enim, Ignorans ignorabitur. Patet ergo, laudabilem illam & à Domino laudatam simplicitatem absque his duobus non esse bonis, benevolentia, atque prudentia, ut oculus videlicet cordis non solùm pius, qui fallere nolit; sed & cautus sit, qui falli non possit.* Et quibusdam interjectis: *Sive itaque malum putes bonum quod fortè agis; sive bonum, malum quod operaris, utrumque peccatum est.*

Illo loco nihil planius, nihil evidentius. Manifestum enim est, illum qui opinionem, tametsi probabilem, sed revera æternæ veritati adversantem eligit, spretâ tutâ & derelictâ probabiliore; manifestum est, inquam, illum non habere in electione veritatem, cùm præponat illud quod verosimiliùs judicat esse falsum. Illéne habet in electione veritatem, qui ex falsitate dirigit actus suos? Illéne viam veritatis eligit, in veritate ambulat, veritatem facit, adoratque Patrem in Spiritu & veritate, qui à via veritatis errare se, & edere se opera tenebrarum probabiliùs arbitratur? Certè ex regulis probabilismi non solùm non habetur in electione veritas, sed prorsus extinguitur amor veritatis, inanisque efficitur inquisitio detegendæ falsitatis. Si probabilis opinio, etiam falsa, tuta sit, quid opus est veritati vestigandæ insudare? Cur necesse erit eam à Deo ardentibus votis postulare? Cur non potiùs veritatis fugiemus radios, & fulgores execrabimur, qui dum apparent, angustius sæpe demonstrant iter; dum verò latent, jocundè, nec minùs tutè per latiorem viam ambulamus? Ergo si tuta est probabilitas etiam falsa, inanis est veritas non adepta, perniciosa est veritas jam retecta. Certè benè falsa est illa doctrina, ex qua sequitur extinctio veritatis; nec est à Spiritu veritatis sententia, quæ tutam facit voluntariam repulsam veritatis.

Reflexio & apostrophe ad Probabilistas.

Desinat novitas lacessere vetustatem. Novis Probabilistis quà par est reverentiâ meos sensus aperiam, illosque ad amorem vetustatis hortabor, quia illud saltem ex probabilitatum studio sibi videntur comparasse, quod simili disputandi genere se consequutum Tullius gloriabatur, dum diceret: *Nos qui probabilia sequimur, refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia possumus.* Videte ergo quomodo non in solis dogmatum controversiis, sed & in vitæ Christianæ moribus componendis necesse est insudare propter tantos tam varii erroris anfractus, ut moralis disciplinæ linea secundùm Ecclesiastici & Catholici sensus normam dirigatur, quâ exurgentium novitatum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in fide Romanæ Ecclesiæ sana sani, atque integri poterimus permanere. An nescitis quod in Ecclesia Catholica magnopere curandum est, ut id teneamus quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est. Cur, quæso, Patrum universitati, antiquitati, consensioni, modernorum sufficitis partem, novitatem, dissensionem? Cur novellæ probabilitatis contagio non jam portiunculam tantùm, sed totam pariter Ecclesiam commaculare conati estis? Cur non Patribus fideliter inhæretis, qui prorsus jam non possunt ab ulla novitatis fraude seduci? Cur non paucorum temeritati, vel inscitiæ, universalis Ecclesiæ, Romanorumque Antistitum decreta prætulistis? Cur operam non dedistis, ut collatas inter se Majorum consuleretis, interrogaretisque sententias? Majorum, inquam, eorum qui diversis licèt temporibus & locis, in unius tamen Ecclesiæ Catholicæ communione & fide permanentes, Magistri probabiles ideò extiterunt, quia vagam vestram probabilitatem, antequam nata esset, verbis factisque condemnaverunt.

Patribus & Sanctis omnibus solida & pura placuerunt: vos subtilibus & vanis delectamini. Patres sanctè sancta tractaverunt: vos distinctiuncularum metaphysicarum vanissimis nugis sanctitatem nostræ Religionis inquinatis. Illi ad sacram legis severitatem divina institutione formati & studio comparati certis adhærescebant, & tuta quæque timebant: vos laxissimis opinionibus capti & gloriantes, à probabilibus formidinem, à dubiis periculum, à nefandis horrorem abstulistis. Primi arctâ viâ & angustâ portâ, quæ ducit ad vitam gradiuntur: vos latam aperientes portam, quæ ducit ad perditionem, diverticula quæritis, & qui vos sequuntur, per prærupta ducitis. Sancti quotquot fuerunt Ecclesiæ Romanæ Canones spiritu Dei conditos & firmatos, ac totius orbis reverentia consecratos probaverunt, & tenuerunt tanquam formas & regulas morum fixas, immobiles, immutabiles, & veluti cœlestia instituta ad formandam in temporum perpetuitate Christianorum vitam venerati sunt: vos divinas illas regulas tanquam Lacedæmoniorum, aut Atheniensium leges, vel septem Græciæ Sapientium oracula pridem abolita & extincta spectatis, & continuis vestris scriptiunculis vel ess deletis, vel dudum abrogatas prædicatis. Estne hoc de Ecclesia benè mereri, Ecclesiæ spiritum velle extinguere, & pro virili conari; spiritum, inquam, qui nullam temporum decursu pati labem, nullam Casuistarum prolubiis pati mutationem potest? Sancti quia viva Ecclesiæ

membra erant, sic erant animo constituti, ut vero & intimo cordis affectu, sincera ferventis animi præparatione qualibet data occasione foras erumpente, & in exteriores actus sese fundente peroptarint tam necessarias sanctiones ad amussim servari, vigentes teneri, conculcatas instaurari, collabentes muniri, collapsas restaurari, ad easque semper conniti omnes, omnes contendere Christianos: vos nullis cautionibus adhibitis leges promiscuè abrogatis, omnem antiquæ severitati aditum obsepitis, ut inde horrenda morum dogmata, & doctrinæ flagitia jam sine pudore derivetis, sine metu disciplinam enervetis, totum canonum rigorem exsuffletis, & Pontificiarum Constitutionum pondus abigatis. Sancti non minori sacra Concilia, quàm Evangelium reverentiâ lectitabant, Romano Pontifici non minùs quàm Christo obtemperabant, eorumque quamlibet severa decreta in corde consignata referebant, ac sibi ipsis graviter succensebant, quòd non essent in iis observandis religiosiores: vos de emendandis moribus, de restituenda disciplina nullam unquam bonam cogitationem suscipitis. Nihil ægrum, nihil saucium in moribus videtis, sed nova semper legibus vulnera infligitis. Quidquid abusu inolevit, pro lege habetis; quidquid negligentiâ exolevit, in eorum quæ nunquam fuerunt numero collocatis. Quin & vigentes leges, & emanantes singulis annis Pontificum Constitutiones infringere laboratis, & illas jacere omnes, nec ullam obligandi vim habere, docere non erubescitis, quoties vobis quasi ex tripode pronuntiare benè visum fuerit: *Concilium vel diploma non sunt usu recepta.*

Quis vos, amabò, & salutis arbitros, & Synodorum judices, & Pontificum censores constituit? Quo jure, vel qua lege de supremis judiciis, quibus subesse deberis, judicium fertis, & prolatâ sententiâ condemnatis? Qua fronte eorum decretis interceditis? Qua præfidentia infallibilitatem Conciliis, Pontificibusque eximiam ligandi solvendique potestatem Petro ac successoribus ejus divinitus collatam, vobis, vestræque probabilitati asseritis? Quasi ex vobis universa lex pendeat & Prophetæ, & ita pendeat, ut jussi sint Confessarii pœnitentes vestris opinionibus nixos absolvere, lethali crimine damnandi ni faciant. O imperium vestrum nulli secundum! Multa sæpiùs præcipiunt, multa prohibent Pontifices & sacræ Synodi sub peccati mortalis & anathematis interminatione: sed eorum decreta exceptionibus, tergiversationibus, probabilitatibus tenuissimis, usu non recipiente eluditis, & ad nihilum redigitis; & decretorum vestrorum violatoribus, probabilitates vestras non adorantibus mortalis criminis culpam, pœnamque infligitis. Ad delendam Prælatorum potestatem tollitis peccata mundi: ad invehendam & firmandam vestram authoritatem nova inducitis peccata in mundum. Confessarium Pontificum decretis non obtemperantem probabilitate vestra purgatis; & eundem vestris probabilitatibus refragantem sine misericordia damnatis.

Miror sanè vestram versutiam pro variis hominum studiis, pro hominum, statuumque varietate, pro cujusque ingenio versicolores sententias adhibentem, quasi quovis tempore non una sit Ecclesiæ fides, & quæ fidem servat traditio; quasi non oporteat opera ad legem dirigere, sed legem liceat ad opera detorquere; quasi doctrina morum sit fides temporum, quam ad cupiditates nostras inflectere fas sit; quasi denique persuasum habere debeamus, mores non ad Scripturæ & Traditionis authoritatem, sed ad formicantes recentiorum opinationes exigi oportere. Itáne vobis licuit in Patrum locum recentiorum & ignotorum Scriptorum turbam sufficere, ut non ex illorum decretis, sed ex istorum phantasiis mores informetis? Itáne creditis, & nobis persuadere vultis, doctrinam morum à recentioribus sumendam, & in controversiis circa agenda enatis dirimendis potiorem modernorum habendam esse rationem, nec majoris ponderis censeri eorum placita, quæ eo puriora credimus, quo Apostolicæ traditioni viciniora extiterunt? Itáne venerando Sanctorum choro vix à sæculo fruticantem Casuistarum segetem immensis voluminibus luxuriantem, sesequé in locum Patrum sine vocatione intrudentem anteponitis? Itáne sub Probabilistarum adventum Augustino, Hieronymo, Aquinate, Decretis & Decretalibus ad mores hominum formandos uti ita desitum est, ut præter antiquos neoterici omnes, & singuli vobis accepti sint, quo laxatis habenis sine metu in tam patenti latissimæ probabilitatis campo exspatiari valeatis? Itáne vobis antiquos Doctores despectui esse, & recentiores amori & venerationi opera vestra conclamant, & adeo paginis omnibus præ se ferunt, ut Patrum sacratissima nomina vix compareant, dum singuli penè versus ad fastidium frequentibus modernorum allegationibus perstrepunt, ut eorum authoritate gravissima quæque de moribus dubia definiatis, & ea interdum derivetis, quæ non modò Christiana pietas, Sacerdotum gravitas, sed omninò ingenui hominis pudor detestatur? Itáne tandem hominum cupiditatibus lenocinari studetis, ut dubia dubiis superstruatis, & nova novis adjicientes sic seosim progrediamini, ut ea tandem dogmata attentetis, de quibus nulla unquam in Ecclesia dubitatio coorta fuerat? Mihi credite, hanc viam insistere ne pergite, ne brevi omnia in moribus incerta sint, nihil prorsus fixum & ratum; ne pro Christi disciplina, Pyrrhonis scholas pro veritatis institutionibus, incondita opinionum strues habeatur.

Quid ergo opus facto? Quonam modo poterimus certa quadam, & quasi generali ac regulari via Ethicæ Christianæ puritatem à probabilitatis novitate discernere? Antiquitatem Patrum sedulo, serioque sectemur, incorruptum illum de moribus sensum teneamus, quem Sancti, Majores, ac Patres nostri tenuisse perspicuum est; & quod antiqui uno eodemque consensu apertè, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverimus, id nobis quoque intelligamus absque ulla dubitatione credendum. An nescimus quod Roboam, teste sacro eloquio 3. *Reg.* 12. damnatus est, quia *reliquit consilium seniorum, quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant illi?* Estne credibile annis integris mille sexcentis rem tam necessariam, si esset vera, fuisse in Ecclesia Catholica ignoratam? Estne ita de misericordia & providentia Dei sentiendum, ut ab illo tota Ecclesia deserta tantum salutis præsidium tot sæculis ignorarit, tantoque adminiculo privata sit? Cur, ô novelli Probabilistæ, post sexcentos supra mille annos, ut Hieronymi phrasi utar, docere nos nitimini quod antè nescivimus? Cur profertis in medium quod Petrus, Paulus, cæterique Patres edere noluerunt? Usque ad hunc diem sine ista doctrina mundus Christianus fuit. Ita sanè & Deo injurium, & Patribus atque Ecclesiæ Catholicæ parum honorificum, & per se absurdum est, si asseratur adeo insignis utilitatis arcanum vel Patribus invidisse Deum, vel nobis Patres invidisse, & rem tanti momenti toti antiquitati ignoratam his postremis temporibus patuisse. Absurdius, quod non nemo temerariè effutiit, veteres mole quidem majores & robustiores viribus extitisse, juniores verò subtilioribus ingeniis præditos. Absurdissimum porrò est asserere, sicut alicui alteri libuit insanire, Scholasticos posteriores super senes intelligere, non secus ac nanum super humerum gigantis positum longiùs gestatore suo videre. Si enim hæc locum aliquem

aliquem haberent delitamenta, obtusa essent penitus quæcumque arma, quibus hactenus contra Novatores certatum est.

Audite ergo quotquot estis Probabilistæ, Petrum Damiani epist. 18. *Quoniam ab Apostolis fidem, ab Apostolicis autem viris conversandi in Ecclesia percepimus ordinem: ita propemodum non mutamus disciplinæ modum à majoribus traditum, sicut illibatum tenemus ipsum quoque fidei fundamentum.* Audite Apologeticum pro Gregorio VII. *Non minus resistendum est authenticarum institutionum impugnatoribus, quàm sacræ fidei violatoribus; cùm & damnosibus assimilentur quicumque institutionem Sanctorum Patrum in fide tantum, & non etiam in conversatione pro viribus affectaatur.* Audite ipsum Gregorium VII. ex Apostolico throno hæc divina oracula fundentem: *Videntes ordinem Christiana Religionis multis jam labefactatum temporibus, & principales ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo conculcatas; concussi periculo & manifesta perditione dominici gregis, ad Sanctorum Patrum decreta doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes; sed primam & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore repetendam & sectandam esse censuimus.*

Speculatio III.

Prosequutio ejusdem materiei ab authoritate Summorum Pontificum ac Conciliorum, & ab Ecclesiæ Catholicæ conspiratione.

UT nostræ sententiæ firmitati nihil desit, argumentis à Scripturis, & Patrum traditione petitis appendenda sunt alia ab aliis Theologiæ locis, paulò quidem uberiùs quàm operis nostri brevitas postulatet; sed dabit veniam Lector, si in re tanti momenti prolixior sim, ne immodicæ brevitatis studio rerum gravissimarum pondera orationis celeritate rapiantur.

Refellitur ergo tertiò probabilismus authoritate Romanorum Antistitum & Conciliorum. Et quidem omisso illo præjudicio repetito ab altissimo silentio Pontificum & Conciliorum, quibus nunquam in mentem venit, ut ad controversias sibi sine fine propositas, & quotidie emergentes decidendas probabilitatis regulam adhiberent; estne verisimile Pontifices & Concilia, quibus infiniti casus resolvendi fuerunt, tam utilem, tam necessarium, si vera est, Christianæ Philosophiæ cardinem, quo nihil commodius, nihil expeditius, ignorasse?

Quis sibi persuadeat sacrorum decretorum conditores unis conscientiæ negotiis incumbentes eam prætermisisse regulam, quam Probabilistæ totius disciplinæ moralis puppim volunt esse & proram, ad animarum salutem & tranquillitatem unicè necessariam? & ita prætermisisse,ut ne verbum quidem ullum,vel vivæ vocis oraculum abs Pontificum ore exciderit, vel in decretis eorum, immensisque diplomatibus extet, quod probabilitatum Patroni possint ad suam defensionem arripere? Hoc, inquam, omisso argumento negativo, tametsi efficacissimo, positivè Pontifices & Concilia protestantur se nihil velle unquam ex rationum verisimilitudine, sed ex Scripturarum oraculis & Patrum traditione determinare. *Non nostra præcepta imperantur*, inquit Innocent. I. epist. ad Victricium, *sed ea quæ per desidiam aliquorum neglecta sunt, ab omnibus observari cupimus, quæ tamen Apostolica & Patrum traditione sunt constituta. Ad Sanctorum Patrum decreta, doctrinamque recurrimus* (addit Gregor. VII.) *nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes; sed primam, & unicam Ecclesiasticæ disciplinæ regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore repetendam & sectandam esse censuimus. Neque enim alium nostræ salutis & æternæ vitæ introitum Christi ovibus, eorumque Pastoribus patere cognoscimus, nisi quem ab ipso monstratum, qui dixit, Ego sum ostium, per me si quis introierit, salvabitur, & pascua inveniet: & ab Apostolis prædicatum, & à Sanctis Patribus observatum in Evangelica, & in omni divinarum Scripturarum pagina didicimus.*

Si Pontifices non sua præcepta imperari volunt, non suas privatas sententias utique probabiles prævalere; si nihil novi, nihil adinventione sua statuere volunt, si solam Sanctorum viam sectandam esse censent, si omnem aliom salutis introitum respuunt: Ergo fruticantes & ad instar fungorum pullulantes Probabilistarum novitates in actu exercito, et loquuntur, condemnarunt. Ergo ab illa voce abhorruissent, quam unus è Probabilistarum primipilis in sua Theologia fundamentali eructavit: *Tota moralis Theologia nova est. Quis enim negare audebit esse hodie in Diana centenas opiniones probab. es, quæ Augustino, & antiquis Ecclesiæ Patribus ignotæ fuerant?* Negare planè non audeo,ô Caramuel! fateor quidem centenas esse in Diana opiniones, quin & millenas Augustino Patribusque ignotas; sed pernego eas esse probabiles, idest, ut tu exponis, securas. Imò eas ideo arbitror esse suspectas, quia eas Augustino Patribusque fateris ignotas. Nova est Theologia Moralis tua non inficior, sed nescis quod Lirinensis cap. 34. *Commonit.* scripsit: *Catholicorum hoc ferè proprium est, depositum Sanctorum Patrum & commissa servare, damnare prophanas novitates: & si ut dixit, & iterum dixit Apostolus, si quis annunciaverit præterquam quod acceptum est, anathemaret* Nescis illud S. Sixti ab eodem Lirinensi laudatum: *Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati?* Qui estis vos Probabilistæ? Quando, & unde venistis: Qua potestate limitea Patrum, quos sibi ipsimet Pontifices præfixerunt, commovetis? Mea est possessio, aiebat Tertullianus alias citatus, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis authoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum, ego filius Sanctorum, ego Patrum & Ecclesiæ Doctorum discipulus: sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certè exhæredaverunt semper, & abdicaverunt ut extraneos, quia novos & novitatum amantes.

Idem antiquitatis amor, idem novitatis quantumcunque probabilis odium in sacris Conciliis nitet. *Observandum equidem nobis magis opere est ante omnia, & super omnia*, inquit Concilium Lemovicense II. anni 1134. *uti mandatum Dei, & non nostras traditiones populo observandas tradamus, & nihil nisi Scripturarum divinarum authoritate fultum statuamus agendum; nihilque de cordibus, nihil extra præceptum Domini, & Sanctorum Patrum, quod absit, constituere, docere, vel jubere præsumamus.* Et longè antè Concilium VIII. Constantinop. act. 10. cap. 1. *Ut rectam, regiamque divinæ justitiæ viam sine errore offensu teneamus, sanctorum Patrum correcta, veluti inextincta quadam semperque lucentes faces sequenda sunt. Quapropter sanctiones Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ per traditionem, tum à Sanctis, omnisque laudis præconio celebrandis Apostolis, tum ab orthodoxis,œcumenicisque & provincialibus Conciliis,aut à quovis Deiloquo Patre & Doctore Ecclesiæ acceptas,servandas,custodiendasque profitemur.* Ergo sacra Concilia non ad probabilitatis amussim,sed ad antiquam sanctionum suas determinationes exigebant. Et meritò, quia ut Felix III. *epist. 7.* tradit,non est in hominum potestate legis æternæ violatores peccato eximere. *Sciat quod se decipit ipse qui fallit, nihilque per nostram*

facilitatem tribunalis excelsi judicio derogari, cui illa sunt rata quæ pia, quæ vera, quæ justa sunt. Ergo multò minùs per facilitatem Probabilismi, qui sine dubio authoritate summi Pontificis inferior est, nihil Dei judicio derogatur, nec Deo rata esse poterunt quæ per se impia, quæ per se falsa, quæ per se injusta sunt.

Sed ut à pluribus locis huc congerendis supersedeam, sufficit unum Canonici juris axioma à Pontificibus, à Conciliis semper & ubique consecratum, à Sanctis executioni mandatum, & è lumine naturali depromptum, sed à Probabilistis infinitis corruptelis depravatum, quod unicum ad totam istam controversiam conficiendam, & probabilitatem exterminandam abundantissimum est: *In dubiis tutior pars est eligenda.* Quâ regulâ innumeras quæstiones dirimunt Pontifices in Iure relati. Nam in cap. *Ad audientiam*, de homicidio, & in cap. *Significasti*, determinatur Sacerdoti abstinendum esse à suorum Ordinum ministerio in casu hominis vulnerati à Sacerdote, & deinde mortui, cum dubitatione an mors sequuta sit ex vulnere: & in casu etiam hominis mortui ex vulnere, sed cum dubio an illatum sit à Sacerdote, quia tutius est in dubio cessare à celebratione, quàm temerè celebrare. Quæ eadem solutio habetur *dist. 7. de pœnit. cap. Si quis*, ubi ex Augustino docetur, quod in dubiis emergentibus tenendum est certum, dimittendum incertum. Nec usurpatur solùm illa regula in materia homicidii, ut quidam ignoranter dixerunt: nam *in cap. Iuvenis, de Sponsalibus*, in quo vir qui matrimonium contraxerat cum puella septenni, de qua dubitabatur an esset viripotens, jubetur relinquere consortium consobrinæ ejus puellæ, cum qua secundas nuptias inierat, quia in dubiis quæ certiora tenenda sunt. Et *in cap. Illud, de Clerico excommunic. minist.* præcipitur deponi Episcopum, qui in dubio an sit excommunicatus, ab officii ministerio non abstinuit, quia partem tutiorem non elegit. Et in Clement. *Exivi*, Fratribus Minoribus Sedem Apostolicam consulentibus, an verba Regulæ Franciscanæ per imperium expressa ligarent sub mortali? Respondetur ad vitandos graves conscientiæ remorsus, tutiorem viam esse tenendam: Ergo in quæstionibus, dubiisque moralibus non ad probabilem, sed ad tutiorem opinionem librandas esse decisiones, Pontifices decreverunt.

Innumera sunt vitilitigantium Probabilistarum suffragia, quibus hanc regulam totius Ecclesiæ praxi commendatam elevare, aut obscurare conantur. Contendunt enim, jura illa consilium, non præceptum continere. Quod si præcepti vis illis asseratur, aiunt jura esse consuetudine abrogata, vel ad modum solius consilii recepta. Addunt proinde præcepta Pontificia nullos astringere præter Catholicos, nec hos quidem omnes, quia & à jure Canonico, & à Tridentini decretis, & à Pontificiis diplomatibus per non usum, per non receptionem immunes sunt, & eximuntur plures orbis Catholici Provinciæ.

Non poteram, nec debebam alias à Probabilistis expectare responsiones ad istud ineluctabile pronunciatum, quo causam jugulari suam vident. Digni planè sunt Probabilistæ qui has responsiones totius Ecclesiasticæ potestatis eversivas usurpent: dignæ sunt responsiones, quæ à Probabilistis usurpentur. Si quis vellet de moribus perditè & nefariè scribere, si quis vellet totam disciplinam enervare, si quis vellet Calvinistarum canones & decreta Pontificia irridentium causam permovere, iter ad eversionem Ecclesiæ munire, & nos in totius impietatis voraginem agere, profectò non aliis responsionibus uteretur, quæ nonnisi pravis & distortis ingeniis placere possunt; illis verò in quibus aliquis religionis sensus, aut pudor superest, non displicere non possunt.

At enim ut ab ultimo responso incipiam, si cuilibet oscitanti Probabilistæ dicere liceat, leges Ecclesiæ & Conciliorum per non usum, per non receptionem omni carere vi, frustra de reformandis moribus cogitationes suscipiunt Pontifices, frustra ad instaurandam disciplinam Concilia coacta sunt, quibus nascentes resecentur labes, vitia succrescentia amputentur; sed in improborum potestate omnia Ecclesiæ decreta ponentur, & de Probabilistarum arbitratu Ecclesiæ potestas pensitabitur: nisi Casuistæ placuerit, Ecclesiæ potestas non erit; homo jam Ecclesiæ propitius esse debebit, ut in simili argumentabatur Tertullianus. In vanum ergo laborabit Pastoralis Episcoporum zelus, nihil proficiet Apostolica Romanorum Antistitum sollicitudo omnium Ecclesiarum, jacebunt omnes Bullæ, nullam vim obligandi sortientur diplomata quamprimùm retorrido alicui Probabilistæ ex cathedra & ex tripode dicere libuerit (dicere verò libebit quoties aliquam severitatem decretum præ se feret) decretum non esse receptum. O tempora, ô mores! O propudia hominum inanissimis distinctionum nugis Religionis majestatem fœdantium! O temporum nostrorum dedecus, quando videmus sic jura deteri, ut jam magis crescere audacia non posse videatur!

Maximè quia licèt Ecclesiæ præcepta, quæ cæremonias quasdam indicunt, possint per desuetudinem ab Ecclesia toleratam abrogari, *præcipuè*, inquit D. Thomas quodl. 9. art. 15. *si dissimulantes hanc contrariam consuetudinem, in quorum potestate est jus positivum mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua jura mutare:* nihilominus Ecclesiæ decreta ad componendos mores, frænandaque vitia instituta, in varietate disciplinæ immutabilia sunt, quia nihil aliud sanciunt vel præscribunt, quàm quod jure divino vel naturali sancitum est. *Quantum ad hoc quod jura antiqua continent jus naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationalem*, ait inibi S. Doctor. Atqui jura dum pronuntiant in dubiis tutiorem partem eligendam, non condunt novam legem, sed eam præsuppositam peculiaribus casibus applicant, ut vidimus: Ergo nullâ incuriâ, nulla non receptione, nulla desuetudine distingui potest regula illa, in qua semper vivet quidquid in illa divini ac naturalis est juris.

Quod verò additur, decretorum Pontificum, Conciliorumque vigorem per non receptionem deleri, alibi operosiùs refutatur, si tamen refutari mereatur doctrinæ flagitium, quod tam indignum est quàm quod maximè. Corruet planè & penitus concidet totius disciplinæ decus, & obedientiæ simplicitas, simulque vires adjicientur audaciæ, si Prælatorum constitutiones à recipientium subditorum pendeant voluntate. Sic præesse subesse erit, & à subditis vigorem obtinebit, vel perdet Principatus. Certè nulla esse, vel excogitari potest maxima Monarchiæ & Ecclesiæ exitiosior, si de hominum Logicam callentium arbitratu leges omnes pateant distinctionibus metaphysicis recèns inventis, definitionibus novis & voluntariis, ac cavillis nescio quibus in otiosorum cerebro natis.

Quod verò addunt, jura illa consulere, non præcipere, modestius est illud quidem, sed non verius: tum quia præscribunt pœnas suspensionis Ordinum, depositionis Episcopatus gravissimas, in quas non incidere potest negligentia consilii, sed præcepti. Tum quia, ut rectè ait Ioannes à S. Thoma, sacri Canones aliquid singulare statuunt necessarium in dubiis conscientiæ, quod non est necessarium in rebus certis, & ex utraque parte per se tutis: Atqui in rebus certis & utrinque tutis optimum consilium est tutiori parti adhærescere: Ergo in dubiis conscientiæ, ubi de pec-

care

cato agitur, aliquid aliud intendunt jura, nimirum præceptum esse tutiorem viam inire; dubiam enim conscientiam ex præcepto reformare tenemur; cùm stante dubio operari non possimus: Ergo illa regula non est consilium, sed præceptum. Præceptum, inquam, quod ipso jure naturali constat, & ad prima syntereseos principia reducitur: nisi dicas præceptum illud in omnibus aliis contineri; dum enim aliquid præcipitur vel prohibetur, simul injungitur ne in periculum illud violandi incurramus: quod fit si in dubio minùs probabili, & non tutiori parti adhæreamus.

Speciosior est aliorum cavillus dicentium, eum qui opinione probabili fretus operatur, non laborare dubio, sed uni parti adhærere, etsi cum formidine partis oppositæ. Verùm hoc effugium soliditate & veritate destitutum est. Etenim si ad difficultates resolvendas, dubiaque removenda sufficeret opinio probabilis, nec esset necessarius opinionis tutæ delectus, nullus nisi fortè rusticus, aut ignarus teneretur in dubio viam tutiorem eligere, quia qui fuerit in casuistica doctrina tenuiter versatus, citò sententiam probabilem inveniet, præsertim ex jure possessionis, quo tantopere abutuntur Probabilistæ, ut illud in omni materia perperam frequentent. Etenim si ille qui jus libertatis possidet, non debet ex solo dubio privari jure minùs probabilia eligendi, vix, immò nunquam tutior pars erit in dubus eligenda, subindeque inanis erit & ludibrio exposita de tutioribus sectandis regula tot Pontificum responsis consecrata. *Quapropter* (inquit Illustrissimus Prosper Fagnanus corpore cæcus, sed Ecclesiastici luminis copiâ nulli secundus, cujus manus Romæ deosculatus sum) *non immeritò Antonius Merenda in fine tractatu de hac materia novissimè impresso rotundis verbis affirmat usum probabilitatum esse commentum diaboli ad enervandam vim præceptorum.*

Confirmat optimè idipsum Prosper Fagnanus ex variis regulis loris, quas in dubiis, dom par utrinque periculum ingruit, adhibendas legum conditores & interpretes sanxerunt. Nimirum, *Iudicandum ut actus valeat potius quam pereat: Praeferendum quod in regione, in qua res peracta est, frequentatur: Spectanda probata consuetudo: Nihil ex arbitrio, sed juxta leges & jura pronuntiandum: In æquilibrio judex suspendat sententiam, vel transigatur, vel res per medium dividatur, vel ad Principem aut Sedem Apostolicam recurrendum;* & aliæ similes adducuntur in jure: Atqui si probabilitatum usus licitus sit, si juxta ridiculam Casuistarum assertionem, *homo in foro conscientiæ manutenendus est in possessione suæ libertatis contra Deum*; frustra in iis adorandis regulis se torsissent Legislatores, frustra tot cautiones statuissent, cùm beneficio probabilitatis remedium esset in promptu, & ad manum, dicendo nimirum, opinionem probabilem esse utrinque securam. Opinio autem probabilis nunquam deerit habenti Casuistam; cùm enim infinita sit & effrenata probabilium opinionum multitudo, nulla erit veritas moralis quæ plausibili aliqua ratione oppugnari non possit. *Nulla dubium est*, inquit laudatus, & omni laude major Fagnanus, *quin omnes regulæ morum possit everti ex libertate opinandi non modò in præceptis humanis, sed etiam in divinis & naturalibus. dum de ipsis interdum non occurrunt rationes demonstrativæ. Vnde huc temporibus eo res perducta est, ut nullus ferè sit articulus in Moralibus, in quo non sit varietas, aut contrarietas opinionum; adeo ut in solo opere non ita pridem impresso resolutionum moralium Antonini Diana numerentur in unum collecta quæstiones supra ter mille, cum opinionibus & authoribus pro utraque parte, plerumque affirmantibus aut ambas esse probabiles, aut unam probabilem, & alteram probabiliorem, in quibus ferè omnibus agitur de peccato mortali. Quare hac doctrina probabilitatum videtur fovere veluti quandam libertatem conscientiæ, ac proinde magnoperè indigere dextera Dei, & Beatissimi Romani Pontificis provisione, ne venenum jam plus nimio dilatatum ulterius serpat.* Ergo arbitraria probabilitas utrinque tuta fuit Pontificibus & Conciliis jurium conditoribus, aut approbatoribus invisa, incognita, & reprobata.

Confirmatur rursum, & magis eliditur præfatus cavillus. Qui dubitat, secundùm jura tenetur sequi partem tutiorem: Ergo multò magis qui adhæret opinioni probabili in conensu probabilioris. Probatur consequentia. Qui adhæret opinioni minùs probabili, & deserit probabiliorem, adhæret illi sententiæ quam existimat magis falsam quàm veram; qui verò dubitat, habet convenientes rationes, ob quas existimat neutram sententiam esse magis falsam: Ergo si dubitans, nec persuasus de malitia operis partem tutiorem sequi tenetur, à fortiori ille qui convincitur de minori probabilitate unius partis, & de majori probabilitate alterius. Res exemplo sicut illustrior, ita fiet sensibilior: Sit aliquis deliberans an tres contractus assecurationis sint liciti; & perpensis Casuistarum hinc inde rationibus eos æquè probabiles arbitratur, & in nullam partem judicio inclinat, sed inter utramque fluctuat; tunc secundùm jura ille à tribus contractibus tenebitur abstinere, & si contrahat, peccat, cùm dubitet an in illis peccatum insit. Deinde re maturiùs considerata, censet probabilius esse tres contractus esse illicitos, minùs verò probabiliter esse licitos. Certè tunc ex lege minùs probabili poterit contrahere: at quis non videt id esse prorsus absurdum, & irrationabile? Si enim quando dubitabat de malitia contractus illum non poterat eligere, quomodo id modò licebit quando videt, & probabilius opinatur atque assentitur, contractum illum esse peccatum. Dum credebat utramque sententiam æquè ponderosis rationibus niti, non poterat licitè minùs tutam sententiam sequi: & jam dum videt illas non æquis rationum momentis niti, eam tutò sequi potest, quam falsam magis opinatur quàm veram, & de qua non dubitat quin falsa sit, sed penè convictus est, id quod agit, esse illicitum: Ergo si in dubiis secundùm sacratissimam Canonum vocem tutior pars tenenda est, multò magis tenenda est in conflictu minùs probabilis, & probabilioris.

Denique insignis est Adversariorum paralogismus, dum dicunt regulas illas juris veras esse in dubiis, non in probabilibus. Nam præterquam quod textus juris utuntur illa regula in casibus in quibus poterant esse opiniones probabiles; prætetquam quod minùs probabilis, minusve tuta opinio dubia est, & plus quàm dubia, cùm plus habeat falsitatis quàm veritatis, stante verò dubio æquè vera videatur ac altera: insuper fit hoc argumentum invincibile. Secundum jura qui dubitat, id est, qui nescit utra pars vera sit, utriusve partis rationes probabiliores sint, ille non debet agere id quod verè dubitat an æquum sit, an iniquum; ita enim non minùs Philosophi, quàm Theologi credunt: Ergo minùs debet agere id quod veriùs credit esse iniquum. Consequentia est sole clarior, antecedens verò est vox Ecclesiæ & rationis naturalis. Rursum argumentor non minùs evidenter: In dubiis tutior pars est eligenda: Ergo ad determinanda dubia non sufficit sententia minùs probabilis, minusque tuta: Ergo Pontifices & Traditio probabilitatem hac regula jugulatunt; siquidem probabilitas juxta ejus assertores non alio fine invecta est, quàm ut dubia moralia resolveret. Nec hæc regula de tutiori sectanda sententia, solis Conciliis, Pontificibusque arrisit, sed ipsis etiam Philosophis probata fuit. Vnde Tullius eam *lib. 1. officiorum*, his verbis usurpat: *Quocirca benè præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubitas æquum sit,* an

an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se; dubitatio autem cogitationem significat injuriæ. Quæ verba ponderans noster Vincentius Baronius, sic egregiè & juxtà piè commentatur 1. tom. Moral. disp. 1. sect. 2. *Fateor vix me posse hæc verba legere, quin pudore & dolore afficiar maximo, quod Theologi eas summas æquitatis leges corrumpant, quas Ethnici religiosè sanciverunt. Quid enim dolendum magis, aut Theologo indignius, quàm ex dubitatione, an res æqua sit, aut impia? Ethnicos inferre esse illicitam, & ipsam etiam dubitationem habere nocendi cogitationem: ex iis verò capitibus, id est ex probabilitate utriusque partis, Theologos deducere nos à lege exemptos, & licere quidquid libuerit, etiam illa, quæ probabilius est honesto adversari? Sed quod stupendum magis est, eos qui hanc legem justitiæ à Philosophis sancitam in pejus interpretantur, contendere hanc suam sententiam communem esse totius Ecclesiæ sensum, & addendam Decalogo quasi undecimum præceptum ejusdem cum aliis decem authoritatis & ponderis. Quis credat potuisse Christiano ulli venire in mentem illud incredibile paradoxum, opinionem probabilem eandem esse cum tuta; & quamlibet inæqualiter probabilem, seu pro libertate, seu pro lege stet, æquè tutam esse,*

Romanorum Antistitum prædecessorum zelum imitatus Alexander VII. probabilitatis doctrinam in Apologia Casuistarum speciali decreto, & quamplura probabilitatis consectaria semel & iterum distinctis constitutionibus & censuris proscripsit, ut postea referemus. *Ut omnes luce clarius videant*, verba sunt Lirinensis, *Beatorum Apostolorum beata successio quanta vi semper, quanto studio, quanta contentione defenderit susceptæ Religionis integritatem.*

Refellitur demùm arbitraria probabilismi licentia ex Ecclesiæ Catholicæ sensu & consuetudine, quæ est quintus Theologiæ locus irrefragabilis, quamve in omnibus æmulari tenemur, ut ait S. Thomas olim citatus. Vix Probabilistarum corruptelæ in unum collectæ manarunt in vulgus, ita ab his abhorruerunt Catholicorum omnium animi, ut & populi clamoribus, & Docti argumentis, & Ecclesiarum Præpositi censuris, tam nefaria dogmata detestati sint. Et quamvis hoc tempore non pauci recentiores alii aliorum scripta compilantes, eosque tanquam aves aut oves sequentes, probabilitatis viam vel conscii, vel plures incauti, & nimis creduli, ac in fide aliorum sequuti sint; tamen cùm dogma illud cœpit & in se, & in suis nefandis consectariis ventilari, innumeri, & ferè omnes generatim Catholici Casuisticæ disciplinæ præjudiciis non occupati & animo respuerunt, & auribus aspernati sunt.

In primis enim his temporibus singularis Dei in Ecclesiam suam cura & providentia veritatem obrui non sinens, ipsique semper in necessitatibus, & tribulatione succurrens, atque intrepidos defensores excitans, ad exscindendum probabilitatis dogma insignes Parochos armavit Rhotomagenses & Parisienses. *Judicium autem*, inquit Prosper Fagnanus suprà citatus, *tam magni cœtus Presbyterorum, qui in urbibus Regni præcipuis animas regunt, & conscientias dirigunt, parvi non est faciendum.* Sed longè pluris faceret illuminatissimus cæcus judicium universæ ferè Ecclesiæ Gallicanæ, quæ serpenti, seseque latè fundenti Probabilismo veritatis & antiquitatis firmissimos aggeres objecit, pestiferum venenum exitu salutari texit, & divina Episcoporum authoritate ac decretis Apostolico spiritu plenissimis populum fidelem monuit, ut doctrinæ flagitia è probabilitatis fonte liquidò manantia fugerent, & pestiferum ipsum fontem quàm studiosissimè caverent.

Præfatorum Parochorum omni laude majorum zelum Deus qui accenderat fortunavit, perfecitque negotium ipse qui incepit, quive Ecclesiam tunc maximè curâ suâ non destituit, cùm eam ferè destituisse videtur. Nam statim eximios omnium Ordinum viros impavidos vidimus, quos (ut verbis Lirinensis utar) à defensione fidei Majorum, ab amore divinæ legis, à laxitatum horrore *nulla vis depulit, non minæ, non blandimenta, non vita, non mors, non palatium, non satellites, non Imperator, non imperium, non homines, non dæmones* deterrere unquam potuerunt: quos, inquam, pro religiosæ vetustatis tenacitate tanto munere Dominus dignos judicavit, ut per eos prostratam repararet disciplinam, extinctum à nonnullis Canonum vigorem vivificaret, dejectas Ecclesiasticæ Hierarchiæ coronas reponeret, nefarias illas novellæ corruptionis, *non litteras, sed lituras, infuso cœlitus Episcopis fidelium lacrymarum fonte deleret*; universum postremò jam penè mundum sæva repentinæ probabilitatis tempestate percolsum ad antiquam fidem à novella licentia, ad antiquam sanitatem à novitatis vesania, ad antiquam lucem à novitatis cæcitate revocaret. Magnum sanè fuit & efficax Episcoporum nostrorum exemplum, planéque divinum, & veris quibusque Catholicis indefessa meditatione recolendum. *Qui in modum septemplicis candelabri septena sancti Spiritus luce radiantes clarissimam posteris formulam præmonstrarunt, quonam modo deinceps per singula quæque errorum variloquia sacrâ vetustatis authoritate prophana novitatis conteratur audacia. Neque hoc sanè* (in Ecclesia Gallicana) *novum, siquidem mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque floreret religiosior, eo promptiùs novellis adinventionibus contrairet.*

Itaque totam Ecclesiam Gallicanam vidimus adversùm probabilitatem animatam. Vidimus Clerum fermè universum tot opinionum monstra horrentem. Vidimus Curatos numero meritoque insignes probabilitatis necessaria corollaria in unum collecta, & cum authorum libris unde decerpta dicebantur, collata & recognita, & sua authoritate damnasse, & eorum damnationem canonicâ viâ, libelloque supplici à suis Episcopis, generalique Cleri conventu depoposcisse. Vidimus censuram Ecclesiæ Parisiensis his verbis de probabilitate pronuntiantem: *Hæc doctrina generatim & indefinitè concepta, temeraria & periculosa, omnem morum disciplinam perturbat, à veritatis inquisitione & inventione avocat, & corruptæ naturæ cupiditatibus obsequi sinit.* Vidimus Ecclesiæ Parisiensis zelo magnam aliarum Provincialium Ecclesiarum partem adjunctam, ut ipsimet Parochi Parisienses variis scriptis gravissimis & juxtà cultissimis testantur. Vidimus statuto Gallicani Cleri, die 1. Februarii anni 1657. S. Caroli institutiones in lucem editas, quibus, ut aiunt, *grassantes ad Evangelica morum institutionis perniciem novarum opinionum labes opposito velut obice coërcerentur, & tanquam aliqua mole reprimi posset novarum opinionum torrens, qui Christianam morum doctrinam perditum ibat.*

Vidimus deinde authoritatem Illustrissimorum Episcoporum, quorum zelum tota Christianorum posteritas laudibus licèt imparibus efferet, Sacerdotum judiciis accessisse. Pauca ex innumeris seligam, ut appareat quantum Antistites pervenerabiles adversùs luxuriantem probabilitatem horroris præ se tulerint, quàm vehementissimè eorum animi permoti sunt adversùs illam totius iniquitatis & licentiæ doctrinam, quantus eos ardor incesserit coërcendæ Probabilistarum audaciæ, qui tam præfidenter & juxtà nefariè Sanctissima quæque Evangelii, Ecclesiæ, Romanorumque Pontificum decreta pervertunt; quantum & privato fremitu, & effusis lacrymis, & aperta indignatione eam prosequuti sint doctrinam, quam certis judiciis, matura accuratæ discussionis deliberatione damnandam

nandam

nandam pronuntiarunt, quippe quæ Dei legem dissiparet, Evangelium perversis interpretationibus totum depravaret, Dei Spiritum pro virili extingueret, ut sese humanis, corruptisque cupiditatibus accommodaret. *Hæc doctrina* (inquit Archiepiscopus Senonensis in sua censura, 4. Septembris 1658. spectante & plaudente Synodo Episcopali lata) *quâ Author fas esse censet, neglectâ probabiliore ac tutiore, sequi opinionem minùs probabilem & minùs tutam, id est, amplecti & exequi quod illicitum esse, quàm licitum probabiliùs putat; atque ad probabilitatem opinionis, unius scriptoris authoritatem sufficere affirmat: falsa & periculosa est: innumeris corruptelis viam aperit: bonam conscientiam, quæ est secunda humanarum actionum regula, prorsus extinguit: ac proinde erronea est, ac B. Paulo contraria, & Christianos ad certam salutis perniciem inducit.* Succinuit huic censuræ Ecclesia Parisiensis, quæ eam doctrinam temerariam, periculosam, omnis morum disciplinæ perturbatricem, à veritatis inquisitione & inventione avocantem, & corruptæ naturæ cupiditatibus obsequi sinentem, disertissimè pronuntiavit.

Vidimus etiam in partibus nostris Tolosanis Episcopos primitivæ Ecclesiæ spiritu plenissimos, sed ab eadem laxitate alienissimos. Novi Alanum de Solminiac, Episcopum Cadurcensem, meum in Christo Patrem, à quo puer sacro Confirmationis chrismate inunctus sum, & beatos oculos meos arbitror, qui illum virtutis simulachrum viderunt. Sciunt autem omnes qui eum videre, vel audire meruerunt, quantum vir ille divinus à probabilitatum laxitate abhorruerit, quantum verbis, scriptis, litterisque pastoralibus tutas sententias firmarit, sed potissimùm quàm præclarissimis exemplis novellorum molliriem condemnarit, quantumve in restituenda disciplina à Probabilistis ad nihilum redacta indefessè insudarit, Domino etiam cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, quibus sepulchrum ejus fit in dies gloriosum. Vidimus quinque Præsules, Alectensem, Apamiensem (quorum diœceses genuinum primitivæ Ecclesiæ sanctitatis spiritum redolere ipse vidi, & omnes vident qui habent oculos, omnes gaudent qui non sunt invidi) Convenarum, Vasanensem, Conseranensem, eodem Spiritu congregatos, post accuratum examen, post fusas ad Deum preces, probabilitatis doctrinam, dirigendæ intentionis artem, seu fraudem, variaque inde sponte fluentia putidissima corollaria Episcopali censurâ longè gravissimâ perculisse his verbis, die 24. Octobris 1658. *Iudicamus probabilitatis doctrinam, prout ab Apologista explicatur, & ad omnia promiscuè morum decreta extenditur, falsam esse: simplicitati Christianæ, spiritus Christi sinceritati, traditæ nobis ab Apostolis illius nomine doctrinæ contrariam: animasque fallacis spe securitatis ad certam salutis perniciem impellere.* Catervatim accurrerunt alii Episcopi certatim censuras censuris adjicientes, quos inter Episcopus Bellovacensis ob pietatis famam latis notus, & Episcopus Venciensis Antonius Godeus, ob omnigenas Episcopalis muneris dotes, & nominatim ob præstantissimi ingenii fœtus Sole clariores, auroque pretiosiores nulli ignotus, probabilitatem vehementissimis decretis proscripserunt. Ille enim in censura die 12. Novembris anni 1658. lata probabilitatem *omnium corruptelarum scaturiginem*, zelo zelatus pro Domino Deo exercituum, vocat. Ille verò Probabilistarum cavillos & invictè convellit, & de ipsa probabilitate sic in censura sua, die 6. Maii anni 1659. pronuntiat. *Hæc probabilitatis doctrina à mendacii parente procul dubio his postremis temporibus eo consilio inventa est, ut omnia Evangelii præcepta eluderet, & carnalibus animis Christianæ doctrinæ, propriæque salutis arbitrium permitteret.*

Cæterorum Prælatorum censuras per totum regnum sparsas, splendentemque in illis zeli vigorem cum doctrina & eloquentia de palma certantem prætermitto, ne historiam texam. Id porrò constans, totius Cleri Gallicani sacræ conspirationi nullum alicujus nominis virum intercessisse, nullum reclamasse, nullum damnatis dogmatis patrocinatum patenter & expresso authoris nomine fuisse; sed omnes fideles Pastoribus obtemperasse suis, omnes doctos obstupefactos de suo stupore fuisse, quod aliquandiu tantam corruptelam vel non advertissent, vel præ timore inani non arguissent; omnes denique solidè pios corde sincero doluisse, nonnullos bonos alioquin viros domesticis præjudiciis implicatos in errorem bona fide inductos, & simul gavisos fuisse hanc probabilitatis pestem nec in Concionatores, nec in piorum librorum scriptores se infudisse; sed eas sordes iis in libris latitare, qui ob incultum & horridulum scribendi genus, ob adventitii orationis splendoris ac leporum nuditatem, ob inconditas materiæ salebras via nisi ab aliquo tetortrido despicati ingenii Casuista minimè malo illo quidem teruntur. Cæteri verò Ecclesiæ doctrina imbuti, & Patrum eloquiis dulcioribus super mel & favum pasti vix in illis lectitandis tempus terunt; quia in illis nulla traditionis lux, nullus Patrum candor, nullum ingenii & eruditionis lumen, nulla sæpè in rebus ex æquo & bono librandi sagacitas & boni sensus integritas inest, sed importuna loquacitas & farrago, ut apparet in illa opinionum portentosarum mole tam parum communis rationis notionibus consentanea, quarum posteà fortassis indiculum dabimus.

Nec in sola Gallia, sed ubique gentium Probabilismi impugnatores concitavit Spiritus Domini qui replet orbem terrarum. Nam & in Belgio Archiepiscopus Mechliniensis, Episcopus Gandavensis, Academia Lovaniensis: & in Italia Theologi ac Canonistæ præstantissimi effrenem in materia morum opinandi licentiam vehementissimis, & eruditissimis scriptis insectati sunt.

Sed interim dum tota Gallia fervet, & totus obstrepit ea contentione orbis, cui via parem superiora sæcula viderunt, dum motus factus est magnus, ita ut veritatis & fidei Catholicæ navicula operiretur fluctibus, videbatur non præ incuria, sed præ summa prudentia, sicut olim Christus, ita & tunc Romanus Pontifex in puppi dormiens, quando imminebat sibi suisque grande discrimen. Quia, ut egregiè dixit Chrysologus serm. 20. *Gubernatoris peritiam non probat tempestas serena, sed procellosa tempestas: blandiente aura, navim regit ultimus nauta; in confusione ventorum primi quæritur ars magistri.*

Catholici ergo videntes post tot Episcoporum censuras nihil Probabilistas de sua laxitate remittere, sed suis viribus fisos eam pro aris & focis tutari: videntes Pastorum suorum ordinariorum industriam, & in tenuigando laborem Probabilistarum insultus non coërcere, sed in multos potentiam sævire, illos fluctus petere, adversùm istos ventorum turbines convenisse: ad ipsum Gubernatorem terum, Prælatum mundi Catholici, Episcoporum Episcopum, Magistrum Ecclesiæ, Pastorem Vrbis & orbis trepidi confugerunt (jactitabant enim Adversarii Probabilismum ad Romanam Sedem delatum à Summo Pontifice solenni approbatione adornandum, quâ insani asseverantiâ non paucis timor incutiebatur.) petentes ut sedaret fluctus, periculum submoveret, salutem morbis redderet desperatis. Denique *discipuli accedunt ad Dominum, & suscitaverunt eum dicentes: Domine salva nos, perimus.*

Perimus planè, Beatissime Alexander, nisi verbo tuo reprimas mare, recutias fluctus, dissipes turbines, des quietem. Perimus, inquam, quia Probabilistarum flabra, dissidiorum de salute procellæ, Casuistarum nubes,

nobes, opinionum nebulæ sic ruerunt, ut nisi caveas, totius fiet Christiani mundi una tempestas. Perimus, inquam, quia laxitatum spumant undæ, fervent fluctus, sonat rabies, torantur gurgites, notantur scopuli, Christiana mugiunt littora, se undique fatens ac perniciosus ingerit turbo, impendent naufragia, & est totius mundi unum discrimen, una causa communis. Perimus, inquam, nisi probabilitatum mare corripias, tranquilles orbem, sedes fluctus, componas mores, teformes abusus, luxuriantium animorum tumores dejicias & spumas, & Romano cœlo tonante, tantæ taceant novitatum. Perimus, inquam, quia Aquilo durus ventus, à quo panditur omne malum, frigidas invehit opiniones, divini amoris ignem extinguit, dum negat necessarium, mentes confundit, leges delet, sorbet judicia, conscientias mergit, totius Christianismi statum ferè cogit esse naufragium. Et nos iterum atque iterum clamamus: Domine salva nos, perimus. Perimus, inquam, quia avaritia furit, usura serpit, simonia fœtet, anhelat pompa, iniquitas placet, aliena delectant; *ita ut adimpleretur navis*, cùm tot penè corruptelas invehant Probabilistæ, quot divinæ legis legimus esse quæstiones.

Exurge, Beatissime Papa, exurge, quare obdormis, & ne repellas in finem? Ubi est illud: *Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israel?* Nonne ad te pertinet, si perimus, si fundamur fluctuum scandalis, si novitatum periculis mergimur, si operimur furore ondarum? Lege, si placet, librum Apologiæ Casuistarum, & animadverte quanræ ibi sylvescant segetes sacrilegiorum atque errorum; & si quidem judicas Ecclesiam Gallicanam justè moveri, moveatur omnium Magistra Romana. Et ne frustra moveatur, age pro loco quem tenes, pro dignitate soli Deo inferiori, quâ polles; pro potestate Christiani orbis, quam accepisti, quomodo opera tenebrarum ausa prodire in lucem, arguantur à luce in lucem, ut qui publicè peccavit, publicè arguatur. Tu solus & errorum domitor, & moderator veritatum: si nos audietis, si fueris evigilare dignatus, planabuntur undæ, & tumidi fluctus sternentur & colles: venti diffugient, peribit procella, magnaque tempestas in tranquillitatem maximam commutabitur.

Non frustra fusus est fidelium gemitus. *Per se non dormit, neque sibi dormitat* (Pontificia) *majestas expers lassitudinis, quietis ignara*, inquit Chrysol. Claudebat oculos Romanus Præsul horrore laxitatum: dormire videbatur tepidis, qui semper pius vigilat & perfectis: fingebat se dormire, ut palpebræ ejus interrogarent filios hominum: avertebat faciem suam à peccatis, ut patientiâ revocaret delicatos filios, quos fortassis paterna verbera asperassent. Claudebat oculos, & iterum aperiebat, ut currentes incitaret, lassescentes erigeret, respiceret supplicantes; quia Filiis aliàs Catholicis non nocere per rigorem, sed consulere avebat per disciplinam. *Nam qui trucidat, non considerat quemadmodum laniet; qui autem curat, considerat quemadmodum sanet.* Nolebat sapientissimus Papa persequi sanitatem, sed putredinem: perfecto odio oderat non homines, sed errores. Illum induerat christianum animum Christi Vicarius, quem omnibus inspirat Augustinus: *Diligite homines, interficite errores: sine superbia de veritate præsumite, sine sævitia pro veritate certate.* Sperabat patientissimus Pater, tam insignia è probabilitatis fonte fluxa flagitia ipsis suis authoribus futura horrori, quæ non profligatis Ethnicis pudori, ac Turcis non planè improbis offensioni forent. Confidebat sufficere communissimas pietatis notiones Christianæ institutione nobis impressas ad tot errorum portenta detegenda, aspernandaque, quia omne malum, & tam apertum malum timore aut pudore natura perfudit. Non existimabat esse necessaria Vaticani fulmina ad eâ comprimenda dogmata, quibus auditis tota cohorruit Ecclesia, publicisque illa execrationibus prosequuta est.

Advertens tamen Pontifex Probabilistas suâ patientiâ non revocari, sed abuti, pertæsus tot novarum opinionum hoc sæculo in Theologiam moralem inductarum, quibus disciplina Evangelica resolvitur, ac conscientiis cum gravi animarum periculo illuditur, Apologiam Casuistarum solenni diplomate damnavit die 26. Augusti 1659. eamque pro damnata & prohibita haberi voluit. Mandavitque Sanctitas sua, ut nemo cujuscomque gradus & conditionis existat, etiam speciali & specialissimâ notâ dignus, prædictum librum apud se retineat, aut legat. Plures etiam propositiones, seu varia vagæ probabilitatis consectaria, significato intrinseco sui Apostolici cordis dolore, tanquam temeraria & scandalosa damnavit, eaque doceri, aut defendi, vel ad praxim deduci, in Congregatione generali Sacræ Romanæ Inquisitionis habita die 24. Septembris anni 1665. & iterum die 18. Martii 666. prohibuit, & pestiferam gangrænam Apostolico ferro amputavit. Et nominatim inter illas nefandas propositiones unam proscripsit omnibus ferè Probabilistis probatissimam, quæ est numero 27. *Alicujus junioris & moderni debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.*

Quibus decretis, tingentibus licèt & frementibus Probabilistis, rescissa est laxitatis hydra è turbidis recentiorum fluentis & paludibus in puritatis orthodoxæ cladem infeliciter enata: subjecta est omnium oculis serpens ad Evangelicæ & Ecclesiasticæ disciplinæ eversionem corruptæ doctrinæ contages. Amotum est à Catholicorum nomine propudiosæ morum disciplinæ infame dedecus ab Hæreticis impudentissimè objectum. Præcepta Calvinistis & Lutheranis deturpandæ Romanæ Ecclesiæ ansa & materia.

Ex quibus omnibus apodicticè concludo, & formo demonstrationem, ni fallor, invictissimam: Communis Ecclesiæ Catholicæ sensus est irrefragabilis Theologiæ locus, ita ut nullus citra errorem & hæresim possit unanimi Catholicorum Sacerdotum, Episcoporumque conspirationi refragari: præsertim postquam Academiarum Theologicarum toto orbe celeberrimarum, Episcoporumque non semel convenientium judicis ipsius summi Pontificis authoritas accessit; tunc enim nihil deesse videtur, cur non à tota Ecclesia aliqua doctrina debeat censeri approbata, vel damnata. Atqui vaga probabilitas, ejusque innumera corollaria ab universo ferè Clero Gallicano accusata, à Facultatibus Theologicis, & ab omninò multis Ecclesiæ Episcopis, ac demùm ab ipso Summo Pontifice damnata & proscripta fuerunt, adeò ut tunc probabilismus nullum habuerit manifestum defensorem, sed latentes solùm sub larvatis nominibus patronos paucos; ii si etiam qui antea & in Episcoporum censuras insurrexerant, & in ipsum Summum Pontificem contumeliosis vocibus privatim invecti fuerant, ultrò se Romano judicio eâ quâ par est obedientiâ supposuerint; quam professionem sinceram credere Christiana charitas, quæ non cogitat mala, compellit. Ergo ex communi Ecclesiæ consensu vaga opinionum recentiorum probabilitas explodenda est, deviæque illi tramites intercludendi, quibus in interitum ferri proclive est. Major est principium Theologiæ dissertatione præambula hujus voluminis propugnatum; Episcoporum enim Catholicorum unius clarissimi Regni consensus nollo apertè contradicente susceptus, ad multas hæreses profligandas semper in Ecclesia sufficiens habitus est, nisi Sedes Petri restiterit; sed quid dum authoritate Romana firmatur? Minorem verò propositionem oculi nostri videtunt,

viderunt, aures nostræ audierunt, & ipsæ manus contrectaverunt.

Si juxta Probabilistarum principia, pro quibus tam acriter pugnant, omne probabile licitum est; illud verò probabile esse dicunt, quod alicujus præstantis doctrinâ & pietate Theologi authoritate constat, planè probabilis, & omninò probabilissima est nostra probabilitatis repulsa & reprobatio, quæ tot illustrium Ecclesiæ Rectorum judicio firmata est. Hos dum sequor, si erro, tutò & libenter erro, quia illos audio, de quibus Veritas dixit: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit.* Quin dum hos audio, errare nequeo, etiam secundùm illos contra quos pugno; nam si tuta est probabilis sententia, quomodo non probabilis erit, quomodo non tuta sententia, quæ jubet probabiliora sequi, tutaque sectari? Quomodo non probabilis, quæ ab illis probata est, quibus dijudicandorum dogmatum potestas divinitus commissa est, nec defuit in ferendo judicio accurata maturæ deliberationis diligentia? Saltem, ni fallor, ad illam se redigent Probabilistæ æquitatem, ut non plus sibi tribuant, quàm tantæ Prælatorum coronæ. Patiantur nos ab illis recedere, & ab illorum dogmatis dissentire, quæ tantæ locupletum, & omni exceptione majorum testium & judicum sententiæ periculosa & scandalosa reputaverunt. Si juxta Probabilistas Confessarius severioris disciplinæ tenax peccati mortalis reus est, qui renuit absolvere pœnitentem sequutum aliquam opinionem, quam nuper Diana, Caramuel, vel Tamburinus probabilem effecere; quantò magis peccati mortalis reus ero, si illum contra tot Ecclesiæ Rectorum consensum absolvero? Qua enim æquitate & sobrietate volent sua judicia Magistrorum Ecclesiæ judiciis anteferri?

Reflexio, & apostrophe ad Probabilistas.

Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati: perspicua Majorum fides nulla cœni permixtione turbetur, aiebat S. Xystus *in epist. ad Episc. Ant.* Post exploratam Pontificum, Conciliorum, Ecclesiæque consensionem, quid superest, ô Probabilistæ, nisi ut vos cum Apostolo obsecrem, ut idipsum dicamus omnes, & non sint in nobis schismata, sed perfecti simus in eodem sensu, & in eadem sententia. Ad hanc consensionis amussim, ad tam præclaram communionis regulam difficultates morales exigamus, hoc eas Sanctuarii pondere libremus, novitates sopiamus, unitatem custodiamus. Nonne scitis, genuinum Catholicorum Doctorum characterem esse unanimi inter se consensione conspirare, uno ore loqui, idem intima voluntatum & animorum conjunctione sentire? Nonne sæpè dicitis, sæpè, vereque docetis, Sacræ concordiæ telo de omnibus hostibus suis Ecclesiam Romanam triumphasse? Certè sicut oculi sani, tametsi duo sint, ob internam tamen unionem non duplicatas, sed singulas res vident; *lippientibus verò singularis lucerna numerosa est*, ut dixit Tertullianus: sicut dum duo consentiunt super terram, de omni re quamcunque petierint, teste Veritate, fit illis à Patre qui in cœlis est; dissidentium verò orationes aspernatur Deus pacis: sic puræ disciplinæ moralis concordia, doctrinæ similitudo & consonantia & Deo placet, & Ecclesiam honorat, & Fideles ædificat, & hæreticos quosque confundit. Scio quidem Spiritum veritatis esse multiplicem in donis, varium in gratiis, quas dividit prout vult, alii sic, alii autem sic; sed in tam multiplici varietatis ornatu spiritales Ecclesiæ Magistri, in doctrina præsertim morum longè gravissima eodem consensionis vinculo conjungi, eadem sententiarum fibula constringi, uno spiritu respirare debent.

Qui unitatem fidei profitemur, quidni morum concordem doctrinam æmulabimur? Si stemus simul; quis erit adversarius noster? Si spiritalia ossa inter se convertantur, non secundùm commissuras articulorum, & ligamina nervorum, sed ejusdem charitatis & pacis in unum conspirantis colligationem; quis Ecclesiæ constantem firmitudinem attentabit? Idipsum dicamus omnes: Ethica nostra unius labii, unius coloris sit, assimileturque lapidum fornici, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso, ut ait Seneca, sustinetur. Credamus clarissimos præstantissimi & amplissimi regni Parochos excitasse Spiritum sanctum, qui à Cyrillo Ierosolymitano catech. 17. *Universalis Ecclesiæ Parochus* appellatur. Assentiamur Episcoporum judiciis, quos Episcopus animarum Christus nobis præfecit, quosve regere Ecclesiam suam posuit Spiritus sanctus. Illi ultrò obtemperemus primo Pastori, cui in persona Petri Pastor bonus dixit: *Pasce oves meas. Quas?* (quærit Bernardus aliàs laudatus) *Illius vel illius populos civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes. Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil.* Et hoc ita voluit Salvator, ut *cōmittens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege, & in uno Pastore, secundùm illud, Una est columba mea, formosa mea, perfecta mea. Ubi unitas, ibi perfectio.*

Ferbuit non ita pridem tota Gallia contentione gravissima, num Constitutionibus Pontificiis & Episcoporum sanctionibus Regia authoritate munitis deberent se omnes animo subjicere quoad facti in Iansenium quæstionem, & subscribere celeberrimæ formulæ tenerentur etiam illi, quibus persuasum erat rem secus se habere, & errorem facti vel contigisse, vel contingere saltem potuisse. Cùm cæteroquin omnes penè fateantur infallibilitatem in rebus facti vel summo Pontifici, vel Conciliis œcumenicis minimè esse asserendam, nec posse sine errore asseri; quia omnis definiendarum controversiarum collata Ecclesiæ authoritas uni divino verbo ad nos sacris paginis vel traditione perlato innititur. Gravis, inquam, fuit contentio: Affirmabant nonnulli, non esse his facti dissidiis pacem Ecclesiæ sollicitandam, modò quinque propositiones ubicumque repertas, quas Apostolica Sedes damnatas voluit, ipsi sincero corde in germano earum naturalis intellectus sensu damnarent. Alii contrà obnixè urgebant, permiscendas esse juris factique quæstiones, nec patiebantur unam ab altera sejungi, nec uni subscribendum volebant, quin alteri quoque subscriberetur, timentes ne qui utrique conjunctim subscribere detrectarent, clam propositiones defenderent, vel apud se earum assensum continerent. Alii subscriptionem & permittebant, & præcipiebant in signum obsequii & reverentiæ quæ Ecclesiæ & Prælatis ejus debetur maxima; ita tamen ut subscriptio quæstioni juris assensum, in quæstionem verò facti reverentiam significaret. Censebant enim pro bono pacis non esse illa distinguenda, quæ supponi debebant distincta, nec esse necessarium, & multò minùs utile ea operosè seponere, quæ nunquam sibi Pontifices, nunquam Concilia asseruerunt; sed licitum fuisse eas tricas dissimulare, & quasi ignorare, quarum scrutatio tantam creaverat invidiam. Alii demùm arbitrabantur, quod sicut in sententiis D. Thomæ homo publicis & authenticis testibus juridicè criminis capitali pœna digni convictus potest à judice, tametsi innocentiæ ejus conscio, secundùm allegata & probata contra privatam scientiam condemnari: ita Iansenius publico Ecclesiæ judicio damnatus poterat ab omnibus sine quæstionum facti & juris discretione per subscriptionem damnari, & ab iis maximè, à quibus ignorabatur Iansenii sensus, nec lectus erat liber. Hanc contro-

versiam

versiam non dirimo in præs[illegible]iatum, sed in omnibus, & per omnia Romano Pontifici me tota devotione subjicio, & gaudeo totam hanc litem à Clemente IX. non minùs eximiâ morum castimoniâ quàm dignitate sanctissimo, & vivo Pii V. aliorumve insigniorum Pontificum simolachro mirâ esse sapientiâ compositam. Sed illud ex hac dissensione non mediocre emolumentum reporto, præsenti instituto opportunum.

In negotio Ianseuii omnes ad unum contestati sunt circa facti etiam quæstiones profundam summo Pontifici reverentiam esse præstandam; & alii ulteriùs progressi obnixè contenderunt, ut doctrina Iansenii in sensu ipsius, totius Ecclesiæ subscriptione sine ulla facti, jurisque præcisione damnaretur. Benè est, laudo zelum, sed desidero constantem. Nonne idem Alexander & Iansenii propositiones damnavit, & Apologiam Casuistarum proscripsit? Nonne iidem Galliarum Episcopi in laxissimam Probabilistarum doctrinam graves tulere censuras, nec minùs acerbas iis quibus Iansenium reprobarunt? Nunquid Ecclesiæ decreta patent exceptionibus arbitrariis suscipientium, qui non eodem reverentiæ obsequio ea prosequi tenentur? Vbi æquitas? Vbi præjudiciorum vacuitas ab acceptione personarum aliena?

Quin etiam post damnatas quinque propositiones nullum vidimus qui eas in dubium revocarit, nullus qui illa impia quinque dogmata defenderit, nullus qui non sinceram erga Innocentii X. constitutionem in Gallias allatam animi reverentiam non significarit, nullus qui non paratum promptumque se diserit ad obsequium suum subscriptione sua testandum. Omnes pro norma delegerunt Pontificiam constitutionem; ad hanc ipsam ipsum exigendum Iansenium, etiam qui de facto dubitabant, contestati sunt, ut de eo, prout cum illa norma consentiret, vel dissentiret, judicaretur. Et quanvis aliqui crediderint in ea professione multam simulationem latêre, animum à lingua dissidêre, forisque Catholicos mentem intrinsecus hæreticam recondere: Ego tamen qui prophetiæ dono careo, cordisque pervadendi privilegio non gaudeo, eandem professionem tandiu sinceram habeo, quandiu ejus authores non se mendacii apertè coarguunt, quia ut semel, & iterum dixit Gregorius Magnus: *Si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur. Nam veraciter confitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere.* Sed utut sit, id tandem apud omnes est in confesso, nullum in foro exteriori adversùs Innocentii constitutionem reclamasse.

At contrà in negotio damnatæ corruptæ disciplinæ moralis res aliter contigit. Multi etenim suppressis Authorum nominibus libri sparsi sunt, in quibus non de facto disceptatur, sed perniciosissimi errores, quibus Apologia Casuistarum scatet, & in omnium indignationem incurrit, evulgantur, & defenduntur propositiones eædem individuæ ab Alexandro VII. damnatæ, & mutatis Authorum nominibus interpolantur. Quis nescit Lugduni post reprobatam Apologiam typis mandatum Amadæum Guimenium, in quo Apologiæ flagitia moralia non modò propugnantur, sed atrociora adduntur etiam cum superpondio atque auctario, ita ut unus videatur scopus huic authori præstitutus, comprobare in quas doctrinæ corruptelas deserti à Dei gratia, suisque permissi cogitationibus homines prolabi possint? Vidimus alia publicis typis committi & luci exponi opera tenebrarum, in quibus non pars Religionis lacessitur, sed tota penitus evertitur, in quibus Christianæ pietatis officia inditus profligantur. Vidimus præcepta fidei, spei, caritatis, & religionis eludi, & ita ad nihilum redigi, ut vix illis ullus supersit locus: justitiæ, societatis, & honestatis humanæ vincula homicidiis, calumniis, restrictionibus mentalibus, furtis, usuris, quibusdam distinctiunculis honestatis rumpi, ac dissolvi eâ, adeoque patente licentiâ, ut nullum sit tam insolens scelerum genus, quod probabilitatis regulis & coloribus non defendatur.

Vbi ergo antiquus ille, laudandusque in quinque propositiones zelus? Ethica Christiana post Episcoporum censuras, post Alexandri geminatas constitutiones infrunitè laceratur, induiturque sapientia non desursum descendens, cùm sit cœno lutoque concreta; non Pharisaïca, cùm legis litteram & externam Pharisæorum probitatem eliminet; non Christiana, cùm Evangelii arctissimas maximas extinguat; non Philosophica, cùm naturali æquitati infensa sit; non civilis, cùm societatis, pacisque politicæ fundamenta convellat; sed terrena & animalis: & tamen nemo movetur, nemo de formula subscriptione omnium firmanda cogitationem suscipit! Hoc sanè est, quod me stupore defigit. Et auget admirationem, quod longè major est dubitandi ratio, major timendi causa, ne plures sint Apologiæ propositionum defensores, quàm inveniantur quinque propositionum propugnatores. Nullus quippe apparuit liber, nulla prodiit scriptiuncula, ubi alicujus damnatarum quinque propositionum defensio suscepta sit; sed omnes etiam accusati, etiam de facto ambigentes, detestari se quinque illa dogmata iis verbis professi sunt, quibus nihil cogitari possit significantius aut apertius. Videmus verò quotidie cudi opuscula, in quibus eædem probabilitatis cantilenæ recinuntur, & detractis quibusdam laciniis, ejusdem materiæ, formæ, spiritus, & laxitatis sententiæ vulgantur, recoquuntur, refinguntur.

Fas, sodes, sit exhaurire quod reliquum est admirationis. Cur in tam pari causa tam dispar est exitus, tam dispar zelus? Si res à nobis non privatis simultatibus, vel politicis artibus, sed uno veritatis amore, una erga Romanorum Antistitum obedientiâ ageretur; si non quæreremus quæ nostra sunt, sed quæ Iesu Christi; si non propria communibus, sed communia propriis anteponeremus, cur inusitatæ exceptionis lege, quam nonnullis veniam concedimus, eam aliis eriperemus? Cur & propositiones Iansenii, & corruptelas Apologiæ sine acceptione personarum non detestaremur? Cur non instituta est in Gallia aliqua formula, in qua corruptionum moralium laxitas omnibus subscriptione damnanda offerretur, cùm certum sit quamplures non solùm intus recondere, sed foris propalare, & ad praxim damnatas propositiones reducere? Quibus, quamve aliis consiliis negotium istud gubernetur, planè non capio. Quâ de causa quorundam mucro quiescat, nec sese evaginet ad occidendum; nec limet se, ut fulgeat, non intelligo. Cur tam multorum gladius Iansenismum tam libenter confodiens, in causa Probabilismi hæreat in vagina, non capio. Cur illi iidem, tam parum iidem, & qui nullum non movetunt lapidem ut Iansenismus & à Clericis & Laïcis, & à Religiosis & Sæcularibus, & à viris & mulieribus damnaretur; jam quasi emarcuisset nervus eorum, nemo illorum de tanta Ethicæ Christianæ obscuratione, & contundendis obscuratoribus ulla sollicitudine tangitur? Vnde hoc, quæso, unde hoc?

Causas hujus operosè non scrutor; tibi judicium, Lector, permittent ipsi Adversarii, modò probabili rationi innitaris. Id à te exigo, ut Ecclesiæ Prælatorum consensioni, Romanæque Sedis censuræ eadem semper fide, eadem observantia obsequaris: non sit tibi pondus & pondus: omnia columbino intuens oculo, solius Dei & proximi quære lucra, relinque

tua,

tua. Ne dividas cor tuum, ut illud & Dei rebus, & tuis pariter seculis impartiaris. Amputetur omnis lucri vel gloriolæ causâ contentio, omnia Dei causâ suscipiantur. Quàm præclarè Bernardus serm. 41. in Cant. & in declamat. *Væ qui benè de Deo & sentire & eloqui acceperunt, si quæstum æstiment pietatem, si convertant ad inanem gloriam quod ad lucra Dei acceperant erogandum, si alta sapientiæ humilibus non consentiant. Paveant quod in Propheta legitur, dicente Domino: Dedi eis aurum meum, & argentum meum; ipsi autem de argento & auro meo operati sunt Baal. Clericus qui partem habet in terra, non habebit partem in cœlo: itemque Clericus si partem habueris præter Dominum, pars ejus non erit Dominus.*

Ergo, Lector, non sis tui dissimilis, obedientia tua, & in Ecclesiam obsequium tuum unicè colatur sit; nec illos imitere, qui in Summos Pontifices ita diverso sunt animo comparati, ut si quid pronuntient quod sibi faveat, quasi de ore Dei meritò excipiunt; si quid verò decernant quod ipsis adversetur, penitus abjiciant, non spiritu & veritate, sed commodis omnia propriis metientes. Nec mirum si ita sint varii, quia probabilitas, quam tuentur, opiniosa & varia; veritas semper sui similis est. Vnde Magnus Leo serm. 18. de Pass. *Hoc maximè ad Christianæ fidei pertinet soliditatem, ut secundum Apostolicam doctrinam id ipsum dicamus omnes, & simus perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia. Infidelitas quippe quæ omnium est mater errorum, in multas opiniones, quas arte dicendi necesse habeat colorare, distrahitur: veritatis autem testificatio nunquam à sua luce discedit.*

CAPVT II.

S. Thomæ inconcussa authoritate, Theologorum suffragiis, & omnigenarum rationum momentis Probabilismus evertitur.

B*Enè se res habet, jacta sunt fundamenta operis pia molitione cœpti, & divini officii amore suscepti. Et ideo non sunt solubili luto posita, nec temporali lapide constructa, sed sacrarum expensarum confectione validata, & divini magisterii arte firmata, quæ ut ipse in Evangelio Deus dicit, nec ventis possint furentibus concuti, nec alluvione fluminum subrui, nec pluviarum infusione dissolvi. Cùm enim opus hoc manus quodammodo divinorum voluminum instruxerit, & cœlestium scripturarum compago solidarit, necesse est tam esse firma hæc per Dominum* Iesum Christum *quæ facta sunt, quàm firma illa sunt quæ fecerunt ædificium,* inquit Salvianus *lib. 3. de Providentia*, cujus verba in hac materia nobis usurpare liceat, quibus primum studium fuit sectandæ tutioris opinionis necessitatem sacra authoritate stabilire, ut nullis posset impugnationibus concuti, quæ tam firmis esset innixa fundamentis. Sicut enim in terrenis ædificiis dejicere parietes nullus potest, nisi priùs lapides & cæmenta disjecerit: sic ædificium quod struimus, dissolvere nullus valet, nisi id unde structum & erectum est, antè dissolverit. Quod quia labefactari utique nequaquam potest, rectè etiam à nobis incolumitas ædificii præsumitur, cujus status subsidiis immortalibus continetur. Sufficeret quidem ad nostræ causæ probationem tam unanimis sanctissimæ authoritatis consensus; sufficeret nobis velle Deum homines semper tutiora & viciniora salutis eligere; sufficeret ita se gessisse Sanctos omnes: hæc, inquam, abundè ad plenissimam rationem sufficerent; quia satis est pro universis rationibus author Deus. nec necesse est ut argumentis probetur, quod hoc ipsum quod à Deo dicitur, comprobatur. *Alia enim omnia,* inquit laudatus Salvianus, *id est humana dicta, argumentis ac testibus egent: Dei autem sermo ipse sibi testis est; quia necesse est quidquid incorrupta veritas loquitur, incorruptum sit testimonium veritatis.* Sed tamen quia nullam esse omninò arbitror in universa Theologia quæstionem istâ quam versamus graviorem, in qua omnis Ethicæ Christianæ puritas vertitur ac periclitatur, post productos in aciem quinque priores locos Theologicos, quos vocant irrefragabiles, à Scriptura, traditione Patrum, Conciliorum decretis, Pontificum Romanorum constitutionibus, & Ecclesiæ Catholicæ consensu, operæpretium est rationibus veritatem confirmare; & quia omnes ferè ex inexhausta Angelici Doctoris aurifodina erutæ sunt, placet in antecessum tanti Magistri mentem exponere, cujus authoritatis solius pondus ad totam sufficit controversiam definiendam. Debueramus illum quidem inter Ecclesiæ Patres recensere, qui omnium est Patrum Echo, & in optimorum Ecclesiæ Magistrorum numerum ipsa ascribit Ecclesia: sed quia ejus nomen speciali est omnibus Theologis Christianis amori & venerationi, speciali etiam diligentiâ ejus est mens repræsentanda, de quo in ejus officio authoritate Apostolicâ probato in ordine Prædicatorum canimus: *Orbis decor, dux, lux fidelium: norma, limes, lux morum omnium.*

Speculatio I.

S. Thomæ testimoniis luce clarioribus Probabilismus exploditur, communis veterum Theologorum sensus proponitur. Solida Thomistarum vindiciæ.

NOn est opus conjecturis, aut argumentorum circuitu, quando mens alicujus de se patet. Adeò autem apertè S. Doctor versatilem probabilitatem exclusit, ut ejus verba non ponderatione egeant, sed nuda repræsentatione. Sic enim loquitur *quodlib. 8. art. 13.* ubi quærit: *An quando sunt diversæ opiniones de aliquo facto, ille qui sequitur minùs tutam, peccet?* Cui quæstioni quomodo respondeat, attentè audiendum est, cùm ibi perspicuè punctum præsentis controversiæ proponatur. Ecce locum integrum.

Respondeo dicendum, quod duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: Uno modo faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem, ut si conscientia dictat alicui quod levare festucam de terra sit peccatum mortale. Ex conscientia autem aliquis obligatur ad peccatum, sive habeat certam fidem de contrario ejus quod agit, sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione. Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam. Et similiter quod est contra conscientiam, est malum, quamvis non sit contra legem. Quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum.

Dicendum est ergo, quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures Præbendas, facit contra veram opinionem, & sic cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam: sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quod verè licet habere plures Præbendas; & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario; & sic iterum peccat contra

conscientiam faciens, quamvis non contra legem, aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum; & sic si manente dubitatione plures Præbendas habet, periculo se committit, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat.

Hæc D. Thomas. Quæ verba adeo plana & luculenta visa sunt Amadeo Guimenio, ut *tract. de opinion. probab. num. 6.* dixerit: *Hæc si vera sint, væ operantibus ex opinione probabili.* Et meritò ita dixit; si enim his verbis opinionem minùs probabilem, falsam & æternæ legi adversam non refutat S. Doctor, nihil unquam S. Thomas refutavit, quia nihil potest significantiùs refutari. Nam præterquam quod expressè docet, quæcumque opera contra legem æternam perperam facta semper esse mala, quamvis sint secundùm conscientiam, ex quo fit nullam dari juris naturalis invincibilem ignorantiam, quo principio apud D. Thomam constantissimo, & superiori capite demonstrato omnem funditus tolli minoris probabilitatis securitatem fatentur ipsi Probabilistæ; præter hoc, inquam, sic claritatis gratiâ ex verbis D. Thomæ argumentor in forma.

Ex D. Thoma, *duobus modis aliquis ad peccatum obligatur: uno modo faciendo contra legem, ut cùm aliquis fornicatur: alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem. Illud autem quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundùm conscientiam.* Atqui secundùm Probabilistas non est semper malum quod est contra legem, sed excusatur per hoc quod est secundùm conscientiam, etiam minùs probabilem: Ergo Probabilistarum doctrina nullatenus est S. Thomæ consentanea, sed è diametro opposita; cùm eorum sententia illi uni principio unicè subnixa sit, nimirum illum à peccato excusari, qui in conflictu opinionum sequitur opinionem reipsa falsam, & æternæ legi adversam, dummodo eam probabilem existimet, quia sic excusatur per hoc quod est secundùm conscientiam. Quod est in terminis S. Thomæ contradicere.

Iterum: S. Thomas inde probat, eum qui habet plures Præbendas peccare, si illa opinio quæ docet eas habere, sit contra legem; quia *quod est contra legem, semper est peccatum.* Atqui S. Thomas non loquitur de his quæ sunt apertè & notoriè contra legem: tum quia jam ageretur etiam contra conscientiam; tum quia in illa quæstione de pluribus præbendis, non erat constans & certus Ecclesiæ sensus, cùm testetur idem S. Doctor quodl. 9. art. 15. *Periculosum est* (determinare) *ubi veritas ambigua est: quod in hac quæstione accidit. Cùm enim hæc quæstio ad Theologos pertineat & ad Iuristas, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Iuristæ Iuristis contraria sentire. In jure namque divino non invenitur determinatum expressè, cùm in sacra Scriptura expressa mentio de ea non fiat.* Ergo ex D. Thoma, qui sequitur opinionem falsam & contrariam legi, semper peccat, etsi non sit apertum, opinionem illam esse contra legem, & in ea inveniantur Theologi Theologis, & Iuristæ Iuristis contraria probabiliter sentire.

Rursum argumentor: Ex D. Thoma, *quando duæ sunt opiniones Doctorum de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam; & qui facit contra veram opinionem, cùm facit contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam.* Atqui ille qui ex opinione probabili falsâ operatur, facit contra veram opinionem, quamvis non faciat contra conscientiam: Ergo qui ex opinione probabili contra legem agit, peccat. Nec loquitur S. Doctor de opinione evidenter & manifestè falsa, quia non esset opinio, sed certus & perspectus error: Ergo censet S. Præceptor, per quamcunque voluntariam legis æternæ violationem, etiam opinione probabili fultam, hominem in peccatum incurrere, cùm ex S. Præceptore detur casus, in quo quis agens contra legem peccat, tametsi non agat contra conscientiam: nunquam verò homo agat contra manifestam sibi legem, quin agat contra conscientiam. Qui casus S. Thomæ nunquam contingit, in sententia Probabilistarum, juxta quos nullus peccat contra legem, quin simul peccet contra conscientiam; nec potest quisquam contra legem peccare, qui secundùm conscientiam operetur. Ergo evidenter probabilissimus asserens securitatem opinioni minùs tutæ, minusve probabili, fuit à S. Thoma refutatus, qui in tribus casibus ait committi peccatum, & cùm opinio à veritate & lege æterna dissentit, & cùm opinio vera dictamini conscientiæ adversatur, & etiam cùm non habetur conscientia de contrario, sed certitudo à ratione orta, sed dubitationem ex contrarietate opinionum non excludens: quam quidem dubitationem non tollit, sed auget opinio minùs probabilis in concursu probabilioris, ut superiori capite exponendo celebrem juris regulam exposuimus. Et certè si ex D. Thoma ille peccat, *etiamsi non habeat conscientiam de contrario, sed certitudinem, si in quandam dubitationem inducatur ex contrarietate opinionum, quia sic periculo se committit;* quanto magis peccat, qui sequitur opinionem minùs probabilem, minusve tutam, de qua non solùm aliquam dubitationem patitur, sed quam probabiliùs falsam opinatur? Non poterat S. Doctor hujusce difficultatis ramos accuratiùs secernere, nec disertiùs definire.

Mirum est quot, & quantis modis, quámve subtilibus declinationibus, & veluti nebulis tam splendentem locum eludere & obscurare in omne latus se vertentes Probabilistæ satagerint. Sed revera locus ille, ut phrasi Tertull. utar, *ita claret, quod ipsius Solis radiis eum putem scriptum.* Vnde omnia hæc unica observatione evanescunt, quod ex D. Thoma datur casus in quo quis agens contra legem Dei, peccat, etsi non agat contra conscientiam; quia quod agitur contra legem æternam, semper est malum, etsi non sit contra conscientiam, & multò magis quando est contra conscientiam probabiliorem. At verò secundùm Probabilistas nullus est casus, in quo quis peccet contra legem Dei, in quo simul non peccet contra conscientiam. Vnde manifestum est, nullam secundùm D. Thomam dari juris naturalis invincibilem ignorantiam, quæ possit ullo opinionis probabilis prætextu excusari, ulla Magistrorum authoritate defendi. Quod optimè roborat Vincentius Baronius in tertia sua editione Operis moralis contra Amadeum Guimenium, *pagina mihi* 21. ex notandissima S. Præceptoris doctrina *ejusdem quodl. art.* 15. ubi tradit quod error conscientiæ quandoque habet vim absolvendi, quando scilicet procedit ex ignorantia ejus, quod quis scire non potest, vel non tenetur: sicut si aliquis intenderet accedere ad uxorem suam causâ delectationis, & ita intendenti supponeretur alia, tunc non peccaret mortaliter ob ignorantiam facti, sed venialiter propter amorem delectationis per se quæsitæ. Si verò error conscientiæ pertineat ad res juris naturalis, tunc non excusat à peccato, quia jus naturale quisque scire potest, & tenetur. *Sicut*, inquit, *si quis crederet fornicationem simplicem esse peccatum veniale, & tunc quamvis crederet se peccare venialiter* (utique ex aliqua opinione probabili) *non tamen peccaret venialiter, sed mortaliter.* Vbi apertè damnat S. Doctor opiniones falsas contra legem, constituto

discrimin

discrimine inter ignorantiam rerum facti & juris, quòd illa interdum, ista nunquam excuset à peccato. Et omninò observandum est exemplum fornicationis, ut videas quàm verè, & D. Thomæ consonè diximus *cap. præcedenti*, contra P. Mercorum in hac parte remissum, actum fornicationis existimatum erroneè immunem à culpa, posse esse meritorium. Vnde crediderim P. Baronium pro nobis stare, tametsi alibi pro sua ingenita urbanitate, & nimiâ, quâ abundat, charitate propositionem Mercori excusare conetur.

Confirmatur ex alio illustri S. Thomæ loco, qui habetur *quodlib. 9. art. 15.* ibi: *Respondeo dicendum, quod omnis quæstio, in qua de peccato mortali agitur, nisi expressè veritas habeatur, periculosè determinatur; quia error quo non creditur esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam non excusat à toto, licèt fortè à tanto. Error vero quo creditur esse mortale, quod non est mortale, ex conscientia ligat ad peccatum mortale. Præcipuè autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quod in hac quæstione* (utrum liceat habere plures Præbendas) *accidit. Cùm enim hæc quæstio ad Theologos pertineat, in quantum dependet ex jure divino, vel ex jure naturali; & ad Juristas, in quantum dependet ex jure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Juristæ Juristis contraria sentire.* His verbis Probabilismum S. Doctor significanter & luculenter confutavit, & trita Probabilistarum pronuntiata disjecit. Etenim Probabilistæ docent, quod quando veritas perspicuè non habetur, tunc quæstiones sine periculo beneficio opinionis probabilis determinantur, permitteturque optio alterutram sine scrupulo eligendi. At D. Thomas contrà: *Quæstio*, inquit, *in qua de peccato mortali agitur, periculosè determinatur, nisi expressè veritas habeatur.* Certè si S. Doctor usum arbitrariæ probabilitatis agnovisset, quid ei promptius, aut expeditius occurrere natum erat, quàm juxta leges Probabilistarum sic respondere? Quia in hac quæstione Theologi Theologis, & Juristæ Juristis inveniuntur contraria sentire, potest quisque opinionem sibi benè visam tutò sectari.

Rursum Probabilistæ contendunt, quod error quo probabiliter creditur aliquid non esse peccatum mortale quod est peccatum mortale, conscientiam excusat à toto & tanto, sufficitque ad honestandam actionem, ad eique meritum conciliandum. At S. Thomas docet errorem illum *non excusare à toto, licet fortè à tanto.* Denique Probabilistæ tunc censent, delectum opinionis minùs probabilis, minusve tutæ vacare periculo, quando veritas non aperta, sed ambigua est; quia tunc probabilitas utriusque sententiæ sub veritatis ambiguitate constat, dum neutrius veritas aut falsitas percipitur. Nam varietas opinionum probabilium venit ex ignorantia veritatis, quæ si non lateret, non jam probabilis, sed planè certa esset sententia. Nam ut ait Bernard. lib. 5. de consider. cap. 2. *Opinio solâ verisimilitudine se tuetur. Opinio certi nihil habens, verum per verisimilia quærit potiùs quàm apprehendit. Opinio est quasi pro vero habere aliquid quod falsum esse nescias.* At verò S. Thomas tunc opinionum delectum ait *præcipuè periculosum esse, ubi veritas ambigua est.* Ergo versatilis probabilitatis licentia capitaliter Angelico Doctori adversatur.

Ex quo etiam illustri loco obiter collige, quàm deploranda sit tam multorum Semidoctorum præfidentia, qui tametsi sint solidæ doctrinæ & veræ pietatis necessariâ supellectile destituti, idoneos tamen se deputant ad confessiones audiendas, & intricatissimos conscientiæ nodos dissolvendos. Vix ullus invenitur, qui non istam Angelicis humeris metuendam functionem sine metu invadat, qui ab ea arceri non conquerатur, qui Magnatum, & Prælatorum regendæ conscientiæ se imparem putet; cùm tamen in tota Ecclesiæ administratione nullum opus vel sublimius, vel difficilius, vel ut ex D. Thoma audivimus, periculosius inveniatur. Quia nimirum semper anceps, semper periculi plenum Sanctis visum est regimen animarum. Hinc servi Dei post veras morum regulas consultas, post jugem Scripturarum meditationem, post orandi assiduitatem, post Canonum, Patrum, Pontificiorumque decretorum diligentem lectionem, post omnia Christianæ pietatis officia sedulò obita, ad regendos & consiliis instruendos alios longè imparatos se credunt. Et quandoque timor, quem timebant, evenit illis; quia nimirum error in jure naturali nec magistrum excusat, nec discipulum. Dicebat quondam Tacitus: *Vt olim flagitiis, sic nunc legibus laboramus.* Veriùs id dixero Casuistis, qui omnem detrahunt metum, qui omnibus sicut probabilitatem, ita securitatem offerunt, qui nulla munia detrectant, qui non coacti, sed ultrò, sed litibus intentatis Beneficia curata capessunt, nec timent hanc immotam divinæ sententiæ veritatem: *Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.*

Denique Angelicus Præceptor suam mentem nihilo minùs dilucidè significavit *quodlib. 3. art. 10.* ibi: *Respondeo dicendum, quod si sint diversæ opiniones Doctorum sacræ Scripturæ, si quidem non pertineant ad fidem & bonos mores, absque periculo auditores utramque opinionem sequi possunt. Tunc enim habet locum quod Apostolus dicit ad Rom. 14. Vnusquisque in suo sensu abundet. In his verò quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicujus Magistri. In talibus enim ignorantia non excusat; alioquin immunes à peccato fuissent qui secuti sunt opinionem Arrii, Nestorii, & aliorum Hæresiarcharum. Nec potest excusationem habere propter simplicitatem auditorum, si in talibus opinionem erroneam sequantur. In rebus enim dubiis non est de facili præstandus assensus; quin immò, ut Augustinus dicit in lib. 3. de doctr. Christ. consulere debet quis regulam fidei, quam de Scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ authoritate percepit.* Non dubito, quin Probabilistæ hanc D. Thomæ doctrinam duram prædicent. Videbunt enim, nisi se ultrò voluerint occæcare, his verbis gravem plagam inferri sententiæ suæ de securitate sententiæ probabilis, quâ censent in moralibus quemlibet excusari, si sequatur erroneam gravis Magistri opinionem.

Nec potest eludi hoc testimonium dicendo S. Thomam loqui de illis erroribus, qui manifestè Scripturæ adversantur. Hæc enim exceptio sponte sua cadit; Sanctus namque Doctor loquitur de errore qui secundùm se sacræ Scripturæ, vel Ecclesiæ Catholicæ adversatur, licèt erranti non sit hæc contrarietas manifesta; loquitur enim de opinione hæreticorum, quibus utique non constat sententias suas manifestè Scripturæ adversari, cùm oppositum contendant, & authoritate magistrorum suorum fieri credant: Atqui omnis error contra jus naturale secundùm se Scripturæ, imò & legi æternæ adversatur, tametsi error ille non sit ex culpa errantis ei semper manifestus: Ergo nullus error juris naturalis excusat sequentem opinionem Magistri.

Quare vehementer mirari subit, cur nonnulli Probabilistæ confidentiâ incredibili illum eundem locum, quo tam perspicuè Probabilismus damnatur, sibi favere scripserint, ibique perspicilis nescio quibus legerint, discipulum quemvis posse in moralibus magistri sui opinionem erroneam tutò sequi. Suspicor erroris occasionem nactos esse ex argumento *Sed contra*, articuli 13. *quodlib. 8.* suprà expensi, ubi S. Doctor ait: *Potest esse quod aliquis adhibet diligentiam, inquirens an habere plures Præbendas sit licitum,*

nec invenit aliquid quod ipsum moveat ad hoc quod sit illicitum: Ergo videtur quod sine peccato plures possit præbendas habere. Sed parum sunt in lectione Divi Thomæ versati, qui ex argumento *Sed contrà*, mentem D. Thomæ eliciunt. Solenne enim est S. Doctori utramque extremam sententiam priùs proponere, quàm ut suam responsionem producat. Unde non rarò solvit argumentum *Sed contrà*, quando non est doctrinæ corporis articuli consentaneum. Quod sciunt omnes qui D. Thomam frequentant, & fatetur Vasques *in 1. part. disp. 24. num. 2.* dicens: *Quod ex argumento Sed contrà, deduci videtur, minoris momenti conseri debet. Sæpiùs enim hoc genus argumenti non tam ponitur à S. Thoma ut confirmet id quod docet in articulo, quàm ut quæstionem propositam more solito ex utraque parte dubiam reddat. Quare illius sententia ex solutionibus argumentorum, & doctrina articuli semper conjicienda est.*

Dices: Hæ S. Thomæ authoritates nimis probant. Assertiones enim D. Thomæ universim prolatæ, peræquè probant, id quod fit contra legem positivam esse semper malum, atque illud quod fit contra legem naturalem, ut colligitur ex adductis à S. Doctore exemplis polygamiæ beneficiorum, seu plurium præbendarum jure positivo prohibitæ; & hæreticorum opiniones suorum magistrorum erroneas juri divino positivo adversas sequentium: Ergo tam generalis S. Thomæ doctrina necessariò indiget interpretamento molliri, quia quod nimis probat, nihil probat.

Respondeo, aliena expositione non egere S. Præceptorem, qui seipsum tam perspicuè interpretatus est in illis iisdem locis & exemplis quæ difficultatem ingerunt arguenti. *Quodlib.* enim 8. disertè tradit, tunc semper nos incurrere in peccatum, quando agimus contra legem, *ut cùm aliquis fornicatur.* Ubi clarum est, ipsum loqui de lege æterna, quæ fornicatione violatur. Nec obest exemplum plurium Sacerdotiorum, seu præbendarum. Nam illam polygamiam non censet semper esse malam, nisi sit ab æterna lege dissentanea. Sic seipsum apertissimè explicat S. Thomas quodl. 9. art. 15. *Cùm hæc quæstio* (de pluribus Præbendis) *ad Theologos pertineat in quantum dependet ex jure Divino, vel ex jure naturali, & ad Iuristas in quantum dependet ex jure positivo, inveniuntur in ea Theologi Theologis, & Iurista Iuristis contraria sentire. In jure namque Divino non invenitur determinatum expressè, cùm in sacra Scriptura expressa mentio de ea non fiat, quamvis ad id argumenta ex aliquibus authoritatibus Scripturæ fortè adduci possint, quæ tamen non lucidè veritatem ostendunt. Determinando verò eam secundum jus naturale, sic videtur ad præsens de ea dicendum, &c.* Vides ex S. Doctore tunc solùm Sacerdotiorum multitudinem esse semper malam, quando in ea violatur aliqua lex juris naturalis. Quare verè suprà, *pag.* 602. observavimus tunc solùm Patres ignorantiam juris positivi, sicut & naturalis peræquè damnare, quando in ea aliquid ignorantiæ juris naturalis permiscetur. Quia ut eòdem loci observat Angelicus Magister, jus positivum, quatenus habet aliquid juris naturalis admixtum, semper obligat, nec ulla unquam potest cõsuetudine abrogari. *Quantum ad id*, inquit, *quod jura antiqua continent jus naturale, abrogari non possunt per contrariam consuetudinem, utpote irrationabilem.* Nec in hoc potest ab ullo dispensari: *Eo quòd*, inquit, *dispensatio humana non aufert ligamen juris naturalis, sed solùm ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.* Vides manifestè, D. Thoma sui interprete, celebrem illam maximam, *Illud quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundum conscientiam*, intelligi de eo quod agitur contra legem naturalem & æternam.

Ad aliud exemplum de hæreticis suprà etiam loco citato respondimus, Patres & eorum vocem D. Thomam, ignorantiam hæreticorum non semel damnare, quia ob fidei & veritatis catholicæ circumfusam veritatem, ignorantia veræ Religionis fit vincibilis, sicut ignorantia juris naturalis; unde illam isti meritò æquiparant.

S. Thomæ succinunt omnes veteres Theologi; nam præter Thomistas veteres posteà referendos, minùs probabilis, minusve tutæ sententiæ delectum damnant Henricus Gand. *quodl. 4. q. 33.* Gerson *tract. 39. art. 10.* Ioan. Major *in prolog. 4. Sentent. q. 2.* Adrian. *in qq. de restit.* Navarrus *in Manual. cap. 27.* Panormit. *in cap. Capell. de feriis, num. 3.* & omnes Canonistæ. Sed quod mirum est, ipse Scotus, qui in aliis passim S. Thomæ adversatur, in hac quæstione, sicut in materia de efficacia divinæ voluntatis, Angelico Doctori consentit, his observandissimis verbis, quæ habet in 3 dist. 25. q. 1. num. 8. *In moralibus quando sunt altercationes de aliquo peccato, quando primò est mortale; ut si unus peritus in scientia dicat, quod non licet sic mercari, & alius dicat quod licet; tutius est non procedere sic vel sic, sed expectare quousque veritas pateat aliunde: si enim ita esset, quod unus Doctor diceret aliquem peccare mortaliter, nisi sic faceret, & alius quod peccaret, si sic faceret, tunc simplex foret perplexus: ideo benè videndum est in moralibus, antequam aliquid asseratur, quia videlicet rùm habens duas opiniones contrarias perplexus sit, periculosè se determinaret ad unam, nisi re diligenter inspecta, illam probabiliorem agnosceret.* Et in 4. dist. 11. q. 6. *Cùm multis sit probabilior pars negativa, non sine peccato aliquis se exponit dubio sequendo affirmativam minùs probabilem.* Plura alia adduci possent Scoti testimonia, variaque loca argumentosa, quæ urget quidam recens Scotista anonymus egregio opusculo, quo & D. Francisci sanctitatem resipit & Doctoris Subtilis eruditionem æquat, demonstratque opinandi licentiam non solùm morum integritati repugnare, sed etiam lumen naturalis rationis extinguere. Quia in opinionibus contradictoriis negatio non solùm removet affirmationem, sed etiam ipsam rem affirmatam; unde contrariæ opiniones possunt quidem esse in mente apprehendente, sed non in mente judicante; subindéque impossibile est, quod utraque pars judicetur vera, quod tamen requiritur ad licitum probabilis opinionis assensum. Egregiè etiam observat unum, quod ad versatilem probabilitatem de medio tollendam sufficeret, S. Thomam, Scotum, aliaque Scholæ lumina in quæstionibus de rebus moralibus variis argumentis verisimilibus utraque parte munita, nunquam adhibuisse responsionem recentioribus familiarem, quæ erat facillima, si eam tutam putassent; nimirum, liberum esse utriusque partis argumentis non destitutæ delectum. Ergo opiniosorum Probabilistarum licentia fuit antiquis omnibus suspecta, qui existimarunt utramque contradictionis partem non posse esse simul licitam, sed longâ opus esse disquisitione, ut cognoscamus quid tutò fieri possit, quid probabile prudenter sit, seu assensu, & usu probandum. Illud porrò dolendum, plerosque Scotistas hac in controversia, sicut & in materia de efficacia divinæ voluntatis; à tam perspicuis Doctoris Subtilis sensibus ultrò recedere, in quibus ei magis indivulsè debebant adhærescere.

Dices: Illis antiquis recentiorum turba ex omni statu suffecta est, ut refert quidam recens Author quæstionis facti, enumerans Authores ex omnibus Ordinibus & familiis, qui minori probabilitati tutò sectandæ astipulati sunt. Atqui Theologis hujus temporis pro controversiis hujus temporis fides adhibenda est, peritis enim in arte credendum est. Ergo nihil

morari

morari debemus antiquorum Theologorum sensum, sed tutò nos modernis Casuistis committere, quia quærunt casus temporum Doctores temporum, ex quorum proinde placitis Catholici orbis mores conformare, emergentes nodos dissolvere, contractus componere necesse est.

Respondeo in hac gravissima quæstione sequendos esse antiquos Theologos, posthabitis modernis, ut sæpè diximus, sæpè in sequentibus dicemus: quia concors veterum Theologorum sententia argumento est, dogma illud non esse recens natum, sed à majoribus traditione acceptum, communissimis, antiquissimisque regulis nixum, omnium Doctorum Catholicorum mentibus consignatum. Quia etiam amor novitatis, & nausea vetustatis ingentibus malis & periculis patent, atque suos asseclas in errorum abrupta & præcipitia transversos agunt. Et certè quo jure prætendunt recentiores se à nobis reverentiùs haberi, quàm ipsi habeant antiquos? Quare ægrè ferunt, nos ab ipsorum placitis dissentire, cùm ipsi à D. Thoma, Scoto, totaque antiquitate veneranda dissentiant? An ignorant illas Magni Gregorii maximas: *Qui sua à successoribus desiderat mandata servari, decessoris sui statuta custodiat.* Quia justum est, *ut qui seniores deserunt, à junioribus deserantur?* Sine injuria quidem recentes legendos docebat Lampridius, sed cum reverentia antiquos: nostrorum temporum ingenia non despiciebat Plinius, sed antiquorum animum, & placita mirabatur. Accedit antiquos antecellere recentibus numero, merito, concordiâ. Numero, quia ante 80. annos, quotquot de re morali scripserunt, probabilioribus & tutioribus adhærendum sanxerunt. Merito, quia S. Thomæ & Scoto quis audeat recentiores comparare, quis anteponere? Concordiâ demùm, quia una voce, uno consensu omnes nostri asserunt, sequenda esse probabiliora, tutiora, & viciniora saluti? Probabilistarum verò non sunt convenientia testimonia, sed tot sunt sensus, tot dissidia, tot restrictiones, quot capita.

Quod verò addit, Probabilismo plures ex omni statu, ordine, & familia adhæsisse, & in illud nuperum inventum Episcopos, Sacerdotes, & Religiosos omninò plures pedibus manibusque ivisse; id non obest, quia non negamus hanc novitatem hac ætate latè fusam; sed contendimus eo eam esse antiquitatis sacris regulis fortiùs & diligentiùs comprimendam, quo eam magis serpsisse videmus. Unde præcipitur Exodi 23. *Ne sequaris turbam ad faciendum malum; nec in judicio plurimorum acquiescas sententiæ, ut à vero devies.* Et christianè Philosophus Moralis lib. de vita beata, cap. 1. & epist. 7. *Non tam benè cum rebus humanis agitur, ut meliora pluribus placeant. Argumentum pessimi turba est. Quæramus quid optimè factum sit, non quid usitatissimum: & quid nos in possessione felicitatis æternæ constituat, non quid vulgo veritatis pessimo interpreti probatum sit. Sanabimur, si modò separemur à cœtu. Quid tibi præcipuè vitandum esse existimem, quæris? Turbam. Utique quo major est populus cui commiscemur, hoc periculi plus est.* Sed quàm opportunè, quàm divinè Bernardus ad retundendam delicatam illam ex Episcopis, Sacerdotibus, & Religiosis objectionem *homil. de Discipulis euntibus in Emaus*, expendens illud, *Et quomodo summi Sacerdotes & Principes crucifixerunt eum*, ait: *Ponere vereor os meum in cœlum, ut non dicam in cœnum, & Saul ad purgationem ventris inclinatum occidere. Sufficit si coram chlamydis abscindam gladio Ieremiæ, cùm Dominus dicat per Malachiam: Vos me configitis, gens scilicet tota. Ostendit Ieremias quomodò summi Sacerdotes & Principes eum crudeliùs crucifigant. Ibo,* inquit, *ad Optimates, & loquar eis; ipsi enim cognoverunt viam Domini, & judicium Dei sui. Et ecce hi magis simul fregerunt jugum, ruperunt vincula, & à Propheta usque ad Sacerdotem omnes faciunt dolum.* ::: *Hinc est non minima causa tristitiæ nobis; quia etiam litterati, & qui videntur religiosi, comparantur jumentis, & immundiores facti sunt illis. Ipsi enim non solùm spinis peccatorum suorum crucifigunt Deum, sed aliis facti sunt in proverbium & exemplum. Non esset doloris materia, nec res tam stupenda, si plebs quæ non novit legem, sola caderet in errorem; quia relevari posset per litteratorum & Religiosorum prudentiam, si ipsi non fuissent primi ad ruinam.* ::: *Sed de litteratis stupemus, & qui prætendunt habitum Religionis, qui bonum Dei verbum gustaverunt, & donum cœleste, virtutesque sæculi venturi: & ecce vaccæ pingues Samariæ facti sunt, arbores autumnales eradicatæ, bis mortuæ, facti hostes in capite, qui docere debuerant viam vitæ.*

Solida Thomistarum vindicia.

Sed statim contra expositam S. Thomæ mentem, & veluti sponte se offert hæc objectio: Thomistæ non pauci senserunt, litterisque consignarunt in concursu opinionum posse quemvis tutò sequi minùs probabilem. Cùm ergo illi in verba D. Thomæ, sensusque juraverint, perperam contendimus obligationem eligendi sententiam tutiorem ac probabiliorem nobis esse à D. Thoma impositam. Estne, inquies, verisimile Thomistas contra Angelici Magistri mandata latissimam ad omne flagitiorum genus portam reserasse? Hoc argumentum toto opusculo urget Amadeus Guimenius in Dominicanos Scriptores, quasi in primos authores omnium laxitatum invidiam derivans, quasi Schola Thomistica prima sit quæ Ethicam Christianam corruperit, morumque licentiam in Ecclesiam invexerit; subindéque non esse à nobis tantoperè increpandos modernos laxones, qui in Dominicana familia nedum socios, sed etiam duces habent & Magistros. Hæ sunt Guimenianæ calliditatis præstigiæ, quas ut magis præcoloret, Thomistas honorificentissimis verbis appellat, ut eos ad corruptissimarum suarum opinionum consensum pertrahat. Cùm tamen his fucatorum encomiorum artibus plus lacessat, quàm si apertis sarcasmis Scholæ Angelicæ gloriam infuscaret.

Arbitraret me degenerem, nec solùm Prædicatoriæ familiæ, sed etiam veritatis proditorem, atque hujus de probabilitate quæstionis & causæ prævaricatorem, si non totus vocalis exurgerem ad tam infamem propulsandam calumniam, quæ dissimulata & nostro dedecori, & Ecclesiæ offensioni verteretur. Certè cùm familiæ Dominicanæ, & Scholæ Thomisticæ concreditum sit, sicut gratiæ efficacis, & incorruptæ disciplinæ moralis tutela, velut solenne depositum, omnes genuinos Thomistas *ad hæc mala avertenda*, ut verbis Tertulliani utar, *milites esse oportet.* Seriò ergo nobis monstrandum est, S. Thomam doctrinæ suæ puritatem in veros suos discipulos transfudisse & corrivasse. Et quamvis non sit hîc consilium nostrum texere responsionem singula quæque objecta evertentem, ne actum agam, & munus à Vincentio Baronio eximiè occupatum, accuratiusque impletum quàm à me tentari possit: nihilominùs operæpretium est generale parare antidotum, quo & pestilentis operis veneno in his partibus Lugdunensibus sparso, & grassanti medeamur, & à tantis, quibus Angelica Schola abundat, vitiis tantam injuriam defendamus. Necessitas ergo Thomistas nostros à nefandorum criminum consortio vindicandi has à me adversùs fraudulentum Adversarium vindicias extorsit, cujus impetus eo periculosior est, quo blanditiis & encomiis

apparet favorabilior. Quia ut benè dixit Seneca: *Pessimum calumniantium genus, laudantium.* Et Venerabilis Beda lib. 4. in Luc. cap. 5 2. *Duo sunt genera persequentium, unum palam sævientium, alterum ficte, fraudulenterque blandientium.*

In primis ad omnes Adversarii calumnias falsitatis revincendas hoc unum sufficeret argumentum, quod tanta laxitatum colluvies nullo veterum Thomistarum testimonio fulta sit, sed ab omnibus antiquis S. Thomæ discipulis expressè damnata. Siquidem minùs probabilis, minusque tutæ in conflictu probabilioris delectum rejicit expressè D. Antoninus 1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. §. 10. & 3. *part. tract.* 5. *cap.* 2. §. 9. unde luculenter docet, illum qui agit contra dubium, non peccare, *dum adhæret op nioni alicujus Doctoris, & habet rationes probabiles pro ipsa magis quam pro opposita opinione*; unde clarè exigit ut probabiliorem existimet partem quam sequitur. Vnde planè mirari subit quorundam incogitantiam vel fraudem, qui S. Antoninum sententiæ suæ astipulatorem afferunt 1. *part. citata*, cùm eo loci contrarium planissimè doceat his verbis: *Potest aliquis tenere unam partem alicujus opinionis, & secundum eam operari, dummodo talis opinio non sit contra authoritatem expressam sacræ Scripturæ, nec contra determinationem Ecclesiæ Catholicæ; & quando etiam ex contrarietate opinionum non inducatur ad dubitandum, sed bonam conscientiam & credulitatem formet de eo quod credit, tanquam probabiliori parte.* Quin immò partem probabiliorem iis S. Antoninus cautionibus sepit, ut semper probabilior eadem sit vera. Eam quippe exigit in librandis opinionibus diligentiam, ut ad vitandos errores præcipiat, *ut quis se ad gratiam preparet quantum potest, ut sapientiam invocet per rationem, ut Scripturas diligenter investiget, ut quærat eam quasi pecuniam; ut adhibeat diligentiam in inquirendo.* Quibus adhibitis conditionibus, vix aut nunquam error obrepet. Quam Antonini sententiam tam religiosis conditionibus septam si ex animo suscipiat Adversarius ac tota Probabilistarum cohors, cum illis perpetuam optatissimæ concordiæ pacem jurabo. Sed absit ut ab illis id sperem, quibus nihil usitatius, quàm ut ab Antonini sensibus, dum strictiores videntur, passim dissentiant.

SS. Thomæ & Antonino subscribunt celebriores Thomistæ, Cajetanus *in Sum. verbo Opinionis usus*, Sotus *lib.* 3. *de just. & jur. quæst.* 6 *art.* 5. Sylvester *verb. Opinio, quæst.* 2. Tabiena *eodem verbo, num.* 4. Quin ex Paulo Æmilio alicubi observat noster Vincentius Barontius, Dominicanos ab Instituti origine, ab Ordinis incunabulis ab opinionibus cupiditati ambitionique faventibus semper abhorruisse, ac pro tutarum sententiarum à lege stantium usque ad terum suarum jacturam & sanguinem decertasse. Vnde nullum ex antiquioribus Thomistis præsidium habet adversarius, sed omnes illos sibi adversos fateatur necesse est. Ergo à tempore quod à S. Thoma ad finem decimi quinti sæculi intercurrit, absque versarii probabilitate quæstiones morales, quæ multæ semper fuerunt incertæ, definierunt Patres nostri, constanterque docuerunt, nefas esse minùs probabilem, minusve tutam sententiam in difficultatibus quotidie emergentibus sequi, sed oportere probabilioribus & tutioribus adhærere. Nec mirum, quia hanc doctrinam à SS. Thoma & Raymundo in sua accuratissima Summa, pro lege semper in dubiis stante hauserant; hanc à Patribus & traditione Aquinas & Raymundus acceperant: unde evaserat vulgaris Dominicani Ordinis sensus omnium Magistrorum nostrorum mentibus consignatus.

Quod si dicas D. Thomam, primosque Dominicanos nimis hac in parte rigidos à Patrum benignitate & sensibus descivisse: hæc responsio tam est improbabilis, quàm quod maximè. Quis enim credat decursu sæculorum, quo severitas laxari solet, adauctum fuisse à Dominicanis rigorem, impositumque conscientiis jugum, quod nec tulerunt Patres eorum, nec portare valuerunt? Quis credat Scotum, qui omni data, & sæpè accepta occasione D. Thomæ asserta carpit, hanc nimiam S. Thomæ doctrinæ austeritatem prætermissurum fuisse, ejusque defectionem, ac doctrinæ moralis basis & cardinis mutationem à traditione deficientem dissimulaturum, nec restiturum? Et tamen suprà manifestis Scoti verbis demonstravimus, Doctorem Subtilem hac in parte Angelico suffragari. Ergo velit nolit, veritate coactus fateatur Guimenius, fateantur novi recentesque Probabilistæ, firmissimam de probabiliori & tutiori opinione sequenda sententiam Ecclesiæ traditioni nixam per trecentos & ampliùs annos apud Thomistas fuisse indubitatam.

Sed dices: Ita est; probabilissimus antiquorum est Thomistarum præsidio desertus, sed nihil inde probabilitati decedit; quia tametsi sit nudata ab antiquis, numeroso tamen est recentiorum Thomistarum comitatu circumsepta. Ergo sine scrupulo ab antiquaris veterum Summistarum sententiis recedere licet, & moderno adhærere Casuistarum recentiorum suprà senes intelligentium globo, atque turbæ illius recentiorum magnæ, quam dinumerare nemo potest, vestigia premere.

Hoc argumento fultus Adversarius, impavidus in arenam pugnaturus descendit sibi securus victoriæ. Verùm enim verò ad plausus illos dejiciendos multa suppetunt, quibus palam erit hac inani gloriatione adversarium nihil efficere, sed pulverem duntaxat imperitorum oculis offundere. In primis quid injustius quàm Thomisticæ Scholæ sensum ex antiquioribus & fonti vicinioribus Doctoribus nolle eruere? Quia, ut aliàs observavimus, nec iterare piget, illa sententia tanto gravior est ac verior habenda, quanto modernis Thomistis antiquiores authoritate, ac Thomistici luminis abundantiâ antecellunt. In discernendis legitimis D. Thomæ sensibus eædem fermè regulæ servandæ sunt, quas ad Catholica dogmata dignoscenda præscribit Lirinensis: *Mos iste semper in Ecclesia viguit, ut quo quisque foret religiosior, eo promptius novellis opinionibus contrairet.* Et iterum: *Nihil aliud ratio pietatis admittit, nisi ut omnia quâ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque religionem, non quà vellemus, duceremus; sed potius quà illa duceret, sequi oportet. Idque est proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare.*

Deinde certum est, ab Adversario multa nostris Thomistis imponi, unde in promptu esset ex tota illa, quam in aciem producit, caterva multos illi eripere, quos sibi summâ confidentiâ arrogavit. Tum quia multi eorum intelligendos se dant de opinionibus, quæ licèt vulgò existimentur minùs probabiles, revera tamen illis probabiliores apparent; quo sensu nequaquam Guimenio favent. Tum quia loquuntur de opinionibus illis, quæ utrinque pugnant pro lege, quales sunt Thomistarum, Scotistarumque sententiæ de innocente publicis tabulis convicto, quem illi damnari posse à judice, isti non posse contestantur, non ex probabilitatis regula, sed ex gravissimis rationum momentis ex legum diversarum amore petitis; quia Scotistas urget innocentia nequaquam punienda, Thomistas bonum publicum privati hominis juribus anteponendum. Verùm in conflictu opinionum hinc pro lege, inde pro commodo pugnantium, vix ullus modernorum Thomistarum exertè docuit, utile vel delectabile

esse

esse honesto præferendum. Quia in schola nostra nihil versatili probabilitate periculosius judicatur, sed ex solùm opiniones permittuntur, vel quæ adhærent legi, vel omnem adversæ sententiæ probabilitatem veritatis notitiâ absorbent. Tum demùm, quia ut notat Sapientissimus Julius Mercorus 2. *part. art.* 21. Thomistæ illi loquuntur hypotheticè. id est, si minùs probabilis, minusque tuta, in concursu probabilioris & tutioris remaneat probabilis & tuta; neque enim inter tutas vias necessariò tutior sequenda est. Sed à veritate, & à veterum Thomistarum sensu prorsus alienum est, minùs probabilem, minusque tutam opinionem per hoc præcisè reddi tutam, quod probabilis sit.

Sed quid opus est conjecturis, quando res ipsa loquitur? Cur adhibitis interpretamentis novos Thomistas vindicamus, qui suum adversùs probabilitatis laxitates horrorem tam luculenter significarunt? Poterat (& sanè debebat) Guimenius Bartholomæi à Martyribus Theologiæ Moralis Summam, & totius Pastoralis regiminis castissimas regulas à viro Dei litteris consignatas in medium proferre. Poterat non authores ignotos, quorum obscura nomina vix audivimus, quorumve lucubrationes vix terimus, nec poterit eorum subinde mens explorari; sed celebres & orbi sub cœlo toti notos allegare. Poterat Ioannem à S. Thoma referre, qui licèt in speciem minùs probabili favere videatur, tamen tot cautionibus & conditionibus sententiam suam sepit, ut his adhibitis minùs probabilis intra lineam & limites opinionis tutæ contineatur.

Ægrè ferrem authorem istum, unum è præcipuis Angelicæ Scholæ ornamentis à partibus modernorum laxorum stare, è quibus semetipsum ipse clarissimè eripuit. Siquidem *disput.* 12. *in* 1. 2. *art.* 3. docet in primis in Authoribus, quos consulere oportet, desiderari judicium rectum, & sanctitatem vitæ; quia moralia pendent à prudentia, prudentia verò à recta intentione, & cordis castimonia. Vnde vult viros in album Sanctorum relatos esse præferendos, quia eos ut publica morum exemplaria proponit Ecclesia. Deplorat deinde modernorum Casuistarum laxitatem, atque jam juxta Apostoli impletum vaticinium coacervari Magistros prurientes auribus, & acervi nomine multitudinem laxorum esse ab Apostolo figuratam. Tertiò in difficultatibus decidendis requirit seriam accuratæ attentionis gravitatem, judicii maturitatem, diuturnam veritatis ponderationem, ne celeritate vel evanescat, vel opprimatur; jugem legis meditationem, de qua si constet, *& sit dubium de causa exceptionis, potiùs lex possidet, & exceptio non est facienda* (quibus solis verbis reprimitur modernorum licentia.) Quia, inquit, exceptio est sicut vulnus legis, & lex semel statuta est in possessione præcipiendi. Additque legem esse interpretandam juxta consuetudinem Ecclesiæ, quæ est in omnibus æmulanda, & præferenda omnibus rationibus quàmlibet probabilibus, & apparentibus. Quartò præcipit, in contractibus quantumlibet disputativè probabilibus, inspicienda esse non perfunctoriè, sed seriò damna quæ sequuntur, vel imminentia. *Quia*, inquit, *nihil jam invenitur tam usurarium, quod non possit ratione præsensi lucri cessantis, aut damni emergentis, aut assecurationis danda justificari. Vnde factum est quod ferè omnes in pecunia & negotiatione plus confidant, quàm in labore, & fructibus terræ; & omnia repleantur fraudibus, negotiationibus, otiositate.* Quintò non solùm exigit in authoribus scientiæ supellectilem, prudentiam eximiam, & pietatem non mediocrem; sed etiam vult modernis antepenendos esse antiquos, quos multi temporis comprobatio, vitæ sanctimonia, & Ecclesiæ Romanæ commendatio efficit reverendos. Quia, ut dicitur Iob 12. *In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia.* Et Ecclesi. 8. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis.* Porrò fugiendos monet esse illos Doctores auribus prurientes, placentia loquentes, quorum multitudo suspecta, & authoritas nihilo melior est. Nam etiam inventi sunt quadringenti Prophetæ, qui Achab & Iosaphat felicem belli eventum prænunciabant; & tamen à spiritu nequam decipiebantur, ut dicitur 3. *Regum* 22. Quod repetit & inculcat *art.* 6. *n.* 66. Quid ad hæc Guimenius? Quid tota laxorum natio? Certè si his minorem probabilitatem muniren præsidiis, illi possent asserere securitatem; quia ut antè monuimus, sufficit eligere tutam, nec tutior in concursu verè tutæ est necessariò eligenda.

Fatemur quidem, nec negare possumus, è recentioribus Thomistis nonnullos nimium sibi, aut Probabilistarum certè vulgo indulgentes minori probabilitati favisse; sed illud etiam constans est, effrenem opinandi licennam fuisse ab iisdem variis exceptionibus correctam, ut videre est in Ildephonso monente præferendam esse semper probabiliorem, si sequatur ex minùs probabili aliquod incommodum, vel damnum ex charitate, vel justitia vitandum. Ipse etiam Gregorius Martinez, qui magis videtur habenas probabilitatis laxare, non indulget delectum opinionis speculativè probabilis, nisi practicè probabilis & tuta sit, idest careat omni periculo peccati. Cæterùm de Scholæ Angelicæ & Dominicani Ordinis sensu non est ferendum judicium ex singularibus privatorum hominum sententiis, sed ex D. Thoma, & rigidioribus, & antiquioribus Thomistis. Nam hîc præsertim valet aureum Melchioris Cani *lib.* 12. *de locis, cap.* 6. monitum: *Theologum admoneri operæpretium est, ne id illi statim persuasum sit, omnia quæ magni Authores scripserunt, undique esse perfecta: nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque, ut dixi, etiam interdum indulgent nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Summi enim sunt, homines tamen.* Sed de his posteà.

Ad illos etiam paucos excusandos non parum facit, quod magna illis profectò tentatio fuit, dum tot & tantos videtur viros Probabilismi assertores, quos multis præjudiciis egregios veritatis Doctores esse arbitrabantur, & aliunde summa veneratione, & sincero amore complectebantur. Non poterant citò deprehendere, vel facilè damnare tot Doctorum Christianorum judicia, tametsi non multùm Christiana. Quis enim eos apertè errare citò crederet, quos tanto studio Magnates, tanto favore populi, tanto amore ferè omnes prosequebantur? Quis non censeret rectà docere, rectà scribere, rectà sentire illos, qui uni suæ de vaga probabilitate sententiæ aditum patefecerant cunctarum hæreseon & dogmaticarum blasphemiarum infectatione?

Fateor è Probabilistis multos profectibus suis & industria non parvæ tentationi Thomistis quibusdam extitisse. Fateor plerosque & ingenii viribus valentes, & doctrinæ opibus excellentes, & eloquio præpotentes, & bonâ intentione excusandos esse. Fateor nonnullos eorum acumine, exercitatione, & doctrinâ multas hæreses multis voluminibus oppressisse, inimicorum fidei confutasse errores, atque furiosas Calvinistarum, Lutheranorumque adversùs Catholicam Ecclesiam calumnias confudisse, præclarisque operibus suis summis ædificatoribus Ecclesiæ partem esse potuisse, nisi propharâ laxitate novam quid invenissent, quo & cunctos labores suos, velut cujusdam lepræ admixtione fœdarunt, & peccantes in uno fortassis facti sunt omnium rei. Vnde præclara eorum

doctrina in cæteris jure commendanda, hac in parte non tam ædificatio, quàm tentatio facta est. Tentatio enim populi est error Magistri; & tanto major tentatio est, quanto doctior is quo tentamur. Sed necessaria fuit illa tentatio, ut probati manifesti fierent, nimirum ut appareret unusquisque quàm tenax, quàm fidelis, quàm fixus Catholicæ puritatis esset amator.

Sed ut ad plenam, cumulatamque Dominicani Ordinis gloriam, & de Guimenio victoriam nihil desideres, Lector, id unum scias Dominicanæ familiæ honorificum, & tibi necessarium. Vix obrepentes probabilitatis corruptelas piorum concertationibus & doloribus conspicuæ factæ sunt, vix tam nefanda consectaria, quæ incuriâ, & quasi somno adoleverant, retecta sunt, vix veritas disputatione & zelo limata est; statim plerique Thomistæ in probabilismum, quasi erecto vexillo, impavidi invaserunt, justisque illum voluminibus adorti sunt. Permisit quidem divina providentia paucos è nostris veluti dormitantes in doctrina morum cespitasse, & torrente Probabilistarum in præceps abreptos, eorum principiis quasi certis & indubitatis usos esse. Sed quamprimùm pestiferorum dogmatum latens venenum ipsis veluti expergefactis apparuit, vix in eorum oculos antea tantisper gravatos labes morum incurrerunt, ut subitò non solùm hæc flagitia nemo defenderit, sed multorum in illa indignatio verbis scriptisque exarsit: dumque probabilitatum novitas ebullit, statim visa est frumentorum gravitas, & levitas palearum, & sine magno volumine Thomisticâ ab area excussum est, quod nullo pondere intra aream Thomisticam tenebatur.

Hinc Religio nostra innato zelo gliscentem hanc luem pro virili rescindere avens, unanimem Ordinis sensum in comitiis generalibus è toto terrarum orbe Romæ anno 1656. coactis hac ordinatione significavit: *Caveant ab omni pruritu exoticarum, minúsque cum littera S. Thomæ cohærentium opinionum; præcipuè verò in moralibus, ubi pressiùs de salute ac indemnitate animarum agitur. Porrò in his studeant omni cautela evitare opiniones laxas, novas, ac parum tutas, abstineantque à paradoxis ac monstris recentium placitorum, seu problematum, quæ magis vanitati, ac periculosæ ostentationi militant, quàm veritati. Denique satagant non tantùm fidelissimè in omnibus adhærescere sanæ doctrinæ Angelici nostri Præceptoris, quam ille ex limpidis ac incorruptis SS. Patrum fontibus integerrimè in alveos suorum operum corrivavit: verùm etiam assuescere propria ipsius phrasi & modo loquendi, ita quod quantum fieri potest, ne quidem ab ipso verborum ejus ordine, stylo, & emphasi longiùs discedatur, ut sic evitentur.* Quia nimirum Sapientissimi Patres, veritatis & catholicæ puritatis amantes, & Angelicæ D. Thomæ severitati nihil præponentes, quorumdam etiam Filiorum suorum authoritatem vel ingenium parvifacientes, in fide fixi & stabiles permanentes, avitæque doctrinæ tenaces, quidquid antiquos Thomistas cum Angelico Magistro & Ecclesia tenuisse cognoverunt, id solùm sibi & filiis tenendum, credendumque decreverunt: quidquid verò ab aliquo deinceps uno præter omnes, vel contra omnes novum & inauditum subinduci senserunt, id non ad religionem, sed ad tentationem pertinere intellexerunt.

His præceptis salutaribus moniti, & proprio zelo accensi Dominicani, novitatem subodorati, veluti Domini canes allatrare cœperunt, & decretorum Pontificiorum munimine septi, & Summi Pastoris Romani Antistitis id Ordini mandantis voce provocati, latrones etiam suos non minùs quàm lupos caulas dominici gregis infestantes fugere Theologos docuerunt; laboranti & novarum opinionum licentiâ deformatæ disciplinæ subvenerunt; Probabilistarum argutias argutè & juxta solidè refellerunt; & sicut olim efficacis gratiæ in discrimen vocatæ tot strenuos patronos, tot invictos victricis auxilii defensores instruxit, & etiamnum instruit: ita nunc eversæ morum doctrinæ fortes itidem bellatores è sinu suo excitavit.

Et ut totius Ordinis sacra conspiratio eniteret, omnisque depelleretur simultatis suspicio, è diversis Catholici orbis Provinciis nullo inter se inito consilio in Probabilismum insurrexerunt, & totis viribus, uno Christianæ sanctitatis amore, uno Angelicæ Ethicæ zelo, licèt diverso stylo & impetu impugnarunt. Quia nimirum lydium D. Thomæ doctrinæ lapidem admoventes, multitudinem novitiorum Doctorum despexêrunt, & toti illi Probabilistarum nationi unum D. Thomam Patrum Discipulum & vocem, divinæ voluntatis interpretem, æternæ legis vindicem ab Ecclesiæ Capitibus probatum opposuerunt, cujus doctrinâ veluti gladio à Deo proviso omnes novitates ab ejus decessu strepentes semper truncatæ, semper truncandæ sunt.

Hispania in primis avitæ & domesticæ traditionis tenax, jamdudum vagæ probabilitatis periculosam licentiam persensit & insectata est, ut videre est in epistola Bartholomæi Carranzæ Summæ Conciliorum præfixa, ubi sic ait: *In tantis Ecclesiæ procellis & vitæ malis subiit animum relegere majorum nostrorum acta in Conciliis antiquioribus. Et puduit me, ut ingenuè fatear, nostrorum morum. En à quanto culmine decidimus! En segnitiem & oscitantiam nostram! En gentem à Christo & redemptam, & factam rerum Dominam! Ubi ille charitatis ardor? Denique nihil ferè convenit præsenti rerum statui, si quis attentiùs conferas cum illo quem cernere licet in scripturis Conciliorum.* Novissimè verò præter Tapiam ad infulas Hispalenses assumptum, opinione sanctitatis nuper vitâ functum; præter Martinem de Prado Castellanæ Provinciæ Provincialem, quorum librorum penuriâ jam laboro, aluit insuper Ildephonsum à S. Thoma, filium naturalem Regis Hispaniarum, insignem profectò virum, in quo egregiæ dotes, natalium splendor, judicii acerrimi præstantia, doctrinæ supellex eximia, & incomparabilis omnigenæ pietatis, ac totius sanctimoniæ decor, denique virtutum omnium beatissima copia collucent. Ob quem multiplicis ornamenti concentum omnibus Provinciæ suæ functos muneribus, tandem rejecto Episcopatu Placentino annuis quinque millium nummorum redditibus opulento, Civitatem Malagæ, utpote pauperiorem prætulit, & in ea regenda Ecclesia eundem, quem in Ordine bonum Christi odorem efflaverat, longiùs latiúsque Episcopus effudit. Ille ergo varias Probabilistarum corruptelas exposuit, & elisit. Et quanvis in nonnullis ejus scriptis ea non prob[...]m, quæ Sacræ Inquisitioni displicuerunt; hinc tamen quod intendo elicio, nimirum laxorum corruptelas Hispanis Dominicanis displicuisse, licèt fortassis flagitiorum atrocitate permoti personas aliquas læserint, quorum solas persequi exertationes fuisset & moderatius, & utilius. Si enim Apostolus *Philip.* 2. 18. vitios, eosque quamplures luxui ac voluptatibus deditos innominatos damnat, ne personas lacessere videatur, sed vitia; eosque modestiæ armis fractos revocaret, quos indignatis nominibus poterat exacerbare: *Multi enim*, inquit, *ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico inimicos crucis Christi*, &c. sic juxta Sacræ Inquisitionis mentem satius fuisset insectari vitia, non homines; non ferire errores sibi minimè subditos, sed emendare. Sic Christus divitis epulonis à se objurgandi nomen suppressit, quantumvis vir ille crudelis in inferno jam sepultus esset, ut ejus consuleret

honori,

honori, cujus vitia detestabatur. Si enim Patres, etiam cum apertis hæreticis agentes vertant efferati, & verbis amarulentis occulta dedecoris aperire, tutius (ni fallor.) est, non dissimilem habere agendi rationem, cùm Catholicorum & Religiosorum, si qui sint, excessus propalantur. Patietur Princeps Serenissimus hanc meam humilem suggestionem, ut omnibus clareat, Discipulos D. Thomæ nihil posse adversùm veritatem, sed pro veritate. Id tamen constans est, virum optimum & inclytum scriptorum suorum vehementiâ non tam in authores animi malignitatem, quàm vitiorum odium concitare voluisse; nec flagitiorum horrorem in personas transtulisse, sed eum animi habitum induisse, quem his verbis præcipit Augustinus: *Diligite homines, interficite errores: sine superbia de veritate præsumite, sine sævitia pro veritate certate: orate pro eis quos redarguitis atque convincitis.* Italia quoque, unde Theologi Thomistæ clarissimi, Cajetanus, Ferrariensis, aliique sexcenti prodierunt, è sinu suo protulit R. P. Iulium Mercorum ad totius Reipublicæ Christianæ bonum, ad singulare Dominicani Ordinis decus natum, qui summa perspicuitate, majori pondere, & modestia ubique eminente, quæstionem intricatissimam libro, cui titulus est, *Basis Theologiæ moralis*, à primis principiis altè repetit, & per omnes partes egregia dispositione, subtilitate, & soliditate deducit. Principium probabilitatis versatilis, quâ minùs probabilis, minusve tutæ opinionis eligendæ venia datur, omni argumentorum genere convellit, atque ex opinandi licentia justis legibus non cohibita, innumera fluxisse doctrinæ flagitia, majoraque in dies fluxura demonstrat. *Sentiet Christiana Respublica* (inquit Hieronymus à Placentia Societatis I e s u, in Academia Parmensi Theologiæ Professor, in censura operis Mercoriani,) *plurimùm se lucubrationibus hisce debere, quòd dum ex lege opinandi licentiam multiplici solidarum rationum valle coercent, avita morum integritatis aureas moliuntur compedes, in protectionem fortitudinis, & bases virtutis.*

Ante Iulium Mercorum novellæ probabilitatis pericula vidit & elusit Dominicus Gravina antiquitatis callentissimus, pietate etiam & doctrina spectabilis; sic enim *lib. 4. sui Cherubim Paradisi*, *pag. mihi* 525. ait: *Hoc ponderandum diligentissimè, an probabilia doceant* (Moderni.) *Quod maximè in moralibus cavendum est. Nam multoties ad unius dictum, vel paucorum erigitur aliqua opinio ut probabilis, quæ tamen est contra communem sensum; unde fit ut relictis veteribus Magistris, plebe imperita novos sequatur, & laxentur virtutum habenæ, & ad vitia sectanda augeatur inclinatio hominum ad latam viam tendentium. ::: Absque dubio eliminandi sunt illi, qui delicias & pompas assumunt, & novitates singulares, quas nesciunt Patres eorum: similiter qui incerta inducunt, & non examinata, neque probata; & nulla certitudo moralis est, ut sub opinionis calculo tandem censeatur, & ut indiscussa accipiatur, & inexaminata, reclamante sapientum & plurimorum Doctorum choro.*

Ratio autem naturalis dictat, ne certa præponantur incertis, & communiter recepta sententia non postponatur nova, & non discussa, nec trita sententia: sed semper innitendum regula infallibili, & certa moraliter, maximè ubi periculum imminet. Nam ex defectu inconsiderationis & indiscussionis sunt qui putant ad sequelam cujuscumque opinionis salvari se posse in conscientia, qui tamen tuti non sunt (ex quodl. 13. art. 10.) *& ad inferos tendunt.* Et in his dicebat Basil. ad 5. cap. Isai. *Non solùm ad scientiam, rerumque notionem isthæc turbela pervenit, sed usque ad opera; siquidem sunt viæ viri quæ videntur recta esse, novissima autem earum respiciant ad profundum inferni.*

Maximè autem cavenda sunt opiniones, quæ gulam, vel venerem, vel prudentiam humanam, seu pseudopoliticam fovent, & injustitiam; hæc enim sunt velut Styx Phlegeton, velut amnes infesti, in quos demerguntur homines, & quærunt excusationes in vitiis & peccatis, & nollent hæc esse peccata, vel diminuunt eorum culpam, vel gravitatem sub specie probabilitatis, verisimili, non vera ratione, sed apparenti, vel ut turpitudo vetetur. ::: Quæ dogmata nunc sunt in praxi apud hæreticos nostri temporis, & apud malos Christianos in opere vigent. Et quantum ad nonnullos Scriptores, sunt in eadem salebra, qui sub specie opinionis probabilis venditarunt multa, quæ abstinentiam & jejunia pessundant, pudicitiam emolliunt, prudentiam hujus sæculi extollunt, & justitiam tam distributivam, quàm commutativam pervertunt.

Pro certo statuant qui varias semitas opinionum istarum probabilium inducunt, vel varia itinera aperiunt innovandæ veritatis, & speciem bonorum apparentium ostendunt, quod non viæ dicendæ sunt, *sed diverticula & semita, quæ nequaquam tandem ad unum exitum terminantur. Vtinam institueretur, quod sicut in foro contentioso recipiuntur communiter recepta sententia, ita & in foro pœnitentiali idem statueretur, decretis provisivis præscribendo has, non illas recipiendas. Quàm benè esset id consultum Ecclesiæ! Brevi tempore reformaretur mundus, qui ex licentia opinandi in præceps ruit, latissimam viam ingrediendo quæ ducit ad perditionem.*

Sed nulli Catholici orbis Provinciæ Gallia nostra palmam concedit. Nam præter Oliverium, Richecœur & Petrum Louveru Doctores Parisienses, qui jussu Vicariorum Generalium Parisinæ diœcesos Probabilismi fontem & rivos in Apologia Casuistarum unà cum aliis sex designatis Theologis proscripserunt, plures alii in easdem laxitatis evagationes verbo, scriptis, concionibus exarserunt. Sed quod sine cujusquam invidia dictum velim, cæteris omnibus vastissimi Ordinis Provinciis zeli laudem præripuit nostra Tolosana, quæ sicut est antiquitate prima, ita strictioris observantiæ tenacitate, & eruditionis fama nulli secunda. Vnde sicut olim adversùs acerrimos D. Thomæ impugnatores Ioannem Capreolum Tolosanum, Thomistarum Principem in aciem protulit, qui de S. Doctoris hostibus gloriosissimum triumphum primus reportavit: ita etiam laxatæ morum disciplinæ impavidos aggressores instruxit vagam, probabilitatem, ab eaque sine modo manantes corruptelas impugnaturos. Quia nimirum sicut Tolosæ Ordinis sui fundamenta jecit B. Pater Dominicus, ita primitivum observantiæ regularis, & incorruptum de moribus sensum veris Dominicanis altè impressum S. Parens consignavit. Et profectò non deceret Provinciam Tolosanam virginei S. Thomæ corporis Tolosæ quiescentis depositricem, à virginali ejusdem Angelici Doctoris Ethica vel latum unguem recedere.

His de causis Petrus Labat Academiæ Tolosanæ Doctor Regens, vir in Scholastico pulvere non mediocriter exercitatus, stylo familiari, semotis adventitiis orationis splendoribus, breviter, & solidè, non sine pietatis, quæ in tota vitæ serie elucebat, instinctu minùs probabilis sententiæ in concursu probabilioris delectum primus è nostris refutavit. Ejus libro suppedaneæ fuerunt longè præstantiores Ioannis Baptistæ Gonet lucubrationes, quibus Probabilismum, nedum humanis rationibus, quem lepidè *artem cum Deo cavillandi* appellat, sed etiam ratis Patrum locis, ac eximiis observationibus adoritur. Nec contentus est venenatum fontem indigitare, sed innumera probabilitatum monstra, quæ nihil in moribus integrum reliquerunt, lato calamo subjicit lectorum oculis, & eorum ciet horrorem. Sed omnibus, qui in Probabilistas prodierunt, Ordinis nostri libris Vincentii Baronii lucubra-

lucubrationes antecellunt. Romæ aderam cùm ejus libri in discrimen vocati sunt, naufragium sine dubio passuri, nisi veritas, pro qua certabat, ipsa pro illo pugnasset, ipsa vicisset, ipsa ab Adversariis potentissimis veluti reciproco officio liberasset. Et quanvis non minùs sapientiâ quàm purpurâ Eminentissimi Congregationis Indicis Patres voluerint amarulenta quædam verba erasa, ut præclara illa opera nedum doctrinæ D. Thomæ profunditatem, sed & Angelicam modestiam ubique spirarent; tamen ob causæ ipsius æquitatem & susceptam divinæ legis defensionem, asperiori defensionis modo condonarunt, Authoremque humanissimè monuerunt, ut si novam editionem adornaret, verba majorem resipientia resecaret, quibus sublatis liber undique perfectus in publicum prodiret, nihilque haberet quod ullam ulli posset offensionem ingenerare. Ille verò pro sua summa in Romana Tribunalia observantia in novis suæ Theologiæ Moralis editionibus quæcumque asperiùs dicta visa fuerant submovit, quanvis non tam necessitas defensionis, quam horror vitiorum verba illa aliquam convitii speciem præferentia à Baronio invito, aliàs toto in urbanitatem composito, & in aliorum laudes sæpe effuso, extorsisset.

Itaque Vincentius Baronius non perfunctoriè vel timidè in refellenda probabilitate versatur, sed securim radici admovens, dum è propria mente loquitur, doctrinam quodlibetorum S. Thomæ in naturali sensu intelligit, prout à nobis suprà exposita est. Et quanvis in gratiam quorundam Thomistarum verba D. Thomæ mollientium, videatur ipse aliquid de sua severitate remittere, ut (quæ summa ejus humanitas est) Merconim, aliosque probabilioris sectandæ sententiæ authores, optimos illos quidem, sed in quæstione de ignorantia juris naturalis nonnihil fuliginis è Probabilistis trahentes, & à genuina littera S. Thomæ recedentes defendat; nihilominus tamen dum sua sensa prodit, nullam dari juris naturalis ignorantiam, vel esse unum de rarò, & via unquam contingentibus, affirmat: & doctrinam articuli 13. quodl. 8. in toto suo splendore propugnat; sic enim habet in nova editione alterius partis Theologiæ Moralis: *Agnoscas quàm inquè Dominicanorum nomen advocetur in patrocinium laxissimarum contra legem opinionum, cùm à Sancto Doctore, in cujus verba jurant, hoc dogma inconcussum habeant, quod agitur contra legem, semper esse malum, nec excusari per hoc quod sit secundùm conscientiam quacumque probabilitate munitam, qua in certitudinem moralem unquam sit evasura, quandiu reclamabunt Doctores graves, & contrà stabunt rationum momenta.* Et *pagina* 21. illud inter res facti & juris statuit discrimen: *Quod res facti omnes scire, sit supra vires nostras & præter officium, ac proinde ignorari possint citra culpam: secus sit de rebus juris naturalis; nam cùm paucissimis principiis contineantur, inscripta sunt cordibus hominum, & ferè omnibus obvia; unde quidquid ex illius ignorantia fit perperam, vix excusatur à peccato, quod statuit S. Doctor loco cit.* Et prolatis quibusdam D. Thomæ verbis, sic pergit: *Poteratne apertiùs validiusque his locis damnare quascumque opiniones probabiles falsas contra legem, quàm constituto illo discrimine inter ignorantiam rerum facti & juris, quòd illa interdum, ista nunquam excusat à peccato, quandiu est rerum, quas scire possis & debeas?* Quibus verbis totam vagæ probabilitatis doctrinam ab imis fundamentis subruit, hoc dogmate à D. Thoma stabilito, ignorantiam juris naturalis nunquam excusare, quia nunquam invincibilis est: & quod contra legem æternam voluntariè fit, semper esse peccatum, etiamsi sit secundùm conscientiam.

Quin & argumentum, quo P. Gonet probare conatur, probabile falsum nonnunquam à peccato excusare, quia sæpe contingit probabiliorem & probabilissimam sententiam esse falsam, & tamen absurdum est nos eam non posse deligere; hoc inquam argumentum *cap. præcedenti* à nobis confutatum, validissimè etiam refellit Vincentius Baronius priore Moralis parte, *pag. mihi* 24. Quia quædam opiniones majorem habent cum sibi contraria similitudinem veri, & sunt speculativè probabilissimæ, quæ tamen citra peccatum usurpari & revocari ad actum nequeunt; nam forma Baptismatis *in nomine Genitoris, geniti, & ab utroque procedentis*, probabilissima est, cujus tamen usum omnes peccati mortalis damnant. Item venatoris homicidium nemo excusat, quanvis ingredienti sylvam occurrerit aliquid ambiguum, quod probabiliùs speciem feræ quàm hominis ferebat, si minùs probabili, sed magis tutâ desertâ, hominem interfecerit. Rursum Judex non potest reum damnare ob probabiliores conjecturas suspectum, si suppetant probabiles innocentiæ conjecturæ; quia tunc minùs probabilis est magis tuta, cùm reus non debeat pœnas dare criminis cujus non sit probationibus sole meridiano clarioribus convictus. *His exemplis*, inquit, *demonstratum est, nihil repugnare opinionem probabilissimam speculativè, prorsus improbabilem esse ad praxim.* Unde toto §. sequenti infert, & sæpiùs inculcat, toto genere & cœlo differre opinionem quæ stat pro utili contra honestum, nisi *evidenti ac certa ratione scias*, addit pag. 28. *nihil tibi ab illis posse periculi accersere*: & quoties de salute, de sectanda honestate, de peccato mortali fugiendo agitur, *illi adhærendum sententiæ, cui nulla peccati aut periculi salutis subsit dubitatio, qualis est quæcumque opinio favet religioni, æquitati, legi naturali, seu certò & evidenter, seu probabiliter; illi verò obnoxia, quæcumque adversatur legi sententia, & favet commodo, ac libertati.* Et concludit, nihil suis regulis impossibile, nihil difficile præcipere. *Quid ergo*, inquit eleganter, nec minùs piè, *impossibilia causantur Adversarii nos præscribere Christianis, quos suorum laborum æterna merces, aut peccatorum æterna damnatio manet? Quibus spe unius, & metu alterius etiam impossibilia tentanda essent omninò; cùm ipse Epicurus nulla discipulis præscribat longè severiora, quàm Theologi probabilitatum patroni & cursores?* Quibus immaculatis documentis, aliisque pietate plenissimis nihil suam à nostra, nisi fortè verbo tenus, discrepare sententiam clarissimè significavit.

Aliud etiam ejusdem P. Goneti argumentum, quo inferre vult, ex nostra sententia sequi perplexitatem, imò & peccandi inevitabilem necessitatem, imò plerumque esse fortunæ, & non voluntatis quod homines peccent, quod superiori capite ex D. Thoma sibi pluries illud proponente diluimus, fortiter etiam refellit Pater Baronius, quia illud sophisma haberet aliquam verisimilitudinem, si tunc non esset ad manum opinio tuta pro lege & officio stans: at semper in conflictu opinionum una stat pro lege & salute, altera pro commodo & libertate: *Et hoc discrimen*, inquit, *norunt stupidissimi & pueri, quia æquitas per se lucet, nec pueros etiam latet, quos pudet obscœna loqui, aut turpia agere; & ideo dum hæc meditantur, tenebras quærunt, hominumque gravium fugiunt conspectum.* Ergo nec ad casum, nec ad angustias redigimus operantes, cùm præscribimus tuta semper, & probabiliora sectanda. Non est etiam perplexitas, vel casus, quando utraque sententia pro officio pugnat; quia tunc majus minori, probabilius minùs probabili, moderante christianâ prudentiâ circumstantias appendente anteponendum est. Quod si officia sint hinc inde paria, quod rarò, vel nunquam contingere patiuntur circumstantiæ individuæ, tunc facilè permittitur arbitrarius

arbitrarius delectus, si non amore utilitatis aut voluptatis, sed studio honestatis fiat optio.

Sed dices: Iulius Mercorus, & Baptista Gonet suprà infra meritum laudari, in suis adversùs Probabilistas dissertationibus supponunt dari posse ignorantiam invincibilem juris naturalis, eandemque à peccato excusare non solùm imperitos, sed etiam doctos circa conclusiones, quæ non nisi discursu deducuntur, quando præcepta naturalia considerantur ut vestita aliquâ circumstantiâ & conditione, vel quando inter Theologos dubitatur, num aliquid jure naturali, vel tantùm positivo prohibeatur? Ergo isti Authores recidunt in Probabilismum, quem condemnant; nam de sententia minùs probabili dubitant Theologi moderni, an sit contra jus naturale, cùm id habitâ terminorum notitiâ non constet: contendunt etiam Probabilistæ, suam de minùs probabili tutò sequenda sententia, sitm esse probabiliorem: Ergo quod una manu ædificant isti Thomistæ, altera destruunt, nec sunt a castigatæ Moralis laude celebrandi.

Respondeo quod licèt hi Authores virulentum illum Probabilistæ fæcis fontem dissimulaverint, vel etiam permiserint; tamen quia in aliis Probabilistarum corruptelis insequendis eximii sunt, non sunt debita laude fraudandi. Quantum verò ab ingenio Probabilistarum ipsi abhorreant, facilè conjicies, si quæ suprà ostendimus summatim recolamus.

Licèt daremus posse admitti invincibilem juris naturalis ignorantiam, non propterea causam obtinebunt suam Probabilistæ, quia non caret cognitione, nec laborat ignorantiâ, qui minùs probabili adhærescit. Esto enim quod ubi nulla subit peccati suspicio, admissa in legem opera asscribi possint ignorantiæ invincibili; tamen quicumque varias de aliquo capite Doctorum sententias cognoverit, profectò cognitione non caret, nec ignorantiâ invincibili laborare dicendus est; cùm illi affulgeat sententia quæ sibi ob rationum momenta probabilior, & ob periculi remotionem tutior est, atque securior.

Verum quidem est, quod si ex sententia quæ mihi certa est, nulla possit dari juris naturalis invincibilis ignorantia, apertâ & necessariâ consequutione deducitur in controversiis, in dubiis, in probabilibusque sententiis nunquam licere à lege discedere, tutiori ac probabiliori parte prætermissa, minùs tutæ, minusve probabili adhærere, subindeque probabilismum usque ad internecionem ea assertione profligari. Sed tamen (ut rectè observavit Vincentius Baronius, unum è præcipuis Probabilistarum flagellis) sententia de opinione probabiliore, tutioreque eligenda, non illi soli principio innititur, præsertim in concursu, & ut ita dicam, conflictu utriusque sententiæ operanti notæ; tunc enim nulla obtendi potest ignorantia, siquidem spretâ tutiore, & sibi probabiliore, minùs probabilem, minusve tutam operans de industria sequitur, etiamsi stet pro libertate contra legem, pro voluptate contra officium, pro commodo contra honestum verisimilioribus argumentis communitum.

Esto quod puer duodennis excusetur à labe mendacii, quod sibi licitum ad servandam oppugnati patris vitam arbitratur: demus actum fornicationis à Mahometano majorum authoritate & exemplo, proprioque errore perpetratum condonari. Hoc verò quis divinæ legis amantium, nisi ægerrimè ferre potest, opera quæ fieri contra legem naturalem non solùm suspitio conjectat, non solùm dubitatio timet, sed etiam probabilior opinio fert, tenuissimæ probabilitatis etiam errantis allito colore veluti justitiâ imputativâ tegi, justificari, imò & meritoria esse, si probabili dictamine bona esse videantur? Quis credat ignorantiam, quæ compatitur dubium & opinionem probabiliorem partis adversæ stantis pro lege & æquitate, vim habere veritatis, loco esse baptismatis, fidei, charitatis, & innocentiæ, ut ejus non minùs quàm istorum beneficio salvus fias, & rectà ad cœlum tendas? Permittamus recentiorum teneritudine & vociferationibus aliquam conflandam nostræ sententiæ de probabilioribus semper sectandis invidiam, si inde solùm argumenta assumerem ad confirmandam de tutiori opinione eligenda assertionem, quòd ignorantia juris naturalis invincibilis nulla detur. Sed inde gloriandi, vel ut vulgò dicitur, cristam extollendi ansam nullam arripiant Probabilistæ, quibus impugnandis innumera argumenta ex aliis locis repetenda supperunt, quia ignorantiam prætexere nequeunt, qui mores suos ad cujusvis opinionis, etiam minùs probabilis regulam Lesbyam exigunt, ut eam sententiæ non solùm æquitate causæ & honesti defensione tutiori, sed etiam probabilitatis majoris viribus & argumentis superiori anteponant.

Fateor quidem, non mediocri ad penitus exstirpandas probabilitatum laxitates se orbare præsidio, qui operibus ex ignorantia juris naturalis contra legem Dei patratis veniam dant. Fateor quod si illa ignorantia invincibilis esse dicatur, excusationes non paucæ peccantibus multis suppeditantur, quorum tamen opera adversùs jus naturæ commissa nullus Patrum excusavit, nonnullus hactenus unanimi consensu sine exceptione accusavit. Fateor quod si error minimè volitus, quamvis propriis sceleribus accersitus, facit insontem, nullum erit vitium tam tetrum, quod non sit etiam ultrò, & liberè amplectentibus illud innoxium, quia nullum est, quod non alicubi gentium vel pium, vel certè licitum existimetur. Laudandus ergo erit Carthaginensium homines immolantium mos barbarus, quia illum pro religioso habebant: condonanda erunt Calecutanorum adulteria, veterum Germanorum latrocinia, quia ea expertia vitii opinabantur. Excusanda erit Platonis auditorum uxorum communitas, à tanto Magistro, quem præ sapientiæ excultissimæ ornamentis Divinum censebant, permissa.

Fateor etiam hoc uno ignorantiam juris naturalis excusantis principio non quidem penitus convelli, sed reverà non mediocre incommodum & detrimentum creari delectui tutioris opinionis, atque illi Christianæ Ethicæ emendationi à vitiis optimis, & ab Alexandro VII. Christianæ sanctimoniæ amore & in Evangelicæ doctrinæ corruptores zelo non minùs quàm orbis Episcopatu Sanctissimo, votis omnibus exoptatæ. Etenim qui Magistro Probabilistæ credens receptam apud omnes esse sententiam, nihil esse periculi, si minùs tuta, minusque probabilis, reluctante probabiliori & tutiori, tutò & securè usurpetur opinio; si hac, inquam, doctrina imbutus & persuasus alicujus Doctoris gravis seu Classici, id est Casuisticorum apicum callentis authoritate passim usuras sub colore interesse, vel chimæricorum trium contractuum fictione palliatas, simonias, vindictas, plurium Sacerdotiorum possessiones, aliaque id genus quæ Sancti abominati sunt, securus & gaudens reducat ad praxim; quomodo eum peccari coarguemus, si error & ignorantia juris naturalis excuset à culpa. Debuerat ille, inquies, opinioni tutiori, sibique probabiliori obtemperare: sed quare debebat, si id se debere ignorabat? Ignorabat autem, qui Magistrum docentem minùs tutam certissimè securam esse audierat, & audienti crediderat, & credens, nec subinde de operis malitia practicè, ut dicunt, dubitans, licèt fortassis speculativè formidans, operatus fuerat: Ergo non peccavit, cui involuntaria fuit malitia operis: nec fuit voluntaria malitia, quæ fuit hîc & nunc ignorata: fuit autem hîc & nunc ignorata ab eo, qui simpliciter,

&c

& penè bona Magistri fide credidit minùs probabilem in praxi licitè & securè adhiberi posse, putavitque reclamantes opinionis probabilioris rationes, non secus ac scrupulos à formidolosis injectos esse removendas. Ergo qui ignorantiam juris naturalis, vel ex eâ facta excusant, malè agentibus azylum præbent, & civitatem refugii aperiunt minùs tuta sequentibus, ac ferè vallum ædificant, unde vix ac ne vix quidem poterunt laxioribus opinionibus indulgentes dimoveri; quia quibusvis argumentis revincantur nefariæ corruptelæ, quibusvis coërceatur vinculis dissolutio, semper præsto erit perfugium erroris, quò se facilè quisque recipiet, cùm nihil promptius sit, quàm illis Doctoribus obedire, qui favorabilia & placentia loquuntur. Præsertim quia, ut dixi, Probabilistæ licèt sibi sæpè in quæstionibus singularibus contradicant, in hoc tamen omnes conveniunt, ut minùs probabilis opinio tuta sit rectæ operationis regula, quâ qui plenè persuasus, vel potiùs deceptus fuerit, ignorantiæ summo beneficio, sed *conscientiâ virgine*, ut unus è Probabilistarum coryphæis loquitur, varia poterit perreptare prata luxuriæ, ut phrasi Scripturæ utar.

Hæc, inquam, fateor, & lubens amplector; quia ignorantiam juris naturalis invincibilem nullam agnosco, omnem vincibilem, & voluntariam in sua saltem causa affirmo, & Patrum, ac nominatim S. Thomæ Sole clariore authoritate persuasus certissimè credo, peccare omnes qui contra jus naturale agunt; quia ut antea dixi, nulla tam profunda caligo æquitatis principia & boni honesti semina in totum tollit, nulla ita occupat mentem, quin residua semper sit aliqua boni honesti scintilla interdum ad meliorem frugem monens & pungens, quam si evacuatis præjudiciis ritè consuleret, uti debet peccator, pravitatem perspiceret ob concupiscentiæ & passionum voluntarias nebulas ligoratam.

Sed licèt hoc principio affirmante omnem juris naturalis ignorantiam esse inexcusabilem, penitus causa probabilitatum jugulerur; tamen non eo uno vaga probabilismi licentia coërcetur, nec eo solo præsidio munitur tutioris & probabilioris delectus. Unde tametsi Probabilistis non quidem concedamus, sed permittamus dari ignorantiam juris naturalis invincibilem; non tamen continuò ad ignorantiæ latebras confugere possunt, ut suam laxissimam de minori probabilitate securè eligenda sententiam ab omni peccato purgent. Frustra enim, & juxta iniquè se ignorantiæ invincibilis umbone teget à validissimis quibus impetitur argumentis, qui adversæ sententiæ pro honestate stantis rationes probabiliores non ignorat, sed perspectas minoris probabilitatis opinationi postponit.

Hac de causa P. Iulius Mercorus, & P. Baptista Gonet in divinæ legis defensionem, & ordinis Dominicani gloriam armati laxissimarum probabilitatum usum intra certas metas cohibituri, ut turbæ recentiorum invidiam declinarent, abstinuerunt ab illa quæstione de juris naturalis ignorantia, rati sin fortiùs, certè plausibiliùs se acturos, si prætermisso principio modernis tam exoso & suspecto, ex communibus, & ab utraque parte receptis principiis controversiam definirent. Licèt enim decipiantur recentiores ignorantiam juris naturalis excusabilem & innoxiam affirmantes, & fucum faciant inanissimum, dum illi sententiæ totius traditionis clypeo communitæ Jansenismi notam puerili ter inurunt; tamen hoc eis permisso, quod ignorantia juris naturalis opera in illud commissa excuset, non propterea opinio minùs probabilis laborare ignorantiâ invincibili censenda est, cùm non solùm opinionis probabilioris fulgor, sed etiam dubitatio vel conjectatio periculi in concussu tutioris & probabilioris derelictæ imminentis ignorantiam satis superque inculpabilem resolvat.

Evidenter ergo se discernunt prælaudati Thomistæ à modernis Probabilistis, qui latissimam flagitiorum portam ignorantiæ invincibilis falso colore reserarunt. Præsertim verò ab illis se sejungit P. Baronius, qui licèt fateatur, vel potiùs in gratiam Mercori roleret, posse aliquando juris naturalis ignorationem tum inculpatam esse, cùm de obscurioribus juris naturalis consectariis agitur; tamen tot opponit obices, tot objicit claustra quibus peccatorum colluvies & iniquitatis torrens sistatur, tot conditiones restringentes, quibus prætermissis accusantur quævis perperam in jus naturale patrata, ut licèt fortè ex aliqua veluti rimula nonnihil effluere possit, quod minùs sit æternæ legi consentaneum; non tamen quâ datâ portâ, & effractis obicibus in omne flagitiorum genus homines efferantur. Nam illos omnes prævaricationis inexcusabilis damnat, qui vel legem conscientiæ dictitantis honesti spreverunt audire, nec quas ingerit cogitationes morati sunt; vel è jure naturali addiscere neglexerunt, quod sua refert scire; vel qui primigenii peccati pœnalibus tenebris liberè apposuerunt iniquitatem super iniquitatem, quâ voluntariam cordis duritiem, mentisque caliginem sibi asciverunt; vel qui fidem semel acceptam pravis moribus corruperunt mali Catholici; vel qui Ecclesiâ sibi notâ, Evangelii prædicatione, bonorum hominum & librorum copiâ neglectis in hæresi immorati sunt: quos omnes legis æternæ sub specie opinionis cujusvis probabilis ignorantiam invincibilem prætexere non posse affirmat, & validissimè in suis operibus omni genere argumentorum demonstrat. Quibus quatuor exceptionibus tantum distat à modernis laxioribus, quantum ortus ab occidente.

Hæc in defensionem Scholæ nostræ cum moderamine inculpatæ tutelæ, nullius vellicandi animo dicta velim. Sed illud præ oculis omninò habendum est, quod licèt hæc nobis deessent præsidia, nihil tamen negotii Religioni Prædicatoriæ facessere possunt Adversarii; quia non singulorum Thomistarum, sed unius D. Thomæ patrocinium suscipit, pro solo Angelico Doctore vadem se offert familia nostra: unde toti corpori asserendi non sunt singulorum membrorum, si qui sunt, nævi; nec toti Scholæ quorumdam à communis Magistri sensu exorbitationes. Unus S. Doctor est nobis instar omnium & supra omnes; & quia in ejus solius verba sensusque juramus, in ejus etiam solius defensionem usque ad mortem decertamus. Non ea tenentudine laborat Dominicanos Ordo, ut velit quidquid emanat à singulis, in totius continuò Ordinis seosum & ingenium referre. Dolet vehementer aliquos transfugas ab avita doctrina descivisse; ægrè fert è pluribus paucos segreges & desertores, qui Angelicæ doctrinæ sacrum depositum non satis religiosè custodientes, gratiæ divinæ & illibatæ moralis traditiones Dominicanorum tutelæ concreditas, à Paulo Patribus, à Patribus Aquinati, ejusque Scholæ transmissas nimis trepidè sectantur.

Itaque frustra Guimenius, frustra Petrus à Valleclausa, frustra alii æmuli quorumdam (si tamen verè sunt) congerunt corruptelas, quæ toti Ordini horrori sunt atque execrationi. Nonnullos interdum cespitare, vera & humili confessione agnoscere non detrectamus. Nondum ita nobis insanire licuit, ut credamus nuspiam impingere alumnos nostros. Homines nos esse, humani à nobis nihil alienum putantes, nec in facto, nec in jure infallibiles, modestè & sincerè contestamur. In tot & tam vastis Thomistarum voluminibus, tanta varietate refertissimis, alicubi, vel interdum contingere lapsum, nullus sapiens mirari debet. Nihil enim tam proclive, nihil tam pervulgatum,

rum, quàm errare homines, & errores hominum ab aliis perspicacioribus emendari. Quia teste Apostolo, *alius judicat inter diem & diem, alius judicat omnem diem.* Hoc est, ut exponit Gregorius, alius alio est scientiâ veritatis instructior.

Augustini & Aquinatis lacte innutrita Schola Dominicana confitetur humanæ infirmitatis pondus, & victricis gratiæ ad singulos actus necessitatis conscia experitur, nos ex nobis nihil posse nisi mendacium. Scit quod non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, & quod sufficientia nostra à Deo est, qui radios suos, quibus vera falsaque secernimus, uni quàm alteri plenius uberiusque pro summa potestate & bona sua voluntate largitur. Scit, & propugnat illud à Cœlestino Papa veridicè pronuntiatum: *Necesse est, ut quo adjuvante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Subindeque non solùm non præsumit plenam suorum non peccandi securitatem, sed asserit id in hominibus humanam excedere facultatem. Coacervet ergo quamlibet voluerit Guimenius Ethicæ paradoxa, vel monstra, eaque quorumdam Thomistarum verbis veris, vel obtortis veluti fuco præcoloret; improbo tamen labore se frustra fatigat, quia ea ubicumque, & à quocumque prolata execramur, & quasi à totius instituti nostri genuino sensu aliena detestamur. Unde quæcumque objicit Ordini nostro, nullatenus nocere possunt. Vel enim vera sunt quæ opponit, vel falsa. Si falsa obtrudit, plus sibi quam nobis officit: si vera, non defensione, sed damnatione repellimus quæ opponit; sicque dissimillimus erit ab eo, quem sperat eventus.

Quin tantùm abest Ordinem Dominicanum solidâ S. Thomæ doctrinâ enutritum non solùm aliqua suorum errata nolle defendere, ut etiam in optimis suorum operibus occultas labes formidet, ne fortè quæ labis pura hominibus apparent, divinis oculis tanquam pannus menstruatæ polluta videantur. Sicque non solùm aperta mala, sed etiam sua rectè gesta pertimescit, veritus ne bonorum operum imagine fallatur, & eo graviùs laboret, quo morbum latentem non sentit. Cum Iobo *veretur omnia opera sua.* Ab occultis suis mundari se quotidie rogat, quotidie lamentatur. Nam si Paulus è cœlo rediens adhuc timet, quomodo non timeret Ordo noster qui adhuc in terra conversatur? Novimus ad retinendam humilitatem (quæ veræ pietatis fundamentum, & cumulus est) nihil tam conducere, quàm de suis actibus non confidere; & à S. Thoma domestico nostro Doctore didicimus, quod in aliis suspecta benè judicare, in nobis bona suspecta habere debemus. Quia in propria causa cupiditas propria occæcat, & indiscretis judiciis veram charitatem adulterina imitatur, & mentitur iniquitas sibi. Hinc S. Thomas 1. 2. q. 60. art. 4. postquam statuit in corpore, *quod ex hoc ipso quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, injuriatur ei, & contemnit ipsum. Nullus autem debet alium contemnere, vel nocumentum quodcumque inferre absque causa cogente; & ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicujus, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est.* Tamen in responsione ad 3. ubi explicat illam maximam in argumento 3. positam, *Circa seipsum homo debet dubia interpretari in pejorem partem, secundum illud Iob 9. Verebar omnia opera mea*, ait: *Cùm debemus aliquibus malis adhibere remedium, sive nostris, sive alienis, expedit ad hoc ut securius remedium apponatur, quod supponatur id quod est deterius; quia remedium quod est efficax contra majus malum, multò magis est efficax contra minus malum.*

Hinc Ordo Dominicanus, qui à Summis Pontificibus *Ordo veritatis* dici meruit, non solùm non excusat apertos lapsus, sed etiam errores, sive à suis, sive ab aliis invectos detestatur, & more Dei judicium incipit à domesticis. Itaque licèt vera esset quæcumque Guimenius nobis imponit, perperam tamen inde ex filiorum erratis Ordini nostro dedecus, & infamiam quæreret, totumque corpus infectum ex membri alicujus contagione prædicaret. Quia omnium privatas aberrationes non suscipit defendendas, sed scriptis & voce reprimit & condemnat. Quo uno verbo veluti spongia, æmulorum suorum (& sunt sanè multi) objectiones delet, obstruitque os loquentium iniqua.

Imitatur Ecclesiam Ordo noster. Cùm enim sibi ab hæreticis privatorum corruptelæ regeruntur, respondet Ecclesia cum Augustino suo, lib. 1. de morib. Eccl. cap. 34. *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Ecclesiæ Catholicæ maledicere desistatis, vituperando mores hominum, quos & ipsa condemnat, & quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet.* Sic Religio Dominicana præclarum indicium dare se putat animi & humilis, dum fatetur errata, & verè catholici, dum errores insectatur vel in suis, nec eos ignava dissimulatione fovet. Vera infamia est suscipere scelera, fovere errores, defendere falsitates: at verò proscribere nefaria, reprobasque etiam suorum opiniones reprobare, immortale decus, & gloriæ prædicandæ verissima seges. Quandiu durabit illud Ordinis nostri ingenium, tandiu paucorum filiorum dedecus in matrem inaniter refundetur.

Reflexio & apostrophe ad Semi-Thomistas.

Nonnullos D. Thomam in speculabilibus sequendum, sed in moralibus deserendum, non semel effutientes in præloquio hujus libri retulimus; hos iterum alloquimur, & monemus. Quàm dolendum, ô Semi-Thomistæ, vos hac in parte à S. Doctore discedere, quam præ cæteris debebatis ad amussim ardentiùs æmulari! O quæ tempora! ô quæ studia vestra! Illa profectò, illa de quibus Bernardus *serm. 33. in Cant.* ait: *Olim prædictum est, & nunc tempus impletionis advenit: Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Amara priùs in nece Martyrum, amarior pòst in conflictu hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Non fugare, non fugere eos potest, ita invaluerunt, & multiplicati sunt super numerum. Intestina & insanabilis est plaga Ecclesiæ, & ideo in pace amaritudo ejus amarissima. Sed in qua pace? Et pax est, & non est pax. Pax à paganis, & pax ab hæreticis, sed non profectò à filiis. Vox plangentis in tempore isto: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Ut ergo sit vera pax, vel Thomistas vos non dicite, vel S. Thomæ ubique obtemperate. Et qui tantum Doctorem in morali disciplina existimatis errare, etiam atque etiam quæ ab eo dicta sunt considerate, ne fortassis ipsi erretis.

Serpit hodie probabilismi putida tabes per omne corpus Ecclesiæ, & quo latiùs, eo desperatiùs, eoque periculosiùs, quo interiùs. Ex probabilismo videmus profluere omnia flagitia, omnis Ecclesiasticæ disciplinæ eversionem, omnis observantiæ regularis exterminium. Ex eo omnes amici & inimici, necessarii & adversarii quæ sua sunt quærunt. Ex eo ministri Christi non Deo serviunt, sed mundo, honoratique incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Ex eo is, quem quotidie videmus, meretricius nitor, histrionicus habitus, splendidus apparatus. Ex eo aurum in frenis, in sellis, & calcaribus; & plus calcaria quàm altaria fulgent. Ex eo splendidæ mensæ & cibis & scyphis. Ex eo comessationes & ebrietates; cythara, lyra, & tibia; redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud. Ex eo usurarum, simoniarum pigmenta, & marsupia plena.

plena. Et D. Thomam hæc monstra in radice præscindentem sectari recusatis. Si in D. Thomam insurgeret apertus hæreticus, mitteretur foras, & arescerct; si violentus malediceret adversarius, absconderemus nos forsitan ab eo. Nunc verò quem ejiciemus, aut à quo abscondemur, si impunè Moralem D. Thomæ disciplinam deserere etiam discipulis liceat, qui Thomistarum nomine gloriantur.

Ego quia ad animum vestrum veritati aditum esse posse confido, non tam vos arguo, quàm deprecor, non tam moneo, quàm rogo, ut remoto contentionis studio, & evacuatis Probabilistarum præjudiciis, animum sic componatis, quemadmodum ad veritatem percipiendam componi par est. Dimidiatum vestrum S. Thomæ obsequium serio attendite, vestrum à præcipuo totius ejus doctrinæ cardine recessum serio considerate, quàm periculosa sit vagæ probabilitatis licentia, quàm effrænatam ad omne peccatorum genus licentiam præbeat, quot nefaria dogmata pariat, quotve longè deteriora parere possit, si cernitis cernite, & S. Thomæ indivulsè adhærescite.

Quare vos tam dulce D. Thomæ solatium vobis ipsis eripitis, quem dum sequimini, certi estis vos non probabilibus modò, sed tutissimis & inconcussis dogmatibus, testante Alexandro VII. ad Lovanienses, adhærere? Non credo vos ita frontem cum corde durasse, ut in tanta Probabilistarum laxitate & discordia, vel potiùs caligine nullus conscientiam pulset remorsus, inter tot angustias voces extorqueos: *Quis ostendit nobis bona.* Cur ergo à D. Thomæ cynosura faciem avertitis, quæ iter dirigeret, detegeret pericula, salebrosa complanaret. An nescitis quod docet Chrys. homil. 43. in epist. ad Hebr. *Ducem & rectorem non habere malum est, & multarum calamitatum argumentum, necnon inordinatæ perturbationis ac confusionis principium. Quemadmodum enim si chori coryphæum & ducem sustuleris, non erit amplius chorus concinnus & ordinatus; & si à phalange exercitus amoveris Imperatorem, non erit amplius ordinata acies; & si à navigio ademeris gubernatorem, navem demerges: ita malum quidem est, atque eversionis occasio rectore carere, sed non minus malum fuerit non obediri ei à suis subditis.*

Hæc cùm ita sint, si D. Thomam in speculativis sectari gloriamini, in moralibus, ubi periculosior error est, ab eo ne latum unguem discedatis; quia in istis si à veritate exerremus, cæci erimus, & cæcorum duces facti ambo in foveam cademus. Graviùs plectemur si inspiremus errores iis qui nostris decretis imbuti peccata committent; qui enim errorem suadet & docet, non solùm propriæ pravitatis, sed & alienæ iniquitatis pœnas luet. Maximè quia, ut aliàs monuimus, & iterum confirmare placet, licèt fatali protoparentis peccato, quo natura humana corrupta est, præcipua funesti pars vulneris in intellectu & voluntate impressa sit; tamen quia magis voluntate quàm intellectu peccatum est, ideo humana natura originis vitio remanet voluntate quàm intellectu corruptior, minusque obscurata mens ad veritatis intelligentiam obturpet, quàm voluntas à summo bono aversa in creaturarum, suique amorem defluat. Inde fit, hominem in morum judiciis quàm in speculationibus decernendis à vero faciliùs exerrare, quia ex appetitus majori corruptione majores intellectui tenebræ offunduntur circa res illas, quas voluntas diligit. Quia in hujusmodi rebus dum concitatis à concupiscentia nebulis offuscatur animus, nativam hebetudinem & tarditatem in immensum auget inviscceratus terrenorum amor, subindeque in regulis morum dignoscendis magis magisque caligat. Veritates speculativas, quàmlibet invias & inaccessas, dum non capit, miratur; & quia sibi magno non constant, non odit. At verò præcepta morum, quibus cupiditates coërcere, & concupiscentias temperare jubetur, non solùm fastidit, sed aversatur: ideoque subtilitatem acuit & ingenium, ut mandatorum molliat rigorem, detrahatque asperitatem; varia quoque ad vitam commodiùs agendam lenimenta quærit, ut dejecto arctæ vitæ retriculo, cœli semitæ inferos viis faciliores, suavioresque efficiantur.

Quàm præclarè, & ad miraculum opportunè Ambrosius lib. de bono mort. cap. 9. *Errat oculus, ubi errat affectus. Affectus ergo deceptio, est deceptio visus.* Quia ut ibi observat, sic corruptus quærit ut concupiscat, non ut verum cognoscat. Quam rationem eleganter prosequitur in Psal. 118. serm. 4. *Terra ista, quam gerimus, meretriciis nos quibusdam illecebris capit, & quasi vultus quosdam voluptatum, corporaliumque delectationum fucis illinit, ut lateat in his veritas, & forensi quadam specie decipiant appropinquantes.* Soccinit S. Nilus in Ascetico: *Hujus perversitatis ea causa est, quod iis quæ cernuntur, nihil præstantius* (practicè & in actu exercito) *ducimus; neque ex præsentium, futurorumque comparatione vilitatem illorum, atque horum præstantiam agnoscimus. Præsentium enim splendor nos capit, & mentis oculos perstringit. Nam sæpè fit absentia præstantiorum, ut deteriora pro illis habeantur in pretio. Quod si de futuris bonis gustum aliquem haberemus, haud ita præsentibus inhiaremus.*

Itaque intellectus voluntate voluptatis amante inflexus, tota qua pollet vi legum vigorem enervat, actuum salebras complanat, licita conatur efficere, quæ illicita ex legis præscripto videbantur. Hinc faciliùs errat homo, quo dulciùs. Hinc opinationes suas non à recto exerrationes, sed benignitates disciplinæ; non immodicas luxuriantis animi profusiones, sed charitatis attemperationes; non legum dissipationes & vulnera, sed scrupulorum animos exedentium remedia, vel piam & religiosam calliditatem, pietatisque solertiam appellat, & abjecta æternæ legis divina luce, præeunte ratiuncularum fallaci fulgore, & igne fatuo fictæ charitatis, in varia præcipitia dilapsi cæci fiunt, & duces cæcorum. A charitate potissimùm scientia moralis exoritur, ut eximiè annotat D. Thomas in illud cap. 1. Epist. ad Philip. *Oro ut charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia. Quia*, inquit, *qui habet habitum, si rectus est habitus, sequitur inde rectum judicium de his quæ pertinent ad illum habitum; si verò corruptus, falsum.* Vide quæ diximus in præloquio libri hujus.

Quid ergo ad rationis sibi relictæ tenebras depellendas opus facto? Quomodo se geret humilis ac verè Christianus Theologus? Quo pacto inter tot discrimina exurgentium molliculorum fraudes deprehendere, laqueosque vitare, & in sana Ecclesiæ Romanæ morum doctrina sanus atque integer poterit permanere? Duplici modo sensa sua Domino adjuvante munire debet. Primò scilicet divini verbi in Scriptura, vel traditione loquentis lumen consulere, & revereri tenetur. Sibi in veritate persuadeat, nihil esse tam rationi adversum, quàm ipsam rationem divinæ legi præponere, vel in bonis, malisque dignoscendis, discernendisve parem putare. Certè credat lucernam pedibus nostris, & lumen semitis esse verbum Dei, sive sacris Paginis consignatum, sive ab Apostolis, Apostolicisque viris, Apostolicæ Sedis potissimùm Antistitibus ad nos traditione derivante transmissum. Recordetur illius quod habetur *Iosue* 1. præcepti: *Non declines à verbis legis ad dexteram vel ad sinistram, ut intelligas cuncta quæ agis.* Præ oculis habeat illam *Deuter.* 12. contestationnem: *Non facietis quod vobis rectum videtur, sed quod præcipio tibi.*

Tum deinde Ecclesiæ Catholicæ Doctores, & Magistros optimos, nominatim verò D. Thomam, ad exstirpandas

randas morum corruptelas divinitus provisum audiamus. Nam ut stylo Lirinensis utar, quis ille tam demens est, qui te, Doctor Angelice, etsi assequi non valeat, non exoptet sequi, quem à defensione incorruptæ Theologiæ moralis nulla Aristotelicarum argutiarum vis depulit, quem Deus elegit, ut exitialem morum depravationem, quâ hodie laborat mundus, divinâ tuâ sapientiâ præfocares, ne benè fundata antiquitas scelestâ novitate subrueretur, ne superiorum instituta violarentur, ne rescinderentur scita Patrum, ne convellerentur definita Majorum, sed sese intra sacratæ, atque incorruptæ vetustatis castissimos limites prophanæ ac novellæ curiositatis libido contineret.

Pecuinam servitutem appellent cum Petro à Valleclausa inimici tui doctrinæ tuæ adhæsionem; sed veri Theologi quomodo doctrinam tuam repudiabimus, cujus sanctitatem, & de hæresibus omnibus victoriam prædicamus? Prædicamus, inquam, ô venerande Thoma, prædicamus planè, laudantesque miramur, quem pro divinæ legis defensione, proque religiosæ vetustatis tenacitate tanto te munere Dominus dignum judicavit, ut per te repararet prostratas à modernis legis sanciones; extinctas, inquam, plurimas Evangelii maximas vivificaret, dejectas decretorum coronas reponeret, & nefarias illas novellæ impietatis non literas, sed lituras, infuso cœlitus fidelibus discipulis tuis lacrymarum fonte deleret. Vidit olim Innocentius Ecclesiam nutantem, & Dominicum succollantem. Columna Ecclesiæ fuit Dominicus, quia te genitum erat Ecclesiæ Atlantem, non fabulosum, sed verum. Dignus profectò es, quem sequamur Magistrum, qui Patrum omnium religiosus sectator, & discipulus extitisti. Dignus cui deferatur honor, quem tu Sanctis omnibus detulisti. Tu docuisti nos servare præcepta Majorum: Tu librum signatum illum propheticum, non modernorum prolubiis, sed seniorum, idest Patrum decretis resignare jussisti. Tu declinare, & fugere præcepisti eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam quam acceperunt, faciunt; qui ve ducti variis desideriis semper discunt, & ad scientiam veritatis nunquam perveniunt; qui docentes quæ non oportet, sed languentes circa quæstiones & pugnas verborum veritate privati sunt.

Coacervent sibi qui voluerint Magistros prurientes auribus. Producant, si velint, in aciem non decem aut viginti Probabilistas, sed centum, sed millia, sed decem millia in millibus suis: Illi omni catervæ, multitudini & nationi te opponimus, Doctor sancte, qui unus es, & parem non habes, quia *Tu unus pro decem millibus computaris.* 2. Reg. 18. Oppono veterum discipulorum tuorum cœtum aliter sentientium: oppono parochorum, Episcoporum, & Summi Pontificis consensionem, qui tuam de moribus doctrinam specialiùs commendarunt: oppono doctrinæ tuæ oracula ab Academiis, ab Episcopis, à Conciliis, à Summis Pontificibus, ab ipso denique Christo ita probata, ut si te sequendo error contingeret, essemus (quod absit) ab ipsa veritate decepti. Omnibus ergo novis Doctoribus, quorum fundamenta non sunt in montibus sanctis, te ab Ecclesia consecratum jure præferimus; quia juxta auream Lirinensis maximam: *Magna profectò res est, & ad discendum utilis, & ad recolendum necessaria, quam etiam atque etiam exemplorum molibus illustrare, atque inculcare debemus; ut omnes ferè Catholici noverint se cum Ecclesia Doctores recipere, non cum Doctoribus Ecclesiæ fidem deserere debere.*

SPECULATIO II.

Omni rationum genere, tum à priori, tum à posteriori probabilismus evertitur.

PLures confirmandæ nostræ sententiæ rationes opportunas hactenus insinuavimus, quarum præcipua petitur ex illa maxima S. Thomæ inconcussa: Quidquid fit contra legem naturalem & æternam semper est malum, nullaque ignorantia excusatur; quia omnis juris naturalis ignoratio vincibilis & culpabilis est, unde nulla bona est actio, nisi sit rectæ, ac veræ regulæ conformis; nec ulla opinio probabilis secura, nisi vera sit. Ergo multò minùs minori probabilitate opus contra legem admissum peccato eximetur affulgente, & reclamante probabilioris & tutioris opinionis luce; quia tunc nulla obtendi potest ignorantiæ causa, ad quam directè excludendam sufficit minima suspicio, dubitationis vellicatio, & multò magis probabilioris sententiæ plenum, & circumfusum lumen. Consequentia est necessaria, & ipsis Probabilistis ultrò fatentibus evidens. Antecedens verò est illis quidem execrandum, sed tota antiquitatis veneranda canitie, & variis rationum momentis superiori capite, speculatione prima, tanquam hujus controversiæ basis & fundamentum firmatum est. Sed quia paulò superiùs monuimus, non illo solo gladio jugulari Probabilismum, placet alias rationes exhibere magis ad ubertatem quàm ad necessitatem, prætacta enim sufficeret.

Prima ergo ratio à priori sic formatur. Unusquisque in controversiis & difficultatibus moralibus quotidie emergentibus verum in omnibus pro virili quærere, dum latet, & sequi dum patet tenetur, aliàs Christianismus non esset schola veritatis, sed spelunca erroris, si ad veritatem de corde puro & optimo inquirendam, & quàm proximè possumus ad eam accedendum non teneremur. Certè cùm asserat Evangelium, sola nos demùm veritate liberos effici posse, asserat nos non ex hominum mendacibus stateris, sed ex Dei verbo vero judicandos; asserat Servator se esse viam, veritatem, & vitam, se in hoc natum, se ad hoc venisse in mundum, ut testimonium perhibeat veritati; talemque se velle instituere Religionem, in qua veri adoratores adorent Patrem in spiritu & veritate, cùm, inquam, hæc ita sint, nemo nisi illius qui fuit mendax ab initio, interpres negare potest, Christianos debere pro virili veritatem quærere, veritatem amare, & viam veritatis cognitæ eligere. Atqui ille non sincerè veritatem quærit, nec purè veritatem amat, qui illud ultrò negligit quod verius esse probabiliùs censet, & aliunde tutum esse supponitur, cùm faveat legi & honesto; & illud amplectitur quod magis putat esse falsum, quàm verum, & ideo illud minùs probabile esse judicat: Ergo qui minùs probabili, minusque tutæ sententiæ in concursu probabilioris & tutioris adhæret, ultrò à veritate, quam sequi tenetur, recedit; ultrò ad falsitatem sibi notam, quam fugere debet, tendit amore utilis, aut delectabilis, seu in favorem libertatis: Ergo peccat in illa tam præpostera comparatione & electione, quâ tutum minùs tuto, probabilius minùs probabili, verius minùs vero, non duce veritate, sed improbante; non movente charitate, sed repudiante; non suadente ratione, sed cupiditate postponit. Omnes propositiones sunt evidentes. Major est dogma Catholicum apertius, ut phrasi Senecæ utar, quàm ut interpretandum, disertius quàm ne sit adjuvandum. Minor est status quæstionis. Consequentia sponte fluit ex præmissis.

Secunda demonstratio: Ille peccat qui contra

Sf 2 conscien

conscientiam reclamantem agit, seu qui facit id quod conscientia judicat non esse faciendum; tunc enim non possunt afferri effugia ignorantiæ ad excusandas excusationes in peccatis: Sed ille qui spretâ probabiliore, & tutiore sententiâ, ex minùs probabili, minusve tuta operatur, ille, inquam, agit contra conscientiam, seu facit id quod conscientia judicat non esse faciendum; illud enim judicat conscientia quod probabiliùs censet, aliàs ineptè judicaret: in conflictu autem prædicto opinionum, conscientia censet probabilius, opus quod permittit opinio minùs probabilis esse illicitum, & subinde non esse faciendum, sed fugiendum: Ergo qui in illo concursu ex minùs probabili operatur, facit contra conscientiam; siquidem judicium conscientiæ suæ improbantis opus, quia videt illud in malum propensius, spernit, & volens illud eligit, quod potiùs falsum quam verum, potiùs illicitum quàm licitum putat, proindeque renitente judicio voluntatem habet à studio & amore veritatis alienam.

Tertia demonstratio petitur ex celebri Iuris regula superiori capite à corruptelis & cavillis modernorum vindicata: sed quia ex illa tota Probabilistarum doctrina à fundamentis subruitur, placet sic iterum ex ea argumentari. In dubiis tutior pars est eligenda, nec quidquam agere possumus quod dubitamus æquum sit, an iniquum; id enim non solùm Canonicum Ius, sed Philosophia, sed naturalis ratio communissimis boni, malique notionibus informata verum esse fatetur. Atqui in conflictu & distractione opinionum, de quarum veritate non constat, sed una rectior & probabilior, alia minùs tuta, minúsve probabilis est, animum de minùs probabilis sententiæ veritate dubitare & fluctuare necesse est: Ergo in opinionum conflictu probabilior, tutiorve eligenda est. Majorem non audent inficiari Probabilistæ, & quamvis alii consilium continere duntaxat illam regulam velint, alii usu abolitam dicant; id tamen alii explodunt, & nos suprà evidenter confutavimus *in pag.* 465. Vnde negant minorem propositionem; quia, inquiunt, hoc axioma valet quidem in dubiis, sed non in probabilibus; quia in dubiis neutri parti assentimur: at in opinionibus animus non est pendulus & fluctuans, sed utrique probabili sententiæ etiam contradictoriæ probabiliter assentitur: ubi autem est assensus, non est dubium; quia dubium assensum omnem continet & suspendit, opinio verò vel utrique, vel alterutri sententiæ assentitur.

Sed contrà probatur minor, & hæc Adversariorum doctrina, quæ est tota probabilismi medulla, multipliciter impugnatur. Tum quia vel opiniones contradictoriæ sunt ambæ æquè probabiles, vel una apparet minùs probabilis, altera probabilior. Si primum, animus neutri parti assentitur, quia nihil habet quo uni parti potiùs quàm alteri se addicat; cùm enim intellectus à sola veritate, vel verisimilitudine moveatur, si in partibus contradictoriè oppositis non relucet aliquis major veritatis radius, sed æqualem undique percipiat, ad unam inclinari potiùs quàm ad aliam non potest, sed æqualibus rationibus distractus in æquilibrio dubius remanebit; & sicut remanent lances in libra, quibus æquale onus imponitur, sicut non movetur corpus quod in oppositas partes æquali duorum agentium virtute impellitur: ita similiter intellectus à dubii æquilibrio non recedit, nec in alterutram partem assensu inflectitur, quandiu æqualibus hinc inde premitur rationum ponderibus & momentis. Nec obest quod videat per reflexionem rationes esse hinc inde probabiles, quia ea ipsa rationum probabilium utriusque partis perceptio animum hærere, & pendere cogit, quia ob paria æqualis probabilitatis pondera in neutram inclinatur, neutri assentitur, neutram præponere jure potest, sed æquali probabilitatis fuco fulgente diducitur. Vnde judicium reflexivum non aufert, sed supponit, imò auget dubitationem, quia videt nihil apparere, quo magis in unam, quàm in aliam partem flecti debeat intellectus, unde judicium de probabilitate æquali opinionum compellit suspendere judicium de re ipsa; quia cui parti contradictoriæ insit veritas, tanto magis nescit, tantoque dubitat, quanto clariùs cernit oppositas sententias æquè firmis fundamentis inniti.

Si verò intellectus videat unam opinionem esse minùs probabilem, minusque tutam, & alteram contradictoriam probabiliorem & tutiorem, tunc intellectum de minùs probabilis veritate dubitare, eique non assentiri, sic manifestè suadetur. Intellectus non movetur ad assensum nisi à veritate, vel verisimilitudine; quia veritas est objectum formale adæquatum intellectus, sicut bonitas est objectum formale, & motivum adæquatum voluntatis: Ergo in conflictu opinionum contradictoriarum illi necessariò assentitur intellectus, in qua major veritas, majorve verisimilitudo apparet, ne à suo formali motivo recedat. Atqui major veritas, majorque verisimilitudo in sententia probabiliore, & tutiore apparet; ideo namque dicitur probabilior, ut patet ex penetratione terminorum: Ergo in hujusmodi conflictu intellectus necessariò dubitat de veritate opinionis minùs probabilis, nec illi ullatenus assentitur, cùm potiùs assentiatur probabiliori, quam utporè sibi veriorem, præponit minùs probabili, à qua dissentit; quia falsam eam assensu opinativo reputat.

Pluribus aliis argumentis illum Adversariorum cavillum loco citato impetivimus, ostendimusque illo funditus deleri, & ad nihilum redigi sacram illam regulam ab Ecclesia tota consecratam, & lumine naturali notam; & esse meram ideam, meram fabulam, merum ludibrium, quia dubitanti nunquam deest opinio probabilis; si enim illi operis malitia pateret, utique non dubitaret: unde eo ipso quod dubitat, non tenetur tutiora sequi, quod est regulam illam conculcare. Monstravimus etiam ex sensu Pontificum, manifestè illam in difficultatibus ex opinionibus probabilibus emergentibus esse usurpandam; sed hæc iterare non decet, quæ eò loci fusè ponderata sunt. Sed illud non est prætermittendum, quo omnis evasio apertè simul, & efficaciter præcluditur: Si in dubiis teneor sequi probabilia, certè multò magis in minùs probabilibus; quia dum rationabiliter dubito de operis honestate, minimè assentior tale opus esse pravum: unde ab opinione illud permittente non dissentio, quia illam nec probo, nec improbo, ob bonas quibus munitur rationes. At verò dum opinor aliquam opinionem esse minùs probabilem, tunc ab illa sententia dissentio, tunc ferè persuasus sum de ejus falsitate, & hic, & nunc eam non censeo veram, sed ejus oppositam: Ergo si stante dubio nefas sit operari, quia mihi incertum est an opus sit æquum, vel iniquum; multò magis nefas est ex minùs probabili operari, quia tunc magis judico opus esse iniquum quàm æquum, hoc ipso quod oppositam probabiliorem existimo. Si hæc ratio non sit convincens, nescio quo poterit humanus animus convinci.

Quarta demonstratio sumitur ex ipso principio adversariorum contendentium, omnem opinionem probabilem esse tutam, quia volunt eam esse dictamini prudentiæ consentaneam. Ego contrà affirmo, probabilismum omni veræ prudentiæ spiritus repugnare, & sic argumentor: Qui sequitur opinionem minùs probabilem, minúsve tutam in conflictu probabilioris & tutioris, ille prudenter non agit: Ergo peccat. Consequentiam fatentur Adversarii, qui non aliter argumentantur. Prudenter agit qui probabilem opinionem

sequitur,

ſequitur : Ergo non peccat. Non enim aliud ferè proferunt ſui dogmatis argumentum, cujus conſequentia ſi bona ſit, noſtra mala eſſe non poteſt. Antecedens verò ſuadetur, quia in conflictu illo opinionum, vel operans ex minùs probabili dubitat, vel non dubitat de rectitudine operationis : ſi dubitat, imprudenter opus aggreditur, non depoſito priùs dubio : ſi non dubitet, multò magis imprudens eſt, qui in nullam dubitationem inducitur, quando tanta eſt dubitandi ratio. Nonne imprudens, ſtupidus, & inſanus diceretur, qui in conflictu probabilium ſententiarum, an eſca appoſita ſit veneno infecta, non dubitaret utrum eſſet comedenda, ſed eam ſecutus quaſi puram, incorruptam, & ſinceram comederet ? At imprudentior longè eſt qui non dubitat illud aggredi opus quod in malum propenſius eſt quàm in bonum, quodve probabiliùs eſt mortiferum : Ergo vel nihil datur in rebus humanis prudentiæ adverſum, ſi prudentiæ probabiliſmus non adverſetur. Reſpondete, ô inconſulti, & maleſuadi Probabiliſtæ. Eſtne prudens Imperator aut Dux, qui eo tempore prælium committit & hoſtes aggreditur, quo probabiliùs putat ſuum exercitum victum iri, & hoſtium irruptione diſſipandum, profligandumque ? Habeturne prudens ille negotiator, qui cum illis ſocietatem contrahit, quos probabiliùs cenſet ære alieno gravatos, & pecunias acceptas per fraudem decoctutos, mala fide creditoribus denunciatâ menſariæ rationis inopiâ ? Cenſeturne prudens ille nauta, vel non potiùs in exemplum ſtultitiæ & imprudentiæ ab omnibus affertur, qui explicatis velis mari ſe permittit, quando probabiliùs impendet à tempeſtate naufragium, ut non ita pridem nonnullis triremibus Gallicis, duce Equite Paulo, ſubmerſis contigit ? Ergo totius prudentiæ lumen extingunt Probabiliſtæ, dum docent minùs probabilia probabilioribus, minùs tuta tutioribus poſſe prudenter præponi. Nihil eſſet prudentiâ imprudentius, ſi tam imprudens conſilium à prudentia poſſet oriri.

Quinta demonſtratio : Qui amat periculum, peribit in illo, ut docet Spiritus Sanctus *Eccleſ.* 3. 27. Quod maximè verum eſt in moralibus, quia qui non declinat periculum peccati, peccati amorem retinet, nec illud fugit ſicut à facie colubri, ſed peccatum eſt illi quadantenus indifferens. Atqui ille qui in conſpectu probabilioris, & tutioris minùs probabilem, minuſve tutam ſententiam ſectatur, amat, non vitat periculum : Ergo peccat, & peccando peribit. Major eſt non ſolùm axioma Spiritus ſancti, ſed eſt lumini naturali manifeſta. Minor probatur. Illud dicitur periculoſum, ſeu non ſecurum, ex quo an oriri poſſit aliquod grave damnum, incertum eſt ; ſicut dicitur morbus periculoſus, de quo incerti ſunt ſapientes medici bonis rationibus permoti, an mortem ſit illaturus ; periculoſa dicitur via, quando juxta eam latitare fures multa probabiliter perſuadent ; periculoſus cibus, periculoſuacõtractus appellatur, ſi ex illo corpori, ex iſto rebus nocumentum imminere optimis rationibus judicetur. Nullam enim, quotquot ſunt homines, aliam veri periculi ideam ac notionem habent. Adeantur parvuli, viri, mulieres, indocti, litterati, nobiles, ignobiles, Catholici, Calviniſtæ, rogenturque quid nomine *periculoſi* intelligant ? Nemo eorum aliter reſpondebit, niſi tunc eſſe periculum, quando damnum ex aliquo impendere bonis rationibus judicatur. Atqui ſequens opinionem minùs probabilem, minuſve tutam, illud agit quod omninò incertum eſt, num ex eo ſequatur peccatum mortale, animæ ſpiritalis mors, & æterni ſupplicii damnum irreparabile ; quia id facit quod eſt probabiliùs illicitum. At quomodo à peccati periculo immune, quomodo tutum & ſecurum eſt, quod probabiliùs illicitum eſt ? Quomodo cibus periculo inferendæ mortis caret, qui probabiliùs eſt eam illaturus ? Quomodo via periculo vacua, quæ probabiliùs eſt circumſepta latronibus inſidiantibus ? Quomodo contractus periculo eximitur, ex quo rerum omnium jactura probabiliùs peritorum judicio conſequetur ? Qui ſic ſe gererent in humanis, forentne tuti & ſecuri ? An minor quærenda ſecuritas, ubi tota periclitatur æternitas ? An filii hujus ſæculi prudentiores & cautiores filiis lucis in generatione ſua eſſe debent ? Væ nobis perverſis rerum æſtimatoribus. Væ nobis, ſi in humanis benè adminiſtrandis omnia tuta timemus, in negotiis animæ omnia nos probabilitati committimus. Væ nobis, quibus in comparatione aliorum Deus vilis eſt, æterna ſalus non eſt unum neceſſarium, pro quo obtinendo dimittenda incerta, certa tenenda eſſe Sancti omnes docuerunt.

Sexta demonſtratio : Ut ille qui ex minùs probabili minuſve tuta ſententia operatur, à peccato liberetur, neceſſe eſt ut quævis probabilitas, etiam falſa, etiam minor, etiam minùs tuta, ſit certa agendorum regula, ita ut in praxi iſtud judicium formare poſſim : Illud hîc & nunc mihi certò licitum eſt, eo ipſo quod probabiliter licitum eſt, quia prudenter, & tutò quiſque opinionem probabilem ſequi poteſt. Ita enim explicant Adverſarii, ita ſe defendunt, ita miro artificio ſpeculativam dubitationem cum practica ſecuritate componunt. Atqui probabilitas non eſt certa agendorum regula, ſed dubia, fluxa, & incerta. Tum quia regula illa eſt ad ſummum probabilis, ſubindeque derivari ex illa certitudo rectæ operationis nequaquam poteſt ; ex probabili enim principio certa nequit deduci concluſio, & incerto innixa fundamento ædificatio non poteſt certa conſiſtere ; quia generaliter nemo dat quod non habet, ſubindeque opinabile & incertum principium certam infundere ſecuritatem tam non poteſt, quàm calidum frigefacere, vel frigus naturaliter calefacere. Tum quia probabiliſmus ſuâ vagâ licentiâ ſeipſum interimit, & ex Probabiliſtarum principiis ipſa probabilitas eſt regula improbabilis ; ſic enim argumentor : Probabilitatem opinionum authoritate & ratione metimur : Atqui multi Authores gravibus rationibus permoti exiſtimant probabilitatem eſſe periculoſam agendorum regulam, imò prorſus improbabilem, prorſus falſam, & quidam erroneam vocant : Ergo ex Probabiliſtarum principiis probabilitas non eſt certa agendorum regula. Ergo juxta Probabiliſtas probabiliſmus non eſt ſecurus, non eſt à peccato immunis, ſed periculo plenus. Ergo illi credere conſcientiam ſuam non poſſunt, niſi qui ſeipſos, niſi qui alios ſponte decipiunt. Hæc ratio magis urget in caſibus particularibus, in quibus licèt interdum litigent Probabiliſtæ, & inter ſe digladientur, tamen reipſa ſibi non contradicunt dum alii negant aliquid licere, alii affirmant ; quia cùm probabilitatem ut ſic ſecuram agendi regulam unanimi conſenſione pronuntient, fruſtra dicunt id non licere, quod ex ſua cardinali regula in praxi licitum, ſecurum, & innoxium eſt. Ergo probabilitas eſt regula non ſolùm veritatis amantibus, ſed ipſis etiam probabiliſmi aſſertoribus exitioſa, & planè falſa.

Ratio à poſteriori.

Denique à poſteriori ſic arguo : Ex probabilitate continuò derivantur infinitæ laxitates Chriſtianæ diſciplinæ everſivæ. Ad cujus evidentiam conſiderato, quod licèt probabilitas in ſe ſpectata, & neſcio quo verborum apparatu, vaniſque conditionibus & exceptionibus hujus doctrinæ venenum ſimplicioribus occultantibus fucata, non videatur prima fronte admodum exitioſa ; quia quandiu vitium in remoto aliquo principio

principio veluti in semine latet, minùs percellit animum, & pietatis sensum minùs deterret. Verùm cùm probabilitatis radix ramos suos longè latéque protendit, cùm ad praxim usumque reducitur, cùm singularia minutatim expendit, cùm methodo compositionis à fine ad media, à generibus singulorum ad singula generum, à principiis per varios conclusionum gradus descendit ad opus; cùm denique foras erumpens venenum in varias sese induit species, & in conspectu omnium venit, tunc in universorum indignationem incurrit. Quia cùm arbor bona non possit malos fructus facere, tunc incipiunt homines cordati de probabilitatis nedum veritate, sed etiam probabilitate dubitare, cùm ex ea illas videant spurcitias sine modo diffluere, ad quas infernus horrescat. Si ex vero non sequitur falsum, longè à veritate aberrat illud principium, ex quo tam crebra deducuntur consectaria, vel potiùs portenta, quæ hæreticis ludibrio, Catholicis horrori sunt & indignationi. Quis non abhorreat à prætensa probabilitatis securitate, quâ admissâ innumeras nefandorum scelerum immanitates, infinitæ spurcitiarum turpitudines honestantur.

Atqui sic est: etenim ex probabilitatis licentia ita dissipata est lex Domini, ut tam horrendas maximas & referre pudeat, & dolere magis expediat quàm refellere. Illas tamen oculis tuis objicere amor veritatis impellit, & coërcendæ illorum Scriptorum licentiæ, qui una probabilitate freti, sanctissima quæque Evangelii dogmata perverterunt, eamque morum disciplinam in Ecclesiam invehere conati sunt, quæ Turcis & Ethnicis non omninò corruptis offensioni foret: at illas Christianis oculis expandere vetat pudor; vereor enim ne repræsentata tam prodigiosa legis divinæ dissipatio Lectorem meum horrore percellat, cogatque sibi aures obturare, ut Nicænos Patres, ne Arrii blasphemias audirent, fecisse Ecclesiæ Annales referunt. Sed verecundiam vincet necessitas & pia utilitas secutura; quia etiamsi cætera deessent argumenta, non dubito quin sola tot malorum exhibitione, tanquam aliqua mole reprimi posset probabilismi torrens, qui ni fons exhauriatur, totam Christianorum morum disciplinam perditum ibit. Nec sine singulari Dei providentiæ judicio Probabilistæ in tam horrenda inciderunt opinionum portenta, in quibus tam manifesta rationis depravatio apparet, ut omnes non omninò stupidi monerentur, quantum in pestifero fonte veneni lateat, cujus rivi tam apertè, tam sensibiliter corrupti sunt; quàm abominandum sit illud principium, unde conclusiones communi sensui, communibus vulgaris honestatis notionibus repugnantes inferuntur; quàm demùm periculosè se turbidis Probabilismi committunt fluentis, quámve temerè se horum Rectorum permittunt ducatui, quibus rustici & mulierculæ judicii incorruptione præstant. Sed euge calame, quid hæres? cur trepidas? An times ne atramentum pudore rubeat, & suffundatur? Ne propala occulta dedecoris, sed publica flagitia publicè argue; & ut ordinem serves in recensendis lapsibus, in quibus nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat, Decalogum paucis decurre.

Primo præcepto præcipitur nobis fides in Deum, amor, & cultus religiosus illius. At juxta aliquos infià referendos, Infidelis cui sua secta est probabilis, non tenetur Catholicæ Fidei etiam sibi probabiliori adhærere. Secundùm alios absolutionis est capax homo negligentiâ culpabili ignorans Mysteria Trinitatis & Incarnationis. Et juxta Caramuëlem Theol. Moral. n.1559. *Deorum pluralitas stando puris principiis naturalibus defendi & propugnari potest.*

Secundò præcepto prohibetur vanum, vel falsum juramentum. At juxta Tamburinum lib. 3. in Decal. cap. 1. §. 6. n. 7. *Licitum est inducere testem ad jurandum falsum, quod jurans quidem putat esse verum, ipse vero inducens scit esse falsum.* Libenter hic cum Augustino exclamaverim: *Ubi estis fontes lacrymarum! Et quid facimus, quò ibimus, ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?* Tertio præcepto injungitur observantia diei festi. At verò juxta eundem Tamburinum, *in die festo per duas horas vacare servilibus non est peccatum mortale, quia modicum tempus judicatur duarum horarum spatium comparatione viginti quatuor horarum. Unde si herus quispiam habens duodecim servos, injungat eis laborem integri diei, assignando singulis duas horas successivè ac divisivè, non peccat mortaliter.*

Quarto præcepto imperatur cultus parentum. At juxta Tamburinum lib 1. cap. 1. §. 3. *Licet filio, absoluto desiderio cupere mortem patris, non quidem ut malum patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.*

Quinto præcepto prohibetur homicidium, & totum id quod contra proximum per illationem damni committitur. Verùm secundùm Caramuëlem Theologiæ fundam. n. 1142. *Doctrinam Amici, asserentem licere Clerico vel Religioso calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, solam esse veram, & oppositam improbabilem censemus omnes docti.* Et teste Tamburino lib. 2. cap. 2. §. 1. *Ad tormenta graviaque damna vitanda potest quilibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura.*

Sexto præcepto prohibetur omnis actus luxuriæ, omnisque usus rerum venerearum extra actum matrimonii commissus. Et tamen juxta Caramuëlem Theol. Moral. lib. 2. num. 1598. *Fornicatio secundùm se nullam involvit malitiam, & mollities jure naturæ prohibita non est.* Juxta Tamburinum lib. 5. cap. 1. §. 4. *Famulus non peccat mortaliter, qui submissis humeris adjuvat herum suum ascendentem per fenestram ad stuprandam virginem.* Juxta Joannem Sancium, à Diana 5 parte tract. 19. resol. 108. memoratum: *Concubinarius non tenetur pellere domo concubinam, sed pollicens solùm se deinceps cum ea non peccaturum, quando eâ relictâ minùs agrè ageret vitam.* Et juxta Baunium in Summa: *Non neganda absolutio est iis qui in proxima peccandi occasione remanent, si eam deserere aliter non possunt, quin vel sermonem dent populo, vel aliquid ipsis inde incommodi importetur.* Quæ verò in favorem gulæ, aliorumve sensuum docent Probabilistæ, vide suprà, dum de actuum indifferentia.

Septimo præcepto inhibetur injusta rei alienæ ablatio, aut detentio, quâ proximus in bonis suis læditur. At juxta Baunium in Summa, pag. 307. & 308. *Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, v.g. ad domum ejus aut segetem incendendam, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.* Et pag. 230. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per parva furta, quantumcunque sit magna summa totalis.* Quin juxta Probabilistas, vix jam est usura, vel simonia, & omnes divites eleemosynæ erogandæ onere exsolvuntur, quia juxta Vasquem vix in divitibus superfluum invenitur.

Octavo præcepto prohibetur falsum testimonium, mendacium, & omne id quo honor proximi læditur. At juxta Caramuëlem n. 1151 suæ Theologiæ: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum testimonium alicui, ut suam justitiam & honorem defendat; quia illud est probabile quod asseritur à viris doctis, probisque; & hæc doctrina habet pro se viginti, aut plures viros magnos & doctos, qui si dicantur non sufficere, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia. Vide Gasp. Hurt. Dicastill. Dianam.*

Idem

Idem apparet in præceptis Ecclesiæ. Primo & secundo præcepto Ecclesiæ præcipitur statutos Ecclesiæ dies festos celebrare, & Sacrum Missæ reverenter audire. At Caramuel *Theolog. fundam. num.* 44. & alibi docet, *in audiendo Missam de præcepto, recitanda horis ex obligatione, satis esse attentionem externam, & posse quemlibet tutò voluntariè distrahi, & post mille distractiones voluntarias certò scire se ne venialiter quidem peccasse, & ita certò ut possit jurare.* Addit *num.* 760. eum satisfacere præcepto recitandi officium, *qui illud recitat animo non satisfaciendi.* Et *num.* 500. & 502. una Matutinarum lectione *posse quem duorum dierum obligationi satisfacere.* Mitto alia non minùs nova & stupenda, quàm ridicula, ut cùm sæpè ait, *horologia habere opinionum probabilium virtutem.*

Tertiò jubemur indicta certis diebus jejunia, & à quibusdam cibis abstinentiam servare. Illi satisfacere credit Filliucius *tom.* 1. *tract.* 27. quemvis *defessum ex quocumque labore licito vel illicito, v. g. cum fœminis commixtione.* Atque ex eo docet Escobarius *tract.* 1. *exam.* 13. *num.* 67. non teneri jejunare qui dormire nequit nisi sumptâ cœnâ, etiamsi jejunium tolerari possit collatiunculâ sub meridiem sumptâ. *Quia*, inquit, *nemo teneatur pervertere ordinem refectionum.*

Quin juxta Tamburinum *lib.* 4 *cap.* 5. §. 1. & 2. probabile est, *sagimen inter lacticina numerari, atque adeo posse recipi in jejunio; licere etiam intra diem jejunii bibere vinum, mustum, cervisiam, aquas ex herbis, vel ex eodem vino destillatas, etiam de mane, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam in fraudem jejunii.* Alia circa præcepta tam divina quàm humana longè horribilissima flagitia doctrinæ prudens omitto, eligens indiligentiæ notari, quàm tot spurcitiis has chartas commaculare. Videri poterunt excerpta Parochorum Parisiensium, & alia innumera scripta, in quibus summa accuratione recensentur.

Per singula etiam Sacramenta decurrendum foret, singulæ quoque censuræ memorandæ, ut appareat quantum & illis injurii, & istis inobedientes fuerint Probabilistæ. Ex ungue leonem, & ex frusto pannum conjicito. Præcipuam diligentiam & curam in parando ad susceptionem Sacramentorum animo exigebant Patres: ac juxta Baunium & Sancium, non sunt arcendi ab Altaribus, qui *eodem die copulam carnalem cum fœmina habuerant, vel se voluntariè polluerunt, sive per fornicationem* (addit Mascarenbas tract. 4. dub. 5.) *sive per adulterium, sive per peccatum contra naturam, seu quocumque alio modo.* Quantùm verò sacris Pontificum, Conciliorumque legibus & censuris obtemperent, patet ex eo quod idem Mascarenhas, *leges Provinciales vel universales in contrarium latas*, totius orbis consuetudine abrogatas pronuntiat. Et Escobarius *tract.* 1. *exam.* 8. *num.* 102. Bullam Pii V. Clericos sodomitas omni privilegio Clericali, omnique officio, dignitate & beneficio privantis, modo tam horrendo ludificatur, & ad nihilum redigit, ut eam præ horrore non audeam castis Lectoris oculis præsentare Pontificiæ authoritatis irrisionem in casu in quo omnes Theologos deceret esse armatos, deberentque non solùm non Apostolica fulmina eludere, sed ignem de cœlo advocare, si aliqua esset in illis gloriæ Dei scintilla.

Concilium Lateranense ad abolendam execrabilem blasphemiæ consuetudinem gravissimam pœnitentiam severi Confessarii arbitrio blasphemis injungendam decrevit: at illud sacratissimum decretum solitâ suâ responsione, non usu, vel non receptione omnia præcepta evadente, eludunt Sanchez, Azorius, Filliucius, aliique. Religiosos habitum regularem exuentes excommunicationis pœnæ subjiciunt Pontifices. *Excipe*, inquiunt Probabilistæ apud Escobarium tract. 6. *si habitum Religiosus dimittat ut meliùs currat & saltet, vel si ut furetur occultè, vel fornicetur, cùm dimittat mox reassumpturus.* Denique quidquid Summis Pontificibus decernere placuerit, facilè profundabitur hoc Dianæ *p.* 5. *tract.* 13. *resol.* 39. & 650. effato: *Ad authoritatem Summorum Pontificum dicendum est, ita respondisse illos adhærendo opinioni affirmativæ; sed non exinde sequitur, negativam sententiam carere probabilitate. Dixerit hoc Summus Pontifex tanquam caput Ecclesiæ, volo: at dixit tamen in sphæra dumtaxat probabilitatis sententia suæ.* Vbi pro summa & verecunda erga Ecclesiæ capita reverentia probabilitatem aliquam Summo Pontifici decernenti, sicut & Calvinistæ concederet, largiri dignatur.

Quantum verò Regulari Religiosorum Ordinum observantiæ officiat probabilismus, nemo nescit; facile enim erit & promptum cunctis omnia Conciliorum, Pontificumque de reformatione instauranda decreta eludere, qui à Diana didicerint, illa Pontificem statuere *in sphæra dumtaxat probabilitatis sententia suæ*; qui axioma illud, quod semper in ore Probabilistarum versatur, receperint, *Ecclesiæ leges vim obligandi amittunt, cùm jam desuetudine abierunt* Vt autem in desuetudinem abiisse censeantur, sufficit modicum annorum interstitium, vel alicujus Casuistæ nova opinio, quæ initio debilis & imbecilla modico tempore adolescit, & ut loquitur Diana, *tempore maturatur*, ac deinde Prælatorum incuriâ, vel inconsideratione neglecta, tacitâ Ecclesiæ non reclamantis approbatione sancita à Probabilistis venditatur. Quàm profundum erga superiores pro vita regulari resarcienda laborantes obedientiæ obsequium præstabit, qui à Castro Palao *part.* 1. *disp.* 2. *pag.* 6. audierit: *Non est controversia, quando daretur opinio probabilis ex parte subditi, quod non teneatur obedire, etiamsi contraria sententia sit probabilior Tunc enim licitum est amplecti quæ sibi gratior fuerit. Ita notavit in præsenti Thomas Sanchez lib.* 6. *in Decal. cap.* 3. Quem pœnitentiæ motum concipiet Religiosus propter flagitia, & incorrigibilitatem à Monasterio expulsus, cui arriserit illud Molinæ pronuntiatum ab Escobario *tract.* 6 *exam.* 7. laudatum: *Expulsus à Religione non tenetur se emendare, ut ad illam redeat; neque obligatur voto obedientiæ.* Vnde observat Prosper Fagnanus, quosdam Regulares auditâ opinione nonnullis probabili, quod Summus Pontifex non possit Religionis ad præscriptum regulæ reformationem indicere præter consuetudinem tempore professionis vigentem, ausos esse debitam mandatis Apostolicis obedientiam denegare.

Nec dicas hæc tam impia consectaria à variis Probabilistis reprobari. Nam cùm videntur ex principiis proximis ea damnare, in suo generali probabilitatis principio illa probant & honestant. Cùm enim pro certo venditent, id licere quidquid utrinque Authores habet; cùm singulis paginis clament, tutò quemque adhærescere posse claro Casuistæ non omninò ab aliorum authoritate deserto; quid interest si juxta nefanda illa dogmata, quæ interdum in particulari rejiciunt, aliqua tandem ratione probabili, & Casuistis probata agere liceat? Quid juvat afferre rationes, quibus speculativè damnetur contractus *Moatra*, interfectio calumniatoris, vel alapam intentantis, si in praxi illud judicium formare possum: Id mihi certum est quod probabiliter licitum est, quia tutò sequi possum opinionem probabilem. Speculativè quidem ob rationes speciales dubitabo; sed practicè ob rationem generalem probabilitatis non dubitabo, sed operabor; quia illud saltem occurret, ut quod mihi videtur insolubile, & cum doctrina Patrum insociabile, alius solvet, alius Probabilista conciliabit. Ergo non incurram in illud à Iure consecratum

cratum decretum, quo peccati reus statuitur, qui agit ex conscientia dubia, certisque incerta præponit; quia semper securitatem practicam obtendam, ex eo principio mihi ascitam, quod nemo peccat opinionem probabilem sequutus. Esto quod Casuistæ inter se in privatis quæstionibus digladientur, sufficit mihi quod in communi principio conveniant, *Verè illud licere, quod probabilitate non caret.* Nihil ergo mihi jam à Veritatis ira timendum existimabo, parum veritatem curabo, probabilitatis securitate contentus gaudebo, & illo axiomate, quod apud Probabilistas est ferè de fide, *Opinio probabilis, etiam falsa & legi naturali adversa, etiam in concursu probabilioris excusat à peccato*, omnes rationes Comprobabilistarum constringam, & ad illud extremum Casuisticæ subtilitatis vallum perductus fateri eos compellam, paradoxa illa & monstra opinionum practicè licita esse, quamvis ob alias rationes ea speculativè illicita esse denuntient. Vnde illis cum Augustino *lib. 2. de adult. conjug. cap. 4.* dicam: *Hoc vos quidem non sentitis, sed hæc sequuntur illa quæ sentitis. Mutate ergo antecedentia, si vultis cavere sequentia.*

Nec putes, Lector, illis quæ jam prodierunt portentis, & horrendis fœtibus latissimum ad impietatem aditum esse occlusum. Si toleretur vaga probabilismi licentia, nondum exhaustus est venenatus fons unde profluent iniquitatum rivi; nondum exstirpata radix, cujus pestiferi rami tam latè fundentur, ut in fidei, pietatis, religionisque exitium grassari, & indifferentiam sectarum securam reddere humana audacia probabilitate armata facilè possit. Si enim omne probabile falsum excusat à peccato, si probabilitas etiam minor, & quæ probabiliùs videtur falsitas, ad honestandam actionem sufficit, poterit quisque in religione, quam probabilem putat, permanere, & in ea ad salutem pervenire: Non obligatur infidelis ad credendum in Christum, sicut secundùm Probabilistas non obligatur fidelis ad eum amandum: nihil ad salutem refert cujus sectæ professor sis, modò error probabilis videatur; nam probabile & securum apud modernos convertuntur, & teste Caramuële Theolog. fundam. pag. 472. *Minus probabilis sententia, si benignior, etiam securior est.* Devorandæ ergo erunt omnes hæreses aliquo veri colore probabiliter illitæ; permittendæ, & confundendæ omnes sectæ suis hinc inde rationibus humanis non destitutæ; nullæ recusandæ corruptelæ, si corruptorum hominum judicio verisimiles appareant. Denique Christianismus fiet Pirrhonismus, & quidem perditissimus: omnia erunt incerta, fluxa, mobilia; omnia abrumpentur fidei & Religionis retinacula, si novellâ probabilitate susceptâ, cuncta erraticæ rationis arbitrio permittantur; si humanæ authoritati, humanæque rationi id juris iniquissimè detur, ut aliquid securum & tutum efficere possint; si æternæ legis ignorantia etiam ex personali vitio profecta, etiam precibus ac virtutum studio superabilis, non solùm ad imminuendam culpam, sed ad eam penitus delendam omninò valet; si minùs probabilis, minusque tuta opinio probabiliori & tutiori cognitæ anteferri sine peccato possit; si carnalibus animis, novitatum amantibus, severitatis impatientibus supremum salutis arbitrium asseratur; si extra solam veritatem vera sit securitas; si lex Dei æterna non sit immota operationum humanarum regula, à qua actio libera si dissideat, hoc ipso mala est, si nihil referat, veræne sint opiniones, an falsæ, modò sint probabiles, seu eas probantibus probabiles videantur, & aliqua nitantur ratione, atque moderni authoritate Casuistæ; & si humana ratio quámlibet peccato occæcata, certa regula agendorum ita constituitur, ut ei suum Deus judicium accommodare teneatur; si divina lex eos insontes pronuntiare debeat, quos humana probabilitas absolvit; si Casuistis infallibilitatis genus asseratur soli Ecclesiæ Catholicæ eximium; si Probabilistæ sibi ipsis contrarii, subindéque ad veritatis viam incerti, mira absurditate certi sint ad veritatis terminum duces; si denique non minùs tutum sit in ore Probabilistarum mendacium fucatum, quàm in ore Christi, & Sanctorum veritas fuit.

Videant, quæso, Probabilistæ, & seriò tandem considerent, quàm rejiciendum, quàm improbandum, quàm abominandum sit vagæ probabilitatis pestiferum dogma, quod à tam nefandis consectariis divelli nequaquam potest. Ex fructibus cognoscant arborem, ex effectibus causam, ex rivis fontem, & ex longè absurdissimis, & falsissimis corollariis probabilitatis doctrinam, à qua derivantur, cum qua cohærent, cui agglutinantur, rejiciant, reprobent, insectentur. Nam ut elegantibus Tullii verbis utar: *Prorsus consequentia tenetis*, ô Probabilistæ; *sed ita falsa sunt ea quæ consequuntur, ut illa è quibus nata sunt, vera esse non possint.* Et quia de Tullio mentio occurrit, erubescant Probabilistæ ethnicè loqui, postquam Tullius christianè & theologicè loquutus est. Hic enim suis de officiis libris totis viribus probat, honestum utili ita anteponendum, ut in concursu utriusque ipsa comparatio culpâ non vacet. Quod si erubescere nolunt, aut nesciunt Probabilismi arbitrarii defensores, tu (Lector Christiane) rubore suffundere; tu dolore tabesce ob sæculi miseri hujus dedecus sempiternum; & dum vides hac probabilitatis arte omnia jura corrumpi, antiqua flocci fieri, nova calcari, judicia perverti, hæreticis de Ecclesia Catholica obloquendi ansam præberi, indolens cohorresce. *Qui enim,* ut ait August. epist. 137. *ista non dolent, non est in eis charitas Christi; qui autem etiam de talibus gaudent, abundat in eis malignitas diaboli.*

Hæc dicta sint non in sugillationem personarum, sed errationum. Scio, & certus sum præfatos Authores in ista morum disciplina stabilienda non huc spectasse, ut Catholicæ Ethicæ puritatem corrumperent: longè ab omnibus, longè à singulis consilium istud fuisse credo. Non dubito quin optassent nuda Evangelii præcepta nullâ mitigatione temperata fidelibus proponere. Mihi persuasum est, viros erga se severos, & in propriis institutis egregiè compositos, tam multa statuisse de Evangelii severitate remittere, morumque præcepta quàm potuere mitissima condere, ut indulgentiâ & molliori disciplinâ se ad hominum imbecillitatem attemperante, Christianorum depravationi ac perversioni succurrerent; atque ut ne ullum suæ in salutis desperationem arctæ vitæ difficultas propelleret, in hunc scopum collimasse, hoc ipsis unicè propositum fuisse dum decreta singulorum usibus accommodata pararunt, ferè jurare possem. Credebant viri urbanissimi, totique ad benignitatem ficti & comparati, se majora mala præcavere minorum tolerantiâ. Existimarunt accedendum esse ad peccatores, eisque connivendum, ne totos se vitiis tradentes in pejus ruerent.

Quod præsertim de Patribus Sacræ Societatis Iesu intelligendum velim. Ingratus audiam, si Societatem illam de me optimè meritam, quámve meis officiis promereri impensè aveo, corruptelam amantem pronuntiem. Sex annos Iesuitas Provinciæ Tolosanæ Magistros audivi, totidemque conscientiæ rectores adolescens habui. Testis verò est mihi Deus, & non mentior, me nihil ab eorum ore accepisse unquam, nihil in eorum moribus advertisse, quod ab infandis illis depravationibus non abhorreret. Puras Evangelii maximas ab illis edoctus sum, in directores sacræ severitatis amantes incurri; si quid in me pietatis, si quid religionis,

religionis, si quid doctrinæ sit, totum ipsis debeo à quibus elementa suscepi, totum ipsis acceptum refero, & post innumeras persolutas gratias, majores me debere profiteor, quia teste Philosopho, Parentibus & Magistris pares referre gratias nemo potest.

Porrò quod aliqui eorum Casuistæ molliorem in illis disciplinam tolerent, quàm in moribus suis teneant; quod animi sui solertiam ad excogitandas subtiles quasdam rationes adhibuerint, quod acceris lenimentis legum asperitatem mitigare satagerint, non Societatis vitiu, sed ipsius conditione & naturâ probabilitatis, quæ sine periculo tractari nequit, contigisse sine dubitatione credere & charitas, & Religiosi instituti ab Ecclesia probati sanctimonia, & Iesuitarum ferè omnium præclara morum compositio suadent, ac penè cogunt. Nam probabilismi licentiam ab aliis hauserunt Iesuitæ, & cum Iesuitis non pauci alii ex omnibus Ordinibus & Academiis, nonnulli etiam Sorbonici hujus sæculi Doctores sectantur; quia probabilismus postquam timidè primùm prodire cœpit, tempore aliquo maturatus, & plus justo audens, plures bonos & doctos non solùm Iesuitas, sed omnium Ordinum viros in errorem ac fraudem induxit, quos alii deinde bona fide sequuti, sed nimium creduli, probabilitati suffragati sunt, & latens virus absque malitia combibentes, in eam sententiarum laxitatem duce probabilitate abierunt, quæ non sunt Theologorum Societatis Iesu propriæ, sed aliis multis communes. Vnde si Probabilistarum catervam in aciem producere liberet, magnam partem conficerent aliorum Institutorum & Ordinum professores, quos probabilitatis dogma pervasit, pervaserunt & alia probabilitatis corollaria.

Accedit, quod totius alicujus Instituti sensum non ex privatorum alumnorum opinionibus, sed ex Præpositorum Generalium, in quibus non secus ac in capite naturali, totius corporis sensus vigent, statutis, vel universalibus Religionis comitiis metiri nos decet: Atqui post damnatas Romæ probabilitatum laxitates nullum librum legere licuit, in quo de licentia Præpositorum suorum Iesuita ullus expresso suo nomine propositiones damnatas tutatus fuerit: Ergo signum est, sacram Societatem Ecclesiæ authoritati cessisse, ægrè quorundam Filiorum plus justo ingeniorum suorum voluptati & vulgo indulgentium licentiam passam esse, & pro suo Catholicæ Religionis amore eâ modestiâ præditam fuisse, ut quamvis quosdam ex suis nosset laxitatibus illis implicatos, nemini tamen pepercerit, qui se manifestum earum gereret defensorem. Totius Societatis ingenium, & vota luculenter expressit R. P. Mutius Vitellescus Societatis Præpositus Generalis, litteris ad totam Societatem datis 4. Ianuarii an. 1617. ubi sic filios monet: *Nonnullorum ex Societate sententia (in rebus præsertim ad mores spectantibus) plus nimio liberæ, non modò periculum est ne ipsam evertant, sed ne etiam Ecclesiæ Dei universæ insignia afferant detrimenta. Omni itaque studio perficiatis, ut qui docent scribuntve, minimè hac regulâ & normâ in delectu sententiarum utantur: Tueri quis potest: Probabilis est: Authore non caret. Verum ad eas sententias accedant, quæ tutiores, quæ graviorum, majorisque nominis Doctorum suffragiis sunt frequentatæ; quæ bonis moribus conducunt magis, quæ denique pietatem alere, & prodesse queant, non vastare, non perdere. Quoniam verò Constitutiones, Decreta, Regulas probè callent de S. Thoma sequendo, de non provehendis ad Cathedras, aut etiam removendis qui ejusmodi doctrinam parvifacere, aut cordi non habere præ se ferunt, præsertim si novitatum amantes deprehendantur, qui nullæ rationе sunt ferendi; reliquum prætereà mihi nihil est, nisi ut hæc ipsa serventur ut maximi rei momenti, quàm ardentissimè possum urgere.* Vides hunc sapientissimum, & juxtà piissimum Generalem non solùm filiorum suorum doctrinæ laxitates non probare, aut ignavâ dissimulatione fovere, sed proscribere; non affectare in iis tuendis constantiæ famam, sed malle suorum lapsus semel agnoscere, seriò detestari, quàm eos in perpetuum retinere, & ipsis retentis *pietatem perdere & vastare.*

Non ægrè, ut opinor, feret prudens & sacra Societas, me illam eo modo defendere, quo Ordinem nostrum vindicare sategi: Christianæ charitatis officia me implere crediderim, si proximum diligam sicut meipsum; si Matrem à Filiorum dedecore liberare, non Filiorum quorundam dedecus in Matrem refundere voluerim; si diligere me decorem domus Dei, & expurgare Religiosum Sanctuarium his vindiciis significaverim; si à tota Societate erroris suspicionem amovere, & necessariâ quorumdam privatorum infamiâ totius Religionis dedecus redimere studuerim. Non arbitror Religiosos in malam accepturos partem istam meæ erga ipsos gratitudinis significationem. Si plura possem, plura rependerem; si repræsentata dogmata, salvâ conscientiâ, vel defendere, vel excusare mihi liceret, ad illorum defensionem aspirarem, illis me ultrò aggregarem. Sed nihil possum adversùs veritatem, sed pro veritate: quin in tam perversorum dogmatum defensione vel dissimulatione infamandam magis Societatem crederem; quia sicut verum in suscipiendis, occultandis, fovendisque erroribus situm est dedecus; ita nefarias opiniones abjicere, easque à celeberrimo corpore, permisso membrorum quorundam inhonestamento, amovere solidum decus, magnifica gloria. Hanc gloriam toti Societati modis omnibus amplificandam sincerè opto; ipsos RR. PP. non tam moneo, quàm rogo, ut Comitolum magis sibi, Andream Blanchum, Mutium Vitellescum, quàm Escobarium vel Tamburinum imitandos proponant, idque Majorum nostrorum monitis & præceptis imbutus concupisco. Etenim sæpè sæpiùs Capitula nostra Generalia Religiosissimam Societatem omni officiorum genere prosequi statuerunt.

Confutantur responsiones Probabilistarum, & seorsim R. P. Georgii de Rhodes.

Dices: His rationibus quidem conficitur, quamcunque probabilitatem non esse tutam agendi regulam; sed nihil evincitur contra probabilitatem certis cautionibus, limitibus & conditionibus coercitam. Effrenis quidem probabilitas clamoribus & tragœdiis excitatis, quasi omnium corruptelarum fons putentissimus à doctis pariter & indoctis exagitatus est, quia ad eum ex animo respuendum sufficit communis sensus, sufficit communis vulgaris pietatis institutio, quæ ad tam nefaria dogmata cohorrens, ipsum etiam spurcitiarum fontem execrationibus prosequi debet. Sed longè diversa est probabilitatis notio, cui securitas vindicatur. Quod si quæras à modernis exactioribus Probabilistis, quid sit opinio probabilis castigata, & non effrenis? Respondent ad eam duas exigi conditiones: Prima, ut gravioribus rationibus innixa sit: Secunda, ne vel rationi evidenti, vel Catholicis dogmatibus in Scriptura revelatis, vel Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis, vel Patrum traditioni, vel Theologorum torrenti sit opposita.

Sed contrà. Nam præterquam quod pauci, & ferè Probabilistarum nulli hunc conditionum apparatum requirunt, cùm candidè fateatur Tamburinus lib. 1. in Decalog. cap. 3. §. 3. *Qui aliquid operatur motus ex opinione probabili, benè operatur, & sine peccato, etiam opinione probabiliore relictâ, etiam omissa tutiore, etiam communi. Dum probabilitate, sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.* Præter hoc, inquam, hæ conditiones,

hæ

hæ duæ annexæ dotes nihil aliud ſunt, quàm laquei irretiendis, deludendiſque ſimplicioribus ad declinandam corruptæ diſciplinæ moralis invidiam instituti; nam ſi excuſsâ larvâ peſtilenti opinioni formam ſatis honeſtam affingenti, adyta & interiora velaminis perſcrutemur, apparebit his conditionibus probabilitatis fœditatem occultari quidem, & veluti obliniente fuco honeſtari; revera tamen licentiam probabiliſmi foveri tantò periculoſiùs quantò in ſpeciem innocentiùs.

Etenim quid eſt apud Probabiliſtas ratio gravis, & ratio ſolida? Eſtne ratio uni veritati innixa? Minimè ſanè; cùm enim Probabiliſtæ ſibi tam crebrò contradictoriè adverſentur, media probabilium opinionum pars vera eſſe non poteſt, & tamen probabilis eſſe non deſinit: Ergo per probabilitatem gravi ſolidaque ratione fretam, non intelligunt opinionem veritati innixam, ſed opinionem iis rationibus fultam quæ graves & ſolidæ Probabiliſtis videntur. Atqui hoc modo non vitamus monſtra illa flagitiorum & errorum, quæ declinare velle videntur Authores hujus reſponſionis; nam eorum conſectariorum architecti ſolidis ſe niti rationibus opinantur. Et licèt hæ rationes fortè aliis non videantur ſolidæ & graves; illis tamen graves & ſolidæ ſaltem probabiliter apparent, cùm propter illas ea dogmata invexerint. Similiter pleraque Hæreticorum, aliorumve Infidelium commenta, quamvis reipſa ſophiſmatis innixa ſint, tamen illa ipſa argumenta quæ nobis ſophiſmata ſunt, ipſis videntur rationes graves, & ſolidæ: Ergo ſi vera ſit probabilitatis doctrina, ſi nimirum falſum probabile etiam in concurſu probabilioris à peccato excuſat, illa omnia debent tranſglutire, & devorare dogmata, à quibus ore tenus, & extremis labiis recedere videntur; illiſque flagitiis veniam dare, & ſub pœna peccati mortalis abſolutionem impertire ea admittentibus ob rationem, vel Caſuiſtæ authoritatem, quæ perpetrantibus ſolida, & gravis viſa eſt, quamvis reipſa dubia, incerta, & ſæpè falſa ſit. Ergo non veram, ſed apparentem ſoliditatem, quæ errantibus non deeſt, his conditionum fucis & artibus venditant; ſed falluntur, quia apparens ſoliditas, ſoliditas falsò dicitur, ſicut mendacium apparenter verum, ineptè veritas dicitur; & fallacia perperam gravis & ſolida ratio nominatur. Nam illa omnia doctrinæ flagitia, quæ populi Chriſtiani pietas tam juſtâ indignatione inſequuta eſt, & Eccleſiæ divinitus conceſſa authoritas juſtiſſimis cenſuris anathematizata eſt, rationibus apparenter ſolidis muniti viſa ſunt viris apparenter doctis, qui & multa ſcripſerunt, & in evolvendis nocto & interdiu Caſuiſtis multùm temporis inſumpſerunt: Ergo illa omnia conſectaria, quibus cædibus, vindictis, abortionibus, calumniis, furtis, uſuris venia datur, in tuto locari, & ferè conſectari exiſtimanda ſunt.

Deinde verò dum addunt ad opinionis probabilitatem requiri, ut ſententia illa non ſit Scripturæ, vel Traditioni adverſa, dum aliquid dicere videntur, reverà ludunt, & nos ludificant. Nam vel volunt opinionem illam, ut ſit probabilis, debere de facto eſſe Scripturæ, & Traditioni cōſentaneam, vel tantùm apparere talem. Si primum, benè dicunt, ſed probabiliſmum à fundamentis ſubruunt; nam probabile falſum revera non eſt Scripturæ & Traditioni conſentaneum: ſi verò ſecundò contentus ſis, jam omnibus illis flagitiorum paradoxis veniam das. Quamvis enim reipſa cum Scripturarum & Traditionis veritate pugnent; tamen ita pugnare ſuis authoribus & defenſoribus non apparet. Sic etiam Calviniſtis & Lutheranis errores probabiles & tuti erunt, cùm illis perſuaſum ſit, errores ſuos à Scriptura non diſſidere, à Traditione non abhorrere, quamvis reipſa abhorreant. Sic Germanorum antiquorum latrocinia, Mahometanorum immunditiæ, quas innoxias, juſtaſque habent, juſtificabuntur; quia hæc nefanda ſcelera à lege naturæ abhorrere minimè eis apparet; quamvis abominanda meritò videantur iis, quorum judicium non eſt ita corruptum, vel affectus tantoperè depravatus. Ergo vel probabilitas illâ reſpōſione jugulatur, vel nullum omninò eorum, quæ commemoravimus, doctrinæ flagitium, nulla hæreſis è probabilium, ſubindeque tutarum opinionum numero eximetur: ſi id demùm ſibi quiſque perſuadeat, opinionem libertati faventem ob aliquam apparentem rationem non videri Sacræ Traditioni repugnantem, etiamſi tutior, probabiliorque ſententia Scripturis adverſari atteſteretur, & omnibus tum rationibus, tum authoritatibus inter ſe libratis, in ea opinione tanquam probabiliore permaneat, opus agendum eſſe contra Scripturam & Traditionem; id tamen tutâ conſcientiâ efficiet, ſi aliqua ratio, vel authoritas Caſuiſtica ſuppetat, quæ dicat id Traditioni neutiquam repugnare.

Nec obeſt quod interdum videatur Caſuiſta ab Scriptura, vel Traditione diſcedere; quia poteſt ſibi probabiliter, ſubindéque prudenter, ac proinde tutò ſuadere, objectionem illam ſibi ineluctabilem ab ingenioſo, & Dialectico Caſuiſta, ſi adeſſet, bona aliqua diſtinctione ſolvi poſſe. Vnde imprudenter te gereres, ſi ob rationem in contrarium convincentem, ſententiam, quæ ut probabilis circumfertur, improbabilem judicares. Imò criminis lethalis, & Caſuiſticæ majeſtatis læſæ reus fores, ſi pœnitentem talem opinionem ſequutum non abſolveres; quia licèt tibi videatur manifeſtè Scripturæ, vel Traditioni contraria, ex novo humilitatis probabiliſticæ præcepto teneris in reverentiam Caſuiſtæ aliter ſentientis ſuſpendere judicium tuum. Nam licèt omnia alia peccata aliqua probabilitate excuſari poſſint, unum tamen eſt, cui nunquam parcunt Probabiliſtæ, ſi nimirum illis infallibilitatem aſſecutandæ, ut loquuntur, conſcientiæ non afferas. Hoc peccato ſi pecces, deſperata eſt ſalus, peccaſti in Spiritum ſanctum, & tibi nec in hoc ſæculo, nec in futuro remittetur. Scilicet, ſcilicet! Sed ſalibus, jocisque uti non placet, quia licèt ridiculi errores jure rideri poſſint; nam ut ait Tertullian. adverſus Valent. cap. 6. *Multa ſunt ſic digna revinci, ut gravitate adorentur, ubicunque dignus riſus officium eſt*; quia, ut addit alicubi Auguſtinus, miſericorditer irridentur errores, ut ab errantibus rideantur & fugiantur: nihilominus impræſentiarum flere magis libet quàm ridere, & flendi magis quàm ridendi tempus advenit, dum videmus novas in dies induci doctrinæ corruptelas, quibus laſcivientibus ingeniis laxiſſimæ ad peccandum habenæ remittuntur.

Hæc Probabiliſtarum ambagibus & æquivocationum fuco vagæ opinandi licentiam obtegentium calliditas mirè apparet in noviſſimo probabilitatis patrono P. Georgio de Rhodes, authore aliàs mihi probato, & ob egregias dotes laudato; ſed quia in hac controverſia exceſſiſſe videtur (ut verbis D. Thomæ modeſtiſſimis utar) & ea quæ tradit, mirè ad trahendum Caſuiſticarum æquivocationum fucum juvant, placet cum illo ſcriptore, ſepoſito omni verborum amatore velitari, & ea quæ *diſp. 2. de actib. hum. quæſt. 2. ſect. 3.* edīſſerit, ventilare.

In primis apertè ſemel & iterum ad declinandam corruptæ moralis diſciplinæ totum orbem inficientis invidiam inculcat, ad opinionem probabilem requiri, *Vt eam ratio aliqua bona fulciat: Vt contra eam non ſit ratio aliqua convincens: Vt eam generaliter Doctores omnes non improbent, & tāquam abſurdam & falſam explodant: Vt non repugnet principiis veris & receptis in Eccleſia, & communi ſenſui fidelium.* Quæ conditiones, inquit, ſi expendantur ab Adverſariis, quos paſſim Ianſenianos vocat, doctrina de ſententia probabili perperam & injuriâ dicetur cauſa totius corruptionis, quæ inficit hodiernam Eccleſiam. Hæc dum audis, Lector, nonne credetes puræ diſciplinæ moralis caſtimoniam

in

in tuto positam. Sed ne citò credas his ambagibus, quibus probabilitatis doctrina non emendatur, sed impeditur & involvitur, seu callidè probabilitatis virus, ne percipiatur, obscuratur. Nam ille idem Author, qui tam accuratè præmonuisse videtur, nullius Doctoris authoritatem sufficere ad conciliandam suis sententiis probabilitatem, si à Scriptura, Traditione, & sensu Ecclesiæ dissideant, statim id quod dedisse videbatur, totum retrahit, & omnimodam quibuslibet Probabilistis licentiam tribuit ad quamlibet opinionem sua probabilitate donandam.

Etenim §. 1. constituta opinionis communis & probabilis definitione, quæ multis pateret instantiis, si expendere vacaret, ait: *Imprudenter procederet, qui aliorum opiniones communiter receptas, vel etiam novas, ideo tantum judicaret improbabiles, quia rationes contra eas aliquas haberet, quas ipse non posset solvere, neque putaret ab aliis posse solvi; quia persuadere sibi prudens quisque debet, multas sæpè rationes apparere insolubiles, quas facilè alii solvunt: ideo nemo unquam debet suo judicio sine aliorum sententias judicare improbabiles.* Hæc ille, & ad Probabilistarum mentem omninò consone. Sed profectò omnem illum fucatarum conditionum apparatum labefactat, ad nihilum redigit, & in actu exercito, ut loquuntur, retractat. Si enim opinio est censenda probabilis generatim & universè omnibus, quia alicui docto probabilis visa est, quanvis alii de ejus falsitate certi sint, quia habent *aliquas rationes, quas ipsi non possunt solvere, nec putant ab aliis solvi posse,* quibus permoti existimant opinionem illam *novam* Scripturæ vel Traditioni repugnare, certè jam penitus corruunt illæ præclaræ exceptiones, quibus P. Georgius nihil probabile habendum jactabat, quod convincenti rationi, vel divinæ, aut Ecclesiasticæ authoritati adversaretur; siquidem teneor suspendere judicium meum, & mihi persuadere, *rationes quas non possum solvere, facilè alios solvere, nec eas meo solo judicio judicare improbabiles.* Ergo illa omnia doctrinæ moralis flagitia, quæ toti Ecclesiæ horrori fuerunt & indignationi, licita sunt & innoxia, quia ab aliquo docto Casuista tanquam probabilia tradita sunt, cui proinde Casuistica probabilitas manebit, donec congregetur Concilium OEcumenicum ad eam proscribendam.

Quare illæ omnes Probabilistarum corruptelæ, quas Parochi Parisienses in sua probabilitatis synopsi congesserunt, devorandæ erunt & permittendæ, cùm eas tutas ac securas faciat alicujus Casuistæ, qui ut doctus & probabilis circumfertur, authoritas, si tandem verum sit quod idem P. Georgius probare conatur: *Dico secundo, sufficere omninò ad opinionem probabilem, ut eam Doctor aliquis magni nominis, & pius, præsertim recentior teneat.* Et ad 2. objectionem: *Respondent Sanchez & Vasquez unius Doctoris authoritatem non sufficere ad opinionis probabilitatem, nisi rationes habeat quæ tibi probentur. Ego existimaverim, esse necesse, ut aliquas habeat rationes, sed necesse non esse, ut illæ mihi probentur in seipsis; quia viri magni authoritas satis est magna ratio, ut judicem rationes illas esse probabiles, quibus sententiam suam confirmat.* Atqui Doctores aliqui magni nominis, & præsertim recentiores, in quorum defensionem se multi magni nominis viri armaverunt, calumniatores criminibus eximunt, cædis patrandæ potestatem hominibus ob levissimas causas faciunt; abortiones puellis, usuras avaris, furta servis non semel permittunt, ut in Parochorum excerptis exhibetur, appositis Casuistarum nominibus, allatis syllabatim sententiis cum exemplaribus collatis, citatisque libris, capitibus, paragraphis, numeris. Ergo quantumlibet illa dogmata videantur rationi & Scripturæ repugnantia, modò habeant aliquem Casuistam, qui hac ætate nonquam deest, nullum eorum poterit ut probabile rejici, nihilque proderit insolubiles adversùs illa flagitia rationes proferre, & opposita argumenta evidenter solvere, si juxta P. Georgii decretum, *viri magni authoritas satis est magna ratio, ut judicem rationes ejus esse probabiles, etsi mihi non probentur.* Si, ut ait §. 2. *certa regula est, posse quemlibet operari eligendo illam opinionem, quæ minus videtur tuta, & minus probabilis, relinquendo propriam opinionem probabiliorem & tutiorem; quia ille qui deserit opinionem probabiliorem, exponit tantùm se periculo errandi speculativè, non practicè,* & nihil obest *te facere actum qui physicè ac materialiter bonus non sit, sed malus*: si Director conscientiarum possit respondere, *pœnitentem probabiliter teneri ad restitutionem, & probabiliter non teneri. Et hoc,* inquit ad 4. *dicet singulis & semper*: si, ut addit, *nunquam periculum erit corruptionis, quando aliquis sequetur id quod videbitur commodius, modo probabilis opinio doceat id esse licitum*: si, ut infert §. 3. *qui credit opinionem esse aliquo modo probabilem, secundùm eam operari potest, etiamsi recedat a sententia communi, magis probabili & magis tuta*: si, ut infert 2. *potest quilibet recedere à sententia communi; si enim doctus sit, rationem aliquam firmam habere potest, propter quam præferat sententiam suam sententiæ communi: si vero non sit doctus, potest prudenter doctrina aut moribus alicujus probati viri sic confidere, ut adhæreat sententiæ illius contra sententiam communem*: si Doctor, ut infert 4. loco, potest contra propriam sententiam consilium dare juxta sententiam alienam, *imo possit etiam respondere aliquando juxta unam sententiam, aliquando aliam sequendo*: si denique *Confessarius, sive ordinarius, sive delegatus, tenetur sub peccato mortali absolvere pœnitentem qui opinionem sequitur probabilem, quam Confessarius ipse putat esse falsam.*

Iam quis non videt his novis conditionibus è puteo intimi probabilismi fonte depromptis, superiores exceptiones, quibus vagæ probabilitatis pernicies occultabatur, veluti retractari, & ad nihilum redigi? Nulla enim est tam laxa corruptela ex iis omnibus, quæ ex Casuistis excerptæ sunt, quam nec à convincenti ratione, nec à Scripturis abhorrere suis non sit Authoribus persuasum, quam proinde probabilibus opinionibus accenseat illa P. Rhodii regularum multitudo, quæ proinde postquam in speciem probabilitatem coërcere visus est, eam deinde magis magisque dilatavit. Vix enim ac ne vix quidem unquam continget, vel efficietur, opinionem ullam ex collectis à Parochis, *non esse aliquo modo probabilem*, & traditam à *Casuista docto, cui adhærere possumus contra sententiam communem, etsi Confessarius putet eam esse falsam.*

Possuntne laxiores lascivientibus ingeniis immitti habenæ? Certè nunquam se à suis laqueis expediet Adversarius, quandiu probabilitati id juris dabit, ut aliquid tutum efficere possit. Et quanvis nefandorum consectariorum horrore perterritus exceptiones nescio quas afferre velit, nulla tamen erit morum absurditas quam possit recusare, quia eam ex aliquo probabili saltem probabiliter inferre non est difficile. Sic hæreticis hæresis, cui sunt innutriti; sic Iudæis Iudaismus, sic Mahometanis Alcorani lex, sic Ethnicis Ethnicismus dici poterit probabilis. Sic quilibet in Religione quavis, quæ probabilis appareat, ad salutem rectè poterit pervenire. Vnde Caramuel probabilismi consequutionum callentissimus, *Theolog. fund. pag.* 472. quàm id sit consequens, ultrò agnoscit, & Basanomenum Lutheranum sic loquentem inducit: *Cur non licebit dicere, Romanam quidem Ecclesiam esse probabilissimam, adeoque in foro interno esse securissimam; & tamen hoc ipso non obstante, Lutheranam, quam ipse profitetur, esse etiam probabilem, atque æquè Christianam ac securam; imò securiorem omninò, quoniam minus probabilis sententia, si benignior, etiam securior est? Cur non licebit addere, se esse in quieta conscientia apud Lutherum, adeoque non teneri redire ad Ecclesiam Romanam, nec à Christi Religione secedere. Sic*

discurris

discurrit etiamnum Basanomenus, & deberet à te, Lector erudite, compesci. P. Valerianum Magnum audivit, & alios audire desiderat. Idem docet Hermanus Busenbaum lib. 2. tract. 1. cap. 2. *Hæreticus qui sectam suam judicat esse credibiliorem, vel æque credibilem, non tenetur credere; quia fides nondum est sufficienter proposita, ageretque imprudenter.* Sed clariùs & asseverantiùs Eradus Bolius tract. 3. cap. 1. *Etiam puer baptizatus non peccabit credendo hæresi sibi propositæ, & quam à parentibus edoctus est, nisi habeat argumenta convincentia, & probabilitatem excludentia suæ sectæ. Quandiu enim probabilis est, non peccat eam sequendo. Quis enim dicat non habere argumenta probabilia suæ sectæ? At nemo peccat sequens opinionem probabilem.*

Et quamvis hæ consequutiones sint horrendæ, & in veræ, Catholicæque Religionis exitium apertè grassentur, sunt tamen necessaria illatione ex probabilitate deductæ. Ergo ex probabilitatis doctrina, quamlibet quibusdam conditionibus obscurata, omnia Christianæ Ethicæ & arctæ viæ, quæ ducit ad vitam, principia nutantia, fluxa, & mobilia evadent. Ergo fidei, & Religionis retinacula abrumpentur, permittenturque omnia erraticæ rationis arbitrio, si ad novas opinationes quotidie formicantes securitate donandas sufficiat volaticum probabilitatis prolubium. Ergo voluntariis illis exceptionibus, quibus probabilismi fuco obliti fœditatem simpliciorum oculis subtrahunt, nequaquam continere possunt, nequaquam coërcere præcipitem luxuriantium ingeniorum impetum, quæ nihil non audebunt, nihil non probabile efficient, ut præclaro probabilitatis umbone veluti justitiâ imputativâ crimina tegant. Caveat, quæso, Adversarius, & qui nos Iansenianæ hæresis suspectos, nesciens quid diceret, pronuntiat; caveat, inquam, ne in ipsum æquiori jure telum quod intorquet retorqueamus, & in probabilismum, quem defendit, omnium hæresum origo refundatur; cùm nullum sit errorum genus, quod probabilitate defendi, suaderi, tutóque eligi non possit. Caveat ne opinandi licentiâ Religio in apertum discrimen vocetur; ne Neutralistæ probabilitate tecti, Religionem perinde ac vestes quotidie mutent.

Multa, quibus adversæ sibi sententiæ defensores P. Rhodius afficit, convicia surdâ aure prætereo, quos vocat *noves Reformatores Theologiæ, & Ecclesiæ, vanissimos ac imperitissimos sanè homines, non intelligentes communem Theologiæ vocem, cujus ipsi micam nullam habent.* Sed totiam stomachi bilem iratissimè effundit §. 2. ubi Adversarios, quos *Iansenianos* opportunè importunè pronuntiat, appellat *turpissimè errantes, deserentes semitas judicii ac justitiæ, ut ambulent per salebras, duce perditissimæ famæ homine damnato per judicium Ecclesiæ.* Et interim exultabundus, & quasi certus ac securus victoriæ, ait doctrinam de minùs probabili, minusque tuta sententia tutò sequenda *amplecti, & demonstrativè probare omnes alicujus notæ Theologos, nec ullam esse nunc controversiam, propter quam pugnetur acriùs contra novos errores.* Speciatim adducit plures Pontifices, Cardinales, Episcopos, Canonistas, Theologos, plura exempla manifestissima ex scripturis utriusque Testamenti, plurima ex Conciliis, ex Patribus, ex historia Ecclesiastica, quibus probatur clarissimè quàm sit improbabilis doctrina hæc novorum Dogmatistarum, qui volunt teneri quemlibet in quolibet negotio sequi sententiam magis tutam. Et infrà addit, operantem juxta opinionem probabilem, facere quod licitum esse ait S. Thomas.

Non credebam Probabilistas, qui uni benignitati student, quive flexibilibus institutis ac lenimentis omnes ad se alliciunt, neminem submovent, tam citò, tam dirè stomachum commovere suum, & in Adversarios iram eos erumpere adeo acerbam, à quibus ex probabilismi præjudiciis nihil nisi melleum, nihil nisi urbanum meritò expectari posse videbatur. Verùm à mansuetudinis lege, sicut ab aliis solet, dispensare probabilitas potest pro domo sua. Quanquam autem tam amarulenta Adversarii ex impetu loquentis censura, adeo anticipatæ mihi de Probabilistarum lenitate & remissione opinioni contraria vehementem objurgationem & fraternam correctionem interebatur; tamen ex imposita mihi Thomisticæ modestiæ lege, non solùm visum est mihi cum ipso agere remissè, sed etiam amicè: tum quia multa alia ab illo Authore cõmodè & piè scripta scio, quæ debitis ingenuè & libenter laudibus ornari debere agnosco: tum quia rixas & contentiones ægrè fert natura mea minimè stomachosa: tum in reverẽtiam almæ Societatis, quæ ipsum in Christo genuit, cujus profectù existimationi non satis consuluisse videtur Adversarius, dum in limine sectionis 3. suam sententiam appellat *doctrinam Theologorum Societatis*; cùm certum sit ab ea plures longè gravissimos Societatis Theologos vel abhorrere planè, vel eam variis limitibus coërcere, quibusdam veluti aggeribus ad legis defensionem opposita cupiditates sistere tentantes, ut fusè ostendit P. Deschamps in suo de quæstione facti opusculo: tum demùm, & potissimùm, quia ex probabilioris & tutioris sententiæ, cui adhæreo, decretis, non convicia conviciis reponere, sed maledicentibus benedicere; non malum pro malo reddere, sed cum omnibus pacem habere; non vinci à malo, sed vincere in bono malum tenemur, & juxta Pauli oraculum, non ex Casuistarum prolubiis, sed ex æternæ veritatis & Ecclesiæ institutis interpretandum illud: *Maledici regnum Dei non possidebunt.* Scio illud Cassiodori lib. 1. epist. 28. *Ad injurias illi prosiliunt, qui se superatos turpiter erubescunt.* Scio damnasse Gregorium *lib. 8. Moral. cap. 2.* eos, *qui de Deo, qui est pax nostra, pacificè loqui nesciunt.* Et certè si Christiani Theologi, & Sacerdotes disputationes excitent de animi rancore descendentes, si scribant stylo verborum atrocitate ferreo, felle amaro, morsibus sævo, unguium laceratione violento, non Theologi, sed maledici nomen merentur, quos qui legunt, alii detestatos abjiciunt sana gravitate, alii suaviter hauriunt malevola voluntate, omnes offenduntur urbanitatis honestate. Verumtamen quæ dixit, veluti commentario explicare non erit inutile, quia ex eorum patefactione aliquid lucis hactenus dictis accessurum spero.

Fateor quidem doctrinam à lege semper in conflictu opinionum stantem, novam quorundam Theologiam *reformare*, sed perennem & incorruptum Ecclesiæ de moribus sensum absque ulla innovationa conservare; quia ut præclarè dicebat Episcoporum præcedentis sæculi gemma Bartholomæus à Martyribus: *Verba Dei & Sanctorum promulgata non sunt ut varientur cum tempore, sed ut illibata permaneant in omni tempore, & eis serviant omnia tempora.* Ecclesiæ doctrinam non indigere reformatione, contra impios Lutheranos & Calvinistas pronuntio; sed Casuistarum multorum laxitatem non esse per irreformabilem & immutabilem Ecclesiæ doctrinam reformandam, nemo nisi deformatissimus negare potest. Desiderium reformationis disciplinæ morum collapsæ luculentissimis verbis significavit sacrum Tridentinum Concilium sess. x. *Cum hujus Sacrosancti Concilii præcipua cura, sollicitudo & intentio sit, ut propulsatis hæresum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux,* Iesu Christo, *qui vera lux est, annuente, candor puritasque refulgeat, & ea quæ reformatione egent, reformentur,* &c. Et sess. 6. in decreto de reformatione, cap. 1. *Eadem sacrosancta Synodus ad restituendam collapsam admodum Ecclesiasticam disciplinam, depravatosque in Clero & Christiano populo mores emendandos se accingere volens,* &c. Vide quàm à sacri Concilii mente absint Probabilistæ. S. Synodus præcipuâ curâ, sollicitudine & intentione quæ reformatione egent, reformari avet:

Probabilistæ

Probabilistæ de emendandis moribus, de reformanda laxitate, de instaurando, & pro virili restituendo primitivæ Ecclesiæ spiritu semper in sanis Ecclesiæ Romanæ membris vigente nullam unquam cogitationem suscipiunt, nullum non de eo mitigando consilium habent. Sacra Synodus gravi dolore afficitur, quòd collapsa admodum sit Ecclesiastica disciplina: Probabilistæ nihil saucium, nihil ægrum in ea vident; omnibus malis, omnibus corruptelarum calamitatibus oppressam in plerisque membris Ecclesiam, felicem ut cùm maximè, & florentem prædicant. Sacra Synodus ad depravatos in Clero & Christiano populo mores emendandos se accingere vult: Probabilistæ ad fontem aperiendum se semper accingunt, ex quo innumeræ depravationes fluxerunt, & innumeræ fluent in posterum, si ad opinionem securitate donandam sufficere probabilitatis verisimilitudinem concedatur. Sacra Synodus ibidem *initium reformationis à majoribus Ecclesiis sumendum censet*: Probabilistæ nihil in Pastorali munere tremendum aut arduum vident; Prælatos, Clericos, Christianos sæculi moribus placidè vivere sinunt, salutis iter variis suavitatibus temperatum cum vitæ deliciis copulant; quia pro variis hominum moribus varia habent de moribus decreta. Et quia Theologi intrepidi, favente Deo, duce D. Thoma & saniori Theologiâ, Sacri Concilii menti & votis conformari volunt, & ea tradere, quibus ad praxim redactis, *brevi tempore reformaretur mundus*, inquit Gravina noster lib. 4. sui Cherubini Paradisi, cap. 5. *qui ex licentia opinandi in præceps ruit, latissimam viam ingrediendo quæ ducit ad perditionem*, propterea ab Adversario *reformatores Ecclesiæ & Theologiæ vanissimi & impertissimi* audiunt.

Sed non intelligimus, inquit, *communem Theologiæ vocem*. Cujus, quæso, Theologiæ? Thomisticæ? Scotisticæ? At D. Thomas & Scotus Scholæ principes ea pro nostra sententia oracula tradiderunt, quæ non essent apertiora, si essent radiis solaribus scripta. Cujus, inquam, Theologiæ vocem ignoramus? qui veterum Theologorum omnium, nemine excepto, & recentiorum multorum longè præstantissimorum venerando choro stipati Probabilistarum laxitatem reprimimus, corrupta morum decreta novitatibus ad perniciem impellentibus culpamus, accusamus, objurgamus, & omnibus Theologiæ Catholicæ locis refutamus. Et post hæc, si Superis placet, *communem Theologiæ vocem*, ipsa etiã Theologiæ elementa & rudimenta ignorant Aquinas, Scotus, Antoninus, Cajetanus, Soto, Sylvester, Gravina, Fagnanus, Contrrolus, Gonetus, Vincentius Baronius. Non oportet, mi Georgi, frustrà aërem verberare, non campos verborum captare, in quibus ventosè & inaniter calamus excurrat, vel saltem ingenitâ Probabilistis dulcedine desertâ, nos nihil tale meritos exasperare; sed seligere argumenta, quibus efficias Theologiæ vocem ab eis ignorari, qui duos Theologiæ Coryphæos suæ habent doctrinæ fidejussores, probabilioris sententiæ necessariò sequendæ suffragatores, probabilismi impugnatores.

Nec mirum quod ignorantibus Theologiæ vocem, Theologiæ *micam nullam* concedat liberalissimus Adversarius. Divitem epulonem indutum purpura & bysso, epulantem splendidè damnat Scriptura, quia Lazarum jacentem ad januam, & *cupientem saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, nemo illi dabat: Sed & canes veniebant, & lingebant ulcera ejus*. Luc. 16. Quæ ferrea viscera adamante duriora sic egregiè & acriter reprehendit Chrysologus serm. 121. *Dives superbo oculo & insatiabili corde omnia & audire & videre & sentire contemnit. Et novo modo, fratres, humanitatis ordo mutatur: fit humana mendicitas, ut cupiditas prodatur inhumana. Dives pauperem nec cadentibus de mensa micis pascit: & Lazarus pauper, quia aliud non habebat, etiam de carnibus suis canibus humanus extitit. Miser dives, si panem non dedisti, quare vel canes abigere noluisti? Sed mitiores te canes tui, mortu sævior canibus tuis. Nam te sæviente illi parcunt, qui non ad morsum dentes, sed linguas ad obsequium sic producunt, ut in modum spongiæ non vexent vulnera, sed detergant.*

Absit ut Adversarium cum divite epulone; nostræ sententiæ authores cum Lazaro comparem. Hoc solùm adverto, quod sicut Scriptura & Patres divitem præ tumore denegantem micas reprehendunt, & canum lambentium vulnera pietatem famem vincentem laudant; ita iidem Patres Catholicos verborum amatore adversarios mordentes reprobant, hæreticos verò humaniùs, urbaniusque more canum lambentes, à comitate laudant. Desiderassem adversarium hanc temperatam agendi rationem fuisse æmulatum, nec passum se humanitate ab infidelibus adversarios suos benignè impugnantibus superari. Quia timere debet omnis doctus ne in illam incidat superbiam, quâ ut ait Gregor. hom. 4. in Evangel. *dum doctrinam legis non ad charitatem habet, sed ad elationem, quasi de acceptis opibus tumet: & quia ei verba defluunt de scientia, quasi micæ cadunt de mensa.* Observat etiam idem Chrysologus *serm.* 122. ideo divitem solius linguæ æstibus desiderasse subveniri, quamvis totum eum possideret, totum combureret ignis inferni, *quia magis lingua uritur, ardet, æstuat, quæ insultavit pauperi.* Ut discant docti adversarios suos non flocci facere, non insultando contemnere, sed rationum momentis aggredi & expugnare. Non decet mulierculaurm more ubi desunt argumenta, oppositos Authores *turpissimè errantes, deserentes semitas judicii, ambulantes per salebras*, appellare; quasi verò deessent nobis acriora verba, quibus eadem probra in adversarium regereremus, nisi linguam & calamum patientissima christianæ modestiæ præcepta continerent. Quod verò nos *Iansenianos* appellat, ut nostræ sententiæ invidiam creet, suprà depulsum est tanquam ridiculum, & tyrannicum: ridiculum quidem; non enim agitur de illo celebri propositionum quinario asserto ab illis, quos Iansenistas appellant, si tamen modo aliqui sunt in rerum natura: nullum enim novi, nullum invenire potui librum, in quo damnatæ propositiones, à tempore damnationis typis dato propugnatæ legantur. Et quamvis aliqui illis tenerentur erroribus, quid inde pro, vel contra probabilitatem? Quid propterea moliri potest P. Rhodius adversùm nos aperta fidei possessione omnes suspiciones amolientes, & quinque illa capita detestantes? Quid absurdius quàm omnes Adversarios tanquam unum hominem spectare, & unius errores omnibus indiscriminatim asserere? Ergo imbellis, vel ridiculus apud omnes audiet qui nostram de probabilitate sententiam Iansenianam vocat, nisi efficiat omnes vagæ probabilitatis impugnatores Innocentii constitutionem repudiare. Quod quàm sit chimæricum, quàm absurdum, nemo non videt. Porrò quid ab æquitate magis alienum, quid tyrannide illa crudelius, quæ Theologos Catholicos constringere vult, ut omnes alicujus authoris sententias propter hoc solùm proscribant, quia inveniuntur nonnullæ justo Ecclesiæ judicio proscriptæ, ita ut alterutrum vitare non possimus, quin vel bona cum malis confundentes contra æquitatem peccemus, vel apud homines famam & nomen hæretici, etiam dum Catholica dogmata propugnamus, suscipiamus. Nam ut aliàs ponderavimus, quinque propositiones Ecclesia Romana damnavit, Apologiam (assistatum eadem Ecclesia condemnavit. Ergo Apologiæ impugnatores Iansenianos appellare, est eadem infamiâ, si quæ sit, Romanam Ecclesiam aspergere. Quis non rideat vanas, pueriles, & insulsas accusationes Iansenismi, quibus Probabilistæ meticulosos deterrent, simplices deludunt.

Verùm ab Adversario divite, & nullius egente scire averem, cur ex promptuariis plenis eructantibus ex hoc in illud, nullam Traditionis, Patrum, & Conciliorum *micam* eruere potuerit, qui ovans, triumphans, & quasi minitabundus se plura posse eruere ait ex *Pontificibus, Cardinalibus, Scripturis, Conciliis, Patribus, Theologis, Canonistis, Historia Ecclesiastica, quibus probatur clarissimè quàm sit improbabilis doctrina hac novorum Dogmatistarum.* Atqui hoc unum quærimus, de hoc solo quæstio vertitur, hoc uno tota causa continetur, & hoc unum omittit Adversarius sibi conscius, planéque intelligens hæc quæ unicè desideramus, sibi ex ipsa causæ, quam tuetur, conditione deesse. Sed quod interim, cùm sit inermis, nudus, spoliatus, omni Patrum præsidio, omni traditionis in hac controversia luce destitutus, nihilo inde factus humilior, plenis buccis dicat se Patribus & Conciliis innominatis abundare, hoc est quod me admiratione & stupore defigit. Et quod auget admirationem est, quod cùm nostra sententia sit antiquorum omnium calculo probata, tamen nos *novorum Dogmatistarum* lutulento convitio lacessit, mortalium omnium scilicet mitissimus, cùm certum sit Casuisticam de minùs probabilis ac minùs rutæ opinionis securitate sententiam ab omnibus antiquis nedum Patribus, sed etiam Scholasticis expressè fuisse damnatam, & oppositam per trecentos & ampliùs annos edoctam & receptam: quod ad dejiciendos Adversarii nihil probantis, nihil ex antiquitate afferentis plausus abundè sufficit.

Respondet iterum P. Rhodius, se variis aliis limitibus probabilitatis licentiam cum Suare & aliis coërcere; nam non licet sequi minùs probabilem, quando proximo grave aliquod damnum imminet. Sic Medicus peccat gravissimè, si certum relinquens medicamentum, adhibet dumtaxat probabile: quod repugnat non solùm charitati, sed etiam justitiæ, cùm fraudet ægrotum committentem se illi bona fide, or adhibeat optima remedia. Sic Iudex non potest damnare eum qui habet potiores tum juris, tum facti rationes. Sic etiam Minister Sacramentorum non potest assumere materiam probabilem deserta certa, si proximus exponatur periculo.

Sed contrà: Nulla est de rebus terrenis consultatio isti, in qua de salute agitur, conferenda. Quid enim prodest homini universum mundum lucrari, animæ verò suæ detrimentum pati: aut quam commutationem dabit homo pro anima sua? Et voce Veritatis jubemur non timere illos qui occidunt corpus, nec possunt ampliùs quicquam facere; sed magis timere eum, qui corpus & animam in gehennam mittere potest. Atqui in rebus humanis levissimis, in rerum perituratum discrimine probabiliora & tutiora sequi ex Adversario tenemur: Ergo à fortiori in momentosissimis animæ negotiis, in quibus tota agitur & periclitatur æternitas, non minori cautela sequi tutiora debemus. Ex Adversario si horrendus est medicus, qui medicamentum aliquod probabiliùs lethiferum putans, illud tamen ægroto, ut se illi accommodet, propinat, quia reterrido cuidam medico probabile visum est; si detestandus est minister, qui consilium à Rege rogatus, non quod salutare magis suadet, sed quod sibi perniciosum probabiliùs judicatur, prætexens id consilii genus suo judicio exitiale, alicui alteri benè visum fuisse; quàm multò magis abominandus est Casuista, qui salutem consulentis pœnitentis suspendit, & exponit ob unam nescio cujus opinionem tam infirmis nixam rationibus, ut eam falsam putet?

Disparitas est, inquies, quia medicamentum reverà mortiferum non potest medicus opinione probabili efficere salutare, nec exitiosum definet esset Principi datum consilium, si teipsa tale sit, quanvis sit probabilitatis fuco illitum. O absurdam, & claudicantem responsionem! O disparem & irrationabilem disparitatis rationem! Errore medici non fit sanum remedium insanum: & errore Casuistæ licitum fiet, quod & suapte naturâ illicitum est, & tale esse probabiliùs judicatur? Quis hoc credat, has exceptiones aliquo solido fundamento niti quis intelligat? Nunquid enim salus æquè chara est mercatori, militi, confessario, ac medico, vel judici sua? Nunquid paris periculi est peccatum in nundinis ac in pharmacopoliis patratum? Nonne eadem est immobilis veritatis regula, ad quam omnes conscientiæ exigendæ sunt? Cur aliqui communi fraudabuntur probabilitatis jure, si per se licitum est; vel cur omnium libertati, & tranquillitati non est peræquè consulendum? Ergo vel in totum damnanda probabilitatis licentia, vel perinde omnibus permittenda.

Imò hujusmodi exceptiones plus teipsa nocent, & absolutè fictitiæ sont. Nocent quidem, laxantque potiùs, quàm restringunt; quia cum exceptio firmet regulam in contrarium, si quibusdam dumtaxat metæ ac limites apponuntur, eisque cavetur, ne minùs probabilem, minusve turam sequantur, cæteris omnibus aperitur licentiæ aditus, fractisque repagulis infinita flagitiorum probabilitate aliqua involutorum colluvies fluet. Fictitiæ verò sunt, quia cùm juxta communia infimæ probabilitatis principia liceat opinioni minùs probabili adhærere, modò tandem induta sit probabilitate intrinseca, vel extrinseca, id est à ratione, vel ab alicujus Casuistæ probabilitate petita, cùm ejusmodi exceptiones non admittantur ab omnibus Casuistis, nihil reverà coërcent. Quia dispar Casuistarum in varios sensus abeuntium judicium probabilitatem utriusque non tollit, sed fovet: unde quod sine concordes, vel discordes, nihil ad rem, cùm singulorum authoritate singulis opinionibus probabilitas, subindéque par securitas vindicetur.

Quin ipsa discordia commoda est, cùm ejus beneficio conscientiæ libertatem naciscamur. Atqui circa præfatas exceptiones variæ, & discrepantes sunt Casuistarum sententiæ: nam Professorem Scholarum minùs sibi probabilia docentem peccare mortaliter tradit Suares, quia tunc non fungitur Magistri officio, ad quod Respublica deputavit, infertque discipulis injuriam, quibus sententiam sibi falsam existimatam instillat. At Salas id non esse peccatum nisi veniale censet. *Imò*, ait ipse P. Rhodius, *veriùs judico, quod ille ne venialiter quidem peccat; licet enim cuilibet sequi sententiam probabilem: & fanè imponeretur aliqui nimis grave onus Preceptoribus.* Hæc ille ad principia probabilitatis omninò consequenter. Sed quid prodest limitatio Suaris frustrà probabilitatis usum temperare satagentis? In materia justitiæ cùm agitur de restitutione, Doctorem non posse minùs probabilem sequi, docet Valentia. Hanc exceptionem despiciunt Sanches & Castro, & dissidium ex Vasque componit P. Rhodius ea distinctione, quâ interroganti nihil commodius: *Si eum*, inquit, *à quo interrogaris obligas ad restitutionem, non potes respondere juxta sententiam minùs probabilem, tacendo tuam: quando autem illum deobligas, potes respondere secundùm sententiam minùs probabilem.* Valdè profectò opportunè: sed amabò, Pater Georgi, estne hoc juxta Apostoli mandatum esse *sapiens in bono, simplex in malo?* Dum agitur de restitutionis onere imponendo, non possum obligare ex aliena sententia contra meam; dum agitur de exonerando, seu (ut tu loqueris) *deobligando*, possum sequi minùs probabilem, & falsò respondeo, *si solam sententiam obligantem explico.* Periculum illi times qui pecuniam ex aliqua sententia minùs probabili, sed tuta restitueret, & illi nō times qui probabiliori obligante ad restitutionem desertâ, ex minùs probabili non restituit. Quàm belli Probabilistarum scrupuli! ibi timent, ubi nihil opus est; ubi

ubi opus est, nihil timent. Sic coërcet Adversarius vagam probabilitatis licentiam. Quin illis ipsis exceptionibus probabilitatem dum corrigere videtur, magis inficit; quia cùm probabilitas vaga & effrenis tot quæ secum importat malis sui horrorem incutiat, qui recentem probabilitatis principium temperare videntur, horrorem mali minuunt, non perniciem; venenum melle oblinunt, ut immedicabilius efficiatur.

Rursum ministri Sacramentorum ex Suare semper tenentur uti materia & forma certis, ablegatis dubiis, aut probabilibus. At illam probabilissimi correctionem corrigens; ex Vasque & Sanche Georgius de Rhodes, docet §. 3. corollario 6. quod etiam *quando de valore agitur, v. g. quando est probabile aliquam materiam, aut formam validam esse, & est probabilius illam esse invalidam, tunc per se loquendo licet sequi sententiam probabilem, per accidens autem non licet, quando præceptum Ecclesiæ obstat, vel prohibet proximi charitas. Si ergo de sola Sacramenti agatur reverentia, potest quilibet sequi sententiam probabilem, æquè in hac materia sicut in aliis.* Sic fortibus claustris coërcet opinandi licentiam Adversarius, sic Sacramentorum reverentiæ consulit. Sed hæc non moror, sed ad propositum infero chimæricas esse quorundam Probabilistarum exceptiones quæ ab aliis Comprobabilistis floccifiont. Quod in aliis exceptionibus circa Medicos & Iudices pariter contingit, digladiantibus inter se Casuistis, sed pugnâ suâ nihil officientibus, quia diversorum Casuistarum utraque opinio probabilis, utraque est secura: illa prodest quam sequeris, nec illa nocet quam rejicis.

Hinc sæpè mihi inquirenti, onde tanta, tam prodigiosa opinionum probabilium in qualibet ferè controversia varietas suis authoribus munita orta sit, occurrit hæc responsio, easdem ferè rationes induxisse probabilitatum & Probabilistarum dissentientium multitudinem, quæ pluralitatem Deorum in mundum invexerunt. Observavimus *lib.* 1. *dissert.* 2. magnam illam in idololatriam propensionem olim tam pervulgatam exortam esse ex desiderio asciscendi sibi patroni, ad quem à Deo irato confugerent, juxta illud Ovidii: *Iuppiter in Troiam, pro Troia stabat Apollo: Sæpè premente Deo fert Deus alter opem.* Tum etiam, ut eo magis concupiscentiæ laxarent habenas, quo sceleribus patrocinari Deos arbitrabantur. Ita similiter dum homines normas morum exquirunt suis utilitatibus congruentes, opportuna est illis discrepans Casuistarum multitudo; quia dum unus est ab utili vel delectabili alienior, ad alium benigniorem confugium patet, quem in tanta diversitate citò invenire promptum est, quo patrono & sponsore quieti, & nullo conscientiæ morsu perturbati peccatores, post suas concupiscentias eo alacriùs eunt, quo vident eas ab aliquo Doctore quadantenus consecratas. Hinc tanta probabilitatum copia inundavit, quia quæ timidè & subdubitanter primùm prodierunt opiniones, accedente numerosâ Casuistarum nova semper cudentium turbâ posteà vulgares, & deinde certæ factæ sunt, quarum omnium sententiarum delectum nequaquam ancipitem ac periculosum pronuntiarunt, sed ejus quæ magis arriserit, deligendæ optionem permiserunt. Sicut autem in magno omnigenarum vestium apparatu vix est ut non sibi quisque aptam inveniat; & in oppiparo instructissimæ mensæ convivio nullus est tam fastidiosus, qui non incurrat in cibum aliquem gustui suo congruentem; & ut in myriade illa falsorum Deorum aliquis tandem inveniebatur propensionibus consentaneus: sic rarò admodum fit, & vix unquam contingit, ut in tanta probabilitatum multitudine non aliquam reperiant homines cupiditatum igne succensi votis suis favorabilem. Vnde sicut Casuistis parum nituntur, qui Deum, & veritatem per se lucentem quærunt, sic illos summè colunt & assiduè lectitant qui Evangelii asperitatem amore sæculi allecti ferre nolunt.

Solvuntur objectiones P. Rhodii.

Argumenta quæ ad suam stabiliendam sententiam producit Rhodius, jam ferè occupata sunt. Quia tamen Adversarius non desinit gloriari, & ita se de demonstrationum evidentia jactare, ut dicat *solam terminorum suæ sententiæ explicationem* esse evidentissimam demonstrationem, juvat ad tantam ejus fiduciam & fastum paululùm compescendum, pauca levissimæ armaturæ ejus argumenta proponere, & refellere.

Sic arguit, inquit: Nemo malè potest operari, quandiu prudenter & cum ratione operatur; nam malum illud est, quod repugnat rationi & prudentiæ; quis enim dixerit, nisi sit stultissimus, posse aliquem prudenter peccare? Sed qui sequitur opinionem probabilem, prudenter, & cum ratione operatur; nam probabilis opinio illa est, quam bona ratio fulcit, alioqui non est probabilis: Ergo qui sequitur opinionem probabilem, prudenter, & cum ratione operatur, non temerè, vel imprudenter. *Quæ certè demonstratio* (addit solitâ suâ urbanitate) *apertam esse declarat Adversariorum vel ignorantiam, vel malitiam.*

2. Deindè argumentatur optimè S. Antoninus. Si teneretur quilibet eligere id quod est tutius & certius, tenerentur omnes Religionem ingredi, quæ via est longè tutior ad salutem, immò nullum esset discrimen inter consilia & præcepta; nam consiliorum via tutior est: ergo eam sequi tenemur. *Quod*, inquit, *Adversarios pudebit affirmare.*

3. Tutius est sine dubio contentum esse debere quemlibet unico beneficio Ecclesiastico, cujus reditus satis sint ad sustentationem; nunquid tamen audebunt Adversarii omnes illos damnare, qui plura servant beneficia?

4. Cùm sit difficillimum in omnibus reperire certò veritatem, non voluit Deus obligare homines, nisi ut operarentur cum certitudine morali; nunquid enim certitudo physica exigitur? Sed qui sequitur sententiam probabilem, operatur cum morali certitudine; *nam certitudo moralis illa est, quæ nititur ratione aliqua.* Ergo licet sequi sententiam probabilem, quæ videtur minùs tuta, & minùs probabilis, relinquendo propriam opinionem probabiliorem, & tutiorem. Ecce præclara illa, & evidentia Adversarii demonstrationes ubique crepantis argumenta. En magnificas illas demonstrationes, quas tanta liberalitate pollicetur, ut solam terminorum explicationem velit apertissimam esse convictionem. Verumtamen ex dictis omnes illæ argutiæ sponte dissiliunt, palamque fiet his vociferationibus, clamoribus, injuriis, syllogismis, quibus plenis buccis sese nos obtriturum minatur, ne quidem nos adoriri; ipsum cóttà nulla fidentiùs affirmare, quàm quæ apertè falsa; nulla asseverantiùs negare, quàm quæ apertè vera esse, responsione ad singula clarebit.

Ad primum dico, patere responsionem ex quarta ratione suprà posita, ubi monstravimus prudentiæ quidem carnis consentaneam esse minùs probabilem, sed prudentiæ spiritus è diametro repugnantem; quia & omne prudentiæ lumen extingui ab his qui docent utilia, incerta, minùs tuta, minusve probabilia posse honestis, tutioribus & probabilioribus anteponi, idque variis exemplis evidentissimis illustravimus. Sed quia hæc materia nunquam exhauritur, addo rationem illam non solùm non esse demonstrationem, sed esse apertum sophisma manifesta petitione principii, aliisque vitiis laborans; hoc enim est de quo disputatur, utrum opinio minùs probabilis, minusve tuta sit in concursu probabilioris & tutioris prudens, quod eadem facilitate rejicitur à nobis, quâ ab Adversariis affirmatur, & fingitur. Et certè si

assensus prudens & probabilis reverà coinciderent, sponte labant & irrumpuntur omnes illi obices quibus probabilitatis licentiam & profluvium sistere voluit P. Georgius; si enim assensus prudens & probabilis sint synonimi: Ergo excusabitur Medicus probabilia remedia adhibens, tutis, & efficacioribus prætermissis: ergo absolvetur venator reatu homicidii, qui hominem occiderit, causatus sibi probabiliter visam esse feram, tametsi probabiliùs esse hominem opinatus sit: ergo non damnabitur Religionis candidatus, qui sectæ sibi probabili, abjectâ Religione Catholica sibi probabiliore, & tutiore, nomen dederit: ergo justificabitur Iudex qui reum nec convictum, nec confessum, ex probabilibus suspectum, sed ex probabilioribus innocentem pœnâ capitis mulctaverit: ergo prudentiæ consona erunt illa nefanda consectaria legem Dei dissipantia, quæ aliqua probabilitate saltem extrinseca non carere, ex principiis probabilitatis constans est: Atqui consequentia illa omnibus aliquod sanitatis intervallum habentibus horrori sunt, & execrationi, nec ea devorare audet Adversarius: Ergo opinio probabilis absolutè non est prudens regula operationis, dum tuta, & probabilior occurrit.

Et post hæc quis non obstupescat, sophisma illud tantâ asseverantiâ demonstrationis nomine ab Adversario insigniri, ut non dubitarit eâ *declarari apertam esse Adversariorum vel ignorantiam, vel malitiam*. Cùm tamen sole meridiano clariùs demonstratum sit, regulam illam P. Georgii, *Opinio probabilis eadem est quæ prudens*, absolutè prolatam, ad omnium hæreseon ignorantiam, ad omnium flagitiorum malitiam viam sternere ac munire, imò & in Atheorum voraginem impellere & præcipites dare. Quid enim non deducetur ex illa regula probabilitatem cum prudentia imprudentissimè confundente? Ex illa prorsus totius fidei, Religionis, honestatis eversio liquidò consequitur; si enim ad licitum, prudentemque assensum sufficiat probabilitas: ergo liberum erit Atheo, & Libertino opinari de immortalitate animæ, eamque prudenter negare Catholicam assertionem, quam difficultatibus circumseptam probabiliter videt: ergo licitum erit Hæreticis Mysteriorum augustissimorum insuperabilibus argumentis impugnatorum fidem repellere: ergo licitum erit Christianis illas omnes morum corruptelas ad praxim redigere, quas probabiles aliqui Casuistæ crediderunt. Quænam ergo est, inquies, opinio prudens? Respondeo, eam verè prudentem esse, & jure appellari, quæ non solùm in rebus necessariis necessitate medii & causæ effectricis salutis, qualia sunt Fides & Sacramenta, sed etiam in necessariis necessitate præcepti tutiora sectatur, statque pro lege & officio; quia nullum inde impendere potest periculum, quod alteri parti subesse potest, imò nec abstergi potest. Quia juxta prudentiæ naturalis & Christianæ leges, si in opinionum conflictu, & in dubiis tutiorem partem non eligas, nunquam cohibebitur opinandi licentia, debebitque Libertinis & Hæreticis probabilitatis jus permitti, si probabile & prudens idem sint. Qui proinde coram Deo excusationem habebunt de peccato suo; contestabuntur enim se nihil egisse vel credidisse, quod à probabilitatis regula recesserit. At in nostra sententia asserente in dubiis, seu controversiis tutiorem partem esse eligendam, meritò accusantur Athei, meritò culpantur Libertini, quòd non illi parti adhæserint, unde nullum creari malum poterat, nulla jactura timeri.

Ad secundum respondeo, S. Antoninum manifestè loqui, quando utraque pars tuta est, ut patet exemplo quod affert; nam status matrimonii per se tutus est, tametsi tutior sit status virginitatis; per se tuta est via præceptorum, etsi tutior sit via consiliorum. Non loquitur ergo Antoninus de minùs, vel æquè probabilibus sententiis, in quibus tutiorem sententiam sequendam ipsemet docet, ut antè demonstravimus.

Ad tertium respondet ipsemet S. Thomas *quodl. 8. sæpè citato, art. 13*, ubi ait: *Dicendum quod quando sunt duæ opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum, utpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem; & sic cum faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quanvis non faciat contra conscientiam; sic enim contra legem Dei facit. Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur, ita quod verè licet habere plures præbendas; & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario; & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quanvis non contra legem: aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem, sed tamen in quandam dubitationem inducitur contrarietate opinionum; & sic si manente dubitatione plures præbendas habet, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, utpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem: aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Quæ verba sunt ita enucleatè distincta, ut non egeant commentario.

Sed difficultatem magis in speciali definit *quodl. 9. art. 15.* sic: Actionum humanarum multiplex est differentia. Quædam enim sunt quæ habent deformitatem inseparabiliter annexam, ut fornicatio, adulterium, & alia hujusmodi, quæ nullo modo benè fieri possunt. De numero talium non est habere plures Præbendas, aliàs in nullo casu dispensationem recipere posset, quod nullus dicit. Quædam sunt actiones, quæ de se indifferentes sunt ad bonum vel malum, ut levare festucam de terra, vel aliquid hujusmodi; inter quarum numerum quidam computant habere plures Præbendas, dicentes: Ita licitum est habere plures Præbendas, sicut habere plura poma. Sed hoc non videtur esse verum, cùm hoc quod est habere plures Præbendas, plurimas in se inordinationes contineat, utpote quod non est possibile aliquem in pluribus Ecclesiis deservire, in quibus est præbendatus; cùm Præbendæ videantur esse ordinatæ quasi quædam stipendia Deo ibidem ministrantium. Sequitur etiam diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur. Sequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum testatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiis contulerunt, ut certus numerus Deo deservientium ibi esset. Sequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficiis abundat, & alius nec unum habere potest. Et multa alia hujusmodi quæ de facili patent. Vnde non potest contineri inter indifferentes actiones, & multò minùs inter eas quæ sunt secundùm se bonæ, ut dare eleemosynam, & ejusmodi.

Sunt verò quædam actiones, quæ absolutè consideratæ deformitatem, vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur; sicut occidere hominem, vel percutere, in se deformitatem quandam importat. Sed si addatur occidere malefactorem propter justitiam, vel percutere delinquentem causâ disciplinæ, non erit peccatum, sed virtuosum. In numero harum actionum videtur esse habere plures Præbendas. Quanvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire ita honestantes actum, quod prædictæ inordinationes totaliter evacuentur, utputà si sit opus in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & possit plus servire Ecclesiæ, vel tantundem absens, quàm alius præsens, & si quæ alia sunt hujusmodi; & tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta intentione, non erit peccatum, etiam nulla dispensatione interveniente, si consideretur tantùm secundùm jus naturale; quia dispensatio

ad

ad jus naturale non pertinet, sed tantùm ad jus positivum. Si verò aliquis hac intentione plura beneficia habeat, ut sit ditior, ut lautiùs vivat, & ut faciliùs ad Episcoparum perveniat in aliqua Ecclesiarum ubi est præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, sed augentur, quia cum tali intentione & unum beneficium habere (quod nullam inordinationem importat) esset illicitum.

Et sic quidem esse dicendum jus naturale, etiam nullo jure positivo superveniente. Nunc autem certum est, per antiqua jura hoc esse prohibitum, consuetudinem esse contrariam, per quam quidam dicunt illa jura esse abrogata. Nam per contrariam consuetudinem jura humana abrogantur. Quidam verò dicunt, per hanc consuetudinem antiqua jura non abrogari, eo quòd quædam Decretales dicunt: Multa per patientiam tolerantur, quæ si in judicium fuerint deducta, justitiâ cogente cassarentur. Et hæc controversia Juristis est relinquenda. Quamvis hoc videatur esse probabile, quod quantum ad hoc quod jura illa antiqua continent jus naturale, abrogati non possint per contrariam consuetudinem, utpote irrationalem. Quantum autem ad hoc, quod solùm de jure positivo continent, possunt esse abrogata, præcipuè si dissimulantes hanc contrariam consuetudinem, in quorum potestate est jus positivum mutare, intendunt per talem dissimulationem antiqua jura mutare.

Si ergo antiqua jura quæ hoc prohibent, in suo robore maneant, contraria consuetudine non obstante; certum est non posse aliquem plures Præbendas habere absque dispensatione, etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundùm considerationem juris naturalis actum poterant honestare. Si autem antiqua jura sunt per consuetudinem abrogata, tunc prædictis circumstantiis supervenientibus, etiam sine dispensatione licitum est plures Præbendas habere; sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcunque dispensatio interveniat, eo quòd dispensatio humana non aufert ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.

Hæc omnia D. Thomas, cujus responsionem fortassis non expectabat P. Rhodius, qui fortassis non reponet, sicut nonnullus alius: *Hæc definitio commoda erat D. Thomæ Præbendis nudo, sed minimè apta Beneficiariis.* Sed sive commoda sit, sive incommoda, est certè maximè his temporibus necessaria doctrina: dura quidem Sacerdotiorum polygamiâ laborantibus, sed pauperibus pauperis Christi ministris modico victu & vestitu contentis suavissima, quidquid contrà cupiditas probabilitate armata obganniat.

Ad tertium respondeo, sufficere quidem homines operari cum certitudine morali, nec exigi physicam: at ille qui sequitur opinionem minùs probabilem, minusve tutam, desertâ probabiliore & tutiore, non operatur cum certitudine morali de honestate operationis: tum quia verisimilius existimat, operationem illam esse malam & illicitam: tum quia probabilitas non est certa benè operandi regula, sed ad summum probabilis, & valdè dubia, imo falsa & periculosa, ut omni genere argumentorum demonstravimus. Tum quia ille solus cum certitudine morali operatur, qui illi adhæret sententiæ, quæ nulli nos errandi, peccandive periculo exponit, qualis est probabilior & tutior: viri porrò prudentis est in negotio æternitatis tutiora sequi, & vicinoia saluti; nisi enim volumus in re tanta periclitari, anteponenda sunt semper quæ secura sunt, iis quæ commodi, aut voluptatis causâ geruntur. Hoc argumento permotus Henricus IV. Galliarum Rex hæresim, quam cum lacte suxerat, ejuravit. Cùm enim observasset omnes tam Catholicæ, quàm Calvinianæ confessionis Doctores à se consultos in hoc convenisse, Religionem Catholicam tutum esse ad salutem medium, & hoc solùm discrepasse, quod Catholici non solùm tutum, sed etiam unicum esse contenderent, intulit acerrimi judicii Princeps, ad illam redeundum esse Religionem, quæ secundùm omnes certa esset ad salutem via, licèt juxta minùs probabilem Doctorum Calvinianorum sententiam non esset sola. Quod gloriosissimi Regis prudentissimum consilium non imitantur, qui desertâ probabiliore & tutiore sententiâ, quam omnes Theologi certam & immunem à periculo cõfitentur, posse nos minùs probabilem amplecti docent, quam plures, gravesque Theologi securitate nudant, licèt probabili aliquorum judicio idoneum sit medium quo salutem cõsequamur.

Instat Adversarius: Ille non peccat qui operatur juxta gravissimorum Doctorum sententiam: Sed plures Doctores, iique gravissimi docent, licitum esse minùs probabilis sententiæ delectum: Ergo securè minùs probabilem opinionem deligere possumus.

Confirmat id ipsum §. 1. Sufficit ad opinionem probabilem & tutam authoritas unius Doctoris pii & eruditi, quia in negotiis humanis prudenter solent homines unius consilio regi: v. g. unicum medicum adhibent ad tuendam sanitatem; unum Advocatum ad conservandum jura familiæ, unum Architectum ad exstruendam domum, unum Confessarium ad regendam conscientiam: Ergo signum est quod authoritas boni alicujus Doctoris est ratio sufficiens ad fundandam opinionis probabilitatem, quam tuto sequi valeamus.

Respondeo patere satis quid dicendum sit ad authoritatem eorum qui minori probabilitati patrocinantur, cùm ostensum sit omnes Theologos quotquot ante octoginta annos scripserunt, tutioris sententiæ electionem in conflictu opinionum præcepisse, eorumque judicium recentiorum Probabilistarum sententiæ multis nominibus, potissimùm verò numero, authoritate, & concordia præstare. Sed quæ latiùs prosequuti sumus, iterare non est necesse. Et certè non est novum, plures huic sententiæ faventi libertati astipulari, & Doctores prurientes auribus coacervari; amor enim libertatis, & concupiscentia voluptatis mentem acuit, ut quæ placent rationum honestate præcoloret. Vide Hieronymus lib. 2. adversùs Iovin. cap. 13. *Quod multi acquiescunt sententiæ tuæ, judicium est voluptatis; non enim tam te loquentem probant, quam suis faventem vitiis.*

Ad confirmationem respondeo, nequaquam sufficere unius Doctoris authoritatem contra probabilioris & tutioris sententiæ securitatem se erigentem: tum quia ut ex D. Thoma aliàs diximus, in his quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur si sequatur opinionem erroneam alicujus Magistri. Tum quia singulare unius Doctoris sese Theologorum torrenti opponentis inventum, nedum incertum est, sed nec probabile dici debet, quia juxta Philosophum 1. Topic. cap. 1. *Probabilia sunt quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his maximè notis.* Tum quia jam omni doctrinæ flagitio danda erit venia, si ad opinionem securitate donandam unius sufficiat Doctoris moderni authoritas; illa namque portenta doctrinæ, quæ suprà retulimus, nec Doctore carent, nec rationum verisimilium fuco. Ad exempla verò quæ adducuntur, dicendum hinc potiùs confirmari nostram sententiam; sicut enim nullus nisi insanus se crederet medico minùs probabilia remedia desertis probabilioribus adhibenti, nullus domum suam illi committeret architecto ædificandam, quem sciret regulis minùs probabilibus & incertis opificia sua dirigere: ita nullus, nisi periculi amans, ei se Confessario regendum tradit, qui hanc suæ directionis regulã statuit. Potest quisque quodvis probabile sectari, etiã dùm æquè, aut magis falsum videtur quàm verum. Illum ergo Confessarium vitæ nostræ rectorem tutò eligimus, qui in difficultatibus eam partem anteponit, quæ conformior est legi & appetitui recto; quia si in cæcum ducem incurramus, ambo in foveam cademus;

quia in dubiis, præsertim juris naturalis, nusquam certa est nisi in veritate securitas. Nec propterea animarum tortores jure audimus, uti Probabilistæ obtrudunt; cùm nihil difficilius, aut operosius ad salutem præscribamus, quàm quæ prudentiores sæculi in temporalibus observant, in quibus meliora & tutiora captant & sectantur.

Hæc sunt argumenta P. Rhodii, quæ tantùm abest intentum demonstrare, ut potiùs demonstrativè confutentur. Multa alia congerunt Probabilistæ argumenta, quæ licèt admittentibus excusabilem juris naturalis ignorantiam nonnihil difficultatis facessant, à nobis tamen nullo negotio dissolvuntur, qui credimus non probabilitatem, sed veritatem tutam esse agendorum regulam, quia non in Schola Pythagoræ degimus, sed in Schola Christi, qui non dixit, *Ego sum probabilitas*; sed, *Ego sum veritas*. Quam veritatem, legisque notitiam perpetuis precibus & gemitibus à Deo justi efflagitant, sibique compararant alios pro viribus docent; quia si arbitrarium probabilitatis usum permitterent, certò crederent se virtutem & actiones honestas parum aut nihil curare.

Dices: Usus regulæ de sectanda minùs probabili opinione, ab annis plurimis invectus, jus legitimæ possessionis habet: Sed in dubiis melior est conditio possidentis: Ergo manutenendus est homo in possessione suæ libertatis contra legem divinam, & in dubio legis sensu potest sequi quamcunque probabilem interpretationem.

Respondeo hujus regulæ, *Melior est conditio possidentis*, perperam intellectæ abusu facilè omnes leges everfum iri cùm nunquam ingenioso Probabilistæ defuturum sit benignum aliquod interpretamentum, aliqua distinctione legis sensum dubium reddens. Quis autem credat, eam esse Legislatorum mentem, ut cuique subditorum licentiam faciant interpretandi legem à se latam? Quis non videt hoc perverso hujus regulæ usu aperiri viam latissimam ad pericula & peccata legem violantia, & immensam perniciosorum dogmatum colluviem citò prodituram? Porrò illa regula rem possidenti vindicans, in rebus externis à jure adhibita, immeritò ad alia dubia juris præsertim naturalis extenditur, quia sola possessio libertatis contra legem nullam veritatis præsumptionem ingerit, sicut contingit in externis fortunæ bonis, quæ possidens re sua tandiu pomi censendus est, quandiu non constat de injustitia possessionis. At verò in dubio juris, an opus sit licitum, vel illicitum, possessio libertatis nequit facere licitum quod est æternæ legis decreto reprobatum; quia ejus incommutabilis decreti rectitudo non de libertate creata, sed de increata sanctitate pensitatur. Imò in dubiis juris naturalis possessio semper stat pro lege, cujus veritas manet in æternum, quam nulla proinde libertas infringere, nulla consuetudo abrogare potest. Denique si in dubiis semper standum esset pro jure possidentis, ad nihilum planè redigetur regula illa sacratissima, *In dubiis tutior pars est eligenda*. Unde rectè observat Prosper Fagnanus, jus possessionis extra judicia fori esse ridiculum, & commentitium, & omni laxitate periculosius; quia licet in foro externo facta aliorum in bonam partem & benigniori modo interpretari, non privare aliquem possessione famæ vel fortunarum, idque ex lege charitatis, quæ non cogitat malum, & mavult sæpiùs decipi dum malos bonos reputat, quàm si vel unum probum malum falsò pronuntiet. At verò in foro conscientiæ opera nostra vetera jubemur, malaque propria augere magis expedit quàm elevare, seu minuere. Vana est ergo libertatis possessio adversùs legem Dei omni libertate priorem, quæ præcipit in dubiis conscientiæ tutiora sectanda.

Instabis: Qui sequitur aliquam opinionem probabilem, id agit quod sibi apparet honestum, aliàs opinio esset improbabilis: Ergo nihil peccat, nihil turpitudinis ex objecto actus derivat.

Respondeo multos contendere, impossibilem esse assensum opinionis minùs probabilis in concursu probabilioris; cui sententiæ favent omnia quæ supra inter formandas rationes nostras adduximus: sed quia hanc doctrinam, tametsi verissimam, spinis logicis & metaphysicis intexunt & interpungunt Probabilistæ, ideo facilius dico, quod sive assensus ille possibilis sit, sive impossibilis, est tamen illicitus, quod retorquendo instantiam factam demonstro. Si quis agit quod apparet probabiliter honestum, rectè agit: ergo similiter perversè agit, qui agit quod sibi probabiliùs apparet inhonestum. Cum enim actus specificentur ab objectis, si probabilis bonitas refundat honestatem in actum, quidni probabilior turpitudo objecti non refundet in actum turpitudinem, cum ea sit creaturarum omnium conditio faciliùs inhici quam honestati; bonum enim ex integra causa, malum ex quocumque defectu? Atqui ille qui deserta probabiliore & tutiore, sequitur minùs probabilem, manulve tutam, id agit quod probabiliùs illicitum arbitratur: Ergo certissimè peccat. Hoc unico argumento, si cætera quæ abundant deessent, causa ista conficeretur.

Pro aliarum infinitarum objectionum solutione, atque hactenus dictorum luce & compendio, placet præclara verba succo plenissima Vincentii nostri Baronii *ex disp. 2. sect. 2. art. 3. §. 1.* referre quæ meritò dixeris totius gravissimæ hujusce controversiæ medullam. *Sanè si nos veritati studeamus, necesse est probabiliora quærere, quæ vero vicinora, & à falso remotiora sunt. Si peccatum pejus angue odio habendum, tutiora pro lege sunt sectanda, quæ carent omni metu peccati, & specie mali. Denique si certam salutem nos facere oportet, deligenda sunt media efficaciora, quæ si per ignorantiam omittas, nihil habent quod illorum vicem & vim impleat, neque fortè quod te apud Deum excuset, & à damnatione eximat. Immotum ergo sit principium & Theologia Moralis fundamentum, nos triplici quasi vinculo adstringi ad probabiliores pro lege opiniones, quòd veriores præ aliis, quòd securæ & à peccato immunes, quòd efficaces ad salutem consequendam.*

Si opiniones minùs probabiles pro libertate adversùs legem stantes attendamus, totidem vitiis iis tribus dotibus infestis laborant, quatenus minùs probabiles propiores sunt falso quàm vero, deinde obnoxiæ sunt peccato; & quanvis nullum apponerent impedimentum ad salutem, & excusarent à peccato; nihil tamen conferunt ad illam consequendam, & interdum removent media quibus salus constare potest, & certò comparari.

Tria omninò necessaria sunt ad felicitatem adipiscendam, nempe veritas quæ aperiat quò sit eundum; bonitas quæ peccati impedimenta submoveat, & viam sternat quà sit eundum; virtus viresque, quibus cursum intendamus & consummemus. Hæc tria à Christo sunt haurienda & accipienda, & se daturum pollicetur his verbis: *Ego sum via, veritas, & vita.* Quà veritas, docet nos ad quid sumus nati, quæ sit nostra felicitas, & quò tendere nos oporteat: quà via, removet peccata & scandala, quæ nostrum ad cœlum cursum præpediunt: quà vita, dat vires efficacissimas, confert gratiam & virtutes infusas, Sacramenta instituit, quibus muniti cursum perficimus, & vitam æternam consequimur.

Qui docent delectum laxiorum opinionum, etiam cùm agitur de mediis ad salutem, & de Religionis delectu, putantque sine noxa nos posse sequi quamlibet opinionem, aut Religionem quæ probabilitate non caret, tria nobis infligunt vulnera insanabilia; veritatis quærendæ studium extinguunt & lucem obscurant, licentià datà minùs probabilium eligendorum, quæ à vero remotiora sunt quàm à falso; offendicula apponunt viæ quà itur ad cœlum, dum opinionibus favent quæ legi adversantur; denique dum mediis efficacioribus sufficiunt quæcumque libuerit, vitam auferunt, cujus conferendæ abundantioris gratiâ Christus dicit se in mundum venisse.

Hæc

Hæc cum moderamine inculpatæ tutelæ dicta sint, non ut calamum in Adversarium distringerem, qui omnes sincera veneratione prosequor, cui ab omni livore & odio alieno nihil virorum eruditorum (qualis est P. Rhodius, cujus elaboratam Theologiam nulli Sociorum cedere, multis præstare dicent qui non sunt invidi) reverentiâ, nihil pace, & cum omnibus concordiâ antiquius. Sed cùm tanta acerbitate nostram sententiam, etiam post damnatam Apologiam Casuistarum habeat, cùm nos iis verborum injuriis lacessat, quæ ab ingenita ejus urbanitate abhorreant; cùm iis utatur argumentis, quæ nihil resipiant præclaram ejus eruditionem, subtilitatem, dispositionem, perspicuitatem, aliasque eximias ejus dotes, quas ultrò & libens agnosco, sed potiùs eam minuant, quam sibi in aliis multis disputationibus comparavit eruditionis & pietatis opinionem; non potui hanc ejus prolapsionem (quam Comitolus fœdam vocat, & divinæ legi injuriam) dissimulare, ut in secunda, si quam adornet, editione omnia retractet, quæ magnam multis possunt offensionem afferre; ea corrigat, quibus emendatis multùm ad ejus Theologiæ utilitatem adjectum fuerit, non parum etiam ad P. Rhodii laudem, quam salva veritate omnibus modis amplificari sincerissimè aveo.

Ita sanè hanc ab Adversario spero æquitatem, quâ & Lectoribus, & Sacræ Societati suæ, & propriæ existimationi consulet. Nec hanc meam non tam responsionem, quàm à fraterna charitate prodeuntem monitionem, ex partiû præjudicio animique alienatione factâ putet pervelim; cum ipsum nunquam viderim nisi in scriptis ejus à me non semel laudatis, & in superioribus tomis laudandis, si copiam eorum habuissem. Quin potiùs, ut verum fatear, quia nihil mihi candore potius est, ideo eas ex Parte Rhodio labes resecandas optarem, ut liber ejus perfectus prodiret; quia tanto in hac materia potest esse perniciosior, quanto in aliis est disputationibus correctior & ornatior. Dum ab indoctis, vel obscuris Authoribus veritas impetitur, excidii periculum avertere non est difficile; sed propinatum à viro bono & docto venenum eo nocentius est, quo occultius & ipsi propinanti bibentique latentius. Cùm ergo certus sim, & ferè jurare audeam, Adversarium noluisse de industria & meditatò lectores suos in laqueos & insidias inducere, sed scribendo quæ retulimus & bona intentione non caruisse, & sacrificium se præstare Deo fortassis censuisse; non despero fore quin agnita veritate, ea humiliter recantet, quæ nunquam debuerat scripsisse. Nam etiamsi posset dari juris naturalis invincibilis ignorantia (quod tamen inficiamur) quomodo post Romanæ Ecclesiæ in Apologiam & Amadeum justissimas censuras poterit ignorantiæ invincibilis excusationum cavillos coram justo judice afferre, cui tot dubitandi, adeoque se retractandi rationes instillavimus, quibus vellicandum, pulsandumque ejus animum in Domino confido.

Neque enim spei meæ, expectationique eum defuturû credo, si seriò perspexerit quantum periculi res plena sit, quòd convenientia necessariis, probabilia tutis, utilia honestis; libertatem legi anteposuerit; nec pessimam, credo, affectabit in hoc periculosissimo dogmate tuendo constantiæ famam, sed veritate coactus fatebitur ex probabilitatis doctrina, quam acriter tuetur, innumera doctrinæ flagitia fluxisse, majoraque, ni emendet, fluxura, si ad opinionem securitate donandam sufficiat probabilitas pro qua pugnat. Ergo vide, mi Pater, ac provide, ne illarum, quæ ex probabilitate à te asserta sponte fluunt, culparum in divino aliquando judicio pœnas luas; vulneri, quod incautus inflixisti, remedium adhibe; tot mala satage resarcire. Et sicut ego suprà lapsos quorumdam è nostris non defensione, sed damnatione tepuli: ita tuas, tuorumque prolapsiones quascumque in quibuscumque sine personarum acceptione detestare: & ambo illud ab Augustino *lib. 2. de Bapt. cont. Donatist.* *cap. 3.* veridicè dictum sincerè profiteamur: *Aliter sapere quàm res se habeat, humana tentatio est; nimis autem amando sententiam suam usque ad præcidendæ communionis, & condemnati schismatis, vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est: in nullo autem sapere aliter quàm res se habeat, Angelica perfectio est. Qui igitur homines sumus, sed spe Angeli sumus, quibus æquales in resurrectione futuri sumus, quandiu perfectionem Angeli non habemus, præsumptionem diaboli non habeamus, ideo dicit Apostolus: Tentatio non vos apprehendat, nisi humana. Humanum est ergo aliquid aliter quàm se res habeat sapere.*

Illud etiam ab Adversario, aliisque Probabilistis jure opto, ut non sint adeo morosi & iniqui censores, ut dum vident aliquos solidæ pietati vacantes, Christianâ modestiâ mores & gestus componentes, cum maximis sæculi luctantes, usuras sub colore interesse non admittentes, labore manuum otio bellum indicentes, in conflictu opinionum tutiora sectantes, cum tremore salutem operantes, tuta quæque timentes, pro officio semper stantes, collapsam disciplinam pro virili instaurantes, non statim illos novæ hæresis suspectos, & Iansenismi compertos pronuntient. *Impertinens est*, dicebat vir gravissimus mihi Romæ familiaris, *illa accusatio*, quam damnatione Apologiæ Casuistarum in Iansenistas ipse Alexander VII. depulit. Innumeris vitiis laborat hæc objectio toties Iansenismum insontibus occinens: puerilia est, undique rimas agit, & è trivio tota sumpta hæc cantilena, ad invidiam intrepidis divinæ legis defensoribus conflandam imperitissimè, & juxtà iniquissimè instituta. Si bonis rationibus Probabilistæ ex misera suæ causæ conditione carent, ad lutulenta & inepta convitia non confugiant, à dissertationibus ad injurias muliercularum more non veniant, modum habeant, & finem faciant dicteriorum, à quibus non nisi disceptantium odia, & legentium scandala derivantur, quæve magis authoribus nocent, quàm iis in quos furunt & debacchantur. Eam saltem modestiam, gravitatem, urbanitatem præ se ferant, quam in scriptionibus suis hæretici non omninò feroces vix patiuntur desiderari. Quod si adhuc nolunt quidquam de sua sævitia remittere, me saltem sciant iis non esse accusationibus opportunum, quibus nostræ sententiæ defensores immeritò gravant: nàm post illa mea præjudicia *dissert præambulâ* stabilita, post assertam Romano Pontifici jurium definiendorum infallibilitatem, non possum nisi per summam iniquitatem *novus Dogmatista* audire, qui uni Romanæ Ecclesiæ, extra quam nulli ad salutem aditum patêre certissimè credo, addicor, & totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus cum B. Catharina Senensi Dominicanæ familiæ gloria & honorificentia in *orationibus suis*, identidem rogo: *O summa & ineffabilis Deitas! non sum dignus orare, sed tu potes me facere dignum. Vicarii tui Romani Pontificis amore teneor. Vnum corpus à te habeo, quod tibi reddo, & offero. Ecce carnem, ecce sanguinem: absumatur, destruatur, scindantur etiam, & triturentur ossa mea cum medullis suis pro Vicario tuo.*

Non dubito tamen quin post hanc sinceræ orationis professionem mihi Iansenismum Probabilistæ objiciant, tati beneficio probabilitatis omnes consequentias quamlibet inconsequentes se posse deducere, aquam è pecunia extrundere, mel de petra, oleum de saxo, falsum ex vero, quodlibet ex quolibet elicere, & ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt advocare.

Reflexio & monita ad Confessarios.

Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. Ars artium, experimentum periculosum regimen animarû. Quale sit officium vestrum, ô Confessarii, animarumque Rectores, seriò considerate, seriò timete. Quod si vos fortè aliena minùs pericula movent (quod de vestro zelo non audeo credere, vel suspicari) vestrâ vos certè

commoveant, & ad tutiora semper sectanda, intrepidè pœnitentibus instillanda compellant. Erratis planè, & periculosè erratis, si ex nimia, effrænataque indulgentia, quæ omnibus flagitiis lenimenta quærit, nullum in vos, nullum in Ecclesiam periculum creditis redundare. Si malum est peccatum committere, malitiæ extremum est alienis peccatis suadendo, docendoque consentire. Si nocens est pœnitens, qui cæci Rectoris ductu legem naturalem offendit, licet quia nesciens, plagis vapulabit paucis, nocentior profectò est, plagisque vapulabit multis, qui sciens tutæ & probabilioris sententiæ veritatem minoris probabilitatis decretis pœnitentes imbuit nullo conscientiæ morsu perturbatos, sed falsa pace securos. *Si oculos in corde habetis*, ut ait Augustinus; si sint *oculi vestri in capite, & non in calcaneo*, ut ait Scriptura, cernite agi non solùm consulentis vos æternam salutem, quem pravum fortè consilium in æternum præcipitabit, sed vestram agi qui consulimini, qui si alium in foveam impuleritis, haud dubiè in eandem ipsi corructis.

Vidistis infinitam ad omne flagitiorum genus licentiam probabilismo apertam. Vidistis quos nefaria morum dogmata pepererit, quot longè deteriora magis magisque, ni coërceatur & exstirpetur pestifera radix, parere possit. Nullibi sanè, nullibi tanti mali remedium esse potest, nisi in vigore Confessariorum, quæ tantam habeat in sedulò tenendis priscæ disciplinæ moralis regulis firmitatem, quantam in tuendo vagæ probabilitatis perniciosissimo dogmate affectant Probabilistæ constantiæ famam. Tantum vos ad probabilismum debellandum connitamini; tantum contendite, quantum illi satagunt obbibitum errorem, & Romanæ Ecclesiæ exosum in perpetuum retinere. Tanti periculi metû accuratè semper vos expendite, quod illi nolunt semel agnoscere. Primitivæ Ecclesiæ formas ac regulas morum in intimo spiritu impressas gerite; quantum potestis vel nunc tenete, vel quòd temporum cladibus tenere non possitis ingemiscite & dolete. Scio quidem nonnulla, moderante Christianâ prudentiâ, esse dissimulanda, ne præcipiti zelo pax Ecclesiæ & fidelium concordia perturbentur; sed simul attendite hæc non tam latè patere, quàm putant Probabilistæ. Semper enim improbavit Ecclesia, semper damnat, & in æternum puniet Deus quidquid contra leges ac statuta à Confessariis ignaviâ ac mollitie peccatur.

Attendite quod non levem à vobis rationem exiget Deus, nisi ad disciplinam Ecclesiasticam tenendam instaurandamque incumbatis. Nonnulla quidem saltem in externo Ecclesiæ foro prudentia patitur, nonnullas dissimulat interiores & arcanas labes, à quibusdam etiam foras erumpentibus nonnunquam oculos avertit, majorisque mali vitandi causâ tolerare videtur, quibus remedium parare temporum difficultatibus impedita nequit. At in foro interno, in quo vos judices estis, sacerdotalem zelum vestrum exigit, ut sine metu, falsoque pudore arguatis, obsecretis, increpetis, ædificetis, eradicetis, atque invalescentibus abusibus vehementiùs obniti & reluctari curetis, quibus majori pernicie conceditis, & bonos usus aboleri finitis, quàm si contra leges privatim vobis solis peccaretis, nihil aliis exemplo, turpique conniventia nocituri.

An nescitis non ex criminum, quam nanciscuntur, impunitate, sed ex æterna lege nullâ hominum injuriâ, nullâ desuetudine abrogandâ omnia vobis judicanda esse? An nescitis multa innoxiè tolerare provisores generales, quæ vos sanguinis Christi dispensatores tolerare sine piaculo non potestis. Quia si explorata pœnitentis dispositione Sacramenta indignis administratis, si sanctum canibus datis, si eos solvitis qui ad delenda peccata nihil laboris obire voluerint, si omnibus promiscuè absolutionem dandam existimatis, nec antè dispicitis utrum illos Christus solvat in cœlo, quorum in terra vincula relaxatis; si eos absolvitis, quos Christus condemnat; si indiligenter exploretis, sufficientemne dolorem affectat pœnitens, & tale non peccandi propositum cui meritò credere possitis; dum eos solvere præsumitis vos magis implicatis, nec ministerii vestri dignitatem satis attenditis, nec dispensatores fideles estis.

Sed enim, aliis, aliter sentiunt Casuistæ, nec solùm sentiunt, sed suadent licere Confessario ex opinione probabili, quam certò falsam putet, consilium dare; quin mortalis peccati reum esse Confessarium, qui pœnitentibus probabilem opinionem sequentibus absolutionem neget. Quis tam severo præcepto obtemperare non reformidet? Quis illud tam Sacrosanctum Probabilistarum decretum cum æternæ salutis discrimine violare attentabit? Grande (scilicet!) malum esse debet, quod constanter Casuistæ suorum decretorum aspernatoribus minantur. Cùm enim illis innata sit benignitas, cùm illis calumnia venialе ac leve peccatum sit, cùm homicidium honoris sui tuendi causâ nullum peccatum incredibili indulgentia prædicetur, cùm ab illis simonia palliata, ambitus, conversatio ad obtinenda pinguiora Sacerdotia, propriarum utilitatum in capessendis & obeundis Ecclesiæ muneribus consectatio passim aliqua distinctione, aliqua intentionis directione permittantur; malorum omnium summum, & summa esse debet, ac peccatum infinitum infinitate intrinseca & extrinseca esse debet absolutio pœnitentibus probabili opinione nixis denegata.

Sed ô inauditam Probabilistarum severitatem cum solita decretorum ipsorum remissione malè cohærentem! Quàm suspectum in propria causa judicii rigorem! Quàm grande privilegium decretorum suorum violatores mortalis criminis pœnâ summo jure mulctare! Quis hoc credat? Quis putet in Casuistas neminem venialiter posse peccare? Quis credat non dari ullam opinionem contrariam aliqua saltem tenuis probabilitatis colore indutam? Non arbitror, ô Confessarii, in vestris animis sic officii vestri, sic communis pietatis extinctas esse notiones, ut huic inanissimo præcepto divinorum omnium præceptorum exterminio obtemperetis: sed potiùs arbitror vos inde inferre, quàm abominandum sit vagæ probabilitatis dogma cum tam nefando præcepto religatum, quo jubemini esse bilingues, duplices, inconstantes, veritatis cognitæ desertores, cognitæ falsitatis suasores, in corde & corde loquentes, pondus & pondus habentes, modò hoc, modò illud contra id quod sentitis efferentes, ut nedum Christianam sinceritatem, sed & philosophicam gravitatem, & honesti hominis constantiam violare sub interminatione peccati mortalis, neque in hoc sæculo, neque in futuro, ni faciatis, remittendi teneamini. O novos intolerandæ legis Apostolos omnibus omnia factos! Sed proh dolor! non in sensu Apostoli; nam isti omnium temporum Doctores modò juxta unam, modò juxta aliam opinionem Confessarios consulere docent. Es magnus Apostolus 2. Cor. 1. pronuntiat: *An quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me Est, & Non? Fidelis autem Deus, quia sermo noster qui fuit apud vos, non est in illo est, & non. Dei enim Filius IESVS-CHRISTUS, qui in vobis per nos prædicatus est, per me, & Sylvanum, & Timotheum, non fuit est, & non, sed est in illo fuit.* Ergo illud Probabilistarum, *Est licitum, non est licitum*, illud *licet*, & *non licet*, fuit ab Apostolo veritatis reprobatum.

Cùm certum sit omnes de rebus terrenis consultationes, in quibus homines tam diligentem navare operam solent, nihil esse præ magnitudine illius, in qua quæritur, num aliquo facto violetur Dei honor, eoque an ad æternam salutem, an ad æternum exitium perveniatur; quis nisi impius consiliarius illam viam prudens ac sciens suadebit, quam ex propria sententia ad inferos ferre, quâ Deum offendi, ejusque legem infringi certò judicat? Hanc duplicitatem in paganismo horruissent Ethnici, hanc in commercio horrent mercatores, hanc in infirmitatibus fugiunt ægroti, hanc in consiliis

filiis detestantur Principes: & in negotio negotiorum, in uno necessario, in animæ detrimento, in Paradisi discrimine hoc licitum, ô Confessarii, putabitis, quod in temporalibus rebus, in negotiis de nihilo nefandum, flagitiosum, proditorium haberetis? Quis non ducem illum execraretur, quis omnibus cum diris devovendum non censeret, qui noctu itinerantibus eam viam monstraret, quæ probabiliùs, & sibi veriùs in præcipitem abyssum, vel puteum interitus fert, & inducit? Sic sentire, sic docere est communissima nedum Christianæ vitæ, sed humanæ societatis præcepta ignorare. Lupi venientis periculum imminens latratibus, motibus, & signis indicat canis, & naturalis hujus charitatis bestiis insitæ benignitatem non imitabuntur Confessarii Christiani, sed potiùs consilium petentibus illud præscribent, quod perniciosum, & reverà falsum putant? O cæcitatem indicibilem! ô judicii iniquissimi perversitatem! Sancti nihil aliud quàm veritatem, Deique voluntatem invenire studentes, post longas vigilias, post frequentatas orationes, post omnem adhibitam diligentiam, post evacuata præjudicia, adhuc securitatem non spondent, sed verentur ne aliquas tenebras offusa cupiditas, & circumstans nos peccatum rationi sparserit; ardentiúsque postulant ut tenebras illuminet veritas, ut cor ab occultis mundet castimonia, ut spiritum rectum in visceribus (idest in latentibus animi recessibus) innovet Deus. At novi Probabilistæ vanam illam bonorum meticulosorum formidinem aspernati, non solùm occultarum cupiditatum insidias non timent, sed apertas & cognitas, & probabiliùs illicitas judicatas, sequi licere palam docent; nec erubescunt suadere ex magno numero luxuriantium opinionum illam eligere fas esse, quæ ad cupiditatis, voluptatis, utilitatisque normam dimensa, appetitui perspecta fuerit congruentior, & desideriis favorabilior.

At enim, inquietis, nolumus peccati mortalis labem contrahere: atqui pœnitenti probabilem opinionem sequnto negare absolutionem culpa est ex genere suo mortalis, ut communis sententia Probabilistarum satellitio munita fert. Ego contrà contendo, opinionem illam esse omnibus Sanctis ignoratam, vel reprobatam, & Confessarium peccati mortalis reum esse qui absolutionis beneficium sequenti opinionem quam judicat falsam, impartitur. Nonne Confessarius manifestè judicium conscientiæ violaret, qui illum absolveret cui conscientia judicat retinenda esse peccata? Nonne juxta Ecclesiæ doctrinam Confessarius est judex, medicus, doctor peccatoris pœnitentis? At nemo dixerit judicem desertâ propriâ, & probabiliori sententiâ teneri sententiæ minùs probabili, quam ipse errorem censet, conformari; nemo asseruerit medicum, ut ægroti minùs probabili sententiæ consentiat, teneri contra propriam, probabilioremque sententiam illud medicamentum præscribere, quod verosimiliùs censet nociturum; nemo scripserit Doctorem veritatis cognitione instructum ea debere tueri dogmata, quia discipulorum falsæ, sed probabili persuasioni magis conveniunt. Nonne melius justiusque diceretur, & judici reum, & medico infirmum, & Doctori discipulum assentiri oportere?

Et certè cùm secundùm aliquos Casuistas non liceat pœnitentem illum absolvere, frustra minitantur peccatum mortale Probabilistæ, quod ex ipsa probabilitatis doctrina non committitur; si enim opinio probabilis secum fert securitatem, probabilitatem minorem sequutum securè non absolvam, cùm non debere eum absolvi, censent aliqui probabilismi defensores. Sed absit ne propter eorum solam authoritatem tales absolvatis Pœnitentes, & falsa reconciliatione deludatis, quos ex firmiori veritatis sermone solvere non potestis, si eos ligatos putatis in cœlo. Absit ut aliqua lege pœnitentem vos fallere teneamini, & veritatem vobis liquidò cognitam abjicere, ut reorum errantem opinationem sequamini. Absit ut veritatem vobis cognitam ardentibus votis expetitam, & Dei lumine conspicuam in injustitia detineatis. cùm dicat Lactantius lib. 3. cap. 13. *Ne trahamur authoritate cujusquam, sed veritati potius accedamus. Nullus hic temeritati locus est; in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.* Timete ne cæci sitis, & duces cæcorum. Timete ne peccatis alienis consentientes, non solùm propriæ pravitatis, sed etiam alienæ iniquitatis pœnas luatis. Timete illud à Domino per Prophetam intentatum: *Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Id est, ut exponit Gregorius Magnus *lib.* 18. *Moral. c.* 4. væ qui peccatoribus adulantur. *Pulvillus*, inquit, *ponitur ut mollius quiescatur. Quisquis ergo malè agentibus adulatur, pulvillum sub capite, vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerat, in ea fultus laudibus molliter requiescat.*

SPECULATIO III.

Varia scrupulosis remedia parantur.

NIhil frequentius nostræ sententiæ, aut invidiosius objici solet, quàm nostris de probabiliori sententia sectanda decretis implexam, anxiam, scrupulisque innumeris implicatam Christianæ vitæ rationem effici. Id Probabilistæ libellis omnibus suis usque ad fastidium occinunt; in hoc præcipuum per se infirmissimæ causæ suæ firmamentum locant, atque hoc nomine in nostræ sententiæ defensores quasi in austeros conscientiarum non tam rectores, quàm tortores invehuntur. Etenim si in omnibus de peccato dubiis, quæ in scrupulosis formicare solent, tutiora sectanda sint; si nullus sit actus omni vitio carens, cui non veritas præluxerit, vel ut ait Scriptura, verbum verax præcesserit; si omnis æternæ & naturali legi contraria operatio eo ipso prava ac perversa sit; si legis naturalis nulla detur invincibilis ignorantia; si illud D. Thomæ pronuntiatum, *Quod fit contra legem naturalem semper est malum, etiamsi fit secundùm conscientiam*, sit dogma nullis exceptionibus circumcisum, sed absolutè generatimque complectendum; si in sola sit veritate securitas, adeoque nec probabilis, nec probabilior secura dici possit, nisi sit vera: Ergo omnis prorsus probabilitas eliminanda erit, statuendaque certitudo, quæ ad benè agendum requiratur, quod est nimia asperitate aggravare jugum Christi, imponere onera importabilia, & agendorum securitatem extra humanarum virium captum collocare. Ego contrà contendo, nihil ad amovendos, evellendosque solidè scrupulos aptius doctrinâ nostrâ, cui apud imperitos invidiam facere Probabilistæ connituntur. Igitur operæpretium est quædam ex præscriptis à Patribus aphorismis spiritalia pharmaca parare, quibus & scrupulosorum conscientiæ infirmæ medeamur, & simul ostendamus S. Thomæ Ethicam, sicut & Christianam, voluntatibus ægris & corruptis invisam, sanis & puris summè esse amabilem; quia arctam quidem viam indigitat, sed non inviam & inaccessam, & ut verbis Senecæ utar: *Ostendit beata vita magnitudinem, sed desperationem ejus non facit, sciens illam esse in excelso, sed volenti penetrabilem.*

In primis quid promptius quàm discernere inter honestum & utile, cùm etiam pueris & stupidis luceat æquitas, pudeat eos turpitudo. Quid bonæ voluntati gratius & facilius quàm tutioribus, & probabilioribus adhærere, donec veritas patescat? Tantum enim abest, vagam Probabilistarum licentiam scrupulos sedare, quod potiùs illos reverà auget. Quia Fratribus Minoribus dixit summus Pontifex superiori capite relatus, *ad tollendos graves conscientiæ remorsus tutioribus*

esse

esse adhærendum; ita ad ingenerandas timoratis conscientiis anxietates permittenda est eis minùs tutam sententiam optio, quarum deinde dum cernunt falsitatem, majoribus exeduntur stimulis, quibus solidè pacandis sola veritas, sola tutiorum electio opportuna est. Vera enim pace, quam nemo tollet à nobis, quamve mundus dare non potest, fruemur, si veritatem seriò quæramus, si quæsitam feliciter inveniamus, si inventæ fideliter obediamus. Unde tutioris sententiæ delectus gravis anxius, & impossibilis non est, sed facillimus & suavissimus; nec eum audent sequi homines, quòd difficilis sit, sed difficilis evasit, quòd eum sequi non audeant.

Secundum scrupulosorum remedium est, quod si in sententiarum gravissimatum conflictu utrinque occurrat peccandi periculum, affirmantibus aliis opus sine peccato omitti non posse, contendentibus aliis sine peccato fieri non posse; quid opus erit facto viro bono hærenti, dubitanti, ambigenti, ut sedet remorsus, ut componat æstus suos? Nonne anxia efficietur & scrupulis inquieta vita ipsius, cùm ex duabus sententiis utra sit vera, perspicere nequit, definire non audet? Nequaquam, quia semper habet præsens, semper circumfusum divini Magistri lumen, ad quod si se converteat, si ejus lucem precibus imploret, si viros doctos & pios, atque à probabilismi effreni licentia abhorrentes consulat; si quà potest diligentiâ veritatem detegere studeat, vel veritatem nitentem videbit; vel si urgeat tempus & periculum sit in mora, habet in promptu remedium, eam omnino sectando sententiam, qua ad veritatem magis credet accedere, magis à peccato recedere. Suadet enim ratio, jubet prudentia, hortatur charitas, ut sicut assensu & judicio probabiliora, & tutiora minùs probabilibus, minusque tutis semper præponimus, ita & præponamus affectu, præponamus & usu. Porrò tunc in timore quidem operabitur, sed in illo tremore nihil sibi conscius exultabit, quia dum testatur animum se agere à studio & amore veritatis non alienum, tamen verebitur opera sua, trepidans ne in eis occulto aliquo errore displiceat: sed timor ille tam castus, tam filialis, sicut ab amore Dei, ejusque legis proficiscitur, non modò non turbat vel anxiat, sed magis recreat & solatur, ac pacem illam Dei, quæ exsuperat omnem sensum, dum compatitur, mens spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur.

Tertium remedium scrupulosæ conscientiæ est hujusmodi: Licèt minùs tuta, minusque probabilis sententia in concursu probabilioris & tutioris non sit firma agendorum regula, quando minùs tuta stat pro libertate contra legem; quia hoc ipso quod apparet minùs probabilis, apparet magis falsa, seu propensior in falsitatem, unde illi hærere nequit voluntas sine conscientiæ & veritatis contemptu; tamen si inter duas tutas sententias instituatur comparatio, tunc non est necessariò tutius eligendum, cùm supponatur nulli inesse periculum; & tunc in favorem scrupulosi benignior potest & interdum debet asperiori anteferri, ut inanes & superstitiosæ eorum formidines fatuitatem aliquam resipientes, quæ in austeriora quæque, licèt non semper veriora, magno impetu feruntur, depellantur, exuantque illud timoris, ubi non est timor, vitium quod illo quod vitare satagunt non rarò deterius est. Quare sicut libertinis corde duris, & in mollitiem ac indulgentiam propensis, cæteris paribus, severiora consilia danda sunt, ita teneris & infirmis scrupulosorum conscientiis mitiora indulgenda sunt, tuta tamen. Quia contraria contrariis quidem, sed non noxiis curari debent, & qualibet indoles in extremum aliquo vitio vel imbecillitate detorta, in alteram partem contrariis est instituta reflectenda.

Quartum remedium est studium humilis, fervidæ, & quantum possumus continuæ orationis. Quia ignorantia juris naturalis, ut sæpe dictum est, & electionis imprudentia semper ex incuria quæsitæ veritatis, & cordis expurgandi negligentia proficiscitur. Tum quia qui necessarium à Patre luminum sapientiam postulat, id quod petit, nunquam non impetrabit ab eo qui dat omnibus affluenter, & non improperat, cùm in hoc non solùm Sanctos, non solùm Apostolum Iacobum, sed etiam ipsam Sapientiam Patris, lumen de lumine, lucem mundi Christum Dominum fidejussorem, quem mentiri impossibile est, habeamus. Quærite, inquit, & invenietis; petite, & accipietis; pulsate, & aperietur vobis: Ergo qui non invenit, qui non accipit, cui non aperitur, hoc ipso non petiisse, non quæsivisse, non pulsasse convincitur; vel saltem non tantum petiisse, quantum res tanta petenda est, vel non eâ quâ par erat cordis munditie & castimonia quæsivisse, vel non perseveranti devotionis instantia pulsasse. Rectè Sylvester verbo *Scrupulus*, ait: *Prima regula pro scrupulosis est ut homo se preparet ad gratiam dolore præteritorum, cautelâ futurorum: secunda sollicita Sacræ Scripturæ indagatio: tertia est continuatio devota orationis, quæ est optimum remedium; sed eo scrupulosi parum utuntur, & malè.*

Quintum remedium est sincera, prompta, & cæca adversus Prælatum & animæ rectorem reverentia ac obedientia; si tamen talis sit Rector, cujus unus scopus sit ut homines à noxiis cupiditatibus abstrahat, ne quos dirigit pœnitentes prioribus ignorantiæ suæ desideriis configurentur, & ipsi in omni conversatione sancti sint; cujus unum lumen sit verbum Dei in Scriptura, traditione, Sanctorum moribus consignatum; qui non subterfugiat putas & nodas Evangelii veritates omnibus annunciare; qui Magistrum suum Christum in omnibus æmulari contendat; ut sicut ejus personam sustinet, sic & in doctrina verax sit, & viam Dei in veritate doceat. Qui talem Rectorem invenerit, thesaurum invenisse credendus est: illi se committat scrupulosus, qui pastoris sui Christi vocem audire unicè vult, qui unam sincerè cupit inire viam arctam ducentem ad vitam, qui de corde bono & optimo intelligere vult quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, non ut eam ad se detorqueat, sed ut illi suam adjungat. Illi, inquam, se credat, illum vitæ suæ moderatorem eligat: nam ex Christiana prudentiæ & solidæ humilitatis regula potest quis privato judicio diffisus proprium deponere opinionem, ejusque judicio se subjicere, quem in doctrina Traditionis Patrum magis versatum, cœlesti lumine uberiùs perfusum, & divinorum experientiâ, & spiritus prudentiâ pleniùs senserit informatum. Tunc enim non libido laxitatis, sed discretio amorque veritatis illum movent, à quo fides illa ac justa persuasio illud ab ejus animo judicium elicit, opinionem illam eo esse probabiliorem, quo illum quem consulit, certò putat scientiâ veritatis instructiorem.

Fateor quidem semper suspectum, semper noxium esse varios adire Casuistas, donec inveniatur qui ad libitum respondeat, proferatque ex probabilitatis promptuariu aliquas morum normas cupiditatibus suis utiliter congruentes, quibus libidinis gaudia timoris morsus non imminuat, amorem gustumque sæculi Evangelii severitas amatescens non interrumpat, sacram illam utilemque synteresis punctionem in mediis voluptatibus importunè vellicantem probabilitatis securitate detrahat, legemque Dei cum maximis mundi ita componat, ut placidè sæculi moribus vivat, dignitatibus, divitiis, voluptatibus, commodis lentus & otiosus perfruatur, & aliquo Probabilista sponsore de deliciis temporalibus transeat ad sempiternas. Licèt, inquam, id suspectum sit, quia sola veritas, non probabilitas, vel probabilitatis commoditas ab inferno liberabit nos; & corrupti animi argumentum est velle sibi persuaderi, justum ac licitum esse quod expetit: tamen multos adire Doctores per se licitum est, non

ut

ut commodior & exoptatior, etsi minùs probabilis, sententia eligatur, sed ut vera & probabilissima præferatur.

Sextum remedium est puri cordis simplicitas, qua dum in veritate simpliciter ambulamus, & Deum sincero corde quærimus, veritatem absque cavillorum ambagibus, vel subtilitatibus citò cognoscimus. Æquitas enim mundo & simplici cordi ferè semper per se lucet, & ad incorruptum de rebus judicium ferendum plurimùm valet animus incorruptus. Sicut enim, ut sæpe diximus, cupiditatibus veluti nebulis tenebrosus fit oculus cordis, & affectuum præjudiciis animus occupatus veritatem mundis conspicuam sæpe non videt; quia intus existens prohibet extraneum, idest intentio animi non veritatem quærentis, sed cupiditatis securitatem, ab amore sui & utilitatum propriarum studio minimè mundatus, arcanis quibusdam desideriis in secretioribus cordis recessibus retrusis præventus bonum malum, malum bonum dicit, idque deceptus sequitur, non quod divinæ consentit legi, sed quod internæ favet corruptelæ; non quòd falli exertè velit, sed quia propter corruptum cupiditatibus animum falsitatem accersit, non in actu signato, ut loquuntur, sed in actu exercito, seu ut magis Latinè, nec minùs verè Magnus Gregorius *lib. 15. Moral. cap. 25.* ait: *Hæc verba dicere vel stulti minimè præsumunt; sed tamen perversi omnes id Deo non verbis, sed moribus dicunt.*

Itaque scrupulosus ubi nihil opus est, vereri non debet, nec timere ubi non est timor, sed ut docet Apostolus, *sapiens sit in bono, simplex in malo:* charitate foras mittat timorem, & legem Dei & Evangelii maximas absque apicibus, absque subtilitatum tricis observet, & dum infregisse se noscit, humilietur, sed non turbetur. In virtutum officiis inquirendis, dignoscendis, frequentandis, augendis, acrem, diligentem, sagacem moderante prudentia se exhibeat, ut in omni data, & accepta occasione gloriam Dei promoveat: at verò in malo simplex sit, id est omne malum sincerè detestetur, peccatorum palliandorum artes horreat, remittendarum & inflectendarum legum subtilitates exsecretur, ipsa nedum comperta flagitia, sed omnem mali speciem, umbram, nomen ipsum quorumdam peccatorum abominetur, & sic faciens, nisi sit fatuus, citò à scrupulorum anxietate liberabitur, & in studio serio veritatis gaudium plenum, quod nemo ab ipso tollet, inveniet.


Atque hinc etiam intelliges, quomodo in nostra sententia verum sit illud Servatoris, Matth. 5. *Iugum meum suave est, & onus meum leve:* & illud rursum 1. Ioan. 5. *Mandata ejus gravia non sunt.* Tum quia in sectantibus tutiora amor legis omnia efficit suavia, quia in eo quod amatur non laboratur, aut si laboratur, & labor amatur, ut docet Augustinus, addens mandata dura timori, dulcia esse amori. Relege quæ priori tomo diximus de connexione gratiæ efficacis cum rigida morali, ubi diximus novæ legis non in eo sitam esse suavitatem, quod legem Dei enervet, & probabilitatum compendio emolliat; sed quia quod jubet, dat diffusa per Spiritum sanctum omnipotentissima victricis adjutorii potestate, quæ legem carni amaram cœlestibus amœnitatibus temperatam reddit amabilem. Tum quia, ut antea dicebamus, tantum abest ex nostra doctrina præcepta Dei effici impossibilia & impervia, eo quòd difficile sit in omnibus veritatem invenire, quod potiùs contrà faciliora esse ex illo capite mandata contendo, quia satis est nosse quod nec pueri ignorant, quid sit honestum, quid justum, quod in dubiis incertis, & minùs probabilibus est anteponendum. Quod principium si semel nutare concedimus, idololatria probabilis evadet, atheismusque securus, atque ab omni periculo peccati aut damnationis immunis, ut sæpe inculcavimus.

Septimum remedium est sincerus charitatis amor, quo Deum, divinaque diligimus & sapimus. Vt enim sæpe diximus, nec exhauriri potest materia infinita, mirum in modum ad rectum de rebus efformandum judicium conducit dilectio, quam idcirco Apostolus supereminentem Dei scientiæ charitatem appellat. Hinc Dionysius *cap. 7. de div. nom.* ait, *sapientiam esse divinissimam cognitionem secundum ignorantiam traditam, secundùm unitionem supra mentem.* Quia nimirum viri simplices & ignari, sed Deo charitate devincti, altissimum divinæ cognitionis experimentum habent, & pietate ascensiones in corde disponente, mens divinis illustrationibus perfunditur. Hinc idem Pater initio Theologiæ Mysticè Timotheum monet suum, ut *forti contritione sensus, & intellectûs operationes derelinquat.* Hinc pulchrè Richardus Victorinus lib. de grad. charit. *Amor,* inquit, *oculus est, & amare videre est, quia ubi intellectus caligat, amor penetrat: intrat dilectio, ubi scientia foris est.* Hinc Bernardus ad Eugenium: *Ea* (divina) *non disputatio comprehendit, sed sanctitas.* Et rationem assignat S. Thomas 2. 2. *q. 45. art. 2.* Quia de rebus divinis magis, sanusque judicamus per quandam connaturalitatem ad divina quæ patimur. Quæ passio amabilis, & connaturalitas optabilis fit per charitatem, quæ nos unit Deo, secundùm illud Apostoli: *Qui adhæret Deo unus spiritus est cum illo.* Vnde oritur rectum de divinis judicium; qui enim habet perfectum habitum, si rectus est habitus, format judicium rectum circa illa quæ pertinent ad illum habitum; si verò corruptus, falsum.

Maximè quia anima per charitatem Spiritui sancto conjungitur, fitque spiritualis: spiritalis autem homo judicat omnia, & Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Ideo rectè monet Propheta: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Et Bernard. serm. 79. super Cant. *Amor ubique loquitur. Si quis verò eorum quæ hic leguntur, cupit adipisci notitiam, amet; alioquin frustra ad audiendum, legendumque amoris carmen, qui non amat, accedit: quoniam non potest omninò frigidum pectus ignitum capere eloquium.* Et B. Catharina Genuensis amoris Dei igne decoro perfusa testabatur, quod si cœlites omnes sese eadem figurâ, iisdemque vestibus sibi conspicuos redderent, & inter ipsos sponsus Christus iisdem tesseris indutus appareret, ipsum statim, tametsi oculis absconditum, cor agnosceret, suoque amoris pondere ad ipsum veluti centrum connaturaliter raperetur, tanta est amatum inter & amantem affinitas, cohærentia, atque ingenita propensio. Sanè si catellus dominum inter mille agnoscit etiam nocte, si agniculus inter oves gregis nullo signo discretas discernit matrem, quidni anima sancta & devota in dubiis emergentibus, in difficultatibus quotidianis veritatem amore quæret, amore pulsabit, amore inveniet? Recole præclara Patrum testimonia in altera appendice ad dissertationem præambulam libri 1. recensita; & certò scias, casus conscientiæ facilius unctione, quàm Casuistarum lectione decisurum. Et si contentio facienda esset, & alterutrius judicio standum in aliqua morali quæstione, vel hominis, sive mulieris Dei sincerè amantis, vel Probabilistæ cujusdam, sexcenties malim ignari, vel ignaræ illius sententiæ acquiescere, quàm retorrido Casuistæ, qui suis distinctionum cavillis, non divinis Patrum luminibus res definit.

Porrò sicut amor, & unctio docens omnia mentem illustrat, ut discernat & à falso verum, & à malo bonum; ita exigit ut in controversiis semper tutiora & probabiliora sectemur; lex enim Christianæ charitatis, quæ est amicitia erga Deum, non solùm purum percipit de infinita Dei perfectione gaudium, sed etiam externam divini nominis gloriam, ejusdemque mandatorum observantiam pro virili promovet, & curat, maximè verò violandæ amicitiæ pericula cavet. Quomodo autem etiam inter homines ille amici officio defungi censebitur, qui amore voluptatis, vel in favorem libertatis ea agit, quibus probabiliùs arbitratur amicitiæ

necessitu



R. P. Fr. VINCENTII CONTENSON,

ORDINIS PRÆDICATORUM SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS, THEOLOGIA MENTIS ET CORDIS.



LIBER SEPTIMUS.

De Deo primo Exemplari : seu de Virtutibus, quibus divinam perfectionem exprimimus.

PRÆLOQUIUM.



NON esset immaculata Ethica nostra, proindeque nec Christiana, nisi à Deo ipso virtutum Domino esset expressa. Nobis planè divinæ bonitatis, cæterarumque perfectionum exemplar ad imitandum exponere æquum est, quibus voce Veritatis præcipitur: *Estote perfecti sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Quis enim dubitare potest hominem gratiâ, & baptismo regeneratum, in consortium naturæ divinæ provectum, æternæ hæreditatis candidatum, humanis tantùm pollêre debere virtutibus?

Non inficiamur quidem, homini supra bruta animantia erecto morales necessarias esse virtutes, quibus non minùs ornatur animus, quàm aptâ membrorum figurâ coloris suavitate temperatâ corpus decoretur. Exigit prorsus natura rationalis præclarissimo illo, & instructissimo virtutum omnium armamentario, & beatissimâ copiâ habituum adornari, quibus erga Deum *piè*, erga proximum *justè*, erga seipsam *sobriè* vivat. Illis enim destituta nec jus suum cuique servaret, nec libidines cohiberet, nec ulla pietatis officia impenderet; sed suæ conditionis oblita in terra reperet, & cum brutis in cœno volutaret.

Verùm his intra naturalis ordinis ambitum inclusis virtutibus Ethica Christiana contenta non est: ad cœlum tendit, quæ scit sibi genus esse de cœlo, ut cœlestem ducat vitam homo cœlestis patriæ civis futurus. Sicut enim aqua insitâ vi eò movetur, unde delapsa est; ita Philosophia Christiana, quam unigenitus, qui est in sinu Patris, devexit è cœlis, quasi fons aquæ salientis in vitam æternam ad cœlum suspirat, ubi teste Augustino, *Præmium virtutis erit ipse, qui virtutem dedit.*




Quapropter ſicut alia nobis implenda ſunt officia, quà Chriſtiani ſumus, nobiliori etiam virtutum ſupellectili indigemus, quibus Filii Dei perſonam geramus, charitatis legi obtemperemus, & ad felicitatem Dei viſione obtinendam perveniamus.

Ipſi etiam Philoſophi Platonici, qui omnium proximè ad Chriſtianiſmi veritates acceſſerunt, hanc tenebras inter infidelitatis affulgentem ſibi veritatem quadamtenus agnoverunt, dum virtutes morales in *politicas*, *purgativas*, *purgati animi*, *& exemplares* diviſerunt. Quia nimirum ut homo in rebus humanis gerendis benè ſe habeat, per virtutes politicas; ut pravos affectus mundet, & veluti runcinet, per virtutes purgatorias; ut denique ex abundantia contemplationis cupiditates omnes & paſſiones non amplius ſentiantur, & ferè ignorentur, per virtutes purgati animi reſpiciendum eſt ad virtutes exemplares, quæ in ipſa divina mente conſiſtunt, à quarum exemplo reliquæ omnes per ordinem defluunt. Nam ſicut rerum aliarum, multò magis virtutum ideas in Deo eſſe credendum eſt. Vide S. Thomam *quaſt.* 61. *art.* 5. hanc diviſionem præclarè de more exponentem.

Hac de cauſa, ne repter, vel à vero exerret Ethica noſtra, Deum ſemper intuetur, & archetypum illum abſolutiſſimum præ oculis habens, primò de virtutibus generatim, deinde de ſingulis moralibus ſpeciatim, tandem de Theologicis unum Deum inſpicientibus ſermonem inſtituet. Ut autem virtutis decorem per ſe ſplendidum noſtris vel privatis affectibus, vel diſſertationum noſtrarum tenuitate non obſcuremus, unis D. Thomæ veſtigiis inhærebimus, de quo veriùs, quàm de Bruto pronuntiari poteſt: *In ipſius libris non tam hominem, quàm ipſam virtutem videri loquentem.* Quia ejus lepôres dum deſcribit, reddit amabiles, nec poteſt ejus amorem cordi non imprimere, dum ejus honeſtatem ob oculos ponit. Virtus enim, ut aiebat Plato, *ſi oculis cerneretur, mirabiles ſapientiæ amores excitaret.*

Diſſertationem aliquam præambulam commendatoriam, quâ legentis animus ad totius tomi lectionem veluti inſeſcetur, hîc de more non prælibamus, quia eam in finem hujus libri rejicimus, ubi fidei, ſpei & charitatis elogia ſubjicimus. Maximè quia is eſt virtutis decor, ea pulchritudo, ut nullo adventitio honeſtamento egeat quæ ſe nativâ ſpecie commendat.



DISSERTATIO I.

De virtutibus generatim, & ſingulatim.

VARIÆ ſunt nominis virtutis deſcriptiones. Primò etenim virtus accipitur latè pro quacumque perfectione ad operandum ordinata; hoc modo dicitur à Philoſopho diſpoſitio perfecti ad optimum, id eſt ad operationem eliciendam inſtituta. Sic ſanitas, robur, & gratia poſſunt dici virtutes, quia ad agendum conferunt. Tunc verò cenſetur res perfecta, quando bonitatem ſuam poteſt actione diffundere; & ideo actio dicitur quid. *optimum*, quia per illam bonum eſt ſui diffuſivum, quod non ſolùm optimum, ſed & divinum eſt.

Secundò ſtrictiùs ſumitur pro facultate ad operandum ordinata; quo pacto calor, virtus vegetativa, nutritiva, ſenſitiva, aliaque id genus dicuntur virtutes naturales.

Tertiò denominatur aliquando virtus ab objecto circa quod verſatur: hoc modo dicitur à Philoſopho *ultimum potentiæ*; natura enim alicujus facultatis optimè explicatur per id, ad quod ſe extendit: hoc modo id quod credimus, fides nuncupatur.

Quartò aliquando accipitur pro actu ſecundo, ut cùm dicitur ab Auguſt. *Bonus uſus liberi arbitrii.* Cùm enim virtus tota, quanta eſt, ad actum eliciendum proclivis ſit, non immeritò ab operatione nomen ſortitur, ſine qua ſterilis eſt, & vix nomen virtutis meretur.

Ultimò, & propriè ſumitur pro aliqua vi & facultate, quæ eſt in creatura rationali ad benè operandum; & de hac impræſentiarum ſermonem inſtituimus.

CAPUT I.

De eſſentia, ſubjecto, & proprietatibus virtutum.

MUltæ circumferuntur virtutis definitiones. Primò enim dicitur ab Ariſtotele: *Habitus qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.* Quâ definitione duplex virtutis habitudo declaratur; altera ad ſubjectum, altera ad operationem. Sola namque virtus bonos facit, ut ipſimet Philoſophi agnoverunt, quos inter Seneca *epiſt.* 77. ſic diſcurrit: *Conditio rerum eadem & hominum eſt. Navis bona dicitur, non quæ pretioſis coloribus picta eſt, nec cui argenteum, aut aureum roſtrum eſt, nec cujus tutela ebore celata eſt, nec quæ opibus Regiis preſſa eſt; ſed ſtabilis, firma, & juncturis aquam excludentibus ſpiſſa, ad ferendum incurſum maris ſolida, gubernaculo parens, velox & conſentiens vento. Gladium bonum dicis, non cui deauratus balteus, nec cui vagina gemmis diſtinguitur; ſed cui & ad ſecandum ſubtilis acies, & mucro munimentum omne rupturus. Regula non quàm formoſa, ſed quàm recta ſit, quæritur. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantùm aret, quantùm fœneret, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, ſed quàm bonus ſit: bonus autem eſt, ſi ratio recta eſt. Hæc vocabitur virtus, hoc eſt honeſtum, & unicum hominis bonum.*

Secundò definitur ab eodem Ariſtotele: *Habitus electivus in mediocritate conſiſtens, prout ſapiens & prudens*

dens determinaverit. Quæ definitio convenit solis virtutibus moralibus, residentibus in appetitu electivo, & in medio consistentibus; medio, inquam, non mathematico, sed juxta sapientis discretionem determinato.

Tertiò definitur à D. Aug. *Bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nullus malè utitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur.* Dicitur bona qualitas, non bonitate solùm transcendentali communi omnibus entibus, sed morali, & naturæ rationali, ac christianæ eximia. Additur, *quâ rectè vivitur*; quia virtus est principium rectæ operationis, nec potest ad actum pravum vel tantisper vitiatum, quà tale, inclinare; arbor enim bona, & tam bona, qualis est virtus, non potest malos fructus facere: unde argumentum est satis convincens, animum destitutum esse virtutibus, si eas non fundat in opera: & de singulis verum est, quod de charitate dixit Magnus Gregorius: *Probatio dilectionis exhibitio est operis. Non sibi aliquis credat quidquid sibi animus sine testatione operis respondet. De dilectione Conditoris mens, lingua, & vita requiritur.* Additur, *quâ nullus malè utitur*, per quod distinguitur virtus ab habitu opinionis, & fidei humanæ, quæ sæpè sæpiùs in malum proclives sunt. Denique dicitur, quod *eam Deus in nobis sine nobis operatur*, quia ut constabit ex dicendis, vix ac ne vix quidem in statu naturæ corruptæ ullæ dantur virtutes simpliciter tales, præter eas, quas Deus liberaliter infundit, vel ad quas nobis adsciscendas infuso auxilio opitulatur.

Ex his perspicua satis manet virtutis essentia, nisi illud quod in his definitionibus supponitur, à multis negaretur, vel in dubium vocaretur, ut patebit sequentibus speculationibus.

Speculatio I.

Virtus est essentialiter habitus operativus actus boni, quoad totum quod reperitur in illo.

Explicantur, & probantur singula. In primis virtus dicitur *habitus essentialiter*, quia habitus ut sic, seu in communi, per se dividitur in virtutem, & vitium, quia per habitum disponitur, & fit habilis potentia: per virtutem autem facultates naturæ rationalis convenienter disponuntur, sicut per vitium inconvenienter. Ergo virtus est essentialiter habitus. Verbi gratiâ, habitus temperantiæ habet essentialiter, quod disponat, faciliter, & determinet subjectum ad eliciendam operationem moraliter bonam, non minus quàm virtus intellectualis essentialiter tendit ad bonum intellectus, quod est verum.

Unde refutata manet sententia Scoti, qui licèt concedat virtutem humanam esse habitum operativum boni propter torrentem Doctorum; censet tamen bonitatem non esse differentiam essentialem habitus virtutis, sed accidens illius, nimirum relationem in habitu illo fundatam. Unde infert, divisionem habitus in bonum, & malum, non esse divisionem generis in species, sed subjecti in accidentia. Sed id ex dictis refutatum manet, quia virtus moralis est habitus essentialiter inclinans in objectum consonum rationi: maximè quia illa relatio conformitatis, quam habitui superaddit, supponit virtutem, quia nisi habitus in bonum propenderet, minimè relatio illa resultaret: ergo relatio illa non virtutem constituit, sed constitutam supponit.

Secundò dicitur item virtus habitus operativus actus boni; quia omnis perfectio superaddita alicui potentiæ, attemperatur exigentiæ, & conformatur naturæ ipsius. Ergo sicut facultates naturæ rationalis sunt operativæ, ita & virtus est similiter operativa. Ex quibus refellitur sententia Durandi asserentis, habitum virtutis nihil producere ejus, quod est in actu bono, sed dispositivè tantùm se habere, removendo impedimenta, quibus retardatur facilitas agentis: sed hoc non sufficit, quia ut dictum est, complementum potentiæ activæ perficiens potentiam in genere causæ effectivæ, activum esse necesse est.

Tertiò dicitur virtus operativa actus boni quoad totum, quod in ipso reperitur; quia cùm potentia rationalis sit productiva actus, nedum in genere entis, sed etiam in genere moris, ut perfectio sit conformis exigentiæ sui perfectibilis, oportet quod habitus utramque rationem attingat. Licèt enim potentia possit se sola & substantiam, & moralitatem actus attingere, non tamen promptè, faciliter, & expeditè. Actus etiam non solùm est difficilis, quia bonus est moraliter; sed etiam in esse physico arduus est. Verbi gratiâ non sola bonitas actus temperantiæ difficilè efficitur, sed ipsa etiam entitas actus repugnat sensualitati: cujus repugnantiæ vincendæ deservit habitus, qui nec virtutis nomen meretur, nec rationem habet, nisi bonos fundatur in actus, ut antea diximus, & iterum inculcare placet; quia ut ait August. lib. 4. contra Jul. cap. 3. *Nullo modo homines sunt steriliter boni; sed qui boni non sunt, possunt esse alii minus, alii magis mali.*

Unde virtus, quæ nihil agit, similis est lyræ, quam nemo pulsat; gladio, qui nunquam exercitur ut fulgeat; navi otiosæ, quæ semper consistit in portu. Vera autem virtus similis est agro pleno, quo nihil pulchrius, cùm seges fluctuat, cùm poma rutilant, cùm uvarum serta dependent, cùm baccis onusta virescit olea, & viridanti gramine montium vertices, & collium humilia vestiuntur.

Ex quibus refutata manent plurima multorum placita, quorum alii existimant habitum concurrere dontaxat ad intensionem actus, confortando potentiam ut pleniùs, & vividiùs operetur. Sed hoc rejitur, quia existente habitu possumus elicere actum minùs intensum eo, quo productus est habitus; nec tenemur secundùm totam illius latitudinem operari, cùm habitibus utamur prout volumus.

Alii cum Scoto censent, habitum concurrere solùm ad substantiam actus. Sed hoc sine negotio rejicitur, quia actus assimilantur habitui; unde sicut actus bonus est tendentia in objectum bonum; ita sub eadem ratione illum producit habitus, qui proinde non minùs bonitatem efficit quàm entitatem.

Vasquez arbitratur habitum ad solam facilitatem concurrere: quod rejicitur, quia habitus non reddit facilem actum, nisi quia dat potentiæ virtutem completam ad speciem, tam physicam, quàm moralem producendam: si enim potentia ad utramque esset abundè completa, facilè actum illum eliceret, ut pater in potentiis naturalibus, quæ non egent habitu, quia sunt ad actus instructissimæ: ergo similiter si facultates naturæ rationalis essent sufficienter ad actus bonos aliciendos apparatæ, non indigerent habitus addidamento facilitatem conferente. Maximè quia virtutes non distinguuntur penes diversam facilitatem, sed per multiplicem moralem bonitatem, quam efficiunt in actibus, & respiciunt in objectis.

Suarez denique contendit, virtutem non concurrere ad intensionem actus, sed ad solam substantiam, & bonitatem. Sed refellitur, quia habitus non parum confert, ut potentia promptiùs & expeditiùs in actus intensiores prorumpat; habitus enim, & potentia sibi mutuò opitulantur in ordine ad actum intensiorem, quia per modum unius totalis causæ concurrunt: & sicut habitus tribuit potentiæ posse facilè

facilè attingere actum, ita potentia tribuit habitui vim attingendi actum intensiorem propter influxus indivisibilitatem. Uno verbo omnes illæ sententiæ refelluntur, quia ut ostendimus, habitus concurrit ad totum, quod in actu est, quia licèt potentia se solâ totum posset quod est in actu efficere, non tamen completè, & perfectè sine habitu, quia si id posset, habitu minimè egeret: per quod differt habitus naturalis à supernaturali; nam potentia se sola neque perfectè, neque imperfectè potest actus supernaturales elicere, nisi infusis sit ornata virtutibus, quæ propterea dicuntur dare simpliciter posse, sicut habitus naturales dant faciliùs operari.

Quares quid sit facilitas in actu?

Respondeo, id meliùs experientiâ percipi, quàm verbis declarari: & præsertim in actibus bonis mallem sentire facilitatem, quàm scire ejus definitionem, quam revera soli norunt, qui eam sentiunt viri sancti, qui (ut ait Scriptura) induunt fortitudinem, assumunt pennas ut aquilæ, volant, & non deficiunt; in qua facilitate, & promptitudine solida devotio posita est, ad opera sancta proclivis, vitæ spiritualis condimentum, virtutum flos, charitatis flamma, Christique bonus odor, quo perfusi viam mandatorum currimus, nec fingimus laborem in præcepto.

Nonnulli arbitrantur facilitatem illam actualem, & desiderandam bonorum operum pronitatem, esse modum quendam actui superadditum, à potentia ut affectâ habitu prodeuntem, quo dicitur facilis: & in eo relucet facilitas communicata potentiæ per habitum; quia, inquiunt, omnis actus dicit intrinsecum respectum dependentiæ ad suum principium activum: ergo à diverso principio diversum hauriunt dependentiæ modum: sed potentia ut habitu instructa, est principium distinctum à seipsa nudè sumpta: ergo in actu procedente à potentia virtute decorata est aliquis modus, qui non reperitur in actu procedente à potentia nudata virtutibus. Alii verò hac ratione non urgeri se credunt; quia, inquiunt, effectus formalis habitus est complere potentiam, & tollere difficultatem, quam patitur ob intrinsecam indifferentiam, & indeterminationem quam habet in ordine ad exercitium, unde oritur retardatio, & difficultas: sed id præstat habitus inclinando potentiam ad operationem, quia virtus est essentialiter ipsa facilitas; & ejus effectus formalis est reddere potentiam promptam, & expeditam, necnon inclinatam, & propensam ad actum promptè, & expeditè eliciendum; ex qua propensione continuò, & veluti sponte fluit actus, qui ideo solùm dicitur facilis, quia potentia à qua dimanat, est perfecta, determinata, & expedita, sicut priùs dicebatur difficilis, quia potentia indeterminata erat, & impedita. Et certè actus potentiarum naturalium, quæ de se sunt omni complemento instructæ, nec indigent habitus accessione, dicuntur faciles, quia à potentia completa proficiscuntur: igitur facilitas, vel difficultas actus non est modus ullus adventitius, sed denominatio extrinseca à potentiæ determinatione, vel indeterminatione respectivè petita, ratione cujus actus dicitur facilis, firmus, constans, delectabilis, connaturalis.

Denique nihil relucet in actu ex habitu, quod non reluceat in actu causante habitum, cùm habitus generet actus similes iis, quibus genitus est: in actibus autem habitum generantibus nullus facilitatis modus elucet; unde eatenus ambo distinguuntur, quatenus alii à potentia completa, alii ab incompleta derivantur.

Probabilis utraque sententia, sed in tam levi dissidio componendo, vel decidendo non immoror, judicium sit penes Lectorem. Si autem secundæ sententiæ adhæreas, respondebis argumento primæ distinguendo consequens: à diverso principio diversum hauriunt dependentiæ modum, si illud principium diversum sit tantùm complementum potentiæ, & detur ad idem producendum, ad quod potentia est instituta, nego; quia totum quod est in effectu, utrique respondet: si illud principium non sit complementum potentiæ, nec detur ad idipsum producendum, ad quod efficiendum nata est potentia, concedo. Sic autem est, quod habitus naturalis est complementum potentiæ, ut potentia est, & illud idem attingit, ad quod attingendum potentia est comparata. Unde habitus naturalis facilitatem quidem accersit potentiæ, sed non actui, nisi quatenus potentiam determinat, roborat, inclinat; per quod distinguitur ab habitu supernaturali, qui non solùm juvat potentiam ut benè agat, sed eam ad aliquid efficiendum evehit, quod est extra sphæram facultatis creatæ; modum intelligo supernaturalitatis, cui eliciendo tota natura est impar.

Quares rursum, quid per se primò respiciat habitus virtutis, num entitatem, num actus honestatem, seu moralitatem.

Respondeo habitum virtutis per se primò respicere actus bonitatem, seu moralitatem tanquam terminum formalem; secundariò verò ejusdem entitatem tanquam terminum materialem, quia habitus est per se, & essentialiter in genere moris, cùm sit ad benè moraliter operandum essentialiter ordinatus: ergo primò per se, & essentialiter actus moralis honestatem respicit, & producit.

Dices: Ergo deficiente actus moralitate, vel factâ impossibili, evanesceret habitus, vel saltem in nullum actum prosiliret; hoc dici nequit, nam charitas, quæ nunquam excidit, actus amoris in patria producit, & egressu faciles, & perfectione consummatos; qui tamen morales non sunt, cùm libertate careant, cui moralitas subnixa est: ergo moralitas actus non est proprius, & characteristicus habitus operativi effectus.

Respondeo, actus amoris in patria ab habitu charitatis elicitos eodem modo esse morales, quo humani sunt; sed quocunque tandem modo dicantur tales, hoc unum certum est, amorem patriæ nedum honestum, sed cumulum esse, & coronamentum honestatis, ac proinde ab habitu virtutis effluere, qui honestatem primariò respicit, primariò producit. Nec obest, quod amor ille non sit actus humanus, liber, & moralis; quia ut aliàs dictum est, actus ille humanus est, subindeque moralis, si non formaliter, saltem eminenter; quia non est necessarius ob ligamen arctatæ potentiæ, ut contingit in omnibus indeliberatis; sed ob plenitudinem voluntatis, quæ summo bono satiata, felici necessitate ei connectitur, cui adhærere bonum, & summum bonum est; nec ad illud cæco fertur impetu voluntas, sed lumine gloriæ, & beata visione præeunte illum amat, quo se videt impleri; vinciturque indifferentia cordis humani, non injectis vinculis, sed præsentiâ boni universalis explentis, & inundantis libertatis capacitatem.

Addunt alii illud interesse discrimen virtutes theologicas inter, & morales, quod quia prioribus modum præscribit, præfinitque prudentia, quæ est proxima moralitatis regula, ideo aliquid morale tanquam speculativum respiciunt, quo deficiente deficiunt: posteriores verò, seu theologicæ, cùm per se sint

sint à regulis morum immunes, vel meliùs, sint supra omnes regulas, & modos à prudentia præfinitos, non respiciunt per se primò aliquid morale, sed in Deum unicè feruntur, cujus veritati fides, cujus fidelitati spes, cujus bonitati charitas adhæreścit, ejusque modus est esse sine modo. Nec sequitur, habitum charitatis viæ, vel distingui ab eo, qui est in patria, vel saltem aliquo modo, vel realiter affici, quibus possit moralitatem efficere: non sequitur, inquam, quia licèt habitus charitatis non contineat formaliter moralitatem, eam tamen continet eminenter, & illam potest actui impertire, si aliunde habeat libertatem. Hæc secunda responsio formulis Scholæ magis est fortassis consentanea, prima verò clarior est, & expeditior.

Quæri hîc solet, utrum actus à virtute procedens possit aliquâ circumstantiâ infici, & pravitatis labe sordidari. Sed hæc controversia ex his, quæ tomo superiori operosiùs de mixtura boni, & mali in actibus moralibus disputata sunt, abundè manet elucidata.

Reflexio.

Virtus est habitus operativus, *& nihil est aliud actus virtutis*, inquit S.Thomas, *quàm bonus usus liberi arbitrii.* Ergo te nudum virtutibus, Lector, fatere, & miserum, & miserabilem, si torpentem animum tuum, ac terræ inhærentem, ad rectè operandum nec impellunt minæ, nec præmia invitant. Splendeas licèt scientiarum ornatu, emineas etiam signorum gloriâ: si bona opera nec benè, nec crebrò elicis, arbor es arida, excidenda citò, & in ignem mittenda; quia ut ait Gregorius lib.1. dial. cap.12. *vita vera existimatio in virtute est operum, non in ostensione signorum.* Auro te licèt, & margaritis gemmisque condecorea, sine Christi decore, qui virtus est, deformis es. Referta sit nummis arca tua, affluant divitiæ, redundent horrea frumento, & cellaria vino; sint palatia tua composita, circum ornata ut similitudo templi; sint promptuaria plena, eructantia ex hoc in illud; sint oves tuæ fœtosæ, abundantes in egressibus tuis, boves que crassæ: beatum te dicant cui hæc sunt; reapse tamen & pauper es, & indigus, & egenus, si virtutibus orbaris; quia, ut tradit Augustinus lib. de vit.beat. *Et major, & miserabilior egestas nulla est, quàm egere sapientiâ.* Favet Gregorius hom.15. in Evangelium: *Fallaces sunt divitiæ, quæ nobiscum diu permanere non possunt: fallaces sunt, quæ mentis nostræ inopiam non expellunt; solæ autem divitiæ veræ sunt, quæ nos divites virtutibus faciunt.* Virtus ad operandum & ciet fortiter, & inclinat suaviter; & tu dormis? & tu somnos capis matutinos? & tu voluptatum pestiferâ dulcedine distineris ac diffluis, cui præcepit Spiritus sanctus, quæcumque possunt manus tuæ, instanter agere; & dum tempus habes, bonum operari. An nescis, quod ut ait Fulgentius serm.1. de dispensationibus Domini: *Etsi non possunt omnes arbores æquales fructus afferre, nulla tamen debet in agro dominico sterilis permanere?* An ignoras ficum non ferentem fructus, terribili Salvatoris iræ, & diria execrationibus subjacuisse, & arefactam interiisse?

Sed enim, inquis, asperæ sunt virtutum semitæ, duta cum concupiscentiâ lucta, arduumque, ac salebrosum iter honestatis. Ita planè, sed non credis, quod regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Disce à Paulino epist.38. *Quod premium gloria virtus capere, nisi victrix non potest, non habitura victoria facultatem, nisi cum aliqua prius difficultate certaverit.* Nunquid legisti in aureo libro de Imitatione Christi, qui semper piorum manibus teritur, & occu-

lis obversatur: *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris.*

Quin etiam vide quàm fallaris: duræ tibi videntur semitæ pietatis, quia virtute cares; ipsa namque virtus difficultatem vincit, facilitatem conciliat, suavitatem infundit, concupiscentias frenat, cor inungit, cœlestique dulcedine arctæ vitæ amaritudines condire non cessat. *Si modicam*, inquit Thomas à Kempis lib.1.cap.11. *violentiam faceremus in principio, tunc postea cuncta possemus facere cum levitate, & gaudio.* Maximè quia amor Dei, qui est forma virtutum, nullam invenit difficultatem, vel si invenit, sine mora vincit. *Nihil est tam durum, atque ferreum* (inquit Augustinus de moribus Eccl. cap.22.) *quod non amoris igne vincatur, quo cùm se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera & admiranda volitabit pennis pulcherrimis, & integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur.* Et certè si tantus est impetus animæ nostræ, ut ad ea, quæ diligit, indefesso cursu per immania quæque tendat, argumento sanè nobis est, quàm sint omnia perferenda, ne deseramus Deum, si tanta homines, ut Deum deserant, suaviter perferunt. Ergo à Deo divinam postula virtutem amoris, si vim refugis sentire laboris. *Nullo modo enim sunt onerosi labores amantium* (inquit Augustinus lib. de bon. viduit. cap.21.) *sed etiam ipsi delectant: nam in eo quod amatur, aut non laboratur; aut si laboratur, & labor amatur.* Considerес (addit lib. de nat.& grat.c.69.) *non potuisse divinitus dici: Mandata gravia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus, cui gravia non sunt. Quomodo enim est grave, cùm sit dilectionis mandatum? Aut enim quisque non diligit, & ideo grave est; aut diligit, & grave esse non potest.* Succinit ejus discipulus Aquinas 1. 2. quæst.3 2. art.6. *Omnia, quæ facimus, vel patimur propter amicum, delectabilia sunt, quia amor præcipua causa delectationis est: omne enim amatum* (addit ad 3. *sit delectabile amanti, eo quòd amor est quædam unio, vel connaturalitas amantis ad amatum.* Igitur per virtutes elige illud verum, & unum bonum, quò feratur tota voluntas, quæ in plures distenta dividebatur. Delectare in Domino, & citò in bona opera prorumpes, delectatio quippe omnium motuum origo est: & sicut, teste Augustino lib. 22. contra Faust. c.28. *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret:* ita si te virtutum ope delectant licita, si te delectet totius consolationis Deus, absque negotio paries fructus honoris, & honestatis, quia ut idem Pater in expositione Epistolæ ad Galat. docet: *Quod amplius nos delectat, secundùm id operemur necesse est.* Et iterum: *Manifestum est certè secundùm id nos vivere, quod sectati fuerimus: sectabimur autem quod amplius dilexerimus.*

Speculatio II.

Intellectum, voluntatem, & appetitum sensitivum, quà rationi subjectum, perfundere potest eximius variarum virtutum apparatus.

Explicatâ essentiâ, & notione virtutis, subjectum ejus interpretamur, quod ad ejus naturam penetrantiùs vestigandam non parum manuducit. Sed illud in primis supponimus, virtutem nec in potentiis merè naturalibus, nec in membris externis, nec in sensibus internis secundùm se spectatis, & ex instinctu naturæ operantibus ullatenus reperiri. Quia nimirum omnes illæ facultates nullo modo sunt ad benè, vel malè agendum indifferentes, sed unicæ sunt actioni, unico agendi modo alligatæ; si enim recta

& integra fit qualitatum naturalium conftitutio, femper benè agent; fi mala, vel viriata, malè femper & vitiosè. Unde ex frequentia actuum per fe majorem facilitatem non acquirunt, fed ad fummum per accidens, non generatione ullius habitus, fed remotione impedimentorum; quatenus illæ potentiæ exercent operationes fuas mediis qualitatibus naturalibus, calore, frigore, fpeciebus ab objectis impreffis; pro quarum meliori, vel deteriori difpofitione magis, vel minùs funt ad operandum expeditæ. Sic potentia nutritiva faciliùs cibos concoquit affuetos, infolitos ægrè digerit; quia ficut ab affuetis non fit paffio, ita ab ioaffuetis turbatur naturalis habitudo. Sic inftrumenta etiam externa ufu fiunt politiora, & aptiora: fic quævis organa otio torpentia & veluti obftupefacta, ufu excitantur, atque ad agendum propelluntur: fic aves nonnullæ iteratorum verborum fpecies retinentes, ad loquendum inftituuntur; fed his voculis affuetæ, nec liberè garriunt, nec quæ loquuntur percipiunt. Hoc fuppofito videamus, quomodo intellectos, voluntas, & appetitus fenfitivus, virtutis fedes, ac fubjectum effe poffint.

Primum virtutis fubjectum intellectus.

Primò quidem de intellectu res eft facilis; cùm enim intellectus habeat indifferentiam, non quidem libertatis, fed perfectibilitatis, & fit indifferens ad intelligendum benè, vel malè, fæpeque objectum attingat fub ratione falfi, vel verifimilis, procul dubio indiget habitu & virtute intellectuali, ut inclinetur, determinetur, ac firmetur in affequutione, & poffeffione veri, & cognitione habitudinis prædicati cum fubjecto: difficilis namque eft inquifitio, & multò magis intentio veritatis, quæ licèt per fe luceat, tantis tamen tenebris obvolvitur animus, in tot præjudicia affectuum corruptione diftrahitur ratio, adeoque multiplici adulterantium probabilitatum colore veluti pigmentorum illita falfitas perfæpe fucatur, ut nifi virtutum intellectualium ope muniremur, veritatem citò, nec promptè, nec fine alicujus permixtione erroris addifceremus.

Illud porrò fciendum, habitus intellectuales, virtutis fimpliciter talis nomen nec revera mereri, nec à Theologis hactenus obtinuiffe. Cùm enim veritas naturalis, ad quam inclinat, fæpè nimis vitio voluntatis compatiatur, habitus intellectualis, quo veritas acquiritur, non facit fimpliciter bonum habentem, fed fecundùm quid, & cum addito, putà bonum Philofophum, bonum Oratorem: nomen quippe virtutis ad fignificandum rectitudinis moralis principium impofitum eft, quanvis deinde ad fignificandam quamlibet aliam etiam phyficam rectitudinem tranflatum fit.

Hinc tam follicitè præberi fibi cor humanum petit Deus, tanquam præcipuum, & ferè unicum hominis bonum: hinc pax hominibus bonæ voluntatis denunciatur: hinc tefte Bernardo lib. de grat. & liber. arbit. *Creati quodammodo noftri per liberam voluntatem, quafi Dei efficimur per bonam voluntatem.*

Hinc, tefte eodem Patre, nihil odit, aut punit Deus quàm propriam voluntatem. *Ceffet voluntas propria*, inquit, *& infernus non erit*: eft autem voluntas perversè propria, cùm non eft communis Deo & hominibus; fed eft noftra tantùm, quando nimirum quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, fed propter nofmetipfos facimus, propriis intendentes fatisfacere motibus animorum.

Hinc exigua in fpeciem opera de promptæ voluntatis thefauro manantia, apud Deum grandia funt, & ut ait Magnus Leo ferm. 2. *Nunquam merito caret etiam in tenui facultate bona voluntatis opulentia.* Quin ipfa efficacis voluntatis defideria Deo accepta funt, fi procedant de corde bono & optimo: & effectu fine culpa dum carent, nullâ tamen mercede fraudantur. *Mens boni ftudii, ac pii voti*, inquit Salvianus initio de provid. *etiamfi effectum non invenerit cœpti operis, habet tamen premium voluntatis. Cùm tamen non poffumus, quantum volumus operari* (addit Gregorius hom. 16. in Ezech. & 5. in Evang.) *omnipotenti Deo occulta emoris noftri fuffi iunt. Ante Dei oculos nunquam eft vacua manus à munere, fi fuerit arca cordis repleta bona voluntate; nihil quippe offertur Deo ditius bona voluntate.*

Dices: Prudentia eft virtus intellectualis, cùm ejus fit dirigere, benè confiliari, & imperare; imò eft regina, & auriga virtutum moralium: ergo datur habitus intellectualis perfectam virtutis rationem obtinens.

Refpondeo quod licèt intellectus fecundùm fe fpectatus non fit capax nifi virtutis fecundùm quid; tamen prout movetur à voluntate poteft effe fubjectum virtutis fimpliciter, & tendere ad bonum morale, quod eft objectum virtutis. Sic prudentia refpicit verum non fpeculativè, & fub ratione conformitatis ad rem enunciatam, fed prout eft confonum appetitui recto: quod ex eo magis patet, quod interdum in difcurfu prudentiali poteft effe falfitas fpeculativa, & ignorantia tecta, ut quando Jacob fic arguebat: Licitum eft accedere ad fuam: Lia eft mea: ergo. Ubi minor erat falfa per ordinem ad rem enuntiatam, non tamen per ordinem ad appetitum rectum.

Voluntas fecundum virtutis fubjectum, fed non in ordine ad bonum proprium.

Secundò certum eft, virtutes voluntati effe neceffarias, tum in ordine ad bona fupernaturalia quæ excedunt proportionem voluntatis, tum ad promptè amandum bonum alienum ordinis naturalis: licèt enim illud bonum fit rationi confonum, tamen quia amor fui, qui prima hominis perditio fuit, femper in homine dominatur, in juftis quoque ad agonem perfeverat, & tam fubtiliter, tam callidè, tam gratè infidiatur, ut opera cuncta pervadat, intentiones fecretiores corrumpat, amorem Dei fæpè mentiatur. Unde dixit Philofophus: *Amabile bonum, unicuique autem proprium.* Inde eft, quod ad depurandum, vincendumque amorem neceffaria eft virtus juftitiæ, eique affines, ut non obftante proprii amoris pondere, alienis etiam utilitatibus confulamus. Iioò tam infitum eft, tam affectibus noftris inseminatum concupifcentiæ virus, ut ad illud penitus evacuandum non fufficiat virtutis moralis ftudium, nifi gratia virtutum cooatus & præveniat, & roboret, & confirmet, ut alibi dicemus. *Licèt*, inquit Bernardus ferm. 2. in cœn. Dom. *damnationem abftulerit Chriftus, tamen ad humiliandos nos concupifcentiam adhuc patitur vivere in nos, & graviter affligere nos, ut fentiamus quid nobis gratia præftet, & femper illius auxilium requiramus.*

Docet tamen S. Doctor *quæft. 1. de virtut. artic. 5.* voluntatem nullâ indigere virtute fuperaddita ad attingendum bonum rationis proprii fuppofiti. Ratio eft: cùm habitus ad hoc fit duntaxat ordinatus, ut potentiam ulnimò compleat, determinet, & faciliter, in illa folùm potentia opus eft habitu, quæ non eft proportionata, determinata, completa, & expedita ad objectum bonum: atqui voluntas eft proportionata, determinata, completa, & expedita ad attingendum bonum rationis, faltem privati; cùm

cùm enim voluntas sit ipsamet inclinatio rationalis, seu inclinatio in bonum rationis, vel ad nullum, vel ad proprium bonum inclinatur, nec indiget alio, quo inclinetur; quia quod est per se tale, non indiget fieri tale per aliud, maximè cùm proprii suppositi bonum nihil habeat excedens proportionem, aut vires voluntatis, unde non est per se difficile voluntati: virtus autem non nisi ad vincendam difficultatem ex natura, seu arduitate objecti petitam exigitur. Ergo voluntas non indiget virtute superaddita ad prosequendum bonum proprium; benè tamen ad attingendum bonum alienum, à cujus prosequutione vel retardari, vel omninò diverti potest voluntas per aliquid in se existens, inclinationem nimirum in bonum proprium, quæ est primum vivens, & ultimum moriens, quæve sæpe bono alieno adversatur.

Dices, voluntas non est sufficienter completa ad attingendum bonum rationis; tum ob ingenitam ad bonum, & malum indifferentiam; tum ob intimam in bonum delectabile, quod sæpè honesto adversatur, propensionem: tum quia si vitii capax est voluntas post repetitos actus peccati, quidni subjectum virtutis contrariæ esse poterit? Tum demùm quia voluntas naturam, & conditionem intellectus sequitur, modum agendi imitatur, & eadem proportionaliter habituum supellectili instruitur. Intellectus autem ad attingendum quodcumque verum indiget habitu virtutis, etiam ad prima principia; ad speculativa habitu intelligentiæ, ad practica synteresi: ergo similiter ad quodcumque bonum obtinendum accessione virtutis opus habet voluntas.

Respondeo virtutem non dari ad tollendam, vel ligandam indifferentiam, quæ est de essentia libertatis; sed ad eam in unam partem, bonam nimirum, inclinandam. Cùm ergo voluntas suapte sit naturâ in bonum rationis propensissima, imò sit ipsamet propensio rationalis, non indiget adventitio illo habitu flectente voluntatem in bonum proprium, cujus amor in intimis visceribus, & medullis voluntatis indivulsè insitus est, estque prima tunica quam induit, ultima quam exuit cor humanum. Nec obest quod etiam in bonum delectabile proclivis sit, quia illud bono honesto proprio subjicere potest; in appetitu quippe rationali, quæ est voluntas, præeminet amor boni rationalis, nec circa hoc patitur illam intrinsecam difficultatem ortam ex excessu, & improportione objecti, sed ex extrinsecis duntaxat impedimentis, & immoderatis passionibus appetitus, qui solus proinde debet virtutibus temperari.

Fatentur tamen nostri Thomistæ, in voluntate ponendos esse habitus continentiæ, & perseverantiæ, ut eam, quam à passionum conflictu percipit, difficultatem evincat; non quòd voluntas non sit satis in proprium bonum inclinata, sed quia ex passionum nebulis, & æstibus pariter, & veluti instillante inordinatum de finibus virtutum judicium; qualis enim unusquisque est, talis & finis videtur ei. Et quia voluntas naturaliter sequitur ductum rationis, ne à ratione perversis præjudiciis occupata in malum apparentis boni specie fucatum præceps ducatur, indiget aliquo continente, & in bono firmante, ut voluntas puram veritatem inter privatarum præjudiciorum tenebras in parte superiore intermicantem inconcussè diligat, & in fide stabilis, & in opere efficax perseveret. Non enim sufficit benè incipere, nisi studeat quis in bono opere perseverare; & in cassum bonum agitur, si ante terminum vitæ defecatur; frustra velociterque currit, qui priusquam ad metas deveniat deficit. Illam autem intrepidam, & immobilem in bono etiam proprio retinendo firmitatem tot passionibus impugnatam, tot privatorum affectuum, & corrupti judicii anteoccupationibus attentatam continentia pugnans defendit, perseverantia coronat. Certè sicut voluntas in medio insidiatorum, in conflictu præliorum est, inter tot tentationum experimenta, & tot hostium certamina nullam sperare posset in congressione victoriam, nisi prædictorum fotet instructa munimine; quia si plerumque navem incautè religatam etiam de sinu tutissimi litoris unda excutit, cùm tempestas excrescit; multò faciliùs voluntatem tot adversarii aut tribulationibus frangerent, aut illiciis mollirent, aut tædio tandem fatigarent, & ut loquitur Gregorius, voluptate cor perforante facilè persuasionis gladius ad intima rectitudinis munimina irrumperet, nisi conscientiæ tobur, & perseverantiæ vigor voluntatem pendulam figeret, infirmam confirmaret.

Ad id quod dicitur, voluntatem non minùs esse capacem virtutis, quàm vitii intra sphæram boni proprii: respondeo esse disparitatem, quia cùm voluntas suapte naturâ in vitia, bono præsertim proprio contraria, propensa nequaquam sit, vitium enim est contra naturam, & rationem; quid mirum si actibus malis generetur in voluntate habitus vitii inclinationem inclinatam inflectens, & pervertens? At verò voluntas in bonum proprium prona est, unde nullo indiget additamento virtutis bonum proprium inquirentis; sed debet sibi permitti, & à passionum turba segregari, ut rationis ductum sponte sequatur; quia nihil est in voluntate, quod possit inclinationem in bonum proprium retardare: si quis verò sit obex, totus se ex parte appetitus tenet, cujus & impetus, & insultus solo continentiæ, & perseverantiæ vigore superabit, & iteratis actibus ad generandum in appetitum sensitivum fortitudinis, & temperantiæ habitum disponet.

Ad id, quod ultimò dicitur de proportione, similitudine, & æquali ornatu intellectus, & voluntatis, cæteris paribus verum est, sed est in hoc puncto discrimen: quia intellectus de se, & ut sic dicam, à nativitate non est in actu primo ad cognitionem veri sufficienter instructus, sed est veluti tabula rasa, indigetque specierum, & habituum supellectile, quâ veritatem assequatur: at voluntas est essentialiter inclinatio in bonum rationis, saltem domesticum; quia vel nihil amat, vel bonum rationi suæ consonum amat; cùm teste Philosopho, *amicabilia ad alterum veniant ex amicabilibus ad seipsum*. Quamobrem repetitis à voluntate virtutum actibus, nullus producitur habitus, sed sola explicatur inclinatio voluntatis, dum in actus funditur; sicut nulla in lapide generatur habilitas, quàmlibet sæpe in centrum projiciatur; nullum accrescit facultati sensitivæ, nutritivæ, aliisque virtutia augmentum per iteratas operationum suarum vices, quia satis sunt ad functiones suas à natura paratæ, satis munitæ, satis, & sæpe plusquam satis inclinatæ.

Scio nonnullos arbitrari, nunquam ex perversorum actuum frequentia, quantaquanta sit, generari pravum in voluntate habitum bono honesto proprii suppositi oppositum, renitente, & impediente intimâ in proprium bonum inclinatione, quam comparant lapidi, qui propriâ naturâ ad motum deorsum propensus, quantumcunque sursum dejiciatur, nunquam tamen ascendendi facilitatem acquiret.

Verùm prior responsio, & solidior est, & experientiæ conformior; plures enim ita corrupti cernimus judicii, adeoque perditæ volũtatis, ut sponte sua in peccatum & labantur, & labi ament, & non labi præ voluptate aggravante non possint. *Tanta est cacitas hominum*, inquit August. lib. 3. confess. cap. 3. *de cacitate etiam gloriantium. Ex voluntate*, addit lib. 8. cap. 5. *perversa facta est libido; & dum servitur libidini, facta est*

consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Lex peccati est violentia consuetudinis, quâ trahitur, & tenetur etiam invitus animus eo merito, quo in eam volens illabitur.

In hujusmodi autem perversorum hominum voluntatibus nullum dari vitii habitum inclinantem in malum, & propensionem nativam in bonum ferè extinguentem, nemo rationabiliter eat inficias. Nec est simile de lapide, quia prævalente propensione ad centrum, semper resistit motui sursum, qui ei semper violentus est; at voluntas assueta peccato, nedum vim non patitur dum peccat, sed non magnam vim pateretur, si sibi à peccato temperaret.

Tertium virtutis subjectum appetitus sensitivus.

Denique admittimus virtutes in appetitu sensitivo, prout natus est obedire rationi. Cujus ratio est, quia appetitus sensitivus in homine virtutis est capax, & indigus. Capax quidem, quia ut aliqua potentia sit capax virtutis, tria requiruntur: primò, quod sit apta moveri & regulari à superiori: secundò, quod non sit uni operandi modo alligata: tertiò, quod sit operis perfecti elicitiva. Appetitus autem sensitivus, prout est in homine, & est à ratione mobilis, & dirigibilis, nec est ad unicum agendi modum determinatus, sed modò juxta rationem operatur, modò exorbitat; & denique opus elicit morali perfectione consummatum, quando passiones irascibilis, & concupiscibilis temperantiâ, & fortitudine ad medium reductæ sunt. Indiget etiam appetitus sensitivus virtutum apparatu, solus namque appetitus difficultatem patitur in exercitio virtutum, quia moderatio passionum voluntatis inclinationi consona est, sed appetitui dura, & difficilis; quam difficultatem virtutes superant, tum efficienter eliciendo actus oppositos passionibus immoderatis; tum formaliter ipsum inclinando, & sui communicatione impertiendo pronitatem in objecta bona. Unde sic breviter formatur discursus: Ponenda est virtus in subjecto capaci, & indigenti: sed appetitus sensitivus, prout est in homine, est capax eliciendi actus virtutum moralium, scilicet passiones moderatas; indiget etiam virtutibus, ut passiones illas ad medium revocet: ergo in appetitu sensitivo resident virtutes morales moderantes timores, & audacias in discrimine vitæ, & cohibentes delectationis libidinem in cibis, & venereis.

Dices: Appetitus sensitivus nequit attingere objectum virtutis, quod est bonum honestum; tum quia objectum adæquatum appetitus sensitivi est bonum sensibile, & delectabile; tum quia appetitus non potest ferri, nisi in bonum propositum à sensu; sensus autem nequit proponere practicè bonum honestum, quod est officium prudentiæ, cujus actus in sensu non invenitur. Tum quia objectum virtutis non attingitur nisi à potentia libera, quæ sit capax bonitatis moralis, & ideo virtus definitur habitus electivus, quia actus virtutis est actus liberæ electionis versantis circa bonum honestum; electio autem est actus voluntatis, non appetitus sensitivi.

Respondeo appetitum sensitivum, ut est in homine natus obedire rationi, posse attingere bonum honestum ex conjunctione ad voluntatem, & imperio rationis intra limites proprii objecti, subindeque ferri posse in bonum honestum singulare. Illud enim naturæ ingenium est, ita rerum ordines infibulare & mutuis catenis alligare, ut inferiora ad superiorum, quibus immediatè subsunt, perfectiones accedant, easque exprimant & imitentur, secundùm celebrem illam Dionysii maximam: *Supremum infimi attingit infimum supremi.* Unde sicut in perfectioribus plantis quædam relucet imitatio sensus animalibus proprii, & in nobilioribus animantibus splendent humanæ rationis ac prudentiæ vestigia; sic à fortiori appetitus sensitivus in homine dotes voluntati eximias sin exscribere, saltem adumbrare facilè potest, cùm sit omnium sensitivarum facultatum suprema, & voluntati intimè conjuncta. Unde fit, actus appetitus in homine participare libertatem, nedum extrinsecam, quatenus potest à ratione vel imperari, vel impediri; sed etiam intrinsecam, licèt imperfectam, & ex conjonctione ad rationem, & ex influxu voluntatis ipsum applicantis.

Nec obest, quod appetitus dirigatur cognitione sensus: non obest, inquam, quia ipsa cogitativa, quæ appetitum dirigit, ex unione ad rationem participat etiam indifferentiam ad discernendum unum ab alio, & potest attingere bonum spirituale singulare, saltem implicitè, & in actu exercito: docet enim D. Thomas 2. 2. *quæst.* 49. *art.* 2. cogitativam posse cognoscere minorem syllogismi prudentialis, & consequenter conclusionem; ac proinde in virtute majoris potest intellectus movere appetitum ad illud bonum honestum, quod cogitativa in actu exercito apprehendit; licèt ipsum nequeat in actu signato, & speculando investigare. Ex quo fit, appetitum in homine immediatè quidem per sensum dirigi, mediatè tamen à ratione, & prudentia in ea existente regulari.

Ex quibus etiam patet ad ultimam probationem; nam per illud libertatis intrinsecæ stillicidium ex conjunctione, & influxu voluntatis, & rationis in appetitum derivatum, convenit etiam appetitui quædam imitatio electionis; unde virtus in eo residens habitus electivus meritò dici potest, & quatenus elicit actum appetitus, in quem derivatur ordo rationis; & quatenus moderatur passiones appetitus, quæ electionem voluntatis perturbent; & quatenus actus appetitus ad mediocritatem redactus, est consummatio electionis voluntatis. Quomodo autem appetitus possit esse subjectum virtutum moralium infusarum, alibi ex professo tradetur.

Id etiam pro solutione multarum objectionum advertendum, quasdam esse virtutes morales, quæ non solùm passiones moderantur, sed etiam alterum respiciunt; ideò eas geminare necesse est, & alteram in voluntate, alteram in appetitu collocare.

Sic humilitas prout importat subjectionem ad Deum, estque pars justitiæ, residet in voluntate; prout verò moderatur ordinatum excellentiæ appetitum, residet in appetitu. Sic liberalitas, & magnificentia, quatenus temperant passiones pecuniam inordinatè amantes, in appetitu inhærent; quatenus verò se extendunt ad alios, in quorum utilitatem sumptus fiunt, in voluntate recipiuntur.

REFLEXIO.

Quid injustam excusationem proferes, quòd malus sis, qui potentias omnes, & singulas invictarum, & invincibilium virtutum munimento vallare potes? An fortè circumstantis nos peccati insidias timebit ratio, quam tegit prudentia, virtus illa oculata, quæ ut ait Bernard. lib. 1. de consider. cap. 8. *inter voluptates, & necessitates media quasi quadam arbitra sedens, utrimque certis limitibus disterminat fines, istis assignans, & prabens quod sat; illis quod nimis demens?* An voluntatem tentabit, concutietve peccatum, quam firmat justitia, quod suum est unicuique

cuique tribuens? An appetitum infrunita turbabit passionum vis, quem innumerabilis virtutum honestas moderatur? Ergo macte animo, Lector, intrepidus resiste, quem fortissimarum virtutum chorus circumagit ut protegat, adest ut pugnet, roborat ut defendat. Nec turberis, ... interdum oneri cedas, vel inter pugnandum saucieris: ne despondas animum, si post justificationem supersunt adhuc, molestéque solicitant insidiantes hostes, nec desint foris pugnæ cum peccatoribus, intus cum perturbationibus. Lenta est enim virtutis operatio, imitaturque naturam dispensantem se incrementis fallentibus? Quid trepidas? quid formidas? quid deficis? Non tibi data est virtutum beatissima copia, ut otieris, sed ut pugnes; quia fœcunda peccatorum radix concupiscentiâ mortificari potest, interfici non potest; & ut ait August. serm.43. de temp. *Quotidie minui potest, finiri non potest.*

Porrò omnes potentiæ virtutibus instruuntur, ut appetitus inserviat voluntati, voluntas rationi, ratio Deo obtemperet, utque tota hominis vita, ut ait Seneca, *unius coloris sit*. Quid justius, quàm ut homo in omnibus potentiis suis Deo serviat? cui nolens servit etiam dum refugit servitutem. Quia, ut ait August. *Serviunt nolentes ejus dispositioni, qui volentes non subjecti sunt ejus præcepto.* Ergo non solùm omnia ossa mea, sed & omnes animæ vires virtutibus ornatæ Deo dicent, *Domine quis similis tibi?* Nec tuam timeo servitutem, quia non tibi necessitas, sed charitas servit; dumque tibi servit, regnat, quia passionibus principatur; & ideo dicitur, quod servire Deo, regnare est. *Vis serviat anima tua caro tua*, inquit Augustinus sermone 41. de verbis Apostoli, *Deo serviat anima tua: debes regi, ut possis regere.*

Speculatio III.

Duplex præcipua proprietas virtutum moralium, mediocritas, & connexio.

Prima probatur ratione (Patrum enim testimonia in reflexione referemus.) Necessitas constituendi medium in aliquo objecto provenit ex eo, quod indiget regulâ & mensurâ, quia nimirum vergere in excessum, vel defectum potest; sicque opus est moderatione rationis, ut in ejus prosequutione nec deficiamus, nec excedamus: sed omne objectum virtutis moralis indiget hujusmodi regulâ, & mensurâ; cùm ejus bonitas consistat in conformitate ad regulas rationis, & legis: ergo virtutes morales consistunt in medio, seu sunt habitus electivi in mediocritate consistentes.

Dices: Sunt aliquæ virtutes, quæ per se ad aliquid magnum, & quasi extremum operandum inclinant; nam magnificentia in extremis sumptibus exercetur: virginitas ab omni prorsus venere, & carnalis delectationis sensu voluntariè abstinet: humilitas omnibus, & semper se inclinat, nec locum satis infimum reperit, quò se dejiciat: pœnitentia irremediabilibus lacrymis peccata deflet. Ergo virtutes morales in mediocritate non consistunt.

Respondeo virtutes illas enumeratas absolutè quidem, & magna ex parte respectu objecti quasi extrema operari; in illis tamen mediocritatem à ratione præstitutam servare. Verbi gratiâ, magnos thesauros effundit magnificentia; sed in ordine ad Dei gloriam, vel regni sui splendorem eos Rex sine excessu sumptus facit. Virginitas etiam omnes voluptates rejicit, & omnia arbitratur ut stercora; sed hoc proportionatum est amori & contemplationi Sponsi cœlestis: excessu tamen vel nimiæ macerationis corpus in servitutem redigentis, vel nimiæ solitudinis specie tuendæ virginitatis, & alios similes moderatur. Quod idem dic de humilitate animum quidem deprimente, & exteriores humiliationes exercente: fatuitates tamen, quas aliqui specie humilitatis affectant, rejicit, & tanquam indignas christiana gravitate aspernatur. Idem etiam de pœnitentiâ liquet, quæ licèt propter amorem Dei summè dilecti sine modo doleat voluntariè, sensibilem tamen dolorem nimium, nimiam etiam corporis castigationem temperat. Unde prudentissimus Paulus incestuosum pœnitentem abundantiori tristitia absorberi non vult, imò præcipit ut ei donetur, eique fiat objurgatio consolatione temperata, ut patet 2.*Cor.*2. Quod observari velim ab illis austeris animarum, non tam rectoribus, quàm tortoribus; confessariis, inquam, imprudentissimis, qui pœnitentes erubescentes, & pudore perfusos opprimunt, non actarum Evangelii maximarum sacro, & nunquam desetendo rigore; sed verbis duris, incondìtis, imperio, & impatientis animi cacozelo refertis. Quantò melius Samaritani à Veritate laudati charitatem æmularentur, qui sauciati plagis vinum effudit, & oleum: vinum forte, & robustum inviolatæ Ethicæ Christianæ, nullis corruptelis perviæ; sed oleum eloquiorum dulciorum super mel & favuum: vinum expurgans laxitatum putredinem; oleum ingerens spiritus dulcedinem: vinum pungens, ut timeant; oleum leniens, ut magis ament quem formidant Deum. Cogitent confessarii se illius personam gerere, qui simul & arctam viam prædicavit, & quotidianam crucem injunxit; vim sibi inferre præcepit, & simul omnes laborantes à se reficiendos ad se vocavit, & vicariis suis tam humanè, & amantet dixit: *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Porrò hac appendice absit ut eos carpam, qui & absolutionem in peccata recidentibus denegant, & incorruptas sequuntur Ecclesiæ leges: quin illi, sicut Dei lumine, & prudentiâ spiritus perfusiores, ita & mansuetudine mitiores esse solent.

Sed illud observandum, quod quia objectum justitiæ est indivisibile, nec potest ullâ omninò circumstantiâ variari, cùm de ejus ratione sit, ut tantum reddatur quantum debetur, si fieri potest; ideo medium justitiæ dicitur medium rei, faciendo æqualitatem rei ad rem; æqualitatem, inquam, vel quantitatis ad quantitatem, vel proportionis ad proportionem. Primam servat justitia commutativa, mutuanti decem nummos decem pariter reddens: secundam servat justitia distributiva, dans cuique non æqualiter, sed juxta meritum, & dignitatem: verbi gratiâ habenti meritum ut unum, præmii gradum unum largitur: habenti verò meritum ut decem, totidem præmii gradus impertitur: at verò aliæ virtutes dicuntur consistere in medio rationis, quia earum objectum non est ita fixum, ut variari non possit pro loco, tempore, personâ, aliisque circumstantiis ad arbitrium boni viri, & prudentis. Verbi gratiâ in objecto temperantiæ non potest rigidè & strictè præscribi omnibus, & singulis eadem victus, sed diversa pro diversitate temporis, complexionis, status, &c. Similiter in objecto fortitudinis non potest una, & certa regula præfiniri in aggressione, & fuga observanda; sed eximiâ prudentiâ opus est.

Dices: Etiam justitia servat, & respicit medium rationis; actus enim justitiæ, non secus ac aliarum virtutum, debet ad rationis regulas exigi, ut debitum suo tempore, & loco, & purâ satisfaciendi intentione reddatur.

Respondeo ita esse; non enim denegamus justitiæ medium

medium rationis ex generali virtutis moralis ratione illi conveniens; sed ei medium rei addimus ex propria ipsius specie, conditione & charactere.

Observandum rursus est aliud discrimen, quod justitiam inter, & alias virtutes morales intercedit. Nimitum justitia nequit esse media inter duo vitia extrema pertinentia ad propriam materiam, quia nimirum non peccamus contra justitiam dum plus reddimus quàm debemus, sed duntaxat dum minùs solvimus: est tamen media inter vitia pertinentia ad alienam materiam, dum nimitum actus justitiæ vitiantur per illum excessum, quo etiam aliæ virtutes violantur. Verbi gratiâ peccatur contra prudentiam, si solutio fiat præmaturo tempore cum nocumento proprio, ex nimio promptè aliis satisfaciendi desiderio: peccatur contra liberalitatem, si solutio cum prodigalitate fiat, ac nimio excessu, & profusione; & tunc valet illud Scripturæ oraculum, *Noli esse nimiùm justus.* At verò aliæ virtutes morales inter duo vitia extrema propriam materiam concernentia sitæ sunt, quia elici actus vitiosi possunt, sive deficiant, sive intra propriam lineam excedant, ut patet in actu liberalitatis medio inter prodigalitatem, & avaritiam; in actu prudentiæ medio inter imprudentiam, & astutiam, & sic de aliis.

Observandum tertiò, medium etiam in aliis virtutibus quadantenus inveniri. In primis, virtutibus intellectualibus facilè hæc doctrina applicari potest, quia à veritate, quæ est earum objectum, potest quis recedere affirmando plus, vel minùs, quàm res se habeat; unde medium scientiæ, & sapientiæ est medium rei; artis verò est medium rationis à prudentia præfinitum: nam medicus potiones distribuit secundùm prudentiam; & architectus aliter, & aliter ædificat pro loco, tempore, aliisque necessitatibus, & circumstantiis.

Quoad virtutes autem Theologicas docent communiter Doctores, eas non consistere in medio per se, & ex parte objecti formalis, quia ut docent Patres, modus diligendi Deum, est illum sine modo diligere, eumque sine discretione, & termino esse amandum, qui in finem, & sine fine dilexit nos: licèt enim contra Deum possimus deficiendo peccare, si non satis in eum credamus, speremus, amemus; non tamen in iis officiis implendis possumus excedendo peccare nimia fide, spe, dilectione in eum, cujus veritas, virtus, & bonitas sunt infinitæ; unde & beatus dicitur qui in mandatis ejus cupit nimis.

Fatentur tamen iidem Doctores, per accidens posse in illis excessum contingere, si nimirum in earum virtutum actibus eliciendis tempus illud impendatur, quod esset aliis subeundis functionibus insumendum. Intempestivè, verbi gratiâ, sacris contemplationis affectibus operam navaret, quem subveniendi proximo extremè laboranti præceptum fraternæ charitatis urgeret. Charitas namque non solùm flagrare in corde, sed monstrari debet in opere; nec enim verè Deus sine proximo, nec proximus verè diligitur sine Deo. Quamvis enim debeamus amare in creatura creatorem, & in factura factorem, ne teneat nos quod factum est, & amittamus eum, à quo omnia facta sunt; tamen Deum propter Deum sæpè relinquimus, & quos Deum in oratione audire, & in lectione divina discere invitat suavitas veritatis, proximum docere cogit necessitas charitatis. Potest etiam excessus per accidens obvenire, si supra ingenii, vel corporis vires, nimiâ erga divina applicatione vires frangimus, & obsumus sanitati: unde ortum habet gravissimum illud, ac maximè necessarium vitæ Christianæ & spiritalis præceptum, quo monentur infirmi nondum in charitate radicati, ne majora viribus audeant. Nam ut ait Bernardus serm. ad Frat. de monte Dei: *Cùm nullum finem, vel terminum habere debeat devotio amantis; tamen terminos suos, & fines, & regulas habere debet actio operantis.* Et Thomas à Kempis lib. 3. c. 7. *Quidam incauti propter devotionis gratiam seipsos destruxerunt, quia plus agere voluerunt, quàm potuerunt, non pensantes suæ parvitatis mensuram, sed magis cordis affectum sequentes, quàm rationis judicium: & quia majora præsumpserunt, quàm Deo placitum sit, idcircò gratiam citò perdiderunt, facti sunt inopes, & viles relicti, qui in cœlum posuerunt nidum sibi, ut humiliati & depauperati discant non in alis suis volare, sed sub pennis meis sperare.*

Altera virtutum proprietas, connexio.

Secunda proprietas virtutum moralium est quod nunquam perfectè possunt comparari, nisi omnes simul habeantur; unde virtutes morales in statu perfecto intimam habent inter se, & cum prudentia connexionem.

Antequam stabiliatur hæc proprietas, præ oculis habendum est, virtutes morales posse, & debere considerari vel in statu perfecto, vel imperfecto. Tunc habet virtus statum imperfectum, vel quando non pertingit ad rationem habitus etiam quoad essentiam, sed quandam sortitur rationem dispositionis ortæ vel ex naturali temperamenti complexione, vel ex actuum imperfectorum frequentia; vel si essentialem habitus rationem obtineat, solum tamen dispositionis modum habet, quia nondum satis firmiter subjecto inhæret, nec satis altis radicibus nititur.

In his sensibus non intelligitur sententia nostra: non quidem in priori; ex naturali enim insitæ indolis propensione potest quis in unam magis quàm in aliam virtutem esse proclivis: nec etiam in posteriori (quâ in re multi decepti sunt.) Certum quippe est, essentiam virtutis moralis non esse relativam, sed absolutam, sicque ad essentiam unius aliam necessariò non exigi.

Tunc autem dicuntur virtutes habere statum perfectum, vel quando sunt in gradu heroïco, & de hoc etiam non est lis; neque enim necesse est omnes virtutes esse præcellentes: vel quando sunt in gradu convenienti, & consono vitæ honestæ, in quo nimirum firmant animum contra passiones ingruentes, & imminentes peccandi occasiones, pariuntque delectabilem prompti animi suavitatem, quâ victis difficultatum obicibus, expeditè, & alacriter virtutum opera exerceamus: & in hoc sensu intelligitur nostra doctrina Patrum dictis in reflexione referendis prorsus consentanea; & in hoc puncto situm est controversiæ totius momentum.

Ratio autem fundamentalis hujus necessariæ virtutum connexionis sic formatur: Tunc virtus habet statum perfectum, quando inclinat ad promptè, & delectabiliter in propria materia operandum: sed id nequit virtus ulla moralis præstare, nisi adsit virtutum omnium comitatus. Tum quia nisi appetitus sit rectè dispositus circa objecta omnium virtutum, ægrè admodum actus in propria materia exercebit, ob quotidianum occupationum, & tentationum concursum & conflictum, quo virtus vel convelletur planè, vel certè concutietur, nisi aliarum fuerit virtutum satellitio roborata. V.g. quantumvis pudica sit, & casta mulier, si avara sit, vel timida, facilè à pudicitiæ proposito, vel divitiarum illiciis suasa, vel pœnarum minis deterrita avocabitur. Tum

quia

quia non potest esse virtus moralis in statu perfecto, nisi adsit perfecta prudentia, sine qua rectum non erit judicium, & consilium, perversaque subinde erit electio mediorum: atqui non potest esse perfecta prudentia absque omnium virtutum apparatu, quibus absentibus nec appetitus erit rectus circa fines; deficiente autem rectâ finis intentione cespitat prudentia in mediorum eligendorum judicio; nec poterit medium virtutis conservari inter, & adversus innumera, à quibus impetitur, & corrumpitur, nisi contra tot hostes, & circumstans peccatum cæterarum virtutum copiis auxiliaribus virtus quæque muniatur. Ergo intima est, indivulsa, & indissolubilis virtutum in statu perfecto concatenatio.

Dices: si nostra sententia sit vera, non poterit quis habere virtutem in statu perfecto, nisi frequentatis priùs omnium virtutum actibus: debebunt etiam in instanti omnes virtutes comparari, & deperditâ unicâ, cæteræ quæque statum perfectionis deperdent. Hoc autem triplex consequens absurdum videtur, & falsum. Primum quidem, quia actus nonnullarum virtutum, sin nunquam, certè rarò contingunt, quia exercendi occasio non occurrit: sic pauper nequit in actus magnificentiæ, nec conjugatus in actua virginitatis prorumpere. Secundum etiam, quia omnium virtutum actus exerceri simul nec solent, nec possunt. Tertium pariter, quia pereunte unâ virtute, nihil aliis intrinsecum deperit, sicut nihil eis nec quoad extensionem, nec quoad intensionem fuerat ex societate, & conjunctione adjectum: ergo necessaria non est virtutum moralium connexio.

Respondeo virtutes morales esse in duplici genere. Quædam enim sunt ordinariæ, communes, & vulgares, quarum exercitium quotidie, vel frequenter occurrit, ut prudentia, justitia, temperantia, &c. aliæ extraordinariæ, quarum actus à communi usu alieni sunt, & infrequentes earum exercendarum occasiones: tales sunt virginitas, & magnificentia; vel ob circumstantiam intervenientem opus habent difficillimum, & actum exigunt communem, & solitum operandi modum excedentem, & vocantur virtutes heroicæ, non quòd distinguantur specie à communibus, sed quia eminentem perfectionis non communis gradum obtinent; & has eum ordinariis saltem in actu secundo non esse connexas haud inficiamur, cùm sæpius ultra facultatem sit earum actus elicere; quamvis in actu primo connexas esse fateamur, in proxima nimirum dispositione, & animi præparatione, quâ ex virtutis & honesti legibus ita est animus comparatus, ut si per statum liceret, vel si se daret occasio, vel si urgeret præceptum, insolitarum illarum virtutum actus ederet, objectosque emergentium difficultatum obices superaret.

Nemo ergo caussetur, nemo inde excusationem obtendat, quod virtutes rarò occurrentes & inconsuetas non sibi pateat, citò enim obviam venient virtutum saltem principalium materiæ, circa quas si se exerceat vir studiosus, brevi virtutes omnes assequetur; acquisitis enim virtutibus utplurimùm occurrentibus, aptatur animus, & quadantenus fingitur, ac formatur ad cæteras quasque virtutes, quas virtualiter, & quasi in proxima radice aut dispositione, in virtutum cardinalium, seu præcipuarum acquisitione comparavit.

Nec est inconveniens, quod in eodem temporis instanti acquiratur cumularis perfectionis virtutum status; ad quod non requiritur ut omnes simul earum actus eliciantur, sed sat est si successivè id fiat, & tunc ultimâ virtute acquisitâ, omnes statum perfectum obtinebunt, quia vim attingendi promptè, & facilè medii in quacumque materia sortientur, nec ullam ex transverso irruentem molestiam vel non experientur planè, vel certè patientur, vel saltem superabunt.

Non est etiam inconveniens, sed certum prorsus, quod pereunte unâ virtute, imminuitur, & deflorescit cæterarum virtutum nitor, quarum licèt non absumatur, vel ad nihilum redigatur essentia, deprimitur tamen perfectionis earum status, marcescit decor, infirmatur vigor; quia juxta commune adagium, *Virtus unita fortior est seipsâ dispersâ.* Certè sicut cadente fornicis tholo, seu umbilico, nutat, vel rimas agit arcuatum ædificium; & sicut dissolutis copiis, vel dispersis, disturbatisque militibus, imminet exercitui clades; ordinatæ verò, colligatæque intrepidorum militum aciei affulget spes victoriæ: sic divisum spiritale virtutum regnum desolabitur, & unius virtutis interitus aliarum infirmitas est; quia vitium in cor irrepens, dum unam virtutem, sibi nimirum adversam interimit, alias inficit, & debilitat, & earum sensim fundamenta suffodiens, vel eas tandem convellet, vel saltem concutiet; culpa enim culpam patit, & peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit; ac tandem spiritalis resolutio usque ad materiam primam miserabiliter contingit, totius nimirum jactura pietatis, & funestum virtutum omnium naufragium: assimilabiturque anima adhuc vivens cadaveri vitâ functo, quia nullus in ea pietatis sensus, nullus christianæ vitæ spiritus micabit; nihil, quæ Dei sunt, sapiet, recedetque ab ea animæ anima Deus cordis nostri. Intravit autem mors per fenestram unam, quia permisso uni culpæ mortali aditu, sese insinuans peccatum unicam quidem virtutem in principio abegit, seque in ejus locum suffecit; sed aliarum deinde virtutum ruinam paulatim machinatum, honestatis sedem in vas stercorum commutavit; & anima veluti regina vestitu deaurato gratiæ adornata, circumdata virtutum varietate, ancilla effecta est, passionum ligata catenis, & funes peccatorum circumplexi sunt eam.

Instabis: Nihil reale advenit uni virtuti ex conjunctione, & societate alterius: ergo nihil deperit ex recessu illius, subindeque cum illa non erit ipsius connexa perfectio.

Respondeo, non desse qui velint prudentiam in statu perfecto importare modum extensiotis ad objecta omnium virtutum moralium, quem modum ei asserunt, dum eliditur consummatus prudentiæ numeris omnibus absolutæ actus; adduntque alias virtutes in statu perfecto importare modum subordinationis ad prudentiam ita perfectam. Sed eo placito in sua probabilitate relicto, necesse non est ut una virtus ex conjunctione ad aliam recipiat aliquam ex ejus consortio intrinsecam perfectionem, quia satis, supetque acquiritur status perfectus per simultaneam cæterarum virtutum in eodem subjecto existentiam, quâ positâ facilè actus exeret; sicut auriga currum juvante socio faciliùs trahit, & exercitus adauctis copiis promptiùs vincit.

Insistes: Duo hactenus supposuimus, quæ valdè incerta sunt. Primò, quomodo verum est, quamlibet virtutem pendere à prudentia perfecta, cùm ipsamet prudentia pendeat ab omnibus virtutibus, sine quibus rectum judicium non foret in eligibilibus: quin datâ illâ virtutum à prudentia connexione, quid vetat dicere cum Scoto, tot dari prudentias partiales, quot sunt prudentiæ, & quamlibet virtutem posse acquirere suæ veluti lineæ, & sphæræ perfectionem beneficio correspondentis sibi partialis prudentiæ: Supposuimus secundò, virtutes morales rectè disponere appetitum circa finis inten-

tionem; ad quod tamen sufficit congenita singulis in bonum honestum inclinatio, nec finem respiciunt virtutes, quæ sunt habitus electivi; electio enim circa media occupatur.

Respondeo, certissima esse illa duo præsupposita doctrinæ nostræ principia. Quid enim firmius, & verius, quàm virtutes perfectas à prudentia pendere, ejusque directione egere, quæ à Philosopho, *operantis oculus*; à Chrysostomo, *lucerna animæ, & regina cogitationum* appellatur. Et certè non minùs prudentiæ moderamine egent virtutes, quàm Logicæ directione cæteræ scientiæ, quæ tamen sine prælucente Dialecticæ face nequeunt in statu perfecto comparari.

Nec ullatenus inconvenit admittere mutuam prudentiam inter, & cæteras virtutes morales in diverso genere causæ dependentiam, quâ virtutes prudentiæ in genere causæ directivæ, & veluti formalis extrinsecæ subordinentur; prudentia verò aliis virtutibus in genere causæ dispositivæ egeat, quia ut rectum possit, & incorruptum de rebus omnibus, in singulisque negotiis judicium ferre, opus omninò est appetitum circa fines virtutum omnium ornamento rectè disponi: opus est etiam, ut prudentia sit totalis, id est quæ ad materiam omnium virtutum se extendere possit, ut omnia extrema, quibus potest corrumpi medium virtutis, rescindat, quæ extrema per omnia virtutum genera divagantur.

Porrò non ea solùm de causa virtus habitus electivus nominatur, quasi circa mediorum duntaxat electionem tota occupetur, sed quia eam maximè juvat, difficultates operationis frangit, salebras executionis mollit, & lævigat, & ad praxim præcipuè inclinat.

Adde duplicem esse finis intentionem; aliam quâ finis intenditur in communi, & abstractè, ut cùm quis proponit studiosè vivere; aliam quâ quæritur finis veluti concretus, & ad certam materiam determinatus: ad priorem intentionem sufficit rectitudo naturalis, ad posteriorem requiritur habitus virtutis: sed quia hæc secunda similitudinem præfert electionis, rectè virtus circa illam versans habitus electivi nomen sortitur. Per quæ patet responsio ad id, quod contra secundam suppositionem objectum est.

COROLLARIUM. *Virtutes sine charitate nec perfectæ sunt, nec simpliciter veræ.*

Ex his infero, in statu naturæ lapsæ nullas dari simpliciter tales virtutes, nec statum perfectionis obtinere, nisi cum charitate connexæ sint. Tum quia non potest homo in statu elevationis, in quo sumus, esse privatus charitate, nisi peccato mortali infectus sit: perfecta autem prudentia, sine qua diminuta est omnis virtus, cum peccato mortali consistere nequit, nec potest promptè, & integrè in quacumque materia, & eventu, & contra quæcumque impedimenta de quovis negotio judicare; quia corrupto per peccatum appetitu, obscuratur ratio, & judicium depravatur, ut sæpè diximus: corrupto autem judicio perfecta nequit esse virtus, quæ ideo, teste S. Thoma *quæst.55. art.2. ad* 1. assimilatur sanitati, & pulchritudini; quia sicut per istas debitè disponitur corpus ut rectè operetur, unumquodque enim quale est, talia operatur; ita virtus est quædam ordinata animi dispositio, quâ totus homo interior componitur, & disciplinæ rationis subjicitur, ut sanatâ appetitus infirmitate, sanum de rebus judicium feratur.

Tum quia sicut se habent prima principia in speculabilibus; ita fines in operabilibus: unde sicut illa scientia perfectione sui status caret, quia licèt reducat conclusiones in aliqua principia, in prima tamen indemonstrabilia ea resolvere non potest, qualis est scientia subalternata in absentia subalternantis; ita virtutes morales, quæ perficiunt quidem voluntatem in ordine ad fines particulares, non tamen important ordinem subjectionis ad ultimum finem, habebunt quidem essentiam, sed non statum perfectæ virtutis: at sine charitate homo non est rectè dispositus circa ultimum finem; imò est ab eo aversus, à cujus tamen amore ducenda sunt vitæ moralis primordia: ergo sine charitate nulla potest esse simpliciter vera virtus, quia sine charitate deest subordinatio ad perfectam prudentiam, & verum finem, in quem omnes, quæ verè sunt virtutes, collimant: unde virtus, teste Aug. *lib. de morib. Eccl. c.15.* est *ordo amoris*: & *lib.83. qq. quæst.* 30. est *ordinatio, quâ fruendis fruimur, & utendis utimur.* Quia nimirum per virtutem ordinatur amor in nobis, ut exponit S.Thomas *quæst.55. art.1. ad* 4. perversus autem ordo est, qui à Deo virtutum Domino non exorditur, nec eo studet frui summo bono.

In summa, non est virtus nisi benè utamur libero arbitrio; unde sententiosè S. Thomas *q. citata, art.1. ad* 3. dixit: *Nihil est aliud actus virtutis, quàm bonus usus liberi arbitrii.* Non est autem simpliciter bonus usus liberi arbitrii, nisi tendat ad optimum, cùm virtus sit dispositio perfecti ad optimum: optimum autem, ad quod disponi debet homo per virtutem, Deus est, cui assimilari debemus, quive est ultimus finis noster: summa autem assimilatio hominis ad Deum, est secundùm operationem: Deus autem in omnibus operationibus propter seipsum agit: igitur perfectio virtutum omnium est ad eum tendere, illique amore uniri, qui omnium bonorum principium est, & centrum.

Quin etiam non solùm docet S. Præceptor, virtutes non esse perfectas sine charitate, sed nec esse simpliciter veras virtutes, ut videre est 2.2. *quæst.23. art.7.* quia cùm virtus sit dispositio perfecti ad optimum, ille habitus deficit à vera ratione virtutis, quæ est in subjecto, quod non solùm non subordinatur summo bono, sed ab eo positivè aversum est: sine charitate autem homo non ordinatur in ultimum finem, sed ab eo aversus est, non solùm ut authore supernaturali, sed etiam naturali; exigit enim ratio naturalis, ut Deo omnia supponamus: ergo sine charitate homo non est bonus simpliciter & verè, nec ejus opus verè simpliciter bonum. Idipsum magis confirmat S.Magister *in solut. ad* 2. ibi: *Dicendum, quod cùm finis se habeat in agibilibus sicut principium in speculabilibus; sicut non potest simpliciter esse vera scientia, si desit recta existimatio de primo, & indemonstrabili principio: ita non potest esse simpliciter vera justitia, aut vera castitas, si desit ordinatio debita ad finem, quæ est per charitatem, quantumcunque aliqua se rectè circa alia habeat.* Vides S.Doctorem virtutis nedum statum, sed etiam veritatem denegare carenti charitate; sicut nec vera, nec solida est scientia in habente falsam æstimationem de primo principio.

Hanc doctrinam luculenter docet, & ex professo probat variis in locis Augustinus. Nam *lib.1. retract. cap.3.* revocat quod dixerat *lib.1. de ordine, cap.3.* ibi: *Philosophos non vera pietate præditos virtutis luce fulsisse.* Legendus est *lib.4. contra Iul. cap.3.* ubi nostram sententiam elegantiùs quàm dici possit, demonstrat. *Noveris itaque*, inquit, *non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem, quod faciendum est, finis verò propter quod faciendum*

dum est. Vera virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus. Quidquid boni fit ab homine, & non propter hoc fit, propter quod fieri debere vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est. Quia ut deinde tradit, sicut per amorem Creatoris benè quisque utitur etiam creaturis; ita sine amore Creatoris nullis quisquam benè utitur creaturis. Idipsum reperit *lib. 1. operis jam perfecti*, cujus verba mutuatur, & exscribit Concilium Arausic. can. 17. *Fortitudinem Gentilium mundana cupiditas, fortitudinem Christianorum Dei charitas facit, quæ diffusa est in cordibus nostris, non per voluntatis arbitrium, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.*

Quam doctrinam adeò veram existimavit Divinus Doctor, adeoque indivulsam ab amore putavit esse omnem virtutem, ut crediderit, varias virtutes nihil aliud esse, quàm unum amorem varios in motus transfusum, atque in varios affectus mutatum & conversum. *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit* (inquit lib. de moribus Eccl. cap 15.) *nihil omninò esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei. Namque id quod quadripartita dicitur virtus, ex ipsius amoris vario quodam affectu, quantum intelligo, dicitur. Itaque illas virtutes (quæ ita utinam sint in mentibus suis, ut nomina in ore sunt omnium) sic etiam definire non dubitem, ut temperantia sit amor, integrum se præbens ei quod amatur; fortitudo amor facilè tolerans omnia, propter quod amatur; justitia amor soli amato serviens, & propterea rectè dominans; prudentia amor ea, quibus adjuvatur, ab eis quibus impeditur, sagaciter seligens. Sed hunc amorem non cujuslibet, sed Dei esse diximus, id est, summi boni, summa sapientia, summeque concordia.* Et cap. 25. rationem S. Thomæ superiùs allatam sic illustrat. *Sequitur profectò, quoniam summum bonum appetere, est benè vivere, ut nihil sit aliud benè vivere, quàm toto corde, totâ animâ, totâ mente Deum diligere, à quo existit, ut incorruptus in eo amor, atque integer custodiatur, quod est temperantiæ; & nullis frangatur incommodis, quod est fortitudinis; nulli alii serviat, quod est justitiæ; vigilet in discernendis rebus, ne fallacia paulatim, dolusque subrepat, quod est prudentiæ.*

Quomodo ergo in sententia Augustini sine amore Dei posset esse virtus, cùm doceat virtutes nihil aliud, quàm varium esse amoris affectum in non appetendis istis temperantem, in amittendis, & duris simul facilè ferendis fortem, in Dei obsequio justum, & ob hoc benè imperantem cæteris, quæ homini subjecta sunt; & in discernendis iis, quibus juvamur in Deum, ab iis quibus impedimur discernentem? Sicut enim in sententia ejusdem Patris, variarum animæ passionum causa amor est, vel potiùs omnes illi motus sunt amor in varias veluti facies transformatus; amor inhians habere quod amat, cupiditas est; habens quod amat, eoque fruens, lætitia est; fugiens quod ei adversatur, timor est; idque si acciderit sentiens, tristitia est: ita similiter virtutum omnium causa est amor Dei, vel potiùs virtutes sunt amor ipse varios sese in effectus fundens, variasque in formas transfigurans; quia virtutum effectus formalis est animi rectitudo: *Recta autem voluntas est bonus amor; & voluntas perversa, malus amor*, inquit Augustinus. Et epist. 52. *In hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est: id eligere, prudentia est; nullis inde avelli molestiis, fortitudo est, nullis illecebris, temperantia est; nullâ superbiâ, justitia est.*

Scio Scotum, Gabrielem, & Durandum contendere, admitti posse virtutes simpliciter sine charitate. Scio etiam Cajetanum mediam inire viam. *Discretè*, inquit, *in hac materia loquendum est, ne risum gentibus excitemus, & Philosophis stomachum.* Additque, sine charitate reperiri posse in homine veras virtutes, & perfectione humanâ ordinatas, ratione cujus à Philosophis quidem, sed non à Thelogis virtutis nomenclaturâ insigniri possunt. Quia Theologus finem respicit altiorem, utpote supernaturalem; Philosophus verò sistit intra limites naturalis honestatis: & ideò quod secundùm Philosophos est bonum simpliciter, secundùm Theologos bonum duntaxat secundùm quid reputatur. Sicut enim, ait, si medicus videat infirmum secundùm principia artis non moriturum, Astrologus verò ex syderum affectione inferat, eum citò animam acturum, uterque verum dicit, licèt sibi in speciem contradicant, quia uterque mortem futuram, vel non futuram juxta diversæ scientiæ principia prænuntiat: ita similiter Philosophus ex propriis principiis affirmans virtutes studio humano comparatas esse simpliciter virtutes, verum profert; & Theologus id pernegans, verum etiam dicit, propter diversa utriusque principia.

Verùm hæc S. Thomæ, & Patrum sententiæ nequaquam obsunt, nec de delicata Philosophorum teneritudine, cujus tantopere Cajetanus rationem haberi vult, laborandum est; sed eorum potiùs objurganda superbia, quæ propriis juribus & studiis virtutis partum asserens, tanto periculosiùs turgescit, quanto sibi de virtutum specie blanditur. Præsertim quia bona, quæ agere videtur, corrumpit vanæ gloriæ amor; qui autem magis hominum, quàm Dei gloriam quærit, non benè bonum facit, quia non bona voluntate facit. Floccifacienda ergo, vel potiùs miseranda est superborum Philosophorum justitia, ut enim ait August. lib. 3. cont. Jul. & lib. 3. de liber. arb. *Quomodo sunt verè justi, quibus vilis est humilitas veri justi? Quid tam opus habens misericordia, quàm miser? & quid tam indignum misericordiâ, quàm superbus miser?* Et tractat. 45. in Joan. *Dicant ergo Pagani: Benè vivimus. Si per ostium non intrant, quid eis prodest unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse benè vivere, ut detur illi semper vivere; nam cui non datur semper vivere, quid prodest benè vivere? Qua nec benè vivere dicendi sunt, qui finem benè vivendi vel per cæcitatem nesciunt, vel per inflationem contemnunt.*

Nec obest, quod Philosophi de virtutibus & vitiis subtilia multa tractent, dividentes, definientes, ratiocinantes, acutissimè concludentes, libros implentes, suam sapientiam buccis concrepantibus ventilantes, ut etiam discipulis dicere audeant: Nos sequimini, sectam nostram tenete, si vultis benè vivere. Nam ut ait Ambrosius, *præclara verba proferunt, verba tamen*: & sæpè, ut observat Augustinus lib. 10. confess. c. 38. *Sermo ore procedens, & facta quæ innotescant hominibus, habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, qui ad privatam quandam excellentiam contrahere emendicata suffragia tentat.* Quare in Philosophis imperfecta tantùm virtutum simulachra admittenda sunt. Et sicut in casu Cajetani Medicus non mentitur quidem, dum asserit ægrum non obiturum, cui juxta artis suæ principia mors non imminet, simpliciter tamen fallitur, si infirmus moriatur; & Astrologus simpliciter verum enuntiat, supponimus enim ægrotum è vivis discessurum: ita Philosophus simpliciter fallax est, dum sibi de virtutum copia blanditur pauper & superbus; quin in praxi reverà mentitur iniquitas sibi: nam virtutes quidem definit, dividitque Philosophia; sed solidarum virtutum praxim absque charitate non experitur.

Dices: Charitas est extra essentiam virtutum mora-

lium, & forma extrinseca illarum, à qua mutuantur solùm ordinem ad finem supernaturalem, & vim promerendi premium spirituale, & divinum: quæ omnia virtutibus moralibus extrinseca & accidentaria sunt: ergo sine charitate virtutes morales essentialem virtutis rationem simpliciter obtinent, tametsi ab externis, & adventitiis ejus ornamentis deferantur; status quippe naturalis omni debitæ perfectionis complemento independenter à supernaturalibus cumulatur. Unde Aristoteles, aliique Philosophi virtutes morales perfectas absque ordine ad finem supernaturalem sibi ignotum cognoverunt: ergo sine ordine illo dari, & inveniri possunt.

Respondeo, quod licèt finis supernaturalis, & ordo ad illum sit extra essentiam virtutum moralium, tamen quia creatura rationalis est elevata ad finem supernaturalem, ideò licèt relatio in finem supernaturalem sit extrinseca, est tamen debita, ut virtus sit simpliciter talis; quia bonum simpliciter ex integra causa, maximè verò ex ordine ad finem operantis pensari debet. Præsertim quia sine amore Dei nec declinare à malo, nec facere bonum homo dio, & facilè potest, potentiâ saltem consequenti, & in actum redactâ: unde ad firmandum in virtutum obeundis officiis animum, ad resistendum tentationibus, ad dirigendos, componendosque humanæ vitæ mores, ab amore finis exordiendum est; qui sane amor in statu naturæ corruptæ sincerus esse nequit, aut firmus, nisi diffundatur charitas in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Non inficiamur quidem hominem sine charitate posse elicere actus secundùm quid, & ex objecto bonos, ordinatos nimirum ad aliquem bonum finem particularem; quia cùm semina honestatis non penitus extincta sint, nec obliterata prorsus divinæ imaginis lineamenta; & liberum arbitrium peccato quidem infirmatum & fauciatum sit, non verò ad nihilum redactum, possunt Gentiles, verbi gratiâ, pro patria servanda, aut liberanda civitate, nudum vestire, famelicum pascere; & quanvis si respiciatur quo fine id faciant, si discutiatur eorum motivum, vix in illis opera inveniantur, quæ justitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur, ut ait D. Augustinus; tamen ipsos præsertim auxilio Dei moventis adjutos ob superstitem beatitudinis, & justitiæ amorem ab operis honestate posse inescari, fatetur etiam non semel D. Augustinus, qui & ipsorum bona ex objecto opera, dona Dei esse, *epistola* 130. affirmat. Hæc, inquam, non inficiamur; contendimus tamen actus illos non esse simpliciter bonos, nec à virtute simpliciter tali prosilire, quia illis debita in finem ultimum ordinatio deest; debita, inquam, non ad hoc ut actus sit moraliter bonus secundùm quid, cùm aliquam ex objecto hauriat honestatem; sed ut sit simpliciter, & perfectè bonus, nihilque *ex plenitudine essendi*, ut loquitur S.Thomas, ei desit.

Non inficiamur etiam, Philosophos virtutis moralis essentiam, partesque speculativè agnovisse; sed eas verè & simpliciter acquisivisse negamus, sicut speculativè cognoscentes Deum, non sicut Deum glorificaverunt. Quia ea sola opera bona simpliciter, & fructus virtutum dicenda sunt, quæ fiunt per dilectionem Dei: neque enim veraciter, atque sinceriter bona agimus, ut docet D. Augustinus, nisi veræ delectatione justitiæ, quæ est in fide Christi; nam sine fide impossibile est placere Deo. Et certè si absque charitate, & gratia vera posset esse justitia, gratis Christus mortuus esset, ut ex Apostolo discurrit idem Augustinus *lib. 3. cont. Iul. cap. 3.* Et si vitium est malè misereri, idest non attentis à prudentia circumstantiis; vitium etiam, & peccatum omissionis saltem est, infideliter, & non propter Deum misereri, ut ibidem argumentatur S.Doctor: misereri autem propter Deum sine amore Dei quis potest? Quare perfectio naturalium virtutum ob corruptionem naturæ, & status nostri elevationem, à supernaturalibus pendet; sicut natura semel ægra artificialibus medicinæ remediis eget, quibus nequaquam indigeret, si in sua naturali incolumitate permansisset.

Hac de causa pulchrè, & solidè dixit Joannes à S. Thoma disput. 17. de virtutib. artic. 2. *ex defectu charitatis virtutes acquisitas in nobis vulnerari*, & rationem habitus difficilè mobilis amittere. Quia nimirum remota charitate nequit virtus ulla facere habentem simpliciter bonum, cùm existens in peccato mortali sit simpliciter malus: non potest etiam virtus moralis firmum habere motivum in eo quod facit, quia firmitas motivi ex amore finis proficiscitur; unde in amore, & efficacia mediorum confirmamur, & cessante, & multò magis amisso amore finis, languet, & torpet voluntas in electione mediorum; sicut destructo principio assensus, conclusionis firmitudinem destrui necesse est, tametsi ex aliqua credulitate, assuefactione, vel probabilitate perseverare possit. Ergo virtutes sine charitate non possunt dici habitus, sed tantùm dispositiones, quia cùm non sint in charitate radicatæ, vel fundatæ, fiunt facilè mobiles. Unde licèt homo in statu peccati possit actum elicere virtutis perfectæ perfectione ex parte operis se tenente, non tamen ex parte operantis; quia cùm proprium bonum super omnia diligat, & propriam voluntatem omnibus præferat, cùm se dabit occasio, virtutis opus deseret, si ejus prosequutioni proprium bonum quod adorat, obsistat. Quare licèt virtutes remota charitate non amittant essentiam, amittunt tamen statum, & firmitatem virtutis; quia ablata ad ultimum finem conversione, non potest electio mediorum firma consistere.

Nec illi doctrinæ repugnat D. Thomas, ut existimat Gonetus noster, cùm totam hanc doctrinam ex articulo 7. quæstionis 23. 2. 2. tradat, ubi disertissimè ait: *Liberatio patriæ in actu fortitudinis, vel quid simile, erit quidem vera virtus, sed imperfecta sine charitate, quia deficit ordinatio in verum ultimum finem: & hac ratione non est vera virtus simpliciter sine charitate.* Ubi clarè docet, & virtutem sine charitate esse veram virtutem imperfectam, idest habentem rationem dispositionis, non firmitatem, & immobilitatem habitui eximiam; & *non esse veram virtutem simpliciter*, quia non potest specifica ratio firmitatis in virtute permanere, quando amor finis naturalis, qui est totius vitæ moralis basis, & cardo, desinit: per peccatum autem mortale homo nedum à fine supernaturali, sed etiam à naturali aversus est, & in pravum finem conversus, unde mobilitatem, & instabilitatem acquirit, juxta illud: *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est.* Unde quando Sanctus Doctor *quæst.* 65. *artic.* 2. ait, quod *virtutes morales, prout sunt operativæ boni in ordine ad finem, qui non excedit facultatem naturalem hominis, possunt per opera humana acquiri, & sic acquisita sine charitate esse possunt, sicut fuerunt in multis gentibus*; ibi manifestè loquitur de virtutibus imperfectis, quæ possunt finem naturalem proximum respicere, & aliquem actum ex objecto bonum elicere; sed non per modum habitus ex specie sua difficilè mobilis, defectu amoris finis, qui totius est vitæ moralis firmamentum.

Inæqualitas, & duratio Virtutum.

Dixi in speculatione, duplicem esse præcipuam virtutum proprietatem, ut innuerem esse alias minùs

præci

præcipuas, æqualitatem nimirum, & durationem, de quibus S. Doctor *quæst. 66. & 67.* diffusè sermonem habet. Totius ejus doctrinæ medulla est, virtutes specie differentes, perfectione etiam differre; diversæ enim rerum essentiæ sunt sicut numeri, quorum tota ratio inæqualitate constat: si verò virtutes sint ejusdem speciei, possunt esse in diversis subjectis, vel etiam in eodem secundùm diversa tempora inæqualis perfectionis intensivæ; nam in uno potest esse magis radicata virtus, quàm in alio; & in eodem etiam virtus suscipit varia crementa, & decrementa. Unde omnibus modis falsa est Stoïcorum sententia, existimantium virtutes omnes habere numeros suos, unius staturæ ubique esse, nec remitti, nec intendi posse, ut patet ex Seneca *epist. 7.*

Hoc posito primas dat S. Thomas prudentiæ, quia est rationi propinquior, cæterasque omnes virtutes regit. Secundum locum dat justitiæ, quia subjectum, & objectum nobilius habet temperantiâ & fortitudine; nam & voluntati insidet, & bonum alienum, quo homo nedum in se, sed etiam erga alios sui diffusione perficitur, respicit. Tertiam sedem fortitudini asserit, quia virtus eo major est, quo in ea majus rationis bonum relucet; in virtute autem tantò magis relucet rationis bonum, quantò circa majora motus appetitus subditur rationi. Maximum autem in his, quæ ad hominem pertinent, est vita, à qua omnia alia dependent: unde fortitudo, quæ appetitivum modum subdit rationi in his, quæ ad vitam, & mortem pertinent, primum locum tenet inter virtutes morales, quæ sunt circa passiones.

Hæc vera sunt initâ comparatione virtutum moralium inter se; nam cæteroquin non solùm Theologicæ, quarum objectum Deus est; sed etiam intellectuales, quarum objectum est veritas, & subjectum ratio, moralibus antecedunt. Porrò sicut inter intellectuales sapientia, quæ de omnibus per causas altissimas judicium fert, & Deum causarum altissimam contemplatur, cæteris præstat; ita inter theologicas primum locum occupat charitas, quæ circa Deum propinquiùs, & immediatiùs occupatur, ut alibi tradimus.

De duratione verò virtutum pauca hîc dicenda sunt, quia an remansuræ sint virtutes theologicæ post hanc vitam, alibi ex professo discutimus; non remanere verò morales quoad materiale delectationum, commutationum, aliorumque id genus, æquè constans est, ac remanere eas quoad formale, consonantiam nimirum appetitus cum ratione, quâ prudentia totum hominem reget sine errore, fortitudo constantem reddet sine molestia, temperantia sine libidinum repugnantia castum, & justitia de bonis alienis gaudentem. Vel prudentia omnia in Deum diriget, divinaque quasi sola essent, intuebitur: temperantia cupiditates non reprimet, sed de pacatis exultabit: & fortitudo passiones non vincet, sed victoriæ fructus gustabit: justitia omnibus omnia facta erit, de aliorum felicitate beata.

Reflexio.

Ex hac gemina virtutum proprietate nullo (ni fallor) monente, sed sponte sua fluente consequutione deducis, Lector optime, quàm nudi simus, quàm miseri, quàm miserabiles, quámve verarum virtutum præsidiis deserti. Insidiatur, teste Augustino, virtutibus, bonisque operibus superbia, ut pereant; sed quomodo potest quis ex virtutibus superbire, qui virtutem novit? Profectò postquam accepimus virtutem in medio consistere, virtutesque omnes esse connexas, nec ullam habere, qui vel una caret, longè consultius est infirmitatis, paupertatisque nostræ conscientiâ animum demittere, quàm superbos illos pauperes imitari, quos sibi præcipuè exosos divina sapientia testatur.

Virtus in medio sita est, quî igitur vel de una virtute gloriabimur, qui in omnibus cæco impetu agimus, & ruimus; qui passione movemur, & zelum putamus; quosque tantoperè proprius amor excæcat, ut in praxi penitus ignoremus, non modò quid christiana virtus, quid Evangelii sanctimonia, sed omninò quid ingenui hominis honestas postulet. Ut medium virtutis servemus monet Proverbiorum 4. Spiritus sanctus: *Dirige semitam pedibus tuis, & omnes viæ tuæ stabilientur: ne declines ad dexteram, neque ad sinistram.* Nos verò hos præscriptos limites transilientes *obliqui* meritò dicimur, & *obtorti*, ut notat Basilius *in Psal. 7.* Qua à virtutis medio, vel ad excessum divagamur, vel defectu deflectimus. Si virtutum harmonia ædificio aptè commensurato, ad omnem artis proportionem exacto, ad amussim, regulam, lineasque accuratè expenso comparatur; si assimilatur humani corporis structuræ, pulchritudini, & symmetriæ, dicente Isidoro Pelusiota lib. 3. epist. 131. *Ut corporea pulchritudinis norma membrorum apta proportio est; ita etiam extrema spiritualis pulchritudinis linea in virtutum mediocritate consistit*: si, teste Bernardo, in omnibus curandum sit, *ne quid nimis*; omnemque operationem trina hæc debeat præcedere consideratio, *an liceat, an deceat, an expediat*: si, teste Augustino *lib. de quant. anima, cap. 16. virtus circulus est*, æqualiter ad centrum, sive medium se habens, quia sicut in circulo nihil exuberans, nihil inflexum, nihil curvum, nihil recurvum, nihil pronum, nihil sinuatum apparet; ita virtus, tametsi summitas sit super vitia eminens, medietas tamen est in meditullio vitiorum sita, decorem ubique servans, quòd neque excedit, neque deficit: Si, inquam, ita sit, an præsumemus unam nobis comparasse virtutem, qui bona non custodimus sine tenacitate & avaritia, nec effundimus sine prodigalitate, nec tristes sumus sine dejectione, nec hilares sine dissolutione, nec maturi sine aliorum onere, & gravitate. Nam ut 2. *part. Past. cap. 9.* observat Gregorius: *Sæpè sub parcimoniæ nomine se tenacia palliat, contraque se effusio sub appellatione largitatis occultat: sæpè inordinata remissio pietas creditur, & effrenata ira spiritalis zeli virtus æstimatur: sæpè præcipitata actio velocitatis efficacia, atque agendi tarditas gravitatis consilium putatur.*

Rursum si virtutes connexæ sint, *ut qui unam habet, plures habere videatur*, inquit Ambrosius lib. 5. in Luc. *Si una virtus sine aliis aut omnino nulla est, aut imperfecta; quia nec prudentia vera est, quæ justa, temperans, & fortis, non est; nec perfecta temperantia, quæ fortis, justa, & prudens non est*, &c. ait Magnus Gregor. lib. 22. Moral. cap. 1. si teste Augustino epist. 28. *Ubi est una vera aliqua virtutum, & aliæ similiter sunt; ubi autem aliæ desunt, vera illa una non est, etiamsi aliquo modo similis esse videatur*: quod explicat exemplo Catilinæ, qui licèt magna à suis præditus fortitudine videretur; *Sed hæc*, *inquit, fortitudo prudens non erat, mala enim pro bonis eligebat; temperans non erat, corruptelis enim turpissimis fœdabatur; justa non erat, nam contra patriam conjuraverat*: & ideo nec *fortitudo erat, sed duritia sibi, ne stultos falleret, nomen fortitudinis imponebat: nam si fortitudo esset, non vitium, sed virtus esset: si autem virtus esset, à cæteris virtutibus tanquam inseparabilibus comitibus nunquam relinqueretur*: Si, inquam, vera est tot Patrum cal-

culo probata doctrina, quis asserere audeat, vel unicâ se præditum esse virtute, qui tot sibi cernit deesse virtutes, quive tot fœdari se sentit maculis peccatorum? *Si Sancti*, teste Venerabili Beda, *magis humiliantur de virtutibus, quas non habent, quàm de virtutibus quas habent glorientur*, quomodo gloriabuntur peccatores? Certè *si magnus est*, ut docet Bernardus sermone 70. in Cant. *qui tria, vel quatuor lilia ædificare potest*, vide quàm parvus sis, quantaque tibi insit causa timendi, qui nec adhuc unum lilium ædificasti? Maximè quia cùm veræ virtutes à charitate pendeant, nihil prosunt humani conatus, nihil Deo placent, nisi eos ipse Deus spiritu suo in nobis operetur. Heu quot, & quanti se divites virtutibus credunt, & nihil invenient in manibus suis! humani enim actus ab amore sui orti, ita nonnumquam vicini sunt actibus charitatis, ut ab illis internosci nequaquam possint; & cùm semper nos lateat, utrum verus in nobis Dei amor inhabitet, an etiam quæ benè agere nobis videmur, non sincera Dei charitas, sed occultus nostri amor efferat, quid superest, nisi ut vereamur omnia opera nostra, quia nimirum, ut ait Isidorus lib. 2. Sentent. cap. 27. *Sæpe quæ apud hominum judicium bona apparent, apud examen diligentissimi, & acutissimi judicis reproba deteguntur.* Et Augustinus lib. 22. de civit. cap. 33. *Vigiliis continuis excubantes, ne opinio verisimilis fallat, ne decipiat sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offendant, ne quod bonum est, malum; aut quod malum est, bonum esse credatur.*

CAPUT II.

Divisio, & pictura Virtutum.

EXpositâ virtutum naturâ, objicienda oculis est earum tabella, seu multiplex virtutum decor expandendus, quo uno verè homo ornatur: ut enim tradit D. Augustinus epist. 73. *Fucari pigmentis, quo vel rubicundior, vel candidior appareas, adulterina fallacia est. Verus ornatus, maximè Christianorum, & Christianarum, non tantùm nullus fucus mendax, verùm ne auri quidem, vestisque pompa, sed mores boni sunt.*

SPECULATIO I.

Traditur multiplex divisio Virtutum.

PRimò dividuntur virtutes in intellectuales, morales, & theologicas. Virtus intellectualis est illa, quæ perficit intellectum in ordine ad verum. Virtus moralis est illa, quæ voluntatem & appetitum afficit ad attingendum honestum. Virtus theologica est illa, quæ circa Deum propter Deum unicè occupatur.

Secundò virtus intellectualis subdividitur in intelligentiam primorum principiorum, sapientiam, scientiam, prudentiam, & artem. Quia virtus intellectualis est habitus inclinans ad verum: ergo juxta distinctionem veri debent etiam distingui virtutes intellectuales. Verum autem est duplex, speculativum, & practicum: speculativum autem vel est propositio per se nota, & primum principium ex penetratione terminorum manifestum; & circa illud versatur habitus primorum principiorum: vel habetur per discursum ex altissimis causis, & circa illud sapientia occupatur: vel ex determinatis principiis in certa materia deducit conclusiones, & talis habitus dicitur scientia. Verum autem practicum dicitur tale per conformitatem ad appetitum rectum, vel rectitudine simpliciter, qualis est moralis; vel rectitudine secundùm quid, qualis est artificialis. Ad dirigendam ergo cognitionem veram per conformitatem ad appetitum rectum, simpliciter ponitur prudentia; ad rectitudinem verò secundùm quid obtinendam ponitur ars: illa versatur circa agibilia ab homine in ordine ad finem humanæ vitæ, ista circa factibilia, seu externa facta, quorum bonitas in conformitate ad ideam artificis sita est. Quod dixi prudentiam dirigere cognitionem veram, non ita intelligendum est, quasi actus perfectissimæ prudentiæ, qui est actus imperii intimantis executionem, sit verus, aut falsus secundùm se; sed quatenus habet adjunctam synesin, quæ est principium elicitivum judicii prudentialis antecedentis electionem.

Tertiò habitus intellectuales variè etiam subdividuntur. Nam habitus primorum principiorum alius dicitur intelligentia, alius synteresis: prior attingit principia speculativa, quæ deserviunt scientiis; posterior principia moralia, quibus tota vita humana subnixa est. Similiter sapientia alia est divina, & supernaturalis, scilicet Theologia; alia humana, & naturalis, scilicet Metaphysica. Scientia pariter subdividitur in eam, quæ abstrahit à materia intelligibili, ut Logica, & Metaphysica; & illam, quæ abstrahit à materia sensibili, ut Mathematicæ disciplinæ; & eam quæ abstrahit à materia singulari, ut Physica, & Medicina: cujus divisionis notitia operosiùs traditur in Philosophia. Denique ars alia est liberalis, alia mechanica. Artes liberales sunt Grammatica, Rhetorica, Dialectica (quæ licèt sit vera scientia, similitudinariè tamen dicitur ars, ut docent Philosophi,) Arithmetica, Musica, Geometria (sub qua Cosmographia, Geographia, Hydrographia, Topographia continentur,) & Astrologia. Artes verò mechanicæ sunt quæ à viris abjectæ, & contemptæ conditionis exercentur, nimirum agricultura, ars venatoria (ad quam piscatoria reducitur,) militaris, navalis, chirurgica (sub qua barbitonsoria comprehenditur,) textoria (ad quam revocantur sartoria, & sutoria,) fabrilis, sub qua comprehenduntur aurificia, argentaria, tignaria, sculptrix, & similes. Complectuntur omnes illas artes duo sequentes versiculi.

Lingua, tropus, ratio, numerus, sonus, angulus, astra:
Rus, nemus, arma, rates, vulnera, lana, faber.

Quartò virtutum moralium aliæ versantur circa passiones, ut fortitudo, & temperantia; aliæ circa operationes, ut justitia, & ei affines. Cùm enim duplex sit appetitus in homine, qui potest pati difficultatem circa bonum rationis, sensitivus circa proprium, rationalis verò circa alienum, ut ex suprà dictis constat, relinquitur appetitum indigere virtute, sensitivum quidem concupiscibilem temperantiâ passionum æstus cohibente, irascibilem verò fortitudine stimulante ad magna aggrediendum, sustinendumque; rationalem quoque justitiâ, quæ bono alieno proximi, sublato proprii emolumenti quovis prætextu, provideat.

Quintò celebris est divisio virtutum moralium in quatuor Cardinales, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, & Temperantiam. Dicuntur autem Cardinales; quia ut tradit S. Thomas *quæst. de virtutib. art.* 1. super eas volvitur tota conditionis humanæ ratio, eisque veluti cardinibus universa vitæ honestæ & politicæ series, & moles subnixa est. Unde à Gregorio appellantur *quatuor anguli spiritalis ædificii*: ab Ambrosio assimilantur *quatuor fluviis Paradisi terrestris*, quorum amœnissimis fluentis totus animus irrigatus fœcun

fœcundatur; ab aliis *quatuor rotis mystici currus Ezechielis*, quibus vectus animus suaviter viam mandatorum Dei currit, nec offendit; ab aliis *quatuor præcipuis æris ventis*, quibus perflatâ animi regione, liquescit gelu cordis duri, fluunt pietatis aquæ, & universa aromata sanctitatis; ab aliis *quatuor elementis*, quibus parvus mundus constat, & subsistit.

Sextò virtutum aliæ sunt acquisitæ, aliæ infusæ: acquisitæ sunt illæ, quæ studio, & actibus iteratis comparantur: infusæ sunt illæ, quibus in instanti justificationis simul cum gratia animæ potentiæ perfunduntur. De prioribus non est difficultas; de posterioribus dubitarunt olim aliqui Theologi, contra quos speculatione sequenti.

R E F L E X I O.

Tam varium tot virtutum apparatum necessarium esse facilè confessus fueris, Lector, si perpenderis circumstare utrimque virtutem vitia, quæ virum bonum & citò fallere, & speciosò virtutis colore, prætextuque in peccatum præcipitem agere possunt. Quanta arte opus est, ne virtutum specie in vicina utrimque vitia impingamus? Nam ut fusè, præclareque prosequitur Magnus Gregorius 3. *parte Pastoralis, cap.* 2. & 3. dum superbis prædicatur humilitas, timidis augetur metus; & dum timidis inspiratur securitas, in superbis crescit effrenatio. Dum otiosis, ac torpentibus boni operis necessaria solicitudo inculcatur, inquietis immoderatæ actionis licentia augetur; & dum inquietis imponitur modus, otiosis fit torpor securus. Dum impatientis animi extinguimus iram, remissorum fovemus incuriam; & dum lenes ad zelum accendimus, iracundorum ignem excitamus. Dum tenacibus suademus tribuendi largitatem, prodigis effusionis fræna laxamus; & dum prodigos parcitatem docemus, tenacibus peritoratum rerum amor & custodia nimia obvenit. Quid ergo mirum, si tanta virtutum supellectile indigeamus, qui nec virtutem operari, nec ferè de virtute possumus loqui, quin aliquod in extremum incurramus? ideoque monet prælaudatus Gregorius: *Sic prædicanda sunt bona, ne ex latere jubeantur mala; sic laudanda sunt bona summa, ne despiciantur ultima; sic nutrienda sunt ultima, ne dum sufficere credantur, nequaquam tendatur ad summa.* Hinc ibidem docet, rectorem animarum, & prædicatorem, palæstritarum more in diversi lateris artes debere se vertere, & medicos imitari, qui tanta discretionis arte se temperant, ut uno, eodemque tempore & languori obvient, & debilitati, ne fortibus remediis curato morbo, languor eum vita deficiat.

Illud etiam monere Lectorem operæpretium hîc est, ut si harum omnium, vel certè præcipuarum decore virtutum ornatum se videat, interim timere ne cesset, magnaque cura satagat, ut sacri metus laceratione se mordeat. Sæpe enim contingit, ut benè agentis mens providæ circumspectionis curam abjiciat, atque in sui confidentia secura quiescat. Præclarè Gregorius 4. parte Pastoralis: *Quibusdam sæpe magnitudo virtutis occasio perditionis fuit, ut cùm de confidentia virium inordinatè securi sunt, inopinatè per negligentiam morerentur. Hinc superbienti animæ dicitur: Quo pulchrior es, descende. Quasi apertè diceretur: Quia ex virtutum decore te elevas, ipsâ tuâ pulchritudine impelleris, ut cadas. Hinc sub Hierusalem specie, virtute superbiens anima reprobatur. Perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus; & habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo. Fiduciâ quippe pulchritudinis suæ animus attollitur, cùm de virtutis meritis læta apud se securitate gloriatur.*

Unde necesse est, ut cùm virtutum nobis copia blanditur, ad infirmitatem suam mentis oculus redeat, ne recta quæ agit, sed quæ agere negligit, respiciat.

S P E C U L A T I O II.

Virtutum moralium infusarum necessitas stabilitur.

De hac veritate dubitarunt quidam antiqui: sed jam sententia de virtutibus moralibus infusis est dogma Fidei à Theologis nullo refragante susceptum, traditum in Catechismo Romano, parte 2. titulo de Baptismo, num. 50. *Huic*, inquit, id est gratiæ, *additur nobilissimus virtutum omnium comitatus, quæ cum gratia divinitus infunduntur. Quare cùm Apostolus ad Titum ait: Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum Salvatorem nostrum; Divus Augustinus verba illa, Abundè effudit, explanans: Nimirum, inquit, ad remissionem peccatorum, & copiam virtutum.* Confirmatum etiam fuit hoc dogma in Concilio Viennensi, tanquam probabilius, & dictis Sanctorum conformius.

Et meritò, ait enim D. Ambrosius lib. 6. Hexaëm. cap. 7. *Attende qualem animam, ac mentem habeas, cui dixit Deus: Ecce ego, Ierusalem, pinxi muros tuos. Illa anima à Deo pingitur, quæ habet in se virtutum gratiam enitentem.* Adstipulatur D. Hieronymus præfat. in Lament. Jeremiæ. *Non auri*, inquit, *& argenti metallis, sed virtutibus radiabat anima lapsa in peccatum.* Sed quis clariùs D. Augustino loquutus est, vel loqui potuit? Sic enim *tract.* 8. *in* 1. *epist. Ioan.* scribit: *Affectus charitatis, sanctitas pietatis, incorruptio castitatis, modestia sobrietatis, intus sunt omnes hæ virtutes, quas nominavi: quis autem sufficit omnes nominare? Quasi exercitus est Imperatoris, qui sedet intus in mente tua: quo modo enim Imperator per exercitum suum facit quod ei placet, sic Dominus Iesus Christus incipiens habitare in mente per fidem, utitur istis virtutibus, sed quasi ministris suis.* Quod si alibi Sanctus Doctor tradat varias virtutes nihil aliud esse, quàm unum amorem in varios affectus transmutatum, id in duplici sensu verum probatur: primò, quia in omni actu virtutis, imò & in quolibet voluntaris actu intermixtus est amor alienjus boni; quia ut discurrit S. Thomas 1. 2. quæst. 28. artic. 6. *Omne agens agit propter finem aliquem; finis autem est bonum desideratum, & amatum unicuique: unde manifestum est, quod agens, quodcunque sit, agat quamcunque actionem ex aliquo amore.* Deinde quia charitas est omnium forma virtutum, & spiritualium motuum origo; unde in ipsam virtutum infusarum operationes meritò referuntur. Idem apertissimè tradit Magnus Gregorius *homilia* 5. *in Ezechielem*, ubi docet quasdam virtutes manere quamdiu gratia manet, nempe fidem, charitatem, castitatem, humilitatem, justitiam, misericordiam; alias verò, ut gratis datas, quandoque subtrahi, gratiâ sanctificante nequaquam amissâ.

Ratio verò fundamentalis necessitatis harum virtutum à D. Thoma posita est, quæ sic expenditur, & simul ab adversariorum instantiis vindicatur. Homo in ordine naturali constitutus, & per gratiam supernaturalem in consortium naturæ divinæ vocatus, indiget etiam supernaturalibus facultatibus, quibus modo divino inter humana operetur, ad finem supernaturalem tendat, & circa fines proximos, & intermedios hujus ordinis promptè, suaviter, & constanter operetur: si enim operari sequitur esse, & unumquodque

quodque sit propter operationem, esse divinum, ad quod per gratiam evehimur, facultates exigit divinorum attributorum imagines, potentiis naturalibus majores, & altiores, ut supernaturales operationes eliciat. Et certè æquè perfectè providit Deus ordini gratiæ, ac naturæ, quam tamen ornavit Deus virtutibus necessariis ad finem vitæ humanæ mediis idoneis asciscendum. Atqui ut homo constitutus in ordine supernaturali possit supernaturali, & modo divino tam circa finem ultimum, quàm circa proximos & intermedios operari, indiget additamento virtutum Theologicarum quidem, ut circa finem, Deum scilicet, immediatè occupetur; moralium verò, ut circa fines proximos christianè, & supernaturaliter versetur. Ergo gratiam habitualem comitatur innumerabilis virtutum honestas, quibus nihil sit utilius in vita hominis, ut ait Scriptura.

Dices: Quid opus est virtutibus supernaturalibus, quando objectum non est ordinis supernaturalis? Objectum autem virtutum moralium non est quid supernaturale, sed morale, quod intra sphæram objecti naturalis includitur, quodve proinde à virtute ordinis naturalis, vel moralis respicitur; cùm certum sit virtutes sicut specificari, ita distingui, & multiplicari per ordinem ad objectum formale diversum.

Sed contrà, & inde instauratur ratio D. Thomæ. Virtutes multiplicantur penes objecta: sed virtutes morales acquisitæ procedunt ex objecto formali, seu motivo naturali; morales verò christianæ motivo supernaturali cientur: v.g. temperantia acquisita passiones appetitus concupiscibilis juxta regulam rationis humanæ in ordine ad bonum naturæ, salutem corporis, & liberum rationis naturalis usum moderatur; infusa verò secundùm regulam fidei, & prudentiam spiritus, quæ non raro arctiorem exigit parcitatem, quàm præscribat regula naturalis, dum imponit abstinentias, jejunia, carnisque mortificationem, quam in corpore nostro præcipimur circumferre, reclamet licèt ratio specie discretionis, & medicina prætextu sanitatis; quia Galenus, & Hippocrates docent servare, Christus verò perdere vitam, ut in æternum custodiamus eam. Fortitudo acquisita componit passiones irascibilis, firmatque contra pericula appetitum in ordine ad bonum naturale, putà patriæ conservationem, aut liberationem; fortitudo verò christiana in ordine ad finem supernaturalem, putà conservationem fidei, & religionis, reddit intrepidum: Reges etiam, Præsides, ac tortores in causa Dei aspernatur. Justitia naturalis, & acquisita ponit medium, jusque servat unicuique juxta regulas civiles, ut in hominum societate pax servetur: christiana verò medium ponit inter homines, ut sunt cives Sanctorum, & domestici Dei; sub qua ratione longè majorem à nobis exigit perfectionem, ut nimirum condonemus injurias, benefaciamus inimicis, maledicentibus benedicamus, pro persequentibus oremus; maximas etiam mundi, sæculi, & reipublicæ sæpe nimias usuras, obscœnitates, tolerantias spernamus. Prudentia humana in negotiis discretè procedit, pericula corpori, fortunis, & rationi imminentia præcavet, & lumine humano quæ sua sunt, moderatè tamen, quærit, & invenit: christiana prudentia lumine divino omnia moderatur, humana, & temporalia vel flocci facit penitus, vel negligit valde, vel certè sine amore utentis modestia tractat, æternis, & uni necessariò intenta, quæ ad verum finem ducunt & seriò quærit, & fideliter exequitur; quæ verò vel ab eo avertunt, vel assequutionem retardant, toto nisu refugit, toto studio pro virili declinat. Hanc rationem compendiosè S. Thomas complexus est *quæst.* 1. *de virtutib. art.* 10. *ad* 8. his verbis: *Temperantia acquisita, & infusa conveniunt in materia, utraque enim est circa delectabilia tactus; sed non conveniunt in forma effectus, vel actus: licèt enim utraque quærat medium, tamen alia ratione quærit medium temperantia infusa, quàm temperantia acquisita: nam temperantia infusa exquirit medium secundùm rationes legis divinæ, quæ accipiuntur ex ordine ad ultimum finem; temperantia autem acquisita accipit medium secundùm inferiores rationes in ordine ad bonum præsentis vitæ.* Hanc etiam rationem insinuare videtur Apostolus 1. Corinth. 8. *Omnis,* inquit, *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Ubi Divinus Apostolus agonem christianum à politico discernit ex eo, quod unus ad corruptibilem coronam, alter ad incorruptam tendit, tametsi ad utrumque fortitudinis virtute circa objectum arduum occupata opus sit.

Instabis: Ad illa omnia munia sufficiunt virtutes acquisitæ cum ordinatione & imperio virtutis theologicæ præstituentis finem supernaturalem: ergo supervacaneus est virtutum supernaturalium apparatus.

Respondeo, quod licèt actus naturales possint ordinari in finem ultimum supernaturalem, non possunt tamen elici actus intrinsecè supernaturales, nisi à virtute supernaturali: actus autem virtutum christianarum sunt intrinsecè supernaturales, sicut & earum objecta, ut ostensum fuit: unde non sufficiunt virtutes acquisitæ imperio charitatis in finem extrinsecum relatæ, sed exiguntur infusæ. Quare licet charitas sit inclinatio generalis ad omne bonum supernaturale, ac proinde in bonum justitiæ, fortitudinis, & cæterarum, quia se habet sicut voluntas in ordine naturæ, quæ est inclinatio ad omne bonum naturale; quia tamen ad illa omnia inclinat ut charitas sub ratione boni divini ut sic, non tamen sub multiplici ratione particulari, sub qua bonum attingitur ab aliis virtutibus moralibus, quarum objecta non habent rationem puri medii, sed finis intermedii propria, & specifica bonitate præditi; ideò præter charitatem desideratur virtutum christianarum beatissima copia, nec sufficit acquisitarum supellex.

Urgebis: Motivum intrinsecum virtutis omnis moralis, etiam possibilis, est naturale, v. g. objectum formale temperantiæ est mediocritas in cibo & potu, quæ non excedit ordinem naturæ: quod verò hæc mediocritas ordinetur in finem supernaturalem, actui & objecto virtutis extrinsecum est: species autem virtutis non ex fine externo, in quem potest referri; sed ex objecto, ad quod intraneam, & non adventitiam importat habitudinem, pensanda est, aliàs etiam virtus acquisita ex relatione in finem supernaturalem, quæ potest ejus actibus ex imperio charitatis obvenire, ad ordinem supernaturalem pertinet, quod nemo dicit.

Respondeo, quod cùm dicimus virtutes morales infusas, seu virtutes christianas speciem sortiri ab ordine ad finem ultimum supernaturalem, non est sermo de ordine actuali, qui accidere etiam actibus virtutum acquisitarum ex imperio charitatis sæpe solet; sed de relatione radicali, & connaturali, cui ex principiis intrinsecis debita est relatio actualis ob intrinsecam proportionem, exigentiam, & commensurationem ad objectum supernaturale, cujus virtus acquisita capax non est, nisi ad summum potentiâ obedientiali, non naturali. Nec obest, quod virtutes infusæ circa eandem materiam versentur atque acquisitæ; non obest, inquam, quia infusæ objectum illud materiale sub altiori ratione respiciunt, nempe

sub

sub regula fidei in ordine ad vitam æternam consequendam. Cùm enim objectum virtutis sit res agenda, prout subest regulis, planum est materiam circa quam versantur virtutes infusæ, esse specie diversam ab ea, quam respiciunt acquisitæ, & politicæ; priores enim respiciunt objectum ut subest regulis, & præceptis supernaturalibus; posteriores verò ut subest regulis vitæ civilis. Et certè hac objectione, si aliquid valeret, probaretur etiam, non dari dona Spiritus sancti, quorum aliqua versantur circa materias morales, ut donum fortitudinis, pietatis, & consilii.

Urgebis: si darentur virtutes infusæ supernaturales, possemus per actus earum virtutum similes virtutes supernaturales elicere; nam actus generant habitus. Consequens autem nemo admittit: ergo hujusmodi virtutes morales infusæ admittendæ non sunt.

Respondeo hoc argumento, seu potiùs sophismate probatum etiam iri, si quid efficeret, non dari virtutes theologicas, ne ab actibus suis generentur. Dicendum ergo, per frequentatos virtutum infusarum actus non generari habitus; cujus rationem assignant aliqui, quos sequitur Gonet, quia habitus genitus nec esset ejusdem speciei cum infuso, cùm nequeant duo accidentia solo numero distincta esse in eodem subjecto; nec distinctæ speciei, quia actus generant habitus sibi similes, eandemque in illos transfundunt, quam acceperunt perfectionem. Verùm hæc ratio probat quidem actus virtutum infusarum non generare habitum distinctum, sed non ostendit, habitum præexistentem non posse actibus saltem intensis augeri, nec novos gradus, vel radicationis modos acquirere ampliores.

Quare dicendum, illud esse virtutum infusarum privilegium eximium, ut non possint nisi à Deo, sicut produci, ita & augeri: tum quia cùm sint proprietas gratiæ, quæ à solo Deo producitur, & intenditur, ejus etiam naturam sapiunt, ut sicut Deus solus consortium suæ naturæ donat, & novis accessionibus adauget; ita solus consortium suorum attributorum in virtutibus infusis scriptorum impertitur, & accrescere facit. Tum quia virtutes supernaturales habent rationem potentiæ, cùm dentur ut simpliciter possimus in ordine supernaturali operari: potentiæ autem non suscipiunt magis, & minus frequentiâ actuum, sed actione solius Creatoris.

Insistes: Non potest assignari subjectum harum virtutum infusarum; non enim in voluntate subjectantur, in qua nec acquisitæ recipiuntur: non potest etiam subjectum earum esse appetitus sensitivus, quia cùm illæ virtutes infusæ sint supernaturales, consequenter spiritales sunt, & immateriales; subindeque omne corporeum excedentes, & subjectum corporeum refugientes.

Respondeo virtutes illas, quantumvis infusas, quæ circa passiones moderandas occupantur, in appetitu sensitivo recipi, in illa quippe potentia virtutes subjectantur, cujus actus mediis illis virtutibus eliciuntur: appetitus autem sensitivus mediis virtutibus infusis elicit moderatos, & christianos timores, temperatas audacias, modestum delectabilium gustus, & tactus usum: ergo in appetitu sensitivo virtutes illæ recipiuntur. Nec obest, quod sint spiritales, & immateriales, utpote proprietates gratiæ sanctificantis, cujus conditionem sapiunt, & exprimunt. Non obest, inquam, quia etiam anima rationalis, tametsi immaterialis sit, & spiritualis, in corpore tamen recipitur. Nec est inconveniens, formam perfectioris ordinis recipi in subjecto inferiori, ut istud evehat, attollat & perficiat. Certè postquam Verbum caro factum est, & purus spiritus nedum animam, sed & carnem hypostaticè sibi univit, quid refugiemus dicere, virtutes appetitum sensitivum, & corporeum posse perficere.

Reflexio.

Si in justificatione infunditur tam præclara, tam opulenta omnigenarum virtutum supellex, cur in peccatore, si superis placet, converso tanta permanet christianè operandi difficultas, labor tantus, tædium tantùm? Quis ibi credat esse radicem, ubi nulla planta decaulescit, nulla arbor pubescit, nullus ramus germinascit, nullus fructus editur? Quis sibi suadeat ibi ardere ignem, nullus ubi calor sentitur? Ergo cùm post justificationem easdem benè agendi difficultates experiantur homines vitiis ante conversionem assueti, semperque eas experirentur, nisi jugi, & indefessâ operâ virtutibus acquirendis insudarent, frustra fingimus cœlestem infundi facilitatem, cùm habituum vitiosorum studio pedetentim exstirpandorum impedimenta perseverent.

Scio communiter Theologos ab ea se difficultate expedire, dicentes per virtutes infusas facilitatem quidem intrinsecam infundi, quâ completur, perficiturque potentia, sed non semper facilitatem extrinsecam ingenerari, ex remotione impedimentorum proficiscentem. Cùm enim peccator sit vitiis assuetus, alligeturque non ferro alieno, sed ferreâ voluntate, & pravorum operum usu, non potest statim funes peccatorum dirumpere, & sæpè post conceptum in resistendo laborem parit postea iniquitatem.

Verùm ut addam quod reverà sentio, fateor hoc argumento convinci, rarissimas esse de corde puro, & optimo conversiones, frequentesque esse falsas plerorumque hominum pœnitentias. Etenim juxta Scripturæ, Patrumque doctrinam, qui toto corde ad Dominum convertuntur, statim in Domino delectari incipiunt, amarescunt quæ dulcia paulò antè videbantur, ab his abhorrent quæ insectabantur; quod si quando sentiant concupiscentiam ad præterita revocantem, & repugnantem legi mentis suæ, eam pro virili comprimunt, & comprimendo gaudent: tantamque in se mutationem mirari, exclamant: *Digitus Dei est hîc, hæc mutatio dexteræ Excelsi.*

Itaque qui seriò, & sincerè convertuntur, Spiritus sancti fervore concepto fiunt & in fide stabiles, & in opere efficaces, præventique in benedictionibus dulcedinis, corde per virtutes infusas dilatato, viam mandatorum Dei currunt fortiter, suaviter, permanenter, ut patet in verè pœnitentibus, non fictè conversis, quos experientia docet magis esse alacres, & erectos ad insectanda virtutis opera, & creatos in Christo Jesu in operibus bonis, quæ sursum sunt sapere, non quæ super terram; illisque vesanas voluptates displicere, quarum antea illiciis tenebantur. Unde si remaneat eadem benè operandi difficultas, eadem malè operandi facilitas, & præsertim si iterantur flagitia, si eadem, & fortè major sit in peccata prolapsio, si contingat frequens spiritalis morbi redeuntis accessus, argumento est, productam nequaquam esse novam creaturam; quia operari sequitur esse, & idem manens idem, semper facit idem. Cum his tamen stat, verè pœnitentes nonnullam, & sæpe gravem in parte inferiori experiri difficultatem, quia ab inassuetis fit passio, remanentque post conversionem impedimenta sensim auferenda; sicut convalescente infirmo expellitur quidem venenum, abigiturque mortis periculum; remanent tamen infirmitatis reliquiæ paulatim, &

enim regimine artis removendæ, curandæ, & persanandæ.

Quare innumeri sæpè, misereque falluntur, dum putant se justificationis beneficium sibi statim comparare, si vitæ exomologesi, seu piaculari confessione peractâ, nec vitâ mutatâ, sacerdotali absolutione, cujus dilationis impatientes sunt, muniantur. Etenim teste Hieronymo in cap. 16. Matth. *Apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæritur.* Non quòd sacerdotum sententiam nolit Deus, qui eis tam disertè remittendorum, retinendorumque peccatorum contulit potestatem; sed quia frustra illis impenditur absolutio, frustra illis datur venia delictorum, in quibus perdurat amor iniquitatum; perdurat autem quandiu permanet frequentia lapsuum.

Unde D. Thomas *quæst. 1. de virtut. artic. 10. ad 16.* verè dixit: *In eo qui habet habitum intemperantiæ, cùm conteritur, non remanet cum virtute temperantiæ infusa habitus intemperantiæ in ratione habitus, sed in via corruptionis quasi dispositio quædam.* Quando ergo post sacramentalem confessionem non corrumpitur habitus pravus, sed novis prolapsionibus intenditur, firmatur, radicatur, juxta veridicam Angelici Doctoris sententiam, argumentu est falsam fuisse pœnitentiam, fictam contritionem, & utinam non sacrilegam confessionem.

Speculatio III.

Donorum Spiritus sancti necessitas, & characteres declarantur.

Necessitas quidem, quia per dona Spiritus sancti intelligimus aliquid supernaturale infusum, ratione cujus disponimur & habiles efficimur, ut divinitus moveamur ad exercendas operationes regulas omnes prudentiæ, tum acquisitæ, tum infusæ excedentes. Atqui fatendum necessariò est, dari aliquid distinctum à virtutibus, quo efficiamur promptè mobiles ab operatione divina; quia omne quod movetur, proportionatum suo debet esse motori, hoc est, debet rectè disponi, ut à suo motore promptè, facilè, & suaviter moveatur; anima autem nostra ad bonum à triplici motore cieri potest, à ratione, à fide, ab inspiratione & instinctu speciali Dei ad aliquid præter communes regulas permovente: animus porrò noster per virtutes acquisitas est facilè mobilis à ratione, per infusas à fide: ergo sunt necessaria alia dona, quibus homo facilè & veluti naturaliter moveatur à Spiritu sancto, qui est auctor rationis, & fidei, & solitos earum limites, ob fines altiores potest transilire. Unde sicut virtutes acquisitæ respiciunt honestum dirigibile per regulas prudentiæ humanæ acquisitæ, virtutes infusæ dirigibile per regulas prudentiæ christianæ, modo tamen humano & ordinario, supposito nimirum consilio, & prævia deliberatione rationis: ita dona respiciunt honestum dirigibile instinctu Spiritus sancti regulas communes prætergrediente.

Ex quibus convulsa manent argumenta Vasquesii, existimantis dona nullatenus à virtutibus infusis distingui. Licèt enim virtutes infusæ ad recipiendas inspirationes ordinarias disponant, non tamen ad insolitas, & præfinitos à prudentia christiana limites transilientes, quibus homo supra modum humanum elevatur. Quod si aliquando virtutes infusæ in actus heroicos prorumpant, ut cùm Abraham in spem contra spem credidit, cùm Pastor dat animam suam pro ovibus suis ex charitate dilectis, vel alia similia, vel majora elicit; tum cum virtutibus dona concurrunt ad operis tam ardui insolitam granditatem. Dona namque supponunt virtutes, easque perficiunt; neque enim Spiritus sanctus ad opera ultimæ perfectionis ciet leges communes non servantes, nec illos ad sublimia applicat, in quibus non habitat; non habitat verò sine charitate, nec est charitas sine aliarum virtutum infusarum comitatu.

Dices: Sicut opera extraordinaria, ad quæ à Spiritu sancto propellimur, rara sunt & inconsueta, ita non est opus dono habituali permanente à virtutibus discreto, sed auxilii actualis novo & copiosiori impulsu, quo à divino spiritu ad illa agamur, quæ raro agenda sunt; si enim infunderetur aliquid habituale connaturaliter & permanenter nos reddens ad divinas impressiones idoneos, semper etiam & connaturaliter in operationes extraordinarias possemus erumpere, cùm habitibus prout volumus, utamur; quod tamen est contra rationem operationis extraordinariæ, quæ est de raro contingentibus. Ergo supervacanea est donorum illorum accessio.

Respondeo, quod etsi donis Spiritus sancti non nisi ad opera extraordinaria, quæ raro contingunt, disponamur; decet tamen nos esse semper paratos, atque adeo his donis permanenter instructos, ut spiritum, qui ubi vult spirat, venientem excipiamus, atque illò eamus, quò divinus impetus fert. Et licèt ad hæc auxilium transeunter communicatum sufficeret, melius tamen, suaviùs, & connaturaliùs divinorum perfusione donorum ad divina elicienda, patiendaque aptamur. Et quid mirum, si in justificatione dona sua confert Spiritus sanctus, qui seipsum dat, cùm sit donorum primum, & ratio donandi alia divinus amor, Spiritui sancto ex vi suæ processionis eximius? Accedit quod licèt hæc dona ad aliquid extraordinarium disponant, plures tamen Sancti sunt, in quibus hæc extraordinaria ordinaria sunt; nam in aliis donum orationis, quod sine dono intellectus, scientiæ, & sapientiæ non est, ita abundat, ut statim absque meditationis circuitu toti rapiantur in Deum, & sibi suaviter elapsi, divinoque amore feliciter ebrii, in abysso Divinitatis natent. Alii dono consilii præditi in dubiis præsentissima & juxta solidissima præbent responsa. Alii ita fortitudinis dono intrepidi, ut inter opprimentes ferè foris pugnas, intusque timores, nec adversis frangantur, nec prosperis extollantur, inter fluctuantesque causas & personas nullâ inclinatæ mentis vicissitudine concutiantur. Alii timoris dono ita configunt carnes suas, ita in præsentem Dei Majestatem reverentiâ afficiuntur, ut sensibiles sacri tremoris motus continenter experiantur. Ad quæ omnia habituale donum corda nostra permanenter disponens desideratur.

Quantum verò ad speciales doni cujuslibet differentias & notiones plura dicemus dum de virtutibus theologicis. Unde breviter sciendum, his septem donis totum hominem, omnes ejus potentias, earumque operationes rectitudinem obtinere: ratio enim sapientiâ, intellectu, consilio, & scientiâ perficitur, apprehendens intellectu veritatem, de ea per altissimas causas judicans sapientiâ, per inferiores scientiâ, eamque ad praxim consilio deducens. Voluntas verò in cultum divinum exercendum, amplificandumque, & in bonum alienum proximi diligendum pietate inclinatur. Appetitus verò sensitivus in timore periculorum fortitudine roboratur; concupiscentia verò delectabilium timore desideria carnalia configente frenatur. Donis perficientibus intellectum perficitur mens, ut veritates divinas, speculativas, & practicas non tam discursu, inquisitione, & examine, quàm connaturalitate, gustu, &

suavissimâ

suavissimâ experientiâ percipiat. Dono pietatis Deo cultum deferimus, non solùm quia Dominus omnium supremus singulis esse largitur & conservat, quod Religionis munus est; sed quia divina Majestas in seipsa, & propter seipsam, quæ honoretur dignissima est. Hoc dono adjuti viri sancti in oratione pernoctabant, divinarum consolationum undis affluebant, miracula petebant & impetrabant. Dono fortitudinis viri sancti & Martyres Christi terrena despicientes, terribilia contemnentes, mundo & Tyrannis majores, verberari, excarnificari, occidi potuerunt, flecti non potuerunt; nec sustinere falsa per infirmitatem metuere, nec læsi unquam à veritate conticuêre: & existimantes se omnia posse in confortante se, in Deo suo transgredientes murum, idest omnem occurrentis difficultatis obicem, animum in ipsa rerum difficultate crescentem sentiebant. Dono denique timoris non solùm in Deitatis contemplatione & admiratione contremiscimus, sed etiam libidines reprimimus, cupiditates configimus, hostem domesticum prosternimus & superamus. Sed de his abundantiùs, & ex professo tum in hocce volumine, tum in materia de Incarnatione sermonem instituimus.

Reflexio.

Docet D.Thomas *quæstione 69.* dona comitari beatitudines, quæ sunt heroïcæ operationes, quibus nedum ad beatitudinem tendimus, sed ipsam beatitudinem futuram quodam experimento prægustamus. Verè etenim beatus est, qui paupertate spiritus terrenorum bonorum nugas nihili facit. Beatus qui inordinatas appetitus irascibilis passiones lance pensat æquali, nec læsus lædit, nec à malo vincitur, sed vincit in bono malum; mitis ad loquendum, tenet ad compatiendum, facilis ad remittendum, promptus ad subveniendum. Beatus qui lacrymis & compunctione immodicas delectationes, effusos risus, & dissoluta gaudia compescit. *Felices lacrymæ*, inquit Bernardus, *quas benigna manus Conditoris abstergunt, & beati oculi qui in talibus liquefieri elegerunt, quàm elevari in superbiam, quàm omne sublime videre, quàm avaritiæ & petulantiæ famulari.* Beatus qui esurit & sitit justitiam, & in Deum æternum justitiæ fontem suspirat; nec quærit frustra, quia quærit veraciter, quærit frequenter, quærit perseveranter; ut nec quærat pro illo aliud, nec cum illo aliud, nec ab illo ad aliud convertatur. *Facilius est autem*, inquit Bernardus, *cælum & terram transire, quàm ut sic quærens non inveniat, sic petens non accipiat, & sic pulsanti non aperiatur.* Beatus misericors; nam ut Patres omnes à sacris Scripturis eruditi conclamant: Misericordia est salutis præsidium, fidei ornamentum, propitiatio peccatorum: misericordia virtus tanta est, ut sine illa cæteræ esse sint, prodesse non possint, quia virtutibus ornatus insignibus, si misericors non est, misericordiam non meretur; & in illo magno, simmoque judicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, & pro summa omnium commissorum, & per unum malum illi in ignem mittantur æternum, & per unum bonum isti introducantur in regnum. Beatus corde mundus: quid enim homine casto & verecundo amabilius? Quàm pulchra, & quàm splendida gemma morum est castimonia juncta pudori &. verecundiæ in vita & vultu Christiani! Quàm vera, & minimè dubia bonæ spei nuntia, bonæ indolis index virga disciplinæ, expugnatrix malorum, propugnatrix pietatis, specialis gloria conscientiæ, famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, naturæ laus & insigne totius honesti! Cùm verò castitas virgineo candore claret, nihil ea illustrius; nam ut Ambrosius & Cyprianus tradunt, virginitas est soror Angelorum, victoria libidinum, regina virtutum, possessio omnium bonorum, quâ supergreditur humanam conditionem in carne præter carnem vivens, Angelosque imitatur, ac quadantenus superat: Angeli enim sine carne vivunt, virgines verò in carne triumphant. Beatus denique qui persequutionem patitur propter justitiam; nam ut ait Ambrosius: *Illud est magnificum, si subjectus contumeliis judicium Dei laudes: si vexatus ægritudine, judicio Dei deputes: si te inopia premit, nec revocet quominus laudes justitiam Dei.*

Denique his donis futuram inchoari beatitudinem inde claret, quòd illam duodecim fructus suavissimi consequuntur; nam ut ait Apostolus ad Galat. 5. *Fructus spiritus est charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, longanimitas, mansuetudo, modestia, fides, continentia, castitas*; duodecim illis fructibus præsignati, de quibus Apocal. ultimo dicitur: *Ex utraque parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim.* Tunc enim ultimam spiritalis vitæ suavitatem homo consequitur, quando & ad ea quæ sunt intra se, & ad ea quæ sunt juxta se, & ad ea quæ sunt infra se rectissimè ordinatur: Rectè autem disponitur homo intra se, cùm in divinis charitate firmatur, & in Domino gaudium plenum, quod nemo tollet à se, experitur; & pacem quæ exsuperat omnem sensum, à Christo datam, à Christo relictam, nec quomodo mundus dat, datam præsentit; & per patientiam possidet animam suam, & per longanimitatem nulla persequutionis instantia, nulla promissorum bonorum dilatione fatigatur. Erga illa verò, quæ sunt juxta se homo benè disponitur, dum in proximum bonitate diffunditur, benignitate se illi attemperat, mansuetudine eum demulcet, fide, seu fidelitate ingenuè & candidè, absque dolo & fraude cum illis conversatur. Denique in his quæ sunt infra se, passiones nimirum & exteriores operationes, benè se habet mens humana, si in dictis & factis modum modestiâ observat, si illicitas concupiscentias per castitatem domat, si à licitis etiam per continentiam abstinet.

Hæc cùm ita sint, permitte te, Lector, Spiritui sancto, ut in te donorum suorum charismata profundat, qui communicationis est avidus, & ut ait August. in Psal. 99. *Salutis nostræ avarus.* Permitte te totum, ut tibi donorum omnium beatissimam copiam, beatitudinum singularum felicitatem inchoatam; cunctorumque fructuum optandam suavitatem conferat, cui parum donum unum sine alio prodesset, dicente Gregorio 1. Moral. cap. 15. *Sicut unaquæque virtus sine alia valde destituitur, ita unumquodque donum sine alio imperfectum erit. Minor est sapientia, quæ intellectu caret; sapientia enim, quæ est sine intellectu, est hebes. Inutilis est intellectus, si ex sapientia non subsistat, quia cùm altiora sine sapientia pondere penetrat, sua illum levitas gravius ruiturum levat. Vile est consilium sine fortitudine, quia quod tractando invenit, sine viribus ad actum non perducit. Fortitudo etiam, quæ plus potest, sine moderamine rationis in praceps ruit. Nulla est scientia sine pietate, quia qui bona cognita non exequitur, gravius judicatur. Pietas sine scientia discretione quomodo misereatur ignorat. Timor sine his nihil valet, quia ad omnia trepidans à bonis torpet.* Permitte te illi ubique, quia ut ait Ambrosius lib.6. de fide resurrect. cap.3. *Potes ubique orare, & in cubiculo tuo semper orare: habes ubique cubiculum tuum. Etsi inter Gentes, inter Iudæos positus sis, habes tamen tuum ubique secretum. Cubiculum*

lum tuum mens tua est. In populo licèt positus, tamen in interiore homine arcanum tuum, secretumque conservat. Intra in recessum pectoris tui, totus ingredere. Permitte te generosè, quia ut in octonario 17. ait idem Pater: *Cum oras, magna ora; idest, ea ora, quæ æterna sunt, non quæ caduca; ora quæ divina sunt atque cœlestia, ut sis sicut Angeli in cœlo. Non audit Dominus nisi quod dignum sui ducit esse beneficiis.*

Duo monita.

Duo hìc in fine hujus speculationis observanda operæpretium duxi. Primum est, non sine causa Lucam enumerasse solùm quatuor beatitudines, Matthæum verò octo, quia ut ait D.Thomas, Lucas eas duntaxat beatitudines recenset, quas Christus turbis exposuit, quibus eas solùm proposuit, ut falsa earum existimatio felicitatem in bonis terrenis collocans, removeretur: unde paupertatem, esuriem, fletum, persequutionem amori divitiarum, deliciarum, vanitatum, & favorum humanorum opposuit: Matthæus verò eas beatitudines commemorat, quas discipulis Veritas proposuit, quibus utpote ad majora vocatis, ampliora etiam exposuit, quibus ad veram felicitatem faciliùs tendimus & securiùs.

Addit S. Ambrosius lib.5. in Luc. cap.6. *Quatuor tantùm beatitudines S. Lucas Dominicas posuit, octo verò S Matthæus: sed in istis octo illa quatuor sunt, & in quatuor istis illa octo.* Porrò hujus octonarii numeri rationem anagogicam subjungit adeo difficilem & obscuram, ut insignes viri, iique doctissimi à me consulti verba Ambrosii nedum comprehendere, sed ne quidem explicare unquam potuerint. Hæc autem verba omnibus obvia, & in communi plurium Martyrum frequenter in Breviario perlecta, sunt hæc: *Hic*, idest Lucas, *quatuor velut virtutes amplexus est cardinales: ille*, idest, Matthæus, *in illis octo mysticum numerum reseravit.* Verba illa adhuc satis plana sunt, sed cur mysticum numerum in illis octo Matthæus reseraverit, audi rationem obscurissimam, & quam, ni fallor, prima vice non intelliges: verba illa sæpè sæpius animo agitavi, & hæc tandem genuina, ut opinor, explicatio occurrit: *Pro octava enim*, inquit, *multi scribuntur Psalmi: & mandatum accipis octo illis partem dare fortasse benedictionibus. Sicut enim spei nostra octava perfectio est, ita octava summa virtutum est.* Ibi S. Ambrosius ad duo Scripturæ loca alludit, primus est titulus quorundam Psalmorum, qui inscribuntur *pro octava*, quia ut exponunt Abulensis, Lyranus, & Bellarminus, canebantur super cytharam octo chordarum; vel in sensu anagogico, quia in honorem futuræ resurrectionis, quæ erit octava ætas mundi, quæ succedet miseriis præsentium sæculorum, quæ septem diebus perpetuò circumaguntur. Ita Gregorius Magnus, Gregorius Nyssenus, & Beda. Secundus locus habetur *Ecclesiastis cap.*10. ubi dicitur: *Da partes*, vel ut alii legunt apud Robertum Stephanum, *partem septem, necnon & octo, quia ignoras, &c.*

Sensus ergo Ambrosii est hujusmodi: Ne miteris, si Matthæus octo beatitudines Dominicas posuerit, mysticum namque numerum voluit reserare: mysticum porrò esse illum numerum, & in Scripturis commendatum, ex eo patet, quod multi Psalmi titulum illum præferunt, *pro octava*: tum etiam quia Ecclesiastes nobis mandat partem dare septem & octo, per quæ octo fortassis intellexit octo istas benedictiones, seu beatitudines. Denique quia sicut octava & Dominica dies, in qua Christus resurrexit, significat resurrectionem nostram futuram, quæ tota est spei nostræ perfectio & consummatio, ita per octavam beatitudinem virtutes omnes comprehenduntur, quibus beatitudinem illam assequemur in futuro, eamque in præsenti participamus. Gratum me acturum Lectori arbitratus sum, si locum quotidie occurrentem, satisque salebrosum complanarem.

Alterum quod te moneri velim, est periculosum esse valde de motibus extraordinariis Spiritus sancti, ad quos per dona disponimur, judicium ferre. Unde nonnulli, mulieres potissimùm, fœdis prolapsionibus corruunt, & opinantes se operari aliquid grandius more mortali, nihil aliud agunt, quàm ut vanissimi & stultissimi videantur. Quare non nisi ad viros spirtales & eximiâ prudentiâ præditos, quibus datum est de omnibus judicare, motus illos discernere, & an malignus spiritus sese in Angelum lucis transfiguret, pervidere attinet. Unde dona illa spiritus vocantur, juxta illud Isaiæ 11. *Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientia, & intellectus, spiritus consilii & fortitudinis, spiritus scientia & pietatis: & replebit eum spiritus timoris Domini*: vocantur, inquam, spiritus, non solùm quia spiritu cordis divini, seu Spiritu sancto imprimuntur, ut eis agantur filii Dei; sed etiam quia singulari spiritus discretione in his insolitis dijudicandis opus est, ne opinio verisimilis fallat, ne quod bonum est, malum; ne quod malum est, bonum esse credatur. Hinc etiam D. Thomas præclarissimam & solidissimam regulam præscribit *lib.3.contra Gent.cap.*135. ut modum in externis humilitatis officiis teneamus, quod à novitiis observari pervelim. *Ea qua abjectionis sunt*, inquit, *sponte assumere, ad humilitatem pertinet, non quidem simpliciter, sed secundùm quod est necessarium. Cùm enim humilitas sit virtus, nihil indiscretè operatur. Non est igitur humilitatis, sed stultitia, si quis quodcumque abjectum assumpserit: sed si id quod necessarium est fieri propter virtutem, aliquis propter abjectionem non recusat; putà si charitas exigat quod proximis aliquod officium abjectum impendatur, hoc propter humilitatem aliquis non recuset.* Quamvis enim, ut ibidem observat S. Doctor, abjectus quandoque utamur per virtutem, ut medicinâ quadam: *puta*, inquit, *si alicujus animus ad immoderatam excellentiam sit pronus, utiliter debitâ moderatione servatâ abjectis utitur vel sponte, vel ab aliis impositis, ad elationem animi comprimendam, dum per hoc, qua gerit, sibi ipsi quodammodo parificat etiam infimos homines, qui circa vilia officia occupantur.* Attamen in his eximiâ prudentiâ opus est, & patris spiritalis occultâ providentiâ.



DISSERTATIO II.

De virtutibus Theologicis: & primùm de Fide.



ACTENUS in humanis morata parum ad divina conscendit Theologia nostra, ut circa Deum immediatè versetur, quæ à Deo nomen accepit. Illam sane puderet, & in nomen quod profitetur, se peccare, suoque officio deesse agnosceret, quin spuriam se & degenerem prædicaret, si humanis contenta virtutibus, humi reperet, & ingenitæ dignitatis oblita, divina & sancta non versaret animo, & cum Apostolo mente non excederet Deo, sublimia non speculatetur, & purissimis Christianismi maximis Ethicam non locupletaret,

locupletaret, quibus securà ad æternam felicitatem via sternitur & munitur. Quanvis enim omnes scientias & artes adhibeat, easque velut ancillas ad arcem vocet, eas tamen citò fastidit, tandiuque tæder, quandiu à divinorum, quibus immediatè speculandis inhiat, consideratione retardatur. Omnes perrumpi creaturarum obices avet, ut una uni vacet, Deo scilicet adhæreat,& unus cum eo spiritus evadat.

Neque enim scientiarum Regina eo nonnullorum errore imbuitur, qui Theologiæ sin unicum, certè præcipuum negotium & munus censent, legitimique Theologi partes se implevisse arbitrantur, si senticosis scholæ tricis immorati, implexis Metaphysicæ nodis, importunisque cavillorum remoris immorientur. Vera Theologia subtilitates non negligit, sed solida præferr; argutias moderatas non aspernatur, ne sit adversus hæreticos inermis & ignava; sed in illis operæpretium non ponit, & juxta regulam Augustini utendis utitur, fruendis fruitur, Deo scilicet, cui adhærere bonum est.

Ne mireris ergo, Lector, si decursis unica disseratione longissimis de virtute generatim disputationibus, ad Theologicas, Fidem, Spem, Charitatem Theologia nostra tota festina, & juxtà festiva procedat, ac fermè abrepta feratur, quia Christianismus hac triplici virtute, velut tessera, ab aliis omnibus Sectis distinctus, sola materia est digna quæ à Theologo Christiano tradatur, quæve à te, Lector optime, legatur. Te enim ita comparatum arbitror, vel volo, ut ea parum cures, quæ nec ignoranti nocebunt, nec scienti opem ferent; quia ti satagis rerum tuarum, si consulis & provides utilitatibus animæ tuæ, illis accuratissimam operam navabis, quæ Christianum decent, Christianismum docent, officii tui te monent, ad illudquè implendum juvant, instituunt, hortantur.

Nosce teipsum, inquiebant Philosophi: quantò potiùs Christiano sui notitia ingeri debet & inculcari, ut sciat se non minùs Philosophis præstare, sed infinitis partibus superiorem esse, quàm homines præstare brutis Philosophi crediderunt. Agnosce Christiane dignitatem tuam, agnosce qualis sit Dominus tuus, qui te servum suum fecit fratrem suum: parum erat, fratrem suum fecit membrum suum, fecit fide discipulum suum, spe commillitonem suum, charitate filium suum. *Itàne*, inquit Augustinus, *tanta dignitas viluit, quia tam benignè præstita est? Si non præstaretur, desideraretur: quia præstita est, contemnitur.* Si scires donum Dei, si Christiani statum, dignitatem, & officia expenderes, si Ethicæ Christianæ altitudinem, atque Evangelicæ legis œconomiam pervideres, & quàm magnam tibi personam imponat Christi institutio, ordo gratiæ, fidei lumen, spei securitas, amicitia charitatis, quâ adoptaris in filium Dei, expenderes, obstupefactus, ac extra te raptus utique gauderes, tibi prætermissis aliis immensam segetem metiendam suppeditari, indigitari immensas regiones decurrendas, opulentas aurifodinas aperiri, & amplissima proponi motiva, quibus & pii affectus cieantur, & vita tua ad immaculatas Evangelii, & Christianismi leges exigatur. Et quanvis, cordate Lector, ingenii & pietatis meæ inopia ab illa, quâ Theologum instrui decet, beatissimâ copiâ longissimè me abesse apertè confitear, & præ me feram; tanta tamen est Christianismi, virtutumque theologicarum opulentia, ut me quàmlibet exilem, & tractando pro dignitate Christianismo imparem, copia inopem faciat, ut patebit in decursu.

CAPUT I.

De Fidei natura, & dignitate.

De virtutibus theologicis agit in communi S.Thomas hic, *q. 66.* fusiùs verò & in particulari in principio secundæ secundæ, in qua parte de virtutibus singulatim acturus, divitias scientiæ suæ profudit, virtutum medullas, fimbrias, & veluti anatomen mira arte, majori pietate, & sibi semper constanti eruditionis profunditate exposuit, discussit, enucleavit. Nos autem brevitati uniceè studentes, ea quæ S. Præceptor de virtutibus duobus illis in locis disputavit, hîc simul explicanda suscipimus, & immensam infinitæ materiæ amplitudinem intra hujus tomi angustias derivandam aggredimur.

Faxit Deus ut nos,uti angelicæ ejus doctrinæ tenaces & ferè exscriptores, ita & illius simus pietatis æmulatores, in quam velut potissimum hujus tractationis scopum collineavit, ut declarant præclara verba in prologo 2. 2. præfixa: *Post communem considerationem de virtutibus & vitiis, & aliis ad materiam moralem pertinentibus, necesse est considerare singula in speciali: sermones enim morales universales minus sunt utiles, eo quòd actiones in particularibus sunt.* Verùm quia in hac sacra virtutum triade fides cæteras ordine saltem generationis præcedit, sicut lumen rationis omnium virtutum naturalium partui præit; ideo de ea priùs disserendum meritò arbitramur, quàm de aliis sermonem instituamus. Cæterùm ne vel æquivocatione laboret nostra disputatio, vel incertis subnixa videatur, duo sequentibus speculationibus veluti fundamenta præsternenda sunt, quorum altero quid nomine fidei intelligendum sit præmittamus, altero ejus existentiam in antecessum demonstremus.

Præmittitur significatio fidei, ejusque necessitas præsupponitur.

Præmoneo igitur primò, fidem varia significare, variisque proinde sub acceptionibus in Scripturis, probatisque Authoritatibus frequentari. In primis non rarò pro doctrina & dogmatibus veræ religionis sumi assolet, ut cùm post Athanasium recensitis religionis orthodoxæ articulis cantat Ecclesia: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.* In quo etiam sensu intelligendus venit locus ille Apocalypseos 2. cap. *Non negasti fidem meam*, id est doctrinam, quæ est veræ fidei objectum, non es inficiatus.

Accipitur secundò fides à Jurisperitis & Oratoribus pro fidelitate promissis firmiter stante, & dictis semper consentiente: sic etiam in Scriptura vocatur dispensator & servus fidelis, qui promissis non deest, officia persolvit, & quæcunque sive Deo, sive hominibus pollicitus est, exitu præstat. Sic etiam Deus dicitur fidelis in omnibus verbis suis, quia promissa ejus eventus nedum confirmat, sed superat: hinc dicitur de Christo *Isai.* 11. quod erit fides cinctorium renum ejus, quia est veluti totus fidelitate circumamictus, ut quæ pro æterna vita laborantibus spopondit, impendat, & ultra merita & vota superimpendat.

Usurpatur tertiò fides pro fiducia & confidentia, quâ quis de aliquo optimè sperans, ejus se voluntati permittit: sic cum fide nos orare vult Jacobus cap. 1. *Postulet*, inquit, *in fide, nihil hæsitans*; id est qui Deo sincerè servit, qui omnes cogitationes suas, omnia studia,

ſtudia, & omnem ſpem in uno Deo figit ac locat, qui unum Dei obſequium, prætetea nihil curat, ſecurus poſtulet, nec vacillans ab eo petat qui dat abundanter, & non improperat.

Quartò interdum veritatem, vel veracitatem ſignificat. Sic Chriſtus Apocalyp. 1. appellatur *teſtis fidelis*, id eſt veridicus & ſyncerus, à fraude purus, nulla ſimulatione tectus, nulla arte coloratus, ſed apertam & nudam veritatem peræquè amans, peræquè prodens. Denique & ſtrictè nomine fidei intelligunt Chriſtiani & Theologi virtutem illam divinitus infuſam, quâ myſteriis à Deo revelatis, quamlibet obſcuris, intellectus humanus & humiliter obſequitur, & firmiter aſſentitur. De hac impræſentiarum pluribus agemus.

Præmoneo 2. ſatis, ſuperque nos de exiſtentia fidei convictos iri, ſi ejus neceſſitatem ſuadeamus, cùm æquè Author gratiæ ac naturæ nunquam deficiat in neceſſariis. Fidei autem neceſſitatem ſublimi diſcurſu probat D. Thomas *q. 2. art. 3.* quia nimirum in omnibus naturis ordinatis duo ad inferioris naturæ perfectionem concurrunt, unum quidem ſecundùm motum ſuperioris agentis, ſicut aqua ſecundùm proprium motum impellitur in centrum, & ſecundùm motum lunæ movetur circa centrum ſecundùm fluxum & refluxum. Similiter orbes planetarum propriis motibus ab oriente in occidentem moventur; motu autem primi orbis ab oriente in occidentem cientur, quod in aliis principalioribus mundi partibus verum eſſe probatur: nam terræ ſecundùm propriam naturam convenit quies in centro, ex actione verò corporis ſuperioris, ſcilicet cœli, convenit germinatio vegetabilium. Ipſi etiam primo cœlo, ſcilicet Empyreo, convenit naturaliter lux & proprius motus; ex actione verò Angelorum perpetuitas motus. Quin & ipſis Angelis actiones quædam ſunt naturales, cumulata verò perfectio ex illuminatione ſuperiorum derivatur. Ergo ſimiliter creatura rationalis non ſolùm debet perfici eo quod ſibi ſecundùm propriam naturam competit, ſed etiam ſupernaturali perfectione, quæ per fidem obtinetur, conſummari; aliàs natura totius univerſitatis perfectiſſima deterioris foret conditionis: natura, inquam illa, quæ cùm agnoſcat univerſalem rationem boni, immediatum habet ad Deum ordinem; cùm ſolus Deus ſit univerſale bonum infinitæ cordis humani capacitatis ſatiativum: atqui ſummi boni participationem habere nequit, niſi priùs ſupremam veritatem agnoſcat, cujus proinde debet eſſe diſcipulus per fidem, ut diſcat à Deo doctore, juxta illud Joan. 6. *Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit.* Addiſcentem porrò oportet credere: ergo neceſſaria eſt fides, quâ homo aliquid ſupra rationem naturalem credat.

Accedit, fidem non modò ad ea quæ rationem excedunt cognoſcenda eſſe neceſſariam, ſed etiam ad ea quæ per rationem naturalem cognoſci poſſunt. Primò ut citiùs & faciliùs ad cognitionem veritatis homo perveniat, ad quam non niſi poſt longum tempus, & ſuppoſito ſcientiarum philoſophicarum apparatu humana ratio pervenire ſolet. Secundò, ut divinarum veritatum notitia communior ſit, & in hebetes, variiſque implicatos occupationibus diffundatur, quæ ante fidem non niſi paucis eruditis patere poterat. Tertiò, ut earundem veritatum cognitio certior ſit, & ab omni falſitate immunis, quæ antea non niſi multis permixta erroribus Philoſophis affulgebat. Quam rationem in prœmialibus Theologiæ latiùs proſequuti ſumus. Egregiè etiam, & juxtà acutè obſervat S. Thomas *art. 2. ad 3.* vix ac ne vix quidem poſſe Deum ſine fide verè cognoſci, imò infideles verè Deum eſſe non credere; quia cùm eas, quas de Deo norunt veritates, multis admiſceant erroribus, idolum ſibi fingunt, non Deum, qui cùm ſit ſimpliciſſimus, non poteſt partim verè, partim falsè cognoſci. Dum ergo aliquid ei verum tribuunt, & ſimul aliquid repugnans aſſerunt, ſibi ipſi contradicunt.

Dices: Quomodo fides poteſt eſſe eorum quæ per rationem naturalem poſſunt inveſtigari, cùm fides ſit neceſſariò non apparentium; ſcientia verò evidentium? Imò ſequeretur, actum credendi non eſſe meritorium, ea ſaltem credendo, de quibus eſt ratio naturalis; vel ſaltem meritum fidei minui: ſi enim habeatur ratio ſufficiens ad credendum Deum eſſe, id non erit liberum credere, vel non credere, ſubindeque non erit meritorium, cùm totam fidei difficultatem evacuet.

Reſpondeo, fidem non eſſe quidem neceſſariam, ut veritatibus illis aſſentiamur, quas poſſumus ratione naturali demonſtrare, ſed quia ratio humana offuſis præſertim peccatorum, & concupiſcentiæ tenebris obſcurata ſæpè ceſpitat, ſæpè cæcutit; ideo fides eſt neceſſaria, ut rationem vel errantem reducat, vel infirmam confirmet, vel dubitantem dirigat. Porrò naturales veritates, ſi ratione homo demonſtrat, de illis non habet fidem; ſi non capit, eis fide credit.

Quod ſi rationes illæ non ſint demonſtrativæ, nec pariant ſcientiam, ſed fidem duntaxat confirment, tunc fidei merito nequaquam obſunt: poſſunt enim dupliciter conſiderari, primò ut præcedentes, cùm nimirum aliquis eſt ità comparatus, ut nolit credere, niſi ratione humana inducatur; & tunc verum eſt dictum Gregorii: *Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum.* Sicut etiam homo actum virtutis propter antecedentis paſſionis impetum exercens, omni merito privatur. Secundò poſſunt ſe habere conſequenter, ut cùm homo promptam habens credendi voluntatem, diligit veritatem creditã, ad eamque exornandam pro virili excogitat rationes, & ſi quas invenire poteſt, ex abundantia cordis amplectitur, ut teſtimonia Dei credibilia faciat nimis; & tunc rationum ſtudium & inventio, ſicut melioris voluntatis, ita majoris meriti ſignum eſt: ſicut etiam in moralibus paſſionis impetus ferventem voluntatis amorem conſequutus promptioris eſt voluntatis argumentum. Imò in ipſa ſcientia licèt aſſenſus non ſit per ſe meritorius, quia non eſt liber, ſed efficaciâ demonſtrationis neceſſariò expreſſus; tamen quia conſideratio actualis libero ſubjacet arbitrio, meritoria eſſe poteſt, ſi ad finem charitatis, honorem ſcilicet Dei, & proximi utilitatem referatur. Quod à fortiori de actu credendi verum eſt, quia à pio voluntatis à Deo motæ affectu pendet, ſubindeque libertatis & meriti capax omninò dicendus eſt. His præſuppoſitis, de natura & eſſentia fidei agendum eſt, quæ quia ex objecto venanda eſt, de illo primùm diſſerere operæpretium eſt.

SPECULATIO I.

Fides ſolum Deum, ſolique Deo credit, ac divinæ duntaxat innititur authoritati.

PRo intelligentiâ ſupponenda, vel potiùs recolenda ſunt ea, quæ in principio libri primi de objecto Theologiæ præmiſimus, quibus adde objectum impræſentiarum dupliciter uſurpari poſſe: primò enim res credita vocatur objectum *quod*; authoritas verò propter quam credimus, vocatur objectum *cui*.

Quod

Quod utrumque subdividitur in materiale & formale: objectum *quod* materiale est illud, quod propter aliud credimus; formale verò est illud, quod per se & primariò credimus: objectum materiale *cui* est illud cui credimus ratione alterius, sicut formale est illud cui credimus propter se. Dum ergo asserimus Deum solum, solique Deo credere fidem, idem est ac si diceremus Deum esse objectum formale *quod* fides credit; & ejus veritatem in dicendo & attestando, seu veracitatem, esse objectum *cui* credit. Dixi objectum formale, quia de materiali nulla potest esse difficultas, apud omnes enim in confesso est & per se notum, objectum materiale quod fides credit, esse illud omne quod revelatum est; objectum verò materiale, seu personas quibus credimus, esse Prophetas, Christum Dominum, Apostolos, Evangelistas & Ecclesiam. Hoc præmisso.

Probatur prima pars: illud fides credit, seu illud est objectum *quod* formale fidei, cujus notitiam fides per se primò quærit, aliorum verò cognitionem negligit, nisi ad pleniorem illius objecti agnitionem deserviant; nihil enim aliud per objectum formale & primarium alicujus facultatis, scientiæ, & habitus intellexere hactenus Philosophi, vel certè intelligere potuerunt; ideo namque color est objectum adæquatum formale potentiæ visivæ, quia nihil sub potentiam visivam cadit, nisi sub ratione colorati; & illa multiplicium objectorum, ad quæ se extendit oculus, multiformis varietas quantaquanta est, nullatenus ad potentiam visivam referretur, nisi foret aliquo colore induta. Atqui fides solius Dei notitiam quærit, ad alia verò nequaquam divertit, & veluti digreditur, nisi quatenus ad Deum manuducunt, Deumque respiciunt, vel ut principium à quo procedunt, vel ut finem ad quem redeunt & contendunt: aliàs fides non esset virtus theologica, nec esset lucerna lucens in caliginoso loco, ad invisibilia Dei manuducens, nec substantia sperandarum rerum, id est divinarum, quæ sunt una & tota ratio spei nostræ: ergo solum Deum tanquam objectum formale adæquatum fides credit. *Si consideremus materialiter ea, quibus fides assentit* (inquit D. Thomas 2.2. quæst. 1. art. 1.) *non solùm est ipse Deus, sed etiam multa alia secundùm quod habent aliquem ordinem ad Deum, prout scilicet per aliquos Divinitatis effectus homo adjuvatur ad tendendum in divinam fruitionem; & ideò ex hac parte etiam objectum fidei est quodammodo veritas prima, in quantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum, sicut & objectum medicinæ est sanitas, quia nihil medicina considerat, nisi in ordine ad sanitatem.*

Dices: Nonne alia multa præter Deum sunt immediatè revelata, putà humanitas Christi? Nonne ista propositio, *Christus non est homo*, est immediatè contra fidem? Ergo solus Deus non est objectum immediatum fidei, nec subinde formale, quod est immediatè revelatum.

Respondeo non sufficere, ut aliquid sit objectum formale fidei, quod sit immediatè revelatum immediatione excludente discursum inferentem conclusionem ex articulo revelato, sed etiam excludente ordinem & attributionem ad aliud. Ista autem propositio, *Christus est homo*, licèt sit immediatè revelata, & non ex alia per discursum derivata, non tamen absque ordine & attributione ad Deum, quem unum fides quærit, ejusque notitià contenta est & felix: quod si præter Deum alia novit, non propter ista beatior, sed propter Deum solum est beata, & in hoc pacto fides expressio est scientiæ Dei & Beatorum.

Instabis: Fides, utpote virtus theologica, respicit quidem Deum! sed in hoc convenit cum aliis virtutibus theologicis Deo uni & unicè vacantibus: ergo prout ab aliis virtutibus distinguitur, respicit Deum sub ratione propria & characteristica, quæ non potest esse alia, quàm ratio entis revelabilis, quæ cùm possit prædicari in recto de omnibus quæ à fide respiciuntur, sola rationem objecti formalis sibi vindicat: ergo non Deus, sed ens revelabile, Deo & creaturis analogicè commune, est objectum formale fidei.

Respondeo Deum sub ratione primæ veritatis essentialis esse objectum formale fidei nostræ, fides enim est virtus ad intellectum pertinens; ac proinde Deum sub illa ratione respicit, circa quam intellectus occupatur: Deus autem respicitur ab intellectu sub ratione primæ veritatis. Et certè ideo fidei nomen virtutis theologicæ asseritur, quia Deum sub ratione alicujus divinitati eximii, non verò communis Deo & creaturis, qualis est ratio entis revelabilis, considerat: unde Dionys. cap. 7. de divin. nom. *Fides*, inquit, *est circa simplicem & semper existentem veritatem.* Nec obest quod Deus, ejusque veritas non prædicentur in recto de omnibus quæ fides credit; non obest, inquam, quia sufficit ut quæcumque respicit fides, ad Deum ut ad primam veritatem referantur, in eisque vel Deus ipse, vel radius splendeat Deitatis; & ideo *Marci* 11. *cap.* hæc virtus appellatur fides Dei, quæ circa Deum ejusque veritatem immediatè occupatur.

Urgebis: Deus sub ratione Deitatis est objectum Theologiæ, quatenus Deitas est ratio quam unicè Theologia quærit, propter quam cætera considerat, ex qua omnes divinas perfectiones, imò & omnes materias deducit, quæ ex illo principio, *Deus est qui est*, liquidò, & sponte fluunt, ut ex dictis primo libro perspicuum manet: ergo similiter Deus sub ratione Deitatis est objectum fidei, cùm idem sit objectum principiorum & conclusionum.

Respondeo quod dum asserimus primam veritatem esse objectum formale fidei, non excludimus Deitatem à ratione objecti formalis illius, sed potiùs eam includimus, tametsi non explicemus; Deitatem quippe contemplatur fides sicut diligit charitas: illi utraque inhiat, illi utraque incumbit immediatè, sed veritas fidem allicit, bonitas charitatem inescat; cum quo stat utramque virtutem, utpote theologicam, Deum immediatè respicere, sed diverso veluti radio divinitatis illici, ut ipsam quam unicè quærit Deitatem, faciliùs & connaturaliùs inveniat, penetret, potiatur. Itaque in rei veritate, & absque vitilitigatione idem est objectum fidei & Theologiæ; sed tamen est aliqua differentia per modum includentis & inclusi: nam cum de Theologiæ objecto loquimur, de sola Deitate est sermo, quia Deitas est ratio omnium probandorum de Deo: cùm verò de fide est sermo, veritatem explicamus; tum quia cùm Deitas possit esse objectum opinionis & fidei acquisitæ per solam Deitatem, non fuisset explicata propria ratio fidei, quæ exigit actum indefectibilem à vero, veritatis amantem & tenacem. Tum quia debuit explicari distinctio fidei à spe & charitate, quæ licèt versentur circa Deum, non tamen sub ratione primæ veritatis, sed supremæ bonitatis. Quare sicut promiscuè dicimus ens & verum esse objectum intellectus, quia ens non considerat nisi ratione veritatis, nec veritatem speculatur nisi ut cognoscat ens; ita & Deitatem, & primam veritatem objectum fidei asserimus, quia Deitatem ratione veritatis virtus intellectualis considerat.

Secunda pars probatu facillima est hoc discursu: illi fides credit, cui tota innititur, quóve ad creden-

dum maximè impellitur : atqui tota ratio quare fides credit, est divina veracitas, id est non alio ad tota & tanta, tamque ardua mysteria credenda cietur ut motivo, nisi quia Deus, qui est veritas, quive falli, aut fallere nec vult, nec potest, veritates illas quámlibet occultas & juxtà difficiles revelavit : ergo ficut Deum solum, ita Deo soli fides nostra assentitur, juxta illud Hilatii : *Soli Deo de se credendum est, quia nisi solus se novit.* Et illud Cassiani lib.4. de Incarnatione, cap.6. *Deus hoc dixit: verbum illius summa ratio est : removeo argumenta, removeo disputationes, sola mihi ad credulitatem sufficit persona dicentis.* Unde ait D. Thomas quæst.14. de verit. art.8. ad 16. *Testimonium veritatis primæ se habet in fide ut principium in scientiis demonstrativis.* Patet autem principium in scientiis esse medium & motivum assensus scientifici : ergo similiter divina veritas est motivum unicum, propter quod fides credit, cui inhæret, in quo ultimo sistit, Deo enim credimus, quia est veritas : nec possumus nisi insulsè interrogari, quare credimus veritati. Nec interest, quod illa ratio formalis sit extrinseca, cùm veritatibus revelatis non nisi propter extrinsecum testimonium, non verò propter internam rei notitiam & scibilitatem assentiamur.

Sed dices : Nondum sistit fidei resolutio, donec Deitatem ipsam pro ratione proferat ; eùm enim verum sit passio entis, veritas divina deitatem consequitur ; unde si quæratur, quare Deo credimus, respondemus : Quia est veritas, fallere nec volens, nec valens. Si rursum, quare est veritas postuletur ? Quia Deus est, dicimus : ergo in deitatem tota refunditur fidei resolutio, subindeque deitas est ratio formalis fidei.

Respondeo, quod postquam reddita est causa quod creditur Deo, quia est ipsa veritas, ista quæstio, quare Deus est veritas, non est ad rem, sed planè impertinens, neque per se spectat ad causam assensus, sed causam rei : undecunque enim proveniat Deum esse veritatem, perinde est, quia infallibili veritati undecunque provenienti securi credimus, cùm falsum non possit ab incommutabili veritate promanare. Unde si per impossibile posset dari summa veritas, summaque veracitas, quæ non esset Deus, illi planè credendum foret : quod ergo veritas divina in Deitatem resolvatur, materialiter se habet ad fidei assensum ; subindeque Deitas est magis ratio fundamentalis fidei, quàm formalis.

Instabis : Assentiri Deo revelanti, quia veritas est, convenit Prophetis, reperitur etiam in Beatis assentientibus Deo annuntianti aliquid futurum, vel alieni cordis arcana detegenti : ergo assentiri Deo veridico non est proprius & singularis fidei actus, sed aliis communis.

Respondeo assentiri Deo revelanti aliter convenire Beato, aliter fideli, aliter Prophetæ ; fidelis enim Deo obscurè revelanti assentitur, Beatus verò summa, vel cordis cogitata per impressam evidentis luminis claritatem novit : Prophetam autem futura vel secreta à Deo sive claré, sive obscurè audire, perinde est, ejusque studium & officium neutram in partem propensum est. Nisi mavis dicere duo in Propheta inveniri, assensum nimirum Deo revelanti, & vaticinationem futura vel secreta pangentem, seu procul santem ; porrò prius munus ad fidem, posterius ad prophetiam pertinere.

Insistes : Ultima fidei resolutio fit in authoritatem Ecclesiæ, juxta celebre illud Augustini pronuntiatum, quo omnes hactenus hæreses sæpe truncatæ, semper truncandæ sunt, ex libr. contra epist. fundam. cap.5. *Ego Evangelio non crederem, nisi me Catholicæ Ecclesiæ commoneret authoritas.* Quod quidem intelligitur de Ecclesia non præcisè prout est congregatio fidelium (qua ratione non nisi humana authoritate pollet,) sed prout est organum Spiritus sancti divinitus permotum, & jugiter in propositione, atque expositione credendorum gubernatum : ergo non soli Deo fides credit.

Respondeo quod licèt authoritas Ecclesiæ sit regula & mensura infallibilis, ad quam veluti amussim credenda exigere debemus quoad propositionem & explicationem ; ultima tamen & decretoria fidei resolutio, quoad formalem assentiendi rationem in divinam duntaxat authoritatem & infallibile Spiritus sancti testimonium reducitur, & quiescit. Abominamur quidem, & totis odiis execramur nefandam Modernorum Novatorum hæresim Ecclesiæ authoritatem omnem pessundantium, & ad nihilum redigentium. Sed hunc errorem latè confutavimus superioribus tomis, & tuemur Ecclesiæ infallibilem in proponendis, explicandisque fidei articulis eximiam authoritatem operosè pro virili asseruimus. Verumtamen cum his stat ultimam & totalem assentiendi rationem Deo esse subnixam : ita ut revelatio divina sit ratio formalis, authoritas verò Ecclesiæ sit ministra objecti fidei, eo ferè modo, quo assensus scientificus reducitur in medium veluti motivum assentiendi, in syllogismum verò tanquam in instrumentum artificiosè disponens, apteque proponens illud medium, ut alliciat, rapiatque intellectus assensum. Quocirca divina authoritas est ratio formalis credendi, ecclesiastica verò est conditio sine qua minimè crederemus ; sicut bonitas proposita motivum est voluntatem ad se pellicientis ac prolectans; propositio verò bonitatis ab intellectu exhibere conditio est sine qua bonitas ostensa voluntatem minimè irretiret. Quorum omnium fundamentum inconcussum est, quia fontalis & primitiva ratio determinans intellectum fidelem, in eo sita est, in quo invenitur, & originatur dicendi infallibilitas. Atqui licèt in Ecclesia, prout est organum Spiritus sancti, infallibilitas inveniatur, illa tamen infallibilitas Ecclesiæ, utpote columnæ & firmamento veritatis eximia, non est prima radix firmitatis assensus, sed est resolubilis in divinam, cui subordinatur, & à qua totam suæ certitudinis firmitatem haurit, & mutuatur. Neque enim Ecclesiæ credimus, nisi quia est vox Dei, cujus proinde revelationi tanquam basi tota innititur fidei nostræ certitudo. Ergo soli Deo ultimò credit fides nostra, quæ propterea merè & adæquatè divina est.

Urgebis : Hoc quod est Ecclesiam regi à Spiritu sancto ideo credimus, quia sacris literis proditum est ; unde ad hoc confirmandum conglobatas Scripturæ authoritates, & promissiones proferimus, quibus indefectibilitas Ecclesiæ vindicatur, asseriturque portas inferi nunquam adversus illam prævalituras. Ergo non in Ecclesiam ut proponentem, nec in Deum ut revelantem, sed in Scripturas ultima fidei resolutio refunditur.

Respondeo evidens esse, solam Scripturam non esse ultimam fidei nostræ determinationem & veluti pondus assensus ; tum quia sacræ literæ corrumpi possunt vel corruptela hæreticorum, vel ignoratione Typographorum. Tum quia assignari debet aliqua regula infallibilis, vel lydius lapis probans legitimos & canonicos libros, eosque discernens à spuriis ; quam utique litem Scriptura non dirimit. Tum quia Scripturæ sensus non est omnibus pervius, sed sæpè reconditus, & abstrusus ; nec pro cujuslibet arbitrati verus debet elici sensus, sed à regula indefectibili exponendus : sicut in politicis leges

leges non ab omnibus exponuntur, sed à judicibus, penes quos res est. Tum quia licèt omnia ad fidem pertineutia virtualiter in Scripturis contineantur, non tamen formaliter explicantur, sed multa ex illis afflante Spiritu sancto deducuntur, sicut è principiis variæ conclusiones derivantur. Tum quia fides nostra, & Apostolorum, cùm sit ejusdem rationis, in idem resolvitur: illi autem viri docti à Domino fidem suam in Scriptores non resolvebant, nec in Ecclesiam tanquam in rationem formalem, cùm ipsi essent fundatores nascentis Ecclesiæ, & canonicorum librorum scriptores. Ergo ultima resolutio fidei in divina sistit authoritate proposita ab Ecclesia, & in Scripturis sub interpretamento Ecclesiæ contenta. Tum deinque propter mulriplicem illum rationum instructum, quibus hanc veritatem dissertatione præambula tomi superioris munivimus, & deploranda Calvinistarum ultimam controversiarum decisionem ad privatum proprii spiritus instinctum inepissimè refundentium deliramenta confutavimus.

Ad argumentum ergo dicendum, quod cùm asserimus resolutionem fidei nostræ fieri in authoritatem Ecclesiæ, per Ecclesiam intelligimus etiam omnem ejus doctrinam, quæ est verbum Dei & ipsa Scriptura, itaut ex utroque fiat regula totalis & adæquata: & hinc est, quod una per aliam vicissim juvatur, & propter connexionem una per aliam comprobatur, sicut Christus testimonium perhibebat de Joanne, & Joannes de Christo. Unde nec in Scripturam præcisè, nec in Ecclesiam duntaxat, sed in utramque simul reducitur fidei nostræ resolutio. Non quòd authoritas Ecclesiæ sit ratio formalis credendi, sed quia est organum, oraculum & instrumentum à Deo institutum, quo suam patefaceret voluntatem, & cœlestia divini cordis arcana reseraret.

Insistes: Ergo committetur circulus vitiosus in processu resolutionis fidei nostræ; cùm ideo credamos Ecclesiæ, quia ita monet Scriptura; Scripturæ verò fidem adhibeamus, quia Ecclesiæ suadet authoritas.

Respondeo, quod quando assumitur authoritas Ecclesiæ probata per Scripturam ad ejusdem Scripturæ authoritatem confirmandam, non accipitur authoritas Ecclesiæ ut probata solùm per scripturas, sed ut aliunde manifestata, præclaro nimirum credibilitatis argumentorum concentu persuasa, ob quæ Ecclesia tot præsidiis ornata grandem sibi conciliat authoritatem, dignaque est, quæ credatur. Maximè quia hujusinodi probatio apud fideles duntaxat & domesticos fidei valet, contra Infideles verò Scripturas quasdam confitentes, & pro arbitrio decurtantes, quo pacto sit disputandum, dissertatione præambula secundi tomi satis operosè monstratum est.

Replicabis: Si quæratur cur Ecclesiæ credendum sit, respondetur: Quia Deus dixit; & si requiratur cur credatur ita Deum dixisse, respondetur: Quia hoc Ecclesia profitetur: sed tunc testimonium Dei sola Ecclesiæ authoritate probatum assumitur ad ipsam Ecclesiæ authoritatem confirmandam. Ergo velimus nolimus, in evidentem incurrimus circulationem.

Respondeo, quod dum respondet aliquis se credere Ecclesiæ, quia ei credendum fore Deus jubet, tunc reddit rationem formalem assensus sui: quando verò iterum rogatus respondet se credere Deum de Ecclesia testimonium perhibere, quia ita credit Ecclesia, tunc non reddit rationem formalem assensus, sed causam materialem vel instrumentalem, qua veluti interprete Deus nobis suam aperit voluntatem. Nec propterea circulo circumagimur, tum propter diversum genus causæ: tum quia non credimus Ecclesiæ leviter & utcunque, sed habenti verbum Dei, & Scripturas ab inimicis nostris Judæis traditas, & ad nos delatas, subindeque minimè suspectas, miraculis etiam, atque omnigenis credibilitatis argumentis veluti totidem sigillis obsignatas: sicut Proregi obsequimur, quia ipsum provinciæ præfecit Rex: præfecisse autem credimus, quia sibi provinciæ regimen demandarum Prorex solenni Regis diplomate, grandiorisque sigilli tabulis munitus asseverat.

Reflexio.

Si fides solum Deum credit, nec alia quævis dignatur aspicere, nisi sint radiis divinitatis perfusa, profectò non fidelis est, nec subinde Christianus, qui unum sibi scopum Deum in omnibus operibus non præfigit. Hunc fidei candorem, à quo bona debent omnia opera proficisci, obscurat animus, quidquid agit in proprium referens commodum vel honorem, fitque quadantenus voluntas hæretica in mente catholica; quia juxta Ambrosium lib. 1. Officior. cap. 30. *Affectus tuus nomen imponit operi tuo: quemodo à te proficiscitur, sic æstimatur.* Ergo si affectus tuus fidelis non sit, nec divinæ consentiens voluntati, catholicè credens, hæreticè operaris.

Itaque, Lector, esto nedum animo & corde, sed etiam opere fidelis, ut glorifices, & portes Deum in corpore tuo, ut glorificetur nomen Domini nostri Jesu Christi in te, ut luceat lux tua coram hominibus, & glorificent Patrem tuum qui in cœlis est; ut tanquam genere electo, gente sancta, populo acquisitionis virtutes annunties ejus, qui de tenebris te vocavit in admirabile lumen suum; inque in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum. Alioquin tametsi fide christianus, opere tamen infidelis jure merito nominabere. Etenim nonne operibus suis infidelis est, cujus vita Christo dedecori est, in cujus moribus Christus opprobrium patitur & maledictum? Nam, ut aliàs ex Chrysostomo ponderavimus, nihil adeo infideles arguit ut Christianorum vitius, nihil adeo perturbat, ut malitia. *En nos sumus causa*, inquit Chrysostomus; *nos, inquam, ut illi in errore permaneant. Iam pridem doctrinam suam damnassent, & nostram approbassent, nisi vitâ nostrâ retraherentur. Verbis philosophari perfacile; sed inquirunt operum probationem. Itaque horum nos pœnas dabimus, non solùm eorum, quæ ipsi commisimus, sed quorum authores fuimus, ut Dei nomen blasphemetur.* Certè si verum est, quod aliàs ex Augustino notavimus, est difficile ut malè vivat, qui benè credit, vix benè Deo credit, qui malè vivit: ergo mala vita & prava intentio, fidei censetur titubatio, & penè jactura, ac fermè infidelitatis suspicio.

Speculatio II.

Variæ objecti fidei conditiones, & dotes exponuntur.

Quia namque fidei ex ejus objecto pensanda est, necesse est ut ea explicemus, quæ ad objectum fidei requiruntur; objectum, inquam, sive formale, sive materiale: idest, quærimus quid opus sit, ut aliquid fide divina credatur.

Prima conditio objecti fidei, propositio Ecclesiæ Catholicæ.

Primò ad hoc ut aliquid fide credatur, exigitur ut

ut fit Catholicæ, & univerfali Ecclefiæ revelatum: quia ut ait S.Thomas 1.p.quæft.1.art.8.ad 2. *Innititur fides noftra revelationi Apoftolis & Prophetis factæ, qui canonicos libros fcripferunt; non autem revelationi, fi qua fuit aliis Doctoribus facta.* Quia nimirum ut aliquid credatur fide catholica, opus eft ut illud per Ecclefiam, & viros Apoftolicos proponatur; domeftici namque Dei fuperædificati funt fuper fundamentum Apoftolorum & Prophetarum: opus eft quoque ut ad illud credendum omnes Fideles teneantur: opus eft iterum, ut illud fuerit femper, ubique, & ab omnibus Catholicis creditum, ut profequitur in fuo aureo commonitorio Lirinenfis: ergo ut aliquid objectum fidei ingrediatur, neceffe eft ut proponatur ab Ecclefia, quæ eft regula infallibilis. Neque enim privatis revelationibus fidendum eft; tum quia fæpè fæpiùs incertæ, dubiæ, fluxæ, imò & falfæ funt: tum quia probandi funt fpiritus, utrum à Deo fint, fefeque Angelus fathanæ transfiguret in Angelum lucis: tum quia de eodem interdum variæ & adverfæ proferuntur revelationes, cùm tamen verum non fit vero contrarium, & affertionum contradictoriarum non poffit utraque effe fimul vera; unde chriftianæ cautionis, & prudentiæ eft illis ægrè credere. Quod à rectoribus animarum, muliercularum præfertim confeffariis obfervandum percelim, ne nimiâ indulgentiâ fomnia cum divinis revelationibus confundentes, inania fœminarum beatas ementientium cerebella impleant fumo, quo deceptæ choris intereffe fe putent Angelorum, quæ in vitiorum cœno volutantes multiplici peccatorum agmine ftipantur. Quantumvis ergo de divinis garriant, vel mera oracula proloqui videantur; durè tamen illis fidem habe, acerbo pudore illas fuffunde, narratiunculas floccifac, & omnia fufpecta habeto, vel fucofa ludibria, ac fallaces rei bonæ imagines exiftimato, nifi diuturnis probatæ fidei, & folidæ humilitatis experimentis coactus aliquid de feveritate remittas. Si fecus te geras, grandia in difcrimina incides, quibus vix, ac ne vix quidem unquam defungèris.

Quod fi contingeret Deum aliquid privatim alicui revelare cum iis certitudinis convincentis argumentis, quibus perfpicuum erat Apoftolis & Prophetis Deum in ipfis & per ipfos loqui; tunc ille à Deo audiens, utique credere poffet & teneretur; Deus namque quidquid cuicumque, & quocunque modo revelet, digniffimus eft qui credatur, nec opus eft externa propofitione Ecclefiæ, quando Deus intus lucet, intus movet, intus corufcat; fi tamen ita luceat, ita moveat, ita corufcet, ut Deum adeffe loquentem perfpicuum fit.

Secunda conditio objecti fidei, formalis, vel virtualis revelatio ab Ecclefia declarata.

Secunda conditio: Objectum fidei debet effe non tantùm virtualiter, fed formaliter revelatum, vel faltem ab Ecclefia expreffè declaratum. Ratio eft, quia quod eft virtualiter revelatum, per difcurfum deducitur, & eft conclufio theologica, de qua fæpè inter doctos, imò & inter ipfos Patres eft controverfia: ergo non pertinet ad objectum fidei, donec adveniente Ecclefiæ determinatione declaretur, neceffariam effe connexionem inter propofitionem formaliter, & propofitionem virtualiter revelatam. Certè cùm Theologia, & fides diftinguantur non minùs quàm fcientia & habitus primorum principiorum, neceffe eft ut diftinctum habeant objectum, cùm diftinctionem habituum à differentia objectorum defumi in confeffo fit apud omnes. Atqui propofitiones virtualiter revelatæ, feu ex articulis fidei formaliter revelatis illatione deductæ, funt objectum Theologiæ, cujus ratio formalis fub qua eft revelatio virtualis, ut primo libro fatis oftenfum eft, & vix ab ullo peritiorum termino negari poteft: Ergo ea, quæ virtualiter duntaxat revelata funt, non ingrediuntur objectum fidei, fed ea folùm, quæ funt formaliter, five explicitè, five implicitè revelata. Sicut cùm revelatur Chriftum effe hominem, de fide eft Chriftum effe animal, quia animal in homine implicitè includitur; fed non eft de fide Chriftum habere formam corporeitatis, quia de ejus exiftentia diffentiunt Doctores.

Dices: Cùm Deus revelat aliquid, putà humanitatem Chrifti, illam proponit prout eft in fe, ac proinde prout eft radix rifibilitatis, quæ confequenter ex revelatione humanitatis neceffariò inferri poteft, & ab Ecclefia definiri: Ergo rifibilitas fuit à Deo revelata, cùm Ecclefia novas non habeat revelationes, fed infallibilem duntaxat Spiritus fancti affiftentiam ad ea explicanda, declarandaque, quæ fuerunt à Deo primitùs revelata: aliàs Ecclefia novos poffet ad arbitrium condere articulos, quod nemo dicit.

Refpondeo, hoc argumento probatum iri omnes propofitiones fyncategorematice infinitas, quæ ex uno principio fidei deduci longo fyllogifmorum circuitu poffent, ad objectum fidei pertinere: quod per fe fatis abfurdum eft. Dicendum ergo, quod cùm Deus revelat formaliter aliquid, promptum erga illud exigit fidei noftræ obfequium captivans intellectum; quoad alia verò, quæ ex articulo revelato artificiofo fyllogifmorum tractu deduci poffunt, affiftentiam infallibilem promifit Ecclefiæ, ut pro fidelium neceffitate, proque hæreticorum hominum audacia coërcenda, qualis, & quanta fit cum fide connexio determinaret. Non habet ergo Ecclefia novas revelationes, fed perennem fponfi fui Secum ufque ad confummationem fæculi permanentis fenfit præfentiam, quâ controverfias dirimit, caufas judicat, quæftiones refolvit; & tunc propofitio incipit ad objectum fidei noftræ pertinere, non ideo præcisè, quia eft virtualiter revelata, fed quia cùm fit virtualiter revelata, formaliter eft ab Ecclefia declarata, & ab articulo in quo latitabat, educta.

Tertia objecti Fidei dos, certitudo.

Tertia conditio: Objectum fidei eft adeo certum, ut illi falfum fubeffe vel ex parte Dei revelantis aliquid falfum, vel ex parte noftri utendo habitu fidei ad affenfum falfum, planè impoffibile fit. Et primò quidem objectum fidei non poffe effe falfum ex parte Dei, eft nimis evidens, & primo libro, dum de veritate Dei, manifeftiffimè perfuafum; unde breviter confunditur Prifcillianiftarum vefania Deo mendacium afferere non erubefcentium, tum expreffis teftimoniis Scripturarum. Hebr.6. *Volens Deus oftendere immobilitatem fui confilii interpofuit jusjurandum, ut per duas res immobiles, quibus impoffibile eft mentiri Deum, firmiffimum folatium habeamus.* Rurfum 2. Tim. 3. *Ille fidelis permanet, negare feipfum non poteft.* Tum quia vel Deus enuntiaret falfum ex errore & ignorantia, & hoc repugnat omnifcientiæ, & infinitæ fapientiæ ejus; vel confultò, & ex induftria, & hoc ejus fimplicitati, puritati, & fanctitati adverfatur, cùm mendacium fit actus intrinfecè malus, focietatis everfivus, fiņceritatis exterminium, nedùm Deo, fed creaturâ intellectuali & honefta indigniffimum. Unde meritò Patres veritatê & mentiendi impoffibilitatem

litatem adeò cum Divinitate indivulsam existimarunt, ut Dionys. *cap. 8. de divin. nom.* dixerit: *In Deo à veritate cadere, est à Deo cadere.* Et August. *lib. 10. de Symb. ad catech.* non dubitat asserere, Deo æquè impossibile esse fallere ac mori. Vide plura dum de veritate Dei, ubi ostendimus perfectionem illam, quæ est simpliciter simplex, esse ita cumulatam, ut ea nihil majus esse, vel cogitari possit, subindeque à Deo removere omnem mentiendi, vel falsum ullum enuntiandi, sive de via ordinaria, sive de extraordinaria, sive per se, sive per alium possibilitatem.

Quod autem ex defectu nostro, seu pravo intellectus usu fides non possit ferri in aliquid falsum, perspicuè tradit Angelicus Doctor *artic. 3.* dicens: *Possibile est ex conjectura humana hominem fidelem falsum aliquid æstimare; sed quod ex fide falsum æstimet, hoc est impossibile.* Idque rationibus persuadet. Tum quia nulla virtus perficiens intellectum potest inclinare ad falsum; virtus namque intellectualis est essentialiter dispositio subjecti ad optimum: optimum autem intellectivæ virtutis est verum, cujus verò malum non est aliud quàm falsum. Tum ex discrimine quod fidem inter & alias virtutes, tum Theologicas quàm morales intercedit; istis enim falsum subesse potest, quia ut ait D. Thomas ad 1. *Verum est bonum intellectus, non autem est bonum appetitivæ virtutis: ideo omnes virtutes quæ perficiunt intellectum, excludunt formaliter falsum, quia de ratione virtutis est quod se habeat solùm ad bonum: virtutes autem perficientes appetitivam partem, non excludunt totaliter falsum.* Hinc aliquis potest secundùm justitiam, misericordiam, aut temperantiam agere circa objectum deceptus. Sic viri sancti sæpe sæpius in mandatis cupientes nimis, medium virtutis transiliunt: alii toti effusi bona sua pauperibus impendunt & superimpendunt modo qui est ultra omnem modum: alii tam anxio castigandi corporis desiderio æstuant, ut quanvis secus suadeat corpusculi debilitas aut infirmitas, in illud tamen piam non desinunt exercere carnificinam; sed tamen virtutes sic piè errantes non transgrediuntur sphæram objecti specificativi, quod est bonum morale. At verò si virtus intellectualis inclinaret ad objectum falsum, vel eliceret assensum erroneum, ferretur extra objectum suum specificativum, sicut si lumen invitaret ad tenebras. Tum ratione fundamentali jam insinuata ad hanc formam reducenda. Nihil subest alicui potentiæ, vel habitui, aut actui, nisi mediante ratione formali objecti; sicut color videri non potest nisi per lucem, & conclusio sciri nequit nisi per medium demonstrationis: Atqui ratio formalis objecti fidei est veritas prima: ergo nihil potest cadere sub fide nisi in quantum stat sub veritate prima, & eà veluti induitur: Atqui sub veritate prima nullum falsum stare potest, sicut nullum non ens sub ente, vel nullum malum sub bonitate contineri: ergo fidei nullum falsum subesse potest, etiam ex parte nostri.

Proponuntur & solvuntur objecta.

Objicies primò contra priorem partem hujus conditionis: Deus aliquando per se ipsum, aliquando per ministros falsa revelavit: v. g. 4. *Reg.* 2. mortem Ezechiæ Isaias prænunciavit, qui tamen annis quindecim supervixit. Et Jonas *cap. 3.* subversionem Ninivæ prædixit minimè consequutam. Unde Job 12. dicitur: *Deus decipit nos, & eos errare facit sicut ebrios.* Multi etiam Dei ministri non sine illius instinctu mendacium variis in necessitatibus protulerunt. Sic Abraham *Genes.* 22. dixit sociis, se cum filio reversurum, quem tamen jussu Dei immolandum, mortique tradendum ducebat. Sic Jacob *Genes.* 27. dixit Patri, se esse primogenitum Esaü: qui, ut notat Cajetanus, excusatus fuisset à mendacio, si dixisset tantùm se esse primogenitum, sed mentitum esse convincitur, dum dixit se esse Esaü.

Respondeo, verba sive à Deo solo, sive ab aliis Deo afflante prolata, omnimodâ veritate constare; nam de verbis Domini dicitur, quod cœlum & terra transibunt, verba autem ejus non transibunt, id est desituram potiùs & cœlorum incorruptibilitatem & terræ stabilitatem, quàm verborum Domini concutiendam firmitatem. De verbis etiam à ministris vice Dei prolatis idem patet, quia mendacium in Deum ipsum per illos loquentem refunderetur, præsertim cùm dicat Veritas, Matth. 10. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et in omni genere peccatorum eadem pœnâ digni sunt, eadem culpâ rei, qui faciunt, & qui consentiunt facientibus: nec minùs mendacii damnatur qui falsum testimonium, sive per se, sive per alium, sive verbo, sive scripto profert.

Ad singula ergo quæ objiciuntur, dicendum locis illis, quibus Deum prædixisse aliquid quod non contigit, Scriptura commemorat, nullam contigisse falsitatem, sed miram sapientiam, & veritatem. Ad cujus evidentiam considerandum est cum D. Thoma multis locis, & seorsim 2. 2. *quæst.* 17. *art.* 6. *ad* 2. divinam præscientiam respicere futura secundùm duo, scilicet secundùm quod sunt in seipsis, in quantum scilicet ipsa præsentialiter intuetur; & secundùm quod sunt in suis causis, in quantum scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quanvis futura contingentia prout sunt in seipsis in præsentia æternitatis omnia suo ambitu concludentis, sint terminata ad unum; tamen prout sunt in suis causis non ita sunt determinata, quin possint aliter evenire. Et quanvis ista duplex cognitio semper intellectui divino conjungatur, imò sit una & simplex cognitio, quæ est ipse Deus: non tamen conjungitur semper in revelatione prophetica, quia impressio agentis non semper adæquat totam virtutem illius. Unde quandoque revelatio prophetica est impressa quædam similitudo divinæ præscientiæ, prout respicit ipsa futura contingentia in seipsis, & talia sic eveniunt sicut prophetantur, quale est illud Isai. 7. *Ecce virgo concipiet.* Quandoque verò prophetica revelatio est impressa similitudo divinæ præscientiæ, prout scilicet cognoscit ordinem causarum secundarum ad effectus, & tunc quandoque aliter evenit quàm prophetetur. Nec tamen prophetiæ subest falsum; nam prophetiæ sensus est, quod inferiorum causarum, sive naturalium, sive humanorum actuum dispositio hoc habet, ut talis effectus eveniat. Et secundùm hoc intelligitur verbum Isaiæ dicentis: *Morieris, & non vives*; idest dispositio corporis tui ad mortem ordinatur. Similiter quod dicitur Jonæ 3. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; idest, hoc ejus merita exigunt, ut subvertatur, & reapse subvertetur, nisi magnæ humilitatis pœnitentiam agatis. Hæc ferè S. Doctor, cujus doctrinâ patet quomodo Deus non fallat, tametsi non semper impleantur divinæ prædictiones, quæ interdum non divinæ voluntatis constitutionem, sed causarum inferiorum dispositionem denuntiant. Porrò illud Job 12. *Deus decipit nos, & errare facit*, intelligitur in sensu permissivo, non inspirando, sed permittendo intellectus humani in tenebris concepti falsitatem, illumque reprobo sensui tradendo; sicut dicitur Deus obdurare voluntatem, non impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.

Ad exempla ministrorum Dei respondet etiam

egregiè idem Præceptor sanctus his propemodùm verbis 2.2. *quæst.* 110. *art.* 3. *ad* 3. Dicendum quod in sacra Scriptura, ut Augustinus dicit, indocuntur aliquorum gesta, quasi exempla perfectæ virtutis, de quibus non est æstimandum eos fuisse mentitos. Si quæ tamen in eorum dictis apparent, quæ falsitatem redoleant, vel mendacium præ se ferant, intelligendum est ea in sensu figurato, & prophetico esse prolata. Unde Abraham nullum protulit falsiloquium, quia secundùm Augustinum *serm. de immolat. Isaac*, in spem contra spem sperans, & filium mactaturus ducebat, & à Domino suscitandum confidebat, ut *ad Hebræos* 11. satis indigitat Doctor Gentium, *Abraham detulit filium suum, arbitrans quod potens est Deus à mortuis suscitare.* Jacob verò, ut observat S. Thomas paulò antè laudatus, in sensu mystico dixit, se esse primogenitum Isaac, quia illi primogenitura jure debebatur. Porrò hujusmodi figurato modo loquendi, Deo inspirante, & lumine prophetico perfusus uti potuit ad designandum mysterium subrogationis minoris populi, scilicet Gentilis, in locum primogeniti, nimirum Judaïci; nec tenebatur juxta intentionem Patris respondere, quia loquebatur ut Propheta mysteria pangens, futura sub verborum involucris prædicens.

Instabis: Deus sæpe verba amphibologica, æquivoca, & dubia usurpavit; Christus enim *Ioan.* 7. consanguineis dixit, se non ascensurum in montem, quem postea conscendit *Marci* 12. diem judicii, quem probè noverat, se ignorare contestatus est: ergo fidei potest subesse falsum, dubium, & incertum.

Respondeo Christum Dominum verba subobscura adhibuisse, in quibus poterat vir prudens verborum sensum facili interpretamento aperire: uti autem hoc pacto verbis figuratis, & metaphoricis ob graves rationes, putà occultandam veritatem, nec indignis expandendam, mendacium perperam appellaretur, sed utiliter, & honestè fit, ut demonstrat S. Doctor 1. *parte*, *quæst.* 1. *artic.* 9. Nec obest, quod Christus utens hujusmodi metaphoris, volebat ut audientes non perciperent, seu ipsomet aiente, ut videntes non viderent, & audientes non audirent; subindeque adesse non mediocre deceptionis periculum. Non, inquam, obest, quia non deceptionem inducere, sed veritatem occultare quærebat Christus. Maximè, quia reliquit nobis Salvator regulam infallibilem, & visibilem, scilicet Ecclesiam, ad indagandum legitimum Scripturæ sensum divinitus inspiratum. Nulla ergo daretur nobis occasio erroris, sed acciperetur, si obscuritas venerandarum Scripturarum voces falsis interpretationibus corrumpamus; si enim tritam Ecclesiæ Catholicæ viam teneremus, si pressa à Patribus vestigia sequeremur, si eos semper authores haberemus, quos posuit nobis Deus Doctores; si non sineremus nos cæcis erraticæ rationis ludibriis pertrahi, si demùm nos fallaci hominum ducatui non permitteremus, citò sub divinarum metaphorarum cortice latitantem veritatem gustaremus, videremus, eaque potiremur.

Ad locum ergo Joannis capite septimo, respondeo Christum voluisse consanguineis significare, se nolle honorifico, ab eisque optato apparatu montem conscendere; Rex enim humilitatis noluit eorum votis satisfacere, qui externæ gloriæ, vel fortassis honoris Christi cupidi dixerant: *Transi hinc, & vade in Iudæam, ut discipuli sui videant opera tua* Unde signanter, & advertenter Evangelista addit: *Vt autem ascenderunt fratres ejus, & ipse ascendit ad diem festum, non manifestè, sed quasi in occulto.* Hinc patet, quàm vehementer humilitatis amore flagrarit Salvator noster. Nemo sanè, nemo est in ambiendis honoribus diligentior, nemo in prehensandis dignitatibus studiosior, quàm Christus fuerit humilitatis, & absconditæ vitæ amans, & externæ gloriæ hostis. Nonne humilitatis amore flagrabat? Nonne illam ante omnes res spectabat? Nonne illi rerum omnium antiquissima erat, cujus causâ ipsa Veritas ferè mendacium dixit? Quidni ejus gratiâ Veritas mentiri videretur, pro qua & virtus infirmari, & æternitas mutari, & immensitas arctari, & sapientia insanire, & Verbum Patris balbutire, & vita mors visa sunt? Sed illud tamen inter illa attributa discrimen intercedit, quod licèt ratione humanæ naturæ possit dici homo Deus, & etiam Deus per communicationem idiomatum passus, & mortuus; non tamen peccator, vel ignorans, quia attributa illa quæ non communicantur Deo, nisi ratione naturæ assumptæ, non debent dissolvere unionem cum Deo: Dolor autem, passio, & mors humanitati convenientes, non dissolvunt unionem cum Deo, sed sunt mala pœnæ, quæ à Deo sunt, & in Deum referri possunt: at verò peccatum, & ignorantia, quæ ad peccatum manuducit, destruunt unionem, cùm non possint in Deum referri, sicut nec sunt à Deo authore.

Locum verò ex Marci 3. capite petitum exposuimus aliàs, dum de Trinitate. Addo Christum nescivisse horam judicii, vel præcisè ut hominem; scientia enim futuri, & maximè tam reconditi futuri, character est Divinitatis: sicut enim verè dicebat Christus, *Pater major me est*, ratione humanitatis: ita & ratione illius extremi judicii tempus ignorabat. Vel iterum Christus nesciebat diem judicii effectivè, id est non faciebat scire, & interrogatus ab Apostolis nimium hac in parte curiosis, noluit tantum arcanum revelare, ut hujus temporis ignari, semper pavidi, semper incerti, nunquam essemus imparati. Sicut è contra *Genesis* 22. dixit Deus Abrahamo: *Nunc cognovi, quod timeas Dominum*, idest cognuscere feci.

Corollarium. *De restrictionibus mentalibus.*

Atque ex his apparet quàm damnanda sit eorum semidoctorum temeritas, qui mendacia & æquivocationes verbis & exemplis Christi præcolorant. Quorum doctrinâ, quæ ars fallendi est, nihil pestilentius esse potest. Tum quia quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: sed æquivocationum, ac restrictionum mentalium patroni æquo animo non paterentur se ab aliis illudi: ergo illud œcumenicum naturæ principium nulli ignotum, omnibus quàmlibet barbaris implantatum violant. Tum quia urget argumentum August. *lib. de mend. cap.* 4. Quomodo credendum est ei qui putat aliquando esse mentiendum? nam fortè & tunc mentitur, cùm præcipit ut sibi credamus. Quomodo pariter istis restrictionum assertoribus credemus, qui fortè tunc mentem restringunt, cùm docent licitas esse restrictiones? Certè sicut illi Probabilistæ, qui calumniam è catalogo criminum eximunt, quibusve persuasum est, posse se tutâ conscientiâ inimicis crimina affingere, & conficta meditatò spargere, meritò suspicionem ingerunt, hanc doctrinam sibi probatam ubi usus poposcerit ad praxim redigere, à qua frequentanda nullo conscientiæ obice cohibentur: ita planè ab æquivocationum defensoribus nihil nisi effrenis ludificandi sub umbone restrictionum licentia sperari potest & debet; imò nec ipsis vera dicentibus credendum esset. Nam ut ait Hieron. cap. 37. *Antiquus sermo est: Mendaces faciunt, ut nec vera dicentibus credatur.*

Accedit, nihil tam adversum, tam funestum, nihil humanæ societati, atque adeò naturæ, quæ socialis est, infe-

infensius pestifero illo restrictionum usu esse: si enim teste Augustino *in Enchir. cap. 22.* verba utique propterea sunt instituta, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat: si teste Bernardo *in Sentent.* chaos magnum inter nos firmatum est, nisi intervenientè quasi instrumento verborum fiat ad invicem transitus quidam cordium in communicatione cogitationum; profectò naturali institutioni repugnant qui verba ad fallaciam specie restrictionis mentalis pervertunt, nec ulla societas esse potest cum hominibus aliud ore proferentibus, aliud mente restringentibus. Sanè sicut ægrè cum illis convivimus, quorum linguam non intelligimus; & authore Augustino lib. 19. de Civit. *Libentius vivit homo cum cane suo, quàm cum homine alieno*: ægriùs certè cum illis conversamur qui fraudes artificio tectas adhibent, audientes circumveniunt dolis, insidiis eos petunt, tempus observant, verbique idonea aucupantur, quibus veritas veluti quodam involucro obtegitur: sicut è contra nihil eorum convictu suavius, qui ab omni simulandi studio longè absentes, sincero animo, candido ingenio, aperta voluntate præditi sunt, oderunt artes, nudam veritatem tam amant, quàm loquuntur: quorum denique manus linguæ, lingua cordi, cor rationi, ratio Deo congruit, & tota vita unius faciei est, unius & coloris: nec aliud os præ se fert, aliud animus celat, & verborum duplicium velo obtendit. Certè tolerabilior erat Babylonica confusio, in qua invicem loquentes se minimè intelligebant, eorum convictu, qui non se intelligunt, nisi ut sese mutuò decipiant.

Nec obest quod nomine æquivocationum, vel restrictionum mentalium mendacia fecerit. Nam ut ait Hilarius lib. 2. de Trinit. *Sensus, non sermo, fit crimen.* O ubi simplicitas christiana, quæ regulâ illâ Legislatoris sui Christi contenta est: *Sit sermo vester, est est, non non!* O ubi est mulier illa virilis totam Probabilistarum æquivocationibus veniam dantium rationem confusura! quæ referente Hieronymo *epist.* 49. nec ad gravissimos torturarum & diræ mortis cruciatus vitandos æquivocationum usum septies icta advocavit. *Cumque equuleus corpus extenderet, & sordidas fetore carceris manus post tergum vincula cohiberent, oculis quos tantùm tortor alligare non poterat, suspexit in cœlum, & resolutis per ora lacrymis: Tu, inquit, testis es Domine, cui occultum nihil est, qui es scrutator renis, & cordis, non ideò me negare velle ne peream, sed ideò mentiri me nolle ne peccem.* Ubinam gentium sumus, quove in sæculo degimus, in quo exultante simplicitate dolus, fraus, mendacium inundaverunt; in quo viget carnalis illa mundi sapientia, quæ ut describit Gregorius *lib.* 10. *Moral. cap.* 6. cor machinationibus tegit, sensum verbis velat; quæ falsa sunt, vera ostendit; quæ vera sunt, fallacia demonstrat: in quo christiana simplicitas, & nuda Christianismi professio floccisit, & ut ait Job, *irridetur*; quia ut ait idem Gregorius: *Sapientia Justorum est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratis exhibere, mala licentius tolerare quàm facere, nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare: sed hæc Justorum simplicitas deridetur, quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur.* Quantum distant ab illa Justorum sapientia, qui æquivocationum usui etiam in juramentis adhibitæ veniam dant. *O ubi estis fontes lacrymarum* (exclamat August. lib. cont. mendac. cap. 18.) *Et quid facimus? Quò ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira Veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?*

Porrò quàm insulsa sit, quámve frivola excusatio ab exemplo Christi mysticè & parabolicè interdum loquentis, tam patet, quàm ejus argumenti fatuitas clareret, quo probaretur in communi convictu adhibenda esse promiscuè verba mystica, allegorica, anagogica, parabolica, & figurativa, quia has loquendi formulas Prophetæ & Prophetarum maximus Christus usurpavit; sicut deploranda erat cujusdam boni Joannis ineptia, qui rhithmicè loqui studiosè aucupabatur, quia eam scribendi formulam illustribus Authoribus placuisse sciebat. Sed de bis pleniùs & opportuniùs aliquando fortassis agemus.

Prosequutio objectionum.

Objicies secundò contra alteram partem: Potest quis existimare aliquid esse de fide, quod tamen fidei adversatur; potest ex fide adorare Christum sub Sacramento latentem, & hostiâ non consecratâ: sed tunc tenetur illud falsum credere ex fide, ita ut non credendo peccaret: ergo per accidens ex prava subjecti dispositione & usu perverso fidei potest subesse falsum. Quod potest confirmari exemplo fidei Judæorum credentium Christum nasciturum, quæ fides in multis usque ad fidei prædicationem duravit: sed Christu jam nato falsum erat Christum esse nasciturum: ergo fidei potest subesse falsum ex mala intellectus applicatione.

Respondeo hominem falso errore imbutum & confundentem veritatem cum falsitate, ad has quidem redigi angustias, ut ex conscientia erronea teneat illud falsum esse de fide, sed tamen illud nunquam ex fide credere posse. Sicut qui ignorantiâ præcepti naturalis, quæ semper est vincibilis, ut aliàs ostendimus (vel ferè semper, secundùm omnes aliquos notæ Theologos) existimaret se ad mendacium proferendum teneri, non proferendo peccaret, tametsi proferendo non benè, nec ex virtute ageret; quia non minùs repugnat à virtute actum intrinsecè malum, vel à fide assensum falsum, quàm tenebras à luce, frigus ab igne prosilire. Unde fidei nihil falsum subest, quanvis aliquid quod reapse falsum est, fidei subesse apprehendi falsò possit: sicut ab æterna lege nullum præcipi malum potest, tametsi malum ab ea imperari conscientia erronea apprehendat.

Ad id autem quod de hostia non consecrata dicitur, respondeo cum D. Thoma, fidem credentis non referri ad has species panis, vel illas; sed ad hoc, quod verum Christi corpus sub panis sensibilis ritè consecratis speciebus inveniatur; unde etsi desit consecratio, nulla propterea suberit fidei falsitas. Nec tamen periculo exponimur dum absolutè adoramus, quia ad adorationem humano modo exhibendam sufficit moralis de hostiæ consecratione certitudo. Ad exemplum verò fidei Judæorum invincibiliter & sine culpa credentium Christum nasciturum post Christum natum, quia fortassis ejus prædicationem nondum audierant, variis solutionibus prætermissis respondetur veriùs & faciliùs cum D. Thom. dicente ad 3. *Hoc ad fidem credentis pertinebat post Christi nativitatem, quod crederet eum quandoque nasci: sed illa determinatio temporis, in qua decipiebantur, non erat ex fide, sed ex conjectura humana; possibile est enim ex conjectura humana hominem fidelem falsum aliquid æstimare; sed quod ex fide falsum æstimet, hoc est impossibile.* Idest in illo Christi nativitatis dogmate duo sunt distinguenda, & Christi nativitas, & circumstantia temporis illius: primum ad fidem, secundum ad conjecturam spectat: priori verum semper, posteriori falsum interdum subesse potest. Nihil enim vetat intellectum fallibilem propositiones certas, & fide credi-

tas falsis conjecturis inumbrare, & etiam ad falsa inde inferenda perversâ applicatione detorquere.

Quarta fidei conditio, obscuritas intermicans, idest evidenter credibilis.

Quartò: Objectum fidei debet esse non visum, sed tamen evidenter credibile. Prior pars est constans; ideo enim fides ab Apostolo vocatur *argumentum non apparentium*, quia objectum suum non videt, sed audit & credit, ambulans in ænigmate: quod ita verum esse existimant nostri Thomistæ, aliique nobiles Philosophi, ut existiment implicare contradictionem, de eodem objecto dari simul evidentiam & fidem etiam per diversa media, sicut non potest idem corpus ferri simul sursum & deorsum etiam per diversas causas impellentes. A qua controversia, quam multi impræsentiarum ventilant, examinanda supersedeo, quia de ea disputare Dialecticis solenne est.

Quanvis autem hoc ita sit, non placet tamen rigor Bannesii existimantis non visum adeo in ratione objecti fidei involvi, ut ad rationem ejus formalem pertinere arbitratus sit, cujus sententiam Gonet in præsenti sequitur. Sed cum utriusque venia non placet hæc sententia, quia ratio quare objecto alicui divina fide credimus, non est quia non videmus, sed quia veritas prima objectum illud quàmlibet arduum & obscurum revelavit, credendumque mandavit: obscuritas ergo non potest esse de se motivum assensus, sed conditio objecti quod credimus. Sicut requiritur quidem ut credam Romam existere, quod eam non viderim; sed tamen non ideo credo eam existere, quia eam non vidi, sed quia qui attestatur existentiam ejus dignus est qui credatur. Nec urget ratio Goneti petita ex discrimine fidem inter & visionem intercedente, & in hoc posita, quod ratio formalis sub qua fidei & visionis non possunt inter se opponi nisi penes obscuritatem & claritatem, ac proinde obscuritas pertinet ad rationem formalem objecti fidei. Non, inquam, urget; quia sufficienter salvamus discrimen fidei & visionis, etsi obscuritas non sit motivum objecti fidei, per hoc, quod ideo fides credit, quia Deus loquitur: ideo verò visio intuetur, quia essentia divina intellectui lumine glorioso perfuso sine specie unitur: fides ergo assentitur, quia Deus loquitur; visio verò assentitur veritati propter se, & in se notæ, non in testimonio. Objectum ergo fidei est Dei veracitas, seu veritas, quia à Deo attestata: objectum visionis veritas in se exhibita; unde fit obscuritatem primæ, claritatem secundæ objectum comitari.

Posterior verò pars asserens objectum fidei debere esse evidenter credibile, expressè traditur ab Angelico Doctore artic. 4. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod ea quæ subsunt fidei, dupliciter considerari possunt, uno modo in speciali, & sic non possunt esse simul visa & credita: alio modo in generali, scilicet sub communi ratione credibilis, & sic sunt visa ab eo qui credit. Non enim crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi.* Et ratio est: ut aliquis prudenter iis quæ fides proponit credat, non sufficit motio & pia affectio voluntatis objectum fidei gustans, & assensum intellectui præcipiens; sed requiritur insuper aliqua ex parte intellectus persuasio ex argumentorum credibilitatis efficacia orta; nam malè credit, qui leviter credit; leviter autem credit, qui sine rationum momentis præbet assensum: qui autem benè credit, iis debet esse rationum copiis instructus, ut de fidei credibilitate, non obstantibus infidelium objectis, dubitare prudenter non possit, aliàs indiscretè casui & fortunæ fidem committeret suam, nec rationabile, sed ex impetu foret ejus obsequium.

Et quanvis præclara illa multiplicium rationum harmonia, quâ fides Christiana & Catholica credibilis fit, à rudioribus non plenè percipiatur: attamen tanta est earum ubertas, tam ultrò se ingerit earum splendor, ut omnibus quàmlibet stupidis & incultis clareat, nisi voluntariis tenebris obcæcari rebelles sint lumini, & affulgentem refugiant claritatem. Legesis præclarum argumentorum credibilitatis concentum, quo fidem nostram super omnem aliam sectam operosè dissertatione præambula secundi voluminis extulimus. Hoc tamen non impedit, quin multi resistant fidei prædictæ, vel ab ea semel suscepta deficiant, quia intelligentiam sæpè parvus corrumpit affectus; quidam enim, teste Apostolo, post abjectam conscientiam bonam naufragaverunt in fide. Quorum ratio est, quia ut non semel observavimus, scientia moralis conscientiam sequitur, & corrupto appetitu obscurata, & quasi excæcata mens, ad veritatis intelligentiam obtorpescere solet. Proclive enim est, ut taliter de rebus judicemus, qualiter circa illas affecti sumus.

Dices: Si objectum fidei esset evidenter credibile, foret etiam evidenter possibile; nam ut ait D. Thomas art. 5. ad 2. *Rationes fidei adductæ à Sanctis sunt persuasiones manifestantes, non esse impossibile quod in fide proponitur*: ergo objectum fidei potest ratione demonstrari, subindeque non erit indispensabiliter non visum, ut antea demonstravimus.

Respondeo, argumenta credibilitatis non demonstrare rei possibilitatem; evidentia enim possibilitatis & veritatis sumitur ex medio intrinseco, & prædicatis essentialibus; evidentia verò credibilitatis ab extrinseco derivatur. Quando autem S. Doctor ait rationes fidei persuadere, objectum ejus non esse impossibile, sic intelligendus venit, non quod velit posse directè & positivè articulorum fidei possibilitatem demonstrari, sed quia potest objectionum pondus elevari, & insuper suaderi fidem nostram non esse impossibilem creditu, sed dignissimam quæ credatur; quia nihil in ea apparet impossibile, & multæ in ea refulgent convenientiæ.

Instabis: Si objectum fidei esset evidenter credibile, cognitio credibilitatis vel eliceretur à fide, vel solâ vi intellectus haberetur: neutrum dici potest; non quidem à fide struitur præclarus rationum apparatus, quo religio nostra credibilis fit; fides namque non est discursiva: nequit etiam intellectus vi naturali circa mysteria supernaturalia negotiari, nec ea evidenter credibilia suadere, quæ viribus propriis non potest suspicari: ergo objectum fidei non est evidenter credibile.

Respondeo cognitionem credibilitatis non posse esse actum fidei. Fides etenim non potest ferri extra suum objectum specificativum; objectum autem fidei est prima veritas revelans obscurè: quomodo ergo extenderetur ad objecti credibilitatem, quæ nec obscura est, sed evidens; nec revelatur à Deo, sed ex signis clarè cognoscitur vi sola intellectus penetrantis rationum concentum, quo per discursum allicitur intellectus ad assensum illi objecto præbendum, quod videt tam rationabilibus credibilitatis argumentis vestitum. Maximè quia cognitio credibilitatis, quàmlibet illustris, longè minoris est firmitatis, quàm sit fides; illa siquidem ex motivis humano modo conglobatis resilit; fides autem immobili divini verbi securitati innixa, divina & supernaturali certitudine prædita est.

Nec obest, quod D. Thomas art. 4. ad 3. docet, lumen fidei *facere videre ea quæ creduntur, sicut per alios habitus*

habitus virtutum homo videt illud quod eſt ſibi conveniens ſecundùm habitum illum ; ita per habitum fidei inclinatur mens hominis ad aſſentiendum his quæ conveniunt rectæ fidei, & non aliis. Non obeſt, inquam ; nihil enim aliud his verbis ſignificatur, quàm fidem infuſam ad cognitam myſteriorum credibilitatem guſtandam ſponte ſua inclinare, ad eamque meliùs diſcernendam non parum opitulari : ſicut enim præditus habitu caſtitatis meliùs eſt diſpoſitus ad incorruptum de obſcœnis judicium ferendum, etſi judicium illud à virtutibus non feratur ; & generaliter recta appetitus per virtutes diſpoſitio ad ſanè de rebus judicandum confert, unde de viro ſpirituali dicitur, quod judicat omnia : ita homo fide illuſtratus, & piâ voluntatis affectione ſapiens divina, magis ad ea, quæ fidei ſunt, confirmanda, & adverſus infideles defendenda roboratur, & interiori divini numinis inſtinctu, & unctione invitatur. Sicut enim lux ſolis non ſolùm colores illuſtrat, ſed etiam ſeipſam aſpectabilem præbet & conſpicuam : ita fidei lumen non ſolùm quas proponit veritates expendit, ſed ſuos etiam radios explicat, & ſui credibilitatem quadantenus inſpirat.

Urgebis : Quicunque credit, tametſi non audiat prædicationem forinſecus ſonantem, habet tamen ſufficientia credibilitatis argumenta, aliàs leviter, temeréque myſteriis aſſenſum præberet : ſed tunc evidentia credibilitatis nequit à teſtimoniis extrinſecis provenire, cùm nullus affulgeat prædicationis, cæterarumque externarum virtutum ſplendor : ergo à ſolo lumine fidei procedit evidentia credibilitatis, ut opinari videtur Cajetanus.

Reſpondeo, in hoc ſingulari caſu evidentiam credibilitatis nec vi intellectus pari, nec ab habitu fidei effici, ſed ab interiori Dei invitantis inſtinctu, & ſpeciali Spiritus ſancti intus loquentis, intus coruſcantis, & dono gratiæ cœleſtia illuſtrantis lumine procedere. Et certè cùm cognitio credibilitatis fidei debeat ad actum fidei præſupponi, priùs namque objectum debet proponi credibile quàm credatur, non poteſt cognitio illa à fide procedere, quæ ad fidem præambula, & introductio ejus eſt, non effectus. Non improbo tamen quod nonnulli arbitrati ſunt, fidem per actum reflexum, & indirectum evidentem myſteriorum credibilitatem ſemel per diſcurſum habitam cognoſcere, & eâ mirificè delectari, unde veriſſimum eſt illud : *Niſi credideritis, non intelligetis* ; quia fidei articuli ab illis meliùs intelliguntur, qui firmiùs eis fide adhærent. Sic Auguſtinus, qui ante fidem aciem figere non valebat, nec quid ſacramenti haberet Dominica Incarnatio, poterat ſuſpicari, Dominico eloquio eruditus, & fide ſuaſus non ſatiabatur initio converſionis dulcedine mirabili, conſiderans altitudinem conſilii divini ſuper ſalutem generis humani, evanuitque importuna multiplicium quæſtionum confuſio, in quibus nonniſi caligo & pugna ſibi antea videbatur : & ſimul ei apparuit una facies eloquiorum caſtorum, quia præ dulcedine Dei, dum ſe influebant auribus ejus verba divina, veritas in cor ejus eliquabatur. Sic B. Thereſia tantâ claritate inter ſacros contemplationis amplexus Trinitatem, aliáque Religionis reconditiora arcana intuebatur, ut non tam credere, quàm ea conſpicua eſſe ſibi videretur. Nec eſt inconveniens fidem ſimul evidentiam & inevidentiam ſub diverſa ratione compati : evidentiam nimirum credibilitatis, & inevidentiam in ſe ſpectatæ veritatis. Nam etiam habitus opinionis fertur in objectum inevidens in ratione veri, evidens in ratione probabilis.

Quæres, utrum ſicut objectum fidei compatitur accidentem credibilitatem : ita compatiatur etiam evidentiam in atteſtante?

Reſpondeo affirmanter contra Durandum, quem ſequitur Bannes. Unde poteſt contingere quod aliquis viator poſſit evidenter cognoſcere Deum aliquid revelaſſe ; & nihilominus illud quod revelatur, fide divina credere. Moveor primò authoritate S. Thomæ quæſt. 5. art. 1. *Illa ſola manifeſtatio*, inquit, *excludit fidei rationem, per quam redditur apparens, vel viſum id, de quo principaliter eſt fides* : evidentia autem teſtimonii divini non reddit apparens vel viſum id, de quo principaliter eſt fides : res enim revelata in ſe manet intrinſecè obſcura. Item eadem quæſt. art. 2. luculentiùs adhuc ſic loquitur : *Si aliquis Propheta prænuntiaret in ſermone Dei aliquid futurum, & adhiberet ſignum mortuum ſuſcitando, ex hoc ſigno convinceretur ille intellectus videntis, ut cognoſceret manifeſtè hoc dici à Deo, qui non mentitur, licèt illud futurum, quod prædicitur, in ſe evidens non eſſet ; unde per hoc ratio fidei non tolleretur.* Quibus verbis nihil clarius. Hinc infert ad 1. quod fides dæmonum *eſt quodammodo coacta ex ſignorum evidentia.* Et *ad* 2. quod dæmones *coguntur ad credendum ex perſpicuitate intellectus.* Et ad 3. *Hoc ipſum dæmonibus diſplicet, quod ſigna fidei ſunt tam evidentia, ut per ea credere compellantur.* Atqui cognoſcere manifeſtè aliquid dici à Deo, & cogi ex evidentia ſignorum, & ex perſpicuitate intellectus ad credendum compelli, eſt habere evidentiam in atteſtante. Ergo ex mente D. Thomæ objectum fidei evidentiam in atteſtante compatitur, ideſt aliquid poſſumus credere, & ſimul revelatione illius certiores fieri.

Ratio ex illis eruitur S. Thomæ teſtimoniis : Illud fide credimus, cui in ſe ipſo ignoto aſſentimur propter ſolam Dei atteſtantis authoritatem : per hoc enim duntaxat diſtinguitur fides à ſcientia, intellectu principiorum, & viſione beata, quod ſcientia medio demonſtrationis innixa certò ſimul, & evidenter veritate potitur ; ſimplex verò intelligentia principiis per ſe, & ex penetratione terminorum notis aſſentitur propter ſe, ſeu propter ultrò ſe, & ſine diſcurſu ingerentem veritatis ſplendorem ; viſio verò rem in ſe intuitivè, & quidditativè veluti ob oculos poſitam contemplatur : at verò fides ſolâ dicentis authoritate freta, nulli niſi Deo, innititur firmamento : atqui evidentia in atteſtante rem in ſeipſa ignotam relinquit, connexionem prædicati cum ſubjecto nequaquam demonſtrat, ſed eatenus articulo quàmlibet in ſe obſcuro fidei obſequium homo præbet, quatenus videt Deum ad illud credendum authoritate ſua compellere, ſeu quia αὐτὸς ἔφα, ipſe dixit, & dignus eſt qui credatur : Ergo evidentia in atteſtante fidem non abſumit, ſed ſervat, perficit, & illuſtrat, quia rationem *ſub qua* fidei non deſtruit, ſed eam efficit ſecuram, id eſt non tollit quin homo credat propter unam Dei dicentis authoritatem ; ſed facit quod homini Deum ita loquutum eſſe conſtet. Quam ſecuritatem fidei non refugit, ſed per ſe quærit, ut ſit divina, & non humana.

Confirmatur à poſteriori : De facto Angeli habuerunt fidem cum evidentia in atteſtante ; etenim dum erant in via, divina myſteria edocti ſunt, & ſimul agnoverunt revelationem à creaturis minimè derivari, cùm ſint totius entis naturalis comprehenſivi : ergo lumen illud divinitus imprimi evidenter intulerunt. Item fides in dæmonibus modo infra explicando invenitur, in quibus tamen evidentia in atteſtante ineſt, ut expreſsè locis ſuperiùs laudatis inculcat S. Tho-

mas,

mas, & ex eo patet, quod cùm dæmon cognoſcat, & certiſſimè convincatur vera in fidei noſtræ confirmationem edi miracula, evidenter colligit fidei noſtræ veritatem firmare Deum, qui mendacii nec author eſt, nec adjutor, nec protector. Quin etiam ſacri Doctores argumenta credibilitatis fidei noſtræ apprimè penetrabunt, illi præſertim qui in nomine Chriſti Domini miracula vel patrarunt ipſimet, vel certè ab aliis patrari aſpectabiliter viderunt, quibus apertè convincebantur, fidem noſtram à Deo proceſſiſſe: illudque Richardi Victorini *lib.1. de Trinit. cap. 2.* proprio experimento percipiebant: *Ea quæ revelata ſunt nobis cœlitus, tam miris prodigiis confirmata ſunt, ut genus videatur eſſe dementiæ in his vel aliquantulum dubitare.* Unde concludit: *Domine ſi error eſt, à te decepti ſumus. Nam tantis ſignis à te confirmata ſunt* (myſteria) *quod non niſi à te fieri poſſunt.*

Nec poteſt dici, quod licèt dæmones ſciant miracula à Sanctis in confirmationem fidei edita vera eſſe, non adulterina, non tamen convincuntur ea in fidei Chriſtianæ confirmationem patrari; quia gratiâ gratis datâ (qualis eſt poteſtas miraculorum edendorum) poteſt quis in perverſum finem abuti, putà ad fallendum. Non, inquam, id poteſt ſine injuria religionis dici. Etenim ſi ſemel dicere liceat, poſſe aliquem gratiâ miraculorum ad fallendum abuti, dicent Judæi Chriſtum eâ gratiâ præditum, eâ fuiſſe abuſum: dicent Ethnici ea inſtructos fuiſſe Apoſtolos, viroſque Apoſtolicos, ſed eam perverſo uſu ſordidaſſe. Ergo hac admiſsâ reſponſione periclitatur fidei noſtræ probatio, & enervatur totius Eccleſiæ miraculis ſtabilita firmitudo. Et ratio eſt, quia ut in ſuperioribus monſtratum eſt, Deus nullatenus poteſt mentiri, ſive per ſe, ſive per miniſtrum: ſi autem volenti fallere conferret Deus gratiam miraculorum, utique mendacii fautor, mendacii protector foret, & confirmator. Certè ad divinam providentiam pertinet verorum miraculorum facultatem errorem prædicantibus impertire: nam cauſa ejus ageretur, imò & periclitaretur ejus veritatis decor, ſi fineret nomine ſuo & virtute ſua firmari falſum de quo patratione miraculorum teſtimonium perhiberet, impelleretque homines in errorem procuLdubio excuſabilem, utpote ſigillo & charactere divinitatis ſignatum. Adſtipulatur clariſſimè S. Thomas, qui in 2.2. *q.* 178. *art.2. ad* 3. diſertè ait: *Semper miracula ſunt vera teſtimonia ejus, ad quod inducuntur: unde à malis, qui falſam doctrinam enuntiant, nunquam ſiunt vera miracula in confirmationem doctrinæ ſuæ, quamvis quandoque fieri poſſint ad commendationem nominis Chriſti quod invocant, & virtute Sacramentorum quæ exhibent.* Idem diſertiſſimè tradit *quodlib.2. art.6. ad 4.* his verbis: *Miracula viſibilia ſiunt virtute divina ad confirmationem virtutis fidei: unde dicitur Marci ultimo de Apoſtolis, quod prædicaverunt ubique Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Non autem ſiunt miracula ſemper ad demonſtrandum gratiam ejus, per quem miracula ſiunt; & ideo poteſt contingere quod aliquis gratiam gratum facientem non habens miracula faciat; ſed hoc contingere non poteſt, quod aliquis falſam doctrinam annuntians vera miracula faciat, quæ niſi virtute divina fieri non poſſunt: ſic enim Deus eſſet falſitatis teſtis, quod eſt impoſſibile. Cùm ergo Chriſtus ſe filium Dei diceret & æqualem Deo, hanc ejus doctrinam comprobant miracula quæ faciebat, & ideo oſtendebatur Chriſtus per miracula quæ faciebat, eſſe Deus. Petrus autem licèt eadem vel majora miracula faceret, non probabatur eſſe Deus, ſed per ea etiam probabatur quod Chriſtus eſſet Deus, quia Petrus non prædicabat ſeipſum, ſed Ieſum Chriſtum eſſe Deum.* Quibus verbis nihil luculentius, nihil ad confutandam adductam reſponſionem validius dici poteſt.

Sed dices: Fides, utpotè obſcura, excludit omnem evidentiam: ſed evidentia in teſtificante efficit cognitionem evidentem: ergo evidentia in atteſtante eſt impoſſibilis cum fide.

Reſpondeo, fidem non poſſe compati evidentiam rei in ſeipſa, non excludere tamen, ſed potiùs connaturaliter exigere Dei revelantis teſtimonium, de quo ſibi conſtet, tametſi res revelata ſit ſibi ignota. Cùm enim fides ſit ex auditu, & aliunde ſoli Deo credat, Deum fides audire avet, & ejus voci obſcura licèt revelanti obedire. Itaque non inconvenit aliquid eſſe evidens ſecundùm rationem extrinſecam revelati, & eſſe obſcurum ſecundùm rationes extrinſecas, & prædicata eſſentialia. Et quanvis illud omne quod à Deo revelatur, ſit verum in ſe, non tamen propterea qui evidenter cognoſcit aliquid eſſe revelatum, continuò videt illud eſſe verum in ſe; quia licèt id quod à Deo revelatur ſit verum in ſe, non tamen cognoſcitur in ſe, nec penetratur ejus veritas objectiva, ſed ſola externi teſtimonii luce innoteſcit: unde infero objectum quidem quod reſpicit fides, debere eſſe eſſentialiter obſcurum; objectum tamen cui credit, poſſe eſſe evidens: Angelus enim in via de Deo revelante non habebat fidem, ſed ſcientiam: de revelatis tamen ſaltem primariis, putà Trinitate, beatitudine ſupernaturali, aliiſque arcanis fidem habebat, non ſcientiam. Nec eſt neceſſe quod eodem habitu cognoſcatur res & motivum aſſentiendi, ut inde inferatur, debere eſſe fidem, non evidentiam de revelatione, ſicut de re revelata. Id enim falsò aſſumitur, cùm per ſcientiam attingatur concluſio, & per habitum principiorum noſcantur præmiſſæ, quæ tamen motivum ſunt propter quod aſſentimur concluſioni. Ex quibus patet quàm meritò ſuprà contra Bannem & Gonetum diximus, obſcuritatem non pertinere ad rationem formalem motivi fidei; cùm enim objectum fidei, ut nobiſcum fatetur Gonet, compatiatur evidentiam in atteſtante, manifeſtum eſt revelationem, quæ eſt fidei motivum, poſſe eſſe evidentem; cùm evidentia in atteſtante ſit certa & evidens cognitio revelationis divinæ manifeſtantis vocem ſuam.

Inſtabis: Scientia à poſteriori excludit fidem ejuſdem objecti: v.g. Philoſophus Chriſtianus nequit habere fidem ſimul & demonſtrationem à poſteriori illius propoſitionis, *Deus eſt*: ergo etiam fides excludit evidentiam in atteſtante. Probatur conſeq. Demonſtratio à poſteriori non magis generat ſcientiam rei in ſeipſa ſecundùm prædicati connexionem cum ſubjecto, & quoad prædicati intrinſeca, quàm evidentia rei in atteſtante: Philoſophus namque demonſtrans Deum ex creaturis, non videt Deum in ſe per rationes intrinſecas, ſed ipſum duntaxat in effectibus cernit, vel potiùs ex creaturis colligit Creatorem. Certè effectus Dei magis ſunt extrinſeci reſpectu eſſentiæ divinæ, quàm ſit teſtimonium ipſius Dei reſpectu eorum quæ de Deo credenda ſunt. Ergo ſi effectus creati pariant evidentiam divini eſſe, ita ut extinguant fidem, multò magis infallibile teſtimonium evidentiam conferet veritati quam revelat. Enim verò ſi evidens eſt, omnibuſque apertum & exploratum, Deum exiſtere, quia ita teſtatur communis vox creaturarum clamantium: Ipſe fecit nos, & non ipſi nos; quidni evidens erit atque compertum, peractam eſſe Verbi æterni incarnationem, de qua nos Deus clariſſimâ vocis ſuæ ſignificatione certiores reddit, qui nec falli poteſt, nec fallere unquam valet? Si ab effectu ad cauſam valet demonſtratio, quidni à cauſa ad effectum? Si convincit animum

mum creaturarum concentus, quidni evincet authoritas Dei loquentis, penitiora cordis sui arcana aperientis, nosque de illis minimè dubitare imperantis? Quæ, quæso, disparitas?

Respondeo grandem esse disparitatem, cujus momentum in hoc totum positum est, quia causa in effectu sui participationem necessariò imprimit, subindeque per effectum evidenter cognoscitur ex sententia causæ; cujus existentiæ imitationem cernimus in effectu. Unde viso effectu non credimus causam existere, sed scimus: nec in auditu solo, sed in visu innititur cognitio nostra. At verò in revelante quà tali non cernitur res revelata, sed ab eo auditur; fides autem ex auditu. Infallibilis est quidem Dei vox, immobile & inconcussum Dei testimonium; sed propterea non videmus rem existere, sed credimus, sed obtemperamus, sed captivamus intellectum nostrum in obsequium fidei. Non enim est formalis ista consequutio: Trinitas est, quia Deus revelat. Revelatio quippe non infundit, sed supponit rei revelatæ existentiam, quam detegit. Sed ista est legitima illatio: Credendum firmiter est, & sine dubitatione tenendum, Trinitatem esse, quia Deus revelat. Immobilitas ergo divini testimonii, & firmitas vocis illius tollit quidem dubium, sed non parit scientiam; quia tametsi Deus difficillima quæque, & intellectum superantia proponens, dignissimus sit qui credatur; res tamen revelata non est per se connexa cum testimonio. Unde ex pondere authoritatis quàmlibet infinitæ non directè infertur Trinitatis existentiam videri, cùm nec in se videatur, nec in aliquo suo vestigio; sed solùm infertur, credendum esse Trinitatem existere. Major ergo & intimior est connexio effectus cum causa, quàm sit revelantis cum re revelata: effectus enim est expressio causæ à qua essentialiter pendet: at verò mysterium revelatum à revelatione non pendet, nec revelationem per se infundit; quia sive reveletur, sive non, idem est in seipso: quando ergo revelatur non scientiam parit, sed aures petit & fidem.

Hæc est etiam notabilis vocem Dei inter & creaturarum Dei gloriam enarrantium sonum differentia, quod creaturarum vox non est libera, sed naturalis, nec tam aures ferit, quàm oculis cæterisque omnibus sensibus se ingerit; unde existentiam causæ à qua essentialiter pendet, necessariò in se legendam & cognoscendam exhibent. At verò revelatio, seu Dei loquentis vox libera est, nec naturaliter à veritate revelata procedit, sed eam duntaxat testatur, unde digna quidem est quæ credatur; sed rem in se obscuram relinquit, subindeque objectum fidei credibile reddit, sed non scitum.

Urgebis: Ideo salvatur, Beatos non habere fidem vel perpetuitatis beatitudinis, vel futurorum contingentium, aliorumque secretorum quæ à Deo revelantur, quia de illis habent evidentiam in attestante, & vocem Dei perspicuè loquentis clarissimè audiunt & sentiunt; neque enim illa vi & efficacià luminis gloriæ penetrant, gloriosum enim lumen solam divinam essentiam, & ea quæ cum illa connexa sunt, per se detegit; futura verò contingentia, perpetuitatem visionis, & alia id genus extra Verbum expandit Deus: ergo evidentia in attestante fidem objecti revelati absumit planè, & funditus destruit.

Respondeo, Beatos in essentia divina intueri suæ beatitudinis perpetuitatem, cùm sit felicitatis corollarium ax ea necessariò consequutum, & ad perfectam, & consummatam ejus rationem essentialiter requisitum; cumulata enim beatitas quietem exigit, & immobilem boni possessi securitatem. Nec obest, quod eam Paulus non viderit, quia non cernitur hæc perpetuitas ex vi visionis præcisè, sed ex vi visionis prout est beatitudo permanenter communicata, qualis non fuit in Apostolo, qui Deum transeunter vidit, non ut bearetur, sed ut veritates in fonte potaras Ecclesiæ propinaret; non ut coronaretur qui nondum pugnaverat, sed ut acriùs pugnaturus descenderet in arenam, seque, aliosve commilitones prægustatam animaret ad coronam.

Quoad futura verò contingentia, cæteraque arcana, quæ Deus Beatis interdum pandit, dicendum est, vel ea Sanctos in essentia videre, vel extra Verbum per clarum lumen in seipsis intueri, ut alibi ex professo explicamus. Sed utut sit, præcisisque intempestivis controversiis, quæ sunt à præsenti instituto alienæ, objectioni occurrimus absque negotio, dicendo quod licet Deus aliqua obscura Sanctis suis revelaret, non tamen in illis manere posset fides, quia splendente visione beata, cernitur objectum primarium fidei, & quidem intuitivè: ergo facessat, extinguaturque fides necesse est; desinente enim objecto primario, & exercitio circa illud facto impossibili, evanescit omninò fidei habitus, abit, excedit, erumpit. Quomodo enim in conspectu infiniti solis immensos radios affundentis consisterent fidei tenebræ? Fugiunt ergo ombræ, dissipatur nox, dum nobis propalam, & aspectabiliter ostenditur ubi sponsus cubet in meridie; evacuantur ænigmata, frangitur speculum, destruitur fides, quando facie ad faciem ille cernitur, cujus visio est tota merces, totum desiderium nostrum. Nec enim dubito, mi Theologe, te illius objecti desiderio incredibili teneri, & fermè æstuare, quod sicut totum, ita solum desiderabile est. Illius ergo æterni, quod credimus, boni sacra fames, & cura sit antiquissima, sit prima, sit unica, ut objecti, quod speculati sumus, tenebris claritatis splendor heu citò respondeat.

Reflexio.

Objectum fidei speculatione nimia contemplari disputando fatigamur; orando, adorando, & amando reficimur: ergo sit Deus perpetuum mentis, cordisque objectum, qui ubique adest, tenebris ipsis interest, interest cogitationibus: nec tantùm sub illo agimus, sed cum illo; nec in oculis solùm illius, sed & in sinu vivimus. Igitur more Noë viri justi, atque perfecti in generationibus suis, cum Deo ambulemus, idest Deum ubique præsentem cordis oculis objiciamus, & in terra positi, sed à terra extranei, conversemur in cœlis. Sic exponente Basilio in Psalmum 44. induemur Dominum Jesum Christum, quia Christo Deo veluti amictu animus induetur. *Induimini*, inquit, *non secundum exteriorem hominem, sed mens nostra Dei memoriâ circumamicitur.*

Omnium germana scaturigo vitiorum est divinæ præsentiæ oblivio; *Non est Deus in conspectu ejus.* Quid inde infers, Vates sanctè Psal. 9. *Inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Unde veridicè S. Ephrem *lib. de virtute*, ait: *Nihil pejus, graviusque est, quàm ipsius Dei oblivionem capere. Continuâ enim Dei recordatione turpes animæ passiones recedunt; unde & mundum Spiritus sancti habitaculum efficitur.* Et longè elegantissimè Augustinus lib. 14. de Trinit. cap. 12. *Magna hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. In quo enim est, procul dubio sine illo non est: & tamen si eum non meminit, eumque non intelligit, nec diligit, cum illo non est.* Itaque in plenitudine fidei nobiscum sit Deus, & in plenitudine gloriæ erimus nos cum Deo. Obversetur menti nostræ Deus in fidei tenebris, ut simus cum illo, quando rapiemur in nubibus obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino

Domino erimus. Curemus interim enim fide habere nobiscum, ut sit comes viæ, qui Patriæ redditor est futurus.

SPECULATIO III.

Conveniens est articulorum Fidei distinctio, & numerus, cui decursu temporis nullum crementum, sed explicatio accessit.

Quia per articulos Fidei ordinatur objectum illius, rectè hoc capite, quo objectum Fidei exponimus, de articulis Fidei agimus, eorumque convenientiam, distinctionem, numerum, & augmentum quale sit, explicabimus.

Sed priùs observandum est, nomen articuli ex Græco ἄρθρον, quandam distinctarum partium coaptationem significare; qua ratione particulæ corporis invicem coaptatæ dicuntur membrorum articuli. Sic etiam apud Grammaticos partes orationis rectè colligatæ, & aptis commissuris periodum adornantes, articuli dicuntur. Articuli ergo Fidei Christianæ sunt quædam objecti Fidei partes inter se coaptatæ. Hoc posito

Probatur prima pars de convenienti distinctione articulorum. Cùm enim objectum Fidei sit aliquid non visum, tunc cundendus est specialis Fidei articulus, quando occurrit aliquid speciali ratione non visum; quando verò multa sunt quæ ad eandem rationem vel pertinent, vel reducuntur, tunc articuli non sunt distinguendi: v.g. quod Christus sit passus, & quod resurrexit, duplicem patitur difficultatem specialem, unde alius est articulus passionis, alius resurrectionis: quod verò Christus sit passus, mortuus, & sepultus, diversas non invehit difficultates, & uno suscepto, facilè alteri creditur: unde sub uno articulo tria hæc comprehenduntur. Cæterùm non omnia credibilia per certos sunt articulos distinguenda. Nam omnibus quæ in sacris Literis continentur, fides adhibenda est; quæ tamen propter sui multitudinem ad certum reduci numerum non debent, nec commodè possunt. Seligenda ergo fuerunt quædam Fidei capita quæ omnibus proponerentur, & ab omnibus crederentur. Quorum ulteriorem rationem tradit Angelicus Doctor *art.6.* quia quædam sunt credibilia, de quibus est fides secundùm se, & propter se; alia verò sunt, de quibus non nisi in ordine ad alia fides adhibenda est: sicut in aliis scientiis quædam sunt cardinales veritates per se quæsitæ, per se intentæ, & propter se inventæ; quædam verò ad illarum duntaxat manifestationem instituæ, & desideratæ. Ergo de illis debent condi articuli, de quibus principaliter est fides. Porrò de illis principaliter est fides, quæ videnda speramus in Patria, juxta illud Hebr. 11. *Fides est substantia sperandarum rerum.* Ad illa autem videnda præcipuè suspiramus, quæ nos in patria beabunt, & ad beatitudinem obtinendam manuducunt. Talia sunt Deus unus, trinus, omnipotens, & mysterium Incarnationis. De aliis verò in Scriptura contentis non est principaliter fides, quia non nisi ad aliorum principaliorum manifestationem, & ornatum, non ex necessitate, sed ex ubertate doctrinæ instituuntur, subindeque non sunt de illis speciales constituendi, distinguendique articuli.

Sed dices: Nonnulla sunt Fidei capita grandi speciali que difficultate involuta, de quibus tamen nullus est specialis Fidei articulus institutus, purà mysterium Eucharistiæ, creatio mundi in tempore. Ergo ratio allata inefficax est.

Respondeo ex D.Thoma *art.8. ad 6.* in Sacramento Eucharistiæ duo posse considerari: unum scilicet, quod Sacramentum est, & hac ratione reducitur ad illum articulum, sub quo continentur effectus gratiæ sanctificantis, qui pertinent ad articulum Spiritus sancti vivificantis, vel ad remissionem peccatorum: alterum quod in Eucharistia consideratur, est miraculosa corporis Christi sub panis speciebus præsentia: & sic sub omnipotentia miraculorum omnium patratrice continetur. Quantum verò ad creationem mundi in tempore, dicendum inchoationem mundi satis apertè contineri sub illis vocibus, *ante omnia sæcula*: si enim Verbum æternum sit natum ante omnia sæcula, liquidò consequitur, sæcula omnia incepisse, mundumque proinde exordium habuisse.

Probatur secunda pars de convenienti numero articulorum Symboli. Et quamvis aliqui quatuordecim articulos, alii duntaxat duodecim distinguant, dissensio tamen levis est, imò utraque sententia convenienter statueri potest. Nam cùm illa per se pertineant ad fidem, quorum visione beabimur; ideò omnia credibilia in duo capita generali divisione dividuntur, quædam enim pertinent ad majestatem Divinitatis, quædam ad mysterium humanitatis, per quod in gloriam filiorum Dei accessum habemus. Qui ergo articulos quatuordecim astruunt, sic numerant. In primis circa majestatem Divinitatis tria nobis credenda proponuntur: Divinitatem (ecce primum articulum,) Trinitatem, de qua sunt tres articuli, quia tres personæ; unde habemus quatuor articulos. Deinde proponuntur opera Divinitatis propria, quorum primum pertinet ad esse naturæ (ecce quintum articulum, qui est de creatione:) secundum pertinet ad esse gratiæ (ecce sextum articulum, sub quo omnia ad sanctificationem pertinentia continentur:) tertium pertinet ad esse gloriæ (ecce septimum articulum de resurrectione, & vita æterna.) Similiter circa humanitatem Christi septem distinguunt articulos. Primus est de incarnatione; secundus de nativitate; tertius de passione, morte, & sepultura; quartus de descensu ad inferos; quintus de resurrectione; sextus de ascensione; septimus de adventu ad judicium.

Porrò illi, qui duodecim duntaxat articulos admittunt, sex ad Divinitatem, & totidem ad humanitatem pertinere dicunt; & ut numerum continuè statuant, tres articulos trium personarum sub uno collocant; articulum verò de opere glorificationis distingunt in duos, resurrectionem scilicet, & gloriam; & sic ex his tribus, cum aliis tribus, nimirum Divinitatis, creationis, & gratiæ, sex articulos ad Divinitatis majestatem pertinentes constat hæc sententia. Quoad humanitatem verò eundem ordinem servat, quem præcedens opinio, hoc solo discrimine, quod articulum conceptionis, & nativitatis in unum confundit. Quod verò utraque opinio sit conveniens, patebit referendo integram responsionem ad 3. art.8. *Dicendum, inquit, quod Patris, & Filii, & Spiritus sancti est una cognitio quantum ad veritatem essentia, qua pertinet ad primum articulum; quantum verò ad distinctionem personarum, qua est per relationes originis, quodammodo in cognitione Patris includitur cognitio Filii; non enim esset pater, si filium non haberet, quorum nexus est Spiritus sanctus; & quantum ad hoc benè moti sunt, qui posuerunt unum articulum trium personarum. Sed quia circa singulas personas sunt aliqua attendenda, circa qua contingit esse errorem, quantum ad hoc de tribus personis possunt poni tres articuli. Arrius enim credidit Patrem omnipotentem, & aternum; sed non credidit Filium coaqualem, & consubstantialem Patri; & ideo necessarium fuit apponere articulum de persona Filii ad hoc determinandum. Et eadem ratione contra Macedonium necessarium fuit ponere articulum tertium de persona Spiritus sancti. Et similiter etiam conceptio Christi, & nativitas,* &

& etiam resurrectio, & vita æterna secundùm unam rationem possunt comprehendi sub uno articulo, in quantum ad unum ordinantur; & secundùm aliam rationem possunt distingui, in quantum seorsum speciales habent difficultates. Hæc D.Thomas.

Dices: Deum esse unum demonstratur ratione naturali: Ergo unitas Dei perperam inter articulos fidei primarios & veluti capitales annumeratur.

Respondet S.Doctor ad 4. *quod multa per fidem tenemus de Deo, quæ naturali ratione investigare Philosophi non potuerunt, puta circa providentiam ejus, & omnipotentiam, & quod ipse solus sit colendus: quæ omnia continentur sub articulo unitatis Dei.*

Hæc sanè responsio difficultate non caret, licèt eam in rigore intelligat Cajetanus. Nam teste Apostolo *Rom.* 1. Philosophi fuerunt inexcusabiles, quòd Deum non glorificaverint: ergo eum glorificandum, colendumque noverunt. Deinde D. Thomas variis in locis multas profert demonstrationes naturali ratione procedentes, quibus probat Deum esse, & unum esse, & provisorem, & omnipotentem, & Dominum, subindeque colendum: Ergo id cognoscere Philosophi potuerunt. Respondetur tamen, has veritates posse dupliciter considerari: primò quatenus sunt de Deo ut authore naturæ, puta quod sit unus conditor orbis, provisor universitatis: secundò quatenus sunt de Deo ut authore supernaturali, largitore gratiæ, & gloriæ, cui speciali religionis cultu Deo inspirante instituto serviendum est; & hoc modo præfatas veritates à Philosophis ignorari ait S. Thomas. Quibus etiam adde, Deum, & auctorem naturæ, ejusque perfectiones, maximè verò providentiam, & suavem illius cum libertate concordiam, aliaque id genus, etiam naturaliter cognoscibilia, & à paucis, & post longum tempus, & cum admixtione multorum errorum cognita fuisse. Ut ergo veritas, quæ est cæterarum caput, & ab omnibus, & brevi tempore, & sine mixtura errorum, citò, & purè addisceretur, necesse fuit fundamentalem illum articulum in fronte Symboli explicare.

Quæres quid sit Symbolum, & quare varia in Ecclesia circumferantur.

Respondeo ad 1. Symbolum ex Augustino *serm.* 115. esse comprehensionem fidei nostræ, atque propter hoc Symbolum est simplex, breve, & plenum, ut simplicitas consulat audientium rusticitati, brevitas memoriæ succurrat, plenitudo satisfaciat doctrinæ. Quod repetit *serm.* 119. asserens Symbolum esse breviter complexam regulam Fidei, quæ mentem instruat, nec memoriam oneret; paucis verbis dicatur, unde multùm acquiratur. D. autem Thomas *art.* 9. post D.Clementem *epist.* 1. *ad Iacob.* ait, quod Symbolum est collectio sententiarum nostræ fidei, quia juxta etymologiam nominis Græci *συμβάλλειν*, Symbolum significat indicium & collationem; quia scilicet Apostoli, vel Patres in unum collecti ediderunt Summam veritatum nostræ Religionis, quæ est indicium discernens Christianum ab infideli; sicut signum, & vexillum datum in bello militibus ad discernendum hostes ab amicis, dicitur Symbolum.

Respondeo ad secundum, tria esse celeberrima Symbola; primum est Apostolorum, quod ab ipsis editum esse constans traditio, & Patrum conspirantium consensus attestantur. An verò singuli Apostoli singulos articulos ediderint, dissidium est levis momenti: videatur D. Thomas *in* 3. *dist.* 25. *quæst.* 1. *artic.* 1. Secundum Symbolum est Nicænum, quod postea fuit in Concilio Constantinopolitano auctum contra Macedonium, & explicatum in Ephesino contra Nestorium. Tertium est Athanasii (qui tamen an sit ejus author, aliqua est dubitandi ratio ab Historicis Ecclesiasticis ventilari solita; communior tamen opinio illud Athanasio asserit:) quod unanimis totius Ecclesiæ ipsum publicè decantantis ritu consecratum est, quia cùm integram fidei veritatem, ut notat D. Thomas, breviter, & apertè contineat, authoritate Summi Ecclesiæ Pastoris est receptum, ut quasi regula fidei habeatur. Nec enim audienda est petulans post hominum memoriam impudentissimi Lutheri vox infrunita, effutiens contra torrentem Patrum, & perennem Ecclesiæ usum ab Apostolis inductum, Conciliis firmatum, & Ecclesiæ consuetudine probatum, gravem esse captivitatem Symbolum ordinare. Sed hoc spurciloquium evidenti ratione confunditur. Nam ut egregiè discurrit S. Thomas *art.* 9. *ad* 1. veritates Fidei in sacra Scriptura diffusè continentur, & interdum justis de causis variis metaphoris, & mysteriis paucis perviis involutæ: unde ad genuinum Fidei intellectum ex sacris Literis eruendum, & orthodoxum sensum securè eliciendum, longum requiritur studium, arduumque exercitium, sin impossibile, certè summè difficile iis omnibus, quibus necessaria est notitia Christianæ veritatis. Plerique enim vel ingenio obtusi, vel educatione destituti, vel humanæ societatis negotiis occupati distortique, seriis vacare studiis nec possunt, nec tenentur: ergo summè necessarium fuit, & nihilominus conveniens, ut ex sacris Scripturarum verbis rectè, & canonicè intellectis aliquid manifestum summariè colligeretur, quod omnibus ad credendum & citò proponi, & facilè percipi, adhibita modica diligentiâ posset. Quod quidem non est additamentum Scripturarum, sed compendium ex sacris Paginis derivatum, & ut ita dicam, veluti succus, & cremor eliquatus. Quod verò garrit libertinorum coryphæus Lutherus, hanc Symbolorum dispositionem christianæ libertati officere, tam insulsum est, quàm quod maximè. Quomodo enim filiorum Dei libertati adversari potest, quod brevitati, & perspicuitati, & facilitati, & securitati consulit? Certè in artibus, disciplinis, variisque humanæ vitæ professionibus illa dicitur præstantior, simul & gratior, quæ præcisis prolixarum methodorum spinis, multa paucis docet, nec præceptis onerat, sed compendio studet.

Sed dices: Ad quid ergo multiplex Symbolum proponitur, ut credatur, si tantoperè brevitati providetur.

Respondeo, quod in omnibus Symbolis eadem Fidei veritas proponitur, & docetur; sed tunc oportuit populum diligentiùs, & enucleatiùs de fidei veritate instrui, quando errores varii insurrexerunt, ne fidelium simplicitas per hæreticos corrumperetur. Et hæc fuit causa varia edendi Symbola pro diversitate, & pertinacia hæreticorum, ut in posteriori pleniùs & apertiùs explicaretur, quod in priori implicitè latebat, & apertè exponi nondum infidelium instantia postulaverat.

An procedente tempore fidei articuli crementum acceperint.

Probatur tertia pars, in qua asserimus, nullum articulis Fidei essentiale accessisse crementum, sed majorem duntaxat explicationem, & veluti elucidationem. Nam quidquid posteriores successu temporis crediderunt, in fide præcedentium Patrum, veluti in semine, & radice continebatur: ita enim se habent in materia religionis Fidei articuli, sicut principia per se nota in scientia naturali: in principiis autem scientiarum

tiarum naturalium ordo quidam invenitur, ut quædam in aliis implicitè contenta, ex eis argumentorum circuitu, & artificioso syllogismorum ductu deriventur; sicut omnia principia ad illud unum & generalissimum reducuntur: *Impossibile est aliquid simul affirmari, & negari de eodem*; ut patet per Philosophum 4. *Metaph. textu* 92. Ergo similiter omnes fidei veritates in quibusdam generalibus maximis continentur, quales sunt existentia Dei, & singularis erga hominum salutem providentia, juxta illud Apostolicum Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator est.* In immenso quippe divinitatis pelago ea omnia includi certum est, quæ Deo ab æterno conveniunt, in quorumque notitia beatitudo nostra consistit. In fide autem divinæ providentiæ ea omnia continentur quæ temporaliter à Deo propter hominum salutem dispensantur, quæve habent rationem viæ perducentis ad vitam æternam; & per hunc etiam modum aliorum subsequentium articulorum quidam in aliis virtualiter includuntur, ex eisque veluti consectaria paulatim deducuntur: sicut in fide redemptionis humanæ incarnatio, passio, aliáque hujusmodi implicitè continentur. Cum his tamen stat, multa temporum decursu detecta, apertaque fuisse, quæ antea vel latebant planè, vel certe non nisi confusè, & obscurè dignoscebantur. Ita enim colligitur ex illo Exodi 6. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, & nomen meum Adonaï non indicavi eis.* Et ex illo Psalmi 118. *Super senes intellexi, super omnes docentes me intellexi.* Necnon ex illo Ephes. 3. *In aliis generationibus non est agnitum Mysterium Christi, sicut nunc revelatum est sanctis Apostolis, & Prophetis.* Tradit etiam aptè Gregorius homil. 6. in Ezech. *Secundùm incrementa temporum crevisse scientiam Sanctorum.* Et evidenter patet; mysterium quippe SS. Trinitatis ab omnibus ferè ante incarnatum Verbum ignorabatur; illud enim nobis Unigenitus, qui est in sinu Patris, dilucidè, sicut & alia multa secreta cœlestia enarravit. Successu etiam temporum ex ortis de fide controversiis novam lucem Pontifices, Concilia, & sacri Doctores affuderunt, & etiamnum affundunt.

Illud ergo certum est; illud ratum, illud ab omnibus alicujus notæ Theologis probatum, omnes fidei articulos fuisse initio per sacros Authores Ecclesiæ Catholicæ, saltem implicitè revelatos, omnesque fuisse ab illis, vel scriptis traditos, vel verbis posteris commendatos. Quare nec Conciliorum plenariorum, seu œcumenicorum definitiones, nec Romanæ Sedis Antistitis suprema auctoritas, nec Patrum consensus & conspiratio una novas fidelibus revelationes edunt; sed quas à Christo & Apostolis accepit Ecclesia, aut posteris integras tradunt, aut illibatas retinent, aut obscuras interpretantur, aut ex eis consequentia, & sponte fluentia colligunt, aut adversa, & repugnantia, ut conterant, manifestant. Divinorum verborum semina rigant, & excolunt; & quæ plantæ, traduces, propagines ex eis oriuntur, proferunt & ostendunt. Articuli fidei fundamenta sunt Theologicæ, Ecclesiasticæque doctrinæ, quæ Christus per Apostolos posuit: cæteri, sive Concilii Patres, sive summi Pontifices, sive Ecclesiæ Doctores, & sancti Scripturarum Interpretes superædificant super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

Illustratur hæc doctrina ex Vincentio Lirinensi.

Et sanè sapientis Pædagogi morem, & modum gerit Divinus Magister, qui non totam ab initio discipulis suis proponit doctrinam, ne obruat quos satagit erudire; sed eorum sese tenuitati, capacitatique attemperans, paulatim doctrinæ effundit lumen; à facilioribus exorditur, ut difficilia deinde & recondita scientiæ suæ arcana post varios institutionum, præludiorum, prologorum, cæterarumque dispositionum apparatus patefaciat. Sicut enim non omnia possumus omnes, ita nec omnia sunt incipientibus peræquè ac provectis accommodata. Unde Apostolus *Gal.* 3. statum veteris Testamenti *pueritiæ* comparat; quia sicut alius pueris cibus, alius viris ministratur, illis lac propinatur, istis fortior esca tribuitur; diversa etiam est hominum pro diversitate temporum & ingeniorum doctrinæ cœlestis institutio.

Idipsum miè, & penè divinè illustrat olim citatus, sed hîc minimè prætermittendus Vincentius Lirinensis, aureo contra novitates opusculo, ubi fidei non incrementum, sed explicationem, & veluti expansionem, & refusionem ad miraculum exponit his ferè verbis, quibus nonnulla adjiciam, nonnulla quoque claritatis, & brevitatis gratiâ detraham.

Sed forsitan dicit aliquis: Nullusne in Ecclesia Christi profectus habebitur religionis? Habetur planè, & maximus; sed ita tamen, ut verus ille profectus fidei sit, non permutatio. Siquidem ad profectum pertinet, ut in semetipsa unaquæque res amplificetur; ad permutationem verò, ut aliquid ex alio in aliud transvertatur. Crescat igitur oportet, & multùm vehementerque proficiat, tam singulorum, quàm omnium; tam unius hominis, quàm totius Ecclesiæ, ætatum, ac sæculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo duntaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia. Imitetur animarum religio rationem corporum, quæ licet annorum processu numeros suos evolvant, & explicent, eadem tamen quæ erant, permanent. Multùm interest inter pueritiæ florem, & senectutis maturitatem: sed iidem tamen ipsi fiunt senes, qui fuerant adolescentes; ut quamvis unius, ejusdemque hominis status, habitúsque mutetur, una tamen nihilominus, eadem que natura, una eademque persona sit. Parva lactentium membra, magna juvenum, eadem ipsa sunt tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum, et nihil novum postea proferatur in senibus, quod non in pueris jam antè latitaverit. Unde non dubium est, hanc esse legitimam, & rectam proficiendi regulam, hunc ratum, atque pulcherrimum crescendi ordinem, si eas semper in grandioribus partes, ac formas numerus detexat ætatis, quas in parvulis Creatoris sapientia præformaverat. Quod si humana species in aliquam deinceps non sui generis vertatur effigiem, aut certè addatur quippiam membrorum numero, vel detrahatur, necesse est ut totum corpus vel intercidat, vel prodigiosum fiat, vel certè debilitetur. Ita etiam Christianæ religionis dogma sequatur has decet profectuum leges, ut annis scilicet consolidetur, dilatetur tempore, sublimetur ætate; incorruptum tamen, illibatumque permaneat, & universis partium suarum mensuris, cunctisque quasi membris, ac sensibus propriis plenum atque perfectum sit; quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis dispendia, nullam sustineat definitionis varietatem.

Eandem veritatem cum eodem authore adornare possumus comparatione grani triticei in uberes quidem fructus sese fundentis; sed priùs herbam germinans, paulatim adolescit ut fœnum, & culmus deinde pubescens erigitur, assurgit, explicatur in spicam, ut frugem possit multiplicem sustinere: sed eadem semper seminis species perseverat, nihilque de germinis proprietate mutatur. Addatur licèt forma,

species,

species; distinctio, eadem tamen cujusque generis natura permanet. Similiter ergo serverunt Majores nostri antiquitus in hac Ecclesiastica segete triticeæ fidei semina: unde iniquum valde, & incongruum est, ut nos eorum posteri, pro germana veritate frumenti, subdititium zizaniæ eligamus errorem. Quin potiùs hoc rectum & consequens est, ut primis, atque extremis sibimet non discrepantibus, de incrementis triticeæ institutionis triticei quoque dogmatis frugem demetamus. Ut cùm aliquid ex illis seminum primordiis accessu temporis evolvatur, & excolatur, grani tamen proprietas non mutetur. *Absit enim, ut rosea illa catholici sensus plantaria in carduos, spinasque vertantur. Absit, inquam, ut in isto spiritali paradiso de cinnamomi, & balsami surculis lolium repentè, atque aconita proveniant. Quodcumque igitur in hac Ecclesia Dei agriculturâ, fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur, & observetur; hoc idem floreat, & maturescat; hoc idem proficiat, & perficiatur. Fas est etenim, ut prisca illa cœlestis Philosophiæ dogmata processu temporis excurentur, limentur, poliantur: sed nefas est, ut commutentur; nefas est, ut detruncentur, ut mutilentur. Accipiant licèt evidentiam, lucem, distinctionem: sed retineant necesse est plenitudinem, integritatem, proprietatem.*

Itaque Ecclesia Catholica in Conciliis œcumenicis congregata, vel ore summorum Pontificum oracula fundens, novos non condit articulos, nova dogmata non cudit, nihil permutat, nihil minuit, nihil addit: non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena; sed depositorum apud se dogmatum custos sedula, & cauta, omni industriâ huic uni studet, ut vetera fideliter, sapienterque tractando, si qua sunt, illa antiquitus informata, & inchoata accuret, & poliat; si qua confirmata sunt, & definita, custodiat: ut nimirum illud idem, & invariatum, quod antea simpliciter credebatur, hoc idem posteà diligentiùs cognitum, firmiùs & credatur; quod antea lentiùs prædicabatur, hoc idem postea instantiùs prædicetur; quod antea securiùs colebatur, hoc idem posteà solicitiùs excolatur; quod priùs à majoribus sola traditione tenebatur, hoc idem posteris per Scripturæ chirographum majori luce consignetur.

Quocirca Ecclesia in suis definitionibus quasi spiritalis tabernaculi Beseleel pretiosas divini dogmatis gemmas exsculpit, fideliter coaptat, adornat sapienter, adjicit splendorem, gratiam, venustatem. Intelligitur eâ exponente illustriùs quod antea obscuriùs credebatur. Per illius determinationes posteritas intellectum gratulatur, quod antè vetustas non intellectum venerabatur. Eadem quæ didicit, quæ à Patribus audivit, ita docet, ut cum dicat novè, non dicat nova. Quod si ad Novatorum comprimendam audaciam nova adhibet verba, novæ appellationis proprietate utitur, id propter intelligentiæ lucem præstat, non propter novum fidei sensum. Nec incidit in prophanas vocum novitates, quas Apostolus devitandas mandavit; quia tunc solum prophana novitas est, quando cum novæ appellationis sensu novæ res, novæ sententiæ, nova dogmata invehuntur, quæ sunt vetustati, universitati, & Ecclesiæ consensioni contraria. Has prophanas novitates soli hæretici amant, apud quos omnes solenne est, ac legitimum, ut semper novellis dogmatis gaudeant, antiquitatis scita fastidiant, & per oppositiones falsi nominis scientiæ à fide naufragent.

Sed dices: Difficile intellectu est, quomodo in universalissimis fidei principiis alia mysteria includantur, ex eisque sponte fluant? Quomodo v. g. in duabus præfatis maximis à S. Thoma post Apostolum memoratis, *Deus est, & inquirentibus se remunerator est*, continentur alia tam abstrusa, nec minùs disparata de Trinitate, Incarnatione, Eucharistia, visioneque beata mysteria? Quomodo valere quit hæc consequentia, Deus est; ergo est Trinus: Deus habet providentiam; ergo Filius est incarnatus. Ergo mysteria nedum quoad explicationem, sed etiam quoad substantiam nova successu temporis crementa susceperunt.

Respondeo multiplicem articulorum fidei nostræ copiam & distinctionem non ita ex duobus præfatis Religionis maximis derivari, ut per evidentem, & ultrò manantem consequentiam inferantur; sed quia in re ipsa intuitivè, & prout est in se cognita sunt, vel ex natura rei, vel ex divinæ beneplacito voluntatis cum illis connexa. In essentia quippe divina, ex natura rei Trinitas continetur; cùm, ut aliàs monstravimus, relationes sint de conceptu essentiæ, & impossibile sit istam videri illis latentibus. Simul ter in divina providentia hominum salutem per Incarnationem procurare volente, executio talis mysterii ex divinæ beneplacito voluntatis continetur. Unde duo prædicta fidei axiomata meritò possunt grano synapi juxta parabolam Evangelicam comparari, ut tibi consideranti, Lector optime, patebit: bona enim mens tua non indiget multis literis.

Dices iterum: Ipsemet S. Thom. *resp. ad* 4. fatetur illos, qui fuerunt Christo propinquiores, sicut Joannes Baptista, & Apostoli, pleniùs divina mysteria cognovisse, quia & circa statum hominis hoc videmus, quod in juventute perfectior est, eóque magis, vel minùs perfectus reliquus vitæ status apparet, quo est juventuti propinquior: patet verò, quod sicut tempus veteris Testamenti pueritiæ, ita nostrum senectuti assimilatur: tempus verò Dominicæ Incarnationis & Evangelicæ prædicationis juventuti comparatur: ergo falsum est, successu & decursu sæculorum fidei articulos esse explicatiores, & uberiorem fidei doctrinam nos habere; unde si nullum sit in substantia, nullum etiam erit in explicatione crementum.

Respondeo certissimum, & evidentissimum esse splendorem fidei in substantia eundem quotidie semper ampliùs effundi, & crescere usque ad perfectum gloriæ diem. Unde doctrina Ecclesiæ nascentis solet auroræ; proficientis, lunæ; perfectæ verò & consummatæ, Soli comparari. Et certè ipsi Apostoli Concilium Hierosolymis coëgerunt, ut controversiam de circumcisione Gentilium conversorum, & de observatione legalium definirent, ut videre est *Act.* 15. Multa etiam deinde in Conciliis, sive plenariis & œcumenicis, sive provincialibus, post Apostolos celebratis exposita fuerunt, quæ antea vel latebant prorsus, vel certè non ita clarebant. Denique quis crederet in hoc sæculo tam exculto, & rerum omnium divinarum, humanarumque scientiam assequuto, post tot Concilia, post tot Patrum micantissimas lucubrationes, post tam accuratas, & elaboratas Theologorum operas minorem esse cœlestium veritatum notitiam? Fateor quidem Apostolos, Baptistam, aliosque eis coætaneos viros Apostolicos singulari doctrinæ fidei privilegio ditatos, & abundatiori lumine perfusos fuisse: Ipsi enim habuerunt primitias spiritus; ipsi sal terræ condiendis populis institutum, & lux mundi, testante Veritate fuerunt; ipsi non servi, sed amici vocati sunt, quibus Filius quæcumque accepit à Patre, patefecit; ipsi fuerunt Ecclesiæ cœli gloriam Dei enarrantes, à quorum influxibus cætera quæque pendent; ipsi fuerunt Doctorum Magistri, & Patres, in quibus proinde subsequentis doctrinæ radii uniti eminentissimè reperiebantur; ipsi in die Pentecostes cœlestium veritatum plenitudinem, & superpleni-

tudinem soli visioni beatæ inferiorem, omni alia creata superiorem ita receperunt, ut nihil nec quoad substantiam, nec quoad ecclesiasticos ritus, & Reipublicæ Christianæ leges; nihil, inquam, prorsus ignorarint, juxta illud ipsis à Veritate promissum: *Cùm venerit Paracletus docebit vos omnem veritatem.*

Patribus etiam primorum Christianismi sæculorum singularia doctrinæ, & cœlestis luminis privilegia concessa fuisse non inficiamur. Ipsi enim sexaginta illis fortibus designantur, qui lectulum Salomonis, sacrum videlicet Ecclesiasticæ doctrinæ depositum custodire dicuntur. Ipsi, ut prosequitur Sanctus Prosper *lib. 2. de vita contempl.* fuerunt per Dei gratiam divinæ voluntatis indices, & interpretes, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, & fundatarum propagatores, fidelis populi duces, veritatis assertores, pravæ doctrinæ hostes, Patres in Fide Catholica regeneratorum, Prædicatores cœlestium, primi phalanges invictæ illum præliorum; exempla bonorum operum, documenta virtutum, & fonna Fidelium.

Cum his tamen stat, ipsos singulas quasque difficultates in singularibus casibus occurrentes infuso sibi lumine prævidisse, & explicitè novisse; sed Apostolos cognovisse sibi divinitus promissam Spiritus sancti assistentiam, quâ emergentes circa Fidem difficultates solverent, dubia compescerent, controversias definirent. Cæterùm malè inde colligitur Ecclesiam senescentem, & ab ætate plenitudinis legis Christianæ recedentem, densioribus obrui tenebris; cùm omnia fere in Conciliis explicata, & determinata habeat, doctrinaque theologica floreat supra modum. Solùm inde inferri debet, difficultates Fidei, variasque resolutiones, tum speculativas, tum morales, ad primitivorum Patrum doctrinam, veluti amussim esse exgendas; quia sicut aquæ in fontibus puriores sunt, ita incorruptus sive de dogmatibus, sive de moribus sensus in primitivæ Ecclesiæ Doctoribus sanctis limpidiùs apparet; cùm nullis sit novitatum nebulis, nullis modernæ laxitatis tenebris obscuratus; & hoc est duntaxat, quod voluit loco laudato S. Thomas avitæ doctrinæ tenax, antiquitatis Patrum amator, & æmulator.

Occasione Symboli, & articulorum Fidei tractant non pauci de infallibilibus Fidei regulis, Scriptura, Traditionibus, Conciliis, Summorum Pontificum definitionibus, & Ecclesiæ Catholicæ moribus, & consuetudinibus: disputant etiam de veræ Ecclesiæ proprietatibus & tesseris, unitate, universalitate, sanctitate, Apostolicarum traditionum observantia, & infallibilitate. Sed de his omnibus etsi pro rei dignitate strictè, pro operis tamen nostri brevitate satis amplè tota dissertatione præambula tertii, & quinti libri sermonem habuimus.

Corollaria momentosa de natura, divisione, & dignitate Fidei.

Ex principiis toto hoc capite constitutis ea sine negotio consectaria derivantur, quibus Fidei natura & dignitas elucescent.

Corollarium I. *Apostolica Fidei definitio.*

Sequitur ergo primò, fidem benè ab Apostolo *Hebr.* 11. sic definiri: *Fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium*, Dicitur substantia, idest basis, inchoatio, & fundamentum rerum, quas speramus; in quolibet enim genere, quidquid aliis supponitur, & substernitur, substantiæ nomen, quod à substando dictum est, sortitur. Vel quia sicut substantia per se, non in alio subsistit, illique innixa est tota compositi structura: ita Fides firmamentum est totius vitæ, militiæ, & œconomiæ spiritualis. Ipsa per se stat, et pugnet, ut vincat, ut triumphet; Sancti enim per Fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Ipsa per se stat, & subsistit, quia cæteris deficientibus permanet; destructâ enim per peccatum mortale charitate, & eversâ totâ virtutum infusarum supellectile, fideio non perimit ruina: sicut in corruptione substantiali, in qua fit totalis accidentium resolutio, sola permanet, & subsistit materia prima, quia est subjectum primum generationis entis naturalis. Additur *sperandarum rerum*; quia Fides est inchoatio & fundamentum futuræ visionis, quam speramus; & res speratas, futuras licèt, nondumque existentes, menti nostræ præsentes exhibet, dando illis quadantenus hypostasin & subsistentiam in mente Fidelium, eas tam certas habentium, quàm si ipsis reverà præsentes objicerentur. Signanter autem dicitur rerum sperandarum, non verò diligendarum; quia dilectio potest esse visorum & non visorum, præsentium & absentium: atque adeò res diligenda non ita propriè objectum fidei declarat, sicut res speranda, quæ semper est absens, & non visa, juxta illud Rom. 8. *Quod non videmus, speramus.* Illud etiam Hilarii lib. 8. de Trinit. *Maximum fidei stipendium est sperare quæ nescias.* Dicitur præterea *argumentum*, & sumitur pro effectu argumenti; unde alia litera habet, *convictio*; sicut enim per argumentum intellectus suavi & veluti connaturali artificio ad adhærendum veritati inducitur, & necessitate etiam exercitii impellitur; ita divinæ authoritatis pondere intellectus fidelis ad adhærendum rebus fidei tam fortiter, & nihilo minùs suaviter inclinatur, quàm si evidenti demonstratione convinceretur. Denique additur *non apparentium*, quia ut ex hactenus dictis satis superque liquet, ratio non visi vel est de essentia, ut quidam volunt, vel certè conditio est ad objectum fidei indispensabiliter requisita.

Atque ex his Apostolicæ hujus definitionis profunditas, & bonitas patent, quidquid garriat Erasmus. Cùm enim juxta solidæ Philosophiæ principia, habitus per actus, actus verò per objecta dignoscantur, fides, utpote habitus intellectualis, definiri debet per proprium actum in ordine ad proprium objectum: in illa autem Apostoli definitione proprius fidei actus, & proprium ejusdem objectum designantur: proprius namque fidei actus est credere, quem actum exprimit ly *argumentum*; sumitur enim pro effectu argumenti, ut dictum est, idest convictione animi veritatibus revelatis ob divinam authoritatem indivisè adhærescentis. Assignatur etiam proprium fidei objectum; nam cùm credere sit actus intellectus à pia voluntatis motione dependens; objectum illius & ad voluntatem, & ad intellectum sub diversa ratione pertinere debet; per hoc autem quod dicitur substantia sperandarum rerum, significatur habitudo fidei ad finem, qui est objectum voluntatis; per hoc verò quod dicitur argumentum non apparentium, designatur habitudo ad verum, quod est objectum intellectus. Ergo formalis est, & accurata Apostoli definitio.

Et ut magis appareat, quàm sit characteristica hæc definitio, certum est per illam habitum fidei ab aliis omnibus intellectualibus discerni. Nam per ly *argumentum*, distinguitur ab opinione, suspicione, dubitatione, quibus non firmatur, vel convincitur, sed formidat, vel vacillat intellectus. Per ly *non apparentium*, distinguitur à scientia, & intellectu, quibus res fit

fit apparens, & conſpicua. Per ly *ſubſtantia ſperandarum rerum*, diſtinguitur à fide communiter ſumpta, & ab humana, & à coacta, quæ nullatenus ad beatitudinem ſperatam ordinantur.

Corollarium II. *Alia Fidei definitiones.*

Sequitur ſecundò bonitas multarum fidei definitionum, quæ à gravibus Theologis circumferuntur. Et quidem S. Thomas *q.4. art.1.* fidei naturam radicitus hac definitione indagat. *Fides*, inquit, *eſt habitus mentis, quo inchoatur vita æterna in nobis, faciens intellectum aſſentire non apparentibus.* Quæ verba ſunt veluti Apoſtolicæ definitionis commentarius. Ab illa non eſt multùm diſſentanea, quam tradit Dionyſius cap. 7. de divin. nom. *Fides eſt manens credentium fundamentum, collocans eos in veritate, & in ipſis veritatem oſtendens.* Adſtipulatur Auguſtinus *tract.4. in Ioan.* ſic fidei naturam paucis complectens: *Fides eſt virtus, quâ creduntur quæ non videntur.* Paulò difficilior eſt quam proponit Damaſcenus lib.4. cap. 12. *Fides eſt non inquiſitivus aſſenſus* (ſic enim legendum optimè monet omniſcius P. Nicolaï, non ut perperam prius, *non inquiſitus aſſenſus*:) ideſt fides aſſentitur credendis abſque inquiſitione rationis veritates fidei demonſtrantis.

Sed ex dictis facilis & expedita colligitur fidei definitio, hoc modo: *Fides eſt virtus theologica, quâ creatus intellectus omnibus à Deo tanquam prima veritate revelatis firmiter aſſentitur.* Hac enim definitione propria ratio formalis objecti fidei perſpicuè declaratur. Optima etiam eſt deſcriptio, quæ communiter uſurpatur: *Fides eſt donum Dei, ac lumen, quo illuſtratus homo firmiter aſſentitur omnibus, quæ Deus revelavit, & nobis per Eccleſiam Catholicam credenda propoſuit, ſive illa in ſacris Literis ſcripta ſint, ſive traditione Apoſtolica habeantur.*

Corollarium III. *Fidei diviſio in formatam, & informem.*

Sequitur tertiò, fidem rectè dividi in formatam, & informem. Formata eſt fides gratiâ habituali, & charitate informata: informis verò eſt fides gratiâ habituali, & charitate deſtituta. Ratio colligitur ex dictis. Cùm enim fides ſit ſubſtantia, & inchoatio rerum ſperandarum, fundamentum chriſtiani ædificii, dicens ordinem non ſolùm ad verum, quod eſt objectum intellectus, ſed etiam ad bonum, quod eſt objectum voluntatis; ideóque à pia voluntatis motione pendeat, ut poſteà dicemus: conſequens eſt, ut tamdiu fides informis, & veluti nuda, inanis, & vacua cenſeatur, quamdiu gratiâ eſt, & charitate deſtituta; tunc verò formata, & ornata dicatur, cùm gratiâ habituali, & charitate, veluti veſtitu deaurato induitur, virtutum etiam infuſarum varietate circumamicta.

Sed paulò accuratiùs exponendum eſt, quomodo per gratiam, quomodo præſertim per charitatem fides formetur. Crebra enim, & frequens eſt D. Thomæ, Patrumque ſententia, charitatem eſſe non ſolùm fidei, ſed etiam virtutum omnium formam. Ad quorum claritatem ſupponendum eſt, nec gratiam, nec charitatem poſſe eſſe cæterarum virtutum formam intrinſecam, & phyſicam; quælibet enim virtus, imò & omnis habitus, in Schola Sancti Thomæ eſt forma, & qualitas ſimplex, & indiviſibilis; quæ proinde nec ſubjectum alterius eſt, nec phyſicam cum alia virtute unionem inire quit. Gratia ergo, & charitas non poſſunt eſſe niſi extrinſeca & moralis forma virtutum, quatenus fides, cæterarumque virtutum beata cohors in ratione chriſtianæ, veræ, perfectæque virtutis à gratia, charitateque ita formantur, ut talis beneficio informationis actus earum vitæ æternæ meritorii evadant. Sed quomodo fiat hujuſmodi moralis informatio, quid inde in virtutes refundatur, quid in earum actus derivetur, explicare operæpretium eſt. Et quidem de gratia ſanctificante facilè percipitur; cùm enim gratia ſit virtutum infuſarum origo, & ſubjectum, à quo connaturaliter dimanant, abſque negotio intelligimus, gratiam eſſe formam, non phyſicam virtutum, cùm potiùs rationem ſubjecti earum habeat, & virtutes ad inſtar formarum phyſicarum gratiæ inhæreant; ſed formam moralem, quatenus ex unione gratiæ cum virtutibus refluit condignitas in virtutes, quibus moraliter dignitate ſpeciali veluti veſtiuntur, dum ex illa condignitatem meriti ad vitam æternam è gratia hauriunt, & veluti ſugunt, unde non parum illuſtrantur.

Quo pacto etiam fides, & virtutes à charitate formentur, explicare ſicut ſummè utile eſt, ita non eſt admodum operoſum. Cùm enim charitas peculiari ſingularum virtutum ad ſpeciale ſuum bonum inclinationi ſuperaddat relationem, & ordinationem ad ſummum bonum, & ultimum finem, quod eſt ſpecificum charitatis objectum, quâ ordinatione cuilibet virtuti ſtatum perfectæ virtutis confert, jure meritò nomen formæ virtutum charitati aſſeritur, & vindicatur.

Ad cujus profundiorem intelligentiam recolendum eſt quod aliàs, dum de actibus humanis imperatis diximus, illud in genere moris habere rationem formæ, à quo actus ſpeciem moralem ſortitur; unde ibidem diximus, formam moralem actus imperati, quà talis, eſſe finem: ergo illud erit forma fidei, cæterarumque virtutum, à quo fides deſumet ſpeciem moralem bonitatis, & honeſtatis: atqui fides accipit ſpeciem moralem honeſtatis à charitate ipſam in finem ultimum ordinante: ergo charitas eſt fidei, cæterarumque virtutum omnium forma, quatenus & fidei, & omnibus virtutibus ordinem ad finem, à quo ſpecificantur actus morales, impertitur. Utrum autem per hujuſcemodi informationem charitatis aliquid reale habitui, actibuſque fidei, & aliarum virtutum imprimatur, quæſtio eſt magis Philoſophica, quàm Theologica. Indigitat tamen S. Doctor *quæſt.23. art.8.* & *quæſt.88. art.6. hujus* 2. 2. per talem charitatis ordinationem aliquid reale actibus immitti, quatenus affirmat charitatem *imprimere quendam modum actibus*; & actum fidei *meliorem eſſe, ſi à charitate imperetur*: quæ major bonitas utique intrinſeca eſt. Et favet ratio; nam vel charitas ordinat actus virtutum naturalium, vel virtutum infuſarum: utriſque autem aliquid debere intrinſecum infundi neceſſe videtur; naturalibus quidem, cùm per talem ordinationem ſupernaturales evadant, ſubindeque intrinſeco ſupernaturalitatis modo affici debeant. Neceſſaria eſt etiam realis impreſſio actibus virtutum infuſarum, quia tametſi ſupernaturales ſint, tamen quia reduplicativè ut imperati, tranſeunt in ſpeciem virtutis imperantis, participatio paſſiva imperii, & ordinationis charitatis debet in actibus virtutum infuſarum relucere, quâ & diſtinctam ſpeciem ingrediantur, & in eſſe virtutis ſimpliciter conſtituantur. Nuſquam tamen meminit S. Præceptor aliquid imprimi habitibus, ſed expreſsè loco citato ait, pro tanto charitatem dici formam virtutum, quia dat formam actibus omnium virtutum. Maximè quia non habitus virtutum, ſed ſoli actus in finem charitatis referuntur, & novam ſpeciem induunt. Quin & S. Magiſter *q.4. art.4.*

ad 4. formaliter docet, fidem formatam, dum fit informis, non mutari: constat autem illam mutatum iri, si quidpiam intrinsecum à charitate recepisset.

Dices: Charitas non est nisi forma extrinseca fidei & virtutum, quas dumtaxat dirigit, earumque actus imperat: Atqui forma extrinseca nihil imprimit, sed ejus imperium virtutes infusæ per sympathiam sentiunt, & exequuntur; imò sufficit conjunctio, & in eodem subjecto colligatio, ut actus imperati in finem imperantis referantur: ergo actibus fidei, & virtutum nihil per charitatis informationem infunditur.

Respondeo, quod licèt charitas sit forma extrinseca virtutum, effectivè tamen earum actibus influit, quia nedum eos dignificat, sed & movet in finem supernaturalem: sicut licèt causa efficiens sit extrinseca, aliquid tamen reale immittit in passum. Falsum est etiam, per imperium nihil reale imprimi, præsertim cùm ex passiva participatione illius actus in aliam speciem migrat. Nec sufficit sola conjunctio, & colligatio, ut actus unius virtutis referatur in finem alterius; sed exigitur positivus influxus, quo actus imperatus in finem imperantis rectà, & realiter dirigatur.

Corollarium IV. *Fides formata, & informis idem sunt habitus.*

Sequitur quartò, fidem formatam & informem non esse distinctos habitus, sed eandem fidem de formata in informem sine intrinseca mutatione transire. Probatur contra Lutheranos, & Calvinistas existimantes fidem non posse à charitate separari, subindeque fidem informem specie distingui à formata, quam solum nomen retinere, & vix mereri volunt. Sed hunc errorem damnat expressè Tridentinum *sess. 6. can. 28.* sic pronuntians: *Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & fidem semper amitti; aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licèt non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Et ratio est, quia fides formata, & informis eatenus duntaxat distinguuntur, quatenus fides formata ad finem charitatis dirigitur, secus fides informis; unde tota, quæ intercedit distinctio, ex eo quod pertinet ad voluntatem derivatur: sed ex illo capite oriri nequit distinctio specifica fidei informis à formata, cùm habitus per illud solùm possint specie distingui, quod per se ad habitum pertinet: quod autem pertinet ad voluntatem, non per se pertinet ad fidem, sed id tantùm, quod ad intellectum spectat, cùm fides sit intellectualis perfectio: ergo nulla specifica inter fidem formatam, & informem distinctio interest, sed eadem manet. Maximè quia peccatum mortale, quod non est infidelitas, non destruit rationem formalem objecti fidei; unde peccator potest elicere actus fidei supernaturalis, sicut antea; potest sperare, & pœnitere; potest & Deum exorare, quæ tamen omnia fidem supponunt. Ergo in peccatoribus remanet eadem fides, tametsi non eodem modo, quo eam in justificatione acceperant.

Et certè hanc veritatem tota Scriptura, tota Traditio firmat. Quid enim in sacris Paginis, Sanctorumque monumentis frequentius, quàm sæpe nimis fide manente charitatem deperire? Certè cùm Apostolus attestetur, fidem talem, tantamque, quæ ipsos naturâ immobiles ciebat, transferatque montes, sine charitate nihil prodesse; cúmque Jacobus etiam inculcet fidem sine bonis operibus mortuam esse, profectò supponunt viri illi divini, fidem pereunte etiam charitate permanere. Et certè quis, quæso, esset author novæ illius fidei informis, quæ pereunte charitate adventaret? An homo? Minimè sanè. Cùm enim fides in peccatore perdurans supernaturalis sit, utpote objecto supernaturali, ex motivo pariter supernaturali assentiens, non potest à peccatoris viribus naturalibus, iisque peccato sin corruptis, & extinctis, certè infirmatis, & sauciatis gigni. An à Deo? Multo minùs. Quid enim improbabilius, imò & absurdius dici, aut excogitari potest, quàm Deum homini in peccatum lapso habitum supernaturalem infundere? Quis sibi facilè persuadeat, peccatum mortale tali dignum esse mercede, cui sola pœna debetur? Verum quidem est aliquando rerum contingere, tantam esse peccatoris corruptionem, ut destructa charitate, naufragium patiatur & fides, quia facile est illi non credere, quem non amamus; & proclive est illum infidelitatis inficiari, quem judicem metuimus, & ultorem. Et talis fuit Lutheri perversitas; adeò enim in omnium vitiorum colluvie immersus jacebat, ut fæculentissimi scelerum omnium vapores post extinctam charitatem, fidem etiam obscurarint, & tandem penitus obliterarint. Nihil ergo mirum, si fidem in naufragio charitatis perire crediderit, quia de aliis per semetipsum judicabat: nec putabat fidem posse in quopiam post funus charitatis superesse, qui in se virtutum omnium exterminium expertus fuerat, & ruinam. Sed absit, ut desertori Fidei de Fide loquenti credamus: absit ut ei fidem adhibeamus, qui Deo fidem detrectavit, & Ecclesiæ.

Sed dices: Quod est mortuum, distinguitur specie ab eo, quod est vivum; sicut distinguitur corpus cadaveris à corpore hominis viventis: sed fides informis mortua est, utpote orbata gratiâ, & charitate, in quibus consistit vita spiritalis: ergo fides formata, & informis specie distinguntur.

Respondeo, quod licèt in naturalibus, quod mortuum est nequeat fieri vivum, ab eoque specie distinguatur; secus tamen est in moralibus. Et ratio discriminis est, quia principium vitæ naturalis est forma viventis, quâ desinente, advenit nova forma physica, subindeque nova species; unde alia necessariò est species corporis vivi, & alia corporis mortui; cùm sit distincta utriusque forma. At verò in moralibus principium vitæ, & dignitatis moralis est forma extrinsecè informans habitum, qui semper manet essentialiter idem; ac proinde idem specie habitus modò vivit, modò moritur moraliter, prout ejus actus ad finem charitatis sibi extrinsecum refertur, vel non refertur. Quorum omnium radix est, quia ordo moralis non mutat, sed supponit physicum, & eidem physicè actui distincta potest moralitas obvenire: & ratione unius, scilicet bonitatis, actus dicitur vivere; ratione alterius, scilicet peccati, cui conjungitur, dicitur mori.

Instabis: Gratia sanctificans infusa fideli peccatori, & pœnitenti, non est minoris efficaciæ, quàm dum infunditur infideli è gentilitate converso: sed gratia infusa infideli converso secum defert habitum fidei formatæ: ergo & fideli peccatori habenti solam fidem informem, gratia justificationis habitum fidei formatæ largitur: subindeque alia semper est fides informis, alia fides formata.

Respondeo, gratiam sanctificantem infideli converso infundere fidem, fideli verò non infundere, sed aliàs infusam firmare, & formare; non secus ac eadem gratia peccatorem pœnitentem justificat, justo verò collatam justitiam confirmat, & auget. Quamvis enim gratia habitualis sit divinis opima, & fœcunda muneribus, accommodatur tamen, & veluti attemperatur ejus profusio subjecti dispositioni

tioni: unde quanvis de se sit & remissiva peccati, & fidei parens; non tamen semper remittit peccatum, vel fidem parit: quia peccatum remissum sæpè invenit, sæpe fidem in Baptismate supponit genetatam.

Urgebis: Actus fidei informis nunquam potest fieri actus fidei formatus, ut expresse docet S. Thomas *in 4. dist. 17. q. 2. art. 7. quæst. 3.* his verbis: *Quamvis habitus fidei informis fiat formatus, nunquam tamen actus fidei informis fit actus fidei formatæ; quia actus ille transit, & non manet veniente charitate.* Atqui eadem videtur ratio de actu, & de habitu, cùm actus sit expressio habitus, & habitus expressio actus; nec facilè aliunde appareat ratio disparitatis: ergo habitus fidei informis nunquam potest evadere formatus.

Respondeo nonnullum Thomistam opinari etiam actum fidei informis posse fieri formatum, & S. Doctorem sic interpretari, ut velit doctrinam ejus esse regulariter, & non absolutè veram; quia, inquit, non repugnat actum fidei incipere sine charitate, & deinceps usque ad charitatis adventum, quo formabitur, continuari. Sed cùm S Præceptor tam disertè, tamque luculenter affirmet, *nunquam actum fidei informem fieri actum fidei formatæ*, evidens est, præfatum interpretamentum esse prorsùs à S. Doctoris mente alienum. Nec valet adducta de continuatione instantia; quia quantumlibet continuetur actus fidei informis, nunquam formatus evadet, nisi à charitate imperetur; si autem à charitate imperatur, jam erit novus actus imperium subsequens charitatis; sicut enim post charitatem fidelis est diversimodè comparatus, ita distincto, & novo modo; distincto, novoque conatu operatur. Ad argumentum ergo dicendum, non parvum interesse discrimen inter actum, & habitum: cùm enim actus sit transiens, nec idem permaneat, sed novus eliciatur, dum charitas incipit principari, non mirum si actus informis nunquam formatus fit. At verò habitus est permanens, & naturâ suâ immobilis, quia adveniente charitate non tollitur sed ornatur; non desinit, sed nova dignitate afficitur, novæ reginæ subjicitur, cujus jussu, & directione formatos, & perfectos edit actus, qui antea non nisi informes, & imperfectos eiiciebat.

Corollarium V. Variæ fidei prærogativæ & dotes.

Prima prærogativa: perfectio virtutis fidei.

Sequitur quintò, varias esse dotes fidei eximias, quarum prima est, quod fides formata est virtus simpliciter perfecta. Ille enim habitus virtutis simpliciter nomen & veritatem obtinet, cujus actus est simpliciter bonus: talis autem est actus fidei formatæ, cùm enim actus fidei ab intellectu ex imperio voluntatis procedat, duo necessariò requiruntur, ut actus fidei sit simpliciter bonus: primò, ut intellectus infallibiliter tendat, & assequatur suum bonum, quod est verum: secundò, ut in ultimum finem, qui prima est totius bonitatis mensura, rectà dirigatur: sed actus fidei formatæ utrumque habet; nam ex propria quidem ratione assensus semper ita fertur in verum, ut illi nunquam subesse falsum ullum possit; ex hoc verò, quod est à charitate formatus, seu imperatus, in ultimum finem summum, scilicet bonum summè dilectum movetur: ergo fides formata est virtus simpliciter.

Dixi, *Fides formata*; fateor enim, fidem informem non esse virtutem, nisi secundùm quid, cùm non habeat omnem quam exigit, tam ex parte intellectus, quàm voluntatis perfectionem, cùm orbata charitatis directione non referatur in ultimum finem. Quia ratione temperantia in concupiscibili existens, absente à parte rationali prudentiâ, à perfectæ virtutis ratione deficit. Sicut enim perfectio actus temperantiæ ideo pendet à prudentia, quia est actus partis concupiscibilis, ut subest rationi; ita cumulata actus fidei perfectio à charitate pendeat necessum est, cùm sit actus intellectus ut moti à voluntate. Actus enim per se à duobus dependens, consummatam, quam connaturaliter exigit, perfectionem non consequitur, nisi utriusque lineæ perfectionem sortiatur: assentiri autem veritatibus supernaturalibus, actus est ab intellectu simul, & à voluntate pendens, ut posteà demonstrabitur. Accedit, quod tunc solùm actus virtutis est simpliciter bonus, subindeque habitus illum eliciens simpliciter virtus, cùm debito modo fit; Deus enim non tam quærit verba, quàm adverbia, ut ait Gratianensis; nec tam quantùm, quàm ex quanto, ut ait Gregorius Magnus. Sed actus fidei informis non benè, nec debito modo fit: actus enim fidei est assentiri rebus revelatis ex pia motione voluntatis; voluntas autem sine charitate verè pia dici nequit, nec rectè movere alias potentias suo imperio potest, quia ut ait August. lib. 14. de civit. cap. 5. *Omnis rectus voluntatis motus ex recto amore procedit.* Ergo fides charitate destituta non est verè, & simpliciter virtus.

Dices cum Durando: Virtus perfecta est habitus conferens potentiæ ultimum perfectionis gradum actui connaturaliter debitum; definitur enim ultimum potentiæ: sed fides formata minimè confert intellectui cumulatum illum perfectionis gradum, quem habere natus est; non enim præstat evidentem cognitionem, quam tamen intellectus naturaliter concupiscit: ergo fides etiam formata, non est virtus simpliciter, sed secundùm quid, quatenus elicit actum ab imperio charitatis moralem, & christianam bonitatem haurientem.

Respondeo, hoc argumento probari quidem, fidem non esse virtutem intellectualem, ut sæpissimè docet D. Thomas, subtiliter & accuratè distinguens inter virtutem intellectualem, & virtutem intellectus. Neque enim sufficit ad rationem virtutis intellectualis, ut subjectivè recipiatur in intellectu, per eamque cognoscatur verum; sed oportet actum, quo verum consideratur, esse ex modo agendi perfectum, ut scilicet veritas benè, & conspicuè percipiatur; in hoc enim situm est intellectus bonum: intellectum autem benè, & clarè objectum suum intelligere, non inde provenit, quod ejus operatio ex bonæ voluntatis, & dirigentis charitatis imperio procedat; sed ex plenitudine, & efficacia luminis objectum in se clarè, & intuitivè conspicientis, vel in principium manifestum resolventis. Ergo ut fides dicatur virtus intellectualis, non solùm per eam debet cognosci verum, sed opus esset ut actus fidei, quo verum consideratur, foret ex modo intelligendi perfectus: Atqui licèt fides per actum suum ponat intellectum in ultimo potentiæ, quantum ad objectum, in quantum facit assentiri primæ veritati; non tamen quantum ad modum proprium ipsius intellectus, qui per fidem id non consequitur, ut id quod credit, inspicere per se possit, vel ad ea quæ inspicit, reducere: ergo fides non est virtus intellectualis, neque moralis, sed theologica, in intellectu tamen residens. Non tamen definit esse virtus simpliciter, & in vero sensu ultimum potentiæ, cùm constituat intellectum in ultima perfectione supernaturali, quam in via habere natus est, determinando ipsum ad verum supernaturale infallibiliter attingendum.

Insistit Durandus : Fides non est magis virtus simpliciter conjuncta charitati, quàm ab ea distincta; nec assentiri vero supernaturali intrinsecè perfectius est cum charitate, quàm sine charitate; ex charitate enim actus fidei nullam recipit intrinsecam perfectionem ad genus cognitionis pertinentem, sed solùm moralem in finem ultimum habitudinem : perfectio autem actus non ex quocumque pensanda est, sed ex rationibus intraneis, aliàs actus opinionis à charitate imperatus, ex eaque rationem meritorii derivans, efficeret opinionem esse virtutem simpliciter : ergo vel fides informis est virtus simpliciter, vel formata non est virtus simpliciter.

Respondeo, hoc argumento ad summum convinci, fidem à charitate quoad substantiam actus non pendere, cùm absque ea perfectionem intellectualem obtineat; sed minimè effici, fidem in ratione virtutis simpliciter, & quoad esse, statumque perfectum à charitate nequaquam pendere, cùm ut aliàs ex D. Thoma vidimus, solus ille bonus simpliciter dicendus est, qui bonam habet voluntatem. Sed adhuc meliùs, & profundiùs dici potest, quod quia actus fidei est actus intellectus ut moti à voluntate ad suæ essentialis perfectionis complementum, & ut ita dicam, coronamentum, non solâ intellectualis ordinis sibi ingenitâ perfectione contentus est, sed ulteriorem exigit cumulum perfectionis, quâ in ratione mobilis à voluntate perficiatur; quæ sanè perfectio per se illi debita est, cùm actus fidei ex intimis naturæ suæ visceribus, & rationibus characteristicis à pio moventis voluntatis impulsu dependeat. Unde patet, quàm toto cœlo fides ab opinione discrepet; assensus enim probabilis ex verisimilibus argumentis naturaliter fluit, nec speciali voluntatis motione, sicut actus fidei, eget. Maximè quia opinioni quocumque modo consideratæ, & quàmlibet à charitate imperatæ, ratio virtutis competere nullatenus potest, quia firmitatis ad virtutem essentialiter requisitæ incapax est.

Secunda fidei dos, primatus virtutum.

Secunda prærogativa fidei est, quod sit prima inter omnes virtutes; per accidens tamen nonnullæ virtutes possunt esse fide priores. Ratio est, quia ex una parte virtutes theologicæ sunt per se cæteris omnibus priores, non quidem tempore, sed naturâ; cùm enim finis in moralibus sit primum agibilium principium, necesse est virtutes theologicas circa ultimum finem immediatè occupatas esse cæteris omnibus anteriores : atqui fides est inter theologicas virtutes prima; finis quippe ultimus priùs debet intellectui, quàm voluntati allucere, cùm nihil sit volitum, quin præcognitum : finis autem ultimus per fidem objicitur intellectui, eique præsens est; sicut per spem & charitatem voluntati adest : ergo fides virtutes theologicas, & consequenter alias omnes infusas prioritate originis antecedit. Per accidens tamen cæteris quibusdam virtutibus nonnulla primatus ratio convenit, quatenus removent impedimenta credendi, quod teste Philosopho 8. *Physic.* ad causam per accidens pertinet. Sic fortitudo removet timorem fidei arduitatem, & difficultatem formidantem. Sic humilitas superbiam intellectum in obsequium fidei captivare recusantem domat; quamvis, ut verum fateat, nec illæ, nec aliæ ullæ virtutes veræ virtutis nomen mereantur, nec essentiam perfectè obtineant, nisi suppositâ fide, ut fusè probat August. *libro 4. cont. Jul. cap. 3.*

Dices : Hæc doctrina superiori consectario adversatur; si enim actus credendi dependeat à voluntate charitate informatâ, ut sit actus virtutis simpliciter, necesse est charitatem esse fide priorem; & ideo charitas radix omnium virtutum appellatur, juxta illud Ephes. 3. *In charitate radicati, & fundati.*

Respondeo ex D.Thoma 1. 2. *quæst. 62. art. 4.* duplicem esse ordinem, generationis scilicet & perfectionis : ordine generationis imperfectum præcedit perfectum, putà materia formam; ordine verò perfectionis perfectum præcedit imperfectum, ut istud perficiat. Primo modo fides est prior charitate; impossibile enim est, voluntatem motu charitatis ferri in Deum authorem supernaturalem, nisi præcognitum per fidem. Cæterùm ordine perfectionis charitas præcedit fidem, quia fides per charitatem formatur, ab eaque statum, modum, & perfectionem virtutis simpliciter mutuatur.

Instabis : Ad actum fidei pia exigitur motio voluntaris, ut postea patebit : sed amor charitatis est principium omnis pii motus, & affectus : ergo prius debet esse amor charitatis in voluntate, quàm assensus fidei in intellectu.

Respondeo, charitatem esse principium omnis pii motus pietate meritoria, & perducente ad vitam æternam : cæterùm multi alii possunt in voluntate suboriri affectus beneficio auxilii Dei moventis, & gratiæ actualis; quod ad primum fidei actum eliciendum Deus in nobis sine nobis operatur. Certè cùm videamus fidem pereunte charitate subsistere, & in varios actus prorumpere, ad quos omnes pia illa voluntatis motio desideratur, manifestò relinquitur, motionem illam non semper à charitate procedere, sed ab auxilio transeunte inspirati.

Urgebis : Esto illa motio possit in voluntate sine charitate innasci, non tamen sine obedientia captivante, & subjiciente intellectum in obsequium fidei : ergo non effugimus, quin detur virtus obedientiæ fide prior, etiam ordine generationis.

Respondeo, obedientiam dupliciter accipi posse: Primò pro inclinatione generali voluntatis ad superiorum implenda mandata, & sic non est specialis virtus, sed conditio generalis omnium virtutum, quæ cùm cadant sub lege, ut dicitur 1.2. *quæst. 100. art. 2.* inclinantur etiam ad legem, cui subduntur, implendam. Secundò accipitur obedientia pro speciali inclinatione implendi mandata ratione debiti, & hoc quidem modo obedientia est specialis virtus, parsque justitiæ reddens debitum legitimo superiori, & cum aliis in justificatione infunditur : sed hac ratione sequitur fidem manifestantem Deum esse superiorem, cui ultrò parendum, cui fideliter obtemperandum, cuique sei vire regnare est.

Tertia fidei prærogativa, certitudo.

Tertia excellentia fidei eximia est certitudo & firmitas adhæsionis, quam circa objecta revelata intellectus patitur, qui divinæ authoritatis pondere ita convincitur, ut possit evidenter judicare, se non posse prudenter talem veritatem in dubium revocare. Quæ sanè fidei certitudo tanta est, ut omnibus virtutibus intellectualibus, quàmlibet certissimis, & notissimis, certitudine, & firmitate simpliciter antecellat, quidquid in contrarium sentiat Durandus *in 3. distinct. 23. quæst. 4.*

Ratio est, quia omnes virtutes intellectuales sunt prudentia, ars, sapientia, scientia, & intellectus principiorum, quæ tres posteriores possunt esse dona Spiritus sancti. Atqui illis omnibus virtutibus fides est simpliciter certior. Et quidem de prudentia, & arte nemo ambigere potest, cùm istæ versentur circa contingentia, quæ se aliter quotidie habent; fides

verò

verò circa æterna, quæ aliter se habere non possunt, occupetur. De aliis autem tribus, sapientia scilicet, scientia, & intellectu, prout sunt dona Spiritus sancti, nullum etiam dubium esse potest. Sic enim considerata hujusmodi virtutes comparantur ad fidem sicut ad principium, quod præsupponunt; unde tota hujusmodi donorum certitudo ex certitudine fidei derivatur, non secus ac certitudo cognitionis conclusionum à certitudine cognitionis principiorum promanat. Restat ergo solùm, ut probemus, fidem sapientiâ, scientiâ, & intellectu principiorum, ut sunt virtutes naturales, certitudine præstare.

Et sic efficaciter monstratur. Cùm certitudo formalis sit firmitas adhæsionis circa objectum verum, & assensus immobilis ex necessaria connexione cognitionis cum veritate objecti non valentis aliter se habere; illa cognitio erit certior, illeque assensus immobilior, qui habent majorem causam, majusque motivum suæ firmitatis, & adhæsionis. Atqui fides majorem habet causam, & motivum efficacius suæ firmitatis, & adhæsionis; fides namque innititur divinæ veritati revelanti, tres autem prædictæ virtutes naturales uni rationi humanæ, tanquam fundamento innixæ sunt. Patet autem, veritatem divinam revelantem, motivum esse omni humana ratione firmius, & securius. Ergo fidei certitudo omnium naturalium virtutum certitudini simpliciter, & per se antecellit. Dico, *simpliciter, & per se*, quia secundùm quid talis certitudo minor quadantenus dici potest, quatenus minùs fortassis est sensibilis, & intellectus solet ea pleniùs, suaviùs, & faciliùs consequi, quæ vires ejus non excedunt, & evidentiæ radiis vestita sibi per se lucent: Unde etiam non obstante fidei inconcussa firmitate, quosdam dubitationis motus patitur fidelis, quatenus veritates tam sublimes, & captum suum adeo excedentes non plenè consequitur. Cæterùm attentâ re in se, & fide secundùm principia, & motiva considerata (ex quo capite pensanda est natura, & certitudo habituum) simpliciter, & absolutè dicendum est, habitum fidei cæteris omnibus naturalibus certitudine, & firmitudine præcellere. Unde Petrus capite 1. suæ secundæ epistolæ, comparans propheticum sermonem (qui est sermo fidei, cùm eum appellet lucernam lucentem in caliginoso loco, donec dies elucescat) comparans, inquam, illum cum visione oculorum, & auditu aurium, quibus utique convenit evidentia, ait tamen: *Habemus firmiorem propheticum sermonem.* Et D. August. *lib. 7. confess. cap. 10.* veritate & certitudine fidei persuasus asserit: *Facilius dubitarem vivere me* (quæ veritas inter naturales omnium evidentissimè percipitur, imò est omnium aliarum fundamentum manifestâ experientiâ compertum,) *quàm esse vera quæ audivi.* D. etiam Chrysostom. hom. 21. in epist. ad Hebr. *Fides*, inquit, *dici non potest, nisi cùm circa ea, quæ non videntur, ampliùs quàm circa ea quæ videntur, certitudinem quis habeat.* Ergo supponunt sacri Doctores, fidem intellectui majorem impertiri firmitatem, & immobilitatem eâ, quæ à scientia, sapientia, intellectu, & ipsa sensuum clarissima experientia proficiscitur, ideoque appellant fidem auroram gloriæ, & illam crepusculum futuræ visionis dixit Guillelmus Parisiensis, quia soli beatæ visioni cedit.

Confirmatur ampliùs: Intellectus fidelis, quamvis veritatem objectivam non videat, videt tamen motivum credendi esse firmius, quàm sit omnis evidentia, & experientia naturalis: & videt etiam assensum suum quàmlibet obscurum inniti veritati, quæ nec falli, nec fallere potest: experitur etiam in se piam voluntatis motionem ingeneratam à Spiritu sancto, firmiore utique causa, quàm sit intelligentia naturalis: videt etiam, quod licèt de objectis virtutum naturalium præfatarum non possit prudenter dubitare, tamen convincitur minùs debere se de objecto fidei dubitare; unde paratus est illa potiùs, quàm ista in dubium revocare; paratus est omni experientiæ contradicere, omnem rationem inficiari, omnem demonstrationem floccifacere, quàm tantillum de fidei veritate dubitare, vel suspicari, ut patet in mysterio Eucharistiæ, in quo quidquid reclament sensus, quidquid repugnet ratio, constanter tamen, & intrepidè negat remanere substantiam panis, & Christum sub qualibet particula integrum venerabundus adorat. Quorum omnium radix est, quia divinum testimonium, quod est infallibile, sufficienter applicatum, & apprehensum majorem confert menti securitatem, majoremque proinde causat firmitatem, quàm quæcumque ratio naturalis: per fidem autem sufficienter applicatur divinum testimonium; unde, ut dixi, Philosophus Christianus putans se habere demonstrationem metaphysicam, vel mathematicam de aliqua veritate, promptus est, & paratus de sua demonstratione dubitare, si fides imperaret. Ergo per se assensus fidei est in nobis efficacior ad tollendas dubitationes, subindeque nos reddit magis certos. Inanis enim foret fidei certitudo, si nunquam illam intellectui conferret. Maximè quia habitus est dispositio habentis in ordine ad objectum: ergo in tantum habitus est certior, in quantum objectum fit certius habenti talem habitum; & certitudo formalis non attenditur, nisi penes modum & firmitatem, quam ponit habitus in habente.

Sed dices: D. ipse Thomas ait, fidem non esse certiorem quoad nos, & ex parte subjecti: ergo ruit tota illa structura rationum, quam ad stabiliendam fidei certitudinem munivimus.

Respondeo, omissis variis solutionibus, vel falsis, vel ab Angelici Præceptoris mente peregrinis, sensum S. Doctoris esse, fidem esse certiorem secundùm se, id est secundùm causam, & motivum, quod ex propria ratione majorem certitudinem conferre natum est, & communiter magis confert, quàm motivum scientiarum naturalium. Quod si interdum talem securitatem, & sensibilem firmitatem non præstet, non id ex defectu motivi provenit, sed defectu subjecti, cui non debitè motivum fidei applicatur. Unde advertenter oculatissimus Doctor non dixit, fidem esse minùs certam quoad nos, quia minùs certos nos reddit; frustra enim esset rei afferenda tanta certitudo, si eam non conferret: frustra daretur forma, nisi daretur simul ejus effectus formalis; & falsò etiam scriberet Augustinus, se magis esse certum de fidei veritatibus, quàm de propriæ vitæ sensu; sed ideo dixit S. Thomas, fidem esse minùs certam quoad nos; *quia*, inquit, *intellectus non tam benè consequitur res fidei*, ob mysteriorum celsitudinem, & reconditarum veritatum supernaturalitatem, sicut consequitur virtutes naturales. Quod sanè idem est, ac si diceret, fidem non esse minùs certam quoad assensum, sed duntaxat quoad evidentiam, quâ objectum consequimur, & veluti suaviter ejus veritate fruimur. Et benè observat noster Labat, Divum Thomam non dixisse, assensum fidei esse minùs certum quoad nos, sed ea quæ sunt fidei, esse minùs certa quoad nos, idest minùs clara, minùsque sensibilia. Hanc suam esse mentem, disertè, & luculenter demonstrat sui interpres D. Thomas *in 3. dist. 23. quæst. 2. art. 2. quæst. 3. ad 2.* dicens: *Veritas prima, sive Deus, cui creditur, habet majorem firmitatem, quàm lumen intellectus humani, in quo conspiciuntur principia, vel ratio humana, secundùm quam conclusiones in principium resolvuntur: & ideo fides habet*

bet majorem certitudinem quantùm ad firmitatem adhæsionis, quàm sit certitudo scientiæ, vel intellectus, quanvis in scientia, vel intellectu sit major evidentia eorum, quibus assentit. Quibus verbis nihil ad evacuandam difficultatem est clarius. Nec opus est recurrere ad distinctionem Gonetti distinguentis certitudinem fidei in nobis, & certitudinem quoad nos; hæc enim distinctio videtur merus cavillus: si enim fides sit certior in nobis, quomodo non quoad nos? Loca verò D. Thomæ, quæ congerit, ab ipsomet S. Doctore explicantur, qui declarat res scitas esse certiores quoad nos creditis certitudine evidentiæ sensibilis, non assensus immobilis, & adhæsionis firmissimæ.

Instabis cum Durando: Fides non habet majorem adhæsionem scientiâ, sapientiâ, & intellectu principiorum: ergo non habet, nec confert majorem certitudinem formalem. Probatur antecedens. Illi firmiùs adhæremus, à quo difficiliùs recedimus; & ille assensus est firmior, qui est dubitationi impermixtior: Atqui faciliùs recedunt à fide fideles, quàm à veritate scientificè nota Philosophi, ut nimis frequenti experientiâ compertum habemus; scientia etiam nullam compatitur dubitationem, cujus motus saltem indeliberatos fideles experiuntur, aut patiuntur: ergo fides non est ullatenus tribus præfatis virtutibus intellectualibus firmior, & certior.

Respondeo, hoc argumento probari solùm quod diximus, scilicet fidem ex parte subjecti, & per accidens minùs sensibilem, & suavem habere, & conferre certitudinem; quia cùm non conferat evidentiam, nec conspicuam exhibeat veritatem, non omnes semper in aliquibus infirmis excludit dubitationis involuntarios motus. Nec obest funesta experientia eorum, qui interdum à fide recedunt; nam nihil mirum, si amittant certitudinem fidei, qui fidem perdunt. Et illis etiam opponimus infinitos utriusque sexus animos intertitos, quos à recta in Deum fide nec argumenta, nec tormenta tantisper dimovere unquam potuerunt. De certitudine autem fidei judicandum est non ex apostatarum infidelitate non rarò è corruptione vitiorum orta, sed ex generosa intrepidorum Christianorum constantia, quam non dicam labefactare, sed ne quidem concutere vires ullæ, nec diabolicæ, nec humanæ potuerunt. Fides ergo in corde verè Christiano, & divinæ gratiæ adjutorio roborato, *vehementior est in adhæsione*, inquit S. Thomas in 3. citatus, quàm scientia, vel experientia; cùm propter fidei firmitudinem sæpe rationi, sæpe experientiæ refragemur.

Insistit Durandus: Scientia Beatorum est certior fide, non quidem ex parte objecti, vel medii, quod utrobique est divina veritas; sed ratione diversi modi, quo intellectus tendit in Deum, in patria per visionem, in via per fidem. Ergo cùm scientia conferat intellectui meliorem modum tendendi in verum, scilicet evidentiam, erit etiam certior fide.

Respondeo, non esse mirum, si certitudo Beati certitudinem fidelis viatoris excedat, cùm non solùm divinam veritatem audiat, sed etiam præsentem videat; certitudo autem adhæsionis non parum firmatur ex visione intuitiva objecti visi. Quia ergo scientia beata & totam fidei securitatem habet, & aliquid amplius, jure merito fide certior dicitur. At verò scientia humana non idem habet assentiendi motivum, quod habet fides; unde licèt aliunde habeat evidentiam, certitudine tamen inferior est, quia motiva humana divinâ authoritate longè inferiora sunt. Quam doctrinam, sicut & totum istud consectarium peregregiè explicat S. Doctor art. 8. ad 2. *Cæteris paribus*, inquit, *visio est certior auditu* (& propter hoc scientia beata est certior fide, quia illa primam veritatem videt, ista audit; fides enim ex auditu:) *Sed si ille, à quo auditur, multùm excedit visum videntis, sic certior est auditus quàm visus.* Atqui divina veritas, à qua audit fides, longè certior est visione hominis videntis, quæ est scientia humana. *Nam multò magis*, subdit ibidem S. Doctor, *homo certior est de eo, quod audit à Deo, qui falli non potest, quàm de eo quod videt propriâ ratione, quæ falli potest: sicut aliquis parvæ scientiæ magis certificatur de eo quod audit ab aliquo scientifico, quàm de eo quod sibi secundùm suam rationem videtur.* Ergo sentit & rectè probat S. Doctor, assensum fidei esse per se, & communiter in nobis certiorem, & firmiorem assensu scientifico; cùm dicat intellectum hominis esse certiorem, magisque certificari de eo quod audit à Deo, qui falli non potest, quàm de eo quod videt propriâ ratione. Unde etiam videmus, ipsa notissima scientiarum humanarum principia, quandoque à fide vel corrigi, vel limitari, ut illud physicum: Ex nihilo nihil fit, in materia de creatione; & illud: Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se, in materia de Trinitate limitatur, & si dicere fas est, reformatur.

Reflexio.

Has ex innumeris paucas fidei dotes selegimus: verùm hæc, quantaquanta sit virtus, quàmlibet divina, & theologica appelletur, mortua tamen est, ut vidimus, & informis, nisi charitate vivat, & ex ea Christianus vivat, qui per eam credit. Magna sanè est fides nostra à Deo tradita, ædificata super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum; cruore Martyrum meliùs clamantium, quàm Abel, subscripta; infinitis miraculis veluti divinæ potestatis characteribus & sigillis obsignata, ab ipsis dæmonibus veritate coactis & contremiscentibus adorata: sed tota illa fidei gloria pravis operibus veluti nebulis infuscata tenebrescit. Quid enim prodest tantus splendor rebellibus lumini? quid facis præeuntis ducatum sequi detrectantibus? quid scientia projicientibus conscientiam? quid, inquam, fides charitate destitutis? *Quid prodest*, inquit Petrus Damiani, *si quis catholicè credat, & gentiliter vivat?* Nihil omninò, quia ut ait S. Eucherius: *Ubi salutis damnum est, illic utique jam lucrum nullum est.* Nec minùs verè Bernardus: *Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor.* Quid, inquam, nihil prodest? obest prorsus, & melius esset profectò non esse, & propria fidei confessione accusari, judicari, & condemnari. Nonne de illis Christianis antichristianè viventibus veridicè dixit Augustinus: *Sunt Christiani mali, qui vocantur fideles, & non sunt, in quibus Sacramenta Christi patiuntur injuriam*; & ut addit Salvianus: Christus ipse patitur opprobrium, & lex Christiana patitur maledictum. Ergo fides erit vitæ meæ norma; ad eam veluti amussim cuncta opera mea exigam: quod ipsa damnat, ringente licèt naturâ, ipse damnabo: quod ipsa dicit, ipse faciam; fides enim faciendo quod dicit, nomen habet: ejus maximas mundi corruptelis opponam, & argumento Bernardi utar: Vel fides, & Christus fidei author errat: vel mundus errat. Sed falli fidem, vel decipi Deum impossibile est. Meritò proinde & carnis prudentia inimica Deo, & sæculi prudentia Evangelio adversa, stultitia nominatur. Quid enim? Fides utique, quæ non fallitur, præcipit quod carni molestius est. Id ergo melius, id utilius, id potiùs eligendum; & quisquis aliud doceat, vel suadeat, ab eo tanquam à seductore cavendum. *Fides quidem* (monitum est Bernardi serm. 5. in vigil. Nat.) *ante omnia quærenda est,*

est, ſed illa, *de qua legitur : Fide mundans corda eorum. Crede ergo Deo, committe te ei, jacta in Deum cogitatum tuum, & ipſe te enutriet, ut fiducialiter, & fideliter dicas : Dominus ſolicitus eſt mei. Neque enim hoc ſapiunt homines amantes ſeipſos, homines ſcioli, & ſoliciti pro ſeipſis, curam carnis perficientes deſideriis; ſurdi ad vocem dicentis : Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum; ipſi enim eſt cura de vobis. Is verè fidelis eſt, qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat, factus ſibi tanquam vas perditum; ſed ſic perdens animam ſuam, ut in vitam æternam cuſtodiat eam.*

CAPUT II.

De actu, ſubjecto, cauſa, & effectibus fidei, aliiſque ad eam ſpectantibus.

UT omnia quæ de fide tractanda ſuperſunt hoc capite concludamus, ea omnia, nec ſine ratione conjungimus, poſtquam enim fidei naturam, & proprietates contemplati ſumus, convenienter ad ejus argumenti complementum agimus & de actibus in quos prorumpit, & de ſubjectis quibus inhæret, & de cauſa à qua procedit, & de effectibus quibus abundat, & de aliis nonnullis ei annexis poſteà exponendis. Hæc enim ad cumulatam illius notitiam deſiderantur.

Sed priùs notandum eſt, multiplicem eſſe fidei actum. Nam alius eſt internus, alius exterior. Internus eſt aſſenſus firmus uni Dei authoritati obſcurè revelanti innixus. Exterior, qui & confeſſio fidei dicitur, eſt ſignum exterius exhibitum, interioris fidei proteſtativum. Rurſum internus dividitur in actum credendi Deo, credendi Deum, & credendi in Deum, non tanquam in diverſus actus, ſed tanquam in diverſas habitudines ejuſdem actus ad Deum. Cùm enim Deus ſit objectum formale quod fides credit, & cui credit, & inſuper ſit finis ultimus, in quem & ipſa fides, & fidelis, & quidquid habet, referenda ſunt, cùm dicimur credere Deo, ſignificatur habitudo ad objectum formale, cui fides noſtra aſſentitur; cùm dicimur credere Deum, ſignificatur objectum circa quod fides theologica occupatur; cùm verò dicimur credere in Deum, ſignificatur ordo in Deum ut ultimum finem, in quem fides formata tendit, & ad quem ſub imperio charitatis ſuſpirat.

Notandum rurſus, quod cùm duplex ſit ſubjectum habitus, nimirum ſubjectum *quod* recipit, & ſubjectum *quo* habitus recipitur, nulla eſt difficultas de ſubjecto *quo* fides nobis infunditur; ſupponunt enim omnes, intellectum immediatè recipere fidem, cùm ab ea in ordine ad cognoſcendum, & aſſentiendum veritatibus ſupernaturalibus perficiatur : ergo manifeſtum eſt fidem, quæ eſt principium cognitionis ſupernaturalis objecti, in intellectu ſubjectari; in intellectu, inquam, ſpeculativo, ut ex fidei objecto, quod eſt veritas prima, manifeſtè patet. Sed quia veritas prima eſt omnium deſideriorum noſtrorum finis, votorum meta, actionumque humanarum regula, ut videre eſt apud Auguſtin. *lib.* 1. *de Trinit. cap.*8. inde eſt, inquit D.Thomas *quæſt.*4.*art.*2.*ad* 3. quod fides dilectionem inſpirat & operatur, ſicut intellectus ſpeculativus extenſione fit practicus. Et ratio hujus eſt, quia fides eſt impreſſio divini luminis, & divinæ imitatio cognitionis, quæ eſt eminenter ſpeculativo practica. Quare dubium eſſe duntaxat poteſt de ſubjecto *quod* natum eſt recipere fidem, & difficultas eſt de Angelis, viatoribus, de dæmonibus, & hominibus damnatis; nam de Beatis nulla poteſt eſſe controverſia, ſuppoſitâ Thomiſtarum ſententiâ de repugnantia fidei & ſcientiæ circa idem objectum. De prædictis ergo duntaxat dubia poſſunt excitari, pro quorum, & aliorum multorum reſolutione ſit

SPECULATIO I.

Nec actus interior fidei ſine pia voluntatis motione, nec actus exterior confeſſionis ſine influxu fidei interioris elicitur.

PRiorem partem à Scoto negatam ſatis indicant verba illa Apoſtoli Rom. 10. *Corde creditur ad juſtitiam, id eſt voluntate*, inquit ibi S. Thomas; *quia credere non poteſt niſi volens : intellectus enim credentis non determinatur ad aſſentiendum veritati ex neceſſitate rationis, ſicut intellectus ſcientis; ſed ex voluntate.* Quibus verbis rationem hujus veritatis fundamentalem aſſignavit. Tunc intellectus indiget ad eliciendum aſſenſum pia inclinantis voluntatis motione, cùm non neceſſitatur, & veluti rapitur ab evidentia objecti neceſſariò ad aſſenſum determinantis; nunc enim deſideratur pius propenſæ voluntatis impulſus, quo indifferentia intellectus auferatur: Atqui intellectus fidelis minimè neceſſitatur ab objecto, quod credit; tum quia verum nunquam neceſſariò determinat intellectum, niſi cùm vel immediatè conſpicitur, vel per neceſſariam connexionem ex principio viſo infertur : tum quia actus fidei liberè elicitur non ſolùm libertate exercitii, ſed etiam ſpecificationis; ut enim ait Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. *Liberè moventur in Deum credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt*; & patet, nam homo etiam viſis miraculis poteſt propoſitis fidei veritatibus aſſenſum detrectare : maximè quia ſicut actus credendi eſt meritorius, cadens ſub præcepto, juxta illud Rom. 4. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt ei ad juſtitiam* : ita non credere, demeritorium, & peccatum eſt, juxta illud : *Cùm venerit Paracletus, arguet mundum de peccato, de juſtitia, de judicio : de peccato quidem, quia non crediderunt in me.* Ergo ad aſſenſum fidei eliciendum pia requiritur affectio voluntatis.

Dices : Non eſt in poteſtate voluntatis determinare intellectum ad aſſenſum fidei; ut enim verè, & frequenter inculcat S.Thomas, proprium eſt voluntatis cæteras movere potentias quantum ad exercitium actus; intellectum verò quoad ſpecificationem ab objecto moveri : unde ſi objectum non ſit ad movendum intellectum ſufficiens, non poterit ejus ſufficientia voluntate ſuppleri, quia voluntas, quantumlibet ſit affecta, non poteſt res credibiles, vel veras efficere, ſi reapſe tales non ſint; aliàs quæcumque de voluntatis arbitratu credere, vel opinari liberum foret; quod & veritati repugnat, & Philoſopho 3. de anima, textu 157. docenti, quod *imaginamur cùm volumus; opinari autem non eſt in noſtra poteſtate*, quia nimirum debet eſſe fundamentum opinionis, & fidei. Ergo cùm intellectus quoad ſpecificationem actus nequeat niſi à veritate objecti moveri, parum, vel nihil juvat pia illa voluntatis affectio.

Reſpondeo verum quidem eſſe, neminem poſſe, aut certè debere gratis, & ſine fundamento credere, vel opinari; quod voluit Ariſtoteles citatus : & quidem cùm rationale debeat eſſe fidei obſequium, nullà nobis fides credenda proponit, niſi credibilitatis argumentis munita digniſſimis, quibus credatur: aliàs citò crederemus, & in illam cordis levitatem, quam

quam Scriptura reprehendit labetemur. Itaque præclaro illo, & olim adducto credibilitatis argumentorum concentu quoad specificationem movetur intellectus, ut illis veritatibus credat, quibus detrectare fidem prudenter non potest: sed quia illa argumenta veritates revelatas nec in se ostendunt conspicuas, nec mysteriorum immensas difficultates, tametsi molliant, & lævigent, penitus evellunt; hinc est, intellectum manere semper ad assensum præbendum indifferentem; & nunc voluntas efficaciæ objecti defectum supplet disponendo, & inclinando intellectum ad assensum. Maximè quia intellectus ad assentiendum revelatis de se indifferens, à veritatibus adeò sublimibus, & aliunde carni, humanæque consuetudini, & motibus adeò adversis admittendis, & & intelligendis ingenità primi peccati corruptione, peccatis actualibus, & amore libertatis omnibus indivulsè invisceratа immensùm auctâ plurimùm retardatur: quocirca videmus plures Christianos in fide suscepta enutritos veritates cœlestes carni duras corruptelâ voluntatis initio quidem fastidire, postea in dubium vocare, deinde penitus inficiari & repudiare, & tandem impugnare. Ut ergo vincantur voluntatis infirmæ, & corrupti appetitus obices, intellectum aliàs indifferentem, nec planè persuasum, vel sistentes, vel avertentes, vel saltem tentantes, necessaria est voluntatis divina amantis, & gustantis impulsio, rumpens moras, difficultates complanans, & tenebras, ac vapores carnalis concupiscentiæ dissipans, quæ fidei veritatis radios obscuratum irent.

Instabis: Si adeo exigitur inclinaræ, & inclinantis voluntatis affectio, indigebit voluntas habitu, qui sit principium hujus piæ motionis, quæ est actus difficilis, & supernaturalis; quod fateri cogitur ipse D.Thomas *quæst.4.art.2.* dicens: Oportet, quod tam in voluntate sit aliquis habitus, quàm in intellectu, si debeat fidei actus esse perfectus. Consequens autem est apertè falsum, aliàs priùs esset habitus supernaturalis in voluntate, quàm in intellectu; nec fides foret virtutum omnium prima, quod superiùs determinatis repugnat. Ergo falsum est, etiam exigi piam ullam voluntatis ad credendum affectionem.

Respondeo, Suarem hoc argumento convictum agnoscere specialem in voluntate habitum piæ illius motionis elicitivum. Verùm id minimè necessarium judicamus. Ad cujus intelligentiam, & probationem piæ oculis habenda est profunda, & erudita D. Thomæ doctrina, quam tradit 1. 2. *quæst.56. art.2.* ubi ait, quod licèt qualibet virtus sit simplex qualitas, quæ proinde principaliter, & ex æquo in distinctis potentiis subjectari nequit; tamen potest esse principaliter, & entitativè in una, & minùs præcipuè per quandam participationem, & suæ perfectionis diffusionem, & veluti redundantiam in aliis. Sicut licèt orate, & justè judicate sint actus intellectus, ille tamen religioni, iste justitiæ, quæ existunt in voluntate, tribuitur. Quorum omnium radix ex discrimine potentias inter, & habitus intercedente desumitur. Cùm enim potentia sit principium actus quoad substantiam, virtus verò licèt in totum actum influat, per se tamen accidentalem, & adventitiam, subindeque variabilem rationem honestatis producat; fit inde, substantiam actus, utpote essentialem, & unicam, non posse nisi ab una potentia prosilire; honestas verò ab habitu existente in una potentia in actum alterius potentiæ profluere, & veluti redundare facilè potest. Quamobrem licèt fides sit habitus solo in intellectu residens, ratione suæ diffusionis potest ad piam voluntatis motionem concurrere absque illius novi habitus additamento. Hoc enim ipso, quod fides inclinat ad credendum, voluntatem etiam ciet, ut intellectui talem assensum imperet.

Nec obest authoritas S. Thomæ in contrarium relata, quia S. Doctor per illum habitum intelligit charitatem, per quam perfici actum fidei, & ipsam formari fidem attestatur. Quod dilucidè apparet ex articulo 5. ubi ait, quod fides formata est vera virtus ratione charitatis; fides autem informis non est virtus simpliciter, quia etsi habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen ex parte voluntatis. Patet autem, actui fidei informis non deesse piam motionem, sed solùm charitatem: ergo per illum habitum, quem in voluntate requirit S.Doctor, solam intelligit charitatem ad formandam fidem necessariam. Non obest etiam, quod illa pia voluntatis motio sit actus bonus, & supernaturalis; hoc enim non probat, motionem illam per redundantiam non posse ab habitu fidei in intellectu residente, sed in voluntatem sese diffundente procedere; sicut pia oratio, & rectum judicium, licèt sint actus boni, possint à religione, & justitia in voluntate existentibus, sed in intellectum diffluentibus promanare.

Urgebis: Fides non potest ferri extra objectum specificativum: sed pia illa voluntatis motio est extra sphæram objecti specificativi fidei; objectum enim adæquatum fidei est verum supernaturale creditum; pia autem illa voluntatis motio, cùm sit actus voluntatis, fertur in bonum, non in verum; in quod tamen ferretur, si esset actus ab habitu fidei procedens, cùm sit objectum habitus, & actus. Ergo illa motio voluntatis, nec quidem per redundantiam potest ab habitu fidei, sed ab alio speciali produci.

Respondeo, quod licèt fides primò, & per se feratur in verum, tamen per extensionem & diffusionem, quâ voluntatem inundat, potest minùs principaliter protendi in bonum, cùm etiam illud in primam veritatem per se ordinetur. Licèt ergo objectum fidei, & objectum piæ illius motionis sint entitativè, & materialiter diversa; moraliter tamen, & in ratione objecti formalis unum sunt, quia unum ad aliud per se ordinatur; & teste Philosopho, ubi sunt plura propter unum, ibi est unum tantùm. Quod præfatis orationis, & recti judicii exemplis possit servatis servandis, & cæteris paribus coofirmari.

Posterior pars de actu fidei exteriori, quæ est contra Valentiam & Suarem, docetur à D.Thoma *art.3.* qui ut clarè explicaret mentem suam, addit *ad 3.* hæc verba: *Fides interior mediante dilectione causat omnes exteriores actus virtutum mediantibus aliis virtutibus, imperando, non eliciendo; sed confessionem producit tanquam proprium actum, nulla alia virtute mediante.* Ergo censet confessionem fidei exteriorem esse actum fidei interioris, ab eaque produci. Et ratio est, quia actus exteriores ab illa virtute eliciuntur, ad cujus finem secundùm suam speciem referuntur: sic jejunium est actus abstinentiæ, quia ad carnis macerationem, quæ est finis abstinentiæ, refertur: sic externa adoratio, & sacrificium oblatum sunt actus à virtute religionis eliciti, quia in finem religionis diriguntur, & sua sponte tendunt. Atqui externa confessio, seu attestatio veræ fidei, quâ quis Christianam religionem profitetur, secundùm suam speciem ad finem fidei ordinatur; exterior namque loquutio per se, & ex natura sua ad illud significandum ordinatur, quod in corde concipitur; ergo externa confessio est actus ab interna fide procedens.

Et

Et hoc significat Apostolus 2. Cor. 4. *Habentes eundem spiritum fidei credimus* (ecce actum interiorem fidei;) *propter quod & loquimur*: (ecce exteriorem fidei confessionem ab interiori derivatam.)

Sed inquies: Quomodo fides; quæ soli intellectui inest, poterit actum exteriorem immediatè elicere, cùm actus exterior sit actus potentiæ materialis, & nulla forma accidentalis operetur extra subjectum, in quo residet, nec nisi mediante potentia, quam informat? Certè id intellectu non est facile.

Respondeo, id te facilè ex paulò antea dictis percepturum. Licèt enim virtus, utpote simplex qualitas, non possit principaliter, & ex æquo duabus in potentiis subjectari, potest tamen unam principaliter informare, & alias aliqua sui participatione, & derivatione perfundere, earumque actus adventitiis honestatibus decorare. Et certè quid magis consentaneum, quàm ut iisdem virtutibus asseratur externa exequutio, quibus attribuitur interna operis boni affectio? Quid connaturalius, quàm ut justitia non solùm velit reddere cuique suum, sed exteriori etiam actu reddat quod suum est. Absit ut Christianæ virtutes ita sint steriles, ut externos fructus non patiant: cùm tamen totum nostrum negotium in exequutione consistat, & sola illa virtus dicenda meritò sit, quæ dignis fructibus abundat.

Instabis: Accidit actui exteriori confessionis ordinari ad finem fidei, vel religionis; eadem enim Symboli in Ecclesia decantatio potest vel ad cultum divinum, vel ad assentiendum Deo revelanti ordinari: Ergo confessio illa non magis, vel potiùs debet dici actus fidei, quàm religionis.

Respondeo Magistrum Serram, & alios non improbabiliter opinari, eundem confessionis fidei actum secundùm distinctas rationes consideratum, ad diversas spectare virtutes, sicque cantum præfatum in cultum divinum relatum, actum esse à religione elicitum; quatenus verò ad assentiendum rebus revelatis, easque profitendum ordinatur, à fide procedere. Probabilius tamen est, & S. Thomæ conformius, confessionem fidei à sola fide produci; si enim ab illis omnibus virtutibus actus pii elicerentur, ad quarum fines diriguntur, actus bonus ad fines extrinsecos omnium virtutum relatus ab omnibus procederet; sicque nulla esset distinctio inter virtutes imperantes, & elicientes, & omnium virtutum materiæ facilè confunderentur. Talis ergo regula, eaque certissima Theologis servanda est, ab illa sola, & non alia virtute elici actus externos honestos, ad cujus finem per se, & ex natura sua ordinantur; de rebus enim, ex iis, quæ per se, & ex fine connaturali, non per accidens, & ex fine adventitio eis conveniunt, judicandum est. Cùm ergo confessio fidei per se ad finem fidei tendat, ut ex D. Thoma clarum est, relinquitur eam à sola fide produci, tametsi possit à religione imperari.

Urgebis: In multis est confessio fidei, in quibus habitus fidei nequaquam invenitur. Nam Christus, teste Apostolo 1. Timot. 4. *testimonium reddidit bonam confessionem*. Angeli etiam Christum natum, *Luc.* 2. & eundem resurgentem, *Marc. ultimo*, confessi sunt. Cacodæmon pariter Christum his verbis, *Marc.* 1. confessus est, *Scio quia sis Sanctus Dei*. Hæretici quoque sæpe Deum, & Christum exteriùs confitentur & profitentur. Ergo non per se à fide confessio elicitur, tametsi ab ea accidentaliter imperetur.

Respondeo, quod sicut elargiri bona est per se actus liberalitatis, licèt interdum contingat absque tali virtute ab avaro bona profundi; ita similiter confessio per se à fide elici nata est, licèt interdum per accidens sine fide eliciatur; sed tunc confessio fidei non nisi impropriè nominatur. Ad exempla adducta dicendum, confessionem Christi à principio fide altiori, & eminentiori, scientiâ nimirum vel infusa, vel beata elicitam fuisse; in dæmonibus verò à fide coacta, in hæreticis à fide humana procedere. Nec tamen actus eorum confessiones fidei dici debent, quia non sunt protestationes interiores fidei divinæ veritati obscurè propositæ credentis. De præcepto confessionis fidei posteà agemus.

Reflexio.

Nec sine affectione voluntatis interna fides, nec sine interna fide exterior confessio quidquam valent; quia tota vita Christiani interior est, & ex cordis fervore rectitudo fidei, & ex fidei plenitudine exterior professio omninò pendet: Ergo qui in Ecclesia, sive genua figunt, sive manus extendunt, sive solo prosternuntur, non propterea petitiones eorum innotescent apud Deum, ut loquitur Paul. *Philip.* 4. idest, ut exponit D. Thomas, non approbabuntur à Deo, nec ei dignæ, vel sanctæ apparebunt, nisi ex interiori fide externus cultus, ex corde puro fides proficiscantur. Unde Bernardus sermone 16. in Psalmum, Qui habitat: *Spiritus est Deus, & in spiritu clamet necesse est, quisquis clamorem suum ad eum desiderat pervenire. Nam & orantes de membris sui corporis* (inquit August. lib. de cura pro mort. agend. cap. 5.) *faciunt quod supplicantibus congruit, cùm genua figunt, cùm extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamvis invisibilis eorum voluntas, & cordis intentio Deo nota sit; nec ille indigeat his indiciis, ut humanus ei pandatur animus: sed his magis seipsum excitat homo ad orandum, gemendumque humilius, atque ferventiùs.*

Hæc cùm ita sint, ad vitam interiorem, quam sæpe in hujus operis decursu commendavimus, te non hortari non possum, ut fias homo carnalis per gratiam spiritalis, postquam purus spiritus Verbum Dei caro factum est. *O homines*, inquit August. epist. 120. *nolite desperare vos fieri posse filios Dei, quia & ipse filius Dei, hoc est Verbum Dei, caro factum est, & habitavit in nobis. Reddite vicem, efficimini spiritus, & habitate in illo, qui caro factus est, & habitavit in nobis.* Ad hanc cordis scholam, in qua Deus auditur & docet, te provoco, pie Lector, in qua non quæritur, sed infertur appetitus orandi; & in qua, ut prosequitur August. *lib.* 7. *ad Simplicianum, quæst.* 4. non est differenda oratio, ut quæramus quò sedeamus, aut ubi stemus, aut ubi prosternamur; gignit enim sibi mentis intentio sol tudinem, internumque Deo fabricatur templum, ut illud impleat, quod scriptum est: *Regnum Dei intra vos est.* Abest ibi multa loquutio, etsi non desit multa precatio, quia fervens perseverat intentio. Ibi tacente linguâ, clamat animus; siquidem in Dei auribus, ut Bernardus post Gregorium docet, desiderium vehemens, clamor magnus, penetrans nubes, pertingens cœlos; & è regione remissa intentio, vox submissa. *Valentiores voces*, inquit Magnus Gregorius lib. 22. moral. cap. 13. *apud secretissimas aures Dei non faciunt verba nostra, sed desideria. Æternam vitam, si ore petimus, nec tamen corde desideramus, clamantes tacemus: si verò desideramus ex corde, etiam cùm ore conticescimus, tacentes clamamus.* Hâc interiori conversione verè Deum invocamus, ut notat Augustinus in Psalm. 30. *Invocas Deum, quando*

quando in te vocas Deum. Hoc est illum invocare, illum in te vocare, quodammodo eum in domum cordis tui invitare.

Speculatio II.

Fide supernaturali perfusus est intellectus Angelicus in via: non remanet in cacodamonibus, nec in hominibus damnatis, & multò minùs in hareticis invenitur.

PRobatur prima pars contra Durandum: Angeli creati sunt cum dono gratiæ non consummatæ, sed inchoatæ, cùm fuerint conditi in statu viæ, & meriti, in quo habetur quidem inchoatio speratæ beatitudinis, sed nondum plenum & summum bonum possidetur: sed hæc inchoatio fit in intellectu per fidem infusam, sicut in voluntate per spem, & charitatem: Ergo in Angelis infusa fuit fides in prima sui conditione, aliàs non potuissent accedere ad Deum; accedentem enim ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator est: Non enim pedibus, sed fidei, spei, charitatisque motibus ad Deum accedimus, & quamdiu peregrinamur à Domino, opus habemus ex fide vivere, ut ait August. *tract. 66. in Ioan.* Nec valet fundamentum Durandi, ideo fidem Angelis viatoribus denegantis, quia fuit in illis evidentia in attestante, quam cum fide insociabilem arbitratur. Sed hoc fundamentum ruinosum esse suprà demonstravimus.

Scio, aliquem recentiorem eruditum, & in Augustini doctrina non mediocriter versatum, ex alio capite fidem Angelis, & Adamo initio conditionis eorum in manuscriptis denegare; quia nimirum Angelos, & Protoparentem Dei visione intuitiva, sine qua creaturam intellectualem creari non posse arbitratur, positos esse existimat. Fundaturque hic Theologus primò, quia creatura intellectualis misera condi non potest, nec miseriæ pœnis subjici absque peccato: creatura autem intellectualis necessariò misera foret, si Deo, quem sola visione possidemus, non frueretur; grandis enim miseria est eo carere bono, quod summo appetitu concupiscit, quodve propter se, & propter quod cætera omnia desiderat. Hinc Augustinus sæpe inculcat, creaturam rationalem eo ipso miseram esse, nisi beata sit, idest Deo tranquillè, ac securè perfruatur; & hominem à Deo factum esse ad Deum, inquietumve semper manere cor humanum, donec in eo quiescat, à quo processit. *Non esse in patria* (inquit egregiè ferm. 14. de verb. Apost.) *si amatur patria, magna pœna; si autem non amatur patria, pejor est cordis pœna. Parvum malum est in hominis corde, qui societatem non quarit Sanctorum, qui non considerat regnum cœlorum? Si non desiderat, pœna est de perversitate; si autem desiderat, pœna est de fraudata charitate.* Et *lib. 10. de civit. cap. 16.* Plotinum Platonicum laudat, quòd hominem sine visione Dei felicem esse non posse christianè pronuntiaret. *Illa*, inquit, *visio Dei, tanta pulchritudinis visio est, & tanto amore dignissima, ut sine hac quibuslibet aliis bonis praditum, atque abundantem non dubitet Plotinus infelicissimum dicere.* Ergo quia Deus non solet infligere pœnam sine culpa, non potuit, vel certè non debuit illi pœnæ creaturam in conditione subjicere, quæ omnium maxima est. Sola siquidem peccata creaturam intellectualem à Deo dividunt, nosque ejus privare visione possunt. *A salute*, inquit lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 24. *& vita aterna hominem, nisi peccata non separant.* Ergo cùm creatura intellectualis absque peccato fuerit condita à Deo, ab ejus fruitione, & visione, in qua salus posita est, separari nequaquam potuit.

Confirmatur: Angeli, teste eodem August. *lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 24.* à primo creationis instanti in Dei Verbo, quod est essentia divina, omnes creaturas à Deo factas intuiti sunt. *Proculdubio*, ait, *universam creaturam, in qua ipsi sunt principaliter conditi, in ipso Verbo Dei prius noverunt, in quo sunt omnium etiam qua temporaliter facta sunt, aterna rationes, tanquam in eo per quod facta sunt omnia. Ac deinde in ipsa creatura, quam sic noverunt, tanquam infra despicientes, eamque referentes ad Ipsius laudem, in cujus incommutabili veritate rationes, secundùm quas facta est, principaliter vident.* Quam quidem cognitionem creaturarum in Verbo, seu essentia divina adeo Angelis necessariam existimavit Augustinus, ut sine illa intellectum Angelicum informem, & tenebrosum futurum fuisse affirmet. *Creatura intellectualis tenebrosa fluitaret*, inquit lib. 3. confess. cap. 2. *similis abysso, tui dissimilis, nisi per idem Verbum converteretur ad idem, à quo facta est; atque ab eo illuminata lux fieret, quamvis non aqualiter, tamen conformis forma aquali tibi.* Et cap. 8. *Nisi dixisses ab initio: Fiat lux, & facta esset lux, & inhareret tibi omnis obediens intelligentia cœlestis civitatis tua, & requiesceret in spiritu tuo, qui superfertur incommutabiliter super omne mutabile, alioquin & ipsum cœlum cœli tenebrosa esset abyssus in se.* Quæ quidem informitatis tenebræ creaturis offusæ, Deo utique placere non possunt, subindeque in eis condi creaturæ innocentes nequaquam possunt. *Neque creatura intellectualis informitas placeret tibi*, ait libro mox laudato, cap. 3. *si non lux fieret, non existendo, sed intuendo illuminantem lucem, eique cohærendo: ut & quod utcumque vivit, & quod beatè vivit, non deberet nisi gratia tua, conversa per commutationem meliorem ad id, quod neque in melius, neque in deterius commutari potest.*

Confirmatur rursum variis aliis Augustini authoritatibus, quibus ejus mens satis clarè innotescit. Sic enim habet lib. 11. de civit. cap. 11. *Qua cùm ita sint, nullo quidem modo secundùm aliquod temporis spatium priùs erant illi spiritus tenebra, quos Angelos dicimus; sed simul ut facti sunt, lux facti sunt: non tamen ita tantum creati, ut quoquo modo essent, & quoquo modo viverent, sed etiam illuminati, ut sapienter, beatèque viverent.* Ergo beatitudinis luce, quæ in visione Dei sita est, Angeli mox conditi fruiti sunt. Idem docet de Adamo conc. 2. in 2. part. Psalm. 70. *Quid illi deerat? Dicatur mihi, quid illi deerat in paradiso constituto, in media opulentia, mediisque deliciis? Cui magna delicia erant ipsa visio Dei, cujus faciem quasi inimici timuit post peccatum?* Quid clarius? Quin *lib. 11. de civitat. cap. 9.* non dubitat Augustinus Angelos Sanctos nunquam esse à Domino peregrinatos, idest extra patriam & claram Dei visionem constitutos. *De sancta*, inquit, *civitatis exortu dicere institui, & priùs quod ad Angelos attinet, dicendum putavi, quod hujus civitatis & magna pars est, & beatior, quo nunquam peregrinata.* Et *lib. 2. de Genes. ad lit. cap. 8.* sic luculentiùs fatur: *Neque enim sicut nos, ad percipiendam sapientiam proficiebant Angeli, ut invisibilia Dei per ea qua facta sunt, intellecta conspicerent, qui ex quo facti sunt, ipsâ Verbi aternitate sanctâ & piâ contemplatione perfruuntur: atque inde ista dijudicant, secundùm id quod intus vident, vel rectè facta approbant, vel peccata improbant.* Denique idipsum

idipsum patet ex frequenti Augustini sententia asserente, omnium creationem in instanti contigisse, ex quo sic contra selpsum difficile format argumentum D.Thomas 1. p. quæst.62. art.1. argum.3. *Præterea*, inquit, *secundum August. super Genes. ad lit. ea qua leguntur facta in operibus sex dierum, simul facta fuerunt, & sic oportet quod statim ab initio creationis rerum fuerint omnes illi sex dies. Sed in illis sex diebus secundum ejus expositionem manè fuit cognitio angelica, secundum quam cognoverunt Verbum, & res in Verbo. Ergo statim à principio creationis cognoverunt Verbum, & res in Verbo: Sed Angeli beati sunt per hoc, quod Verbum vident: ergo statim à principio suæ creationis Angeli fuerunt beati.* Neque satisfacit solutio Angelici Doctoris ibidem ad 3. atentis, cognitionem illam Angelorum matutinam non esse cognitionem ipsius Verbi per essentiam; illud enim repugnat iis, quæ de cognitione Angelorum matutina *quæst.* 58. *artic.* 6. & 7. docuerat S. Præceptor.

Confirmatur 3. testimoniis aliorum Patrum Augustino adstipulantium. Quid enim, sicut elegantius, expressius his Magni Gregorii verbis in Psalm.5. pœnitent. *Panis ejus* (idest Protoparentis, & idem est de Angelis,) *fuit visionis divinæ delectatio, Verbi Dei satietas, internæ quietis gaudium, lucis inaccessibilis splendor, sapientia refectio, præsentia Creatoris. Felices antiqui dies, nihil tenebrarum, nihil caliginis præferentes, quos divinitatis illustrabat præsentia, securitatis purgabat serenitas, lætitia immensitas decorabat! Dies gaudiorum & luminis, dies virtutum & panis, dies deliciarum & suavitatis, quos non perturbabat mœror, non infestabat angustia, non obumbrabat infirmitas. Hos dies in paradiso habuit anima antequam à statu rectitudinis per culpam caderet prævaricationis.* Mitto plura alia testimonia, quibus idipsum non obscurè significat Doctor Sanctissimus, ut cùm ait, illuc nobis redeundum esse per gratiam, unde per Adami culpam lapsi sumus. Cùm tradit hominem innocentem nullâ pœnâ posse justè affligi; & abunde inculcat, pœnarum maximam esse Dei visi privationem; & grandem primi peccati vindictam esse, quod jam Deum videre non possimus. Cùm denique affirmat, præmium perseverantiæ Sanctis Angelis concessum in eo duntaxat positum fuisse, quod à beatitudine, in qua creati fuerant, ampliùs excidere non possent. *Virtutes Angelicæ*, inquit lib.27. Moral. cap.24. *quæ in divino amore fixæ perstiterunt, lapsis superbientibus Angelis hoc in munere retributionis acceperunt, ut nulla jam rubigine subrepentis culpa mordeantur, & ut in contemplatione Conditoris sine felicitatis fine permaneant, & in hoc, quod sunt condita, æterna stabilitate subsistant.* Quod & apertiùs *homil.* 7. *in Ezech.* repetit his verbis: *Cadentibus aliis sancti Angeli in sua beatitudine perstiterunt, atque hoc acceperunt in munere, ut jam cadere omninò non possent.* Quod & perspicuè docet S. Fulgentius lib.de fide ad Petr, cap.3. *Angeli*, inquit, *atque homines, pro eo quia rationales sunt facti, æternitatis ac beatitudinis donum in se à natura spiritalis Creatore divinitus acceperunt; ita scilicet, ut si dilectioni Creatoris sui jugiter inhæsissent, simul æterni, beatique mansissent; si verò proprio voluntatis arbitrio contra summum Creatoris imperium suam niterentur facere voluntatem, protinus à contumacibus beatitudo discederet.*

Verùm hæc sententia facilè quidem probaretur, nisi solidissimis veræ Theologiæ principiis, sancto Thomæ, & veritati esset adversa. Quid enim firmius eâ maximâ in materia de Angelis stabilitâ, Angelos in statu viæ & meriti conditos fuisse, & bonos visionem beatam, quæ teste Augustino est tota merces, promeritos fuisse; meritum verò, & præmium in eodem simul instanti contingere nequaquam posse. Nam idcirco secundùm omnes alicujus notæ Theologos Christus gloriam essentialem, seu visionem non est promeritus, sed tantùm gloriam accidentalem, corporis nimirum resurrectionem, nominis exaltationem, & hominum salutem, quia essentiâ divinâ claré visâ à primo conceptionis instanti fruebatur, & aliunde repugnat, aliquem promereri id, quod priùs habere intelligitur, quàm mereatur. Et certè si Angeli habuerunt in sui creatione visionis coronam, quid promereri potuerint, assignari ægrè poterit, cùm ut dictum ex Augustino est, visio sit tota operis meritorii merces.

Quid etiam eo principio fundatius in tota Theologia habetur, quod superiori tomo invictis munivimus argumentis, impeccabilitatem esse necessarium beatæ visionis consectarium, subindeque impossibile esse, creatam intellectualem divinam essentiam claré, & intuitivè conspicientem, eâque per visionem beatam fruentem, in peccatum labi posse; & tamen Angelos, & Protoparentes in peccatum cecidisse, de fide certum est? Quid pariter eâ doctrinâ certius, quàm essentiam divinam claré & intuitivè visam, utpote summum bonum, & ipsam bonitatis essentiam, voluntatem ad amorem etiam necessitate exercitii compellere? Quia in puro & summo bono in se conspecto, vel in illius amoris exercitio nulla ratio apparere potest, quæ fastidium pariat, vel tædium; nullus ab intellectu potest voluntati proponi defectus, quo velit, aut possit à tanti boni amore, & fruitione desistere.

Nec valet si respondeas, Angelos, tametsi beatos, ideo lapsos esse, quia nondum data illis erat magna abundantia charitatis, quâ felici quadam necessitate ulteriùs peccare non possunt. Quam responsionem confirmare videtur August. *lib.de corr. & grat. cap.* 10. his verbis: *Diabolus igitur, & angeli ejus beati erant antequam caderent, & se in miseriam casuros esse nesciebant: erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipsius permansionis acciperent; idest, ut magnâ per Spiritum sanctum datâ abundantiâ charitatis Dei, cadere ulteriùs omninò non possent, & hoc de se certissimè nossent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant, sed quia nesciebant suam futuram miseriam, minore quidem, sed tamen beatitudine, sine ullo vitio fruebantur.* Quibus in verbis non obscurè indicat Augustinus, ad impeccabilitatem intellectualis creaturæ non sufficere beatitudinem, seu essentiæ divinæ claram visionem; nec qualemcunque ipsius amorem & fruitionem, nisi adsit summa, & victrix delectatio omnem peccati delectationem excludens, & illa beata ubertas, quâ impleatam animam nunquam peccare delectat.

Non, inquam, valet hæc responsio variis fortissimarum rationum molimnibus superiori tomo refutata, ubi ostendimus, ex visione Dei voluntatem tantoperè summi boni amabilitate rapi, ut non solùm illud odisse nequeat, sed etiam illud non amare actualiter non possit. Quia licèt conspectâ bonitatis essentiâ non ligetur indifferentia voluntatis, impleatur tamen infinito bono totam cordis humani quàmlibet vasti captivitatem inundante: ergo repugnat Angelis beatam communicari visionem potuisse, quin simul data fuerit magna illa abundantia charitatis, quâ felici necessitate ulteriùs peccare non potuerint. Imò nunquam talem felicem necessitatem

necessitatem conferret charitas, nisi ex visione sequeretur; ex se enim, & ex propria non necessitatem confert, sed libertatem. Beatorum ergo non peccandi necessitas non à sola charitate, sed à charitate visione Dei summam bonitatem jugiter exhibente illustrata promanat.

Nec oppositum insinuat Augustinus, qui loquitur solùm de beatitudine naturali, & supernaturali viæ, quæ crementi capax est, sicut & ruinæ. Beati ergo conditi sunt Angeli, & Protoparentes, non beatitudine termini, quæ visione habetur; sed beatitudinæ viæ, à qua facilè cadit creata libertas, nisi invincibili gratiæ, & charitatis adjumento, & victrici delectatione sublevetur. Et ideo signanter vocat Augustinus beatitudinem illam minorem, quia & beatitudine cœli longè inferior est, & ruinæ obnoxia est: beatitudinis tamen nomenclaturam prumeretur, quia ut tomo 2. ostendimus, tales, & tantæ erant naturæ integræ, & innocentis prærogativæ, tanta à miseriis, quas patimur, immunitas; tam sublimis, & suavis divinorum contemplatio, non merè naturalis, sed fide ficta, spe gaudens, charitate exultans, ut Angeli, primique parentes in tanta cœlestium charismatum abundantia creati jure merito felices, beatique dicerentur, ut ampliùs inter solvenda objecta exponemus.

Nec iterum valet, si rursum respondeas, ex visione quidem beata amorem Dei naturalem, ad quem à natura, vel potiùs ab Authore naturæ determinamur, sponte, & necessariò profluere; non tamen amorem moralem, & electivum, ad quem sola visio non sufficit, nisi alia superaddatur voluntati gratia, per quam essentia divina visa delectet. Quia si ex efficacia visionis voluntas non posset essentiam divinam non diligere, sed ad eam amandam necessitaretur, amor Beatorum esset merè naturalis, non electivus, subindeque nec amor charitatis, quæ tamen non evacuatur, sed perficitur in patria.

Non, inquam, valet hæc secunda responsio. Quanvis enim non negemus distinctionem amoris naturalis & electivi, cùm sæpe doceat S. Thomas, quod in voluntate non solùm est libertas, sed etiam natura; & isti correspondere connaturales motus, instinctus, & veluti impetus; illi verò electiones: quamvis, inquam, id ultrò fateamur, perperam tamen, & omninò falsò inde infertur, amorem Beatorum, quo in Deum clarè visum feruntur, esse electivum, & formaliter liberum, sicut est in via, alioquin Beati possent quotidie peccare, & ab amore Dei pro arbitratu cessare. Nam amor moralis, electivus, liber, & ad quem naturaliter non determinamur ulla necessitate specificationis, aut exercitii (qualem amorem electivum in Beatis comminiscuntur isti recentiores Adversarii,) & desinere potest, & sæpe definit; imò si non potuit in Angelis visione beata retineri; nihil excogitati, imò nec fingi fortius unquam poterit, quo amor ille indeclinabiliter per totam æternitatem teneatur. Ad pleniorem etiam hujus responsionis confutationem illud observandum est, amorem Beatorum distingui planè ab amore naturali ex instinctu naturæ patro, qualis in brutis respectu prolis, & in subitis & primò primis voluntatis nostræ motibus invenitur. Non enim dicitur naturalis amor Beatorum, quia ex impetu solius naturæ procedit, sed quia necessariò à voluntare procedit, & potest dici eminenter electivus, & liber, non solùm quia est radix liberi amoris creaturarum, sed etiam quia circa Deum non ex alligatione potestatis, sed ex plenitudine suæ capacitatis occupatur. Ad cujus evidentiam considerandum est, libertatem, quæ est vis electiva mediorum, servato ordine finis, in ampla voluntatis universalitate fundari; cùm enim voluntas sit capax boni infiniti, à creatis omnibus & finitis bonis est independens; unde cùm nulli alligetur, nullo plenè satietur, potest omnia decurrere, unum alteri præferre, & aliud præ alio eligere. Cùm autem summum, & universale bonum in se clarè, & apertè intuitiva visione proponitur, tunc voluntatis indifferentia non ligatur quidem, vel arctatur, sicut in brutis; sed perficitur, & consummatur, quia tota ejus capacitas, tota universalitas, & amplitudo, quæ indifferentiæ radix est, infinità bonitate clarè visà impletur. Quid ergo mirum, si voluntas infinito bono plena, illi necessariò, & sine indifferentia hæreat, cùm facultas ultra, vel extra adæquatum suum objectum ferri non possit, & bonum sit objectum voluntatis, & omne bonum in Deo clarè viso? Ergo necessitas Beati Deum videntis non est coarctata, ligata, & imperfecta, sicut in motibus naturalibus; sed plena, sed eminens, sed divina, utpote similis illi, quâ Deus diligit seipsum, quâ Pater diligit Filium, & producit Spiritum sanctum. Sed his non semel in decursu Theologiæ sermonem habuimus, & satius est æternum illum, beatéque necessarium amorem sitire, quàm de eo operosè nimis & importunè disputare.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ responsum non est difficile. Et quidem primum argumentum ex miseria desumptum, in Adversarios evidenter retorquetur. Si enim miseria est non videre Deum, quem innato appetitu desideramus, quantò major miseria est tantum bonum videndo possidere, nec esse de illius possessione securum? Meliùs profectò esset Deum non videre, quàm illum cadendi metu posse perdere. Itaque Angeli initio conditionis suæ, vel Deum se posse perdere sciebant, vel nesciebant; si sciebant, miseri erant, qui erant de felicitate incerti; si nesciebant, ignari erant & errantes: quia autem dubitat ignorantiam & errorem grandem esse miseriam? Hinc præclarè August. lib. 11. de Civit. cap. 11. *Verè, perfectéque beata vita non nisi æterna est, sive id sciamus, sive nescientes aliud putemus: quia scientes timor, nescientes error beatos esse non sinit.* Dicendum ergo Angelos conditos fuisse beatos, & ab omni miseria immunes, sed beatitudine longe visione beatâ inferiori. Cùm enim spiritus cœlestes omnibus gratiarum donis perfusi fuerint, & aliunde in sua haberent potestate ad visionem illam facilè, citóque pervenire, nulla erat in illis miseria, nec carentia visionis habebat rationem privationis, sicut modò in dæmonibus post peccatum; sed stimuli ad præmium, & coronam invitantis, & ad pugnam strenuè, animoseque cum Lucifero & Angelis ejus ineundam.

Cùm autem locis adductis ait Augustinus, privationem visionis esse pœnarum maximam, verum est in iis, qui ea in pœnam peccati privati sunt; & in iis maximè, qui eam obtinendi spe destituti sunt. In iis autem, qui sunt in via ad illam, quibus certò promittitur, si fideliter pugnent, respectu quorum non habet rationem privationis, sed bravii, & mercedis; in iis, inquam, carentia visionis non habet rationem pœnæ, sed incentivi amoris, qui ex dilatione dilecti boni vehementer accenditur. Considerantia ergo Angeli sancti & Protoparentes in statu innocentiæ visionem claram Dei esse bonum vires naturæ excedens, & aliunde certa fide cognoscentes, se posse cum gratia sibi data ad illam pervenire, ex una parte spe gaudebant, ex alia de carentia boni indebiti non discruciabantur. Hanc esse Augustini mentem, patet ex libro de correptione & gratia, cap. 11.

cap. 11. ubi sic habet: *Sic & hominem fecit cum libero arbitrio; & quamvis sui futuri casus ignarum, tamen ideo beatum, quia & non mori, & non miserum fieri in sua potestate esse sentiebat.* Ergo ex Augustino Protoparentes, & idem de Angelis dicendum est, eatenus beati dici poterant, non quòd Deum viderent, sed quatenus in sua habebant potestate, & carere miseria, & ad beatam visionem facili amoris & humilitatis actu pervenire; nam carentia visionis existentis in nostra potestate, pœna dici non potest, sed coronæ præparatio.

Ad primam confirmationem respondeo, optimam esse S. Thomæ solutionem, nimirum Angelum duplicem habuisse cognitionem in Verbo, scilicet naturalem, & aliam gloriæ: priore cognovit Verbum in sua natura relucens; posteriore cognovit Verbum in sua essentia: priorem habuit à principio creationis, posteriorem verò initio beatitudinis; & hæc propriè dicitur cognitio matutina. Hanc verò habuisse Angelum in primo instanti creationis, nusquam dixit Augustinus. Et licèt in ejus sententia omnia condita sint in instanti; omnia, inquam, quæ pertinent ad hanc vitam; non tamen omnia, quæ pertinent ad futuram: cujus signum est, quod in illis diebus spiritalibus à vespere dies incipit: Factum est enim vespere, & mane dies unus; & in mane consummatur: id est, secundùm Augustinum, priùs fuit in Angelis cognitio vespertina, quàm matutina perfecta, etsi matutinam imperfectam in sui cognitione habuerint; & etiam à matutina perfecta ad vespertinam Beati descendant quando volunt.

Ad alia omnia testimonia, tum Augustini, tum cæterorum Patrum dicendum, Sanctos illos voluisse solùm Angelos non consummatam, se inchoatam beatitudinem habuisse & excellenti fuisse Dei contemplatione potitos; nunquamve bonos Angelos à Deo fuisse peregrinatos, quia eum cogitatione, affectu, & sacra charitatis familiaritate præsentem habuerunt. His omnibus adde, quod quia via Angelorum brevissima fuit, & uno, aut altero instanti completa, aliquo vero sensu eos in visione Dei conditos fuisse dicitur, quia brevissimâ morulâ, continenter, & sine interruptione ad visionem Dei pervenerunt; parum autem pro nihilo reputatur, maximè quia cùm semper boni Angeli fuerint in loco patriæ cœlestis, nempe in cœlo, nunquam peregrinati dicuntur, idest à patria alieni. Denique ut constet has Augustini, cæterorumque Patrum interpretationes non esse extortas, idest Angelos fuisse beatos beatitudine imperfecta, & Deum vidisse visione fidei, & eximiæ contemplationis, sufficit ea proferre verba, quæ Augustinus *lib. 11. de civit. cap. 12.* habet: *Et hodie,* ait, *non imprudenter beatos vocamus, quos videmus justè, ac piè cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere sine crimine.* Si viri sancti tot miseriis circumdati non imprudenter beati vocari possunt, quantò justius sanctos Angelos, & Protoparentes in statu innocentiæ beatos creatos esse dici potest? Ex quibus facilè expones loca Gregorii, Fulgentii, & aliorum Patrum, qui intendunt solùm Angelos fuisse conditos absque miseria, & cum beatitudine, naturali quidem perfecta, supernaturali verò inchoata: & quia illam primi peccati granditate perdidimus, meritò dicit Gregorius, illuc redeundum esse per gratiam, unde cecidimus per culpam. Cætera explicatu facilia sunt.

Fides non perseverat in damnatis.

Secunda pars, quæ asserit fidem non remanere in dæmonibus, nec in damnatis, qui fideles fuerunt, expressè docetur à D. Thoma art. 2. ad 2. *Fides,* inquit, *quæ est donum gratiæ, inclinat hominem ad credendum secundùm aliquem affectum boni, etiamsi sit informis: unde fides, quia est in dæmonibus, non est donum gratiæ.* Ubi rationem fundamentalem insinuavit, quæ æqualiter probat de damnatis hoc modo. Fides infusa, quæ est donum gratiæ; inclinat hominem ad credendum secundùm aliquem affectum boni; nam si virtutes morales aliquem boni affectum inspirant, quantò magis infusæ? Unde & ipsa fides per se pendet à motione voluntatis, per se ab actu charitatis perfici optat & formari, per se est fundamentum spei, & basis totius ædificii spiritualis. Sed statui dæmonum, & damnatorum repugnat virtus inclinans ad credendum secundùm aliquem affectum boni, quia in illis nulla pia affectio, nulla pia motio invenitur. Ergo nec in dæmonibus, nec in animabus damnatis remanet fides infusa, quam aliàs habuerunt. Et licèt in damnatis invenitur affectus boni naturalis, quia etiam in dæmonibus secundùm Dionys. naturalia manserunt integra; non tamen in illis virtutes acquisitæ, & multò minùs infusæ perseverant; quia plenitudini malitiæ, & obstinatæ eorum perversitati repugnat boni præsertim gratuiti affectio.

Quare in dæmonibus non est nisi fides humana & acquisita, quâ miracula à Christo, & Sanctis ejus in Christianæ Religionis confirmationem edita omnes naturæ vires excedere conspicientes, & aliunde plures infideles ob peccatum infidelitatis à se tanquam divinæ justitiæ tortoribus in inferno cruciati, propriis experimentis convicti, veram esse infernum Religionem Catholicam, ejusque mysteria dignissima, quæ credantur. Inde est, quod sæpe cogitationes contra fidem Catholicis immittit Angelus malus, eorumque animos seducere conatur, qui fuit malus ab initio; quia certò scit grande incurrere in peccatum, qui de fide dubitant; grandius qui ab ea recedunt. Ergo in dæmonibus est fides ex visis miraculis, aliisque convincentibus indiciis acquisita; quæ tamen in illis nullâ honestate prædita, nullâ laude digna; quia, ut optimè ait S. Thomas art. 2. ad 2. & 3. *Fides dæmonum est quodammodo coacta ex signorum evidentia; & ideo non pertinet ad laudem voluntatis eorum, quod credant. Præsertim quia hoc ipsum dæmonibus displicet, quod signa fidei sint tam evidentia, ut per ea credere compellantur; & ideò in nullo malitia eorum minuitur, quod credunt.* Et certè cùm actus fidei eatenus sit bonitatis capax, quatenus à pio moventis voluntatis affectu pendet, cùm nullus sit malignis spiritibus pietatis modus, nulla est etiam honestatis particula, vel scintilla in dæmonum fide, sed mera necessitas vi, & evidentia signorum extorta. Unde fides in illis est coacta, non fortè physicè, quia cùm evidentia in attestante non tollat intrinsecam rei propositæ obscuritatem, possunt absolutè inficiari, quod ipsos latet; unde fortassis in aliquod peccatum infidelitatis ex malitia labi possunt; sed tamen moraliter coacta est fides eorum, non enim possunt credere Religionem illam esse falsam, quam vident tot signis naturam excedentibus confirmatam, cujus hostes, & desertores experiuntur tot tormentis divinitus castigatos. Unde non incongruè comparatur à Bannesio dæmonum fides voluntati mercatoris ad projiciendas merces ingruente tempestante, & imminentis mortis periculo coacti, qui ad eas in mare deturbandas nullâ physicâ necessitate compellitur, sed morali. Posset quidem absolutè pretiosam mercimoniam servare, & servando interire; sed efficaciter non voler, tametsi inefficaciter vellet; & in illa voluntarii, & involuntarii

involuntarii mixtura, & pugna merces, ne ipse pereat, projicit. Sic cacodæmon posset quidem absolutè veritatibus sibi latentibus detrectare fidem, & & grandi, quo æstuat divinorum odio, vellet; sed impositam cernens locupletium testium nubem, illis invitus credit quæ summo sibi horrori sunt, & execrationi.

Dices: Fides corrumpi sine aliquo corruptivo non potest, cùm sit accidens spiritale naturâ suâ incorruptibile. Nullum est autem fidei corruptivum, quàm infidelitas; fides enim destructis per peccata aliis omnibus virtutibus, adhuc in peccatore manet, nisi contra fidem infidelitate peccet: Atqui dæmones, & plures damnati, non incidernnt in peccatum infidelitatis: ergo in illis habitus fidei infusæ eo ferè modo, quo character, perseverat. Et ita innuit S. Jacobus cap. 2. suæ canonicæ epistolæ: *Dæmones*, inquit, *credunt, & contremiscunt.* Quod Apostoli dictum de fide infusa intelligi debere, ex eo constat, quòd eorum intendit removere excusationem, qui spretis bonis operibus, de fide sola gloriabantur. Si autem de fide infusa sermonem Apostolus non haberet, vix, ac ne vix Apostolico argumento urgerentur; facilè enim responderent se fide infusa præditos, à dæmonibus fide duntaxat coacta credentibus perspicuè discerni, & toto cœlo differre. D. etiam Thomas infrà *quæst.* 18. *art.* 2. *ad* 2. videtur fateri, in damnatis manere fidem, non tamen spem.

Respondeo, fidem in damnatis, qui nunquam à veræ religionis professione recesserunt, non infidelitate, sed divini concursus subtractione desinere; conveniens enim est, ut illis Deus subtrahat fidem infusam, qui in illo se statu liberè posuerunt, in quo nequit amplius fides in actum erumpere: fides namque quæ spiritalis ædificii basis est, & fundamentum, ad bonas operationes sicut per se inclinat, ita adveniente terribili illo statu miserandæ mortis, in qua nemo potest operari, mavult desinere, quàm æternùm otiari. Accedit, fidem naturâ suâ non esse nisi viatricem, & peregrinam: quamdiu ergo peregrinamur à Domino, nobiscum semper manet, quibuslibet circumdetur peccatis, nisi infidelitate abjiciatur. At verò finitâ viâ, ipsa finitur, quæ fuerat tantùm data comes itineris, solatium peregrinationis, dux viæ, scutum pro pugna: unde illi repugnat, & & omninò conditioni ejus opponitur status termini simpliciter, sive patriæ, ubi non est opus lucerna præsente sole, nec oportet credere, quando videtur in lumine lumen, cernitur facie ad faciem veritas, quæ ad aurem fuerat antè loquuta. Repugnat etiam status inferni, quia cùm fides sit substantia sperandarum rerum, quomodo ibi maneret, ubi nulla spes, nulla redemptio invenitur? Ergo fidei, quæ habet rationem inchoationis, dispositionis, & viæ ad patriam, repugnat omnis status termini simpliciter. Nec est simile de charactere, qui permanet, ut Christiani à cæteris distinguantur, majori utique confusione perfundendi, qui oblatam salutis occasionem nancisci præ malitia noluerunt. Non est, inquam, simile; quia nec character per se ordinatur ad sanctas, & honestas operationes, sicut fides; nec haber terminum simpliciter, sed naturâ suâ indelebilis est, ut aliquando rerum Deo donante explicaturi sumus.

Ad authoritatem Jacobi dicendum, sufficere ad efficaciam argumenti illius, quod sicut fides dæmonum, quia sterilis est, nihil confert ad salutem, nec eos justificat, quia nullos in illis justitiæ fructus edit: ita nihil proderit peccatoribus fides, in quibus nihil per dilectionem operatur. Quod verò fides dæmonibus ex signorum evidentia acquisita, in peccatoribus verò infusa, non discernit eos à dæmonibus, sed potiùs magis eos in parte accusat, qui infuso divinitus dono ita abutuntur, ut nolint ex fide vivere, sed contra fidei dictamen pravis actibus operari. Si nihil laudis promererentur dæmones credentes, & contremiscentes, quomodo placebunt Deo, qui acceptâ fide infusâ Deo quidem credunt, sed nec Deum timent, nec homines reverentur? Absit ut eos fides justificet, quos magis accusat, quorum injustitiam prodit, quorum vindictam apud justum judicem ipsa fides petit, ipsa obtinet, ipsa exequitur. Quia quoddam infidelitatis genus est ipsâ Gentilium ignorantiâ deterius, contra fidem monentem operari: Et longè pejus, longè fidei injuriosius est susceptæ fidei non obtemperare, quàm propositam non suscipere.

Ad D. Thomam verò respondeo S. Doctorem loco citato, *quæst.* 18. non asserere fidem esse in damnatis, secus verò spem; sed magis posse esse fidem quàm spem. Quod utique verissimum est, quia desperato damnationis statui, in quo nulla est, vel affulgebit unquam redemptionis cogitatio, magis repugnat spes liberationis, quàm cognitio divinorum. Præsertim quia in damnatis nec spes infusa, nec acquisita subesse potest, in quibus tamen est fides acquisita, quâ veritates antea sibi notas, tametsi ad majorem confusionem suam, norunt. Nam ex actibus fidei in via elicitis, & frequentatis relinquitur in intellectu quædam dispositio, quâ veritates fidei cognoscunt, nec eatum obliviscuntur.

Procul ab hæreticis fides.

Tertia pars, quæ fidem excludit ab hæreticis, etiam respectu articulorum, quos non inficiantur, quosve se credere profitentur, probatur contra Durandum ratione D. Thomæ: Tunc fides in aliquo perit, quando in eo perit objectum formale fidei; nam species essentialis cujuslibet habitus ex formali ratione objecti necessariò pendet. Atqui in hæretico etiam unicum articulum inficiante perit objectum formale fidei, quod est veritas prima, secundùm quod manifestatur in Scripturis sacris, & proponitur ab Ecclesia Catholica: Hæreticus autem non inhæret sicut regulæ infallibili Ecclesiæ doctrinæ; sed ea, quæ vult, retinet; quæ non vult, pro suo rejicit arbitratu, magisque propriæ voluntati, vel potiùs privatæ opinioni ex propria voluntate stabilitæ adhæret. Ergo in hæretico unicum articulum negante, & alios omnes se credere profitente, neque formata, neque fides informis perseverat.

Confirmatur: Quamvis ultima fidei nostræ, & Christianæ resolutio non fiat in Ecclesiam, in eaque non sistat, ut suprà ostendimus; tamen propositio Ecclesiæ est conditio sine qua non assentiremur Deo revelanti; nec Evangelio, teste Augustino, crederemus, nisi proponentis Ecclesiæ juberet authoritas; nec minùs præexigitur Ecclesiæ propositio antequam credamus, quàm requiratur objecti ab intellectu propositi exhibitio, antequam illud voluntate amemus. Ergo qui non adhæret veræ Ecclesiæ, non potest primæ veritati, quæ per illam innotescit, per illam veluti organum loquitur, per illamque veluti interpretem explicatur, adhærere? Quomodo enim posset quis obscuræ, & reconditæ alicui veritati, quia Deus revelavit, assentiri, si regulæ illi firmiter non adhæreat, quâ unâ constat Deum illud revelasse? Quare sicut ille, qui ante susceptam fidem esset ita comparatus, ut singularem quendam vellet respuere articulum, nunquam fidem susciperet, nunquam fidelis evaderet, quàmlibet cæteris omnibus suum se

præbiturum

præbiturum aſſenſum ſponderet : ita non poteſt unius articuli fidem perdere, quin omnium jacturam patiatur,& peccans in uno fiat omnium reus.Et hanc veritatem apertè ſupponit Tridentinum *ſeſſ.6. cap.15.* ubi docet, per peccatum infidelitatis fidem amitti. Favet etiam Scriptura dum ait, Hæreticum non eſſe de Eccleſia, ſubindeque non habere fidem Eccleſiæ, 1. Joan.2. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis : nam ſi ex nobis eſſent, permanſiſſent utique nobiſcum*, ideſt in Eccleſia. Et 1. *Timoth.* 1. ait Apoſtolus, quoſdam amittentes bonam conſcientiam, circa fidem naufragaſſe, quia ut ait Chryſoſtomus, navem, quæ eſt Eccleſia, perdiderunt. Vide Auguſt. *in Enchirid. cap.1. & lib. de unit. Eccl.cap.4.& lib.de fide & ſymb. cap.10.*

Solvuntur aliquæ inſtantiæ

Objicies : Habitus non corrumpitur per unum actum vitii contrarii; nec enim corrumpitur habitus ſcientiæ per errorem circa unam concluſionem; nec uno injuſtitiæ actu eradicatur virtus juſtitiæ: ergo per unum infidelitatis actum, vel per unius articuli repulſam funditus evertitur fides. Quia nimirum licèt virtus omni actui contrario vel reſiſtat planè, vel certè ad reſiſtendum inclinet, non tamen ita tenera eſt, aut infirma, ut quolibet adverſario impetu convellatur.

Reſpondeo, quocumque actu contrario everti habitum, ſi extinguatur ratio formalis objecti; & quia quælibet minima infidelitas rationem formalem fidei enecat, peccato etiam quovis infidelitatis fides amittitur. Nec eſt ſimile de errore circa unam concluſionem, quo non evertitur ſcientia circa alias; quia ut rectè ait S.Thomas *ad 2.* in diverſis concluſionibus unius ſcientiæ ſunt diverſa media, per quæ probantur, quorum unum poteſt cognoſci ſine alio; & ideo homo poteſt ſcire quaſdam concluſiones unius ſcientiæ, ignoratis aliis, vel errando circa illas. Cæterùm omnibus, & ſingulis articulis inhæret fides propter unum medium, ſcilicet propter veritatem primam propoſitam nobis in Scripturis ſecundùm doctrinam Eccleſiæ illas rectè intelligentis; & ideò qui ab hoc medio decidit, ut de facto decidit dum uni articulo ab Eccleſia propoſito credere renuit, totaliter fide caret. Eſt ergo magnum diſcrimen inter fidem, & ſcientiam, quam unius concluſionis error non deſtruit; quia contrarietatem formalem reſpectu medii ſcientiæ non inducit, ſed duntaxat reſpectu medii proprii illius concluſionis, circa quam errat. Quod verò dicitur de juſtitia, aliiſque virtutibus moralibus, verum non eſt; certum eſt enim, omnes virtutes morales per actus formaliter ſibi contrarios penitus corruere, quia ut ait S. Doctor, ſpecies cujuſlibet habitus à ratione formali objecti dependet, quâ ſublatâ ſpecies habitus remanere non poteſt. Eſt etiam notabilis differentia inter fidem, & virtutes infuſas ex una parte, & virtutes acquiſitas ex alia : iſtæ enim, quia multis frequentatis actibus acquiruntur, & in mente veluti radicantur, ſicut nec uno actu firmantur, ita nec uno pariter exſtirpantur. Virtutes verò infuſæ, quia non labore acquiruntur, ſed divinitus diffunduntur, ideo adveniente quocumque formaliter contrario, eadem facilitate à nobis abeunt, quâ in nos venerant ſine nobis.

Inſtabis : Poteſt hæreticus alicui articulo propter ſolam Dei revelantis authoritatem credere : ergo ſalvatur, & ſubſiſtit in illo ratio formalis fidei, tametſi de Eccleſia mentionem non faciat, ſicut de Eccleſia non cogitabat Adamus, vel Angelus in via, nec cogitaret ille, cui Deus aliquid privatim cum præcepto credendi impetaret; in quibus tamen omnibus eſſentialis ratio formalis fidei conſervatur.

Reſpondeo, hæreticum nequaquam propter Dei revelantis authoritatem credere, quia ſi ei verè crederet, totum crederet quod revelat, & regulam Eccleſiæ divinam revelationem proponentem non rejiceret, ſed ſincerè admitteret, & humiliter ſequeretur. Videtur quidem ſibi aliis articulis, quos non reſpuit, propter Dei authoritatem adhibere fidem, ſed mentitur iniquitas ſibi, quia non divinâ authoritate, ſed propriâ voluntate credit, qui quod credat eligit, nec omnibus exoculatam præbet fidem. Nec eſt ſimile de Adamo, Angelo, vel illo cui Deus aliquid privatim revelaret, quia in illis per internam loquutionem copiosè Deus ſupplet, quod facit in nobis neceſſaria matris Eccleſiæ propoſitio, cui divinitus conceſſum eſt veras à ſpuriis revelationibus diſcernere, canonicas ab apocryphis ſcripturis diſtinguere, & pretioſum à vili ſeparare. Cui etiam authoritatem conferunt Scripturæ talem, ut eam firmamentum, & columnam veritatis appellent; & qui eam non audierint, non ſecus ac Ethnicos, ac Publicanos reputandos præcipiant. Quare dum hæretici illis Scripturæ teſtimoniis non credunt, quibus Eccleſiæ confirmatur authoritas, nec aliis etiam, quibus ſe credere dicunt, credunt; quia ſi eis propter ſe crederent, eis ubique crederent, nec fidem earum dimidiarent. Divinus namque ſpiritus Scripturarum author ubique verus eſt, ubique peræquè dignus qui credatur.

Urgebis : Hæretici eadem facilitate illis articulis credunt,quibus ante hæreſim fidem adhibebant : ergo ſignum eſt, in illis eundem fidei habitum permanere; ubi enim idem cernitur effectus, eandem ibi ineſſe cauſam argumento eſt. Præſertim cùm intellectus hæretici non ſit intellectu Catholici ad aſſentiendum difficillimis myſteriis potentior : ſubindeque cùm intellectus Catholici fidei habitus adjumento ad credendum egeat, idem etiam de hæretico dicendum eſt.

Reſpondeo, in hæreticis catholicæ veritatis deſertoribus ex iteratæ fidei actibus remanere quoddam fidei acquiſitæ ſimulachrum, non verum fidei aurum, ſed aurichalcum; non eandem facilitatem ingerens, ſed ſimilem : unde non mirum ſi eandem pronitatem experiantur hæretici etiam poſt fidei ſuæ infuſæ jacturam. Sed adhuc faciliùs, & fortè veriùs dici poteſt, eandem ſolùm facilitatem extrinſecam, quæ provenit ex remotione impedimentorum, in hæreticis amiſsâ fide permanere; non ſubſiſtere tamen facilitatem intrinſecam ab habitu ingeneratam. Solent enim virtutes actuum iteratorum frequentiâ difficultates complanare, impedimenta removere, potentias aptare, & veluti expedire; unde pereuntibus contrario actu virtutibus, remanet quædam externa facilitas, quâ in ſimiles actus aptata, & aſſueta facultas prorumpit. Et quamvis intellectus hæretici non ſit catholico potentior, propriæ tamen voluntatis obſtinatione, & pertinacia firmatur.

Inſiſtes : Peccatum infidelitatis non deſtruit fidem, neque moraliter in genere cauſæ meritoriæ; neque phyſicè in genere cauſæ formalis, vel efficientis. Non quidem in genere cauſæ formalis; nam multa ſunt alia peccata, quæ multò magis fidei deſtructionem mererentur, putà odium Dei, propter quod tamen Deus fidem infuſam non ſubtrahit. Non etiam in genere cauſæ phyſicæ efficienter aliam formam fidei contrariam inducentis, cùm per remiſſum infidelitatis actum, quo ſecundùm nos fides extinguitur, nequeat contrarius habitus produci, qui non

nisi actibus intensis solet generari. Non denique in genere causæ formalis, quia in actu indeliberato infidelitatis & erroris est tota entitas physica, & informatio intellectus, quæ est in actu deliberato; & tamen per illum non tollitur fides sicut per istum: quod tamen peræquè contingeret, si esset formalis repugnantia, qualis inter calorem, & frigus intercedit.

Respondeo, peccatum infidelitatis expellere fidem, non solùm in genere causæ moralis dispositivæ, sed etiam formalis physicæ, quatenus authoritas divina est unicum, & indivisibile medium, quo omnibus fidei articulis assentimur; & sic cùm hæreticus medium illud excludat, fidem etiam ab imis fundamentis subruit. Ad hujus impugnationem dico, indeliberatum hæresis, & infidelitatis actum actui fidei formaliter non repugnare, quia sicut actus fidei à pia voluntatis motione dependet, ita actus hæresis à malitia illius.

Persistes: Fides potest esse major in uno, quàm in alio: ergo in uno potest credere unum articulum, quem in alio non credit.

Respondeo, non ideò fidem dici majorem, vel minorem, quasi ei liceat aliquem articulum repudiare; fides enim (quod absurdum est,) foret infidelis. Non dicitur etiam major, vel minor ex parte objecti formalis, quod est unum, & simplex, scilicet veritas prima. Quare ex parte solius objecti materialis potest dici major, quatenus unus habere præ alio potest majorem fidei explicationem, & plurium veritatum notitiam. Vel etiam secundùm majorem subjecti participationem, & hoc dupliciter: primò ex parte intellectus, propter majorem firmitatem, & mentis adhæsionem: secundò ex parte voluntatis, propter majorem promptitudinem, devotionem, & pietatem; fides enim ab utraque illa potentia pendet. Et licèt fides exigat ut veritas prima omnibus aliis præferatur, tamen eorum, qui eam omnibus præferunt, quidam firmiùs, & devotiùs se ei subjiciunt: sicut etiam secundùm meliorem intellectus dispositionem unus magis, minusve percipit virtutem principiorum in seipsis, vel ut sunt variarum causæ conclusionum, & veritatum divinarum.

Quæres, quænam sit causa fidei?

Respondeo, fidem christianam esse simpliciter infusam, & donum Dei; quia ea, quæ credimus, utpotè totius naturæ intellectualis vires, & cognitionem excedentia, divino debent nobis lumine, vel à Deo immediatè, vel ab ejus ministris revelari, quibus ut credamus, non sufficit cognitio naturalis: cùm enim homo veritatibus tam sublimibus; & naturali scientiæ ignotis assentiendo supra naturam suam attollatur, ut illum assensum facilè eliciat, infuso supernaturalis luminis adjumento indiget, quo hujusmodi assensum valeat expeditè elicere: ergo interiori principio permanentes vires ministrante ad actus fidei frequenter exercendos opus est. Quod principium effusum in mentibus nostris per Spiritum sanctum est habitus fidei, juxta illud Ephes. 2. *Gratiâ estis salvati per fidem, & non ex vobis, ne quis glorietur; donum enim Dei est.* Esset hic disputandi locus adversus Semipelaginos existimantes, liberum arbitrium esse causam, quare aliquorum idem miraculum videntium, eandemque prædicationem audientium quidam credant, alii verò non credant; & ideo initium fidei esse ex nobis asserebant, solam verò consummationem Deo authori asserebant. Sed hic error, aliique affines fusiùs, & opportuniùs in tractatu de gratia confutabuntur.

Dices: Dona Dei non sunt imperfecta, vel dimidiata: ergo si fides sit donum Dei, cum illa simul largietur gratiam, & charitatem: atqui potest quis habere fidem sine charitate, divinisque veritatibus credere, eas tamen non amare, ut patet in illis, qui habent fidem informem; & in illis, qui baptizarentur cum conscientia peccati mortalis, cujus non pœniterent: ergo fides non est semper donum Dei, præsertim verò in sui initio, sed solùm quando est per charitatem consummata.

Respondeo doctrinâ D.Thomæ *art.2. & 3.* ubi ait, quod qui accipit à Deo fidem absque charitate, non simpliciter sanatur ab infidelitate, quia non removetur culpa præcedentis infidelitatis, sed sanatur secundùm quid, scilicet ut cesset à tali peccato. Hoc autem frequenter contingit, quod aliquis desistat ab uno actu peccati, etiam Deo hoc faciente; qui tamen ab actu alterius peccati non desistit propriâ iniquitate suggerente: & per hunc etiam modum datur aliquando homini à Deo, quod credat, non tamen datur ei charitatis donum, sicut etiam aliquibus absque charitate datur donum prophetiæ, vel aliquid simile. Nec propterea Deus est causa fidei informis ratione informitatis, quia informitas non pertinet ad rationem fidei essentialem; fides namque non dicitur informis, nisi per defectum & carentiam exterioris formæ: Unde quod est causa fidei simpliciter dictæ, est causa fidei informis, quoad entitatem, non quoad informitatem. Sicut potest aliquid dici, & esse causa diaphani, quamvis non sit causa obscuritatis in eo existentis, quia non est de ratione speciei diaphani.

Dices rursum cum Scoto, & Durando, rationem D. Thomæ à nobis in probationem responsionis adductam de more carpentibus: Si ex eo probatur necessitas fidei infusæ, quia assensus, seu actus credendi excedit vires naturæ, sequeretur nos posse habere certitudinem experimentalem de fidei existentia in nobis. At nemo scire potest, se virtutibus infusis instrui: ergo inefficax est ratio S. Thomæ.

Respondeo fatendo ex ratione D. Thomæ illud inferri, nos posse rationabiliter credere inesse nobis habitum fidei infusæ, si in actus fidei frequenter erumpamus; nam teste Veritate, à fructibus eorum cognoscetis eos; & arbor mala non potest bonos fructus facere. Certè cùm divinis veritatibus, iisque difficillimis propter unius Dei loquentis, & Ecclesiæ proponentis vocem assentiri, sit actus ex nulla naturali cognitione, nec ex ullo naturali appetitu, sed ex intima ad Deum supernaturaliter revelantem adhæsione, & pio divinorum affectu consequutus, rationabiliter in se arbitratur esse habitum, & radicem, cujus fructus experitur. Unde potest quis scire, num habeat fidem, tametsi nesciat utrum habeat charitatem, quia seipsum convincere potest & certiorem reddere, an assentiatur revelatis, an eis assensum detrectet? Et cùm aliunde sciat fidem sibi in Baptismate fuisse infusam, certus esse potest de fidei suæ existentia. An verò Deum amet, & ex toto corde amet, dignoscere, hoc opus, hic labor, ac secretum soli Deo notum: amoris enim proprii conatus, & actus ita sunt actibus charitatis vicini, ita eos interdum ementiuntur, ut plerumque ab illis in hac vita internosci propter circumstantes concupiscentiæ insidias nec possint, nec expediat. Nobis enim latêre voluit Deus, utrum verus in nobis ipsius amor inhabitet, ut in timore, & tremore salutem nostram operantes, & benè indesinenter ageremus, & bona simul opera nostra vereremur, quæ licèt justa nobis videantur, nescimus tamen, num illa sincera Dei charitas, num occultus, & subdolus nostri amor efferat.

Quæres

Quæres secundò, quinam sint Fidei effectus.

Respondeo triplicem potissimùm fidei effectum à S. Thoma assignari. Primus est timor; cùm enim per fidem apprehendantur pœnæ à Deo malis illatæ, vel præparatæ, ex ea nasci potest timor servilis, sicut oritur filialis, cùm apprehendimus Deum esse immensum bonum, à quo separari pessimum est, & malorum omnium summum.

Secundus fidei effectus est spes, & fiducia; cùm enim fides promissa à Deo præmia mente recolat, & voluntati exhibeat, concipitur hujusmodi bonorum obtinendorum fiducia. Nec obest, spem timori esse contrariam; nam idem secundùm contraria potest esse contrariorum causa. Et sic fides, ot minatur pœnas, terrorem incutit; dum præmonstrat coronas, spem allicit, animos auget, & fiduciam.

Tertius fidei effectus est puritas, vel purificatio cordis. Cùm enim impuritas uniuscujusque rei in hoc sita sit, quod vilioribus immisceatur, sicut argentum non promixtione auri, sed plumbi confusione impurum evadit; hinc est, creaturam intellectualem per hoc impuram existere, quòd se rebus temporalibus amore subjiciat, quibus naturæ dignitate, & christianismi gloriâ immensùm antecellit. Tunc verò pura efficitur, quando per contrarium motum Deo, qui solus sibi superior est, adhæret. Hujus autem motus fides principium est, quia & bonos affectus inspirat, & per dilectionem operari sponte sua inclinat. Unde dicitur act. 15. *Fide purificans corda eorum.* Purificat etiam fides intellectum ab imputitate erroris, quia ex eo contingit, quod intellectus humanus, humana sapiens, & creatis assuetus, secundùm rationes sensibilium divina metiri præsumit. Unde, ut aliàs vidimus, tot & tanta orta sunt in morali præsertim disciplina nefanda doctrinæ flagitia, & horrenda novitatis monstra. Cùm enim ex rerum sensibilium, quas præ manibus continuò habemus, densæ intellectui nostro creentur tenebræ circa illas res, quas voluntas nimis & malè diligit; hinc fit, ut concupiscentiæ nebulis infuscata ratio satagat rigidas Evangelii maximas mollire, cupiditatibus lenocinari studeat, dubia dubiis superstruat, æternæ legi adversa ascitis probabilitatis coloribus oblinat, & paulatim ita progrediatur, ut nihil sit tam noxium, vel flagitiosum, quod non honestatis specie præcoloret, & ea tandem attentet dogmata, de quibus nulla unquam in Ecclesia, nulla in Patribus dubitatio contra fuerat. Et verus Theologus, fide grandis eos omnes purgat errores, divinum lumen semper invocat, ubique consulit, ut omnia in veritate judicet, & divinæ legis statetis appendat. Augeri in se fidem rogat, ut dissipatis volaticæ rationis argutiis, & erroribus, intellectum in obsequium fidei captivet, mentem divinæ legi subdat, ejusque inconstantiam unius divinæ authoritatis scripturis, vel traditionis conspicuæ felicissimis vinculis compescat. Et quia certò sibi persuadet, nihil tam esse rationi consentaneum, quàm ipsam rationem fidei famulari; ideo tam contemnere opiniosæ probabilitatis conjecturas solet, quàm divinum fidei lumen corde, & opere revereri. Quocirca Scripturæ, divinæque legis explicationem, non ex suo ingenio, vel ex metaphysicarum distinctionum promptuario petit, sactos canones adhibitis artibus non eludit, Sanctorum Patrum nitentissimis pronuntiatis exceptiones pro arbitrio non apponit, sed præfatum cœleste lumen, quod nihil aliud est, quàm verbum divinum, seu scripto consignatum, seu ab Apostolis, Apostolicisque viris ad nos traditione transmissum, invocat, & meditatur, ut possit cum Propheta dicere, *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.*

Quæres tertiò, quænam dona virtuti fidei respondeant?

Respondeo compendio doctrinæ D. Thomæ *quæst. 8. & 9.* respondere donum intellectus & scientiæ. Quia sicut datur intellectus naturalis, quo veritates naturales, & essentiam rerum penetramus, nec circa exteriores solùm qualitates, ut à potentiis sensitivis fieri assolet, occupamur: ita ad res supernaturales penitiùs indagandas, & veluti intus legendas opus est dono intellectus, quo recondita fidei arcana introspiciamus, & quamcumque contrarietatem sese veritati fidei opponentem dissolvamus. Necessarium est etiam donum scientiæ, quo rectè judicentur, & discernantur credenda à non credendis. Quod quidem donum maximè versatur circa res creatas, ut distinguatur à judicio sapientiæ, quod procedit per altissimas causas, ideoque perfectissimum est. Sicut autem quando in aliquo genere datur aliquod perfectissimum, & alia, quæ à tali perfectione deficiunt, tunc quod perfectissimum est, speciali nomine insignitur, & nomen genericum in speciebus minùs perfectis retinetur: sicut præcipua animantium species homo vocatur, bruta verò genericum animalis nomen retinent: sic etiam quia nomen scientiæ importat quandam judicii certitudinem, virtus illa, quæ per altissimam causam certitudinem efficier, speciale sortietur nomen, & hæc est sapientia, quæ de rebus omnibus per altissimam causam, scilicet Deum, judicium fert: cognitio verò rerum per causas secundas, utpote imperfectior, retinet sibi nomen genericum scientiæ. Cujus proinde proprius actus est per res creatas & visibiles invisibilia Dei intellecta conspicere. Nam quilibet habitus respicit formaliter medium, per quod aliquid cognoscit; & materialiter id, quod per illud medium cognoscitur. Unde cùm scientia cognoscat Deum per creaturas, eas formaliter respicit, sicut è contra sapientia formaliter respicit Deum, & materialiter creaturas, quia judicat de rebus creatis per divinas. Scientia igitur ponitur speciale donum, secundùm quod restringitur judicium ad creaturas. Nec obest, quod scientia perficit fidem immediatè circa divina, & non nisi secundariò circa creata versantem; unde fidem debere imitari scientiam consequens est. Non obest, inquam, quia scientia fidem non nisi in ordine ad actum secundarium perficit. Et hoc est, quod sibi vult D. Thomas *quæst. 9. art. 2. ad 1.* dum ait, quod licèt ea, de quibus est fides, sint res divinæ & æternæ; tamen ipsa fides est quoddam temporale in animo existens, idest debet perficere scientiam temporalem, quam habemus de Deo per creaturas, sicut gratia perficit naturam, & ad hoc indiget dono scientiæ.

Dices: Cognitio necessariorum ad salutem sufficienter per fidem habetur: Ergo frustra multiplicantur dona intellectus, & scientiæ. Quod etiam à posteriori liquet; videmus enim multos eximiæ sanctitatis viros, rudes, & hebetes, & mulierculas imperitas, in quibus relucet gratia divina: profundus tamen divinorum intellectus, & infusa creaturarum scientia longè est ab illis.

Respondeo, suppositâ etiam fide, non superfluere donum intellectus in habentibus gratiam, ut penetrantior habeatur veritatum fide revelatarum cognitio; fides namque ex proprio, & speciali officio habet solùm veritates supernaturales detegere, & detectis

detectis ultrò assentiri: at verò donum intellectus motiva fidei penetrat, veritatibus divinis altè, & seriò meditatis animum pascit, eoque instructus homo plenè intelligit, quomodo fides & piis opituletur, & adversùs impios defendatur. In summa Fidelis Scripturis ab Ecclesia, & in sensu Ecclesiæ credit: sed intelligens scit, quomodo omnis Scriptura divinitus inspirata utilis sit ad docendum, ad arguendū, ad corripiendum, ad erudiendū in justitia, ut dicitur 2. *Timoth.* 3. Et idem proportionaliter dicendum est de scientia, quæ creaturarum cognitionem fidei subjicit, & in ordine ad Deum omnem scientiam refert. Quod sanè satis rarum est; nam ut aliàs ex Bernardo didiscimus, in studio creaturarum alii considerant quæ facta sunt, uni voluptati immersi; alii considerant quomodo facta sunt, uni curiositati addicti; pauci propter quid facta sunt, attendunt, & hoc ultimum præstat donum scientiæ, quæ Deum in creaturis considerat, & creaturas propter Deum.

Ad id, quod dicitur de viris, & mulieribus pietate insignibus, sed rudibus & hebetibus: respondeo, animas illas simplices, subtiles quidem Theologorum speculationes non callere, nec divinorum rationes explicitè scire; dono tamen intellectus, & scientiæ ita in actu exercito veritatibus divinis convinci, & in fide firmati, ut nullis hæreticorum sophismatis, nullis tyrannorum terriculamentis, nullis maligni spiritus insidiis tantisper concutiantur. Hinc videmus, sanctos rusticos, & humiles mulierculas interdum in divinorum contemplatione pernoctare, & suavissima internæ orationis, & quietis colloquia vix posse interrumpere: videmus eos, quia rectum appetitum habent, sana, & integra in dubiis ferre judicia: videmus eos æterna sapere, terrena fastidire. Ergo divina rectè intelligunt, quorum animus divinorum consideratione saginatur. Porrò nonne scientes, & sapientes dici debent, quibus omnia sapiunt prout sunt, humana negligunt, divina æstimant, & de rebus illud judicium ferunt, quale Deus ipse fert? Unde hoc? unde hoc? Certè ex cœlestium donorum infusione; nam ut Christus confitetur, divinæ veritates sapientibus, & prudentibus absconditæ, parvulis revelantur; & ut docet Spiritus sanctus, cum simplicibus est sermocinatio Dei. Effectus autem hujusmodi donorum non est sterilis, & ut dicam philosophica veritatum speculatio, sed recta de ultimo fine æstimatio. Unde illa dona in solis justis inveniuntur; rectam enim de ultimo fine æstimationem habere nequit peccator; unde de malis dicitur: *Utinam saperent, & intelligerent.* Nam si aliquando mali, & simul docti rectè de divinis mysteriis disputant, enarrantes justitias Dei, & assumentes testamentum ejus per os suum; non tamen dono intellectus prædití sunt, quia illa divinorum notitia practicâ æstimatione caret, unde ut Augustinus *in Psal.* 118. ait: *In illis prævolat intellectus, & tardè sequitur humanus atque infirmus affectus.*

Observanda est etiam doctrina, quam tradit D. Thomas *art.* 6. ubi ex 1. 2. *quæst.* 68. *art.* 4. supponit, dona pertinentia ad intellectum distingui; sed ulteriùs rationem distinctionis indagans retractat, quod loco citato dixerat. Ibi enim docuerat, donum intellectus distingui à dono scientiæ & consilii, quia ista duo pertinent ad practicam cognitionem; à dono verò sapientiæ, quòd istud pertineat ad speculativam cognitionem, quia ad sapientiam pertinet judicium, ad intellectum verò capacitas intelligentiæ rerum propositarum, seu intima penetratio earum. Verùm hoc diligentiùs, vel ut ait Cajetanus, diviniùs intuens, & profundiùs considerans, docet quod quia illa dona ordinantur ad supernaturalem cognitionem fidei, eorum distinctio donorum convenientiùs ex distinctione eorum, quæ respicit fides, sumenda est. Fides autem primò & principaliter se habet ad veritatem primam; secundò ad creaturas, prout ordinantur in objectum fidei, descendit: tertiò ad directionem humanorum operum, & præscribenda vitæ Christianæ officia fides extenditur: unde duo ex parte intellectus circa credenda requiruntur: primum, ut intellectu penetrentur illa omnia, sive speculativa sint, sive practica: deinde rectum de illis ferre judicium opus est, ut quibus inhærendum sit, à quibusque recedendum, appareat, & constet. Quod quidem judicium per rationes divinas latum, ad sapientiam; per creatas & proprias causas formatum pertinet ad scientiam. Denique Christianorum officiorum singularis directio, & sacrarum maximarum ad individua quæque opera applicatio ad consilium spectat. Uno verbo, intellectus est veritatum divinarum penetrativus; sapientia est omnium per causas altissimas judex; scientia est rerum per causas inferiores & proprias arbitra; consilium denique tanquam Christianæ vitæ dux, & pædagogus singularibus casibus resolvendis præsto est.

Quam doctrinam præclarissimè illustrat Doctor Angelicus *solut. ad* 1. quia per hoc declaratur propria alicujus doni ratio, & specialis ejus character innotescit, per quod à malo, & vitio sibi opposito distinguitur; contraria enim contrariis opposita magis elucescunt, & clariùs dignoscuntur. Atqui ex Gregorio 2. *Mor.* c. 36. sapientiæ opponitur stultitia, hebetudini intellectus, ignorantiæ scientia, præcipitationi consilium. Ergo sicut hebes dicitur, qui caret acumine; acuminis verò est intima penetrare, & veluti intersecare; ita ad donum intellectus hebetudini oppositum pertinet omnia cùm practica, tum speculativa, non judicando quidem, sed apprehendendo penetrare. Ergo rursus sicut stultus dicitur qui perversum de communi vitæ fine judicium fert; ita proprium sapientiæ munus erit rectè circa finem communem, & universalem se habere, & per illum de cæteris judicare. Ergo iterum sicut ignorantia in humanarum causarum cognitione cæcitatem, & defectum mentis circa quæcumque particularia importat; ita scientiæ dono rectum de rebus per causas inferiores, & creatas ferer judicium. Ergo denique sicut præcipitatio sine deliberatione procedit, ita consilium efficit, ut homo non nisi cum matura rationis deliberatione procedat. Nec dici potest, frustra tot dona uni virtuti respondere, quia licèt donum sit perfectius virtute morali, non tamen Theologicâ; unde nihil mirum, si plura dona uni virtuti Theologicæ adornandæ, & perficiendæ deserviant.

Si autem petas, quænam beatitudo, quinam fructus dono intellectus, & scientiæ respondeant? Respondebo ex doctrina *art.* 7. *q.* 8. & *art.* 4. *quæst.* 9. dono intellectus respondere sextam beatitudinem, scilicet munditiam cordis, cui Dei visio promissa est. Quia duplex est munditia, alia præambula & dispositiva ad visionem, quæ est cordis ab inordinatis affectibus depuratio, quæ per virtutes & dona appetitus obtinetur. Alia est munditia cordis quasi completiva, quæ est animi ab hæresibus, erroribus, phantasmatibus, & falsis æstimationibus depuratio, & hanc donum intellectus confert. Similiter duplex est visio: prior est quidditativa & perfecta, posterior abstractiva & imperfecta, quâ non videmus de Deo quid est, sed quid non est; eoque perfectior est, quo magis intelligimus, Deum quidquid intellectu comprehenditur excedere. Et utraque dono intellectus habetur; prior quidem in consummatione patriæ, posterior in inchoatione viæ.

Cæterùm

Cæterùm dono scientiæ correspondet beatitudo flendi, quia ut ait August. lib.1. de serm. Domini in monte, cap.6. *Scientia convenit lugentibus, qui didicerunt quibus malis vincti sunt, quæ quasi bona petierunt.* Ratio est, quia dono scientiæ rectum de creaturis judicium fertur, & quia creaturæ sæpe nimis occasionem peccandi ministrant, & ut dicitur *Sap.*13. suot muscipula pedibus insipientium: ideo dono scientiæ prædituа, dum hæc apprimè cognoscit inter tot impedientia à creaturis pericula, & in tam ampla doloria materia luget, & implet illud Ecclesiast.1. *Qui addit scientiam, addit & dolorem.* Unde scientiæ convenienter respondet fletus, respondet etiam lacrymarum præmium, scilicet consolatio, non solùm quia est quædam flere voluptas, sed etiam quia dum creaturarum insidias, & incentiva peccati in bonum virtutis convertit, inde gaudii, & solatii materiam accipit, unde occasio, & fons lacrymarum oriebatur.

Porrò fructus hujusmodi donorum est fides, non sumpta pro habitu, de quo hac tota dissertatione disputamus; sic enim est prior, & radix doni intellectus: sed ut explicat D. Thomas *art.*8. sumpta pro fidei certitudine, & tranquilla adhæsione, ad quam homo dono intellectus pervenit, unde ineffabile gaudium in voluntatem derivatur. Licèt enim fructus propriè pertineat ad voluntatem, quia est ultima finis ultimi perceptio, & fruitio summa suavitate condita, sicut fructus est ultimum, quod ab arbore reportatur suavissimum emolumentum, si tamen fructus per ampliationem pro ultimo, quod cuique proprium est, accipiatur; sic fides, seu suavis mentis quies ex veritatibus revelatis firmiter creditis percepta fructus nomen, & rationem jure merito obtinebit. Notat verò S. Doctor *ad* 3. consilio non respondere fructum proprium, quia pertinet ad cognitionem practicam, quæ in proprio fundo fructum non parit, cùm non propter se quæratur, sed ad aliud ordinetur. Observat etiam sapientiæ, & scientiæ eundem, qui intellectui respondet, fructum convenire, & plures in appetitu, quàm in intellectu reperiri; quia, ut dictum est, tanto fructus magis ad voluntatem pertinet.

REFLEXIO.

Vides quantis sit fœcunda effectibus, quibus opima, & ornata muneribus christiana fides; si tamen charitati conjuncta sit. Si autem scire aves, Lector optime, qualis, & quanta sit fides tua, an cœlestibus sit instructa donis, an intellectu profunda, num scientiâ pollens, sapientiâ sublimis, consilio discreta, illam considera Angelici Doctoris assertionem, quâ *quæst.*8. *art.*3. *& quæst.*9. *art.* similiter 3. asserit dona illa esse speculativo-practica, quia non solas æternas veritates meditantur, sed etiam operationes bonas dirigunt, ut fides nedum revelatis credat, sed etiam per dilectionem operetur: ergo ille solùm præfatis donis instructus censendus est, qui in agendis non nisi rationibus æternis regitur, quibus consulendis inhæret superior ratio, ut Augustinus *lib.*12. *de Trinit.cap.*7. tradit. Ergo à donis illis desertus est, & illis penitus destitutus, qui non considerat æterna, ut sunt regulæ humanorum actuum, qui ut ait D.Thomas citatus ad 2. *regulari à lege æterna indigent*; qui quod dicunt, non faciunt: unde nec illis intellectus bonus adest, qui omnibus facientibus bonum inest; nec beata illa scientia Sanctorum, sine qua vana est omnis eruditio Doctorum.

Et quamvis hæc fidei donis circumamicta privilegia magis doceat unctio quàm lectio, easque divini susurri venas, & auræ intus spirantis lenitatem solus cognoscere queat, qui expetitur & gustat, quoniam suavis est Dominus; quia nomen illud novum, quod nemo scit, nisi qui accipit, non contentioso disputationum certamine, sed connaturalitate, & divinorum experientiâ patescit: Attamen justi ex fidei viventis, & hominis spiritalis statum, & conditiones eruditè, & juxtà piè Cardinalia Cajetanus ex illis derivavit, quæ Veritas *Ioan.*3. protulit dicens: *Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis, & nescis unde veniat, aut quò vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* Spiritus ubi vult spirat, quia ubi spiritua Domini, ibi libertas; & homo similiter spiritalis fuoibus peccatorum, quibus constringebatur, dissolutis, depositis animæ veluti compedibus creaturarum, confractis duri cordis vectibus ferreis, assomit pennas ut aquila, volat, & non deficit. Tunc verò vocem ejus audis, quia qui natus est ex spiritu, eructat ex corde verba bona; ex abundantia enim cordis os loquitur, non humana, sed divina; non terrena, sed cœlestia. Veruntamen quia illum virum spiritualem in timore & tremore salutem operari vult Spiritus sanctus, qui utique nisi super humilem, & trementem sermones suos non requiescit; ideo nescit onde veniat, aut quò vadat; originem, processum, & finem internæ inspirationis ignorat. Conjicit quidem vir ille divinua habitare Christum per fidem in corde suo; veritates fidei non intelligit modò, sed & sapit; expetitur quidem abundantiam pietatis, ubertatem devotionis, imbres compunctionis, plenitudinem consolationis, pinguedinem spiritus; sentit ignitum eloquium, atque ex eo conscientiam uri in recordatione peccati; nec solùm compungitur in sermonibua sanctis, sed & se totum convertere videtur ad Dominum; juratque, & statuit custodire judicia justitiæ ejus: attamen anceps, & pendulus timet, ne propriua, vel malus spiritus Spiritum sanctum ementiatur; quia ut dicitur Job 2. *Spiritus ejus ornavit cælos, & obstetricante manu ejus, eductus est coluber tortuosus.* Idest, spiritu Domini animæ cœlum, intellectum & voluntatem ornare volente splendore fidei, ardore charitatis, coluber tortuosus sinuosas viaa quærit, ot specie pietatis, velamine sanctitatis, prætextu visionum prudentea in oculis suis decipiat. Hujus autem insidias facilè deteges, facilè superabis, si ex fide per dilectionem operante vivas. Quia ut docet August. 8. de Trinit. cap. 9. *Quantò flagrantius Deum diligimus, tantò certius, sereniusque videmus.* Deum quidem time, insidiantia diaboli latentes formida machinas, sed fide ductus, spe fretus, charitate fervidus, totum te Deo permitte, quia tibi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo tuo spem tuam. Quia unica regula, quâ Dona fidei annexa in nobia præsentia esse conjicere licet, omnem id, dicente Bernardo serm.57. in Cant. *Adesse spiritum jam noveris, si te inardescere sentias amore ejus. Ignis, qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit; ardet suaviter, desolat feliciter; est enim verè carbo desolatorius, sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, ut anima vicem exhibeat unctionis. Ergo in virtute, quâ immutaris; & in amore, quo inflammaris, Dominum præsentem intellige.*

SPECULATIO III.

Præcepta fidei cùm interioris, tum exterioris expenduntur.

Quia tota hujus assertionis materia moralis est, & practica magis, quàm speculativa, ideo perspicuitatis, & majuris utilitatis gratiâ fusas, quæ circa

circa illam excitari possunt, & solent, controversias sequentibus documentis breviter expediemus, ut tam necessariis præceptis promptiùs obsequamur.

Fides supernaturalis necessaria.

Sciendum itaque primò, fidem supernaturalem esse necessariam ad salutem. Expressè enim definivit Doctor gentium, Hebr. 11. *Impossibile est sine fide placere Deo.* Loqui autem Apostolum de fide supernaturali, ex eo claret, quòd fidem illam, quam vult esse necessariam, vocat ibidem, *substantiam sperandarum rerum, argumentum non apparentium*: quam definitionem non nisi fidei supernaturali convenire posse, per se evidens est. Sed quid apertius illo Veritatis oraculo Marci ultimo: *Qui non crediderit, condemnabitur?* Et certè cùm nullus possit in vitam ingredi sine justitia, manifestum est, ad salutem necessariam esse fidem, quæ totius est justificationis initium. Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam.* Gal. *Ex fide justificat Gentes Deus*; non quòd sola fides justificet, sed quia sine fide impossibile sit quemquam justificari.

Dices: In lege naturæ nullum fuit fidei, nec ullius alterius actus supernaturalis præceptum: Ergo fides non est per se, simpliciter, & absolutè necessaria necessitate medii ad salutem. Quod etiam indicare videtur Apostolus *Rom. 2.* dicens: *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt*: idest, per legem naturalem ostendentem quid sit agendum, ea quæ legis sunt, implent: sed observatio mandatorum ducit ad vitam æternam, juxta illud: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Ergo absque fide supernaturali potest vita æterna comparari.

Respondeo, statum legis naturalis non ideo vocari talem, quia omni erat cognitione, subindeque præcepto supernaturali destitutus; sed quia illius status notitia, & lex nullis erat scriptutis consignata, sed à Deo Adamo inspirata, & à Protoparente ad posteros ore transmissa, & propagata. Cæterùm in illo statu saltem ante universalem generis humani corruptionem, & idololatriæ pestem toto quàm latè pàret orbe grassantem, multa supernaturalia divinitus inspirata cognoscebantur; multa quoque præcepta urgebant, inter quæ nullum est præcepto fidei antiquius, quia est cæterorum omnium basis, & fundamentum. Unde Apostolus *Hebr. 11.* de quocumque, & in quocumque statu generatim affirmat: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & inquirentibus se remunerator est.* Accedit, malè inferri, nullam dari de fide in hoc statu legem, quia in statu legis naturalis nulla extabat. Quia licèt istud concederetur (quod tamen inficiamur;) malè tamen inde argumentum desumeretur, cùm possint diversæ pro distinctis statibus leges condi.

Ad locum verò Apostoli, *Rom. 2.* dicendum, ly *naturaliter*, ita exponendum esse, ut sit sensus, Gentes per naturam gratiâ reformatam legem implevisse, ut ibi S. Thomas exponit. Quod interpretamentum ex Augustino depromserat. *Propterea naturaliter*, inquit lib. 4. contr. Jul. cap. 3. *quia ut crederent, ipsa in eis est per Dei gratiam correcta natura.* Et lib. de spirit. & lit. cap. 29. *Fiunt quæ legis sunt naturaliter, non quòd per naturam negata sit gratia, sed potiùs per gratiam reparata natura.* Doctè etiam ex S. Thoma observat Estius, ly *naturaliter*, non contraponi gratiæ, sed legi, ut sit sensus: Gentes, quæ legem scriptam non acceperunt, naturaliter, idest monstrante naturali lumine, absque magisterio legis scriptæ, quamvis non sine gratia reparante naturam, quæ legis sunt, faciunt. Unde subdit Apostolus: *Ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*; idest, sine legis adminiculo propria inclinatione gratiâ adjuta operantur bonum. Addunt alii, ly *naturaliter*, non opponi gratiæ, sed servituti, ut sit sensus: Gentes, gratiâ tamen adjutæ, sponte, libenter, & ex animo, non verò serviliter, & coactè, sicut Judæi, legem observant naturalem.

Sciendum secundò, omni tempore aliqualem Incarnationis notitiam fuisse necessariam, quia Christus est via veniendi ad beatitudinem, & non est aliud nomen hominibus datum, in quo oporteat nos salvos fieri, ut dicitur *Act. 4.* Diversimodè tamen secundùm diversitatem temporum, & personarum Sol justitiæ notitiæ suæ radios diffundebat. Nam ante statum peccati explicitam Christi fidem habebat Adamus, non prout erat futurus redemptor, & à peccato liberator, sed gloriæ consummator. Post peccatum verò majores, & doctrinæ fidei callentiores futuram per passionem à peccato liberationem sperabant, & credebant, eamque in sacrificiis divinitus institutis figuratam prævidebant. Minores verò illam non nisi implicitè sub illorum sacrificiorum velamine involutam credebant. Unde in lege naturæ & scripta poterant multi salvari, & reapse salvabantur absque explicita Trinitatis, & Incarnationis notitia, ex meritis tamen Christi, qui propterea dicitur Agnus occisus ab origine mundi; quia in omnia sæcula merita Salvatoris æternitati præsentia efficaciam suam profundebant. Ita perspicuè docet D. Thomas *art. 7. in corpore*, dicens quod minores sub velamine illorum sacrificiorum credentes ea divinitus esse disposita de Christo venturo, *quodammodo habebant velatam cognitionem*, quæ utique explicita non est. Et ad 3. *Si qui salvati fuerunt, quibus revelatio non fuit facta, non fuerunt salvati absque fide Mediatoris; quia etsi non habuerunt fidem explicitam, habuerunt tamen implicitam.* Et in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 2. quæst. 2. ad 3. *Illi quibus spiritualis revelatio facta non fuerat, salvari poterant, etiamsi nihil de lege Moysi audivissent, neque aliquid de ea scirent; quia lex illa non erat omnibus data, sed tantùm Judæis: unde alii non peccabant, si legis observantias non servarent; salvabantur tamen fide implicita Redemptoris implicando fidem suam in cognitionem Dei.*

Et ratio est, quia fides Christi explicita tempore naturæ, & legis non erat necessaria, vel necessitate medii ex natura sua essentialiter requisiti, vel necessitate præcepti divini. Non quidem necessitate medii ex natura sua requisiti, cùm ad salutem per se sufficiat dilectio Dei super omnia, & perseverantia in illa: licèt autem fides Christi dilectionem præcipuè inflammet, absolutè tamen accedens ad Deum, credens quia est, & remunerator, charitatis flammam Deo juvante concipere, in eaque Dei auxilio perseverare potest. Non erat etiam fides explicita Christi necessaria necessitate præcepti, quia nullibi Scripturarum præceptum illud extat, necullo traditionis vestigio, nullâ Patrum aut Conciliorum auctoritate firmatur. Imò quia communiter luctuosum peccati originalis funus ignorabatur; ideò pauci etiam Judæi Messiam futurum esse Salvatorem animarum sperabant, sed enim ut Regem duntaxat temporalem, mundanâ gloriâ splendentem præstolabantur, nec bona spiritalia expectabant.

Dices: D. Augustinus *epist. 109. & 157. & lib. 18. de Civit. cap. 47.* ait, nemini ante adventum Christi concessum fuisse esse justum, nisi cui divinitus revelaretur unus mediator Dei, & hominum Christus Jesus: Ergo necessaria semper fuit explicita Christi expectatio.

Respondeo

Respondeo, nemini concessum fuisse esse justum, nisi revelaretur Christus eo modo, quo tunc revelari debebat, sub velamine nimirum sacrificiorum obumbratus, ut ait D. Thomas. Unde Augustinus proportionaliter ad uniuscujusque statum sine dubio loquutus est. Nisi dicas cum Hugone à S. Victore, S. Doctorem loqui de explicita revelatione Christi facta corpori Ecclesiæ in lege naturæ, vel scripta; non verò de revelatione singulis personis facta. Nemo ergo justus fiebat sine revelatione Mediatoris, non cuilibet justo nota, sed corpori Ecclesiæ, cui credebat, facta: unde sufficiebat pro illo statu, ut majores explicitam Christi fidem haberent, minores verò implicitam in fide majorum consequerentur: quod etiam S. Thomas agnoscit. Vel tandem de ultima, & consummata justitia, & salute, quæ habetur in gloria, intelligi potest Augustinus.

In lege nova simpliciter est necessaria fides Salvatoris.

Sciendum tertiò, in statu novæ legis fidem explicitam Christi esse adeo necessariam, ut absque ea nullus vel justificari, vel salutem adipisci ullatenus possit. Hanc quidem positionem inficiantur Suares, & Cardinalis Delugo: nostræ tamen doctrinæ universitas Patrum, & Scripturarum consensus favent. Scripturæ quidem novi Testamenti; nam præterquàm quod tota ad Romanos Pauli epistola in unum illum scopum collimat, ut monstret, neque legem, neque cæremonias ad justificationem sine fide Mediatoris sufficere; præter hoc, inquam, quid illis ejusdem Apostoli verbis expressius, quæ ex Hebr. 11. superiùs ponderavimus: *Sine fide impossibile est placere Deo.* Nam eò loci sermonem habet Paulus de actu fidei; subdit namque statim: *Credere enim oportet.* Loqui autem ipsum de fide Trinitatis & Christi, patet; quia de ea fide utique id pronuntiat, quam versu 1. dixerat esse substantiam sperandarum rerum: per res autem sperandas intelligit Doctor Gentium objectum, quod per se pertinet ad fidem; definit etenim fidem per ordinem ad proprium objectum. Illa autem, inquit D. Thomas *quæst. 1. art. 8.* per se pertinent ad fidem, quorum visione in vita æterna perfruemur; & per quæ ducimur in vitam æternam: duo autem nobis in patria videnda potissimùm proponentur, scilicet occultum divinitatis, cujus visione beabimur; & mysterium humanitatis, per quam in gloriam filiorum Dei accessum habemus, ut dicitur *Rom. 5.* unde dicitur Joan. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Ergo sine fide actuali, & explicita Trinitatis, & Incarnationis impossibile est placere Deo, subindeque justificari. Sed quid illo Veritatis oraculo apertius, quod Marci ultimo habetur: *Prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Quid porrò est credere Evangelio, nisi fidem habere explicitam Salvatoris? Ergo post prædicatum Evangelium fides explicita Christi est medium ad salutem prorsus necessarium.

Adstipulatur Patrum consensio. In primis Augustinus ita est pro nobis totus, ut vix clarissima ejus testimonia explicari possint, quin evincant, etiam ante Christi adventum in lege naturæ, & Moysis fidem venturi Mediatoris explicitam, fuisse medium ad justificationem omninò necessarium, ut cùm *lib. 2. contra Pelagium & Celestium, seu de pec. orig. cap. 24.* ait: *sine fide incarnationis, & mortis, & resurrectionis Christi, neque antiquos justos, ut justi essent, à peccatis potuisse mundari, & Dei gratiâ justificari, veritas Christiana non dubitat.* Quæ quidem verba, aliaque non minùs energica, & significantia multiplici interpretamento explanare utcumque conati sumus; sed ea, quæ subjungimus in favorem nostræ sententiæ verba, quibus docet tempore legis gratiæ ad unum omnes ad fidem Christi explicitam adstringi, clariora sunt, quàm ut ullo possint subterfugio declinari. *Si enim veritas loquitur*, inquit lib. de correp. & grat. cap. 7. *non liberabitur à damnatione, quæ facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi; & tamen ab hac damnatione non se liberabunt, qui potuerunt dicere, non se audivisse Evangelium Christi.* Et postea: *Ac per hoc, & qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito in melius commutati perseverantiam non acceperunt, & qui audito Evangelio venire ad Christum, hoc est in eum credere noluerunt, & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possent lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa massa perditionis discreti.* Quæ sanè verba nullâ ponderatione, sed timore egent. Item *lib. de prædest. SS cap. 7.* de Cornelio ait: Quod si potuisset sine fide Christi salvus esse, *non ad ædificandum mitteretur architectus Petrus.* At si qui forent, qui salutem primam, vel ultimam sine fide Christi consequi possent ex iis, qui Evangelium non audierunt, maximè in eorum numero reponendus esset Cornelius multiplici virtutum ornamento decoratus: Ergo si ille, Augustino doctore; ille, inquam tantoperè in scripturis ob pietatem commendatus, sine explicita Christi fide salvari nequivit, nullus prorsus salutem sine ejusdem Servatoris fide consequi potest. Hinc Hieron. in cap. 1. ad Ephes. *Non antè filii esse possumus*, inquit, *quàm filii ejus Iesu Christi fidem & intelligentiam recipiamus.* Quam fidem *cap. 3.* principium & originem fiduciæ, atque accessus ad Deum appellat. Hinc Bernardus *epist. 77.* ponderans præfati Marci verba, & considerans Christum, postquam dixit: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*, subjunxisse: *Qui non crediderit, condemnabitur*; nec repetiisse: *Qui non baptizatus fuerit*, ait: *Cautè igitur, & vigilanter non repetivit: Qui verò baptizatus non fuerit; sed tantum: Qui verò non crediderit, condemnabitur: innuens solam interdum sufficere fidem ad salutem, & sine ipsa sufficere nihil.* Hinc Trident. *sess. 6. cap. 6.* docet ad justificationem requiri, *ut credamus in primis à Deo justificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Quam fidem Redemptoris esse initium, radicem, & fundamentum justificationis sancta Synodus declarat: sine initio autem, nec progredi possumus, nec sine radice vegetari, nec sine fundamento consistere in via salutis possumus: unde sine fide illa quantaquanta sit pietas, vel honestas, sine fundamento corruet, sine radice arescet, sine initio non perficietur. Penè omiseram D. Thomam, quia ita apertus est, ut nulla possit tergiversatione eludi. Nam *art. 7. hujus quæst.* per hoc distinguit statum naturæ & legis à statu gratiæ, quòd *post tempus*, inquit, *gratiæ revelatæ, tam majores, quàm minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi.* Et *art. 8.* disertè confirmat, post tempus gratiæ divulgatæ teneri omnes ad explicitè credendum mysterium Trinitatis.

Probatur ratione S. Thomæ *art. 5.* Illa sunt necessaria necessitate medii ad salutem, sine quorum explicita fide non potest haberi recta intentio in finem; obtineri quippe nequit finis noster, nisi rectè intendatur. Atqui sine explicita Trinitatis & incarnati Verbi fide nemo in statu gratiæ potest finem suum rectè intendere, seu ad suum finem per verum medium tendere: finis namque creaturæ ratio-

nalis ille est, per quem beata efficitur; nimirum Trinitas personarum, quarum visione beatur: medium verò ad finem illum asciscendum necessarium est Christus Dominus, qui factus est nobis via ad salutem; per quod qui non intrat, sed ascendit aliunde, ille fur est, & latro. Ergo sine fide Salvatoris nulla potest in præsentiarum salus obtineri.

Hanc rationem ex August. *tract.43. in Ioan.* deprompserat Aquinas. Verba Augustini sunt hæc: *Dicant ergo pagani, Benè vivimus. Si per ostium non intrant, quid eis prodest? unde gloriantur? Ad hoc enim debet unicuique prodesse benè vivere, ut detur illi semper vivere: nam cui non datur semper vivere, quid prodest benè vivere: Quia nec benè vivere dicendi sunt, qui finem benè vivendi vel per cæcitatem nesciunt, vel per inflationem contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera & certa semper vivendi, nisi agnoscat vitam, quæ est Christus, & per januam intret in ovile.* Quibus verbis ostendit, necessitatem fidei explicitæ Christi ex veri finis, verique medii notitia indispensabiliter requisita, sicuti D. Thomas stabilivit. Nec potest dici, utrumque sanctum Doctorem loqui de ultima salute, quæ habetur in Patria, ad quam nemo pervenit sine prævia notitia Salvatoris. Non, inquam, id dici potest, cùm non solùm Augustinus dicat, sine fide Christi neminem posse semper vivere, sed etiam *nullum sine illa posse benè vivere* asseveret. D. etiam Thomas perpetuus Augustini discipulus, & echo fidelis idipsum expressissimè significat 1.2.*quæst.*113. *art.*4. ubi quærit, an ad justificationem requiratur motus fidei? Et cùm sibi objecisset tertio loco, diversos esse articulos fidei, subindeque si actus fidei requiratur, oportere hominem initio justificationis de multis cogitare, respondet: *Ad tertium dicendum, quod sicut Apostolus dicit Rom.4. credenti in eum, qui justificat impium, reputabitur fides ejus ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei. Ex quo patet, quod in justificatione impii requiritur actus fidei quantum ad hoc quod homo credat Deum esse justificatorem hominum per mysterium Christi.* Ubi vides, S. Doctorem nedum ad ultimam salutem, sed ad primam impii justificationem fidem Christi explicitam desiderare.

Quod si præsentis difficultatis momentum profundiùs penetraturus interroges, unde tanta explicitæ fidei obligatio, tanta necessitas in statu gratiæ proveniat, quæ statum naturæ, & legis minimè astringebat? Respondebo, hanc veritatem ex perspicuis novi Testamenti testimoniis, & perenni traditione, & fermè communissimis Christianismi notionibus peti. Et quamvis sciam, tam luculentas Scripturarum voces variis tergiversationibus, ac appositis pro arbitrio exceptionibus eludi, non continuò propter illa, deserenda veritas est, cùm Scripturarum sensus, tam in fide, quàm in moribus, non ex humani ingenii argutiis, sed ex traditione petendus sit. Cùm enim nihil tam apertum, tam præcisum & definitum nihil sit, quod Dialecticæ coloribus vel sophismatis ludificari non possit, ut huic malo Deus occurreret, sicut sacras literas, sic earum intellectum bonum ad nos traditione propagatum derivavit. Cùm ergo fidei explicitæ Christi Salvatoris necessitas dogma sit perspicuè in Scripturis determinatum, & à primoribus Patribus frequenter inculcatum, atque generatim intellectum, generatim quoque à nobis intelligendum est, periculoséque ex nostro demùm ingenio explicationes fingimus, & glossas comminiscimur. Etenim si generalibus præceptis exceptiones è sola ratione petitas apponere humanæ liceat libertati, nullum erit tam clarum, apertumque testimonium, cui exceptionem non inveniat ratio, ut ejus vim ac emphasin effugiat; nullum erit præceptum, quod funditus deletum ad nihilum non redigatur. Quare sicut boni, malique notitiam ex præceptis divinis eruimus, sic ipsorum præceptorum intelligentiam ex traditionis authoritate reperire tenemur: nec ullam ejus exceptionem probare debemus, nisi quam Patribus probatam esse patuerit. Atque adeo generale fidei explicitæ necessitatis mandatum significantissimis verbis expressum, cui nullam aliundè Scriptura, vel Traditio exceptionem apposuit, simpliciter intelligere debemus, & quas novi Casuistæ comminiscuntur omnes exceptiones Patribus ignoratas, sine dubitatione rejicere, & explodere tenemur; sine grandi piaculo admittere non possumus, cùm constans apud Catholicos sententia sit, non minùs Evangelicam vivendi normam, quàm ipsam fidem esse ex Traditione petendam.

Cùm ergo dicunt moderni Casuistæ has Traditionis voces per se loquendo veras esse; per accidens tamen in casu insolito ignorantiæ invincibilis posse quempiam primam, vel secundam salutem sine explicita fide Salvatoris obtinere; cùm aiunt id saltem verum probari in illis Christianis adeo bardis, hebetibus, & obtusis, qui mysteria Trinitatis, & Incarnationis nec vero conceptu apprehendere, nec memoriâ retinere, nec subinde explicitè credere possunt; cùm, inquam, has & alias exceptiones adhibent, statim ex doctrina tradita confutantur. Nam cùm nullum Scripturæ, vel Patrum proferant locum, quo exceptiones illas astruant, cùm eas ex sola ratione repetitas fateantur, hoc ipso absque operosiori argumentorum apparatu, absque majori inquisitione repellendi sunt; cùm & satis per se idoneam damnandæ suæ responsionis causam ministrent, quòd eam Patribus incognitam, & sola nixam ratione fatentur. Satis ergo, superque est ad astruendam nostram sententiam clarissima illa verba producere, & clariora quàm si radiis Solis scripta forent: *Impossibile est sine fide placere Deo.* Et: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Satis est verba Augustini suprà recensita objicere: & qui contenderit ab hac lege nonnullos immunes esse, huic asserendæ hujus exceptionis, vel potiùs divinationis onus incumbit. Ostendat ex Scriptura, ostendat ex Patribus, ostendat ex Conciliis aliquos ab hac lege immunes; & illi sicut ultrò credemus ostendenti, ita non ostendenti, & à Patrum authoritate deserto non credemus.

Nec nos ratio conveniens deficit. Tum quia convenientissimum est, ut post tot beneficia à Christo Domino universo generi humano collata, debitæ ei referantur gratiarum actiones, adeoque immenso amori amorem nostrum rependamus: quod utique absque ipsius fide præstari nequit. Tum quia justum est, ut ab hominibus ad altiorem statum provectis perfectior mysteriorum salutis notitia, subindeque fides explicatior requiratur: statum autem gratiæ statui naturæ, & legis longè antecellere, nemo eat inficias. Ergo planè necessaria est explicita Christi fides, quâ membrum ejus fieri, & ipsi incorporari possimus, juxta illud Ephes.3. *Habitare Christum per fidem in cordibus nostris.*

Porrò quod diximus de Christo, de mysterio etiam Trinitatis intelligendum volumus, quia ut D. Thomas *art.*8. optimè discurrit: *Mysterium Incarnationis Christi explicitè credi non potest sine fide Trinitatis; quia in mysterio Incarnationis hoc continetur, quod Filius Dei carnem assumpserit; quod per gratiam Spiritus sancti mundum renovaverit; & iterum quod de Spiritu sancto conceptus fuerit: & ideo eodem modo, quo mysterium Incarnationis Christi ante Christum*

fuit

fuiſ explicitè creditum à majoribus : implicitè autem, & quaſi adumbratè à minoribus ; ita etiam & myſterium Trinitatis. Et ideo etiam poſt tempus gratia divulgata tenentur omnes ad explicitè credendum myſterium Trinitatis ; & omnes qui renaſcuntur in Chriſto, hoc adipiſcuntur per invocationem Trinitatis, ſecundùm illud Matth. ultimo : Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

Objecta ſolvuntur.

Dices : D. Thomas 3. *p. quæſt.* 69. *art.* 4. *ad* 2. expreſsè docet, quod *Cornelius, & alij ſimiles conſequuntur gratiam, & virtutes per fidem Chriſti, & deſiderium baptiſmi implicitè, vel explicitè.* Ergo cenſet, fidem Chriſti explicitam non eſſe ſimpliciter, neceſſitate ſaltem medii neceſſariam.

Reſpondeo Cornelium fuiſſe juſtificatum ſine fide explicita Chriſti, ſed longè ante promulgatum Evangelium, eo ferè modo, quo Job per fidem omnis veri Dei, & proviſoris juſtitiam conſequebatur. Et ita expreſsè aſſerit S. Doctor infrà *quæſt.* 10. *art.* 4. *ad* 3. inquiens : *De Cornelio tamen ſciendum eſt, quod infidelis non erat, alioquin ejus operatio non fuiſſet accepta Deo, cui ſine fide nullus poteſt placere ; habebat autem fidem implicitam nondum manifeſtatâ Evangelij veritate.* Nec obeſt ſi dicas, Evangelium fuiſſe in Provincia Cornelii promulgatum, & ut ait D. Thomas *in* 3. *diſt.* 25. exponens textum Magiſtri : *Evangelium jam incipiebat neceſſarium eſſe ad ſalutem.* Non, inquam, obeſt ; ſed prodeſt magis. Quia tunc incipiebat fidei Chriſti explicitæ neceſſitas, & ſuppoſita ſufficienti promulgatione, tametſi ad aures Cornelii non perveniente, urgebat obligatio : ex alia verò parte Cornelius vir religioſus faciebat ex auxilio gratiæ, quod in ſe eſt ; ideo Deus ad illum Petrum miſit, qui illum de Chriſto eruditum baptizaret ; utique quia tunc illud eſſe neceſſarium incipiebat. Hacque de cauſa ad eum miſſus eſt Architectus Petrus, ut ſuprà laudatus dicebat Auguſtinus. Ideo D. Thomas *quæſt.* 14. *de veritate, art.* 11. *ad* 1. ad probandum, certiſſimè tenendum eſſe, quod viventi ſecundùm rectam rationem, & ex auxilio gratiæ quod in ſe eſt facienti, Deus mitteret Prædicatorem ; id confirmat exemplo Cornelii, & uſque adeò verum exiſtimat, fidem Chriſti explicitam eſſe neceſſariam, ut poſt promulgatum Evangelium velit, quod ſi ad aures alicujus prædicatio forinſecus ſonans non perveniat, & ille nullum divinæ veritati voluntarium obicem ponat ; tunc ſupra communem, & ſolitum morem miraculosè erudietur.

Inſtabis : Durum eſt, & divinæ clementiæ, de qua ſentire in bonitate præcipimur, parum conſentaneum, ut homo in alicujus inacceſſæ regionis aſpero montis receſſu natus, vel ingenio ſtupidus, qui præ hebetudine totus eſt plumbeus, metuſque ſtipes, aut truncus humanâ formâ veſtitus, ad illa myſteria credenda teneatur, quæ nec intelligere poteſt. Durum etiam & incredibile, ad eorumdem myſteriorum fidem mutos & ſurdos à nativitate teneri, quibus vix, ac ne vix quidem nutibus & ſignis adeo à ſenſibus remota myſteria explicari queunt, quibus tamen nec ſacramenta, nec abſolutio denegantur : ergo per accidens in aliquo caſu inſolito, putà ignorantiæ invincibilis, poteſt quiſpiam primam, vel ſecundum ſalutem ſine explicita fide Mediatoris obtinere.

Reſpondeo, hujus argumenti, vel potiùs ſophiſmatis fallaciam ex eo patère, quòd in adverſarios peræquè urgeri, & retorqueri evidenter poſſit. Cùm enim ipſi nobiſcum contra Pelagianos doceant, neceſſariam eſſe neceſſitate medii fidem ſupernaturalem, quæ ſit talis tum ex parte principii, id eſt auxilii, vel habitus divinitus infuſi ; tum ex parte objecti, Dei nimirum authoris & remuneratoris ſupernaturalis, quia ut veridicè dixit Auguſtinus ſerm. 38. de tempore : *Fides eſt humanæ ſalutis initium ; ſine hac nemo ad filiorum Dei conſortium poteſt pervenire, quia ſine ipſa nec in hoc ſæculo quiſquam juſtificationis conſequitur gratiam, neque in futuro vitam poſſidebit æternam.* Et certè cùm finis noſter, nimirum viſio beata, ſit omninò ſupernaturalis ; ideò media, quibus eum aſſequimur, ſupernaturalia eſſe neceſſe eſt, aliàs media non forent fini coaptata, quod repugnat, cùm inter finem, & media connexio, relatio, & proportio connaturalis inveniatur, finiſque in mediis, veluti in cauſis & ſeminibus virtualiter contineatur. Atqui media, per quæ viſionem beatam meremur, & aſſequimur, ſunt cognitio, & amor : ergo cognitio illa, & amor ille ad ordinem debent ſupernaturalem pertinere. Prima autem cognitio ſupernaturalis eſt fides, quæ propterea à Tridentino *humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis* appellatur : ergo ad ſalutem neceſſaria eſt neceſſitate medii fides ſupernaturalis. Cùm, inquam, hæc nobiſcum doceant adverſarii, nec oppoſitum poſſit ſine fuligine hæreſis Pelagianæ dici, rogo ipſos, ut explicent quomodo fides Authoris ſupernaturalis in rudibus, ſylveſtribuſque hominibus, ſurdis maximè, & mutis à nativitate inveniatur ? Quomodo, ſi non inveniatur, durum non erit ad fidem ſupernaturalem eos homines obligari, in quibus vix humana natura reperitur ? Certè idem cœleſtis illuminationis intrinſecum adjutorium, quod ad ſupernaturalem Dei authoris ſupernaturalis cognitionem adverſarii deſiderant, eadem facilitate poterit Mediatoris Chriſti notitiam detegere, & ingenerare, ſi ex numero prædeſtinatorum ſint, ſique ſeſe affundentibus divini luminis radiis obicem nequaquam ponant. Ergo vel nullam cognitionem ſupernaturalem neceſſariam iis rudibus dicant (quod dicere Catholici reformidant,) vel non minorem pati ſe difficultatem fateantur, quàm in nos intorquent.

Dicendum ergo, falſum ſupponere adverſarios ; à veritate enim prorſus alienum eſt, tempore legis gratiæ poſſe dari ignorantiam invincibilem de Chriſto ; ſi enim homines, & rudes, & in ſylvis nutriti, & muti faciant cum Dei gratia quod in ſe eſt, ſequanturque ductum rationis in proſequutione honeſti & fuga mali, ad divinam providentiam pertinebit internam infundere de Chriſto illuſtrationem, eo planè modo quo ipſi volunt adverſarii, nullam poſſe contingere Dei authoris ſupernaturalis invincibilem ignorantiam. Quia nimirum in hoc ſtatu omnis de Chriſto ignoratio divino auxilio vitari poteſt, quo non niſi culpâ noſtrâ caremus ; imò verò ſenſu nunquam caremus, quia divinum lumen omnibus adeſt, omnibus præſto eſt, omnibus circumfuſum eſt, qui illud tenebrarum amore non repellunt : ergo ſi ſplendida Evangelii, & Chriſti lux ſemper præſens, ſæpè pulſans aliquem deſertum patitur ; ſi alicui non ſe impertit ; ſi radios quandoque ſuos non immittit ; ſi ſuper montes Gelboë nec ros, nec pluvia deſcendat ; ſi aliqua natio ſit velut terra deſerta, invia, & inaquoſa, ſignum eſt Solis juſtitiæ Chriſti lucem ſemper præſentem, ſemper paratam oculos cordis voluntariâ cæcitate clauſos invenire. Ita expreſsè docet D. Thomas *quæſt.* 14. *de verit. ſuprà citata :* quod & repetit *in* 3. *diſt.* 25. *quæſt.* 2. *art.* 1. *quæſt.* 1. his verbis : *Poſt adventum Chriſti, quia jam myſterium redemptionis impletum eſt, & corporaliter, & viſibiliter*

prædicatum, tenentur omnes ad credendum explicitè; & si aliquis instructorem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua remaneret. Vide quàm tenax fit hujus sententiæ D. Thomas, cùm ad illum modum miraculosæ instructionis semper recurrat, ut salvet indispensabilem esse post adventum Christi notitiam explicitam Salvatoris. Et sanè ita se gessisse Deum, patet tum ex superiùs adducto Cornelii exemplo, ad quem Missus est Petrus, *Act.* 10. tum ex historia eunuchi Reginæ Candacis, ad quem missus est Philippus, *Act.* 8. Sicut etiam Paulus hac fortassis de causa ad Macedones missus est, *Act.* 16. & teste Dionys. *c.9. Cœlest. Hierarch.* multi per veritates divinas annuntiantium Angelorum ministerio salutem consequuti sunt. Refert etiam S. Thomas *art.7. ad 3.* tempore Constantini Augusti, & Helenæ matris inventum fuisse hominis cadaver, cui dum viveret, facta fuerat Christi venturi revelatio, unde & aurea lamina in pectore cum hac inscriptione reperta est: *Christus nascetur ex Virgine, & ego credo in eum. O sol, sub Helena & Constantini temporibus iterum me videbis.*

Nec obest, quod dictum est, esse aliquos ita stupidos & obtusos, ut cardinalia fidei Christianæ mysteria apprehendere, subindeque explicitè credere non valeant. Non obest, inquam; nullus enim est adeo plumbeus, si rationis compos sit, qui paucorum fidei articulorum notitiam modico studio, adhibitâ rationabili diligentiâ, consultis Doctoribus, vel Parochis, non possit citò addiscere, & sufficienter intelligere; cùm videamus illos eosdem in rebus salutis tam hebetes, in negotiis humanis nequaquam esse obtusos. Ad retinendas longas, & sæpè obscœnas cantilenas memoriâ valent; ad vindictas de hostibus sumendas, ad prosequendas lites, ad perdiscendas artes mechanicas non parùm difficiles ingenio pollent; & ad fidei, & doctrinæ Christianæ perdiscenda elementa, & memoriâ carent, & ingenio sunt destituti. Certè hic libenter scripserim, quod de peccatoribus dicebat Salvianus: *Omnia amamus, omnia æstimamus; solus Deus in comparatione aliorum nobis vilis est.* De ignorantibus nostris pariter dicere, & usurpare licet: *Omnia discunt, omnia intelligunt: sola Christi, & salutis notitia illis difficilis est.*

Urgebis: Ergo in statu gratiæ arctior est, & impeditior ad salutem via; siquidem in veteri lege sufficiebat implicita fides Salvatoris, & in præsentiarum explicita desideratur.

Respondeo, deplorando hoc argumento, si valeret, omnia novæ legis mandata deletum iri, omnem redemptionis œconomiam ad nihilum redactam iri, ipsum etiam Evangelium iri prorsus conculcatum. Nova Sacramenta instituit Christus, onus occultorum scelerum in confessione detegendorum, antiquæ legi ignoratum imposuit Redemptor; inimicis etiam capitalibus benefacere præcipit; inaudita, & insperata paupertatis, humilitatis, castitatis consilia, quæ Judæis in lege Mosis innutritis paradoxa visa sunt, & crucem prædicavit: contemptum divitiarum, quin & uxoris, & parentum animi ciavit. Ergóne illa Salvatoris oracula eliminanda, de medio tollenda, vel è sacris literis sacrilegâ liturâ expungenda, quia arctam nimis, & angustam efficiunt salutis viam? O carnalem Philosophiam! ô antichristianam argumentandi rationem! Et tamen manifestum est, nefaria illa, quæ commemoravimus consectaria, necessariò fluere ex uno illo, quod tamen sæpe moderni objiciunt, axiomate, quo asserunt latiorem esse in statu gratiæ salutis viam, nec eos pudet in ea lege mollia lenimenta quærere, quæ crucifixum spinis coronatum adorat: si tamen lenimenta sunt immunitas à fide, quâ absolvunt ignaros, sicut à charitate eximunt eruditos. Porrò quomodo in lege Christi durum sit præceptum sciendi Christum, in ipsumque credendi, non intelligo, ut propterea lex gratiæ durior esse dicatur. An nesciunt legem Christi dici jugum suave, & onus leve, non carni, sed spiritui; non naturæ, sed gratiæ abundantiùs concedi solutæ. An durum est militi Imperatoris nomen addiscere? An durum est, & onerosum viatori scire viam quâ pergit, & ducem qui manuducat? Atqui Christus via est, quâ imus, & extra quam aberramus. Pulchrè Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 2. *Ut mens in fide fidentiùs ambularet ad veritatem, ipsa veritas Deus, Dei filius, homine assumpto, non Deo consumpto eandem constituit, ac fundavit fidem, ut ad Deum iter esset homini per hominem Deum. Hic est enim mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. Christus per id, quod est mediator, est homo, & via perveniendi ad Deum: quia si inter eum qui tendit, & illud quò tendit, via media est, spes est perveniendi; si autem desit, aut ignoretur quà eundum sit, quid prodest nosse quò eundum sit? Sola est autem adversus omnes errores via munitissima, ut idem ipse sit Deus & homo. Quò itur? Deus. Quà itur? Homo.* Ergo quacumque, & quocumque aliorsum itur, aberratur.

Insistes: Ad hoc ut Christianus lapsus in peccatum mortale justificetur, non est opus, ut actualiter de Christo cogitet, & explicitum fidei ipsius actum eliciat; sed sat est, ut propter Deum crimina sua detestetur, ut patet experientiâ multorum, qui non rarò ad Sacramentum pœnitentiæ accedunt, quos nulla subit de Christo cogitatio. Ergo à fortiori poterit nutritus in sylvis per fidem & amorem Dei remuneratoris justificari, subindeque in casu mortis salvari cum fide implicita Salvatoris, quâ ita comparatus est, ut in illum, & alia occultiora crederet, si sibi essent sufficienter manifestata.

Respondeo non esse dubium, quin Christianus ad eliciendos interdum fidei actus non teneatur; ut enim docet D. Thomas 2. 2. *quæst.* 32. *art.* 4. *ad* 1. præcepta hominibus non nisi de actibus imponuntur: *Præcepta*, inquit, *non dantur de habitibus virtutum, sed de actibus; & ideo diversitas præceptorum non significat diversos habitus, sed diversos actus.* Et quanvis fortassis in instanti justificationis non cogitet pœnitens actu de Christo; quia tamen non amisit fidem per peccatum mortale, quod suppono non esse infidelitatis; ideo fidei actus sæpè elicuit, & de Christo sæpè audivit, & sæpe cogitavit. Unde malè idem de nutrito in sylvis colligitur, posse nimirum sine fide Mediatoris justificari; siquidem iste viam salutis ignorat, nec unicum à Deo ad salutem filiis Adæ præscriptum medium adhibet, quo salvetur.

Præceptum confessionis fidei.

Secundum est, dari præceptum affirmativum de fidei confessione, non quidem semper obligans, sed pro loco & tempore, aliisque debitis circumstantiis. Colligitur hæc veritas ex illo Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et licèt aliqui verba illa de confessione laudis exponant, verba tamen immediatè præcedentia satis ostendunt, ea de professione fidei esse intelligenda; ait enim Apostolus: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & corde credideris, quod Deus eum suscitavit à mortuis, salvus eris.* Ubi manifestè loquitur de confessione fidei ab interna cordis fide prodeunte, aitque eam esse ad salutem necessariam: quod argumento est, eam sub præcepto cadere. Colligitur etiam ex illo Matth. 10. *Omnis qui confitebitur me*

coram

coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est: qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est. Ex quo apertè deducitur, in aliquo casu nos ad Christum sine verecundia profitendum teneri, ut etiam non minùs perspicuè indicant hæc verba Lucæ cap. 9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua, & Patris, & sanctorum Angelorum.*

Verùm quia præceptum affirmativum, tametsi semper obliget, non tamen pro semper, sed pro loco & tempore, aliásque juxta prudentiæ leges circumstantias, ad quas actum humanum efficientiam exigere necesse est, ut virtutis nomen, & naturam fortiatur; ideò aliud est occultare fidem & religionem Christianam, aliud profiteri alienam. Quanvis autem nullo prorsus in casu licitum sit sectam alienam profiteri, & execranda sit eorum impietas, qui Christianis Indis & Sinanis idololatriam callido artificio docuerunt, modò nimirum idoli cultum ad latentem veste Christi imaginem referrent: quanvis, inquam, hoc ita sit, fuam tamen justis de causis occultare fidem non est suo genere malum, unde potest & benè, & malè fieri; malè quidem, quando urget confessionis præceptum; benè autem, cùm eam propalare non tenemur. Non enim nos persequutori ultrò exponere præcipimur. Tum quia temeritas periculosa est sibi eas vires, eam animi magnitudinem asserere, quæ ad persequutionem christianè tolerandam desiderantur. Tum quia peccatum est persequutori præbere ansam Dei offendendi, & Ecclesiam Christi persequendi, vel persequutionem augendi. Unde Clemens Alexandr. *lib. 4. strom.* ait: *Qui se capiendum præbet per audaciam, is quantum in se est, adjuvat improbitatem ejus, qui eum persequitur.* Hac de causa Christus loquens de persequutoribus, *Matth. 10.* ait: *Tradent vos in conciliis.* Non dicit: Vosmetipsos tradetis. Et iterum: *Ad Reges, & Principes ducemini propter nomen meum*; non verò ait: Vosmetipsos ducetis. Monet etiam Veritas: *Quando vos in una civitate persequuti fuerint, fugite in aliam.* Et certè Christus ipse in ætate infantili declinans persequutionem, fugit in Ægyptum, & in ætate adulta fugiens persequutionem Judæorum cogitantium occidere eum, abiit in regionem juxta desertum, ut patet *Joan. 11.* Quamobrem, ut rectè infert Chrysol. serm. 151. *Fugiente Domino, fugere indignum non putet servus.*

Favet etiam Ecclesiæ Catholicæ consuetudo in omnibus æmulanda, quæ viris Apostolicis, Clericis & Regularibus sæculares induere vestes, & diebus vetitis carnibus liberè vesci, ut sese faciliùs introducentes veritatem Evangelicam cautiùs annuntient, indulget, nisi fortassis adsit scandalum, vel periculum contemnendæ religionis. Sic Eleazarus jussus in contemptum suæ religionis comedere carnes porcinas, vel saltem se comedisse simulare, gloriosissimam mortem magis quàm odibilem vitam complectens, ut ait Scriptura *Matth. 6.* voluntariè præibat ad supplicium; & cogitare incipiens ætatis suæ eminentiam dignam, & ingenitæ nobilitatis canitiem, atque à puero optimæ conversationis actus: *Non ætatis nostræ dignum est*, inquit, *fingere* (verba sunt sacri textus,) *ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transiisse ad vitam alienigenarum, & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur.*

Quare sapientissimè S. Thomas *art. 2.* sic ait: *Confiteri fidem non semper, neque in quolibet loco est de necessitate salutis, sed in aliquo loco & tempore, quando scilicet per dimissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & etiam utilitas proximis impendenda; putà si aliquis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, quod non habet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide: in hujusmodi enim casibus confessio est de necessitate salutis.* Ratio hujus Angelicæ doctrinæ est clara. Cùm enim ex una parte detur præceptum affirmativum confessionis fidei, profectò interdum certis in circumstantiis obligat, cùm præcepta non de habitibus, sed de actibus instituantur. Ex alia verò parte nullæ sunt excogitabiles circumstantiæ, in quibus urgeat magis præceptum confessionis, quàm illæ, quas S. Præceptor assignavit. Et quanvis si turbatio infidelium ex hujusmodi confessione absque aliqua utilitate oriatur, laudabile sit fidei confessionem minimè necessariam retinere, juxta illud Matth. 7. *Nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & canes conversi dirumpant vos.* Attamen si aliqua fidei utilitas speretur, aut necessitas adsit, contemptâ infidelium perturbatione debet homo fidem Christi publicè, & intrepidè confiteri. Unde Matth. 13. habetur, quod cùm Discipuli dixissent Domino, Pharisæos verbo ejus audito fuisse scandalizatos, Christus respondit: *Sinite illos*, scilicet turbari: *cæci sunt, & duces cæcorum.* Et vulgare est Gregorii axioma hom. 7. in Ezechielem: *Cùm de veritate oritur scandalum, magis est sustinendum scandalum, quàm veritas relinquatur.* Quod autem ait S. Thomas, obligari hominem ad confessionem, quando per dimissionem confessionis *subtraheretur honor Dei*; non est intelligendum merè negativè, quia sic honor Deo subtrahitur, idest non exhibetur, quoties etiam præcepto minimè urgente non redditur; sed privativè duntaxat, & contrariè accipiendum est, si nimirum ex illo silentio timeatur, ne vel Deus inhonoretur, vel proximus detrimentum patiatur. Committetur etiam peccatum omissionis ab eo, qui socordiâ, & negligentiâ confessionem, & fidei prædicationem, quam utiliter posset animabus impendere, prætermitteret. Nam & ille servus damnatus est, qui acceptum talentum fodit in terram: & terribilis est illa Gregorii Magni doctrina, quam habet in Pastorali, part.. cap. 5. *Sunt nonnulli, qui magnis, ut diximus, muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis petunt. De quo si districtè judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Quâ enim mente is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris Unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum?*

Corollaria practica.

Ex hactenus constitutis quædam derivantur consectaria præceptum fidei interioris & exterioris concernentia.

Sequitur ergo primò, omnes adultos teneri nedum implicitè, seu generaliter, & confusè credere quidquid Deus revelavit, & Ecclesia Catholica credendum proponit; sed etiam explicitè, seu distinctè; & articulatim credere Deum esse Unum, & Trinum, bonorumque operum remuneratorem, & Filium Dei in tempore incarnatum fuisse, ita ut nullus rationis compos, quantumvis rudis, & occupatus, possit absque explicita eorum notitia, & fide salvari. Imò eruditi Theologi, quibus non parum favet D. Thomas, gravi

gravi nixi fundamento contestantur, articulos nativitatis, passionis, mortis, resurrectionis, ascensionis Christi, & judicii universalis, imò & Sacramentorum baptismatis, pœnitentiæ, & Eucharistiæ, esse à Catholicis omnibus perdiscendos, & explicitè credendos. Quia nimirum recta ratio, & lumen naturale dictat, ut ea quisque sciat, quæ ad implenda status sui officia omnino necessaria sunt. Nullus autem Christianus christianè vivere quit iis ignoratis articulis, quibus tota religio velnti cardini subnixa est. Et hoc certè satis, superque significat accurata illa Ecclesiæ Catholicæ in solemnizandis illis mysteriis his articulis comprehensis diligentia, necnon studiosa illa solicitudo, quam Pastoribus injungit sacra Tridentina Synodus *sess. 5. cap. 2.* his verbis: *Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias quomodocumque obtinent, per se, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quæ scire omnibus necessarium est ad salutem.* Quod sub gravissimis pœnis ibidem inculcat.

Sequitur secundò, quod licèt majores, Prælati nimirum, Pastores, & Magistri, quæ ad fidem pertinent, ubertùs scire ex officio teneantur, ut rationem reddere, & contradicentes arguere possint; & insuper quilibet minister ea novisse teneatur, quæ ad ministerium suum ritè exequendum requiruntur: nihilominus minores, & plebeii prædicta duntaxat mysteria simpliciter intelligere, & explicare debent: Theologicas verò difficultates, & subtilitates scire nec tenentur, nec fortè expedit. Unde D. Thomas *art. 6. ad 2. & 3.* ait, quod simplices non sunt examinandi in subtilitatibus fidei, nisi sint depravati: si tamen inveniuntur deficere, non pertinaciter tamen, non eis imputatur, nisi contra Ecclesiam Catholicam, idest congregationem illam, quæ sese Pontifici Romano Christi in terris Vicario subjicit, sint pertinaces. Soli ergo illi, qui ratione officii debent alios erudire, & poscentibus fidei suæ rationem reddere, pleniori debent mysteriorum notitiâ imbui: sicut Angeli superiores inferiores illuminantes abundantiori cœlestium veritatum lumine perfunduntur.

Sequitur tertiò, præceptum fidei exigere, ut interdum in actus illius virtutis erumpamus & intellectum in ejus obsequium actualiter captivemus. Unde in Ecclesia tam crebrò Symbolum Apostolorum recitatur, ut illud interiùs fideles concipiant mente, quod exteriùs personat; & externam professionem interna fidei, & religionis devotio comitetur. Crediderim etiam tunc potissimùm præceptum illud urgere, cùm quis in veritatibus revelatis credendis difficultates, & motus dubitationis patitur insurgentes. Sed circa hæc placet nonnulla ex Patribus spiritualibus in piorum, & scrupulis divexatarum animarum solamen annotare.

Verum quidem est, eum qui cum pertinacia dubitat, neque certitudini eorum, quæ fides docet, & Ecclesia proponit, assentitur, peccare contra fidem, & in peccatum infidelitatis incidere: verumtamen qui passivè patitur dubia, & tentationibus fatigatur, non quia judicat certam non esse fidem, sed propter naturalem, quam circa credita animus veluti refractatius experitur difficultatem, dum ratio tam arduis, tam reconditis veritatibus veluti obruitur & obstupescit, talis non agit contra fidem, sed similis est illi in Evangelio *Marc. 9.* dicenti: *Credo Domine, adjuva incredulitatem meam.* Unde tentationes illas non tam debet refellere, vel actibus contrariis repellere, quàm floccifacere, ne imaginatio importuno conflictu fatigata lædatur, & tentatio è fronte, ac è diametro impugnata magis menti figatur, quæ contemptu, & neglectu citiùs evanescit.

Quod si tentatio animum pulsans fidem etiam concutiat, & dubitationes veluti semivoluntarias, vel saltem ob infirmi animi debilitatem quadantenus irrepentes experiaris, Lector, post exoratum divinum auxilium, quo sicut adjuvante vincimus, ita eo iterum non adjuvante vincamur necesse est, duo nobis suppeditant Patres spirituales opportuna hujusmodi tentationibus remedia. Etenim vel de Religione, quam profitemur generalia dubia obrepunt, vel circa aliquod peculiare duntaxat mysterium difficultatem animus experitur. Si de religione Catholica in communi dubitationis motus excitantur, avocanda est, mentisque oculis subjicienda præclara illa argumentorum credibilitatis harmonia, quibus intellectus & prudenter credit, & non nisi imprudenter dissentitur. Certè si absque aliqua fide in hoc mortali sæculo humana nequit via consistere; si ex solo hominum testimonio & parentes ipsos agnoscimus, & remotas regiones existere fatemur; si pereunte fide, & historiarum omnium monimenta, & Rerumpublicarum traditiones, ac consuetudines, & humani generis adeò utilia commercia ad nihilum redigerentur; profectò æquum est, ut Deo de se multa, tametsi ardua eloquenti & Ecclesiæ proponenti fidem adhibeamus. Maximè quia nulla est in orbe sub cœlo toto secta, in qua plura non proponantur credenda, quæ articulis Religionis nostræ comparata, & aliunde ab omnibus credibilitatis argumentis deserta, meritò ridicula, & fabulosa censentur. Sed ne actum iterum agamus, recole totam tertio libro præfixam nostram præambulam dissertationem. Porrò si alicujus singularis articuli, putà Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ difficultas animum pulset, præter varias a Patribus, sacrisque Doctoribus adductas congruentias, à nobisque in decursu Theologiæ pro data occasione recensitas & recensendas; hoc etiam discursu omnes singularium difficultatum nebulas citò dissipabis sicut stipulam ante faciem venti. Sic ergo ratiocinabere: Si Ecclesiæ Catholicæ, utpote innumerabilium credibilitatis argumentorum decore indutæ, omnigenis miraculis illustratæ, tot Martyrum sanguine irrigatæ, tot præstantissimorum Doctorum lumine irradiatæ credo, & prudenter credo: ergo illum in speciali articulum in dubium revocare sine flagitio non possum, non debeo; quia si singulares veritates tentem irrumpere, perperam religioni illas proponenti assensum dedo; unde meritò, ut Bernardus loquitur, reputabor effractor, & scrutator Majestatis opprimendus à gloria.

Sequitur quartò, semper esse peccatum mortale exteriùs negare fidem, nec ullam posse justam negandæ fidei excusationem unquam obtendi. Probatur contra Helcesaitas, & Priscillianistas hæreticos; tum ex testimoniis illis Veritatis suprà adductis, quibus se coram Patre negaturum eos attestatur, qui se coram hominibus negaverint: tum ex dictis, quia licèt præceptum externæ confessionis & professionis sit affirmativum; quia tamen omne præceptum affirmativum includit aliquod negativum, putà præceptum affirmativum diligendi Deum præceptum negativum de Deo nunquam odio habendo continet; similiter ergo præceptum confessionis fidei, ejusdem denegationem continuò prohibet. Atqui præceptum negativum obligat semper, & pro semper, præsertim quando versatur circa jus naturale, vel divinum, prohibetque rem intrinsecè malam, qualis est sine dubio & veræ fidei negatio mendax, & alienæ sectæ professio simulata. Ergo nunquam, vel

nusquam licet, vel veram religionem inficiari, vel falsam profiteri. Hinc secundùm omnes Marcellinus Papa sacrilego sese flagitio fœdavit, dum thura idolis metu mortis adolevit. Hinc venerabilis Eleazarus mori maluit, quàm carnes porcinas in odium suæ religionis sibi appositas comedisse fingeret. Hinc intrepidi Martyres manus igni suppositas ardere maluerunt, ne vicinum idolum adorare vel gestu crederentur. Quia nimirum viri sancti semper arbitrati sunt fidem non minùs à nobis officium linguæ, & manus, quàm cordis exigere; nec minùs à veritate, & simplicitate christiana alienum esse verum Deum signis, vel nutibus, quàm verbis negare.

Dices: Aliqui viri sancti, & alii sacris in literis commendati veram religionem non dissimulaverunt modò, sed & alienam falsam simulaverunt, ut David, Jehu, & Naham. David quidem, qui ut habetur 1. Reg. 21. *Immutavit faciem suam coram Achis Rege Geth.* Jehu verò, ut habetur 4. *Reg.* 10. finxit se idola colere velle: & eodem modo se gessit Naham Syrus.

Respondeo has omnes difficultates S. Doctorem 2. 2. *q.* 111. *art.* 1. occupasse. In primis quantum ad David, commutationem faciei Regii Prophetæ fuisse fictionem figuralem, sicut glossa exponit in titulo Psalmi, *Benedicam Dominum in omni tempore.* Non autem omne, quod fingimus, mendacium est; sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium. Cùm autem fictio ad aliquam significationem refertur, non est mendacium, sed figura veritatis.

Porrò simulationem Jehu non excusat à peccato mendacii S. Doctor, sed accusat: *Quia*, inquit, *malus fuit, utpote ab idolatria Ieroboam non recedens.* Nec obest quod dicitur 4. *Reg.* 10. ipsum studiosè egisse quod rectum erat. Non, inquam, obest; quia ut optimè idem Angelicus Magister interpretatur, commendatus fuit, & temporaliter etiam remuneratus, non pro simulatione, sed pro zelo, quo destruxit cultum Baal. Substantiam ergo operis per se boni laudavit Deus, circumstantias simulationis, vel etiam vitiatæ, si quæ contigit, intentionis reprobavit. Deus enim purus & summus, bonus in opere, bonitatem à malitia discernens & examinans sicut examinatur argentum, nihil boni invenit, quod non muneret; nihil mali, qood non castiget. Sunt enim pleraque opera nostra mixta, & malitiæ ac bonitatis confusione concreta, ut aliàs demonstravimus.

Denique quantum ad Naham Syrum, eorum opinioni ut probabiliori subscribo, qui eum peccati damnant, quòd in templo Remnon adoravit, vel adorare simularit, 4. *Reg.* 5. Nec obstat illud ab Elizeo videri fuisse permissum, dum dixit, *Vade in pace*, Non enim facultatem concessit Propheta, sed malum quod prohibere, & impedire non poterat, per patientiam toleravit. Scio Cajetanum, & Burgegesem, aliosque opus illud Naham excusare; quia, inquiunt, genuflexio facta cum Rege non erat adoratio etiam simulata Idoli, sed merè per accidens subsequebatur, vel concomitabatur genuflexionem Regis, ut procumbentem & cernuum urbanitatis gratiâ sustineret. Sed hæc subtilitas non videtur solida: etenim ex illa genuflexione rationabiliter conjicere & credere poterant Rex, aliique circumstantes, Nahamum relicto Judaïsmo ad Gentilismű transfugisse, subindeque Judaïsmum falsam esse religionem. At autem D. Thomas suprà laudatus: *Confiteri fidem est de necessitate salutis in aliquo loco & tempore, quando scilicet per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, putà si ex hoc crederetur, vel quod quis non haberet fidem, vel quod fides non esset vera.* Unde & ipse Naham conscientiâ actus rogavit Elizeum, quod deprecaretur Dominum, ut sibi ignosceret. Cui Elizeus respondit: *Vade in pace*, non ad declarandum opus illud non esse peccatum, ut interpretatur M. Serra; sed ad declaraodam peccati remissionem: sicut & Veritas Magdalenæ pœnitenti similiter dixit: *Dimittuntur tibi peccata tua, vade in pace.*

Non obstat etiam si dicas cum P. Gonet hujusmodi inclinationem non minùs potuisse Nahamo permitti, quàm permittitur famulis, & famulabus heros & dominas in infidelitate degentes ad templa & synagogas suas, secluso subversionis periculo comitari, ibique eis famulari. Non obstat, inquam, ob latam quæ intercedit disparitatem. Hic namque comitatus, hæc solitorum officiorum exhibitio de se nullam falsæ religionis professionem, sed merum servilis conditionis ministerium significant. At verò inclinatio, & genuflexio est cæremonia ex omnium gentium instituto ad ei exhibendum cultum destinata, cui defertur, & coram quo exercetur. Unde non minùs peccatum est corpore eorum idolo prosterni, quàm idolum verum esse Deum voce fateri; cùm juxta veridicam Angelici Magistri sententiam, nulla alia mendacium inter, & simulationem distinctio intercedat, nisi quod mentiens verbis significat quod non est; simulans verò idipsum factis, signis, gestibusque designat.

Instabis: Ex causa licet servare legalia Judæorum, ut patet exemplo Petri propterea à Paulo *Galat.* 2. reprehensi. Quinimò ipsemet Paulus in illudmet, quod reprehenderat, incidens, vel potiùs talem legalium professionem in necessitate licitam judicans, Timotheum circumcidit, *Act.* 16. & sacrificium more Judaïco obtulit, *Act.* 2. Denique Æthiopes Christiani communi usu circumcisionis ritum non tanquam Judaïcam ceremoniam, sed ad Christi pueri circumcisi imitationem etiamnum retinent: nec eorum morem Romana damnat Ecclesia, sed eum excusat Cajetanus 3. *p. quæst.* 37. *art.* 1.

Hoc argumento convicti, vel potiùs decepti quidam recentiores, fatentur Christianum posse falsam sectam simulare, non strictè, inquiunt, sed largè, & materialiter; id est, licitum est cæremoniis sectæ reprobæ uti, non tanquam illicitis, sed tanquam indifferentibus, modò ab ipsis possit ratio cultus separari, non adsit scandalum, & fides non obscuretur. Sed hæc doctrina non solùm larga est, & materialis, sed etiam scandalosa, & piarum omnium aurium offensiva, atque à consuetudine Ecclesiæ, & à sanctorum omnium Martyrum praxi immensùm abhorrens. Imò & ipsæ, quas addit, conditiones secum pugnant, & sententiam illam petimunt: impossibile enim est à cæremoniis falsæ religionis semel institutis, & probatis posse hìc & nunc rationem cultus, & publicæ professionis moraliter separari. V. g. quamvis Cœna Calviniana de se sit indifferens (parum enim panis deglutire, parum vini ebibere per se innoxium est;) tamen prout ab hæreticis Calvinistis cum solemnitate solita usurpatur, per se est Calvinianæ sectæ protestativa: & per mentem præscindere rationem cibi & rationem cæremoniæ, ut quibusdam laxonibus licuit insanire, est reverà nugari, & falsam religionis professionem indulgere. Quia nimirum religionis cujuslibet cæremoniæ per se sunt ad illam significandam institutæ, imò ipsæ sunt propria, & characteristica religionis signa.

Ad argumentum ergo dicendum cum D. Thoma 1. 2. *quæst.* 103. *art.* 1. *ad* 7. ante promulgationem Evangelii legalia quidem mortua fuisse, nequaquam

verò mortifera; & ideò Apostoli ea aliquando usurpabant, non in protestationem Judaïsmi, sed ut synagoga cum honore sepeliretur. Ait tamen S. Doctor *ad* 2. post Augustinum, Petrum venialiter peccasse, non quia ad tempus ea servabat, sed quia nimiam, & anxiam circa ea diligentiam observabat, timens ubi non erat timor, veritus scilicet, ne Judæi à Gentibus separarentur. Quantum verò ad Æthiopes, non ad simulandum Judaïsmum circumcisionem adhibentes, sed ad pueri Jesu octavo die circumcisi patientiam imitandam: Respondeo hunc usum esse abusum, ut ex professo ostendimus agentes de mysteriis vitæ Christi *dissert.* 8. *cap.* 2. *specul.* 3. vide ibi.

Urgebis: Licitum est secundùm aliquos non respondere judici etiam publicâ authoritate in odium fidei de religione interroganti; quia cùm judex injustè interroget, non inducit respondendi obligationem: sed silentium illud est tacita falsæ religionis professio; qui enim tacet, consentire videtur: Ergo saltem ad vitandum ingens aliquod damnum licet & veram religionem dissimulare, & falsam simulare.

Respondeo falsissimum esse, interrogationem à tyranno & judice persequente factam, nullam inducere respondendi, fidemque impavidè profitendi obligationem; expressè enim S. Doctor enumerans casus, in quibus fidei professio urget, loco superiùs memorato istum designat: *Putà*, inquit, *si quis interrogatus de fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel quod fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur à fide.* Patet autem, hæc omnia continuò ex silentio coram judice publica authoritate, iniquè licèt interrogante, esse sequutura.

Insistes: Licitum est uti vestibus externis ad designandam aliquam falsam sectam ex hominum vulgari usu, & beneplacito institutis. Sic Mercatores Christiani in Oriente negotiantes, turbantem, seu cydarim gestant. Sic viri Apostolici infidelium terras peragrantes, infidelium quibus conviyunt, vestitu & victui sese accommodant, omnibus omnia facti, ut omnes lucrifaciant. Sic duces, militesque Christiani Turcarum vexillis utuntur, ut eos illo stratagemate vincere possint, vel ne ab eis victi capiantur. Atqui hæc omnia fieri nequeunt absque falsæ sectæ simulatione, & veræ religionis dissimulatione. Ergo licitum est falsam religionem simulando profiteri, & veram dissimulando occultare.

Respondeo, Theologos hac in re esse divisos. In primis Cajetanus nimis, ut crediderim, severus, formaliter docet, quod sicut mortaliter peccaret, si quis diceret se esse Judæum; ita mortaliter peccaret, si uteretur veste, aut birreto, aut quocumque alio signo proprio Judæis in illa patria, aut proprio Mahumetanis. Alii, ut opinor, nimis largè existimant, non solùm licere uti signis infidelium, non ad solam religionem, sed & ad nationem discernendam institutis; verùm etiam signis ad distinctionem religionis præscriptis, qualis est pileus flavus, quem Judæi in Comitatu Avenionensi deferunt. Quin addit P. Gonet, sacerdotem Gentilem, aut Turcicum, Christianum factum posse sacerdotii Gentilis vel Turcici deferre vestes, utpote ad tegendum humanum corpus primariò institutas. Ego verò mediâ, & tutâ viâ incedendum arbitror, dicendo licere quidem uti signis infidelium, quæ non sunt infidelitatis, sed nationis characteres. Exigit enim christiana prudentia, discretio, & charitas, ut semoto scandali periculo iis in victu, & vestitu conformemur, quibuscum degimus. Sic turbante, & veste talari Turcarum tutò utuntur nostri Mercatores Constantinopoli: sic Anglicanis vestibus rectè induunt se Sacerdotes absconditi, & sic de aliis; & tunc verum est illud tritum adagium: *Cùm fueris Romæ, Romano vivito more: cùm fueris alibi, vivito sicut ibi.* Nullatenus tamen licere censeo illa adhibere signa, quæ in ipsa natione ad designandam religionem sunt specialiter instituta, quales sine dubio sunt vestes sacerdotales; quia licèt quà vestes ad tegendum corpus sint primariò institutæ (ut sic solvatur cavillus adversæ sententiæ,) tamen quà sacerdotales, seu in illa forma & figura, quam soli deferunt Sacerdotes, & non alii, religionis falsæ ministerium, subindeque ejusdem professionem per se designant, ad illudque designandum per se sunt institutæ, aliàs non essent singulari illo modo fabricatæ. Quare positâ consuetudine, & suppositâ institutione omnibus nota, non possunt inter indifferentia computari. Et quamvis absolutè ab illa possint significatione separari, hoc tamen nihil est, quia etiam verba possunt à solita in aliam significationem transferri; & tamen nemo licitè potest verbis usu receptis, & communiter frequentatis falsam profiteri religionem.

Unde in casu, quo esset lex, vel Regis edictum præcipiens Christianis certum gestare signum, quo se ab aliis sectis distinguerent, nunc distinguendum esset. Nam vel Princeps talem ferens legem daret locum Christianis, ut pacificè degerent in regno suo, & omnes Christiani signum illud deferrent, sicut Avenione ferre solent Judæi; & tunc Christianus signum illud ferre omittens, vel erubescens, manifestè religionem proderet, & mortaliter peccaret, utpote communem Christianismi tesseram ab aliis Christianis gestatam omittens, & more infidelium procedens. Vel Princeps nullum patentem Christianum pateretur in regno suo, statueret tamen communem Patriæ vestem esse professionem Gentilismi, vel alterius sectæ infidelis; & tunc liceret occultare fidem, & communem patriæ vestem induere; quia tunc nullum adest divini honoris læsi periculum, nec tunc aliquo certamine agitur Christi causa, nec Christianus vocatur in testem fidei, ut contingit in interrogatione facta à judice; nec aliquod speciale falsæ religionis signum assumitur, sed commune gentis indumentum, cui conformari licet, usurpatur.

Occasione etiam præcepti fidei non est prætermittenda doctrina, quam habet Angelicus Magister infrà *quæst.* 16. ubi docet *art.* 1. quod in veteri lege non dabantur specialia credendi præcepta, sed solùm unius Dei fides supponebatur. Cùm enim præcepta non imponantur nisi subditis, qui possunt recipere legem; prima autem subjectio hominis ad Deum fit per fidem, juxta illud: *Accedentem ad Deum oportet credere quia est*; & patet, quia fides est vitæ spiritualis principium: hinc manifestum est, fidem unius Dei lationi divinæ legis præsuppositam fuisse. Unde *Exod.* 20. & *Deuter.* 6. ante divinorum præceptorum promulgationem veluti confessionis fidei necessitatem Dominus præmisit dicens: *Ego sum Dominus Deus tuus*, &c. Alia autem specialiora præcepta Judæis non sunt imposita, quia recondita fidei arcana non erant genti carnali passim exponenda, sed ab unigenito Filio, qui est in sinu Patris, suo erant tempore resignanda. Lata tamen sunt in veteri lege præcepta negativa expressè infidelitatem, & maximè plurium Deorum cultum prohibentia, ut in omnibus ferè veteris Instrumenti paginis claret. Præcepta etiam confessionis, & professionis fidei sæpe sæpiùs sunt instituta, ut paret in illa bene longa diversarum ceremoniarum serie, quibus

quibus religio Judaica distinctos ab aliis sectis ritus religiosissimè observans, fidem suam propalam profitebatur.

Dices: *Eccli.2.* dicitur: *Qui timetis Dominum credite illi.* Ergo in veteri lege specialia erant credendi præcepta. Maximè quia Judæi tenebantur utique credere libris veteris Testamenti, qui sub lege continebantur; unde Dominus *Joan.15.* alludens ad librum Psalmorum, ait: *In lege scriptum est, Odio habuerunt me gratis.* Ubi libros veteris Testamenti ad legem veterem pertinere apertè indigitat.

Respondeo cum D. Thoma *ad 5.* quod in illa authoritate Eccl. præsupponitur fides, per quam credimus Deum esse, unde & præmittit: *Qui timetis Dominum.* Timor autem Domini manifestè fidem illius præsupponit. Quod autem addit: *Credite illi*, ad quædam credibilia specialia referendum docet, & præcipuè ad illa, quæ promittit Deus sibi obedientibus. Unde subdit: *& non evacuabitur merces vestra.* Quod si instes, & dicas S. Præceptorem in illa responsione argumenti videri sibi ipsi & doctrinæ traditæ contradicere, in corpore namque ait, quod supposità fide unius Dei, nulla alia præcepta in veteri lege sunt data de fide; & solutione *ad 5.* non negat, quin respectu specialium quorumdam credibilium sit datum præceptum. Respondebo facilè, quia Doctor Sanctus in corpore loquitur de secretioribus fidei mysteriis, puta Trinitate, Incarnatione, aliisque ab unigenito Filio deregendis. In responsione verò *ad 3.* argumentum loquitur de aliis specialibus credibilibus, quæ in veteris Testamenti libris continentur, & à Prophetis prædicabantur. Et quamvis libris veteris Testamenti receptis omnes credere tenerentur, non tamen explicita omnium in eis contentorum fides à singulis desiderabatur.

Observanda est etiam doctrina articuli secundi ejusdem quæstionis, ubi tradit Divinus Magister, quod circa scientiam & intellectum veritatum fidei data sunt præcepta secundùm tria, quæ in illis considerari possunt, acquisitionem scilicet, usum, & conservationem. Acceptio, seu acquisitio, quæ contingit per doctrinam, & disciplinam, præcipitur in lege, dum dicitur Deuter.6. *Erunt verba hæc, quæ ego præcipio tibi, in corde tuo:* (ecce disciplinam, pertinet enim ad discipulum cor iis, quæ sibi dicuntur, applicare:) *Et narrabis ea filiis tuis:* (ecce doctrinam, quâ filii, & discipuli imbuuntur.) Et Deut.4. *Docebis ea filios tuos, & nepotes tuos.* Quibus patet, urgentiora & expressiora dari præcepta de doctrina, quàm de disciplina; quia doctrina pertinet ad majores, qui cùm sint sui juris, majorique polleant judicii lumine, & libertatis amplitudine, immediatiùs quadantenus divinæ legi subjiciuntur. Usus verò est seria, & profunda eorum meditatio, quæ scire, vel intelligere tenemur; & hoc sacrum, & perutile exercitium præcipit Scriptura post verba relata: *Et meditaberis ea sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque consurgens.* Quibus verbis quantùm debeamus in divinæ legis, cœlestiumque veritatum studio esse assidui, mirum & energicum in modum declaratur. Quod tamen non ita intelligendum putes, ut homo dormiendo legem Domini meditari possit, aut debeat: sed sensus est, quod homo & dum dormitum vadit, & dum inter dormiendum expergesit, aliquod divinæ veritatis, & legis mysterium, vel mandatum mente versare, & veluti mandere debet mente, quæ dicitur os spirituale, juxta illud: *Os justi meditabitur sapientiam.* Quia & per hoc meliora adipiscetur phantasmata, & somnia frequenter honestiora experietur; imaginationem enim species in vigilia partæ occupant. Denique conservatio habetur per firmam, tenacemque memoriam; & ideo subdit sacer textus laudatus: *Et ligabis ea quasi signum in manu tua.* Eruntque, & movebuntur inter oculos tuos, scribesque ea in limine, & ostiis domus tuæ. Quod jugem divinæ legis memoriam nullâ unquam liturâ, vel oblivione delendam significat. Porrò Clerici, & Sacerdotes legant, quæso, solutionem D. Thomæ *ad 3.* ubi observat, in lege non mandari sacerdotibus addiscere scientiam, sicut Regibus *Deuter.17.* imperatur; quia, inquit, scientia est adeò annexa eorum officio, ut simul cum injunctione officii intelligatur simul injunctio doctrinæ legis.


REFLEXIO.

Exigit sanè religionis, fideique nostræ bonitas causæ, ut ore eam, factisque confiteamur, utque cùm de ea agitur, omnis ignavus rubor, omnis verecundia procul amandetur. Nam teste Veritate Luc.9. *Qui me erubuerit, & meos sermones, hunc Filius hominis erubescet, cùm venerit in majestate sua.* Et sanè de veritate religionis subdubitare videtur, qui eam summa libertate, & erecto animo non confitetur. Quia ut dixit Tertul. lib.7. adversus Valent. cap.1. *Nihil veritas erubescit, nisi solummodò abscondi.* Hinc magnus Ambrosius postquam *lib.10. in Lucam*, trinam negationem quadantenus excusare, & ad bonum sensum redigere conatus est, considerans tamen debuisse Petrum absque ullis ambagibus, & verborum involucris clarè, aperteque Christum Dominum confiteri, excusationes pro illo adhibitas sic retractat: *Sed nos excusamus, Dominus ipse non excusavit. Non enim satis est involuta responsio confitentis Jesum, sed aperta confessio. Quid prodest verba involvere, si videri vis denegasse?*

Heu! quot Christianos quotidie cernimus non coram Tyrannis minantibus, vel cruciantibus, sed in facie, & in pace Ecclesiæ Christum, sermones ejus, & Evangelium erubescentes; qui tamen signo crucis in fronte, dum confirmarentur, signati sunt, ut malum pudorem abstergant, crucisque Christi ignominiam honori ducant, & ornamento? Et postquam Christus non confusus est nos vocare fratres suos, confunduntur ipsi, dum & veritates intrepido docere animo, & sacras Evangelii maximas ad praxim redigere opus est. Et quod magis dolendum, nec minùs verum est, illos ipsos, qui malum atritâ fronte sine pudore perpetrant (quod tamen pudore natura perfudit,) solius boni pudet. Hinc videmus tam multos scelerato silentio mala amicorum dissimulare, quibus unâ poterant fortassis monitione mederi. Hinc nonnullis modestia, parcitas, humilitas dedecori sunt, nec ad aliam exigunt mores suos regulam, quàm ad opinionem, Gallicè, *que dira-t'on?* Hos non lex regit, sed consuetudo; non timor Dei, sed mundi; utque hominibus placeant, servi Dei esse desierunt, dicente Apostolo: *Si hominibus placerem, servus Christi non essem.* Opportunè Magnus Gregor. hom.32. in Evang. *Si nomen Christi in tantum hodie gloria non esset, tot professores Christi sancta Ecclesia non haberet. Non ergo ad probationem fidei vox sufficit professionis, quam defendit à verecundia professio generalitatis. Et tamen ubi se quisque interroget, ut in confessione Christi se veraciter probet, si non jam nomen ejus erubescit, si plena virtute mentis humanum pudorem subdidit. Certè enim persequutionis tempore erubescere poterant fideles substantiis nudari, de dignitatibus dejici, verberibus affligi. Pacis autem tempore, quia hæ in nostris persequutionibus desunt, est aliud ubi ostendamur nobis. Veremur sæpè à proximis despici, dedignamur*

injuriæ

injurias verbis tolerare : Si contingat jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale dum hujus vita gloriam quarit, humilitatem respuit. Pensemus facta veritatis, ut videamus quò jaceant nostra pravitatis actiones.



DISSERTATIO III.

De virtute spei, & dono timoris.



Frustra tam immensa bona fides veritati divinæ innixa detegeret, nisi ea aliquando rerum cum Dei gratia obtenturos nos sperare liceret. Frustra fides attingeret inaccessa, deprehenderet ignota, comprehenderet immania, apprehenderet novissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu, ut loquitur Bernardus, circumdaret, nisi ad illam æternam lucem, & præmonstratum bonum spes, quæ non confundit, tota festiva tenderet, ut secura perveniret. Melius profectò esset cœlestia ignorasse bona, quàm ab eis semel notis acquirendis animum despondere suum. Aspera sunt, non inficior, ardua, & difficilia quæcunque in excelsis posita sunt: sed ille idem, qui illa credentibus revelavit verus Deus, eadem dare potest omnipotens Deus, eadem promisit benignus Deus: quidni promissa persolvet fidelis Deus? *Dicit fides* (inquit Bern. serm. 10. in Psal. Qui habitat,) *parata sunt magna, & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa servantur.* Et præclarè August. lib. 22. de Civit. cap. ultimo: *Præmium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, qui seipsum, quo nihil majus esse potest, promisit.* Ergo macte animo, Lector, ne cunctèris abjicere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, ut uni christianæ spei tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ totâ animi devotione, toto spiritus fervore inhæreas. Sed ne in reflexionem orationis impetu, & hujus amabilissimæ virtutis flatu abripiamur, priùs speculativas considerationes de more præmittere operæpretium est, quàm ut in æterna bona suspiremus. Spei autem tractationem timori cum D. Thoma conjungimus, quia ut alicubi Moralium scriptum reliquit Magnus Gregorius: *De spe in cassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit.*

CAPUT I.

Virtutis spei objectum, subjectum, & præcepta traduntur.

Supponit titulus, spem esse virtutem strictè sumptam, quidquid in contrarium scripserit Durandus *in* 3. *dist.* 20. Etenim, ut rectè discurrit S. Doctor *quæst.* 17. *art.* 1. virtus strictè sumpta illa est, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Ergo ubicumque invenitur bonus actus, debet ipsi sua correspondere virtus, à qua expeditè, facilè, & suaviter eliciatur. Sed actus spei bonus est, bonitas quippe actus in attingentia, seu consequutione suæ regulæ posita est; nam perfectio cujuslibet rei mensuratæ, ad regulam veluti ad amussim exigitur: actus autem spei attingit regulam sibi debitam. Nam cùm ex una parte duplex sit regula humanorum actuum, una proxima & homogenea, scilicet ratio; alia heterogenea & excedens, scilicet Deus, ex quarum qualibet haurit humanus actus bonitatem: ex alia verò parte actus spei Deum, quem desiderat, immediatè attingat, ut ex sequentibus apparebit, manifestè relinquitur, actum spei attingere primam, & indefectibilem regulam, & totius humanæ bonitatis archetypum.

Nec objectio Durandi urget, dum ait, virtutem perfectam esse habitum potentiam in ultimo perfectionis actu debitæ constituentem, cùm sit ultimum potentiæ, & dispositio perfecti ad optimum: spes autem est dispositio imperfecti, cùm sperans re speratâ careat. Non urget, inquam, quia ut optimè respondet S. Thomas ad 3. ille qui sperat, est quidem imperfectus, si consideretur id, quod sperat obtinere, quod nondum habet; sed est perfectus quantum ad hoc, quod jam attingit primam regulam, scilicet Deum, cujus auxilio innititur. Unde & spes in ultimo potentiam ponit, quia in statu viæ ulteriorem perfectionem non exigit: habere namque rem speratam, eaque frui, non est de perfectione actus pro hoc statu, sed est beatitudinis futuræ consummatio; non est conditio viæ, sed est felicitas patriæ, quam tamen spes prægustat, & homines præpropere beatos facit; unde & vocatur gaudium ante gaudium, & possessionis futuræ inchoatio, dicente Chrysostomo: *Spes gloriam inchoat, & sustinendo consummat.*

Cætera, quæ de ratione virtutis circa spem tractari possent, ex dictis dum de fide, elucidata manent, & proportione servatâ fidei applicari debent. Quare eæ solùm difficultates supersunt ventilandæ, quæ objectum, subjectum, & præceptum illius concernunt.

SPECULATIO I.

Ad solum Deum summum bonum, visione futurâ possidendum tendit spes: Soli Deo innititur, ut ipsum assequatur.

Hæc plena solatii speculatio objectum terminativum, & motivum, seu ut aiunt, *objectum quod*, & *objectum quo*, spei nostræ declarat, estque tota ferè totidem verbis ex D. Thoma deprompta. Etenim S. Doctor *art.* 1. probaturus spem esse virtutem specialem, id ostendit ex objecto specificativo, hoc modo: *In quantum speramus aliquid ut impossibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cujus auxilio innititur.* Et ideo patet, quod spes est virtus. Et *art.* 2. tractans de objecto proprio spei, sic divinè discurrit: *Spes, de qua loquimur, attingit Deum, innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum. Oportet autem effectum esse causæ proportionatum; & ideo bonum quod propriè & principaliter à Deo sperare debemus, est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis. Nam infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita æterna, qua in fruitione ipsius Dei consistit: Non enim aliquid minus ab eo sperandum est, quàm sit ipse, cùm non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quàm ejus essentia.* Ubi S. Doctor assignat pro objecto *quod*, seu terminativo spei beatitudinem futuram, tam formalem, quàm objectivam: pro objecto verò motivo, seu *quo*, assignat ipsummet Deum ut auxiliatorem; cui misericordiæ opitulatrici unicè confidit fides nostra. Quod totum in disputatis quæstione unica de spe, inculcat, & confirmat idem Angelicus Doctor his verbis: *Spes adipiscendi vitam æternam habet duo objecta*

cta, scilicet ipsam vitam æternam, quam quis sperat ; & auxilium divinum, à quo sperat : sicut etiam fides habet duo objecta, scilicet rem quam credit, & veritatem primam, cui correspondet. Fides autem non habet rationem virtutis, nisi in quantum inhæret testimonio veritatis primæ, ut ei credat quod ab ea manifestatur, secundùm illud Genes. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Unde & spes habet rationem virtutis ex hoc ipso, quod homo inhæret auxilio divinæ potestatis ad consequendam vitam æternam.

Ex quibus omnibus locis tota simul speculatio suadetur. Ad objectum virtutis spei duo essentialiter exiguntur, scilicet futura beatitudo, quæ in fruitione Dei visi consistit; & auxilium divinum, quo innititur, vel potiùs ipsa Dei omnipotentia misericorditer præparans, offerens, & conferens auxilia ad æternum illud bonum adipiscendum necessaria; ita ut altero eorum deficiente, essentialis ratio spei destruatur. Ergo utrumque illorum ingreditur rationem formalem objecti spei, cùm habitus non destruatur, nisi deficiente objecto formali, & maneat semper illo subsistente. Atqui illa duo non ex æquo, & tanquam disparata, sed ordine quodam se habendo ingrediuntur objectum spei, ut ex illis coalescat unum totale objectum specificans; quod utique fiet, si unum sit objectum formale, quod respicit; alterum objectum formale, cui spes tota innixa est, ut contingit in fide, cujus objectum formale *quod* est Deus, sub ratione primæ veritatis in essendo; objectum verò formale *cui* est prima veritas ut revelans: Ergo solùm Deum possidendum respicit spes tanquam objectum *quod*, solique Deo omnipotenti auxiliatori innititur, ut ipsum assequatur. Ambæ consequentiæ, sicut & minor, assumptæ sunt per se notæ penetrantibus terminos: sola major probanda est.

Et quidem prior majoris pars asserens beatitudinem futuram, Deum scilicet visione & fruitione possidendum, esse objectum quod respicit spes, suadetur sic. Illud est de ratione formali objecti spei, per quod spes ab omnibus aliis virtutibus distinguitur, & quo posito datur spes; quóve sublato, tollitur. Talis autem est beatitudo sperata: tum quia ita expressè tradit D. Thomas quæst. 17. sequenti, art. 2. *Spes*, inquit, *recipit speciem à suo objecto principali: objectum principale ejus est beatitudo æterna secundùm quod est possibilis haberi ex auxilio divino*; & ideo probat, non manere spem in Beatis, quia illis beatitudo non est futura & possidenda, sed præsens & possessa. *Et subtracto eo*, inquit initio corporis, *quod dat speciem rei, resolvitur species, & res non potest eadem remanere: sicut remotâ formâ corporis naturalis, non remanet idem secundùm speciem.* Tum quia spes in communi, ut diffinitur à D. Thoma 1.2. *quæst.* 40. *art.* 1. est motus, sive inclinatio habitualis, sive actualis in bonum futurum, arduum, & possibile; unde in objecto spei quatuor considerant cum D. Thoma Doctores: primò rationem boni, per quod differt à timore, qui refugit malum: secundò rationem boni futuri, seu non præsentis, per quod distinguitur à gaudio, & delectatione, quorum objectum præsens est; & ab amore, qui à præsentia, & absentia abstrahit: tertiò rationem ardui, per quod differt à desiderio, supra quod addit spes aliquem conatum ad evincendas difficultates emergentes; unde desiderium ad concupiscibilem, spes ad irascibilem appetitum spectat: quartò rationem boni possibilis, per quod differt à desperatione. Atqui hæ quatuor conditiones conveniunt bono sperato, scilicet Deo visione futura possidendo; est enim Deus clarè videndus bonus, & ipsa bonitatis essentia, ac totius felicitatis centrum: est etiam futurus, cùm non in hac vita, sed post mortem duntaxat, faciem suam Deus ostendat: est arduus, cùm omnes naturæ vires excedat supernaturalis visio Dei, & aliunde non nisi per arctas semitas æquitatis, & per angustam portam ad illam perveniatur; est denique possibilis, cùm & Deus bonum illud promiserit, & etiam illius desiderium cordi nostro implantaverit: desiderium autem à Deo nobis ingenitum, nec frustrari debet, nec ad impossibile ferri potest. Ergo per bonum speratum, Deum scilicet fruitione futura possidendum, spes ab aliis omnibus virtutibus distinguitur, subindeque bonum illud est objectum quod respicit.

Posterior ejusdem majoris pars, quod nimirum spes uni Deo omnipotenti auxiliatori, tanquam rationi formali innitatur, sic monstratur: Non solùm spes est divina, & virtus theologica, quia sperat bonum divinum; sed etiam quia sperat à Deo, illique innititur: nam si ab Angelo, vel homine vitam æternam speraret, spes esset humana, & Angelica, subindeque maledicta, cùm scriptum sit: *Maledictus qui spem ponit in homine.* Et in hoc essentialiter distinguitur spes humana à divina, quòd illa fragilibus creaturarum viribus freta, ista omnipotentissimâ divini Numinis potestate innixa est: eo planè modo, quo de fide superiùs dictum est, divinam una Dei revelatione, humanam solo hominum testimonio moveri. Et certè sicut spes non minùs à Deo sperat, quàm sit ipse; ita non minorem postulat adjutorem, quàm sit ipse Deus; quia ut præclarè suprà discurrebat S. Thomas: *Infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere.* Ergo si cuicumque alteri virtuti finitæ spes consideret, non esset virtus theologica, sed fallax, fragilisque fiducia, & inanis prorsus contentio, quæ in medio spatio fracta corrueret, & anté in ipso vitæ portu obrueretur, quam portum conspicere posset.

Solvuntur objectiones.

Dices: D.Thomas *quæst. unica de spe*, suprà citata, sic formaliter habet: *Objectum formale spei est auxilium divinæ pietatis, & potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum spei.* Ergo beatitudo sperata non ad objectum formale, sed materiale spei spectat.

Respondeo ibi S. Doctorem loqui de bonis, quos in ordine ad beatitudinem æternam speramus. Nam ut ait idem Angelicus Præceptor hic, art. 2. ad 2. *Spes principaliter quidem respicit beatitudinem æternam; alia verò, quæ petuntur à Deo, respicit secundariò in ordine ad beatitudinem æternam: sicut & fides principaliter quidem respicit Deum, & secundariò respicit ea quæ ad Deum ordinantur.* Quod si contendas, S.Doctorem eò loci loqui de beatitudine æterna, dico quod sicut medium demonstrationis appellatur objectum formale scientiæ, conclusio verò objectum materiale, quia conclusio, tametsi ad objectum formale scientiæ pertineat, habet quadantenus rationem objecti materialis respectu medii, quod est ratio assentiendi, quæ ut barbarè, sed expressivè dici assolet, formalizat conclusionem scitam: ita illud quod speramus, licèt sit formale respectu spei, est tamen aliquo modo materiale respectu rationis formalis, propter quam speramus.

Instabis: Cùm dicimus, beatitudinem æternam esse objectum formale spei, vel intelligimus de beatitudine formali, vel de beatitudine objectiva. Neutrum dici potest. Et primò non potest dici cum Durando, objectum formale spei esse visionem, & possessionem Dei; quia spes est virtus theologica, ut fatentur omnes Theologi, & sciunt omnes Christiani,

&

injurias verbis tolerare: Si contingat jurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere. Cor quippe carnale dum hujus vitæ gloriam quærit, humilitatem respuit. Pensemus facta veritatis, ut videamus quò jaceant nostræ pravitatis actiones.



DISSERTATIO III.

De virtute spei, & dono timoris.



FRUSTRA tam immensa bona fides veritati divinæ innixa detegeret, nisi ea aliquando rerum cum Dei gratia obtenturos nos sperare liceret. Frustra fides attingeret inaccessa, deprehenderet ignota, comprehenderet immania, apprehenderet novissima, ipsam denique æternitatem suo illo vastissimo sinu, ut loquitur Bernardus, circumdaret, nisi ad illam æternam lucem, & præmonstratum bonum spes, quæ non confundit, tota festiva tenderet, ut secura perveniret. Melius profectò esset cœlestia ignorasse bona, quàm ab eis semel noris acquirendis animum despondere suum. Aspera sunt, non inficior, ardua, & difficilia quæcunque in excelsis posita sunt: sed ille idem, qui illa credentibus revelavit verus Deus, eadem dare potest omnipotens Deus, eadem promisit benignus Deus: quidni promissa persolvet fidelis Deus? *Dicit fides* (inquit Bern. serm. 10. in Psal. Qui habitat,) *parata sunt magna, & inexcogitabilia bona à Deo fidelibus suis. Dicit spes: Mihi illa servantur.* Et præclarè August. lib. 22. de Civit. cap. ultimo: *Premium virtutis erit ipse qui virtutem dedit, qui seipsum, quo nihil majus esse potest, promisit.* Ergo macte animo, Lector, ne cuncteris abjicere spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, ut uni christianæ spei tam solidæ, tam perfectæ, tam beatæ totâ animi devotione, toto spiritus fervore inhæreas. Sed ne in reflexionem oratioois impetu, & hujus amabilissimæ virtutis flatu abripiamur, priùs speculativas considerationes de more præmittere operæpretium est, quàm ut in æterna bona suspiremus. Spei autem tractationem timori cum D. Thoma conjungimus, quia ut alicubi Moralium scriptum reliquit Magnus Gregorius: *De spe in cassum præsumit, qui timere Deum in suis operibus renuit.*

CAPUT I.

Virtutis spei objectum, subjectum, & præcepta traduntur.

SUpponit titulus, spem esse virtutem strictè sumptam, quidquid in contrarium scripserit Durandus in 3. *dist.* 20. Etenim, ut rectè discurrit S. Doctor *quæst.* 17. *art.* 1. virtus strictè sumpta illa est, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Ergo ubicumque invenitur bonus actus, debet ipsi sua correspondere virtus, à qua expeditè, facilè, & suaviter eliciatur. Sed actus spei bonus est, bonitas quippe actus in attingentia, seu consequutione suæ regulæ posita est; nam perfectio cujuslibet rei mensuratæ, ad regulam veluti ad amussim exigitur: actus autem spei attingit regulam sibi debitam. Nam cùm ex una parte duplex sit regula humanorum actuum, una proxima & homogenea, scilicet ratio; alia heterogenea & excedens, scilicet Deus, ex quarum qualibet haurit humanus actus bonitatem: ex alia verò parte actus spei Deum, quem desiderat, immediatè attingat, ut ex sequentibus apparebit, manifestè relioquitur, actum spei attingere primam, & indefectibilem regulam, & totius humanæ bonitatis archetypum.

Nec objectio Durandi urget, dum ait, virtutem perfectam esse habitum potentiam in ultimo perfectionis actui debitæ constituentem, cùm sit ultimum potentiæ, & dispositio perfecti ad optimum: spes autem est dispositio imperfecti, cùm sperans re sperata careat. Non urget, inquam, quia ut optimè respondet S. Thomas ad 3. ille qui sperat, est quidem imperfectus, si consideretur id, quod sperat obtinere, quod nondum habet; sed est perfectus quantum ad hoc, quod jam attingit primam regulam, scilicet Deum, cujus auxilio innititur. Unde & spes in ultimo potentiam ponit, quia in statu viæ ulteriorem perfectionem non exigit: habere namque rem speratam, eaque frui, non est de perfectione actus pro hoc statu, sed est beatitudinis futuræ consummatio; non est conditio viæ, sed est felicitas patriæ, quam tamen spes prægustat, & homines præproperè beatos facit; unde & vocatur gaudium ante gaudium, & possessionis futuræ inchoatio, dicente Chrysostomo: *Spes gloriam inchoat, & sustinendo consummat.*

Cætera, quæ de ratione virtutis circa spem tractari possent, ex dictis dum de fide, elucidata manent, & proportione servatâ fidei applicari debent. Quare ex solùm difficultates supersunt ventilandæ, quæ objectum, subjectum, & præceptum illius concernunt.

SPECULATIO I.

Ad solum Deum summum bonum, visione futurâ possidendum tendit spes: Soli Deo innititur, ut ipsum assequatur.

HÆc plena solatii speculatio objectum terminativum, & motivum, seu ut aiunt, *objectum quod*, & *objectum quo*, spei nostræ declarat, estque tota ferè totidem verbis ex D. Thoma deprompta. Etenim S. Doctor *art.* 1. probaturus spem esse virtutem specialem, id ostendit ex objecto specificativo, hoc modo: *In quantum speramus aliquid ut impossibile nobis per divinum auxilium, spes nostra attingit ad ipsum Deum, cujus auxilio innititur.* Et ideo patet, quod spes est virtus. Et *art.* 2. tractans de objecto proprio spei, sic divinè discurrit: *Spes, de qua loquimur, attingit Deum, innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum. Oportet autem effectum esse causæ proportionatum; & ideo bonum quod propriè & principaliter à Deo sperare debemus, est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis. Nam infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit: Non enim aliquid minus ab eo sperandum est, quam sit ipse, cùm non sit minor ejus bonitas, per quam bona creaturæ communicat, quàm ejus essentia.* Ubi S. Doctor assignat pro objecto *quod*, seu terminativo spei beatitudinem futuram, tam formalem, quàm objectivam: pro objecto verò motivo, seu *quo*, assignat ipsummet Deum ut auxiliatorem; cui misericordiæ opitulatrici unicè confidit fides nostra. Quod totum in disputatis quæstione unica de spe, inculcat, & confirmat idem Angelicus Doctor his verbis: *Spes adipiscendi vitam æternam habet duo objecta*

cta, scilicet ipsam vitam æternam, quam quis sperat ; & auxilium divinum, à quo sperat : sicut etiam fides habet duo objecta, scilicet rem quam credit, & veritatem primam, cui correspondet. Fides autem non habet rationem virtutis, nisi in quantum inhæret testimonio veritatis primæ, ut ei credat quod ab ea manifestatur, secundum illud Genes. 15. Credidit Abraham Deo, & reputatum est ei ad justitiam. Unde & spes habet rationem virtutis ex hoc ipso, quod homo inhæret auxilio divinæ potestatis ad consequendam vitam æternam.

Ex quibus omnibus locis tota simul speculatio suadetur. Ad objectum virtutis spei duo essentialiter exiguntur, scilicet futura beatitudo, quæ in fruitione Dei visi consistit ; & auxilium divinum, quo innititur, vel potiùs ipsa Dei omnipotentia misericorditer præparans, offerens, & conferens auxilia ad æternum illud bonum adipiscendum necessaria ; ita ut altero eorum deficiente, essentialis ratio spei destruatur. Ergo utrumque illorum ingreditur rationem formalem objecti spei, cùm habitus non destruatur, nisi deficiente objecto formali, & maneat semper illo subsistente. Atqui illa duo non ex æquo, & tanquam disparata, sed ordine quodam se habendo ingrediuntur objectum spei, ut ex illis coalescat unum totale objectum specificans ; quod utique fier, si unum sit objectum formale, quod respicit ; alterum objectum formale, cui spes tota innixa est, ut contingit in fide, cujus objectum formale *quod* est Deus, sub ratione primæ veritatis in essendo ; objectum verò formale *cui* est prima veritas ut revelans: Ergo solum Deum possidendum respicit spes tanquam objectum *quod*, solique Deo omnipotenti auxiliatori innititur, ut ipsum assequatur. Ambæ consequentiæ, sicut & minor, assumptæ sunt per se notæ penetrantibus terminos : sola major probanda est.

Et quidem prior majoris pars asserens beatitudinem futuram, Deum scilicet visione & fruitione possidendum, esse objectum quod respicit spes, suadetur sic. Illud est de ratione formali objecti spei, per quod spes ab omnibus aliis virtutibus distinguitur, & quo posito datur spes ; quóve sublato, tollitur. Talis autem est beatitudo sperata : tum quia ita expressè tradit D. Thomas quæst. 17. sequenti, art. 2. *Spes,* inquit, *recipit speciem à suo objecto principali: objectum principale ejus est beatitudo æterna secundum quod est possibilis haberi ex auxilio divino* ; & ideo probat, non manere spem in Beatis, quia illis beatitudo non est futura & possidenda, sed præsens & possessa. *Et subtracto eo*, inquit initio corporis, *quod dat speciem rei, resolvitur species, & res non potest eadem remanere : sicut remotâ formâ corporis naturalis, non remanet idem secundùm speciem.* Tum quia spes in communi, ut diffinitur à D. Thoma 1. 2. *quæst.* 40. *art.* 1. est motus, sive inclinatio habitualis, sive actualis in bonum futurum, arduum, & possibile ; unde in objecto spei quatuor considerant cum D. Thoma Doctores : primò rationem boni, per quod differt à timore, qui refugit malum : secundò rationem boni futuri, seu non præsentis, per quod distinguitur à gaudio, & delectatione, quorum objectum præsens est ; & ab amore, qui à præsentia, & absentia abstrahit : tertiò rationem ardui, per quod differt à desiderio, supra quod addit spes aliquem conatum ad evincendas difficultates eminentem ; unde desiderium ad concupiscibilem, spes ad irascibilem appetitum spectat : quartò rationem boni possibilis, per quod differt à desperatione. Atqui hæ quatuor conditiones conveniunt bono sperato, scilicet Deo visione fruitiva possidendo ; est enim Deus clarè videndus bonus, & ipsa bonitatis essentia, ac totius felicitatis centrum : est etiam futurus, cùm non in hac vita, sed post mortem duntaxat, faciem suam Deus ostendat : est arduus, cùm omnes naturæ vires excedat supernaturalis visio Dei, & aliunde non nisi per arctas semitas æquiratis, & per angustam portam ad illam pervenitur ; est denique possibilis, cùm & Deus bonum illud promiserit, & etiam illius desiderium cordi nostro implantaverit : desiderium autem à Deo rebus ingenitum, nec frustrari debet, nec ad impossibile ferri potest. Ergo per bonum speratum, Deum scilicet fruitione futura possidendum, spes ab aliis omnibus virtutibus distinguitur, subindeque bonum illius est objectum quod respicit.

Posterior ejusdem majoris pars, quod nimirum spes uni Deo omnipotenti auxiliatori, tanquam rationi formali innitatur, sic monstratur : Non solùm spes est divina, & virtus theologica, quia sperat bonum divinum ; sed etiam quia sperat à Deo, illique innititur : nam si ab Angelo, vel homine vitam æternam speraret, spes esset humana, & Angelica, subindeque maledicta, cùm scriptum sit : *Maledictus qui spem ponit in homine.* Et in hoc essentialiter distinguitur spes humana à divina, quòd illa fragilibus creaturarum viribus freta, ista omnipotentiæ divini Numinis potestate innixa est : eo planè modo, quo de fide superiùs dictum est, divinam una Dei revelatione, humanam solo huminum testimonio moveri. Et certè sicut spes non minùs à Deo sperat, quàm sit ipse, ita non minorem postulat adjutorem, quàm sit ipse Deus ; quia ut præclarè suprà discurrebat S. Thomas : *Infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere.* Ergo si cuicumque alteri virtuti finitæ spes confideret, non esset virtus theologica, sed fallax, fragilisque fiducia, & inanis prorsus contentio, quæ in medio spatio fracta corrueret, & autè in ipso viræ potiu obrueretur, quàm portum conspicere posset.

Solvuntur objectiones.

Dices : D.Thomas *quæst. unica de spe,* suprà citata, sic formaliter habet : *Objectum formale spei est auxilium divinæ pietatis, & potestatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata, quæ sunt materiale objectum spei.* Ergo beatitudo sperata non ad objectum formale, sed materiale spei spectat.

Respondeo ibi S. Doctorem loqui de bonis, quos in ordine ad beatitudinem æternam speramus. Nam ut ait idem Angelicus Præceptor hic, art. 2. ad 2. *Spes principaliter quidem respicit beatitudinem æternam; alia verò, quæ petuntur à Deo, respicit secundariò in ordine ad beatitudinem æternam : sicut & fides principaliter quidem respicit Deum, & secundariò respicit ea quæ ad Deum ordinantur.* Quod si contendas, S.Doctorem eò loci loqui de beatitudine æterna, dico quod sicut medium demonstrationis appellatur objectum formale scientiæ, conclusio verò objectum materiale, quia conclusio, tametsi ad objectum formale scientiæ pertineat, habet quadamtenus rationem objecti materialis respectu medii, quod est ratio assentiendi, quæ ut barbarè, sed expressivè dici assolet, formaliat conclusionem scitam : ita illud quod speramus, licèt sit formale respectu spei, est tamen aliquo modo materiale respectu rationis formalis, propter quam speramus.

Instabis : Cùm dicimus, beatitudinem æternam esse objectum formale spei, vel intelligimus de beatitudine formali, vel de beatitudine objectiva. Neutrum dici potest. Et primò non potest dici cum Durando, objectum formale spei esse visionem, & possessionem Dei ; quia spes est virtus theologica, ut fatentur omnes Theologi, & sciunt omnes Christiani, &

& demonstrat D. Thomas *art. 5.* Quia cum spes habeat rationem virtutis ex hoc, quod attingit supremam regulam humanorum actuum, cui conformatur; & primam causam efficientem, in quantum ejus auxilio innititur; & ultimam causam finalem, in quantum in ejus fruitione beatitudinem spectat, nulla erit virtus, quæ theologica dici possit, si spes inter virtutes theologicas non computetur. Si autem spes non ipsum Deum immediatè, sed solam visionem respiceret, spes non esset virtus theologica: nam ad rationem virtutis theologicæ non sufficit habere Deum pro objecto mediato, aliàs religio, & timor Domini essent virtutes theologicæ, quod nullus admittit, hac solùm ratione, quia prima aliquid creatum respicit, scilicet cultum Dei pro objecto; secunda verò, quia licèt habeat Deum pro objecto, à quo immineat malum; tamen non Deum primariò, sed malum ab ipso intentatum respicit: ergo spes habet pro objecto non solam visionem, sed etiam ipsum Deum videndum. Non potest etiam dici cum quibusdam Thomistis, quos sequitur P. Gonet, visionem, seu beatitudinem formalem non ingredi objectum spei, sed solam beatitudinem objectivam: nam Deus non est præcisè objectum spei nostræ, quà est bonus, & summum bonum, cùm ut sic sit etiam objectum charitatis; sed quatenus est bonum nostrum, nos beans, nobis conveniens, nobis sese ostendens, & se effundens larga sui communicatione possidendum. Atqui Deus ut nos beans, ut se communicans, ut se possidendum præbens, importat visionem, & fruitionem, quâ ipso præsenti potiti beamur: ergo objectum spei non sola beatitudo objectiva, sed ipsum etiam ingreditur beatitudo formalis.

Respondeo, ad objectum formale spei, & beatitudinem objectivam, & formalem pertinere; quamvis fatear, objectivam primariò & principaliùs, formalem secundariò, utramque tamen formaliter includi. Nam præter rationes inter objiciendum allatas, quas omnes probo, quia utramque beatitudinem ad objectum *quod* spei, inadæquatè tamen, pertinere arbitror; præter illas, inquam, est adhuc argumentum, quo vehementer permoveor: Quia secundùm D. Thomam & veritatem, possessio rei, & res ipsa possessa non sunt duo fines, sed unicus desideratus. Avarus quippe nec pecuniam sine possessione, nec possessionem sine pecunia, sed unum cum alio indivisum concupiscit: ergo objectum formale spei est Deus ut visione possidendus. *Bonum, quod propriè à Deo sperare debemus*, inquit D. Thomas suprà laudatus, *est bonum infinitum; hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione Dei consistit.* Ubi & beatitudinem objectivam, & formalem in ratione objecti spei involvit.

Sed urgebis: Ergo spes non habebit pro objecto immediato Deum, sed aliquid creatum, nempe visionem, subindeque non erit virtus theologica.

Respondeo, quod licèt fateamur visionem, seu potiùs Deum ut videndum esse objectum formale fidei, non tamen inde sequi, Deum non esse immediatum objectum spei. Ad cujus profundum, & clarum intellectum considerandum est, quod quemadmodum in causis effectivis inveniuntur tria, ratio agendi, actio & passio, & effectus: ita in bono, quod exercet causam finalem, est ratio movendi, seu ut barbarè dicitur, ratio finalizandi; ipsum movere seu finalizare, est effectus finis. Patet autem, quod licèt in principio activo multa concurrant, nimirum ipsum agens, virtus agendi, actio agentis, passio mobilis; hoc tamen non impedit immediationem agentis, si illud agens non mediet. Ergo similiter negandum non est, finem immediatè sperari, vel possideri, licèt interveniat motio, seu finalizatio finis, nimirum amor, & fruitio ipsius, & consequenter visio, & possessio ejus, quæ præsupponitur ad fruitionem. Ergo spes non desinet respicere Deum tanquam objectum immediatum, quanvis respiciat Deum visione, & fruitione possidendum. Sicut etiam secundùm adversarios, & omnes, spes in ratione sua *sub qua* immediatè respicit Deum, quantumvis ipsum non respiciat, nisi ut agat, subveniat, & ducat in ultimum finem. Quia nimirum sicut agens, & actio non ponunt in numero in ratione efficiendi effectum, qui rectè dicitur immediatè procedere ab agente; ita finis, & possessio non ponunt in numero in ratione movendi voluntatem, quæ rectè dicetur immediatè à fine allici, tametsi ab eo ut possidendo moveatur.

Insistes ex Gonet: Idem est objectum, in quod tendit motus desiderii, & in quo quiescit; sicut idem est locus, in quem tendit motus corporis gravis, & in quo, finito motu, quiescit. Atqui immediatum objectum fruitionis patriæ non est visio, sed solus Deus, qui solus satiat appetitum; unde August. lib. 10. confess. cap. 23. *Beata vita*, inquit, *est gaudium de veritate: hoc est de te, qui veritas es, Deus meus.* Ergo beatitudo formalis non ingreditur objectum formale spei.

Respondeo hoc argumento potiùs confirmari nostram sententiam; cùm enim hæc sit essentialis differentia inter desiderium, amorem, & fruitionem, seu gaudium, quòd desiderium rem absentem respicit, amor ab absentia & præsentia præscindit, gaudium verò & delectatio rei præsentiam ita essentialiter exigit, ut sine illa gaudium nec esse, nec concipi possit: manifestè relinquitur, objectum fruitionis patriæ non esse Deum præcisè, sed Deum ut præsentem & visione possessum. Quod usqueadeò verum est, ut per illam præsentiæ rationem à gaudio inspectam, distinguant Theologi attributum amoris, & delectationis in Deo. Unde manifestum est, beatitudinem formalem non esse solam conditionem objecti spei, sed ipsum objectum formale ingredi; cùm in objecto delectationis necessariò, & essentialiter importetur.

Urget ex alio capite Durandus: Objectum spei est objectum amoris concupiscentiæ, cùm per spem ad bonum nostrum suspiremus: sed Deus secundùm se non est immediatum objectum amoris concupiscentiæ, sed solùm possessio ejus; nam secundùm se Deus est amabilis propter se, non propter nos, aliàs Deus ad nos referretur, quod esset uti fruendis, quæ est perversitas perversitatum, teste Augustino. Ergo immediatum objectum spei est sola visio, & possessio Dei.

Respondeo, quod cùm Deus secundùm se sit bonum nostrum, & bonum nostrum sit objectum concupiscentiæ, planum est Deum secundùm se esse justæ concupiscentiæ nostræ objectum, non quod ad nos ordinetur, sed ad quod nos ordinamur; & in hoc habet rationem objecti concupiscentiæ. Nam, ut egregiè, & juxtà acutè discurrit Cajetanus, quot modis contingit aliquid esse bonum amantis, tot modis potest ab illo concupisci: contingit autem, Deum esse bonum nostrum, non quòd ipse sit propter nos, sed quia propter ipsum sumus: Ergo potest contingere aliquid ab amante concupisci, quod non ordinabitur ad amantem, sed ad quod potiùs se amans referet; quia in hoc consistit bonum amantis, si se totum ad Deum ordinet. Et confirmatur: Eadem est ratio de dato, ac de concupito; quia quod datur alicui, illi utique concupiscitur: sed aliquid potest

alicui

alicui dari, quod in ipsum quod ordinatur, sicut in mysterio Incarnationis Filius datus est nobis, ad quem tamen omnes nos ordinamur: Ergo similiter potest aliquid esse objectum amoris concupiscentiæ, licèt in amantem non referatur, sed amans in ipsum ordinetur; requiritur tamen ut bonum illud concupiscenti desideretur. Itaque licèt Deus non possit nisi perversè amari propter nos, potest tamen amari à nobis: & licèt in se sit amabilis amore amicitiæ, est etiam amabilis amore concupiscentiæ; quia etiam in se est bonum nostrum.

Persistit Durandus: Idem est objectum delectationis, & spei, servato duntaxat diverso modo præsentis & futuri; spes namque, & fruitio solùm tanquam via, & terminus, motus & quies distinguuntur. Atqui objectum immediatum delectationis non est Deus in se immediatè, seu beatitudo objectiva, sed sola formalis, seu visio: tum primò, quia objectum immediatum amoris concupiscentiæ, non est res distincta à subjecto, cui concupiscitur. V. g. qui concupiscit vinum, non ipsum, sed usum vini concupiscit; quia nimirum per amorem concupiscentiæ optamus bonum nostrum; res autem distincta fit nostra mediante usu. Constat verò, delectationem de Deo ad amorem concupiscentiæ pertinere; & quia non est amor benevolentiæ charitati, non spei correspondens; & quia habet pro objecto formali bonum utile, & delectabile. Tum secundò, quia idem est objectum delectationis, & desiderii: objectum autem immediatum desiderii non est Deus secundùm se, quia objectum desiderii est futurum, & Deus secundùm se præsens est; sola verò visio futura est. Tum tertiò, quia idem est objectum immediatum delectationis Beatorum, & tristitiæ damnatorum, objectum autem tristitiæ damnatorum non est Deus secundùm se, sed privatio visionis ejus, quia cùm Deum non diligant, de Deo secundùm se, & propter se spectato dolere non possunt. Tum denique, quia objectum delectationis est operatio, quia delectatio secundùm Philosophum operationem sequitur, perficit, & comitatur, sicut decor juventutem; & ad operationem, cujus est condimentum, ordinatur. Ergo non Deus immediatè, sed visio est objectum delectationis Beatorum.

Respondeo, delectationem non solùm ad amorem concupiscentiæ, sed etiam ad amorem amicitiæ pertinere. Non enim verus est amicus, qui de bonis amici non delectatur; & præcipuum beatorum gaudium circa bonum divinum propter Deum, quem summè diligunt, occupatur, quanvis secundariò circa felicitatem suam formalem versetur. Cùm ergo saltem amor amicitiæ feratur in Deum propter seipsum, falsum absolutè est, Deum secundùm se non posse esse objectum delectationis Beatorum. Ad primam probationem in contrarium dicendum in primis, falsum esse, objectum amoris concupiscentiæ non esse rem à subjecto distinctam; nam finis potest amari amore concupiscentiæ, etiam sit distinctus ab amante; nec qui vinum concupiscit, vinum ab usu distinguit, sed utrumque conjungit; quia ut sæpe dictum est, possessio rei, & res ipsa possessa non sunt duo fines, sed unicus. Ad secundam probationem dicunt aliqui, idem quidem esse objectum desiderii, & delectationis, sed non eodem modo; licèt enim bonitas divina secundùm se sit summè desiderabilis, sicut & delectabilis, desiderium tamen quia supponit rem absentem, aliquam supponit imperfectionem ex parte desiderantis, quâ caret delectatio. Meliùs tamen, & clariùs dici potest, desiderium ferri in Deum secundùm, se non præcisè, sed ut visione obtinendum, vel obtentu possibilem; unde & in Deum secundùm se, & in visionem possibilem, tanquam in objectum adæquatum fertur; sicut delectatio in Deum ut visione præsentem & possessum versatur. Unde nec sola visio, nec solus Deus, sed Deus ut videndus est objectum spei & desiderii, Deus ut visus objectum delectationis sempiternæ. Ad tertiam probationem dico, grandem esse disparitatem inter objectum delectationis Beatorum, & tristitiæ damnatorum: damnati enim, quia habent voluntatem perversam, & in malo obfirmatam, de solo malo pœnæ, non de malo culpæ dolent: at verò Beati, quorum voluntatis rectitudo est consummata, magis de bono divino in seipso gaudent, quàm de eodem in seipso effuso, & per visionem communicato. Ad ultimam dicendum, malè colligi, solam operationem esse objectum immediatum delectationis ex eò, quod consequatur operationem; inde enim solùm inferri rectè potest, operationem esse causam delectationis, quanvis aliunde non negem, operationem ipsam ingredi objectum delectationis, quatenus non est delectatio nisi de objecto per operationem præsente.

Consectaria momentosa.

Ex hactenus dictis multarum difficultatum resolutio sponte fluens paucis absolvetur.

Sequitur primò contra Vasquem, Turrianum aliosque recentiores, omnia bona, etiam creata, quæ à Deo sperare possumus, non pertinere ab objectum spei. Cùm enim spes sit virtus theologica, non potest habere objectum formale distinctum à Deo; unde bona creata ad beatitudinem æternam conducentia, non nisi ut objecta secundaria, & materialia respicit. Nec obest, quod homo multa alia bona, tum spiritalia, tum temporalia à Deo petere, subindéque sperare possit. Non obest, inquam, quia ut ait S. Thom. *quæst. 27. art. 2.* *Quæcumque alia bona non debemus à Deo petere, nisi in ordine ad beatitudinem æternam.* Non obest etiam, quod respectu hominis multa alia distincta à Beatitudine sunt ardua, quæ proinde spem excitare possunt. Non obest, inquam, quia ut præclarè docet idem S. Thomas ibidem ad 3. *Homini qui anhelat ad aliquid magnum, parvum videtur omne aliud, quod est eo minus. Et ideo homini speranti beatitudinem æternam, habito respectu ad istam spem, nihil aliud est arduum: sed habito respectu ad facultatem sperantis, possunt etiam quædam alia esse ardua, & secundùm hoc eorum potest esse spes in ordine ad principale objectum.*

Sequitur secundò, graves illas eruditorum Theologorum sententias, quas apud Authores videre est, asserentes rationem ardui pertinere ad objectum spei, vel bonitatem Dei, non secundùm se, sed ut relatam ad bonum nostrum amabile amore concupiscentiæ, pertinere ad objectum spei; has, inquam, sententias juxta D. Thomæ mentem intellectas, non esse à veritate alienas. Ad cujus evidentiam considerandum est primò, quod licèt arduitas, & difficultas objecti non possit allicere voluntatem nudè sumptam, quæ potiùs difficultate retrahitur, & deterretur; tamen voluntas spe munita, & divinæ omnipotentiæ confortanti, in qua omnia potest, innixa, arduitate, & difficultate non retardatur, vincitur, aut terretur, sed acuitur, & animatur. Unde præclarè Ambrosius: *De divina miseratione tunc sperandum amplius est, cùm præsidia humana defecerint.* Hinc etiam D. Thomas sæpe sæpius rationem ardui ponit in definitione spei, quam dicit esse inclinationem actualem, vel habitualem in bonum possibile, arduum, & futurum. Sed hæc ita intelligenda

sunt, ut ratio ardui non explicitè importetur in objecto spei, sed implicitè includatur, & supponatur: ideo enim spes in sola spe gratiæ cœlestis innititur, quia beatitudo æterna, quam concupiscit, ardua est.

Considera secundò, quod licèt ex charitate, quâ homo diligit seipsum, possit sibi desiderare bona supernaturalia, & bonorum omnium summum, scilicet Deum; si enim illa potest ex charitate proximo concupiscere, quidni sibi, cùm amor nostri ex charitate procedens sit regula amoris proximi, juxta illud: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: unde non rarò ex August. S. Thomas docet, quod charitas est virtus, quâ Deum videre, eoque perfrui desideramus; & quod amicitia concupiscentiam, seu desiderium rei amatæ includit. Licèt, inquam, hæc ita sint, attamen quia charitas non quærit quæ sua sunt, ideo S.Thomas tradens specificum characterem, quo spes à charitate distinguitur, sic discurrit art.6. quæst.17. *Potest aliquis inhærere alicui rei dupliciter: uno modo propter seipsum, alio modo in quantum ex eo in aliud devenitur. Charitas ergo facit hominem Deo inhærere propter seipsum, mentem hominis uniens Deo per affectum amoris, spes autem & fides faciunt hominem inhærere Deo, sicut cuidam principio, ex quo aliqua nobis proveniunt. De Deo autem provenit nobis & cognitio veritatis, & adeptio perfectæ bonitatis. Fides ergo facit hominem perfectè adhærere, in quantum principium est nobis perfectè cognoscendi veritatem. Credimus enim ea vera esse, quæ nobis a Deo dicuntur. Spes autem facit Deo adhærere, prout est in nobis principium perfectæ bonitatis; in quantum scilicet per spem divino auxilio innitimur ad beatitudinem obtinendam.* Ubi satis apertè insinuat, charitatem in hoc differre à spe, quòd charitas fertur in ultimum finem propter seipsum, spes verò in finem ultimum ut nostrum. Idem inculcat Doctor sanctissimus *art.*8. ubi docet, quod *spes, & omnis appetitivus motus ex amore derivatur: amor autem quidam est perfectus, quidam imperfectus: perfectus quidem est cùm aliquis secundùm se amatur, utputà cùm aliquis secundùm se vult alicui bonum, sicut homo amat amicum: imperfectus amor est, quo quis amat aliquid non secundùm ipsum, sed ut illud bonum sibi proveniat; sicut homo amat rem, quam concupiscit. Primus autem amor pertinet ad charitatem, quæ inhæret Deo secundùm seipsum; sed spes pertinet ad secundum amorem, quia ille qui sperat, aliquid sibi obtinere intendit.* Videtur ergo ex perpetua mente D. Thomæ, desiderium efficax beatitudinis, & amore concupiscentiæ Dei elici à spe, & per illum actum spem à charitate distingui; quatenus nimirum charitas respicit bonum divinum, amabile amore amicitiæ, spes verò respicit bonum divinum ut nostrum est amabile amore concupiscentiæ, qui actus etsi sit supernaturalis, non elicitur à charitate cùm in peccatore inveniatur, sed à virtute spei.

Verùm hæc cum hactenus dictis facile est conciliare. Duplex enim distinguendus est amor concupiscentiæ: primus, qui fertur in bonum nostrum præcisè ut nostrum est, non referendo illud in aliquid ulterius; alter verò, qui tendit quidem in bonum nostrum, sed non sub ratione boni nostri tantùm, sed tanquam ulteriori fini subordinatum. Secundo modo pertinet ad charitatem, quæ benè ordinata nobis ipsis propter Deum summum bonum exoptat, sicut & illud proximo concupiscit: sed priori modo pertinet ad spem, non quidem tanquam rationem formalem, sed tanquam aliquid præsuppositum, & inseparabile à ratione formali; ut enim summum bonum speremus, & ad eum obtinendum divinæ omnipotentiæ confidamus, præsupponitur bonum illud & esse arduum, & esse bonum nostrum. Ita præclarè D.Thomas infrà quæst.28.art.1.ad 3. *De Deo*, inquit, *potest esse spirituale gaudium dupliciter. Uno modo secundùm quod gaudemus de bono divino in se considerato: alio modo secundùm quod gaudemus de bono divino, prout à nobis participatur. Primum autem gaudium melius est, & hoc procedit principaliter ex charitate; sed secundùm procedit ex spe, per quam expectamus divini boni fruitionem.* Patet ergo, duplici modo nos posse bonum divinum optare, & de eo gaudere. Porrò in tantum amor concupiscentiæ dicitur ad spem pertinere, non quòd sit actus ejus, oppositum enim docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 27. *artic.* 4. & *quæst* 40. *art.*7. & *quæst.*62. *art.*4. sed quia spes amorem illum præsupponit, qui actus etiam in peccatore invenitur, non per auxilium supplens vicem charitatis, ut quidam dicunt, cum amor ille non sit actus charitatis, quæ tunc solùm fertur in bonum nostrum, quando illud ulteriùs in Deum refert; charitas namque & Deum propter ipsum, & amicos in Deo, & inimicos diligit propter Deum, ut Sancti dicunt. Amor ergo ille elicitur à voluntate auxilio divino adjuta, quæ ad amandum proprium bonum, sive naturale, sive supernaturale cognitum, non indiget habitu, cùm ad illud sit suapte naturâ satis inclinata; quia tamen bonum illud est supernaturale, exigit concursum supernaturalis ordinis cognitioni fidei correspondentem. Et advertendum est, Deum ut bonum nostrum posse à diversis respici; à spe, quatenus est bonum arduum auxilio Dei obtinendum; à desiderio, ut est bonum absens; à charitate, ut est congruum nobis ex charitate dilectis, quia charitas non solùm diligit amicum, sed eo frui desiderat, unde præcisè bonum nostrum non est objectum specificativum spei, sed ad illud præsupponitur. Dabit veniam pius Lector, si tot speculationibus eum nimis detentum occupavimus; nam præter plura loca S.Thomæ satis difficilia exposita, ut lectionis suæ fructus aliquis sibi constet, iis documentis eruditus poterit etiam ad illam puram charitatem suspirare, quæ ut ait S. Thomas quæst.17. art.5. ad 3. *facit propriè tendere in Deum uniendo affectum hominis Deo, ut scilicet homo non sibi vivat, sed Deo.* Quem amorem unicè sponsa quærit, hoc sponsus contentus est. *Purus amor*, ait Bernard. serm. 83. in Cant. *mercenarius non est: purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit.*

Sequitur tertiò, non solùm bonum nostrum esse objectum spei, sed etiam bonum alienum, & subinde sperare beatitudinem proximo, esse actum spei, non quidem directum, sed indirectum. Colligitur ex D. Thoma *art.*3. & probatur contra Turrianum, & alios modernos. Objectum formale, & specificativum, est beatitudo æterna possibilis, & futura cum auxilio Dei: quod autem bonum illud aliis, vel nobis optemus, & speremus, omninò per accidens est ad rationem essentialem spei: Ergo beatitudo proximi peræquè ac nostra habet omnes conditiones requisitas ad rationem objecti spei. Et certè, ut rectè argumentatur S. Doctor, sicut eadem est virtus charitatis, quâ quis diligit Deum, seipsum & proximum: ita eadem est virtus spei, quâ quis sibi, & proximo vitam sperat sempiternam.

Dices: Hoc magis pertinere videtur ad charitatem, quâ proximo volumus bonum ex benevolentia; quid enim est velle bonum, nisi amare? Ergo alicui velle bonum, & tale bonum quale est beatitudo, est opus amoris & charitatis, non spei.

Respondeo, quod si valeret hæc argumentatio, concluderet nullam dari virtutem spei, etiam respectu

nostri;

nostri, nam velle nobis beatitudinem, pertinere videtur ad charitatem, quâ nobis volumus summum bonum: quid autem est velle bonum, nisi amare? Quare sicut beatitudo respectu nostri potest considerari absolutè ut bonum nostrum, & sic terminat actum amoris concupiscentiæ, qui est actus secundarius charitatis, quâ & nos, & proximos ordinatè diligimus, ut superiori consectario diximus; vel ut est bonum arduum, & obtentu difficile, ad quod proinde divini adjutorii ope indigemus, & ei unicè innitimur; & hac ratione terminat actum spei: Similiter ergo beatitudinem proximi, ut est bonum illius, per actum secundarium charitatis concupiscimus, prout verò est bonum excelsum, & difficile, per spem illud volumus, eique pro virili cooperamur. Sic Paulus Philip. 1. *Confidens*, inquit, *hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu.* Et certè ea, quæ à Deo petimus, ab ipso obtinere speramus: à Deo autem petimus, ut alios ad beatitudinem æternam perducat, juxta illud Jacobi ultimo: *Orate pro invicem ut salvemini.*

Instabis, D. Thom. ait *art. 3.* actum sperandi beatitudinem proximo præsupponere unionem amoris cum illo: Ergo non ex spe, sed ex charitate proximo beatitudinem concupiscimus.

Respondeo aliquos D. Thomam interpretati de unione possibili, quatenus proximus potest nobis per charitatem esse unitus, subindeque ejus beatitudo potest ut nostrum bonum possibile æstimari, ac consequenter non minus, quàm nostra sperari. Sed hæc expositio violenta est, & falsa: nam si beatitudo proximi consideretur ut bonum nostrum possibile, & non ut bonum proximi, certè non illi, sed nobis bonum illud speramus. Alii S. Thomam intelligunt de unione amoris naturalis, quâ quilibet similem diligit, quâve præsupposita, possumus illi bonum sperare, quod est veluti bonum nostrum; quia in illum per amorem transformamur, & sic bonum illius fit nostrum amore amicitiæ. Sed videtur indicare S. Doctor, dum ait, quod præsuppositâ unione ad alterum, jam alteri potest quis vitam æternam desiderare, in quantum est ei per amorem unitus.

Dices rursum: Si sperare alteri beatitudinem esset actus spei, sequeretur quod quis per desperationem salutis proximi amitteret habitum spei, omnis quippe actus malus virtutis infusæ oppositus eam penitus destruit. Consequens autem est falsum, potest enim quis propriam salutem desperando de aliena desperare, purà de salute Antichristi.

Respondeo, certissimum esse, quod per actum desperationis positivum, quo quis de auxilio & misericordia Dei diffisus, de salute proximi desperaret, proculdubio spes amitteretur, cùm ratio formalis spei penitus destrueretur. Si tamen de salute alicujus desperemus, non ex divinæ misericordiæ diffidentia, sed ex certa malitiæ, & obstinationis reprobi alicujus notitia, tunc nullum spei amittendæ periculum subimus, sicut cùm de Antichristo desperamus. Porrò circa alios homines monet sapienter Augustinus *serm. 11. de verb. Domini*, de nullo desperandum, quandiu patientia Dei ad pœnitentiam adducit, nec de hac vita rapit impium.

Sequitur quartò, in Deo quidem primò, & principaliter totam spem nostram esse locandam, secundariò tamen ad sanctos habere fiduciam honestum est, & juxtà utile. Nam ut profundè de more discurrit Doctor Angelicus *art. 4.* cùm spes duo respiciat, & bonum quod intendit, & auxilium quo perveniat & intentum obtineat, eodem proportionaliter modo, quo potest finem & bonum intendere, potest etiam auxilia ad illum obtinendum inquirere: Ergo sicut principaliter, & per se Deum quærit, alia verò secundariò in ordine ad Deum; ita primò, & principaliter auxilio divino, quod est principale movens ad vitam æternam, inniti debet; secundariò tamen intercessionibus Sanctorum tanquam instrumentis salutis uti conveniens est: sicut enim ultimus finis fines intermedios sibi subordinatos non destruit, ita etiam causa principalis instrumenta non excludit; spes autem beatitudinem æternam tanquam ultimum finem, & adjutorium divinum tanquam principale agens respicit: ergo nec media ad illum finem, nec instrumenta illius agentis, quæ sunt orationes Sanctorum, removet, sed admittit. *Vituperantur* (inquit D. Thomas infrà *q. 25. art. 1. ad 3.* explicans illud Jerem. 17. *Maledictus homo qui confidit in homine,*) *qui sperant in homine sicut in principali authore salutis: non autem qui sperant in homine, sicut adjuvante ministerialiter sub Deo.* Ideo sacri Doctores invocationem Sanctorum tantoperè commendant. *Confirmate amicitias cum Sanctis*, ait Magnus Leo serm. 5. Epiph. *Intrate in civitatem Dei, cujus nobis spondetur habitatio, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribusque sociamini; horum divitias concupiscite, & per bonam æmulationem ambite eorum suffragia.* Quia ut rectè argumentatur Hieronymus *lib. cont. Vigil. cap. 3.* si Apostoli, & Martyres adhuc in corpore constituti orabant pro cæteris, quando adhuc erant pro se soliciti; quantò magis post victorias, & triumphos militantibus in terra opitulari avent.

Sequitur denique, spem non esse virtutem moralem, sed theologicam; quia ut hactenus demonstravimus, spes nec aliud primò respicit ut objectum, quàm Deum; nec alio innititur, quàm Deo. Difficultas tamen est in duobus: Primò, quia spes non videtur differre à magnanimitate, cujus proprium est tendere in ardua. Secundò, quia spes consistit in medio præsumptionis & desperationis, virtus autem theologica in medio duorum vitiorum consistere non assolet. Verùm utrique breviter fiet satis. Ad primum ergo dicendum cum S. Thoma *art. 5. ad ultimum*, per hoc spem à magnanimitate distingui, quòd magnanimitas fertur in arduum, sperans aliquid, quod est suæ potestatis; spes verò respicit arduum alterius auxilio assequendum. Quod ita intelligendum est, ut spes christiana, & theologica respiciat ardua solius Dei auxilio & operibus christianis obtinenda, utpote supernaturalia, & omnem naturæ vim supergressa: magnanimitas verò licèt respiciat arduum sub auxilio divino, sine quo nullum, sive parvum, sive magnum bonum fieri potest; ad illud tamen facultas naturalis, conari potest, cùm in bonum ordinis duntaxat naturalis feratur. Addi potest ad plenius discrimen spem inter, & magnanimitatem statuendum, arduum in quod tendit spes, esse solùm Deum clarè videndum, quo ulteriùs ire non potest; arduum verò quod respicit magnanimitas, esse bonum creatum, honores scilicet moderatos, ut infrà *q. 129.* docet S. Thomas. Ergo latum intercedit inter hanc utramque virtutem discrimen ex diverso objecto petitum.

Ad secundam difficultatem respondet idem Angelicus Præceptor *solut ad 2.* hanc esse differentiam inter virtutes morales & theologicas constituendam, quod quia morales circa ea tanquam propria objecta versantur, quæ dirigit ratio, ideo per se & ex objecti exigentia petunt medium, seu mediocritatem, ne regula cui conformari debent, excedatur per superfluum, nec ab ea recedamus per aliquid mancum & diminutum. At verò virtutes theologicæ, quæ circa primam regulam tanquam proprium objectum occupantur, sicut nullâ creatâ mensurâ præfiniuntur,

niuntur, sic per se medium non quærunt, sed solùm per accidens ratione objecti secundarii, quod ad principale ordinatur. Sic fides non habet quidem medium in hoc, quod assentitur primæ veritati, cui nimis assentiri, nimis credere non potest; sed fortassis ex parte rerum creditarum, scilicet peculiarium fidei veritatum, quæ inter duas extremas falsitates mediæ sunt, sicut Christus inter duos latrones medius pendebat. Sic mysterium Trinitatis inter extremos Sabellii & Arrii errores confitemur. Sic necessitas divinæ gratiæ inter Pelagii superbiam, & Manichæorum fatalitatem media consistit: Sic catholica Eucharistiæ transsubstantiatio inter impii Lutheri impanationem, & chimæricam Calvini figuram medium occupat locum. Hoc etiam pacto spes non habet medium ex parte principalis objecti, quia divino auxilio & infinitæ omnipotentiæ Dei virtuti nemo nimis, imò nemo satis unquam confidit. Veruntamen quantùm ad aliqua in particulari, quæ confidit aliquis se obtenturum, potest esse medium & extremum, præsumendo improportionata, & de proportionatis desperando. Quia ejusdem periculi est tentare aliquid insolitum ac vires ordinarias gratiæ excedens, & difficultates etiam in via Dei occurrentes pertimescere. V.g. ingenti se discrimini committit, qui onus pastorale ipsis Angelicis humeris formidandum sponte sua lubens suscipit; & è contra non satis se Deo credit, non satis se ejus providentiæ permittit, qui illud etiam vocatus renuit, foditque in terram talentum, quod in Ecclesiæ emolumentum, & gloriam multiplici poterat spirituali fœnore dispensare, ut proxima reflexione ponderabo.

Reflexio.

Innumera sunt pietatis corollaria ex stabilitis veritatibus nata derivari, quæve paulùlum consideranti veluti sponte occurrent. Unum solum deduco, quod Theologo lectori, sacrorum præsertim ministeriorum candidato, utilius fortassis erit, quàm jucundum. Ardua apperit spes, sed ad ea acquirenda nni omnipotentis Dei virtuti innititur: ergo contra spem peræquè peccat, qui & ardua non vocatus quærit, & qui vocatus refugit; quia prior non Deo fidit, sed sibi, posterior sicut sibi, ita & Deo diffidit. Ille præsumptione inverecunda à peccatis vix, ac ne vix quidem emersus, ad tegiminis culmen aspirat, & ut phrasi Gregorii utar part.1. Past. cap.4. *Qui in planitie stans titubat, in præcipitio pedem ponit.* De illo, aliisque intrusis, & sacerdotia usurpatione adeptis dicitur 8. *Ipsi regnaverunt, & non per me? Principes extiterunt, & ego ignoravi.* Quæ verba sic expendit Gregorius libro præfato, cap.1. *Ex se, & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi culmen regiminis rapiunt potiùs, quàm assequuntur. Quos tamen internus judex & provehit, & non cognoscit, quia quos permittendo tolerat, profectò per judicium reprobationis ignorat.* Porrò non in Domino confidit, qui etiam vocatus, saluti animarum proprii detrimenti formidine pertertitus vacare non vult, vel officium pastorale detrectat. Quem Magnus Gregor. 1. *part. Pastor. cap.7.* reprehendit exemplo Moysis, *qui præesse multitudini & noluit, & obedivit; superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet: & rursum superbus existeret, si Authoris imperio obedire recusaret. Utrobique ergo humilis, utrobique subjectus, & præesse populis semetipsum metiendo noluit; & tamen de imperantis viribus præsumendo consensit.*

Comprimenda sanè ejus audacia, qui percussum sanare properat, grandiori vulnere ipse percussus. *Si homo*, inquit laudatus Gregorius cap. 11. *apud hominem, de quo minimè præsumit, fieri intercessor erubescit; qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ merita nescit.... Est adhuc sollicitiùs formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur; cuncti enim liquidò novimus, quia cùm is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.* Verùm cogenda est eorum timiditas, qui scientiâ, & virtutibus per Dei gratiam ornati, & in charitate, humilitateque radicati, & fundati, aliis prodesse fugiunt, quia in quasdam veniales culpas in externis ministeriis prolabuntur, sicut aqua dum sordes diluentium suscipit, suæ munditiæ serenitatem quadantenus perdit. *Sed hæc nequaquam Pastori timenda sunt*, ait Gregorius præfatus part.2.cap.5. *Quia Deo subtiliter cuncta dispensante, tantò faciliùs à sua eripitur, quantò misericordiùs ex aliena tentatione fatigatur.*

Speculatio II.

In solis Catholicis, tametsi peccatoribus, spes Christiana invenitur.

Hac speculatione explicamus subjectum spei. Non est autem difficultas de subjecto *quo*, ut vocant; est enim in confesso apud omnes, spem in voluntate recipi. Cùm enim habitus per actus cognoscantur, & aliunde actus spei sit motus appetitivæ virtutis, cùm tendat in bonum non sensibile, sed spirituale & divinum, relinquitur spem in appetitu rationali, seu voluntate residere. Quare dubium solum superesse potest de subjecto *quod*, seu quænam personæ sint virtutis spei capaces? quia in re certum etiam est, spem in Christianis Catholicis inveniri, tametsi aliquo peccato mortali, quod non sit desperationis, infecti sint. Quia Catholicus peccator potest apprehendere beatitudinem futuram ut auxilio Dei sibi possibilem: ergo nisi peccet peccato desperationis, in ipso remanebit spes, cùm maneat objectum spei, sicut de fide superiùs dictum est, & in Tridentino definitum. Fateor tamen cum Augustino in *Psalm.*31. malam conscientiam retrahere à spe, quia dum pungit, & peccati infandam malitiam menti exhibet, terrorem peccatori incutit; & licèt spem non adimat, suavem tamen filiorum Dei fiduciam minuit, nec tam liberum ad Deum accessum experitur. Quare de Beatis, de damnatis, de hæreticis dubium superest, num spei virtute præditi sint? & illis omnibus eam denegat speculatio, quæ

Probatur: Spes neque in Beatis, neque in damnatis, neque in hæreticis invenitur, vel inveniri potest: ergo in solis Catholicis eam reperire est. Consequentia liquet, quia nullum est aliud subjectum assignabile, de quo possit esse controversia. Antecedens probatur per singulas partes. Et in primis, spem in Beatis non inveniri, monstratur contra Suarem ratione S.Thomæ: Sublato eo, quod dat speciem rei, resolvi & destrui rem necesse est, cùm destructâ specie nequeat res eadem permanere, sicut remotâ formâ corporis naturalis, nequit idem speciei corpus consistere; & destructo, ac impossibili reddito objecto alicujus habitus specificativo, destrui, funditusque convelli habitum, omninò dubitatum est. Sed in patria subtrahitur objectum spei, quod est bonum futurum, arduum, & possibile, in patria enim summum bonum præsens est, suave est, inamissibile est. Ergo in patria non spes, sed fruitio; non desiderium, sed possessio invenitur.

Confirmatur;

Confirmatur : De ratione essentiali spei est, quod aliquid expecter, quod nondum habet; & de ratione spei theologicæ est, quod expectet fruitionem divinam futuram; id enim omnes per spem intelligunt, & oppositum dicere, est communissimas spei notiones extinguere : sed Beatus à principio beatitudinis suæ fruitionem Dei non expectat, sed eo fruitur, & potitur : ergo tota ejus spes, quam habebat in via, evanescit, evacuatur, & ad nihilum redigitur. Et certè, quod essentialiter importat imperfectionem subjecti, non potest simul stare in subjecto opposità & repugnanti perfectione adornato, sicut quia motus importat imperfectionem subjecti, non potest stare in subjecto quando in eo est quies, & planè implicat esse actum entis in potentia in subjecto, quando potentia est ad ultimum actum redacta : Atqui spes essentialiter importat motum in id, quod nondum habetur : ergo quando habetur id quod sperabatur, cessat spes. Unde ait Apost. Rom. 8. *Quod vides quis, quid sperat?* Et idem Apost. 1. *Cor.* 13. solam charitatem ex tribus theologicis perseverare in patria, nunquamve excidere asseverat. Et usqueadeò hanc assertionem veram existimat S. Thomas, ut 1. 2. *quæst.* 67. *art.* 5. doceat majorem esse repugnantiam spei cum fruitione boni possessi, quàm fidei cum visione : quia *fides cum visione patriæ convenit in genere, quod est cognitio : spes autem non convenit cum beatitudine in genere, comparatur enim spes ad beatitudinis fruitionem, sicut motus ad quietem in termino.*

Respondebis, rationem futuri, cùm sit accidentalis, non esse rationem formalem spei; quia differentiæ temporis per accidens se habent ad partem intellectivam, spes autem ad appetitum intellectivum pertinet. Maximè quia Deus, qui est objectum spei, non est secundùm se futurus, nisi denominatione extrinseca, quatenus possessio ejus nobis futura est, sicut columna dicitur dextra, quia dextra mea juxta illam est : denominatio autem extrinseca non ingreditur rationem formalem objecti virtutis; unde spes potest manere in patria, non ad eliciendum actum imperfecta circa Deum ut objectum arduum, & non habitum, seu futurum; sed ut est principium Deo ut bono nostro fruendi.

Sed contrà : Licèt ratio futuri non sit essentia objecti spei, pertinet tamen ad objectum illius tanquam modus intrinsecus imbibitus in ratione formali illius, eo modo, quo non visum includitur in ratione formali objecti fidei : Ergo sicut non potest simul stare visio cum fide, quanvis non visum non sit objectum formale fidei : ita similiter, quanvis non habitum & futurum non sit objectum formale spei, sed modus imbibitus illius, non poterit tamen spes cum actuali possessione objecti in eodem subjecto sociari. Et quanvis esse futurum respectu Dei sit denominatio extrinseca, tamen illa denominatio habet fundamentum reale in nobis, unde veluti extrinsecè redundat in Deum : repugnat autem, quod in eodem subjecto sint fundamenta realia, ex quibus redundent oppositæ, & repugnantes denominationes : v. g. in objecto spei, non haberi est conditio denominativa tantùm; sed causa ejus, putà talis dispositio subjecti, est realis, cui dispositioni reali repugnat alia realis, dispositio opposita, putà esse perfusum lumine gloriæ, ex quo resultat opposita in objecto denominatio, scilicet esse visum & possessum. Porrò, quod additur, spem esse principium fruitionis Dei, superiùs confutatum est, dum ostendimus, amorem quo Deum ut bonum nostrum diligimus, & suavem, quam de ejus præsentia delectationem percipimus, esse actus secundarios charitatis, ad eosque proinde eliciendos frustrà habitum spei in patria remansurum, in qua non solùm actu tollitur objectum spei, quod est non habitum; sed etiam objectum illud impossibile tunc efficitur, propter beatitudinis stabilitatem.

Dices : Et si fides non possit remanere in patria ad eliciendos actus, utpote statui illi repugnantes, quidni tamen poterit manere ad ornatum, ut de aliis virtutibus moralibus in actum nunquam prorupturis traditur?

Respondeo, rationem formalem objecti virtutum moralium non involvere repugnantiam cum objecto visionis beatificæ, sicut includit objectum spei, quod cùm sit necessariò non habitum, statui fruitionis & possessionis planè repugnat. Quod autem repugnat statui & objecto beatitudinis, nequit esse decor & ornamentum illius.

Instabis : In patria remanent multi actus spei, nempe actus sperandi gloriam corporis, & gaudia accidentalia, necnon actus sperandi beatitudinem proximo; qui utique actus sunt ejusdem speciei cum illis, quos eliciunt viatores : Ergo in patria remanet habitus spei, à quo ejusmodi actus producantur. Nam ut ait D. Thomas artic. 1. *Habitus per actus dignoscuntur.*

Respondeo, convenire inter Thomistas, actus illos non procedere à spe theologica; sed difficultas superest, quodnam sit hujusmodi actuum principium. Contendunt aliqui, illos actus esse veræ spei motus, sed ab auxilio actuali vicem habitus spei supplente produci. Alii volunt, actus illos esse quidem veræ spei motus, non theologicæ, sed communiter sumptæ. Verùm neutra solutio videtur satis doctrinæ D. Thomæ consentanea. Expressè enim docet Angelicus Doctor art. 2. ad 3. *Quod beati sperant quidem aliis beatitudinem, sed non virtute spei, sed magis ex amore charitatis.* Et *ad* 4. docet & probat, actum quo Beati sperant gloriam corporis, non esse actum spei, his verbis : *Cùm spes sit virtus theologica, habens Deum pro objecto, principale objectum spei est gloria animæ, quæ in fruitione divina consistit; non tamen gloria corporis. Gloria enim corporis, etsi habeat rationem ardui per comparationem ad naturam humanam, non habet tamen rationem ardui habenti gloriam animæ; tum quia gloria corporis est minimum quiddam in comparatione ad gloriam animæ, tum etiam quia habens gloriam animæ habet jam sufficienter causam gloriæ corporis.* Ubi manifestè S. Doctor affirmat, actum quo Sancti in gloria expectant gloriam corporis, non esse actum spei, quia gloria corporis respectu illorum non habet rationem ardui. Quod & luculentiùs tradit 1. 2. *quæst.* 67. *art.* 4. *ad* 3. dicens: *Respectu gloriæ corporis in animabus Sanctorum potest quidem esse desiderium, non tamen spes propriè loquendo, neque secundum quod spes est virtus theologica (sic enim ejus objectum est Deus, non autem aliquod bonum creatum) neque secundùm quod communiter sumitur. Quia objectum spei est arduum; bonum autem, cujus jam inevitabilem causam habemus, non comparatur ad nos in ratione ardui : unde non propriè dicitur aliquis, qui habet argentum, sperare se habiturum aliquid, quod statim in potestate ejus est, ut emat : & similiter illi qui habent gloriam animæ, non propriè dicuntur sperare gloriam corporis, sed magis desiderare.* Vides geminam allatam solutionem apertè S. Thomæ repugnare. Ratione etiam impugnatur à D. Thoma tradità : Objectum spei debet esse aliquid arduum & difficile, ut per hoc distinguatur à desiderio; gloria autem corporis nequit habere rationem ardui respectu Beati fruentis glorià essentiali, cui accidentalis comparata parùm, & ferè nihil reputatur.

Aliam etiam hujus veritatis rationem radicalem assignat idem Doctor sanctus *quæst. præcedenti, art. 5. ad* 1. Quia ille duntaxat actus potest dici secundarius respectu spei, qui fertur in objectum primario spei objecto subordinatum: in patria autem, cùm non maneat objectum primarium spei, nullum etiam elicere actum potest Beatus, quem ad illud objectum referre possit.

Quare nobis in solutione S. Thomæ *art. 2. ad* 3. standum est, ubi docet, Beatos aliis beatitudinem non motu spei, sed ex amore charitatis desiderare. Et similiter dicendum est, Beatos gloriam corporis ex amore charitatis, quem habent ad se, exoptare. Quorum ratio optima tradi potest, quia illa omnia possunt considerari sub ratione boni, & sub ratione ardui: prior ratio pertinet ad charitatem, quâ aliis & nobis etiam bonum ordinatè concupiscimus? posterior ad spem spectat, cujus est indifficilia contendere, conati, & aggredi: At in patria tota tollitur, tota complanatur objecti ardui difficultas, & sola remanet ratio bonitatis: ergo à sola charitate eliciuntur hujusmodi actus, qui licèt conveniant cum similibus actibus viæ, ut feruntur in bonum proprium, vel alienum; non tamen cum illis ut tendunt in arduum. Unde sunt magis actus secundarii charitatis objecta illa in Deum amore amicitiæ summè dilectum ordinantis.

Insistes: Beati, cùm non videant à principio beatudinis omnia Dei decreta libera, nec subinde decretum prædestinationis æternæ circa eos, quorum salutem desiderant, nec certò cognoscant effectus futuros circa ipsos, non sunt certi de gratia & salute eorum: ergo salus illorum est sufficiens materia spei in Beatis; objectum namque illud arduum est, & difficile ob ingenitam arbitrii creati hominum viatorum flexibilitatem, & doni perseverantiæ incertitudinem.

Respondeo arduitatem objecti spei non consistere in incertitudine, sed in difficultate ab sperante vincenda. Unde si Deus alicui electo revelaret suam prædicationem, quanvis per eam de salute certus foret, illam tamen verè speraret, ob adeptionis, & arctæ viæ difficultatem. Nam animæ purgatorii, teste D. Thoma *quæst. 18. art. 3.* spem salutis habent, quia licèt sciant se esse in gratia confirmatas, & de sua salute securæ sint; tamen certitudo spem non admittit, sed potiùs roborat, quia non tollit rationem ardui, quanvis difficultas per auxilia divina, & promissa certissima evincatur. Nec unquam evacuatur spes quandiu objectum consideratur ut futurum possibile, sed solùm quando habetur quod sperabatur. Igitur quia nostra salus, tametsi nobis difficilis, nullam tamen Beatis ingerit difficultatem, illam nequaquam sperare possunt, sed optare quantumvis de illa incerti sint.

Persistes: Ille actus expectationis gloriæ corporis, qui est in Beatis, debet procedere ab aliquo habitu, aliàs esset imperfectus, utpote natus elici ab habitu, & ab eo non elicitus. Unde, quod absurdum est, sequeretur actum illum à nobis suaviùs & connaturaliùs, quàm à Beatis elici, cùm in nobis ab habitu, in illis sine habitu procederet: sed nullus est habitus, à quo prodire melius possit, quàm ab habitu spei, quæ sola ferri potest in objectum futurum; charitas verò à præsenti, & futuro abstrahit: ergo perseverat in Beatis habitus spei.

Respondeo, actus illos sufficienter ab habitu charitatis secundario elici posse. Quanvis enim objectum charitatis à præsentia & absentia abstrahat, non repugnat tamen illi præsentia, sicut nec absentia; quia objectum præsens diligit, & absens diligere non definit. Accedit, ad eliciendos illos actus Beatum habitu non indigere: nec propterea illi actus sunt imperfecti; & hac de causa rationem amoris in divina voluntate circa propriam bonitatem, tametsi præsentem, versantis tomo primo, salvavimus. Quia licèt in nobis actus spei natus sit elici ab habitu; quia ob objecti arduitatem voluntatis superat vires, in Beatis tamen actus ille à voluntate Deo fruente sponte fluit, quia cùm gloria corporis ab anima per redundantiam derivetur, & ad modum proprietatis connaturalis resultet, voluntas Deo plena, & amore beatifico gaudens, satis superque est ad gloriam corporis expectandam, desiderandamque inclinata. Unde maxima illa, *Actus natus elici ab habitu, & non elicitus, est imperfectus*; concedi potest quando principium elicitivum actus meliùs est per habitum illum dispositus. Manifestum est autem, voluntatem Beati meliùs esse dispositam dum Deo fruitur, quàm dum Deum fruendum sperat.

Reliquum est, ut breviter demonstremus alias partes antecedentis, præcipuæ probationis hujus speculationis, nimirum spem neque in damnatis, neque in hæreticis reperiri. Et primò quidem de damnatis manifestum est. Cùm enim de fide certum sit, in inferno nullam unquam futuram redemptionem, non possunt apprehendere damnati beatitudinem ut sibi possibilem, quod ad rationem spei esse omninò necessarium, ex dictis est manifestum. Unde S. Thomas *art. 3.* docet, ad conditionem miseriæ damnatorum pertinere, ut ipsi sciant quòd nullo modo possunt damnationem suam evadere, & ad beatitudinem pervenire, ut sic perpetuitas habeat rationem pœnæ in illis, sicut perpetuitas felicitatis habet rationem perfectæ quietis in Sanctis: *Sicut autem est de ratione beatitudinis, ut in ea quietetur voluntas,* inquit S. Doctor: *ita de ratione pœna est, ut id quod pro pœna infligitur, voluntati repugnet. Non autem potest voluntatem quietare, vel ei repugnare quod ignoratur. Requiritur enim ad perfectam, & veram beatitudinem, ut aliquis certus sit de sua beatitudinis perpetuitate, alioquin voluntas non quietaretur. Similiter etiam cùm perpetuitas damnationis pertineat ad pœnam damnatorum, non verè haberet rationem pœnæ, nisi voluntati repugnaret: quod esse non posset, si perpetuitatem suæ damnationis ignorarent. Unde patet, quòd non possunt apprehendere beatitudinem ut bonum possibile.*

Denique quòd in hæreticis non inveniatur spes, ex iis quæ superiori dissertatione de fide statuta sunt, facilè deducitur. Cùm enim fides sit substantia sperandarum rerum, id est basis & fundamentum spei, planum est, quòd destructo per infidelitatem spei fundamento, spem superædificatam corruere necesse est. Ergo in hæreticis nulla spes, nisi vana, invenitur. Nec ad illam spei destructionem necesse est, ut homo dum sit hæreticus, desperet; quia non solùm spes actu contrario desperationis evertitur, sed etiam destructione fundamenti eradicatur: sicut virtus moralis extinctione prudentiæ exinanitur, & accidentia pereunte subjecto evanescunt.

REFLEXIO.

Ostende fidem, ô Catholice, ex operibus tuis; ostende & spem. Et cui, nisi Deo, fidere potest vir Catholicus, fide cœlestis, religione divinus, æternitatis candidatus? Absit planè, ut in humanis næniis spes suas fundet; absit ut in incerto divitiarum speret, cui Deus proponitur merces magna nimis, cujus portio Dominus, cujus Dominus pars hæreditatis suæ, quive illud Davidicum & ore proferet, & corde sentit: *Quoniam tu es Domine spes mea.* Id est, uti

Bernardus

Bernardus exponit, quidquid agendum eſt, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine ſpes mea. Tu una mihi omnium laborum meta: Tu actionum finis, Tu principium; Tu una & tota ratio expectationis meæ.

At quis credat, hujus ſæculi Catholicos ponere in Domino Deo ſpem ſuam, quod Ethnici faciunt, ut exprobrat Veritas, facientes, res humanas toto ardore quærentes, de caducis tanquam de æternùm duraturis judicantes, quietem illic ſuam & felicitatem ſtatuentes, & ipſis Gentibus ſimiles, in ſimulachris argenti & auri fiduciam habentes? Ergo ſi Chriſtiani ſumus, ſi ex fide vivimus, confugiamus ad tuendam propoſitam ſpem, quam ſicut anchoram habemus tutam, ac firmam & incedentem uſque ad interiora velaminis. Inſidioſa mondi bona floccifaciamus, abjiciamus ſpes miſeras, vanas, inutiles, ſeductorias; & huic tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei tota devotione animi, toto fervore ſpiritus inhæreamus. Si quid illi impoſſibile, ſi quid illi difficile, quære aliud in quo ſperes: ſed non eſt impoſſibile apud eum omne verbum. Quod ſi facultatem non deeſſe non dubites, ſed voluntatem, audi Bernardum loco citato hæc mellea fundentem: *An verò de facilitate jam non dubitas, ſed ipſa eſt tibi ſuſpecta voluntas? Planè & voluntatis teſtimonia credibilia facta ſunt nimis. Quando in ſe ſperanti deſit illa Majeſtas, quæ tam ſtudioſe monet in ſe ſperari? Planè non derelinquit ſperantes in ſe. Adjuvabit, ait, & eruet eos à peccatoribus, & ſalvabit eos. Quare? Quibus meritis? Audi quod ſequitur, quia ſperaverunt in eo. Dulcis cauſa, attamen efficax, attamen irrefragabilis.*

SPECULATIO III.

Uſque adeò in divina miſericordia ſperare, & ut ait Scriptura, ſuperſperare præcipimur ut factâ etiam damnationis revelatione, adhuc beatitudinem ſperare poſſemus, & teneremur.

SUpponit primò hæc ſpeculatio, dari præceptum ſpei, quod clarè colligitur ex Scriptura, Pſalm. 4. *Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.* Pſalm. 61. *Sperate in illo omnis congregatio populi.* Ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt, & quod inquirentibus ſe remunerator eſt.* Ubi ly *oportet*, præceptum indicat, & ly *remunerator*, præceptum illud de ſpe eſſe convincit. Colligitur etiam ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 6.* ubi inter diſpoſitiones ad juſtificationem neceſſarias actum ſpei enumerat. Idque antè docuerat Auguſt. *tract. 83. in Ioan.* ubi ait, multa tam de fide, quàm de ſpe eſſe mandata. Et ratio eſt, quia nihil tam ad vitam æternam neceſſarium, quàm ſpes, quâ & ad divinorum præceptorum obſervantiam inducimur, & ab eorumdem tranſgreſſione avertimur. De neceſſariis autem ad ſalutem præceptum imponi neceſſe eſt.

Si autem quæras, in quonam Decalogi præcepto mandatum ſpei contineatur? Reſpondebo cum D. Thoma *quæſt. 22. art. 1.* præceptorum eſſe duo genera; alia enim ſunt de ſubſtantia legis, alia de præambulis ad legem, ideſt de iis, quæ neceſſariò prærequiruntur, ut lex validè poſſit ferri. Porrò præcepta ad legem præambula non debent in ipſa lege exprimi, ſed ejus debent lationi præſupponi; quia præcepta, de ſubſtantia legis homini jam ſubjecto, & ad obediendum parato proponuntur. Præceptum autem ſpei, ſicut & fidei, ad præambula pertinet, cùm per fidem homo legiſlatorem agnoſcat, & per ſpem ad legis obſervantiam propendeat: niſi enim homo jam crederet, niſi ſperaret, fruſtra ei ſupremi numinis lex, fruſtra obſervantiæ ejus præmium proponeretur. Obſervat tamen Doctor Angelicus, in variis Scripturarum locis præcepta ſpei inculcari, ut fundamentum obſervantiæ præceptorum firmiùs & ſolidiùs ſtabiliatur.

Si rurſum quæras, quando currat eliciendorum ſpei actuum tempus, quandonam urgeat obligatio? Reſpondebo, bonum Chriſtianum ſæpe ſæpius in actus ſpei prorumpere debere, quia ut ex D. Thoma ſuperiori diſſertatione vidimus, præcepta non dantur de habitibus virtutum, ſed de actibus. Itaque identidem in motus ſpei effundi debet cor noſtrum, totum ſe, ſuaque omnia divinæ curæ, & miſericordiæ committendo. Deinde fatentur omnes Thomiſtæ, hominem in primo inſtanti rationis teneri ſibi ultimum finem præſtituere, illi ſe devovere, omnem illi fidem, ſpem, & amorem ſuum conſecrare. Præterea rationabile eſt, ut quando homo ab infando deſperationis peccato reſipiſcit, actum ſpei eliciat, ut horrendum crimen retractet. Salutaris etiam pœnitentia veniæ ſpem ſupponit, & comitatur. Denique ad comprimendos graves deſperationis motus, actus ſpei exercere neceſſe eſſe, nemo inficias eat, ne ſi voluntas voluerit manere ſuſpenſa, & negativè ſe gerere, in barathrum deſperationis propellente tentationis impetu præceps ruat. Credunt aliqui, eum qui aliquoties per annum in fervidos prorumpit ſpei actus, præceptum ſpei adimpleviſſe. Ego verò crediderim, quòd licèt illi, qui in negotio ſalutis incurioſi ſunt & negligentes, vix de divinis cogitant, orationi non vacant, vitæ interiori nullam operam navant, iſtud ſpei præceptum non adimplere meritò cenſendi ſint: attamen illi, qui non ſegnem rebus ſalutis diligentiam adhibent, piis exercitiis incumbunt, ad Deum crebro, & filiali affectu recurrunt, præceptum iſtud adimplent, quia non illam ſalutis curam adhiberent, niſi vero ſpei motu cierentur. Sæpe enim ſincerus, ac verus ſpei actus à cogitatione, quâ nos in Deum ſperare conteſtamur, divellitur; at à voluntatis actu totam ſuam in Deo fiduciam locante divelli nunquam poteſt.

Supponit ſecundò ſpeculatio, non repugnare revelationem, quâ Deus alicui reprobo manifeſtet futuram ipſius ob dimiſſa peccata damnationem. Quanvis enim de potentia ordinaria hæc revelatio non ſit poſſibilis, & repugnet ſolito, ac communi ſuavis Dei gubernationis modo; unde ſi alicui fieret hæc revelatio, vel reprobanda eſſet tanquam falſa & exitioſa tentatio angeli tenebrarum, vel non abſolutè, ſed comminatoriè intelligenda eſſet: quanvis, inquam, hoc ita ſit, attamen de potentia abſoluta contingere poſſe hujuſmodi revelationem ob reconditos divinorum judiciorum inſcrutabilium fines, nemo ambigere poteſt. Cùm enim Deus cognoſcat reproborum damnationem, quidni poterit eam reprobo manifeſtare? Nec propterea ille homo eſſet perplexus, quia teneretur ſperare, & non poſſet, ut arguit D. Bonaventura. Nam ſi ille homo non poſſet ſperare, ut ſupponunt, utique ad ſperandum minimè teneretur. Fateor autem, hanc quæſtionem, & caſum metaphyſicum eſſe ſatis inutilem: veruntamen quia ad profundiorem divinæ miſericordiæ notitiam habendam conducit, in eaque ſpem contra ſpem eſſe ponendam affirmat noſtra ſententia, non ſupervacaneum duxi hanc difficultatem aliàs ſatis inanem definire, & aſſerere, quòd ſi Deus alicui reprobo damnationem ejus ex proprio peccato ſecuturam revelaret, ille & ſperare ſuam beatitudinem ex præcepto teneretur, de illaque deſperando peccaret; quod cum Magiſtro Victoria, aliiſque

recentioribus Thomistis contra alios non paucos etiam Thomistas probabilius teor. Nec ita intelligenda est nostra sententia (quod diligenter ad dissipandam quorumdam hallucinationem notatum velim) ut credamus talem fieri revelationem, quâ Deus declaret reprobo se illum exclusisse à regno, seque illi nolle auxilia sufficientia ad salutem necessaria conferre; tunc enim fatentur omnes, reprobum sperare nec posse, nec debere, quia illi subtrahitur objectum spei, quod est bonum possibile. Intelligimus ergo nostra sententia de eo, cui Deus manifestaret se velle illum excludere à gloria; non absolutè, sed propter liberam in peccato lethali perseverantiam. In hoc casu contendimus, reprobum & sperare posse, & teneri, & desperando peccare.

Probatur: Ille sperare tenetur, qui sperare potest, nec eximitur à præcepto. Atqui reprobus, cui facta esset revelatio suæ damnationis ob libera peccata obventuræ, sperare posset, nec eximeretur à præcepto sperandi ante revelationem ipsi imposito: ergo in illa hypothesi reprobus sperare teneretur, subindeque desperando peccaret. Major est perspicua; præcepta enim implere tenentur, qui possunt, & jubentur. Minor verò, in qua est difficultas, probari debet: & primò, quod reprobus non eximatur à præcepto, supposito quòd possit illud implere, per se clarer; revelatio enim non est exemptio, vel immunitas à præcepto, si per eam possibilitas non auferatur. Totum ergo momentum in hoc situm est, utrum facta hujusmodi revelatione reprobus sperare possit? Et posse probatur: Ante revelationem poterat beatitudinem sperare: ergo & post revelationem. Probatur consequentia: ideo ante revelationem poterat reprobus sperare, quia beatitudo erat illi possibilis, & habebat libertatem ad benè operandum, merendumque vitam æternam, ac præsto illi erant auxilia sufficientia ad salutem obtinendam necessaria: Atqui revelatio damnationis ob peccata infligendæ: nihil eorum tollit; tum quia gloria, & salus manet æquè possibilis intrinsecè, atque antea; auxilia manent etiam peræquè sufficientia: ergo post illam revelationem objectum spei idem intrinsecè perseverat, licèt extrinsecè ex libera voluntate videatur impeditum. Sicut enim præscientia Dei nullam rebus necessitatem imponit, nec ordinem causarum liberarum immutat; ita nec præscientiæ ejusdem manifestatio, quæ objectum non immutat; sed futuram dumtaxat liberæ voluntatis malitiam, & pœnam illi justè infligendam declarat. Quod etiam exemplo præcepti Christo impositi illustrari potest, sicut enim Christus posito præcepto est liber ad moriendum, quia præceptum extrinsecus sonans internam voluntatis potestatem non afficit, quantumvis impositum præceptum Christus violare non possit, nec mortem imperatam refugere, quia mors secundùm se est objectum liberè eligibile: ita extrinseca damnationis ob peccata inferendæ revelatio potestatem consequendi beatitudinem non adimit, nec proinde sperandi facultatem; illud enim sperare possumus, quod si velimus, consequi possumus, quodve non nisi ex libera culpa non consequimur.

Confirmatur penetrantiùs: Ratio quare reprobus ante revelationem sperare potest & tenetur, non est ignorantia suæ reprobationis; ignorantia quippe non est motivum sperantis, nec possibilitatem rei tribuit, vel aufert, sed solam scientiam & notitiam eventus tollit: motivum ergo spei reprobi ante revelationem est possibilitas beatitudinis per auxilia sufficientia collata, vel oblata, & libertas voluntatis ad implenda præcepta expedita: Atqui extrinseca revelatio nec sufficientiam auxiliorum evacuat, nec libertatem voluntatis ad implenda præcepta potestatem tollit; sed solùm manifestat, quod reprobus malitiâ suâ efficiet, salutem illam non esse futuram. Ergo sicut in fide evidentia attestantis non tollit intrinsecum motivum fidei, licèt credentem certiorem reddat, quia veritas revelata manet in se obscura; ita revelatio amissionis beatitudinis non tollit rem esse in se possibilem, nec objectum spei immutat, sed solùm expandit malitiam peccatoris æternâ pœnâ ob suam voluntariam culpam plectendi.

Confirmatur rursum, & simul præoccupatur ac convellitur præcipuum fundamentum adversariorum, qui arbitrantur beatitudinem post revalationem non esse amplius objectum spei, quia desinit esse futura: at ex hoc potiùs sic instauro rationem. Fateor equidem objectum spei esse bonum arduum possibile, non quomodocumque, sed quod futurum expectatur, & judicatur, est enim spes certa expectatio futuræ beatitudinis; & quod speratur, non est rei possibilitas, sed futuritio prudenter expectata, & alliciens voluntatem: Atqui salus æterna non est minùs futura reprobo post revelationem, atque ante illam: salus enim potest esse futura certitudine absoluta, cui non possit subesse falsum, vel certitudine conditionata, id est ex bonis operibus à gratia oblata elicitis; reprobus autem ante revelationem non habet certitudinem absolutam, cui sua spes innitatur, cùm de facto non sit salutem consequuturus, & à gloria sit propter peccata exclusus: in tantum ergo spes ejus habet certitudinem, in tantum illi beatitudo futura est, in quantum divina misericordia parata est illi ea conferre auxilia, quibus, nisi per ipsum steterit, salutem consequetur; nec deficiet à consequutione beatitudinis ex defectu divinæ misericordiæ, vel omnipotentiæ, cui spes subnixa est, sed ex instabilitate, & malitia liberi arbitrii adjutorio divino obicem ponentis, & gratiam Dei in vacuum recipientis. Atqui post revelationem beatitudo est eodem modo futura, non quidem certitudine absolutâ, quæ nunquam fuit respectu reprobi; sed conditionatâ, fundatâ in divina misericordia effundente auxilia, & in libertate humana auxiliis illis benè uti valente; revelatio enim nec auxilia sufficientia removet, nec potestatem illis benè utendi voluntati adimit: Ergo eodem planè modo beatitudo remanet reprobo post revelationem futura, quo erat ante revelationem.

Ratio verò à posteriori nostræ sententiæ non deest: Si posita revelatione homo non posset, nec teneretur sperare beatitudinem, non teneretur etiam ad observationem legis post prædictam revelationem, subindeque posset sese omni vitio circa culpam dedere, quod horrendum, & falsum est; & tamen apertè sequitur: qui enim non tenetur ad prosequendum finem, nec ad media prosequenda teneri potest, quibus ad talem finem pervenitur: bona autem opera, & fuga peccati, media sunt ad beatitudinem, & summum bonum Deum obtinendum: Ergo qui ad Deum obtinendum non tenetur tendere, nec ad bona agendum potest obligari. Sequeretur rursum, quod si revelatio damnationis ob peccatum infligendæ præceptum spei evacuaret, revelatio etiam futuri peccati, illius evadendi spem auferret, subindéque evitandi illius obligationem adimeret, cùm nullus ab eo peccato fugiendo teneatur, cujus vitandi spem non habet, sed desperationem. Consequens est falsum: Ergo & antecedens. Sequela majoris est evidens; sicut enim peccatum est liberè, etiam positâ revelatione committendum; ita beatitudo ob libera peccata amittenda. Minor verò, seu falsitas consequentis est etiam perspicua; quia si liceret desperare de evitando peccato

cato revelato, si illud consequenter liceret non cavere, si non liceret conari ad illud evitandum, nullo modo peccasset Petrus blasphemiam proferendo, nec ad Christum confitendum debuisse conati; quia futura ejus negatio fuerat revelata. Non peccasset etiam Judas Iscariotes infando proditionis flagitio, quia ejus execrabile facinus Veritas prædixerat, dicens Matth. 26. *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Respondens autem Iudas, qui tradidit eum: Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti.*

Sentiunt vim hujus argumenti adversarii, & ideo vel illud omittunt, ut videre est in P. Gonet, in congerendis alioquin pro utraque parte argumentis satis solicitus; vel in ipso solvendo inter se pugnant. Aliqui enim, quos sequitur M. Sera, volunt quod post revelationem homo non tenetur sperare evasionem peccati; addunt tamen, inde non sequi, ipsum non teneti cavere peccatum; quia, inquiunt, spes evadendi peccatum non est ita necessaria, ut absque ea caveri non possit, nec vitari consensus in peccatum; aliàs quando peccatum cavemus, actum spei elicere teneremur, quod patet esse falsum: sufficit ergo ad obligationem cavendi peccati, non esse ligatam voluntatem; & hominem posse illud avitare; quæ potestas per revelationem non aufertur.

Verùm hæc responsio non solvit, sed auget difficultatem. Impossibile enim intellectu est, quod homo possit, & debeat illud cavere peccatum, cujus evitatio est desperata; qua enim prudentia conabimur illud cavere, & conari ne contingat, cujus impeditio sperari non potest? Nullus certè, nisi stultus, aliquid aggreditur, nisi se illud effectum prudenter speret. Ergo dicere tunc hominem post revelationem non posse sperare evasionem peccati, & tamen teneri ad illud cavendum, est pugnantia loqui. Accedit, quia sæpè contingit, peccatum non esse facile vitatu, sed propter ingruentem tentationis impetum non nisi magno labore superatur: ergo cum tunc currat objectum spei, scilicet futurum arduum, impossibile omninò est, quod voluntas illud vitet, vel quod ad illud vitandum teneatur absque spe saltem virtualem objiciemem sese difficultatem evincendi.

Quare alii respondent, quod si Deus alicui revelatet peccatum futurum, teneretur homo peccati evasionem in sensu diviso sperare, sed non in sensu composito revelationis. Quâ etiam distinctione utentes dicunt, illum cui facta est revelatio suæ damnationis, teneri in sensu diviso revelationis sperare beatitudinem, sed non in sensu composito illius: ex quo, inquiunt, non sequitur, quod homo non teneatur cavere peccatum, quia in sensu diviso tenetur illius evasionem sperare.

Sed hæc solutio præcedenti nihilo melior est, sed potiùs longè & ferè immensum deterior. Ex ea enim sequitur primò, quod sicut homo post revelationem damnationis suæ, quanvis teneatur in sensu diviso suam salutem sperare, eam tamen in composito revelationis prosequi, ad eamque obtinendam conati minimè obligatur: ita ille, cui facta est revelatio peccati futuri, nec occasionem peccati fugere, nec illud in tentatione vitare tenebitur, quia solùm in sensu diviso revelationis illius fugam sperare tenetur. Deinde: teneri in sensu diviso ad sperandum, est posito quod non detur talis revelatio, non teneri hominem ad eliciendum actum spei; nam sensus ille divisus non cadit supra potentiam, sed supra revelationem: Atqui eodem modo, & non alio tenetur fugere peccatum, quo tenetur fugam illam sperare. Ergo eùm in sensu composito revelationis non possit fugam peccati sperare, nequit etiam peccatum illud in sensu composito revelationis effugere. Et sic argumentum manet in sua vi. Quod si dicas, quod stante revelatione potest in sensu diviso vitare peccatum, id est, retinet potentiam expeditam ad evitandum peccatum secundùm se spectatum (quæ est vera sensus divisi intelligentia,) benè est; nam similiter dicam, quod ideo tenetur stante revelatione sperare beatitudinem, quia ad illam secundùm se expectatam contendere potest, nec eam potentiam tollit revelatio.

Objicias: Objectum spei est bonum arduum quod hic & nunc prudenter judicatur futurum: atqui respectu illius cui facta esset revelatio damnationis, beatitudo nequit habere rationem boni ardui, quod prudenter futurum judicetur: ergo posita tali revelatione objectum spei enervatur, subindeque beatitudo nequit sperari. Major à nobis supra concessa est. Minor verò probatur. Respectu hujus, qui habet judicium certum de non fruitione beatitudinis, non potest beatitudo habere rationem objecti, quod prudenter judicetur esse futurum; quod enim certò judicatur non futurum, non potest prudenter judicari futurum: sed homo, cui facta esset præfata revelatio, haberet judicium certum de non futuritione beatitudinis, teneretur quippe homo ille adhibere fidem Deo revelanti, qui nec falli, nec fallere potest; revelanti, inquam, beatitudinem non esse futuram: ergo homo ille haberet judicium certum, beatitudinem illam non esse futuram, sicut haberet judicium certum Deum sibi vera revelasse; ergo impossibile esset, quod tunc voluntas persequeretur beatitudinem, nisi possibile sit, voluntatem ferri in objectum aliter, quàm ab intellectu proponatur.

Respondeo objectionem illam ex dictis esse occupatam. Et quidem mihi semper displicuit eorum Authorum nostræ sententiæ responsio, qui dicunt, ideo hominem post illam revelationem eatenus posse respicere beatitudinem ut futuram, quatenus potest illi revelationi assensum detrectare: displicuit, inquam, semper hæc responsio, & etiamnum displicet; tum quia homo ille ut non peccaret contra spem, peccaret contra fidem, quia ut posset sperare, authoritatem Dei revelantis sibi conspicuam, ut suppono, contemneret dum ei debitum non præberet assensum; tum quia punctum difficultatis præsentis in hoc situm est, utrum homo per veram revelationem de sua damnatione ex malitia sua & obstinatione proveniente certus possit, & debeat salutem sperare: unde supponimus in hac quæstione illum revelationi illi assensum præbiturum.

Ad objectionem ergo ex dictis in secunda confirmatione respondetur, positâ revelatione beatitudinem posse apprehendi ut futuram reprobo eodem modo, quo ante revelationem; quia nunquam illa salus fuit futura & certâ futuritione & certitudine absolutâ, sed conditionatâ, fundatâ in auxiliis divinis & bono usu liberi arbitrii: quando enim salutem speramus, non ita speramus, ut simus de salute absolutè securi, aliàs in timore & tremore operari salutem Apostolus non juberet; sed ita speramus, quia ad illam, si volumus, possumus cum Dei gratia omnibus oblata pervenire: At post revelationem potest reprobus cum gratia sibi oblata ad salutem, si voluerit, pervenire: ergo potest reprobus post revelationem apprehendere beatitudinem ut futuram futuritione conditionatâ, quæ sola desideratur ad objectum spei. Quare corrigenda est imaginatio, & per intellectum res secundùm se, & ex meritis objecti consideranda. Cùm ergo beatitudo post revelationem sit possibilis, & futura conditionatè, ob collata auxilia, sufficientiam, & illæsam voluntatis libertatem, etiam

cato revelato, ſi illud conſequenter liceret non cavere, ſi non liceret conari ad illud evitandum, nullo modo peccaſſet Petrus blaſphemiam proferendo, nec ad Chriſtum confitendom debuiſſe conari; quia futura ejus negatio fuerat revelata. Non peccaſſet etiam Judas Iſcariotes infando proditionis flagitio, quia ejus execrabile facinus Veritas prædixerat, dicens Matth. 26. *Qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum: Nunquid ego ſum Rabbi? Ait illi: Tu dixiſti.*

Sentiunt vim hujus argumenti adverſarii, & ideo vel illud omittunt, ut videre eſt in P. Gonet, in congerendis alioquin pro utraque parte argumentis ſatis ſolicitus; vel in ipſo ſolvendo inter ſe pugnant. Aliqui enim, quos ſequitur M. Seta, volunt quod poſt revelationem homo non teneretur ſperare evaſionem peccati; addunt tamen, inde non ſequi, ipſum non teneri cavere peccatum; quia, inquiunt, ſpes evadendi peccatum non eſt ita neceſſaria, ut abſque ea caveri non poſſit, nec vitari conſenſus in peccatum; aliàs quando peccatum cavemus, actum ſpei elicere teneremur, quod patet eſſe falſum: ſufficit ergo ad obligationem cavendi peccati, non eſſe ligatam voluntatem; & hominem poſſe illud avitare; quæ poteſtas per revelationem non aufertur.

Verùm hæc reſponſio non ſolvit, ſed auget difficultatem. Impoſſibile enim intellectu eſt, qood homo poſſit, & debeat illud cavere peccatum, cujus evitatio eſt deſperata; qua enim prudentia conabimur illud cavere, & conari ne contingat, cujus impeditio ſperari non poteſt? Nullus certè, niſi ſtultus, aliquid aggreditur, niſi ſe illud effecturum prudenter ſperet. Ergo dicere tunc hominem poſt revelationem non poſſe ſperare evaſionem peccati, & tamen teneri ad illud cavendum, eſt pugnantia loqui. Accedit, quia ſæpè contingit, peccatum non eſſe facile vitatu, ſed propter ingruentem tentationis impetum non niſi magno labore ſuperatur: ergo cum tunc currat objectum ſpei, ſcilicet futurum arduum, impoſſibile omninò eſt, quod voluntas illud vitet, vel quod ad illud vitandum teneatur abſque ſpe ſaltem virtualem objicientem ſeſe difficultatem evincendi.

Quare alii reſpondent, quod ſi Deus alicui revelaret peccatum futurum, teneretur homo peccati evaſionem in ſenſu diviſo ſperare, ſed non in ſenſu compoſito revelationis. Quâ etiam diſtinctione utentes dicunt, illum cui facta eſt revelatio ſuæ damnationis, teneri in ſenſu diviſo revelationis ſperare beatitudinem, ſed non in ſenſu compoſito illius: ex quo, inquiunt, non ſequitur, quod homo non teneatur cavere peccatum, quia in ſenſu diviſo tenetur illius evaſionem ſperare.

Sed hæc ſolutio præcedenti nihilo melior eſt, ſed potiùs longè & ferè immenſum deterior. Ex ea enim ſequitur primò, quod ſicut homo poſt revelationem damnationis ſuæ, quanvis teneatur in ſenſu diviſo ſuam ſalutem ſperare, eam tamen in compoſito revelationis proſequi, ad eamque obtinendam conari minimè obligatur: ita ille, cui facta eſt revelatio peccati futuri, nec occaſionem peccati fugere, nec illud in tentatione vitare tenebitur, quia ſolùm in ſenſu diviſo revelationis illius fugam ſperare tenetur. Deinde: teneri in ſenſu diviſo ad ſperandum, eſt poſito quod non detur talis revelatio, non teneri hominem ad eliciendum actum ſpei; nam ſenſus ille diviſus non cadit ſupra potentiam, ſed ſupra revelationem: Atqui eodem modo, & non alio tenetur fugere peccatum, quo tenetur fugam illam ſperare. Ergo cùm in ſenſu compoſito revelationis non poſſit fugam peccati ſperare, nequit etiam peccatum illud in ſenſu compoſito revelationis effugere. Et ſic argumentum manet in ſua vi. Quod ſi dicas, quod ſtante revelatione poteſt in ſenſu diviſo vitare peccatum, id eſt, retinet potentiam expeditam ad evitandum peccatum ſecundùm ſe ſpectatum (quæ eſt vera ſenſus diviſi intelligentia,) benè eſt; nam ſimiliter dicam, quod ideo tenetur ſtante revelatione ſperare beatitudinem, quia ad illam ſecundùm ſe expectatam contendere poteſt, nec eam potentiam tollit revelatio.

Objicias: Objectum ſpei eſt bonum arduum quod hic & nunc prudenter judicatur futurum: atqui reſpectu illius cui facta eſſet revelatio damnationis, beatitudo nequit habere rationem boni ardui, quod prudenter futurum judicetur: ergo poſita tali revelatione objectum ſpei enervatur, ſubindeque beatitudo nequit ſperari. Major à nobis ſupra conceſſa eſt. Minor verò probatur. Reſpectu hujus, qui habet judicium certum de non fruitione beatitudinis, non poteſt beatitudo habere rationem objecti, quod prudenter judicetur eſſe futurum; quod enim certò judicatur non futurum, non poteſt prudenter judicari futurum: ſed homo, cui facta eſſet præfata revelatio, haberet judicium certum de non futuritione beatitudinis, teneretur quippe homo ille adhibere fidem Deo revelanti, qui nec falli, nec fallere poteſt; revelanti, inquam, beatitudinem non eſſe futuram: ergo homo ille haberet judicium certum, beatitudinem illam non eſſe futuram, ſicut haberet judicium certum Deum ſibi vera revelaſſe: ergo impoſſibile eſſet, quod tunc voluntas perſequeretur beatitudinem, niſi poſſibile ſit, voluntatem ferri in objectum aliter, quàm ab intellectu proponatur.

Reſpondeo objectionem illam ex dictis eſſe occupatam. Et quidem mihi ſemper diſplicuit eorum Authorum noſtræ ſententiæ reſponſio, qui dicunt, ideo hominem poſt illam revelationem eatenus poſſe reſpicere beatitudinem ut futuram, quatenus poteſt illi revelationi aſſenſum detrectare: diſplicuit, inquam, ſemper hæc reſponſio, & etiamnum diſplicet; tum quia homo ille ut non peccaret contra ſpem, peccaret contra fidem, quia ut poſſet ſperare, authoritatem Dei revelantis ſibi conſpicuam, ut ſuppono, contemneret dum ei debitum non præberet aſſenſum; tum quia punctum difficultatis præſentis in hoc ſitum eſt, utrum homo per veram revelationem de ſua damnatione ex malitia ſua & obſtinatione proveniente certus poſſit, & debeat ſalutem ſperare: unde ſupponimus in hac quæſtione illum revelationi illi aſſenſum præbiturum.

Ad objectionem ergo ex dictis in ſecunda confirmatione reſpondetur, poſitâ revelatione beatitudinem poſſe apprehendi ut futuram reprobo eodem modo, quo ante revelationem; quia nunquam illa ſalus fuit futura & certâ futuritione & certitudine abſolutâ, ſed conditionatâ, fundatâ in auxiliis divinis & bono uſu liberi arbitrii: quando enim ſalutem ſperamus, non ita ſperamus, ut ſimus de ſalute abſolutè ſecuri, aliàs in timore & tremore operari ſalutem Apoſtolus non juberet; ſed ita ſperamus, quia ad illam, ſi volumus, poſſumus cum Dei gratia omnibus oblata pervenire: At poſt revelationem poteſt reprobus cum gratia ſibi oblata ad ſalutem, ſi voluerit, pervenire: ergo poteſt reprobus poſt revelationem apprehendere beatitudinem ut futuram futuritione conditionatâ, quæ ſola deſideratur ad objectum ſpei. Quare corrigenda eſt imaginatio, & per intellectum res ſecundùm ſe, & ex meritis objecti conſideranda. Cùm ergo beatitudo poſt revelationem ſit poſſibilis, & futura conditionatè, ob collata auxilia, ſufficientiam, & illæſam voluntatis libertatem

etiam

etiam post revelationem habet beatitudo ratione futuri sufficientis, ut terminet motum spei. Nec est ulla repugnantia, vel pugna judiciorum, dum intellectus per revelationem judicat damnationem esse futuram absolutè, & per auxilia sibi collata & oblata, ac per integritatem voluntatis salutem suam esse conditionatè futuram; quia nihil repugnat aliquid esse futurum (conditionatè præsertim) sub una ratione, & sub alia consideratione non esse futurum.

Quod celebri exemplo, & in Schola S. Thomæ frequenti illustrari potest: Deus vult conditionatè per voluntatem antecedentem salutem reprobi, & vult absolutè per voluntatem consequentem ipsum non salvari; estne in divina voluntate discordia, vel pugna in judicio divino tam diversè de eodem pronuntiante? Absit, absurdum est, impium est, & blasphemum. Quomodo ergo hanc voluntatis divinæ apparentem pugnam conciliabimus? Quia nimirum voluntas antecedens fertur in salutem secundùm se, & præbet auxilia sufficientia, ratione quorum salus illa inchoativè futura est, & per illa ad optatum salutis exitum perveniret reprobus, si vellet. Voluntas verò consequens respicit salutem hîc & nunc omnibus circumstantiis vestitam, & ob malitiam peccatoris non conferendam; & sic de eadem salute sunt duæ nostro modo concipiendi in Deo voluntates, vel potiùs duæ ejusdem voluntatis ad idem objectum diversimodè consideratum connotationes. Sic ergo reprobus post acceptam damnationis suæ ob peccata infligendæ revelationem, potest salutem & ut futuram, & ut non futuram sub diversa consideratione respicere; futuram ex auxilio divino, si velit; non futuram ex malitia sua in peccato obfirmanda: ergo cùm aliquo verò sensu sit futura, potest eam sub ea ratione sperare, sicut eam divina voluntas voluntate antecedente velle: si autem sperare potest, utique debet, cùm ad eam sperandam teneatur, nec per revelationem à præcepto eximatur. Ex quibus facilè distingues in forma majorem: objectum spei est bonum, quod prudenter judicatur futurum futuritione conditionata fundata in auxilio divino, & bono usu liberi arbitrii, concedo; futuritione absoluta, cui non possit subesse falsum, nego. Nam ante revelationem reprobus sperabat salutem, quæ tamen non erat absolutè futura. Et similiter distinguenda est minor: Post revelationem beatitudo nequit habere rationem boni futuri absoluti, concedo; futuri conditionati, nego. Nam post revelationem, sicut & post præscientiam, si velit, potest salvari. Ad probationem similiter distingue: quod certò judicatur non futurum absolutè, non potest prudenter judicari futurum absolutè, concedo; non potest prudenter judicari futurum conditionatè, & si voluntas divinâ gratiâ adjuta velit, nego. Qua distinctione satis, superque explicatâ, sponte cadunt omnia Adversariorum argumenta. Quia sicut evidentia in attestante non tollit fidem, quia non destruit intrinsecam rei obscuritatem; ita evidens attestatio, & revelatio futuræ damnationis non tollit spem, quia non destruit intrinsecam boni possibilitatem, & futuritionem conditionatam. Maximè quia spes, ejusque certitudo, tanquam rationi formali innititur divinæ misericordiæ, quæ eadem manet; damnatio autem revelatur futura, non ex defectu misericordiæ & omnipotentiæ Dei, sed ex libera voluntatis malitia: ergo post revelationem manet semper ratio formalis sperandi, sicut post evidentiam in attestante ratio formalis credendi.

Instabis aliquot exemplis: Primò, si Deus revelaret alicui ipsum centum duntaxat gradus gloriæ, & non amplius consequuturum, ille non plures sperare posset, quantumvis alii innumeri sint beneficio auxiliorum oblatorum possibiles. Secundò, si Deus alicui revelaret, si pœnas in purgatorio luiturum, frustra ille ab iisdem cruciatibus immunitatem speraret. Tertiò, si Deus alicui damnationem alterius revelaret, v.g. Petro damnationem Judæ manifestaret, certè Petrus non posset illi beatitudinem sperare, nec pro illa orare, ut expressè docet August. lib. 21. de Civit. cap. 24. *Si de aliquibus*, inquit, *ita Ecclesia certa esset, ut qui sint illi, etiam nosset, qui licèt adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipso.* Sanè nullus est, qui de salute Antichristi, qui filius erit perditionis, speret; nullus qui de ea desperando peccet.

Respondeo hæc omnia exempla claudicare. Primum quidem, quia licèt sit præceptum sperare salutem, & Deum ut mercedem nostram magnam nimis intendere, & ad eum scopum rectà collimare; gradus tamen gloriæ non cadunt sub præcepto: unde cui facta esset revelatio & promissio centum graduum gloriæ, gratias agere deberet, & ad illos obtinendos pro viribus conari, & ad plures contendere, ut posset ad illos pervenire; nam in via Dei ad summa aspirare debet, quia mediocria vult sibi afsciscere; & jaculatores imitari, qui ut scopum, in quem collineant, attingant, aliquid sublimius intendunt, ut quod proponunt, efficiant. Secundum etiam exemplum frigidum est; ille enim qui per revelationem sciret, se pœnis in purgatorio culpas suas expiaturum, non inani fiducia deberet ad illas evitandas conari, sed abstinere à peccatis, quæ materiam ultricibus illis flammis ministrant; gratias etiam Deo agere teneretur, quòd culpas suas piaculari igne per aliquod tempus purgare dignetur. Maximè quia non est præceptum sperandi salutem sine prævio purgatorio, sed præceptum spei Theologicæ nunquam, vel nusquam dispensationem pati potest. Tertium denique exemplum, sicut & quartum de Antichristo, toto cœlo discrepat. Magna enim est differentia inter salutem propriam, & alienam, quia aliena non est in nostra manu & potestate, sicut nostra: unde quandiu possumus velle salutem (& semper possumus cum gratia Dei semper oblata) tandiu sperare valemus. At verò voluntatis alienæ non sumus domini, unde certiores facti de eorum malitiæ obstinatione, sicut voluntatem eorum flectere non possimus, ita nec pro ea orare tenemur.

Hinc sequitur, positâ revelatione futuræ damnationis hominem non sine peccato desperare, quia desperatio est actus intrinsecè malus, divinæ misericordiæ, & omnipotentiæ injurius, oppositusque actui intrinsecè bono, scilicet actui virtutis spei: Ergo ille actus est semper, & pro semper prohibitus, nec potest ulla prorsus circumstantia honestari, vel à malitia purgari, cùm includat odium, & detestationem beatitudinis, & Deo bono nostro visione possidendo, ejusque auxilio diffidat.

Plures alias minutiores objectiones missas facio; unam, aut alteram delibabo, ut ex aliis judicium feratur. In inferno, inquiunt, damnati non possunt sperare, nec peccant desperando, ut docet D. Thom. *q. 20. art. 1. ad 3.* Ego nec homo, cui fieret revelatio futuræ damnationis, non peccaret desperando; ideo enim illi sperare non possunt, quia certo judicant se nunquam liberatum iri; dem autem judicium habeter reprobus post factam sibi revelationem. Idipsum aliis magis injuriis, quàm rationibus confirmant; quia, aiunt, insanus foret ille homo, qui beatitudinem speraret, quam certò sciret se non obtenturum; sicut stultus esset infirmus, qui morbum desperatum sanari

sanari confideret. Verùm hæ ratiunculatum fallaciæ sponte sua abeunt in fumum, quia Deus decrevit auxilia sufficiencia subtrahere damnaris, nec est in potestate infirmi desperatam sanitatem restaurate. *Damnati*, inquit D. Thomas loc. citato, *non sunt in statu sperandi propter impossibilitatem reditus ad beatitudinem; & ideo quod non sperant, non imputatur eis ad culpam, sed est pars damnationis ipsorum. Sicut etiam in statu viæ, si quis desperaret de eo, quod non est natus adipisci, non esset peccatum; putà si medicus desperet de curatione infirmi.* At quandiu homo est in statu viæ, etiam post illam revelationem, nec illi impossibilis est beatitudo, sest est bonum, quod homo natus est adipisci, & quod est debitum adipisci: unde homo ille, & à damnato, & ab infirmo desperatæ sanitatis, juxta Doctrinam D.Thomæ planè differret.

Majorem difficultatem invenio in verbis S. Thomæ, quorum tamen adversarii non meminerunt. Etenim S. Doctor *quæst.* 23. *de verit. art.*8. *ad* 2. ait, quod *talis revelatio cogeret hominem desperare*; & ideo ait, *non posse fieri de potentia ordinata.* Ex quo satis clarè deduci videtur, hominem post talem revelationem desperando non peccare; ad peccatum enim cogi non potest, nec potest Deus præcipere actum spei, ad cujus oppositum ejus revelatio cogit. Ergo non obligaret præceptum spei illum cui futura damnatio revelata esset.

Fateor eam authoritatem non levem ingerere difficultatem, nisi ejus solutio ex verbis S.Thomæ eueretur. Cùm enim S. Doctor eò loci affirmaret, Deum de potentia absoluta posse alicui damnationem revelare, non tamen de potentia ordinata, quia talis revelatio cogeret eum desperare; manifestè sequitur verba S. Thomæ aliquo egere interpretamento: si enim talis revelatio cogeret hominem ad desperanem coactione perfecta, non solùm de potentia ordinata, ut ibi infert: sed nec de absoluta posset talis revelatio fieri, quia voluntatem liberam nec de potentia absoluta Deus cogere potest. Vult ergo S. Thomas, talem revelationem non esse de potentia ordinata possibilem, quia cogeret hominem ad desperandum, id est attentâ infirmitate humanâ pauci, vel ferè nulli invenirentur, qui in motum desperationis non protrumperent, eo modo loquendi, quo dicimus eum, qui est in actuali peccati occasione, ad peccatum iteratum cogi, quia vix, ac ne vix quidem præsentis occasionis illecebris resistere volet, licèt absolutè posset.

Reflexio.

In verbis tuis supersperavi. Psalm. 118. Non solùm speras, sed superesperas, Propheta sancte: supra quid, sodes, speras? Supra id omne, inquit, quod dici potest; supra id, quod ab homine cogitari: supra id, quod dixerunt Scripturæ; supra id, quod prædixerunt unquam Prophetæ; supra id, quod Sancti unquam annuntiarunt nobis. Supersperavi in misericordia, quæ cùm infinita sit, spem omnem longè excedit. Supersperavi in verbis tuis supra cœlum & terram duraturis, amplius proculdubio duraturis, quàm promiserunt. Supersperavi, in promissis tuis merita excedentibus & vota, quia licèt magna sint quæ promisit, majus tamen est quod futurum est. *Extendat anima cupiditatem*, inquit Augustinus tract. 24. in Joan. *& sinu capaciore quærat comprehendere quod nec oculus vidit, nec auris audivit.* Desiderari potest, concupisci potest, suspirari potest: tamen illud dignè cogitari, & verbis explicari non potest; quia procul dubio plus futurum est quàm dici potest.

Supersperavi planè, quia etiamsi me occideris, in te sperabo, etiamsi infligendam mihi propter peccata mea sempiternam pœnam sciam, quia tametsi malus sim, non desinis esse bonus, nec me deseris, nisi priùs à me deseraris. Ergóne quia desum gratiæ tuæ, non confidam gratiæ tuæ? Ergóne non sperabo in te, quia perseveranter volo vivere contra te? Ergo malitiâ meâ mihi notâ & revelatâ dimetiar clementiam tuam? Absit, injustum est. Sed timeo, Lector, ne nulla, vel infirma sit spes tua, quem nec promissa alliciunt, nec minæ terrent. *Miserunt me!* (lamentatio est Jeremiæ Christiani, Salviani scilicet lib. 2. ad Ecclesiam Cathol.) *Puto non creditur Deo. Quis promissis cœlestibus fidem commodat, & non agit ut esse possit particeps promissorum?* Si promissis divinis fidis, si in ipsam speras, cur ad eum crebris orationibus non recurris? Si futura expectas, cur adeo terrenis hæres? cur in via torpes? cur jaces in arena? Hinc tibi gehenna, inde corona paratur; & inter hanc & illam te medium nugari libet, oscitare delectat, nec præmiis traheris, nec periculis terreris, nec cupidus, nec pavidus.

Caput II.

De sacro Domini timore.

Quamvis spes Christiana & theologica debeat dici simpliciter certa, infallibilis, & firma; tamen quia gratia potest in nobis deficere, necessariò spei fiduciam sacri timoris moderatâ formidine temperamus, juxta illud Apostolicum oraculum Rom. 11. *Tu autem fide stans, noli altum sapere, sed time.* Rectè quidem asserit D. Thomas *quæst.* 18. *artic.* 8. spei nostræ certitudinem eximiam; quia, inquit, licèt certitudo potissimùm in vi cognoscitiva inveniatur, participativè tamen in omni eo, quod à vi cognoscitiva infallibiliter movetur, invenitur: spes autem movetur à fide, quæ omnibus habitibus intellectualibus certitudine antecellit; per hoc enim cœlestia, & supernaturalia speramus, quia Deus revelavit sperantes in ipsum non confundendos in æternum: unde verè Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 13. monet, quod *in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent* Quia, ut tradit Apost. Rom. 5. *Spes non confundit.* Et ad Hebr. 6. *Firmissimum solatium habeamus, qui confugimus ad tuendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus tutam ac firmam.* Hæc, inquam, rectè asserit D. Thomas, futura obtinere confidit, sacri timoris tractationem subnectit *quæst.* 19. quo speratum bonum amittere vereamur. Quia, ut ait Magnus Gregor. lib. 29. Moral. cap. 9. *Debet profectò, debet non solùm in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione, ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat.*

Porrò hæc consideratio non parùm utilis erit, initium enim sapientiæ timor Domini. Quia, ut optimè explicat D. Thomas *art.* 7. licèt fides sit initium sapientiæ, quantum ad ejus essentiam, quia articuli fidei sunt sicut prima principia sapientiæ, prout est cognoscitiva: verùm quia sapientia apud Christianos nedum ut cognoscitiva consideratur, sed prout est directiva actionum humanarum secundùm rationes divinas; ideo timor est initium sapientiæ quantum ad effectum, quia ex illo sapientia incipit operari, sicut à fundamento ædificatoi incipit domus constructionem; per timorem enim non solùm homo relinquit peccatum, sicque animum ad sapientiæ ingressum appatat; sed etiam per timorem castum majestatem divinam reveretur, seque illi subjicit homo

homo autem Deo reverenti timore subjecto, , facilè vitæ suæ seriem secundùm rationes divinas regulat, quod est Christianæ sapientiæ officium. Hinc sacer ille timor comparatur ad totam vitam humanam per sapientiam Dei Regulatam, sicut radix ad arborem. Unde dicitur Eccles. 1. *Radix sapientiæ est timere Dominum, rami enim illius longævi.* Ille ergo incipit christianè sapere, qui Deum incipit timere; quia Christiana sapientia sine amore Dei nulla invenitur; timor autem introducit charitatem sicut seta linum, ut August. *tract.9. in canon. Ioan.* edisserit. Ejus ergo tam necessarii timoris naturam, partes, præcepta, aliaque ad ipsum spectantia speculemur.

Speculatio I.

Timor malum timet, & à Deo timet. Dividitur in filialem, seu castum, initialem, servilem, & mundanum.

PRima pars explicat objectum *quod*, ut vocant, & objectum *quo* timoris: objectum quod est malum, quod refugit, timor enim fugam importat, fuga autem respicit malum, sicut prosequutio bonum: objectum verò *quo* timoris est Deus, à quo malum inferri potest. Et ratio est, quia sicut spes habet duplex objectum, quorum unum est bonum futurum arduum, cujus assequutionem expectat, aliud est auxilium, quo tale bonum se posse adipisci confidit: ita timor duo respicit, nimirum malum quod refugit, & illud à quo malum inferri potest. Priori modo Deus, qui est purum & summum bonum, & ipsa bonitatis essentia; objectum timoris esse non potest; posteriori tamen modo à timore respici potest, in quantum ab ipso nobis impendere aliquod malum potest; malum quidem pœnæ, quod positivè infligere potest; malum etiam culpæ, quod permittere potest, non quidem impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Certè sicut in Deo non solam misericordiam, sed etiam justitiam considerare possumus; illam quâ succurrit miseris, istam quo punit peccantes: ita Deus potest esse objectum quo spei, & timoris, id est propter quem speramus, propter quem & timemus: sicut enim consideratio divinæ misericordiæ spem ciet, ita meditatio justitiæ timorem incurrit salutarem.

Dices: Hinc sequitur, timorem respicere Deum, non ut objectum, sed ut causam efficientem, vel infligentem malum, quod est unicum timoris objectum.

Respondeo, quod licèt timor respiciat Deum tanquam causam objecti sui, scilicet mali, hoc tamen non vetat quin Deus sit objectum *quo*, seu propter quod timet: Nam etiam spes, teste D. Thoma *q.17. art5.* respicit objectum a quo sperat ut causam efficientem; Deus namque ut auxilians imputat rationem causæ efficientis. Ad cujus pleniorem intellectum adverte, quod licèt causa efficiens habitum spei, vel donum timoris non possit esse objectum spei, vel timoris; causa enim efficiens, quâ talis, non specificat habitum, sed illum producit & infundit; specificatio autem petitur ab objecto ad genus causæ formalis extrinsecæ pertinente: attamen causa efficiens, seu parans auxilia ad beatitudinem obtinendam necessaria, vel intentans mala formidanda habet rationem objecti & motivi propter quod meritò speramus, meritò timemus; quia licèt causa illa sit efficiens auxiliorum adjuvantium, vel malorum impendentium; est tamen causa formalis extrinseca, sed motiva per ordinem ad sperantem, & timentem.

Instabis: Magnum intercedit discrimen spem inter & timorem; nam de intrinseca ratione spei est respicere bonum ab aliquo concedendum; non est autem de ratione timoris ut habeat à quo timeat, sed duntaxat quod timeat, ut patet in timore culpæ ut culpa est, quam à Deo sibi infligi nemo timere potest, cùm culpæ Deus non sit author, sed ultor.

Respondeo, quod licèt, ut postea dicemus, non possit dari timor de culpa ut culpa est, seu est voluntaria; tamen nihil inde efficitur contra nos; tum quia culpam timet timor filialis, ut est separatio à Deo; unde tunc Deus habet objectum *quo* timoris, quatenus vel ab ipso, vel per comparationem ad ipsum, grande malum, separatio nimirum à Deo, quæ est malorum maximum, imminere potest: tum quia licèt culpa non sit à Deo causante, est tamen à Deo permittente unam culpam in pœnam præcedentis peccati, juxta illud, *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Tum demùm, quòd licèt timor non habeat aliquando à quo timeat, tamen negandum non est, quod quando habet à quo timeat, illud non sit objectum propter quod timet: sicut licèt spes naturalis aliquando confidat aliquid adipisci propriâ virtute, aliquando verò auxilio alterius; tamen in hoc secundo casu illud à quo sperat auxilium, habet rationem objecti *quo*, vel *cui* confidit, & propter quod bonum expectatum obtinere sibi pollicetur.

Secunda pars tradens divisionem timoris in filialem, seu castum, initialem, servilem, & mundanum, explicatur simul, & probatur: Cùm enim objectum timoris sit malum, quod formida, si propter malum, quod refugit, recedit à Deo, timor est mundanus; si autem propter malum, quod refugit, convertitur ad Deum formidine pœnæ, est timor servilis, si autem horrore culpæ, majestatis divinæ reverentiâ ad Deum accedimus, est timor filialis; filiorum enim est timere offensam patris. Qui timor dicitur etiam castus, quia non quæ sua sunt, quærit, sed quæ Dei, cui ut patri, & ut sponso charitate copulatur, juxta illud: *Accepistis adoptionem filiorum, in quo clamamus: Abba Pater.* Et illud: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Quod si propter utrumque timet, pœnam scilicet imminentem, & amorem divinum, quem violare veretur, est timor initialis, sic dictus non ex eo, quod sit initium sapientiæ; id enim longè potiori jure timori filiali competit: sed quia incipientium proprius est; perfecti enim non partim timore, partim amore, sed una Dei dilectione moventur; perfecta quippe charitas foras mittit timorem, ut dicitur 1. *Ioan.* 4. Unde non differt timor initialis essentialiter à filiali, sed sicut charitas perfecta, & imperfecta; incipiens, & consummata,

Scio quidem, hanc doctrinam displicere Durando *in 1. dist. 34. quæst. 5.* quia, inquit, timor initialis & castus habent diversa objecta; objectum enim initialis est utrumque malum, culpæ & gehennæ: objectum verò casti timoris est sola offensa Dei summè dilecti: ergo timores illi specie distinguuntur. Maximè quia sicut impossibile est duos actus cognoscendi esse simul in eadem potentia intellectiva, ita repugnat duos actus in eadem potentia appetitiva reperiri, quorum unus timeat pœnam, alter Dei offensam reformidet. Verùm hæ ratiuncularum effutiæ facili negotio discutiuntur. Prima quidem; nam falsum est, quod objectum timoris initialis sit pœna, hoc enim non dixit S. Doctor, sed quod timor initialis ratione adjuncti timoris servilis, quem initio conversionis compatitur, formidat pœnam, quanvis ratione sui culpam timeat, & Deum vereatur & revereatur. Secunda etiam objectio nihilo fortior est; quia sicut in intellectu plures dari possunt actus intelligendi

gendi subordinati, & per modum unius; ita in appetitu plures actus inter se ordinatos reperiri quid vetat? Ergo in proposito poterit formido culpæ, & timor pœnæ in eodem incipiente in ordine ad eandem conversionem inveniri.

Si autem quæras, quomodo differant timor servilis, & filialis? Respondebo cum D. Thoma *art. 5.* timores illos differre specie; nam sicut actus, & habitus distinguuntur per objecta, ita & timores: At timor servilis, & filialis habent diversum objectum; objectum namque timoris servilis est malum pœnæ, objectum verò timoris filialis est malum culpæ. Et quamvis uterque timor respiciat Deum tanquam objectum *quo*, seu propter quod timet; longè tamen diversa ratione & habitudine in Deum fertur: timor enim servilis respicit Deum sicut principium inflictivum pœnarum, timor verò filialis respicit Deum, non sicut principium culpæ, sed potiùs sicut amandum terminum, à quo refugit separari per culpam. *Ex hoc objecto, quod est Deus* (inquit D. Thomas art. 5. ad 2.) *non consequitur* (in utroque ille timore) *identitas speciei, quia etiam motus naturales secundùm habitudinem diversam ad aliquem terminum specie diversificantur: non enim idem est motus specie, qui est ab albedine, & qui est ad albedinem.*

REFLEXIO.

Deum time, hoc est enim omnis homo. Si hoc est omnis homo: Ergo sine hoc nihil est omnis homo, infert D. Bernardus. Ergo si stas, noli altum sapere, sed time, sed cum metu, sed cum tremore salutem operare, sed solicitus sub potenti manu Dei humiliare; quia qualis sis apud Deum, nosse non potes, nisi ex parte; & qualis futurus sis, nosse tibi penitus impossibile est. Si peccator es, expavesce, & semper quasi timentes superte fluctus time Deum, quia pondus justitiæ ejus ferre non poteris, nec brachii fortitudinem sustinere. Si justus es, ne time minùs, quia ut præclarè Prosper epist. 84. *Vigilant tentatoris insidiæ, ut ubi proficit devotio, subrepat elatio. Quantò ergo in mandatis Dei quique proficiunt, tantò majores habent causas formidinis & tremoris: ne de ipsis probitatis argumentis mens sibi benè conscia, & laudis avida, in superbiæ rapiatur excessus, & fiat immunda vanitate, dum sibi videtur clara virtute.* An nescis quod ipsa justitia justis timenda est, ne ipsis operibus pietatis elati deserantur ope gratiæ, & remaneant in infirmitate naturæ? An nescis, quod Christus Sol justitiæ, qui justitias dilexit, contestatur non venisse se vocare justos, sed peccatores; non quòd veros justos negligat, aut non vocet justus Dominus; sed quia arrogantes, & sibi justitiam tribuentes, quive se justos dicunt, justè reprobat amator æquitatis. *Usurpatores justitiæ non vocantur ad gratiam*, inquit Ambr. *lib. 5. in Lucam.*

An non timebit qui nescit, an odio, vel amore dignus sit? An non meritò omnem metum sibi vendicabit negotium unicum, negotium negotiorum, opus salutis, æterni gaudii, vel mœroris? Ita planè, non paveat, per me licet, sit intrepidus, sit securus, qui potest dicere: Ego de electis sum, ego de prædestinatis ad vitam, ego de numero filiorum. Ecquis tam temerarius hæc præsumat, cùm in remotissimo ab humana cogitatione secreto de nullo ante mortem prænunciari liceat, aut possit, quod in electorum gloria sit futurus? Non paveat, non formidet, non configat timore carnes suas, qui ignorat Deum esse terribilem in consiliis super filios hominum; qui nescit propositum Dei super omnes manere immobile; qui non credit utrimque stare fixam senten-

tiam æternitatis, & in iis, qui salvi fiunt, & in iis qui pereunt; quive illud Augustini *lib. 10. de ovibus*, non audivit: *Ovem te putas, hircum te fortè novit Deus.* Ergo nihil timore Dei justum magis, nihil magis necessarium. Si mari, ejusque fluctibus mortem evestigiò minitantibus non credit nauta, licèt in modum stagni fusum æquor arrideat, licèt vix summa tacentis elementi vento terga crispentur, nec ejus tranquillitati confidit, quia momento mare vertitur, & eodem die ubi luserunt navigia, sorbentur; quantò magis in hujus vitæ lubrico per turbulentissimi maris procellas atque discrimina vecti jure omnia verentur, omnia timent. *Fratres*, ait August. in Psal. 80. *nimis timendum esse volo, melius est enim non vobis dare securitatem malam; non dabo quod non accipio; timens terreo; securos vos facerem, si securus ego fierem; ignem æternum timeo.* Nec minùs nervosè & vividè Bern. in sermone de verbis Job: *Unde nobis ista dissimulatio est, fratres mei? Unde hæc tam perniciosa tepiditas? Unde hæc securitas maledicta? Quid seducimus miseri nosmetipsos? Forsitan jam divites facti sumus? Forsitan jam regnamus? Nonne ostium domus nostræ horribiles spiritus illi obsident? Nonne exitum nostrum larvales illæ facies præstolantur? Quis ille pavor erit, ô anima mea, cùm dimissis omnibus, quorum tibi est tam jucunda præsentia, tam gratus aspectus, cohabitatio ipsa tam familiaris, sola ingrediens incognitam penitus regionem occursantia tibi catervatim teterrima illa monstra videbis? Quis tibi in die tanta necessitatis occurret? Quis tuebitur à rugientibus præparatis ad escam? Quis consolabitur? Quis deducet? Filioli mei, memoremur hæc novissima nostra, ut non peccemus.*

SPECULATIO II.

Timoris mundani, & servilis labes percensentur.

PRimò certum est, timorem mundanum esse simpliciter malum, & peccatum; cùm per illum homo recedat à Deo propter malum, quod timet ab hominibus; quod malum utique non timeret, nisi mundum plus nimio amaret, & ideo timor mundanus appellatur, quia bona mundana, quæ amat, timet amittere; quia ut præclarè dixit Augustinus: *Cum dolore non amittitur, nisi quod cum amore possidetur.* Et licèt naturæ hominis consentaneum sit propriè corporis detrimentum, cæterorumque bonorum mundanorum refugere jacturam, attamen quod propter caducas transitorii boni commoditates, & nugas nugarum homo à summo bono Deo, & à bono rationis in virtute sito recedat, perversitas est ipsi Philosopho persuasa: nam 3. *Ethic. cap. 1.* ait quædam esse, scilicet turpia, ad quæ nullo timore aliquis debet cogi; quia pejus est illa committere, quàm pœnas quascumque pati. Ideo dicitur *Matth. 10.* Nolite timere eos, qui occidunt corpus: ubi timorem mundanum reprobat, quo terrore mortis & tormentorum peccata patrantur; nam cæteroquin potestates à Deo hominibus prælatas timere licet, dum inferunt, & minantur pœnas, quibus à malo retrahunt peccatores; qua in re Dei ministri sunt, divinæ justitiæ Vicarii, legum vindices, boni communis conservatores, juxta illud Rom. 13. *Minister Dei est, vindex in iram Dei, qui malum agit.*

Porrò advertendum est, timorem mundanum dupliciter posse, & solere ex amore nimio creaturarum derivari. Interdum enim ex affectu alterius peccati oritur, dum nimirum falsis perituræ voluptatis illecebris irretitus ea timet perdere, quæ amat: v. g. potest aliquis fidem veram coram tyranno confiten-

dam negare ex immoderato divitiarum, quas possidet, vel illicitarum, quibus capitur, voluptatum amore: vel potest confessionem fidei detrectare solo mortis & tormentorum metu ex nimio vitæ & quietis amore exorto. In utroque casu timor ille semper nefarius, semper peccatum est: sed in priori vitium vitio accumulatur, & duplex peccatum patratur, & timor duplici deformitate sordet; quia & timere malum corporis cum detrimento animæ, peccatum est; & timere malum illud ex alterius amore peccati, cumulus sceleris, & duplex iniquitas est. At verò qui solius amore vitæ, & mortis pavore per se licito negat fidem, solius infidelitatis malitia afficitur, quia tunc timor ille ob solius circumstantiam effectus, non ex causa & radice malus est, quin etiam, ut notat Cajetanus, licèt semper ille timor peccatum sit, tamen ejus gravitas ex dolorum, & cruciatuum æternitate, & diræ mortis sævitia minuitur; quia tentatio est magis humana, & hominum infirmitati conformior.

Secundò licèt timor servilis secundùm suam substantiam bonus sit, servilitas tamen ejus mala est. Ita docet D. Thomas *quæst.* 20. *art.* 4. Prima pars colligitur ex variis Scripturæ & Patrum testimoniis; nam *Matth.* 20. hunc timorem Veritas suadet, quem proinde bonum supponit: *Timete*, inquit, *eum qui potest corpus, & animam perdere in gehennam.* Ad illum etiam Baptista *Luc.* 3. populos hortabatur, dicens: *Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructus dignos pænitentiæ.* Idem etiam tradunt Patres, non solùm quia in illius laudes sæpe effusi sunt, sed etiam quia expressè bonum esse pronuntiant, præsertim Aug. *in Psalm.* 127. his luculentissimis verbis: *Ille timor nondum castus præsentiam Domini, & pænas timet; timore facit quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum; non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi; sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est.* Unde Tridentinum proscripturum impium Lutheri dogma, quo dolorem ex timore pœnæ conceptum asserit hominem facere hypocritam & magis peccatorem, sic pronuntiat sess. 6. can. 8. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccatis abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

Rationem indicat S. Doctor hic, *ad* 3. Timor servilis secundùm substantiam refugit malum pœnæ à Deo infligendæ: Atqui bonum est refugere pœnam à Deo intentatam, nimirum gehennam; sicut bonum est, & honestum amare bonum ei adversum, scilicet beatitudinem æternam; bonitas enim & malitia timoris ex radice amoris pensanda est: unde cùm beatitudo digna sit, quæ ametur, ita miseria, & summa inferni miseria odio & fugâ digna est: Ergo laudabilis est, & bonus timor servilis secundùm substantiam spectatus. Nec mirum est, timorem illum reprehendisse impium Lutherum, qui nec Deum timebat, nec homines reverebatur; & cùm venisset in profundum, omnia divina, ecclesiastica, & humana contemnebat.

Secunda pars asserens, servilitatem timoris esse malum, ex eodem D. Thoma probatur. Servilitas in hoc consistit, ut pœna timeatur tanquam unum, & principale malum; & bonum, cui adversatur talis pœna, amatur tanquam ultimus finis Deo non subordinatus. *Ille*, inquit in corp. & ad 1. *facit aliquid timore servili, ut servilis est, qui bonum agit, non ut amet justitiam, sed solùm ut pænam timeat.* Et ad 2. ait, quod servilitas ex timore nascitur, ut quatenus scilicet homo affectum suum non vult subjicere jugo justitiæ per amorem. Ex quibus patet, eum qui timet timore servili, velle sistere in solo timore pœnæ, ita ut nullatenus operetur bonum, nec fugiat peccatum, nisi quia urget imminens pœna cum expresso proposito non operandi bona, nisi solius formidine pœnæ. Atqui servilitas illa mala est, & opposita libertati charitatis: tum quia liber est, qui sui causa est, ex Philosopho 1. *Met. c.* 2. servus verò econtrà est, qui non causa sui est, id est qui non ex propria inclinatione, sed quasi ab extrinseco motus operatur; qui autem ex amore aliquid facit, quasi ex seipso operatur, quia ex interna amantis voluntatis propensione agit; qui verò ex puro timore servili, quà servili, absque ulla permixtione amoris honestatis, involuntariè saltem secundùm quid, & contra propriam inclinationem agit. Tum quia timor servilis, quà talis, facit comparationem, magisque pœnam, quàm culpam; imò non culpam, sed solam pœnam timet; implicitè enim, & virtualiter includit hunc affectum: Peccatum non fugerem, si nulla ei impenderet pœna. Ergo servilis timor, quà servilis est, malus est, ut præclarè docet Aug. conc. 25. in Psal. 118. *Timor iste, quo non amatur justitia, sed timetur pæna, servilis est, quia carnalis est, & ideo non crucifigit carnem. Vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando speratur impunitas. Cùm verò pæna creditur secutura, latenter vivit, vivit tamen. Mallet enim licere, & dolet non licere quod lex vetat, quia non spiritualiter delectatur ejus bono, sed carnaliter malum metuit quod minatur.* Idipsum eleganter repetit epist. 44. *Inaniter putat victorem se esse peccati, qui pænæ timore non peccat. Quia etsi non impletur foris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen mala cupiditas intus est hostis. Et quis coram Deo invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri: sed ideo non facit, quia impunè non potest.*

Quare Lutherani timorem pœnæ omnem reprobantes, confundunt timorem cum servilitate; quæ licèt mala sit, timor tamen ipse secundùm se bonus est. Unde S. Thomas docet, quod si servilitas esset de ratione timoris pœnæ, timor ille foret simpliciter malus: verùm servilitas non est de essentia timoris, sicut nec informitas de ratione fidei informis; quia species timoris ex objecto, quod est pœna, accipitur, cui accidit quod bonum oppositum ametur tanquam ultimus finis; & pœna ut malum unicum timeatur. Stat ergo, servilitatem esse simpliciter malam, quia per illam non tollitur, sed permanet amor culpæ. Nam ut ait August. lib. 2. ad Bonif. cap. 9. *Quando autem timore pænæ, non amore justitiæ fit bonum, nondum benè fit bonum; nec fit in corde quod fieri videtur in opere, quando mallet homo non facere, si posset impunè.* Et lib. de nat. & grat. cap. 57. *Sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, quâ mallet, si fieri posset, non esse quod timet, ut occultè faciat, quod occultè desiderat.*

Tertiò timor servilis non est donum Spiritus sancti. Quia ut discurrit S. Doctor *art.* 9. licèt timor pœnarum sit impulsus Spiritus sancti, non quidem inhabitantis, sed moventis; tamen aliquando compatitur annexam peccandi voluntatem, quia ut ait Tridentinum, metus ille tunc solùm ad gratiam in Sacramento recipiendam disponit, si voluntatem peccandi excludat: ubi particula *si*, supponit interdum timorem illum voluntatem peccandi non excludere. Dona autem Spiritus sancti non possunt esse cum voluntate peccati, quia nunquam à charitate

disjuncta

disjuncta sunt. Cujus profundiorem radicem tradit Angelicus Doctor 1.2. *quæst.65.art.3.ad 3.* ubi docet, quod dona Spiritus sancti se habent ad homines in ordine ad Spiritum sanctum, sicut virtutes morales se habent ad vires appetitivæ facultatis in ordine ad regimen rationis, quæ perficitur per prudentiam: Ergo sicut virtutes morales invicem in prudentia connectuntur, ita dona Spiritus Sancti connectuntur radicata in charitate, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, cùm per eam voluntas à Spiritu sancto benè mobilis, & veluti ductilis reddatur: sine charitate autem voluntas non solùm non est bene mobilis, quin potiùs est ob ingenitam debilitatem peccato originali immensùm auctam divinis impressionibus repugnans; repugnantia autem mobilis ad movens impedit motum: Ergo cum charitate sunt omnia dona, sine charitate nullum.

Confirmatnt à posteriori: In Christo fuerunt, & sunt omnia dona Spiritus sancti, ut habetur *Isaia* 11. Et tamen servilis honor longè fuit ab illo, qui non condidit legem, & spiritum servitutis iterum in timore, sed adoptionis filiorum in charitate. Dicere verò timorem servilem fuisse in Christo, non quidem in omni sua latitudine, sed duntaxat sub ratione timoris reverentialis; hoc, inquam dicere, est veritati contradicere, quia cùm habitus sit simplex qualitas, ubicumque est, ibi secundùm totam suam latitudinem invenitur, tametsi omnes actus suos non semper producat. Patet autem nedum actum, sed etiam habitum timoris dedecere illum, qui est filius naturalis. Quod si nonnunquam Patres timorem servilem donum esse Spiritus sancti asserere videantur, nomen doni non in stricta Theologorum significatione accipiunt, sed pro omni eo, quod à Spiritu sancto cordibus hominum imprimitur.

Quartò timor servilis non est virtus, ut docet S. Doctor *art.9. ad* 2. *&* 3. & alibi. Quia de ratione virtutis est respicere bonum honestum propter ipsum; unde ille propriè dicitur virtuosus, qui bona virtutis amore & honestate illectus operatur, ac turpe ob ingenitam fœditatem detestatur. Atqui timor servilis, licèt ad operandum bonum stimulet, non tamen ad bonum gratiâ boni prosequendum, nec ad turpe fugiendum horrore turpis invitat. Ergo timor servilis à perfectione virtutis deficit, & ad summum rationem habitus boni obtinet, eo modo, quo de continentia & perseverantia affirmat S. Thomas 1.2. *quæst.58. art.3. ad 2.* quæ licèt sint habitus boni, non tamen virtutes, quia principium perfectæ actionis non sunt. Et confirmatur efficaciter, quia si iste timor servilis veræ virtutis rationem sortiretur, crescente charitate non minueretur, sed magis magisque augeretur; quod falsum esse, sic præclarè declarat Doctor Angelicus *art.10.* his verbis: *Timor servilis quantum ad servilitatem totaliter tollitur adveniente charitate; remanet tamen secundùm substantiam timor pœnæ, & iste timor diminuitur charitate crescente, maximè quantum ad actum; quia quantò aliquis diligit Deum, tantò minùs timet pœnam; primò quidem, quia minùs attendit ad proprium bonum, cui contrariatur pœna; secundò, quia firmiùs inhærens, magis confidit de præmio, & per consequens minùs timet de pœna.*

Dices: Timor est actus secundarius spei; nam ut ait D. Thomas art.6. hujus quæstionis, ejusdem rationis est, quod homo cupiat bonum suum, & timeat eo privari; eadem enim facilitate concupiscimus bonum nostrum, & timemus malum oppositum: unde timor videtur esse corollarium ex desiderio boni consequutum. Atqui per spem homo concupiscit bonum suum: Ergo per eandem timet malum suum, sicut per charitatem homo diligit Deum, & odit peccatum; quia istius odium ex illius amore derivatur.

Respondeo certum esse, timorem non esse actum secundarium spei; quia ut docet D. Thomas *art.10. ad* 2. timor pœnæ diminuitur crescente spe, sicut econtrà crescit timor filialis; quia quantò magis aliquis certiùs alicujus boni consequutionem per alterius auxilium expectat, tantò magis illum offendere, vel ab eo separari veretur: si autem timor servilis esset actus secundarius spei, non minueretur crescente spe, sicut non minuitur dilectio proximi crescente charitate erga Deum. Et certè experientiâ compertum est, spem moderari timores, quia dum excitat fiduciam, firmatque voluntatem, fluctuantes, & tremulos timoris dissipat pavores.

Ad argumentum ergo dicendum, amorem boni, & timorem mali oppositi ex eadem quidem radice profluere, sed non ex eodem principio proximo. Nec mirum, vel speciale illud est pro timore; nam omnes aliæ passiones in amore sui radicantur; ex eo enim quod proprium bonum diligimus, de amissione illius contristamur, & in obices illius irascimur, quanvis ira, tristitia, cæteræque passiones ab amore distinctæ sint. Ita egregiè explicat D. Thom. *art.9. ad* 3. dicens: *Ex hoc quod amor est principium timoris, non sequitur quod timor* (filialis) *non sit habitus distinctus à charitate, quæ est amor Dei, quia amor est principium omnium affectionum, & tamen in diversis habitibus perficimur circa diversas affectiones in Deo.* Quod autem dicit S. Doctor de timore filiali per ordinem ad charitatem & amorem Dei, dicendum est de servili per ordinem ad amorem sui; sicut enim primus amor primum causat timorem, ita secundus secundum. Et certè si hæc objectio valeret, probaret etiam timorem pœnæ elici à charitate: nam homo per charitatem cupit bonum suum, ut asserit D. Thomas in eodem articulo, quem refert objectio, dicens quod amor sui uno modo contrariatur charitati, secundùm quod aliquis in amore proprii boni finem constituit: alio modo in charitate includitur secundùm quod homo se propter Deum, & in Deo diligit. Et initio corporis articuli: *Timor servilis ex amore sui causatur, quia est timor pœnæ, quæ est detrimentum proprii boni.* Unde hoc modo timor pœnæ potest stare cum charitate, sicut & amor sui; ejusdem enim rationis est, quod homo cupiat bonum suum, & quod timeat eo privari: igitur ad amorem sui reducendus esset potiùs timor pœnæ, quàm ad spem: reducendus, inquam, radicaliter, non formaliter, uti exposuimus.

Instabis: timor, sive filialis, sive servilis, est habitus specialis, ut supponit Doctor Sanctus *art.5.* sed non est habitus malus, nec iodifferens: Ergo est habitus bonus, & virtutis.

Respondeo fatendo, timorem esse habitum, quia dantur in nobis plures actus supernaturales, & naturales timoris: supernaturales quidem, qui sequuntur fidem præviam, & sunt impulsus Spiritus sancti nondum quidem inhabitantis, sed moventis: naturales verò orientes non quidem ex amore naturali Dei, nec etiam ex immoderato amore sui; sed ex honesta dilectione boni proprii: unde sequitur horror pœnarum, & ærumnarum illarum fuga, quas fides detegit & minatur: Ergo necessariò admittendus est habitus timoris acquisitus, ex iteratis actibus genitus, & ad similes actus eliciendos proclivis: sicut & datur timoris habitus infusus, quo actus supernaturales sacri metus connaturaliter eliciuntur. Ex quibus non sequitur, habitum timoris esse strictè

habitum virtutis, quia non est dispositio perfecti ad optimum, nec per se inclinat ad honestum virtutis amore, sed formidine pœnæ, quod est contra rationem virtutis, quam sola honestas allicit, sola placet, & propter se: turpe verò propter ingenitam fœditadem detestatur, illudque non minùs solicitè fugeret, tametsi nullæ impeoderent pœnæ flagitiis.

Reflexio.

Timorem mundanum mundanis relinquamus, nec inviti, aut pœnarum timore acti Domino inserviamus. Eam nobis Christus promeruit, obtinuitque libertatem, non ut non impleamus quæ præcepta sunt, sed quatenus ad ea implenda non pœnarum metu, & legis imperio compulsi, sed tota spiritus plenitudine, tota cordis amantis libertate moveamur. Ideo namque justo non est posita lex, quia in lege Domini voluntas ejus; in lege, inquam, non sub lege, quia etsi secundùm legem Dei sponte sua agit, non tamen secundùm legem Dei invitus agitur. Quia nimirum honestum honestatis gratiâ colit, Deum propter majestatem timet, propter bonitatem amat; neque ob mercedem, vel supplicium, vel hujus vitæ commodum, vel periculumofficio fungitur suo. Ergo perfecta charitas mundanum foras mittat timorem; sæcularis timoris dirumpamus *ferrea vincula* (sic ab Augustino *in Psalm.* 149. appellantur;) adjciamus autea amoris, quibus non constringitur animus, sed levatur. Abigamus timorem illum, quia nulla mala non aufert; sed ipse malus est, & malum latenter amat, & ut timenda declinet, in pœnitenda incurrit. Audi August. in Enchir. cap. 121. *Omnia præcepta divina referuntur ad charitatem; omnis itaque præcepti finis est charitas, idest ad charitatem refertur omne præceptum: quod verò ita fit, ut vel timore pœna, vel aliqua intentione carnali non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur.*

Certè timor mundanus, & merè servilis, ipse timendus est; quia nun voluntatem peccati excludit, sed intus servat, & intus fovet. Nam ut ait August. serm. 10. de verbis Dom. *Qui timore pœna non concupiscit, puto quia jam concupiscit. Terrore ingenti armorum, atque telorum, & circundantis forsitan multitudinis etiam leo revocatur à præda; & tamen leo venit, leo redit; prædam non rapuit, sed malitiam non posuit.* Succinit Gregorius III. part. Past. admonit. 14. *Qui propterea bonum facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, ut audacter illicita committat.*

Speculatio III.

Timoris filialis dotes, & sacra delicia.

PRimum timoris filialis privilegium, unde omnes scrupulosæ, & ferè superstitiosæ conscientiæ morsus evellit, est quod culpam ipsam secundùm rationem culpæ voluntariæ non timet, sed solam à Deo summè dilecto separationem. Hanc profundam veritatem, & à paucis observatam tradit Doctor Sanctus hic *art.* 2. dicens: *Utrum autem malum culpæ possit timeri, suprà dictum est, cùm de passione timoris ageretur*, scilicet 1. 2. *quæst.* 53. *art.* 3. ubi hanc sententiam expressè docet & probat. Unde non possum satis mirari quorundam Neotericorum incuriam, & in lectitando D. Thoma oscitantiam (ne quid gravius dicam, & justè dicerem) asserentium D. Thomam 2. 2. correxisse, & retractasse, quod 1. 2. docuerat, cùm in secunda secundæ quæstionem illam non determiner, sed ad primam secundæ, ubi eam solverat, se remittar.

Ratio fundamentalis traditur loco laudato 1. 2. & est hujusmodi: Culpa ut culpa est, seu voluntaria, nihil quà talis habet, quod timeatur: ergo de ea, non potest esse timor filialis. Probatur anteced. Illud quod subjacet voluntati & potestati nostræ, nihil haber quod timeatur; quia illud solùm timemus, vel saltem timere debemus, quod habet rationem terribilis; sicut illud duntaxat speramus, quod habet rationem ardui. Porrò illud solùm terribile censendum est, quòd à causa extrinseca à nobis minimè impedibili intentatur. Atqui culpa ut culpa est, nullam habet causam exteriorem, à qua efficiatur, sed à sola proficiscitur eligentis voluntatis libertate: ergo culpa ut culpa est, nihil habet quod timeatur, sed solùm inquantum est ab exteriori causa, magnâ vi nos ad peccatum impellente, qualis est vehemens maligni spiritus tentatio, inducens, & ferè trahens, ac rapiens perversorum societas; sed ut observat D. Thomas, tunc non tam culpam secundùm rationem voluntarii, quàm seductionem timemus.

Confirmatur radicitus ex processu voluntatis in nostro proposito sic se gerentis. Primò voluntas filii adoptionis ex charitate sincerè diligit Deum, & purè propter ipsum: deinde summo odio prosequitur vitium & peccatum, utpote unum divinæ bonitatis hostem; unde ad odium omninò pertinet ferri ad culpam sub ratione culpæ voluntariæ, quia quà talis summo bono summè dilecto adversatur. Hinc sequitur timor filialis ab amore Dei, & odio culpæ imperatus, ex hoc enim, quod justus odit culpam ut culpa est, quia amat Deum, sequitur quod causas ad peccatum inducentes formidet, & præcipuè à Deo summo dilecto separati vereatur. Ex quo patet, timorem filialem non respicere culpam, in quantum culpa est; sed supponere culpam sub ea ratione ab odio respici, fugi; ipsum verò timorem respicere formaliter culpam, ut à Deo dilecto separat, & prout ab externis tentationibus induci potest.

Dices: D. Thomas *art.* 10. expressè asserit, quod si aliquis converratur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis; si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis: nam filiorum est timere offensam. Et clariùs art. 5. *Necesse est, quod secundùm diversitates malorum timores specie differant; different autem specie malum pœna, quod refugit timor servilis; & malum culpa, quod refugit timor filialis.* Ergo ex D. Thoma timor filialis est de culpa ut culpa est, ac per hoc distinguitur à servili: ergo vel se correxit D. Thomas, vel sibi ipsi contradicit.

Respondeo magnum esse discrimen inter hoc, quod timor filialis sit de culpa, & quod sit de culpa ut culpa est, seu ut est voluntaria. Hoc secundum nusquam invenitur apud D. Thomam, nisi refutatum: ad primi autem veritatem sufficit, quod timor filialis formidet culpam, quatenus ex ea sequitur separatio à Deo. Nec hæc responsio est voluntaria, sed à Doctore Sancto *art.* 6. deprompta, ubi sic formaliter ait: *Separari à Deo est quædam pœna, quam charitas maximè refugit; unde hoc pertinet ad amorem castum.*

Instabis contra rationem D. Thomæ: Malum culpæ est malum imminens, deterius malo pœnæ, arduum etiam, & difficile; licèt enim culpa à libero voluntatis consensu procedat; tamen voluntatem ex primigenii peccati labe in malum tam proclivem continere, internæ concupiscentiæ impetus contra rationem quotidianis conflictibus insurgentes moderari, &

& non peccare, difficultas difficultatum : & ideo ad peccatum patrandum sufficit quidem libertas arbitrii , ad illud verò vitandum , & faciendum bonum, nequaquam sufficit nisi adjuvetur ab omnipotenti bono : ergo culpa ut culpa est, difficilis est, & solo Dei auxilio superabilis : ergo de ea ut tali potest esse timor, ruitque tota structura fundamenti D. Thomæ.

Respondeo hoc argumentum æquivocatione laborare ; aliud est enim peccare, aliud vitare peccata: licèt autem vitare peccata sit difficile & arduum,non tamen ipsum peccare : vitare autem peccata non respicit timor, sed spes ; non enim timemus vitare peccatum ; sed illud Deo dante vitare speramus ; ipsum autem peccare secundùm se non est arduum,sed hortendum, sed divinæ bonitati contrarium : unde non est objectum timoris, sed odii, nisi quatenus ex peccato consequitur separatio à Deo, quam unicè formidat timor castus.

Urgebis , Spes timori opponitur : Sed spes potest esse de bono virtutis, & actu honestu , licèt à libera voluntate prodeat , sufficienter tamen habet rationem ardui , & difficilis : Ergo etiam timor potest esse de actu malo , seu de culpa ut culpa est , & voluntaria.

Respondeo cum D.Thoma 1. 2. citata, ad 3.spem inter & timorem intercedere discrimen , quia spes est de bono, quod quis potest adipisci; potest autem quis adipisci bonum, sive per se, sive per alium : & ideo spes potest esse de actu virtutis , etiamsi sit in nostra potestate constitutus. At timor est de malo , quod nostræ non subjacet potestati , sed ab externa causa infligitur : unde licèt bonum , quod speramus, possit esse & à causa intrinseca , & ab extrinseca ; malum tamen, quod timemus , semper ab externa causa vel infligitur , vel impendet.

Ad cujus profundiorem intellectum considerandum est , in actione bona & mala contingere posse difficultatem ; nam & arcta via est, ac angusta porta, quæ ducit ad vitam ; & pariter restantur impii Sapient.5. *ambulasse se vias difficiles , & lassatos esse in via iniquitatis.* Verùm difficultas actioni malæ intermixta non est de ratione culpæ,quæ per se non difficultatis spinis,sed nimiæ facilitatis illecebris vestitur; culpa namque in suo conceptu solam rationem voluntariæ aversionis à bono incommutabili,& conversionis ad bonum commutabile includit ; & cùm sub hac ratione culpa nostræ penitus subjaceat libertati, planè sequitur culpam ut culpa est, difficultate carere: subindeque nullum inertere timorem natam esse. At verò difficultas actus honesti per se ad bonum virtutis pertinet; virtute namque opus est ad vincendas difficultates, quas in operibus bonis concupiscientia invenit ; imò non nisi propter eas superandas dantur habitus virtutis : unde non mirum , si actus virtutis habeat rationem ardui , subindeque objectum spei est.

Secundum privilegium : Timor filialis est comes individuus charitatis, itaut crescente charitate crescat & timor castus. Probatur contra Durandum *in 3. dist.34. quæst. ultim.* 1. Crescente causa effectus illius connaturalis per se crescat necesse est, saltem si talis effectus per se ex illa causa descendat : sed timor castus per se à charitate fluit ; quantò enim aliquis magis diligit amicum , tantò ampliùs eum offendere , ab eoque separari pertimescit ; ergo crescente charitate timor filialis augetur , & qui Deo intimiùs adhæret , & aliunde vitæ hujus pericula cernit, quibus tantum bonum amitti potest , inter tot hostium incursus , tot tentationum procellas , tot passionum insultus , & tantam flexibilis , infirmique arbitrii fragilitatem non potest, non debet non timere. Certè sicut dum pretiosum liquorem summè sibi utilem & charum quis per iter lubricum, & salebrosum gestans , tantò magis timet , quantò liquorem amat: ita viri Sancti,& Dei amantes , thesaurum gratiæ in vasis fictilibus portantes bonum illud timent amittere, cujus privatio mors animæ est. Unde dicebat Propheta Coronatus. Psalm.118. *Anima mea in manibus meis semper* , ut eam ab impendentibus undique periculis servem incolumem.

Sed dices cum Durando : Quantò separatio à patre est magis difficilis , tantò minùs timetur , quia tunc minor est causa timendi , sed gaudendi materia : Atqui quanto crescit charitas tanto separatio à Patre cœlesti est magis difficilis ; imò in charitate ferventes experimur , & dicunt cum Apostolo , certos se esse , quod neque mors , neque tribulatio , neque potestates , neque alia mundi terrienlamenta poterunt ipsos à charitate Christi separare. Ergo ex hoc, quod timor castus sit effectus charitatis, non rectè concludit Doctor Angelicus , quod crescente charitate crescat timor castus , sed potiùs timorem decrescere inferre debuit , cum charitas foras mittat timorem , & cùm timor exigat tanquam objectum malum separationis à Deo ut possibile : quod utique malum crescente charitate minùs possibile evadit.

Respondeo multas in objecto timoris reperiri formalitates , nimirum rationem & mali , & possibilis , & futuri : unde quacumque rationum illarum auctâ , vel diminutâ , objectum magis vel minùs timendum est ; majora enim mala , & proximiùs impendentia timemus. Cæterùm rationum illarum aliæ magis principales , aliæ minùs præcipuæ jure merito censentur ; quas inter primum locum sibi vindicat ratio mali , quod est simpliciter mensura timoris : quantò enim majus, & graviùs imminet malum tantò timor justior est , & fundatior : ratio verò possibilis,& futuri est minùs principalis, ut ex eo appatet, quod nobis solenne est, magnum malum , licèt non tam facilè contingens , timere magis , quàm leve malum, tametsi crebrò, & facilè obveniens. Hinc liquidò sequitur , crescente in objecto timoris præcipua , & magis formidanda ratione mali , & decrescente minùs præcipua , minusque terribili , timorem crementa suscipere essentialia , & non nisi secundùm quid decrescere ex diminutione possibilitatis, facilitatis, vel difficultatis objecti ; quia diminutio secundùm quid non tollit , vel impedit augmenta simpliciter. Sic autem contingit in proposito ; nam quantò magis crescit Dei dilectio , tantò unio cum ipso magnipenditur, tantò separatio ab ipso mala esse apprehenditur , tantòque magis formidatur : Ergo pro ratione charitatis crescit timor castus, quia crescit boni divini æstimatio, crescit separationis à Deo mali ponderatio & pavor , licè secundùm quid ex diminutione possibilitatis illius tam grandis, & unici mali minuatur nonnihil formido ; vel, ut clariùs dicam, crescente charitate , non minuitur timor castus , sed pœna , turbatio, & solicitudo innata timori; quia qui Deum magis amat , non minùs majestatem ejus veretur , sed dulciùs , ob effusam divinæ dilectionis suavitatem.

Tertium privilegium est timoris casti æternitas, ratione cujus permanet in sæculum sæculi , & in patria cum charitate , quæ nunquam excidit , perseverat. Cùm enim timor filialis sit effectus , & fructus charitatis , tantùm abest , quod à patria timor exulet, quod cùm ibi charitas sit in ultimo consummatæ perfectionis gradu , ibidem etiam timor ille non destruitur , sed perficitur , & coronatur. Unde dicitur

Job. 26. quod *columnæ cœli tremunt, & pavent ad nutum ejus*; quia ut ait Greg. 7. Moral. cap. 15. *Ipsæ virtutes cœlestes, quæ Deum sine cessatione conspiciunt, in ipsa contemplatione contremiscunt. Qui tamen tremor ne sit eis pœnalis, non timoris est, sed admirationis*, quia scilicet infinitam, sibique incomprehensibilem Majestatem suspensi demirantur.

Hujus sacri timoris actus quis, & qualis sit, diviné explicat D. Thomas, tum hîc *ad* 1. & 3. tum *quæst. unica de spe, art.* 4. *ad* 2. tum 3. *p. quæst.* 7. *art.* 6. his ferè verbis. Timor respicit duo objecta, quorum unum est malum terribile, aliud est illud, cujus potestate potest malum inferri; sicut aliquis timet Regem, in quantum habet occidendi potestatem; non autem timeretur ille, qui potest nocere, nisi quandam haberet eminentiam potestatis: cui de facili resisti non potest; ea enim, quæ in promptu habemus, repellere non timemus; & sic patet, quod aliquis non timetur, nisi propter suam eminentiam. Sic igitur dicendum, quod in Beatis permanet timor Dei, non secundùm quod respicit malum separationis à Deo per culpam, nec secundùm quod respicit malum punitionis pro culpa, sed secundùm quod respicit divinam eminentiam, unde affectus & motus reverentiæ proficiscuntur, dum immensam celsitudinem, & majestatem illius contemplamur, cujus potestate malum infligi potest.

Ad cujus penitiorem intellectum, & clariorem pariter expositionem, considerandum est, quod timor respicit malum; sub malo autem comprehendi potest omnis defectus: est autem triplex hominis defectus; unus quidem pœnæ & hunc principaliter respicit timor servilis; alius autem est defectus culpæ, & hunc defectum respicit timor filialis, in quantum ex eo consequitur separatio à Deo: & sub hac duplici ratione non erit timor in patria, ubi nulla erit peccandi potestas, nulla pœnæ miseria, juxta illud Proverb. 1. *Abundantia perfruetur, malorum timore sublato.* Sed est tertius defectus naturalis, quatenus quælibet creatura in infinitum distat à Deo, qui defectus nunquam tolletur; & hunc defectum respicit timor reverentialis, qui est in patria, reverentiam exhibens. Creatori ex consideratione majestatis infinitæ & propriæ vilitatis. Quare licèt a patria exulet timor solicitudinem habens, & de malo præcavens, non tamen timor securus, non solicitudine infirmitatis, sed tranquillitate charitatis. Unde voluntas ex contemplatione supremæ eminentiæ veluti retracta, & in ingenitam parvitatem reflexa, divinæ sese subjicit potestati, à qua malum infligi, vel permitti potest, licèt ex divina misericordia non infligatur.

Dices: Si timor castus maneret in patria, prorumperet in eosdem actus, quos elicit in via: sed hoc est falsum, nam timor filialis in via formidat culpam, ut ex ea sequitur separatio à Deo, quod longè est à patriæ securitate: Ergo timor filialis non perseverat in patria.

Respondeo, timorem castum permanere in patria, tametsi non eundem, sed distinctum actum eliciat: quod sic præclarè explicat D. Thomas citatus; *Non habet timor in patria eundem actum, quem habet modò. Ad cujus evidentiam sciendum est, quod proprium objectum timoris est malum possibile, sicut proprium objectum spei est bonum possibile. Et cùm motus timoris sit quasi fuga, importat timor fugam mali ardui possibilis, parva enim mala timorem non inducunt. Sicut autem bonum uniuscujusque est* (peregregia est observatio, & totius vitæ spiritalis medulla,) *ut in suo ordine consistat; ita malum uniuscujusque est, ut suum ordinem deserat. Ordo autem creaturæ rationalis est, ut sit sub Deo, & supra cæteras creaturas. Unde sicut malum creaturæ rationalis est, ut subdat se creaturæ rationali per amorem; ita etiam malum ejus est, si non Deo se subjiciat, sed in ipsum præsumptuosè insiliat, vel contemnat. Hoc autem malum creaturæ rationali secundùm naturam suam consideratæ possibile est, propter naturalem liberi arbitrii flexibilitatem; sed in Beatis fit non possibile per gloriæ perfectionem. Fuga ergo hujus mali, quod est Deo non subjici, ut possibilis naturæ, impossibilis autem beatitudini, erit in patria.* Quæ verba si benè penetrentur, omnem difficultatem evacuant, & explicant quomodo etiam timor patriæ respiciat, & fugiat malum, nimirum malum quod est non subjici Deo, ut possibile naturæ humanæ absolutè. Nec propterea timor filialis patriæ est diversæ rationis à timore viæ, quia licèt actus distinctos pro diversitate status eliciat, idem tamen actus primarius circa objectum principale remanet, quia semper manet eminentia boni divini, cujus potestate malum infligi potest; quod est casti timoris castissimum & æternum objectum.

Instabis: Timor non respicit solummodò malum possibile quomodocumque, sed ita possibile, ut sit aliquo pacto futurum, vel imminens; nemo enim ut ait Philosophus 9. *Metaph.* timet ne cœlum ruat, vel aqua ascendat, quanvis utrumque absolutè possibile sit. Et certè si ad timorem sufficeret fuga mali, impossibilis quidem statui, sed possibilis naturæ, posset in patria permanere timor servilis, qui licèt repugnet beatitudini, est tamen possibilis naturæ secundùm se consideratæ. Atqui Beatis nullum malum futurum imminet, sed est solùm possibile naturæ secundùm se consideratæ. Ergo nullus timor in Beatis perseverat. Et confirmatur: Omnis timor est alicujus mali, malum enim est objectum, à quo specificatur timor; sed in patria nullus est, vel esse potest malum, quia ibi est possessio omnis boni cum securitate perpetuitatis, & æternitatis; unde dicitur Proverb. 1. *Abundantia perfruetur, malorum timore sublato.* Ergo omnis timor longè est à Beatis.

Respondeo solutionem horum omnium compendiosis istis D. Thomæ verbis contineri: *Dicendum,* inquit ad 1. *quod excluditur à Beatis timor sollicitudinem habens, de malo præcavens non autem timor securus.* Solicitudo autem, & cautela est quidem imperfectio timoris viæ, sed non est de essentia timoris, nec subinde manere debet in patria. Quare sufficit, quod malum sit possibile naturæ, & ita possibile, ut nisi summo Deus beneficio illud impediret, futurum evaderet, & impendens. Unde exemplum illud lapsus cœli, vel ascensus aquæ non est ad propositum; licèt enim utrumque sit metaphysicè possibile, neutrum tamen est naturæ consentaneum. At verò malum, & defectus est naturæ creatæ, hoc ipso, quod ex nihilo creata est, connaturale. Nec illud quod de timore servili additur, urget; est enim apertum discrimen, quia timor servilis, in quantum servilis, adversatur charitati, nec primariò respicit divinam essentiam, sicut filialis: unde consummata patriæ charitas timorem servilem penitus excludit. Ex quibus etiam patet ad confirmationem, nam eminentia divina, ut potens infligere malum timeri potest, sub qua quidem consideratione rationem objecti formidandi induit, non in se, sed respectu nostri. Itaque timor in cœlo respicit malum ut possibile naturæ sibi relictæ, & rursum altiori modo, quia divinam eminentiam respicit, cujus potestate malum infligi potest.

Præceptum

Præceptum timoris.

Circa donum timoris pauca alia docet D. Thomas non omittenda quidem, sed breviter delibanda. In primis articulo ultimo hujus quæstionis docet, paupertatem spiritus respondere dono timoris; ex hoc enim, quod aliquis perfectè timet Deum, consequens est, quod non quærat magnificari in seipso per superbiam, neque etiam quærat magnificari in exterioribus bonis, honoribus scilicet, & divitiis: quorum utrumque pertinet ad paupertatem spiritus secundùm quod paupertas spiritus intelligi potest, vel exinanitio inflati, & superbi spiritus ut August. *lib.* 1. *de serm. Domini in monte*, *cap.* 2. *& cap.* 9. exponit; vel secundùm quod est abjectio temporalium rerum, quæ fit spiritu, idest propria voluntate per instinctum Spiritus sancti, ut Ambrosius *lib.* 5. *in Luc.* & Hieronym. *super Matth.* exponunt.

Deinde quoad præceptum timoris docet idem D. Thomas *quæst.* 22. *art.* 2. præceptum de timore è variis Scripturæ locis colligi. Nam *Deut.* 10. dicitur: *Et nunc Israël, quid nunc Deus tuus petit à te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum?* Et in Psalm. 33. *Timete Deum omnes sancti ejus.* Et alibi sæpe. Et quibus accedit Patrum sæpe sæpius timoris Dei necessitatem inculcantium authoritas. Et ratio pro timore servili est, quia licèt præceptum timoris non sit positum in lege, sed sit quoddam præambulum ad legem, sicut præceptum spei (sicut enim spe præmiorum ad observantiam præceptorum allicimur, ita timore pœnarum ab eorumdem violatione deterremur:) nihilominus tamen sapientes, & Prophetæ intendentes homines in observantia legis stabilire, sicut de spe, ita de timore præcepta condiderunt. Veruntamen quia timere pœnam non est medium ad salutem simpliciter necessarium, sed ex suppositione duritiei cordis humani non valentis nisi intentatis flecti pœnis; fit inde, quod ille, qui per totum vitæ cursum uno Dei amore motus ex sola charitate operaretur, tantùm abest quod peccaret, vel præceptum de timore non impleret, quin potiùs perfectiori modo divinam legem impleret, cùm charitas sit finis legis, ex eaque universa lex pendeant & Prophetæ. Præceptum ergo timoris pœnæ non obligat, nisi ex suppositione necessitatis, quando nimirum peccator eo indiget terrore concuti, ut convertatur, & pœniteat. An verò preceptum timoris pœnarum sit distinctum à præceptis cæterarum virtutum, quibus tenetur homo bonum variis in circunstantiis operari, non est certum secundùm fidem, nisi in casu præfato, quando nimirum homo, qui amore Dei non ducitur, terrore concuti debet, ut convertatur.

Ratio autem pro timore filiali est, quia timor ille ex charitate nascitur, & charitatem unde oritur, fovet, profunda enim divinorum reverentia solidæ pietatis radix est & fomentum; unde timor filialis, qui reverentiam Deo exhibet, vocatur à D. Thoma *genus ad dilectionem Dei, & principium quoddam omnium eorum, quæ in Dei observantur reverentiam.* Quia nimirum dum timor hominem Deo subjicit, ipse est veluti inchoata præceptorum omnium observatio: ergo sicut dantur de dilectione Dei præcepta, ita & de timore filiali, sine quibus legem Decalogi nunquam homo, sicut oportet, observabit. An verò præceptum timoris filialis sit à præcepto charitatis distinctum, non est secundùm fidem determinatum; probabilius tamen judicamus, esse distinctum, vel saltem importare extensionem præcepti charitatis, ut satis clarè innuere videtur D. Thom. hîc dicens: *Ex amore sequitur timor filialis, sicut etiam & alia bona opera, quæ ex charitate fiunt; & ideo sicut post præceptum charitatis dantur præcepta de aliis actibus virtutum, ita etiam simul dantur præcepta de timore & amore charitatis: sicut etiam in scientiis demonstrativis non sufficit ponere principia prima, nisi etiam ponantur conclusiones, quæ ex iis sequuntur, vel proximè, vel remotè.* Quare identidem bonus Christianus non solùm in motus dilectionis Dei prorumpit, sed etiam offensam Dei, & separationem ab illo super omnia mala timet. Nec verè Deum diligit, nisi oblata occasione peccati, quæ sæpe, & quotidie occurrit, hos sacri timoris & castæ reverentiæ affectus sentiat.

REFLEXIO.

Timete Dominum omnes sancti ejus. Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Psal. 31. Timorem, inquam, castum, qui virtutum custos est, munitio animæ, murus invictus, nullâ hostium machinâ concutiendus; scutum in bello christiano, gladius anceps, omnem pravam concupiscentiam excidens; pietatis parens, arrha salutis. Hoc sacro timore castificantes animas nostras in obedientia charitatis, invenimus lapidem lydium, quo justum capitur experimentum, quantum veræ in nobis virtutis sit.

Hoc sacro timore, nedum nobis beatitudinem comparamus, sed & prægustamus; nam beatus homo, qui semper est pavidus: undè pulchrè exclamat S. Zeno Veronensis serm. de timore: *O necessarius timor! qui nihil aliud agit, nisi ut beatos efficiat; qui timet arte, non casu, voluntate, non necessitate; religione; non culpâ: qui Deum metuit, non naturam, sine fine studet timere, ne quid præter Deum, quem diligit, timeat.* Hinc timor fundamentum salutis est, & coronis: fundamentum quidem, quia timendo cavebimus; cavendo salvi erimus; coronis verò, quia timor Dominus sanctus permanet in sæculum sæculi; quando quilibet Beatus, ut loquitur Fulgentius, non timebit formidine criminis, sed robore firmitatis, & firmitate virtutis; Denique eminentiam reverebitur tranquillitate charitatis. Sicut ergo solum æternum bonum amandum est, ita illo privari timendum est. Et licèt humanus timor debilitatem pariat, castus tamen Dei timor animos auget, & vires, quia dum sibi diffidit, totam suam in Dei omnipotentia fiduciam collocat. Unde præclarè Gregorius lib. 5. Moral. cap. 12. *In via Dei à timore incipitur, ut ad fortitudinem veniatur. Nam sicut in via sæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit; & sicut in via sæculi timor debilitatem, ita & in via Dei timor fortitudinem gignit, Salomone attestante: In timore Domini fiducia fortitudinis. Quia nimirum mens nostra tanto valentiùs terrores rerum temporalium despicit, quantò se auctori earumdem veraciùs per formidinem subdit, quæ in timore Domini constituta non invenit extra quod metuat; quia dum recto metu Conditori omnium conjungitur, potestate quadam supra omnia sublevatur.*

✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠✠

DISSERTATIO IV.

De Charitate.

CHARITAS à Græco χάρις, quod significat gratiam, idest est ac amor gratuitus & liberalis, quem Deus infundit in cordibus nostris per Spiritum sanctum. Etsi autem hujus virtutis amore præcipuè teneatur *Theologia mentis & cordis*, hæret

tamen, fateor, in tanta, tamque uberi materia calamus, & de illa detrectat scribere, quæ gustu laudari magis debet, quàm exquisitio verborum apparatu. Quia ut docent Sancti, amandi artem amandi nescius nec capit, nec docere potest, solus fiovir expertus. Attamen quia ut monet S. Laurentius Justinian. de casto connub. cap. 12. *ipse amor cogitandi materiam ministrat*; non potest silere Theologica mea, sed in proprio veluti centro constituta eructet verba bona necesse est, ut ex abundantia cordis os loquatur, & rursum institutis de charitate sermonibus amor ampliùs accendatur; nam sicut amor cogitationes inspirat & verba, ita cogitatio, & sermo amorem accendunt: in meditatione quippe exardescit ignis: & cor discipulorum ardens erat, dum Veritas in via loquebatur.

CAPUT I.

Existentia, essentia, & objectum charitatis exponuntur.

CHaritatem dari, & esse necessariam, nemo inficiatur Christianus, cùm in ea totus situs sit Christianismus; sed de charitate, an sit quid creatum, à Deo nobis illapso distinctum, aliqui dubitarunt, contra quos sit.

SPECULATIO I.

Existentia charitatis demonstratur.

SUpponendum est primò, charitatem esse habitum productum in anima, quidquid in contrarium sentiat Magister Sententiarum *in* 1. *dist*. 17. ubi excellentiâ charitatis ferè raptus arbitratus est, motum dilectionis à nullo habitu creato elici, sed à Spiritu sancto immediatè nobiscum agente produci; & habitualem charitatem nihil aliud, quàm ipsummet personam Spiritus sancti intimè cordi præsentem & missione Patris & Filii nobis datam. Verùm nostra suppositio est omninò Scripturæ, Patribus, & Conciliis consentanea. Dicitur etiam Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Non ergo ipsa est Spiritus sanctus, sed quid creatum à Spiritu sancto diffusum. Et D. August. *lib. de spirit. & lit. cap.* 31. ait, *quod charitas ex Deo dicitur esse, quia dilectores nos facit; sicut justitia Dei dicitur, quia ejus munere justi sumus: ita charitas nostra dicitur charitas Dei, quia dimanat à Deo, quâ scilicet nos ipsum diligimus, non quâ ipse diligit nos.* Et *lib. de moribus Ecclesiæ*, ac alibi sæpe ait, charitatem esse virtutem. Hinc Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 7. definit nos justificati per justitiam inhærentem, & quod fides, spes, charitas infunduntur in justificatione. *can.* 11. quod charitas nobis inhæret.

Rationem hujus veritatis efficacem tradit D. Thomas, cujus robur sic expenditur: Voluntas non sic movetur à Spiritu sancto ad diligendum Deum, quin ipsa sit causa efficiens hujus dilectionis, cùm nihil sit tam voluntarium, quàm amor; voluntarium verò omne sit à principio intrinseco: sed ad hoc, ut voluntas efficienter eliciat actum dilectionis, prorsus indiget infusæ alicujus formæ, seu habitus adjumento; nullus siquidem actus potest permanenter, & facilè ab aliqua potentia prodire, nisi actus ille fiat connaturalis beneficio alicujus formæ, quæ sit principium actionis, ut patet & in naturalibus, & in artificialibus, & in moralibus: ergo ut voluntas sit causa efficiens dilectionis, eamque connaturaliter prorumpat, indiget habitus permanentis adjumento, quod sit principium connaturale supernaturalis dilectionis. Et confirmatur. Actus charitatis totius perfectionis apex, & vitæ spiritalis consummatio, non est imperfectior actibus naturalium facultatum, vel virtutum moralium, nec minùs suaviter in actus suos charitas inclinat, quàm cæteræ virtutes, sed longè magis in ipsos inclinat, & delectabiliùs operatur; amori enim per se convenit inclinatio per se, convenit suavitas & delectatio: ergo ut actus dilectionis aliis virtutum actibus perfectione non cedat, utque facilè, & veluti sponte, & connaturaliter à voluntate procedat, debet voluntati adjici principium connaturale hujuscemodi dilectionis, cùm actus ille per naturam voluntatis non possit dici connaturalis, cùm ejus facultatem naturalem excedat. Ergo sicut intellectui infundit Deus fidem, quâ credimus; ita voluntati charitatem, quâ diligamus. Et hac de causa dicitur Deus disponere omnia suaviter, quia dum res ad certos fines permovet, illis simul indit formas, quibus ad fines præstitutos & suaviter tendant, & feliciter perveniant.

Supponendum secundò, charitatem esse virtutem specialem ab aliis distinctam. Ratio eruitur ex Thoma *quæst.* 23. *art.* 1. Quia cùm ratio virtutis consistat in attingentia regulæ humanorum actuum, quâ actiones hominum mensurantur, & aliunde charitas omnium maximè, & proximè attingat supremam regulam, nempe Deum, cui non conjungit, & voluntatem longè nobiliori modo, quàm virtutes morales rectam efficiat, manifestè sequitur, charitatem esse virtutem, & quidem specialem; quia ut discurrit S. Thomas *art.* 4. sicut habitus ab objectis formalibus speciem sortiuntur, ita per diversitatem objecti formalis distinguuntur: Charitas autem respicit speciale objectum, scilicet specialem rationem boni, nimirum bonum divinum in quantum est beatitudinis objectum, ut ait D. Thomas. Quorum verborum sensus non est, rationem boni, ut condistinctam ab aliis attributis, esse objectum charitatis, vel bonum divinum quatenus Sanctos beat, seu prout est beatitudo objectiva; vel Deum sub ea ratione esse objectum charitatis, quâ est objectum beatitudinis: non est, inquam, sensus legitimus verborum S. Thomæ, ut opinatus est Scotus, inde hujus propositionis carpendæ occasionem nactus, sed germanus sensus est, quod bonum divinum, prout continet in se rationem omnem bonitatis cognoscibilis, non solùm lumine naturali, sed etiam lumine gloriæ, & visione beata; quâ cognoscimus Deum sicuti est, esse objectum charitatis. Itaque non merces, & beatitudo futura, quam respicit spes, ob objectum charitatis, quâ ut ait D. Thomas art. 5. ad 2. *diligitur Deus propter seipsum*, sed est divina bonitas, non qualiscumque, sed qualis cognoscitur à Beatis per visionem beatam.

Scio quidem, Sanctos Patres interdum subindicare, charitatem non esse virtutem specialem ab aliis distinctam, sed esse unicam virtutem, ut cùm Hieronymus dicit, quod brevis definitio virtutum est charitas, quâ diligitur Deus, & proximus; ut etiam cùm ab Augustino *lib. de morib. Eccles.* definitur virtus *ordo amoris*, & *lib. de perfect. just.* ait, *quod generalis jussio est: Diliges.* Attamen illud reverà non intendunt Patres, sed volunt duntaxat virtutes omnes ita à charitate pendere, ut sine illa nec rationem virtutis simpliciter habeant, nec nomen mereantur. Sicut licèt in definitione virtutum moralium ponatur prudentia, ut patet per Philosophum *in* 6. *Ethic.* quia nimirum bonitas moralis toto quanta est, sine prudentia

dentia corruit; non tamen propterea prudentia unica virtus moralis asseritur, sed omnium regula, omnium lux & duxesse affirmatur. Ita similiter, quia charitas habet pro objecto ultimum finem humanæ vitæ, & omnibus actibus moralibus imperat eosque ad finem, sine quo non rectè vivitur, dirigit, virtus onica dicitur, non quòd omnes eliciat actus humanos, sed quia omnes ordinat, omnes perficit, omnes veluti vivificat, dum ad Deum, apud quem est fons vitæ, quique est vita animæ, refert. Et quia ad charitatem sicut ad finem reducuntur omnia præcepta, juxta illud 1. Timoth. 1. *finis præcepti charitas*, idcirco *jussio generalis* ab Augustino nominatur. Denique quia charitas facit hominem simpliciter bonum, charitas alios cæterarum virtutum actus veluti effusa unctione suaves efficit, & faciles; charitas est fons omnis meriti essentialis, charitas est virtutum omnium forma, charitas est vinculum perfectionis connectens nos cum ultimo fine, & quadamtenus onica virtus nominatur, de cujus perfectione, de virtutumque aliarum ab ea dependentia satis, superque superiùs disputavimus. An verò sit perfectior omni substantia creata & creabili, in materia de gratia examinabitur.

Supponendum est tertiò S. Doctorem q.24. disputare de subjecto charitatis. Verùm sub hoc titulo agit etiam D.Thomas de causa efficiente, augmento, & diminutione illius; qui cùm volontas non sit subjectum gratiæ secundùm potentiam naturalem, sed obedientialem, non debuit Doctor occultissimus charitatis in potentia obedientiali receptionem explicare, prætermissa ejusdem effusione à causa efficiente supernaturali. Et quia in subjecto augetur, minuitur, & deperditur charitas; ideo de augmento, diminutione & amissione charitatis optimè sub eodem titulo differendum esse judicavit. Nos facilioris explicationis gratiâ ea singula distinguemus.

Supponendum ergo quartò, solam voluntatem esse subjectum charitatis. Quia ut discurrit D. Thomas *art.* 1. charitas habet pro objecto bonum divinum, quod solo intellectu cognoscitur: ergo in illa facultate nata est residere charitas, cujus objectum est bonum apprehensibile per intellectum. Talis autem est voluntas, quæ in hoc distinguitur ab appetitu sensitivo, cujus objectum est bonum per sensum apprehensum. Addit S.Præceptor *solut.ad* 3. quod licèt liberum arbitrium non sit alia potentia à voluntate, tamen charitas non est in voluntate secundùm rationem liberi arbitrii, cujus actus est eligere: electio enim est eorum, quæ sunt ad finem; voluntas autem est ipsius finis, ut dicitur *in* 3. *Ethic.cap.*2. Unde charitas, cujus objectum est finis ultimus, magis debet dici inesse voluntati, quàm libero arbitrio. Quam doctrinam benè retineas pervelim, ut intelligas, & explices, quomodo charitas patriæ, & viæ non differant specie: quia nimirum ad rationem charitatis, cujus objectum est ultimus finis, per accidens est, quod actus illius à libero arbitrio, quod non est ejus subjectum, exerceatur; sed duntaxat, quod à voluntate, quæ libertatis, & necessitatis peræquè capax est, procedat.

Et licèt interdum viri sancti charitate ferventes, divinaque patientes & gustantes, ex suavi charitatis inundantis impetu motus amoris, delectationis, & lætitiæ in appetitu sensitivo experiantur, dicantque identidem cum Propheta: *Cor meum & caro mea* (id est appetitus sensitivus) *exultaverunt in Deum vivum.* Et iterum; *Sitivit in te anima, quam multipliciter tibi & caro mea.* Licèt, inquam, hæc ita fiot, & otinam tibi, mihique aperiri misericorditer detur; attamen nullus propterea refuit in appetitum habitus charitatis, quia suaves illæ, & sensibiles experientiæ sufficienter ea abundantia charitatis in voluntate existentis, & in appetitum redundantis dimanant; assolet enim ea intentione & intensione amoris erga aliquod objectum consequi passio, quæ majoris est, vehementiorisque voluntatis argumentum. Ex simpathia etiam, & facultatum omnium colligatione à superioribus in inferiores, imò & in ipsum corpus refluere solet copia dilectionis, & ubertas desiderii.

Dices; In sensibus internis ponuntur habitus deservientes intellectualibus, ut faciliùs per conversionem ad phantasmata cognoscantur intelligibilia, ut ex D.Thoma 1. *p.quæst.*89. *art.*5. & alibi non rarò colligitur: quidni similiter in appetitu inferiori ponetur quædam expressio charitatis in voluntate existentis, illi deserviens, & passiones actus amoris impedire, vel retardare nitentes refrenans.

Respondeo, habitum in appetitu sensitivo admissum, nec dici posse charitatem, cùm objectum charitatis attingere nequeat; nec esse necessarium, sed prorsus inutilem, unde nullum in appetitu existere certum est. Ad cujus evidentiam & discrimen inter sensus internos, & appetitum percipiendum, observandum est cum D.Thoma quæst.26. de verit. art.6. ad 2. *quod non similiter ordinantur appetitiva vires sicut apprehensiva: nam intellectus noster accipit à sensu; unde operatio intellectus esse non potest, nisi præexistente alia operatione sensus: voluntas autem non accipit ab appetitu inferiori, sed magis ipsum movet: & ideo non oportet, quod actum voluntatis præcedat passio inferioris appetitus.* Quare licèt sit necessarius aliquis habitus in sensu interno, non tamen in appetitu, qui sufficienter domatur per habitus temperantiæ, & fortitudinis: atque adeo sicut non debet poni justitia in appetitu sensitivo ad refrænandum motus contra justitiam; ita nec habitus charitatis ad castigandos motus contra charitatem insurgentes. Quorum omnium radix est, quia sicut per habitus fortitudinis, & temperantiæ subjugatur appetitus, & voluntati subditur; ita etiam habitibus in voluntate existentibus subjicitur.

Ex his apertissimè demonstrata manet existentia charitatis; si enim, ut in prima suppositione ostendimus, charitas est quid creatum, distinctum & diffusum à Spiritu sancto; si illud creatum sit quid speciale à cæteris virtutibus distinctum, ut in secunda suppositione demonstravimus; denique si illud speciale sit in voluntate tanquam subjecto receptum, manifestum est existere specialem habitum, quem charitatem nominamus.

Reflexio.

Cùm veniet filius hominis, putas fidem inveniet in terra? Sed si fidem non inveniet, quantò minus charitatem? Posse existere, & in sanctis existere charitatem, demonstravit superior speculatio: at in nobis existere non ostendit. Contra jus existentiam nulla militant argumenta, nisi à Christianorum vita, moribusque petantur. Charitas, teste Augustino, secedit à se, excedit à sensibus, ut se non sentiat, quæ Deum sentit, imò quodammodo se sibi furatur, & à se labitur, ut se notam immergat in Deum. Ubinam porrò Christianorum cœleste illud gluten animum Deo jungens, vinculum illud perfectionis divinis nos connectens existit, cùm videamus quæ sua sunt omnes quærere, & creaturis indivulso amore adhærere? Charitas divina, & cœlestia semper animo agitat, quia quæ amamus, libenter animo versamus, juxta illud Laurentii Justin. tract.de char. cap.1.

cap. 1. *Vis nosse quid amas, attende quid cogitas?* Quid autem & mente revolvunt, & sermonibus ventilant Christiani, quibus divinorum meditatio cruci est, cœlestium colloquutio fastidio non ferendo? Ergo non eis inest divina charitas, sed terrena cupiditas; quia ut optimè ait Augustinus in Psalm. 121. *Habet omnis amor vim suam, nec potest vacare amor in anima amantis: necesse est ut ducat; sed vis nosse qualis amor sit, vide quò ducat.* Cùm igitur in terram cogitatione homines ferantur, duci eos cupiditate, non Dei charitate necesse est.

Fac ergo, Lector, ut in te regnet charitas virtutum gemma, charismatum divinorũ pretiosissimum, quam si habueris vel solam, dives es; quâ si solâ carueris, miser, & teste Apostolo, nihil es. Charitatem quære, charitati incumbe, totum te dilectioni permitte, quâ nihil justius, nihil utilius, nihil suavius. Quid tam æquum, quàm ut per dilectionem rependas quod per dilectionem datum est, & tantum amorem tuum, qui te prior dilexit, redames tantillus & talis? Vide quàm sit pura amatoris tui dilectio. *Homo*, inquit Laurentius Justin. lib. de casto conn. cap. 8. *ut fruatur dilecto, diligit; Deus verò, ut dilectus diligentem possideat.* Seu, ut ait Hilarius in Psalm. 2. *Amari se à nobis expetit Deus, ut digni beatitudinis suæ, ac bonitatis suæ munere per meritum amoris sui judicemur.* Ergo illi, si potes, denega amorem tuum, qui amorem tuum à te propter te petit. Vides ergo quàm sit utilis dilectio charitatis. Sed, inquis, corpus meum castigandum, & in servitutem redigendum petit amor Dei, bona terrena & floccifacere præcipit, & pauperibus erogare: ergo non utilis, sed noxia est dilectio. Cerne quàm fallaris. Petit amor, ut Deo reddas, tibi cum fœnore, quæ dederis, restituturo. Præclarè, & opportunè idem Laurent. tract. de charitate cap. 9. *Dei amator mercator est optimus, dat quod non, potest retinere, ut recipiat quod non potest amittere.* Nec timeas duram invenire in charitate servitutem, quia eâ diliges quod jubetur: nam si tecum Deus facit suavitatem, si propitius tibi inspirat boni delectationem, atque ut apertiùs explicem, si tibi donaverit charitatem, non solùm pro Deo contemnes delectationes cæteras, sed etiam pro illo quaslibet perferes passiones. Denique ut ad charitatem tibi cum Dei gratia ascendam moveste, hanc veridicam Augustini *lib. 22. contra Faust. cap. 3.* menti tuæ, cordique fige sententiam: *Si non amas, time ne pereas; si amas, time ne displiceas.*

Speculatio II.

Per charitatem veram, & strictam cum Deo amicitiam inimus.

Hanc assertionem, quâ status Christianismi, qui in charitate situs est, super omne quodvis creatum & creabile immensùm attollitur, ita veram arbitror & constantem, ut sententiam Durandi *in 4. dist. 49. quæst. 4.* opinantis hominis ad Deum non esse, nec esse posse propriè dictam amicitiam plusquam temerariam, & hæresi proximam pronuntiare nemo jure merito inficias eat, cùm expressis, & millies impressis, ac iteratis Scripturæ, & Patrum testimoniis contradicat. Sapient. 7. *Infinitus thesaurus est hominibus, quo qui usi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei.* Psalm. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Joan 15. *Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Et totus Cantici Canticorum liber quid aliud est, quàm continuus sacrarum flammarum Deum inter, & animam castam rogus? Quare inter viros sanctos non pauci speciali & honorifica amici Dei prærogativâ, & nomenclaturâ insigniti sunt; ut Moses *Exodi 33.* Abraham *Iudic. 3. & Isaia 41. & Iacobi 2.* Joannes Baptista *Ioan. 3.* & Joannes Evangelista crebrò. Unde Hieronym. super caput 7. Micheæ ait: *Si vis verâ amicitiâ delectari, esto amicus Dei, sicut Moyses, qui loquebatur Deo quasi amicus ad amicum: esto amicus ut Apostoli, ad quos Salvator ait: Iam non dicam vos servos, sed amicos.* Quod si aliquando viri perversi hoc nomine appellantur, ut cùm *Math. 22.* non habenti vestem nuptialem, dicitur; *Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* & cùm *cap. 26.* dicitur Judæ proditori; *Amice ad quid venisti?* Tunc ad demonstrandum contrarium, & affabilitatis argumentum ac gratificandi studium, vel ad significandam sinceram Christi erga impios benevolentiam, vel ad perversitatem & duritiem contundendam, molliendamque, communi modo loquendi nomen illud prolatum est: sed alii viri sancti præfati, speciali ratione nomine Dei insigniti sunt, quia ut loquitur Scriptura, viri erant secundùm cor Dei; unde respectu eorum nomen illud in rigore intellígendum est juxta tritam Augustini regulam, quam *lib. 3. de doctrina Christ. cap. 11. & 12.* tradit.

Probatur ratione D. Thomæ paululum illustratâ: Amicitia nihil est aliud, quàm amor benevolentiæ mutuus super aliqua amicorum communicatione fundatus: unde tres ad amicitiam conditiones exiguntur. Prima, ut sit amor benevolentiæ bonum amici propter amicum exoptans, nec propriam utilitatem amore concupiscentiæ quærens. Secunda est, ut amor sit mutuus, & reciproca benevolentia, seu amatio, & redamatio. Tertia, ut sit bonorum communicatio, & si desint bona, si saltem cordium communio. Atqui charitati triplex hæc conditio convenit; in primis enim per charitatem Deum amamus propter ipsum amore benevolentiæ, quo bonum divinum volumus, & ipsi Deo, quatenus de infinitis perfectionibus Deo gratulamur & congaudemus, & quatenus externam gloriam, honorem, obedientiam, nominis exaltationem optamus, procuramus, & pro virili propagamus, sicut econtrà de illatis Deo injuriis nostrûm, aliorumque offensis dolemus, tristamur, & contra inhonorantes, zelo tabescentes insurgimus. Secundò charitas est etiam amor mutuus, quia ut dicitur Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo.* Et Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Et ratio est, quia ex una parte justi Deum diligentes, cor, & omnia sua Deo præbent; ex alia verò Deus etiam seipsum tradit justo, ad eum venit, mansionem in ipso facit, seipsum cognitione, & amore fruendum ineffabili experientiâ, quam soli sciunt qui sentiunt, præbet. Et deinde innumera justo beneficia con tam largitur quàm prodigit, & profundit. Nam gratiam tribuit, ut illum in consortium suæ naturæ vocet, & charitatem habitualem dat, quæ inter bona primatum tenet; nam posse diligere Deum gratia gratiarum, favor favorum est, quia secum fert indicia præcipua divinæ erga justum dilectionis, quæ quos amat, sui facit amantes, ut alias dum de amore Dei, fusè exposuimus. Quid plura? Per charitatem Deus nos in seipsum mutat, & transformat, secundùm illud: *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum illo.* Deinde amatores suos castos deliciis, & immaculatis voluptatibus perfundit, quia dum apponit erga hominem cor suum, dum suas delicias ponit esse cum filiis hominum, illam quam mundus dare non potest, pacem infundit; fructus enim charitatis sunt, teste Apostolo, gaudium & pax in Spiritu sancto. Ex quibus patet, quomodo tertia etiam conditio charitati competat, nimirum communicatio bonorum

rum; & præter jamdicta, per charitatem meremur etiam futuram in patria Dei communicationem, quâ Deo sicuti est viso in æternum perfruemur, ut amicitia eum Deo inita sit firma, sit immobilis, sit sempiterna; quod ad rationem veræ amicitiæ omninò exigitur, quia ut ait Hieronym. epist.41. ad Rustic. *Amicitia, quæ desinere potest, vera nunquam fuit.* Addunt aliqui quartam conditionem, cujus meminit Philosophus 8. *Ethic. cap.* 2. ut scilicet amor mutuus non sit latens: sed hujus non meminit D. Thomas, quia ista non multùm differt à secunda conditione; amor enim non censetur mutuus si lateat, sique foras non erumpat ardorem, & assimiletur igni, qui nunquam ita occluditur, quin vel luceat, vel urat, vel scintillet. Quomodo autem amor Dei benevolus non lateat justos, plus docet ipsos experientia quàm scientia: & licèt in hac vita certi de gratia esse non possint, plures tamen illius conjecturas, quæ ad amicitiam sufficiunt, habent, ejus præcipua, & palmaris est ipse amor ad Deum, quem sentiunt; cùm Deus diligentes se diligat, & amor Dei ad homines, eosdem Dei reddat amantes.

Fit satis objectis.

Dices: Ubi amicitia est, ibi inæqualitas non est; amicitia namque secundùm Hieronym. pares aut facit, aut invenit; unde profluit tritum proloquium: Non benè conveniunt, neque in una sede morantur majestas & amor. Atqui inter Deum & homines æqualitas nec est, nec esse potest: ergo nec vera inter ipsos amicitia iniri.

Respondeo inter amicos non requiri æqualitatem, sed proportionem, qualis inter filium & patrem, inter sponsam & maritum, tametsi statu & conditione superiorem, invenitur. Quia nimirum amicitia non tam personæ dignitatem, vel utilitatem attendit, quàm ejus amorem; illum solum quærit, illum amat, illo contentus est. Et certè Deus veram & sinceram sui cum Justis amicitiam demonstraturus, omnibus gratiarum, & gloriæ ornamentis naturam nostram auxit, ut eam nedum faceret pulchram, sed etiam divitem; utque immensam, quæ Deum inter & nos est, inæqualitatem quadantenus compensaret, viles creaturas supra modum attollens, ad ordinem divinum eas non solùm gratiâ sanctificante, sed etiam unione hypostaticâ evexit. Sicut enim 1. *Mach.*10. Alexander amicitiam cum Jonatha inire avens, eum ad honorum omnium fastigia provexit, unde ei dictum est: *Aptus es, ut sis amicus noster, & nunc constituimus te hodie summum Sacerdotem, ut amicus voceris Regis. Et misit ei purpuram & coronam auream.* Pari modo Deus naturam nostram summè diligens, & homines naturâ viles, & peccato viliores suâ amicitiâ dignari optans, & æqualitatem ad amicitiam necessariam constituere volens, majestatem suam inclinare ad nos, & vilitatem nostram attollere ad se decrevit, ut Deum quàmlibet infinitum, amare vilitas nostra non erubesceret, postquam sic Deus dilexit mundum, ut Deus homo, & homo Deus factus esse verè, et hodieque dicatur.

Et ut pateseceret, quod sicut perfectio Dei omnes creaturarum, creabiliumque perfectionum gradus supercomprehendit, & ultra eminet; ita amicitia ipsius omnes sinceræ amicitiæ gradus præcontinet, omnes omninò titulos, quibus in humanis amicitia significatur, sibi voluit Deus imponi, ut ad amicitiam secum ineundam, omnium quàmlibet invitorum hominum corda invitaret. Unde in Scripturis Deus paterfamilias, Justi cives & domestici Dei appellantur; Deus sponsus, animæ sponsæ nominantur; Christus etiam Sanctos voluntati divinæ consonos, & obsequentes, patres suos, matres, fratres dilectissimè dixit. Solidè tamen observavit Cajetanus, magis congruentem ad exprimendam amicitiam nomenclaturam ex de nominatione patris & filii desumi; quia per eam & consortium naturæ divinæ, & reverentia Deo debita, & obligatio aliorum diligendorum aptissimè significantur. Communicatio quidem divinæ naturæ traditur 1. Joan.3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & simus.* Reverentia verò Malach. 1. *Si ergo Pater ego sum, ubi honor meus?* Fundamentum verò & obligatio diligendi alios tanquam fratres, 1. Petr.1. *Diligite attentiùs, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi.* Unde in Oratione Dominica Deum non modò Patrem, sed Patrem nostrum pluralitatis vocabulo appellare Veritas jussit, ut nimirum doceamur (observatio est Catech. Romani *part.*4. *num.*14.) ex dono, ac jure divinæ adoptionis consequi necessariò, ut fratres sibi fideles, seque fraternè amare debeant; & notante Chrysostomo discamus, Deum libenter Christianum audire non solùm pro se, sed pro altero deprecantem: quòd pro se orare naturæ est, pro altero gratiæ; pro se necessitas cogit, pro altero fraterna charitas hortatur. Jucundior porrò est Deo oratio, quam fraterna charitas commendat, quàm ea quam necessitas rei pronuntiat.

Instabis: Benevolentia non potest esse ad illum, cui nihil acquiri potest; benevolentiâ etiam amico bona benè volumus dum non habet, & gaudemus cùm acquirit. Sed Deo nec advenire bonum potest, quod non habuerit, nec auferri quod habet: ergo ad Deum benevolentia, & sobinde cum Deo amicitia esse non potest.

Respondeo, patere ex dictis, nos Deo bona velle, & interna per gratulationem, & externa per laudem & honorem, quem qui diligit, totis conatibus impendit.

Urgebis, Justi appellantur, & verè sunt servi Dei: sed inter servum & dominum iniri nequit perfecta amicitia ob conditionis inæqualitatem: ergo nec inter Deum & hominem.

Respondeo, non esse inconveniens homines alio titulo servos, alio Dei amicos esse & appellari; servi etenim sunt, quia creaturæ supremo Domino subditæ; sed amici itidem sunt, quia divinis charismatibus aucti ad consortium divinæ naturæ, & adoptionem filiorum Dei per gratiam evehuntur. Quam quidem filii Dei dignitatem licèt creatione, & Dei gubernatione sortiamur, quatenus nos Deus ad imaginem suam, quam cæteris animantibus non impertivit, creavit; & quatenus prospiciendo, & nostræ utilitati consulendo, præcipuo quodam jure, & providentiæ modo patriam nobis præstat charitatem: attamen singularem & mirabilem in modum per Incarnationem naturâ servi, filii Dei adoptione evasimus. Nam, ut ait Joannes, dedit eis potestatem filios Dei fieri, & ex Deo nati sunt. Unde & Baptismus, quod primum redemptionis pignus, primum Incarnati Verbi monumentum est, Sacramentum regenerationis dicitur; quo, teste Principe Apostolorum, renati, non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbum Dei vivi Spiritum sanctum accepimus, non spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater. Quæ cùm ita sint, cogita, Lector, quem in locum te summa Dei benignitas extulerit (ita est Catechismi laudati ponderatio,) qui non ut servum ad dominum adire invitum, ac timidum; sed ut ad patrem filium

filium voluntarium, fecutumque confugere jufferit. Quâ in memoria & cogitatione, quo viciffim ftudio & pietate tibi agendum, tibique orandum fit, confidera. Danda certè tibi eft opera, ut te talem præbeas, qualem effe decet Dei filium, ideft ut oratio, & actiones tuæ indignæ non fint divino genere, quo te benigniffimus Dominus dignatus eft.

Infiftes: In humanis affolet effe vera, & ftricta amicitia inter fervum & dominum ob adductam conditionis inæqualitatem, quæ major eft inter Deum & homines: ergo nulla eft inter Deum & homines amicitia.

Refpondeo magnum intereffe difcrimen inter fervos Dei & hominum, quia ut præclarè obfervat D. Thomas *in cap. 1. epift. ad Rom. lect. 1.* quo Deus magis fibi aliquem fubjicit, eo majus illi bonum vult, majufque confert, quia & homo fubjectione ad Deum perficitur; & fini, in quo ultimo beatitudo fita eft, unitur: Domini verò creati non quærunt bonum fervorum, quos fibi fubdunt, fed uni fuæ utilitati per eorum minifterium confulunt: amicitia autem amici bonum quærit, nec proprio ftudet emolumento.

Replicabis: Atqui etiam Deus omnia propter femetipfum operatur, ut dicitur *Proverb.* 16. & gloriam fuam, quam alteri non dabit, ubique quærit: ergo fi propterea inter Dominum & fervum creatum non datur vera amicitia, quia dominus non fervi, fed fui bonum inquirit; nulla etiam Deum inter, & hominem amicitia invenietur, quæ tefte Philofopho 8. *Eth. cap.* 3. amici folius folum bonum quærit.

Refpondeo hoc argumentum tomo 1. dum de voluntate Dei, operosè à nobis fuiffe tractatum, ibidemque demonftratum, quod licèt Deus omnia propter femetipfum ut finem ultimum, ut par eft, operetur, quia id divina poftulat fanctitas; non tamen propterea in Deo eft amor concupifcentiæ, fed amicitiæ; quia etfi bonum, quod nobis vult, ad fe referat, non tamen illud ad fe refert ut melior efficiatur, aut perfectior, ditiorque evadat; fed ut nos meliores reddat, & fuæ bonitatis participes: nam ut dicitur Job 22. *Quid prodeft Deo, fi juftus fueris, aut quid ei confert, fi immaculata fueris vita tua?* Ordo ergo bonorum, quæ Deus confert, quæ in ultimum finem referuntur, non tollit, fed fanctificat rationem amicitiæ. Vide plura loco citato, ubi inftantias contra hanc doctrinam fieri folitas occupavimus.

Infurges adhuc: Ad amicitiam requiritur non folùm amor benevolentiæ, fed etiam mutua amatio, & redamatio: atqui charitas non importat effentialiter mutuum illum, & reciprocum amorem: ergo non eft effentialiter amicitia inter Deum, & juftum. Probatur minor: Vera, & fincera charitas, non quærens quæ fua funt, fed quæ Dei, eft ita comparata, ut fi per impoffibile Deus amantem fe non diligeret, nec amoris fui divini ardorem explicaret, nec bona ulla amanti communicaret; non tamen Deum diligere defineret, & diceret: Etiamfi Deus me odio haberet, ego eum diligerem, quia ille faceret quod juftum eft, cui me libenter accommodarem: quia nimirum charitas eft quædam participatio divinæ voluntatis, fubindeque in ea inclinat, quæ Deus vult, & eo modo, quo vult: unde vir juftus charitate ornatus poteft hunc elicere actum: Licèt fim reprobus, & charitate velit me Deus æternùm privare, illum tamen amo, & toto corde diligo. Ergo charitas non importat effentialiter reciprocum mutui amoris affectum.

Refpondeo, ad veritatem noftræ affertionis fatis effe, quod charitas fecundùm ftatum connaturalem Dei amorem fupponat, & mutuam benevolentiam exigat. Quod quidem verum effe manifeftum eft; tum quia charitas ipfa fecum defert fignum amoris Dei, cùm non nifi ex amore Dei, & dono Spiritus fancti diffundatur in cordibus noftris: tum quia charitas ex fua natura fupponit gratiam, ex eaque veluti paffio dimanat: & licèt poffit actus charitatis fine gratia habituali elici, non tamen fine actuali Dei auxilio; unde neceffariò fupponit amorem Dei gratiam habitualem, vel faltem actualem liberaliter infundentis; fubindeque licèt aliis amoribus accidentaria effet redamatio, foret tamen charitati neceffaria; quia charitas ex amore infunditur, neque aliter haberi poteft, quia nunquam Deum primi diligere poffumus, fed amantem Deum redamando fequimur, qui nifi vim diligendi fe amore fuo daret, eum diligere non poffemus. An verò ex fuppofitione, quod Deus juftum, & charitate præditum non diligeret, charitas fuis rationibus non ftudens Deum adhuc diligeret, eft cafus chimæricus, cujus folutio cùm fit inanis, quæ omittatur à Theologo feriis occupato, digniffima eft. Maximè quia ille cafus implicat in adjecto, & feipfum deftruit: fi enim Deus charitatem fui non diligeret, non effet Deus, nec amaret bonum; fubindeque tunc charitas Deum non diligere deberet. Et quamvis charitas non diligat Deum, quia amatur à Deo, fed quia Deus in fe amabilis eft; effentialiter tamen fupponit fe amari à Deo, feque placere Deo; unde fi Deus per impoffibile non amaret diligentem fe, fignum effet, quod dilectio charitatis Deo non placeret, fubindeque ab amando charitas ceffaret. Sed de his fubtilitatibus fatis, & plufquam fatis.

Perfiftes: Ratio amicitiæ non folùm non eft de effentia charitatis, fed nec etiam connaturalis proprietas illius: ergo refponfio noftra undequaque nulla eft. Probatur fubfumptum: Illud non eft proprietas charitatis, quod fine charitate haberi poteft; proprietas enim convenit omni, & foli, & femper: fed fine charitate iniri poteft amicitia cum Deo; nam in ftatu naturæ puræ, fi daretur, Deus conferret innumera creaturis rationalibus beneficia, & homo acceptorum bonorum memorem fe præbens, gratias referre Deo, illum colere & amare poffet, & deberet; qui amor in communicatione bonorum naturalium, ac etiam virtutum moralium, quibus felicitatem naturalem confequeretur, fundatus rationem amicitiæ obtineret, quibus Deo in ordine naturali amanti refponderet. Præfertim quia Deus potuiffet in illo ftatu multis eum fine injuria orbare naturalibus bonis, permittendo ut in cæcitatem, mortem, aliofque defectus laberetur; unde in fe fpecialia amoris figna perfentiens, poffet amanti amorem rependere vero amicitiæ fœdere.

Refpondeo, præter charitatem nullam poffe dari amicitiam naturalem; ita enim exprefsè docet D. Thomas *in 3. dift. 27. quaft. 2. art. 2. ad 4.* ubi loquens de amore naturali Dei, ait quod amicitiam non pertingit, quæ facit amicos convenire, & in omnibus communicare; fed oportet fuperaddi charitatem. Unde eruitur ratio hujus veritatis: Ad veram amicitiam requiritur, fi non æqualitas, faltem proportio, & convenientia in natura, & communicatio bonorum amici, non qualifcumque, fed fpecialium donorum largitio, & fecretiorum arcanorum patefactio; neque enim amicus cenfetur, qui non eft alteri magno familiaritatis ufu devinctus: videmus enim in humanis illos duntaxat amicos Regis appellari, non qui beneficia omnibus fubditis communia recipiunt, fed qui fpecialibus muneribus, fingularis honoris gradu, familiariori confuetudine,

alijfque

aliisque præcipuæ benevolentiæ pignoribus honorantur. Sed in ordine meræ naturali homo bonis duntaxat creaturis omnibus communibus per creationem & gubernationem gauderet, quæ forent bonis, malisve promiscuè concessa; in illo etiam ordine non daretur formalis participatio divinæ naturæ, quæ habetur per gratiam; secreta etiam supernaturalia, & cœlestia Deus statui illi non expanderet. Ergo in illo statu non esset amicitia cum Deo, quæ importat amorem gratuitum, & specialem: ille verò status communi tantùm nulloque privato jure utens, nulla prærogativa, nullo singularis benevolentiæ privilegio donaretur. Quare amicitia cum Deo est status gratiæ, seu Christianismi character; in illo enim familiarem habemus accessum ad Patrem per Jesum Christum Dominum nostrum. Quid enim mirum, si post incarnationem Verbi amori nostet amori Dei arcto amicitiæ vinculo jungatur, postquam natura nostra divinæ admirabili consortio sociata est? Certè sicut teste Augustino *lib.* 13. *de Trinit. cap.* 10. nullum signum divini amoris manifestius esse potest, quàm quod Deus carnis consortium iniret: ita nullus ad familiarem amicitiam cum Deo ineundam aditus aptior, quàm per Christum Dominum, qui ex magno Domino, & laudabili nimis, parvus, & amabilis nimis factus est. Et quanvis pro donis naturalibus homo Deum colere, & amare teneretur; hic tamen amor amicitia non esset, quia specialis amoris signa non sunt dona etiam impiis communia, quæ per causas naturales juxta generalis providentiæ leges confert, vel aufert Deus.

Dices demùm: Charitas est virtus specialis, ut initio supposuimus: sed amicitia non est virtus specialis, ut patet per Philosophum 8. *Ethic. cap.* 1. Ergo charitas non est amicitia.

Respondeo verbis D. Thomæ art. 3. ad 1. *Dicendum, quod Philosophus in* 8. *Ethic. non negat amicitiam esse virtutem, sed dicit quod est virtus, vel cum virtute. Posset enim dici, quod est virtus moralis circa operationes, quæ sunt ad alium; sub alia tamen ratione quàm justitia. Nam justitia est circa operationes, quæ sunt ad alium sub ratione debiti legalis; amicitia autem sub ratione alicujus debiti amicabilis & moralis, vel magis sub ratione beneficij gratuiti, ut patet per Philosophum in* 8. *Ethic. Potest tamen dici, quod non est virtus ab aliis distincta: Non enim habet rationem laudabilis & honesti, nisi ex objecto, secundùm scilicet quod fundatur super honestatem virtutum. Quod patet ex hoc, quod non qualibet amicitia habet rationem laudabilis & honesti, sicut patet in amicitia delectabilis & utilis. Vnde amicitia virtuosa magis est aliquid consequens ad virtutem, quàm sit virtus. Nec est simile de charitate, quæ non fundatur principaliter super virtutem humanam, sed super virtutem divinam.*

Hæc D. Thomas. Ex quibus patet primò, quod licèt amicitia humana non sit virtus, benè tamen charitas, quia habet objectum divinum, scilicet Dei bonitatem propter se dilectam. Patet secundò S. Doctorem non decidere, an amicitia humana sit virtus specialis, sed utriusque sententiæ firmamenta protulisse. Hac de causa Thomistæ inter se dissentiunt, aliis cum Paludano affirmantibus, esse specialem virtutem, aliis cum Capreolo & Cajetano negantibus. Placet utriusque sententiæ fundamenta producere, & breviter urgere.

In primis, amicitiam humanam esse virtutem specialem, tradit D. Thomas 8. Ethic. lect. 1. *Amicitia*, inquit, *est quadam virtus, in quantum scilicet est habitus electivus*: & reducitur ad genus justitiæ, in quantum exhibet proportionatè. Ratio est: Tunc admittenda est virtus specialis, quando assignatur speciale objectum formale bonum, & specialis difficultas superanda: sed objectum amicitiæ est speciale bonum distinctum ab objectis aliarum virtutum, scilicet bonum amici sui maliter, seu debitum morale amicabile; est etiam specialis difficultas superanda, nam ad eam voluntas non est ex natura sua determinata, sed duntaxat ad proprii suppositi bonum; & reverà non levis difficultas est amare aliquem propter ipsum, nullo inde proprio emolumento expectato; unde specialis habitus ad eam evidentiam adjumento opus est. Maximè quia potest esse, & sæpe nimis contingit in amore amicitiæ excessus, vel defectus, dum vel ardentiùs quàm deceat, vel frigidiùs quàm par sit, amantem redamamus: Ergo opus est virtute amicitiæ, quæ medium in amore constituat, & modum in dilectione teneat.

Opposita etiam sententia non caret suis fundamentis; nam præterquam quod D. Thomas sententiam negantem secundo loco refert veluti ultimam suæ mentis resolutionem, illam etiam disertè tradit *in* 3. *dist.* 27. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 1. dicens: *Amicitia, de qua Philosophus tractat, causatur vel ex inclinatione naturæ, quantum ad amicitiam delectabilis, & utilis; vel ex inclinatione habitus virtuosi, præsupposita inclinatione naturæ, quantum ad amicitiam honesti, in quantum omne, quod facit similitudinem cum aliquo, inclinat ad amorem illius; & ideo non ponitur aliqua virtus, sed quiddam consequens ad virtutes.*

Ratio verò est: De ratione virtutis est, quod respiciat essentialiter objectum bonum; cùm enim virtus sit essentialiter in ordine morali, non malo, nec indifferenti, non specificatur nisi ab objecto bono moraliter; unde dicitur dispositio perfecti ad optimum, & bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâve nullus malè utitur. Sed amicitia humana non respicit essentialiter objectum bonum, sed indiscriminatim respicit bonum, vel malum; nec qualibet amicitia habet rationem laudabilis, ut patet de illa, quæ fundatur in delectabili, & utili. Ergo amicitia humana non est specialis virtus. Neque enim est specialis difficultas in amando bono honesto alterius; quia præsupposità similitudine, quam inter aliquos faciunt virtutes, nullam patiuntur difficultatem viri boni in mutuo amore rependendo, sed potiùs ad illum impendendum naturali pondere inclinantur, quia quodlibet diligit sibi simile, & similitudo similes facit in bonis, ita & in amore adunat. Ergo supposita inclinatione voluntatis ad amandum sibi simile, per ipsas virtutes sufficienter determinatur homo ad amandum alios virtute præditos, quibus virtutibus suis assimilatur. Ergo amicitia non virtus specialis est, sed virtutes sequitur & comitatur. Quia nimirum supposita similitudine, quam faciunt aliæ virtutes, bonum amici fit quadantenus bonum proprium; unde sicut bonum non exigit specialem virtutem, ita nec bonum amici, cui volumus bonum sicut & nobis. Unde etiam præditus aliarum virtutum ornatu facilè in amicitia modum & medium inveniet absque specialis habitus additamento.

Aliam hujus negantis sententiæ rationem afferunt nonnulli ex eo petitam, quod nulla virtus deperditur, nisi ex vitio possidentis: amicitia autem deperditur sine culpa amantis per hoc solùm, quod alter non redamat, quia ad amicitiam requiritur amor mutuus. Verùm hæc ratio levis, vel nullius momenti est; nam sicut obedientia respicit alterum ut superiorem, cujus authoritate extinctâ desinit obedientia ad illum sine culpa obedientis, & idem est de

de virtute observantiæ respectu eorum, qui dignitate cadunt; quæ tamen virtutes quoad rationem essentialem permanent, quia voluntas est ad obediendum, conservandumque comparata, quoties legitimus superior, vel alius in dignitate constitutus occurrerit: ita altero amorem parem pati non referente, remanet in præparatione animi virtus, sed non exercitium amicitiæ. Si autem quæras, quænam ex his sententiis probabilior judicanda sit? Respondebo, me non posse stare ubi sol trepidat, id est non audere me decidere quod S. Doctor indeterminatum reliquit, & modò in unam, modò in alteram sententiam ivit. Primæ tamen sententiæ fundamenta videbuntur firmiora consideranti veritatem.

R e f l e x i o.

Vide, Lector, Dei dignationem: amicitiam tuam ambit Deus, & ait: *Fili præbe mihi cor tuum.* Vide quis petit, vide à quo petit, vide quid petit. Petit cor tuum Deus, qui antequam peteret, debebatur; petit supremus Dominus rem suam, quasi alienam; petit, & simul imperat; jubet enim qui rogat, si potest imperare. Petit, inquam, Dominus qui sine injuria dura præcipere poterat. Petit summa ratio, cujus authoritas pro omni nobis ratione esse debet, quia ut dicebat Nazianzenus orat. 5. *Mihi est pro omni ratione, apud summam illam rationem nihil fieri sine ratione.* Petit benefactor amore præveniens, gratiis demerens. Esto autem quod excusationes obtendere, vel fingere possis, quod amorem non dederis, quomodo excusabere, si non reddideris? *Non dare cuiquam, vix licet; non reddere, non licet*, inquit Ambrosius. Petit adjutor amorem, qui auxilium infundit ut ames, ignem enim venit mittere in terram, ut sacram accenderet flammam, quæ non consumit, sed perficit; non denigrat, vel infuscat, sed exornat, quæve in cœlo nata, & in ipsius Dei pectore enutrita, ad cœlum cor nostrum ciet, & sursum tendit, unde manavit. Petit amorem amor; Deus enim charitas est, qui non nisi amore natus, artem amandi & verbis docuit, & monstravit exemplis. Petit amorem pater, qui mundum sic dilexit, ut filium suum unigenitum daret, quive nos plus filio suo amavit. *Evidens quippe res est* (præclarus est Salvian. lib. 4. de Provid. discursus) *quod super affectum filiorum nos Deus diligit qui propter nos filio non pepercit. Et quid plus addo? Et hoc filio justo, & hoc filio unigenito, & hoc filio Deo. Et quid dici amplius potest? Et hoc pro nobis, id est pro malis, pro impiissimis, pro iniquis. Quis æstimare hunc erga nos Dei amorem queat, nisi quod justitia Dei tanta est, ut in eum aliquid injustum cadere non possit? Nam quantum ad rationem humanam pertinet, injustam rem homo quilibet fecerat, si pro pessimis servis filium bonum occidisset.* Ergo si potes, non ama amatorem illum, cujus tui nimius amor excusari ab injustitia non posset, nisi foret summa justitia. *Utique* (addit idem Pater) *hæc magis inæstimabilis pietas, & hæc mirabilis magis Dei virtus est, quod ita intelligi ab homine magnitudo sua justitia non potest, ut quantum ad imbecillitatem humanam pertinet, penè injustitia speciem magnitudo justitia habere videatur.* Petit amorem filius amore homo factus, ut fieret amabilior, quo similior; Filius qui artem amandi & verbis docuit, & factis, & morte consummavit. Nam in ultima mortis agonia constitutus, inter morientis angustias, inter continuos diræ mortis dolores, inter innumera dilaniatæ carnis vulnera, inter circumstantium cruciatus, inter latronis blasphemias, & Judæorum subsannantium derisiones, opprobrii oblitus & pœnarum, solius meminit amoris, dum orare pro crucifixoribus veniam non cessavit. Occidit Judæi & tortores, laniate, sanguinem è venis, vitam de corpore abstrahite, evellite, extorquete, amorem de corde non exstirpabitis. O Deum immortalem, & præ amore mortuum! Qualis iste amans, qualis amor iste, qui tanti medio odii non minuitur, sed veluti amabili antiperistasi augetur! Quàm dulcis amor, qui inter fellis amarorem verbum bonum & suave eructavit! Quàm supra mortem dilectio, quàm supra infernum dura æmulatio, quæ nullo tam atrocium hostium impetu concuti potuit! Quàm denique liberalis, & dives, qui impiorum injuriis, maledictis, furori non nisi pietate, beneficentia, & amore respondit! Denique amorem petit Spiritus sanctus, amor notionalis, flamma Trinitatis, ignis Dei, ignis Deus, ut te in Deum amore transformet, quem tot vitia deformem effecerunt.

A quibus petit, ab omnibus petit, à te, Lector, à me amorem petit. Liceat, quæso, te à Deo parum interrogari. Tu qui quidquid es, quidquid habes, quidquid futurus es, totum à me obtines, & mihi detrectas amorem? Tu qui infinitis donis naturæ & gratiæ, corporalibus & spiritalibus, modernis & antiquis à me obrueris, tam magna data, & majora danda amore exsolvere dedignaris? Tu tot mihi peccatis debitor, tot in me, proximum, in te, tam crebrò, tam perversè patrata scelera amore redime, amore dele. Tu legis novæ professor, Evangelii auditor, Christi discipulus hanc unicam Christianismi tesseram, qui amor est, indue & demonstra. Tu immortalitatis candidatus totum Paradisi regnum amore eme; & *qui magna quæris, parva non expendes?* ut Cyrillus Alexandrinus loquitur. Tu tantillus à tali & tanto amatus redamare hæres? Itáne possunt pignora sic amata non amare? Quid tantùm mali commerui, ut mihi nec tanquam Patri amor, nec tanquam Domino reddatur obsequium? Quid plura? Si me Deum fortassis times, me homo dilige factum hominem; & si animum tuum tota Divinitatis majestas inflectere non potest, dum me hominem vides, inflexo cordis tui sensu, fractoque mentis callo dabis fortassis inclinatus humanitati, quod Divinitati hactenus denegaras. Me in te amoris pignus respice, non incognitum, sed domesticum; non alienum, sed proprium, non mihi & tibi extraneum, sed mihi simul, tibique commune, quod ad non invisibilis, & terribilis cogit dilectionem, sed ad tuæ speciei revocat charitatem; nec id monet, ut alienum ames, sed fratrem; illumque diligas, quem si te amas, odisse non potes.

Denique petit amorem. Nihil durum, nihil insolens, nihil difficile deprecatur. *Amoris* enim *soror dulcedo. Nihil durum, nil amarum, nil grave, nil lethale computat amor verus*, inquiunt Augustinus & Chrysologus. *Ubi amor est, labor non est, sed sapor*, subjungit Bernardus. Si dura Deus præciperet, illa molliret amor, quia omnia gravia & difficilia facit facilia, & quasi nulla, ait doctus Idiota. Amor sapida reddit jejunia, catenas consecrat, torturas inungit, amare, condire novit. Quàm suavis igitur Christi lex, quàm dulce jugum, quàm amandum quod petit onus, lex amoris, jugum charitatis, onus dilectionis, quod non solùm durum non est, sed sine quo dura sunt omnia.

Specu

Speculatio III.

Eadem specie charitas diligit & Deum propter ipsum, & amicos in Deo, & inimicos propter Deum.

HAc speculatione explicatur objectum charitatis, quod est solus Deus propter se dilectus, quique est ratio diligendi alia: cùm enim charitas sit virtus theologica, & amicitia cum Deo, essentialiter habet pro objecto divinam bonitatem summè amabilem, ut sit expressio divinæ voluntatis, cujus objectum motivum & terminativum est sola bonitas increata.

Probatur ergo speculatio. Idem est specie actus, quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus: ergo eadem specie charitas & Deum, & proximum, sive amicum, sive inimicum diligit. Consequentia est clara; habitus enim non distinguuntur, nisi per distinctos specie actus, & omnes actus unius speciei ad eum specie habitum pertinere manifestum est. Antecedens verò probatur. Idem est specie actus, qui fertur in rationem objecti, & qui fertur in objectum sub illa ratione; sicut eadem est specie visio, quâ videtur lumen, & quâ videtur color sub lumine; quia nimirum species actus sumitur ex objecto secundùm rationem formalem illius: atqui ratio diligendi proximum Deus est; *hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit*, inquit D. Thomas *quæst. 25. artic. 1.* Unde Augustinus lib. 8. de Trinit. cap. 8. *Ex una, inquit, eademque charitate Deum, proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem & proximum propter Deum.* Et patet, quia si proximum non in Deo, nec propter Deum diligimus, eum non ex charitate, cujus objectum divina bonitas est, sed ex amore naturali, vel vitioso amamus.

Dices: Hac ratione probatur solùm, dilectionem proximi propter Deum imperari à charitate, & esse extrinsecè in specie illius, sicut actus imperatus est in specie habitus imperantis, non quòd eliciatur, sed quia subordinatur habitui imperanti. Et ratio est, quia bonitas Dei extrinseca non facit proximum intrinsecè bonum, & amabilem; unde non potest esse ratio intrinseca, sed duntaxat extrinseca proximi diligendi. Quod magis inde confirmatur, quòd actus dilectionis Dei est actus intentionis, quo Deus diligitur ut finis; actus verò dilectionis proximi est electio: porrò actus intentionis differt specie ab actu electioois, licèt iste ab illo imperetur: ergo dicendum, quod sicut licèt ratio cognoscendi conclusiones sint principia, easque non nisi propter principia cognoscamus; tamen alio habitu conclusiones, scilicet scientiâ; alio habitu, scilicet simplici intelligentiâ, principia attingimus: ita licèt proximum diligamus propter Deum, tamen alio habitu proximum, alio diligimus Deum.

Respondeo, illud interesse discrimen amicitiam naturalem inter, & supernaturalem charitatis, quâ diligimus proximum, quòd licèt amicitia naturali possimus ipsum amare amore à charitate imperato, tamen dum eum amore supernaturali diligimus, tunc à charitate amor ille elicitur. Ratio est, quia cùm proximus diligitur amore supernaturali, ut amicus divinus, seu in Deo, & ut aliquid Dei, ratio amandi Deus est: ergo sicut illud ingredimur objectum fidei, quod credimus, & quia Deus est ratio credendi, & quia est aliquid pertinens, & relatum ad Deum; ita quod diligitur, & quia Deus est ratio amandi, & quia est aliquid Dei, ab eodem habitu diligitur, quo diligitur ipse Deus. Unde D. Thomas infrà, quæst. 103. art 3. ad 2. *Dicendum, inquit, quod ratio diligendi proximum, Deus est. Non enim per charitatem in proximo diligimus nisi Deum; & ideo eadem charitas est, quâ diligitur Deus & proximus* (ecce quomodo in amore supernaturali proximi dilectio ab habitu charitatis procedit:) *sunt tamen aliæ amicitiæ differentes à charitate secundùm alias rationes, quibus homines amantur.* Et in istis amicitiis amorem à charitate non elici, sed duntaxat imperari certum est.

Ad primam probationem in contrarium dicendum, tunc solùm actum dilectionis proximi esse imperatum à charitate, & non elicitum ab illa, quando Deus non est una, & totalis ratio diligendi, ut contingit in amore naturali ordinato in Deum: quando autem proximus amatur amore supernaturali, tunc propter solum Deum diligitur, nec potest dilectio illa nisi à charitate elicitivè procedere. Nec obest, quod bonitas Dei extrinseca non reddat proximum intrinsecè bonitatis & amabilitatis participem; non obest, inquam, quia sufficit, quod in proximo sit ordo ad Deum, & capacitas illius, ut possit diligi propter Deum; sicut licèt media pura in probabilissima sententia nulla gaudeant intrinsecâ bonitate, tamen propter extrinsecam bonitatem finis, cui deservire nata sunt, appeti possunt, & amari, vel potiùs potest in illis diligi finis; & ita Deus in proximo ex charitate amatur.

Ad secundam probationem respondeo, quod licèt amor Dei & proximi differant veluti specie materiali secundùm rationem intentionis, quæ diversitas speciei materialis provenit ex eo, quod unus est actus primarius, alter secundarius; nihilominus conveniunt actus illi in specie formali petitâ ab attingentia divinæ bonitatis considerata secundùm quod est in se, & prout est participabilis à creaturis; sed eadem bonitas utrobique inspicitur, uttobique amatur. Ex quibus patet, quid sit dicendum ad id, quod de scientia subjungitur; est enim satis apertum discrimen, quia charitas diligit proximum propter bonitatem divinam in se, & per se inspectam, quâ ratione est objectum formale charitatis: scientia verò non cognoscit conclusiones propter principia nudè spectata, quâ ratione sunt objectum intelligentiæ; sed propter principia conclusionibus foeta, & prout in eas per discursum derivantur: Charitas solum Deum in proximo quærit, scientia non solam veritatem principii, sed etiam conclusionis studiosè sectatur.

Instabis virtus latriæ, quâ exhibetur Deo honor, distinguitur à virtute duliæ, quâ Sanctos honoramus, ut docet D. Thomas infrà *quæst. 103. art. 3.* & *3. p. quæst. 25. art. 3.* Et tamen Sancti non honorantur nisi propter Deum: ergo licèt proximus diligatur propter Deum, alia erit charitas, quâ Deum; alia quâ proximum diligimus.

Respondet huic argumento D. Thomas q. 25. art. 1. ad 2. *quod amor respicit bonum in communi; sed honor respicit proprium bonum honorati, defertur enim alicui in testimonium propriæ virtutis. Et ideo amor non diversificatur specie propter diversam quantitatem bonitatis diversorum, dummodo referantur ad aliquod bonum commune. Sed honor diversificatur secundùm propria bona singulorum; unde eodem amore charitatis diligimus omnes proximos, in quantum referuntur ad unum bonum commune, quod est Deus; sed diversos honores diversis deferimus, secundùm propriam virtutem singulorum. Et similiter Deo singularem honorem latriæ exhibemus propter ejus singularem virtutem.* Quæ doctrina ratione eximiæ profunditatis

ditatis subobscuta videtur & difficilis; ideo necesse est eam aliquo interpretamento explicare.

Sciendum ergo, horum S. Thomæ verborum sensum non esse, amorem ferri ad bonum in communi, seu universale; amor enim potest ferri in bonum particulare amici, & in speciales rationes bonitatis: unde nulla etiam esset differentia inter amorem & honorem, subindeque argumentum maneret in sua vi; sicut enim amor in communi respicit bonum in communi, & amor specialis respicit speciale bonum; ita honor in communi respicit excellentiam in communi, & specialis specialem: unde servatâ proportione perfectâ, foret amorem inter & honorem similitudo. Germanus ergo, & verus D.Thomæ sensus est, amorem ferri in bonum commune, idest abstrahens ab intrinseco & extrinseco, proprio vel alieno; honor verò respicit bonum particulare, excellentiam scilicet solius personæ honoratæ. Et verè sic est. Potest enim aliquid amari ratione propriæ, & intrinsecæ bonitatis, sicut finis; potest etiam amari ratione extrinsecæ bonitatis, ut purum medium; unde eodem omninò amore amatur sanitas & medicina. At verò honor tantam non habet in suo objecto latitudinem: & licèt unus possit propter alium honorari, putà Sanctus propter Deum; tamen ille alius propter quem honoratur, putà Deus, ejusque excellentia, non est motivum specificans cultum duliæ, quia Deus secundùm se non nisi cultu latriæ honorabilis est, subindeque divina excellentia erit solùm finis ultimus extrinsecus duliæ, non proximus & specificativus, qui erit duntaxat propria ipsius Sancti excellentia. Cæterùm amor charitatis, quidquid diligit, in Deum tanquam finem immediatum & proximum refert, solamque respicit divinam bonitatem, tanquam unam & formalem rationem diligendi.

Urgebis: Non est major ratio, cur bonum particulare, quod volumus proximo ex charitate dilecto, feratur in bonum divinum, & quod cultus specialis Sancto exhibitus non referatur similiter in cultum Dei, qui suorum Sanctorum honoribus honoratur, ut Patres passim affirmant. Ergo disparitas adducta corruit.

Respondeo, discrimen allatum subsistere, quia licèt cultus Sanctorum in Deum ut ultimum finem redundet, tamen propria cujusvis Sancti excellentia motivum formale est duliæ cultus ipsi exhibiti.

Insistes: Multis sæpe sæpius exhibetur cultus, qui eo prorsus indigni sunt, ut Prælatis malis & dyscolis, quibus non propter virtutes, aut egregias animi dotes, à quibus deserti sunt, cultus exhibetur; sed quia Dei ministri sunt, ut asserit D. Thomas infrà, *quæst.63. art.3.* unde tunc honor non defertur eis in testimonium virtutis, sed propter Deum, cujus vices gerunt, & indignè implent. Tamen constat honorem indigno Prælato latum esse à divino distinctum: ergo similiter charitas proximi à charitate Dei distinguitur, licèt proximus propter Deum diligatur.

Respondeo Prælatos, quàmlibet indignos & immeritos, authoritate vel à Deo, vel à Republica concessâ pollere, quæ quædam excellentia moralis est, ob quam honorandi sunt; unde debita superioribus reverentia ad præceptum colendi parentes tendicitur. Nam ideo Princeps vocatur Pater patriæ; Summus Pontifex Papa dicitur, & primus Patriarcha, & ab Augustino epist. 112. *Pater Christianæ plebis* nominatur. Magistri etiam vocantur Patres, sicut discipuli filii eruditionis nominantur. Episcopi quoque in Concilio Congregati, ubi tanquam judices sedent, Patres dicuntur: ut apud omnes constet, quod sicut parentibus ob patriam potestatem cultum exhibere filii tenentur & honorem, ita & superioribus reverentia debetur, quantumvis præ vitiorum sordibus indigni, & monstra sint. Neque enim monstrum appellare dubito Prælatum indignum, cùm teste Bernardo *lib.2. de consid.cap.7.* sit *monstruosa res, gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis; ingens authoritas, & nutans stabilitas.*

Persistes adhuc: Potest diligi proximos propter bonitatem cteatam supernaturalem ipsi intrinsecam, seu propter donorum supernaturalium participationem, quæ utique dilectio est supernaturalis, cùm aliquid supernaturale respiciat: sed tunc non sola diligitur bonitas increata, licèt in illam tanquam finem ultimum amor ille referatur: ergo tunc amor proximi non elicitur ab habitu charitatis, quo diligitur Deus.

Respondeo, proximum donis supernaturalibus ornatum dupliciter posse considerari, sicut & dona supernaturalia quibus præditus est. Charitas namque, & gratia considerari possunt ut sunt participationes divinæ formaliter; & hoc modo proximum diligere, est ipsum amare, quia est veluti Deus participativè, vel ut sic dicam, quatenus natura divina in ipsum transfusa est. Secundò possunt considerari hæc dona, ut sunt perfectiones, & ornamenta proximi tot bonis adaucti; & hoc modo diligere proximum est ipsum amare, quia perfectus est, & supernaturalibus ornamentis decoratus. Primo modo dilectio proximi elicitur à charitate, non per actum primarium, sed secundarium; nam eodem habitu, quo attingitur objectum, attinguntur etiam omnes proprietates, & participationes ipsius: proximus autem donis supernaturalibus instructus habet veluti proprietates, similitudines formales, expressiones, & participationem divinæ essentiæ, & attributorum, quibus homo supra seipsum attollitur, deificatur, & quadantenus fit Deus per participationem, juxta illud: *Ego dixi, Dii estis.* Ergo eodem habitu, quo diligitur ipsa bonitas essentialis, & Deus per eam summè bonus, diligitur quoque proximus gratiis cœlestibus perfusus. Neque enim contra rationem virtutis theologicæ est secundariò aliquid creatum respicere; sicut enim fide multa præter Deum revelata propter primam veritatem credimus, spe gloriam corporis expectamus; ita charitate, & charitatis extensione proximum diligimus. Si autem proximus secundo modo consideretur, verum est, ipsum ut talem, non charitate, sed ab amore naturali diligi. Nec obstat illud objectum supernaturale; non obstat, inquam, quia supernaturalitas se habet solùm materialiter: constat verò, posse dari actum naturalem circa objectum quod est supernaturale, modò ratio attingendi sit naturalis: sicut homines mali supposità cognitione Paradisi, & supernaturalium, quibus abundat, deliciarum, ipsas sine dubio, sed naturaliter amant; ipsis frui, ad easque pervenire vellent, licèt ad eas obtinendas pro virili, ut par esset, non conentur. Et similiter Sanctos, quos audimus perfectionibus tum naturalibus, cùm supernaturalibus ornatos, amore naturali diligimus, etsi Deum in ipsis non amemus; naturale enim, & proclive est perfectionem semel cognitam amare, sicut mala semel detecta formidare. Unde tam sæpe contingit amores nostros, pœnitentias nostras, attritiones, & contritiones naturales esse motus, & non à gratia & Spiritu sancto, sed ab amore proprio proficisci. Unde tanta inest omnibus causa timendi, tanta actus nostros, etiamsi specie innocui videantur & puri, dubios habendi, atque suspectos; quia licèt nihil

nihil nobis conscii sumus, in hoc tamen justificati non sumus, & nescimus an odio, vel amore digni simus.

Replicabis demùm, sed fortiùs: Ideo ex D. Thoma suprà citato, alia est virtus exhibens cultum Deo, alia exhibens Sanctis; quia amor respicit bonum in communi, id est abstrahens à proprio, & alieno; & ideo idem amor fertur ad diversa, dummodo referantur ad idem commune bonum; at verò honor respicit proprium bonum personæ honoratæ, quam specialiter colere vult, & exaltare. Licèt autem hæc solutio possit satisfacere pro amore, quo diligitur proximus propter Deum, ejusque bonitatem proximo extrinsecam, non tamen pro amore, quo diligitur proximus propter bonitatem intrinsecam sibi à Deo communicatam; tune enim bonitas participata est motivum proximum talis amoris, sicut singularis virtus alicujus Sancti est objectum proximum duliæ: Ergo sicut ille honor debitus Sancto, licèt referatur ad divinum cultum tanquam finem ultimum, tamen specificat specialem habitum distinctum ab eo, quo colitur Deus: ita similiter amor exhibitus proximo propter perfectionem ipsi intrinsecam, tamersi relatus in bonitatem divinam, bonitatem proximi primariò respicit, bonitatem verò divinam non nisi ut finem ultimum, & remotum.

Respondeo, dona supernaturalia proximi, ut amantur amore supernaturali charitatis, non tam diligi ut sunt perfectiones proximi, quàm ut sunt participationes divinæ bonitatis, quæ proinde magis amatur in illis, eo ferè modo, quo prototypus in imagine amatur. At verò dulia reverentiam exhibet Sancto propter propriam ipsius excellentiam præcisè quà propria est, & ab aliena distincta; cujus signum est, quod diversus cultus pro diversitate Sanctorum defertur; nam dulia Sanctis, hyperdulia Deiparæ, latria Deo optimo maximo exhibetur: unde non mirum, si distinctus honor à distincta virtute procedat.

Tria corollaria derivantur.

Ex his sequitur primò, objectum charitatis esse solam bonitatem divinam, prout Deo ipsi summè dilecto convenientem. Charitas quippe, quæ non quærit quæ sua sunt, sed est vera cum Deo amicitia, non respicit bonitatem Dei, quatenus utilem amanti, sed prout convenientem amico. Et licèt summam inveniat in Deo diligendo delectationem, tamen non delectationem illam quærit, sed Deum summè delectabilem purè in se, & propter se quærit. *Amicus*, inquit D. Thomas in 3. dist. 34. quæst. 1. art. 3. quæst. 1. ad 2. *quanvis delectationem habeat ex præsentia amici, non tamen propter hoc quærit amici præsentiam, ut in ipso delectetur, sed propter amicum ipsum, cui vult conjungi quantùm potest.*

Sequitur secundò, objectum charitatis non esse bonitatem divinam & communem analogicè bonitati divinæ per essentiam, & divinæ per participationem. Probatur contra Suarem, tum quia virtus theologica solùm habet Deum pro objecto, unde sicut fides soli Dei veritati credit, spes soli Dei omnipotentiæ innititur; ita charitas sola Dei bonitate promovetur. Tum quia, ut ostendimus, charitas dum se extendit ad proximum, solam in eo bonitatem Dei amat, vel ut moventem, vel ut expressam & participatam. Tum quia si daretur unus habitus respiciens per se primò bonum in tota sua latitudine ambiens increatum simul & creatum, talis habitus omnem voluntatis capacitatem adæquaret; quod est contra rationem habitus, cujus objectum est determinatio, & divisio objecti potentiæ. Tum denique, quia objectum charitatis est ultimus finis, ad quem aspirat creatura rationalis: bonitas autem abstrahens à creata, & increata, non est ultimus finis creaturæ rationalis, sed sola divina, cui inhiat, quam quærit, & cui uniri avet.

Sequitur tertiò, bonitatem divinam, prout est in se, seu prout involvit essentiam, attributa, & personas, esse objectum charitatis. Quia ut ex D. Thoma *specul. 1. supp. 2.* diximus, charitas respicit bonum divinum, in quantum est beatitudinis objectum; id est, ut ibi exposuimus, bonum divinum, prout continet in se omnem rationem bonitatis cognoscibilis luminæ gloriæ, & visione beata, est objectum charitatis: unde sicut lumine gloriæ videbimus eum sicuti est, ita charitate diligimus eum sicuti est. Deus autem, sicuti est, involvit attributa, & personas. Tum quia omnia, quæ sunt in Deo, sunt per se & propter se amabilia, ad quæ se creatura rationalis referre, in illisque tanquam ultimo fine quiescere potest. Tum quia amor charitatis vult bonum Dei summè dilecti, idest bonis Dei internis gratulatur. Atqui ad perfectionem, & bonitatem Dei internam pertinent attributa, & perfectiones, tam absolutæ, quàm relativæ: ergo in illa omnia fertur amor charitatis. Et certè cùm in attributis, & personis sit bonitas, & perfectio, illa utique amabilis est, non utique amabilitate medii, quod essentialem, & impræscindibilem importat imperfectionem; sed amabilitate ultimi finis. Et ita docet Cajetanus in præsenti, articulo 4.

Nec refert, si cum Goneto nostro oppositum sentiente & opinante solam naturæ bonitatem, ut distinctam ab attributis, esse objectum charitatis, respondeas, bonitatem attributorum & personarum habere rationem finis intermedii in divinam bonitatem virtualiter ordinati, quod nullam importat imperfectionem; sicut nulla est imperfectio, quod attributa divina à natura virtualiter dimanent. Non, inquam, refert. Quia manifestam involvit & supponit imperfectionem, quod aliquid ametur propter aliud, nec possit se solo terminare appetitum; hoc enim redolet innatum creaturis omnibus defectum, quia earum bonitas appetitum quidem allicere, sed terminate, vel satiare non potest; nec debet propter se, sed propter ultimum finem amari. Unde grandis est disparitas inter medium virtuale, & dimanationem virtualem; in tantùm enim unum attributum dicitur virtualiter dimanare ab alio, quia unum est ratio probandi aliud, quatenus unum est fundamentum alterius; quod nullam redolet imperfectionem, sed puram sapit perfectionem, quia hoc convincit, attributa divina esse connexa. At verò medium, vel intermedium virtuale tale est, ut non habeat amabilitatem propter se moventem, quod & imperfectionem inseparabilem involvit, & reverà falsum est; nam sicut natura divina, ita & sapientia divina, & fœcunditas divinarum personarum per se ambiles sunt, sicut per se divinæ, per se increatæ: bonitas quippe divina omnes perfectiones transcendit.

Varias in contrarium rationes opponit Gonetus, quæ ferè solutæ manent. Primò sic arguit: Bonitas solius naturæ divinæ, ut distinctæ ab attributis, & revelationibus, Deum constituit in ratione ultimi finis, cùm ratione illius omnia ad Deum ordinentur formali, aut virtuali ordinatione; ipsa verò bonitas naturæ ad nihil ordinari possit. Atqui objectum charitatis non est aliud præter id, quod constituit Deum in ratione ultimi finis: ergo. Verùm hæc objectio supponit falsum, nempe bonitatem transcendentem omnia attributa esse bonitatem medii, quod per-

fectioni actus puri, & perfectionis divinæ apertissimè repugnat, ut paulò ante demonstravimus.

Objicit secundò: Illud est objectum charitatis sub ratione boni, quod est objectum formale beatitudinis sub ratione veri. Atqui objectum beatitudinis est sola veritas naturæ divinæ, cùm attributa & rationes pertineant ad objectum secundarium visionis beatificæ. Ergo sola bonitas divina ut ab attributis distincta, est objectum charitatis.

Respondeo hoc argumento firmari magis nostram sententiam: nam illud est objectum charitatis, quod est objectum beatæ visionis. Atqui objectum beatæ visionis est Deus, ut in se est Unus & Trinus, aliàs illa visio non esset intuitiva, quidditativa, & beatificans: Ergo bonitas divina prout transcendit essentiam, attributa & personas, est objectum charitatis. Unde patet minorem argumenti esse à veritate alienam, ut in materia de visione demonstravimus.

Objicit tertiò. Bonitas divina specificans charitatem est una nedum formaliter, sed etiam virtualiter, cùm ex ea probetur unitas charitatis: Sed bonitas divina transcendens omnia attributa, non est virtualiter una, sed multiplex, cùm attributa divina virtualiter distinguantur: ergo objectum charitatis non est bonitas transcendens omnia divina, sed sola bonitas naturæ.

Respondeo, bonitatem specificantem charitatem esse virtualiter multiplicem in ratione rei, esse tamen unicam in ratione objecti voluntatis, scilicet boni & amabilis; in hoc enim conveniunt, omnia divina ideo esse amabilia amore charitatis, quia in Deo sunt, & ad Dei internam gloriam conferunt; hoc enim est, quod amor amicitiæ quærit, ut bonum optet amico, vel si optari non potest habenti omnia, congaudeat illi & gratuletur. Quia ergo natura, & attributa, & personæ ad Dei perfectionem faciunt, ea omnia amat charitas, quæ bonum amici amat ubicumque sit, sive in natura, sive in perfectionibus ejus.

Objicit quartò. Natura divina ut distincta ab attributis, est potens movere ad actum charitatis: ergo non requiritur bonitas coalescens ex omni perfectione divina ad objectum charitatis, cùm ante bonitatem attributorum sit motivum illius. Consequentia patet intelligenti terminos. Probatur anteced. tum quia bonitas divina in propria linea est bonum infinitum, sibindeque sufficiens dilectionis motivum. Tum quia si justus est à Deo amabilis propter gratiam participantem naturam divinam, etiam Deus erit à nobis amabilis ob bonitatem suæ naturæ. Tum quia dilectio Dei ratione naturæ divinæ est maximè propter Deum, cùm Deus per naturam constituatur, charitas autem Deum propter Deum diligere studet. Tum quia Deus per impossibile carens attributis, retinensque naturam, esset sufficiens dilectionis motivum.

Respondeo ex eo hujus argumenti fallaciam perspicuè constare, quod non minùs validè retorqueri possit in adversarium. Nam pulchritudo, sapientia, infinitas, fœcunditas Dei ut virtualiter distinctæ à natura, possunt movere ad actum dilectionis, cùm sint bonum in sua linea infinitum, propter se amabile; & hominem charitate prædictum Deus diligeret, tametsi gratiam per impossibile non haberet; & tamen charitas non expressio est naturæ divinæ, sed voluntatis. In forma ergo dico, verum esse, naturam esse amabilem amore charitatis, sed non solam, nec ratione naturæ quà talis, sed ratione amabilitatis omnibus perfectionibus divinis imbibitæ. Certè sicut ille hallucinaretur, qui probaret Solis solius lucem esse objectum visus, quia est sufficiens ad movendam potentiam visivam, & quia si nullum aliud esset possibile corpus luminosum, adhuc corpus solare potens esset movere ad actum visionis; ita nihilo minùs infirma est ratiocinatio, quà probatur naturam Dei quà talem, esse unicum charitatis objectum, quia amari potest, & quia desinentibus attributis amaretur. Nunquid amari non potest divina sapientia, & nonne esset amabilis, si per impossibile à natura Dei separaretur? Ergo amabilitas divina est aliquid commune essentiæ, attributis, & personis, nimirum bonitas & appetibilitas omnia divina transcendens. Ex quibus facilè respondebis ad singulares probationes antecedentis.

Reflexio.

Eadem charitas & Deum, & proximum diligit: duplex præceptum impler una virtus, & dum implet, universam legem complet & Prophetas; finis enim legis dilectio. *Duo isti amores*, inquit Magnus Gregor. lib. 7. Moral. cap. 10. *duo annuli sunt, sed catena una; duæ actiones, sed una virtus; duo opera, sed una charitas; duo apud Deum merita, sed unum sine alio inveniri impossibile est.* Intima quidem debet esse Christianos inter & inviolabilis consuetudo, nec verè Deum amat qui proximum non diligit, quia ut alicubi ait Laurentius Justin. *Amor Dei amorem proximi generat, & amor proximi calefacit amorem Dei. Et propterea voluit Deus unicum hominem primò formare, ex quo omnes procederent, ut tanquam fratres omnes se amarent.* Verumtamen non charitate diligit proximum, qui illum non diligit propter Deum; ergo qui nimio proximi amore aliquid molitur contra Deum, utique non charitate, sed cupiditate diligit illum; imò nec eum diligit, cui vera & æterna bona non concupiscit: ergo iterum inter solos Justos & Sanctos vera & solida amicitia initur, qui & sibi verum, bonum optant, & intimo amoris sensu, & forti, & suavi, & constanti; quia tamdiu se amant, quamdiu Deum diligunt, ideò quamdiu justi sunt. Quàm veridicè Augustinus epist. 52. *Nemo potest veraciter esse amicus hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis.* Et præclarè lib. 1. ad Bonifacium, cap. 1. *Amicitia nusquam nisi in Christo fidelis est, in quo solo esse etiam sempiterna, ac felix potest.*

Hæc cùm ita sint, amande Lector, si Deum amas, fratres tuos ama eodem patre natos, eodem Deo conditos, ejusdem legis discipulos, eodem Christi sanguine redemptos, ejusdem convivii Eucharistici commensales, ejusdem gloriæ cohæredes, ejusdemque corporis membra. Ergo imitare artuum, membrorumque naturalem charitatem. Unum membrum non nocet alteri; cùm ab alio læditur, non se vindicat; patienti alteri compatitur, indiganti accurrit, laboranti succurrit, fatigato opitulatur, sordescens mundat, infirmo medetur, benè habenti congaudet, sibi reputat fieri quod fit alteri, nihil tam timet, quàm ab eo sejungi.

Amorem proximi tanquam unam Christianismi tesseram prædicavit Legislator noster: *In hoc cognoscent*, inquit, *quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Hoc præceptum novum Testamentum singulis versibus inculcat: illud discipulis suis dilectus discipulus ad fastidium usque ingeminabat: *Filioli*, inquiens, *diligite alterutrum, quia præceptum Domini est; & si solum fiat, sufficit.* Cur ergo sumus fratribus tam molesti, tam morosi, tam duri pauperibus. Si autem pungit spina, imperat caput, respiciunt oculi, curvantur humeri, accurrit manus, totum corpus contrahitur, omnia, & quæque membra quod possunt, faciunt, ut de infimo & exiguo

loco

loco spina quæ inhæserat, educatur. Oculus videt in corpore: nunquid soli sibi? Absit: & manui videt, & pedi videt, & omnibus quantum potest videt: pro membris cæteris manus operatur: pro tacentibus lingua loquitur: ergo si sumus ejusdem corporis membra, si Christum caput agnoscimos, omnes ametous, pro singulis laboremus. Felix concordia fraternæ charitatis, quæ aliis dat quod habet, ab aliis accipit quod non habet! Quàm utilis charitas, quæ aliena facit sua, & congaudens aliis, in illis habet, quo in se caret. Unde Magnus Gregorius: *Quod tuum est per laborem, meum est per amorem.*

CAPUT II.

De augmento, & gradibus Charitatis.

Dogma fidei est omnium Orthodoxorum calculo probatum, charitatem posse augeri. Quid enim expressius, vel luculentius esse potest illis Apostolicis verbis, Ephes.4. *In charitate crescamus.* Et illis: *Hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet.* Et hoc justitiæ incrementum, ait Tridentinum *sess.6. cap.*10. petit sancta Ecclesia, dum orat: *Da nobis fidei, spei, & charitatis augmentum.* Idcircò etiam charitas appellatur ab Apostolo *Via. Adhuc*, inquit Cor.12. *excellentiorem viam vobis demonstro.* In via autem continuus debet esse processus. Hac etiam de causa viatores vocamur; quia in Deum finem nostrum, tanquam in itineris metam tendimus, non passibus corporis, sed mentis affectibus. Et licèt charitas sit in summo ex parte objecti, quod est summum bonum, per ordinem ad quod excellentissimè virtutis nomen & rationem sortitur; non tamen in summo est quantùm ad intensionem & virtualem quantitatem, quam impræsentiarum considerare operæpretium est.

Si autem antequam ad ulteriora, magisve theologica procedamus, roges quomodo fiat illud augmentum, consule D.Thomam *art.4. q.*23. *ad* 3. ubi ait, charitatem augeri secundùm essentiam; quod nihil est aliud, quàm ipsam magis inesse subjecto, seu magis radicari in illo: quod fusiùs explicat *art.5.* ubi asserit, & probat, illud augmentum non posse fieri per additamentum alicujus distincti, sive secundùm speciem, sive secundùm numerum. Non quidem secundùm speciem, quæ petitur ab objecto, quia minima charitas ad ea omnia objecta se extendere potest, quæ sunt ex charitate diligenda. Non etiam secundùm numericam distinctionem, quæ à subjecto petitur, cùm accidentia individuentur à subjecto: unde augmentum non potest fieri nisi per hoc, quod subjectum magis ac magis participat charitatem; idest secundùm quod magis reducitur in actum illius, ac magis subjicitur illi. Et hoc est, inquit D. Thomas, charitatem augeri secundùm essentiam, quia ut dixerat *art.3. ad* 3. cùm esse accidentis sit inesse, nihil aliud est ipsum secundùm essentiam augeri, quàm dicere ipsum magis inesse subjecto; & dicere charitatem augeri secundùm majorem radicationem, & non secundùm essentiam, est propriam vocem ignorare.

Sed non est in animo in illis Metaphysicæ subtilitatibus, quæ fusè in Philosophia ventilantur, examinandis immorari. Quia tamen nostri propositi est Angelicam S. Thomæ doctrinam à multis impugnatam, à paucis intellectam, cùm se dederit occasio, explanare, & pro virili ab æmulorum calumniis vindicare, ad præfatæ doctrinæ elucidationem observandum breviter est, dictum illud D. Thomæ: *Charitas augetur essentialiter, vel secundùm essentiam*, minimè adversari communi Philosophorum axiomati, quo essentias consistere in indivisibili dicitur, easque numeris assimilari, quibus nihil addi, nihil detrahi absque destructione potest. Illud enim principium Sapientibus omnibus probatum verum est cùm alicujus differentiæ essentialis fit additio, vel detractio, cum quo stat, eandem qualitatis essentiam sub ejusdem indivisibilis generis & differentiæ latitudine augeri, quo additamento non perficietur, vel mutabitur essentialiter forma, tametsi illius perficiatur, intendaturque essentia. Unde aucta charitas non dicitur magis charitas, sed major & intensior.

Observato rursum ex solutione *ad* 1. *art.5.* quod dum S. Doctor ibi ait, quod forma accidentalis habet proprium augmentum per modum intensionis ejus in subjecto, sicut patet in his quæ rarefiunt, non intendit Angelicus Magister quantitatem continuam intendi in his, quæ rarefiunt; aër quippe rarior non est magis quantus, sed major quantus. Vult ergo duntaxat S. Thomas, quod sicut in rarefactione aër fit major extensivè absque ulla quantitatis ad quantitatem additione; ita in intensione non fit additio qualitatis ad qualitatem, sed præexistens magis perficitur, magisque in subjecto radicatur.

Nota tertiò, quod cùm S. Doctor *art.4. ad* 2. ait quod additio luminis ad lumen potest intelligi, quod intendatur in aëre propter diversitatem luminarium causantium lumen, & quod talis distinctio non habet locum in proposito, quia non est nisi unum luminare influens lumen charitatis: cùm, inquam, hoc ait S. Thomas, cave ne ex illis verbis inferas, quod licèt intensio charitatis non fiat per additionem ob unitatem principii charitatem infundentis, intensio tamen luminis in aëre additione lucis efficitur ob distinctum luminarium influxum; sic enim rueret tota de intensione D. Thomæ doctrina. Verus ergo verborum illorum sensus est, hoc lumen inter & charitatem interesse discrimen, quòd lumen in aëra receptum à duobus potest agentibus per additionem extensivè, & in diversis partibus augeri; quod tamen charitati minimè convenit, quippe quæ neque extensivè, neque intensivè per additionem charitatis augetur. Sed de his consule Philosophos Thomistas in libris de ortu, & interitu.

Adverte quartò, dupliciter posse intelligi, charitatem nostris actibus augeri: primò efficienter physicè in genere causæ vel principalis, vel instrumentalis, vel dispositivæ: secundò meritoriè, sive actus boni statim consequantur augmentum, sive non. In priori sensu non procedit difficultas; est enim in confesso apud omnes, nullo quàmlibet fervido charitatis actu augeri habitum efficienter principaliter, quia sola charitatis causa est Spiritus Sanctus, per quem diffunditur in cordibus nostris, ut satis superque suprà demonstravimus. Fatentur etiam omnes, actus charitatis non concurrere efficienter in genere causæ instrumentalis ad physicum habitualis charitatis augmentum; si enim virtus infusa, teste Augustino, est bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur; id à fortiori de charitate dicendum esse nemo inficias eat. Et ratio etiam est, quia habitus charitatis cadit sub meritum; quod autem meremur, non efficimus; sed ut ab alio, apud quem meremur, efficiatur, obtinemus. Et quamvis Deus posset assumere actus nostros ut instrumenta physica productionis gratiæ & charitatis, sicut de facto assumit actus pœnitentis ad gratiæ justificantis productionem, quia sunt partes Sacramenti

pœnitentiæ; quia tamen ea his quæ pendent ea voluntate divina nihil nobis innotescit, nisi per Scripturarum revelationem, vel Ecclesiæ Catholicæ, sive Romanæ Apostolicam traditionem, quâ neutrâ regulâ claret, augmentum physicum charitatis esse per modum instrumenti actibus charitatis assetendum, sed potiùs dicitur, charitatis productionem, quâ cor mundum & sanctum efficitur, creationi assimilari, secundùm illud, *Cor mundum crea in me Deus*; ideo gratis, & sine fundamento dicendum non est, augmentum charitatis habitualis ab iteratis actibus in genere causæ instrumentalis physicæ proficisci. Denique fatentur etiam omnes, non quolibet actu charitatis habitum augeri per modum dispositionis physicæ, quasi quilibet actus sit ultima physica dispositio ad augmentum, quâ positâ Deus physicè charitatem augeat; sicut positâ ultimâ dispositione in generatione hominis animam rationalem infundit. Et ratio est, quia ut docent Philosophi, à proportione minoris inæqualitatis non fit actio, v.g. calefactio ut duo non potest esse ultima dispositio ad calorem ut sex; & similiter actus amoris ut duo nequit esse physica dispositio, quâ charitas habitualis habens v.g. quatuor gradus, fit intensa ut sex; quod requireretur, si amor ille esset physica dispositio ad augmentum necessariò consequutum. Unde D.Thomas in corpore articuli sic ait: *Non quolibet actu charitatis charitas augetur, sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, in quantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundùm charitatem.* Quod solutione ad 2. explicat exemplo guttarum cavantium lapidem. Quocirca tota difficultas summa (& difficultas sanè summa est) in hoc consistit, an, & quomodo quilibet actus charitatis mereatur habitus augmentum, & quandonam augmentum illud conferatur. Porrò quia innumeræ sunt authorum etiam Thomistarum hac in parte divisæ sententiæ, resolutionem nostram non solùm è penu S. Thomæ doctrina depromemus, sed ejusdem ferè verbis libenter, & securè utemur; nec molliores Thomistas imitabimur, qui de severitate Angelicæ doctrinæ nonnihil remittere voluerunt.

SPECULATIO II.

Quilibet actus charitatis augmentum habitus meretur: illud tamen non consequitur actus remissus.

PRima pars affirmans, quemlibet actum charitatis mereri augmentum habitus, ad illudque disponere, est contra Durandum, & probatur. Actus charitatis, quantumvis remissus, est meritorius alicujus gradus gloriæ sibi correspondentis, ut ipsemet Durandus fatetur,& patet: tum quia sicut omnis actus malus meretur pœnam, ita omnis actus supernaturalis bonus præmium, quod ea divinæ beneplacito voluntatis non est aliud, quàm gloria æterna: tum quia actui remisso charitatis conveniunt conditiones meritorii operis, ad quod requiritur, ut sit supernaturale, propter Dei obsequium, & ab homine Deo grato procedens. Atqui actus amoris Dei non potest esse meritorius alicujus gradus gloriæ sibi specialiter correspondentis, nisi mereatur augmentum gratiæ & charitatis, ratione cujus solius fit debitus specialis gradus gloriæ; tota enim, & una mensura gloriæ, charitas est, & gratia. Ergo actus amoris à charitate elicitivè procedens, est augmenti gratiæ & charitatis meritorius. Unde D. Thomas art.6. ad 2. *Quilibet actus charitatis meretur vitam æternam, non quidem statim exhibendam, sed suo tempore. Similiter etiam quilibet actus charitatis meretur charitatis augmentum; non tamen statim augetur, sed quando aliquis conatur ad hujusmodi augmentum.* Et Concilium Tridentinum sess.6. can.32. *Si quis dixerit, justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum fiunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consequutionem, atque etiam gloriæ augmentum, anathema sit.* Et licèt mens sacri Concilii fuerit tantùm definire contra Lutherum, posse nos operibus nostris à charitate prodeuntibus gratiæ augmentum promereri, subindeque charitatis habitualis crementum, cùm charitas à gratia sponte per modum naturalis proprietatis fluat; an verò illud augmenti meritum etiam actibus remissis debeatur, non determinet Sancta Synodus, subindeque positio Durandi licèt non sit hæretica, est tamen valde dubia, & ferè erronea; cùm actus charitatis, quàmlibet remissus, sit opus bonum, cui respondete meritum gratiæ, gloriæ, & augmenti illius, œcumenica Synodus declaravit.

Dices cum Durando: Ille solus dignus est accipiendis, qui benè utitur jam acceptis; nec novis favoribus dignandus est, qui prioribus est abusus. Atqui præditus habitu charitatis intenso, & remissos nihilominus eliciens actus charitatis, infuso habitu non benè utitur; nam juxta virtutem illius non operatur, nec conatus respondet viribus: ergo per illos actus remissos, & veluti degeneres nullum charitatis augmentum tepidus promeretur, sed per illos duntaxat, quibus habitum sin superat, certè adæquat. Unde D. Thomas *in 1.dist.17. quæst.1. art.3. ad 2.* sic formaliter loquitur: *Quilibet actus charitatis in quantum est informatus tali habitu, ordinatur ad præmium substantiale, non tamen ad augmentum præmii, sed nec ad augmentum charitatis.* Quid clarius, vel expressius pro Durando?

Respondeo, illum tandiu habitu benè uti, quamdiu ea illo bonos actus elicit, tametsi non intensos, nec virium habitus adæquatè exaurientes. Certè quilibet actus veræ & sinceræ dilectionis Dei, cujuscumque gradus sit, bonus est, cùm secundùm ipsius Durandi confessionem sit æterna vita dignus, ac proinde voluntas ipsum eliciens habitu charitatis non malè utitur, tametsi juxta totum illius conatum non operetur. Adde, argumentum illud probare solum, operanti remissè non conferri augmentum; sed minimè convincere, operantem non benè & meritoriè operari. Nec est necesse, quod si actui remisso conveniat meritum, conferatur etiam præmium; quia ut statim ampliùs confirmabimus, præmium sæpe est merito posterius: unde non oportet merenti augmentum charitatis statim infundi crementum quod meretur, donec ad illud fuerit voluntas per actum æqualem, vel intensiorem præparata; quia ut in sequenti parte ostendemus, augmentum charitatis juxta legem potentiæ Dei ordinatæ meriendum est juxta modum intensionis qualitatum naturalium, vel habituum moralium, quos certum est non nisi perfectionis actibus augeri.

Ad locum D. Thomæ respondeo, plures è discipulis S. Doctoris existimare Angelicum Præceptorem opinionem in libris Sententiarum à se traditam revocasse; sed ad has angustias minimè redactus fuerit, qui mentem D. Thomæ fuerit assequutus. Etenim nihil aliud vult S. Doctor, nisi quod nos in secunda parte statim monstrabimus, nimirum augmentum illud non statim conferri, & consequenter hominem non mereri augmentum charitatis statim conferendum. Nam post verba in objectione relata sic

ſic habet : *Non meretur homo augmentum charitatis ſecundùm quod charitas remanet principium merendi, ſed ſolùm ſecundùm quod charitas pertinet ad perfectionem præmii.* Quibus verbis clarè indigitat, augmentum charitatis non quidem ſtatim conferri, quod eſt mereri charitatem ſecundùm quod eſt principium meriti; charitas quippe phyſicè aucta eſt principium meriti etiam ſecundùm gradum augmenti; ſed nihilominus vult hominem per actum illum mereri augmentum, quod eſt mereri charitatem ſecundùm quod pertinet ad perfectionem præmii; præmium enim merito reſpondet : quod præmium homo conſequetur cùm ſe ad illud diſpoſuerit. Hanc eſſe germanam S. Thomæ intelligentiam, patet ex his quæ habet *in 2. lib. ſentent. diſt. 27. quæſt. 1. art. 5.* vbi loci adducti ex primo libro meminit, ad illumque ſe refert his verbis : *Quando actus meritorius ſe habet ad præmium ſolùm in ratione meriti, tunc verum eſt, quod ſicut quis per unum actum ejuſdem rationis meretur præmium, ita & per alium : ſecus autem eſt quando actus meritorius ſe habet ad præmium non ſolùm ut meritum, ſed quodammodo ut cauſa. Et ſic ſe habet actus meritorius ad augmentum gratiæ : unde non oportet, quod quilibet actus meritorius augmentum gratiæ mereatur, quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu conſequatur augmentum habitus; ſed ſolùm in illo actu, quo quis utitur prædicta gratia ſecundùm proportionem ſuarum virium, ut in nullo gratia Dei deſit per negligentiam, ut in 1. lib. diſt. 17. dictum eſt.* Quibus verbis apertè docet D. Thomas, actum charitatis quemlibet habere rationem cauſæ, ſeu conditionis, quâ poſitâ ſtatim conferatur augmentum; ſed illum ſolum, in quo juxta proportionem virium voluntas operatur. Actui ergo duntaxat denegat meritum augmenti actu collati non ſuo tempore, ſed quando erit debita diſpoſitio conferendi : quæ eſt vera ſententia ſtatim defendenda.

Actui remiſſo non ſtatim confertur augmentum habitus.

Secunda pars ſpeculationis eſt contra Gabrielem, Majorem, Nominales, quos ſequuntur Suares, Vaſques, Turrianus, aliique arbitrantes, quolibet actu charitatis, quantumlibet remiſſo, ſtatim augeri & charitatem, ſubindeque ampliorem illi reſpondere gradum gloriæ, ſi homo in gratia decedat. Verùm huic aſſerto univerſa S. Thomæ doctrina refragatur. Nam præter teſtimonia hactenus recenſita, non potuit luculentiùs mentem ſuam aperire Doctor Angelicus, quàm dum in corpore artic. 6. quæſt. 24. ſic formaliter ſcripſit; *Non quolibet actu charitatis charitas augetur, ſed quilibet actus charitatis diſponit ad charitatis augmentum, in quantum per unum actum charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum ſecundùm charitatem; & habilitate creſcente homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conatur ad charitatis profectum; & tunc charitas augetur in actu.* Quod explicat exemplo à motu augmenti corporalis animalium & plantarum deſumpto. Sicut enim ad augmentum corporum non exigitur ut incrementum ſit continuum, ita ſcilicet, quod ſi aliquid augetur in tanto tempore, neceſſe ſit quod proportionaliter in qualibet parte temporis ſecundùm aliquid augeatur, ſicut contingit in motu locali, in quo per ſingulas temporis partes aliqua ſpatii pars decurritur; ſed ſufficit quod per aliquod tempus natura diſpoſitiones ad augmentum nihil actu augens operetur, ut poſtmodùm præmiſſo diſpoſitionum apparatu augmentum ſuo tempore ſubſequatur : Ita ſimiliter in augmento ſpiritali charitatis non eſt neceſſe, quod quolibet actu etiam remiſſo charitas augeatur; ſed ſat eſt, quod per illum diſpoſitio ad augmentum præparetur. Nec propterea actus illos remiſſos eliciens in via Dei ſtat, vel retrocedit dum non creſcit, quia ut ad 3. ait, in via Dei procedit aliquis non ſolùm dum actu charitas ejus augetur, ſed etiam dum diſponitur ad ejus augmentum. Imò ſolutione ad 1. quamvis fateatur, quolibet actu charitatis hominem mereri ipſum charitatis augmentum, contendit tamen augmentum illud non ſtatim effici, *ſed quando aliquis conatur ad hujuſmodi augmentum.* Quam doctrinam generalem eſſe vult pro omnibus virtutibus in ſolutione ad 2. *Etiam*, inquit, *in generatione virtutis acquiſitæ non quilibet actus complet generationem virtutis, ſed quilibet operatur ad eam ut diſponens : Et ultimus, qui eſt perfectior, agens in virtute omnium præcedentium, reducit eam in actum: ſicut etiam eſt in multis guttis cavantibus lapidem.* Unde luce clarius eſt, recentiorum doctrinam evidenter S. Thomæ adverſari.

Ratio fundamentalis ex S. Thomæ locis eruitur in hunc modum. Idem ordo, eademque proportio in augmento charitatis obſervatur, quam in infuſione obſervare ſolet Deus; cùm enim à ſolo Deo charitas & infundatur, & augeatur, nec noſtris actibus ingeneretur; recta ratio poſtulat, ut eandem in accretione ſervet proportionem, nec minorem exigat diſpoſitionem, quàm in infuſione prima, quæ utique hoc ipſo, quod eſt prima, minorem videretur exigere diſpoſitionem; unde ad minus eadem requiritur pro cremento diſpoſitio. Atqui ſic eſt, quod gratia & charitas non infunduntur adultis, ſaltem de lege ordinaria, niſi juxta, & proportionaliter ad eorum diſpoſitionem, diſpoſitioniſque quantitatem, quâ ad earum receptionem per modum phyſicæ diſpoſitionis aptantur; unuſquiſque enim, ut habetur *Matth. 25.* talentum ſecundùm propriam virtutem accepit, ideſt ſecundùm propriam diſpoſitionem ſub motione Spiritus ſancti gratiam advocantem, ad eamque conantem. Unde Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. *Verè*, inquit, *juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes. unuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam cujuſque diſpoſitionem, & cooperationem.* Hinc Hieronym. in caput 4. ad Epheſios : *Gratia*, inquit, *juxta menſuram credentibus datur, juxta menſuram vaſculorum infundit liquorem, tantùm muneris largiens, quantùm poteſt ille, cui donatur accipere.* Quæ vaſculorum menſura nihil aliud eſt, quàm diſpoſitio, & voluntatis ſub Dei auxilio promovente capacitas, cui Deus, utpote cauſa & proviſor univerſalis, ſe accommodat. Certè cùm in adultorum juſtificatione, quæ abſque propriorum actuum apparatu non contingit, unus alio ſanctior ſit, uberiorique gratiâ perfundatur, non poteſt ulla hujus diſtributionis inæqualitatis ratio aſſignari, niſi quod alter in ferventiorem, alter in minùs ferventem actum proruperit. Ipsâ etiam experientiâ compertum eſt, tantùm abeſſe, actibus remiſſis augeri in nobis charitatem, Deique amandi facilitatem, quod potiùs experimur actuum tepiditate, & animi torpore charitatem in dies langueſcere, donec tandem excidat. Ergo homo non conſequitur augmentum charitatis, niſi ſit ad illud ſufficienter phyſicè diſpoſitus : quam quidem diſpoſitionem phyſicam manifeſtum eſt ipſum non habere per actuum remiſſorum productionem.

Dices : Magnum intereſt diſcrimen primam inter infuſionem gratiæ, & ejuſdem augmentum; quia nimirum actus præcedentes juſtificationem non ſunt meritorii,

meritorii, utpote à persona gratiâ gratum faciente destituta proficiscentes. At verò actus post justificationem eliciti, sicut à subjecto grato procedunt, ita æternæ vitæ meritorii sunt: unde non mirum, si in prima justificatione requiritur physica actuum disponentium proportio, cùm nulla sit moralis & meritoria, quæ tamen post justificationem adest; quia licèt actus remissus non sit dispositio physicè proportionata augmento, est tamen moraliter adæquata & opportuna, hoc ipso, quod est meritoria augmenti.

Respondeo ex eo, quod actus remissus sit meritorius augmenti, malè deduci, non debere physicam habere cum augmento proportionem. Quamvis enim Deus possit charitatem nostram absque propriis actibus intendere, nec teneatur dispositionis cum forma physicam proportionem servare; tamen hæc intensio non erit strictum, & verum augmentum, de quo impræsentiarum disputamus. Quemadmodum enim nullum reperitur in elementis augmentum, quando per juxtapositionem absque propria ulla operatione concrescunt; sed verum augmentum in solis viventibus invenitur, quippe quæ ad illud per actus facultatis augmentativæ concurrunt: ita non contingit spiritale charitatis augmentum, nisi adsit prævia actuum præparantium dispositio. Et certè talis est charitatis, cæterarumque infusarum virtutum, connaturalisque modus, ut non recipi antur in adulto, nisi præviis actuum dispositionibus instructo. Unde sicut non infunditur nisi in subjecto disposito, ita non magis infunditur, nisi in subjecto magis disposito; non magis autem disponitur per actus remissos, quibus potiùs quadantenus, si dicere fas est, indisponitur, præsertim si tarò exerceantur; actibus enim remissis tarò elicitis ad charitatis interitum via sternitur & munitur.

Aliis argumentis à posteriori petitis impugnant nostri Thumistæ opinionem Nominalium. Primò, quia ex opposita sententia sequeretur, quod quando homo justificatus exercet deinde suum habitum, sive per actus remissos, sive per intensos id præster, semper habitus erit intensior actu. Nam si prædictus habitu ut sex eliciat actum ut unum, habitus erit intensus ut septem; si verò eliciat actum ut sex, habitus erit intensus ut duodecim. Unde ulteriùs sequitur, lumen gloriæ nullam habiturum cum intensione actus & habitus charitatis proportionem, nec juxta eorum mensuram infusum iri, cùm actus & habitus charitatis nullas inter sese proportionis leges observent. Verùm hoc inconveniens facilè devorabunt adversarii, & facilè dicent, luminis gloriosi quantitatem vel habitui charitatis, vel actibus remissis sæpiùs repertis commensurari. Immò in nostra sententia postea stabiliendâ habitus semper, aut ferè semper est actu intensior; actu quidem remisso, ut patet, quia iste virtutem non adæquat; actu etiam intenso, quia semper augetur habitus secundùm totam actûs intensioris latitudinem; idest tot adduntur intensionis gradus habitui, quot sunt in actu intensiori, quo augetur.

Secundò idipsum probant, quia sequeretur, quod nulla esset proportio inter augmentum habitus charitatis uno instanti exercitii comparatum, & augmentum ejusdem habitus charitatis in tempore determinato productum, ita ut secundum sit primum infinitis gradibus excessurum. Nam cùm nulla sit proportio inter tempus & instans, & in tempore sint infinita instantia, si ex quolibet actu etiam remisso sequatur augmentum habitus, sicut in primo instanti actus est habitus, ita intra tempus, in quo sunt infinita instantia, habitus infinitum consequetur crementum. Quod si dicatur, continuationi actus non respondere augmentum habitus, sed primæ ipsius productioni, falsum omninò id dicitur: tum quia, ut dicebat D. Thomas, actio augmentativa, & in viventibus, & in vita spiritali præcipuè fit in tempore, non in instanti, sicut generatio. *Per aliquod tempus*, inquit art.6. *natura operatur, disponens ad augmentum, & nihil augens actu; & postmodum producit in effectum id quod disposuerat. Ita etiam non quolibet actu charitatis charitas actu augetur*, &c. Tum quia ex hac responsione sequeretur bonum esse & utile interrumpere exercitium actualis Dei amoris, quod tot Patrum spiritalium doctrinæ adversatur. Etenim si augmentum charitatis non continuationi actus, sed soli actui primo instanti producto respondet, consequens planè erit, quod si intra horam centum eliciantur actus aliquâ morulâ temporis interstincti, habitus centies augebitur, qui per continuum unius horæ exercitium adauctus non fuisset.

Mirum est, quot solutiones huic argumento adhibeant recentiores subtilitatum instantanearum, id est imperceptibilium amantes. Sex, aut septem affert Turrianus; sed non vacat in iis apicibus tam tenuibus minutatim confutandis immorari. Suspicantur tamen aliqui in hoc argumento calculatorio (sicut in aliis similibus solet) aliquam latère fallaciam, cùm possit in ipsum Bannes (qui valde illud urget) facilè retorqueri. Quia ipsemet cum cæteris omnibus docet, quovis actu remisso, & qualibet actua continuatione mereri hominem majus præmium accidentale; sicut quolibet malo, quàmlibet remisso, ejusdemque continuatione meretur præmium accidentale: ergo si valet præfata comparatio, nulla erit proportio inter meritum præmii accidentalis correspondentis actui continuato per horam; & meritum ejusdem præmii correspondentis actui per unum instans elicito; sicuti nulla est tempus inter & instans proportio. Nulla etiam erit proportio inter præmium accidentale respondens multiplicationi actuum, & inter præmium accidentale respondens ejusdem actus continuationi, sive nihil continuationi respondeat, quia tunc melius erit sæpe interrumpere, quàm eundem actum continuare; subindeque cordis evagationes, quibus ab amore actuali distrahimur, quas pierari exitiosas tantopere Patres aversantur, erunt attentione cordis utiliores, ut suprà nos argumentabamur: sive aliquid continuationi respondeat; si enim aliquod præmium accidentale debetur actui remisso multiplicato, & in instanti elicito, debebitur præmium absque proportione majus actui per horam, in qua sunt infinita instantia, continuato.

Ab his tamen replicatum nodis expedire se conatur Bannes ingeniosè, & juxta solidè, afferendo rationem disparitatis. Quia nimitum actui charitatis, prout exercetur in instanti, non debetur præmium accidentale, sed solùm substantiale; præmium verò accidentale non nisi actui jam existenti, & circumstantiis accidentalibus (inter quas continuatio numeratur) vestito debetur. Unde majus, minusve erit præmium accidentale pro majori, vel minori continuationis perseverantia. Quod tamen præmium continuationi respondens non excedet in infinitum præmium accidentale respondens instantaneæ multiplicationi; quia præmium continuationi debitum non confertur ei ratione instantium infinitorum, quæ hora includit partibus permixta; sed ratione perseverantiæ, & firmitatis, quæ specialem, sed non infinitam invehit difficultatem; unde speciale quidem, sed non infinities majus præmium ei accidentale debetur.

Atque ex his omnibus liquidò claret, non per quemlibet charitatis actum, etiam remissum, conse-

qui

qui hominem statim charitatis augmentum; sed tunc duntaxat quando per æqualem, vel intensiorem habitu actum disponitur; quia tunc voluntas ex tota charitatis virtute & conatu operatur. Dixi, per æqualem, vel intensiorem. Quia licèt juxta probabiliorem sententiam habitus acquisitus non per actus æquales, sed duntaxat per intensiores augeatur, sufficit tamen ad habitus infusi augmentum actus habitui æqualis productio. Et ratio discriminis est, quia habitus acquisitus physicè, & efficienter ab actibus generatur; subindeque actus vt quatuor habitum vt quinque producere nequit, nec intensiorem producere gradum, quàm sit ille, quem habet, cùm nemo det quod non habeat. At verò charitatis, virtutumque infusarum actus non effectivè, sed dispositivè ad augmentum sui habitus concurrunt. Unde quia Deus solus hujusmodi actuum productor, solus & auctor, nihil aliud à nobis exigit, ut dona sua conferat, collataque augeat, nisi vt benè utamur acceptis, & secundùm totam virtutis à Deo datæ mensuram operemur, quia tunc ut vacuum gratiam Dei non recipimus, & sine dubio contentus erit, dum nos viderit pro virili operantes, & totam nostram habitualem potestatem adæquantes.

Dices: Ex Tridentino suprà citato justus per bona opera (quales sunt sine dubio actus amoris Dei, tametsi remissi sint) meretur augmentum gratiæ, ac subinde charitatis, quæ sin à gratia non distinguitur, certè ab ea nunquam separatur, ejusque crementis conformatur. D. etiam Thomas docet, actus remissos disponere ad augmentum gratiæ, ac proinde statim illud consequitur, cùm statim illud meteatur. Neque enim aliter ad augmentum illud disponitur homo, quàm actibus meritoriis, quibus veluti dispositionibus moralibus præparatur voluntas ad charitatis crementum. Ergo licèt in augmento habituum acquisitorum requiratur actus intensus, quia à proportione minoris inæqualitatis non fit actio, tamen ad augmentum habitus infusi sufficit actus remissus, cùm ad habitum illum, sive efficiendum, sive augendum, non concurrat voluntas efficienter, sed augmentum illud à Deo promereatur. Maximè quia quando voluntas prædita habitu quinque gradibus, vel pluribus intenso, producit actum sex gradibus, vel pluribus intensum, tunc habitus non producit actum ob improportionem; effectus enim non potest esse perfectior causâ, sed actus ille producitur à voluntate ex Dei auxilio, quo constituitur principium potens producere intensionem actus: ergo non necessariò ad augmentum requiritur actus intensior elicitus ab habitu, qui illum non potest producere, sed sufficit meritum augmenti, quod convenit etiam actui remisso.

Respondeo, certum esse, hominem per quemlibet actum mereri & gloriam, & aliquem novum gradum gratiæ: sed sicut statim non confertur gloria, ita nec augmentum gratiæ. Verè ergo Tridentinum cuilibet actui meritum asseruit, sed statim conferri præmium minimè definivit. Veridicè etiam affirmat D. Thomas, per quemlibet actum remissum disponi remotè voluntatem ad charitatis incrementum; disponi verò proximè, ita ut statim augmentum sequatur, nunquam, vel nusquam dixit S. Doctor, sed solùm cùm habilitate crescente, voluntas in actum ferventiorem prorumpit, vt subdit eodem loci D. Thomas. Certè eadem ad minus requiritur dispositio ad augmentum, quæ ad gloriæ infusionem exigitur: in justificatione autem adulti, quæ non fit unquam sine actu & motu liberi arbitrii, gradus gratiæ & charitatis habitualis respondet intensioni actus æquè ac si habitus per actus physicè produceretur: ergo eadem proportio debet cæteris paribus in augmento servari, ut nimirum toto conatu voluntas operetur. Quare actibus remissis meritoriis, præsertim frequentatis, disponitur quidem voluntas ad augmentum, at non statim, sed suo duntaxat tempore conferendum. Ad id quod ultimò additur, dicendum falsum esse, habitum charitatis non concurrere ad actum intensiorem; quia licèt iste habitum gradu excedat, habitus tamen per auxilium divinum (sine quo justus actus bonos elicere nequaquam potest) roboratur, sitque intrinsecè potens concurrere ad ipsam gradus perfectioris intensionem, à qua rursum ipsemet habitus augetur, sed in diverso genere causalitatis; habitus enim effectivè influit in actum, actus verò ad habitus augmentum non nisi moraliter, & meritoriè disponit.

Instabis: Ex nostra doctrina sequitur, actibus remissis nullum unquam respondere præmium, quod tamen de condigno promerentur: etenim si nunquam conferatur augmentum, nisi homini per actum æqualem, vel intensiorem disposito, semper præmio suo depulsi & frustrari manebunt actus remissi; quia etiamsi non præcessissent, idem tamen augmentum actui intenso correspondetet. V. g. sit homo præditus habitu charitatis ut sex, qui eliciat actus charitatis ut duo, & posteà prorumpat in actum intensum ut octo, tunc conferetur solùm augmentum ut octo: ergo nihil respondebit actibus remissis ut duo, qui actum illum intensum præcesserunt; quia nunquam invenietur illa proportio, quam tam exactè & rigorosè exigimus; ac proinde perit, & evanescit fructus totus actuum remissorum. Ex quo ulteriùs sequuntur inconvenientia gravissima: si enim actibus remissis nihil conferatur distinctum à præmio actus intensi, sequitur in casu duorum hominum, quorum unus habeat charitatem ut sex, alter verò ut tria, & uterque eliciat actum amoris ut quatuor; sequitur, inquam, habentem charitatem inæqualem per actum æqualem majus augmentum, majusque præmium obtenturum; cùm enim secundùm nos habitus augeatur secundùm totam latitudinem actus intensioris, sine dubio habitus charitatis ut tria per actum dilectionis ut quatuor augebitur usque ad septimum gradum; habitus verò charitatis ut sex remanebit intra sextum gradum, cùm actus ut quatuor sit remissus respectu illius, ac proinde per illum minimè augeatur. Ergo deterioris erit conditionis qui est in altiori gradu habitualis charitatis: ergo ab inæquali per actum æqualem superabitur; nec solùm per actum æqualem, sed etiam per minorem vincetur, putà si præditus habitu ut sex eliciat actum ut quinque, non crescet habitus; & si habens charitatem ut tria, eliciat actum ut quatuor, crescet habitus ad septimum usque gradum. Quis hanc distributionem, quæ injustitiæ speciem præ se fert, libens admittat? Quis credat consequenter, præditum habitu ut tria, per actum ut quatuor assequuturum majorem gloriam cum minori merito; cùm tamen una, & tota inæqualitatis præmii mensura sit diversitas meritorum.

Respondeo, actus remissos non privari debito præmio, quia augmentum actum intensum consequens, sicut & novus gradus gloriæ illi correspondens, duplici titulo confertur; & ratione nimirum actus intensi, & ratione repetitorum actuum remissorum, qui præcesserunt. Quamvis enim cuilibet actui meritorio præmium aliquod debeatur, non tamen distinctum confertur, sed idem novo modo, novoque titulo conceditur, quando nimirum distinctum præmium distinctam exigit in subjecto dispositionem. Quod explicans aliqui exemplo duorum, quibus in præmium

præmium vitilis, ftrenuique certaminis promifit Rex liberorum ad fuam menfam acceffum; hæc pugna eft moralis difpofitio, quæ Regis convictum promeretur; fed quod unus plus, vel minus cibis & deliciis regiis fruatur, ex difpofitione ftomachi, vel guftus proficifcitur. Ita fimiliter gloria æterna actibus dilectionis & debetur, & confertur: verùm ille plus manducabit panem fuper menfam Chrifti in regno Patris, non qui fæpiùs, fed qui ampliùs & intenfiùs Deum dilexerit. Quia ut ait D.Thomas 1.p. quæft.12. art.6. *Plus participans de lumine gloriæ plus Deum videbit: plus autem participabit de lumine gloriæ, qui plus habet de charitate; quia ubi eft major charitas, ibi eft majus defiderium: & defiderium facit quodammodo defiderantem aptum & paratum ad fufceptionem defiderati.* Et compendiosè Auguft. tract. 8. in Joan. *Defiderium dilectionis præparatio eft manfionis.*

Et quia hanc doctrinam, tametfi ad excitandum animi leporem tantoperè neceffariam quidam neoterici etiam Thomiftæ vel irrident, vel etiam indignantur; ut eorum faftidio & ftomacho confulamus, placet felecta quædam D. Thomæ teftimonia longè præclariffima in medium proferre, ea illis oppofiturus, qui nefcio quâ fronte fe difcipulos D. Thomæ dictitant, qui tam apertam & expreffam S. Doctoris fententiam tam apertè & exprefsè refellunt. *Dicendum*, inquit in 3. dift. 18. quæft. 7. art. 2. ad 4. *quod oportet, quod omnis qui meretur, proficiat quantum ad mercedem, ut fcilicet eam fibi faciat debitam fimpliciter; vel quantum ad aliquem modum, quo priùs non debebatur.* Et art. 5. dicit, meritum contingere tripliciter: *Primò quando aliquis præmium de non debito facit fibi debitum. Secundò quando facit magis debitum quod erat minùs debitum; quod contingit in eo, in quo charitas augetur. Tertiò quando facit fibi debitum uno modo, quod debebatur antea alio modo.* Quod explicat exemplo pueri, qui per primum charitatis actum facit fibi vitam æternam debitam titulo meriti, quæ fibi priùs titulo hæreditatis debebatur, & exemplo Chrifti, qui gloriam corporis titulo connaturalitatis debitam, merito etiam humilitatis afcivit. Quibus verbis nihil planius, nihil luculentius. Certè inde magis fuadeor, fententiam, quam propugno, effe ipfiffimam S. Thomæ mentem, quòd moderni eam impugnantes illi uni fundamento veluti cardini innixi fint, non poffe idem præmium duobus meritis refpondere: & tamen illa ratio, quæ illis eft loco haftæ & clypei, D. Thomæ doctrinæ, & verbis formaliffimis manifeftiffimè adverfatur.

Ex quibus abfque negotio refpondetur ad inconvenientia deducta. Neque enim mirum, & multò minus inconveniens cenfendum eft, quod qui intenfiori habitu præditus eft, fi tepidè, & non juxta dona fibi conceffa graviter operatur, deterioris fit conditionis eo, qui habitu remiffo inftructus nihilominus in actum intenfum prorumpit. Sicut non fuit inconveniens, Patremfamilias noviffimos in vinea laborantes pares eis feciffe, qui portaverant pondus diei & æftus, quia fervore & inftantia laboris, quod de tempore deerat, fuppleverant. Sicut etiam adverfarii non reputant inconveniens, actui remiffo non dari ftatim augmentum charitatis defectu difpofitionis. Non etiam mirum, quod præditus habitu perfectiori, fed remiffè operans, vel æqualem, vel etiam minorem gloriæ gradum affequatur, quia ut præclarè & ferè divinè profequitur S. Thomas in 4. dift. 49. quæft. 1. art. 4. quæft. 4. ad 2. & 3. *Retributio gloriæ non eft fecundùm numerum operationum, fed fecundùm diverfos gradus charitatis.* Et fanè non qui pluries meretur, plus meretur, nifi ratio merendi fit major. Et ratio hujus inconcuffa fæpe traditur ab Angelico Doctore, quia nimirum, quantumlibet aliquis actus remiffos multiplicet, licèt pluries diligat; attamen nunquam tantum diligit, quantum ille qui in actum intenfiorem prorumpit: non debet autem majorem habere gloriam, majorifve gloriæ gradum, qui minorem elicuit dilectionis motum; intenfio quippe luminis gloriæ, non multiplicationi actuum, fed intenfioni amoris refpondet.

Urgebis cum M. Serra & Goneto: Hæc noftra doctrina non falvat propriam retributionem actibus remiffis debitam, cùm præmium augmenti correfpondeat adæquatè actui intenfo: unde tametfi non præceffiffent actus remiffi, idem tamen augmentum contingeret charitati, idem etiam gloriæ gradus refponderet: ergo planè evacuabitur meritum actuum remifforum. Nec fufficit refponfio de duplici titulo: tum quia quod præmium novo titulo conferatur, non auget utique præmium, fed idem effe fupponit: tum quia denarius debitus ex juftitia operanti pro labore unius diei, non poteft effe merces alterius diei, quantumvis duplici titulo dari dicatur: tum quia non minùs Deus remunerator opera bona, quàm caftiget opera peccati, cùm juxta tritum axioma dici foleat, Deum ultra condignum præmia rependere, citra condignum punire: in inferno autem cuilibet peccato refpondet fua pœna, nec eadem diverfis peccatis duplici titulo pœna infligitur. Indignum autem videtur divina bonitate, ut pro actu malo, quàmlibet remiffo, fpeciali pœna plectatur injuftus; & pro actu bono non recipiat juftus diftinctam mercedem, fed eandem diverfo titulo fibi donatam.

Refpondeo, actibus remiffis refpondere quidem propriam retributionem, ideft condignam, fed non diftinctam, quia diftinctum præmium diftincti m amoris fervorem exigit, quia folus eft amor, quem Deus muneratur; nec poteft effe intenfior vifio, fi non fit intenfius videndi defiderium; non eft autem intenfius defiderium, fi defit amor fervidior, & multò minus fi fit remiffior. Nec exemplum operarii ex denario diurno huic veritati officit: tum quia in operariis illis remuneratur Paterfamilias opus externum: Deus autem radicem charitatis infpicit, nec tam quantum attendit, quàm ex quanto: non ergo mirum, quod operi externo diftincti diei diftincta merces rependatur, quia præmium illud conditi denarii non novam requirit fequenti die difpofitionem, ficut exigit præmium vifionis beatæ, quæ non tam multiplicationem actuum, quàm cordis flammantis ardorem, ardorifque continuationem, quâ potiffimùm fervor incalefcit, defiderat. Tum etiam, quia fua etiam manet actus remiffos retributio; nam ficut operi plurium dierum plures denarii, ita multiplicatis actibus remiffis ampliora præmia accidentalia donabuntur. Et in hoc concedi poteft exempli adducti fimilitudo.

Ad paritatem verò ex pœna damnatorum defumptam dici poffet in primis, plura ad præmium obtinendum, quàm ad pœnam fubeundam defiderari; ficut enim plures ad opus bonum circumftantiæ concurrunt, quarum, vel unius defectus opus inficit, & malum efficit; bonum quippe ex integra caufa, & malum ex quocunque defectu: ita plura ad diftinctum præmium, quàm diftinctum fopplicium in operibus exiguntur. Refponderi poteft fecundò, duplicem effe damnatorum pœnam, effentialem unam, quæ in feparatione à Deo primò & per fe, & dolore inde proveniente confequenter fita eft; alteram accidentalem, quæ ex ignis tortura, demonum

num convictu, aliisque sine fine & modo suppliciis oritur. Porrò propter plura peccata ejusdem, vel minoris malitiæ patietur damnatus plures accidentarias pœnas; sed majori malitiæ respondebit, non quidem major Dei privatio, quippe quæ cùm totam formam auferat, non suscipit magis & minus; sed major à Deo recessus, major cum Deo repugnantia, quam explicare solent Theologi exemplo exilii: licèt enim exilium decem leucarum patriæ fruitione privet; qui tamen in novum orbem relegaretur, magis à patria recederet, ad eamque videndam majorem haberet repugnantiam, unde acerbior dolor, & tristitia amarior derivatur. Similiter quamvis in damnatis eadem sit ejusdem Dei visi privatio, tamen inæqualis est cordis mœror pro inæqualitate malitiæ, tantumque datur tormentorum, quantùm in deliciis fuit mala voluntas.

Insistes: Si propter solos actus æquales, vel intensiores augetur charitas, majusque præmium essentiale tribuitur, frustra multiplicabuntur actus remissi, frustra in ejusdem actibus continua assiduitate permanebimus; cùm actus continuus, & actus in unico instanti exercitus non differant ex parte objecti, neque ex parte intensionis, sed ex externa duntaxat temporis circumstantia.

Respondeo, has sequelas perperam ex nostra sententia deduci; nam præterquam quod actibus remissis multiplicatis, ejusdemque actus continenti assiduitati suum respondet præmium accidentale non contemnendum; insuper actibus remissis disponitur cor, & veluti sensim mollitur, ut in amorem deinde ferventiorem prorumpat. Continenti etiam amoris instantiâ accendi solet flamma charitatis; nam in meditatione exardescit ignis, & cor nostrum ardens fit, si diu cum Salvatore loqui non desistimus. Maximè quia actuum intensio nos latet; nam licèt sensibilis divinorum amor sit fervoris indicium, fallit tamen interdum, quia amor proprius divinum sæpe mentitur: & sæpe robustior est Dei amor in internis animæ angustiis, & arescentis animæ languoribus, quàm inter animi divinis consolationibus perfusi delicias. Unde actibus amoris, tametsi in speciem remissis, vacandum est, quia & fortè remissi non sunt; & quia si sint, frequentati tamen ad fervidiores cum Dei gratia & disponunt, & pervenient.

Atque ex his manifestè deducitur contra Scotum *in 4. distinct. 22. quæst. unica*, actibus remissis, sicut nec gratiæ augmentum, ita nullum distinctum gloriæ essentialis gradum respondere. Quantitas enim gloriæ non nisi amoris quantitati respondet, & illi soli dabitur major gloriæ gradus, qui fuerit in dilectione ferventior. Maximè quia gratia nihil est aliud, quàm acceptatio ad gloriam; eo enim ipso, quod nos participes facit divinæ naturæ, filios Dei efficit, subindeque cœlestium bonorum hæredes: ergo repugnat aliquem ad majorem gloriæ gradum acceptari, nisi majori etiam gratiæ munere decoretur, cùm gratia sit semen & radix gloriæ: charitas autem & gratia, sin distinguuntur, ut plures credunt; certè, quod verius est, eodem passu, eodemque intensionis gradu gaudent. Ergo si Scotus concedit, in hac vita non augeri charitatem per actus remissos, sed solùm si homo se ferventiori actu disponat, inconsequenter omninò docet, hominem nihilominus in futura vita intensiorem gloriæ gradum habiturum actuum remissorum merito respondentem.

Quorum omnium firmamentum invictissimum tomo superiori, dum de commendatione vitæ interioris, latè stabilivimus, dum ostendimus totam bonitatem, totumque subinde meritum uni actui interno deberi, ac proinde meritum pro intensione actus interni crescere incremento essentiali. Quæ doctrina tam pura, quæve meo quidem judicio, totius vitæ spiritalis medulla est, nonnullis tamen modernis difficilis visa est, cùm tamen totius sit difficultatis spiritalis levamen & condimentum. Unde miror, nonnullos non timuisse scribere, plus præmii obtenturum eum, qui totam suam, eamque ingentem substantiam ex charitate dederit, quàm illum, qui ex æquali, imò & majori dilectione unum denarium dederit. Quam quidem doctrinam totius solidæ pietatis & Christianismi eversivæ, quæ tota quanta in amore sita est, inimicam arbitramur; ad eamque confutandam clarissima possunt S. Thomæ & Patrum testimonia adduci. *Quantitas meriti*, inquit S. Doctor 1. p. quæst. 95. art. 4. *ex duobus pensari potest: uno modo ex radice charitatis & gratiæ; & talis quantitas meriti respondet præmio essentiali, quod consistit in Dei fruitione; qui enim ex majori charitate aliquid facit, perfectiùs Deo fruitur: alio modo pensari potest quantitas meriti ex quantitate operis, quæ respondet præmio accidentali, quod est gaudium de bono creato.* Idem perspicuè docet 1. *Cor. 3. lect.* 2. in illa verba: *Unusquisque propriam mercedem accipit secundùm suum laborem.* Ubi inter multa præclara sic habet: *Qui ex majori charitate laborat, licèt minorem laborem patiatur, plus de præmio essentiali accipiet.* Quibus verbis nihil apertius. Quam doctrinam è Patribus deprompsit S. Thomas: Augustinus enim *lib. 83. qq. quæst.* 46. ait, *quod anima quantum charitate adhærescit, tantum lumine gloriæ illustrabitur.* Et Magnus Gregor. *hom. 5. in Evangel.* exponens illud Matth. 4. *Petrus & Andreas*, ait: *Sed fortassis aliquis tacitis secum cogitationibus dicat: Ad vocem dominicam uterque iste piscator quid, & quantum dimisit, qui penè nihil habuerit? Sed in hac re, fratres charissimi, affectum debemus potiùs pensare, quàm censum.* Et post aliqua: *Cor namque, & non substantiam pensat Deus; nec perpendit quantum in ejus sacrificium, sed ex quanto proferatur.* Hinc vir Apostolicus S. Vincentius Ferrerius *serm. 4. Dominica in Septuag.* inquit: *Meritum gratiæ in hoc mundo, & præmium gloriæ in alio magis venit ex affectione cordis, & fervore spiritus, quàm ex multiplicatione bonorum operum. Unde August. Non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed major charitas, majorque voluntas auget præmium.* Et ratio horum omnium est, quia perfectio vitæ Christianæ in sola dilectione consistit, ut tradit Apost. Coloss. 3. *Super omnia charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis.* Et demonstrat Divus Thomas infrà *quæst. 184. art. 1. ad 3.* ex eo, quod unumquodque dicitur perfectum in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio: charitate autem attingimus ultimum finem nostrum, eique unimur, juxta illud: *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in illo.* Patet autem, quod perfectioni essentiali vitæ Christianæ correspondere debet præmium essentiale beatæ vitæ: Ergo uni charitati debetur merces essentialis, & majori charitatis fervori intensior gloriæ gradus.

Nec dicas, ex nostra sententia sequi, negligendum piorum operum exercitium, nec ardua esse intrepido animo suscipienda, sed duntaxat facilia, modò in charitate efficere illa conemur. Non, inquam, id dicas. Hanc etenim objectionem loco citato prævidit Magnus Gregorius, eamque his verbis solidè confutavit. *Ante Dei oculos nunquam est vacua manus à munere, si fuerit arca cordis repleta bona voluntate. Ad vosmetipsos, fratres charissimi, introrsus redite* (inquit idem Pater hom. 30.) *Si Deum verè amatis, exquirite. Nec tamen sibi aliquis credat quidquid sibi animus*

fine operis atteſtatione reſponderit. Nunquam eſt Dei amor otioſus ; operatur enim magna, ſi eſt ; ſi autem operari renuit, amor non eſt. Unde qui credunt ſe amare Deum, & nihil, vel parum operantur, ſibi ipſi blandiuntur, ſuntque fallentes ſemetipſos, ut dicitur Jacobi 1. Certè ſi non ſequitur effectus ex voluntate, ſignum eſt eam eſſe ſterilem, inefficacem, amore Dei vacuam; ex abundantia enim cordis os loquitur, & manus inſtanter pro virili operatur. Unde qui ſunt ad bona opera multiplicanda propenſiores, regulariter ſunt in charitate ferventiores.

Reflexio.

Continens charitatis noſtræ crementum poſtulat, qui toto corde noſtro, tota mente, tota anima, totis viribus vult amari : totum petit, ut ſibi homo de ſe nihil relinquat : totum vult, diviſionem nullam admittit, ut hominis mundanus non haberet quod violaret affectus : totum poſtulat, nullamque vitæ noſtræ partem derelinquit, quæ vacare debeat, ut cuncta in illum conferamus, à quo habemus omnia, quæ conferimus : totum denique requirit, ut charitas magis, magiſque abundet ; ut ſi totum dare non poſſumus quod debemus, geminato fervore reddere contendamus.

Sed proh dolor ! non charitas quotidiana ſuſcipit incrementa virtutis, ſed concupiſcentia ad peccandum prona, ad progrediendum, prolabendumque proclivis, continuò & inſenſibiliter creſcit, nec adjumentis eget ut moveatur, nec incentivis novis ut currat ; ipſa ſponte ſua, ſine duce, comite, facili impetu & læto procedit, vireſque acquirens eundo, non ubi volumus accipit finem. Et quemadmodum (comparatio eſt Chryſoſtomi *orat. adverſ. Gent.*) in materiam aridam cadens ſcintilla ſtatim accenditur, nec ſiſtit, donec quod reliquum eſt, depaſcat, fortiùs ſe armante incendio ; ſic & natura peccati procedens ulteriùs, pejor ſemper fit, magiſque indomita. Unde verè ſcripſit Pſalmographus Pſalm. 41. *Abyſſus abyſſum invocat* ; hoc eſt, peccatum peccato viam parat, ſcelus accerſit ſcelera, & ruina ad ulteriorem ruinam gradus eſt.

Hæc cùm ita ſint, quid ſupereſt, niſi ut petamus adveniat in nos regnum charitatis, ut ſolus vivat, ſolus agat, ſolus in nobis dominetur Deus & totus, ut juxta Apoſtolum ſit Deus omnia in omnibus ; ut alieni à vitiis, ſegregati à peccatis, nihil habentes commune cum ſæculo, non inflammati libidine, non ſtimulati avaritiâ, non laſciviâ effœminati, non decolorati luxuriâ, non invidiâ macerati, non turgidi ſuperbiâ, denique nullâ terrenorum curâ ſoliciti, totis Deo ſenſibus adhæreamus. Hoc ſibi optabat Bernardus homil. 3. in *Miſſus eſt* ; hoc idem, Lector, mecum à Deo poſtula his Melliflui Doctoris verbis: *O ſi mei peccatoris meminerit Ieſus in beneplacito populi ſui, cùm venerit in regnum ſuum ! Veni interim, Domine Ieſu, aufer ſcandala de regno tuo, quod eſt anima mea, ut regnes tu, qui debes, in ea. Venit enim avaritia, & vendicat in me ſibi ſedem ; jactantia cupit dominari mihi, ſuperbia vult mihi eſſe rex. Luxuria dicit : Ego regnabo. Ambitio, invidia, detractio certant in meipſo, cujus ego potiſſimùm eſſe videar. Ego autem quantum valeo, reſiſto ; renitor quantum juvor : Dominum Ieſum meum reclamo, ipſo me defendo, quia ipſius me juris agnoſco ; ipſum mihi Deum, ipſum mihi Dominum teneo, & dico : Non habeo Regem, niſi Dominum Ieſum. Veni ergo, Domine, diſperge illos in virtute tua, & regnabis in illa, quia tu es ipſe Rex meus, & Deus meus, qui mandas ſalutes Iacob.*

Speculatio II.

Habitus charitatis ſemper actu augetur per actum æqualem, & à fortiori per intenſiorem in hac vita eliciendum ; augetur, inquam, ſecundùm totam actus intenſi latitudinem.

Duo dicimus, quibus totam hanc materiam ex mente S. Thomæ definimus. Primum eſt, charitatem habitualem augeri nedum per actum intenſiorem, ſed etiam per æqualem habitui, modò tamen hic actus intenſus in hac vita eliciatur. Altero contendimus habitum augeri ſecundùm totam actus latitudinem, ita ut tot gradibus habitus creſcat, quot ſunt in actu elicito gradus intenſionis.

Primum probatur contra quoſdam modernos Thomiſtas, qui antiquorum ad unum omnium D. Thomæ diſcipulorum deſerentes ſententiam, mirabilem adinvenere gloſſam, quâ ſatis frigidè Doctorem ſanctum explicantes, in opinionem Scoti incurrerunt, quam tamen impugnare præſeferunt. Dicunt ergo, quod licèt charitas actibus remiſſis non augeatur in via ; attamen quia per actus illos meritus eſt præmium gloriæ eſſentialis, ut non fraudent actus remiſſos ſuo præmio, comminiſcuntur animam in inſtanti ſeparationis elicere actum intenſiſſimum, omnium præteritorum actuum remiſſorum diſperſos gradus adunantem, quo ad augmentum charitas diſponitur ex æquo, & de facto augetur, eique ſic auctæ correſpondent tot gradus gloriæ, quot extiterunt gradus charitatis in ſingulis illis actibus remiſſis diviſivè acceptis.

Neſcio planè, an iſti moderni artem ariolandi, ſeu divinandi didicerint. Hoc unum ſcio, me neque Prophetam eſſe, neque filium Prophetæ, neque in Theologia mea vatem velle me agere, aut conjectorem. Hoc etiam ſcio, S. Thomam multis in locis hanc difficultatem de augmento charitatis verſantem, ubique quidem actum, ſin perfectiorem, ſaltem æqualem requiſiviſſe ; an verò actus ille in inſtanti ſeparationis eliciendus ſit, nunquam prophetaſſe, ſed potiùs oppoſitum apertè docuiſſe in 2. diſt. 17. quæſt. 1. art. 5. ad 2. *Non oportet*, inquit, *quod quilibet actus meritorius augmentum gratiæ conſequatur, quia non in quolibet actu meritorio invenitur illa conditio, per quam ex actu conſequitur augmentum habitus ; ſed ſolùm in illo actu, quo quis utitur gratia accepta ſecundùm proportionem ſuarum virium, ut in nullo gratia Dei deſit per negligentiam.* Quæ verba non poſſunt verificari, niſi de ſtatu viæ, in quem ſolum cadunt illa verba Apoſtolica, ad quæ S. Doctor alludit : *Videte ne quis deſit gratiæ Dei.* Sed clariùs adhuc loquitur in 4. diſt. 45. quæſt. 1. art. 4. quæſt. 4. *Diverſitas in merendo tota reducitur ad diverſitatem charitatis : & ſic charitas viæ diſponit manſiones per modum meriti.* Deinde cùm S. Doctor in omnibus doctrinæ ſuæ libris determinaverit tempus augmenti charitatis, dicens quod tunc *ſtatim augetur charitas, quando homo actum ferventem elicuerit*, fruſtra aliud tempus confingimus S. Doctori incognitum. Denique hoc commentum eſſe prorſus ab Angelica doctrina alienum, inde potiſſimùm colligo, quòd præcipuæ difficultates, quibus noſtram ſententiam impugnant adverſarii, & duplicem titulum præmii ejuſdem eſſentialis urgent ; illæ, inquam, difficultates à S. Doctore præviſæ ſunt, ab eodemque ſolutæ ; atque illud, quod pro magno inconvenienti illi habent, Sancto Thomæ veritas fuit indubitata.

Ratio etiam à nobis ſtat : Quamvis enim verum ſit, quod

quod in Beatis charitas perficitur veluti ex parte objecti, quatenus, ut postcà ampliùs elucidabimus, objectum amoris per lumen gloriæ magis, meliusque applicatur, & charitas ex præsentia amici veluti liquescere soleat; attamen illa perfectio non se tenet ex parte subjecti, ita ut ipsa magis intendatur & crescat propter actus remissos viæ, eique major gloria respondeat. Etenim ut charitas habitualis intensiùs in subjecto radicetur in ordine ad majorem gloriam, necesse est quod producat actum magis intensum, vel saltem æqualem, qui mereatur tale augmentum: siquidem prædictum augmentum charitatis, sicut & ejus infusio, commensuratur dispositioni actuum in adultis; nec Deus sine ejusmodi dispositione infundit, vel auget charitatem, ut fatentur ipsi adversarii contra Nominales. Præsertim quia licèt infusio non exigeret hujusmodi actuum apparatum, illum tamen requireret augmentum gratiæ, & gloriæ, quia utrumque cadit sub meritum. Atqui post mortem in patria non elicitur hujusmodi actus meritorius, cùm nullus amoris Dei in patria actus sit liber libertate indifferentiæ, quam ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ desiderari Innocentius X. ab universali Ecclesia Catholica receptus definivit. Imò dato, & non concesso, quod in instanti separationis elicitur actus amoris Dei habituali charitate intensior, & intensissimus; propterea tamen per hujusmodi actum nunquam augeretur habitus gratiæ & charitatis, subindeque nec plenior luminis gratiosi gradus illi responderet. Etenim ille actus, quantumlibet intensus, quantumlibet actuum omnium remissorum, etiam possibilium gradus in se uniret; tamen actus ille extra statum viæ, subindeque meriti, produceretur, & lumen ac visionem Dei sequeretur, non præcederet. Quare sicut per continuationem ferventissimi amoris per totam æternitatem duraturi, nihil de novo meretur Beatus, tametsi continuatio illa dilectionis bona sit, parsque felicitatis, quia tempus merendi præteriit, excessit, abivit, evasit, erupit, nec tunc merendi tempus est, sed fruendi; non seminandi, sed metendi: ita nec per primam amoris illius, quàmlibet intensi, productionem quidpiam Beatus mereretur. Quare longè profectò plausibilior foret Nominalium opinio commento illo recentiorum; non enim tam absurdum est, augmentum illud fieri in via, quàm si fiat in patria; cùm illud in via, non in patria voluntas mereatur.

Scio adversarios respondere, justum in primo beatitudinis suæ exordio elicere actum charitatis intensum, illique non ut merito quidem, cùm sit extra viam, sed ut physicæ dispositioni, augmentum charitatis, proindeque gloriam ampliorem respondere. Verùm hæc solutio adversariorum nihilo melior est eorum positione. Nam præterquam quod semper fingunt, & nunquam probant, initio felicitatis justum in virtute actuum remissorum viæ elicere actum intensiorem charitate, in qua mortuus est, quod gravis Theologus rationi, non divinationi innixus nunquam credidit, nunquam credit, nunquam credet: præter hoc, inquam, semper urget ratio, à qua nunquam se expedient; quia nimirum non augetur charitas, vel gratia, nisi per actum meritorium, aliàs fingam Beatos per totam æternitatem singulis momentis novas meritorum divitias magis magisque accumulare: & juxta communem sententiam Theologorum omnium calculo probatam, sicut gloria in adultis non datur in exequutione, nisi propter merita; ita major gloria nisi propter majora merita non confertur: Ergo dato, quod in limine, ut ita dicam, paradisi, & initio felicitatis eliciant actus ex parte subjecti intensissimus, si augmentum illi non correspondeat ut merito, non correspondebit etiam ut dispositioni, quia sola ad augmentum dispositio meritum est, ut ex dictis hactenus satis, superque demonstratum manet.

Si dicas, non mereri quidem justum per illum actum, sed per actus vitæ remissos promeruisse, ut augmentum illud initio separationis conferretur: hæc, inquam, si dicis, figmentum figmento addis, & veritati contradicis: Nam si justus per actus remissos meritus est tale augmentum, meritus est etiam sibi conferri auxilium ad actum illum ferventiorem eliciendum; si autem meruit, qua ratione, quo fundamento distulit Deus illius auxilii collationem, cùm posset illud idem auxilium in via, quæ status merendi est, conferre? Adde, quod absurdum non leve est, quod homo per actus tepidos multiplicatos promereatur auxilium ad actum intẽsissimum eliciendum, cùm tamen in pœnam tepiditatis sæpe Deus auxilia subtrahat: absurdum etiam, & incredibile, & D. Thomæ contrarium est, intensionem luminis gloriæ non intensiori desiderio, sed multiplicationi tepidi desiderii respondere; & illum qui gratiæ defuit, qui in vacuum eam recepit, qui talentum abscondit, eandem recepturum esse mercedem, quâ donabitur ille, qui toto desiderio ad Deum contendit, qui gratiæ non defuit, qui tot talenta superlucratus est, quot à Domino acceperat servus bonus, & fidelis. Itáne eadem erit merces teporis, quæ favoris? Itáne frustra hortatur nos Scriptura, hortabuntur nos & Patres, ut in hac die indefessè laboremus, ut dum tempus habemus, operemur bonum; quia quæ seminaverimus, hæc metemus; quia ubi ceciderit lignum, ibi erit; quia veniet mortis atra nox, in qua nullus poterit amplius operari? Si propter actus remissos multiplicatos augetur post mortem charitas, augetur & gloria, quare illud tam seriò Matth. 25. dictum est: *Habenti dabitur, & abundabit; ab eo autem qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo?* Quare Apocalypseos 2. reprehenditur Episcopus Ephesinus, quòd reliquerit primam charitatem, id est primum charitatis fervorem; & quòd opera ejus non inveniantur plena coram Deo? Quare D. Thomas post venerandum Patrum omnium chorum, auferri ab eo gratiam docet, qui gratiis semel datis negligenter utitur! Hinc Bernard. serm. 54. in Cant. *Time cùm arriserit gratia; time cùm abierit; time cùm denuò revertetur. Succedant sibi invicem in amore tres isti timores. Cùm adest, time, ne non dignè opereris ex ea; nam hoc monet Apostolus: Videte ne in vacuum gratiam Dei recipiatis, &c.* Quare demùm tam severè ait Joan. Apocal. 3. *Utinam calidus esses, aut frigidus; sed quia tepidus es, incipiam te emovere ex ore meo.*

Ultima pars, quæ docet, gratiam & charitatem augeri secundùm totam, & adæquatam actus latitudinem, ita ut qui cum habitu charitatis ut quatuor elicit actum dilectionis ut quinque, statim consequatur novem charitatis habitualis graduum augmentum; hæc, inquam, pars negatur à Bannesio asserente, habitum augeri duntaxat secundùm excessum actus intensioris, ita ut in casu adducto homo consequatur solùm unum gradum charitatis, quæ proinde manebit aucta ut quinque. Verùm nostra sententia patet ex dictis suprà, ubi ostendimus charitatem, habitusque infusos per actus æquales augeri; quia cùm tunc homo non desit gratiæ Dei, meretur etiam ut statim gratia augeatur à Deo, qui solus est gratiæ author: tunc autem non augetur habitus secundùm excessum actus supra habitum, cùm actus supponatur æqualis: ergo aliquo alio modo augetur habitus: sed non est major ratio cur augeatur penes unum gradum, quàm

penes omnes, qui sunt in actu: ergo secundùm totam actus latitudinem augetur. Quod si actus æquales id præstent, irrationabiliter illud de actibus habitus intensioribus inficiabimur. Maximè quia, ut sæpe diximus, eadem proportione augetur charitas, qua & infunditur: sed in infusione correspondent habitus dispositioni, & intensioni actuum præcedentium, vel comitantium justificationem, ita ut si actus sit intensus ut quatuor, charitas infusa quatuor gradibus constet: ergo pariformiter idem in augmento continget. Ex quo solidissimo principio obiter infer, qualis & quantus sit meritorum thesaurus, quæ quotidianis crementis habitum augent, si totis viribus Deum diligant, qui solus dignus est qui ametur. Ex eodem etiam alibi deducemus, quàm immensa sit Mariæ meritorum copia, quæ singulis horis, & fermè momentis gratiam altero tanto geminabat.

Porrò fundamentum M. Bannes suprà eversum est. Ratio enim ejus in hoc consistit, quod in naturalibus qualitas non augetur per actum inferiorem, nisi juxta gradum excedentem: v. g. calidum ut quatuor in præsentia calefactiva ut quinque acquirere solùm quintum gradum caloris, non verò novem gradus. Sed hæc ratio suprà refutata est, quia actus naturales concurrunt efficienter physicè ad qualitatis productionem & augmentum: actus verò supernaturales nec efficiunt physicè gratiam, nec physicè augent, sed ad illius crementum à solo Deo efficiendum moraliter, & meritoriè disponunt. Et hanc esse S. Thomæ mentem patet ex verbis ejusdem S. Doctoris, quæ habet in 1. dist. 17. q. 2. art. 3. *Quando*, inquit, *actus charitatis procedit ex tota virtute habitus, & quantum ad virtutem naturæ, & quantum ad virtutem habitus infusi, tunc unus actus disponit, & meretur augmentum, ut statim fiat.* Ergo sentit D. Thomas, non solùm per actum ferventiorem augeri habitum, sed etiam per actum æqualem habitui, quo homo secundùm totam habitus virtutem operatur.

Reflexio.

Euge, Lector, ne dicas, Satis est: ne in arrepti propositi vigore torpescas, quia sicut sine charitate nihil facis, ita sine charitatis fervore nihil proficis. Hinc monet Sapiens Proverb. 4. *Ne verearis usque ad mortem justificari.* Et ibidem comparat justorum semitas splendenti luci procedenti, & crescenti usque ad perfectum diem. Hinc communis illa Patrum vox: *In via Dei non progredi, regredi est.* Vel ut ait Magnus Leo serm. 2. Quadrag. *Hæc est perfectorum vera justitia, ut nunquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, incidant in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum.*

Ne credas charitatem mox ut nascitur, statim esse perfectam, quia ut rectè ait Augustinus tract. 5. in epist. 1. Joan. *ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* Astipulatur Gregorius expendens illud Levitic. 6. *Ignis in conspectu meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos subjiciens ligna per singulos dies. Altare Dei*, inquit lib. 25. Moral. cap. 7. *cor nostrum est, in quo jubetur ignis semper ardere, quia necesse est ex illo ad Dominum charitatis flammam indesinenter ascendere.*

Hæc cùm ita sint, bonum facientes non deficiamus, sed charitas magis, magisque abundet, ut illi placeamus, qui ignem venit mittere in terram, nihil volens nisi ut accendatur. Quæramus Dominum, & confirmemur: quæramus faciem ejus semper; nam sine fine quærendus est, inquit Augustinus, qui sine fine amandus est. Mariam quoque beatissimam imitemur, quæ plena gratiâ, gratiam pulsando, petendo, quærendo invenit ampliorem; digna prorsus invenire quod quærerer, cui propria non sufficiebat plenitudo; nec suo volebat bono esse contenta, sed quemadmodum scriptum est: *Qui edit me, adhuc esuriet; qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum.*

Speculatio III.

Latitudo, & terminus augmenti charitatis, necnon gradus illius explicantur; an etiam possit diminui, resolvitur.

Ut ea, quæ ad augmentum charitatis pertinent, breviùs, & juxta clariùs exponamus, omnia paucis quæsitis absolvemus.

Quæres primò, quantum charitas augeri possit.

Respondeo, charitatis augmento nullum præfigi terminum in hac vita, ut patet ex locis superiori reflexione relatis. Unde in Clementina *Ad nostram*, damnatur error Begardorum asserentium, quod potest homo in hac vita ad talem perfectionem pervenire, quâ adeptâ nec in charitate crescere, nec amplius peccare possit. Ratio etiam D. Thomæ art. 7. id suadet. Augmento alicujus formæ potest præfigi terminus tripliciter: primò ratione ipsius formæ, quæ habet determinatam mensuram, ultra quam si procedatur, destruitur forma antiqua, & nova generatur; sic pallor per continuam alterationem transit in albedinem, vel nigredinem. Secundò præfigitur terminus augmento ex parte agentis, cujus virtus exhausta nequit perfectiorem in subjectum formam inducere. Tertiò præscribuntur limites formæ ex parte subjecti, quando non est capax ulterioris augmenti, & perfectionis. Sed nullo ex his tribus modis præfigi potest terminus augmento charitatis in via; non quidem primo modo, charitas enim secundùm rationem propriæ speciei terminum augmenti non habet, cùm sit participatio Spiritus sancti, qui est charitas infinita: non etiam secundo modo, quia causa infundens, augensque charitatem, solus est Deus, cujus virtus est infinita: non denique tertio modo, tum quia charitate crescente, crescit etiam habilitas ad charitatis augmentum; charitas enim dilatat cor Deum amantis; tum quia charitas non recipitur in subjecto secundùm potentiam naturalem, sed secundùm obedientialem, quæ nullius formæ receptione limitatur. Hæc est enim differentia inter perfectiones ordinis naturalis, & perfectiones ordinis supernaturalis, quòd priores participant divinam perfectionem secundùm mensuram substantiæ creatæ, quæ ex intrinseco finita est; posteriores verò participant divinam perfectionem secundùm mensuram divinæ voluntatis elevantis naturam prout vult.

Quæ ratio D. Thomæ, si bene penetretur, non solùm convincit charitatem viæ omni carere termino augmenti, sed etiam id ei ex natura sua competere, quidquid in contrarium cum Scoto asserant quidam recentiores, quibus nonnihil favere videtur Cajetanus hîc, & 3. p. quæst. 7. Si enim charitas, ut asserit D. Thomas, secundùm rationem propriæ speciei terminum augmenti non habet, quia est participatio infinitæ charitatis, evidens est secundùm mentem D. Thomæ, hoc illi ex propria ipsius natura convenire.

Quod

Quod magis inde confirmatur, quia charitas Dei hoc ipso, quod est infinita, est etiam in infinitum participabilis. Ergo charitas creata, quæ est formalis participatio divinæ, magis magisque participare charitatem increatam potest; nec enim divina foret in infinitum participabilis, nisi eam creata posset magis & magis in infinitum participare. Sanè sicut quia Deus magis, & magis in infinitum visibilis est, ideo data quacumque creata visione, potest dari major; ita cùm magis, ac magis diligibilis sit fons ille divinæ bonitatis inexhauribilis, ideo quacumque posità charitate potest dari alia, & alia magis ac magis sine fine diligens. Quia nimirum quacumque intensione charitatis adveniente semper manet quod est formalis participatio infinitæ Dei charitatis, subindeque quod in infinitum augeri potest. Cum his tamen stat, charitatem habere terminum in patria, non quidem ratione suæ quidditatis, sed ratione conditionis status Beatorum, qui non sunt in via, sed in termino. Cum his etiam stat, quod licèt quivis justus possit semper in charitate crescere, non transiliet tamen terminos à divina prædestinatione positos; unde nullus gratiæ Salvatoris, vel Deiparæ gradum unquam assequuturus est.

Quæres rursum, an charitas viæ possit adæquare charitatem patriæ?

Responsioni præmitto primò, certum esse charitatem viæ & patriæ esse ejusdem speciei, tam quoad habitum, quàm quoad actum physicè sumptum, ut ex D.Thoma 1.2. *quæst.* 67. *art.*6. colligitur, necnon ex illo Apostoli 1. Cor. 13. *Charitas nunquam excidit*. Et ratio est, quia & in via, & in patria idem est objectum formale charitatis, divina nimirum bonitas immediatè amata: ab objecto autem desumi unitatem specificam habituum & actuum, suppono ex Philosophia. Dixi actum charitatis viæ, & patriæ esse physicè ejusdem speciei, quia in esse motis constans est, amorem viæ ab amore patriæ specie distingui; quia ad moralitatem libertas requiritur, quæ in patria non invenitur, sicut in via.

Præmitto secundò, certum etiam esse, charitatem patriæ speciali prærogativa esse decoratam; cùm enim amor præeuntem cognitionis lucem sequatur, sicut visio beata amorem patriæ diligens ferè immensùm fide præstat, ita amor patriæ amori viæ singularibus privilegiis antecellit. In quo autem sita sit illa amoris patriæ præcellentia, difficultas est haud mediocris. Ad cujus tamen qualemcumque elucidationem præ oculis habendum est, charitatem duplici statu constare, connaturali scilicet, & veluti præternaturali. Statum connaturalem sortitur in patria; cùm enim de ratione charitatis sit amor benevolentiæ in bonorum communicatione fundatus, fundansque amorem amicitiæ inter Deum & hominem; & aliunde amicitiæ proprietas sit suavia amicorum convictus & amœna conversatio, quam in patria duntaxat perfectè inveniri constans est: statum verò præternaturalem habet charitas in via, in qua peregrinatur à Domino, quia extra locum suum & centrum detinetur; diverso illi statui distincta etiam perfectio correspondet, quæ etiam in sacris litteris diversis nominibus appellatur: charitas enim viæ 1. *Cor.* 13. pueritiæ comparatur, charitas autem patriæ virilitati: charitas viæ luci matutinæ, *Proverb.* 4. charitas verò patriæ diei perfecto assimilatur: Justorum enim semitæ quasi lux splendens, procedit, & crescit usque ad perfectum diem. Unde fit, quod licut puer, quantumcunque crescat, nunquam tamen ad perfectionem viri pervenit, nec lux matutina diei perfecti splendorem meridianum attingit; ita charitas viæ nunquam perfectionem charitatis patriæ exæquabit. His præmissis

Respondeo, quod licèt charitas viæ intensivè sumpta, & ex parte subjecti considerata, possit adæquare, imò superare charitatem patriæ, objectivè tamen considerata charitas patriæ etiam minima, perfectior est excellentissima charitate viæ. Ratio est, quia ex una parte indubitatum est, charitatem viæ B. Virginis, & aliorum Sanctorum insignium pluribus intensionis gradibus charitate Sanctorum Innocentium antecellere; ex alia verò parte objectum amatum meliùs in patria voluntati applicatur, intimiùs conjungitur, suaviùs possidetur: Etenim cùm cognitio objecti influat vel physicè, vel saltem motivè in voluntatem, & amorem; profectò perfectior visio perfectiùs influit in amorem, subindeque in perfectiorem amorem, ob indivulsam utriusque facultatis, intellectus scilicet, & voluntatis sympathiam. Ergo licèt actus charitatis patriæ non sit semper perfectior ex parte subjecti & habitus, est tamen perfectior ex parte objecti, quatenus objectum cognitum est causa amoris, & perfectè cognitum perfecti amoris. Nec propterea habitus charitatis augetur, quia eadem causa diverso modo applicata perfectiorem producit effectum: sic idem ignis in materia densa, putà ferro candenti, magis calefacit quàm in materia rara, putà stuppa. Similiter ergo charitas eadem viæ, dum objectum amoris videt in patria, toto impetu fertur in illud, quia nimirum in via habitibus utimur prout volumus, in patria verò habitus abripiunt voluntatem, unde eam cum tota sua universalitate & amplitudine faciunt operari; quia tota cordis capacitas summi boni præsentià plena, & satiata, in illius amplexus veluti ruit, adimpletque magnum illud mandatum: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Et quamvis aliqui Sancti, ut Deipara, in hac vita toto habitus charitatis conatu amaverint; attamen alius est, & perfectior conatus, quando objectum est meliùs applicatum, & clariùs visum; objecta enim præsentia movent potentias; & summi boni amabilitas non potest non rapere voluntatem fortiter juxtà, & suaviter.

Quæres tertiò, quot sint gradus & status charitatis.

Respondeo, tres communiter assignari: alia enim est charitas incipiens, alia proficiens, alia perfecta, ut tradit D. Thomas *art.*9. Eodem enim proportionaliter modo discurrendum est de augmento spirituali charitatis, quo de augmento corporali, cui competunt determinatæ distinctiones, ratione quarum unum augmentum secernitur ab alio; infantilia enim ætas à pubertate, & ista à virilitate distinguitur. Similiter ergo in proposito charitas habet diversos status ratione diversorum studiorum animæ justæ. Primò namque in infantia vitæ spiritualis conatur homo à peccato recedere, concupiscentiis resistere, & omnia divini amoris impedimenta præscindere. Deinde charitas proficiens, & veluti adolescens, virtutum omni praxi incumbit, & pietatis exercitiis seriam operam navat. Demùm perfecta uni Deo adhæret, ut ipso fruatur. Explicatur magis: Omnis quidem charitas etiam in principio Deo uniri avet; est enim ignis sursum tendens, & amor ad unionem cum amato sponte sua proclivis; attamen pro ratione subjecti diversa officia exercet in ordine ad illam unionem capessendam. Sic incipiens ad hoc omnes vires, & studia confert, ut pravas peccandi radices nimia post peccatum fruticantes, sin convellat planè, certè quotidie amputet, ut sublatis impedimentis, Deo quem diligit

diligit, copuletur; non fecus ac folent inferiores arboris rami abfcondi, ut in fuperioribus furfum crefcat. Sic proficiens quantum confequi viribus licet, omnibus nervis enititur, ut piorum operum uberes fructus ferat, ut poft domitam concupifcentiæ rebellionem actus virtutum fuaviùs eliciat, unâ quidem manu faciens opus, aliâ verò ftringens gladium; in eam femper curam incumbens, ne aliqua inteftini paffionum belli fcintilla relinquatur, & ut profligata, confectaque concupifcentia, operum fanctorum praxim rurfum impedire non poffit. Sic demùm perfecta, quantum in ipfa pofitum eft, fummè conatur, ut apertis interioribus animi brachiis dilectum amplectatur, illi uniatur, illum in corde gerat, illi ex intimis teneriimæ amicitiæ medullis, & totis præcordiorum affectibus agglutinetur. De hoc triplici charitatis gradu fic loquitur Auguft. tract. 5. in Canon. Joan. *Nunquid mox ut nafcitur charitas, jam prorfus perfecta eft? Imò ut perficiatur, nafcitur; cùm fuerit nutrita, roboratur; cùm fuerit roborata, perficitur; cùm ad perfectionem venerit, dicet: Cupio diffolvi, & effe cum Chrifto.* Et hic triplex ftatus fimilis eft motui locali, in quo primò eft receffus à termino à quo, fecundò acceffus ad terminum ad quem, tertiò quies in termino. Ita charitas incipiens, à nugis nugarum, à variis & umbrofis creaturarum amoribus (fic eos vocat Auguftinus) recedit: charitas proficiens it de virtute in virtutem, quia fcit quod juxta Patres, noftrum non progredi, jam regredi eft; & quod incidunt in periculum, qui proficiendi perdiderunt appetitum: charitas verò perfecta, uno Deo vulnerata, amat quia amat, nec aliud quærit, quàm amare.

Dices: Charitas in hac vita non poteft effe perfecta; tum quia fi in aliquo effet perfecta, maximè in Apoftolis, in quibus tamen non fuit numeris omnibus abfoluta, dicente Apoft. Philip. 3. *Non quòd jam comprehendam, aut perfectus fim.* Tum quia in hac vita fanctiores viri, excepta B. Virgine, non vixerunt, nec vivent abfque peccato, & aliquo cupiditatis motu. Tum quia in hac vita, ut antea demonftravimus, charitas magis, magifque crefcere poteft. Ergo malè divifimus charitatem in incipientem, proficientem, & perfectam.

Refpondeo, perfectionem charitatis poffe dupliciter attendi: Primò ex parte objecti diligibilis, ut diligatur aliquid quantum amabile eft; & hoc modo charitas nullius creaturæ poteft effe perfecta, quia Deus tantum eft amabilis, quantum bonus, id eft infinitè. Secundò poteft confiderari perfectio charitatis ex parte diligentis, fi nimirum tantum diligat, quantum poteft. Et hoc poteft tripliciter contingere. Primò fi cor amantis Deum motu actuali & continuo feratur in Deum; & hæc perfectio ftatum & infirmitatem viatoris excedit, patriæ & comprehenforum privilegium eft. Secundò fi homo totis viribus contendat, ut uni Deo vacet, iis omnibus prætermiffis, quæ abfoluta neceffitas non requirit. Quæ quidem perfectio in hac vita poffibilis eft, fed rara avis in terris. Tertiò fi aliquis de corde puro Deum fuper omnia diligens, & in actus dilectionis identidem prorumpens, nihil voluntariè cogitat, nihil deliberatè vult, quod fit divinæ dilectioni contrarium. Et hæc perfectio eft effentialis charitati, omnibus utilis, omnibus neceffaria.

Si autem interroges, quibufnam mediis charitas potiffimùm proficit, ut tandem perfecta evadat? Refpondeo, hac de re confuli poffe, & debere libros fpirituales, in quibus leges charitatem operibus pietatis nutriri, confolationibus divinis impinguari, tribulationibus roborari, confiliorum praxi perfici. Leges ad illum profectum exigi primùm fervens proficiendi defiderium, quia ut ait Bernardus: *Magna pars profectus eft velle proficere.* Et iterum: *Indefeffum proficiendi ftudium, jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.* Leges quod in oratione præcipuè & meditatione exardefcit ignis amoris. Nam ut alicubi Bernardus: *Amorem Dei in homine à gratia genitum lactat lectio, meditatio pafcit, oratio confortat.* Leges quod præteritorum beneficiorum memoria, præfentium experientia, fpes & expectatio futurorum, amorem ciet, & ferè rapit. Hæc, & alia leges, quorum hæc fumma eft: Si de Deo cogites, Deum amabis; fi amas, non poteris non cogitare: cognitio enim amorem parit, amor cogitationum jugis eft fcaturigo. Ultrò amat voluntas bonum fibi notum, libenter cogitat intellectus de objecto amato.

Quæres quartò, utrum charitas, ficut augeri poteft, ita diminui valeat?

Refpondeo charitatem non poffe directè diminui, ut docet D. Thomas *art.* 10. quia nimirum charitas comparari poteft vel in ordine ad objectum, vel in ordine ad fubjectum: neutro autem modo diminui poteft, non quidem per ordinem ad objectum, quia minima charitas diligit omnia, quæ funt ex charitate diligenda: non etiam ex parte fubjecti, quia vel hoc fieret per folam actus ceffationem, vel per aliquem actum pofitivum: non per folam actus ceffationem (nifi in cafu, quo illa ceffatio foret peccatum, & tunc etiam non minueretur, fed corrumperetur omnimodis charitas,) quia cùm charitas ab humanis actibus non caufetur, fed à folo Deo infundatur & augeatur, non poteft per ceffationem actus humani charitas imminui. Non poteft etiam charitas diminui per aliquem actum pofitivum peccaminofum, quia peccatum illud charitatis intenfionem diminuens, vel erit mortale, vel veniale; fi mortale, non minuit, fed extinguit funditus charitatem; fi verò veniale eft, non poteft diminuere charitatem, nec effectivè, nec meritoriè; non quidem effectivè, cùm charitatem non attingat, charitas enim eft circa finem ultimum; veniale autem eft quædam inordinatio circa ea, quæ funt ad finem: non minuitur autem amor finis ex eo, quod committatur aliqua inordinatio circa ea, quæ funt ad finem, ficut aliquando infirmi multùm fanitatis amantes, inordinatè tamen fe gerunt in dietæ obfervantia; & in fpeculativis fcientiis falfæ opinationes circa ea, quæ deducuntur ex principiis, non minuunt certitudinem principiorum. Non poteft etiam veniale charitatem meritoriè minuere; nam qui delinquit in minori, non meretur detrimentum pati in majori; Deus namque non plus fe avertit ab homine, quàm homo fe avertat à Deo. Ergò qui inordinatè fe habet circa ea, quæ funt ad finem, non meretur pati detrimentum in charitate, quæ ordinatur in ultimum finem.

Et confirmatur: Si peccata venialia minuerent charitatem, ut arbitratur Altiffiodorenfis *lib. 3. tract. 5.* nec omninò diffentit Victoria, cenfens opinionem illam non effe ita improbabilem, uti credi in Scholis affolet; fi, inquam, vera foret illa fententia, fequeretur quod multiplicatis peccatis venialibus, tandem gratia funditus deftrueretur, cùm omne finitum per ablationem finiti confumatur. Confequens autem eft inauditum in Ecclefia Catholica, quæ femper docuit folis mortalibus amitti gratiam; ideo namque mortalia dicuntur, quia necem animæ inferunt. Unde Tridentinum *feff. 6. cap. 11.* docet propter peccata venialia Sanctos non definere effe juftos. Nec huic argumento ulla adhiberi poteft folutio, quæ non fit error,

error, vel figmentum. Dicere enim, quod ultimum veniale sit mortale ex circumstantia, quâ quis tenetur servare gratiam; id, inquam, dicere est erroneum & intolerabile: quis enim potest scire, vel cui revelatum est illud ultimum veniale, quod mortale evadit? Respondere verò minimam gratiam baptismalem plures habere partes, quàm sunt peccata venialia possibilia, & per peccata venialia subsequentia gratiam remitti minus & minus in infinitum: id, inquam, respondere, & chimæricum est, & falsum. Quis enim credat, in infimo gradu gratiæ plures esse gradus intensionis, quàm sint peccata venialia possibilia? Quis credat, peccatum veniale subsequens, tametsi sit æquale vel gravius (ut sæpe contingit) non æquè, vel magis imminuere gratiam, quàm primum. Denique dicere, quod licèt justus plura venialia committat, tamen quia multa bona opera intermiscet, quibus quod deperditur, compensatur, ideo charitas non corrumpitur; id, inquam, est paulò verosimilius, reapse tamen à veritate alienum est, quia qui in peccata venialia, præsertim voluntaria, crebrò labitur, vix, ac ne vix quidem fervidos charitatis actus elicit, sed tantùm debiles, & remissos, quibus non augetur charitas, saltem in via, secundùm omnes Thomistas. Ergo per peccata venialia in via destruitur charitas: quod si destruatur in via, ne expectes quod resti fundatur post mortem.

Dices: Videmus, & experimur, quod venialium frequentia fervorem charitatis imminuit; unde & habilitas, promptitudo, & vigor charitatis languescit: ergo imminuitur ipse habitus; si enim idem habitus permaneret, eandem facilitatem, eundemque fervorem conferret.

Respondeo, hoc argumento probari, solùm peccatis venialibus remitti fervorem, & impediri exercitium charitatis, & etiam ipsam charitatem non solùm minui, sed sæpe etiam indirectè corrumpi per peccata venialia, quatenus multiplicatis culpis venialibus, & tepida vivendi ratione, ac intermissis charitatis motibus, pravæ cordis inclinationes radices agunt penitiores, in eoque firmatæ charitatem veluti suffodiunt, in rationem insurgunt, & ad peccata, quibus destruitur charitas, alliciunt & pertrahunt voluntatem. Moraliter etiam indirectè ad charitatis exterminium concurrunt, quatenus meretur homo tepidus, ut Deus auxilia specialia subtrahat ad eas vincendas tentationes necessaria, quibus sine speciali gratia succumbit. Hæc de causa dicitur Deus tepidos evomere. *Utinam*, inquit Apocal. 3. *calidus esses, aut frigidus; sed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Qui vomitus, & expulsio denegationem auxiliorum specialium significat. Unde Patres fugam peccatorum venialium, & cordis custodiam tantoperè inculcant. *Nolite contemnere venialia*, inquit August. lib. de decem chord. *quia minima sunt, sed timete, quia plura. Plerumque enim bestiæ minutæ multæ necant. Nunquid minutissima sunt grana arenæ? Sed si arena amplius in navi mittatur, mergit illam ut pereat. Quàm minutæ guttæ pluviæ? Nonne flumina implent, & domos dejiciunt? Timenda est ergo ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.* Quæ omnia in sensu dispositivo intelliguntur, quatenus venialia sensim pravos habitus pascunt, qui charitatis exitium moliuntur.

Pro intellectu literæ D. Thomæ *art.* 10. explicanda sunt breviter duo, quæ nonnullam possent ingerere difficultatem. Primò cùm ait initio corporis, charitatem in comparatione ad objectum minui non posse, nec augeri; & tamen superiùs diximus, charitatem in patria esse objectivè majorem. Secunda difficultas est in eo, quod ait, peccatum mortale effectivè corrumpere charitatem, id enim videtur falsum. Nam sicut à solo Deo producitur charitas, & conservatur: ita ab illo destrui potest, & à nobis moraliter dumtaxat dispositivè.

Respondeo ad primam difficultatem, aliter accipi à D. Thoma ly *ex parte objecti*, aliter à nobis suprà acceptum fuisse. Loquitur enim S. Præceptor de quantitate extensiva objecti, ut sit sensus, minimam charitatem diligere omne objectum diligibile: non verò loquuti sumus de quantitate objecti applicativè, & accommodativè, quatenus idem objectum, quod respicit charitas, melius in patria, quàm in via potentiæ applicatur; unde melius illic, quàm hic voluntas operatur. Ad secundam dicendum, quod sicut in naturalibus licèt anima rationalis à solo Deo producatur in corpore, tamen quia compositum ex anima & corpore ex parte subjecti subjacet agenti naturali, pura igni, si igni is agendo in corpus humanum tantum calorem producat, ut eo dissolvatur corporis compages, ignis dicetur effectivè expellere animam à corpore; & si tunc anima desineret esse, diceretur eam corrumpere: ita licèt à solo Deo charitas efficiatur, attamen in voluntatis libera facultate positum est elicere peccatum mortale, quod magis repugnat vitæ spirituali, quàm nimius calor vitæ corporali; ideo peccans moraliter effectivè charitatem expellit: & quia charitas expulsa desinit esse, ideo eam peccatum mortale physicè corrumpere dicitur. Quorum omnium ratio est, quia forma, sicut in fieri, ita in conservari exigit subjectum dispositum: unde sicut produci nequit in subjecto contrariis dispositionibus instructo, ita nec in eodem conservari. De amissione charitatis agit S. Doctor *art.* 11. Sed de eodem argumento sermo redibit in materia de gratia.

Reflexio.

Satis, & plusquam satis de charitate diximus, quam sentire magis quàm definire expediret. Nam etsi habuerimus prophetiam, & noverimus mysteria omnia, & omnem scientiam, charitatem autem non habuerimus, nihil sumus. Quid prodest nobis de charitate tam operosa dissertatione disputare, si dum spiritus in contemplanda charitate emicat, cor terrena sapit, mundanis inhiat, & incumbit? Quî tempus terimus, dum Deum non amamus? Deum, inquam, cujus amoris erga homines prodigium amorem nostrum vendicat totum sibi?

Igitur uno Dei amore flagremus, in ipsum sine modo intendatur affectio nostra, qui dilexit nos ultra omnem modum, ut nihil prorsus in animæ facultates irrepere sinamus, quod summam erga Deum dilectionem nostram minuat, aut transferat; sed in omnibus illi soli, & semper magis, magisque placere satagamus, qui sic dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. *Sic*, inquam, id est crebibili amoris vehementia, conatu, excessu, vi, suavitate, nimietate. *Deus*, inquam, nos amavit, non Rex, non Imperator, non Sanctus, non Angelus, non Seraphim, sed Deus infinitus, immensus, sufficientissimus. *Dilexit*, inquam, amore dignitatis oblito, & majestatis ferè nescio, dignatione divite, affectu potente, suasu efficaci. *Dilexit* amore electionis, libero, gratuito, benefico, merita excedente, & nos. *Mundum*, inquam, amavit damnationis reum, peccato sordidum, miseriis scatentem, beneficiorum immemorem, Dei hostem: & mundum totum, quia vult omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *Ut filium*, inquam, pro nobis traderet, non Angelum, non alium mundum, non divitias, non

 virtutes,

virtutes; sed filium, inquam, *suum*, non adoptivum, sed naturalem, in pretium redemptionis, in socium peregrinationis, in cibum refectionis, in præmium resurrectionis. *Daret*, inquam, non venderet, non mutuaret, sed daret gratis; parvulus enim datus est nobis, & nobis natus.

Hæc cùm ita sint, charitatem sectemur, quæ est vita fidei, spei robur, & omnium intima vis, & medulla virtutum. Charitatem amemus, quæ vitam ordinat, affectus inflammat, actus informat, excessus corrigit, mores componit, valet ad omnia, & sine qua nihil valent omnia.



DISSERTATIO V.

Appendix.

Commendatio Fidei, & Religionis Catholicæ, seu Romanæ; ejusdemque triumphus de Infidelibus reportatus.



UÆ ad demonstrandam Ecclesiæ Catholicæ, sive Romanæ credibilitatem desiderari possent, dissertatione præambula quinto libro præfixa, operosè prosequuti sumus; de Ecclesiæ etiam præsidiis, sive fidei regulis & nervis, in fronte quinti libri, ubi locos theologicos, seu inexhausta veræ Theologiæ promptuaria aperuimus, fusè disputavimus; quibus omnibus Christianæ, Catholicæque Religionis veritas & præstantia omni genere probationum invictè, & ni fallor perspicuè, ante Lectoris oculos expansa est.

Verùm quia Theologis de fide tractantibus solenne est in laudes Ecclesiæ excurrere, ut in hac materia infinita consuetudini morem getam, & tuæ (Lector) eruditioni, & pietati consulam, operæpretium duxi, si Religionis Catholicæ gloriosos de innumeris hostibus triumphos exponerem, quibus & fidei credibilitas firmari, & filialis fidelium erga matrem Ecclesiam amor accendi facilè potest.

Et sanè ea libens iterum, atque iterum verso, & & reverso, quæ ad illius Ecclesiæ commendationem conferunt, cujus non solùm amore teneor, sed veritate ita convincor, ut faciliùs dubitatem vivere me, quàm esse vera, quæ ab illa audivi. Quamvis ergo materiam istam occupasse aliàs videamur, verba tamen suggeret non solùm amor, sed & copia Ecclesiæ illius, quam rectè dixeris favorum cœlestium acervum, & universale divinarum gratiarum depositum. Hoc unum timeo, ne me inopem copia reddat, dum sermo est de Ecclesia, cujus antiquitas omnem transcendit memoriam, cujus duratio finem nescit, cujus amplitudo metas omnes prætergreditur, cujus filiorum multitudo arenam superat maris, & stellas cœli; cujus sanctimonia nec similem habet, nec parem habebit: Ecclesia, inquam, cujus sponsus Deus, cujus dos gratia, cujus rector Spiritus sanctus, cujus testimonium verbum Dei, cujus cibus caro Dei, cujus custodes Angeli, cujus præmium summum bonum: Ecclesia, inquam, cujus Legislator sapientia Dei, cujus semen sanguis Christi, cujus fortitudo virtus Crucifixi, ab omnibus portarum inferi concussionibus secura: Ecclesia, inquam, quæ uni capiti obediens Romano Antistiti est omnium Domina; quæ in varias dispersa nationes, est una; quæ nonnullorum filiorum sordibus obscurata, est sancta; quæ in plures distincta gradus, est consona; quæ innumeris fœcunda filiis, est virgo; quæ divitiis abundans, spiritu pauper est; quæ adversitatibus exagitata, est pacifica; quæ expugnata, est, & fuit semper victrix, semper triumphans; tot ornata palmis, quot fuit Infidelium annis & irruptionibus lacessita.

Nemo sanè Ecclesiæ illatas injurias, & persequutiones enarrare sufficeret. Profectò *non mihi, si lingua centum sint, oraque centum, omnia pœnarum percurrere nomina possim*. In illam enim cruentum & obstinatum bellum moverunt Judæi, Gentiles, Hæretici, qui licèt erroribus dispares, in unum tamen unius fidei exterminium certatim conspirarunt. Judæi felicitati & cremento Ecclesiæ antiquatum cæremoniarum specioso zelo invidebant: Gentiles ob idololatriæ destructionem paternâ superstitione commovebantur: Hæretici pro obbibiti erroris defensione insurgebant. Duo priores; ne à principatu, & possessione deturbarentur; postremi, ut novum adversùs Ecclesiæ regnum, principatumque bellum inducerent, altare contra altare erigerent, & de Ecclesiæ victoriis ipsi gauderent.

Sed quomodo, inquies, fuit victrix Ecclesia, in suis cum semper victa, in membris suis vel gladiis cæsa, vel in exilium relegata, vel in carcere captiva, vel fame consumpta, vel in aquis suffocata, vel flammis exusta, vel in fornacibus liquata, vel sagittis confossa, vel lapidibus obruta, vel novaculis excarnificata, vel pectinibus ferreis sulcata, vel in equuleis suspensa, vel plumbatis contusa, vel à feris discerpta, vel æreis tauris accensis & candentibus inclusa, vel melle piceque oblita, ut post vesparum aculeos fierent nocturnatum vigiliarum candelæ? Ita planè, sed noli mirari, quia ut ait Ambrosius, *Ecclesia tunditur fluctibus, sed non fubruitur; caditur, sed non labefactatur*. Videbatur quidem illa devicta falsis accusantium testimoniis, obstrepentibus populorum quetelis, opprimentibus tyrannorum sententiis, mactantibus tortorum inmanissimorum suppliciis. Sed inter tot imminentes ruinas florentior erat & vegetior, quia ut ait Hilarius libro 6. de Trinit. *Proprium est Ecclesiæ, ut tunc vivat, cùm cæditur; tunc intelligat, cùm arguitur; tunc obtineat, cùm deseritur*. Unde, teste Gregorio *lib. 9. Moral.* assimilatur Arcturo, qui tametsi semper in cœlo versetur, nunquam tamen occidit. *Arcturus*, inquit, *semper versatur, & nunquam mergitur; quia & sancta Ecclesia persequutiones iniquorum sine cessatione tolerat, & usque ad mundi terminum sine defectu perdurat. Arcturus dum versatur, erigitur; quia tunc sancta Ecclesia valentius in veritate reficitur, cùm ardentius pro veritate fatigatur.* Non esset Ecclesia similis Christo, nec illius capitis corpus, nisi per tribulationes triumpharet: *Christus enim*, uti Paulinus *epist. 3 t.* ait, *vicit, cùm judicatus est; cedendo superavit, & cadendo in mortem, resurrexit in gloriam.*

Quare necessaria fuit illa Ecclesiæ probatio, ut triumphi campum aperiret hostilis infidelium pugna; nulla enim sunt, ut Patres clamant, sine certationum experimentis opera virtutis, nulla sine perturbationibus fides, nullum sine hoste certamen, nulla sine congressione victoria. Sic semina messium gelu cooperta, & mortua germinant: sic ignis flatu premitur, ut erescat: sic unguenta commota redolent: sic aromata fragrantiam suam cùm incenduntur, expandunt: sic vinea putata uberior redditur & fœcundior

diot: sic arca Noë ab undis sepelienda diluvii, ab iisdem altiùs ferebatur, ejusque concussio, ipsius erat erectio: sic Luna videtur deficere, & non deficit, & obnubrata non obscuratur. Ita planè Ecclesia per filiorum infinitorum mortem vivida, per dispendia dives, per ruinas gloriosa effecta est, ut singulorum inductione sæculorum elucebit, ut verum fit illud Tertul. in Apolog. *Plures efficimur, quoties à vobis metimur; sanguis Martyrum semen est Christianorum.*

§. I.

Primum Ecclesiæ sæculum.

De isto sæculo verè illud Davidis vaticinium impletur, quod Psal. 128. fudit: *Sæpè expugnaverunt me à juventute mea, etenim non potuerunt mihi.* In juventute enim, in cunis potissimùm vexata, gloriosiùs quoque triumphavit: *expugnaverunt, & non potuerunt*, id est, ut ibi Augustinus exponit, *valuerunt mihi sicut ignis ad aurum, non sicut ignis ad fænum.* Tunc mundus sub Sole totus in Christianos armatus sævit; tunc fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: inania planè, quia *expugnaverunt, & non potuerunt.* Unde impleta est etiam Prophetæ Evangelici, Isaiæ nimirum, sententia: *Congregamini populi*, inquit cap. 8. *& vincimini; confortamini, & vincimini; accingite vos, & vincimini; inite consilium, & dissipabitur; loquimini verbum, & non fiet, quia nobiscum Dominus.* Vana ergo fuit hominum tota quanta industria & furia in Christianos, quia non est consilium contra Dominum, qui per hostes suos consilia sua implet, cui adversarii manus commodant & industriam, etiam dum suis studiis velificantur, ut sapientiam sapientum confundat, & præpostera humanæ prudentiæ consilia reprobet. Quia sicut Christus est Christianorum Legislator, ita Christiani character crux est, & persequutio. Sed potissimùm ei in cunis paratum excidium fuit. Decurramus pugnas, ut numeremus triumphos.

Prima persequutio à Judæis mota est. Nam Christum ipsum legis novæ latorem, flagellis cæsum, colaphis percussum, sputis fœdatum, appositâ ad manum arundine pro sceptro, & ad caput spinea corona pro diademate, per crudele ludibrium adoratum in crucem egerunt. Sed tanti parricidii, vel potius Deicidii horrorem totus mundus significavit; nam terra tremuit, dissiliere saxa, obtenebrescere per diem Sol cœpit. Vides quomodo certamen sequatur triumphus, qui magis effulsit in resurrectione, quâ vitæ se ipsemet reddidit, & quasi novus redivivus Phœnix, suis è cineribus pulchrior emicuit, & per quadraginta dies resurrectionis fidem constabilivit, & ad gloriæ coronamentum, stupentibus qoi viderunt, in cœlos se sustulit. Unde qui mortem in aliis vicerat, in se passus est, ut gloriosiùs de hostium ferocia triumpharet, & suo cresceret casu, nisi talis esset, cujus majestas augmentum non capit. Cui enim nihil ad augendum fastigium superest, hoc unum restat, si descendat.

Cùm nihil ampliùs in Christum possent Judæi, in discipulos exarserunt. Isti enim palam Christum Deum clamantes, ejus fidem omni linguarum genere cum stupore omnium explicantes, & sermonem confirmantes sequentibus signis, catenis onerantur, in carcerem truduntur, verberibus crudelissimè lacerantur, & cùm eis non possent resistere loquendo, sæviendo voluere. Nam Stephanum incurrentium densè lapidum grandine obruerunt, & obruendo coronarunt. Sed frustra nititur sæva crudelitas; nam dum Diaconorum clarissimum inhonorant, ad tam dignum spectaculum inspiciendum paradisus mirabundus, & miratus ipse apertus est, & Christus ipse è cœlis stans, applaudere dignatus est. Cæteros deinde discipulos in fugam agunt, sed unde Christianismum extinguere satagunt, inde Christianismum promovent. Nam expulsi Jerosolymis Apostoli Gentilismum, id est orbem totum illustrare cœperunt, & ab Asia in Africam, Europamque radios effuderunt. Ergo non obfuit, sed mirè profuit Hebræorum persequutio, & Stephano illata mors. Perierat orbis, nisi ille periisset, fugatique discipuli fuissent. Quia orationi & morti Stephani dedit Christus Paulum, pro quo convertendo iterum venir qui pro toto mundo semel veniat, quia unus Paulus æquivalet mundo. Gentes omnes per discipulos sibi Christus subdidit, Paulum per seipsum redegit. An quia Paulus superaro difficilior, ut de Saulo victoria Christo eximia esse deberit? An quia per Paulum mundus convertendus totus, & Pastor ovilis Christi fieret, ad quod disperdendum ibat ut lupus? In Jacobum tandem furunt, & Regis Agrippæ jussu capite cædunt: sed in Tyrannum illum, cujus sævitiâ extinctum iri Christianismum avebant & putabant, recidit malum consilium, quia eum vermes Cæsareæ absumere non cessarunt. Dignus sanè qui talibus carnificibus periret, qui Judæorum invidiæ vermium pessimo placens, plexnerat innocentem.

Quàm benè Deus implet voluntatem suam per illosmet, qui contra se suam voluntatem armarunt! Adeo namque divinis consiliis ancillati sunt Judæi, dum obsistere crediderunt, ut inde fides in omnem terram diffundi cœperit. Expulsus enim à Judæa Petrus post constitutam per septennium Antiochenam Ecclesiam, Romæ Ecclesiam omnium futuram principem & magistram fundavit, ut latiùs præsideret religione divina, quàm dominatione terrena; nec Imperium Christi per clades, sicut olim Scipiones & Cæsares, sed per beneficia Petrus proveheret. Pulsus quoque Paulus Asiam, Græciamque, non tam passibus, quàm victoriis peragravit, ut Romæ tandem triumpharet. Nisi pulsi fuissent similiter alii Apostoli, nec Andreas Scythas superasset, nec Philippus in superiorem Asiam jura Christi promovisset, nec Thomas Parthos, Medosque cum Indis Christi subjugasset Imperio, nec Bartholomæus Armenus, Albanosque ritibus Christianis informasset, nec Matthæus Æthiopes Baptismatis sacris undis dealbasset, nec Simon cum Thaddæo Mesopotamiam simul & Persidem subegissent, nec Mathias Africanorum animos flammis purioribus accendisset, quàm quibus corpora & regio aduruntur. Accessit deinde ad vindictam Judæorum Jerosolymorum exidium, quo Gens illa Christum expertus est ultorem, quem Salvatorem abjecerat, ut suo mergeretur in sanguine, quæ se per summam impietatem divino polluerat. Sed de his Judæorum obsessorum cladibus fusè *in tract. de Incarn.* disseremus.

Non solùm ab exteris, sed quod non minùs noxium est, etiam à domesticis fidem scindere molientibus, Ecclesia passa est. Porrò Hæreticorum primipilus & coryphæus fuit Simon Magus, qui circa annum 68. ejurato Christianismo, cùm operandorum miraculorum virtutem ab Apostolis pecuniâ emere non potuisset, eam à dæmonibus nefandâ apostasiâ sibi asciscere conatus est. Ex eo nedum simoniæ sordida pestis, quâ spiritalia pro temporalibus veneunt, nomen sortita est; sed etiam impura soboles propagata ex eo quasi putrido cadavere verminavit. Menander quippe, Saturninus, Basilides, Carpocrates, Cerdo, Marcion, Elxay, Cerinthus, Ebion,

Ebion, Nicolaitæ, Gnoftici, Adamitæ, veluti ex ftercoris fpurcitiis pullularunt. Eorum fordes emovere, & refricare nec placet, nec decet. Quibufdam eorum placuit libidinum confufio, aliis Judæorum ritus, fed peffima omnium, communifque fententia fuit negata Chrifto Servatori divinitas, quam fibi fceleftiffimus Simon arrogatat.

Sed perfidorum confilia evertit Deus: nam Simon in cælum evolare tentans, Petri oratione Romæ detturbatus eft elatus in altum, ut lapfu graviore rueret, & effractis cafu cruribus humi teperet, nec gradi poffet, qui Icarica temeritate volare præfumpferat. Archihæretici verò difcipulos Apoftoli doctrinæ malleo tunderunt: calyculos verò regerminantes, & infeliciter fruticantes Apoftolicis traditionibus Ignatius Martyr, Polycarpus, Irenæus, aliique putaverunt. In Chriftianifmum fævijt etiam Nero omnis boni impatiens; nam quomodo Chrifti Apoftolis Petro & Paulo pepercisset, qui nec matri, nec uxori, nec præceptori pepercerat? Occafio autem perfequutionis fuit urbis à Nerone combuftæ confcientia: credidit enim atrox tyrannus innocentem fe habitum iri, fi conflagrationis invidiam in Chriftianos derivaret, & afflictum crimen immeriter puniret. Quafi verò fcelera fceleribus purgare potuerit innocentiæ publicus hoftis? Quafi innocentiæ argumentum non effet tam nocentis, tamque innocentium accufatio?

Itaque Petrum Tyranni crudelitatem in Chriftianos pœnas congerentis liberè increpantem, in crucem verfo deorfum capite affixit. De quo Petri fufpenfi fitu multa multi fcripfere præclara. Alii Apoftoli humiliati talem corporis habitum adfcripferunt, indignum quippe fe arbitrabatur in ea figura mori, quâ Chriftus orbem redemerat. Alii, ut cœlum, quò inhiabat, liberiùs afpiceret, & afpectu patientiam fuam animaret. Sed hanc Petri circumftantiam eximiè expendiffe P. Labbeum Societatis Jesu, in quodam elogio aliàs me legiffe memini. Inverfum, inquit, eft hoc Petri caput, & rectum. Jacere fic debuit, ut rectâ cœlum afpiceret. Nunquam rectiùs afpexit, quàm dum fic vidit. Puto fic afpexerat, dum Chrifto refpondit: Tu es Chriftus filius Dei vivi. Penè naufragium in mari facit, dum aliter afpicit. Invertit caput ad Chriftum, & evafit. Nec fugiffet in horto, nec negaffet in Palatio, fi fic afpexiffet. Nemo peccaret in cœlum, fi cœlum afpiceret. Inverfus cruci affigi voluit, ne poffet aufugere. Inverfus, ut à terra iter ad cœlum faceret. Inverfus, ne aliud præter Deum, & cœlum videret. Inverfus, ut pendentem à cruce Magiftrum cerneret. Inverfus, indignum fe ratus, qui rectus penderet. S.Petre, nunquam rectiùs ambulafti, quàm capite. Scilicet itur ad cœlû magis affectibus, quàm pedibus. Evolare rectus in cœlum Simon Magus tentavit, & corruit. Tentavit inverfus Simon Petrus, & rectâ ivit.

Verùm nihil profuit fæva crudelitas; nam & Apoftolorum mortem illuftravere miracula, & tyranni immanitatem ipfamet Neronis manus ulta eft, ut fe occideret, qui tot clades intulerat, tot particidia, tot Chriftianorum neces patrarat. Illud porrò in Apoftolorum morte contigit. Nam Petrus in carcere fontem elicuit, ut futuram doctrinæ fuæ ubertatem præfignaret. E Pauli verò refecto collo, capiteque recifo non cruor de more, fed lacteus manavit humor, ut qui tanquam nutrix in medio fidelium lac vivens dederat, Ecclefiam etiam moriens doctrinæ fuæ lacte nutriret. *Rorat hoc caput lacte, non fanguine,* inquit laudatus P. Labbé; *perfudit hic liquor carnifices, & fecit martyres. Manant lacte epiftola Pauli. Orbis totus vivit hoc lacte.*

Quanvis Ecclefia à Vefpafiano & Tito nonnihil in fuis primordiis paffa fit, damna tamen ab eis illata profufiones duntaxat fuerunt, & præludia perfequutionis fub Domitiano circa annum 92. inftaurandæ. Sed nihil mirum, fi non parceret Chriftianis vir naturâ ferox, & fanguinis fitibundus, qui cùm fe humano faturare cruore non poffet, in mufcis necandis, & acu pungendis fumma cum voluptate occupabatur. Poft Clerum, Pontificemque Clerum interfectos, poft Chriftianos toto quàm latè patet orbe mactatos, totam Religionem everfurus erat in Joanne Evangelifta, nifi magno prodigio magis inde amplificata fuiffet. Joannes namque Romam accitus non folùm fervens oleum fine noxa ingreffus eft & egreffus, fed inde etiam fidem propagavit, unde Tyrannus extinguendam arbitrabatur: relegatus quippe in infulam Pathmos, & incolas fidei jugo fubjecit, & totum Chriftianifmum fcripta Apocalypfi erudivit. Sic Deo militant, quæ Deo obfiftere nituntur: fic Domitianum domuit virtus Chrifti, quæ domanda videbatur. Quia nimirum, non abfimili modo recreavit Deus mundum, quo initio creavit. E nihilo eduxit orbem omnium conditor Deus; è nihilo etiam formavit Ecclefiam, quæ humiliatæ crevit, quæ affurrexit ex cladibus, quæ funeribus vixit, quæ martyriis coronata, fuorum cruore veluti femine propagata eft. Quis non agnofcat digitum Dei, & potentiam quam fecit in brachio fuo adoret, poftquam per aliquos numero paucos gentes fub cœlo totas illuftravit, per ignobiles de Imperatoribus triumphavit, per deftitutos viribus humanis, & unâ dem ùm fuâ infirmitate nixos, omnes terræ & orci poteftates devicit? Sed virtus crucis in infirmitate perficitur; cùm infirmatur, tunc potens eft; inter adverfa invalefcit, & per adverfa, quia in fola fpe gratiæ cœleftis innititur; Deo uni fidit, qui mediis contrariis finem affequitur, qui dat nivem ficut lanam, nebulam ficut cinerem fpargit. Et fanè juftum planè erat, ut Ecclefia fponfa fponfo Chrifto conformaretur, qui è cœlis ad terram homo factus defcendens infirmitate crevit, perfequutione adolevit, paupertate ditatus eft, ex pœnis impoffibilitatem elicuit, ex morte immortalitatem.

§. II.

Secundum Ecclefiæ fæculum.

Tranquillitatem Ecclefiæ fpondere videbatur benigna Trajani indoles; verùm perfequutionem accendit ipfa fpeciofa pietas, quâ nitebat: credebat namque vir fuperftitionibus addictus, facrificium fe præftare Diis fuis, fi nomen Chriftianum, quod omnium criminum inftar erat, penitus circa annum 101. deleret. Et quanvis vel tantâ carnificinâ fatigatus, vel innocentium patientiâ permotus non nihil de fua feritate remiferit, fub Adriano tamen circa an. 120. recruduit tempeftas, fed fedata parùm fub Antonino fuit; pertæfus enim tot impietatum pius Imperator, edicto cavit, ne cuiquam Chriftianum nomen crimini foret, aut tortura. At breve fub Antonino gaudium fuit; poft brevem enim pacis parenthefin, circa annum 140. & fequentes adeò per Aurelium, & Verum inftaurata fuit carnificina, ut non interrumpi vifa fit, nifi ut vires interim augeret, & atrocior evaderet poft quietem & inducias.

Sed quid tot machinis, tot artibus, tot tormentis molimini, ô Tyranni? Fruftra ferociâ, & doloribus confpiratis in illos, quos patientia faciet & veftri victores, & mundi triumphatores. Fruftra in Clementes,

Clementes, Anacletos, Ignatios, Dionysios Areopagitas, & alias Athletarum myriades ferrum distringitis; frustra legiones integras absumitis, frustra militum millia cruci affigitis: nihil inde, nihil omninò proficitis, nisi ut fidelium soboles excisis stirpibus vegetior succrescat, & floridior.

Non solùm foris pugnas, sed intus quoque sensit timores Ecclesia, agnuvitque deteriores esse domesticos hostes, quàm extraneos. Id experta est in Valentino, quia & novos Deos cudit, quos Æonas, seu sæcula dixit; & Servatorem non è Virgine, sed è cœlis assumpsisse carnem effutiit, & resurrectionem ut impossibilem inficiatus est, & alias innumeras cùm circa dogmata, tum circa mores sordes invexit, quarum fœtore & horrore ipsemet stupefactus palinodiam sub Higino cecinit, sed corruptum peccatis judicium in priores impietates relapsum est, sed non impunè: nam & ab Eleutherio proscriptus est, & Justini, Irenæi & Tertulliani Scriptorum molibus veluti malleis & fulminibus obtritus est.

Sed vix opus erat adversus Valentinum & gregales ac discipulos tot illustrium militum ense; sponte sua ruebat hæc insana secta, similis enim erat Valentini Schola domibus illis, in quibus recluduntur furiosi, adeo fœdè & variè delirabant. Nam & Ophitæ serpentis sapientiam adorabant ut numen, & Caïani salutem solis turpitudinibus deberi blasphemabant, magis an insaniebant, vix discernas: Judam quoque super omnes divos efferebant, legitimâ quidem infandæ doctrinæ consequutione. Ex eadem Valentini cloaca egressi sunt Sethiani, sic dicti, quia Christum non alium esse, quàm Seth Adami filium, per summam ineptiam asserebant, aliasque proferebant non tam hæreses, quàm somniantium & lunaticorum exerrationes. His accesserunt Bardesanistæ, duce Bardesane Syro; Ascodrytæ, qui & Sacramenta rejecerunt, rati corporalia ad spiritalia significanda, efficiendáque esse inepta. Illos imitati sunt Apostolici, ab abdicatione temporalium sic dicti, ut eo fuco errores præcolorarent. Illis sese adjunxerunt Marcitæ, seu Marcosii, à Marco apostata dicti, qui hæresim magiæ fictis miraculis obliniebant. Hos sequuti sunt Encratici, qui etiam Aquarii, vel Hydroparastatæ dicti sunt, quia & matrimonio, & esu carnium, & potu vini etiam in mysteriis suis interdicebant, ut hoc temperantiæ colore à communis Magistri Valentini sordibus alienos se esse profiterentur. Sed nihil aliud tanta errorum sylva, nihil tam putida errantium colluvies fecit, quàm ut contrariorum oppositione & discordia fidei splendor & unitas magis eniterent.

Sub idem tempus Ecclesiam deformare nisus est Hermogenes arte pictor, sed crassarum hæreseon architectus. Nam materiam ingenitam fingebat, unde & discipuli Materiarii dicti sunt, justa appellatione; adeo enim materiæ immersi sunt, ut & Deum corporeum, in Soleque morantem fingerent, & animas rationales ex igne & spiritu ab Angelis fabricatas delirarent. Sed hæc delitamenta citò fides expunxit, quæ ipsi rationis naturalis lumini, & saniorum Philosophorum placitis adversantur.

Periculosior fuit Montani tentatio novam sectam specie arctioris disciplinæ, & sanctimoniæ invehentis, falso castitatis amore secundas nuptias parum ab scortatione sejungentis: in martyrio autem pro Christo tolerando ita intrepidos volebat esse Christianos, ut inter transfugam fidei, & persequutionis profugum vix, ac ne vix quidem distingueret. Virtutes morales in mediocritate sitas ita ultra modum Montanistæ colebant, ut jejunia, abstinentias, & temperantiam intemperanter observarent. Denique in doctrina, in moribus, in vitæ cultu nihil non asperum, nihil non rigidum, nihil non in speciem sanctum præferebant. Magna certè tentatio, quia ut præclarè Lirinensis, in Ecclesia Dei tentatio est populi error Magistri, & tanto major tentatio, quanto ipse est doctior, & in speciem sanctior, qui errat. *Et profectò magna tentatio est*, inquit, *cùm ille, quem tu Prophetam, quem Prophetarum discipulum, quem Doctorem & assertorem veritatis putas, quem summa veneratione & amore complexus sis, is subitò noxios latenter subinducat errores, quos nec citò deprehendere valeas, dum antiqui magisterij duceris præjudicio; nec facilè damnare fas ducis, dum Magistri veteris impediris affectu.*

Verùm impostoris vecordia citò claruit, dum se Paracletum à Patre ad calamitatum solatium missum stultissimè finxit. Unde mirum est, & judiciorum inscrutabilium Dei abyssus multa, quod tantæ insaniæ portentum non deprehenderit Tertullianus, vel quod deprehensum amarit. Quod Montano adhæserint Priscilla, & Maximilla fœminæ arreptitiæ, & insanorum novitii dogmatis somniorum curiosæ, non mirandum; quod exurgentes novellas Montani furias obviis ulnis exceperint supra memorati Pseudo-Apostoli, affectum paupertatis, aliarumque virtutum studium ostentantes, credere proclive est. At quod iis nugamentis adhæserit Tertulliani ingenium acre, post multos ex errorum tenebris ad veram fidei lucem revocatos, quis credere audeat, aut possit? Et tamen reapse ita contigit. Ille, ille Tertullianus, de cujus omnifaria eruditione, & ingenii acumine plena sunt Authorum monumenta; ille, quem Cyprianus tanti fecit, ut ne diem quidem absque ejus lectione transigeret, illumque Magistrum per antonomasiam dictitaret; ille, cujus laudes Hieronymus qualibet data, & sæpe accepta occasione passim eloquitur, quove nihil acutius, nihil eruditius esse in epistola ad magnum Oratorem pronuntiat; ille qui in Apologetico, quem adversus Gentes conscripsit libro, cunctam sæculi disciplinam complectens, omnésque ingenii sui nervos in Christianismi defensionem intendens, incomparabiles eruditionis, ac eloquentiæ suæ opes plena manu effudit; ille, inquam, investigabili Dei judicio in tam fœdos, ac pudendos postea errores lapsus est. Verùm deficiente, & Ecclesiæ militiam deserente Tertulliano, non defuerunt Ecclesiæ alii milites: nam præter Zephyrinum Apostolica authoritate sectam reprobantem, præter varias Asiæ, Græciæque Synodos, accurrerunt statim Claudius Apollinaris, Milthiades, Apollonius, aliique scriptis fortissimis hæresim illam contundentes. Sed à nullo gravius vulnus sibi infligi sensit hæc secta, quàm ab authoribus Montano ipso, & Maximilla, qui suspendio voluntario necem sibi intulerunt.

Circa annum 198. de celebratione Paschæ orta est in Ecclesia adeo gravis contentio, ut nonnulli Asiatici maluerint matrem conscindere, quàm à Judæorum Pascha decima quarta luna Martii celebrantium ritu discedere: unde & Quartadecimani vocati sunt. Porrò illorum schisma, & errores & Victor Papa, & Nicænum deinde Concilium proscripserunt.

§. III.

Tertium Ecclesiæ sæculum.

QUieverat nonnihil sub Commodo, & aliis Religio, vel ut modica intercapedine ad tolerandum vires extinctas Fideles resumerent, vel ut

ut hostium furor lassus, interpositis aliquot annorum induciis, veluti respirans, & robur redintegrans, atrociùs ingravesceret. Totum itaque severitatis amorem in Religionem Severus circa annum 205. adhibuit, qui post vitam Christianorum precibus obtentam, totam debuerat effundere lenitatis suavitatem. Hinc sub eo Victor Papa morti traditus; inde Irenæus Galliarum lumen extinctum; hinc Africam, illinc Galliam cruentavit.

Sed hæc fuerunt præludia ad Maximini, & Decii persequutionem,quæ nisi Deo disponente brevis fuisset, Christianitatem perditum ibat. Tam sæpe temporibus illis, id est ab anno 224. ad annum 253. flammis absumebantur, ut Christiani Sarmentitii vulgò dicerentur; ita crebrò leonibus objecti, ut in proverbium & parabolam cesserit: *Christianos ad leonem.* Commoverentur, Lector, viscera tua, si multiplex exquisitarum pœnarum genus referre licetet, quo Christiani toto orbe contrucidati sunt: & nisi Deus abbreviasset dies illos, nisi cita mors Maximinum, & Decium vindicasset, non fuisset salva omnis Christianorum caro.

Non posset verà inter cruentas exterorum persequutiones,& internas domesticorum scissuras Ecclesia Christi consistere, nisi in petra solidata, & Dei virtute freta, continuo protegentis Dei auxilio muniretur. Schismati Novati occasionem præbuit atrox, & vix tolerabilis Decii persequutio, cujus pavore alii vel idolis thus adolebant, vel privatim impetratis pecuniâ libellis, sibi ab inquisitione, & custu vetitò cavebant, qui idcircò Libellatici dicebantur. Porrò pace Ecclesiæ reddita, dum voluerunt in gratiam pristinam restitui, senserunt non momento expiari facinus, quod momento committitur, & zelo Cypriani, & Cleri Romani vigore plenissimo ad veniam non nisi post seriam pœnitentiam admissi sunt. Inde stomachati Felicissimus, & Novatus Novatianum Episcopali dignitate sublimarunt, ut se contra Romanum Antistitem erigeret, & novo erecto capite monstrum conflaret: sed contra errantium vota in extremum errorem incidit, & qui amea nulli lapsu negabant veniam, postea nulli post lapsum veniam dandam prædicabant Novatiani, idcirco Cathari & Mundi nominati. At Ecclesia mediâ viâ incedens, sic lapsos ad veniam admittendos sanxit, ut tamen pœnitentiæ sancta disciplina servaretur, & facilitas veniæ non esset incentivum culpæ: Novatianos se solos labis puros existimantes, & Pharisæorum more se à cæteris discernentes detestata est; illos etiam crudeles appellavit, eo quòd in peccatum prolapsis, & ad Ecclesiam lacrymis, gemitu, & dolore pulsantibus divinæ pietatis, & paternæ lenitatis solatia & subsidia claudebant. Hinc Lirinensis in Commonitorio: *Quis ante crudelissimum Novatianum, crudelem Deum dixit, eo quòd mallet mortem morientis, quàm ut revertatur & vivat?* Cyprianus etiam epistola adversus Novat. *Ecce*, inquit, *obortus est alius hostis, & ipsius paterna pietatis adversarius hereticus Novatianus, qui non tantùm, ut in Evangelio significatum est, sicut Sacerdos, vel Levites jacentem vulneratum preteriret, sed ingeniosâ, & novâ crudelitate sauciatum potiùs occideret.* Videsis Ambrosium in libris de pœnitentia, ubi tyrannicum, ac prorsus sanguinarium Novatianorum dogma gravissimè premit. Festivè etiam illos Constantinus irrisit, dum in Concilio Nicæno cuidam Præsuli Novatiano dixit: *Scalas admove, & solus in cœlum ascende.*

Non minùs periculosum fuit schisma Rebaptizantium, qui duce Agrippino Carthaginensi Episcopo, dum plus justo Hæreticos insectantur, in hæresim impingunt. Incredibile est quantùm virium illi schismati attulerit societas & authoritas Cypriani, Dionysii Alexandrini, & Firmiliani Cappadocis; latiùsque grassatus fuisset error, nisi Romanæ Sedis Præsul Stephanus summâ quâ pollebat authoritate obstitisset. Unde non offecit Cypriani sanctimoniæ discordia sententiarum, quia in illo contentionum æstu à Romanæ Ecclesiæ omnium Dominæ & Magistræ sensu nolle recedere professus est martyr Christi. De illo Agrippino sic fatur Vincentius Lirinensis: *Agrippinus Carthaginensis Episcopus, primus omnium mortalium contra divinum canonem, contra universalis Ecclesiæ regulam, contra sensum omnium Consacerdotum, contra morem ac instituta Majorum, rebaptizandum esse censebat. Quæ præsumptio tantùm mali invexit, ut non solùm hereticis omnibus formam sacrilegii, sed etiam quibusdam Catholicis occasionem praberit erroris. Cùm ergo undique ad novitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum Sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc Beatæ memoriæ Papa Stephanus Apostolicæ Sedis Antistes, cum cæteris quidem collegis suis, sed tamen præ cæteris restitit, dignum, ut opinor, existimans, si reliquos omnes tantùm fidei devotione vinceret, quantùm loci authoritate superabat.*

Subversura erat universæ Ecclesiæ fidem antiquam hæc tempestas, nisi Romanæ Sedis infallibili decreto diffundens se venenum veluti cauterii ustione cohibitum fuisset. Nam præter insignes viros hujus erroris suffragatores, Episcoporum insuper Africanorum Concilium, præside præfato Agrippino, nullum esse Hæreticorum baptisma, promde iterandum sanxerunt. Quod decretum ipse Cyprianus coactis tribus aliis in Africa Synodis confirmavit, & contra Stephani rescriptum plenam querelarum epistolam 74. transiliens moderationis limites scripsit. Nitebantur autem potissimùm verbis Pauli Ephes. 4. *Una fides, unum baptisma.* Maximè, inquiebant, quia ab infidelibus dari Spiritum sanctum & fidem, credi non potest.

De hac gravissima dissertatione, deque Agrippini, & sequacium in confirmando illo errore solertia, ac de toto negotio sic ait prælaudatus Lirinensis: *Quis ergo tunc universi negotii exitus? Quis utique, nisi usitatus, & solitus? Retenta est scilicet antiquitas, explorata novitas. Sed fortè ipsi novitia adinventioni patrocinia defuerunt? Imò verò tanta vis ingenii adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus assertorum numerus, tanta verisimilitudo, tanta divina legis oracula, sed planè novo, ac malo more intellecta, ut mihi omnis illa conspiratio nullo modo destrui potuisse videatur, nisi solam tanti molitionis causam ipsa illa suscepta, ipsa laudata novitatis professio destituisset. Postremò ipsius Africani Concilii, seu decreti, quæ vires? Donante Deo nulla. Sed universa tanquam somnia, tanquam fabula, tanquam superflua, abolita, antiquata, calcata sunt.*

Ex his liquet primò, in Ecclesia perpetuos de novitate triumphos antiquitatem egisse. Unde Stephanus Papa in epistola, quam ad Africam scripsit, nihil novandum, inquit, nisi quod traditum est. *Intelligebat enim vir Sanctus & prudens* (inquit idem elegantissimus Vincentius) *nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ut omnia, quâ fide à Patribus suscepta forent, eadem fide filiis consignarentur; nosque Religionem non quà vellemus ducere, sed potiùs quà illa duceret, nos sequi oportere: idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere, sed à majoribus accepta servare.*

Secundò inde claret, Synodum quamcunque, refragante Romano Pontifice, nullius esse roboris, vel momenti,

momenti, cùm istis Conciliis Africanis præcipua interfuerint Christianismi decora, & ut sic dicam, Ecclesiastici cœli primæ magnitudinis sydera; & tamen quantiquanti fuerint illi viri, eorum tamen decreta semper ab Ecclesia reprobata fuerunt, quia non solùm non fuerunt Romani Antistitis approbatione communita, sed ejus etiam decretis proscripta sunt.

Nondum sævitiæ finis, sed innovari visa est sub Valeriano circa annum 255. & latè per orbem bacchari. Hinc præcipua Ecclesiæ capita decussata, sed nequaquam obscurata fuerunt Ecclesiæ decora, sed morte magis illustria evasere. Quid enim moriente Cypriano, & mortem veluti beneficium aureis emente gloriosius? Quid nitentius Massa Candida, id est trecentis martyribus, qui maluerunt in fornacem calcariam præcipites agi, quàm idolis cultum deferre? Quid Laurentio illustrius, cujus victoria toto orbe clarissima, & juxtà notissima est?

Persequutio sub Valeriano, quàmlibet immanis, exundare visa est circa annum 269. & sequentes, sub Claudio & Aureliano; sed orbem replevit toto hoc sæculo sub Diocletiano, ejusque consortibus Maxentio, Licinio, & Maximino, quando nimirum ad fontes publicos, ad fora, ad vicos, rerumque venalium, ad vitamque sustentandam necessariarum officinas appositi custodes, & exposita idola, ut dura necessitate, vel prostantia idola adorare, vel fame perire, vel fidem suam propalare, subindeque diris suppliciis mactari Christiani cogerentur. Tunc non aliqui successivè, ut aliàs, sed legiones integræ demessæ, civitates amplæ depopulatæ, templa Christianis plena combusta. Cæsorum, aut exulantium numerum, vel potiùs myriades non magis facile numerare est, quàm stellas cœli. In summa duorum sæculorum tyrannis præsagium duntaxat fuit procellæ nimbum cum totius orbis pavore, horrore, & cruore rupturæ. Sategerunt etiam ad eradicandam penitus christianitatem sacros libros conflagrare, nescientes Christi legem cordibus fidelium insculpi, non litera, sed spiritu.

Sed revera nihil aliud tot cladibus effectum est, quàm ut Tyrannorum furore Christianorum gloria emineret. Felix persequutio enixa Caium, Gabinum, Susannam Imperatoris consanguineos, qui maluerunt sanguinem pro Christo fundere, quàm communem cum Diocletiano servare. Absque persequutionum fluctibus caruisset Ecclesia heroïbus illis, qui thermis construendis addicti, post productiorem pœnam mortem non evaserunt, sed superstites supra decem millia trucidati, vel potiùs post multas, & quotidianas mortes semel mortui. Nisi invaluisset, & redintegrata fuisset atrocitas, orbaretur Religio luminibus infinitis, Sebastiano, Vincentio, Petro Alexandrino, Genesio mimo, Philemone choraule, Virginibus immaculatis, ultro quidem ad leones currentibus, sed ad lenones vi tractis, ut spurcitia Paganismi, & Christianismi castimonia clareret? Quæ Religionis gloria, quæ infidelium confusio, Diocletianum cum consortibus & ministris, per triginta carnificinæ annos incredibili duritia continuos victum fuisse à puellis, à Luciis, ab Agnetibus, à Theodoris, à Catharinis, non tantum pœnas, sed & delicias, sed & libidines infracto animo superantibus? Ita planè debuit Crucifixi virtus hoc sexu infirmo fortia quæque confundere, & testimonium invenire ab illa ætate tenera, quæ nondum idonea pœnæ, jam erat matura victoriæ, jamque divinitatis Christi testis existebat locuples, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non poterat.

Sed quisnam quæso fuit torturarum exitus? An extincta Religio? An fortunati, remuneratique tortores? Minimè gentium. Hinc potiùs conspicuum fuit & compertum, Christianismum esse petram, in quam non prævalent inferorum portæ, ad quamve infringitur collisus quisquis illam attentat infringere. Debuit sanè inter pressurarum mœrores nasci & adolescere Religio Crucifixi, ut tot experimentis probaretur nihil illam habere humani, nihil non habere divini, quam tota hominum conspirantium armata potestas tentare potuit ad exercitium, convellere non potuit ad exterminium. Agnoscatur ergo operata divinitas, dum tot suppliciis vexata non cessit infirmitas, nec pugnam deseruit, sed acriùs iteravit, fortiùs vicit, gloriosiùs triumphavit.

Vim etiam triumphantis fidei ipsi tyranni experti sunt. Testis est Decius, cujus sitim, quam Christianorum sanguis non sedaverat, vorago in Mæsia, ubi victis à Gothis demersus est, extinxit. Testis Valerianus, qui à Persis victus, captusque, Sapori equum conscendenti pro suppedaneo ministravit. Testis Aurelianus, qui inter scribendum adversus Christianos impium edictum, solutis momento digitorum commissuris ultricem Dei digiti virtutem sensit. Testis Aurelius & Severus, qui filiorum appetiti insidiis, ipsi se inedia, & languore confecerunt. Testis Galerius vermibus ex fœdo ulcere formicantibus exesus. Testes Diocletianus & Maximianus, quorum prior conscientiæ morsibus supra equuleos, supra fidiculas, diris exagitatus, mortem quam aliis iniquissimè intulerat, pro solamine optabat, nec inferre sibi audebat veritus æterni Judicis justissimam ultionem. Posterior verò laqueo sibi mortem intulit, propria manu propria scelera ulciscente. Unde invicti fuerunt Christi martyres ipsi Tyranni, cladibus enim suis de fidei veritate volentes nolentes testimonium perhibuerunt. Innumera mitto miracula, quibus excæcati judices, terra motas; mitto diluvia, sterilitates & pestilentias, aliaque id genus flagella more solito immissa; quibus ultionum Dominus contra impios universum mundum armavit. Mitto prodigiorum gloriam, quibus prætensorum reorum innocentiam illustrabat Deus, dum aliis feræ blandiebantur, alios reverebatur flamma; sub aliis labilis unda sistebat, aliis morbi, mors, dæmones obsequebantur, & tota natura, tametsi insensibilis, Christo stipendiaria, in Christum illatas sentiebat injurias, nec sentiebat modò, sed ulciscebatur, & signis insolitis testabatur illum esse verum Deum.

§. IV.

Quartum Ecclesiæ sæculum.

VErùm (quæ solita Dei clementia, solita agendi ratio est) post tot agones, tot procellas, pacis successit suavitas. Postquam enim crux Solis conflata radiis Constantinum illustravit, eique victoriam promisit & contulit; novam faciem totus induit orbis, quia totus factus est brevi Christianus; eoque major, plenior, ac vividior erat felicitas, quò ad illam per tot discrimina rerum pervenerant. Suaviùs quippe percipitur valetudo post morborum incommoda, post exilia placere magis solent patriæ deliciæ, & post bellorum strepitus bonum pacis meliùs agnoscitur, dulciùs gustatur. Deus, ah Deus! Quæ lætitia, qui plausus, quando illi miseri, nec miserabiles, illi ignoti, illi contempti, & mundo exosi Christiani, non solùm libertati redditi, sed honoribus aucti fuere! Quæ mutatio dexteræ Excelsi, quando gens infamis, soboles Crucifixi, opprobrium

hominum, abjectio plebis, purgamentum mundi, peripsema usque adhuc, in Constantino regnante cœpit, mundoque præesse visi sunt, quibus dignus non erat mundus! Sed quæ gloria, quis decoris cumulus, quod honoris culmen, quando crux Judæorum scandalum, Gentium stultitia, nun instrumentum pœnæ haberi cœpit, sed gradus ad gloriam, & è carnificina translvecta est ad altaria! Porrò ut ad honorum fastigium & coronamentum nihil deesset, non dedignatus est Imperator tractare ligonem, corbes terrâ opplere, & exportare ad fundandam in Laterano Basilicam, ubi Crucifixi erigeret trophæum, & Crucifixi cultoribus templum. Agnovit pientissimus Imperator, in sola sibi Cruce gloriandum, magisque esse honorificum servire Christo, fierique ruderarium Apostolorum, quàm orbi sub Sole toti principari. Accessit ad gaudiorum cotumulum Crucis archetypæ inventio. Tandiu latere debuit cœlestis thesaurus, quandiu latitabant Christiani; sed coruscare debuit, quando Christianitas jam non lucifuga, sed ubique aperta splendebat. Adornatunt inventionem illam miracula; nam mortuo tactu restituit vitam corporis, quæ fuerat instrumentum vitæ spiritualis: & sæpius divisa, nunquam imminuta deficiebat, quia virtus ejus infinita non exhauriret effusione, postquam ei vim indidit sanguis Hominis Dei.

Vix intermicabat aliquis radius pacis, cùm statim nova, sed intestina excitabatur ab aliquo Novatore tempestas; quia nimirum necesse est hæreses esse, tum ne fides, quæ adversis creverat, prosperitate deficeret: tum *ut probati manifesti fiant*, inquit Apostolus 1. *Corinth.* 12. id est, ut exponit Lirinensis: *Unusquisque quàm tenax, & fidelis, & fixus Catholicæ Fidei sit amator, appareat. Et revera cùm quæque novitas ebullit, statim cernitur frumentorum gravitas, & levitas palearum: tunc sine magno molimine excutitur ab area quod nullo pondere intra aream terebatur. Namque alii illico prorsus avolant; alii verò tantummodò excussi, & perire metuunt, & redire erubescunt, saucii, semineces, semivivi; quippe qui tantam veneni hauserint quantitatem, quæ nec occidat, nec digeratur, nec mori cogat, nec vivere sinat.*

Hinc Sabellius sæculo præterito Trinitatem à divinis ablaturus, personas nomine & officio tenus distinxit: & quia Patrem passum affirmabat, hinc Patripassiani dicti sunt, quos Dionysius Alexandrinus & Romanus, Gregorius Thaumaturgus, ac Synodus Alexandrina sub Sylvestro Pontifice congregata valide confutatos confodêre. Illinc etiam Paulus Samosateni Episcopus (à quo discipuli Paulinianistæ dicti sunt) unam in Deo cum Sabellio personam admittens, duas finxit in Christo, sæculi præteriti anno 265. Hinc Manes non solùm fidei, sed etiam lumini naturali bellum indixit. Nam & plura principia confinxit, & libertatem hominibus ademit, & veram carnem à Christo abstulit, eique imaginariam suffecit. Manes, seu insanus voluit appellari, vir planè nominis sui, quippe qui quidquid in aliis ineptiarum insulsissimarum dispersum usquam fuit, collegisse in unum visus est: & tamen tam fatuus Hæresiarcha Paracletum se esse effutire non erubuit. Sed hoc stultiloquium ad stultitiarum complementum & confirmationem desiderabatur.

Hinc etiam à scopulo in scopulum semper incurrens Ecclesia, gravi hoc sæculo Donatistarum schismate jactata est. Illius occasio & origo fuit Lucilla mulier Hispana, auctoritate quidem valens, sed ambitione turgida, & propriæ voluntatis adoratrix. Cum enim à Cæciliano egregio Carthaginensis Ecclesiæ Diacono reprehensa fuisset, quòd Martyris nondum vindicati, id est, quem Ecclesia nondum in Sanctorum album retulerat, reliquias palam venerabunda exosculaturet, correctionis impatiens mulier (quæ benè ab aliquo, Animal vanum definitur) vindictam de Cæciliano sumere proponit: ultionis porrò occasionem sic nacta est. Contigit ut Mensurius Carthaginensis Episcopus à tyranno Maxentio Romam vocatus, ante discessum pretiosa Ecclesiæ vasa senioribus servanda crediderit. Interim peregrè moritur Mensurius, ejusque Sedi sufficitur Cæcilianus, qui statim promotus vasa Ecclesiæ à depositariis repetit. Sed quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames! Maluerunt sacrilegi unitatem Ecclesiæ scindere, & legitimum Episcopum repudiare, quàm depositum fidei ipsorum commissum restituere. Ad schismaticos simultatis antiquæ stimulis concitata Lucilla accurrit, & quidquid opibus & auctoritate valebat, toto studio contulit, ut Majorinus suus domesticus, Donati à Casis Nigris nuncupati amicissimus in eas infulas intruderetur. Inde Donatistæ vocati sunt, quæ nomenclatura firmata est ab alio Donato, qui mortuo deinde Majorino suffectus est. Unde patet pecunia movente, & fœmina insufflante, divisionis ignem assisse, quam dissidii flammam veluti oleo superfuso aluit multiplex error, ut postea dicam.

Tanta autem fuit conflagratio, ut opus fuerit Melchiadis Romani Pontificis, & Apostolicæ auctoritate Sedis, quæ semper fuit veritatis asylum, & persequutionem pro justitia patientium refugium. Statuit autem Summus Pontifex, approbante Concilio ad Donatistarum causæ judicium indicto, Cæcilianum Carthaginensi Ecclesiæ esse restituendum, & alium quemvis tanquam Pseudoepiscopum exauthorandum. Tam justo decreto obedientiam detrectantes Donatistæ omnem lapidem movebant, ut tumultibus & dissidiis Ecclesiam interturbarent: nam & Constantinum appellarunt, & ad novam Synodum provocarunt. Cogitur Synodus Arelatis innumeris constans Patribus, & præsidentibus Sedis Apostolicæ Legatis Claudiano & Avito Presbyteris, Eugenio & Quiriaco Diaconis, anno Domini 314. Sed nec tam venerandi cœtus anathematis aut decretis domita eorum superbia est, sed ascendens semper iterum Constantinum appellarunt, ut iterum damnarentur; & usque ad Arcadii & Honorii tempora tumultuati sunt, ut magno Augustino triumphandi materiam suppeditarent.

Donatistis adjunxerunt se Traditores, sic dicti, quia libros sacros infidelibus tradiderunt, ut pœnas illas effugerent, quas Diocletianus suo de sacris Codicibus ad Magistratus deferendis edicto minitabatur. Qui omnes auctoritate Honorii, agentibus Africanis Præsulibus, Augustino præsertim opera convicti, vel ad Ecclesiam sine mora redire, vel patria exulare jussi sunt. Sub eadem tempora Ægyptum divisit schisma Meletii Lycopoleos Episcopi, qui à Petro Alexandrino in pœnam idololatriæ, in quam tempore persequutionis inciderat, exauthoratus, maluit totam Ægyptum dissidiis & bellis turbare, quàm justa pœnitentia crimen purgare.

Sed excitatæ ab Ario tempestati parem nunquam Religio passa est. Quæ tum Deus, Ecclesiarum facies! quæve Catholicorum omnium comploratio, quando, ut ait Hieronymus, totus orbis Arianum se esse miratus est, & ex modica scintilla tantum toto orbe conflagravit incendium: quando, ut addit Lirinensis, pestiferi erroris venenum non jam portiunculam quandam, sed penè orbem totum contamina

contaminaverat. Quantum verò malorum Ariane perfidia inveeerit, sic tefert præfatus Litineosis: *Tunc non solùm parva res, sed etiam maxima labefa-ctata sunt. Nec enim tantùm affinitates, cognationes, amicitia, domus; verùm etiam urbes, populi, provinciæ, nationes, universum postremò Romanum Imperium funditus concussum & emotum est. Namque cùm prophana ipsa Arianorum novitas, velut quadam Bellona aut Furia, capto priùs omnium Imperatore* (nimirum Constentio Constantini filio, qoem Eusebia uxor ad hæresim pellexerat, ad id etiam Eusebio cubiculatio non parùm incumbente) *cuncta deinde palatii culmina legibus novis subjugasset, nequaquam deinceps destitit universa miscere, atque vexare, privata, ac publica, sacra, prophanaque omnia; nullum boni & veri gerere discrimen, sed quoscumque collibisset, tanquam de loco superiori percutere. Tunc temerata conjuges, depopulata vidua, prophanata virgines, monasteria demolita, disturbati Clerici, verberati Levita, acti in exilium Sacerdotes, oppleta Sanctis ergastula, carceres, metalla: quorum pars maxima interdictis urbibus protrusi, atque extorres, inter deserta, speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti affecti, contriti, & tabefacti sunt.*

Et quaovis Arii Chisti Domini divinitatem & consubstantialitatem inficientis blasphemiam in Ebione & Cerintho olim ab Apostolis demnetem proscripserit primùm Synodus Aleeandrine, & Oecumenicum deinde trecentorum & octodecim Pattum Nicææ coactorum Concilium; tot tamen anathematis non cessit impietas, quæ nec Ario inter eeonerati venttis sordes animam efflante & extincto concidere potuit. Nam è stercore suo quamplures, hæreticos super espidem & besiliscum pestilentes Eudoxium, Eunomium, Aëtium, Acacium, Semianos, aliosque similis iniquitatis viros effudit. Sed certè necessaria fuit illa tentatio, ne Ecclesia nimiâ pacis abundantiâ diffluens, ipsis suis incrementis deperiret. Certè nisi Arium otcus eecirasset, nisi crudelissimis utriusque Eusebii, Nicomediensis & Cæsaleensis molitionibus Ecclesiam malignus spiritus divexasset, nec magni Athanasii de Constantii, Julieni, & Valentis Imperatorum vitibus triumphantis gloria cleruisset; nec innumerorum Præsulum sanguis Ecclesiam rigasset; nec fidei benè fundare antiquitas suæ firmitudinis à Deo promissam immobilitetem ostendisset.

Ario in Filium blasphemanti successit Macedonius Spiritus sancti divinitatis hostis, in Aleeandrina primùm Synodo proscriptus, à Gregorio deinde Theologo fortissimè debellatus. Sed omnes hostium furores longè superavit Valentis Imperatoris ferocia Episcoporum alios opprimens, alios flammis absumens, nec parcitura Basilio, nisi viro Dei prodigia patrocineta fuissent. Sed per Gothos justitiæ suæ vindices monstrum illud profligavit Deus, illudque flammis extingui voluit, cujus furore Orientalis diu Ecclesia eearserat. Sed necessarii fuerunt tot & tanti hæreticorum insultus, tum ut cbristiena fides probaretut orta de cœlo, in quam per administros orcus nihil potuit, quæve ee cladibus invalescebar, dum videbtaur eecisa. Nisi vapores suos in cœlum hæretici emisissent, non coruscassent illa primæ magnitudinis sydera, Hilarius Pictaviensis in Orientem relegatus, ut Catholicam veritatem ubique terrarum propugnatet; & Ambrosius vir ille divinus, qui Justinæ Impetetricis aures contudit, Magnum Theodosium severæ pœnitentium disciplinæ ob Thessalocæ interneeionis crimen intrepidè deinde suppositurus.

Novum fidei trophæum paravit Apollinatis Arienatum impietatum suscitetor, & novarum archite-ctus; nam Dei Verbum non assumpsisse hominem, sed hominis tantùm carnem, cui esset ipsum pro anima, commentus est. Ejusdem furfuris fuit Photinus, non tam errores inveniens, quàm ee collectis erroribus spectre consians. Illum Athanasius tum sctiptis, tum Concilii Aleeandrini decreris coërcuit: istum Hilarius, Sardicensis Synodus Dei verbo, Grarianus deinde & Theodosius edictis compressère, quorum zelum œcumenica deinde Constantinopolitana Synodus fortunavit. Unde qui damnis fidei ctescere voluerunt, fidem ipsi suis damnis ornarunt. Per hæc etiam tempora Ecclesiam incessère Pseudomonachi, qui tum maligni spititus afflatu, tum nimia jejuniorum & solitudinis aspetitate in varie deliramenta mentis potiùs inopiâ, quàm hæretice vafritie prolepsi sunt. Alii enim Eustathiani nomine in Armenia oati solos Monachos salvandos mentiebantur, & Lucifero superbiâ non impates (superbia autem fatuiretis frequenter comes) sibi solie deferendum cultum inenissimè jactitabant. Alii Massaliani dicti, vel à sue fatuitate Precarores & Enthusiastæ, adeo desipuerunt, ut orationem, eeclusis Secrementis & piis operibus, unum esse ad beatitudinem medium, eaque Deum corporeis oculis posse videri, per summem ignorantiam infinitâ vanâ gloriâ cumulatam effutierint. Priores Osius Cordubensis Apostolico Sylvestri Papæ gladio in Concilio Gangrensi confeeit, posteriores Sardensis & Antiochena Synodi profligarunt.

Cæterùm dum senescere hæreses visæ sunt, cœpitque reflorescere Religio orthodoxa, nove ingruit in Perside persequutio, ne teligionem, quæ per damna creveret, pee nimia demergeret. In Christianos ergo sævit Sapor, bona, fortunasque dilapidans, Basilicas solo adæquans, senguinem profundens non solùm plebis, sed Magnatum, quorum unum crimen pietas erat & religio. Sed quantaquanta fuerit illa tyrannis, umbre fuisse credenda est, si Juliani Apostatæ sævitiæ conferatur, ab ejurato Christianismo & professo Ethnicismo nominati. Ut Christi fidem ad nihilum redigeret, fictis primùm beneficiis, dolis deinde & fraudibus, eeeurhotatione postee, è publiei insuper magisterii gradibus emotione, bonorum deprædatione, apertâ demùm lenienâ Christianos aggressus est. Restaurari ed tempus Ethnicismus visus est, ut lapsu graviore rueret, & Christi emplius victoria clareret, dum jaculo divinitus vibraro confixus Apostata, Galilæi (sic Christum per ludibrium nominabat) triumpho materiam ipse suppeditavit. Respitare tamen nonnihil superstitioni ab anno 388. ad 399. licuit consiliis Symmachi, ermis Eugenii, indulgentiè Valentiniani, ope Maeimi, ut Theodosii victoriis subacta in perpetuum tendem couciderer. At quàmlibet illustris fuerit Theodosii repotratus de superstitione triumphus, ille tamen illostrior fuit, quo victâ victoriâ seipsum Ambrosiii disciplinæ & pœnitentiæ publicæ ob fusum Thesselonicensium sanguinem permisit. Quàm grandis fidei virtus, quæ & Tyrennos victricibus Theodosii armis, & Theodosii victoris cor inspirata gratiæ suavitate flectere potuit.

Inclinante hoc sæculo Ursicinii ad Romanum Pontificatum intrusio, & Luciferianorum factio duplex inito consortio Ecclesiæ pacem nonnihil interturbavit: sed illum jussu Valentiniani I. in eeilium telegatum, istos Hieronymus scriptis, Theodosius edictis compressetunt. Sævior fuit à Priscillianistis excitata procelle, quæ & Maneris deliria suscitavit, & cum Sabellio Trinitatem evertit; sed

suam demùm falsitatem tunc maximè indigitavit, cùm falsitati veniam dans, tritum illud usurpabat: *Iura, perjura, secretum prodere noli.* Quia tamen hominibus diligentibus vanitatem, & quærentibus mendacium fallitas arridere solet, ut pestis grassans cohiberetur, multiplicis Synodi in Galliis & Hispaniis coactæ cauterio opus fuit.

§. V.

Quintum & Sextum Ecclesiæ sæculum.

INitium hujusce sæculi celebre fecit Origenistarum nomen, quo non soli Origenis sectatores, sed multi etiam Catholici, & ipsemet Catholicorum decus Chrysostomus donati sunt, errantium mala passi, erroris labisque puri. Et quidem iniquissimè: sicut enim tolerare hæreses, & in lupos vocem non contendere summum piaculum, ita veros Catholicos specioso tuendæ religionis umbone aggredi, & persequutionem religionis colore oblinere, ac pietatis fuco adumbrare, non minus est detrimentum.

Sed longè celebrius Chrysostomi causâ sæculum istud evasit; Chrysostomi, inquam, causâ; melius dixerim Dei & Ecclesiæ. Nihil ergo mirum, si adversus superbæ Eudoxiæ, Theophili Alexandrini, & Synodi ab eodem ad Chalcedonis suburbium, cui à quercu nomen, coactæ crudeles simultates, Dei innocentiæ suæ prodigiis patrocinantis protectionem expertus est. Miraculis nonnihil permota ferocia Chrysostomum ab exilio revocat, in deterius postea relegandum. Fallor, nihil illi malum accidere potuit, cui solum peccatum malum apparebat, nec ingratum exilium censendum est, ubi vices Episcopi implens, gentes Christo lucrabatur, exilium convertens in Apostolatum, quem morte sanctissima, nisi mavis martyrio, coronavit. Si tamen ille mori tunc potuit, cujus animâ ad vitæ immortalis felicitatem migrante, memoria in tot divinis voluminibus permanens æternùm vivet. De ejus laudibus alibi.

Per hæc etiam tempora Anthropomorphitarum vesanus & pinguis error Deo corpus affingens intonuit: Millenariorum etiam commenta circa illa tempora audita sunt, quibus homines mille annos post resurrectionem, affluentem deliciis vitam ducturos somniabant. Porrò in his non tam opinionibus, quàm nugis referendis immorari pudet.

Famosior fuit & sævior Pelagianorum hydra in varios status veluti totidem pullulantia capita sese fundens, ut in uno hoste plures victorias inveniret Hercules Hipponensis, ille inquam, cujus nomen plenum elogium est, incomparabilis Augustinus, quem sicut gratia sibi devicit, ita gratiæ hostes ipse contrivit; dubiumque fermè est, an plus Augustino gratia, quàm Augustinus gratiæ debeat. Et certè plus gratia ipsa deberet, nisi per gratiam vinceret Augustinus à gratia olim devictus. De hac hæresi fusè alibi dicemus.

Pelagii blasphemias æquarunt Nestorius & Eutyches; ille duas in Christo personas confingens, iste unicam in eadem persona substantiam ex duabus sacrilega commixtione conflans; ille Deitatem humanitati cupulatam voluit non hypostaticè, sed affectivè; iste humanitatem in divinitatem ita transformatam & conversam voluit, ut creatam cum increata natura identificarit; ille Deiparæ monile Mariæ abstulit unius mutatione literæ, non θεοτόκον, uti debebat, sed θεόγονον appellans; iste Mariam vix matrem hominis esse volebat, humanitatem fictitiâ sua naturarum confusione extinguens. De utroque Hæresiarcha in tractatu de Incarnatione plura dicemus.

Idem sæculum non soli Redemptoris gratiæ & personæ, sed & nitentissimo Deiparæ virginitatis candori in Elvidio, Joviniano, Vigilantio super porcos fœtidis belluis injurium fuit: eorum tamen putores à Hieronymo, Damaso, & Siricio fortissimis scopariis abrasi sunt, & eximium Mariæ decus assertum. Nam sicut exhalantibus è sterquilinio vaporibus non minuitur Solis gloria, sed clarescit: ita matris honorificatæ fulgorem suis spurciloquiis inviti illustrarunt, qui infuscare attentaverant.

Difficile dictu est, quantas per hæc tempora Ecclesia clades tulerit laceratione Imperii à Saracenis, Gothis, Vvandalis, Hunnis, Ostrogothis, Vvisigothis divisi; sed quia fidei nihil persequutione favorabilius, inter tot bellorum strages non solùm apud barbaros propagata Religio fuit, sed & inclytum Galliarum Regnum infidelitate posita, Christi se jugo subdidit, nec unquam meliùs Franci, seu liberi Galli dici debuerunt, quàm cum evangelicam libertatem nacti sunt. Christianismum mirè promovit conversio Clodovei, hortante Remigio adorantis quod incenderat, incendentis quod adorarat. Tuncque verè Rex evasit, cùm Christo servire cœpit. Quin & Regni perpetuitatem obtinuit, dum sacro oleo misso de cœlo in phiala æternùm duratura asservato inauguratus est, quo & Christianissimi Reges nostri inunguntur.

Per hæc tempora Arrianæ impietatis procella iterum recruduit, Hispaniam sub Leovigildo, Africam per Gensericum, Himerium, & alios, Italiam per Theodoricum, Totilam, ac hujusmodi æterni Verbi hostes vastatura, nisi renovatam rabiem solità pugnandi arte, id est patientiâ, fides vicisset. Obscurari & penè deficere ad tempus religio visa est, ut post caliginem clariùs, post contritionem vegetiùs sobolesceret. Ita planè pulchriùs tum rutilavit, excitatis à Deo viris insignibus in Hispania Hermenegildo martyre & Rege, & Leandro Episcopo; in Italia Boëtio, & Paulino Burdegalensi, qui è Nolàno Præsule captivus factus vices Redemptoris implevit, dum se alterius captivi pretium dedit; in Africa demùm Fulgentio Ruspensi, & Eugenio Carthaginensi Antistitibus, aliisque innumeris, quorum persequutione & fides micantior, & Mauritaniæ interioris conversione dilatatior evasit.

Mitto minutiores hujus sæculi sequentis non tam hæreses, quàm vertiginosorum hominum vitilitigationes. Talis fuit Corrupticolarum & Incorrupticolarum inanissima de Christi corporis incorruptibilitate contentio. Mitto Agnoitarum fatuitates, & Themistianorum somnia, Christo ignorantiam affingentium. Mitto Justiniani Imperatoris luctuosam prolapsionem, qui post amplificatos Imperii fines, post conditas vel digestas leges, post Ecclesiam potestate sua defensam, Sylverium, Vigiliumque summos Pontifices furentis conjugis ultioni mactavit, & Eutychium Bysantinum Præsulem in exilium misit, & eâ tandem morte interiit, quæ pœnitentiam dubiam, salutem reddidit ambiguam. Mitto excitatas Zenonis Henotici turbas, Acacii in Catholicos furores, Theopassitarum, authore Petro Cnaphæo, seu Fullone, impia deliramenta, quibus celebri illi trisagio divinitus probato, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, subjungi illud voluit, *Qui passus est pro nobis*, Patripatianismum suscitaturus. Mitto excitatas à Dioscoro contra Bonifacium II. Antipapa, & à Vigilio contra Sylverium in summum

mum

mum Pontificatum ope Belisarii intruso turbas, post obitum tamen Sylverii resipiscente, & in Pontificatum deinde assumpto canonica electione Cleri, qui ex Antipapa verum Papam constituere, quàm laceratam schismate Ecclesiam diutiùs interturbare maluit.

Celebrior fuit ab anno 546. de tribus capitulis controversia Catholicos à Catholicis ipsis divellens. cum enim Theodorus Cappadociæ Episcopus Imperatori persuaderet Hæreticos Concilio Chalcedonensi obtemperaturos, si tria capitula præscriberentur (agebatur porrò in illis capitulis de prohibitione Theodori Mopsuesteni, & epistolæ Ibæ Edesseni, quam in laudem Mopsuesteni, Nestoriique ediderat, necnon librorum Theodoreti adversus Cyrillum;) inde turbæ innumeræ ortæ, quibus orbis Christianus non parum vexatus fuit.

His tumultibus successit schisma Laurentii antipapæ, à Festo Romano Patricio intrusi; successit & Constantinopolitanorum Patriarcharū ambitio Universalis Episcopi titulum sibi arrogantium. Hoc morbo jamdudum laborabant Byzantini Præsules, ad sacrum aspirantes Imperium ex quo prophanum suam in civitatem translatum videbant. Sed tantæ superbiæ vitiis Joannes dictus Jejunator, potissimùm effudit ejus tamen imaginariam magnitudinem repressit primùm Pelagius, deinde Gregorius Magnus.

Verùm ingentia illa damna, quæ per tot rerum discrimina Ecclesia passa est, majori lucro compensavit Deus: nam præter ingentes, quos in Gallia, Italia, Africa, & Hispania progressus fecit, conversi exinde sunt Lazaronum populi ad portas Caspias, & Auximitæ in Æthiopia & Suevi ab Idololatria revocati, & Boii, & alii quamplures Orientales, & Abasgi, & Hunni ad Bosphorum cum suo Rege Gorda, ut quo magis ab Hæreticis & Schismaticis vinea Domini putata fuerat, eo sacris propaginibus dilataretur.

Declinante sexto sæculo non pauca tulit Ecclesia à Longobardorum tyrannide, qui Arianarum blasphemiarum impietatem superstitionibus ethnicis admiscentes, in utriusque Imperii perniciem conspiraverant. Exarchorum etiam, & Præsulum Ravennatum, Romani Pontificis imperium detrectantium sævitia tunc infremuit, ut Romanæ petræ soliditas infractior appareret.

§. VI.

Sæculum septimum, octavum, & nonum.

His sæculis in fidem insurrexit crebris persequutionibus iteratis. Nam & Costoës Persarum Rex imperium vastat, armis illud suis vastaturus, nisi Ecclesiam opprimere statuisset. In illum Heraclius bellum parat, injuriam Dei, & Crucis, quam in Persidem abduxerat, vindicaturus. Fortunavit pios conatus Deus: post innumeras namque, clades post generalem fidelium complorationem, post supra nonaginta Christianorum millia vendita ad lanienam, omnes Tyraoni copiæ profligatæ sunt. Et certè non potuit non vincere Christianus Imperator, cujus tota in cruce fiducia erat; crux enim captiva captores vicit, non secus ac Arca quondam Philisthæos, fuitque eo gloriosiùs Jerusalem reportata, quo indecoriùs fuerat in Persidem delata. Triomphale lignum humeris impositum reportavit pius Imperator in Calvariam. Sed cùm vellet procedere, immotus mansit, donec posita purpura vilem induit vestem; quia alienis vestium ornamentis non egebat qui pretiosissimum instrumentum gestabat, nec luxum comparitur totius humilitatis lignum. Quæ gloria crucis talem habere bajulum, nunquam magis Regem, quàm dum crucem portat, quâ Christus orbem & tartara superarat, juxta illud Magni Leonis serm. 8. de Pass. *Traditus itaque Dominus sævientium voluntati, ad irrisionem regiæ dignitatis, supplicii sui jussus est esse gestator, ut impleretur illud: Cujus imperium super humerum ejus; quia pulchra specie triumphi, sui portabat trophæum, & signum salutare adorandum regnis omnibus inferebat.*

Molestior fuit Monothelitarum hæresis integro ferè sæculo Ecclesiæ pacem redditam interturbans, quæ dum unicam personam contra Nestorium, duas naturas contra Eutychetem in Christo confitetur, unicam tamen in illo voluntatem & operationem comminiscitur. De his hæreticis in tractatu de Incarnatione ex professo disseremus.

Sed quantaquanta fuerit à Monothelitis invecta in Ecclesiam turbarum calamitas, à nullo tamen hoste atrociora unquam passus est Christianismus, quàm à Mahomete, à cujus infanda sobole, totius orbis flagello, & impietatum omnium sentina, tot mala etiamnum sentit. Mirum est, quomodo secta, quæ quidquid prophanum in Ethnicis, quidquid superstitiosum in Judæis, quidquid impium in Hæreticis, quidquid execrandum in Magis collegit, & tam citò recipi, & tam latè potuerit propagari. Sed præter alias hujus divini judicii rationes alibi à nobis memoratas, opportuna illa occurrit, ut fides quæ in pace Christianorum marcessit, importuni adversarii instantiâ veluti antiperistasi provocata reflorescat. Ineffabile dictu, & impossibile repræsentatu est quis fuerit templorum collabentium fragor, quàm ater conflagrantium fumus, quàm cruenta occisorum mactatio, quàm tristia profugorum lamenta. At necessaria fuit illa probatio, vel potiùs fidelium purgatio, qui vitiis suis Mahometanorum victoriis, & per illas divinæ justitiæ viam paraverant. Citò enim in Infidelium jugum incidunt, qui fidem suam inhonorantes, divinæ legis imperium detrectant.

Irrumpentis adversarii crudelissimi ferociam & Hispanias divexantem, & Gallias invadentem Carolus Martellus Francorum Rex repressit, tercentis septuagintaquinque Sarracenorum millibus profligatis. Hinc fortassis Turcarum in Gallos reverentia, expertorum frustra Christianismum apperi, ubi Reges sunt Christianissimi, & timentium invenire malleos, postquam à Martello contusi sunt.

His nihilominus cladibus fides resurgere inde cœpit, ubi videbatur peritura, & in alia regna dilatata est. Nam & Mahometani in Hispaniis victi sunt, & Religio in Angliam per Gregorium Magnum, in Germaniam & Boreales plagas per Bonifacium Moguntinum Præsulem promota est. Fides porrò frigidis in illis regionibus tantum concepit pietatis calorem, ut sanctitas nedum in Presbyteris & Monachis, sed in Regibus, præsertim Anglis eminuerit. Exinde fides ad Frisios promota, & ad Saxones diffusa fuit. Denique in Occidente decus suum Religio restituit, idololatriâ expulsâ, elisis Saracenis, Longobardis per Pepinum & Carolomannum extinctis. Vix optata pace Occidens fruitur, cùm ecce Oriens Iconoclastarum, seu Iconomachorum in sacras imagines bellum indicentium, furore flagrare cœpit. Eorum impietatem promovit Leo Isaurus, & Constantinus Copronymus, Imperium magis stercorea sua indole inquinans, quàm fontem lustricum, quando intingebatur, excrementis conspurcarat. Inde in Joannem Damascenum; Stephanum Papam, & alios athletas rabies sub Leone Armenio instaurata, cui comprimendæ vel Ni-

cæna fecunda Synodus œcumenica impar fuit. Sed de his dum de cultu facratum Imaginum agemus, plura dicemus.

Per hæc etiam tempora, initio potiffimùm fæculi noni, folicitavit Ecclefiam Manichæorum repullulantium & clam virus effundentium impietas, Hormifdæ Papæ zelo, & Juftini Imperatoris armis, utriufque etiam Michaëlis, Curopalatis & Porphyrogeniti refciffa; & cùm in Occidente fylvefceret, Roberti Regis, & Henrici II. edictis per ignem, ferrum, & fufpendium deleta. Sed inter tot infurgentes undequaque fluctus attollebatur Ecclefiæ arca, nec deprimere eam potuit novum Photii in Conftantinopolitanam Sedem, expulfo vero Paftore Ignatio, intrufi fchifma. Nam Dei beneficio & Imperatoris Bafilii Macedonici authoritate, ac Conftantipolitaoi fub Hadriano II. Concilii decretis reftituto Ignatio, Photius, exauthoratus, Photiani ablegati funt. Poft Ignatii obitum dolis revocatus Photius, Joannis VIII. fuffragio reftitutus eft, non fine fanctæ Sedis injuria. Tanta enim Pontificis facilitas occafionem abfurdæ de Papiffa Joanna fabulæ locum dedit. Nam pro fœmina habitus eft vitorum & Ecclefiæ Hierarcha, qui Pfeudopatriarcham eunuchum, id eft, femivirum, timuit & promovit. Advertant quæfo animarum Rectores, indignos illo effe regimine, qui in confiliorum fuorum conforitium eunuchos vocant. Meminerint turbarum ab Eutropio ennucho excitatarum, quibus fub Theodofio Imperium commotum eft, & Magnus Chryfoftomus divexatus. Meminerint Arianifmum non parum fub Conftantio promoviffe Eufebium cubicularium cum gregalium fpadonum globo, qui eo amplius Arianæ impietati adftipulabantur, quo ignominiæ fuæ folatium & fterilitatis decus reputabant, fi eoc in Deo generatio agnofceretur. Meminerint eunuchi Photii, & fallaciis & furore conftantis, qui quantum erat generationis temporalis exfors, tantum erat paternitatis fpiritalis & prælaturæ avidus. Certè tam perniciofi fuere hujufmodi eunuchi.

Inclinantis hujus fæculi finem non pauciores intecefferunt clades. Nam & Gallias Ludovici Pii abdicatio conturbavit; & Ludovici Balbi in Imperium provectio Italiam commovit; & Normannorum in Gallias incurfionibus florentiffimum Regnum fumavit incendiis, tivifque cruoris immaduit; & Danorum invafionibus Anglia infremuit. Sed tot malis oppreffa fides non eft, quæ cladibus purgatur ut inclarefcat, Deo fidei authore & defenfore ex hominum vitiis electorum lucra eliciente. Non enim tam cruoris copia fœdavit orbem, quàm Ecclefiam illuftravit Virginum illarum heroïca virtus & fupra virilem fortitudo, quâ præcifo fibi unà cum fuperiori labro nafo, horrorem lafcivientibus incuffere barbaris. Danorum quoque converfio illata damnata refarcivit.

§. VII.

Decimum, undecimum, duodecimum & decimumtertium Ecclefiæ fæculum.

Initium hujus fæculi obfcuravit excitata in Romanam Sedem à Sergianis opaca nubes: ut enim Sergius hominum nequiffimus, & juxta ambitiofiffimus Pontificatum taperet, & Roma cædibus, & facra dignitas facrilegiis confpurcata eft. Progredi ulterius nequivit fævitia, quàm cùm Formofi Pontificis exhumatum cadaver in Tyberim mergi juffum eft. Mirum eft quantum, & quandiu intrufiones & extrufiones Pontificum per fæculum fermè integrum Ecclefiam turbinibus, ambitioforum memoriam dedecore implevarunt. Sed quàmlibet atri fuerint privati quorundam hujus ævi Pontificum mores, violari tamen nunquam potuit etiam ab indignis facta dignitas, adverfus quam nunquam funt portæ inferi prævalituræ. Sedent interdum infcrutabili divinorum judiciorum confilio fuper cathedram Petri Scribæ & Pharifæi, ut in illis folum Chriftum, cujus vices gerunt, infpiciamus, & divinitus traditam poteftatem in illis etiam veneremur, quorum vita contemptui eft & opprobrio. Sanè nifi Sedes illa, quæ facta caput mundo, quidquid non poffider armis, religione tenet, divinitus effet fuper firmam petram ædificata, perennique miraculo fulta, jamdudum & Tyrannorum affultibus, & Hæreticorum odiis, & miniftrorum fordibus, & quorumdam Pontificum nimiis fceleribus concidiffet. Quàm firma illa ftatio, quàm folida, quæ externis non valet motibus concuti; quàm fancta Sedes, quæ nec fedentium poteft fceleribus violari.

Paffus in ipfo Religionis centro jacturas refarcivit fides in Boreales tractus longè, latèque diffufa, planè Soli fimilis aliud hemifphærium illuftraoti dum à noftro recedit: fplendorem quippe fidei nobifmet eripimus flagitiis, at non ipfi. Ejus fefe effundentem lucem recepere Sclavi, Dani, Norvegi, Bohemi, Poloni, Hungari, Rufci, Ruffulani, & Mofchi.

Undecimum fæculum turbis opplevit Henrici III. Imperatoris omnigenis ex flagitiis concreti fchifmaticorum, quo & Clericorum cœlibatum, Cadolao Antipapa opitulante folvit, & facras dignitates horrendo nundinationis commercio vendidit, & Ecclefiafticam libertatem fub jugum gemendam redegit, & jus inveftituræ Prælatorum per omnem injuriam extorfit. Quæ tunc (Deum immortalem!) defectiones, qui furiales ftimuli, quot clades, quot facrilegia! Nihil enim non audebat impius, cuivis fuppetebat unde furorem expleret, téfque infociabiles facras cum profanis fufque déque mifceret. Procellas fuxit Henricus IV. Imperator inveftituris vi obtentis, & Burdini Antipapæ promotione. Sed eas complevit Frederici Ænobarbi impietas, qua & Alexandrum III. deponere, & primas infulas Octaviano adjudicare, illique Guidonem Cremenfem primùm, deinde Joannem Strumenfem fufficere præfumpfit.

Hoc etiam fæculo audaciæ in facra, quâ nunc laborat Anglia, prævenerunt Guillelmus & Henricus I. ac II. Reges Ecclefiaftica fibi arrogantes. Sacrilegæ præfumptioni dum reftitit Martyr, evadit victima Religionis. Deceflorum aufibus impietatem ampliorem addidit Joannes Rex, cui opportuna mors medelam tulit. Gallias etiam non parum infecit vendibilium dignitatum profanatio, & indignorum ad factos Ordines promotio. Nam & puerum quinquennem in Rhemenfem Epifcopum inauguravi, & pueros duodennes duabus etiam Ecclefiis principari, et patrimonium Chrifti, & pauperum in hæreditatem transmiffum, luxui materiam præberet & fpurcitiæ, obftupefcens orbis miratus eft.

Tot clades fequuta eft Sacramentariorum, duce Berengario Andegavenfi Archidiacono, nefanda peftis, beneficiorum divinorum fummum & fummam, divinam nimirum Euchariftiam, & realem Chrifti corporis fub fpeciebus præfentiam omnium fæculorum perpetua fide ftabilitam aggreffa, pro vero corpore umbras fubftituens, & in limpidiffimis verbis Salvatoris metaphoras comminifcens. Spargebant impii Ecclefiæ corpus citò corruptum iri, fi vitæ fructu fubmoto, fubtractóque pabulo vitali fenfim examinaretur. Impietatis architectum Berengarium pœnitentiam egiffe ferunt, fed eo magis timendam fufpectamve

pectamve, quo non solùm bis relapsus est, sed etiam peccatis alienis oneratus decessit, non paucos relinquens suæ incredolitatis successores.

§. VIII.

Decimumtertium Ecclesiæ sæculum.

NOn fuit paucioribus hæreseon & bellorum æstibus jactatum hoc sæculum. Calamitatum anthor fuit Petrus Vvaldus, à quo Vvaldenses dicti sunt sectarii, qui & Pauperes de Lugduno à simulatæ paupertatis vana ostentatione, sicut ab urbe quam incolebant, Albigenses nominati sunt. Fuit hæc secta non errorum modò, sed & turpissimorum deliriorum sentina. Romanam Ecclesiam ut Apocalypseos meretricem traducebant; cultum Sanctorum, quin & Sacramenta abdicabant; brutorum etiam ad esum cædem homicidio nihilo minus damnandam effutiebant; Clericis bonis temporalibus interdicebant, & alia id genus novitatum monstra per Gallias & vicina Regna spargebant. Contorquere in illos anathema variis in Conciliis, Albiensi, Tolosano, Turonensi, & Lateranensi œcumenicis sub Alexandro III. Ecclesia satagit: sed cohiberi non potuisset grassans lues, nisi Crucesignatorum copiis & armis Ducis Simonis Montfortii profligata fuisset.

Præluserant dudum Albigensium cladibus schismamata & hæreses: illa fovit Petrus Leonis sub Anacleti nomine intrusus; istas Albertus de Brixia, Ecclesiam bonis exuens, ut proceres impleret, reddetétque latrones & sacrilegos; Petrus Abaillardus, Gilbertus Porretanus, & alii filii iniquitatis: sed omnia à Bernardo eximio sui ævi ornamento sopita sunt.

Addiderunt tot malis majora crementa Turcarum progressus. Repressit quidem jamdudum eorum impetus, vires contrivit, consilia dissipavit Dux Gudofredus Bullionius post infinitas victorias Jerosolymæ Rex inunctus. Proculcarunt etiam eorum copias Balduinus I. & II. innumeris barbarorum myriadibus usque ad internecionem deletis. Verùm tot gaudiorum amœnitatem non solùm interrupit famosa illa cladibus expeditio, hortante Bernardo & sermonem suum confirmante sequentibus signis suscepta, in qua & Conradus Germaniæ Rex cæsus, & Ludovicus VII. Galliarum Rex citò ad propria reverti coactus est: sed præcipuè doloris campum amarissimum aperuit Jerosolymitani Regni amissio, Jerosolyma capta, Religio polluta, Crucis archetypæ traductæ per compita, & virgis cæsæ injuria. Sumpta identidem novarum expeditionum consilia, sed Christianorum Principum discordiâ, aliisque divinæ æquitatis judiciis irrita. Orienti desolato accurrit S. Ludovicus, hostes initio fugans & vincens, sed invadente exercitum suum lue victus & captivus. Redemptus in propria reversus est non ad otium, sed ut milites colligeret, & in Africam copias suas reparatas & auctas traduceret; sed cùm capta Carthagine, fugatisque barbaris vestigia passim victoriis signaret, ad majorem cœlestis triumphi gloriam tot heroïcis virtutibus debitam à Deo vocatus est. Innumeras sanctissimi Regis dotes omnibus notas hîc proferre supervacaneum est. Id solùm dicam, solam Ludovici sanctimoniam, etsi alia omnia deessent, copiosissimum esse sæculi illius cladium lenimentum. Adde virum illum divinum usqueadeò præ pietatis odore fuisse orbi toti admirationi, ut Saraceni virum sanctum apud se captivum in Regem eligere voluerint, & è vinculis in solium illum assumere, qui carcerem intraverat, ignominiam turpi loco detracturus.

Accessit ad fidei victoriam & fidelium solamen pietas in Occidente renovata, postquam ab Oriente defecit. Etsi enim tanta evaserit Saracenorum tyrannis, tamque terribilis potentia, ut eâ major Orbis pars ruerit, & quæ superest tremat; inde tamen oculata fides fructus non pœnitendos colligit, etiam dum videtur peritura. Illi prodest hostis ferox etiam dum obesse molitur, quia flagellum Dei convertit in virtutum pabulum, & electorum coronamentum. Exemplo esse possunt innumerabiles Religiosorum Ordinum etiam militarium excitatæ in Occidente cohortes, ut damna Orientis sarcirentur. Etenim orti tunc ex hospitum Xenodochiis Equites Hospitalarii ad bella fortissimi, qui Rhodon deinde occuparunt, & tandem Melitem. Eis affines Templarii & Teutonici Equites, Templi se custodiæ, & Turcarum insectationi addixerunt. Collapsa etiam vitæ Regularis disciplina, vel restituta, vel in novis Ordinibus inchoata refloruit, qui solidam pietatem in claustris etiam ipsa senectute labantem repararunt, Cluniacenses nempe, Cistercienses, Claraevallenses, Carthusienses, Grandimontenses, Præmonstratenses, Camaldulenses, Vallombrusenses, Carmelitani, Augustiniani varii, Franciscani, & nostri Dominicani. Plenæ sunt sacrarum historiarum Annales præclarissimis gestis ab Ordinibus illis in Dei honorem, & Ecclesiæ tutamen patratis: attamen inter tot sanctitatis heroas à sacris illis cœtibus partos, præ ceteris eminuit Bernardus Doctor Mellifluus, non tam Monachorum Pater, quàm Regum & Pontificum mirâ suâ sapientiâ, & majori pietate Rector; & Bruno ex hominibus Angelos faciens, & eremum in cœlum vertens. Ibi silentium perpetuum, quod sola interrumpit psalmodia, ut Angelos agant Carthusiani, & prælibent immortalitatem ante mortem. Quid ergo mirum, si stellas venientes vidit Hugo Episcopus; facit enim cœlestes silentium, psalterium, jejunium. Non indiget Ecclesia miraculis (quibus tamen identidem fulget:) habet in sanctissimo Brunonis Instituto nunquam corrupto miraculum perpetuum, stellarum incorruptibilitate pretiosius. Et Franciscus, viva illa Christi pauperis, & patientis imago: nam si Franciscum cucullo exuas, nonne corpus illud ad Christum dixeris pertinere, in cujus manibus, & pedibus apparere videris signa clavorum, & in latere lanceæ transfixionis rubram cicatricem? Sed quantaquanta fuerit corporis stigmatibus redemptionis insigniti similitudo, major tamen fuit Francisci animi virtutum Christi imitatio, quarum bono odore orbem sub cœlo totum implevit, quibusve etiam dum nihil diceret, prædicabat. Et Dominicus Prædicatorum Pater, qui quantum in hæreticis confundendis & contundendis, quantum in pietate promovenda laboraurit, alii dicant, quia laus propria proprio sordescit in ore & calamo. Pangat ergo elogium Dominici eximius Societatis Jesu Theologus Joannes Labbé, Petro à Valleclausa Dominicani Instituti hosti jurato notissimus. Illud à paucis annis præfatus Labbé Viennæ in Delphinatu edidit die ipsi Dominico sacra, in concione apud Prædicatores ab ipso habita, ut à Patribus oculatis illac transiens audivi.

S. DOMINICI ELOGIUM.

Sta, quisquis es, ad Stellam, Rosam & Columnam.
Dominicus ante ortum stella, postquam adolevit Sol fuit,
Gravida mater intra uterum stellam sensit.
Dum stellam gerit, nonne hic uterus cœlum fuit?
Illustravit hæc stella orbem terrarum.
Et Dominus tot stellis Ordinem implevit,

Vt stellarum Ordo appellari hic Ordo possit.
Et Rosa Ecclesiæ Dominicus fuit.
Ante Dominicum Ecclesia spinarum hortus erat, non florum.
Inseruit rosas Dominicus, & Rosariis orbem implevit.
Placuere rosa Deiparæ Virgini,
Et per Rosaria Dominicus ad cælum ivit;
Et nunc per Rosas Diminici patet iter ad cælum.
Et columna fuit Ecclesiæ Dominicus.
Ne dubites, Innocentius rem definivit, dum vidit:
Vidit nutantem Ecclesiam, & Dominicum fulcollantem.
Grande decus, sublantem esse Ecclesiæ; non fabulosum, sed verum.
Fundamentum Ecclesiæ Petrus est, & Columna Dominicus.
Plus aliquid diceret columna, quàm Petra,
Nisi Petra esset Petrus.
Deesse nihil videtur magno Ordini, nisi Ecclesiæ claves:
Gerunt illas Inquisitores fidei, & doctrina Censores.
Dixi qualis sit Dominicus.
Minor est Domino, sed est Dominicus.

Et quamvis sacra Religionum variarum, præsertim Mendicantium instituta, multiplices passa sint ab adversariis, & nominatim à Guillelmo à Sancto Amore, vexationes; nihil aliud tamen odia illa profecerunt, quàm eorum virtuti splendorem addere, quos acriùs, & indignùs insectabantur. Fert namque stylus divinus, ut opera sua tribulationum instantiâ probet, dicente Apostolo: *Omnes qui volunt in Christo piè vivere, persequutionem patientur. Et ideo*, ut Magnus Leo addit, *nunquam deest tribulatio persequutionis, si nunquam desit observantia pietatis.*

Horum Ordinum ingentes fructus non solùm in Aquinate, Bonaventura, & aliis luminibus claruerunt; sed in tutandis Sedis Apostolicæ juribus adversùs Imperatores Othonem, & Fridericum II. cum suis Gibellinis in Guelfos, seu Pontificios atratis, Italiam in lanienam mutantes, non parvo adjumento fuerunt Religiosorum preces, consilia, & hortamenta. Non licet per hujus dissertationis angustias infinitas illas recensere clades, perfidias, parricidia, sacrilegia, quæ Guelforum illæ & Gibellinorum infensissimæ factiones invexerunt. Quot inde pro Sicilia bella, quot funera, quis sanguis fusus, quæ discordiæ, dum tota Italiæ facies suorum discerpta est manibus, & inundata sanguine, & ossibus exhorrenda! Tumultus illos non sedavit Bonifacii VIII. assumptio, sed auxit, dum in Gallias discordiarum semina transmisit Pontifex, ratus se posse Philippum Pulchrum ea facilitate facere Exregem, qua fecerat Expontificem Petrum de Murrhono, dictum magis à virtute quàm à dignitate Cœlestinum.

§. IX.

Decimumquartum, & decimumquintum Ecclesiæ sæculum.

ROmanæ Sedis in Gallias translatio per Bertrandum Agurium Burdegalensem Archiepiscopum, Clementem V. nominatum, quam Itali dixere Babylonicam, quia septuaginta annos duravit, orbem Christianum conturbavit. Has turbas cumulavit Italorum discordia, concitata Florentinorum dissidiis, Evolini tyrannide, Turtianorum invasione, Viceccomitum & Longobardorum Regulorum bellis, Venetis Ferrariam occupantibus, Ludovici Bavari schismate, Petri Corbarii antipapæ intrusione, Romanorum politicis dissidiis, Ochami tumultibus, Fraticellorum & Bizochorum fatuitatibus, quos inter eminuit Guilhelma quædam Spiritû Sanctum hypostaticè sibi junctum delirans, & fœminas, ad quas salvandas se missam comminiscebatur, in nomine Patris, & Filii, & suo baptizans; & Beguinorum superstitionibus, errore & impietate scatentibus. Palmarium illius sectæ flagitium erat, licitam esse fornicationem patientibus libidinem, & simul sectæ discipulos eò perfectionis venire posse, ut Deo frui in hac vita plenissimè valerent: quasi impuritas sit apta ad Deum intuendum via; quasi non scriptum sit, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* His conterranei fuerunt Apostolici, vel meliùs Apustatici, opem & nuptiarum usum damnantes; necnon Flagellantes, tantam vim suis flagellis asserentes, ut abrogatis Ecclesiæ Sacramentis ritibusque omnibus, solum baptisma sanguineum, id est flagellorum ictibus expressum sufficerent. Ejusdem furfuris fuerunt Lolhardi, & Fossarii, qui præter alias hæreses ab Albigensibus aliisve depromptas, hoc docebant singulare, licitum esse in subterraneis obscœnitatem, quasi non esset verum illud Prophetæ oraculum: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Rectè tamen subterranea quærebant filii tenebrarum, & erebi ministri; nam qui malè agit, odit lucem, & omne malum pudore natura perfudit.

Ex eadem fatali translatione ortum est schisma illud nefandissimum, quo Christianus sub incerto capite orbis in tot partes divisus est. Dum enim Pontificum in Gallias regressum adeo sibi funestum Romani verentur, eligi à Cardinalibus Gallum internatis minis vetant. Sors interim super Præsulem Barensem cecidit, Urbanum deinde dictum. Illa electioni illata vi, & electi ipsius austeriori regimine exacerbati Cardinales, Anagniam, mox Fundos perguor, ibique priore electione irritata & annullata, novum solita libertate eligunt Pontificem Robertum Gebennensem, Clementem VII. nominatum. Habuit sua quilibet regna, suos Cardinales, suos successores, suos, quod mirum est, Sanctos; nam priori Catharina Senensis, posteriori Petrus Luxemburgius, & Vincentius Ferrerius obtemperârunt. Tanto scandalo providere frægit Pisana Synodus, sed ex remedio deterior morbus; dum enim novus ibi Pontifex eligitur, ut sub uno tandem capite dissecta membra colligarentur, triceps Ecclesia facta est, dum quilibet prætenso jure potiri voluit: quot inde dissensiones, quot libelli, quot bella in tam horrendis quadraginta annorum tumultibus! Neque enim pax illa haberi poterat, *donec auferretur Luna*: ut veré & lepidè aiebat Gerson ad Petrum de Luna alludens. Quod Concilio Constantiensi præstitum est, ubi exauthoritatis tribus prætensis Pontificibus, ambitionis spectris, & quæ sua sunt, non quæ JESU-CHRISTI quæritantibus, Martinus V. electus est.

Schismatis calamitates augebant hæreseon procellæ, duce præsertim Wiclefo, Sacramenta, traditiones, Pontificum jura, festorum observantiam conculcare, & abolere molientе. Invaluit aliquandiu in Anglia exitiosa pestis, sed latiùs per Bohemiam grassata, auctore portentosæ iniquitatis filio Joanne Husso Constantiæ cum Hieronymo Pragensi combusto. Nec tamen in cinerem redacta est hæresis, innumeræ enim inde in Bohemia excitatæ tragœdiæ, & sub umbone ablati sibi calicis & pretio Christi Sanguinis, humanum effundere non cessârunt, & in Regem ipsum, hæreticorum more, arma sumpserunt, & exercitus coëgerunt.

Vix

Vix aliquis pacis radius post Concilium Constantiense micabat, & ecce concilii Basileensis Præsules Martini, & ipsius Eugenii jussu congregati, specie reformandæ Ecclesiæ in caput armantur; nam omni sibi arrogata authoritate, Vicario Christi Romano Antistiti, sine quo (si certus est, & non dubius, quod dico propter factum Concilii Constantiensis) omne Concilium generale est synagoga satanæ, & diem sæpius diaerunt, & leges eas imposuerunt, quibus nec minimus orbis Episcopus supponi se sineret, idque tanto supercilio, tamque intolerabili typho, ut Pontificem suspendere, exauthorare, illique Amadeum à Sabaudia Felicem dictum sufficere non dubitarint. Desperat Basileensium ausus Eugenius, & nihil moratus suspensiones & minas, anathemate Basileenses ferit, & Synodum Ferrariam transtulit.

Porrò schismatum omnium funestissimum illud meritò dixerimus, quod Græci à tot annis omni data & accepta occasione invexerunt, & etiamnum fovent. Universalis Episcopi nomen amplissimum ambiverunt quondam, orbi Christiano principari voluerunt, Romanæ Ecclesiæ primatum tota traditione consecratum ægrè tulerunt Præsules præsertim Constantinopolitani, rati se non majori negotio Romano Antistiti erepturos gradum, quàm Alexandrino, Jerosolymitano, & Antiocheno abstulerunt. A schismate in hæreses prolapsi sunt, negata Spiritus sancti à Filio processione, & aliis erroribus ibi facilè subnascentibus, ubi à vero capite recedirur. Inde ortæ in Ecclesiam Latinam simultates; & quanvis sæpè utriusque Ecclesiæ concordia tentata sit, in Lugdunensi præsertim & Florentino Conciliis, frustra tamen; etenim viri levissimi in vomitum rediere suum Græci, brevi in tanti facinoris pœnam Turcarum armis perituri. Justo namque Dei judicio factum est, ut qui à vero Dei cultu tamdiu defecerant, transirent in Tyranni principatum. Inde quotidianæ Turcæ victoriæ, quibus subjugato Oriente, Hungariam & Poloniam his diebus, ingemiscente Clemente X. & orbe Christiano, ac Catholico torpente, invadunt.

§. X.

Decimumsextùm, & decimumseptimum Ecclesiæ sæculum.

IN hæc duo postrema sæcula præcedentium clades confluasse videntur; nam & infidelium Turcarum progressus regna divexant, & Lutheranorum, Calvinistarum, & aliorum Anticatholicorum hæreses radices agunt venenosas. Importata ab illis hæreticis infortunia, invectæque hæreses notiora sunt, quàm ut ea latiori calamo describam; plura, quàm ut longa lucubratione enarrari possint. Uno verbo, quid aliud fecit Lutherus, quid aliud præsertim Calvinus præstitit, quàm ex omni monstrorum genere monstrum unum, dum omnia cunctorum sæculorum doctrinæ flagitia in suam sectam velut cloacam derivarunt. A tristibus autem tragœdiis, quas in orbe egerunt, referendis supersedeo, quæ magis lacrymas cient, quàm verba postulent. Id scit Gallia nostra, quæ quidquid sacrilegiorum ab impiis, quidquid rapinarum ab avaris, quidquid cædium à truculentis, quidquid spurcitiarum ab immundis, quidquid inhumani à barbaria, quidquid brutale à feris, quidquid tartareum à dæmonibus timeri poterat, Calvinistarum furore experta est. Contra prophanas eorum novitates sæpe, & ex professo disputavimus, nec opus est de illis, aliisque historiæ Ecclesiasticæ capitibus orationem protrahere, quæ aliquando rerum uti fusiùs, ita fortassis accuratiùs, benedicente Domino prosequemur. Id solùm addam, fidem ubique lucra facientem sua, expulsam à Turcis, & expugnaram à Lutheranis, ad fidelium solamen & sui tutamen in Americam extendisse propagines, Indias irradiasse, & doctrinæ lumen, pietatisque calorem in novis sacrarum Religionum institutis, vel antiquiorum reformationibus restaurasse, nimirum in Minimis, Theatinis, Capucinis, Recollectis, Jesuitis, Barnabitis, Sommaschis, Doctrinæ Christianæ, & Oratorii Presbyteris. De quibus, aliisque horum sæculorum sanctitatis miraculis fusè egimus, dum Ecclesiæ Catholicæ sanctitatem initio tertii libri demonstravimus.

Adde fidem ipsam divinitus armatam, de hæreticis vindictam sumpsisse, non solùm Lutheranorum inter se dissidiis infinitis, sed famosâ præsertim illa Regis Angliæ truncatione, quæ anno 1649. contigit, ut per Regem Henricum fides expulsa, in Carolo de Stuart successore apostasiam propriis Anglorum manibus puniret. De hoc Anglorum flagitii portento hæc fatur Gratianus Lucius Hibernus in suo Cambrensi everso, pagina mihi 265. Scelus illud Anglorum, quo Regi suo caput amputarunt, quo nomine appellem nescio. Parricidium nominabo, quòd Reges & Magistratus patriæ parentes nuncupantur? Sed hæc voa ad privatos homines cæde se paternâ inquinantes astringi solita, non satis est laxa ad tam tetri facinoris atrocitatem exprimendam. An rebellionem, aut perduellionem dicam? Sed cogitationes ad afficiendum Regem susceptæ, aut levior contumelia eidem illata, sive arrogantior Regis compellatio his vocabulis denotantur, etsi hujus flagitii gravitatem non exæquent. An furorem & insaniam nuncupabo? Leve illud est. An belluinam sub larva vultus humani immanitatem? Ne istud quidem sufficit. An florentissimæ Britanniæ fœdissimam maculam, immò exitium, flammam, atque perniciem? Quàm possum atrocia, ac detestanda nomina mente efformavero, vincit omnia sceleris horrendi atrocitas, ac ne cogitatione quidem capi, nedum oratione satia exprimi, explicarique potest.

E Regibus alii à subornatis prævaricatoribus confossi, alii veneno sublati, alii per insidias in lecto suffocati sunt. At nemo per omnes omnium gentium historias, quantumvis lectione versatus, ex iis eruere potuit, Regem adhuc ullum suprema regni potestate vigintisex annos jam functum, & suspensas regendi rationes à populo non habentem, à plebeio suæ generis ordine quæstionibus in judicio ita reum capitis per nefas pronuntiatum, & carnificis manu (non quidem ordinarii carnificis à tanta impietate abhorrentis, ut historia Anglicana proditum est, sed carnificis sub larva latentis; suspicantur plures impium fuisse Cromvellum totius iniquitatis compendium) orbe terrarum obstupescente necatum. Quàm atrociter in hujusce sceleris Authores Cicero invehetetur, qui Verrem accusans: *Facinus est*, inquit, *vincire civem Romanum, scelus verberare, parricidium necare, verbo satis digno tam nefaria res appellari non potest.* Vocem igitur aliquam novam à Cicerone excogitari oporteret sceleris hujus atrocitati satis indicandæ accommodatam, in quo peragendo divina, humanáque jura conculcata sunt non tanta patientia acerbitate, quanta condemnantium turpitudine, qui facinus ediderunt tam superioribus inusitatum sæculis, quàm futuris execrandum & abominabile. Cui edicendo sicut proprium nomen, sic plectendo idonea pœna inveniri non potest. Porrò ab hac execrabili novorum hæreticorum erga Reges

malè

malè affectorum disciplina abhorrere nedom Catholicos universos, sed ipsos præcipuè Summos Pontifices, suo loco demonstravimus, & ex Clementinis constit nimibus liquet, in quibus habetur: *Regia potestati resistere nefas est.*

Monitum et Reflexio.

Videsis plura apud Annalium Christianorum & Ecclesiasticorum Scriptores, historiæ præsertim Catholicæ Patrem Cardinalem Cæsarem Baronium, aliosque, apud quos & fidei triumphos, & Sanctorum per fidem victorias mirabere. Sancti enim per fidem vicerunt regna, & hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Quo quidem studio nihil Theologo nec dignius, nec utilius, cùm ad eruditionem, tum potissimùm ad pietatem. Quia ut benè B. Bernardus *tract. de rebus gestis S. Malachiæ*, annotavit: *Semper quidem operæpretium fuit illustres Sanctorum describere vitas, ut sint in speculum, & exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitæ hominum super terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem vivunt, multosque ex his, qui viventes mortui sunt, ad veram provocant & revocant vitam.*

Atque ob ter ex his quæ tota hac dissertatione percurrimus facilè conjectu est, quantum vero Theologo necessaria sit sacræ historiæ non perfunctoria instructio; ut enim præclarissimè Theologus omniscius Melchior Canus *lib. 11. de locis*, fusè prosequitur: *Ut viri omnes docti consentiunt, rudes omninò Theologi illi sunt, in quorum lucubrationibus historia muta est.* Unde tantùm abest, prolixam quam præsenti tomo adjicimus, dissertationem ad institutio esse Theologico alienam, quin potiùs ad ejus non mediocre ornamentum non parum conferre arbitratus sum. Utinam per præstitutam nobis, & accuratè observendam brevitatem in plura spatiari licuisset, ut omnibus palam foret, multa nobis è thesauris suis historiam supped tare, quibus si careamus, & in Theologia, & in quacumque fermè alia Facultate inopes sæpe & indocti reperiemur. Et quidem historiam esse Theologo differenti pernecessariam, tum sæpe aliàs, tam novissimè in ultimis de facto & sensu Jansenii controversiis orbi notis animadverti potuit, ubi quantum fuerit Ecclesiasticæ historiæ usus necessarius, qui libros eruditissimè ultro citroque scriptos legerint, ii mehercule facilè judicabunt. Et certè nemini gravis Theologiæ perito dubium est, sæpe sæpius in re quondam gesta vel moralis decisionis, vel Ecclesiasticæ institutionis cardinem verti; & interdum etiam in Scholastica disputatione operæpretium esse, ex Annalium monumentis testimonia & testes excipere veritatis.

His aliisque de causis in Facultate Parisiensi cæterarum omnium matre, principe, & archetypo tam frequens est sacræ historiæ & tam familiaris usus, ut sæpe de sacra historia disputationea instituat, quibus Theologum admonet, ut non historiam Ecclesiasticam negligat, cujus & cognitio magnos fructus, & ignoratio majores parit errores. Cùm superioribus annis essem Parisiis, Abbas d'Albret, nunc ob ingentia merita ad Purpuram assumptus, & Cardinalis de Bouillon dictus, thesibus solemnissimis universam Ecclesiasticam historiam mirè quidem complexus est, sed ad miraculum propugnavit: & quod auget admirationem, perdifficiles, lubricas, implexasque quæstiones, quibus totius antiquitatis se callentissimum demonstravit vir ætate juvenis, sed sapientia senex, superque senes intelligens, peritissimè, & juxta modestissimè exposuit.

Enimverò si teste Augustino *lib. 2. de doctrina Christ.* ipsæ Ethnicorum historiæ ad sacræ Scripturæ intellectum non parùm conferunt, ex earumque ignoratione Authores alioquin graves non semel cespitarunt, ut manifestissimis illustrari exemplis absque negotio posset: quantò magis sacra historia Theologo nedum perutilis, sed necessaria censenda est, tum in disputatione adversùs fidei Catholicæ hostes, tum ad speculationes exemplis locupletandas, tum ut in moralibus casuum decisionibus quidpiam justum esse suadeat, vel injustum, prout à viris aut probis, aut improbis usurpatum est; tum *ne turpiter in rebus ad se maximè pertinentibus erret, eaque ignoret, quæ ignorari non sine imprudentia modò, sed ne imperitia quidem possunt. Historia quippe cùm magistra vitæ est, tum lux etiam veritatis*, inquit prælaudatus Cano.

Nec dicas plurima in historiis etiam sacris extare vel dubia & apocrypha, vel falsa & fabulosa; ingentis etiam esse molis & majoris difficultatis de historia præsertim veteri judicare, antiquitatis memoriam in numerato habere, Historicos omnes internoscere, mendaces à veracibus secernere: quod totum desideratur ut historia alicujus sit vel utilitatis, vel authoritatis.

Non, inquam, id dicas: quamvis enim, ut verum profitear, arduum sit & laboriosum sacræ historiæ studium, non ideo tamen Theologo negligendum est, quia labor qui ámlibet amarus, cum magnitudine tamen & suavitate utilitatis comparatus non modò omnes absterget studiorum molestias, sed efficiet operam illam mollem etiam & jucundam. Quapropter Theologum rudem esse omninò in historiis cum sacris, tum prophanis, aut inertissimæ segnitiei est, aut fastidii delicatissimi. Quod verò in Annalium monimentis nonnulla aut dubia, aut falsa veris permixta sint, non solùm ab historiæ sacræ studio nos deterrere non debet, sed ad illius vehementiorem amorem concitare, & veluti calcaribus stimulare debet, ut multiplici rerum gestarum, Authorúmque collatione veritas patescat. Præsertim quia nulla, eaque præcipua, & scitu magis necessaria certam habent fidem, cùm in eam recensendam probati omnes ac graves Historici coeuntrant, quibus detrectare fidem non solùm iniquum est, sed insulsum planè, ac etiam inhumanum.

Etenim, ut Augustinus libro de utilitate credendi, aliique Patres egregiè prosequuntur, necessarium est homines hominibus credere, nisi vita penitùm more degenda sit: necessarium est non amicitiam modò, verùm omnem omninò humanæ societatis necessitudinem interire, nisi amicus amico, maritus uxori, parentibus filii, fratres fratribus, civibus cives, socius socii fidem habeant; sique nihil credere statuerimus, quod non nisi manu, oculis, vel sensu percipiamus.

Si Theologus tantum curæ impendit & vigiliarum in quæstionibus speculativis sæpe frigidis considerandis, si totum adhibet tempus & diligentiam, si anticipent vigilias oculi ejus, ne in controversiis alioquin non admodum necessariis incognita pro cognitis, incerta pro certis habeantur; si ad hunc finem doctissimorum virorum conciones frequentes, si in Academiis Christiani orbis insignioribus literas discat, ut eruditissimorum hominum dissertationibus & sapientia instruatur, & condiscipulorum exercitatissimorum quotidiana conflictationibus vexatus veritatem, cujus amans est, assequatur, quæ sine dispendio caruisset: quanto justius, & utilius, & Theologo vero dignius censendum est earum rerum notitia pulcherrima imbui, quæ traditioni confert

&

& pietati. Proh dolor: per sex aut octo annos spinosas & interminabiles quæstiones versamus in scholis, easque controversias lassissimè prosequimur, quas nec juvenes portare possunt, nec senes ferre, quæve ingenia non tam juvant, quàm obruunt. Non piget, nec tædet nos magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles confetre, easdemque non necessarias, & sæpe vanas, quas recensere hîc nec libet, nec decet. Et tamen per aliquot otii nostri horas tædet operam navare Ecclesiasticæ historiæ, vitæ magistræ, prudentiæ subsidio, luci veritatis, & potissimo vitæ & consociationis humanæ instrumento, quod probatorum Authorum testimoniis innixum est.

Scio quidem modernos hæreticos omnes, præter canonicas, historias floccifacere, è canonicis etiam quasdam è sacris libris pro suo arbitratu expungere. Sed quid mirum si post abjectam fidem, necessitudinem & pietatem duo generis humani sanctissima vincula violent, atque dissolvant? Dolendum planè quòd erroribus suis obcæcati non videant, nihil adeo vitæ humanæ necessarium esse, quàm ut homines hominum, præsertim gravium & locupletum dictis credant. An nesciunt fidem esse artium omnium basim, scientiarum fundamentum, disciplinarum crepidinem; ita ut verum sit illud Aristotelis effatum, *Ad discentem oportet credere*; verum itidem illud propheticum oraculum: *Nisi credideritis, non intelligetis?* Nam oculis & quotidianis experimentis cernimus pueros elementarios nomina literarum, aut syllabarum nexus non nisi fide accipere, omnemque cognitionem præcedere fidem, subsequi scientiam veritatis. Hinc tanta nobis, & talis ad audita credenda à natura indita pronitas est. Hinc sicut ciros ad credendum corde leves, ita ad rationabilia credenda tardos, obduratos & pervicaces nominamus. Hinc homines benè constituti, & ad vitam humanam rectè compositi, viro gravi rem credibilem affirmanti fidem adhibent. Hinc denique ea quæ communi Historicorum consensione traduntur, non modò negare, sed de his etiam dubitare stultissimum apud omnes reputatur.

Illud etiam in hujus dissertationis coronide observabis, fidem de hostibus suis etiam per propria damna victricem, quotidie à malis Catholicis vinci, qui dum vitiis serviunt, fidem faciunt, imò & Deum servire iniquitatibus suis. Væ nobis, in quibus Christus patitur opprobrium, & fides Christiana servitutem; qui enim veritates fide notas in injustitia detinent, it intellectum & affectum non captivant in obsequium fidei, sed fidem obsequi cogunt regnanti in se peccato, & concupiscentiæ dominanti. Plura alibi, prolixiores enim hactenus fuimus.

DISSERTATIO VI.

Appendix.

Commendatio & elogia Charitatis.

PRæcipua charitatis encomia & laudum ejus veros fontes in superioribus tetigimus, dum ejus objectum declaravimus, & eâ iniri cum Deo amicitiam, qua nihil pretiosius esse potest, demonstravimus. Insignem etiam, & longè præstantissimam charitatis prærogativam tomo superiori ex professo prosequuti sumus: dum in ea vitæ hujus beatitudinem sitam esse, ejusque actus esse contemplatione vitæ nedum moraliter, sed & physicè perfectiores, variis rationum, authoritatumque momentis comprobavimus. Quare ea iterum non prosequimur, quæ tamen laudissimum laudandæ charitatis campum aperiunt. Alia ex eis veluti consectaria præconiorum in præfatis virtute inclusa derivabimus.

Primum elogium: Charitas vita animæ.

Illud expressè tradit D. Thomas *quæst. 23. art. 2. ad 2.* ubi ait quod charitas, *est formaliter vita animæ, sicut anima est vita corporis.* Cujus ratio est, tum quia per charitatem Spiritus Sanctus animæ illabitur, illam vivificat, fitque tota Trinitas speciali modo præsens. Vita autem supernaturalis animæ in unione cum Deo sita est, juxta illud Augustini serm. 5. de verbis Domini: *Sicut anima est vita corporis, sic anima vita est Deus. Sicut exspirat corpus cùm animam emittit, ita exspirat anima cùm Deum amittit. Deus amissus mors animæ: anima emissa mors corporis.* Tum quia cor est principium vitæ hominis, vita autem cordis est amor, quo movetur; dum autem cor amat mortalia, & caduca, è nihilo prodita, & in nihilum proclivia, moritur, & ad nihilum quadantenus redigitur. Dum verò Deum immortalem diligit, vivit; quia amor amantem in objectum transformat, juxta illud præclarum Augustini oraculum alias memoratum: *Qui non potest vivere de se, moritur utique amando se: non ergo se amat, qui ne vivat se amat. Cùm verò ille diligitur, de quo vivitur, non se diligendo magis se diligit, qui propterea non se diligit, ut eum diligat, de quo vivit.*

Difficilius est quod S. Doctor ibidem ait, charitatem uniri immediatè animæ, sicut anima unitur corpori; nam illud videtur esse proprium gratiæ sanctificantis, quæ cùm in consortium naturæ divinæ nos evehat, essentiam animæ immediatè afficit; charitas verò, cùm sit amor summi boni, voluntatem ornat & accendit. Verùm ita explicari debet S. Præceptor, quod quia gratiam inter, & charitatem intima affinitas, & indivulsa societas est, qualis est inter essentiam & nobiliorem proprietatem; & aliunde quod pertinet ad essentiam, interdum proprietati affertur, sicut ut laudetur homo, commendatur ejus ingenium; ita quod pertinet ad gratiam, charitati sæpe tribuitur.

Secundum elogium: Charitas agit, & confert effectum infinitum.

Hæc sunt verba longè præclarissima D. Thomæ *ibidem ad 3.* quibus charitatem supra omne quod dicitur magnum, immensùm attollit: *Dicendum*, inquit, *quod charitas operatur formaliter; efficacia autem formæ est secundum virtutem agentis, quæ inducit formam: & ideo patet, quod charitas non est infinita, sed quod facit effectum infinitum, dum conjungit animam Deo justificando ipsam; hoc demonstrat infinitatem virtutis divinæ, quæ est charitatis actor.* Ad cujus profundissimæ doctrinæ intellectum sciendum est, charitatem dupliciter considerari posse: primò ut est quædam qualitas creata; secundò ut ex specifica sua ratione est participatio divinæ bonitatis, voluntatis, & amoris, Deum ut in se est supernaturaliter attingens. Primo modo considerata est finita, & habet effectum finitum, ut constat: sed secundo modo spectata quandam habet infinitatem, quia hoc modo est ordinis divini, nec procedit à Deo prout rerum omnium est auctor, sed prout est connaturalium perfectionum communicator. Unde sicut calor ignis præcisè

præcisè ut qualitas eſt, habet tantùm reddere ſubjectum quale, ſcilicet calidum; tamen in virtute ignis, cujus eſt proprietas, producit effectum longè ſe ipſum perfectione excedentem, nimirum ſubſtantiam: ita charitas prout eſt accidens, habet ſolùm adornare ſubjectum, ſed prout eſt imago divinæ bonitatis, & vinculum perfectionis, habet illud deificare. Unde prout eſt participatio naturæ ſuperioris, eſt ſuo ſubjecto perfectior, imò & ſe ipſa prout qualitas eſt, imò & omni ſubſtantiâ creabili. *Ac idens*, inquit D. Thomas art. 3. ad 3. *quod cauſatur ex participatione alicujus naturæ ſuperioris, eſt dignius ſubjecto, in quantum eſt ſimilitudo ſuperioris naturæ, ſicut lux diaphano*. Cùm ergo Doctor Sanctus ait, quod charitas non eſt infinita, intelligendum eſt de ea, ut qualitas eſt: cum verò addit, quod facit effectum infinitum, intellige quod ſecundùm rationem ſpeciei quandam infinitatem habet, quia conjungere Deo eſt quid infinitum, utpote excedens omnem vim naturæ creatæ & creabilis, & quia Dei poſſeſſio eſt bonum, ſaltem objectivè infinitum.

Tertium charitatis elogium: Minimus charitatis gradus habet ſtatum virtutis ſimpliciter.

Probatur: Minima charitas hoc ipſo quod eſt amicitia cum Deo, noſque illi tanquam ultimo fini conjungit, facit bonum habentem, & opus ejus bonum & perfectum reddit, multò melius quàm ulla virtus moralis, quantumlibet numeris omnibus abſoluta; quia nimirum per charitatem homo conjungitur Deo, opera ſua refert in ultimum finem ſimpliciter, meretur vitam æternam & ipſum Deum; imò ita firmiter Deo adhæret, ut teſte D. Thoma *3. part. quæſt. 70. art.* 4. minima charitas plus diligat Deum, quàm cupiditas aurum & argentum; & quod ſufficiens ſit ad vitanda omnia peccata, & ad quaſcumque tentationes vincendas, ut tradit *in 3. diſt. 37. quæſt. 1. art. 3.* Ergo minima quæque charitas habet rationem virtutis ſimpliciter. Imò implicat eſſe charitatem, & non habere ſtatum perfectæ virtutis, cùm implicet dari charitatem, quæ non conjungat fini ſimpliciter ultimo, quæve opera hominis non reddat meritoria præmii infiniti, Dei ſcilicet viſione beata poſſidendi.

Dices: Virtus ſecundùm ſtatum perfecta promptè & delectabiliter ſuas elicit operationes; charitas autem remiſſa & incipiens in eliciendis frequenter actibus non levem patitur difficultatem, præſertim in peccatore poſt inveteratam peccandi aſſuetudinem è cœno vitiorum reſurgente: Ergo in illo charitas non habet ſtatum virtutis ſimpliciter.

Reſpondeo difficultatem ab extrinſecis impedimentis ortam nequaquam perfectioni virtutis obeſſe, ſed illam ſolùm quæ ex imperfectione virtutis proficiſcitur. Aliàs S. Paulus qui ſentiebat aliam legem in membris ſuis repugnantem legi mentis, & cogentem clamare, Quis me liberabit de corpore mortis hujus? veras & perfectas virtutes non habuiſſet. Difficultas autem bene operandi, quam peccator de novo converſus poſt infuſam charitatem patitur, ab extrinſecis duntaxat impedimentis à peccato relictis, non ex defectu charitatis proficiſcitur: quia ut ait D. Thomas *3. p. q. 89. art. 1. ad 1.* quantum eſt ex ipſa inclinatione charitatis & aliarum virtutum, pœnitens opera virtutis delectabiliter & ſine difficultate operatur. Ergo charitas etiam remiſſa, non obſtante paſſionum impetu, non obſtantibus antiquæ corruptionis reliquiis, perfecta gaudet virtutis ratione. Præſertim quia per eam inſtruitur homo & valet inſurgentes paſſionum motus, quàmlibet tepidos & turbulentos compeſcere & ſedare, eoſque rationi ſubjicere.

Inſtabis: Vera virtus non facilè amittitur, ſed altis radicibus nixa ægrè evellitur: charitas autem remiſſa facilè deperditur, ut nimis conſtat: ergo non eſt ſimpliciter perfecta virtus, ſed infima, ſed tenera, ſed fragilis. Unde D. Thomas *1. 2. quæſt. 65. art. 1.* monet virtutes incipientium non eſſe ſimpliciter virtutes.

Reſpondeo charitatem, quantum eſt de ſe, difficillimè amitti, quia bono immobili Deo intimè agglutinat, & potens eſt omnem tentationem vincere, omnem paſſionum inſultum domare. Quare per accidens dumtaxat facilè amittitur, quia in vaſe fictili, in flexibili nimirum libero arbitrio recipitur. Ut enim dicitur 1. Joan. 3. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet; & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Quod intellige quantum eſt ex parte & inclinatione charitatis. D. autem Thomas loco citato loquitur de virtutibus moralibus, quæ in incipiente ſtatum perfectæ virtutis habere nequeunt, quia licèt diſponant hominem ut ſit bonus, eum tamen perfectè bonum non efficiunt, nec ultimo fini conjungunt, nec ad ſuperandas quaſcumque tentationes vires ſuppeditant. Quod ſanè de minima charitate dici nequit. Unde vir Dei Thomas à Kempis ait: *Qui ſcintillam haberet veræ charitatis, profectò ſentiret omnia terrena eſſe plena vanitatis.*

Quartum charitatis elogium: Charitas gratuitum Dei donum eſt.

Id eſt, charitas nullis præcedentibus actibus à ſolo Deo nobis infunditur, non ſecundùm capacitatem naturalis virtutis, ſed ex ſola voluntate Spiritus Sancti dona ſua prout vult dividentis. Ratio deſumitur ex articulo 2. & 3. quæſtionis 24. & ex dictis conſequitur: Charitas eſt amicitia cum Deo ſuper communicationem æternæ beatitudinis fundata. Ergo ſicut communicatio illa non eſt ſecundùm dona naturalia, ſed gratuita, juxta illud Rom. 6. *Gratia Dei vita æterna*: ita charitas omnem naturæ facultatem excedit, ſubindeque omnem vim cauſarum creatarum tranſcendit: atque adeo ſola mihi datur infuſione Spiritus Sancti, qui eſt amor Patris & Filii, juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Et licèt Deus quantum eſt beatitudinis objectum, ſit maximè amabilis, tamen propter ingenitum & peccato originali immenſùm auctum erga viſibilia & ſenſibilia bona affectum, ad erigendum corda noſtra in terram inflexa neceſſe eſt, quod illis divinitus charitas infundatur ſecundùm menſuram donationis Chriſti: ſi enim charitas non dependet ex aliqua naturali virtute, ſed ex ſola gratia Spiritus Sancti, ab ipſo etiam gradus & intenſio charitatis dimanat, cùm quantitas uniuſcujuſque rei à propria cauſa dependeat; unde videmus, quod univerſalior cauſa effectum majorem, & uberiùs producit. Cujus etiam arbitratiæ gratiæ & charitatis diſpenſationis ſignum eſt, quod naturæ omnium intellectualium infimæ, ſcilicet humanæ, & in ſpecie humana ſexui infirmiori, ſcilicet fœmineo in perſona Deiparæ majorem gratiam Deus quàm omnibus Angelis conferre dignatus eſt; quia dum inæqualiter confert quod nulli debet, nulli etiam injurius eſt.

Dices: His rationum momentis non poſſe charitatem actibus & viribus naturalibus produci convincitur, non tamen quòd non poſſit actibus ſupernaturalis dilectionis

dilectionis ex auxilio actuali procedentibus generari; quidni enim hujuscemodi actus sæpiùs iterati non poterunt producere habitum absque eo, quod speciali infusione opus sit?

Respondeo, actus præcedentes aliquem habitum non posse illum efficienter causare, nisi principium nobilius permanens præsupponatur, in cujus virtute, & à cujus virtute habitus generetur: unde habitus virtutum moralium non per solam iteratorum actuum assuetudinem, sed ex influxu rationis superioris in appetitu sensitivo producuntur. Similiter ergo actus supernaturales præcedentes charitatem, cùm non supponant principium nobilius permanens, à quo charitas habitualis talibus actibus generetur; sequitur hujusmodi actus se habere duntaxat ut dispositiones ad charitatis infusionem dono Spiritus sancti communicatas.

Instabis: Homo per actus suos vitales, fidei scilicet, spei, charitatis, contritionis ultimò se ad justificationem disponit: Ergo efficienter concurrit ad charitatem in justificatione collatam; hac enim sola de causa dicitur homo generare alium hominem, quia ad ultimam formæ dispositionem, qua posita infunditur anima rationalis, concurrit. Et licèt daretur hominem in prima justificatione charitate à Deo perfundi, ipso nihil effectivè concurrente: tamen productâ gratiâ & charitate, rationabile videtur, ut ipse per frequentatos charitatis actus possit præexistentem habitum augere, sicut acquisitam, vel etiam infusam scientiam iteratis actibus intendere, & extendere valet. Quemadmodum enim licèt animal seipsum generare non possit, genitum tamen seipsum auget per potentias à natura institutas: sic homo in ordine supernaturali ex Deo natus, factusque nova creatura, seipsum in eodem ordine Deo dante juvare poterit: aliàs actus supernaturales deterioris conditionis, minorisque essent efficaciæ, quàm sint naturales virtutum moralium actus, quorum repetitione habitus augetur. Certè sicut licèt ante justificationem non possimus charitatem actibus naturalibus quàmlibet bonis & honestis promereri, quia ad meritum requiritur gratia personam gratam faciens; tamen post gratiæ, charitatisque infusionem potest justus charitatis augmentum mereri: quidni similiter poterit esse causa realis augmenti illius per actus reales supernaturales, quos ex habitu charitatis semel infuso producit? Unde disparitas?

Respondeo, actus præcedentes charitatem non posse illam producere defectu principii nobilioris permanentis; unde etiam fit, non posse hominem charitate præditum efficienter ejus augmentum producere, quia ut homo per habitum infusum posset ipsius augmentum efficere, præhabere deberet formam nobiliorem, qua constitueretur in actu, fieretque principium potens & proportionatum ad productionem habitus intensioris: patet autem quod antequam intendatur charitas, non habet homo formam charitate producenda nobiliorem & excellentiorem, siquidem in augmento perficitur charitas quam habet: ergo ante augmentum nec perfectius, nec æquale principium habet, cùm tamen omnis causa, sin perfectior, certè æqualis in perfectione effectui esse debeat.

Ad argumentum ergo dicendum, actus supernaturales justificationem præcedentes posse considerari vel ut sunt à nobis, vel ut elevantur à Deo per auxilium suum supernaturaliter movente: priori modo non sunt dispositiones ad gratiam & charitatem, sed tantùm posteriori, quatenus per eos intendit Deus assimilare sibi filios adoptionis per gratiam & charitatem à se per hujusmodi actuum apparatum producibilem. Porrò in omnibus illis adductis exemplis discrimen grande reperitur. Homo enim per habitum primorum principiorum sufficienter in actu constituitur, ut possit habitum scientiæ producere: animal etiam satis, superque facultatibus naturalibus instruitur, ut possit sui augmentum efficere: At verò in ordine supernaturali homo ante charitatem non habet principium permanens productionis illius, nec post infusam charitatem habet principium æquale augmento. Unde etiam confutatur exemplum de merito, quod fundatur in beneplacito Dei, qui misericorditer voluit, ut actus à charitate profluentes & augmentum gratiæ, & præmium gloriæ promererentur, cujus signum est, quod hujusmodi actus in patria nihil merentur. Nec sequitur, actus supernaturales charitatis esse deterioris conditionis, vel minoris efficaciæ, quàm sint actus naturales; tum quia, ut docet D. Thomas *q.17. de verit. art. 1. ad 4.* ex iteratis actibus charitatis producitur aliquid naturale per modum habitus inclinans in similes actus, ut patet in eo qui postea incidit in peccatum mortale: talis enim amissa charitate quandam in actus dilectionis eliciendos pronitatem experitur. Tum quia licèt nihil ex hujusmodi actibus produceretur, inde non imperfectio hujusmodi actuum colligi deberet, sed summa & ferè infinita perfectio charitatis, quæ omnem creaturæ cujusvis potestatem excedens, à solo Deo produci potest.

Dices secundò: in Concilio Trid. *sess. 6. c. 7.* dicitur, quod verè justi nominamur & sumus, justitiam in nobis recipientes, unusquisque secundùm mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem. Idem docet D. Thomas *in 1. dist. 17. q. 1. art. 3.* ubi dimetitur charitatem secundùm conatum recipientium. Et *3. part. q. 89. art. 2.* docet formas, quæ possunt recipere crementum, magis & minùs intendi & remitti secundùm diversam dispositionem subjecti: & secundùm quod motus liberi arbitrii est intensior, vel remissior, pœnitentem majorem, vel minorem consequi gratiam. Ergo quantitas charitatis non ex solo Spiritus sancti arbitrio, sed etiam ex recipientis dispositione pensanda est.

Respondeo, causam charitatis, ejusque quantitatis sive intensionis, esse duplicem, unam simpliciter, alteram ex suppositione. Causa simpliciter est divina virtus, dividens singulis prout vult; causa verò ex suppositione est conatus liberi arbitrii non merè naturalis, sed ab auxilio Dei moventis excitatus. Quia igitur ipsemet liberi arbitrii se disponentis conatus ab ipsa gratia efficaciter movente proficiscitur; ideo D. Thomas aliquando quantitatem gratiæ ex sola causa simpliciter, interdum ex causa & suppositione mensus est. Unde cùm charitatem, ejusque intensionem ex Dei solùm voluntate pendere affirmavit, per ly *solùm*, purè naturalem causam & vires liberi arbitrii à Deo supernaturaliter movente non disposita duntaxat exclusit. Hanc esse genuinam S. Doctoris mentem ex solutione ad 5. liquet: ibi enim exponens illud Matth. 16. *Dedit unicuique secundùm propriam virtutem*; ait quod illa virtus, secundùm quam Deus sua dona dat unicuique, est dispositio, vel præparatio præcedens, sive comitans gratiam accipientis: sed hanc dispositionem, vel conatum prævenit Spiritus sanctus movens mentem hominis plus vel minùs secundùm suam voluntatem; unde & Apostolus dicit Coloss. 1. *Qui dignos nos facit in partem sortis Sanctorum in lumine.* Et ita exponendum esse Tridentini locum citatum constat, & in materia de gratia apparebit.

Instabis: Valde connaturale & congruum videtur,

ut charitas, ejusque quantitas non solùm ex voluntate vel motione Dei pensetur, sed etiam dispositioni agentis respondeat & attemperetur : id enim videtur ordini consueto universi magis consonum ; unde etiam docent Thomistæ, quod perfectior anima rationalis in perfectiorem, meliusque dispositam materiam infunditur : & D. ipse Thom. 1. *p. q.* 62. docet in Angelis gratiam, charitatem, aliaque dona gratuita secundùm capacitatem naturalem fuisse collata, & quod in creatione Angelorum fuit illis data gratia, & simul conatus liberi arbitrii permotus, qui est ultima dispositio ad illam. Quod idem docet de Adamo *quæst.* 95. *art.* 1. *ad* 5. & de Christo Domino 3. *p. quæst.* 34. *art.* 2. Ergo similiter secundùm majorem vel minorem virium liberi arbitrii conatum homines plus vel minùs de gratia accipiunt.

Respondeo tunc solùm formas dispositioni subjecti coaptari, quando dicunt ordinem connaturalem ad subjectum, vel subjectum naturalem earum exigentiam habet, ut in formis ordinis merè naturalis contingit. Cæterùm si forma producta sit superioris ordinis, qualis est charitas & gratia, quibus ad ordinem divinum provehimur, tunc sicut forma est præter omnem naturæ exigentiam, & in sola potentia obedientiali recipitur ; ita nullum petit naturalis dispositionis apparatum.

Ad instantiam de Angelis respondet D. Thomas *art.* 3. *ad* 3. quod Angelus est intellectualis naturæ, & secundùm suam conditionem competit ei, ut totaliter feratur in omne id, in quod fertur : & ideo in superioribus Angelis fuit major conatus, ad bonum quidem in perseverantibus, & ad malum in cadentibus. Et ideo superiorum Angelorum persistentes facti sunt meliores, & cadentes facti sunt pejores aliis. Sed homo est naturæ rationalis, cui competit esse quandoque in potentia, quandoque in actu, & ideo non oportet quod feratur totaliter in id, in quod fertur, sed ejus qui habet meliora naturalia potest esse minor conatus, & è converso. Unde non est simile. Quorum verborum sensus non est, ipsa bona naturalia fuisse dispositiones ad gratiam ex meritis subjecti, sed ex gratuita & suavi Dei providentia, quæ voluit ut sicut gratia perficit naturam, ita & ut naturali proportioni & perfectioni responderet, & quod liberi arbitrii à Deo moti & excitati infusionem gratia præcederet, aut comitaretur. Vide si quæ aliàs diximus de gratia Angelorum.

Quintum charitatis elogium : Effusio, seu extensio charitatis ad diversa objecta.

Non solùm Deum diligit charitas, sed cùm sit imago divinæ bonitatis & expressio voluntatis, cætera vasto suo sinu complectitur, & in quandam veluti infinitatem extensa, nihil est quod se abscondat à calore ejus. In primis à Deo in proximum diffunditur, ut in imagine prototypum diligat, in creaturis Creatorem. Certè sicut divina bonitas non permisit Deum manere sine germine, sed post effusam ad intra duplici processione Deitatem, ad extra etiam creatione inundavit ; ita charitas uni necessario primùm adhærens, eóque tendens unde effluxit, in proximum deinde diffluit, ut ipsum ad Deum pertrahat, cui ipsa unita est. Quamvis enim quæcumque charitas etiam infima, sic tota feratur in Deum, ut nihil Deo æquet, illum omnibus anteponat, illi si non semper, saltem sæpe vacet, impedimenta sacratissimæ cum Deo unionis diligentissimè removeat ; nihilominus otium illud sanctum charitas negotiis sanctis si non rumpit, interrumpit, & Deum deserit, ut proximi utilitatibus studeat propter Deum, eumque ad Deum, quem diligit, secum trahat. Etenim ex intima cum Deo ultimo fine & summo bono adhæsione vim sortitur aliis charitas effundendi bona sua, bonum quippe est sui diffusivum ; & quia servire Deo regnare est, dum se omnium Rectori subjicit, jus alios Deo subjiciendi consequitur & meretur. Nam ut ait Magnus Gregor. *Charitas ad cuncta virtutum facta dilatatur. A duobus præceptis incipit, sed se ad innumera extendit.* Et in Pastorali: *Tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cùm ad ima proximorum se misericorditer attrahit ; & quæ benignè descendit ad infima, valenter incurrit ad summa.* Infinitatem Dei imitatur charitas, dum omnibus omnia fit, infirma cum debilibus, mœsta cum tristibus, alios erigens, ad alios se inclinans ; aliis blanda, aliis severa ; nulli inimica, omnibus effusa. *Semper enim habet unde det*, inquit August. in Psalmum 36. *cui plenum est pectus charitatis.* Nec illa ad proximum diffusione minuitur amor Dei, sed mirum in modum accenditur, & fovetur. Nam ut alicubi ait Magnus Gregor. *Per amorem Dei amor proximi gignitur, & per amorem proximi amor Dei nutritur. Nam qui amare proximum negligit, profectò Deum diligere nescit. Amor Dei amorem proximi generat, & amorem proximi calefacit amor Dei.*

Secundò nedum ad justos, sed ad peccatores etiam viscera se charitatis extendunt : charitas namque peccatorum diligit naturam, ratione cujus sunt capaces beatitudinis, super cujus communicatione charitas fundata est. Peccatoris tamen culpam detestatur charitas, quia sic peccator Deo odio & execrationi est, & sibi ipsi impedimento quominus beatitudinem consequatur. Porrò circa modum dilectionis eorum notat S. Doctor *art.* 6. *ad* 2. quod amicis peccantibus non sunt subtrahenda amicitiæ beneficia, quousque non habeatur spes sanationis eorum, sed magis est eis auxilium dandum ad recuperationem virtutis : sed quando in maximam malitiam incidunt & insanabiles fiunt, tunc non est eis amicitiæ familiaritas exhibenda, hoc enim exigit perfectum peccatoris odium quo prosequimur peccantes, quos simul ex charitate diligimus, non volentes quod ipsi volunt, vel gaudentes de his, de quibus ipsi gaudent ; sed ut faciamus eos velle quod volumus, & gaudere de his bonis de quibus gaudemus. Unde etiam ex amore eorum cum ipsis convivimus, ut eos convertamus. Sic enim Dominus cum peccatoribus manducabat, & bibebat. Nec eorum societas cavenda est, nisi quantum ad consortium peccati, vel propter periculum subversionis, quod infirmis semper imminet, vel cùm Ecclesia per excommunicationem nobis eorum convictu interdicit.

Quomodo autem intelligendæ sunt imprecationes quas frequenter scriptura adversum peccatores ingeminat, explicat S. Doctor *ad* 3. Uno modo ut intelligantur per modum prænuntiationis, non per modum optationis, ut cùm dicitur Psalm. 9. *Convertantur peccatores in infernum*, sensus est, convertentur peccatores in infernum. Alio modo per modum optationis, ita tamen ut desiderium optantis non referatur ad pœnam hominum, sed ad justitiam punientis, secundùm illud Psalm. 57. *Lætabitur justus cùm viderit vindictam.* Tertiò demùm ut desiderium referatur ad remotionem culpæ, non ad ipsam pœnam, ut scilicet peccata destruantur, & homines remaneant. Et hoc præcipuè intendit charitas, quæ more Dei, non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. Unde præclarè Bernardus in quadam epist. *O bona mater charitas, quæ sive foveat infirmos,*

sive

sive exerceat provectos, sive arguat inquietos, diversis diversa exhibens, sicut filios diligit universos. Cùm te arguit, mitis; cùm blanditur, simplex est: piè solet sævire, sine dolore mulcere; patienter novit irasci, humiliter indignari.

Tertiò ad inimicos etiam protenditur virtus charitatis. Ad cujus evidentiam advertendum est cum D.Thoma *art.*8. dilectionem inimicorum tripliciter posse considerari. Primò, ut inimicus, & in quantum inimicus est, diligatur: secundò ut inimicus in quantum homo est, & beatitudinis capax, ametur: tertiò ut speciali amore diligatur. De primo non potest esse controversia, enim diligere inimicos ut tales perversum sit & charitati repugnans, cùm hoc esset diligere malum alterius: repugnat etiam legi naturali id amare quod sibi contrarium, & in quantum contrarium est: inimici autem quà tales, nobis contrarii sunt; unde hoc in eis odisse debemus. De tertio etiam non est difficultas; si enim non tenemur omnibus promiscuè hominibus etiam non infensis specialia amoris indicia exhibere, multò minùs inimicis; sed illud ad perfectionem charitatis pertinet, quâ quis nedum non vult vinci à malo, sed etiam vult vincere in bono malum; nec solùm cavet vindictam sumere de inimico, sed etiam studet illius amorem flectere, & beneficiis demereri. V. g. non tenetur quis hostem transeuntem salutare, & singularis honorificentiæ signo venerari, nisi fortè vel ipse salutet, vel oriatur inde scandalum, aut inimicitiæ & rixarum occasio; sed tamen Christianus charitate fervidius inimicum honore prævenit, & si opus fuerit, amplexatur, osculatur. Cæterùm in secundo sensu nullus Christianus dubitat, quin eos ut homines sunt, & beatitudinis capaces, diligere teneamur. Ita enim expressè determinatur Matth.5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros.* Illud autem mandatum omnibus omninò imponi patet ex eo, quod Veritas subdit: *Ut sitis*, inquit, *filij Patris vestri.* Unde sicut nemo salutem sperare quit, nisi sit filius Patris Cœlestis, qui bonis & malis benefacere non desinit: ita nisi inimicos sincera dilectione prosequatur, eis de corde puro & optimo parcat, esurientes cibet, sitientes potet, aliasve Christianæ charitatis significationes in articulo necessitatis exhibeat. Quod sanè præceptum crebrò Salvator, crebrò ejus discipuli inculcaverunt, ut esset veluti tessera Christianismi. Nam ut Tertull. *ad Scap. cap.1.* ait: *Hæc perfecta, & propria bonitas nostra, non communis: amicos diligere, omnium est: inimicos, solorum Christianorum.* Illud mandatum à se impositum mirè Christus implevit, dum moriens in cruce pro crucifixoribus mortem inferentibus oravit, pro illisque obtulit sanguinem, quem crudeles fundebant, ut Crux Christi non tam pendentis patibulum foret, quàm cathedra docentis, exemplumque daret nobis, ut quemadmodum ille fecit, ita & nos faciamus. *Non dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus*, inquit August. *tract.*52. *in Ioan.* Nec expectavit mortem, ut inimicis benefaceret, qui propter inimicorum peccatorum salutem in mundum venit, qui nec peccatricem lacrymantem, nec Chananæam supplicantem, nec in adulterio deprehensam, nec in telonio sedentem, nec publicanum supplicantem, nec discipulum negantem, nec Saulum minarum & cædis spirantem sprevit; qui Malchi alapam auriculæ præcisæ restitutione vindicavit, proditorem amicum vocavit, ipsique donasset veniam, si voluisset expectare misericordiam. In odorem horum Christi unguentorum curre, Lector, sicut Sancti cucurrerunt. Imitare Stephanum, qui non tantùm pro Deo, sed ut Deus moriturus, non statui lapidantibus peccatum, positis genibus rogavit, quê pro se stans rogaverat; & nullam frementium hostium sævitiam formidans, dum lapidantium ictibus corpus devictum succubuit, *per charitatem Dei servientibus Iudæis non cessit, & per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit*, ut S.Fulgentius ait. Imitare Theodosium, qui ut refert Ambrosius de obitu Theudos. *Beneficium se putabat accepisse, cùm rogaretur ignoscere; & tunc propior erat veniæ, cùm fuisset commotio major iracundiæ; & optabatur in eo, quod timetur in aliis, ut irasceretur.* Tu ergo similiter tam liberaliter omnem dona injuriam, ut inimicum nec punias ulciscendo, nec confundas improperando, quia fidens pro peccatis tuis veniam petes, si in te peccantibus libenter ignoscere non detrectaveris. *Homo sine peccato esse non potes*, inquit Chrysologus serm. 67. *& qui vis semper tibi dimitti, dimitte semper; quantum vis dimitti tibi, tantum dimitte. Quoties vis dimitti tibi, toties tu dimitte; imò quia vis totum dimitti tibi, totum dimitte. Homo intellige, quod remittendo alij, veniam tibi tu ipse dedisti.*

Quæres, utrum homines, tum in lege naturæ, cùm in lege scripta à Mose inimicos diligere tenerentur?

Respondeo affirmanter: & primò quidem præceptum illud esse naturale, satis superque patet ex illo principio signato super nos lumine vultus divini: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Nullus autem vult odio haberi, nullus sibi malum pro malo reddi, nisi judicium occæcatum, vel voluntatem vitiis habeat corruptam: Ergo nullus alium odio habere, nullus malum pro malo reddere debet. Nec obest quod aliquando Patres dicant, amorem inimicorum esse opus perfectionis christianæ, subindicantes amorem illum non à lege naturali, sed ab Evangelio nobis imponi. Non obest, inquam: tum quia Patres sic loquuti sermonem habent de specialis amoris significatione, qua inimicos mollire satagimus, & malum in bono vincere, ac carbones dilectionis super caput eorum ponere studemus; quæ quidem effusio charitatis non lege naturæ præcipitur, sed Evangelica perfectione suadetur. Tum quia ad servandum legis illius naturalis mandatum, ad tolerandos patienter inimici impetus, ad par pari non referendum, opus est gratia, & perfectione christiana non ulciscente injurias, quia qui perfectioni christianæ operam non dederit, inultam non relinquet injuriam, paremque reponet, vel majorem.

Dices: Unaquæque res naturaliter suum contrarium odit, & ipsum destruere nititur quantum potest, ut aqua ignem: ergo non est contra legem naturalem odisse inimicum, sicut non est contra, sed juxta naturam ovis lupum odio prosequi.

Respondeo in primis, magnum interesse discrimen inter inanimata & irrationalia ex una parte, & creaturas rationales ex alia; in illis enim, utpote ratione carentibus, non inest cognitio & amor honestatis, nec adest dictamen illud, Quod tibi fieri non vis, alteri ne facias, sed est mera & cæca in proprium bonum propensio, & proprii mali fuga; unde bruta nihil nisi quod delectat & prodest, amant; quidquid verò nocet, toto impetu sine discretione odio persequuntur. At creaturæ rationales & ratione diriguntur, & honestate alliciuntur: unde in hostibus malitiam discernunt à natura, & quanvis eis displiceat quod inimici sunt, amant tamen quod homines sunt, Dei filii, æternitatis capaces, sub qua ratione non sunt hostes, sed fratres.

Quantum verò ad legem scriptam, opinatus est Maldonatus, legem veterem jussisse inimicos non solùm odio

odio habere, sed etiam delere, illis fretus verbis Salvatoris, Matth. 5. *Audistis quia dictum est antiquis: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.* Quibus verbis satis apertè significatur, Deum in veteri lege odium inimicorum præcepisse. Verùm hæc sententia (errorem veriùs dixerim) divinæ legis immaculatæ, convertentisque animas sanctimoniæ injuria est. Illam porrò confutat S. Thomas *in 3. dist. 31. quæst. 1. art. 1.* ex illo Levitici 18. *Non quæras ultionem, nec memineris injuriæ civium tuorum. In veteri lege*, inquit ibi S. Doctor ad 2. *etiam homines tenebantur ad dilectionem inimicorum, sicut patet per authoritatem Levitici inductam. Unde quod dicitur: Odio habebis inimicum tuum, non est ex lege sumptum, quia nusquam hoc in litera invenitur; sed est additum ex prava interpretatione Judæorum, qui ex eo, quod præcipiebatur dilectio proximi, concludebant quod inimici erant odiendi.* Idem docet 1. 2. *quæst. 107. art. 2. ad 2.* ibi: *Circa odium inimicorum removit Christus falsum Pharisæorum intellectum, nos monens ut persona non odio habeatur, sed culpa.*

Ex quibus manifestissimè claret, quàm immeritò præfatus Maldonatus scripserit, Christum in verbis relatis non Scribarum & Pharisæorum traditiones, pravasque legis divinæ interpretationes, sed legem ipsam correxisse, nostramque verborum Christi explicationem ex hæreticorum officina esse deprompttam. Quis ferat æquis auribus & pacato animo motosi recentioris atrocem censuram, qua nedum legem veterem inhonorat, sed & expositionem D. Thomæ ab hæreticis mutuatam infrunitè effutit? Audin' Petre à Valleclausa, quis Syriacorum tale, vel tantum sputciloquium protulit unquam. Soline Syriaci sunt erga sacra & Sanctos irreverentes? Scilicet, scilicet? Sed ut ad rem redeamus, ut manifestè liqueat expositionem verborum Christi adductam non ab hæreticis, sed à Sanctis esse derivatam, placet adducere verba Augustini *lib. 18. contra Faustum, cap. 24.* & sunt hæc: *Non est contrarium quod in antiqua Scriptura dictum est, Oderis inimicum tuum; & in Evangelio, Diligite inimicos vestros: quia unusquisque iniquus homo in quantum iniquus est, odio habendus est, in quantum autem homo diligendus. Audito igitur & non intellecto quod antiquis dictum erat, Oderis inimicum tuum, ferebantur homines in hominis odium, cùm deberent non odisse nisi vitium. Hos corrigit Dominus dicendo: Diligite inimicos vestros; ut qui jam dixerat, Non veni legem solvere, sed adimplere. Ideoque de odio inimici quod scriptum est in lege, non solverat, præcipiendo utique ut diligamus inimicos; sed cogebat nos intelligere quod possumus unum, eundemque hominem & odisse propter culpam, & diligere propter naturam.* Sentit ergo Augustinus Christum non legem correxisse, sed depravantes adulteratorum Pharisæorum interpretationes. Et sic intelligendi sunt alii Patres, quorum longum syllabum refert præfatus Maldonatus; nullus enim eorum vult Christum legem correxisse, sed eam vel duntaxat explicuisse, vel consilia superaddidisse, vel pravam Scribarum, Pharisæorumque intelligentiam sustulisse.

Potest etiam veritas nostræ sententiæ aliis veteris paginæ testimoniis confirmari. Dicitur enim Exodi 23. *Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum: & si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo.* Quis credat Deum has exiguas officiorum minutias in favorem inimici præcepisse, & simul odium personæ statuisse? Pluris-ne est apud Deum bos errans, aut asinus lassus homine sui imagine & creaturarum principe? Sed clariùs adhuc Proverb. 24. *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum.* Et cap. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.* Ex quo loco desumpsit Magnus Apostolus id quod *Rom. 12.* tam magnificè, & ferè totidem verbis prædicat. Ecclesiastici 28. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam.* Cui succinit illud Deuteron. 32. *Mea est ultio, & ego retribuam.* Denique omissis aliis locis, Job 31. dicitur: *Quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum, si gavisus sum ad ruinam ejus qui me oderat, & exultavi quòd invenisset eum malum: non enim dedi ad peccandum guttur meum, ut expeterem maledicens animam ejus.* Quibus verbis effugium Maldonati aientis prohiberi solùm Judæis inimicitias gerere cum confratribus legem Mosis profitentibus; hoc, inquam, effugium evanescit: adductis enim testimoniis indiscriminatim & absque ulla gentis distinctione inimicorum odium apertissimè prohibetur.

Dices: Locus ille, *Dictum est antiquis, Odio habebis inimicum tuum*, non potest ita exponi, ut dictum sit à Scribis & Pharisæis: tum quia Scribæ & Pharisæi non fuerunt antiqui, sed proximè ante Christi adventum, asserente D. Hieronymo Samaï & Hallo, ex quibus orti sunt Scribæ & Pharisæi, non multò ante Christi nativitatem ortos esse in Judæa. Tum quia Christus ibidem, *Matthæi 5.* multa corrigit, quæ constat non fuisse à Pharisæis adulterata, sed in lege expressa, quale est illud Deuteronomii 24. *Quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii*; quod tamen Christus corrigit. Tum quia si à Pharisæis inducta fuisset talis legum corruptio, non erubuisset Christus eos propriis nominibus indigitare, cùm patenter cavere à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, prædicaret, eis multiplex væ intentaret, anathematis pœna eos percelleret, & diris omnibus ob infanda ipsorum facinora devoveret.

Respondeo ex dictis, duplici solutione has omnes instantias confutari. Primò enim cum D. Augustino, gratis concedi, vel potiùs permitti potest, dictum illud à Christo correctum in scriptura aliqua haberi, sed juxta sensum scripturæ & legis, de odio inimici reduplicativè ut inimici & iniqui intelligi illud verbum, tametsi ab antiquis in pravum sensum detortum. Secundò cum Sancto Thoma sustineri potest, nusquam verbum illud in Scriptura Canonica scriptum inveniri, sed prava Judæorum corruptela fuisse adauctum. Contra priorem solutionem instantiæ adductæ nihil urgent; quatenus verò militare videntur contra posteriorem, dicendum ad primam, quidquid sit an Scribæ & Pharisæi essent valde antiqui, de quo varii variè sentiunt, nihil vetare, per antiquos intelligi Judæos antiquiores, Scripturarum perversa interpretatione inimicorum odium præcipientes, quorum traditiones apud Scribas & Pharisæos vel vigebant planè, vel obsoletæ suscitabantur.

Ad 2. dico Christum nullatenus fuisse legi adversum, quando uxorem non esse dimittendam mandavit. *Præcepta Domini* (inquit post D. Augustinum S. Thomas 1. 2. *quæst. 107. art. 2. ad 2.*) *non sunt contraria præceptis legis. Quod enim Dominus præcepit de uxore non dimittenda, non est contrarium ei quod lex præcepit; neque enim ait lex: Qui voluerit, dimittat uxorem; cui esset contrarium non dimittere: sed utique nolebat uxorem dimitti à viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus præceps libelli conscriptione*

refractus

refractus absisteret. Unde Dominus ad confirmandum, ut non facilè uxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit. Quare Christus etiam hanc legem non correxit, sed Judæorum errorem existimantium dimissionem uxoris cum libello repudii, ob quamcunque vel levissimam causam pro hominum arbitratu fieri posse.

Dices iterum: Deuteronomii 25. præcipitur Israëlitis, ut injuriam ab Amalecitis illatam quamprimùm ulciscerentur, eosque usque ad internecionem delerent. *Delebis*, inquit sacer textus, *nomen ejus sub cœlo, cave ne obliviscaris.* Ergo odium inimicorum, de eisque vindicta lege veteri præcipiebatur.

Respondeo ibi præcipi Israëlitis, ut injuriam Deo, populoque sancto irrogatam, non privata authoritate, sed publici belli jure vindicarent. Exterminium autem hostium justo bello, & præsertim Deo, qui est Dominus vitæ & necis, imperante, non solùm non est licitum, sed justum & honestum. Sed hæc satis de dilectione inimicorum, ad quam non tam rationum momenta, quàm Christi exempla compellunt. *Quis enim appetens* (inquit Ambros. *lib. 2. de fide, c. 5.*) *non discat ignoscere, quando pro persequntoribus Christus, & crucifixoribus orabat?* Argumentis ex omni lege petitis non moveare, per me licet; sed quod cordis tibi quamlibet adamantinam duritiem non emolliat Christi morientis sanguis, & suavissimus extremorum ejus verborum sonus, vix credam, multò minùs feram. *Pater ignosce illis.* Id est, Pater, si me amas, si me filium agnoscis, si paterna misericordiæ viscera sint, ignosce illis. Post illud exemplum vindictam sume, si audas. Divinè Augustinus sermone 223. de temp. *Quid vis? Vindicari? Vide pendentem, & tibi de ligno tanquam de tribunali præcipientem. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamentum facientem. Vide pendentem, si vindicari vis. Vide pendentem, audi precantem: Pater ignosce illis.*

Quartò ad ipsam charitatem se extendit charitas, tametsi non per se primò: nam de ratione amoris est quod possit supra seipsum reflecti; tum quia est liber & spontaneus motus amantis ad amatum, unde ex hoc ipso, quod aliquis amat, se amare amat: tum quia hoc habet ratione suæ potentiæ & facultatis, scilicet voluntatis, cujus objectum cùm sit bonum universale, quidquid potest cadere sub rationem boni, potest etiam sub actum voluntatis cadere; & quia velle est quoddam bonum, potest voluntas velle se velle. Tum demùm, quia charitas non est simpliciter amor, sed amicitia, per quam aliquid amatur dupliciter: primò ut amicus, cui bonum volumus; secundò ut bonum, quod ipsi volumus: & hoc modo charitas per charitatem amatur, cùm sit bonorum maximum, quod iis quos ex charitate diligimus, optare possumus; est enim communicatio spiritalis vitæ, per quam ad beatitudinem pervenitur. Quod diximus de charitate, posse nimirum ex charitate diligi tanquam bonum amico optatum, de creaturis irrationalibus proportione servata dici potest; eas enim amico velle possumus, eas etiam ad honorem Dei, & utilitatem proximi conservare. Cæterùm cum illis nulla charitatis amicitia iniri potest, quippe quæ tota super communicatione beatitudinis æternæ, cujus creaturæ irrationales incapaces sunt, fundatur.

Quintò ad proprium subjectum se charitas extendit. Potest enim homo seipsum ex charitate diligere secundùm propriam rationem charitatis, prout est amicitia hominis ad Deum principaliter, & ex consequenti ad ea quæ sunt Dei, inter quæ etiam est ipse homo charitatem habens. Unde tunc homo solùm se ex charitate diligit, cùm Deum in se diligit. Nam cæteroquin secum amicitiam strictam, quæ necessariò est ad alterum redamantem, habere nequit: unicuique autem ad seipsum non est unio & redamatio, sed unitas & identitas: unde circa nos ipsos non est propriè amicitia, sed aliquid majus; sicut de principiis non habetur scientia, sed aliquid altius, scilicet intelligentia.

Ob eandem rationem potest homo diligere corpus suum, non quidem secundùm infectionem culpæ & corruptionem pœnæ, sub qua ratione ab eo separari optandum esset cum Apostolo dicente: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Et iterum: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Sed potest diligi corpus secundùm naturam ejus, prout eo ad obsequium Dei uti possumus. Præsertim quia corpus sicut laborum & pœnitentiæ socius est; ita & beatitudinis particeps futurum est, gloriâ animæ in corpus redundaturâ. Maximè quia opera & officia pietatis, quæ per corpus gerimus, in Dei gloriam, ejusque obtinendam fruitionem referre possumus & debemus. Et licèt corpus non possit redamare, amatur tamen non solùm amore benevolentiæ, sed etiam amicitiæ, quia est aliquid pertinens ad amicum, nempe Deum, propter quem corpus diligimus. Et hoc usque adeo verum est, ut sine charitate nec animam nostram, nec corpus nostrum verè diligamus. Unde præclarè ostendit S. Thomas *q. 25. art. 7.* peccatores non diligere seipsos, *quia mali principale æstimant in seipsis naturam sensitivam & corporalem: unde non rectè cognoscentes seipsos, non verè diligunt seipsos, sed diligunt id quod seipsos esse reputant.*

Quod etiam confirmari potest ex quinque amicitiæ notis, quas tradit Philosophus *9. Ethic.* amicus enim vult primò amicum suum esse & vivere: mali autem nolunt vivere vita rationali & christiana, nec volunt in integritate interioris hominis conservari. Secundò amicus vult amico bona: mali autem spiritualia bona, quæ sola boni nomine digna sunt, non concupiscunt. Tertiò amicus operatur bona ad amicum, quia verus amor non est tantùm affectivus, sed effectivus: mali autem nulla spiritalia bona, quæ sola sibi ad salutem conferunt, student operari. Quartò amicus amico delectabiliter convivit: mali autem nullatenus secum convivere delectantur, quia dum redeunt ad cor, ibi mala præsentia, præterita, & futura, à quibus abhorrent, inveniunt. Quintò amicus cum amico concordat, de bonis ejus congaudens, mœrores ejus ipse percipiens: mali autem sibi ipsis consentire nequeunt, propter continuos excedentia conscientiæ remorsus, secundùm illam à Propheta intentatam minam: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Ergo mali non se diligunt, nec est in eis vera dilectio, sed apparens: amor etiam naturalis, licèt non totaliter tollatur ab eis, in illis tamen pervertitur, & illud Davidicum impletur: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.* Soli ergo boni diligunt se, quia & interiorem hominem studiosè conservant in æternum, & bonis officiis insudant votis & operibus, & bonæ conscientiæ veluti paradiso anticipato, & jugi convivio perfruuntur; quia ibi piarum cogitationum præsens solatium, & præteritorum beneficiorum suavem memoriam, & spem futurorum bonorum, ex quibus delectatio causatur, indeficienter inveniunt. Denique nullam in seipsis voluntatis dissensionem patiuntur, quia tota eorum anima in unum tendit, ut una uni Deo unicè hæreat, ubi solida pax invenitur.

Denique ad Angelos etiam se extendit charitas, amicitia quippe charitatis fundatur super communicatione beatitudinis æternæ, cujus homines non minùs quàm Angeli participes sunt: unde *Matth. 22.* dicitur, quod in resurrectione erunt homines sicut

Angeli Dei. Unde beati Angeli nobiſcum convivere, quod amicorum proprium eſt, nequaquam dedignantur, ſed amant & lætantur; unde orantibus adſtant, offeruntque Deo vota & preces hominum, ſi ſine deceptione levari puras manus proſpexerint. Adſunt, ut aliàs ex Bernardo didicimus, non modò præſentes nobiſcum, ſed etiam pro nobis; adſunt, ut protegant; adſunt, ut proſint. Ergo ſimus devoti, ſimus grati tantis cuſtodibus; redamemus eos quantum poſſumus, quantum debemus: eos, inquam, futuros aliquando rerum cohæredes, actores interim & tutores à Patre poſitos & præpoſitos, & amatores noſtros. Væ autem nobis, ſiquando peccatis noſtris provocati indignos nos judicaverint præſentia & viſitatione ſua, quæ & protegere nos, & mala propulſare poterat.

Sextum elogium: Ordo Charitatis.

Vidimus ad quæ extendat ſe charitatis effuſio, quæ ſicut ignis contineri, & intra cordis ſecreta intercludi nequaquam poteſt: jam operæ pretium eſt videamus quem illa ordinem ſervet; neque enim dubitandum eſt, quin in his quæ charitas diligit, ordinem ſervet virtus illa, quæ mater eſt pacis, pax autem eſt tranquillitas ordinis. Et ratio eſt, quia ordo attendendus eſt ſecundùm relationem ad aliquod principium; eo enim ipſo quod aliquid habet rationem principii alterius, conſtituitur ordo inter principium, & illud quod ab eo procedit: charitas autem maximè importat comparationem & ordinem ad primum principium, cùm tendat in principium beatitudinis, in cujus communicatione amicitia charitatis fundatur: beatitudo autem & finis ultimus, in quem tendit charitas, habet rationem principii in appetibilibus & agendis: ergo in his quæ ex charitate diliguntur, ſervare quemdam ordinem neceſſe eſt, id eſt magis vel minùs diligendi ſunt pro majori vel minori habitudine, quam ad Deum referunt. Unde ſacra Sponſa dicebat Cant. 2. *Introduxit me Rex in cellam vinariam, ordinavit in me charitatem.*

In prima certum eſt, Deum eſſe magis & principaliùs proximo diligendum. Amicitia enim reſpicit principaliter id, in quo præcipuè invenitur illud bonum, ſuper cujus communicatione fundatur: amicitia autem charitatis fundatur ſuper communicatione beatitudinis, quæ in Deo ſicut in fonte invenitur, unde in alios derivatur. Neceſſe eſt enim ut eo majori impetu feratur charitas unde effluxit; & ſicut vis inſita ſurſum movet aquam ab alto manantem, eamque urget donec eam eò provexerit unde delapſa eſt: ſic charitas quaſi fons aquæ ſalientis in vitam æternam ex divinæ naturæ conſortio ad Deum jugiter ciet, nec quieſcit facet motus, donec in eo quieſcat unde proceſſit. Hinc eſt, quod ad unum Deum anhelat, illum unum neceſſarium quærit, in eo proſequendo tota eſt, nec aliud curat niſi Deum. Magdalenam, quæ optimam partem elegit, imitatur, uni Deo vacans, uni inhians, & totum ab uno Deo hauriens, quod illi inſtar eſt omnium.

Dices: Similitudo eſt radix & origo amicitiæ: ſed major eſt ſimilitudo hominis ad proximum quàm ad Deum: ergo major eſt amicitia charitatis ad proximum quàm ad Deum.

Reſpondeo ſimilitudinem quam habemus ad Deum, eſſe priorem & cauſam ſimilitudinis quam habemus ad proximum; ex hoc enim quod participamus à Deo illud etiam quod proximus habet, ſimiles proximo efficimur: & iden ratione ſimilitudinis priùs & principaliùs Deum quàm proximum diligere debemus, quia ſimilitudo noſtri ad Deum & antiquior eſt, & ſolidior, & aliarum omnium cauſa. Similitudo autem fundata in cauſalitate, intimioris amoris origo eſt, unde major eſt amicitia inter filium & matrem, quàm fratrem; quia licèt filius ſit ſimilior fratri, à matre tamen id, quo aſſimilatur fratri, accepit.

Eſt tamen difficultas inter Interpretes D. Thomæ, an proximus poſſit ex intenſiori charitatis affectu diligi quàm Deus. Qua in re concedunt quidem omnes, charitatem non obligare actus erga Deum ferventiores elicere, quàm erga proximum, quia gradualis actuum quantitas non cadit ſub præceptum; & conſtat apud omnes, ſyncero actu dilectionis, tametſi remiſſo, adimpleri præceptum amandi Dei. Quia nimirum intenſio actuum diſcerni non poteſt; unde ſicut non cadit ſub ſcientiam, ita nec ſub legem. Fatentur etiam omnes, Deum eſſe magis appretiativè diligendum; ita ut qui verè Deum amat, ita debeat eſſe comparatus, ut omnia terrena bona propter Deum deſerere, omnia mala æquo tolerare animo malit, quàm Deum charitate dilectum culpa mortali offendere, & ejus amicitiæ fœdus violare. In confeſſo etiam eſt apud omnes, charitatem ex natura ſua ad Deum intenſiùs diligendum inclinare; quia ſponte ſua ad illud intenſiùs amandum proclivis eſt, quod magis eſt amabile. Talis autem eſt Deus, qui eſt omne bonum, & totius bonitatis fontale principium, ex toto corde, totis viribus, tota mente diligendum. Sed controverſia eſt, an de facto & in exercitio poſſit homo ex charitate magis intensè diligere proximum quàm Deum, ita ut hæc major intenſio ab habitu charitatis procedat.

Partem negativam cum Bañez ſuſtinent aliqui, quia charitas habet eſſentialiter quod ſit participatio divinæ voluntatis, cujus actus & intenſio à ſupernaturali Spiritus ſancti motu procedit, tenditque ex natura ſua in Deum ut objectum formale. Hæc eſt propria charitatis natura & character, unde tres conſequentiæ deducuntur. Prima: Ergo ſicut implicat, quod divina voluntas intenſiùs feratur in bonitatem creatam quàm increatam; ita repugnat poſſe à charitate elici ferventiorem motum in proximum quàm in Deum. Secunda conſequentia: Ergo ſicut Spiritus ſanctus non poteſt magis inclinare ad dilectionem creaturarum quàm Dei, ita nec ex charitate oriri intenſior amor proximi quàm Dei. Tertia conſequentia: Ergo ſicut omnis habitus immediatiùs, connaturaliùs, & vehementiùs inclinat ad objectum formale quàm ad materiale, etiam in iſtud non niſi propter illud feratur: ita charitas non poteſt intenſiùs in proximum, qui eſt objectum materiale, quàm in Deum, qui eſt objectum formale, propendere. Certè ſicut lumen principiorum intenſiùs inclinat ad principia cognoſcenda, illaque ubetiùs illuſtrat, quàm concluſiones ex principiis derivatas; & voluntas ardentiùs fertur in finem quàm in media, quæ non niſi propter finem amat: ita charitas fortiùs & efficaciùs in Deum finem ultimum fertur, quàm in proximum, quem non niſi propter Deum amat.

Alii tamen cum Magiſtris Serra, & Joanne de la Pena affirmantem ſententiam docent, & ſic probant: Charitatis habitus nobis ſecundùm connaturalem voluntatis modum infunditur, qui exigit ut illo liberè utamur: Ergo licèt habitus charitatis magis naturâ ſuâ in Deum quàm in proximum propendeat, eo tamen ad proximum fervidiùs, intenſiùſque diligendum uti poterimus: ſicut habitu ſpei intenſiùs poſſumus gloriam corporis, quæ eſt objectum materiale, vel alia bona ſecundaria deſiderare, quàm beatitudinem animæ, quæ eſt objectum ſpei formale: ſicut etiam habitu Theologico remiſſiùs in Dei ſpeculatione

speculatione utimur, intensiùs in contemplatione aliorum à Deo; cùm tamen Deus sit objectum formale, & cætera quæque objectum materiale Theologiæ. Nec obest quod dilectio charitatis nobis à Spiritu sancto inspiretur: non obest, inquam, quia sicut Spiritus sanctus interdum movet ad minus bonum & perfectum, puta matrimonium, quàm ad majus & perfectius bonum, putà cœlibatum: ita potest intensiorem amoris proximi quàm Dei motum infundere, & homo magis ad illius, quàm istius dilectionem conari: nec est necesse, quod sicut dilectio proximi causatur à dilectione Dei, ita intensio unius ab intensione alterius derivetur.

Probabilis sanè hinc inde sententia. Verùm si profundiùs veritatem indagemus, & quæ antea ex D. Thoma diximus, recolamus, prior sententia videbitur posteriore solidior. Cùm enim in via D. Thomæ certum sit, per charitatem in proximo nos non diligere nisi Deum, manifestum erit implicare, nos posse per charitatem magis proximum quàm Deum diligere, cùm ratio diligendi proximum ex charitate sit Deus; & propter quod unumquodque tale, & illud magis. Quare diligentissimè distinguendum est inter amorem naturalem proximi, & inter amorem supernaturalem, quo eum ex charitate diligimus: licèt enim fieri possit ut voluntas habentis charitatem intensiùs prosequatur proximum amore naturali ex motivo humano proximè elicito, tametsi forrassis in Deum relato ex imperio charitatis, quæ sibi actus naturales subordinare potest; nunquam tamen ille intensior proximi amor à charitate elicitivè procedet, quia in terminis implicat charitatem magis diligere proximum propter Deum, quàm ipsum Deum, cùm hoc ipso quod diligat propter Deum, magis utique diligat ipsum Deum.

Ex quibus absque negotio argumentis negativæ sententiæ fit satis: licèt enim habitibus uti ad libitum possimus, iis tamen intra sphæram suæ activitatis, quam transilire non possunt, uti valemus: non enim uti possumus habitu fidei, vel spei ad eliciendos actus temperantiæ; nec eodem habitu ad melius, magisque prosequendum objectũ secundarium quàm primarium, quia istud est ratio attingendi illius; unde illud magis vel minùs attingitur pro ratione & modo intensionis, quo primarium objectum attingitur. Unde argumentum falsò supponit spem vehementiùs ferri in bona creata quàm in Deum summum bonum, & in beatitudinem corporis ardentiùs quàm beatitudinem animæ; id enim virtuti Theologicæ planè repugnat, & ordinis rectitudini adversatur. Quod verò dicitur de habitu Theologico non urget, tum quia ægrè probaretur habitum Theologiæ intensiùs circa creaturas quàm Deum occupari, cùm vehementior illa creaturarum consideratio non Theologiæ, sed Theologo optimè tribui possit. Et certè sicut elementa sponte & toto impetu feruntur in centrum ubi quiescunt suaviter, nec gravitant alibi onerosa: ita vera Theologia toto conatu in Deum cietur. Sed quia in illum suaviùs & connaturaliùs fertur, & in ejus contemplatione sine onere quiescit dulciùs, videtur quandoque majori conatu ferri in alia à Deo, quia cùm illa sint veluti extranea, quasi violenter ad illa rapitur: qui proinde conatus, quia sensibilior est, apparet etiam vehementior. Sed utut sit, est etiam grande discrimen inter Theologiam & virtutes Theologicas, quia Theologia, tametsi sit habitus entitativè supernaturalis, est tamen acquisitus & assensibus supernaturalibus studio frequentatis partus, ac proinde speciali Spiritus sancti instinctu non producuntur in nobis actus Theologiæ, sicut fidei, spei, & charitatis: unde non mirum si in consideratione & decursu Theologiæ intellectus humanus ardentiùs interdum circa creata occupetur, quibus amplius delectatur, vel quæ meliùs percipit, sicque in speculativis interdum nec modum, nec ordinem teneat. At quæ à Deo sunt, ordinata sunt: unde nequit Spiritus sanctus vehementiùs in creaturas, quàm in Deum inclinare. Et licèt Spiritus sanctus non semper moveat ad id quod objectivè perfectius est, id tamen indubitatum esse debet, Spiritum sanctum non posse ad actum contra naturam & inclinationem habitus, destructâ recti ordinis œconomiâ permovere: repugnat autem inclinationi charitatis magis proximum, quàm Deum amare, cùm proximum amare nisi propter Deum nolit, nec possit.

Secundò ordo charitatis postulat ut Deum magis quàm nosmetipsos diligamus. Si enim omnis creatura suo modo plus & vehementiùs fertur in Deum, seu in bonum commune totius universi, quod utique Deus est, quantò magis verum id esse probatur in amicitia charitatis, cùm Deus sit omnis boni bonum, principium fontale totius participatæ bonitatis, origo & objectum veræ felicitatis, & totius universi, creaturæ potissimùm rationalis finis.

Neque huic veritati, ad quam non tam sumus docti quàm nati, obsunt duo illa Philosophorum axiomata; *Amicabilia ad alterum veniunt ex amicabilibus ad seipsum*; *Amabile bonum, unicuique autem proprium.* Non obsunt, inquam: primum enim intelligitur de amicabilibus quæ sunt ad alterum, in quo bonum secundùm aliquem particularem duntaxat modum invenitur; non autem de amicabilibus quæ sunt ad alterum, in quo bonum secundùm rationem totius invenitur. Et ratio discriminis est, quia licèt bonum alienum sit postponendum proprio, unde amor sui est regula amoris aliorum: attamen tam bonum proprium quàm aliorum, bono totius cedit, unde manus pro incolumitate & conservatione totius suppositi, ictui in caput illato se objicit, ut propulset cum sui jactura interitum totius. Idem in politicis apparet; nam cives pro bono communi, & propriarum rerum & personarum dispendia interdum sustinent. Unde si homo esset pars naturalis civitatis, hæc propensio foret ei naturalis.

Dices: Homo faciliùs se amore naturali diligit quàm Deum; in diligendo enim se nullam invenit difficultatem, quam in diligendo Deo experitur, cùm amor Dei qualiscumque, si sit verus & efficax, superet naturæ totas vires.

Respondeo quod si homo rectam rationem sequeretur, si se naturali etiam propensioni à Deo institutæ permitteret, faciliùs & suaviùs Deum diligeret, quàm seipsum: cùm enim voluntas sit appetitus rationalis, inclinatio rectæ voluntatis rationis ductum sequi debet: unde sicut recta ratio Deum esse magis diligendum dictat, ita inclinatio voluntatis propensiùs in ipsum ferri debet. Unde fit, nulla esse opus virtute speciali ad Deum amore naturali diligendum, cùm voluntas sit magis ad Deum quàm proprium subjectum diligendum naturaliter propensa: unde sicut ad diligendum se sola sufficit non corrupta voluntatis inclinatio, ita ad diligendum summum & universale bonum nullo indiget virtutis additamento. Si quam verò in Deo diligendo difficultatem experitur dura voluntas, non ex impotentia voluntatis nascitur hic torpor, sed ab inordinato appetitus gustu divina fastidientis, & quæ non sursum sunt sapientis, sed quæ super terram.

Tertiò ordo charitatis exigit, ut homo magis seipsum diligat quàm proximum. Amicitia enim charitatis super communicatione & participatione

æternæ beatitudinis tota fundatur, & in tantum proximus diligitur, in quantum boni illius æterni socius esse potest: sed non potest miri hæc amicitia, nisi homo participet bonum divinum; quod fit per gratiam & charitatem: Ergo priùs & principaliùs debet homo diligere bonum spirituale proprium, quàm quodcumque bonum proximi; quia si careat spiritali bono, nec Deo unietur, nec bonorum ejus supernaturalium particeps erit, nec ullam cum proximo societatem spiritalem contrahet; quia hæc omnia præsupponunt hominem bonis esse spiritalibus & divinis charismatibus exornatum. Unde post Deum debet homo magis se diligere quàm quemcumque alium, secundùm naturam spiritalem, quæ est principale hominis bonum, quod Apostolus 2. *Corinth.* 5. appellat interiorem hominem. *Vnde in spiritualibus non debet homo pati detrimentum peccando, ut proximum liberet à peccato*, ut ait D. Thomas *quæst.* 26. *art.* 4. *ad* 2. quod iisdem verbis inculcat in corpore articuli, dicens: *Homo non debet subire aliquod malum peccati, quod contrariatur participationi beatitudinis, ut proximum liberet à peccato.* Quæ verba sanctissima & notatu dignissima ponderare debent viri Evangelici, & animarum rectores, quibus nihil prodest si alios lucrentur, ipsi verò animæ suæ detrimentum patiantur. Quare, mi Theologe, si experiaris in sacro vel pœnitentiæ tribunali, vel apostolico divini verbi ministerio jacturam pati animam tuam, te in peccata lethalia, acceptá sacris ex his functionibus occasione labi, fuge, amabò, fuge longè, citò, tardè; longè, in solitudinem & recessum; citò, ne amor peccati radices agat; tardè verò ad illa humeris angelicis formidanda munia revertatis, nisi post longam seriæ pœnitentiæ moram, mundo crucifixus, tibi mortuus fructum absque ullo proprii dispendii periculo non mediocrem afferre valeas. Memento quod charitas bene ordinata incipit à seipso, & juxta vetus adagium, Qui sibi nequam, cui bonus erit?

Quartò ordo charitatis petit ut plus diligamus proximum quantum ad salutem animæ, quàm corpus proprium; salus enim proximi magis est ex charitate diligibilis, quia *consociatio in plena participatione beatitudinis, qua est ratio diligendi proximum, est major ratio diligendi quàm participatio beatitudinis per redundantiam, qua est ratio diligendi proprium corpus*, inquit D. Thomas *art.* 5. Id est, quia amicitia charitatis fundatur in participatione & communicatione beatitudinis, debet homo magis ex charitate diligere illud quod secum beatitudinem magis participat: anima autem proximi melius participare beatitudinem, meliusque Deo summo bono frui potest, quàm proprium corpus: unde salus animæ proximi proprii corporis incolumitati præferenda est. Unde in casu in quo homo habet curam animarum, earúmque saluti ex injuncto & acceptato ministerio providere tenetur, proprium pro salute proximi corpus exponere debet. *Sed quod aliquis* (curam animarum non habens) *sponte ad hoc se offerat*, inquit S. Thomas ibidem ad 3. *pertinet ad perfectionem charitatis.* Hinc viri sancti pro salute animarum corpus voluntaria macerant tortura, jejuniis, vigiliis, disciplinis, peregrinationibus affligunt. Porrò quàm damnanda illa est, & utinam non adeo communis, Prælatorum & Rectorum animarum incuria, qui animas sibi commissas negligunt, ut toti corporis, familiæ, status, dominii, aliorumve temporalium utilitatibus quàm studiosissimè incumbant. An nesciunt quod Augustinus ait: *Anima etiam pessima melior est optimo corpore*; & quod, *sicut Deus omnem creaturam, sic anima cæteras creaturas dignitate præcellit?* An nunquam legerunt apud Ambrosium lib. 1. de offic. *Si magnæ mercedis est à morte eripere carnem quanquam morituram, quanti est meriti à morte animam liberare in cælesti patria sine fine victuram?* An fortè dignitatem ignorant animarum? Nam cadit asinus, & invenit qui se sublevet: cadit anima, & non est qui manum apponat; anima, inquam, substantia invisibilis, incorporea, immortalis; anima, inquam, insignita Dei imagine, decorata similitudine, desponsata in fide, donata in spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis. Ergo si Deum amas, proximum ama, & ut illius prosis animæ, exponere corpus, prodigere corporis & fortunæ bona ne formida. Quia si Deum diligere te dicis, & proximo viscera clauseris, mentiri te dicet discipulus veritatis. Quia teste Gregor. *lib.* 5. *Moral.* nunquam plenè in Dei dilectione proficies, nisi in ejusdem dilectionis gremio priùs fueris proximi charitate lactatus; unde *ille in amore Dei major est, qui ad ejus amorem plurimos trahit.* Proximum autem quomodo amat, qui pro salute proximi nec leve corporis incommodum ferre desiderat? Tunc ergo proximum verè diligimus tanquam nos ipsos, cùm illum ad id bonum, ad quod ipsi tendimus, adducimus; cùm eum aut quia justus est, aut ut justus sit, diligimus; cùm amorem erga ipsum nostrum plus bona opera loquuntur, quàm lingua; cùm pro ipso mala aliqua ferre non refugimus, pro quo Christus mortuus est, ut in ipso bono opere proximus amari se videat; & si non tantum facimus quantum pro eo vellemus operari, amoris tamen flammam sentiat vel ex parte.

Quintò ordo charitatis exigit, ut in ipsa proximi dilectione inæqualem amoris affectum pro personarum diversitate impendamus, & eos intensiori charitatis affectu prosequamur, quibus convenit nos magis esse beneficos. Ordo namque charitatis attenditur secundùm comparationem ad unum aliquod principium; principium dilectionis charitatis est Deus, & ipsemet diligens: unde necesse est quod secundùm majorem vel minorem ad alterum istorum principiorum propinquitatem major vel minor sit affectus charitatis. Quanvis enim ex parte boni optati omnes homines æqualiter diligamus, quia eis idem æternæ beatitudinis bonum sincerè exoptamus: attamen ex parte intensionis actus non omnes æquè diligimus, quia non omnes æqualiter ad Deum, vel nos se habere jure merito censendi sunt. Sic rationabiliter eos magis diligimus, qui magis nobis sunt secundùm carnalem originem conjuncti, quia intensio, & veluti intimitas dilectionis ex conjunctione dilecti ad diligentem proficiscitur; conjunctio autem naturalis originis major est & prior: unde amicitia consanguineorum arctior est, & stabilior, *utpote naturalior existens*, ut ait D. Thomas, quia est secundùm id quod pertinet ad substantiam, aliæ autem conjunctiones sunt accidentariæ & supervenientes, quæ proinde faciliùs removeri possunt. Sic etiam civis in his quæ pertinent ad civilem conservationem plus debet diligere concives, quos communio civilis conjungit. Sic etiam miles in bellicis plus commilitones diligit, quos communicatio militaris adunat. Sic pater spiritualis strictissimè diligit filios, quos in Christo genuit, quos gratiæ & educationis communio purissimè copulat. Unde Ambrosius *lib.* 1. *offic.* *cap.* 7. ait: *Non minùs vos diligo, quos in Evangelio genui, quàm si in conjugio suscepissem: non enim vehementior est natura ad diligendum, quàm gratia. Plus certè diligere debemus quos perpetuos nobis computamus futuros, quàm quos tantùm in sæculo.* Sic socii & familiares tenerrimè se & juxtà solidissimè redamant, quos cordis & bonorum libera communio connectit.

Unde

Unde dicitur Proverb. 18. *Vir amicabilis ad societatem magis erit amicus, quàm frater.* Unde interdum videmus consanguineorum amicitiam, quam natura firmat, minorem esse familiarium fœdere, quod incoacta voluntas contraxit. Sic patres licèt magis revereantur suos parentes, magis tamen diligunt filios, utpotè aliquid sui existentes, quos proinde intimiori ac suaviori amoris sensu complectuntur: quanvis certum sit, filios amore appretiationis magis diligere parentes, qui, cùm habeant rationem principii, habent etiam rationem eminentioris & majoris boni. Et quia pater habet rationem excellentioris principii naturalis originis, cùm sit principium per modum agentis; ideo per se loquendo magis est diligendus quàm mater, quæ est principium generationis per modum patientis & materiæ. Dico per se, seu loquendo de amicitia quæ debetur patri & matri secundùm generationis rationem; nam per accidens, & ex aliis amicitiæ titulis plus debemus vel solemus diligere matrem. Tum quia magis amantem debemus magis diligere: mater autem plus ordinariè diligit filium quàm pater, quia mater in generatione & educatione filii magis laborat, quàm pater; & aliunde melius & certius sit filium esse suum & legitimum. Sic etiam maritus, tametsi amore appretiationis magis diligat parentes, utpote habentes rationem principii & eminentioris boni; nihilominus amore teneritudinis & conjunctionis diligit intensiùs uxorem, cui ut uni carni conjungitur, secundùm illud Matth. 19. *Iam non sunt duo, sed una caro.* Unde & deserit homo patrem, ut adhæreat uxori. Sic demùm licèt amore appretiationis magis diligamus benefactores, qui cùm sint principium boni nobis collati, excellentioris boni rationem habent; attamen magis amore intensionis diligimus beneficiatos, seu illos quos beneficiis demeremur, & nobis quadantenus donorum compedibus devincimus, ut probat quatuor egregiis rationibus S. Thomas art. 2. *Primò, quia beneficiatus est quasi quoddam opus benefactoris, unde consuevit dici de aliquo, Iste est factura illius:* naturale autem est cuilibet, ut diligat opus suum, sicut videmus quod Poëtæ diligunt poëmata sua; & hoc ideo, quia unumquodque diligit suum esse, & suum vivere, quod maximè manifestatur in suo opere. Secundò, quia unusquisque naturaliter diligit illud, in quo inspicit suum bonum. Habet quidem & benefactor in beneficiato aliquod bonum, & è converso; sed benefactor inspicit in beneficiato suum bonum honestum, & beneficiatus in benefactore suum bonum utile. Bonum autem honestum delectabiliùs consideratur quàm bonum utile; tum quia est diuturnius, utilitas enim citò transit, & delectatio memoriæ non est sicut delectatio rei præsentis; tum etiam, quia bona honesta magis cum delectatione recolimus, quàm utilitates quæ nobis ab aliis provenerunt. Tertiò, quia ad amantem pertinet agere; vult enim, & operatur bonum amato: *Ad amatum autem pertinet bonum pati* (seu recipere.) *Et ideo excellentius est amare, & propter hoc ad benefactorem pertinet ut plus amet. Quartò, quia difficiliùs est beneficia impendere, quàm recipere: ea verò, in quibus laboramus, plus diligimus; quæ verò nobis de facili proveniunt, quodammodo contemnimus.* Quintam rationem addit *ad* 1. quia licèt ex Augustino *lib. de catechizandis rudibus, cap.* 4. nulla major sit provocatio ad amandum, quàm prævenire amando; nimis enim durus est animus, qui dilectionem etsi non vult impendere, nolit rependere: tamen quia in benefactore præveniente aliquid est unde beneficiatus provocetur ad ipsum amandum, benefactor verò diligit beneficiatum, non quasi provocatus ab illo, sed ex seipso motus, & aliunde quod est per se, potius est eo quod est per aliud; ideo benefactor magis diligere censendus est. Hinc est quod amor beneficiati ad benefactorem est magis debitus, & ideo ingratitudo habet rationem majoris peccati: sed amor benefactoris ad beneficium est magis liber & spontaneus, & gratuitus; & ideo majorem promptitudinem, & majorem intensionem per se habet.

Dices: Secundùm unamquamque amicitiam illud est magis amandum, quod magis pertinet ad id supra quod amicitia fundatur; unde amicitia naturali magis diligimus eos qui sunt nobis secundùm naturam conjunctiores: sed amicitia charitatis fundatur super communicatione beatitudinis, ad quam magis pertinent meliores quàm naturâ conjunctiores: ergo ex charitate debemus magis diligere meliores quàm conjunctiores.

Respondeo, in dilectione charitatis duplicem inveniri amorem, appretiationis scilicet, & intensionis: primus est major vel minor pro majori vel minori dignitate objecti; secundus verò est intensior vel remissior pro modo conjunctionis amari ad amantem. Itaque meliores, utpote Deo propinquiores, magis appretiativè diligimus, majusque proinde bonum illis ex charitate volumus: quia licèt bonum quod omnibus vult charitas, scilicet beatitudo æterna, sit unum secundùm se, habet tamen diversos gradus secundùm diversas beatitudinis participationes diversitati meritorum ex divinæ justitiæ distributione correspondentes. Cum his tamen stat, quod conjunctiores intensiùs amamus, quia intensio dilectionis per comparationem ad diligentem attendenda est: sicut motus habens speciem ex termino intensionem velocitatis sortitur ex dispositione mobilis, & virtute moventis. Et hoc est, quod tam frequenter repetit D. Thomas *in quæst.* 26. dum ait: *Charitas non solùm elicit actum dilectionis secundùm rationem objecti, sed etiam secundùm rationem diligentis.* Et iterum: *Gradus dilectionis ex duobus pensari potest; uno modo ex parte objecti, & secundùm hoc id quod habet majorem rationem boni, & quod est Deo similius, est magis diligendum: alio modo computatur gradus dilectionis ex parte ipsius diligentis, & sic magis diligitur quod est conjunctius.*

Instabis: Charitas cùm sit participatio divinæ voluntatis, & donum præcipuum Spiritus sancti, divinis debet potissimùm inclinationibus conformari: Sed Deus semper diligit meliorem, nullâ habitâ ratione conjunctionis; unde Christus magis sanctiores discipulos, vel è Gentibus conversos diligebat, quàm consanguineos, vel Judæos perversos. Ergo homo per charitatem magis meliores quàm conjunctiores debet diligere.

Respondeo, charitatem satis inclinationi divinæ voluntatis per hoc conformari, quod meliores amore appretiativo magis diligat. Accedit, in Deo non posse distingui duplicem illum amoris gradum petitum ex bonitate objecti & conjunctione amati, quia qui melior est, Deo conjunctior est, & etiam Christo, qui dicebat: *Qui facit voluntatem Patris mei, hic mater, frater, & soror est.* Cum quibus stat, Christum ut hominem Judæos speciali dilectione, & dilectionis intensione & beneficentia aliis prætulisse: nam & illis prædicavit, & apud illos miracula patravit, & totius vitæ, conversationis, mortis, & resurrectionis beneficia illis primùm contulit. Addit etiam D. Thomas *art.* 9. *ad* 1. quod licèt charitas divinæ voluntati conformetur quantum potest, non tamen exigit hæc conformitas, ut eadem quæ Deus vult, & eodem modo velimus. *Quædam enim,* inquit, *possumus*

possimus ex charitate velle, quia sunt nobis convenientia, quæ tamen Deus non vult, quia non convenit ei, ut ea velit. Quia nimirum particularis provisor alia velle debet quàm generalis, qui toti debet consulere universitati. Sic filius ex charitate erga patrem conatur servare illum incolumem, & à morte liberare, quem tamen Deus vult morti tradere. Sed de his fusiùs tomo superiori. Charitas ergo facit hominem conformari divinæ voluntati secundùm proportionem, ut scilicet ita se habeat homo ad id quod suum est, sicut Deus ad id quod suum est.

Urgebis: Charitas, utpotè donum spiritale, istas naturalis conjunctionis differentias parùm curare debet; & sicut spiritalem hominem constituit, spiritalem amorem duntaxat inspirat, qui à natura, à carne & sanguine, à patria præscindere debet: ergo ordo, & inæqualitas charitatis malè à nobis ex diversitate conjunctionis amati ad amantem petitus est, sed omnes quantum ad affectum peræque diligendi sunt, quamvis secundùm exteriorem effectum quidam possit ordo stabiliri, quatenus exteriora beneficia magis proximis impendere deceat, quàm alienis. Unde Augustinus lib. 1. de doct. Christ. cap. 28. *Omnes homines*, inquit, *æquè diligendi sunt. Sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum, vel temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictiùs tibi quasi quadam sorte junguntur.*

Respondeo, gratiam perficere naturam, unde non minùs est ordinatus affectus charitatis qui est inclinatio gratiæ, quàm appetitus naturalis, qui est inclinatio naturæ, cùm utraque inclinatio ex divinæ sapientiæ ordinatione procedat. *Videmus autem in naturalibus*, inquit S. Thomas art. 6. *quod inclinatio naturalis proportionatur actui vel motui, qui convenit naturæ uniuscujusque; sicut terra habet majorem inclinationem gravitatis quàm aqua, quia competit ei esse sub aqua. Oportet ergo quod etiam inclinatio gratiæ, quæ est effectus charitatis, proportionetur his quæ sunt exteriùs agenda: ita scilicet ut ad eos intensiorem charitatis affectum habeamus, quibus convenit nos magis beneficos esse. Et ideo dicendum est, quod etiam secundùm affectum oportet magis unum proximorum quàm alium diligere. Et ratio est, quia cùm principium dilectionis sit Deus, & ipse diligens, necesse est quod secundùm propinquitatem majorem ad alterum istorum principiorum major sit dilectionis affectus.* Non est ergo carnalis, sed spiritalis charitatis dilectio, tametsi alios aliis intensiùs, & conjunctiores arctiùs diligat, quia & omnibus indiscriminatim beatitudinis bonum optat, & meliores amore appretiationis anteponit, majusque bonum eis vult, majorem scilicet beatitudinis participationem. Observat etiam S. Thomas *art.* 10. quod licèt per se loquendo amor intensionis sit erga conjunctiores arctior, firmior, & sensibilior, potest tamen interdum in conjunctioribus *tanta esse distantia virtutis & malitiæ, ut amicitia solvatur vel minuatur, ut Philosophus dicit in 8. Ethic. Et ideo ut Ambrosius dicit, boni domestici sunt malis filiis præponendi.* Quâ notandissimâ doctrinâ patet etiam major solutio ad id quod suprà de Christo Gentes Judæis præferente objeciebatur: quia erat tanta in istis malitia, ut amicitiam ad illos sin solvi, certè minui necesse erat.

Insistes: Si ordo charitatis à nobis constitutus esset legitimus, & inæqualitas sacræ amicitiæ non solùm ex objecti diversa bonitate, sed etiam ex arctiori conjunctione peteretur, ordo etiam charitatis, qui ad illius perfectionem non parùm conducit, ibi remanebit. Atqui ordo charitatis à nobis stabilitus non remanet in patria; quia cùm tota ratio dilectionis in Patria Deus sit, qui erit omnia in omnibus, ille magis diligetur, qui erit in Deo propinquior; unde meliorem magis diliget quàm seipsum, & extraneum sanctiorem magis quàm conjunctum minus sanctum, illique magis & majus bonum volet, ut per omnia divinæ voluntati consummata charitas conformetur, quæ cùm perfecta est, plus potiora bona, & minùs minora diligit. Ergo ordo charitatis malè à nobis est cum D. Thoma constitutus.

Respondeo, quod cùm natura non destruatur per gloriam, sed perficiatur, & consummetur; ordinem charitatis, in natura à Dei sapientia ordinata fundatum, in patria, ubi nullus horror, nulla confusio, sed sempiternus ordo inhabitat, remanere fatendum est. Cùm enim ibi remaneat, & clariùs appareat primum dilectionis principium Deus facie ad faciem visus, totoque voluntario fruentis impetu dilectus, necessum est ut ibi maximè charitas servet ordinem, qui secundùm comparationem ad unum principium potissimè & unicè attenditur. Et quia non omnes beati æqualiter se habent ad Deum, sed quidam per abundantius beatitatis participium sunt ei propinquiores, ideò beatiores magis diliget, majusque bonum eis Sanctus quisque volet, altiorem scilicet beatitudinis gradum, juxta modum à divinæ justitiæ æquissima distributione præfinitum; nec celsiorem sibi, vel aliis gradum optabit, quia tunc non merendi, sed fruendi tempus erit in mansione divinitus determinata. Insuper, quia homo est principium dilectionis, non poterit se homo ex charitate non diligere, & plus cæteris diligere, cùm amor fortiùs, & suaviùs ad illud feratur unde procedit, & intimiùs in illud propendeat in quo vivit. Præsertim quia ad hoc donum charitatis unicuique potissimùm confertur, ut primùm mentem suam in Deum ordinet, quod pertinet ad dilectionem sui; & deinde ordinem aliorum in Deum velit, & pro virili operetur. Hinc est, quod homo in patria post Deum seipsum maximè diliget: & quia non cessabunt, vel aberunt ab animo Beati honestæ dilectionis causæ, Beatus sibi conjunctos pluribus modis diliget, & per ordinem ad Deum charitatis & beatitudinis fontem, & per ordinem ad seipsum actus dilectionis causam efficientem. Veruntamen, quia tota vita beata in ordinatione mentis ad Deum consistit, & quia etiam in patria cessabit provisio præsenti vitæ necessaria, qua quis magis sibi conjuncto consulit, ratione cujus ex ipsa inclinatione charitatis homo sibi conjunctiorem ampliùs & intensiùs diligit; ideò totus ordo beati amoris per ordinem ad Deum observabitur, & ille omnibus modis magis diligetur, qui erit beatior, quia propinquior sibi ille ab unoquoque habebitur, qui erit Deo similior; unde omnibus naturalibus dilectionis motivis & rationibus ex diversæ conjunctionis necessitudine petitis præferetur incomparabiliter ratio dilectionis ex propinquitate ad Deum desumpta.

Persistes demùm: Tota illa de ordine charitatis à S. Thoma constituta doctrina acceptionem personarum videtur inducere, quam idem sanctissimus Præceptor inferiùs q. 63. validissimè à se confutatam reprobat & condemnat. Etenim in hoc consistit vitiis seu malitia acceptionis personarum (quo vitio mundus laborat universus) quando impenditur alicui bonum non propter meritum & condignitatem personæ, sed propter rationem aliunde petitam & ad gratiam collatam impertinentem. V. g. si Prælatus, vel Cancellarius Universitatis promoveat aliquem ad Magisterium propter scientiæ & eruditionis sufficientiam, tunc attenditur causa debita, non persona: si autem illum promoveat, quia est dives, vel consanguineus suus, tunc est acceptio personæ, quia

divitiæ

divitiæ vel consanguinitas sunt ad promotionem & gradum Magisterii impertinentes; & peccatum tunc contra justitiam distributivam committitur, illius enim virtutis est diversis personis diversa tribuere secundùm proportionem ad dignitates personarum: unde dicitur, quod justus judex causas discernit, non personas. Atqui in ordine charitatis à nobis instituto manifestè committitur personarum acceptio, cùm amorem, qui primum & maximum donorum est, magis parentibus, filiis, consanguineis, concivibus, commilitonibus, confratribus impendamus: Ergo ordo charitatis à nobis institutus vitiosus est, & magis perversitas ordinis dicendus est.

Respondeo, nullatenus ab ordine charitatis à nobis post S. Thomam concinnato vitii acceptionis personarum labes contrahi. Tum quia dilectionem charitatis in amorem appretiationis ex objecti dignitate petitum, & in amorem intensionis seriò distinximus: & licèt ipsum posteriorem conjunctioribus justè impendamus, illum tamen melioribus, ut par est, reservamus, eisque majus bonum, majorem scilicet beatitudinis gradum, ut servetur justitia distributiva concupiscimus: Nec propterea personas accipimus, dum natura vel aliis necessitudinis vinculis conjunctiores intensiùs & teneriùs diligimus; quia ut benè observat D. Thomas quæst. citata, art. 1. *Contingit aliquam conditionem personæ facere eam dignam respectu unius rei, & non respectu alterius. Sicut consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quod instituatur heres patrimonii, non autem ad hoc ut conferatur ei prælatio Ecclesiastica. Et ideo eadem conditio personæ in uno negotio considerata facit acceptionem personæ, in alio autem non facit.* Unde etiam *art. 4. ejusdem q.* & *q. 58. art. 10. ad 3.* & *q. 61. art. 2. ad 3.* monet S. Doctor, quod diversitas personæ inducit sæpe diversitatem rei & causæ: unde gravior est injuria, graviusque punienda, quæ infertur Principi quàm plebeio. Ex quibus patet, interdum ex ipsa persona oriri aliquam causam, ob quam alteri præfertur: conjunctio autem personæ amatæ cùm amante justè exigit arctiorem amorem, quia cùm homo seipsum primò & intimiùs post Deum diligat, æquum est, ut sibi conjunctiora, quasi aliquid sui, magis & arctiùs amet. Certè si *consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quod instituatur heres patrimonii*, quidni ad hoc, ut sit particeps specialioris amoris?

Altera ratio convincens in constituto à nobis ordine charitatis nullam committi acceptionem personarum, est quia ut docet D. Thomas q. 63. art. 1. ad 3. *duplex est datio: una quidem pertinens ad justitiam, quà scilicet aliquis dat alicui quod ei debetur; & circa tales dationes attenditur personarum acceptio: alia est datio ad liberalitatem pertinens, quà scilicet gratis datur alicui quod ei non debetur: & in hac donatione non habet locum acceptio personarum, quia quilibet absque injustitia potest de suo dare quantum vult, & cui vult, secundùm illud Matth. 20. An non licet mihi quod volo facere? Tolle quod tuum est, & vade.* Quibus verbis liquet hominem peccaturum quidem peccato acceptionis personarum, si charitatem, quam omnibus debet, alicui denegaret, vel si nollet aliquem diligere, nisi quia consanguineus, vel alio necessitudinis vinculo sibi devinctus est. Cæterùm teneriorem amoris suavioris & juxta familiarioris sensum omnibus peræquè impendere nec possumus, nec debemus: unde unum præ alio ratione conjunctionis vel amicitiæ, intensioris amoris affectu absque ulla acceptionis personarum labe prosequimur.

Reflexio.

Quatuor sunt diligenda, ut monet August. *lib. 1. de doctr. Christ. cap. 29.* Unum, quod est supra nos, scilicet Deus: alterum, quod nos sumus: tertium quod juxta nos est, scilicet proximus: quartum, quod infra nos est, nimirum corpus proprium. Amicitia quippe charitatis supra beatitudinis æternæ futuram communionem fundata unum considerat ut principium influens beatitudinem, scilicet Deum bonitatis totius fontem; aliud ut beatitudinem divinam participans, scilicet semetipsum: aliud ut ejusdem beatitudinis socium, Angelum scilicet, & alium hominem: aliud demùm ut beatitudinis propriæ accidentale complementum, scilicet corpus proprium, in quod beatitudinis essentialis plenitudo redundans derivatur. Primum diligitur ut causa beatitudinis, secundum ut subjectum felicitatis, tertium ut commercium beatæ societatis, quartum ut participium & extensio beatitatis. Et tamen, ô perversitatem ordinis minimè tolerandam! ab amore corporis incipit ferè omnis homo: homo, inquam, cujus Pater Deus est, cujus hæreditas regnum cœlorum, cujus felicitas summum & omne bonum. Hinc est, quod malorum omnium summum & summam, peccatum intelligo, non timent, & illum sicut aquam bibunt, Hinc, ut observat Salvianus, omnia amant, omnia æstimant. *Solus Deus* (quæ est indignitas indignitatum) *in comparatione aliorum illis vilis est.* Hinc minimum corporis, cujus sunt idololatræ, damnum, summam reputant miseriam; & crucem ac tribulationem, in quibus Christus discipulorum suorum felicitatem posuit, extremæ habent miseriæ loco. Hinc ut lepidè & juxtà præclaræ observavit Catechism. Roman. *part. 4. cap. 16. n. 3.* contra Christi Domini jussum præpostero utuntur ordine precationis, & orationem inde semper incipiunt, unde eam terminare debuissent: liberationem à malo, quæ est petitionum ultima, & primò, & semper, & solùm postulant; sanctificationis verò nominis divini, adventus regni, divinæ voluntati conformitatis, à quibus exordiri tenentur, nec meminisse dignantur. *Qui jussit nos ad se confugere in die tribulationis* (verba sunt libri laudati) *idem orationis ordinem nobis præscripsit: voluit enim, ut priùs quàm precaremur, ut nos liberaret à malo, peteremus ut nomen Dei sanctificaretur, & adveniret regnum ejus, & reliqua postularemus, quibus quasi gradibus quibusdam in hunc locum perveniretur. Sed quidam si caput, si latus, si pes condoluit, si rei familiaris jacturam faciunt, si minæ, si pericula ab inimicis intenduntur, in fame, in bello, in pestilentia, omissis mediis Dominicæ precationis gradibus, tantùm petunt ut ex illis eripiantur malis. At huic consuetudini repugnat Christi Domini jussum: Quærite primùm regnum Dei.* At verò hujus sæculi adscriptitii, & nomine tenus Christiani regnum mundi, regnum carnis inquirentes, ventrem pro Deo habentes, totum charitatis ordinem pervertunt, rationis etiam leges susque deque miscent. Usquequò, Christiane, tam malus æstimator, tam insulsus mercator, tam iniquus judex eris? Usquequò corpus animo, concupiscentiam rationi, teipsum Deo impiè juxtà, & injustè præpones? *Quid est quod velis habere malum?* (verba sunt August. in quodam serm.) *Dices mihi nihil omninò, non uxorem, non filium, non filiam, non servum, non ancillam, non tunicam, postremò non caligam; & tu vis habere malam vitam? Rogo te præpone animam tuam caligæ tuæ.* Itáne cæcus & occæcatus, itáne durus es & obduratus, ut nescias quod nihil est aliud caro tua, quam adoras, nisi spuma

caro

caro facta, de peccato nata, in peccato nutrita, farta fordibus, ex omnium immunditiarum eolluvie conflata, irretita vitiis, pruriens concupiscentiis, occupata passionibus, polluta illusionibus, in malum prona, in bonum tarda? Nihil aliud, inquam, est caro, quàm sperma fœtidum, saccus stercorum, cibus vermium; post hominem vermis, post vermes fœtor & horror, ut in non hominem vertatur omnis homo carnalis, & in limum transeat sterquilinium. Sed parum esset quod esset misera, nisi etiam foret infensa; quocumque enim pergimus, nobiscum inimicum, quod corpus est, portamus, ubique laqueum nostrum nobiscum gestamus, ubique hostem circumferimus.

Sed esto, per me licet, ames corpus; sed si illud amas, si illi consulis, æternæ illius provide felicitati. An nescis præclarum illud Chrysost. lib. de reeuper. lapsi: *Si animam negligamus, nec corpus salvare poterimus. Non enim anima pro corpore, sed corpus pro anima factum est. Qui ergo quod proximum est, negligit, & quod inferius, extollit, utrumque corrumpit. Qui verò ordinem servat, & quod primum est colit, etsi negligat quod secundum est, per primi salutem salvabitur & secundum.* Ergo ordinem serva, corpus animæ, caro rationi, ratio Deo obsequatur; quæ supra te sunt, primò inspice; ad ea quæ intra te sunt, voluntatem & rationem, descende; ad ea quæ juxta te sunt, proximi nimirum salutem, deinde accede; & ultimò ad quæ infra te sunt corporis emolumenta convertere. Audi Bernardum: *Dominum ancillari, & ancillam dominari, magna abusio est.* Quod si Ecclesiæ Doctori non credis, audi Ethnicum, & erubesce: *Major sum, & ad majora natus*, aiebat Philosophus Moralis, *quam ut mancipium sim corporis mei. Contemptus corporis sui certa libertas est. Fateor nos gerere corporis nostri tutelam, sed non indulgendum illi est, serviendum nego. Sic nos gerere debemus, ut non tanquam propter corpus vivere debeamus, sed tanquam non possimus sine corpore. Circumscribe corpus tuum, & animo locum laxa. Corpus hoc animi pœna ac pondus est: premente illo urgetur, in vinculis est. Sapiens itaque multùm cum meliore, ac divina sua parte versatur; cum hac querula ac fragili, quantum necesse est. Sursum animum vocant initia sua: erit autem illic etiam antequam hac custodia exsolvatur, si vitia sua deseruit, purusque ac levis in cogitationes divinas emicuit.* Hæc variis in locis Seneca, quibus corpus animo servire, & animum interiori homini vacare, & interiorem hominem sursum ad divina suspicere debere christianè & ordini charitatis consonè dixit. Pudeat impios post fidem eò non ire, quò ante fidem Philosophia pervenit.



AD LIBRUM VII.

Appendix unica: seu Brevis de peccatis tractatio.

PRÆLOQUIUM.



Quia contraria contrariis opposita magis elucescunt, splendenti virtutum materiei obscuras subnectere peccatorum umbras, operæ pretium duxi. Porrò etsi nulli tractatui minùs præfari congruat, quàm præsenti, quia nec sine fœtore commoveri sordes, nec sine inquinamento tangi pix, nec sine contagione pestis contrectari possunt: attamen quia initium salutis notitia peccati est, & tam horrendum monstrum nosse sit penè vicisse; de illo expedit verba facere, de quo non licet ad concupiscendum cogitare. Certè sicut olim prompta adversus serpentis morsum medela viso serpente conferebatur; tamque cita erat salubritas medicandi, quàm velox aderat felicitas intuendi: sic dum crimen criminis ductâ picturâ odium sui generat, & horrorem, peccatum peccati cognitione curatur, ut illud idem, quod malè cogitatum impulerat in perditionem, benè in amaritudine recogitatum gradus fit ad salutem. *Tu peccatum tuum ante faciem tuam converte* (inquit August. in Psalm. 50.) *si vis ut inde Deus faciem suam avertat. Nam si agnoscis, ille ignoscit.*

Agedum ergo, Lector, de peccatis disputemus, ut peccatum nostrum contra nos sit semper: peccatorum recordemur, ut illorum obliviscatur Deus qui dixit: *In quacumque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum illius non recordabor amplius.* Tanti mali, & puri mali deformitas ob oculos cordis versetur semper, insit memoriæ, mente revolvatur, non ut facultates animæ ingenita turpitudine decoloret, sed ut interiori animi judicio accusetur, damnetur, puniatur. Sicut enim venenum malâ hostium fraude propinatum, rursum veneno artificiosè elaborato expellitur, sitque medicina salutis exterminium sanitatis: ita planè peccatum dæmonis humani generis hostis fraude irrepens

pens, à nobisque imprudenter obbibitum, iterum cordis dolore cogitatum mundatur extinguitur, abolетur. *Ipsa est prima hominis justitia* (inquit August. in Psalm.84.) *ut sentias te malum, & faciat te Deus bonum: ipsa fit via Deo ut veniat ad te Deus. Confitere vitam, & aperis viam.*

Sed quomodo, inquies, monstrum illud ante oculos expandemus, quod committi quidem potest, describi certè non potest? *Quis revelabit faciem indumenti ejus*, inquit Job, *& in medium oris ejus quis intrabit? Portas vultus ejus quis aperiet?* Quâ quæso, arte, quo calamo, quo penicillo, quibus coloribus repræsentare licet portentum illud atramento atrius, nocte obscurius, inferno horribilius, merum non ens, infame nihilum, & ad nihilum nescientes redigens, qui se amarunt? Fateor equidem: nam in privatione peccati malitiam libro sexto constituimus. Verùm quia privationes per formas oppositas agnoscimus, & iterum quia peccatum, tametsi vultu careat, faciem tamen ementitur blandam illam quidem & amœnam, ut incautos alliciat; exponenda est peccati & arridentis nequitiæ facies quidem læta, sed calamitatis abstrusæ illecebris fallens, quæ teste Cypriano *epist. ad Donatum*, instar cujusdam veneni, ubi in lethales succos dulcedine aspersa, calliditate fallendi, sapore medicato, poculum videtur esse quod sumitur, ubi epotaveris pernicies hausta grassatur. Hac de causa primùm de peccato in genere, deinde de speciebus peccatorum in speciali, tum de causis eorum, denique de effectis putido de fonte manantibus sermonem instituemus. *Peritus medicus*, inquit Chrysost. serm. 44. *qui plenam ægris desideras conferre medicinam, impuritatis profundos patefacit recessus, opertos peccatorum nudat morbos, impietatis ostentat secretum virus, vitiorum naturas, origines delictorum, radices criminum mirabili ratione depromit.*



DISSERTATIO I.

De vitiis & peccatis generatim.

PRo eodem in solito loquendi modo vitium & peccatum usurpantur, tametsi nomina illa strictè sumpta diversa significent: vitium namque habitum vel dispositionem permanentem; peccatum verò actum pravum, vel ab habitu prodeuntem, vel habitum generantem rigorosè importat. Sicut enim tria in virtute reperire est, essentiam nimirum, qua aliquis convenienter se habet secundùm modum suæ naturæ; bonitatem ad modum proprietatis consequentem, sive bonitas propriè & physicè, sive latè duntaxat, logicè, & secundùm nostrum concipiendi modum consequatur; & denique actum, ad quem virtus ordinatur, cùm unumquodque sit propter suam operationem: ita servatis servandis de malo discutimus; essentiæ quippe virtutis opponitur vitium, quod malam sonat subjecti dispositionem; bonitati malitia adversatur; dum eâ privat; bono verò operi correspondet peccatum. Quorum omnium radix est, quia habitus cùm bonus, tum malus dicunt triplicem habitudinem, ad subjectum nimirum quod disponunt; ad rationem, cui conformantur vel dissonant; & ad actus nefandos, quorum sunt principia. Juxta hanc non contemnendam divisionem, primò vitii, seu peccati habitualis contrarietates; deinde malitiæ, tam peccati commissionis, quàm omissionis deformitates; tert ò peccati actualis distinctionem generalem in hoc capite speculabimur, in sequenti de specialibus eorum divisionibus actum.

CAPUT I.

Peccatorum contrarietas, deformitas, & malitia exponuntur.

DE existentia peccatorum nullus Theologus disputat, nullus unquam Philosophus dubitavit. Quamvis enim Stoïci virum bonum eò usque perducere affectum velint, ut non tantùm peccare non optet, sed etiam non possit; illum tamen etiam laternâ quæsitum invenire non potuerunt viri turgidi, & mentem chimæris pascentes. Quare statim ad peccati essentiam considerandam nos accingimus, quæ ex contrarietate ad virtutem, cui adversatur, magis innotescit. Sit ergo

SPECULATIO I.

Vitii, seu peccati habitualis horrores, & contrarietates repræsentantur.

VErè dicebat Propheta: *Peccatum meum contra me est semper.* Verè etiam Patres peccatum dicunt esse *nihilum armatum*; nihil enim est quod non aggredi moliatur, nihil cui bellum non indicat. Hominem pugnis intestinis interfecat, homines imperit, in Superos tela vibrat, Acheronta movet. Naturam debilitat, gratiam extinguit, rationem floccifacit, virtutes ab imis subruit fundamentis. Decurramus, quæso, communis hostis insultus, ut victoriam de eo, totque triumphos, Deo donante, reportemus, quot molitur hostilitates: justum namque est, ut sicut manus ejus contra omnes, ita manus omnium contra ipsum armentur.

Prima vitii hostilitas.

Primò ergo vitium propriè & strictè contrariatur virtuti; virtus enim & vitium sub eodem genere habitus maximè distant, & ab eodem subjecto se

expellunt, ut constat experientiâ, qua videmus accrescente habitu virtutis decrescere vitium, & istius pariter augmento illam minui. Ergo vitium & virtus sunt verè contraria, unde & nominibus contrariis explicantur; virtus enim justitia, vitium injustitia; virtus æquitas, vitium iniquitas appellantur. Quod satis opportunè explicant aliqui exemplo Esaü & Jacob, qui licèt fratres essent, simul tamen esse non poterant.

Dices: Idem habitus potest transire de bono in malum, v.g. postquam quis diu ex malo fine jejunavit, si depuratâ intentione jejunia frequentet, facilitas abstinendi initio mala, fit intentionis mutatione sancta: Ergo vitium & virtus non se mutuò expellunt à subjecto, nec sunt contraria.

Respondeo, abstinendi facilitatem pravis actibus comparatam nunquam virtutem evadere, nec principium directum operis boni; indirectè tamen ad virtutem generandam viam parare, quatenus removet impedimenta, quibus ablatis citò generatur habitus temperantiæ uno aut altero actu; quia pro majori vel minori impedimentorum obstaculo accelleratur vel retardatur virtutum casta generatio.

Instabis: Idem actus sæpè de bono fit malus, quidni similiter idem habitus moralis de perverso in bonum convertetur? Sicut in habitibus intellectualibus idem de obscuro in clarum transit, ut patet in Theologia, quæ in via fidei subordinata obscuritatem sortitur, in patria verò perseverans claritatem participat visionis.

Respondeo, magnum interesse discrimen inter actus & habitus, & iterum inter habitus speculativos & morales. Inter actus quidem & habitus, quæ licèt multi probabiliter doceant, non posse eundem actum de bono transire in malum, quia variato intellectus judicio, variatur sin necessariè, certè regulariter motus voluntatis: dato tamen actum bonum posse malum evadere, haud rectè tamen idem de habitu colligitur; quia tametsi non sit inconveniens, eundem actum modò rectè, modò perversè tendere in objectum pro diversitate judiciorum practicorum: attamen habitus est essentialiter determinatus ad producendos actus similes illis, à quibus est genitus, aliàs produceret quod non haberet, & causa non intenderet sibi assimilare effectum, quod tritæ Philosophorum maximæ adversatur. Habitus ergo ex pravis actibus, pravisque motivis generatus quid potest nisi malos actus parere, cùm nec arbor mala bonos fructus facere, nec putrida radix plantas salubres possit emittere? Unde etiam patet disparitas quæ habitum moralem inter & speculativum intercedit: etenim habitui virtutis sio essentialis, certè intrinseca est & inseparabilis, cùm virtus sit bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Quod idem dic, proportione servata, de vitio, cùm contrariorum eadem sit disciplina. Cæterùm claritas, vel obscuritas per accidens ratione diversæ subjecti dispositionis contingunt, ut patet in Theologia, quæ ad obscuritatem, vel claritatis evidentiam apta est pro diversitate status viatoris vel comprehensoris, ut ex dictis initio Theologiæ satis, superque liquet.

Pro solutione aliarum objectionum nota primò, quod licèt teste Aristotele uni non sit nisi unum contrarium, hoc tamen non impedit quominus uni virtuti plura vitia opponantur, quia extrema illa vitia uni, eidemque virtuti opposita in genere moris, sunt quid unum dissonans rationi, & virtuti contrarium.

Nota rursus, quod licèt sint aliqua vitia, quæ non habent virtutem strictè sumptam sibi oppositam, ut inverecundia, seu impudentia, & incontinentia, quia verecundia & continentia non sunt strictè virtutes, secundùm Aristotelem & D. Thomam; illa quidem, quia potest esse cum turpi facto, nec operatur intuitu honestatis, sed dedecoris; ista verò quia potest esse cum passionibus immoderatis. Licèt, inquam, hæc ita sint, id tamen nequaquam veritati nostræ sententiæ adversatur; tum quia verecundia & continentia, ut pertinent ad voluntatem, sunt virtutes imperfectæ, quod sufficit; tum quia non oportet, ut omne illud, cui directè opponitur vitium, sit virtus, quamvis omne vitium opponatur virtuti, saltem originaliter: sicut inverecundia impudorata, in quantum ex nimio turpitudinis amore pariente quasi ex adipe iniquitatem, vel nimio elevationis & superbiæ semper ascendentis ambitu, opponitur temperantiæ, vel humilitati.

Secunda vitiorum hostilitas.

Secundò vitia non solùm virtutibus acquisitis, sed etiam infusis adversantur. Explicatur, & probatur. Virtus naturalis & infusa in hoc conveniunt, quod utraque respicit objectum materiale, sub ratione tamen formali diversa: v.g. temperantia acquisita & infusa eundem moderantur ciborum usum; sed illa ratione boni naturalis, putà sanitatis honestè conservandæ; ista ratione subjectionis carnis ad spiritum & legem Dei, ut corpus in servitutem redactum christiana animi exercitia non impediat, à cibis abstinet immoderatis. Sed hoc non impedit, quominus intemperantia naturalis illud eliciat, in quo conveniunt temperantia acquisita & infusa, ciborum nimirum moderationem. Ergo necessariò, cùm acquisitæ, tum infusæ virtuti vitium opponitur, cùm eliciat actus oppositos, eamque à subjecto expellat rationem, puta moderationem, sine qua virtus temperantiæ non consistit. Hæc tamen oppositio non est directa & immediata, quia non est inter objecta formalia, nisi fortè intemperans eo fine vino & cibis plus justo indulgeret, ut lege Dei violatâ divinorum contemplationem præpediret, & christianæ vitæ castimoniam gulæ sordibus infuscaret. Immò quia in actu exercito id vitium efficit, tametsi peccator in actu signato non prætendat, ideo simpliciter dicendum est, vitium virtutibus infusis contrariari.

Quæ doctrina adeo vera est, ut non solùm in eximio elevationis statu, in quo conditi sumus, vitia quæque specialiter virtutibus infusis repugnent propter subordinationem finis naturalis ad supernaturalem, ratione cujus nequit homo à fine naturali desciscere, quin à supernaturali retrocedat: sed etiam in homine in puris naturalibus constituto vitia cum virtutibus infusis oppositionem habuissent; quia vitia quæque ob ingenitam malignitatem sunt per se destructiva materiæ virtutis infusæ, eamque per se expellunt, si inveniunt: quod autem in aliquo statu inveniantur, vel non inveniantur, per accidens est. Sicut licèt frigus non possit recipi in igne, tamen calor ignis est verè contrarius frigori aquæ, quia absolutè se expellerent, si possent eodem in igne subjectari. Sed hæc magis elucidabuntur, quando explicabimus quomodo vitia virtutibus supernaturalibus adversa, naturæ etiam infensa sint; ex his enim apparebit quomodo etiam illa quæ contra naturam sunt, ordini etiam supernaturali adversentur.

Sed inquies: In homine recèns è luto peccatorum emerso remanent putredines vitiorum, habitus nempe illi perversi, quibus sicut ante justificationem, ita & post conversionem ad antiqua stercora nimium propendet; & tamen Deus in justificatione pretiosa virtutum infusarum supellectile animam induit. Ergo vitia virtutibus acquisitis opposita

compatiuntur

compatiuntur in eodem subjecto virtutes infusas, quas proinde non expellunt, subindeque contraria non sunt.

Respondeo, contraria posse esse simul in gradu remisso, & præcipuè si alterum contrariorum sit in via corruptionis: constans autem est, post veram conversionem infusis virtutibus debilitari vitia, suffodi, & tandem evelli. Unde optimè observavit D. Thomas q. 1. *de virt. art.* 10. *ad* 16. quod licèt per actum unicum non soleat corrumpi habitus vitii, tamen actus contritionis virtute gratiæ habet quod corrumpat habitum vitii; unde in eo qui habuit vitium intemperantiæ, cùm sincerè conteritur, id est verè Dei gratiâ, & Sacramento pœnitentiæ mutatur, *non remanet habitus intemperantia cum virtute infusa in ratione habitus, sed in via corruptionis.* Quæ solida Angelici Doctoris verba, ut . I às monuimus, nec iterare piget, indicant quàm suspecta sit innumerorum conversio, quàm falsa, quàm mutilata pœnitentia. Ille enim solus, & non alius verè conteri, verè confiteri, verè pœnitere censendus est, qui mutatur, in quo non remanent veteres habitus nisi in via corruptionis. Ergóne illi verè conversi sunt, qui sæpiùs in peccata lethalia labuntur, & in quibus habitus pravi sunt quadantenus vegetiores? Quid quæso operatur in illis justificatio, quid contritio, quid attritio, quid confessio? Invenies Probabilistas illis quidem veniam daotes: sed ego timeo sacrilegium post Sacramentum. Nam *ubi emendatio nulla, ibi pœnitentia vana.* Et *pœnitentem hominem dico, qui diligit quod antè neglexit, & quod mali fecerat, derelinquit*, inquiunt Patres.

Unde non placet sententia P. Philippi, quem sequitur P. Gonet, existimantis in magnis peccatoribus conversis vitia acquisita cum virtutibus infusis sociari, putà in Maria Ægyptiaca, quæ post conversionem intensissimâ in intemperantiam inclinatione propendebat. Non placet, inquam, quia hæc doctrina S. Thomæ relato manifestissimè adversatur. Tum quia falsum supponit, nimirum in insignibus illis pœnitentibus, quales fuerunt Maria Magdalena, & Ægyptiaca, intensas & vehementes permanere in præteritas sordes propensiones; omnipotentissima enim Dei gratia & simul cor replebat divinorum delectationibus mandatorum, & terrenorum amarorem inspergebat, ut ibi superabundaret gratia, ubi delictum abundaverat. Cujus signum optimum afferunt Patres peritum ex fervore dilectionis & operationis Mariæ pœnitentis, quo extinctas pravas inclinationes demonstravit. *Consideravit quid fecit*, ait Magnus Gregorius, *& noluit moderari quid faceret. Discite quo dolore ardet, quæ flere & inter epulas non erubescit. Quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris. Quæ prius frigida peccando remanserat, postmodùm amando fortiter ardebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta*, addit venerabilis Beda hom. 23. *tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia quidquid ex se Deum contempserat in culpa.* Idem dicendum de Maria Ægyptiaca, cujus pravos habitus non intensissimos, ut fingunt adversarii, sed post conversionem in via corruptionis extitisse demonstrat tam dura, tam austera pœnitentia voluntaria. Nec nbest quod graves carnis stimulos in eterno senserit; nam illos virgo Paulus, & virgo Catharina Senensis dæmone instigante experti sunt.

Itaque post veram conversionem, & justificationis beneficium, non remanet ullus habitus pravus, aliàs voluntas posset dici bona & mala, & in malum, non minùs quàm in bonum peræquè propensa.

Fateor tamen ex præcedentium malorum actuum frequentia quandam in peccata titillationem & internam tentationem permanere; sed ut dicebat D. Thomas, *in via corruptionis*, quia victrix gratiæ delectatio, si vera sit pœnitentia, falsam concupiscentiæ delectationem sin extinguit prorsus, certè domat & sensim absumit.

Tertia vitiorum hostilitas.

Tertiò omne vitium est contra naturam. Nam ut rectè discurrit S. Thomas, illud est contra naturam hominis, quod est contra ordinem rationis: natura enim uniuscujusque potissimè per formam agnoscitur; forma autem hominis est anima rationalis. Atqui vitium est contra ordinem rationis, sicut virtus est maximè juxta ordinem rationis; quid enim magis naturæ rationali consentaneum, quàm ducatum rationis sequi? quid magis dissentaneum quàm ab eo recedere? Ergo vitium omne est contra naturam, quia cuilibet homini quædam inclinatio insita est ut secundùm rationem agat. Et certè si homo habet propensiones communes brutis, quia animal est, necessum est ut illi quà homo & rationalis est, specialis conveniat inclinatio, quæ procul dubio in bonum honestum sponte sua fertur. Unde virtus est quadantenus homini naturalis, non quòd sit illi essentialis, sed quia est in natura radicata, & hominem juxta naturæ suæ exigentiam disponit, ad idque inclinat, quod est naturali hominis formæ consentaneum. Unde Seneca epist. 122. *omnia vitia contra naturam pugnant: omnia debitum ordinem deserunt.* Alia hujus veritatis ratio traditur ab eodem S. Thoma *quæst.* 85. *art.* 4. quia omne cujuslibet naturæ bonum in numero, pondere & mensura, in modo, specie, & in ordine situm est: peccatum autem est privatio modi, speciei, & ordinis, quatenus vel illa minuit, vel penitus tollit: ergo peccatum est contra naturam. Vide ibi S. Doctorem.

Dices; Homo est naturaliter peccabilis hoc ipso, quod est ex nihilo: Ergo peccatum non contra naturam, sed in ipsa natura plantatum est.

Respondeo, quod licèt homini è nihilo producto, & enti potentiali conveniat peccandi possibilitas, ipsum tamen peccatum eidem homini ratione actualitatis ipsius, scilicet formæ, repugnat; & quia in composito actus & forma præcipuum locum habent, id quod est contra inclinationem formæ, contra naturam ipsam esse simpliciter dicendum est. Sicut licèt mors sit juxta inclinationem materiæ compositi dissolutionem semper machinantis, quia tamen repugnat inclinationi formæ, quæ est principium existentiæ & perfectionis, ideo mors simpliciter inimica naturæ nominatur. Addunt aliqui, quod licèt peccandi potestas sit homini connaturalis, peccatum tamen naturæ infestum est, quia licèt quando potentia perfecta & bonis actibus fœta est connaturalis, actus etiam illius sint naturæ consoni: attamen quando potentia est defectiva, actus illius naturæ adversi sunt: sicut corruptibilitas est quidem homini naturalis, actualis tamen corruptio non modò non est naturalis, sed naturam destruit & evertit.

Dices iterum: Omnes fermè homines per viam latam, quæ ducit ad perditionem, incedunt; sensus etiam & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: ergo peccatum est juxta naturæ inclinationem, quæ ex his, quæ in pluribus contingunt, colligitur.

Respondeo fatendo in statu naturæ corruptæ majorem hominum partem post concupiscentias suas ire, & in hoc præsertim sæculo veriùs probari id quod

expellunt, ut conſtat experientiâ, qua videmus accreſcente habitu virtutis decreſcere vitium, & iſtius pariter augmento illam minui. Ergo vitium & virtus ſunt verè contraria, unde & nominibus contrariis explicantur, virtus enim juſtitia, vitium injuſtitia; virtus æquitas, vitium iniquitas appellantur. Quod ſatis opportunè explicant aliqui exemplo Eſaü & Jacob, qui licèt fratres eſſent, ſimul tamen eſſe non poterant.

Dices: Idem habitus poteſt tranſire de bono in malum, v.g. poſtquam quis diu ex malo fine jejunavit, ſi depuratâ intentione jejunia frequentet, facilitas abſtinendi initio mala, fit intentionis mutatione ſancta: Ergo vitium & virtus non ſe mutuò expellunt à ſubjecto, nec ſunt contraria.

Reſpondeo, abſtinendi facilitatem pravis actibus comparatam nunquam virtutem evadere, nec principium directum operis boni; indirectè tamen ad virtutem generandam viam parare, quatenus removet impedimenta, quibus ablatis citò generatur habitus temperantiæ uno aut altero actu; quia pro majori vel minori impedimentorum obſtaculo accceleratur vel retardatur virtutum caſta generatio.

Inſtabis: Idem actus ſæpè de bono fit malus, quidni ſimiliter idem habitus moralis de perverſo in bonum convertetur? Sicut in habitibus intellectualibus idem de obſcuro in clarum tranſit, ut patet in Theologia, quæ in via fidei ſubordinata obſcuritatem ſortitur, in patria verò perſeverans claritatem participat viſionis.

Reſpondeo, magnum intereſſe diſcrimen inter actus & habitus, & iterum inter habitus ſpeculativos & morales. Inter actus quidem & habitus, quia licèt multi probabiliter doceant, non poſſe eundem actum de bono tranſire in malum, quia variato intellectus judicio, variatur ſin neceſſariè, certè regulariter motua voluntatis: dato tamen actum bonum poſſe malum evadere, haud rectè tamen idem de habitu colligitur; quia tametſi non ſit inconveniens, eundem actum modò rectè, modò perversè tendere in objectum pro diverſitate judiciorum practicorum: attamen habitus eſt eſſentialiter determinatus ad producendos actus ſimiles illis, à quibus eſt genitus, aliàs produceret quod non haberet, & cauſa non intenderet ſibi aſſimilare effectum, quod ritæ Philoſophorum maximæ adverſatur. Habitus ergo ex pravis actibus, praviſque motivis generatus quid poteſt niſi malos actus parere, cùm nec arbor mala bonos fructus facere, nec putrida radix plantas ſalubres poſſit emittere? Unde etiam patet diſparitas quæ habitum moralem inter & ſpeculativum intercedit: etenim habitui virtutis ſin eſſentialis, certè intrinſeca eſt & inſeparabilis, cùm virtus ſit bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Quod idem dic, proportione ſervata, de vitio, cùm contrariorum eadem ſit diſciplina. Cæterùm claritas, vel obſcuritas per accidens ratione diverſæ ſubjecti diſpoſitionis contingunt, ut patet in Theologia, quæ ad obſcuritatem, vel claritatis evidentiam apta eſt pro diverſitate ſtatus viatoris vel comprehenſoris, ut ex dictis initio Theologiæ ſatis, ſuperque liquet.

Pro ſolutione aliarum objectionum nota primò, quod licèt teſte Ariſtotele uni non ſit niſi unum contrarium, hoc tamen non impedit quominus uni virtuti plura vitia opponantur, quia extrema illa vitia uni, eidemque virtuti oppoſita in genere moris, ſunt quid unum diſſonans rationi, & virtuti contrarium.

Nota rurſus, quod licèt ſint aliqua vitia, quæ non habent virtutem ſtrictè ſumptam ſibi oppoſitam, ut inverecundia, ſeu impudentia, & incontinentia, quia verecundia & continentia non ſunt ſtrictè virtutes, ſecundùm Ariſtotelem & D. Thomam; illa quidem, quia poteſt eſſe cum turpi facto, nec operatur intuitu honeſtatis, ſed dedecoris; iſta verò quia poteſt eſſe cum paſſionibus immoderatis. Licèt, inquam, hæc ita ſint, id tamen nequaquam veritati noſtræ ſententiæ adverſatur; tum quia verecundia & continentia, ut pertinent ad voluntatem, ſunt virtutes imperfectæ, quod ſufficit; tum quia non oportet, ut omne illud, cui directè opponitur vitium, ſit virtus, quamvis omne vitium opponatur virtuti, ſaltem originaliter: ſicut inverecundia impudorata, in quantum ex nimio turpitudinis amore pariente quaſi ex adipe iniquitatem, vel nimio elevationis & ſuperbiæ ſemper aſcendentis ambitu, opponitur temperantiæ, vel humilitati.

Secunda vitiorum hoſtilitas.

Secundò vitia non ſolùm virtutibus acquiſitis, ſed etiam infuſis adverſantur. Explicatur, & probatur. Virtus naturalis & infuſa in hoc conveniunt, quod utraque reſpicit objectum materiale, ſub ratione tamen formali diverſa: v.g. temperantia acquiſita & infuſa eundem moderantur ciborum uſum; ſed illa ratione boni naturalis, putà ſanitatis honeſtè conſervandæ; iſta ratione ſubjectionis carnis ad ſpiritum & legem Dei, ut corpus in ſervitutem redactum chriſtiana animi exercitia non impediat, à cibis abſtinet immoderatis. Sed hoc non impedit, quominus intemperantia naturalis illud eliciat, in quo conveniunt temperantia acquiſita & infuſa, ciborum nimirum moderationem. Ergo neceſſariò, cùm acquiſitæ, tum infuſæ virtuti vitium opponitur, cùm eliciat actus oppoſitos, eamque à ſubjecto expellat rationem, puta moderationem, ſine qua virtus temperantiæ non conſiſtit. Hæc tamen oppoſitio non eſt directa & immediata, quia non eſt inter objecta formalia, niſi fortè intemperans eo fine vino & cibis plus juſto indulgeret, ut lege Dei violatâ divinorum contemplationem præpediret, & chriſtianæ vitæ caſtimoniam gulæ ſordibus infuſcaret. Immò quia in actu exercitu id vitium efficit, tametſi peccator in actu ſignato non prætendat, ideo ſimpliciter dicendum eſt, vitium virtutibus infuſis contrariari.

Quæ doctrina adeo vera eſt, ut non ſolùm in eximio elevationis ſtatu, in quo conditi ſumus, vitia quæque ſpecialiter virtutibus infuſis repugnent propter ſubordinationem finis naturalis ad ſupernaturalem, ratione cujus nequit homo à fine naturali deſciſcere, quin à ſupernaturali recedat: ſed etiam in homine in puris naturalibus conſtituto vitia cum virtutibus infuſis oppoſitionem habuiſſent; quia vitia quæque ob ingenitam malignitatem ſunt per ſe deſtructiva materiæ virtutis infuſæ, eamque per ſe expellunt, ſi inveniunt: quod autem in aliquo ſtatu inveniantur, vel non inveniantur, per accidens eſt. Sicut licèt frigus non poſſit recipi in igne, tamen calor ignis eſt verè contrarius frigori aquæ, quia abſolutè ſe expellerent, ſi poſſent eodem in igne ſubjectari. Sed hæc magis elucidabuntur, quando explicabimus quomodo vitia virtutibus ſupernaturalibus adverſa, naturæ etiam infenſa ſint; ex his enim apparebit quomodo etiam illa quæ contra naturam ſunt, ordini etiam ſupernaturali adverſentur.

Sed inquies: In homine recèns è luto peccatorum emerſo remanent putredines vitiorum, habitus nempe illi perverſi, quibus ſicut ante juſtificationem, ita & poſt converſionem ad antiqua ſtercora nimium propendet; & tamen Deus in juſtificatione pretioſa virtutum infuſarum ſupellectile animam induit. Ergo vitia virtutibus acquiſitis oppoſita

compatiuntur

compatiuntur in eodem subjecto virtutes infusas, quas proinde non expellunt, subindeque contraria non sunt.

Respondeo, contraria posse esse simul in gradu remisso, & præcipuè si alterum contrariorum sit in via corruptionis: constans autem est, post veram conversionem infusis virtutibus debilitari vitia, suffodi, & tandem evelli. Unde optimè observavit D. Thomas *q.1. de virt. art.10. ad 16.* quod licèt per actum unicum non soleat corrumpi habitus vitii, tamen actus contritionis virtute gratiæ habet quod corrumpat habitum vitii; unde in eo qui habuit vitium intemperantiæ, cùm sincerè conteritur, id est vere Dei gratiâ, & Sacramento pœnitentiæ mutatur, *non remanet habitus intemperantia cum virtute infusa in ratione habitus, sed in via corruptionis.* Quæ solida Angelici Doctoris verba, ut alias monuimus, nec iterare piger, indicant quàm suspecta sit innumerorum conversio, quàm falsa, quàm mutilata pœnitentia. Ille enim solus, & non alius verè conteri, verè confiteri, verè pœnitere censendus est, qui mutatur, in quo non remanent veteres habitus nisi in via corruptionis. Ergóne illi verè confessi sunt, qui sæpiùs in peccata lethalia labuntur, & in quibus habitus pravi sunt quadantenus vegetiores? Quid quæso operatur in illis justificatio, quid contritio, quid attritio, quid confessio? Invenies Probabilistas illis quidem veniam dantes: sed ego timeo sacrilegium post Sacramentum. Nam *ubi emendatio nulla, ibi pœnitentia vana.* Et *pœnitentem hominem dico, qui diligit quod antè neglexit, & quod mali fecerat, derelinquit*, inquiunt Patres.

Unde non placet sententia P. Philippi, quem sequitur P. Gonet, existimantis in magnis peccatoribus conversis vitia acquisita cum virtutibus infusis sociari, putà in Maria Ægypriaca, quæ post conversionem intensissimâ in intemperantiam inclinatione propendebat. Non placet, inquam, quia hæc doctrina S. Thomæ relato manifestissimè adversatur. Tum quia falsum supponit, nimirum in insignibus illis pœnitentibus, quales fuerunt Maria Magdalena, & Ægyptiaca, intensas & vehementes permanere in præteritas sordes propensiones; omnipotentissima enim Dei gratia & simul cor replebat divinorum delectationibus mandatorum, & terrenorum amarorem inspergebat, ut ibi superabundaret gratia, ubi delictum abundaverat. Cujus signum optimum afferunt Patres petitum ex fervore dilectionis & operationis Mariæ pœnitentis, quo extinctas pravas inclinationes demonstravit. *Consideravit quid fecit*, ait Magnus Gregorius, *& noluit moderari quid faceret. Discite quo dolore ardet, qua flere & inter epulas non erubescit. Quia semetipsam graviter erubescebat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris. Qua priùs frigida peccando remanserat, postmodùm amando fortiter ardebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta*, addit venerabilis Beda hom. 23. *tot de se invenit holocausta. Convertit ad virtutum numerum numerum criminum, ut totum serviret Deo in pœnitentia quidquid ex se Deum contempserat in culpa.* Idem dicendum de Maria Ægyptiaca, cujus pravos habitus non intensissimos, ut fingunt adversarii, sed post conversionem in via corruptionis extitisse demonstrat tam dura, tam austera pœnitentia voluntaria. Nec obest quod graves carnis stimulos in eremo senserit; nam illos virgo Paulus, & virgo Catharina Senensis dæmone instigante experti sunt.

Itaque post veram conversionem, & justificationis beneficium, non remanet ullus habitus pravus, aliàs voluntas posset dici bona & mala, & in malum, non minùs quàm in bonum peræquè propensa, Fateor tamen ex præcedentium malorum actuum frequentia quandam in peccata titillationem & internam tentationem permanere; sed ut dicebat D. Thomas, *in via corruptionis*, quia victrix gratiæ delectatio, si vera sit pœnitentia, falsam concupiscentiæ delectationem sin extinguit prorsus, certè domat & sensim absumit.

Tertia vitiorum hostilitas.

Tertiò omne vitium est contra naturam. Nam ut rectè discurrit S. Thomas, illud est contra naturam hominis, quod est contra ordinem rationis: natura enim uniuscujusque potissimè per formam agnoscitur; forma autem hominis est anima rationalis. Atqui vitium est contra ordinem rationis, sicut virtus est maximè juxta ordinem rationis; quid enim magis naturæ rationali consentaneum, quàm ducatum rationis sequi? quid magis dissentaneum quàm ab eo recedere? Ergo vitium omne est contra naturam, quia cuilibet homini quædam inclinatio insita est ut secundùm rationem agat. Et certè si homo habet propensiones communes brutis, quia animal est, necessum est ut illi quà homo & rationalis est, specialis conveniat inclinatio, quæ procul dubio in bonum honestum sponte sua fertur. Unde virtus est quadantenus homini naturalis, non quòd sit illi essentialis, sed quia est in natura radicata, & hominem juxta naturæ suæ exigentiam disponit, ad idque inclinat, quod est naturali hominis formæ consentaneum. Unde Seneca epist. 122. *omnia vitia contra naturam pugnant: omnia debitum ordinem deserunt.* Alia hujus veritatis ratio traditur ab eodem S. Thoma *quæst.85. art.4.* quia omne cujuslibet naturæ bonum in numero, pondere & mensura, in modo, specie, & in ordine situm est: peccatum autem est privatio modi, speciei, & ordinis, quatenus vel illa minuit, vel penitùs tollit: ergo peccatum est contra naturam. Vide ibi S. Doctorem.

Dices; Homo est naturaliter peccabilis hoc ipso, quod est ex nihilo: Ergo peccatum non contra naturam, sed in ipsa natura plantatum est.

Respondeo, quod licèt homini è nihilo producto, & enti potentiali conveniat peccandi possibilitas, ipsum tamen peccatum eidem homini ratione actualitatis ipsius, scilicet formæ, repugnat; & quia in composito actus & forma præcipuum locum habent, id quod est contra inclinationem formæ, contra naturam ipsam esse simpliciter dicendum est. Sicut licèt mors sit juxta inclinationem materiæ compositi dissolutionem semper machinantis, quia tamen repugnat inclinationi formæ, quæ est principium existentiæ & perfectionis, ideo mors simpliciter inimica naturæ nominatur. Addunt aliqui, quod licèt peccandi potestas sit homini connaturalis, peccatum tamen naturæ infestum est, quia licèt quando potentia perfecta & bonis actibus fœta est connaturalis, actus etiam illius sint naturæ consoni: attamen quando potentia est defectiva, actus illius naturæ adversi sunt: sicut corruptibilitas est quidem homini naturalis, actualis tamen corruptio non modò non est naturalis, sed naturam destruit & evertit.

Dices iterum: Omnes fermè homines per viam latam, quæ ducit ad perditionem, incedunt; sensus etiam & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: ergo peccatum est juxta naturæ inclinationem, quæ ex his, quæ in pluribus contingunt, colligitur.

Respondeo fatendo in statu naturæ corruptæ majorem hominum partem post concupiscentias suas ire, & in hoc præsertim sæculo veriùs probari id

quod de suo *lib.6. de provident.* dixit Salvianus: *Omnes admodum in perditionem ruunt, aut certè, ut aliud dicam levius, penè omnes. Ecce in quid recidimus, ecce in quid post illam Christiani populi puritatem, qua omnes quondam immaculati erant, ecce in quid redacti sumus, ut beatam fore Ecclesiam judicemus, si vel tantum in se boni habeat, quantum mali. Nam quomodo beatam non arbitremur, si mediam plebis partem haberet innoxiam, quam penè totam nunc esse plangimus criminosam.* Non tamen propterea peccatum desinit esse contra naturam rationalem, tametsi sit juxta naturam brutalem, quæ post peccatum in homine dominatur, juxta illud: *Comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Ad cujus evidentiam considerandum est, quod cùm homo sit in confinio creaturæ spiritalis & sensitivæ, utriusque propensiones participat; imò & propter conjunctionem animæ cum corpore, ejusque ab eo dependentiam, non pervenit homo ad operationes rationis nisi per sensum; prius enim est quod animale, deinde quod spirituale. Hinc est quod homo sæpe allicitur, sæpe detinetur ab his à quibus incipit, non aspirans ad consummationem, finem in mediis quærit, nefanda perversitate utendis fruitur, & delectationibus sensus, quibus magis afficitur, utplurimùm inescatur; notioribus enim capimur, & sensibilioribus irretimur, præsertim post primigenii peccati labem; quia infirmata vis rationalis, carnalis verò propensio immensùm adaucta est. Addo inclinationem sensitivam non appetere malum ut malum, sed delectabile quærere, ut sibi conveniens: ad rationem porrò ut ad magistram spectare motus ancillæ moderari, & in officio continere; sicut si esset præceptum moriendi, illud refugeret naturalis inclinatio ad vitam prona, non ad peccatum sub ratione peccati.

Quam doctrinam adeò veram existimo, ut crediderim ipsa quoque vitia opposita virtutibus infusis esse contra naturam, ut de infidelitate docet D.Thomas 2. 2. *q.* 10. *art.* 1. & de simonia *q.* 100. *art.* 2. Quia recta ratio dictat, credendum esse Deo revelanti, dictat non esse vendendas res, quarum non sumus domini, quales sunt sacræ. Qua ratione docetur in materia de Angelis, Angelos apostatas indirectè peccasse contra naturalia, quia recta ratio dictat, obediendum esse superiori legitimè præcipienti. Hac etiam ratione docetur in tractatu de pœnitentia, secretum confessionis esse de jure naturæ, quæ omnibus inspirat nostræ fidei commissa servare.

Quorum omnium radix est, quia qui ponit obicem naturæ inferiori, ne perficiatur à superiori cui subordinatur, censendus est illi naturæ repugnare, eique contrarius esse: sicut qui fluxum & refluxum maris impediret, contra naturam aquæ ageret, non secundùm se spectatam, sed prout mobilem à causa superiori, & ab impressionibus lunæ. Quia ergo homo in statu elevationis, in quo jam est, ordinatur ad supernaturalia, peccatum contra præcepta supernaturalia patratum, quod perfectionem naturæ consummativam impedit, contra naturam est. Certè sicut supposita revelatione hujus propositionis, *Christus est homo*, recta ratio dictat, Christum esse risibilem; supposita veritate Eucharistiæ, ratio suadet Christum ibi esse adorandum: ita supposita revelatione fidei, & elevatione hominis ad statum supernaturalem, multa de illis recta ratio disponit. Hinc teste Augustino, virtutes supernaturales, licèt formaliter non sint secundùm naturam, sed supra illam, radicaliter tamen, & quadantenus juxta illam sunt, quia natura illarum capax est. *Posse habere fidem*, inquit libro de prædest. SS. cap. 5. *natura est hominum.* Ergo à contrario, peccata contra hujusmodi virtutes sunt contra naturam, quatenus ponunt in natura impedimentum respectu gratiæ, quod non habet natura secundùm se. *In natura humana est*, inquit S.Doctor 2.2. q.10. art.2. *ut mens hominis non repugnet interiori instinctui, & exterioris veritatis prædicationi: unde infidelitas secundùm hoc est contra naturam.* Sunt tamen aliqua crimina, quæ specialiter peccata contra naturam dici solent, ut sodomia, & bestialitas; quia sunt contra ordinem ab auctore naturæ in generatione prolis præscriptum, de quibus impræsentiarum non disserimus.

Ex quibus patet, Thomistas illos, è quorum numero sunt Philippus, & Gonet, qui ex una parte nolunt vitia virtutibus infusis esse contraria, ex alia verò volunt vitia opposita virtutibus infusis esse contra naturam, non esse consequenter loquutos. Tum quia si vitium repugnet ordini naturali, magis etiam se opponit & adversatur ordini supernaturali, quia perfectior est & purior, ac proinde vitii impatientior. Tum quia licèt virtus infusa non sit debita naturæ hominis, unde ejus per se subjectum est potentia obedientialis; attamen virtutes infusæ sunt perfectiones naturæ rationali consentaneæ, ut ostendimus, nec inficiantur adversarii, quia nimirum inclinant ad actus rationi convenientes. Ergo quod opponitur perfectioni hominis naturali, & rationalem naturam destruit, maximè adversatur perfectioni naturam illam modo congruo perficienti; perfectivum enim naturæ, & si dicere fas est, imperfectivum naturæ maximè opponuntur, maximè distant, maximè se à subjecto expellunt. Tum quia si vitia opposita virtutibus infusis sunt contra naturam, quia rectæ rationi adversantur, quomodo vitia naturalia, quæ illam moderationem funditus evertunt, quam virtutes infusæ secum invehunt, & subjecto conciliant, ipsis virtutibus non adversabuntur, præsertim si sint intra ejusdem objecti materialis sphæram? Quomodo ebrietas, v. g. temperantiæ infusæ non opponetur? cùm illa destruat quod ista ædificat.

Reflexio.

Si adversus hostem communem omnis homo miles est, unde est, unde quæso, quod adversùs vitiorum hostilitates omnia susque deque miscentes, nullique parcentes, non modò arma non sumimus, sed ministramus? O miseriam lacrymabilem! ô miseriam luctuosam! ô cæcitatem incredibilem, & veram! Inimicum ultrò excipimus, amplectimur, fovemus, dum mala incessabiliter malis addimus, peccatis peccata cumulamus. Unde est quod partem felicitatis libertatem esse peccandi arbitramur? Nam si Deus pacificos nobis dies, proventus uberes, divitem bonis omnibus tranquillitatem, & abundantiam dederit supra vota crescentem, tanta secundarum rerum prosperitate corrumpimur, tanta morum insolentium pravitate vitiamur, ut & Dei penitus obliviscamur & nostri. *Et cùm omnem fructum*, inquit Salvianus lib.6. de provid. *datæ à Deo pacis in hoc consistere Apostolus dicat, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate; ad hoc tantùm datâ à Deo quiete utimur, ut in luxuria, ut in flagitiis, ut in rapinis, ut in omni scelere, atque improbitate vivamus. Quasi verò beneficium datæ pacis vacatio sit probrositatis, & ad hoc inducias tranquillitatis Deo donante capiamus, ut licentiùs, securiusque peccemus.*

Unde rursum est, quod nedum corrumpimur prosperis, sed adversis non corrigimur? Quare quos intemperantes pax longa fecit, turbatio non efficit

moderatos

moderatos? Quare viti divitiarum, qui avari in sanitate fuerant, infirmitatibus oppressi pejores fiunt & tenaciores? Quare tot videmus minùs eversos rebus, quàm moribus? Quare tot & tantis depopulatis jam, atque nudatis, aliquid superest de substantia, de christiana nihil supetest disciplina? Gemit universa dudum Europa sub bellorum, & tributorum pondere: anne propterea aliquid de luxu, de libidine, de conviviis, de fastu remissum est? Lugubre est referre quæ à testibus oculatis audivi annis præteritis de Metropoli Candiæ, quinque supra viginti annos continuos obsessa crudelissimi Turcæ obsidione vexata. Ibi visi sunt viri honorati, & ætate provecti, & Christiani, & Catholici, imminente excidio civitatis, vel saltem impendente vitæ proximo periculo, inter æneorum tormentorum impetus & fragores gulæ & lasciviæ servientes. Quid in illis primùm accusandum sit, nescio. An quod honorati, an quod provecti, an quod Christiani, an quod periclitantes? Quis enim hoc fieri posse credat, vel in securitate à provectis, vel in discrimine à pueris, vel unquam à Christianis? Vidisses homines in deliciis & spurcitiis nefandis sepultos, oblitos honoris, oblitos ætatis, oblitos professionis, oblitos periculi, oblitos nominis sui: vidisses, inquam, confectos cibo, vino languidos, luxuria dissolutos, libidinibus præposteris debilitatos. Vidisses illic res lacrymabiles, nihil scilicet pueros inter & viros differre: una quippe erat scurrilitas, una levitas, simul omnia luxuria occupabat. Et miramur post omnia ista, si sanctissimi Clementis IX. preces, & vota repulit Deus? Miramur, si ruinam rerum suarum passi sunt, qui tantò antè mentibus corruerant. Nemo credat Metropolim illam in excidio tantùm suo periisse. Priùs perierat, quàm periret. Væ nobis & servis nequissimis nequioribus, & insipientibus parvulis stultioribus, quos nec quasi malos servos tormenta corrigunt, nec quasi infantulos blandimenta convertunt. Væ nobis qui bona accipimus, ut in Deum arma sumamus. Ille nobis ad hoc bona præstat, ut boni simus; nos bona recipimus, ut mala nostra cumulemus. Ille nos beneficiis suis vocat ad probitatem, nos ruimus in improbitatem: ille beneficiis suis provocat ad compunctionem, nos ruimus in dissolutionem. Sic compensare Domino Deo nostro beneficia quæ ab eo accepimus, admittimur? Sic referimus gratias fœneratori gratiarum, & vicem munerum reddimus munetanti? Sic, præclarè scilicet, sacris muneribus respondemus? Sic, præclarè scilicet, dona ejus vel accipimus, vel honoramus, qui quantum ab eo beneficiorum accepimus, tantum ei rependimus injuriarum.

Speculatio II.

Peccati actualis, tum commissionis, cùm omissionis malitia & deformitates describuntur.

Si partus sequitur ventrem, si flos & fructus radicis sugit exprimitque naturam, ex fæculento vitiorum fonte quid sperare possumus, nisi peccati actualis fœtores, & deformitates? Disputant aliqui an vitium habituale sit pejus peccato, an nefandus parens deterior filio iniquitatis? Et concors sententia est, quod si aliqua sit inter hæc duo mala comparatio, peccatum actuale vitio ipso deterius est. Tum quia pro actu vitioso aliquis justè punitur, non autem pro habitu, si non prorumpat in actum; nam juxta veridicam Augustini *lib. de prædest. SS. cap. 10.* doctrinam: *Nemo meretur, aut demeretur per id, quod facere potest, sed per id quod facit.* Tum quia habitus medio modo se habet inter potentiam & actum; manifestum est autem, quod actus in bono & malo præeminet potentiæ, ut dicitur *9. Metaph.* melius est enim benè agere, quàm posse benè agere: unde habitus in bonitate & malitia medium gradum obtinet inter potentiam & actum, ut sicut habitus bonus, vel malus superat in bonitate, vel malitia potentiam; ita actus bonitati, vel malitiæ cedat. Tum quia habitus non dicitur bonus vel malus, nisi ex hoc, quod inclinat in actum bonum vel malum: ergo major est bonitas vel malitia in actu quàm in habitu: nam propter quod unumquodque tale, & illud magis. Tum quia habitus est causa actus in genere causæ efficientis: actus autem est causa habitus non solùm in genere causæ efficientis (actus enim generant habitum) sed etiam in genere causæ finalis, secundùm quam in moralibus consideratur ratio boni & mali: ergo bonitate & malitia actus habitum antecellit. Ex quibus sponte sequitur, quod si tanta sit vitii turpitudo, qualem præcedenti speculatione repræsentavimus, longè intolerabilior est peccati actualis fœtor, cùm sit actualis expressio, succus, & eliquatio putoris vitii, quod est vulnus animæ, & plaga tumens conscientiæ cauteriatæ. Emoveamus, quæso, hos putidæ paludis vapores, ut sacro horrore perciti imposterum peccata vitemus.

Malitia peccati commissionis.

Primò igitur circa malitiam peccati commissionis, in quo consistat, nihil addendum iis superest, quæ superiori tomo de constitutivo malitiæ moralis operosè tradidimus, ubi peccati malitiam in privativo sitam esse omni genere argumentorum demonstravimus; ubi etiam ostendimus, esse de essentia mali moralis, ut importet disconvenientiam & difformitatem ad legem: unde si per impossibile nulla daretur lex, nullum daretur peccatum formaliter, sed tantùm fundamentaliter, quia nulla daretur regula, à qua humana actio recederet. Illud solùm in hoc loco observare placet, quod alicubi apud P. Chalvet aliàs legisse me memini, nimirum in hoc peccati actualis naturam perversè divinam imitari, quòd sicut Deus ratione perfectionis illimitatæ incomprehensibilis est, ita peccati turpitudo, & deformitas infinita comprehendi etiam nequaquam potest. Unde de peccato non secus ac de Deo, dispari tamen ratione, pronuntiare possumus, peccatum eùm dicitur, dici non potest; cùm æstimatur, non potest æstimari; cùm definitur, non potest definiri, ipsa definitione decrescit. Quia sicut Deus est quod est, ita peccatum est quod non est. Hinc est, quod sicut triplici via ad Dei notitiam pervenimus; negationis, quâ omnes imperfectionum labes removemus; affirmationis, quâ illi omnes perfectionum dotes asserimus; causalitatis & eminentiæ, quâ omnes creaturarum perfectiones simpliciter simplices modo altiori illi attribuimus; ita similiter peccatum cognoscimus negatione, dum ab eo omnem prorsus boni rationem removemus, unde de eo dicitur Job 40. *In umbra dormit, & umbram ejus protegunt umbræ.* Quia nimirum peccatum umbra est, totque umbris surdet, quot sunt bona quibus peccantem privat; Deo enim privat, ratione, lege æterna, naturali, humana, gratia, virtutibus, donis, auxiliis, protectione, aliisque animæ & corporis bonis. *Ecce quid facit cupiditas ad peccandum præceps*, ait Chrysost. serm. 1. *Filium nudavit, non ditavit: filium tulit è gremio patris, ejecit de domo, exemit patria, spoliavit fama, exuit castitate. Quod vita, quod morum, quod est pieta-*

tis, quod libertatis, quod est gloria, nihil reliquit. Secundò viâ affirmationis peccatum describimus, si congregatis in unum omnium malorum monstris, totum peccato asseras, quod est summum malum, & malorum omnium summa. Unde teste Tertull. *lib. de pudicit. cap.* 3. peccatum totius mali census est, quia nullum aliud præter peccatum, malum censendum est. Denique per viam eminentiæ & causalitatis peccatum habet omnia cæterorum malorum incommoda, & aliquid amplius. Horrenda est mors, horribilior est peccati nex; crudeles belluæ, sævior peccati immanitas; obscura nox, obscuriores peccati tenebræ. Uno verbo, & fœtore spurcitius, & horrore confusius, & dolore acrius, & mœstitia tristius, & confusione implicatius, & infirmitate languidius peccatum est. Quia nimirum peccatum est cæterorum malorum omnium causa universalis, unica, & totalis: ergo cæterorum malorum omnium virus eminenter præcontinet.

Malitia peccati omissionis.

Secundò circa malitiam peccati omissionis plura superiori tomo, dum de voluntario, tetigimus. Unde totam istam materiam non tam profundè scrutabimur, quàm recolemus, & paucis decurremus. Sciendum ergo primò, per hoc distingui peccatum omissionis à peccato commissionis, quòd primum est contra præceptum affirmativum, & consistit in hoc, quod non fit quod jubetur: secundum verò est contra præceptum negativum, & consistit in hoc, quod fit aliquid lege prohibitum. Unde fit peccatum omissionis in sua essentia non includere aliquem actum; etenim ad non implendum præceptum non requiritur actus, sed carentia, vel cessatio illius. Ad voluntarium quippe indirectum non requiri actum formalem, vel interpretativum, sed sufficere potestatem & debitum non omittendi, aliàs demonstravimus. Et quidquid contra hoc objici potest, probat solùm peccatum omissionis exigere actum, non qui sit de essentia, sed qui sit occasio, vel causa præsens, vel præcedens illius; quod ibidem ex professo suasimus. Quorum summa est, quia secluso omni actu voluntas non potest esse determinata in actu secundo, nec formali, qui est actus expressus; nec virtuali, quia hic supponit alium formalem, ex quo sit relicta inclinatio in voluntate. Maximè quia non potest intelligi exercitium voluntatis, sive indirectum, sive directum, nisi ex motione alicujus boni & finis, quod est adæquatum voluntatis objectum: motio autem finis est ipse actus voluntatis, ut à fine allectus: ergo ad omissionem voluntariam necessariò requiritur, vel præsupponitur actus, quo exerceatur libertas & vitalitas voluntatis. Tanta enim est voluntatis cum intellectu sympathia & colligatio, tanta actuum, tamque correspondens consonantia, ut posito rationis judicio, voluntas necessariò in aliquem actum prorumpat, licèt ad ipsam pertineat, quem in particulari actum operetur eligere. Ex quibus obiter inferes, Theologos illos, è quorum numero est noster Gonetus, qui prima parte, dum de voluntate Dei disputant, docent voluntatem divinam potuisse manere suspensam; & tamen in tractatu de actibus humanis, vel de peccatis docent, non posse dari omissionem peccaminosam sine aliquo actu; inferes, inquam, Authores illos sibi contradicere & pugnantia loqui: ideo namque probant omissionem non esse sine actu peccatum, quia non est voluntaria, utpote non procedens ex inclinatione voluntatis; voluntas enim sine actu manet in statu actus primi, in quo nullum est exercitium, nulla actualis inclinatio; vita enim actualis, seu exercitium vitale, est motus ab intrinseco, qui per negationem, vel suspensionem non habetur. Rationem illam diffusè prosequitur Gonet *tract. de peccatis, disp.* 3. *art.* 2. §. 2. oblitus suæ de suspensione voluntatis Dei doctrinæ. Voluntati enim actus puri magis repugnat suspensio, quàm voluntati potentiali creaturæ.

Nec dicas, malitiam peccati omissionis non provenire ex actu, qui est causa, vel occasio omittendi, cùm sæpè talem actum esse bonum, vel indifferentem constet, unde potiùs habet esse malum ex omissione peccaminosa: ideo enim quis peccat largiendo eleemosynam tempore, quo debet audire Missam, non quia largitur, sed quia omittit. Non, inquam, id dicas, quia essentialis peccati omissionis malitia non emendicatur ab actu, sed potiùs pensatur ex ratione specifica actus, quo privat; actum tamen supponit tanquam causam, vel occasionem, ut sit voluntaria, quanvis etiam ab eo accidentalem possit haurire malitiam; pejor enim est omissio Missæ ad furandum, quàm ad studendum, finis quippe malitiam electionis auget, vel minuit.

Sciendum secundò, voluntatem dupliciter posse ferri in omissionem, directè scilicet, & indirectè. Fertur directè voluntas in omissionem, non quidem ipsam appetendo propter se, quia negatio rationem boni & appetibilis habere nequit, sed in ordine ad aliquem finem amatum, v. g. fertur voluntas in omissionem Missæ ex ordinato amore studii, indirectè verò fertur voluntas in illam, quando voluntas illam non in se, sed in alio objecto vult. V. g. in ludo vult omissionem Missæ, licèt de Missa non cogitet, qui audire & cogitare tenetur. De utroque actu variæ sunt difficultates, pro quarum dilucidatione

Sciendum tertiò, actum qui directè fertur in omissionem peccaminosam, eandem formaliter habere malitiam, quam habet omissio. Illa enim eandem specificam malitiam sortiuntur, quæ ad idem objectum ordinantur, ex eodemque motivo procedunt: talia autem sunt omissio, & voluntas omittendi. Quorum radix est, quia voluntas peccati per se ad peccatum illud pertinet, quod concupiscit, juxta illud: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum illam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Unde actus qui est causa omittendi, non distinctum specie, imò nec numero est ab omissione peccatum; omissio enim actualis se habet ad voluntatem omittendi, sicut actus exterior ad interiorem, cui nullam bonitatem, nullamve malitiam adjicit. Et idem dic de actu, qui est occasio omittendi: si enim voluntas omittendi idem sit cum omissione peccatum, quidni similiter actus qui est occasio illius? Nam eodem præcepto & omissio, & actus causans illam prohibentur; præceptum quippe affirmativum Missæ includit virtualiter negativum interdicens omnibus, quibus Missæ auditio impediri solet.

Si dicas: Omissio missæ est solùm peccatum contra religionem, vel obedientiam; actus verò, qui est causa illius, v. g. studium, est contra aliam virtutem studii moderatricem, scilicet studiositatem, cujus est præscribere studium quando duntaxat licitum est; quod in nostro casu non fit: ergo studium distinctam habet ab omissione Missæ deformitatem. Respondebis virtutes morales moderari actus humanos circa propria objecta, non circa objecta aliarum virtutum; unde studiositatis quidem est disponere tempus studii, quantum ad ipsum spectat, ut nimirum nec nimium sit, nec minus quàm par est. Porrò ad illam non spectat videre, utrum tempus quod aliunde studio opportunum est, debeat officiis religionis impendi, quia hæc circumstantia cùm sit extra sphærã objecti

sui,

sui, illi omninò accidentalis est, & extrinseca; onde eunc studens non contra studiositatem, sed contra virtutem religionis peccat. Sicut qui tempore Missæ confectato moderatè pranderet, non utique contra temperantiam, sed contra præceptum audiendæ Missæ peccaret.

Sciendum quattò, actum dupliciter se habere ad omissionem: primò quidem per se, ut causa, vel occasio ex natura rei impeditiva adimpletionis præcepti: secundò concomitanter. Difficultas tamen est non mediocris in discernendo, quandonam actus per se, quando verò concomitanter omissionem causat, præsertim si præcesserit directa omittendi voluntas; si enim non præcessit, quicumque actus voluntariè ponatur, si præcepti adimpletionem impediat, causa erit omissionis. Aliqui ergo hanc statuunt regulam generalem: Quicumque firmiter decrevit omissionem, putà Missæ, concomitanter se habebit actus ad illam, nec erit ullatenus peccatum, si sit de se bonus, vel indifferens. Neque enim homo post tale propositum, timetsi malum, tenetur manere otiosus, & peccatum peccato addere. Quæ regula cum hac limitatione intelligenda est, ut nimirum non eliciatur actus qui reddat hominem adimplendi præcepti impotentem, si fortè facti, decretive pœniteret. Sic Clericus in alto mari navigaturus, qui post impium nunquam recitandi officii propositum, Breviarium in mare projiceret, in novum scelus incurreret, quia se legendi Breviarii impotem efficeret, etiam in casu pœnitentiæ. Sic qui post expressam non audiendæ Missæ voluntatem rura dissita peragraret, novum crimen patraret, quia non solùm non obedire præcepto audiendi sacri malum est, sed etiam illius adimplendi potestatem sibi adimere, & impossibilitatem sibi ingenerare peccatum est, & cordis duri argumentum. Sic qui post non servandi castitatis voti propositum nuberet, matrimoniumque consummaret, majori se peccato inquinaret, quia non solùm peccatum admitteret, sed in miseram peccandi necessitatem ultrò se inferret.

Alii aliam regulam assignant, nihilo fortè faciliorem, dum aiunt, omnem primum actum incompossibilem cum observantia præcepti esse novum peccatum, & causam omissionis, tametsi præcesserit expressa omittendi voluntas; actus verò primùm consequentes, concomitanter se habere. V.g. si quis post decretum non audiendi Missam statuat manere domi, hoc statutum, illaque mansio peccatum erit, secus verò alia opera, quæ domi actus est. Indiget tamen hæc regula sicut præcedens limitatione, ita ut intelligatur de electione actus ita incompossibilis cum adimpletione præcepti, ut etiamsi propositum omissionis corrigeretur, non posset præceptum adimpleri; si enim primò eligeretur actus, qui adimplendi præcepti impossibilitatem non inveheret, actus ille non esset novum peccatum, quia per se non redderet impotentem in casu pœnitentiæ; solus autem actus reddens præceptum observatu impossibile, per se influit in omissionem: unde in illo peccat, sive præcesserit expressa omittendi voluntas, sive non; sicut mortaliter peccat infligens vulnus lethale homini, etiam habenti aliud vulnus lethale. An autem aperiendi sint in confessione hi actus impossibilitatem adimplendi præcepti inferentes, negant aliqui, quia actus illi non sunt distinctum ab omissione peccatum: crediderim tamen, tutius esse omnia aperire, quia actum impossibilium & peccandi necessitatem inferentium appositio saltem peccandi granditatem exaggerat, & pravi cordis duritiem, ac malitiæ intensionem patefacit.

Tertia regula in medium proferri potest, meo quidem judicio planior, si dicamus, post suppositam expressam omittendi voluntatem, actus deinde eliciendos tunc se habere per se, & in omissionem moraliter influere, si actus illi ideò ponantur, ut omissio consequatur, apponaturque adimplendo præcepto impedimentum. Quod si actos velit homo, eliciatque ratione ipsorum, non prout conducunt ad omissionem, sitque operans ita comparatus, ut etiamsi actus illos non eliceret, nihilominus Sacro non interesset; tunc actus illi concomitanter se habent, nec per se sunt causa omissionis, ac proinde non sunt peccatum, quia propter illos non omittit homo facere quod debebat, nec in illis vult omissionem. Sicut è contra, quando actus est per se causa omissionis, quantumcunque aliàs sit bonus, malus esse incipit, quia prava circumstantia inficitur; sit enim quando non debet, causatque id quod prohibitum est; unde cùm sit virtualis malæ omissionis voluntas, peccatum esse convincitur: malum quippe est quod parit iniquitatem.

Quæres, quandonam incipiat malitia omissionis, quandonam consummetur?

Respondeo, malitiam omissionis incipere cum actu qui est causa, vel occasio illius, quia tunc incipit, cùm exoritur peccandi voluntas: qui autem voluntariè ponit actum impedientem præcepti observantiam, omissionem vult, saltem indirectè; unde hinc incipit peccatum. Consummatur verò peccatum omissionis per effectivam omissionem, quando nimirum exspirat tempus obligationis; quidquid in contrarium credat Vasquez existimans, tunc solùm peccatum committi, quando causa voluntariè apponitur. Sed nostra sententia, quam sæpe D. Thomas inculcat, vera est. Tum quia sicut peccatum commissionis tunc consummatur, non quando innascitur alieni subripiendi voluntas, sed quando reapsa aufertur alienum: ita similiter tunc complenur malitia omissionis, quando exspirat tempus obligationis, quia tunc verum est, præceptum esse violatum, quod hactenus poterat observari. Sicut etiam qui peccat ex ignorantia crassa & vincibili, non solùm peccat in causa ignorantiæ, sed etiam dum actum malum ex ignorantia admittit: ita similiter non solùm peccat qui vult omittere, causamque omittendi apponit, sed & qui in fine temporis urgentis opus impetatum omittit. Tum deinde, quia non solùm voluntas & causa omissionis, sed & ipsa actualis omissio debent in confessione aperiri, non minùs quàm actus exterior ex efficaci voluntate consequutus; maximè quia per expressionem causæ sæpe innotescere nequit numerus omissionum, qui tamen debet Sacerdoti declarari. Nam post expressam Breviarii projectionem explicandum superest, quot vicibus post illam projectionem divini officii lectionem prætermisit, vel utrum projectionem nefariam retractaverit. Denique si lata foret excommunicationis sententia contra non audientes Missam, non per solam omittendi Sacri voluntatem, sed per actualem omissionem excommunicationis vinculo quis teneretur. Ergo signum est, quod in actuali omissione completur, consummaturque peccatum.

Dices: Ad peccatum requiritur libertas: at homo sæpe sæpiùs libertate caret cùm consummatur omissio, utpote si dormiat, vel sit ebrius; ergo tunc non peccat, sed solùm cùm liberè causam malæ omissionis apposuit.

Respondeo in primis, sæpe hominem esse sui compotem, & libertate præditum, quando exspirat tempus obligationis: unde tunc hoc argumentum, quod

apud adversarios palmarium est, abit in fumum. Absolutè etiam contendo, semper peccatum omissionis compleri, cùm exspirat tempus urgentis præcepti; quia ad peccatum sufficit voluntarium in sua causa: sic ebrius peccat contra præceptum de audiendo Sacro, etiam dum in vino sepultus edormit crapulam, & exhalat, quia liberè hoc impedimentum apposuit: sicut peccat peccato commissionis, dum vino immersus occidit servum, vel ancillam constuprat, si hos excessus è vino secuturos prævideri, vel prævidere debuerit. Maximè quia non major requiritur libertas ad consummandum peccatum, quàm ad complendum meritum, vel recipiendum Sacramentum. At si quis in vigilia habens propositum martyrii, vel baptismatis, noctè vel baptizaretur in somno, vel pro Christo occideretur, verè & Baptismatis gratiam, & Martyrum aureolam in illo fortunato somno sibi compararet, tametsi actualis libertatis exercitium ligatum, impeditumque foret. Non tamen in somno posset Sacerdos conficere Sacramenta, tametsi ante somnum intentionem ea conficiendi habuerit; quia Sacramentorum confectio non ex sola hominum voluntate, sed potissimùm pendet ex institutione Christi, qui non dormientes, sed vigiles ministros elegit, ut ex perpetua Ecclesiæ traditione liquet. Nec in his, quæ à Dei voluntate fiunt, valet argumentum à simili, vel disputandi subtilitas quidquam evincit.

Dices: Non imputatur culpa homicidii homini venenum propinanti, quando sequitur mors, sed quando fuit apposita causa mortis: Ergo similiter non imputatur omissio, nisi in causa.

Respondeo, quod illi qui venenum propinavit, si perversam postea retractet voluntatem, certum est, non imputandam iri mortem; si verò non retractet, tunc completur homicidii peccatum, quando sequitur mors in propinatione inchoata. Accedit, satis magnum interesse discrimen, quia propinatio transit; unde tempore mortis nihil facit homicida, quod sit causa mortis, sed fecit; unde non censetur causa mortis, nisi quando apposuit causam illius. At verò actus, qui est causa, vel occasio omissionis, tandiu durat, quandiu urget præceptum; & quia omissionem vult homo in illo actu, tunc solùm completur peccatum omissionis, quando expirat tempus præcepti, & quando actus, qui est causa, vel occasio, desinit esse impedimentum adimplendi præcepti.

Quæres rursum, an peccatum omissionis, & commissionis distinguantur.

Respondeo, peccata illa in esse physico distingui plusquàm specie, & plusquàm genere, cùm peccatum commissionis per actum privatum rectitudine exerceatur, peccatum verò omissionis per cessationem actus & carentiam illius. Quantùm autem distinguatur actus, & carentia actus, nemo non videt. Porrò si peccata illa considerentur in esse moris, ejusdem speciei erunt, si ad idem objectum ex eodem motivo procedant. Ita asserit expressè S.Doctor *art.6.* quod declarat exemplis. Primò non jejunare, & cibos immoderatè ex eodem satisfaciendi gulæ incitamento comedere, sunt peccata ejusdem speciei; & tamen non jejunare est peccatum omissionis oppositum actui virtutis abstinentiæ, quo transgredimur præceptum affirmativum; comedere verò cum excessu est peccatum commissionis. Displicet hoc exemplum Vasquesio contendenti, non jejunare non esse peccatum omissionis, quia non est privatio actus, sed potiùs jejunare est privatio actus comestionis, nec frangitur jejunium nisi per actum. Sed facilè respondetur jejunium, de quo loquimur, esse actum virtutis abstinentiæ, ut docet D. Thomas 2.2.*quæst.*147.*art.*1. & 2. quo quis ex proposito abstinet à cibis, quod vocat jejunium jejunantis: unde non jejunare est peccatum omissionis, seu carentia illius actus, vel propositi. Deceptus est autem Vasquez, quia confudit jejunium virtutis cum jejunio naturæ, quod utique est pura negatio, vocaturque à D. Thoma jejunium jejunii. Aliud exemplum est: Rapere aliena est peccatum commissionis; non dare verò pecuniam raptam, est peccatum omissionis, & contra præceptum affirmativum restituendi, præcipiens actum justitiæ commutativæ: & tamen illa duo peccata non distinguuntur specie, si ex eodem motivo avaritiæ, vel injustitiæ admittantur.

Ratio verò fundamentalis hujus responsionis est hæc: Duplex est finis actionum humanarum; alius dicitur finis operis, alius finis operantis. Primus est essentialis actui humano; secundus verò accidentalis, & adventitius, ut ex dictis de moralitate manifestum manet. Ergo quando omissio & commissio ordinabuntur ad eundem finem operis, erunt ejusdem speciei essentialis in ratione peccati, ut contingit quando omissio, & commissio ad idem specie vitium spectant. Sic eadem homicidii labe fordet, & esurientem in extrema necessitate non pascere, & panem veneno infectum impartiri. Quando verò ordinabuntur ad eundem finem accidentalem, erunt ejusdem speciei accidentalis, ut si ad mœchiam referatur furtum, & omissio Missæ.

Ad quorum profundiorem intellectum considerandum est, signanter & advertenter dixisse S.Thomam, tunc solùm commissionem & omissionem esse ejusdem speciei, quando ad idem objectum ordinantur. Per quod explicari potest quod 1. 2. *quæst.*79. *art.*1. & 3. ait idem S.Doctor, commissionem, & omissionem distingui specie, non solùm quando opponuntur diversis virtutibus, sed etiam quando opponuntur illis duabus partibus justitiæ, quæ sunt declinare à malo, & facere bonum. Hoc enim verum est, non solùm in genere naturæ & materialiter, ut exponit Cajetanus; sed etiam in esse moris, si ad diversum finem ordinentur: unde omissio & commissio etiam contra eandem virtutem possunt esse diversæ speciei moralis, si ad diversum finem referantur. Si verò ad eundem finem, tam operis, quàm operantis ordinentur, certum est ad eandem speciem moralem, quæ à fine desumitur, pertinere: sicut recessus à termino à quo, & accessus ad terminum ad quem, ad unam & integram motus speciem spectant; nam omissione à bono recedimus, commissione in malum turpiter protrimus. Fateor tamen interdum in commissione majorem quàm in omissione apparere gravitatem; malignius enim est Deum odisse, quàm ab eo, urgente præcepto, amando abstinere.

Reflexio.

Vidisti quid sit peccatum commissionis, & omissionis: attende quale sit. Parum, vel nihil reputas, dum vel omittis quod præcipitur, vel quod prohibetur admittis. Erras, peccator; erras, & vehementer erras. O perverse rerum æstimator! ô mendax filii hominis in stateris! Túne illud leve putas, quod Deus infinito prosequitur odio, ad cujus iniquitatem mundi Dei oculi, testante sacro eloquio, respicere nequeunt; ad cujus horrorem tangitur dolore cordis intrinsecus, pœnitetque quod fecerit hominem; in quod toto furoris æstu excandescens desævit, peccatoribus occurrens quasi leæna, quasi pardus in via Assyriorum, quasi ursa raptis catulis, dirumpens interiora

jecoris

jecoris eorum, & consumens eos quasi leo, quasi bestia agri scindens eos, congregans super eos mala, & sagittas suas complens in illis, ut divina ingeminat Scriptura? Túne illud floccifacis, & leve suspicaris, qui peccatum sicut aquam bibis, qui semper vel mala agis, vel bona præcepta, ut delinquas, derelinquis: illud, inquam, cujus pondus immensum, gravitas infinita, & scientiam Dei non timet, & potentiam vilipendit, & dominium aspernatur, & vitam, si posset, adimeret, divinitatem enecaret, unitatem destrueret, dum rationem ultimi finis in mediis collocans, utendis fruitur, utitur & fruendis? Túne illud parvipendis, quod naturæ infestum est, quod legem impugnat, virtutes obliterat, gratiam extinguit, adversùs Deum levat manum suam, contra omnipotentem roboratur, religionem conculcat, in publicam, privatamque perniciem conspirat, authorem suum corrodit, lacerat, exedit?

Væ nobis cæcis, leve arbitrantibus pondus illud cui Christus succubuit! Væ nobis, qui omni studio, omnique nisu non solùm jussa non facimus, superbâ omissione, sed contra id facimus quod jubemur, nefariâ commissione. Jubet quippe Deus ut omnes invicem diligamus; nec tantùm amare desinimus, sed mutua nos infestatione laceramus. Jubet Deus, ut egentibus nostra tribuamus; & non solùm dare negligimus, sed aliena avidi pervadimus, si valemus. Jubet Deus, ut omnis qui Christianus est, etiam oculos castos habeat, & non solùm oculos continere floccifacimus, sed totos nos luto fornicationis involvimus. *Et quid plura?* (inquit Jeremias Christianus, Salvianum appello lib. 3. de Provid.) *Grave & luctuosum est, quod dicturus sum. Ipsa Dei Ecclesia, quæ in omnibus debet esse placatrix Dei, quid est aliud, quàm exacerbatrix Dei? Aut præter paucissimos quosdam, qui mala fugiunt, quid est aliud penè omnis cœtus Christianorum, quàm sentina vitiorum. ::: Et quod diximus, ne nimis forsitan gravis videatur esse censura, plus multò dicam: faciliùs invenias reos malorum omnium, quàm non omnium; faciliùs majorum criminum, quàm minorum: id est faciliùs, qui & majora crimina cum minoribus, quàm qui minora tantùm sine majoribus perpetrarint.*

Si te tantùm læderet peccatum, esses quidem deplorandus, sed tamen esses ferendus: hoc verò quis ferre possit, homuncionem Deo, vermem Omnipotenti, nihilum Enti per essentiam, creaturam Creatori bellum inferre? Et tamen ita est, peccatum enim, teste Augustino *lib. 22. contra Faust. cap. 27.* est essentialiter *dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam*, à qua omnes aliæ leges, positiva scilicet, & naturalis, tanquam radii à sole, rivuli à fonte profluunt; quia ut dicitur Proverb. 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Quod etiam de peccato omissionis verum esse tradit D. Thomas *quæst. 71. art. 6. ad 2.* quia *affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus, & ideò pro eodem est accipiendum dictum, non dictum; factum, non factum.* Ergo cùm peccatum Dei legem cordibus nostris impressam, & signatam super nos conculcet, profectò peccator supremum legislatorem contemnit, eumque creaturæ nefanda comparatione postponit. Nam ut ait Tertull. lib. de pœnit. cap. 5. *Nonne diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognovit, & justificando pronuntiasse esse meliorem, cujus se rursus esse maluerit.*

Subscribit S. Thomas *quæst 28. de verit. art. 2.* sic: *Quicumque aliquem digniorem indigniori postponit, injuriam ei facit, & tanto ampliùs, quanto res est dignior. Quicumque autem in re temporali finem sibi constituit, quod facit omnis mortaliter peccans, ex hoc ipso quantùm ad affectum suum præponit creaturam Creatori, diligens plus creaturam, quàm creatorem.* Hæc cùm ita sint, perpende cum Augustino, quàm magnus puteus sit profunditas iniquitatis humanæ, in quam & committendo, & omittendo corruis. Cave ne te tantum profundum absorbeat, vel urgeat super te puteus os suum. Ad tanti monstri fœditatem exhorresce, ne tibi sempiternus horror obveniat.

SPECULATIO III.

Specifica peccatorum distinctio, necnon eorum inæqualitas, potissimùm ex objecto petenda est, & deinde ex circumstantiis.

PRima pars per se ferè patet; quia sive peccatum constituatur essentialiter per aliquid positivum, sive per aliquid privativum, sive per utrumque, semper stat, in peccato commissionis dari habitudinem actus ad objectum, sive hæc habitudo sit de essentia, sive sit tantùm fundamentum malitiæ. Atqui stante diversa habitudine ad objecta diversa, non possunt non esse diversa peccata; sive peccatum sit in illa habitudine, ut patet; sive peccatum situm sit in privatione, quia ex diversa habitudine diversa consequitur privatio. Ergo peccata distinguuntur specie penes diversa specie objecta formalia, seu habentia diversam difformitatem ad rationem.

Hîc etiam pro nostra sententia peccatum in privativo constituente annotare libet, quod cùm S. Doctor *q. 72. art. 1.* ait distinctionem peccatorum sumi non ex parte inordinationis, sed ex parte objecti, loquitur de distinctione peccatorum, ut sunt actus humani & voluntarii. Unde signanter in corpore, & *ad 2.* dixit, peccata magis distingui specie ex parte actuum, & objectorum, quàm ex parte inordinationis in peccato existentis. Nec valet instantia M. Serræ dicentis D. Thomam loqui de specie peccatorum, non in esse physico, sed morali, subindeque malitiam moralem in illa habitudine sitam esse. Non, inquam, valet: licèt enim Angelicus Doctor non loquatur de actu peccati physico physicè sumpto, loquitur tamen de illo ut est fundamentum malitiæ, sub qua ratione genus moris, si non formaliter, saltem fundamentaliter ingreditur. An verò peccata ex præceptis quæ violant, distinctionem sortiantur, dicemus *cap. sequenti, speculat. 1.* circa quartam divisionem.

Secunda pars supponit, omnia peccata non esse æqualia: cujus ratio traditur à S. Thoma *quæst. 73. art. 2.* efficax illa quidem, sed explicatione indigens, & fundata in destructione fundamenti Stoïcorum oppositum sentientium, nixorumque hoc argumento, vel potiùs sophismate: Peccatum consistit in privatione: privationes autem omnes sunt æquales, utpote consistentes in indivisibili, subindeque incapaces suscipiendi magis & minus: ergo & peccata omnia sunt æqualia. Hoc autem fundamentum sic convellit profundissimus D. Thomas: Privationum aliæ sunt in facto esse, nihil omninò de forma opposita relinquentes, ut mors & tenebræ; aliæ in fieri, quæ formam oppositam non omninò tollunt, subindeque habent latitudinem tantò majorem vel minorem, quantò plus, vel minùs de forma opposita relinquunt. Privatio autem quam importat peccatum, est secundi generis, non solùm juxta opinionem eorum (quibus superiori tomo adstipulati sumus) qui censent in actu

peccati

peccati posse aliquem bonitatis secundum quid radium incessa, ut si actus sit ex fine bonus, ea sola verò duntaxat circumstantia vitiatus; sed etiam secundùm illos, qui ponunt, per peccatum nihil de rectitudine formali actus relinqui, sed totam extingui. Quia privatio formæ dicentis ordinem ad aliam, tanquam sui radicem, habet magis, & minus; quatenus licèt totaliter tollat formam, quâ immediatè privat, potest tamen magis vel minus relinquere de ordine ad formam illam ulteriorem & radicalem, quam non evertit, tametsi in eam veluti cuniculis agat. Exemplo fiet res hæc illustris: Ægritudo privatio est removens ab humano corpore sanitatem, attamen quia vitam, in quam molitur, non destruit, radicem sanitatis non evellit, sed magis vel minus ad eam tollendam disponit: ideò ratione formæ viventis, quæ est sanitas radicalis, cuique mediatè opponitur, rectè dicitur suscipere magis & minus. Idem de peccato dici potest, quia non solùm rectitudini virtutis immediatè opponitur, sed etiam principiis virtutis, synteresi nimirum, & ingenitæ ad bonum honestum propensioni mediatè adversatur. Unde secundùm quod magis, vel minus de inclinatione illa radicaliter sibi opposita diminuit, magis, minusve suscipere, & latitudine quadantenus gaudere dicetur.

Quam rationem magis penetrabis, magisque firmabis, si perpendas, vix, ac ne vix quidem ullum esse peccatum omnes funditus destruens circumstantias, quodve non possit cum majori conatu, duratione, plurium perversorum finium adunatorum intensione, & veluti complicatione patrari. Ergo peccatum licèt sit privatio, potest suscipere magis & minus; quia peccatum minus, nec tot, nec tantis bonis privat, quibus spoliat majus. Sicut licèt qualibet à civitate expulsione, privemur; gravius tamen, molestiusque exilium est, quo quis in novum orbem relegaretur, quàm si milliari duntaxat distans exularet. Neque dicas S. Thomam *lib. 3. cont. Gent. cap. 139.* docere, illud interesse discrimen inter ea quæ sunt intrinsecè mala, & illa quæ non mala sunt, nisi quia prohibita, quòd in primis datur inæqualitas malitiæ, quia non totaliter tollunt bonum oppositum; secus verò in secundis, quia licèt recedere à virtute sit malum, subindeque magis recedere, majus malum; tamen facere opus prohibitum non est de se malum, sed per accidens, in quantum prohibitum. Non, inquam, id dicas; quia licèt hæc doctrina sit vera attento præcisè jure positivo, tamen quia habet semper pro motivo diversas virtutes, hinc etiam est, in peccatis solo jure positivo vetitis inæqualitatem inveniri. Hoc supposito

Probatur secunda pars, vel potiùs ex prima sponte fluit. Si enim peccata multiplicantur, & distinguntur specie secundùm objecta, à quibus specificantur, clarum est inæqualitatem peccatorum ex objectis primò & principaliter desumi, cùm inæqualitas essentialis ex distinctione specifica & essentiali petatur: ac proinde peccatum tanto est gravius, quanto objectum est pejus. Unde peccata contra Deum, contra virtutes Theologicas, religionem, & pœnitentiam, sunt omnium gravissima: deinde peccata contra hominem secundum occupant locum, ut homicidium & calumnia; posteà peccata contra res exteriores sunt tertiæ classis, ut furtum. Porrò peccata ejusdem classis eo sunt atrociora, quo majori, & præstantiori virtuti opponuntur, quia tunc objectum deterius est, utpote privans objecti melioris bonitate. Peccata verò opposita eidem virtuti tanto graviora censenda sunt, quanto magis illi adversantur: illi autem magis adversari constat, quando magis inclinationi virtutis repugnant, vel quando primariæ, & præcipuæ ejus inclinationi se opponunt. Si enim virtus inclinat in medium impellendo, sicut fortitudo & liberalitas, peccatum quod ab illa inclinatione retrahit, gravius meritò reputatur: sic pejor est avaritia prodigalitate, pejor timiditas audaciâ. Si verò virtus in medium refrenando inclinet, vitium impellens erit atrocius: sic intemperantia insensibilitate, & nimia corporis austeritate deterior est. Sic denique licèt odium Dei repugnans primariæ inclinationi charitatis sit pejus infidelitate; non tamen schisma repugnans bono proximi, in quod charitas secundariò inclinatur, est pejus infidelitate, quæ divinæ veritati adversatur.

Verumtamen has regulas, cæteris paribus intelligito, & nisi casus circumstantiarum pondere mutetur. Nam peccata venialia contra præstantiorem virtutem commissa, non utique graviora, sed sunt leviora mortalibus contra minùs excellentem virtutem patratis. Imò mortale in materia minoris virtutis potest esse gravius alio excellentiorem virtutem offendente, ratione nocumenti insigniter notabilis: sic utique homicidium omissione Missæ gravius est. Unde præfatæ regulæ intelligendæ sunt quando oppositio est æquè immediata & directa. Sic idololatria, & odium Dei sunt homicidio pejora. Ex quo etiam fit, timiditatem, quam diximus suprà audaciâ, spectatis duntaxat meritis objecti, graviorem, sæpe, & ferè semper esse ratione circumstantiarum illâ leviorem, quia minus de voluntario, minusve de malitia haberet solet. Quâ etiam ratione D. Thomas 2. 2. *quæst. 142. art. 3.* docet intemperantiam esse peccatum timiditate gravius, licèt istud opponatur præstantiori virtuti, scilicet fortitudini. Per se tamen, & ex objecto timiditas est deterior; imò potest esse mortalis, putà si quis metu mortis fidem negaret, vel patriam proderet.

Ex his rectè colligit D. Thomas *quæst. 73. art. 5.* peccata spiritualia esse carnalibus graviora: quod à viris spiritualibus observari velim, & perveli..., ne dum vident alios in peccata carnis incidere, illos sibi postponant, contemnant, & in superbiam longè deteriorem ipsi labantur. Ratio autem hujus doctrinæ petitur tum ex parte subjecti nobilioris, quod deformant & inficiunt immediatè vitia spiritualia; spiritum enim à Deo avertunt, in quo peccati perversitas potissimùm sita est. Peccata autem carnalia in corpore exercentur, & in conversione ad bonum commutabile consummantur: quæ conversio minùs mala est, imò nec mala est, nisi quia à Deo avertit. Unde non ita pridem aiebat sapiens Prælatus, dolere se plurimùm, quòd in Communitatibus laxioris disciplinæ advertisset *peccata hominum*, in aliis strictiorem foris vitam profitentibus, *peccata dæmonum*; id est spiritualia, invidiam, superbiam, ambitionem, & alia, quæ Scotus vocat *luxurias spirituales*. Tum ex parte objecti, quia peccata spiritualia contra Deum, proximum, & præstantiores virtutes pugnant; carnalia verò corpus offendunt & maculant: corpus autem sicut minùs est ex charitate diligendum, ita minor habetur culpa in ipsum patrata. Tum ex parte motivi, ad carnalia namque peccata pluribus, vehementioribusque impellimur incentivis, propter legem membrorum legi mentis repugnantem, propter corpus quod corrumpitur, aggravatque animam, propter terrenas cogitationes sensum deprimentes, propter concupiscentiam carnis omnibus innatam, & primigenii peccati granditate, & eaundatione immensùm auctam. Ergo excusabiliora sunt peccata carnalia spiritualibus, seu ut ait Gregorius Magnus lib. 33. Moral. cap. 11. *Peccata carnalia sunt minoris culpæ, & majoris infamiæ.* Dicuntur autem majoris infamiæ, quia ut Philosophus 3. *Ethic. cap. 3.* observat, peccata intemperantiæ sunt

sunt maximè exprobrabilia, quia sunt circa illas delectationes, quæ sunt communes nobis & brutis. Unde sæpe superbos in vitia illa corporea justo Dei judicio prolabi, ut confundantur, notant Patres spirituales.

Tertia pars, affirmans alias peccatorum inæqualitates ex circumstantiis opus pravum comitantibus obvenire, est probatu facilis, nec nisi expositione eget. Primò enim peccatum est intensivè majus, quando ex majori voluntatis conatu procedit. Unde fit, peccata ex ignorantia, passione antecedente, infirmitate, vi, metu, & tentatione commissa, minùs intensa, minusque proinde gravia esse; quia cùm minùs voluntaria sint, à minori etiam voluntatis conatu procedunt: peccata verò ex deliberatione, finisque intenti amore patrata, esse per se graviora, & intensiora, eòque ampliùs, quo finis magis allicit, quia finis movet voluntatem, & causat conatum ejus.

Secundò: Peccatum erit extensivè majus, si fiat vel in personam Deo conjunctiorem, ut occisio Sacerdotis aliâ hominis communis nece gravior est, unde de illis dicitur Zachar. 2. *Qui vos tetigerit, tangit pupillam oculi mei*; vel si in personam ipsi peccanti conjunctiorem committatur, sic horribilius longè est occidere patrem, cognoscere matrem, quàm in alios similia attentare; vel si in personam in dignitate, vel auctoritate constitutam aliquid moliamur, sic deterius est Magistros (quibus sicut nec parentibus par nunquam referre possumus) offendere quàm discipulos, vel æquales; sic peccatum quod fit in personam publicam, putà Regem, Principem, qui gerit personam totius multitudinis, longè eo gravius est, quod in privatam personam committitur, quia injuria illis illata in nocumentum communitatis redundat. Unde specialiter *Exodi* 22. dicitur: *Principi populi tui non maledices*. Peccatum etiam augetur ex conditione personæ peccantis, docet D. Thomas *art.* 10. cujus doctrinam in relectione speculationis primæ capitis sequentis expendemus.

Tertiò non parum accrescit granditas peccati ex nocumento sequuto, vel sequi nato, præsertim si nocumentum sit prævisum & intentum; tunc enim quia directè volitum est, directè etiam novam infert & invehit peccato gravitatem. Si verò nocumentum prævisum duntaxat sit, & intentum, peccatum indirectè auget, quia tunc nocumentum indirectè, virtualiter, & in sua causa volitum est. Si verò nocumentum non sit intentum, nec prævisum, sed contingat ob prævidendi negligentiam, pro granditate incuriæ crescit gravitas culpæ; si verò omnis diligentia moralis adhibeatur, & nocumentum per accidens, rarò, & ut in paucioribus consequatur, non imputatur ad culpam, etiamsi dederit operam rei illicitæ, nisi fortè in foro exteriori, in quo qui dat operam rei illicitæ, præsertim periculosæ, & ob periculum vetitæ, semper præsumitur negligens. Unde Sacerdos non foret irregularis, qui facta omni necessaria diligentia, putans occidere feram, interficeret hominem, secus, nisi opus illicitum sit per se inductivum mortis; tum Sacerdos irregularis in utroque foro meritò coërcetur, qui immoderatis flagri ictibus discipulum eo vulnere feriret, unde mors consequeretur, nec excessum suum posset excusatione tegere, vel adumbrare; quia & modum in impingendis fustibus tenere, & periculum mortis prævidere, non verò carnificinam exercere debet. Bonum quippe est, imò necessarium pueros in culpas lapsos, vel labi solitos, à Magistris nedum verbis, sed etiam verberibus castigari; cavendum tamen est, ne unquam crudelitati locus sit. Absit à Sacerdote, absit à Religioso, absit à viro Christiano, id est Agni Christi discipulo, ut specie juvenilium impetuum refrenandorum crudelitati aditum iter patefaciat. Quod libenter hîc annotare placuit propter quosdam Ludimagistros ætate magis quàm sapientiâ juniores, qui partem felicitatis invenisse se putant, si miseros juvenes opportunè importunè verberibus operiant; nec tam volunt eorum culpas punire, quàm eos in culpas incidere avent, ut eorum flagellandorum optatissimam sibi occasionem nanciscantur. Quod nedum Sacerdotis & Religiosi modestia, sed etiam sapientis gravitate, & moderatione prorsus indignum est. Quod si nocumentum per se sequatur, tametsi nec prævisum, nec præintentum sit, peccatum proculdubio aggravat etiam directè, quia virtualiter velle censemur quidquid ex eo, quod volumus per se fluit. Unde in illis ignorantia non excusat.

Sed inquies: Hæ regulæ in multis deficiunt. Nam mulier prævidens ob ornatum accuratum, vel ingressum in Ecclesiam, se turpiter amandam, non tenetur se jure suo privare, modò nihil mali intendat. Ergo periculum, nocumentumve prævisum, non causat etiam indirectè peccatum. Ergo prima regula certa non est. Nec secunda etiam; nam si ego videam ex actione mea per accidens damnum alteri inferri, & peccandi materiam ministrari, teneor ab illo opere abstinere. V. g. si sciam Confessarium illum ex peccatorum meorum exomologesi lapsurum, vel talem cibum pollutionem voluntariam causaturum, teneor & alium adire Confessarium, & hujusmodi me cibo non necessario privare. Ergo falsum est, nocumentum per accidens sequutum non aggravare peccatum. Tertia etiam regula nihilo melior est; nam sollicitans mulierem ad peccatum dispositam, non peccat peccato scandali, si solùm carnis propriæ delectationem, non spiritale illius damnum intendat. Ergo nocumentum per se sequutum non semper aggravat operis iniquitatem.

Respondeo, has regulas firmas tutasque consistere. Ad primum facilis responsio est; mulier enim tale nocumentum nec causat, nec ex ejus ornatu, vel incessu sequi natum est, sed ex sola utitur petulantia juvenis, qui & imaginibus & sacramentis sæpe nimis ad peccandum abutitur. Unde mulier si christianæ modestiæ limites non prætergrediatur, juvenis peccatis minimè onerabitur. Sed hîc non attramento, sed lacrymis, sed sanguine describenda, deplorandaque foret mulierum hujus sæculi luxuriantium vanitas infrunita, quæ solæ perire nolunt, nisi aliis causa perditionis existant; quæ incredibili amentia dum pictitas quærunt, effigiem naturæ mutant, opus Creatoris adulterant, imaginem à Deo fictam delent, quia vultum materiali candore obliniunt, exquisito rubore perfundunt, collum catena constringunt, pedes compedibus arctant, corpus obruunt indumentis. Considerent, quæso, quod juxta Patres, mulieres illæ antichristianæ, & paganismi spiritu plenissimæ, dum crines calamistro rotant, dum se totas manibus fucant pigmentis, adulterinisque fallaciis, ut vultus hominum ad se provocent, etsi nullum inde sequatur damnum, judicium tamen patientur æternum, quia venenum attulerunt, si fuisset qui biberet. Attendant quod juxta sacrum, quo uno judicabimur, Evangelium, subtilium pretiosarumque vestium cultus peccatum habetur; si enim, ut Gregorius Magnus notat, culpa non esset, nequaquam sermo Dei tam vigilanter exprimeret, quod dives, qui torquebatur apud inferos, bysso & purpura indutus fuisset. Denique cogitent vanum cor magis cultui vestium, quàm virtutum insistere, & exteriorem corporis superfluitatem interioris vanitatis indicium esse. Mollia indu-

menta

menta animi mollitiem indicant, nec tantùm curaretur corporis cultus, nisi priùs neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Scio equidem ornatum mulierum, & exquisitum cultum, tametsi à christiana simplicitate & humilitate per se abhorrentem, ideoque ab Apostolo *circumpositiones auri* improbante vetitum, interdum fieri licitum, & rectum, si nimirum maritus, cui subesse jubetur uxor, præcipiat, nec possit exorari. Sed tunc licet quidem cultus, sed non lascivia; debetque mulier verè Christiana in superbo cultu cor humile, in splendido vestitu Esther Reginæ animum retinere, quæ cultum suum tanti faciebat, quanti pannum menstruatæ.

Ad secundum respondeo, quod licèt per se non sequatur tale nocumentum, teneor tamen & proximo, & mihi in extremis periculis ex charitate subvenire: & quia peccatum malorum omnium summum est, teneor & aliena, & propria, si per me solùm stet, peccata impedire. Quomodo enim Deum syncerè & super omnia amare ille dici potest, qui perituræ utilitatis, vel fluxæ delectationis jacturam pati detrectat, ut mortem spiritalem proximi, vel suam cum infinita injuria conjunctam devitet?

Certè sicut licèt jure meo utar, dum propria bona expendo, vel servo ex charitate; tamen me tali jure privare, & pauperibus superflua erogare teneor: ita à fortiori ob memoratas in argumento commoditates teneor mortem spiritalem propriam, vel alienam corporali deteriorem declinare.

Ad tertium dicendum, sollicitationem mulieris dispositæ non infici malitia peccati scandali, quia meretrix illa ad peccandum parata est, nec pervertitur voluntas, sed materia datur perversæ voluntati, ubi tota residet malitia peccatorum. Nec est simile de muliere, quæ inducitur, & ad peccandum attrahitur; quia ista non supponitur ad peccatum præparata, sed tentatione corrumpitur voluntas, & malo opere corpus. Non est etiam simile de fornicatione publica, quæ licèt solius causâ delectationis quæratur, scandalo tamen plena est, quia est virtualis sollicitatio & provocatio omnium sive dispositorum, sive non dispositorum, quatenus dum inverecundè erigitur vexillum iniquitatis, peccandi facilitas deposito pudore aperitur. Unde Patres peccatum scandali Deicidio Judæorum conferre non timent. *Num tibi videtur*, inquit Bernardus, *graviorem ab eo Christum sustinere persequutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernitioso, scandali occasione ab eo pervertit animas, quas redemit; quam à Iudæo, qui sanguinem suum fudit?*

Reflexio.

Quanvis inæqualia sint, distinctaque peccata, nec inter se connexionem habeant, quia bona apparentia, quæ concupiscunt peccatores, sæpiùs nedum disparata sunt, sed opposita; amor enim sui, ut docet D. Thomas q. 93. art. 1. ad 3. *disgregat affectum hominis in diversa, prout scilicet homo se amat, appetendo sibi bona temporalia, quæ sunt varia, & diversa.* In quo differt ab amore Dei, qui ut ait idem S. Doctor, *est congregativus, in quantum affectum hominis à multis ducit in unum: & ideo virtutes, quæ ex amore Dei causantur, connexionem habent*; quia nimirum ad unum omnes tendunt, quod sine omnibus haberi perfectè nequaquam potest, nimirum rectitudinem, & bene operandi facilitatem juxta regulas prudentiæ, & legis divinæ, ut aliàs ostendimus; vitia verò ab uno, scilicet medio rationis recedunt: patet autem, quod per tendentiam in unum distincta connectuntur, sicut lineæ ad unum punctum confluentes uniuntur, à quo dum recedunt, à se etiam divelluntur. Quanvis, inquam, hæc ita sint, formidanda tamen est Apostoli Jacobi vox, quam *cap. 2.* emittit: *Quicumque totam legem servaverit, offendat tamen in uno, factus est omnium reus.* Fit autem omnium reus, qui peccat in uno, non solùm quia omnia merita quàmlibet eximia æquè mortificat, ac si omnium criminum sordibus inquinaretur; non solùm quia omnibus operibus peccatum comitantibus meritum adimit; non solùm quia non minùs Deo privatur, quàm si in omnia fuisset scelera prolapsus; non solùm quia quolibet mortali charitatem extinguit, in qua universa lex pendet & Prophetæ; non solùm quia in quolibet peccato superbia, & ingratitudo inveniuntur, in quibus criminum omnium virus veluti compendio includitur: sed etiam quia qui semel positos à ratione aggeres disruperint, qui præfinitos à lege limites & lineas transilierint, post resoluta divinæ legis, quibus à peccato prohibebantur, vincula, postque perruptum factum hunc obicem humanis cupiditatibus oppositum, in omnia facilè vitia quadratâ portâ ruunt. Peccatum enim, juxta tritum Gregorii axioma, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit.

Hinc est, quod peccator apponit iniquitatem super iniquitatem, & abyssum abyssum invocante, ita eum nefaria inflammat æmulatio, ut sicut boni optant cunctos honestate mentium vincere, & virtutum universarum culmen ascendere, sic ille cupiat cæteros pravitate superare, opterque palmas sibi universorum scelerum vendicare. Ubinam gentium sumus, ô Christiane Lector! Quò abiit primævi Christianismi sanctimonia! Vellem mihi in hoc loco ad exæquandam rerum dignitatem, parem negotio eloquentiam dari, ut scilicet tantùm virtutis esset in querimonia, quantùm doloris in causa. Et quæ tandem, rogo, spes emendationis in nobis est, qui nequitiam pro sapientia diligimus; qui tantò prudentiores esse nos credimus, quantò pejores sumus; quive non errore opinionis ad malum ducimur, sed studio malæ voluntatis admittimur, ut semper pejores esse videamur?

O ubi estis fontes lacrymarum! vel quomodo temperant à fletibus oculi, dum vident præsentis faciem Christianismi? Prætermitto rabiem cupiditatis, vitium totius generis humani. Prætereo avaritiæ inhumanitatem, cui omnes student. Relinquantur ebrietatum & gulæ comessationes nobilibus, ignobilibusque communes. Taceantur superbia & tumor, peculiare olim divitum vitium, nunc ubique sparsum. Omittatur omne fraudum, falsitatum, & perjuriorum nefas, omnis spurcitiarum libido. Singularia, inquam, vitia silentio prætereuntur, quia nulla improbitas est, quæ apud Christianos non redundet. Et verius apud nos esse probatur, quod olim lugens deplorabat *lib. 6. de provid.* Salvianus: *Sicut in sentinam profunda navis colluviones omnium sordium; sic in mores nostros quasi ex omni mundo vitia fluxerunt. Cæteri homines etsi nonnullis flagitiorum vitiis obligati sunt, quibusdam tamen non implicantur: multos etsi accusat incontinentia corporum, simplicitas commendat animorum. In nobis nihil horum est, quia totum admodum malum. Exceptis enim paucissimis, ubi non omnia execratione digna?* Sed ut de cæteris taceam, quis nescit totum fermè orbem obscœnis libidinum tædis ardere, & sicut Ætna intestinis naturæ ferventis ardoribus, sic totum, quàm latè patet, mundum abominandis jugiter fornicationũ ignibus æstuare? Quis nescit scaturientes vitiis civitates, urbes omnium iniquitatum genere furentes, plenas quidem nubis, sed magis turpitudinibus, vincentes se invicem, & certantes nequitiâ flagitiorum?

CAPUT

CAPUT II.

De variis & specialibus peccatorum divisionibus.

LIcèt solius boni sit esse sui diffusivum, subindeque sola virtus multiplex esse debeat; nescio tamen quo fato malum ipso bono fœcundius in ramos fundatur infinitos; & cùm unica sit ad quamlibet virtutem via, innumeræ sint semitæ iniquitatis, quibus ab eadem virtute recedimus. Sed absit ut ex fœcunditate oriatur vitiorum multiplicitas, quæ non nisi ex corde arido & sterilescente procedit. Absit ut ferax terra illa dicatur, quæ spinas & tribulos germinate duntaxat nata est, & ad nihilum valet ultrà, nisi ut conculcetur ab hominibus. Absit ut pestis momento grassata, & provincias depopulata fertilis esse dicatur, quia mortes invehit, funera multiplicat, sepulchra implet. Sic ergo malum, quàmlibet diffusum, & ubique sparsum, non fœcundum, sed sterile censendum, cùm nos orbet fructu virtutum.

SPECULATIO I.

Peccatorum multiplex divisio sub brevitate transcurritur.

PRimò dividuntur peccata in spiritualia & carnalia: priora in delectatione spirituali, posteriora in carnali consummantur. Hæc divisio licèt sit adæquata, non est tamen essentialis, ut quidam credunt. Cujus ratio est, non solùm quia carnale, & spirituale non sunt differentiæ essentiales peccati ut sic; sed etiam quia delectationes carnales, & spiritales non sequuntur operationes speciè morali diversas; ejusdem enim specificæ malitiæ est superbia interior & exterior: ergo & delectationes utramque consequentes eadem malitiæ moralis labe sordescunt; delectationes quippe non ex se bonæ vel malæ sunt, sed totam ab actibus unde fluunt, honestatem, vel turpitudinem mutuantur.

Secundò peccatorum alia sunt contra Deum, alia contra seipsum, alia contra proximum. Licèt enim omnia & singula peccata contra Deum sint, à quo avertunt; contra ipsum etiam peccatorem sint, cùm naturæ adversentur; in nonnullis tamen injuria Dei, in aliis nocumentum proprium, in cæteris proximi damnum magis eminent ratione objecti quod respiciunt, & virtutum quibus adversantur. Sicut enim virtutum aliæ rectè nos circa Deum disponunt, quales sunt Theologicæ, religio, & pœnitentia; aliæ nos ipsos rectè informant, ut fortitudo, & temperantia; aliæ in ordine ad proximum nos benè instituunt, ut justitia, misericordia, & mansuetudo; unde sententiosè dicebat Apostolus Tit. 2. *Sobriè, & justè, & piè vivamus*; piè erga Deum, justè erga proximum, sobriè erga nosmetipsos. Ita vitiis virtutibus illis adversis specialiter vel Deum, vel nosmetipsos, vel proximum lædimus. Quæ divisio utique essentialis censenda est, cùm ab objecto specialiter dissono, unde dignoscitur habituum character, desumatur.

Tertiò dividitur peccatum in peccatum cordis, oris, & operis. Quæ divisio tripliciter intelligi potest. Primò ut per peccatum cordis illud accipiatur, quod interiùs consummatur, ut hæresis; per peccatum oris illud, quod loquutione perficitur, ut mendacium; per peccatum operis illud, quod opere completur, ut adulterium, vel homicidium. Secundò sic exponitur hæc divisio, ut illa tria distinguantur solùm ex intentione peccantis, & unum ab alio secernentis, ut si quis mœchari vellet, turpia tamen desideria exequutioni mandare non vult, quia vel aperire nefandam voluntatem erubescit, vel pœnam timet. Tertiò sic non incommodè intelligitur hæc divisio, ut illa tria distinguantur sicut inchoatio, progressus, & consummatio; & tunc non sunt distincta etiam numero peccata, sed varia ejusdem peccati membra, unde sola operis consummatio in confessione aperienda est, quia cùm aliquis de adulterio se accusat, & illud voluisse, & verborum lenociniis mulierem prolectasse satis superque intelligitur.

Quartò aliud est peccatum commissionis, aliud omissionis, de qua divisione abundè satis superioribus speculationibus disputavimus. Ad intellectum tamen doctrinæ D.Thomæ q.72. art.6. ubi hanc divisionem exponit, placet observare, quod licèt communiter, & verè asseratur peccatum omissionis à peccato commissionis distingui, quòd primum sit contra præceptum affirmativum, secundum verò contra negativum: notat tamen S. Præceptor ibidem *ad* 2. peccata non distingui, nec diversificari secundùm diversa præcepta legis. Quia peccata non habent speciem ex parte aversionis, quia secundùm hanc rationem privatio sunt, sed ex parte conversionis ad objectum, unde actus humani, & voluntarii speciem sortiuntur; sicut motus non specificantur, nec distinguuntur ex termino à quo recedunt, sed ex eo ad quem tendunt. Esse autem contra legem ad aversionem spectat, non ad conversionem: Ergo ex diversitate legum non provenit formaliter diversitas peccatorum. Unde furtum à lege civili, ecclesiastica, naturali, & divina prohibitum, ejusdem speciei est, sicut & prohibitio à diversis Prælatis subordinatis indicta, quia non novam obligationem inducit, sed eandem repetit & inculcat.

Ad quorum claritatem advertendum est, cum supradictis stare, ea legum, superiorumque præceptum inculcantium multiplicatione non parùm aggravari peccatum, quia tunc transgressio obfirmatam cordis duritiem, peccatoris malitiam, mandatorum contemptum, & iniquitatem quasi ex adipe prodeuntem & transeuntem in affectum cordis significat.

Advertendum rursus, ea diversitate legum posse quadantenus peccatorum diversitatem derivari, quando scilicet leges idem quidem præcipiunt vel prohibent, sed ex diverso convenientiæ, vel disconvenientiæ motivo; quia tunc leges diversa præbent objecta formalia, à quibus formalis peccatorum diversitas proficiscitur: unde furtum in Ecclesia diversæ speciei est à furto alibi perpetrato, quia Ecclesia prohibet furtum in templo speciali motivo religionis, sicut etiam dum prohibet Clerici percussionem: mendacium verò in Ecclesia prolatum non inficitur malitiâ sacrilegii, quia nullo speciali mandato interdicitur. Et in hoc sensu verum est quod ait D.Thom. quæst.2. de malo, art.6. *Si aliqua essent peccata solùm quia prohibita, in his rationabile esset, ut secundùm differentiam præceptorum specie peccata differrent.* Si nimirum præcepta res distinctas præciperent, vel eandem duplici motivo specie diverso, modo dicto, prohiberent.

Ex quibus sequitur resolutio multorum casuum. V. g. hinc perspicuum est, quid sit dicendum de illo qui frangit jejunium in vigilia Apostoli occurrente in Quadragesima, vel in feria quatuor temporum. Si enim bina illa jejunia à S. Matre Ecclesia sub uno eodemque pœnitentiæ, & temperantiæ motivo, ut probabilis opinio fert, præcipiantur, unicum committitur peccatum: si verò jejunium specialiter sit ad cultum Apostolorum, vel in gratiarum actionem beneficio

CAPUT II.

De variis & specialibus peccatorum divisionibus.

Licèt solius boni sit esse sui diffusivum, subindeque sola virtus multiplex esse debeat; nescio tamen quo fato malum ipso bono fœcundius in ramos fundatur infinitos; & cùm unica sit ad quamlibet virtutem via, innumeræ sint semitæ iniquitatis, quibus ab eadem virtute recedimus. Sed absit ut ex fœcunditate oriatur vitiorum multiplicitas, quæ non nisi ex corde arido & sterilescente procedit. Absit ut ferax terra illa dicatur, quæ spinas & tribulos germinate duntaxat nata est, & ad nihilum valet ultrà, nisi ut conculcetur ab hominibus. Absit ut pestis momento grassata, & provincias depopulata fertilis asse dicatur, quia mortes invehit, funera multiplicat, sepulchra implet. Sic ergo malum, quámlibet diffusum, & ubique sparsum, non fœcundum, sed sterile censendum, cùm nos orbet fructu virtutum.

SPECULATIO I.

Peccatorum multiplex divisio sub brevitate transcurritur.

Primò dividuntur peccata in spiritualia & carnalia: priora in delectatione spirituali, posteriora in carnali consummantur. Hæc divisio licèt sit adæquata, non est tamen essentialis, ut quidam credunt. Cujus ratio est, non solùm quia carnale, & spirituale non sunt differentiæ essentiales peccati ut sic; sed etiam quia delectationes carnales, & spiritales non sequuntur operationes specie morali diversas; ejusdem enim specificæ malitiæ est superbia interior & exterior: ergo & delectationes utramque consequentes eadem malitiæ moralis labe sordescunt; delectationes quippe non ex se bonæ vel malæ sunt, sed totam ab actibus unde fluunt, honestatem, vel turpitudinem mutuantur.

Secundò peccatorum alia sunt contra Deum, alia contra seipsum, alia contra proximum. Licèt enim omnia & singula peccata contra Deum sint, à quo avertunt; contra ipsum etiam peccatorem sint, cùm naturæ adversentur; in nonnullis tamen injuria Dei, in aliis nocumentum proprium, in cæteris proximi damnum magis eminent ratione objecti quod respiciunt, & virtutum quibus adversantur. Sicut enim virtutum aliæ rectè nos circa Deum disponunt, quales sunt Thelogicæ, religio, & pœnitentia; aliæ nos ipsos rectè informant, ut fortitudo, & temperantia; aliæ in ordine ad proximum nos benè instituunt, ut justitia, misericordia, & mansuetudo; unde sententiosè dicebat Apostolus Tit. 2. *Sobriè, & justè, & piè vivamus*; piè erga Deum, justè erga proximum, sobriè erga nosmetipsos. Ita vitiis virtutibus illis adversis specialiter vel Deum, vel nosmetipsos, vel proximum lædimus. Quæ divisio utique essentialis censenda est, cùm ab objecto specialiter dissono, unde dignoscitur habituum character, desumatur.

Tertiò dividitur peccatum in peccatum cordis, oris, & operis. Quæ divisio tripliciter intelligi potest. Primò ut per peccatum cordis illud accipiatur, quod interiùs consummatur, ut hæresis; per peccatum oris illud, quod loqutione perficitur, ut mendacium; per peccatum operis illud, quod opere completur, ut adulterium, vel homicidium. Secundò sic exponitur hæc divisio, ut illa tria distinguantur solùm ex intentione peccantis, & unum ab alio secernentis, ut si quis mœchari vellet, turpia tamen desideria exequutioni mandare non vult, quia vel aperire nefandam voluntatem erubescit, vel pœnam timet. Tertiò sic non incommodè intelligitur hæc divisio, ut illa tria distinguantur sicut inchoatio, progressus, & consummatio; & tunc non sunt distincta etiam numero peccata, sed varia ejusdem peccati membra, unde sola operis consummatio in confessione aperienda est, quia cùm aliquis de adulterio se accusat, & illud voluisse, & verborum lenociniis mulierem prolectasse satis superque intelligitur.

Quartò aliud est peccatum commissionis, aliud omissionis, de qua divisione abundè satis superioribus speculationibus disputavimus. Ad intellectum tamen doctrinæ D. Thomæ *q.72. art.6.* ubi hanc divisionem exponit, placet observare, quod licèt communiter, & verè asseratur peccatum omissionis à peccato commissionis distingui, quòd primum sit contra præceptum affirmativum, secundum verò contra negativum: notat tamen S. Præceptor ibidem *ad* 2. peccata non distingui, nec diversificari secundùm diversa præcepta legis. Quia peccata non habent speciem ex parte aversionis, quia secundùm hanc rationem privatio sunt, sed ex parte conversionis ad objectum, unde actus humani, & voluntarii speciem sortiuntur; sicut motus non specificantur, nec distinguuntur ex termino à quo recedunt, sed ex eo ad quem tendunt. Esse autem contra legem ad aversionem spectat, non ad conversionem: Ergo ex diversitate legum non provenit formaliter diversitas peccatorum. Unde furtum à lege civili, ecclesiastica, naturali, & divina prohibitum, ejusdem speciei est, sicut & prohibitio à diversis Prælatis subordinatis indicta, quia non novam obligationem inducit, sed eandem repetit & inculcat.

Ad quorum claritatem advertendum est, cum supradictis stare, ex legum, superiorumque præceptum inculcantium multiplicatione non parùm aggravari peccatum, quia tunc transgressio obfirmatam cordis duritiem, peccatoris malitiam, mandatorum contemptum, & iniquitatem quasi ex adipe prodeuntem & transeuntem in affectum cordis significat.

Advertendum rursus, ex diversitate legum posse quadantenus peccatorum diversitatem derivari, quando scilicet leges idem quidem præcipiunt vel prohibent, sed ex diverso convenientiæ, vel disconvenientiæ motivo; quia tunc leges diversa præbent objecta formalia, à quibus formalis peccatorum diversitas proficiscitur: unde furtum in Ecclesia diversæ speciei est à furto alibi perpetrato, quia Ecclesia prohibet furtum in templo speciali motivo religionis, sicut etiam dum prohibet Clerici percussionem: mendacium verò in Ecclesia prolatum non inficitur malitiâ sacrilegii, quia nullo speciali mandato interdicitur. Et in hoc sensu verum est quod ait D. Thom. quæst. 2. de malo, art. 6. *Si aliqua essent peccata solùm quia prohibita, in his rationabile esset, ut secundùm differentiam præceptorum specie peccata differrent.* Si nimirum præcepta res distinctas præciperent, vel eandem duplici motivo specie diverso, modo dicto, prohiberent.

Ex quibus sequitur resolutio multorum casuum. V. g. hinc perspicuum est, quid sit dicendum de illo qui frangit jejunium in vigilia Apostoli occurrente in Quadragesima, vel in feria quatuor temporum. Si enim bina illa jejunia à S. Matre Ecclesia sub uno eodemque pœnitentiæ, & temperantiæ motivo, ut probabilis opinio fert, præcipiantur, unicum committitur peccatum: si verò jejunium specialiter sit ad cultum Apostolorum, vel in gratiarum actionem

beneficiorum à primis illis Christianismi fundatoribus institutorum, dubium non est, quin duplex peccatum admittatur. Idem dic de Religioso Ordinis Minorum, qui feriis sextis Quadragesimæ ad jejunium & præcepto Ecclesiæ, & Regulæ suæ mandato tenetur; si enim diversa sint Ecclesiæ & Regulæ motiva, plura etiam ab eo peccata committi indubitatum est, putà si Ecclesia motivo temperantiæ, Regula motivo cultus passionis Christi, vel alio quovis jejunia illa præscriberet: & tunc Franciscanus duplex peccatum patraret, imò & triplex secundùm Cajetanum 2. 2. *q.88. art.5.* nimirum contra religionem ratione voti, contra obedientiam ratione præcepti in Regula denunciati, & contra temperantiam ab Ecclesia constitam. Idem contingit in specialis inobedientiæ peccatis, quia inobedientia non solùm respicit violationem præcepti ex parte aversionis & per modum termini à quo, quod aliis peccatis commune est; sed insuper violationem illam per modum termini ad quem prosequitur: unde non mirum si inobedientia ex diversitate præceptorum distinguatur: cùm distincta præcepta, quæ conculcat, diversa etiam sint illius objecta, quæ respicit.

Quintò alia dicuntur peccata superabundantiæ, alia peccata defectus: priora recedunt à medio virtutis per excessum, ut prodigalitas: posteriora verò ab eodem medio per defectum discedunt, ut avaritia, inter quam & prodigalitatem media incedit liberalitas. Similiter temperantia media est inter intemperantiam, quæ infrunito delectationum amore capitur, & insensibilitatem, quæ omnem, tametsi honestam, nedum despicit, sed & odit voluptatem. Unde hujusmodi peccata non solùm specie differunt, sed etiam è diametro contraria sunt.

Sextò alia sunt peccata ignorantiæ, alia infirmitatis, alia malitiæ. Peccatum ignorantiæ contingit, quando quis perpetrat opus malum, quod ignorat esse malum; contrahitur autem macula peccati, si ignorantia vincibilis sit & inexcusabilis. Peccatum infirmitatis est illud, quod passione alliciente & impellente patratur; sunt enim passiones animi ægritudines, quibus partis superioris functiones vel impediuntur, vel præoccupantur, vel obscurantur. Unde Philosophus *lib.7. Ethic.* comparat incontinentem paralytico, cujus partes moventur in contrarium ejus quod ipse disponit. Peccatum denique malitiæ est illud, quod homo ex industria, sciens, eligens & advertens committit, non quòd malum sub ratione mali intendat, sed quia bonum temporale amat, eoque potiri vult, quamvis inde passurum se bonorum spiritualium dispendium sciat, proprium & apparens bonum ordini rationis, legi divinæ, & charitatis præferens. *Malum*, inquit D. Thomas quæst.78. art.1. ad 2. *non potest esse secundùm se intentum ab aliquo, potest tamen esse intentum ad vitandum aliud malum, vel ad consequendum aliud bonum. Et in tali casu aliquis eligeret consequi bonum per se intentum absque hoc, quod pateretur detrimentum alterius boni: sicut aliquis lascivus vellet frui delectatione absque offensa Dei. Sed duobus propositis magis vult peccando incurrere offensam Dei, quàm delectatione privetur.*

Ad hujus divisionis majorem claritatem observandum est, tria esse humanorum actuum principia, è quibus peccatum oriri potest & assolet, quæ sunt ratio, appetitus sensitivus, & voluntas: unde si defectus se teneat ex parte intellectus speculativi legem ignorantis, vel non advertentis, peccatū erit ex ignorantia; si autem se teneat ex parte appetitus passionum tumultu rationem pertrahentis aut obnubilantis, peccatum erit ex infirmitate; si autem defectus se teneat ex parte voluntatis opus aliquod contra ordinem rationis & legis ex industria animoque, ut ita dicam, frigido, sedato, & tranquillo eligentis, peccatum erit ex malitia voluntatis, non ab extrinseco impulsæ, sed propria iniquitate in malum proclivis.

Septimò peccata alia dicuntur capitalia, alia consequuta. Prima sunt quædam veluti peccatorum radices, è quibus omnia peccata originantur. Posteriora sunt germina iniquitatis è radicibus illis nata & propagata. Ad cujus divisionis illustrationem non erit supervacaneum observare, quod sicut caput membris cæteris motum, vitam, vigoremque diffundit; sic quædam vitia in peccatorum nefando agmine ducatum tenent & primatum. Unde Gregor. 31. *Moral.* hujusmodi vitia ducibus exercituum comparat, quia vitium capitale non solùm est principium aliorum, sed etiam est directivum, & ductivum eorum. Sic docente D. Thom. *quæst.77. art.4.* amor sui dicitur principium omnis peccati, & ædificare usque ad contemptum Dei civitatem Babylonis, quia omnis actus pravus ex aliquo inordinato temporalis boni appetitu procedit. *Quod autem aliquis appetat inordinatè aliquod temporale bonum, procedit ex hoc, quod inordinatè amat seipsum, hoc enim est amare aliquem, velle ei bonum. Unde manifestum est, quod inordinatus amor sui est causa omnis peccati.* Et ad 3. *Omne peccatum provenit vel ex inordinato appetitu alicujus boni, vel ex inordinata fuga alicujus mali: sed utrumque horum reducitur ad amorem sui; propter hoc enim homo vel appetit bona, vel fugit mala, quia amat seipsum.* Nec obest, quod aliquando peccet homo ex inordinato amore proximi, quia *amicus est quasi alter ipse*, inquit ad 4. *& ideo quod peccatur propter amorem amici, videtur propter amorem sui peccari.* Sic teste Apostolo 1. *Timoth. ult.* cupiditas dicitur radix omnium malorum, sive per cupiditatem intelligatur inordinatus temporalium amor, quia omnia peccata transcendit, in eisque imbibitur, cùm in omni peccato sit inordinata ad bonum commutabile conversio; sive per cupiditatem accipiamus perversam naturæ corruptæ ad bona corruptibilia inordinatè appetenda propensionem specialem, & ex vi peccati primigenii inseminatam, quæ meritò dicitur radix omnium peccatorum, quia sicut à radice ministratur toti arbori alimentum; sic ab amore corruptibilium cordibus filiorum Adam implantato corpus peccati cujusvis nutrimentum sugit: sive per cupiditatem intelligamus inordinatum divitiarum appetitum. *Videmus enim*, inquit D. Thomas quæst.84. art.1. *quod per divitias homo acquirit facultatem perpetrandi quodcumque peccatum, & adhibendi desiderium cujuscumque peccati, eo quòd ad habenda quæcumque temporalia bona potest homo per pecuniam juvari, secundùm quod dicitur Eccles. 10. Pecuniæ obediunt omnia. Et secundùm hoc patet, quod cupiditas divitiarum est radix omnium peccatorum.* Et ad 2. & 3. *Appetitus pecuniarum dicitur esse radix peccatorum, non quidem quia divitiæ propter se quærantur tanquam ultimus finis, sed quia multùm quæruntur, ut utiles ad omnem temporalem finem. Et quia universale bonum est appetibilius, quàm aliquod temporale bonum; ideo magis movet appetitum, quàm quædam bona singularia, quæ simul cum multis aliis per pecuniam haberi possunt.::: In moralibus consideratur, quod ut in pluribus est, non autem quod semper est, eo quòd voluntas non ex necessitate operatur. Non igitur dicitur avaritia radix omnium malorum, quin interdum aliquod aliud malum sit radix ejus, sed quia ex ipsa frequentiùs alia mala oriuntur.*

Sic etiam juxta Sapientem Eccl. 10. *superbia est initium omnis peccati.* Quia in omnibus bonis temporalibus acquirendis finis peccatoris est, ut per illa

quandam

quandam singularem excellentiæ perfectionem consequatur. Vel etiam quia in omni peccato diffunditur virus superbiæ, quatenus per quodvis crimen subtrahit se homo à subjectione Dei, ejusque se supponere detrectat, cujus legem conculcat, & voluntatem intolerabili elatione flocci facit. Unde ibidem dicitur, quod *initium superbiæ hominis est appostatare à Deo*: ad superbiam enim pertinet nulli velle subjici superiori, & præcipuè nolle subdi Deo, cui tamen servire, regnare est; cui mancipari gloria est sempiterna. Hinc Bernardus *serm. 3. vigil. Nativit.* observat, peccatorem extollere se supra Deum: *Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam. Deus quidem in his tantùm, quæ ratio approbat, vult suam fieri voluntatem; superbus verò, & cum ratione, & contra rationem.*

Sic denique septem dicuntur esse vitia capitalia, superbia, avaritia, luxuria, gula, acedia, ira, & invidia. Quia nimirum fines hujusmodi vitiorum habent quasdam primarias rationes movendi appetitum; unde ex eis frequentiùs alia peccata oriuntur. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod quia voluntas naturaliter amat bonum & felicitatem, illud majorem habet vim movendæ voluntatis, quod participat aliquid de proprietate felicitatis, quam naturâ concupiscimus; de ratione autem felicitatis est bonum perfectum, & excellens; bonum sufficiens, & bonum delectabile: excellentiam ambit superbia, sufficientiam appetit avaritia in divitiis eam promittentibus, delectationem quærunt luxuria & gula. Hinc etiam laborem, quo interturbatur felicitas, refugit acedia; & bonum alienum, quo propriæ excellentiæ singularitas impeditur, ægrè fert invidia, illudque cum impetu & vindicta extinguere molitur ira. Et quia ex illis fontibus profluunt omnia vitiorum reliquorum venena, ideo capitalia nominantur. Vide Gregorium Magnum *lib. 31. Moral. cap. 31.*

Octavò peccatum dividitur in mortale & veniale. Per primum corrumpitur vitæ spiritualis primum principium, quia per illud *deordinatur anima*, inquit D. Thomas quæst. 72. art. 5. *usque ad aversionem ab ultimo fine*; scilicet Deo, cui unimur per charitatem principium autem totius ordinis in moralibus est finis ultimus, qui ita se habet in operativis, sicut principium indemonstrabile in speculativis: & ideo dicitur mortale, quia etiam in naturalibus tunc contingit mors, quando tanta est inordinatio complexionis, ut destruatur principium vitæ. Per peccatum verò veniale fit deordinatio circa aversionem à Deo, quia tametsi mediis non utatur peccans venialiter prout exigit finis, amorem tamen finis retinet, & principium vitæ spiritualis conservat. Sed de hac divisione, quæ latissimè patet, inferiùs speciali speculatione disserendum erit.

Nonò, peccatum aliud est originale, aliud actuale. Secundum est illud, quod propria adulti voluntate patratur, dum homo in actus pravos sponte prorumpit. Originale verò est illud, quod à protoparentibus per generationem in posteros transfunditur, de cujus existentia, essentia, & propagatione operosiùs infrà disputabimus.

Reflexio.

Ultimò alia sunt peccata Infidelium, alia peccata Christianorum, & Catholicorum. Hæc divisio non tam expositione eget, quàm pavore. Ne dubites, Lector, graviora esse, & ferè immensùm grandiora peccata tua, hoc ipso, quod Christianus es. An nescis illud Isidori lib. 2. de sum. bon. cap. 19. *Tantò majus cognoscitur peccatum esse, quantò major qui peccat, habetur*? Nunquid legisti quod ait D. Thomas infrà quæst. 89. art. 5. *Nunquam dignitas personæ diminuit peccatum; sed magis auget: unde nec peccatum est minus in fideli, quàm in infideli, sed multò majus. Nam & infidelium peccata magis merentur veniam propter ignorantiam, secundùm illud 1. Timot. 1. Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in credulitate mea. Et peccata fidelium aggravantur propter gratia Sacramenta, secundùm illud Hebr. 10. Quantò magis putatis deteriora mereri supplicia, qui sanguinem Testamenti, in quo sanctificatus est, pollutum duxerit.*

Sed audiamus Jeremiam Christianum sui sæculi peccata deflentem, & veluti prophetice nostra scelera prævidentem; Salvianum, inquam, hoc argumentum variis suis de providentia libris persequentem, è quo nonnullas legimus gemmas, vel potiùs sagittas cor nostrum, nisi planè duruerit, transfixuras. Quid tibi de recta in Christum fide, quid tibi de nomine Christiano adularis? Perdis, perdis planè vim tanti nominis vitio pravitatis. Omninò enim nihil prodest nomen sanctum habere sine moribus, & vita à professione discordans abrogat illustris tituli honorem per indignorum actuum vibiatem. Quid ergo est in quo tibi de Christiano nomine blandiaris, cùm utique hoc ipso magis per nomen sacratissimum reus sis, si à sacro nomine moribus discrepes? Cur Deum sub religionis titulo lædis, ludis, & illudis, qui positus in regione amplius peccas? Ne te, quæso, sponte fallas, qui ab eximia Christiani nominis prærogativa discedis. Quia vix credimus te in Christum credere, qui Christi mandata conculcas; difficile namque est ut malè vivat qui benè credit. *Qui Christiani nominis opus non agit, Christianus non esse videtur: nomen enim sine actu atque officio suo nihil est. Nam quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto?* ait laudatus Pater.

Hæc cùm ita sint, quæ ratio est ut ipsi nos falsa opinione fallamus, existimantes scilicet, quia Christiani esse dicimur, quod opitulari nobis inter mala quæ agimus, nomen bonum possit? Cùm Spiritus sanctus, nec fidem quidem dicat hominibus Christianis sine operibus bonis posse prodesse: & utique multò plus est habere fidem, quàm nomen; quia nomen est vocabulum hominis, fides autem fructus est mentis. Et tamen hunc ipsum fidei fructum infructuosum Apostolus sine operibus bonis esse testatur, dicens: *Fides sine operibus mortua est.* Subjungit etiam ad pudorem, & peccatorum hominum confusionem, non credere solùm dæmones Dei nomen, sed etiam timere, & contremiscere. Hoc est dicere, quid tibi blandiris, ô homo, quisquis es, credulitate, quæ sine timore, atque obsequio Dei nulla est? Aliquid plus te dæmones habent. Tu enim unam rem habes tantummodò, illi duas. Tu credulitatem habes, timorem non habes: illi credulitatem habent pariter & timorem.

Quid ergo injustius Christianis malis, aut quid perversius esse potest? Christianis, inquam, qui tales dicuntur, & non sunt; qui per flagitia, & turpitudines suas nomen religionis infamant; qui ore fatentur se nosse Deum, factis autem negant, per quos via veritatis blasphematur, & sacrosanctum Domini Dei nomen sacrilegorum hominum maledictione violatur; qui in lege gloriantur, & per prævaricationem legis Deum inhonorant. Nonne hoc ipso deteriores sunt, quòd meliores esse deberent? quia impugnant moribus suis professionem suam. *Longè magis damnabilis est malitia, quam titulus bonitatis accusat: & reatus impii est pium nomen.*

O perverse Christiane, utinam calidus esses, aut frigidus;

frigidus; utinam aut calorem fidei haberes bonorum Christianorum, aut certè frigus & ignorantiam paganorum. Quia aut te fides amore calida sanctum redderet, aut certè legis ignorantia quadantenus excusaret. Nunc autem quia Christum jam agnovisti, & negligis quem agnovisti, qui susceptus es quasi intra os Dei per fidei agnitionem, projiciere, & evomēre ex ore Dei per teporem. Nunne melius fuisset tibi non cognovisse veritatem, quàm retrorsum reflecti à tradito tibi mandato. Quia longè culpabilior est qui legem Dei habet, & spernit, illo qui nec habet omninò, nec novit; & *minoris criminis reatus est legem nescire, quàm spernere.*

Speculatio II.

Divisio peccati in mortale, & veniale operosiùs explicatur. Verum utriusque discrimen est, quod mortale repugnat Dei gratia & amicitia, quam veniale compatitur.

VEritas Catholica est, admittenda esse aliqua peccata mortalia, seu animæ mortem spiritualem per privationem gratiæ & reatum pœnæ æternæ omni morte durioris inferentia; & alia esse venialia, quæ cum vita animæ, scilicet gratia sociari possunt. Habetur apertè hæc veritas illis sacrarum Scripturarum apertissimis testimoniis, in quibus sæpè sæpiùs ea recensentur peccata, quorum patratoribus à regno cœlorum exilium, & æterni ignis gehennam Deus minitatur, ut *Matth.* 5. 18. & 25. *cap.* necnon *Rom.* 10. claret. Peccata verò venialia colligit S. Augustinus *epist.* 108. & *lib.* 50. *homiliarum*, *homil.* 19. ex illo Matth. 6. *Dimitte nobis debita nostra*, id est peccata venialia quotidiana, pro quibus etiam quotidiana sacrificia eleemosynarum, jejuniorum, & orationum offerre non cessamus. Colligit etiam ex illo 1. Joan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* Quod de viris sanctissimis à gravibus quibusque offensis abstinentibus verum est, qui non possunt terrenorum actuum pulvere non respergi, & ut ait Magnus Leo serm. 4. Quadrag. *Dum per varias actiones vitæ hujus sollicitudo distenditur, necesse est de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere.* Denique *serm.* 41. *de Sanct.* colligit admittenda esse peccata venialia ex illo 1. Corinth. 3. *Si quis autem superadificat ligna, fœnum, stipulam, salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* D. verò Hieronymus hanc veritatem deducit ex illo Proverb. 27. *Septies in die cadet justus, & resurget: impii autem corruent in malum.* Ubi apertè dicitur, justum cadere, nec tamen perdere justitiam, nec corruere in malum, id est peccatum mortale, sicut impium: *Quomodo*, inquit, *justus appellatur, qui cadere, id est peccare memoratur, nisi quia de levibus, quotidianisque loquitur peccatis?* Et hæc semper fuit Ecclesiæ Catholicæ fides, perpetua traditione & multiplici Conciliorum Milevitani & Tridentini definitione firmata. Hoc posito, jactoque fundamento.

Probatur speculatio? Essentia peccati mortalis est, quod mortem spiritalem animæ inferat destruendo & veluti eradicando principium vitæ spiritalis; in quo distinguitur à veniali, quod cùm non convellat principium vitæ, conservat etiam principium veniæ, quæ tali potest principio obtineri. Atqui vita animæ est gratia, charitas, & amicitia Dei, quam tollit mortale, compatitur verò veniale. Unde ait D. Thomas quæst. 7. de malo, art. 1. *Si charitas excludatur, est peccatum mortale: si autem sit talis defectus rectitudinis, qui charitatem non excludat, erit peccatum veniale.* Ergo prima, per se, & essentialis differentia peccati mortalis à veniali, est quod veniale amicitiam Dei compatitur, quam mortale penitus à fundamentis subruit, unde oritur animæ mors ex culpabili Dei privatione proficiscens, juxta illud Augustini *serm.* 4. de verbis Domini: *Sicut anima est vita corporis, sic animæ vita est Deus: Sicut exspirat corpus, dum animam emittit, ita exspirat anima, cùm Deum amittit. Deus amissus mors animæ; anima emissa mors corporis.* Deum autem mortaliter amittimus, cùm ejus amicitiam dissolvimus.

Confirmatur radicitus enumeratione aliorum discriminum, quæ peccatum mortale inter & veniale interponi possunt. Illud discrimen est essentiale, primarium, & per se, ex quo omnia alia discrimina per modum proprietatis & corollarii liquidò consequuntur. Atqui ex eo, quod peccatum mortale destruat charitatem, gratiam, & amicitiam Dei, eamque compatiatur veniale, omnia alia discrimina derivantur. Ergo illa differentia à nobis assignata est essentialis, primaria, & per se conveniens. Major patet, illud enim censetur essentiale in aliqua re, & constitutivum, subindeque distinctivum illius, quod primum in ea invenitur, ex quo cætera veluti consectaria fluunt; ideo enim rationale est differentia essentialis hominis, quia est primum ex prædicatis propriis & characteristicis hominis. Minor verò probatur inductione.

Ex eo enim, quod peccato mortali extinguitur charitas, sequitur primò, per peccatum mortale destrui ordinem ad ultimum finem, in quem charitas hominem convertit; per veniale ordinem illum non violari, quia cùm amicitiam Dei non dirimat, ab ultimo fine non avertit, sed circa media duntaxat cæspitat venialiter peccans.

Sequitur secundò, per peccatum mortale constituere hominem finem ultimum in creatura, secus per peccatum veniale; quia cùm peccans mortaliter amicitiam Dei floccifaciat, fit inde peccatorem illum plus appetitive creaturam quàm Deum diligere. At verò peccatum veniale, cùm Dei amicitiam non dissolvat, ordinem ad ultimum finem, & omnium affectuum saltem habitualem ad Deum relationem non tollit. Quam ingentem perversitatem diffusè satis tomo præcedenti, *dissertat.* 2. *cap.* 1. *specul.* 2. & 3. in solutionibus argumentorum exposuimus, ostendimusque peccatorem in actu exercito habere proprium bonum pro Deo suo, & dicere cum Judæis Luc. 19. *Nolumus hunc* (Christum) *regnare super nos*; & ob hanc causam de gulosis affirmare Paulum *Philip.* 3. quod *eorum Deus venter est.* Et *Ephes.* 5. avaritiam esse *idolorum servitutem*, quia ut ait Chrysologus: *Avari statera iniquissima est; plus enim in ea ponderat obolus, quam Deus*; plus nummus, quàm anima. In hanc porrò perversitatem, seu ordinis inversionem non incurrit qui venialiter peccat, quia charitatem, quâ in ultimum finem ordinamur, non lædit. Et ideo tam frequenter docet D. Thomas, peccatum veniale referri habitualiter in Deum, quatenus vel charitatis habitum compatitur, qui ex natura sua omnia in Deum referre natus est, nisi per accidens opus sit hujuscemodi relationis incapax; vel quatenus peccans venialiter peccatum in proprium bonum refert, quod habitu charitatis in Deum permanenter relatum est; vel tandem quia licèt charitas non habeat dominium directum in peccata venialia, quæ non potest in Deum referre, neque enim potest fieri propter Deum quod displicet Deo, habet tamen dominium indirectum, quatenus prohibere potest ne ea fiant, licèt non semper impediat: sicut dispositiones pravæ remanentes post justificationem subji-

ciuntur

ciuntur dominio charitatis, non quòd hæc possit eorum actus imperare, sed quia ne prorumpant in actus, prohibere jure potest. Sed de his plura loco citato, ubi objectiones contra has veritates militantes ex dependentia actionum humanarum ab ultimo fine pe- titas diluimus.

Sequitur tertiò, per peccatum mortale induci inordinationem per se irreparabilem, secus per peccatum veniale, quia cùm peccatum mortale destruat charitatem & ordinem ad ultimum finem, convellit etiam omne principium intrinsecum vitæ spiritualis, quod cùm non tollat peccatum veniale, salvat etiam principium, quo damna ab ipso importata resarciri queant. Unde D. Thomas *quæst. 72. articulo 5.* ait: *Deordinatio mortis, quæ est per remotionem principij vitæ, est irreparabilis secundùm naturam; inordinatio autem ægritudinis reparari potest propter id, quod salvatur principium vitæ. Similiter est in his, quæ pertinent ad animam. Nam in speculativis, qui errat circa principia, impersuasibilis est; qui autem errat salvatis principiis, per ipsa principia revocari potest. Et similiter in operativis, qui peccando avertitur ab ultimo fine, quantum est ex natura peccati, habet lapsum irreparabilem; & ideo dicitur peccare mortaliter, æternaliter puniendus. Qui verò peccat citra aversionem à Deo, ex ipsa ratione peccati reparabiliter deordinatur, quia salvatur principium; ideo dicitur peccare venialiter, quia scilicet non ita peccat, ut mereatur interminabilem pœnam.* Quam doctrinam repetit, & pro more nova luce perfundit S. Præceptor *quæst. 88. artic. 1.* dicens: *Peccatum aliquod mortale dicitur ad similitudinem morbi, qui dicitur mortalis ex eo, quod inducit defectum irreparabilem per destitutionem alicujus principij. Principij autem spiritualis vitæ, quæ est secundùm virtutem, est ordo ad ultimum finem; qui quidem si destitutus fuerit, reparari non potest per aliquod principium intrinsecum, sed solùm per virtutem divinam; quia inordinationes eorum, quæ sunt ad finem, reparantur ex fine: sicut error, qui accidit circa conclusiones, per veritatem principiorum. Defectus ergo ultimi finis non potest per aliquid aliud reparari, quod sit principalius, sicut nec error qui est circa principia. Et ideo hujusmodi peccata dicuntur mortalia, quasi irreparabilia. Peccata autem quæ habent inordinationem circa ea quæ sunt ad finem, conservato ordine ad ultimum finem reparabilia sunt, & hæc dicuntur venialia.*

Sequitur quartò, peccatum mortale destruere omnes virtutes infusas, secus verò veniale. Quia cùm quodlibet mortale funditus evertat charitatem infusam, interire virtutes necesse est, utpote quæ sint charitati, cujus sunt proprietates, innixæ sunt. Fidem tamen, & spem post tantum tot virtutum naufragium remanere, alias ostendimus, sed languidas illas, informes, & ut ita dicam decoloratas, nec sub ratione virtutis simpliciter. At verò peccatum veniale ordinem ad ultimum finem non destruit, charitati non adversatur, nec divinæ infusioni obicem ponit: Ergo compatitur virtutes infusas in charitate radicatas, tametsi non negem, iterata peccata venialia ad eorum disponere corruptionem, sicut & ad interitum charitatis viam parant. Quin & verè affirmari potest, peccatis venialibus virtutes infusas diminui, sin entitativè, certè operativè, quatenus venialium frequentia impediuntur virtutum actus, vel saltem retardantur; imò frequentatis venialium culparum actibus possunt sensim, & paulatim generari habitus, quibus virtutes acquisitæ suffodiuntur, saltem in ratione virtutis perfectæ, quæ exigit ut promptè, suaviter, & expeditè in actus suos prorumpat.

Sequitur quintò, peccatum mortale secum invehere reatum pœnæ æternæ, veniale verò temporalem duntaxat pœnam promereri; quia cùm peccatum mortale destructione charitatis, & extinctione ordinis ad ultimum finem inordinationem naturâ suâ irreparabilem inducat, consequens est illum, qui in peccatum mortale prolabitur, pœnam mereri interminabilem. Quod de peccante venialiter propter oppositam rationem dici nequaquam potest.

Sequitur sextò, peccatum mortale inferre homini malum, sin simpliciter, certè quadantenus infinitum; secus verò veniale. Quia nimirum mortale privat hominem non solùm rectu rationis ordine, non solùm harmoniam & dependentiam inferiorum potentiarum à superioribus pervertit, non solùm gratiam, & omnium infusarum virtutum comitatum à charitate individuum abigit, sed etiam hominem Deo ipso privat, quæ est jactura infinita: tantum enim est malum, quantum est bonum quo privat: Deus autem est summum bonum & infinitum. Et licet peccatum impotet solùm privationem Dei ut participatur à nobis gratiâ, charitate, & visione, quæ participatio finita est, & limitata; hoc tamen non impedit jacturam esse quodammodo infinitam: sicut enim visio beata, teste D. Thoma 1. p. *quæst. 25. art. 6. ad 4.* quandam infinitatem habet, nec eâ potest aliquid excellentius fieri, quanvis per eam non nisi finitè, & non comprehensivè Deus videatur, & participetur: ita quia peccatum nos privat Deo videndo, infinitum homini detrimentum importat, nec eo potest aliquid deterius cogitari. Peccatum verò veniale è contra Deum à nobis non expellit: unde non nos privat eo bono, cujus possessio est summum bonum, & beatitudo nostra.

Sequitur septimò, peccatum mortale esse in ratione offensæ Dei gravitatis & malitiæ simpliciter in genere moris infinitum. Quia per peccatum mortale offenditur Deus quantum offendibilis est; non enim graviùs, vel atrociùs offendi potest Deus, quàm dum ab eo quoad affectum ratio ultimi finis aufertur, ut vilissimæ creaturæ affertatur. Quid enim horrendius esse, vel cogitari eo potest, qui Deum vult non esse, & desiderat ejus potentiam, justitiam, & sapientiam interire, quod peccatum mortale, quantum est de se, molitur? Unde Bernard. *epist. 42.* vocat peccata, *quædam in Deum convitia*; atque esse velut vapores *de cœnoso lacu prurientis pectoris ebullientes, innundantes, & impingentes in serenitatem præfulgentis vultus Dei.*

Et licet in quolibet actu peccati mortalis non inveniatur totus conatus possibilis ad offendendum Deum, hoc tamen nihil vetat, quia non contendimus peccatum mortale in ratione actus esse infinitum, sed in ratione injuriæ: quod autem major possit esse conatus, probat quidem, peccatum in ratione actus humani voluntarii esse finitum, sed non injuriam esse finitam, quia gravitas istius attenditur ex detrimento personæ offensæ illato, vel intentato: sicut si quis Regem de throno depellere machinaretur, omnium humanarum injuriarum maximam illi inferret; quia etsi majori voluntatis conatu posset illum regno dejicere, non tamen potest illum majori injuriâ afficere, magisque inhonorare, quàm dum illum à regiæ majestatis dignitate ad vilis mancipii conditionem deprimere attentavit. Plures hujus veritatis rationes dabimus tractatu de Incarnatione, *dissert. 2. c. 1. spec. 2.* ubi ostendemus gravitatem injuriæ crescere ad incrementum dignitatis personæ offensæ, sicut valor & pretium satisfactionis, ad incrementum dignitatis personæ satisfacientis augetur: ostendemus etiam quod licèt persona offensa sit extrinseca injuriæ, ordo tamen ad personam illam est injuriæ intrinsecus; unde dignitas personæ tota quanta est, in injuriam refluit, &

& redundat : ostendemus etiam , quod licèt peccata inæqualia sint pro diversitate objectorum & circumstantiarum , tamen in ratione injuriæ majestatem Dei floccifacientis omnia conveniunt , omnia infinita sunt : sicut opera Christi inæqualis erant meriti , & valoris , attentâ objecti dignitate ; omnia tamen ex infinita personæ dignitate infinitam etiam hauriebant & veluti sugebant dignitatem. Objectiones contra hanc doctrinam militantes loco citato de Incarnatione contritas invenies. Porrò gravitatem illam infinitam non convenire peccatu veniali planum est , cùm non sit injuria simpliciter, nec à Deo rationem ultimi finis auferre moliatur, ut abundantiùs quoque loco præfato de Incarnatione , *specul.3.* stabiliemus.

Ex quibus omnibus vis rationis in probationem speculationis allatæ claret ; si enim omnes quæ mortale inter & veniale intersunt differentiæ ex illa capitali profluunt , quod nimirum mortale divinam amicitiam dissolvit , planè relinquitur , illam essentialem habendam esse.

Dices : Videtur esse alia prior , illa nimirum, quam tradit D. Thomas *q.88. art.1. ad 1.* in hoc consistens quod peccatum mortale sit contra legem , peccatum verò veniale non sit propriè contra legem , sed præter, vel extra legem. Verba S. Doctoris sunt hæc : *Perfecta ratio peccati , quam Augustinus ponit , convenit peccato mortali. Peccatum autem veniale dicitur peccatum secundùm rationem imperfectam , & in ordine ad peccatum mortale ; sicut accidens dicitur ens in ordine ad substantiam , secundùm imperfectam rationem entis: non enim est contra legem , quia venialiter peccans non facit quod lex prohibet , nec prætermittit id , ad quod lex per præceptum obligat : sed facit præter legem , quia non observat modum rationis , quem lex intendit.* Quod autem illa ratio sit primaria , & essentialis in peccato, patet ; tum quia peccatum ut sic, est dictum , vel factum, vel concupitum contra legem : ergo esse contra legem simpliciter , vel secundùm quid, est prima, immediata , & proximior differentia ; sicut substantia & accidens sunt primariæ differentiæ entis. Tum quia omnes aliæ differentiæ à nobis assignatæ ex illa veluti à fonte fluunt ; ideo namque peccatum expellit gratiam , eliminat charitatem , quia est contra legem , eamque violat ; nisi enim eam violaret, charitatem minimè fugaret. Ergo differentia assignata est primitiva, per se , & essentialis.

Respondeo , hæc omnia benè intellecta vera esse, nec à nobis dictis adversari. Etenim cùm asseruimus, differentiam essentialem , quæ peccatum mortale inter & veniale intercedit , esse extinctionem & violationem divinæ amicitiæ & charitatis , non intelleximus de amicitia & charitate habituali , talis enim privatio est potiùs effectus peccati; ideo enim quis his supernaturalibus habitibus orbatur , quia amicitiam Dei per peccatum mortale & transgressionem legis violavit ; sed intelleximus de perpetratione alicujus operis amori Dei & proximi repugnantis , quod reapse idem est , ac si dixissemus , essentiam peccati mortalis esse operari vel omittere contra legem, cùm amor Dei & proximi sit legum medulla , finis legis, & ut Veritas dixit : *Unde universa lex pendet, & Prophetæ.* Imò nostra differentia est veluti formalior & accuratior : ideo namque peccatum aliquod est simpliciter, & non tantùm secundùm quid contra legem, quia per illud divina amicitia dirimitur , ut cùm tollitur subjectio , & reverentia hominis ad Deum, putà blasphemia, idololatria, & hujusmodi ; & quia per illud convictus societatis humanæ dirimitur, putà furto , homicidio, aliisque hujuscemodi peccatis : Ergo id quod est primordiale in peccato mortali , est divinæ amicitiæ læsio ; tandiu enim peccatum nondum est mortale , quandiu per illud divina amicitia non violatur. Ex quibus facile respondere est probationibus in contrarium : fatemur enim , esse contra legem simpliciter esse peccatum mortale , esse contra legem secundùm quid esse peccatum veniale ; sed illud solùm habet esse contra legem simpliciter , quod amicitiæ Dei legum omnium summæ adversatur; illud est præter legem , quod amicitiam Dei non lædit. Secunda verò probatio concludit solùm , exclusionem gratiæ habitualis esse effectum consequentem actum contra legem patratum. Unde esse contra legem simpliciter , præcedit quidem privationem habitus gratiæ , sed non violationem amicitiæ Dei , sed vel ad illam sequitur , vel indispensabiliter comitatur. Unde D. Thomas *quæst. 7. de mal. art. 1. ad 1.* ait : *Communiter dicitur , quod peccatum veniale non est contra legem , sed præter legem , quia si in aliquo recedit ab ordine legis , non tamen ipsum corrumpit , quia non corrumpit dilectionem , quæ est plenitudo legis.*

Ex his confutatæ manent variæ hæreticorum exerrationes , varia etiam Catholicorum placita non ita veritati consentanea. In primis confutantur hæresis Lutheri , Zuinglii , & Novatorum existimantium, peccatum mortale non distingui à veniali , nisi penes personæ peccantis conditionem , ita ut in prædestinato , vel fideli omnia sint venialia ; in reprobo , & infideli omnia sint mortalia. Confutata manet, inquam , hæc hæresis : tum quia in omnibus , sivo prædestinatis , sive reprobis , semper illud, quod amicitiam Dei violat , quodve ordinem ad ultimum finem invertit , mortale est ob rationes allatas , quibus tota hæreticorum natio nunquam satisfaciet. Tum quia multi Sancti in peccata mortalia interdum lapsi sunt , ut de Davide , Petro , Magdalena sacræ Scripturæ testantur ; & tamen eos fuisse fideles & prædestinatos nemo inficiatur. Tum demùm , quia contra apertam rationem est, ut peccatum ex circumstantia personæ dignioris , majoribusque beneficiis cumulatæ minuatur, cùm potiùs gravius inde evadat, ut fusè suprà demonstravimus.

Confutatur secundò opinio Gersonis *3. p. tract. de vita spirit.* existimantis peccatum veniale non ex natura rei à mortali secerni , sed ex mera Dei duntaxat misericordia , unum & non aliud peccatum ad mortem æternam imputante. Sed ex dictis clarum est , multa esse peccata , quæ Dei amicitiam non solvunt , ordinem ad ultimum finem & media cum illo necessariò connexa non destruunt , unde illa ex natura sua lethalia non sunt. Imò ideò potiùs peccatum hoc , quàm aliud Deus morti non addicit æternæ , quia de se veniale est. Hinc est , quod in Scripturis peccata venialia rebus per se minimis comparantur , ut culici, *Matth.23.* festucæ, *Luc. 6.* fœno & stipulæ fundamento superpositis , *1. Cor. 3.*

Dices : Omnis offensa Dei potest à Deo puniri pœna mortis cùm temporalis , tum æternæ , tum etiam annihilationis : Ergo quod Deus hanc pœnam non infligat , ex misericordia ejus proficiscitur.

Respondeo , quod licèt Deus quamcunque pœnam possit venialiter peccanti infligere ut est supremus Dominus, non tamen ut justus judex ; peccatum enim veniale, ut antea diximus , & iterum postea dicemus, reatum pœnæ æternæ non inducit.

Dices iterum : Minima culpa venialis est deterior omni pœna, unde potiùs omnis foret subeunda pœna, quàm ulla vel minima culpa admittenda. Ergo quod non infligatur tanta pœna , ex misericordia Dei est, infirmitati sese nostræ attemperante.

Respondeo , malum culpæ , & malum pœnæ esse diversi ordinis ; unde quod minima culpa sit pejor

omni

omni pœna, probat solùm, culpam esse malum superioris ordinis, sed non quod omni culpæ etiam minimæ debeatur omnis pœna. Sicut licèt minimus actus virtutis sit melior omni bono ordinis purè naturalis, non tamen sequitur, cuilibet actui virtutis deberi in præmium omne omninò bonum ordinis naturalis, sed bonum virtutis esse ordinis superioris.

Insistes: Quod est contra legem, est de se & ex natura sua peccatum mortale, ut ex D. Thoma diximus: Sed peccatum veniale, putà leve furtum, est contra legem non furandi, mendacium jocosum contra legem non fallendi: Ergo illa peccata sunt de se mortalia, tametsi ex liberalitate Dei pœna æterna in temporalem commutetur.

Respondeo, peccatum veniale esse in triplici differentia, aliud veniale ex genere suo, quod semper manet veniale, & intra propriam materiam nunquam fit mortale, ut verbum otiosum: aliud est veniale ex levitate materiæ, ut furtum pomi: aliud ex imperfecta deliberatione, ut turpis cogitatio, vel motus infidelitatis judicium antevertens. Nullum autem ex his venialibus est simpliciter contra legem; non quidem primum, quia actus otiosus est de se indifferens, & caret solùm ordine ad bonum finem: non etiam secundum peccatorum venialium genus, nec tertium, quia per hujusmodi actus lex simpliciter non violatur, lex quippe cùm agentibus liberis imponatur, ab iis solùm violatur qui liberè & deliberatè operantur: & cùm bonum commune intendat, non violatur etiam simpliciter illis actibus, qui ob parvitatem materiæ nullum notabile nocumentum inferunt.

Urgebis: Illa peccata non differunt ex natura rei, quæ non differunt specie, id est quæ eandem habent specificam malitiam: atqui peccatum mortale & veniale habent eandem specificam malitiam; malitia enim moralis sive formaliter, saltem fundamentaliter petitur ab objecto dissono regulis morum; idem autem est objectum peccati mortalis & venialis, putà furti in magna vel parva quantitate; magis enim & minùs non diversificat speciem, sed majorem, vel minorem perfectionem intra eandem speciem importat: unde D. Thomas 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 11. ait: *Tollere alienum in magna vel parva quantitate, non diversificat speciem peccati.* Ergo peccatum mortale & veniale non ex natura rei, sed ex divina duntaxat misericordia distinguuntur.

Respondeo, ex tam multis differentiis suprà assignatis inter peccatum mortale, & veniale intercedentibus, manifestè constare, malitiam mortalis, & venialis specie inter se differre. Et licèt idem materiale objectum respiciat utrumque peccatum; formaliter tamen, & moraliter objectum specie distinctum est, cùm objectum mortalis sit simpliciter regulis morum dissonum, & legi contrarium, secus verò peccati venialis objectum. Quando verò D. Thomas ait: *Tollere alienum in parva, vel magna quantitate, non diversificat speciem peccati*, dupliciter intelligi potest: primò ut velit, quod cùm tollitur alienum intra quantitatem ad peccatum mortale sufficientem, tunc major vel minor quantitas non mutat speciem, sicut intra quantitatem, & ut ita dicam, sphæram venialem, major vel minor non mutat speciem. V. g. si furtum centum assium sit peccatum mortale, non mutat speciem furti qui ducentos asses furatur; & si furtum assis sit peccatum veniale, furtum semiassis non mutat speciem venialis. Vel vult S. Doctor parvam, vel magnam quantitatem non diversificare speciem, id est non addere novam speciem supra speciem furti, sicut furtum in loco sacro addit speciem sacrilegii, furtum cibi ad victum omninò necessarii addit speciem homicidii. At verò magna quantitas non extrahit furtum à ratione furti, quamvis magna quantitas supra parvam addat majorem, & specie diversam oppositionem cum ratione.

REFLEXIO.

Ad illius monstri concitandum horrorem multis non opus est, cujus ipsum quidem nomen terrorem incutit & indignationem. Si mors, quæ corpus interimit, teste Philosopho, terribilium est terribilissimum; quà, quæso, execratione dignum est peccatum illud, quod mortem infert animæ, dum Deum, qui est vita animæ, à corde submovet peccatoris. Quin quomodo detestandum non est portentum illud abominabile, quod nedum animæ, sed Deo ipsi (horribile dictu!) necem inferret si valeret? Peccator enim pro virili Deum molitur destruere, cujus attributa ad nihilum redigere conatur. Nam summum bonum floccifacit, qui apparentem creaturæ bonitatem essentiæ & fonti bonitatis anteponit. Supremum Dominum aspernatur, qui Regi Regum obedientiam detrectat. Primum principium contemnit, qui se illi subducit, seque primam causam peccando erigit, facitque Deum servire iniquitatibus suis. Summum & æquissimum Legislatorem offendit, cujus leges calcat, eoque libentiùs ea patrat, quæ sint ejus interdicta mandatis. Judicem non agnoscit, cujus nec minis terretur, nec pœnas timet, nec indignationem veretur. Omniscium, ubique præsentem, omnia intuentem petulanter irridet, & veluti subsannat, in cujus oculis inverecundè provocat spectatorem. Benefactorem benevolum & præamantem, ejusque amorem & beneficia despicatui habet, cujus donis injuriis respondet, & quod nefarium est, beneficia convertit in instrumenta injuriæ. Ultimum denique finem ingenti contumelia lædit, non contentus ab eo recedere, nisi finis ultimi & felicitatis rationem in vili creatura turpissimè collocet.

Quàm mortale est, unde mors intravit in mundum, quod corpus interimit, quod nos in Adamo immortalitate exuit, quod animæ mortem infert sempiternam, quod ipsi Regi sæculorum immortali & invisibili mortem afferre tentat. Et tamen homo naturâ mortis pavidus peccatum mortale amat, & ita amat, ut illi sit loco Dei, quod summa malorum est, & summum malum. Nam quod de quibusdam Apostolus dixit, de omnibus verum est peccata lethalia patrantibus: *Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum.* Nam Deum sibi fingit in creatura, qui creaturam diligit supra Deum. Opportunè Hieronymus in Psal. 80. *Quæcumque vitia habemus, & quæcumque peccata, tot recentes habemus Deos. Iratus sum, ira mihi Deus est. Vidi mulierem, & concupivi; libido mihi Deus est. Vnusquisque enim quod cupit, & veneratur, hoc illi Deus est.* Porrò quæ major mentis cæcitas, quæ durior cordis iniquitas, quàm mortem sic diligere, ut illi per quem omnia vivunt, præferatur, & sæpe, & quotidie, & animi gratiâ, & voluptatis ergò præferatur? Non enim peccant, quia vel ignorant, vel coguntur, sed quia placet, & peccare delectat. Ubinam gentium sumus? Vbi Religio? Ubi ratio? Vbi sensus communis?

Mortem peccati pœnam execrantur homines; & peccatum mortis causam amant, & ut S. August. in Psalm. 32. & 37. ait: *Flagella sua dolent homines, quare flagellantur, non dolent. Perversi sunt homines qui mali volunt esse, miseri nolunt.* Nec pœnam

peccando fugient, quæ à peccato indivulsa est; nam omnis inordinatus animus pœna est sibi, & quisquis malus est, torqueatur necesse est seipso tormento. *Ipse enim pœna sua, quem torquet conscientia sua*, inquit August. *in Psalm.31. conc.2.* Et ideo observat idem Pater, omne peccatum esse mendacium, quia promittit vitam & voluptatem, & mortem infert, amaritudinem invehit. *Non frustra dici potest*, inquit lib.14. de civit. cap.4. *omne peccatum esse mendacium; non enim fit peccatum, nisi ea voluntate, qua volumus, ut benè sit nobis, vel nolumus ut malè sit nobis. Ergo mendacium est, quod cum fiat ut benè sit nobis, hinc potiùs malè est nobis; vel cùm fiat ut meliùs sit nobis, hinc potiùs pejus est nobis.*

Sed dicis: Non mortem, non pœnam, non vitium, non peccatum amo, non ut moriar, sed ut dulcius, suaviusque vivam. Audio, sed doleo. Non prohibuit teipsum, aliosque amare Deus, qui charitas est: dilectionis præceptum iteravit, qui ignem amoris venit mittere in terram, volens ut accendatur: sed ordinatum vult amorem, alia amari præcipit ut media, seipsum ut finem. Itáne creaturas amare vis, solum Deum amare non vis? Quà u præclarè, quàm ignitè Augustinus in Psalm.79. *Quid amas, ut Deum non ames? Dic mihi; ama si potes aliquid, quod ille non fecit. Circumspice universam creaturam, vide utrum alicubi cupiditatis vitio tenearis, & à diligendo Creatore impediaris, nisi ea re, quam creavit ipse, quem negligis. Quare autem amas ista, nisi quia pulchra sunt? Possunt esse tam pulchra, quàm ille à quo facta sunt? Miraris hæc, quia illum non vides: sed per ea, quæ miraris, ama quem non vides. Interroga creaturam; si à seipsa est, mane in illa; si autem ab alio est, non ob aliud perniciosa est amatori, nisi quia præponitur Creatori.*

SPECULATIO III.

Præfiniuntur regulæ, quibus peccatum mortale à veniali discernatur.

LIcèt periculosum admodum sit, & lubricum in hac materia aliquid definire, unde dixit August. in Enchirid. cap.72. *Quæ sint levia, & quæ sint gravis peccata, non humano, sed divino pensanda sunt judicio.* Casum tamen salebroso in itinere Deo donante cavebimus, si Thomæ vestigia premamus, ex quo sequentia documenta elicimus.

Sciendum ergo primò, ad peccatum mortale requiri perfectam deliberationem. Ita D. Thomas *quæst.74. art 6.* ubi docet, contingere peccatum esse in ratione dupliciter: *Uno modo quando imperat illicitas passiones, sicut quando homo ex deliberatione provocat sibi motum iræ, vel concupiscentiæ: alio modo quando non reprimit illicitum passionis motum, sicut cùm aliquis postquam deliberavit, quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum immoratur, & ipsum non expellit.* Et ad 3. *Delectatio dicitur morosa, non ex mora temporis, sed ex eo, quod ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens, & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, rejici debuerant.* Et ratio est, quia motus nostri in tantum sunt culpabiles, in quantum sunt voluntarii; in tantum autem sunt perfectè, voluntarii in quantum sunt deliberati. Porrò ad peccatum mortale, quod est plena & consummata culpa, requiritur perfectum voluntarium, ergo ad peccatum mortale requiritur perfecta deliberatio; subindeque imperfecta deliberatio se habet ad peccatum sicut parvitas materiæ, quæ excusat à mortali.

Ex quo sequitur, requiri etiam ad peccatum mortale deliberatio. Illud tamen diligenter observandum est, tale advertentiam, sine qua utique non poterit esse non exigi semper ad peccatum mortale deliberationem, vel advertentiam formalem, aut actualem, cùm sæpè ex ignorantia peccemus, & multi sint rebelles lumini, scientiam viarum Domini nolentes; sed sufficere virtualem, quæ contingit quando quis potest & tenetur advertere, nec advertit; tunc enim est voluntarium indirectum, & in causa, ut in dissertatione de probabilitate, tomo superiori fusissimè declaravimus. Porrò tunc adest deliberatio formalis, vel virtualis ad peccatum sufficiens, quando judicium non est absorptum, ligatum, vel impeditum: quod poterit homo dignoscere, si possit sese supra suos actus reflectere, si impetu passionis non obruatur, ut contingere in motibus primò primis assolet, in quibus tamen peccatum sæpè timendum, in viris præsertim parum timoratis, qui rarò peccato obsistunt, & in quibus vix motus primò primi à secundò primis discerni queunt.

Sciendum secundò, positâ advertentiâ & deliberatione rationis, prolabi hominem in peccatum mortale, nedum si voluntas consentiat, sed etiam si se habeat negativè, nec conetur ipsum peccati motum reprimere. Ita enim apertè tradit D. Thomas *art.7. citato*, & *q.15. de verit. art.4.* Quia nimirum tunc voluntas præbet consensum interpretativum, cùm pravum motum in rationem insurgentem tenetur cohibere obligatione naturali longè arctiori ea, qua tenetur Magistratus tumultuarios populi seditiosi impetus comprimere. Et tunc maximè verum probatur tritum illud adagium: *Qui tacet consentire videtur.*

Non inficior tamen, justis interdum de causis voluntatem ad resistentiam positivam non teneri, putà si sit periculum consensus; quædam enim diu revolvi mente non possunt, quin afficiant, vel emolliant, ut patet in tentationibus luxuriæ, & vanæ gloriæ, aliisque illecebrosis, quas propterea Patres spirituales fugâ potiùs, quàm impugnatione superandas docent, quia sæpè tentatio augetur, dum illi tentatus conatur obsistere. Quod præsertim à scrupulosis, illis maximè, qui constantem non peccandi voluntatem Dei gratiâ sentiunt, observandum velim. Illis enim suadent viri spirituales, ut animum à tentatione avocent, nec continua voluntatis pugna mentem, cerebrumque lædant, & pacem animi, spiritúsque dulcedinem viris piis adeo ad sacra exercitia necessariam bellis intestinis & superstitiosis anxietatibus interrumpant. Similiter non sunt necessariò cohibendi hujusmodi involuntarii motus, si propterea cessandum foret ab occupatione honesta, putà prædicatione, doctrina, Sacramentorum administratione, à quibus nequaquam abstinendum est, nisi sit periculum consensus: quod à Rectoribus animarum observari omninò velim; quid enim illis proderit mundum, animasque sibi creditas lucrari, animæ verò suæ vel per unius peccati mortalis consensum detrimentum pati? Aut quam commutationem dabunt pro anima sua? Quod dixi de occupatione spirituali, de corporali, proportione servata, intelligendum est. Medici enim & Chirurgi corpus nudum videre, & tangere citra periculum consensus possunt, aliasque suæ artis operationes edere, quæ forent in speciem indecoræ, & revera malè sonantes essent, nisi boni communis, & Reipublicæ utilitate, atque christiana erga infirmos sanandos charitate honestarentur.

Quarum exceptionum ratio est, quia licèt præceptum non consentiendi malo sit negativum, subindeque obliget semper & pro semper; præceptum tamen motibus involuntariis resistendi est affirmativum

tivum, sicque non obligat, nec urget, cum adest excusatio rationabilis. Monent etiam Doctores videndum esse, an illa actio per se licita, ex qua sequitur motus concupiscentiæ, vel tentatio prava, sit parum, vel multùm ad tentationem causandam proclivis; & si non sit cum illa non nisi remotè connexa, sufficere honestam utilitatem, ut operatio illa minimè relinquatur. Sic non tenetur Christianus ab equitando, certisque cibis in communi usu apponi solitis, tametsi fortè calidioribus abstinere, ne motus sensualitatis citra periculum consensus insurgant, modò tamen motus illos nec quærat antequam sint, nec amet cùm adsunt. Viri tamen spirituales, & christianæ perfectionis amantes ab illis debent utilitatibus temporalibus, quantùm per vires & prudentiam licet, sibi temperare, qui ad perfectionem castitatis, sicut & aliarum virtutum continuis votis aspirare debent. Unde Salvianus expendens illud Matth.5. *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam*, &c. sic egregiè fatur: *Perfectæ ac sincerissimæ sanctitatis volens cultores suos facere Salvator, jussit ab iis cautissimè etiam minima vitari: scilicet ut quàm pura est pupilla oculi, tam pura esset Christiani hominis vita; & sicut salva intuitus incolumitate pulveris labem in se oculus non reciperet, sic vita nostra labem in se penitus impudicitiæ non haberet.* Quod confirmat ex illis verbis Marc.9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum*, &c. Quæ vera esse ait, *non quòd membris suis quis privare se debeat, sed quia tam necessaria nobis sunt quædam domesticorum obsequiorum necessitudines, ut his quasi oculis, interdum quasi manibus utamur, & rectè nobis præsentium ministeriorum officia subtrahamus, ne æterni ignis tormenta patiamur.* Si juxta Sanctos necessariis nos ultrò privare debemus, ne peccemus, quantò magis utilia resecanda sunt.

Sciendum tertiò, cogitationem voluntariam & deliberatam de objecto illicito, & sub mortali prohibito, esse peccatum mortale, etiamsi desit operis exequutioni mandandi voluntas. Quæ cogitatio dicitur morosa, non ex mora temporis, sed quia ex libero voluntatis imperio intellectus in illo objecto sordido revolvendo occupatur. Porrò de quibusdam cogitationibus morosis res est adeo constans, ut sit penè de fide. Colligitur enim ex illo Matth.5. vers.29. *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo.* Ubi Chrysost. *hom.*17. id explicat etiam de eo, qui aspicit ut oblectet se ejus aspectu. Et Hilar. *can.*4. ait: *Cùm fornicationis opere ponitur illecebrosa visus transeuntis affectio.* Colligitur etiam ex illo Job 31. vers.1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Quod de cognitione cum delectatione morosa intelligit Glossa interlinearis. Quam cogitationem morosam esse peccatum mortale satis indicat idem Propheta patiens, dum subdit: *Quam enim partem haberet in me Deus?* Idipsum probat D. Thom. q.74. *art.* 8. ex August. *lib.*12. *de Trinit. cap.*12. ibi: *Totus homo damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur.* Ut autem rectè subsumit S. Thomas, *nullus damnatur nisi pro peccato mortali.* Ergo consensus in delectationem morosam est peccatum mortale. Hinc Gregorius, Hieronymus, Bernardus, aliique Patres tam sollicitè monent, cogitationes malas statim extinguere, incentiva cogitationum in mente jugulare, & parvulos Babylonis allidere ad petram: & quia semper caro superflua generat, ideo cogitationes pravas vir sanctus ferro solicitudinis rescindit, pœnitentiæ ardore consumit, nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittit; quia eò semetipsum judicans subtiliùs ferit, quò districtum judicem præstolatur vicinum.

Ratio etiam D.Thomæ id suadet, quia nullus voluntariè delectatur, nisi de eo, quod est conforme appetitui, non solùm sensitivo, sed etiam rationali, seu voluntati; aliàs illa delectatio non foret voluntaria. Ergo quod aliquis morosè cogitet, seu delectetur de malo opere cogitato, ex eo provenit quod erga illud opus afficitur; nec potest in tali cogitatione delectari, nisi consentiat, quod affectus suus sit in opus illud inclinatum. Atqui habere affectum deliberatum erga peccatum mortale, non potest non esse mortale peccatum: ergo cogitatio & delectatio morosa de objecto illicito, & sub mortali prohibito peccatum mortale est. Quorum omnium profunda radix sæpe ab Aristotele, sæpiùs à D. Thoma inculcatur; quia nimirum delectationes eo modo sunt bonæ vel malæ, subindeque licitæ vel prohibitæ, quo operationes quas consequuntur: ergo quando operationes sunt illicitæ, delectari vel cogitatione de illis, licitum esse non potest, & corruptum affectum omninò supponit hujusmodi sordidarum cogitationum agitatio, quia libenter cogitare de iis delectamur, quæ amamus, & ut Veritas ait: *De corde exeunt cogitationes.*

Nec obest si dicas, actum illum esse inefficacem. Non obest, inquam, quia hoc non impedit, quin actus cogitationis morosæ ebibat objecti cogitati malitiam: actus quippe non sumit speciem ab objecto producto, sed movente, & inspecto: quia ergo objectum pravum morosè cogitatum affectum allicit, & rationem movet, non potest non refundere malitiam in actum. Aliàs cogitatio morosa de opere perpetrato, putà fornicatione, vel homicidio, absque intentione illud iterum non perpetrandi, non foret culpa lethalis; quod omni rectæ rationi repugnat.

Ex his plura consectaria, necnon variarum plurium objectionum solutiones derivantur.

Sequitur enim primò, delectationem morosam eadem infici malitia, quâ sordet opus, subindeque delectationem morosam de furto in Ecclesia esse sacrilegium; delectationem morosam cum rapta, nupta, virgine Deo sacra diversam induere fœditatem. Cùm enim delectatio morosa speciem sortiatur ab objecto, ab specie distincto objecto distinctam quoque haurire turpitudinem necesse est. Nec valet subterfugium quorundam Neotericorum dicentium hujuscemodi cogitationum inanibus oblectamentis non intendi injuriam loci sacri, conjugii, vel personæ Deo dicatæ, sed solius avaritiæ, vel libidinis expletionem. Non, inquam, valet; hoc enim non impedit, quominus his cogitationum, tametsi sterilium sordibus peccet qui eas versat contra justitiam, & religionem: ut enim virtutes violentur, non exigitur ut per se intendatur earum injuria; sed ut ametur actus in quo talis injuria invenitur, quia tunc indirectè vult injuriam, qui vult actum injuriosum. Et ita contingit in omni fermè peccato mortali, in quo pecator vellet, si posset citra Dei injuriam, solius cupiditatis satietatem, sed *ex hoc ipso* (verba sunt D. Thomæ q.88. *art.*2. *ad* 1.) *quod aliquis eligit id quod repugnat divinæ charitati, convincitur præferre illud charitati divinæ, & per consequens plus amare ipsum, quàm Deum.* Et certè si morosus ideo non incurreret in sacrilegii, vel adulterii labem, quia hunc actum inefficaciter solùm desiderat; nec etiam incideret in furti, vel simplicis fornicationis malitiam, quam indirectè duntaxat, & inefficaciter concupisceret, quod à veritate prorsus alienum est. Quare sicut qui in cogitatione sacrilegi furti amaret injuriam loco sacro illatam, directè sacrilegium, sed indirectè furtum committeret: ita

qui

qui directè delectatur de furto sacrilegio annexo, directè quidem furatur, sed indirectè sacrilegus est, & utrumque peccatum committit necessariò in confessione aperiendum.

Sequitur secundò, quod qui delectatur de esu carnium die prohibiro, si talis dies se teneat ex parte objecti, contrahit peccatum mortale; secus si delectatio sit de carnibus solùm secundùm se spectatis, sub qua ratinne non sunt prohibitæ. Unde à veritate aliena est regula illa quorundam Casuistarum existimantium, quod in his, quæ sunt jure dumtaxat positivo prohibita, possumus cogitatione delectari, quia de se possunt non esse mala, sublatâ lege, & quia legislator solos actus externos prohibere sollicitus est. Verùm falluntur, quia sicut stante prohibitione non licet interiùs concupiscere opus vetitum, ita nec in ejus cogitatione morosa delectari. Quia hoc ipso quod Legislator actum externum, licèt de se indifferentem prohibuit, opus externum fit objectum prohibitum & malum, si aliqua formalis, vel virtualis ad legem reflexio fiat: unde nullum terminare potest affectum voluntatis, nisi ipsum inficiat.

Sequitur tertiò, quod qui cum delectatione spectat & videt duellum, bellum injustum, ludum impudicum, peccat mortaliter, si delectatio sit de opere illo malo, quia tunc affectus in opus illud inclinatur; si autem delectatio sit de sola visione, curiositate, pugnantium agilitate & dexteritate, à mortali fortassis excusabitur. Sed hæc omnia periculis plena sunt, quia vir Christianus ex opere malo quomodocumque, vel à quocumque fiat, non gaudium, sed mœrorem elicere debet: & industria mali, & in malo horrenda est bonis. Maximè quia homo pronus ad malum ab adolescentia sua non solùm ex inclinatione dexteritatis sæpe fertur in amorem vitii, subindeque periculo se exponit; sed etiam internum amorem vitii, & in recessu cordis latitantem tegit specie curiositatis, & amoris proprii tenebris occæcatus intus ardentem cupiditatem non discernit, quia sæpe mentitur iniquitas sibi, & mens sibi ipsi blanditur; & aliud est in superficie mentis, aliud in radice cordis.

Sequitur quartò, delectationem morosam de opere, quod est peccatum veniale, esse etiam peccatum veniale: v. g. delectatio de mendacio, cogitatio de risu superfluo, de scurrilitate, de comestione lauta & oppipara iisdem sordent inquinamentis, quibus opera illa inficiuntur.

Sequitur quintò, quod si delectatin non sit de opere ipso, sed de cogitatione sola, asserendum est cum D. Thoma *quest.78. art.9.* per se non esse peccatum mortale, sed quandoque veniale, quandoque nullum. Quia *delectatio de cogitatione sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam: cogitatio autem ipsa secundùm se non est peccatum mortale, immò quandoque est veniale tantum, putà cùm aliquis inutiliter cogitat de ea; quandoque autem sine peccato omninò, putà cùm aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cùm vult de ea prædicare, vel disputare.* Porrò ad discernendum, an delectatio sit de cogitatione, vel de opere cogitato, licèt sæpe difficile sit, & laqueis septum, dignosci tamen potest ex motivo delectationis; si enim moveatur ab opere cogitaro, delectatio de illo est; si verò à cogitatione rarâ, novâ, acutâ, eruditâ, utili, piâ, à cogitatione moveri delectationem, in viris præsertim timoratis censendum est. Sed in his eximiâ spiritus prudentiâ, & magnis precibus opus est.

Sequitur sextò, pro nuptis hanc regulam servandam esse: Cogitationes, & delectationes sunt licitæ, quando operatio licita est, sive sit præsens, sive præterita, sive futura; qoia differentia præteriti, & futuri non variant speciem moris de bono in malum. Sæpè tamen in illis cogitationibus peccatum veniale contingit, ut cùm solius delectationis gratiâ hæc mente revolvuntur, quia etiam opera licita solo voluptatis amore elicita, culpâ non vacant, vel cùm hujusmodi rerum memoriâ justa necessitate, vel piâ utilitate caret. Immò potest in his peccatum mortale tunc accidere, si periculum voluntariæ pollutionis, vel mali consensus immineat.

Sequitur septimò, peccatum esse delectari de malo actu; licèt non malè, & absque culpa patrato. V. g. licuit quidem Jacob, quandiu per ignorantiam facti arbitrabatur Liam esse uxorem suam, in opus, delectationemque consentire: sed non licuit illi in eo actu depulsâ ignorantiâ delectari, quia actum per se malum, & per accidens solùm excusatum, amare illicitum esse certum est, sicut non licet de homicidio in somnis, vel furore patrato gaudere. Vide plura de his materiis apud Authores: illas aliquando rerum latiùs Deo dante persequemur, si Theologiam moralem, quam adornamus, consummare per vires liceat. Illud tamen, mi Theologe, monendus es, ut periculosis molliculorum opinionibus non credas, si sis christianæ puritatis inquisitor.

Reflexio.

Cùm sæpè non parva sit venialia à mortalibus discernendi difficultas, si salutis tuæ amans es, si Deum, cui unum peccatum displicet, sincerè diligis, sicut à facie colubri fuge quodcumque peccatum. Quanvis enim in venialia sæpè sæpiùs prolabi nos infirmitas humana compellat, divinaque providentia sinat; quia ut Greg. Magnus *lib. 5. in lib. Regum*, ait: *Magna prælia electis permittit Deus, quæ vincant; levia excitat, in quibus cadant, ut victoria fortium magna sit, casus innoxius; ut cadentes se facilè erigant, & eos fortia, in quibus victores steterant, non extollant.* Sed tamen miseræ peccandi venialiter necessitati liberè non adjicias voluntatis electionem; peccata ex subreptione venialia te nimiùm & frequentiùs invadunt, quàm ut ad deliberata sponte venialia prolabaris. Ne tibi frequentiâ actuum familiare tibi sit quodcumque peccatum, quia ut Cyprian. *serm. de unit. Eccles.* monet: *Plus metuendus est & cavendus inimicus, cùm latenter obrepit. Semper diabolus bono operi imminet*, addit Hieron. lib. 4. comm. in Jer. *ubique gradientibus ponit laqueos.*

Ne ultrò quæras peccata venialia, quibus opera tua etiam justa farta sunt & obscurata. An non sæpè apud Augustinum *lib. 10. Confess.* per multa capita legisti, quod dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transimus, in ipso transitu nobis insidiatur laqueus concupiscentiæ; & quod cùm salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causâ fiat, quod salutis causâ nos facere vel dicimus, vel volumus: nec idem modus utriusque est, nam quod saluti satis est, delectationi parum est. *His tentationibus*, inquit humillimus Augustinus cap. 37. *quotidie conor resistere: certo quotidie adversus concupiscentiam manducandi, & bibendi. Quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum; ego autem non sum, quia peccator homo sum. Delectatio carnis meæ*, addit cap. 33. *sæpè me fallit, dum rationem sensus non ita comitatur, ut patienter sit posterior; sed tantùm quia propter illam meruit admitti,*

mitti, etiam præcurrere ac ducere conatur. Ita in his pecco non sentiens, sed postea sentio.

Idem in aliis innumeris, singulis horis, & fermè momentis accidit; hinc curiositas, inde loquacitas, illinc vanitas multiplices insidias struunt. Nam ut idem sanctissimus Pater *cap.* 35. deplorat: *In quam multis minutissimis & contemptibilibus rebus curiositas nostra quotidie exoritur, & quàm sæpè labamur, quis enumeret?* Quid autem dicemus de peccatis linguæ, quam Jacobus *universitatem iniquitatis*, Augustinus *cap.* 37. *fornacem quotidianam* appellat? Quanvis enim Tullius effutierit, nullum unquam verbum, quod revocare vellet, se emisisse; attamen ut ait Augustinus epist. 7. *Hæc laus, quanvis præclarissima videatur, credibilior est de nimium fatuo, quam de sapiente perfecto.* Porrò quis vanæ gloriæ & proprii amoris ubique sua quærentis, & in omnia opera nostra irrepentis circumstantia decipula enumeret? Cùm sæpè homo de ipso vanæ gloriæ contempto vaniùs glorietur, ideoque non jam de ipso gloriæ contemptu glorietur; non enim eam contemnit, cùm gloriatur intus. Hinc libro laudato, *cap.* 38. ait August. *Sermo ore procedens, & facta quæ innotescunt hominibus habent tentationem periculosissimam ab amore laudis, quæ ad privatam quandam excellentiam contrahere emendicata suffragia tentat.*

Hæc cùm ita sint, peccata venialia ubique occurrentia, & insidiantia timeamus, & caveamus, ne quibusdam ruinæ suæ gradibus desidiosa mens in foveæ lapsus impellatur. Quia si, teste Gregorio lib. 5. Moral. cap. 8. *Solus in illicitis non cadit, qui se aliquando & à licitis cautè restringit:* quomodo non cadet qui à peccatis venialibus per se illicitis sibi non temperat? Si Deum times, peccata venialia time, quia etsi veniale, ut docet D. Thomas, nunquam fieri possit mortale, cùm essentiale inter utrumque discrimen intersit; ad mortalia tamen sensim disponitur, qui spernit modica, & contemptui legis assuescit, qui eam tametsi leviter, frequenter tamen transgredi delectatur: *Quid autem interest ad naufragium*, inquit August. epist. 108. *utrum uno grandi fluctu navis operiatur, & obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta impleat navem, atque submergat.* Ergo si mortalia times, venialia ne prosequatis. Si pœnam times, peccata venialia time, nec ea contemnenda putes, quibus Deus ignem paravit flammis inferni sola duratione inferiorem. Ergo per quotidianum examen conscientiæ suæ ascendat homo adversum se tribunal mentis suæ, & constituto in corde judicio adsit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animi confitentis per lacrymas fluat. Nam ut ait August. lib. 50. homiliarum, hom. 50. *Nec multa remanebunt peccata, sive parva, sive magna, quia aut ab homine pænitente, aut à Deo judicante plectuntur.*



DISSERTATIO II.

De causis peccatorum.

IN confesso est apud omnes, voluntatem esse causam omnium peccatorum, cùm scilicet producit actus inordinatos, & debitâ ad regulas morum, quæ sunt ratio & lex, commensuratione destitutos. Hanc porrò inordinationem causat voluntas, quatenus cum in actum prorumpit, cui difformitas annexa est. Si autem interroges, an voluntas antequam peccet, aliquo defectu laboret quo peccet? Respondebo, quod non solùm in voluntate, priùs quàm in actum peccati fundatur, inest naturalis ille defectus, creaturis omnibus intellectualibus insitus, nimirum peccabilitas, quæ naturæ ex nihilo productæ consectarium est, utique prioritate temporis actualis peccati partum præcedens; sed insuper voluntas peccato gravida, & ad peccatum accincta priùs naturâ quàm actu peccet, laborat defectu voluntario, & actuali, in hoc consistente, quod in illo priori, antequam patiat iniquitatem, veluti concipit, seu est liberè ad malam operationem determinata, constituitque se primum principium actuale pravæ operationis per voluntarium à ratione & lege recessum, seu non subjectionem ad superiorem. Causa enim est priùs determinata ad effectum quàm ipsum producat; & principium actuale operationis præcedit naturâ operationem; operatio quippe non prosilit nisi à principio actuali, & à causa ad agendum determinata. Et quia voluntas in ordine deficiendi & peccandi prima causa est à nullo dependens, ideo ipsamet liberè seipsam principium actuale deficiens constituit, & Deum ad concurrendum ad materiale pertrahit, facitque illum servire iniquitatibus suis. Nec sequitur voluntatem peccare ante peccatum, quia nullum est peccatum, nisi sit actus, qui nondum intelligitur. Nisi malis dicere, esse peccatum non consummativè, completè, & in facto esse, sed in procinctu, initiativè, & in fieri. Hoc, quod summè notandum est, supposito, interiores, exterioresque causas peccati examinemus.

CAPUT I.

De internis peccatorum causis.

AD interiores causas peccati pertinent & subjectum in quo recipitur, & defectus interiores, tam ab intellectu, & voluntate, quàm ab appetitu sensitivo proficiscentes. De illis ergo omnibus ordine dicendum est.

SPECULATIO I.

Non solùm voluntati, sed etiam appetitui sensitivo, imò & rationi inesse peccatum, nedum quoad materiale, sed etiam quoad formale probabilius est.

TRia supponit hæc speculatio, quorum duo apud omnes recepta sunt. Primum est contra Manichæos, nimirum hominem esse subjectum peccati, & non solum cacodæmonem. Cùm enim homo sit liber, & bonitatis, & malitiæ capax est. Secundum est contra Pharisæos, solam malitiam in actibus externis constituentes, quos reprehendit Veritas *Matth.* 5.

Sed eorum error patet & ex illo Psalm. 60. *Iniquitatem si aspexi in corde meo*; & ex nono, decimoque præcepto, & evidenti ratione. Quia maximè actui interiori convenit libertas, quæ potest & à bono incommutabili averti, & ad commutabile converti. Tertium, quod supponit, est in actibus membrorum exteriorum formale peccati non inveniri; quod negant illi, qui censent, actum externum addere aliquid malitiæ actui interiori. Sed nostra doctrina, tanquam constans, supponenda est; quia potentiæ exteriores non

non funt formaliter liberæ, ut eft evidens : ergo non poffunt producere actum formaliter liberum : ergo nec formaliter bonum, vel malum, aliàs ferrentur extra objectum fuum fpecificativum & adæquatum: folùm ergo materiale peccati poffunt producere. Difficultas ergo reftat de appetitu fenfitivo, & ratione.

Prima pars de appetitu fenfitivo.

Probatur prima pars afferens, non folùm in actibus voluntatis, fed etiam in motibus appetitus fenfitivi, prout eft in homine, poffe formale peccati venialis inveniri. Probatur, inquam, verbis, & ratione D. Thomæ, qui q. 74. articolo fecundo (ubi concludit folam voluntatem non effe fubjectum peccati) tertio loco fibi objicit hoc argumentum, quo veluti fulcro innititur oppofita fententia recentiorum : *Omne peccatum eft actus voluntatis, quia ut dicit August. in lib. de lib. arbitr. peccatum adeo eft voluntarium, quod fi non fit voluntarium, non eft peccatum. Sed actus aliarum virium non funt voluntarii, nifi in quantum illa vires moventur à voluntate; hoc autem non fufficit ad hoc ut fint fubjectum peccati, quia fecundum hoc etiam membra exteriora, qua moventur à voluntate, effent fubjectum peccati. Ergo fola voluntas eft fubjectum peccati.* Cui argumento fic refpondet : *Dicendum, quod membra corporis non funt principia actuum, fed folùm organa. Unde & comparantur ad animam moventem, ficut fervus, qui agitur, & non agit. Potentia autem appetitiva interiores comparantur ad rationem quafi libera, quia agunt quodammodo, & aguntur, ut patet per id, quod dicitur 1. Politic.* Ubi manifeftum eft, S. Doctorem non loqui de materiali peccati: tum quia membra externa poffunt effe fubjectum materialis peccati, ut oculus afpectûs impudici, manus percuffionis nefariæ: tum quia *art.4.* docet, quod in appetitu fenfitivo non poteft effe peccatum mortale, fed tantùm veniale : ubi neceffariò loquitur de formali, cùm cæteroquin materiale mortalis poffit in appetitu fenfitivo inveniri. Nec valet interpretatio Curielis aientis, D. Thomam Ideo tribuere peccatum veniale appetitui, non mortale, quia prima radix venialis eft indeliberatio plena, & imperfecta libertas, quæ potiffimùm ex paffione appetitus caufatur. Nam S. Doctor *tota q.74.* de proprio, & immediato fubjecto peccatorum, non de eorum radicibus, & occafionibus fermonem habet, ut ex lectione textus relinquitur manifeftum.

Ratio verò hujus affertionis duplex à D. Thoma tradita eft. Prima indigitata eft, & confiftit in convellendo adverfariorum principio in hoc fito, quod appetitus fenfitivus non eft liber, cùm reguletur per cogitativam, quæ nequit proponere objectum cum indifferentia boni & mali, fed fub fola delectabilis ratione; ex oppofito autem principio argumentatur D. Thomas : Appetitus fenfitivus, ut fubordinatur voluntati, participat libertatem, ut docet Philofophus 3. *Politicorum*, ubi ait, animam dominari corpori defpotico principatu, appetitui verò politico, & regali; quia nimirum appetitus regulatur per cogitativam, quæ tefte eodem D. Thoma 1. *part. quæft.78. art.4.* dicitur ratio particularis verfans non folùm circa bonum delectabile, fed etiam circa honeftum in particulari; quia cùm ad illam pertineat difcernere circa fingularia, ad ipfam etiam est dirigere fpectat. Sed quod eft capax libertatis, poteft effe fubjectum peccati. Ergo in appetitu fenfitivo, prout eft in homine, peccatum reperiri poffibile eft.

Confirmat id ipfum D. Thomas *art.2.* alia ratione: Ejufdem potentiæ eft actus & habitus, præfertim fi actus fit immanens, qui in ea potentia recipitur, à qua efficitur; unde cùm actus efficiatur à potentia mediante habitu, in ea facultate fimpliciter recipi dicetur actus, in qua habitus fubjectatur. Atqui in appetitu fenfitivo recipiuntur habitus virtutum, & vitiorum. Ergo in appetitu illo actus interiores recipiuntur, fubindeque eorum bonitas & malitia.

Sed dices : Unde habet appetitus fenfitivus, qui convenit homini, ut eft animal, quive eft nobis, brutifque communis, quod fit capax libertatis, quæ naturam intellectualem, ejufque amplitudinem confequitur.

Refpondeo, hanc effe à divina providentia conftitutam legem, quam à D. Dionyfio edocti fumus, fupremum infimi attingere infimum fupremi, iftiufque perfectionem fin exprimere, certè adumbrare, vel imitari: fic perfectiffima corpora, fcilicet cœleftia, incorruptibilitatem fpirituum æmulantur : fic in iftis fublunaribus perfectiffimum elementorum ignis ad motum, & actionem viventium accedit; inter plantas ea, quæ dicitur fenfitiva, fenfum animalium, fi non imitatur, certè emendatur : fic inter animalia fimia hominis motus, vulpes induftriam, elephas religionem exfcribunt : fic homo per fimplicem, & quietam veritatis intelligentiam, quæ difcurfus fructus eft fuaviffimus in contemplatione perceptus, ad modum angelicæ cognitionis accedit; fic Angeli & Beati omnes (quia in cœlo eadem eft Angeli hominifque menfura) vifione beata vitam divinam, ejufque æternitatem participant. Quid ergo mirum, fi appetitus fenfitivus in homine ex conjunctione ad voluntatem aliquem libertatis, & amplitudinis radium confequatur, cùm appetitus in homine fit appetituum fenfitivorum perfectiffimus, ficut homo animalium princeps, non folùm propter rationem quâ eis dominatur, fed etiam propter exquifitiorem ftructuram & majores vitæ animalis dotes, quæ longè adhuc antecellerent, nifi per peccatum mors, aliæque infirmitates obveniffent. *Vires fenfitiva partis*, inquit D. Thomas art.3. ad 1. *etfi fint communes nobis & brutis, tamen in nobis habent aliquam excellentiam ex hoc quod rationi junguntur, ficut nos pra aliis animalibus habemus in parte fenfitiva cogitativam & reminifcentiam. Et per hunc modum etiam appetitus fenfitivus in nobis pra aliis animalibus habet quandam excellentiam, fcilicet quod natus eft obedire rationi: & quantum ad hoc poteft effe principium actus voluntarii, & per confequens fubjectum peccati.*

Dices iterum : Sed quare potiùs appetitus fenfitivus capax eft libertatis fufficientis ad veniale, non ad mortale? Ergo voluntaria eft noftra doctrina.

Refpondeo, differentiæ veram rationem ex D. Thoma *art.4.* colligi. Quia nimirum in actu appetitus fenfitivi poffunt omnia inveniri neceffaria ad veniale, fecus ad mortale, ad quod requiritur perfecta libertas, & deordinatio ab ultimo fine. Actua autem appetitus imperfectam duntaxat libertatem participant, nec ab ultimo fine avertere poffunt; inordinatio enim & receffus à fine non eft à nifi ejus, cujus eft ordinare in finem, quod folius rationis eft. Ad veniale verò fufficit imperfecta libertas, & in ordinario circa media, vel fines particulares, qui poffunt ab appetitu attingi, præfertim ex concurfu, influxu, & motione, virtuali faltem, indirecta, & interpretativa voluntatis in appetitum radium actualis libertatis derivantis.

Licèt autem hæc ita fint, non approbo tamen fententiam Gregorii Martinez, exiftimantis actua appetitus fenfitivi poffe effe fubjectum malitiæ mortalis, fecluſo omni voluntatis tam actuali, quàm virtuali,

&

& interpretativo motu, propter intrinſecam libertatem, quam appetitus ex habituali ſubordinatione ad rationem participat. Cui ſubſcribunt Salmanticenſes, & noviſſimè noſter Gonet. Non approbo, inquam: tum quia D. Thomas ſuprà, *q. 24.* dixit, malum non eſſe in paſſionibus, niſi ex imperio rationis. Et hic *q. 74. art. 2. ad 1.* ait: *Non peccatur, niſi voluntate, ſicut primo movente; aliis autem potentiis peccatur, ſicut ab ea motis.* Et *in 2. diſt. 24. q. 3. art. 2.* docet, quod motus præcedentes rationem ex eo ſunt peccata, quatenus ratio eos poteſt impedire, & debet, unde importatur conſenſus interpretativus. Tum quia non poteſt eſſe peccatum in ſenſualitate, niſi voluntas poſſit motum illum impedire, ut innumeris locis repetit D. Thomas, & fatentur adverſarii: ſed voluntas non eſt potens & expedita ad reprimendum ſenſualitatis motum ſine aliquo actu formali, vel interpretativo, quia ſi voluntas poteſt impedire, tenetur motum cohibere; unde ſi non cohibeat, interpretativè conſentit, maximè quia non poteſt motum illum retrahere & reprimere, niſi adſit aliqua intellectus advertentia; in incognitum enim ferri voluntas non poteſt: intellectu autem advertente, voluntas non manet ſuſpenſa, propter indivulſam utriuſque potentiæ colligationem. Ergo nunquam veniale eſt in appetitu, niſi adſit ſaltem interpretativus voluntatis conſenſus.

Et certè ſi omnes motus appetitus rationem omnem prævenientes eſſent peccata venialia independenter omninò à voluntate, per hoc ipſum quod procedunt ab appetitu voluntati habitualiter ſubordinato, ſequeretur quod tunc etiam in peccatum incideremus, cùm voluntas actu reſiſtit, cùm reprimit, & pro virili motum extinguere conatur; ſubinque tunc ſimul mereremur per veram voluntatis reſiſtentiam, & demereremur per peccati venialis culpam. Conſequens autem repugnat Tridentino *ſeſſ. 5.* & D. Thomæ *q. 7. de malo, art. 6.* aſſerentibus, concupiſcentiam reſiſtentibus non nocere. Imò videtur eſſe contra Apoſtolum Rom. 8. aientem: *Nihil ergo nunc damnationis eſt his, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui non ſecundùm carnem ambulant.* Ideſt, ut exponit Bernardus ſerm. 1. Aſcenſ. *Nulla damnatio his qui ſunt in Chriſto Ieſu, concupiſcentiæ ſenſus abſque conſenſu.* Et ſanè ſecundùm Patres ſpirituales, erumpentes motus imprævisi, ſi à voluntate comprimantur, non peccati, ſed meriti materiem præbent. Vnde trita eſt, & apud omnes recepta diſtinctio motuum, quorum alii dicuntur primò primi, qui ſunt naturaliter excitati, nec ſunt in noſtra poteſtate: alii dicuntur ſecundò primi, qui licèt plenam deliberationem antecedant, ſunt tamen ſemiplenè deliberati, & poſſent impediri: tertii perfectè deliberati, qui advertente ratione, & conſentiente voluntate erumpunt. Tertii ſunt peccata mortalia, ſecundi venialia, primi nulla. *Quando motus illiciens eſt in ſenſualitate*, inquit D. Thomas quæſt. 7. de malo, art. 6. ad 6. *tripliciter ſe poteſt ad ipſum habere ratio; uno modo ſicut reſiſtens, & tunc nullum eſt peccatum, alio modo ſicut imperans, putà cùm ex propoſito motus concupiſcentiæ illicitæ excitat, & tunc ſi ſit illicitum in genere peccati mortalis, erit peccatum mortale: aliquando autem ſe habet, ut neque prohibens, neque imperans, ſeu conſentiens, & tunc eſt peccatum veniale.* Vbi vides, quod ut peccatum veniale ſit in ſenſualitate, exigitur ut voluntas ſit neque imperans, neque prohibens, ſed negligentiâ ſuâ veluti permittens, & imperfectè volens.

Nec te moveant quædam Scripturæ, & Patrum teſtimonia indicantium, omnes iſtos motus eſſe peccata. Rom. 7. *Non quod volo bonum, hoc facio; ſed quod odi malum, hoc ago.* Vbi loquitur de motu ſenſualitatis, qui teſte Auguſt. *lib. 5. cont. Iul. cap. 3.* peccatum eſt, *quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis.* Et apertiùs D. Thom. *quæſt. 25. de verit. art. 5. ad 5.* ait: *Non dicitur eſſe peccatum in ſenſualitate propter interpretativum conſenſum rationis. Quando enim motus ſenſualitatis prævenit judicium rationis, non eſt conſenſus nec interpretativus, nec expreſſus; ſed ex hoc ipſo, quod ſenſualitas eſt ſubjicibilis rationi, actus ejus, quamvis præveniat rationem, habet rationem peccati.* Quibus verbis nihil clarius.

Non, inquam, te moveant; motus enim concupiſcentiæ in tantum dicitur malum ab Apoſtolo, in quantum ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat, ut dicitur in Trident. *ſeſſ. 25.* D. autem Auguſtinus loquitur de motibus ſecundò primis, unde ait ibidem: *Alioquin fruſtra dictum eſt, poſt concupiſcentias tuas non eas, ſi jam quiſque reus eſt, quòd ſentit eas.* Et lib. de vera Relig. cap. 14. *Aut negandum eſt peccatum committi, aut fatendum eſt voluntate committi.* Quo etiam modo exponendus venit S. Thomas, cùm ex aliis S. Doctoris locis liquidò conſtet, tunc ſolùm motus illos eſſe peccata, cùm ſupponitur vel formalis, vel virtualis voluntatis advertentia; unde loco de veritate citato de motibus plenam deliberationem antecedentibus, ſemiplenè tamen deliberatis, ſermonem habet. Vnde verba S. Doctoris claritatis gratiâ ſic poſſunt diſtingui: Non dicitur peccatum in ſenſualitate, propter interpretativum conſenſum rationis plenè deliberatæ, concedo; imperfectè ſolùm deliberantis, nego. Similiter quando motus ſenſualitatis prævenit judicium, non eſt conſenſus, nec interpretativus, nec expreſſus plenè liber & deliberatus, qui ſupponit expreſſum judicium, concedo; imperfectè deliberatus, & à voluntate veluti oſcitante proficiſcens, nego.

Nec rurſum te moveat rationum illarum, quas ſuprà adduximus, momentum, ſeu ſingularis illa participatæ libertatis prærogativa, quam appetitui, ut eſt in homine, aſſeruimus. Non, inquam, moveat; quia illud libertatis participium, ille radius, illud veſtigium intelligitur de libertate in actu primo, quæ tamen in actum ſecundum exire nequit abſque voluntatis aut moventis, aut non prohibentis, aut negligentis conſenſu, aut licentia, ſaltem interpretativa. Cùm enim libertas appetitus non ſit in homine prima, ſed ſubordinata, & à voluntate participata, nequaquam in actum ſine aliquo voluntatis influxu prorumpere poteſt. Per quod differt ſenſualitas à membris externis, quæ intrinſecæ malitiæ capacia non ſunt defectu intrinſecæ libertatis in ſenſualitate participatæ, tametſi nonniſi dependenter ab actuali, vel virtuali rationis, voluntatiſque influxu exercendæ: ſicut etiam cogitativa non participat vim diſcurrendi circa ſingularia, niſi *ſecundùm quandam refluentiam rationis univerſalis in illam*, ut loquitur S. Thomas 1. *p. quæſt. 78. art. 4. ad 5.*

Neque valet, ſi dicas, quod ſi ratio vigilaret, poſſet omnes motus appetitus impedire; quod ergo non impediat, quod non vigilet, facit motus illos eſſe peccata. Non, inquam, valet. Tum quia perpetua vigilia eſt in hac vita impoſſibilis, nec eſt humanæ facultatis. Tum quia nimia vigilia, ſeu nimia attentio motus illos excitat, ut videre in ſcrupuloſis, in quibus tentationis timor tentationes fovet, quia imaginationem circa objectum tentationis occupat. Tum quia licèt daretur continua vigiliæ attentio, & non intermiſſus labor, fruſtra tamen motus omnes reprimere niteremur, & quia reſiſtente ratione invaleſcunt, & quia dum unum motum reprimimus, inſurgit alius inſperatus. Vnde D. Thomas *q. 74. art. 3.* ait: *Corruptio fomitis non impedit, quin homo rationabili*

voluntate possit reprimere singulos motus, si præsentiat, puta divertendo cogitationem ad alia. Sed dum homo cogitationem ad aliud divertit, potest etiam circa illud aliquis inordinatus motus insurgere: sicut cùm aliquis transfert cogitationem suam à delectationibus carnis, volens concupiscentiæ motus vitare, ad speculationem scientiæ, insurgit quandoque motus inanis gloriæ impræmeditatus. Et ideo non potest homo vitare omnes hujusmodi motus, propter corruptionem prædictam. Sed hoc solùm sufficit ad rationem peccati voluntarii, quod possit vitare singulos. Quibus in verbis duo pondero. Primum, hominem tunc posse solùm voluntate reprimere singulos motus, *si præsentiat.* Ergo si non præsentiat motum, sed potiùs ab eo præveniatur, non potest illum vitare, ac proinde motus tunc non habet rationem voluntarii, subindeque nec peccati. Secundum est, quod ideò motus secundò primi sunt peccata, quia licèt voluntas præsentiens non possit omnes reprimere, singulos tamen cohibere divertendo se ad alia posset: motus autem primò primos, utpote naturales, & omnem rationis advertentiam, quis comprimere potest? Unde Pater Gonet postquam *disp.5. art.2.* omnes nervos suos contendit in probando, peccatum veniale esse in appetitu & sensualitate, absque ullo etiam interpretativo voluntatis actu; posteà, *art.3.* (qua consequutione doctrinæ, alii viderint) probat motus primò primos non esse peccata venialia, sed tamen secundò primos, qui fiunt cum aliqua advertentia & semipleno voluntatis consensu: quibus totam illam rationum molem, quam contra Alvarem nostræ sententiæ patronum una manu struxerat, alterâ destruit.

Dices: Si peccatum veniale sit in appetitu, nec possit esse in eo nisi dependenter à voluntate, idem peccatum in duplici potentia recipietur, inficietque simul appetitum & voluntatem, quod non minùs repugnare videtur quàm quod idem accidens duobus inhæreat subjectis.

Respondeo, non esse inconveniens, malitiam partim in voluntate, partim in aliis potentiis subjectari. Sicut enim virtus moralis, ejusque bonitas, & in voluntate, & appetitu reperitur, ita & de malitia dicendum est. Unde ait D. Thomas art.4. ad 4. *Actus virtutis non perficitur per id, quod est sensualitatis tantùm, sed magis per id, quod est rationis & voluntatis, cujus est eligere; nam actus virtutis moralis non est sine electione. Unde semper cum actu virtutis moralis, quæ perficit vim appetitivam, est etiam actus prudentiæ, quæ perficit vim rationalem. Et idem est etiam de peccato.* Nec sequitur, idem numero accidens futurum in diversis subjectis, si quælibet pars malitiæ sit in suo; malitia enim non est una unitate simplicitatis, sed compositionis, ex pluribus partibus resultans; sicut figura domus ex lapidibus, & lignis.

Altera pars de ratione.

Secunda pars affirmans, in ratione posse peccatum, etiam quoad formale inveniri, tanquam probabilior, & S. Thomæ *art. 5.* conformior, à nobis eligitur, & iisdem rationibus suadetur, quibus præcedens confirmata est. Prima, quâ destruitur fundamentum adversariorum, sic procedit: Si qua esset ratio, cur in intellectu non posset esse formale peccati, maximè illa, quâ nituntur adversarii, quia nimirum actus intellectus non sunt formaliter liberi, sed solùm extrinsecè, denominatione ab actu voluntatis petitâ. Sed hæc ratio non convincit. Tum quia non semper requiritur intrinseca libertas ad infectionem peccati; docent enim plures, peccatum originale, quod est formaliter in nobis, esse solùm voluntarium denominatione extrinseca ab actu voluntatis protoparentis petita. Tum præcipue, quia intellectus non se habet ad actus malos sicut membra externa, quæ sunt mera operationum organa, & instrumenta, nullum rationis, nullum libertatis radium, vel stillam participantia: intellectus verò est unum ex principiis actus humani, rationalis facultas, & saltem radicaliter libera. Imò non est à veritate abhorrens illa sententia, quæ ponit actus intellectus, ut antecedunt voluntatem, esse quidem radicaliter duntaxat liberos; verumtamen ut voluntatem consequuntur, libertatem ejus formalem exprimere, & participata libertate multò magis, quàm appetitum gaudere; sicut voluntatis motus rationis lucem, & directionem exscribere ex mutuo ambarum facultatum fluxu, & refluxu credendum est. Unde præclarè D. Thomas *artic. 5. ad 2.* ait: *Voluntas quodammodo movet, & præcedit rationem, & ratio quodammodo voluntatem. Unde & motus voluntatis dici potest rationalis, & actus rationis potest dici voluntarius. Et secundùm hoc in ratione invenitur peccatum, vel prout est defectus ejus voluntarius, vel prout actus rationis est principium actus voluntatis.* Nec propterea fertur intellectus extra suum objectum specificativuum, ut objiciunt adversarii; tum quia de appetitu idem illi respondere tenentur; tum quia non participat intellectus hanc libertatem appetendo, sed discernendo.

Secunda ratio sic formatur: In eadem potentia est actus malus formaliter, in qua est habitus vitiosus formaliter; nam ut ait D. Thomas art. 2. *ejusdem potentiæ est actus, & habitus.* Sed in intellectu potest esse habitus formaliter vitiosus, puta infidelitas, & imprudentia, sicut & eorum contrarii, fides scilicet, & prudentia; contrariorum quippe idem est subjectum, cùm ab eodem subjecto se expellant. Ergo in intellectu possunt esse actus formaliter mali, infidelitatis scilicet, & imprudentiæ. Cum his tamen omnibus simpliciter, & absolutè stat, voluntatem esse subjectum peccati, quia ut ait August. lib.7. retract. cap.9. *Voluntas est, quâ peccatur, & rectè vivitur.* Unde D. Thomas *q.2. de malo, art.2. ad 2.* ait: *Peccatum dicitur esse voluntas, non quòd tota essentia peccati sit in actu voluntatis, sed quia totum peccatum consistit in voluntate, sicut in radice.*

Reflexio.

Si nullum sive in intellectu, sive in appetitu sensitivo absque voluntatis influxu peccatum est; si, ut inculcat Augustinus, *non nisi voluntate peccatur*; si, ut D. Thomas *in 2. dist.24. quæst.3. art.2.* ait, *incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur:* Ergo solam voluntatem tuam time: ergo tuam formida libertatem. Ne terrearis, si tumultuantes, & ad mala trahere nitentes concupiscentiæ impetus sentias, nisi consentias; non te dejiciat circumstans te peccatum, si non regnat peccatum in corpore tuo mortali: non regnat autem, nisi per consensum approbetur, dicente Augustino lib.6. contra Julian. cap. 2. *Pariens est concupiscentia, partus peccatum; sed concupiscentia non parit, nisi conceperit; non concipit, nisi illexerit, idest ad malum perpetrandum obtinuerit voluntatis assensum.* O felix, fortunataque pugna, in qua nemo vincitur, nisi velit! Sed ô deploranda magis eorum ignavia, qui hosti cedunt, fatenturque se victos, qui uno poterant dissensu esse victores! Internam cordis tui turrem cingit, obsidet, circumvallat dæmon; sed perperam

aggreditur

aggreditur, perperam oppugnat, perperam collatis omnibus tentationum copiis irrumpit; nunquam invadet, si dicas, & verè dicas, & constanter dicas: Nolo. Quàm veridicè August. *serm.12. de verbis Domini*, dicit: *Potes aurum perdere, & nolens; potes & domum: bonum autem, quo bonus es, nec invitus accipis, nec invitus amittis.*

Speculatio II.

Ad peccatum etiam concurrunt ex parte intellectus ignorantia, ex parte appetitus passiones, ex parte voluntatis malitia.

Tota hæc speculatio, suppositis iis, quæ in superioribus, & tomo præcedenti diximus, liquet, nec probatione eget, sed recensione: quia tamen iis in locis quædam prætermisimus, quæ tractare non erat opportunum, quædam omissa annotationibus sequentibus supplebimus. Plura etiam addemus infrà secundum peccati effectum explicantes.

Notandum igitur primò, quod licèt à sententia de ignorantia juris naturalis nunquam excusante, utpote semper vincibili, non desistam, sed magis, magisque persistam; fatendum tamen, ignorantiam illam in nonnullis excusare magis, in aliis minori esse veniâ dignam. Ut enim observat D. Thomas *in 4. dist.27. q.2. art.2.* triplex est status rationis: primus cùm quis nec intelligit per se, nec ab alio intelligere potest, ut ante primum septenarium: secundus, cùm qui per se quidem erudiri nequit, ab alio doceri valet, ut post primum septenarium: tertius cùm & ab alio, & per seipsum homo addiscere potest, ut in fine secundi septenarii. Nemo autem jure dubitare potest, quin excusabilior sit pueri septennis, vel duodennis, quàm viri ignorantia. Imò nonnulli nostræ sententiæ sectatores volunt posse interdum contingere, puerorum rudium nonnullos initio, & veluti in aurora rationis posse circa remotiora juris naturalis consectaria sine culpa cæcutire, quia circa illa in illis exordiis se habent quasi rationis usum non habentes, nec reverà tunc rationis usum habent, nec naturaliter, supposita hebetudine, habere possunt. Sed hæc, inquiunt, non obsunt veritati sententiæ nostræ, quæ asserit, ignorantiam juris naturalis semper esse culpabilem, utpote semper vincibilem; quia de viris pleno rationis usu præditis intelligitur, & casus illi vel nunquam, vel rarò contingentes, & ferè metaphysici, non cadunt sub scientiam moralem. Utut sit de illa exceptione, de qua multa dicere non vacat:

Notandum secundò, quod licèt loco de probabilitate citato asseruerimus, circa jus humanum, Ecclesiasticum & civile posse dari ignorantiam invincibilem, quia ejusmodi juris notitia non est rationi nostræ implantata, & difficiliùs acquiritur, cùm ex voluntate hominum pendeat, & lectione interdum benè longa librorum innotescat; fatendum tamen est, sæpiùs hujusmodi ignorantiam esse culpabilem, ob eorum ignorantiam, qui jura illa scire possunt, & tenentur. Porrò ad dignoscendum in particulari, an & quando talis ignorantia sit culpabilis, relinquendum est pio prudentum judicio, qui circumstantias librent, tum personæ, quæ solet, vel non solet negligentiâ laborare; tum legis, quæ vel est publica, vel occulta; & alia hujusmodi.

Notandum tertiò, quod circa ea, quæ ad statum, vel officium personæ pertinent, vix ac ne vix quidem contingere potest ignorantia invincibilis. Quia unusquisque ea seriò, & diligenter tenetur inquirere, quæ ad ipsum spectant. Vel si ob ingenitam mentis crassitiem, vel alia vitæ humanæ impedimenta nequit illa nec per se, nec ab alio edoceri, debet officio se abdicare. Quod à Parochis, Episcopis, Prælatis, Confessariis, Judicibus, & Magistratibus notatu dignissimum est, & in hoc sæculo verâ totius eversæ disciplinæ imagine necessarium. Eos facilè excusarim à mortali, qui scientia habituali sufficienti instructi nonnunquam, sed involuntariè, & inadvertenter quædam status officia positivâ lege imperata prætermittunt, quia superat hominum infirmitatem, quod omnium reminiscantur; nec tenentur homines non intermissâ attentione status sui munia semper mente revolvere cum periculo cerebri & judicii. In omnibus tamen cum cautela procedere, & in timore & tremore salutem operari dignum, & justum est.

Notandum quartò, ignorantiam juris naturalis non excusantem à culpa, posse tamen excusare à pœna ecclesiastica & civili. V. g. ignorans usuram esse peccatum, & excommunicationis sententiam latam in usurarios, tametsi peccet contra justitiam, non irretitur tamen vinculo excommunicationis: quia Ecclesia non fert excommunicationem, aliásque censuras, nisi in mandata sua non audientes, vel audita respuentes, vel contemnentes. Ille autem, qui ignorat mandata Ecclesiæ, ea nec audit, nec contemnit, unde in pœnas Ecclesiasticas non incurrit. Et ideo in jure, *cap. si verò, de sentent. excomm.* dicitur, quod si quis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet excommunicatione notari, dummodo ipsum esse Clericum ignoraverit. Et *cap. Apostolicus*, dicitur quod qui tempore suspensionis ignari celebrant divina, redduntur excusabiles ob ignorantiam probabilem. Hinc etiam Prælati, ipsique summi Pontifices, Ecclesiasticarum legum conditores, solent scientiam verbis expressis, aut æquipollentibus desiderare. *Si quis*, inquiunt, *attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei se noverit incursurum.* Quibus verbis eam scientiam videntur exigere, quæ temeritatem, & præsumptionem arguat, aut contemptum. Ecclesiam verò non contemnit, qui ejus voces non audit.

Non approbo tamen laxam quorundam extensionem, qui propter adducta testimonia arbitrantur, eos etiam anathemate non feriri, qui censuras Ecclesiæ ignorantiâ crassâ, & affectatâ nesciunt. Non approbo, inquam: tum quia sic facilè omnis Ecclesiasticæ disciplinæ vigor resolveretur & enervaretur, omnisque eluderetur pœna & censura. Tum quia ipsa jura hanc laxitatem præviderunt, & evertunt, dum solam *ignorantiam probabilem* excusare voluerunt. Et *in cap. cùm animarum, de const. in Sexto*, dicitur: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Quæ ignorantia dicitur supina, quia hominis supini juxtà se posita non advertentis socordiæ similis est.

Sed pro majori hujus materiæ moralis, & non parum necessariæ intelligentia, duæ observandæ sunt regulæ generales, & peræquè certæ. Prior est: *Semper excusatur à pœna, qui à culpa excusatur.* Quia pœna est correlativa culpæ; nemo enim jure multatur, nisi reus; nec reus censendus est, qui est culpæ, labisque purus. Unde qui ex ignorantia invincibili occideret hominem, putans adhibitâ omni diligentiâ occidere feram, in irregularitatem nequaquam incideret. Hinc etiam si ignorantia excusaret à peccato mortali, & non à veniali, in pœnam etiam non incurreret,

ret, quia gravissimam pœnam non imponi à Matre Ecclesia ob levem culpam, credendum est. Posterior regula est: *Qui ratione probabilis ignorantia non incidit in pœnam, ita tamen in foro exteriori se gerere debet, ac si eam contraxisset*; præsertim si censura annexa sit operi intrinsecè malo, quod patravit. Tum quia potest esse dubium, an ignorantia fuerit crassa; tum propter eximiam morum exhibendam probationem, tum ob Ecclesiasticarum legum reverentiam. Unde eorum laxitas fugienda est, qui contendunt, hæreticum exteriorem posse à quovis approbato confessario absolvi, si in hæreticos latam excommunicationis sententiam ignoraverit. Fugienda, inquam, est; tum quia excommunicatio ab Ecclesia in hæreticos lata, est solùm excommunicationis à Christo intentatæ declaratio, & expressio; disertè enim Veritas dixit: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.* Tum quia licèt excommunicationis vinculo in foro interiori minimè teneretur, eâ tamen irretitur in foro exteriori, cui satisfacere tenetur, ob pervenerabilium Ecclesiæ canonum observantiam. Hinc etiam liquet non esse audiendos eos, qui asserunt, illum qui scienter ad consanguineam oxoris accessit, ignoravit tamen privationem juris petendi debiti in nefandi criminis detestationem ab Ecclesia imponi; illum, inquam, talem pœnam non promereri, nec ad petendum debitum dispensatione egere. Nam hæc doctrina omnem Ecclesiæ disciplinam evertere molitur, ejusque consuetudini, ac cordatorum omnium praxi maximè repugnat. Præsertim quia hæc privatio non tam pœna est, quàm impedimentum appositum ab Ecclesia, quæ sola proinde illud tollere potest.

Dices pro Adriano existimante illum pœnam Ecclesiasticam verè promereri, qui scienter culpam admittit, tametsi pœnam ignoret: Ignorantia quæ excusat à culpa, non excusat etiam à pœna à legitimo Superiore intentata. Sed sæpè ignorantia pœnæ non excusat à culpa, verè enim homicida, & sacrilegus est, qui advertenter occidit Sacerdotem, quanvis ignoret tali facinori annecti pœnam excommunicationis. Ergo ignorantia pœnæ non excusat à pœna. Probatur major propositio ex differentia, quæ est inter culpam, & pœnam: illa enim, ut imputetur, debet esse cognita, vel cognitu possibilis, & debita, quia debet esse volita: pœna autem non debet esse volita, cùm sit potiùs violenta. Qua de causa peccans mortaliter, licèt ignoret pœnas inferni, illis tamen punietur, quia peccato lethali jure debentur. Meritò etiam suspenditur homicida, licèt agendum se in crucem propter facinus illud fortassis ignorarit. Quidni similiter pœnas ab Ecclesia intentatas promerebitur, eique jure infligentur, qui crimen illud malignè patrat, quod tali digmum pœna sapiens Ecclesiæ judicium arbitratum est?

Respondeo, hoc argumento erudito, & gravi probabilem effici Adriani sententiam; attamen juxta principia tradita facilè responsu est distinguendo duplex genus pœnarum, quarum aliæ sunt veluti connaturaliter debitæ, aliæ extraordinariæ, insolitæ, & à Legislatore ad incutiendum delicti horrorem superimpositæ. Licèt autem non requiratur cognitio prioris pœnæ, ut illi peccans sit obnoxius, benè tamen cognitio posterioris, quæ tunc solùm contrahitur, quando est contemptus superioris, ut suprà ostendimus. Patet autem, pœnas Ecclesiasticas ad secundam classem pertinere. Esse autem quasdam pœnas peccatis mortalibus, & ex natura rei debitas, & pro eorum gravitate diversas, declarat D. Thomas q.73. *art.*8. quia sunt quædam nocumenta, quæ per se sequuntur ad peccatum, licèt non sint prævisa, vel intenta; & tunc gravius peccatum inducit gravius nocumentum. *Si nocumentum, inquit, per se sequatur ad actum peccati, licèt fortè non sit prævisum, nec intentum, tunc majus nocumentum non facit gravius peccatum, sed è converso gravius peccatum inducit gravius nocumentum. Sicut aliquis infidelis, qui nihil audivit de pœnis inferni, graviorem pœnam in inferno patietur pro peccato homicidii, quàm pro peccato furti: quia enim hoc nec intendit, nec prævidit, non aggravatur ex hoc peccatum. Sicut contingit circa fidelem, qui ex hoc ipso videtur peccare gravius, quòd majores pœnas contemnit, ut impleat voluntatem peccati.* Vides quasdam pœnas delictum per se consequi, alias pœnæ inflictæ cognitionem sequi.

Circa secundam etiam partem affirmantem, ad peccatum ex parte appetitus concurrere passiones, nihil ferè addendum est iis, quæ tomo superiori diximus, dum explicuimus, quomodo concupiscentia causet voluntarium. Legenda est etiam litera D. Thomæ q.77. ubi articulo primo docet, voluntatem moveri indirectè appetitu sensitivo, quatenus & per intensum passionis motum remittitur, aut impeditur motus voluntatis; & per passionem appetitus in imaginatione imprimitur fortis objecti repræsentatio, unde sæpè divertitur, impeditur, vel turbatur judicium rationis, & consequenter motus voluntatis, qui judicium rationis semper sequi natus est.

In secundo articulo concludit, passionis impetum rationem interdùm pertrahere, ut judicet in particulari aliquid esse hîc & nunc bonum, quod tamen in universali scit esse malum; tum quia vis passionis mentem avocat; tum quia sæpè passio objectum falsa bonitate oblinit, iisque pigmentis, & fucis rationem inclinat ad contrarium hujus, quod scientia universalis habet; tum demùm, quia sæpè infrunitus passionis æstus corpus ipsum adeò immutat & organa depravat, ut inde ligata ratio in actua suos liberè prorumpere nequeat. Sed de hac re fusiùs speculatione sequenti disseremus.

Articulo tertio docet, peccatum ex passione rectè dici peccatum ex infirmitate, quia passiones sunt ægritudines animæ; sicut enim corpus dicitur infirmum, quando propter temperamenti perturbati alterationem vel debilitatur, vel in exequutione propriæ operationis impeditur; ita anima dicitur in via virtutis infirma, quando propter inordinatos irascibilis, vel concupiscibilis motus, nequit in actus virtutis erumpere, sed vel frigidè incedit & tepidè, aut quod deterius est, nullos virtutis fructus edere potest; & dum conatur, venit usque ad partum, sed non habet vires pariendi. Unde Philosophus 7. *Ethic. cap.*8. comparat incontinentem paralytico, cujus partes moventur in contrarium ejus, quod ipse disponit. Hanc infirmitatem egregiè describit Bernardus *lib.* 1. *de consider. cap.* 1. dicens: *Quoties vis, & in cassum? Quoties moves, nec promoves? Quoties conaris, & non datur ultra? Eniteris, & non obtines; parturis, & non paris; tentas, & abriperis; & ubi incipis, ibi deficis; & dum adhuc ordiris, succidunt te.*

Quod articulo quarto docet S. Doctor, nimirum amorem sui esse principium omnis peccati, ut suprà exposuimus. Unde infert *art.* 5. concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ esse triplicem fontem unde passiones ad peccatum inclinantes dimanant. Ex immoderata concupiscentia carnis, quæ est immoderatus appetitus ciborum, & venereorum; & ex concupiscentia oculorum

oculorum, quæ est nimia curiositas, vel nimia exteriorum cupiditas, quâ oculorum, vel cujuscumque apprehensivæ virtutis delectatio quæritur, profluunt omnes passiones concupiscibilis. Passiones verò irascibilis, quæ respiciunt bonum sub ratione ardui, ex superbia vitæ progerminant; appetitus enim inordinatus boni ardui pertinet ad superbiam vitæ: nam superbia est appetitus inordinatus excellentiæ.

Articulo sexto tradit, passionem antecedentem diminuere peccatum, sicut diminuit voluntarium; passionem verò consequentem non minuere peccatum, sed magis augere, seu potiùs esse signum magnitudinis ejus, in quantum propensæ voluntatis intensionem, & ad peccandum promptitudinem demonstrat. Affirmat tamen *art.*8. passionem nunquam excusare totaliter à peccato, quando *non totaliter intercipit usum rationis*; quia tunc ratio potest passionem excludere divertendo ad alias cogitationes, vel impedire ne suum consequatur effectum, quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis; unde tunc ex passione peccatum mortale committi potest, ut concludit *art.*9. Si autem passio tanta est, ut rationis usum auferat, sicut patet in his, qui propter amorem, vel iram insaniunt, tunc si talis passio à principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa; si verò causa sit naturalis, actus omninò involuntarius efficitur, & consequenter totaliter à peccato excusatur.

Denique de tertia parte speculationis affirmante malitiam ex parte voluntatis concurrere ad peccatum, diximus dum de distinctione peccatorum. Legenda tamen est quæstio 78. D. Thomæ, ubi *art.* 1. docet, tunc hominem peccare ex certa malitia, quando eligit pati detrimentum in bono minùs amato, ad hoc quod potiatur bono magis amato, putà cùm scienter plus amat voluptatem, vel divitias, quàm ordinem rationis, vel legis divinæ, vel charitatem Dei: unde mavult dispendium in aliquo bonorum spiritualium pati, quàm aliquo temporali bono privari. Unde infert *art.* 2. quod qui utitur habitu vitioso, ex malitia peccat, quia ex electione in malum prorumpit: *Uti enim habitu*, inquit D. Thomas, *non est necessarium, sed subjacet voluntati habentis. Unde & habitus definitur esse, quo quis utitur cùm voluerit*; Ex quo tamen non sequitur, illum qui peccat ex certa malitia, peccare semper ex habitu, ut tradit *art.*3. Quamvis semper supponatur prava aliqua dispositio corrupta inclinans ad malum, ratione cujus malum apparet peccatori bonum, & quasi conveniens, & aufertur omne frænum, & omnia illa repagula perrumpuntur, quibus voluntas à peccato retinebatur. Quæ prava dispositio, si non est habitus, vel est tepiditas, vel personæ temperamentum ad vitia nimis proclive, vel carentia virtutum; unde sequitur ariditas animæ, & insensibilitas divinorum, nimia præsumptio, vel superbia, ob quam sæpe destituimur ope gratiæ, & relinquimur in infirmitate naturæ. Nam, ut alicubi ait Magnus Gregor. *Pià conditoris dispensatione agitur, ut de se confidens anima dispensatoriâ tentatione pulsetur, quatenus infirmata, quid sit, inveniat, & præsumptionis propria fastum deponat.* Potest etiam hæc dispositio esse inverecundia, vera malitiæ radix; unde consequitur sacri depulsio timoris, & nec mala divinitus intentata veremur, nec spiritalia æstimamus, nec divina revetemur. Hinc etiam exoritur falsa facilè recuperandæ amissæ gratiæ fiducia; nam custodiri negligentiùs solet quidquid facilè creditur posse reparari. Unde Patres tam crebrò, tam seriò falsam securitatem condemnant in hac vita, quæ tota tentatio nominatur; quia sæpe mens dum virtutis suæ securitate resolvitur, insidiante adversario inopinatæ culpæ telo perforatur; & quem tentationis certamen superare non valuit, sua deteriùs securitas stravit. *Væ nobis miseris*, inquit Gregorius, *qui de electione nostra nullam adhuc Dei vocem cognovimus, & jam in otio quasi de securitate torpemus. Debet profectò in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione, ut & illa certantes foveat, & ista torpentes pungat.*

Si autem quæras, unde proficiscatur malitiæ inæqualitas? Respondebo cum S. Thoma 3. *cont. Gent. cap.*139. ex majori voluntatis à debita mensuratione recessu. Libet præclara ejus verba referre. *In omnibus, quorum perfectio, & bonum in quadam commensuratione consistit, quantò magis à debita mensuratione receditur, tantò majus erit malum. Sicut sanitas consistit in debita commensuratione humorum, & pulchritudo in debita proportione membrorum, veritas autem in commensuratione intellectus, vel sermonis ad rem. Patet autem, quod quantò est major inæqualitas in humoribus, tantò est major infirmitas; & quantò est major inordinatio in membris, tantò est major turpitudo; & quantò magis à veritate receditur, tantò est major falsitas; non enim est tam magna falsitas æstimantis tria esse quinque, sicut ejus qui æstimat tria esse centum. Bonum autem virtutis in quadam commensuratione consistit; est enim medium secundùm debitam limitationem circumstantiarum inter contraria vitia constitutum: quantò igitur magis ab hac harmonia receditur, tantò est major malitia.*

REFLEXIO.

Ex ignorantia peccare ferè necessarium, ex infirmitate humanum, ex malitia diabolicum est. Nam ut ait August. lib. 2. contra Donatist. *In nullo aliter sapere, quàm res se habeat, angelica perfectio est. Quamdiu ergo non habemus perfectionem Angeli, non habeamus præsumptionem diaboli.* Heu quot inter homines, & Christianos, invenire diabolos est, qui ex proposito, & industria malis cognitis prono animo consentiunt; quos nec innocentia sistit, nec patientia retardat, nec timor frænat, nec pudor inhibet. Quis non obstupescat Christianos infinitos, nec correctione proficere, nec sacramentis molliri, sed durescere, & occallere, atque ad illam consummatam infelicitatem pervenire, ubi turpia non solùm delectant, sed etiam placent, & desinit esse remedio locus, ubi quæ fuerant vitia, mores fiunt. B. Magdalenæ à Pazzi Christianum posse peccatum mortale ultrò patrare, mysterium erat, & ænigma intricatissimum. Quid ergo de illis dixisset, quibus ut ait Augustinus, peccatum consuetudine vilescit, fitque illis quasi nullum sit; quive obduruere jam, imò mortui sunt, quia non dolent. Nam *quando aliquid pungitur, & dolet, aut sanum est, aut est in illo spes aliqua sanitatis. Quando autem tangitur, pungitur, calcatur, nec dolet, pro mortuo habendum, ac de corpore præcidendum est.*

Considerent, quæso, qui hujusmodi sunt, propriæ iniquitatis horrorem, & quàm crescat immensus culpæ cumulus malitiæ electione. Attendant quod ait D. Thomas artic.4. *Cùm ex certa malitia peccatur, motus peccati est magis proprius voluntati, quæ ex seipsa in malum movetur, quàm quando ex passione peccatur, quasi ex quodam extrinseco impulsa ad peccandum.* Ex seipso, proprio motu, spontè, & frigidè moveri contra Deum, in illum bellare, ipsum floccifacere, iniquitatis summa est, & ire ulteriùs perversitas non potest, nisi quæramus aliquid post omnia. Qui talis est, & diu peccat, & sæpe pec-

car, & ferè femper, & quafi connaturaliter. Nam ut ait S. Doctor ibidem: *Paffio quæ inclinat ad peccandum, citò tranfit, & fit homo citò redit ad bonum propofitum pœnitens de peccato. Sed habitus, quo homo ex malitia peccat* (five fit habitus ftrictè, five aliqua alia prava difpofitio, ut antea ex D. Thoma explicabamus) *eft qualitas permanens, & ideo qui ex malitia peccat, diuturniùs peccat. Unde Philofophus in 7. Ethic. comparat intemperatum, qui peccat ex malitia, infirmo qui continuò laborat; incontinentem autem, qui peccat ex paffione, ei qui laborat interpolatè.* Quid eo animæ ftatu deplorandum magis, in quo durâ confuetudinis vi, quâ premitur anima, nec refurgere poteft, nec refpirare permittitur, quia ut ait Gregorius hom. 31. in Evang. *Ufitata culpa obligat mentem, ut nequaquam furgere poffit ad rectitudinem; conatur, & labitur, quia ubi diu fponte perftitit, & ibi cum noluerit, coacta cadit.* Et ut alibi ait: *Anima malorum actuum pondere oppreffa, in malæ confuetudinis carcere inclufa, à femetipfa exire non poteft.* Quis autem hujus ftatus pericula enarrare facilè poffet? Quis Prædicator hunc peccatorem ad meliorem frugem reducere? Quis Sanctus hunc mortuum fufcitare, qui vitam moralem à fine petitam & extinxit, & irreparabilem fciens, & volens ipfe fecit? Nam ut profundè idem Angelicus Doctor: *Qui peccat ex certa malitia, eft malè difpofitus quantum ad ipfum finem, qui eft principium in operabilibus; & fic ejus defectus eft periculofior, quam ejus, qui ex paffione peccat, cujus propofitum tendit in bonum finem, licèt hoc propofitum interrumpatur ad horam, propter paffionem. Semper autem defectus principii eft peffimus. Unde manifeftum eft, quod gravius eft peccatum, quod eft ex malitia.*

Ergo fi, quod abfit, talis es, Lector, abfcinde, abfcinde ferro acutæ compunctionis ulcus inveteratæ malitiæ; & fi acerbus eft dolor, leni unguento devotionis. Emolli fanguine cordis, id eft lacrymis, duritiem fupra adamantem rigidam, quam formafti; aliàs non diabolo te duntaxat, ficut antea, fimilem dicam, fed pejorem. Nam ut præclarè *lib. de caf. diaboli*, Anfelmus obfervavit: *Diabolus nulla præcedentis peccati vindictâ fuperbiens peccavit; tu visâ ejus pœnâ non continens, ad peccatum properafti: ille in innocentia conftitutus; tu verò reftitutus: ille perftitit in malitia Deo reprobante; tu verò revocante: ille obduratur ad punientem; tu verò ad blandientem, & fic uterque contra Deum: ille contra non requirentem fe; tu verò contra morientem pro te. Ecce cujus imaginem horrebas, fed horrorem afpicio in te horribiliorem.*

SPECULATIO III.

Nullum unquam contingit in voluntate peccatum abfque pravio intellectus defectu.

HAnc affertionem, quam Scriptura, & Patres in reflexione referendi non obfcurè docent, tradit apertè D. Thomas in præfenti, *quæft. 77. art. 2.* ubi licèt reprobet opinionem Socratis afferentis, nunquam fcientiam poffe fuperari à paffione, fubdit tamen S. Doctor, aliqualiter Philofophum illum fapuiffe, quia cùm voluntas fit veri, vel apparentis boni, nunquam in malum moveretur, nifi id, quod non eft bonum, aliqualiter rationi bonum appareret; & propter hoc voluntas nunquam in malum tenderet, nifi cum aliqua ignorantia, vel errore rationis.

Ratio fundamentalis ex illa S. Thomæ doctrina eruitur, & formatur in hunc modum: Non poteft voluntas, quæ eft inclinatio in bonum rationis, eligere malum morale, feu rationi diffonum, formaliter ut malum eft, cùm nemo intendens malum operetur, & malum quà malum, non poffit effe objectum voluntatis: ergo nequit voluntas malum appetere, nifi fit aliqua boni veri, vel apparentis ratione illitum. Sed error eft, imò error errorum, id quod eft malum, practicè apprehendere, & eligere ut bonum. Ergo quodcumque peccatum præcedit femper aliquis rationis defectus.

Quam rationem clariùs intelliges, profundiùfque penetrabis, fi confideres, quod ut voluntas eligat actum malum, v. g. fornicationem, non fufficit ut intellectus judicet, hanc actionem effe bonum delectabile, fed etiam requiritur, ut intellectus hic, & nunc judicet, & in actu exercito pronuntier, fornicationem effe eligendam; voluntas enim cùm non poffit ferri nifi in id, quod proponitur ab intellectu, non poteft etiam eligere, nifi quod ab intellectu ut eligendum proponitur: ut tantùm autem intellectus proponit aliquid voluntati ut eligendum, in quantum practicè affirmat objectum illud dignum effe, quod eligatur: quod utique judicium falfum eft practicè erroneum, & à veritate alienum, cùm per illud enuntietur res aliter ac fit in fe, nimirum opus prohibitum effe dignum, quod eligatur. Præfertim quia quotiefcumque voluntas eligit aliquid, non folùm vult illud, fed etiam vult fe velle potiùs, quàm non velle per virtualem in fuum actum reflexionem, & ratione dominii, quod habet in actus fuos. Ergo debet dictari ab intellectu, objectum illud effe potiùs volendum, quàm non volendum (liceat his verbis uti expreffionis majoris ergò) ne voluntas feratur in incognitum, & in non propofitum ab intellectu. Ergo quantumcumque peccator fpeculativè cognofcat, opus illud effe malum, quantumcumque de industria peccet, lætans cum malè fecerit, & exultans in rebus peffimis; quantumcumque fit fervus ille nequam, fciens, & non faciens; tamen hic & nunc errat, & ut D. Thomas 2. 2. *q.* 20. *art.* 2. ait: *Qui fornicatur eligendo fibi fornicationem, ut nunc habet corruptam æftimationem in particulari, cùm tamen retineat univerfalem æftimationem fecundùm fidem, fcilicet quod fornicatio fit mortale peccatum.*

Sed Dices: Quomodo fieri poteft, quod ftante judicio univerfali affirmante bonum rationis effe præeligendum, poffit intellectus formare practicum dictamen illi veritati oppofitum, & dicere: Non eft bonum rationis hic & nunc eligendum?

Refpondeo, falfum illud judicium practicum fpeculativo univerfali contrarium nafci vel ex aliqua difpofitione ipfius intellectus non fatis bonum rationis ponderantis, vel ex infirmitate voluntatis pronæ ad malum ab adolefcentia fua, cui proclivitati ob naturalem utriufque potentiæ fimpathiam blanditur, & adulatur intellectus; vel ex corruptione appetitus allicientis, & ad turpia pertrahentis. Ut enim fæpe diximus, nec iterare piget, licèt vitio originis humana voluntas, appetitufque fenfitivus evaferint intellectu corruptiores; attamen ex offufis per concupifcentiam nebulis mens non folùm ad veritatis fpeculativæ intelligentiam fæpe obtorpet, fed veritates præfertim practicas, quibus à concupifcentiis fuis jubetur temperare, refugit, & averfatur. Quia nimirum bona fenfibilia fenfus externos cient, his imaginatio excitatur, imaginatione boni fenfibilis allicitur appetitus, & inefcatur; ex appetitu afcendunt primùm in phantafiam, deinde in rationem concupifcentiæ vapores, quibus mentis, quæ in parvo mundo cœlum eft, ferenitas infufcatur, excæcatam verò, vel obfcuratam rationem fequens voluntas in foveam cadit, & quafi quibufdam terræ motibus

tibus nedum quatitur, sed & corruit nobilis animi nutantis affectus.

Instabis: Sæpe sæpiùs affirmant Patres prælucentem rationis scientiam non nisi tardum sequi voluntatis affectum. Et certè experientiâ compertum est, multos esse rebelles lumini, & iniquitate quasi ex adipe prodeunte veritatem notam aspernari; alios verò non ita obduratos, non nisi cum conscientiæ remorsu, subindeque notitia criminis operari malum: ergo nullus intervenit tunc intellectus error; non enim dicit intellectus opus pravum esse honestum, in quo utique gravius erraret; sed ait, opus illud esse utile, vel delectabile, & reapse ita est.

Respondeo omnia Patrum testimonia, quæ hac in re justi voluminis cuilibet non indocto materiam suppeditabunt, si eam quam poterit, copiam velit sectari; testimonia illa, inquam, si non intelliguntur de scientia habituali, & fide, quam floccifacit peccator dum male agit, explicari tamen sine negotio possunt de scientia actuali universali, vel etiam particulari merè speculativa. Quo sensu dixit Philosophus 2. Ethic. cap.4. *Scire parum, vel nihil prodesse ad virtutes.* Ubi loquitur de scientia à prudentia disjuncta, quæ magis inflat, quàm ædificat. Ex quibus patet ad omnia illa exempla ab experientia deprompta; licèt enim & rebelles lumini, & conscientiâ acti judicium speculativum verum forment, practicum tamen erroneum eliciunt, peccantque non contra fidem, sed contra prudentiam; quia non solùm dicit intellectus peccantis opus pravum esse delectabile, sed esse hîc & nunc dignum, quod eligatur, & bono honesto præferatur, & lege reclamante exerceatur. Qui est error practicus, & ut quidam bellè dicebat, hæresis operis, & infidelitas Catholicorum.

Reflexio.

Errant omnes, qui operantur iniquitatem, inquit Spiritus sanctus Proverb.12. *Omnis peccator stultus fuit in culpa*, ait Magnus Gregorius *lib.15. Moral. cap.23.* Hæc de causa in sacris literis peccatum vocatur insipientia, & error: *Non est sanitas in carne mea à facie insipientiæ meæ. Erravi sicut ovis, quæ periit,* aiebat post peccatum David *Psalm.37. & 118.* Hinc peccatores *filii tenebrarum* à Veritate dicti sunt, quia oculati ad humana, cæcutiunt ad divina. Ob eandem rationem non solùm pueris auro vitrum, margaritis quisquilias præferentibus, sed etiam bestiis ratione carentibus peccator comparatur. *Homo*, inquit Psalmographus, *cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Unde Chrysolog. ponderans illud de Prodigo *Luc.15.* dictum, *In se reversus*, ait: *In se redit, qui à se antè recesserat. A se enim migrat peccator, & totus transit in bestiam.* Quin & *ipsis bestiis bestialior* dicitur à Bernardo peccator, utpote *ratione vigens, ratione non utens.* Nec hæc veritas Philosophum latuit; ait enim 1. Ethic. cap.3. *Omnis pravus est ignarus.*

Errant profectò qui operantur malum, qui peccati granditatem non attendunt, oculos à divina regula avertunt: ergo si non vis errare, nec errando peccare, audi Augustinum *in Psalm.*122. monentem: *Peccatum tuum sit ante te, ut non sit ante Deum. Si tu non avertis faciem tuam à peccatis tuis, tu agnoscis, & ille ignoscit.* Errant sanè, quia dum felicitatem in peccato invenire se credunt, veram in eo miseriam experiuntur. *Multi miseri sunt magis habendo quod amant, quàm carendo. Amando res noxias, miseri sumus; habendo, miseriores.* Errant, dum virtutis imaginem terricam sibi fingunt, & asperam, labore & dolore duntaxat stipatam comminiscuntur. Nam etsi alumnos suos asperam, ac pœnitentem colere vitam, per arctam viam incedere, crucem jugiter ferre velit Christianismus, quia ut monet Augustinus in Psalm. 96. *Nemo sibi promittat, quod Evangelium non promittit.* Attamen cruces ungit consolatio, miris que ac veris modis cor hominis Deus infusa cœlesti suavitate carnis delectationem superante ad se allicit. *Ergo fratres mei*, inquit August. serm.11. de verb. Apost. *habet delicias suas iniquitas, & justitia non habet? Delectat malum, & non delectat bonum. Delectat omninò, sed dominus dabit suavitatem, & terra nostra dabit fructum suum.*

CAPUT II.

De externis peccatorum causis.

De tribus potest esse difficultas. Primò de Deo, quia cùm concurrat ad actum peccati, videtur etiam, quod sit causa peccari. Deinde quæri potest de diabolo; & tertiò de homine. Et de his certum est, diabolum, & etiam hominem malum posse alios ad peccandum inducere, vel offerendo aliquid appetibile sensui, vel persuadendo rationi, objectum malum esse bonum, vestiendo ipsum mentitis coloribus bonitatis. Unde August. *lib.4. de Trinit. cap.12.* ait: *Diabolus suæ societati malignos affectus inspirat.* Et Beda *in cap.5. Actor.* sic: *Diabolus animam in affectum malitiæ trahit.* Et Isidor. *lib. de sum. bon. cap.5.* sic: *Diabolus corda hominum occultis cupiditatibus replet.* Id autem præcipuè efficit diabolus commovendo phantasiam & appetitum sensitivum, quia ciere potest spiritus & humores, unde variæ formantur in imaginatione repræsentationes, variique insurgunt in corde motus, unde passiones concitantur. Contingit autem non rarò, ut illud bonum æstimet esse peccator, quod imaginationi arridet, & appetitum demulcet: unde expugnato, captoque imaginationis, appetitusque suburbio, facilè rationis arcem aggreditur hostis communis, irrumpit, & invadit; non quidem interiùs inclinando voluntatem, quæ soli Deo patet, sed suggerendo, vel aliqua appetibilia proponendo, quibus in affectum peccati permovetur, non tamen necessitatur; quia nequit cacodæmon libertatem tollere quandiu usum rationis non impedit: si autem impediat, ita ut ratio sit totaliter ligata, ut in arreptitiis, & energumenis contingit, nullum tunc homini peccatum imputatur. Unde dæmon arte solùm & dolo homines aggreditur, & ut ait Magnus Gregorius, priùs complexionem uniuscujusque perspicit, & tunc tentationis laqueos opponit. *Alius namque lætis, alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit. Quo ergo adversarius occultus facilè capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat. Quia lætitiæ voluptas proxima, lætis motibus luxuriam proponit. Et quia tristitia in iram facilè labitur, tristibus peccatum discordiæ porrigit. Quia timidi supplicia formidant, paventibus terrores intentat. Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæcumque voluerit, blandis favoribus trahit. Singulis igitur omnibus vitiis conniventibus insidiatur.* Ideo de adversario illo dicit Scriptura, *Circuit quærens quem devoret*, quia blanditur, ut fallat; arridet, ut noceat; allicit, ut occidat; laqueos tendit, lapsus parat, foveas fodit, aptat ruinas, stimulat corpora, pungit animas, cogitationes suggerit, immittit iras, dat virtutes odio, vitia addit amori, errores serit, discordias nutrit, pacem turbat, affectus dissipat,

humana violat, divina tentat; sed præcipuè bona primordia pulsat, captat rudimenta virtutum, sancta proposita in ipso ortu conatur extinguere, sciens quod ea subvertere fundata non possit. Hinc meritò mali omnis author, homicida ab initio occidens animas, nequitiæ origo, rerum omnium hostis, corruptor sæculi, hominis capitalis inimicus appellatur. Sed si dæmonum est mala suggerere, nostrum est non consentire; quia etsi latrare possit, mordere tamen, nisi velimus, non potest, si ad Deum præsertim confugiamus, qui visitat, ut pugnemus; adjuvat, ut vincamus; consolidat, ne deficiamus; coronat, ut eum ipso regnemus.

His præmissis, circa causas externas peccati duo supersunt explicanda. Primò quomodo Deus non sit causa peccati, tametsi totum actum peccati quoad entitatem, & materiale producat, atque ad ipsum, in sententia Thomistarum, prædeterminet. Secundò, quomodo homo possit esse causa peccati alterius, non solùm exterius suggerendo, vel materiam peccandi administrando, sed etiam speciali modo peccatum per originem propagando, in quo consistit veritas catholica de peccato originali. Verùm de priori commodiùs, latiùsque in libro de Deo motore disseremus, omnia quæ ad divinum concursum spectant, uno in loco opportuniùs complexuri. Quare de posteriori causa peccati, nimirum de originali labe, operosè tractandum superest.

Speculatio I.

Nullus Catholicus peccatum originale negare potest, quod in omnes & singulos intrinsecè transfunditur.

PRimam partem negabant mordicus Pelagiani, ut ex epistolis Conciliorum Milevitani & Carthaginensis ad Innocentium, atque ex omnibus fermè Augustini libris constat: Ex quo errore in alios hæretici impingebant; ut enim vitiatam non esse nostram naturam superbissimè sustinerent, asserebant concupiscentiam non esse malam, nec per ipsam peccatum posse trajici; ignorantiam quoque veti, difficultatem recti, mortem corporis, aliasque, quas experimur, animi, corporisque miserias, non pœnam peccati, sed primordia naturæ esse dicebant. Unde inferebant, hominem in hoc statu, in quo vivimus, naturam perfectam, ac integras liberi arbitrii vires habere, nec ulla esse prava inclinatione corruptum, nulla sui parte sauciatum. Ad effugiendam etiam vim insolubilis argumenti ex necessitate baptismatis petiti, comminiscebantur pueros sine baptismo decedentes, non quidem regnum cœlorum, sed quandam vitam æternam, inter regnum cœlorum, & æternam damnationem mediam obtenturos; quanvis vi argumenti fermè oppressi in hac parte dubii fuerint, & ancipites. Unde Pelagius apud Aug. t. *lib. de pecc. orig. cap.* 21. aiebat: *Sine baptismo parvuli morientes quò non eant scio, quò eant nescio.*

Sententia autem Catholica in Concilio Milevit, *can.* 2. in Afric. *can.* 77. & in Trident. *sess.* 5. *cap.* 4. expressa, perpetuâ, & constanti Patrum traditione edocta, & non interrupto Ecclesiæ sensu praxi firmata variis potest Scripturarum, iisque clarissimis testimoniis comprobari. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt.* 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Ephes. 2. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & ceteri.* Et in veteri Testamento Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; id est in peccato originali, quod dicitur peccata & iniquitates, quia omnium est culparum seminarium. Et Job 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Quem locum paraphrasis Chaldaica de immunditia peccati exponit; & Septuaginta Interpretes: *Nemo mundus à sorde, ne infans quidem, cujus est unius diei vita super terram.* Nec valent effugia Pelagianorum aientium his locis probari, peccatum originale ab Adamo ad posteros, non transfusione, sed exemplo duntaxat & imitatione transire. Non valet, inquam: tum quia pueri in conceptione antequam Adamum imitari possint, in iniquitatibus sordere dicuntur. Tum quia, ut rectè arguit August. *lib.* 2. *Operis perfecti*, sic potiùs in diabolo nos peccasse diceremur; priùs quippe ipse peccavit, & peccandi exemplum præbuit.

Non desunt etiam rationes theologicæ. Prima petitur ex redemptione Salvatoris, quâ omnibus meruit gratiam à peccato liberatricem; neque enim Christus venit salvare justos, sed peccatores; nec est opus benè valentibus Medico. Secunda ex necessitate circumcisionis in veteri lege, & baptismatis in nova desumitur. Cùm enim eorum effectus sit gratiam Dei restituere, signum est, eam esse per aliquod peccatum amissam. Tertia ex effectibus peccati efficitur, quos quotidie experimur, & ipsi infantes vix nati patiuntur. Cùm enim miseriæ, & pœnæ non possint à Deo summè bono, & peræquè justo, nisi propter peccatum infligi, saltem de potentia ordinaria, ut alibi dicemus, vel certè nunquam infligantur, necesse est, in parvulis aliquod inesse peccatum, in quibus tot miseriarum cernimus varietates. *Ostende justum esse*, inquit Augustinus *lib.* 1. *Operis jam perfecti*, alloquens Julianum, *ut cùm in tam manifesta miseria, vel ad tam manifestam miseriam nascatur, à quo peccatum originale non trahitur.*

Secunda pars affirmans, peccatum originale intrinsecè in omnibus, & singulis inveniri, est contra Catharinum, & Albertum Pighium, existimantes peccatum originale non esse posteris Adami intrinsecum, sed extrinsecam dumtaxat importare denominationem petitam ab actu Adami, in quo interpretativè alii peccasse dicuntur. Unde secundùm illos nihil intrinsecum, nisi sola pœna traducitur. Cui sententiæ nimis affinis est opinio Durandi, qui licèt fateatur, tradoci aliquem defectum, illum tamen esse propriè peccatum inficiatur, quia propriè voluntarium dici non potest. Sed non video has sententias posse modò post Tridentinum sustineri, postquam sacrum Concilium *sess. citata, cap.* 3. definivit, peccatum originale *esse unicuique proprium, ex propagatione, non imitatione.* Et *can.* 4. per Baptismum tolli id, quod *habet veram, & propriam rationem peccati.*

Ratio verò est, quia in omnibus Adæ posteris invenitur privatio justitiæ originalis, ad quam removendam ordinatur Baptismus; quæ quidem privatio est malum hominis, utpote tanti boni, quod est gratia, carentiam importans: malum, inquam, morale & voluntarium, ex actu peccati nobis voluntario relictum eo modo, quo transacto peccato macula remanet, ob quam dicimur non peccantes, sed peccatores; non malè agentes, sed mali. At macula ex actu voluntario peccati remanens, inest intrinsecè: ergo peccatum originale inest unicuique proprium, & intrinsecum. Minor, & consequentia patent. Major verò non solùm difficilis, sed inintelligibilis videtur adversariis; quis enim capiat, inquiunt, illud quod est necessarium, quod est inevitabile, quod non est à principio intrinseco cum cognitione, quod non est in potestate nostra, esse, vel dici posse nobis voluntarium, quanvis vices nostras alteri non commiserimus, nec factum ratum habeamus, nec illud impedire potuerimus?

timus ? Non potest autem ullum esse peccatum, ubi non invenitur voluntarium, teste August. lib. 3. *de liber. arbitr. cap.* 17. *&* 18. dicente : *Peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium, non est peccatum.* In hoc tota sita est difficultatis summa, & summitas : & sanè difficultas summa est, nec parum Ecclesiæ Patrum ingenia, quàmlibet ampla, & præclara fatigavit, & torsit.

Probatur tamen major, & explicatur. Licèt ex vi juris naturalis, vel humani Adamus non ita fuerit caput morale posterorum, ut pro eis justitiam, & sanctitatem pro arbitrio conservaret, vel amitteret, aliàs omnia parentum peccata in filios transfunderentur; id tamen Protoparenti convenire potuit ex institutione, pacto, decretoque divino, quo omnium filiorum voluntates in ipsa primi parentis voluntate conclusit. Quod quidem pactum colligit August. *lib.* 16. *de Civit. cap.* 29. ex illo Genes. 17. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ejus de populo Dei, quia pactum meum irritum fecit*; non in se quidem, sed in Adamo, qui pactum illud violavit. Illud etiam colligit D. Hieron. ex illo Oseæ 6. *Ipsi autem, sicut Adam, transgressi sunt pactum.* Igitur si ex pacto Dei voluntates nostræ fuerunt in voluntate Adami, transgressio Adamo voluntaria, nobis quoque voluntaria meritò dici potest. Cùm enim Deus magis habeat in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas, si nos possumus propriam in alienam transferre voluntatem, quidni Deus supremus Dominus id poterit ? Nec nobis injuriam fecit, quòd proprium non expectavit consensum : tum quia justitiæ originalis sanctimonia, & felicissimi status prærogativarum beatissima copia in nos transfusæ fuissent, si Adamus voluisset: tum quia Adamum gratiis ornavit, auxiliis munivit, & contra tentationes vallavit : tum quia propter tale peccatum gratuitis nos duntaxat spoliavit, naturalibus saltem materialiter, & physicè manentibus.

Quare licèt pueri non sint capaces actus formaliter ratione propriæ voluntatis, benè tamen interpretativè ratione voluntatis Adami, quæ omnium erat posterorum voluntatibus fœta. Unde August. *lib.* 1. *retract. cap.* 13. ait : *Id quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium.* Et *lib.* 2. *de nupt. & concup. cap.* 28. Pelagiano petenti, quomodo cùm nec peccet qui nascitur, nec qui genuit, nec qui condidit, peccatum subrepat, & per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ culpa subintret ? respondet sanctus Pater: *Quid quæris latentem rimam, cùm habeas apertissimam januam ? Per unum hominem, ait Apostolus, per unius delictum, ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis, ait Apostolus. Quid quæris amplius ? Quid quæris apertius ? Quid quæris inculcatius ?* Quare tota, quam adversarii patiuntur, difficultas ex eo provenit, quod non satis advertunt, vel advertere nolunt discrimen, quod peccatum personale inter, & originale intercedit. Licèt enim peccatum personæ actum à persona elicitum supponere debeat, non tamen peccatum originale, seu naturæ, quod relinquitur ex actu capitis totius naturæ, supposito Dei pacto, voluntatibus omnium gravidi, & pleni.

Faciliùs se ab hac difficultate expediunt alii Theologi, etiam Thomistæ, existimantes peccatum originale esse unicuique intrinsecum, quamvis non sit nisi extrinsecè voluntarium, denominatione petitâ ab actu voluntatis Adami. Sicque intelligendum putant D. Thomam, dum ait peccatum originale non esse voluntarium voluntate propria, sed voluntate Adami, sicut actus membri corporalis, putà manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ : unde homicidium non imputatur manui ad peccatum, si consideretur manus secundùm se ut divisa à corpore ; sed imputatur ei, in quantum movetur à primo principio motivo hominis. Patet autem peccatum esse manui voluntarium extrinseca duntaxat denominatione. Nec sequitur peccatum originale esse duntaxat extrinseca denominatione peccatum, quia non eadem semper ratione, eodemque modo aliquid peccatum est, quibus est voluntarium. Probabile namque est, actus imprudentiæ & infidelitatis, esse verè, & intrinsecè peccata, licèt non sint intrinsecè voluntaria, & libera. Inculcat quidem Augustinus, voluntarium requiri ad peccatum ; sed non propterea eodem modo aliquid debet esse peccatum, quo est voluntarium. Et certè si non à veritate aliena eorum sententia est, qui volunt, peccatum habituale personæ non nisi extrinsecâ denominatione à præterito peccati actu petitâ esse voluntarium, tametsi internum sit peccatori, quia transacto actu nihil remanet, nisi privatio gratiæ, & virtutum, ac mors animæ : sicut homo transacto motu locali dicitur quidem verè, & intrinsecè distans à loco unde profectus est, non dicitur tamen motus, nisi denominatione extrinseca à motu fluxo petita : ita actus voluntarius peccati est motus recedendi à Deo; peccatum verò habituale est veluti spiritalis distantia, quæ intrinsecè manet, licèt non maneat voluntarium: unde magnum illud chaos inter Deum & peccatorem firmatum est. Si hæc, inquam, vera sunt de quolibet peccato habituali, quanto magis peccato originis accommodari poterunt, & debebunt ?

Sed dices : Nondum quiescit animus, sed magis, magisque difficultate pulsatur, & premitur : quid enim mirum, quod post actum peccati mortalis, quo gratia extinguitur, peccator dicatur intrinsecè gratiâ privatus, & peccati maculâ sordidus, qua gratiâ antea & intrinsecè afficiebatur, & eâ se liberè spoliavit ? At quod puer in primo conceptionis momento dicatur habere peccatum propter actum voluntatis alienæ ; & quod peccatum illud ipsum intrinsecè afficiat æquè, ac si ipse antea peccasset, ut contingit in peccato habituali connotante peccatum actuale ; & quod illud peccatum generatione propagetur, & intrinsecè inficiat animam de manu Creatoris è nihilo eductam ; hæc, inquam, mysteria sunt inexplicabilia, & toto cœlo ab exemplis à nobis adductis discrepantia.

Respondeo, quod si nulla foret in explicando peccato originali difficultas, frustra 10r annis in confundenda Pelagianæ hæresis superbia fatigatus fuisset fortissimus Patrum Augustinus, quem propterea continua ad mortem usque fluctuatione circa peccati originalis transfusionem fuisse ancipitem, & in conciliandâ divina justitia cum puerorum nullius adhuc actualis peccati reorum innocentia non parum laborasse, non semel significavit. Sed propterea rationis humanæ argumentis, vel potiùs sophismatis, & tenebris, à Catholicæ veritatis luce ne latum quidem unguem discedere licet, sed ea potiùs in obsequium fidei captivanda, & fidei servire cogenda est. Ut autem salebrosa difficultas complanetur, & explicetur quomodo virtute seminis peccatum originale generatione propagetur, traducaturque in omnes, & singulos culpa illa primigenia, considerandum est, peccatum Adæ quod est origo nefandæ propaginis, non posse dici causam physicam illius transfusionis. Quia nimirum peccatum Adæ per veram, longamque pœnitentiam deletum, nec existit in Adamo justo, nec in ulla virtute ab Adamo decisa, putà in semine ; quia cùm

corpus

humana violat, divina tentat; sed præcipuè bona primordia pulsat, captat rudimenta virtutum, sancta proposita in ipso ortu conatur extinguere, sciens quod ea subvertere fundata non possit. Hinc meritò mali omnis author, homicida ab initio occidens animas, nequitiæ origo, rerum omnium hostis, corruptor sæculi, hominis capitalis inimicus appellatur. Sed si dæmonum est mala suggerere, nostrum est non consentire; quia etsi latrare possit, mordere tamen, nisi velimus, non potest, si ad Deum præsertim confugiamus, qui visitat, ut pugnemus; adjuvat, ut vincamus; consolidat, ne deficiamus; coronat, ut cum ipso regnemus.

His præmissis, circa causas externas peccati duo supersunt explicanda. Primò quomodo Deus non sit causa peccati, tametsi totum actum peccati quoad entitatem, & materiale producat, atque ad ipsum, in sententia Thomistarum, prædeterminet. Secundò, quomodo homo possit esse causa peccati alterius, non solùm exterius suggerendo, vel materiam peccandi administrando, sed etiam speciali modo peccatum per originem propagando, in quo consistit veritas catholica de peccato originali. Verùm de priori commodiùs, latiùsque in libro de Deo motore disseremus, omnia quæ ad divinum concursum spectant, uno in loco opportuniùs complexuri. Quare de posteriori causa peccati, nimirum de originali labe, operosè tractandum superest.

Speculatio I.

Nullus Catholicus peccatum originale negare potest, quod in omnes & singulos intrinsecè transfunditur.

PRimam partem negabant mordicus Pelagiani, ut ex epistolis Conciliorum Milevitani & Carthaginensis ad Innocentium, atque ex omnibus fermè Augustini libris constat. Ex quo errore in alios hæretici impingebant; ut enim viriatam non esse nostram naturam superbissimè sustinerent, asserebant concupiscentiam non esse malam, nec per ipsam peccatum posse trajici; ignorantiam quoque veri, difficultatem recti, mortem corporis, aliasque, quas experimur, animi, corporisque miserias, non pœnam peccati, sed primordia naturæ esse dicebant. Unde iufcrebant, hominem in hoc statu, in quo vivimus, naturam perfectam, ac integras liberi arbitrii vires habere, nec ulla esse prava inclinatione corruptum, nulla sui parte sanciatum. Ad effugiendam etiam vim insolubilis argumenti ea necessitate baptismatis petiti, comminiscebantur pueros sine baptismo decedentes, non quidem regnum cœlorum, sed quandam vitam æternam, inter regnum cœlorum, & æternam damnationem mediam obtenturos; quamvis vi argumenti fermè oppressi in hac parte dubii fuerent, & ancipites. Unde Pelagius apud August. 1. *lib. de pecc. orig. cap.* 21. aiebat: *Sine baptismo parvuli morientes quò non eant scio, quò eant nescio.*

Sententia autem Catholica in Concilio Milevit. *can.*2. in Afric. *can.*77. & in Trident. *seff.* 5. *cap.*4. expressa, perpetuâ, & constanti Patrum traditione edocta, & non interrupto Ecclesiæ sensu praxi firmata variis potest Scripturarum, iisque clarissimis testimoniis comprobari. Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, in quo omnes peccaverunt.* 2. Cor. 5. *Si unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Ephes. 2. *Eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri.* Et in veteri Testamento Psal. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*; id est in peccato originali, quod dicitur peccata & iniquitates, quia omnium est culparum seminarium. Et Job 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* Quem locum paraphrasis Chaldaica de immunditia peccati exponit; & Septuaginta Interpretes: *Nemo mundus à sorde, ac infans quidem, cujus est unius diei vita super terram.* Nec valent effugia Pelagianorum aientium his locis probari, peccatum originale ab Adamo ad posteros, non transfusione, sed exemplo duntaxat & imitatione transire. Non valet, inquam: tum quia pueri in conceptione antequam Adamum imitari possint, in iniquitatibus sordere dicuntur. Tum quia, ut rectè arguit August. *lib.* 2. *Operis perfecti*, sic potiùs in diabolo nos peccasse diceremur; priùs quippe ipse peccavit, & peccandi exemplum præbuit.

Non desunt etiam rationes theologicæ. Prima petitur ex redemptione Salvatoris, quâ omnibus meruit gratiam à peccato liberatricem; neque enim Christus venit salvare justos, sed peccatores; nec est opus benè valentibus Medico. Secunda ex necessitate circumcisionis in veteri lege, & baptismatis in nova desumitur. Cùm enim eorum effectus sit gratiam Dei restituere, signum est, eam esse per aliquod peccatum amissam. Tertia ex effectibus peccati efficitur, quos quotidie experimur, & ipsi infantes via nati patiuntur. Cùm enim miseriæ, & pœnæ non possint à Deo summè bono, & peræquè justo, nisi propter peccatum infligi, saltem de potentia ordinaria, ut alibi dicemus, vel certè nunquam infligantur, necesse est, in parvulis aliquod inesse peccatum, in quibus tot miseriarum cernimus varietates. *Ostende justum esse*, inquit Augustinus *lib.* 1. *Operis jam perfecti*, alloquens Julianum, *at cùm in tam manifesta miseria, vel ad tam manifestam miseriam nascatur, à quo peccatum origiale non trahitur.*

Secunda pars affirmans, peccatum originale intrinsecè in omnibus, & singulis inveniri, est contra Catharinum, & Albertum Pighium, existimantes peccatum originale non esse posteris Adami intrinsecum, sed extrinsecam duntaxat importare denominationem petitam ab actu Adami, in quo interpretativè alii peccasse dicuntur. Unde secundùm illos nihil intrinsecum, nisi sola pœna traducitur. Cui sententiæ nimis affinis est opinio Durandi, qui licèt fateatur, traduci aliquem defectum, illum tamen esse propriè peccatum inficiatur, quia propriè voluntarium dici non potest. Sed non video has sententias posse modò post Tridentinum sustineri, postquam sacrum Concilium *seff. citata, cap.* 3. definivit, peccatum originale *esse unicuique proprium, ex propagatione, non imitatione.* Et *can.* 4. per Baptismum tolli id, quod *habet veram, & propriam rationem peccati.*

Ratio verò est, quia in omnibus Adæ posteris invenitur privatio justitiæ originalis, ad quam removendam ordinatur Baptismus; quæ quidem privatio est malum hominis, utpote tanti boni, quod est gratia, carentiam importans: malum, inquam, morale & voluntarium, ex actu peccati nobis voluntario relictum eo modo, quo transacto peccato macula remanet, ob quam dicimur non peccantes, sed peccatores; non malè agentes, sed mali. At macula ex actu voluntario peccati remanens, inest intrinsecè: ergo peccatum originale inest unicuique proprium, & intrinsecum. Minor, & consequentia patent. Major verò non solùm difficilis, sed inintelligibilis videtur adversariis; quis enim capiat, inquiunt, illud quod est necessarium, quod est inevitabile, quod non est à principio intrinseco cum cognitione, quod non est in potestate nostra, esse, vel dici posse nobis voluntarium, quamvis vices nostras alteri non commiserimus, nec factum ratum habeamus, nec illud impedire poterimus?

rimus? Non potest autem ullum esse peccatum, ubi non invenitur voluntarium, teste August. lib. 3. *de liber. arbitr. cap. 17. & 18.* dicente: *Peccatum adeo est voluntarium, quod si non sit voluntarium, non est peccatum.* In hoc tota sita est difficultatis summa, & summitas: & sanè difficultas summa est, nec parum Ecclesiæ Patrum ingenia, quámlibet ampla, & præclara fatigavit, & torsit.

Probatur tamen major, & explicatur. Licèt ex vi juris naturalis, vel humani Adamus non ita fuerit caput morale posterorum, ut pro eis justitiam, & sanctitatem pro arbitrio conservaret, vel amitteret, aliàs omnia parentum peccata in filios transfunderentur; id tamen Protoparenti convenire potuit ex institutione, pacto, decretoque divino, quo omnium filiorum voluntates in ipsa primi parentis voluntate conclusit. Quod quidem pactum colligit August. *lib. 16. de Civit. cap. 29.* ex illo Genes. 17. *Masculus, cujus præputii caro circumcisa non fuerit, peribit anima ejus de populo Dei, quia pactum meum irritum fecit;* non in se quidem, sed in Adamo, qui pactum illud violavit. Illud etiam colligit D. Hieron. ex illo Oseæ 6. *Ipsi autem, sicut Adam, transgressi sunt pactum.* Igitur si ex pacto Dei voluntates nostræ fuerunt in voluntate Adami, transgressio Adamo voluntaria, nobis quoque voluntaria meritò dici potest. Cùm enim Deus magis habeat in potestate sua voluntates hominum, quàm ipsi suas, si nos possumus propriam in alienam transferre voluntatem, quidni Deus supremus Dominus id poterit? Nec nobis injuriam fecit, quòd proprium non expectavit consensum: tum quia justitiæ originalis sanctimonia, & felicissimi status prærogativarum beatissima copia in nos transfusæ fuissent, si Adamus voluisset: tum quia Adamum gratiis ornavit, auxiliis munivit, & contra tentationes vallavit: tum quia propter tale peccatum gratuitis nos duntaxat spoliavit, naturalibus saltem materialiter, & physicè manentibus.

Quare licèt pueri non sint capaces actus formaliter ratione propriæ voluntatis, benè tamen interpretativè ratione voluntatis Adami, quæ omnium erat posterorum voluntatibus fœta. Unde August. *lib. 1. retract. cap. 23.* ait: *Id quod in parvulis dicitur originale peccatum, cùm adhuc non utantur arbitrio voluntatis, non absurdè vocatur etiam voluntarium, quia ex prima hominis voluntate contractum, factum est quodammodo hæreditarium.* Et *lib. 2. de nupt. & concup. cap. 28.* Pelagiano petenti, quomodo cùm nec peccet qui nascitur, nec qui genuit, nec qui condidit, peccatum subrepat, & per quas rimas inter tot præsidia innocentiæ culpa subintret? respondet sanctus Pater: *Quid quæris latentem rimam, cùm habeas apertissimam januam? Per unum hominem, ait Apostolus, per unius delictum, ait Apostolus, per inobedientiam unius hominis, ait Apostolus. Quid quæris amplius? Quid quæris apertius? Quid quæris inculcatius?* Quare tota, quam adversarii patiuntur, difficultas ex eo provenit, quod non satis advertunt, vel advertere nolunt discrimen, quod peccatum personale inter, & originale intercedit. Licèt enim peccatum personæ actum à persona elicitum supponere debeat, non tamen peccatum originale, seu naturæ, quod relinquitur ex actu capitis totius naturæ, supposito Dei pacto, voluntatibus omnium gravidi, & pleni.

Faciliùs se ab hac difficultate expediunt alii Theologi, etiam Thomistæ, existimantes peccatum originale esse unicuique intrinsecum, quamvis non sit nisi extrinsecè voluntarium, denominatione petitâ ab actu voluntatis Adami. Sicque intelligendum putant D. Thomam, dum ait peccatum originale non esse voluntarium voluntate propria, sed voluntate Adami, sicut actus membri corporalis, putà manus, non est voluntarius voluntate ipsius manus, sed voluntate animæ: unde homicidium non imputatur manui ad peccatum, si consideretur manus secundùm se ut divisa à corpore; sed imputatur ei, in quantum movetur à primo principio motivo hominis. Patet autem peccatum esse manui voluntarium extrinseca duntaxat denominatione. Nec sequitur peccatum originale esse duntaxat extrinseca denominatione peccatum, quia non eadem semper ratione, eodemque modo aliquid peccatum est, quibus est voluntarium. Probabile namque est, actus imprudentiæ & infidelitatis, esse verè, & intrinsecè peccata, licèt non sint intrinsecè voluntaria, & libera. Inculcat quidem Augustinus, voluntarium requiri ad peccatum; sed non propterea eodem modo aliquid debet esse peccatum, quo est voluntarium. Et certè si non à veritate aliena eorum sententia est, qui volunt, peccatum habituale personæ non nisi extrinsecâ denominatione à præterito peccati actu petitâ esse voluntarium, tametsi internum sit peccatori, quia transacto actu nihil remanet, nisi privatio gratiæ, & virtutum, ac mors animæ: sicut homo transacto motu locali dicitur quidem verè, & intrinsecè distans à loco unde profectus est, non dicitur tamen motus, nisi denominatione extrinseca à motu fluxo petita: ita actus voluntarius peccati est motus recedendi à Deo; peccatum verò habituale est veluti spiritalis distantia, quæ intrinsecè manet, licèt non maneat voluntarium: unde magnum illud chaos inter Deum & peccatorem firmatum est. Si hæc, inquam, vera sunt de quolibet peccato habituali, quanto magis peccato originis accommodari poterunt, & debebunt?

Sed dices: Nondum quiescit animus, sed magis, magisque difficultate pulsatur, & premitur: quid enim mirum, quod post actum peccati mortalis, quo gratia extinguitur, peccator dicatur intrinsecè gratiâ privatus, & peccati maculâ sordidus, quia gratiâ antea & intrinsecè afficiebatur, & eâ se liberè spoliavit? At quod puer in primo conceptionis momento dicatur habere peccatum propter actum voluntatis alienæ; & quod peccatum illud ipsum intrinsecè afficiat æquè, ac si ipse antea peccasset, ut contingit in peccato habituali connotante peccatum actuale; & quod illud peccatum generatione propagetur, & intrinsecè inficiat animam de manu Creatoris è nihilo eductam; hæc, inquam, mysteria sunt inexplicabilia, & toto cœlo ab exemplis à nobis adductis discrepantia.

Respondeo, quod si nulla foret in explicando peccato originali difficultas, frustra tot annis in confundenda Pelagianæ hæresis superbia fatigatus fuisset fortissimus Patrum Augustinus, quem propterea continua ad mortem usque fluctuatione circa peccati originalis transfusionem fuisse ancipitem, & in conciliando divina justitia cum puerorum nullius adhuc actualis peccati reorum innocentia non parum laborasse, non semel significavit. Sed propterea rationis humanæ argumentis, vel potiùs sophismatis, & tenebris, à Catholicæ veritatis luce ne latum quidem unguem discedere licet, sed ea potiùs in obsequium fidei captivanda, & fidei servire cogenda est. Ut autem salebrosa difficultas complanetur, & explicetur quomodo virtute seminis peccatum originale generatione propagetur, traducaturque in omnes, & singulos culpa illa primigenia, considerandum est, peccatum Adæ quod est origo nefandæ propaginis, non posse dici causam physicam illius transfusionis. Quia nimirum peccatum Adæ per veram, longamque pœnitentiam deletum, nec existit in Adamo justo, nec in ulla virtute ab Adamo decisa, putà in semine; quia cùm

corpus

corpus non possit agere in spiritum nisi virtute Dei; in Deum refunderetur peccatum, si corpus peccatum in animam derivaret. Et sanè eodem modo ratiocinandum est de traductione peccati originalis, supposito Adami lapsu, quo loquendum foret de transfusione justitiæ originalis, si Adamus non peccasset. Hæc autem non diffunderentur causalitate seminis physicè influente: Ergo nec illud hoc modo traduci credendum est. Relinquitur ergo, ut peccatum Adami sit causa duntaxat moralis; & sicut Adam est causa peccati, non prout est caput naturale, sed prout est caput morale (ideo enim proximi parentes licèt sint caput naturale filiorum, non transfundunt tamen sua peccata in liberos, quia non sunt caput morale eorum:) ita etiam Adam non poterat dici nisi causa moralis, influxus enim capitis moralis non nisi moralis esse potest.

Explicamus ampliùs, & fortè profundiùs. Difficilium quidem est inter Theologos, an peccatum Adami sit causa moralis demeritoria, necne? Et partem affirmativam tenent nonnulli, quia hoc meretur peccatum capitis, ut in suis membris puniatur: & sicut Adamus conservans justitiam, illius transfusionem, fin ex justitiæ rigore, certè ex Dei pacificentis fidelitate promeritus fuisset; ita peccato suo Adamus maculari omnes posteros promeruit. Alii verò id negant; quia, inquiunt, aliàs sequeretur peccatum originale in parvulis non peccati, sed pœnæ rationem habere, quomodo infamia à patre in posteros derivatur. Sed utut sit de illa utraque sententia, certum est, peccatum Adæ esse causam moralem peccati originalis per quandam naturalem resultantiam; sicut si homo in peccato mortali existens ad nihilum redigeretur, & postea è nihilo extraheretur, resultaret in eo peccatum habituale, non ex actione Dei, sed ex peccato actuali præcedente, tanquam ex causa moraliter influente. Sicut etiam infamia, & nominis obscuritas, quam à patre nefando contrahit liberorum progenies, non effectivè producitur vi generationis, quæ se ut conditio duntaxat habet, quâ positâ, ex delicto paterno, tanquam ex causa morali infamia propagatur: ita generatio non causat, sed conditio est, sine qua non contraheretur originale peccatum, quo non inuritur homo, nisi quia est membrum Adæ, quod utique per generationem fortitur. Sicut denique si in loco tenebroso produceretur corpus diaphanum, quod non reciperet lucem propter obicem opaci corporis, affulgentis Solis ingressum impedientis, hujusmodi corporis productio non esset causa tenebrarum, quæ in solum ponentem obstaculum refunderetur: ita causa peccati originalis non est generatio, sed peccatum præcedens, quod ingens divinæ gratiæ influxui ponit obstaculum; generatio verò, sine qua non esset homo, est etiam conditio sine qua non esset peccatum. Ex quo etiam intelliges quomodo actus legitimi matrimonii non sint illiciti; quia culpa illa generalis ex illis non per se, sed per accidens; non ex actu generantis, sed ex peccato Protoparentis derivatur.

Instabis: Scrupulus nondum benè evulsus est; nam si Adam antequam accederet ad Evam erat mundatus à primo peccato, quomodo ratione illius infici potest proles, & propago?

Respondeo semel delctum Adami peccatum non formaliter quidem, sed virtualiter in generante mansisse, & in omni generatione etiamnum manere, sicut in tritico paleis mundato producendarum palearum virtus perseverat. In semine ergo est virtualiter venenum primigenium, non quòd semen attingat productionem peccati, sed quia peccatum comitatur naturam, cujus semen est virtualiter productivum. In quo sensu dixit D. Thomas quæst. 85. art. 1. ad 2. & 3. *Per virtutem seminis traducitur natura humana à parente in prolem, & simul cum natura natura infectio. Ex hoc enim fit iste, qui nascitur, consors culpæ primi parentis, quod naturam ab eo sortitur per quandam generativam motionem. Etsi enim culpa non sit actu in semine, est tamen ibi virtute humana natura, quam concomitatur talis culpa.* Et quæst. 83. art. 1. *Peccatum originale omnium hominum fuit quidem in ipso Adam, sicut in prima causa principali, secundùm illud Rom. 5. In quo omnes peccaverunt. In semine autem corporali est peccatum originale sicut in causa instrumentali, eo quòd per virtutem activam seminis traducitur peccatum originale in prolem simul cum natura humana.* Nec obest, quod Adam esset mundatus ab illo peccato antequam ad Evam accederet, sicut de facto ejus culpæ puri sunt post Baptismum Christiani cognoscentes uxores suas. Non obest, inquam, quia ut benè ait S.Doctor quæst.81. art.3. ad 2. *Peccatum originale per baptismum* (& in Adamo per pœnitentiam) *aufertur reatu, in quantum anima recuperat gratiam quantum ad mentem: remanet tamen peccatum originale actu, quantum ad fomitem: qui est inordinatio partium inferiorum animæ, & ipsius corporis, secundùm quod homo generat, & non secundùm mentem. Et ideo baptizati traducunt peccatum originale. Non enim parentes generant in quantum sunt renovati per baptismum, sed in quantum retinent aliquid de vetustate peccati.* Quam doctrinam ex Magistro suo Augustino deprompserat Aquinas. *Miraris*, inquit August. serm. 14. de verb. Apost. *quare peccator nascatur de femine justi; non te delectat mirari, quare oleaster nascatur de semine olivæ. Accipe aliam similitudinem: non attendis, quia de grano purgato frumentum cum palea nascitur, sine qua seminatur. Ideo de baptizato non justus nascitur, quia non eum generat unde regeneratus est, sed unde generatus est.*

Reflexio.

Exaggeravimus morbum, inquit August. in Psalm. 101. *laudemus & Medicum*: amemus liberatorem totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus diligamus redemptorem, qui solus unus est, qui sine peccato natus est in similitudinem peccati, sine peccato vixit inter aliena peccata, sine peccato mortuus est propter aliena peccata: & licèt particeps factus sit nostræ infirmitatis, non tamen iniquitatis, ut ex quo nobiscum communicat infirmitatem, solveret nostram iniquitatem.

Quid retribues Christo Domino, anima mea pro his quæ retribuit tibi, quæ cùm teneretis antè captiva sub diabolo, redempta es à captivitate, & tam copiosè, ut si non abnuas, fieri possis socia mensæ, socia regni, socia thalami. Vide quibus charitatis brachiis amplectendus, tedamandusque sit ille Salvator, qui tanti te æstimavit, tanti te fecit tantillam & talem. Ergo planè dignum, & verè justum est, ut sicut ille redemptio tua est, ita amor tuus, desiderium tuum Jesus sit. O beneficium immensum, & omnem æstimationem superans! *Nullum majus donum præstare Deus posset hominibus*, ait August. in Psalm. 85. *quàm ut Verbum suum, per quod condidit omnia, faceret illis caput, & illos ei tanquam membra coaptaret: ut esset Filius Dei, & filius hominis; & unus Deus cum Patre, unus homo cum hominibus: qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur à nobis. Orat pro nobis, ut Sacerdos noster: orat in nobis, ut caput nostrum: oratur à nobis, ut Deus noster.* Porrò ut à tanta, quam peccatum originale infevit, infirmitate saneris, opus est ut sanari velis. Sanat ille omninò quemlibet languidum, sed non sanat vitium. *Quid autem in te beatius,*

beatius, inquit August. in Psalm. 102. *quàm ut tanquam in manu tua vitam, sic habeas in voluntate sanitatem tuam?*

SPECULATIO II.

Septem corollaria ex prajactis fundamentis derivantur.

SUppositâ existentiâ, & transfusione peccati originalis, plura occurrunt dubia ex dictis facilè resolvenda. Unde sequitur primò, alia à primo Adami peccata in posteros non transfundi. Quia, ut vidimus, in tantùm traducitur peccatum originis, in quantùm Adam est caput morale hominum: unde fit, ut ait D. Thomas, omnes homines ex Adamo nascituros, considerari ut unum hominem cunctorum voluntatibus plenum, sicut diversa corporis membra pro uno homine reputantur. Porrò tamdiu mansit homo caput morale totius generis humani, quandiu status innocentiæ duravit; non enim constat de pacto inito pro tempore lapsum consequente: ergo subsequentia Adami peccata in posteros minimè transfunduntur. Et hoc est, quod vult D. Thomas, dum ait, ideo solum primum peccatum, non posteriora traduci, quia primum erat *peccatum naturæ*, alia verò peccata erant *purè personalia*: id est in primo peccato vices totius naturæ gerebat Adamus, eratque veluti totius humani generis procurator; in aliis verò peccatis vices suas duntaxat agebat, & privatarum rerum satagebat.

Sequitur secundò, à fortiori patere, peccata aliorum parentum in posteros non traduci, cùm omnium vitia personalia sint. Nec obest illud Exod. 20. *Ego sum Deus zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem.* Quem rigorem imitatur etiam justitia humana in criminibus læsæ Majestatis puniendis, ob quæ plectuntur & nati natorum, & qui nascuntur ab illis. Non obest, inquam, quia hæc justi Dei comminatio non de culpis, sed de pœnis intelligitur. Quod si statim replices iniquè infligi illi pœnam ob peccatum alienum, qui nullam culpam, sive per originem, sive per perversi actus imitationem contrahit. Respondeo pœnas corporales justè posse infligi filiis sine culpa filiorum, in vindictam paterni peccati, quia filii pertinent ad patrem, & sunt in numero bonorum ejus: pater autem peccans justè in iis puniri potest, quæ ad ipsum pertinent, & inter bona ejus annumerantur. Et hic est, ni fallor, subtilis D. Thomæ intellectus, dum *art. 2. quæst. 81.* ait: *Pœnâ spirituali nunquam puniuntur filii pro parentibus, nisi communicent in culpa. Sed pœna corporali interdum judicio divino, vel humano puniuntur filii pro parentibus, in quantum filius est aliquid patris secundùm corpus.* Quia nimirum pater est Dominus corporis, ac proinde in corpore filii ad se pertinente justo Dei judicio puniri potest, nisi pœnitentia, & pietate filiorum Deus misericors comminatoriam revocet sententiam. Qua de causa dicitur: *Filius non portabit iniquitatem patris.*

Sequitur tertiò, quod si quis ex humana carne miraculosè producta formaretur, non contraheret peccatum originale, quod solùm generatione, & seminis humani decisione propagari potest; quia per solam rationem seminalem posteri moventur ab Adamo per generationem, sicut membra moventur ab anima ad peccatum actuale. Si quis autem miraculosè ex semine formaretur, peccato originali inficeretur, si tale semen ad formationem hominis activè concurreret; ut si semen sterile divinitus prolificum efficeretur, vel si decisum è viro matrici mulieris absentis divinitus infunderetur: si verò semen materialiter duntaxat concurreret, idem dicendum foret, ac de formatione miraculosa ex humana carne.

Sequitur quartò, quod si Adam non peccasset, Evâ tamen peccante, posteri peccatum originale non contraherent, ut colligitur ex illo Rom. 5. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit.* Ubi ly *unum*, tam in Græco, quàm in Latino est generis masculini. Ratio est, quia Eva non est constituta caput generis humani, sicut Adam. Unde quod dicitur Eccles. 25. *A muliere initium factum est peccati*, non intelligitur de initio, seu principio transfusionis, sed occasionis; quia scilicet Eva priùs peccavit, quàm Adam, & consequenter priùs amisit justitiam originalem, quæ si non distinguebatur à gratia, certè inseparabilis erat ab illa.

Sequitur quintò, quod si Adam genuisset filios ante peccatum, & posteà peccasset, filii illi in innocentia prægeniti peccatum originale non contraherent; quia vel illi filii essent adulteri, & sic possent motu charitatis parentis rebellioni obsistere: si verò essent parvuli, idem dicendum foret, quia originale non traducitur per se primò, sed secundariò transfusione naturæ: natura autem supponeretur beatis illis parvulis communicata. Unde non privaret eos gratiâ Deus, cujus dona sunt sine pœnitentia. Nec est simile de nobilitatis gradu, à quo dejicitur filius patre exanthorato, & in ærarium relegato. Non est, inquam, simile; quia jure humano filius nondum emancipatus reputatur ut aliquid patris; & gradus nobilitatis est aliquid morale & politicum, nihil reale nobili imprimens, sed à patre in filios secundùm idealem hominum æstimationem transiens. At nobilitas gratiæ fit per internam pretiosorum charismatum diffusionem, quibus divinæ naturæ, in qua vera, & immobilis nobilitas fulget, consortes efficimur. Et licèt filii illi primogeniti justitiam originalem non nisi dependenter ab Adamo habuissent, dependenter tamen ab illo minimè conservassent; quia prima productio ab illo quidem, tanquam à conditione pendebat, sed non conservatio, vel amissio.

Difficilius est quid dicendum esset de nepotibus illorum, qui non contraxissent peccatum originale, an ipsi etiam in peccati originalis labem incurrerent post patratum Adæ peccatum? Quâ in re probabiliter dici potest, nepotes illos macula originali nequaquam infectum iri, ut pote ex semine immaculato nasci:uros, exciturosque filios Adæ justi, & nondum rei. Oppositum etiam verisimilitudine non caret; quia proximi nepotum illorum parentes non essent caput morale suæ prolis, quæ statim atque conciperetur, fieret membrum Adæ jam rei & peccatoris: unde semen esset infectum, cùm non sit tale per transfusionem alicujus physici positivi à patre in filioa generatione traducti, sed per relationem ad primum principium humanæ prolis; unde primo principio remanente bono, semen esset immaculatum; facto verò peccatore, infectum evaderet: relatorum enim alterum extremum mutari potest sola mutatione in alio extremo facta.

Sequitur sextò, peccatum Adami, quod in posteros transfunditur, fuisse transgressionem illius præcepti Genes. 2. *De ligno scientiæ boni & mali non comedes*; quia peccatum illud fuit primum, quo violavit mandatum divinum, cujus transgressioni mortem, & justitiæ originalis privationem in omnes posteros diffundendam comminatus est: non quod alia interiora non præcesserint, superbia nimirum, & inobedientia; sed quia hæc comestio fuit primum peccatum exterius, quod cum interioribus pro eodem reputatur, ut in materia de actibus moralibus monstratum est.

An

An verò si Adam præceptum illud minimè violasset, in aliud tamen peccatum lapsus fuisset; an, inquam, illud peccatum fuisset in posteros diffundendum, difficultas est, & opinionum verisimilium varietas. Ex una quidem parte: Cùm de his, quæ ex mera Dei voluntate pendent, nihil determinare possimus, nisi secundùm id, quod in Scripturis accipere possumus; ex Scripturis autem constet, soli illius præcepti transgressioni Deum mortem fuisse comminatum, Genes.2. *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris*; relinquitur aliud quodvis peccatum non fuisse transfundendum. Ex alia verò parte: Cùm ex D. Thoma per illud peccatum transfundat Adamus culpam primigeniam, per quod amisit justitiam originalem toti humano generi in Protoparente collatā, quam utique per quodvis peccatum mortale amisisset; consequitur, per aliud quodvis peccatum traductum iri peccatum originis. Nec, inquiunt authores hujus sententiæ, comminatus est Deus mortem fructus vetiti esui, quasi soli illi peccato eam alligaret, sed ut ostenderet comestionem illam aliàs licitam, evasuram suā interdictione lethalem; unde ei comminatus est mortem, in quam etiam fuisset per quodlibet mortale incursurus, ut intelligeret peccatum illud esse mortale. Et huic sententiæ subscribendum est, quia eam apertissimè D. Thomas *in 2. dist.*33. & alibi sæpè docet.

Sequitur ultimò, peccatum originale non naturaliter, seu ex ipsa natura rei, ac naturali quadam sequela à parentibus in posteros non trajici. Deducitur apertè ex dictis; si enim, ut ostendimus, peccatum Adami in posteros non transfundatur, nisi ex Dei lege posterorum omnium voluntates in voluntate parentis includente, adeo ut quidquid circa justitiæ originalis conservationem, vel excidium voluisset caput, & veluti tutor ac curator naturæ, ipsi etiam posteri voluisse moraliter censeantur; omninò consequens est, non naturali sequela, sed morali causalitate peccatum illud transfundi, ut etiam suprà in responsione ad primam instantiam ex professo ostendimus. Tum quia, si peccatum originale ideo ex natura rei in filios trajicitur, quia de viciata radice nascuntur, omnia parentum, & majorum peccata in filios peræquè transibunt; quod in Ecclesia inauditum est, & intolerabile credidit Augustinus in Euchit. *cap.*47. quia aliàs, inquit, *nimia sarcina in ipsa sua æterna damnatione premerentur, si cogerentur ab initio generis humani omnium præcedentium parentum suorum originaliter peccata contrahere.*

Nec satisfacis si dicas, cæterorum peccata parentum non ita viciare naturam, sicut primi peccati granditate viciata est. Non, inquam, satisfacis; esto enim peccata actualia originale consequentia non ita corrumpant, corrumpunt tamen, & aliquando immensam ferè corruptionem adjiciunt; cùm videamus plures satis bonæ indolis juvenes colloquiis pravis, perversorum consuetudinibus, actuum iteratorum frequentiā ita viciari, ut tandem sentiant voluntatem in tio in malum minùs proclivem, consuetudine in necessitatem conversa, in quodvis peccatum omni data & accepta occasione veluti datā portā ruere. Supponit quidem peccatum actuale corruptionem primigeniam, sed eam non rarò ultra modum auget: quidni ergo transfundetùr in liberos illa major genitoris corruptio, si peccatum naturali sequela propagetur?

Scio quidem, & D. Augustinum, & S. Thomam docere, peccatum originis virtute seminis, quæ utique naturalis est, propagari; radicem corruptam coinquinare fructus; peccatum concupiscentiā trajici, sicut morbus de morbo, malum de malo contagione trahitur; omnes de uno fonte manare: & quia ille unus in amaritudinem versus est, omnes ex oliva oleastrum factos esse: bona quidem semina, sed viciato semel semine, propagatis filiis propagari & vitia: denique vitium illud habere semen à concupiscentia in ipsis hominis membris medullitus infixa, totum hominem afficiente, vel potiùs inficiente.

Hæc, inquam, scio, & lubens audio: verumtamen superiùs adhibito interpretamento, commodè & Patribus illis consentaneè hæc omnia explicantur dicendo, in semine virtualiter latère venenum primitivum, ejusque actione trajici, & veluti posteris propinari: non quòd semen attingat productionem peccati, sed quia peccatum concomitatur naturam, cujus semen est productivum. Quare autem peccatum naturam humani seminis decisione generatam semper comitetur, ideo est, quia omnes gratiā privari nascuntur, quam omnibus in persona primi parentis Deus promiserat; stetissetque promissis fidelis Deus, si homo in veritate stetisset.

Hac de causa veridicè à Sanctis dicitur, Adamum omnes homines in sua voluntate occidisse, priùs fuisse peremptorem, quàm patrem, & ut D. Augustin. *lib. de peccat. merit. & remiss. cap.* 19. ait: *Occulta tabe concupiscentiæ suæ tabificasse in se omnes de sua stirpe venientes.* Adde quod cùm secundùm nostram sententiam speculatione sequenti stabiliendam, concupiscentia importetur de materiali in peccato originali, ideoque peccatum dicitur, quia à peccato est, & in peccatum inclinat; cùm, inquam, hæc ita sint, meritò peccatum originis naturali consequutione traduci quadantenus dici potest, cùm concupiscentia omnibus, & singulis hominibus post peccatum insita, sit jam facta naturalis, id est naturæ corruptæ coæva, & innata. Unde absque negotio explicatur Augustinus.

Reflexio.

Etsi solum peccatum originale, non personale, transfusione in posteros trajiciatur, totumque inficiat genus humanum sola illa culpa, in quam corruit totius naturæ tutor, & vices gerens; nihilominus privata personarum scelera in alios imitatione diffundi, pravis exemplis longè, latèque propagari, perversorumque morum segetem ad fidelium perniciem nimiam fruticare, constantissimum est. Scio quidem ex D. Dionysio solum bonum esse sui diffusivum, quia quod plenum est, exuberat: sic Sol fons luminis plenus, ubique effundit radios; sic à mari exeunt flumina; sic à Deo immenso totius esse pelago dimanant intus Filius & Spiritus Sanctus in æternitate, fluunt foris in tempore creaturæ; amor namque divinus non reliquit Deum esse sine germine. Verùm nescio quo fato hanc boni fœcunditatem, & effusionem, nedum imitari, sed longè superare malum videtur, cùm modicum fermenti totam massam corrumpat, & morbida facta pecus totum corrumpat ovile: ideoque moneant Sancti, haud magni laboris esse exorientem improbitatem retundere, sed progredientem, serpentem, grassantemque reprimere, hoc opus, hunc laborem esse. Hinc non solùm nascentibus corporis, sed maximè animi morbis occurrendum esse inculcatur, ne serò medicina paretur, nève è scintilla incendium concitetur.

Ita sanè peccatum hydra est septem capitibus portentosa, simul & fœcunda, quia uno avulso non deficit alterum, sed turpi generatione pullulat, & erumpit; sed verbo, consilio, & exemplo veluti obstetricibus emittitur nefanda peccati proles. An

nescimus,

nescimus quod juxta Philosophum Moralem Senecam epist. 105. *Homo hominis lupus est?* Ab homine homini quotidianum periculum, quo nullum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius. Parum est instigatores illos, & ad peccatum impulsores belluas appellasse, quia etsi hominum effigies habeant, animos tamen nedum ferarum, sed & dæmonum possident; cùm nedum corporibus noceant, nedum bona externa expilent, boni nominis famam dilacerent, sed etiam animarum saluti insidientur. Nonne in malum concitator crudelior est dæmone, qui acceptâ à Deo in totum sæviendi licentiâ, corpus quidem ulcere pessimo percussit, filios interemit, domos solo adæquavit, armenta combussit, bona externa dilapidavit; verumtamen animam ejus servavit. Planè dæmone deterior est, qui dæmonis voluntarium organum est; nam sicut sine armis non nocet hostis, ita sine adjuvante homine inermis foret cacodæmon, & impotens. Tales, Lector Christiane, morum corruptores, obscœnos animarum lenones, dæmonum ministros, vitiorum prodromos, malitiæ magistros, iniquitatis filios & patres, dissolutionis præcones, humanæ salutis hostes, Antichristi præcursores, illa vasa nequitiæ, instrumenta mortis, genimina viperarum execrare, fuge, detestare: ab illis magis quàm à peste longè, citoque discede; quia sicut lues halitu, & contactu virus fundit suum, sic illi nequitiæ propagatores, modò verbo & consilio, modò factis & exemplo incautos alliciunt, pertrahunt, & occidunt.

SPECULATIO III.

Peccatum originis de formali privationem justitiæ; de materiali verò concupiscentiam importat.

PRimam partem tradit apertè D.Thomas *quæst.* 83. *art.* 2. ubi ex professo probat, privationem justitiæ originalis, per quam voluntas subordinatur Deo, esse formale in peccato originali. Et ratio est, quia primum, quod in aliquo concipitur ut radix cæterorum, essentialem constituit rationem, alia verò non nisi proprietates, appendices, accidentia, vel corollaria dicuntur. Atqui prima difformitas, prima inordinatio, quam in peccato originali concipere est, non est alia, quàm privatio justitiæ originalis, unde veluti è lerhifero fonte fluunt fomes concupiscentiæ, reatus pœnæ, aliæque humanæ vitæ miseriæ, quibus indesinenter affligimur; reatus enim pœnæ culpam supponit, & passionum tumultus, corporisque repugnantis rebellio rationis Deo se subjicere detrectantis superbiam justissimè consequuntur; quomodo enim, ut Augustinus, & alii Patres tradunt, caro erit subjecta animæ, si animus non est subditus Creatori? Quâ justitiâ vis, ut serviat caro tua animæ tuæ, si Deo non serviat anima tua? Debes regi, ut possis regere. Et certè non est mirum, quod sublato repagulo, & destructo aggere undas continente irrumpant aquæ: justitiâ autem originali veluti mole, & freno vires inferiores tenebantur. Ergo in privatione justitiæ sita est essentia peccati originalis. Cujus etiam signum est, quod post baptisma (quod ad delendum peccatum originale institutum est) remanent fomes, concupiscentia, aliæque calamitates, & privatio subjectionis mentis ad Deum tollitur. Et licèt non permaneat æternæ pœnæ reatus, hoc solùm consequenter contingit, quia deletâ culpâ removetur & pœna.

Dices primò cum Curiele existimante privationem rectitudinis moralis peccatum originale constituere: In peccato originali invenitur privatio conformitatis ad legem, seu rectitudinis moralis; Adamus quippe justitiam originalem divinitus sibi datam custodire tenebatur, non aliquo peculiari præcepto, sed omnibus legibus, quibus malum quodvis vetabatur. Priùs ergo violavit legem, & honestatem, quàm se justitia originali privarit. Ergo privatio rectitudinis est omnium prima, subindeque peccati illius constitutiva.

Respondeo in privatione præfatæ conformitatis essentiam peccati originis nequaquam posse consistere, quia vel est privatio habitus debiti parvulis; & hoc non, quia cùm non possit assignari alius habitus parvulis debitus, quàm justitia originalis, haberemus intentum: vel est privatio conformitatis, quæ relinquitur in subjecto post actum malum, quæve dicitur habitualis, non quòd sit semper habitus, sed quia distinguitur ab actu, & tandiu permanet, quandiu per pœnitentiam non retractatur; & hoc etiam dici nequit, quia hæc privatio in eo duntaxat invenitur, in quo fuit, vel esse debuit.

Ad fundamentum Curielis dicendum, quod sicut licèt modò non teneamur conservare gratiam vi alicujus præcepti peculiaris; attamen peccatum mortale consistit in privatione gratiæ, non absolutè, sed in ordine ad suam causam, quæ est peccatum actuale: quâ de causa privatio gratiæ pertinet reductivè ad eandem speciem, ad quam spectat peccatum actuale, unde profluxit. Ita similiter privatio justitiæ originalis ut connotat inobedientiam, & prævaricationem Adami, essentiam peccati originalis constituit.

Dices secundò cum Martine: Præter inordinationes recensitas est alia etiam positiva, scilicet conversio habitualis ad creaturam ut ultimum finem, in quem peccator conversus est: tum quia peccatum originale in nobis nihil est aliud, quàm peccatum habituale, quod habuit Adam post actum suum malum. Adam autem post peccatum suum habitualiter erat in creaturam conversus; unde nos etiam per peccatum originale in creaturam convertimur: tum quia non est potior ratio, cur transfundatur aversio à Deo, & non conversio in finem pravum, cùm implicet esse recessum à termino à quo, nisi sit accessus ad terminum ad quem.

Respondeo, non posse essentiam peccati originalis in illa conversione sitam esse; tum quia D. Thomas *quæst.* 5. *de mal. art.* 5. formaliter ait: *In peccato originali non est conversio, sed sola aversio, vel aliquid aversioni respondens, scilicet destitutio animæ à justitia originali; & ideo peccato originali non debetur pœna sensus, sed solùm pœna damni, scilicet carentia visionis divinæ.* Et *in quæst.* 24. *de verit. art.* 12. *ad* 2. per hoc peccatum originale à personali distinguit, quòd istud præter aversionem, quam solam originale importat, includit etiam conversionem ad finem pravum. Tum quia si peccatum originale conversionem ad finem pravum essentialiter includeret, deberet hæc conversio retractari, & pueri nascerentur conversi ad pomum vetitum, sicque nascerentur potissimùm intemperati, & gulosi. Quod si per conversionem ad finem pravum intelligat Martines concupiscentiam, quæ prærupto justitiæ aggere fortiùs insurgit, & frequentiùs, verum dicit; sed illa concupiscentia peccatum originale non constituit essentialiter, sed in ejus essentia de materiali importatur. Et ideo à Sanctis sæpe vocatur originale peccatum, & quia ab illo est, & quia in illa, ut subest aversioni, consistit peccatum originale; & quia in ipsa maximè relucet peccati originalis venenum, dum rebellione fomitis tota concutitur interioris Reipublicæ concordia, &

& harmonia. Si autem per conversionem habitualem intelligat Matthæus habitum aliquem positivum ad bonum commutabile inclinantem, magis adhuc à veritate recedit; nulla enim potest causa illius assignari. Non Deus, ne illi, ut authori speciali transfusio peccati asseratur. Non peccatum Adami: tum quia ex quolibet actu non producitur habitus conversionis: tum quia peccatum Adami est moralis duntaxat causa transfusionis: tum quia peccatum Adami non existit, nec subinde physicè operari quit. Non denique semen, quia in illo deberet esse qualitas morbida, quam antiqui Theologi, Gregorius, Richardus, Henricus sommiarunt ex sibilo serpentis derivatam: quæ sententia jam obsolevit.

Instabis: Quod habet rationem pœnæ, non est essentia peccati, sed effectus ejus; atqui privatio justitiæ originalis habet rationem pœnæ, ut ait D. Thomas *quæst.85. art.5.* & patet, quia eâ in pœnam peccati originalis privamur, Deo lumen gratiæ suæ subtrahente.

Respondeo, quod licèt privatio physica justitiæ sit pœna, sitque à Deo; tamen privatio moralis justitiæ, quæ præter carentiam ejus importat debitum eam habendi, vel eam non amittendi, & connotat voluntariam gratiæ repulsam, & liberum ejus contemptum, non est pœna solùm, sed culpa, sicque non est à Deo, qui in pœnam peccati dona revocat. Sed hæc privatio physica, quæ est pœna, moralem naturâ priorem præsupponit, quia non deserit Deus nisi sui desertores, nec aufert Deus justitiam originalem, nisi quia eâ privari homines in Adamo voluerunt.

Secunda speculationis pars, concupiscentiam de materiali importari in essentia peccati originalis affirmans, ad minus docetur à D. Thoma in omnibus illis locis, ubi tam sæpè repetit, peccatum originale esse quadamtenus habitum, & inordinatam dispositionem similem ægritudini, quæ habet aliquid positivi. *Alio modo*, inquit quæst.82. art.1. *dicitur habitus dispositio alicujus naturæ ex multis composita, secundum quam benè se habet, vel malè ad aliquid, & præcipuè cùm talis dispositio fuerit quasi in naturam versa, ut patet de ægritudine, & sanitate: & hoc modo peccatum originale est habitus; est enim quædam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniæ, in qua consistit ratio originalis justitiæ: sicut etiam ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio corporis, secundùm quam solvitur æqualitas, in qua consistit ratio sanitatis: unde peccatum originale languor naturæ dicitur.* Et art.3. sic luculenter concludit: *Peccatum originale materialiter quidem est concupiscentia, formaliter verò est defectus originalis justitiæ.*

Id ipsum etiam evincunt clara illa Augustini testimonia, quibus asserit, concupiscentiam esse malum illud nuptiarum in posteros propagatione trajectum; quam tamen negat Doctor sanctus esse peccatum in regeneratis, quando illi ad illicita opera non consentiunt, atque ut ea perpetrent, à regina mente membra non dantur: sed quodam loquendi modo peccatum vocari, quòd peccato facta est, & peccatum, si vicerit, facit: sicut vocatur lingua locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus.

Sed petes, quid sit illa concupiscentia fatalis omnibus hominibus inseminata, quam importari in peccato originali veluti quoddam materiale, cum Ecclesiæ luminibus asseruimus?

Respondeo, omissis variis opinionibus, vel per se falsis, vel antiquatis, vel minùs verisimilibus, concupiscentiam non solùm esse pronitatem appetitus sensitivi præter, & contra imperium rationis in bonum sensibile propensi; sed etiam omnium potentiarum, in quibus potest esse peccatum, & ipsius quodammodo animæ, prout est hujusmodi potentiarum radix. Quamvis enim fateatur in appetitu sensitivo magis esse conspicuam hujusmodi propensionem, & ideo, inquit D. Thomas q. 82. *art.* 3. *ad* 2. *concupiscentia attribuitur tanquam principaliori, & in qua quodammodo omnes aliæ passiones includuntur*: attamen quia concupiscentia, de qua loquimur, quæve de materiali in peccato originali importatur, teste eodem D.Thoma, est quædam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniæ, in qua consistebat ratio originalis justitiæ, relinquitur quod sicut hæc harmonia omnes potentias afficiebat, ita concupiscentia omnes inficit. *Ex aversione voluntatis à Deo* (inquit idem S. Doctor q.citata, art.2.) *consequuta est ordinatio in omnibus aliis animæ viribus. Sic ergo privatio originalis justitiæ, per quam voluntas subdebatur Deo, est formale in peccato originali. Omnis autem alia inordinatio virium animæ se habet in peccato originali sicut quoddam materiale: inclinatio autem aliarum virium animæ præcipuè in hoc attenditur, quod inordinatè convertuntur ad bonum commutabile, quæ quidem inordinatio communi nomine dici potest concupiscentia.* Ergo per concupiscentiam ex peccato originali relictam intelligenda est generalis illa corruptio omnes animæ vires, facultatesque inficiens.

Quod ut clariùs, & penetrantiùs intelligatur, considerandum est, in ipsa etiam voluntate hominis esse duplicem inclinationem naturalem; alteram ad bonum rationis, quæ est ipsi propria hoc ipso, quod est appetitus rationalis, alteram ad bonum conveniens subjecto, in quo est, subordinatam tamen rationis regulæ. Sicut enim in appetitu sensitivo duplex est inclinatio, naturalis altera ad bonum sensibile sibi proprium, altera in bonum honestum, quam secundam habet ex conjunctione cum voluntate & ratione, quibus naturaliter subjecta est: ita in voluntate ob conjunctionem cum anima sensitiva in anima radicata, rectè admitti potest inclinatio moderata in bonum sensibile, subordinata inclinationi in bonum honestum; quia nimirum voluntas est inclinatio totius suppositi: suppositum autem humanum est simul sensibile, & rationale.

Quid ergo facit peccatum originale, quid concupiscentiæ strages? Facit ut inclinatio in bonum sensibile nullo rationis limite, nullo retinaculo contineatur: facit ut amor terrenorum veluti quoddam pondus mentem aggravet, rationem deorsum trahat, animumque ad sensibilia inflectat, & detorqueat æternis natum, æternorum candidatum. Unde sicut liquor in vitiato vase corrumpitur, sic anima facta est carnis permixtione carnalis, non naturâ, sed affectu, quo corpori subditur spiritus in mortalis. Et ideo concupiscentia illa in sacris literis appellatur vetus homo, homo carnalis, & animalis, corpus peccati, cor lapideum, membra injustitiæ, quia hominis naturam pravis, carnalibusque propensionibus inficit. Neque enim credendum est, importunam illam, & impetum pronitatem nos totos ad sensibilia rapientem esse naturæ puræ proprietatem: nam ut veridicè Angelicus Doctor attestatur q.82. art.3. ad 1. *In tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundùm rationis ordinem. Concupiscentia autem, quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam, & talis est concupiscentia originalis peccati.*

Ex his facilè intelliges totam quæstionem 83. D. Thomæ, ubi de subjecto peccati originalis disputat, ubi docet peccatum originale non habere pro subjecto carnem, quæ culpæ capax non est; sed animam, cujus essentiam prius inficit, sic et voluntatem primò inclinat, quamvis in viribus inferioribus magis appareat, in

in illis potissimùm, quæ ad generationem humanam concurrunt, scilicet facultas generativa, vis concupiscibilis, & sensus tactus; quæ partes dicuntur specialiter corruptæ, & infectæ, quia corruptio originalis peccati eorum actione propagatur.

Difficultas duntaxat est in eo, quod *artic.* 2. asserit Doctor S. subjectum proximum, & immediatum, peccati originalis esse substantiam animæ, ut à potentiis distinctam, propter Scotum, & Durandum existimantes peccatum originale priùs inficere voluntatem; tum quia peccatum originale consistit in aversione à Deo ut ultimo fine: ergo sicut subjectio & conversio ad Deum fit per voluntatem; ita hæc aversio primitus in voluntate sita est. Tum quia primum peccatum Adæ non fuit in essentia animæ, sed in voluntate: eadem autem est ratio de nobis, ac de Protoparente.

Sed nihilominus vera est propositio D. Thomæ, & solida ejus ratio. Quia peccatum originis in posteros generatione transfunditur: ergo priùs peccatum illud inficit, quod primitus generatio attingit; generatio autem priùs animam, quàm potentias attingit, cùm animam corpori immediatè uniat, potentias verò non nisi mediante anima uniat. Potiùs dicitur generatio attingere animam, non quòd ejus entitatem efficiat, vel è materiæ sinu educat, cùm anima immortalis, & entitativè spiritalis, sola creatione è nihilo producatur; sed quia ea vi actionis generativæ anima à Deo creata corpori unitur ut forma substantialis: uniti autem corpori ut formam substantialem, convenit animæ secundùm essentiam, non secundùm potentias: ac proinde generatione substantiali priùs attingitur, priùsque subinde maculatur essentia animæ, quàm in potentias diffundatur.

Nec oppositæ rationes urgentes sunt. Non quidem prior, cùm inde potiùs nostram sententiam confirmemus; si enim idem est subjectum privationis formæ, quod est immediatum, & proximum ipsius formæ subjectum, sicut justitia originalis immediatè recipiebatur in anima, cùm vel non distingueretur à gratia sanctificante, vel erat quidam vigor ab anima in vires continuò fluens: ita privatio ejusdem justitiæ priùs in essentia animæ reperitur. Verum quidem est, conversionem actualem à voluntate elici, seu ipsummet bonæ voluntatis actum. At justitia originalis non erat conversio actualis, sed habitualis in gratia sanctificante, & aliorum cœlestium bonorum beatissima copia consistens: unde peccatum originale non est privatio conversionis per actum elicitæ, sed sanctitatis in anima diffusæ: unde priùs animam, quàm voluntatem tenebris suis obscurat.

Secunda etiam objectio nihilo fortior est; est enim grandis disparitas inter peccatum Adami voluntate patratum, & in nos generatione diffusum; quia ille in sanctitate conditus, voluntate propriâ nequam factus est: nos verò naturâ filii iræ sumus, & generatione priùs animam attingente venenum illud propinatur. Non ergo mirum, si peccatum Adæ priùs infecerit voluntatem, cùm ut benè alicubi D. Thomas observavit, in Adamo persona corruperit naturam, in posteris verò natura vitiata corrumpat personam: unde in Adamo peccatum ea voluntate in animam, cæterasque animi, & corporis vires inundavit; in posteris verò corruptio ab anima in vires serpit, & grassatur.

REFLEXIO.

Vidisti (Lector) quid, & qualis per peccatum originale factus sis, inimicus scilicet Dei, gratiâ nudatus, justitiâ orbatus, oneratus sordibus, irretitus vitiis, captus illecebris, affixus membris, confixus curis, distentus negotiis, contractus timoribus, afflictus doloribus, erroribus vagus, suspicionibus inquietus, totus carnalis, & animalis, ut tuis doctus experimentis veridicè illud Apostolicum, & Propheticum usurpare possis: *Infelix Homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, hoc facio. Scio quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum. A planta pedis usque ad verticem non est in me sanitas, sed vulnus, & livor, & plaga tumens.*

Sed ne propterea despondeas animum: non sine alto divinæ sapientiæ consilio factum est ut materiale peccati originalis in ipsis regeneratis adhuc regnet, ardeatque in vitiis faoctis nefatiæ illius flammæ scintilla, quam etiam Apostolus post meotis excessum, post raptum ad tertium cœlum expertus est. Ne mœrore conficiare, ne replcatur anima tua amaritudinibus, Lector amabilis, si membrorum legem repugnantem legi mentis tuæ persentias; quia Deo dante, & aurum tuum in fornace probabitur, & virtus in infirmitate perficietur. Quia ut ait Aug. de doctr. Christ. cap. 10. *Quantò magis regnum cupiditatis destruitur, tantò magis regnum charitatis augetur.* Manet ergo cupiditas ad agonem, ut in te charitas & pugnet fortiter, & semper, & gloriosè triumphet. An nescis, quod *nemo*, teste Apostolo 1. Timoth. 2. *coronabitur, nisi qui legitimè certaverit*; quia ut ait Ambrosius lib. 1. de officiis, cap. 15. *Non est gloriosa victoria, nisi ubi fuerint laboriosa certamina.* Nihil frequentius, nihil inculcatius, quàm quod vita nostra militia est super terram, & quod in hac peregrinatione nemo sine tentatione vivit, & quod profectus noster per tentationem fit; & sicut nemo potest coronari, nisi qui vicerit, ita vincere nequit nisi qui certaverit; nec certare, nisi inimicum, & tentationes habuerit. Appositè August. in Psalm. 57. *De traduce natus es cum eo quod vincas: noli tibi hostes addere, vince cum quo natus es. Ad stadium vitæ hujus cum illo venisti; congredere cum eo, qui tecum processit. Sed certamen tantùm non sufficit*, addit serm. de Psalmo 118. *ad coronam legitimè certandum est, id est omnia passionum bella peragenda sunt. Non sufficit semel, neque unius certaminis bello militasse.*



DISSERTATIO III.

Peccati effectus recensentur.



HÆc dissertatio brevior cæteris futura est, quia si singula prosequi more solito vellem, justi voluminis metas excedam. Damnant plerique solemnem illam à novis Galliarum Concionatoribus frequentatam methodum, quâ sermones in tres partes, & harum subinde singulas in alias totidem perpetuâ divisionum, & subdivisionum serie secant; quia, inquiunt, nulla dicendi methodus ea vitiosior est, cui tamesi præstantissimæ, Orator quasi ad saxum polypus semper adhærescit. Observare potuisti, Lector, me in toto Theologiæ decursu perpetuam, & solicitam dissertationum nostrarum in duo capita, capitum in tres speculationes partitionem adhibere solitum, ut tuæ consulerem memoriæ, quæ ordinis, & distinctionis uniformitate non parùm juvatur. Novi enim, & à doctioribus traditum legi, hoc distare Oratorem à Philosopho & Theologo, quòd Oratori imitanda natura est, quæ corpora, præsertim animata, multiplici

organorum, & facultatum supellectile instruit, partium tamen distinctionem, actuumque colligationem inducta carne veluti velo regit & obvolvit; ita ut etsi distinctio singulorum extet, lateat tamen singulorum. At verò Philosophia, ejusque imitatrix Scholastica Theologia, anatomicam, seu incidendi artem æmulatur, ut singulis in sua genera, species, & varia prædicamenta distributis, accuratiùs, & juxta nitidiùs discutiamus rerum essentiæ, partes, proprietates, & accidentia; vel methodo synthetica, seu compositiva, ab effectibus ad causas, à mediis ad finem progrediente; vel analytica, seu resolutiva, totum in partes, causam in effectus, finem in media solvente, & ab universalioribus ad particularia, à principiis ad conclusiones procedente.

Vt tamen clareat, Theologiam meam non esse anxio perpetuæ ejusdèm methodi tenori alligatam, quia reverà nihil affectatum probari potest, & teste Horatio, *Ridetur chorda, quæ semper oberrat eadem*; hac de causa novam disputandi rationem inibo: tum ut fusa, quæ paraveram, in compendium redacta volumen hoc complectatur; tum ut illi non pateam Senecæ sugillationi: *Nonne etiam qui accuratè loquitur, idem & putidè loquitur?* Maximè quia omnes peccatorum effectus ad certum numerum revocando, non est opus inculcata capitum, & speculationum distinctione.

Primus peccati effectus: Diminutio inclinationis naturalis ad bonum.

Certum est primò, per peccatum, sive originale, sive personale, non corrumpi intrinsecè naturam, nec facultates naturales entitativè minui; cùm nec à natura, nec à potentiis quidquam physicum auferatur: unde docet Dionysius, *naturalia in dæmonibus integra permansisse.*

Certum est secundò, per nullum etiam peccatum extingui penitus inclinationem ad bonum honestum, nec evelli omnia virtutum semina; quia homini rationali implantata, & insita est inclinatio ad bonum rationis. Sicut ergo nullo peccato destruitur rationalitas, ita nec deletur inclinatio ad bonum honestum, ne in homine destruatur imago Dei; quæ tamen, teste Bernardo, est tunica inconsutilis, quæ non scinditur, sed quòcumque pervenerit anima, ibi erit; quippe quæ in gehenna ipsa uri poterit, non exuri; ardere, sed non deleri. Vnde August. lib. de Spiritu & lit. cap. 27. *Non adeò*, inquit, *imago Dei peccatis est addicta, quin etiam in impietate vita possint homines in hac vita facere aliqua legis opera, de quibus fortè dicere possimus quod habent opus legis scriptum in cordibus eorum, id est, non omninò deletum.*

Verùm cum his stat, per peccatum sive originale, sive actuale mortale, inclinationem illam in bonum honestum imminui, nec mediocriter debilitari. Ratio est, quia per peccatum actuale producitur, sin habitus, certè dispositio inclinans ad similem actum peccaminosum; originale verò auferendo justitiam, avertit ab ultimo fine: sed utroque illo impedimento maximè infirmatur inclinatio præfata in bonum rationis propensa. Priori quidem, quia malus habitus, aut dispositio parva ad actus rationis regulis oppositos inclinant. Posteriori etiam, quia sicut qui caret assensu principii parum est ad derivandas conclusiones idoneus, ita aversus ab ultimo fine, qui se habet in operabilibus sicut principium in speculabilibus, ægrè est ad benè moraliter operandum paratus, imò totus est ad malè agendum ab adolescentia sua proclivis; quia perrupto justitiæ originalis obice, quo pars inferior tenebatur; contra rationem concupiscentia insurgit. Idcircò Patres hominem lapsum sauciato comparant, & infirmo. *Hoc est peccatum natura*, inquit Chrysol. serm. 111. *quod est fumus oculis, quod febris corpori, quod dulcissimis fontibus amara salsedo. Vtique purissimus, & lucidissimus est oculus per naturam, sed per fumi conturbatur & obscuratur injuriam. At corpus membrorum partibus, & sensibus suis per hoc, quod est à Deo conditum, viget; sed ubi vis febrium cœperit dominari, totum efficitur imbecillum: tunc oris amaritudo, tunc oculorum caligo, tunc gressuum nutabunda vestigia, tunc inimica aura. Et fontes quàm grati sunt per suam dulcedinem & naturam, tantùm efficiuntur ingrati, cùm aliquod vitium susceperint. Non dispari ratione concupiscentia potestas videtur in opere*, inquit, *sentitur in pœna, impugnat animam, vulnerat mentem, ipsam violat confunditque naturam.* Sed de his fortassis plura, dum de gratia.

Secundus peccati effectus: Ignorantia mentis.

Docet D. Thomas q. 85. art. 3. quatuor homini insigi vulnera per peccatum; nam & ignorantia intellectum obscurat, & malitia voluntatem pervertit, & infirmitas partem irascibilem enervat, & cupiditas partem concupiscibilem sensibilium delectatione inficit, & veluti putrefacit. Sicut enim in corporalibus vulnus dicitur separatio partium unitarum, ita in spiritualibus vulnus est separatio, & divisio potentiarum, quæ erant invicem per justitiam unitæ, & colligatæ, dum pars inferior superiori, & superior Deo consentiebat. Per peccatum autem dissoluta est præclara illa harmonia, & quælibet pars in suum mansit inclinata bonum, nullâ habitâ ad superiorem potentiam subordinatione. Hinc appetitus nullo repagulo cohibitus in delectabilia toto impetu cietur, & voluntatem, cui parere debuerat, in suas partes trahit. Ut tanta porrò facultatum confusione, & intestino tumultu, inter tot passionum æstus concitantur, addensanturque peccatorum nubes, quibus ratio obscurata dicit malum bonum, & bonum malum; tenebras lucem, & lucem tenebras.

Nunc de ignorantia primùm agimus. Et ut magis constet, ignorantiam esse effectum peccati, sciendum est, ignorantiam legis saltem naturalis, quæ per rationem cognosci potest, esse grande malum; cùm enim verum putamus, quod falsum est; vel falsum, quod verum est; vel certum, quod incertum est; vel incertum, quod certum est, veritate privamur, quæ ingens bonum est, cujus proinde privatio malum est. Unde Augustinus in Enchir. cap. 19. *Ipse*, inquit, *per seipsum error, aut magnus in re magna, aut parvus in re parva, semper est malum.* At Deus non creavit, nec de potentia saltem ordinaria creare potest creaturam innocentem tanto malo laborantem, cui titulo connaturalitatis debetur scientia, & notitia legis naturalis, ut possit benè velle, & agere; quod sine veri cognitione non potest. Ubi ergo reperitur ignorantia legis naturalis, ibi manifestum est esse effectum peccati. Hinc videmus, tantas etiam in dubiis morum sententias ex offusis humanæ menti tenebris ortas. Hinc quæ reverà falsa sunt, & divinæ legi adversa, vera, vel probabilia multis apparent. Hinc quæ probabilia uni, alteri certa, & explorata videntur; quia sicut magna est inæqualitas tenebrarum, unde probabilium opinionum supra modum luxuriantium varietas fluit; ita est magna ingeniorum, magna doctrinæ, magna virtutis & pietatis, magna unctionis docentis omnia, magna cœlitus illapsi luminis diversitas.

Porrò

Porrò quamvis illa ignorantia, prout habet rationem nescientiæ, & carentiæ luminis veritatis, pœna sit; prout tamen habet aliquid voluntarii, peccatum est. Hac de causa sæpè diximus omnem juris naturalis ignorantiam esse culpabilem, quia ex criminosis à voluntate offusis proficiscitur. Quia Deus humani generis sator, & salutis omnium amator, ubique præsens, omnibus suos veritatum necessariarum affundit radios, cùm velit omnes salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: affundit, inquam, nisi ostium cordis invenerit actualibus criminibus clausum. Unde legis naturalis inscitia in sola hominum negligentia, socordia, & culpa voluntaria consistit. Qua de causa dixit S. Justinus quæst. 111. ad Orthod. *Voluntate ignorare illos, qui res ad cognitionem ducentes habent, nec de scientia laborant.* Et sanè si ille, qui clausis oculis viam ingreditur periculis, præcipitiisque refertam, mali in quod deinde incidit, author est, nec alteri assignare illud quàm sibi debet: ita planè, qui in via morum tot difficultatibus, tot periculis, tot luxuriantium opinionum præcipitiis circumvallata, vel curam & studium necessarium abjicit, vel eorum qui sibi saluti esse possent, consilium spernit, vel Patrem luminum non satis consulit, vel à notis, perspectisque peccatis sese lumini objicientibus non abstinet, sed in quamcunque sententiam aliquo tantùm fuco coloratam præceps fertur, proculdubio in Dei inimicitiam, subindeque in peccatum mortale incidit, talisque ignorantia neminem excusat, ut æterno igne non ardeat, sed forsitan ut minùs ardeat, quod ex Augustino olim retulimus.

Id à fortiori verum est de ignorantia crassa, supina, & affectata, quæ culpam non modò non extenuat, sed eam non parum auget; quia ut benè ait Richardus *in 4. dist. 15.* consilium ex ignorantia crassa fraudulentum est, & negligentia crassa est propriè dolus; quia cùm possit necessariam veritatem cognoscere, in comparanda sibi scientia non quam debet operam ponit. Et ideo ignorantia illa crassa nominatur, quia oritur ex studendi, laborandique pigritia, crassis & pinguibus hominibus familiari. Supina etiam dicitur, quia sicut jacere supinum, indicium hominis est languidi, remissi, & soluti: sic etiam eâ ignorantiâ laborans, quia mentem habet totam ad terrena inclinatam, nec vult ad æterna, & salutaria se erigere, mavult effœminatam, otioque, & socordiâ diffluentem ducere vitam, quàm in rerum utilium, & necessariarum notitia capessenda nonnihil laboris experiri. Unde Scotus *in 4. dist. 6. quæst. 8.* hanc ignorantiam phrasi quidem nitore carente, sed sale sparsa vocat *Truffaticam*, quia homines inertiâ liquescentes, divinam legem & Legislatorem irrident: apud Aquitanos enim & (ni fallor) Italos, *Truffe*, & irrisio idem sunt.

Tertius peccati effectus: Malitia voluntatis.

De malitia satis suprà loquuti sumus. Illud addere libet, peccatum malitiæ quodvis, cum cognitam æquitatem spernat, esse quadantenus peccatum in spiritum sanctum. Quod usque adeò verum est, ut concors Patrum, solidorumque Theologorum sententia confirmet, periculosissimo eos in statu degere, qui in peccata venialia ex deliberatione, atque adeò cognita, etsi levis malitiæ turpitudine, scientes, & volentes passim, & crebrò labuntur, quia censent contemnenda esse illa peccata, nec magnum quid in illis permanere. Unde Bernardus *serm. 1. de convers. Pauli*, ait: *Nemo dicat in corde suo, Levia sunt ista: non est magnum, si in his maneam venialibus, minimisque peccatis. Hæc est enim, dilectissimi, impœnitentia: hæc blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis.* Quia nimirum oppugnare veritatem cognitam, peccatum est in Spiritum sanctum. At veritas cognita Catholicis est, quod *qui spernit modica, paulatim decidit*, ut dicitur *Ecclesiastis cap. 9.* Et quod *nullum est peccatum adeò parvum, quod non crescat negligentiâ*, ut August. *lib. de vera, & falsa pœnit. cap. 8.* testatur. Et quod aliquatenus grave censendum est, quod *non permittit animam ad sublimia levari*, ut Gregor. *hom. 2. in Ezechielem* monet. Et quod, *qui in unoquoque peccato dicere edoctus est, Non in hoc positum est salutis momentum, is pedetentim omnia possundabit*, ut ait Chrysost. *hom. 12. in cap. 7. Epist. ad Rom.* Ergo qui negligendas, nec magnifaciendas culpas veniales dicit, veritatem catholicam lædit, cùm affirmet, injurias Deo factas non esse curandas, nec magnum esse in illis permanere. Præclarè Augustinus *tract. 1. in 1. epist. Ioan.* ait: *Ista levia, quæ dicimus, noli contemnere. Si contemnis quando appendis, expavesce quando numeras.* Illúdne leve censendum puras, quod animi ægritudines, angores, cruciatus conscientiæ, ictus tabifici, mentis terrores, & quasi carnificina comitari solent: Illúdne ponderis exigui arbitraris, cui æquus Dominus, & bonus Pater Deus Purgatorii flammas paravit, quibus nulla in hoc mundo par reperitur? Illúdne floccifaciendum dicis, quod omne pœnæ malum infinito ferè intervallo vincit, adeo ut deferenda potiùs, non dico propria, non dico unius, sed cunctorum hominum vita sit, totiusque mundi extinctio ferenda, quàm vel minima culpa patranda.

Quartus peccati effectus: Libido & amor sensibilis voluptatis in parte concupiscibili.

Hæc est altissima plaga, quæ cordis intima, & abditos quosque animi recessus pervasit, ratione cujus pars concupiscibilis ordinem à natura, seu à Deo naturæ authore pervertit; & cùm inferiora superioribus subdi debeant, ipsa facit, ut & superiora inferioribus turpiter serviant, & inferiora superioribus contumaciter reluctentur. Hanc autem concupiscentiæ vehementem propensionem, & rebellionem esse pœnam peccati, docetur à Tridentino *sess. 5.* declarante ideo concupiscentiam ab Apostolo peccatum appellari, quia *ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

Quod usque adeo verum esse existimo, ut si homo in natura pura conditus fuisset (possibiléne hoc sit, vel impossibile, alibi disputabimus;) in eo tamen statu concupiscentiæ rebellionem minimè persensisset. Ita enim expressè tradit Angelicus noster Doctor *1. 2. q. 82. art. 3. ad 2.* his verbis: *Quia in homine concupiscibilis naturaliter regitur ratione, in tantum concupiscere est homini naturale, in quantum est secundùm rationem: concupiscentia autem quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam.* Id ipsum docuerat S. Præceptor *in 2. dist. 30. quæst. 1. art. 1. in corp.* his verbis: *Quod vis concupiscibilis in suum objectum tendat irrefrenatè, hoc non est naturale sibi in quantum est humana, sed contra naturam ejus, in quantum hujusmodi.* Et ad 4. *Vis concupiscibilis hoc habet naturale, ut tendat in delectabile secundùm sensum, sed secundùm quod est vis concupiscibilis humana, habet ut tendat in suum objectum secundùm regimen rationis.* Et ideo S. Doctor sæpe docet, assimilari motus nostros motibus cœlorum: in motu autem cœlesti sphæra superior trahit inferiorem, quæ motum primi mobilis absque renitentia sequitur:

quitur: & ita similiter appetitus sensitivus, nisi præcessisset culpa, motum partis superioris sponte sua sequeretur. Et sicut in mixtis, tametsi ex contrariis elementis, siu formaliter, certè virtualiter remanentibus constent, unum tamen aliis prædominatur, ut justa sanitatis temperatura servetur: ita in homine distinctis licèt appetitibus composito, una tamen ratio omnibus in natura pura fuisset principata.

Hanc veritatem didiscerat à Magistro suo Augustino S. Thomas. Etenim nostram doctrinam non solùm apertissimè docet, sed etiam invictissimè probat Doctor gratiæ, ut patebit ex rationibus ab eo depromendis, quarum prima est: Quæ à Deo sunt, ordinata sunt, nec quidquam Deus producit, nisi in numero, pondere & mensura, quia Dei perfecta sunt opera, & valde bona; ordinis autem perversitas, & confusio, utique nec perfecta, nec per se valde bona est. Atqui ordo naturalis exigit, ut anima donetur corpori, & appetitus rationalis sensitivo principetur: tum quia, quo forma est perfectior, eo amplius subjicit sibi materiam, ut patet in forma cœlorum, quorum materia formæ destructionem nunquam machinatur, anima autem est omnium formarum naturalium perfectissima. Tum quia pars superior inferiorem regit, nec ab inferiori regi debere, per se notum est, nec minùs notum in homine rationem esse appetitus sensitivi reginam à natura præpositam. Ergo in statu naturæ puræ homo nec inordinatos carnis motus, nec appetitus concupiscentis rebellionem expertus fuisset. Unde August. *lib. 2. cont. Jul. cap. 8.* hanc Ambrosii sententiam laudat: *Princeps & anima carnis naturaliter anima est.* Et *lib. 3. de libero arbitr. cap. 9.* sic ait: *Si peccatis detractis miseria perseverat, quæ etiam peccata præcedit, rectè deformari dicitur ordo, atque administratio universi.* Quod & *lib. 2. operis jam perfecti* prosequitur.

Ad hæc, concupiscentia, ut ex Tridentino & flebili experientia liquet, ad malum inclinat: inclinatio autem in peccatum non potest esse homini naturalis: tum quia peccatum est contra naturam; tum quia in Deum authorem naturæ refunderetur. Unde acriter Augustinus *lib. 6. contra Jul. cap. 5. Quis ita sit imprudens, atque impudens; ita procax, pertinax, pervicax; ita postremò insanus, & demens, qui cùm peccata mala esse fateatur, neget esse malum concupiscentiam peccatorum, etiamsi adversus eam concupiscente spiritu, peccata concipere, & parere non sinatur.* Quod argumentum confirmat Augustinus, quia concupiscentiam expugnare jubet Deus, ipsique continenter expugnandæ Sancti diligenter insudant, & incumbunt: non præciperet autem Deus illud destruere, quod esset bona naturæ puræ proprietas. *Si malum est concupiscentia*, inquit August. lib. 3. cont. Jul. cap. 23. *cur laudas? Si bonum est? cur expugnas? Si autem nec bonum, nec malum est, ut quid laudas, ut quid expugnas? Quandiu igitur expugnator libidinis eris, tandiu pro me contra te ipsum judex eris?* Et *lib. 5. cap. 7.* ait: *Ab his angustiis liberaberis, si credideris non lingua tua, sed pugna tua.*

Deinde de concupiscentia, ejusque motibus natura erubescit, de illisque omnis pudens, & impudens confunditur; quia nimirum ut sæpè docet Augustinus, infirmitas illa, propter quam ratio jam non amplius perfectè imperat parti inferiori, quæ ipsi ante peccatum plenè subjecta erat, indicium est peccati, quo adversus Deum rebellavit. *Hinccine non erubesceret humani libertas arbitrii*, inquit lib. 1. de nupt. & concup. cap. 5. *quæ contemnendo imperantem Deum, etiam in membra propria proprium perdidisset imperium?* Cùm igitur de concupiscentia erubescamus, manifestum est, ipsam esse non naturæ puræ corollarium, sed peccati consectarium. *Itaque*, ait idem Pater lib. 1. ad Bonif. cap. 16. *suâ culpâ sibi accidens malum natura humana permittatur agnoscere, ne cogatur aut, quod est impudentissimum, de his suis motibus non erubescere; aut, quod est ingratissimum, de sui Creatoris operibus erubescere. Hujus nos pudet, & meritò pudet*, addit lib. 2. de nupt. & concup. cap. 9. *Nam si hoc non esset, quid nobis esset ingratius, quid irreligiosius, si in membris nostris non de vitio, vel de pœna nostra, sed de Dei confunderemur operibus?* Plura circa hæc tractatu sequenti dicemus, ubi etiam P. Gonet, & aliorum oppositum sentientium argumenta diluemus.

Sed dices: Homo non solùm est rationalis, sed etiam animalis: Sed non minùs naturale est homini, quà animali, sensibilia concupiscere, quàm ei, quà rationali intelligibilia, honesta, & spiritalia optare. Ergo quos experimur appetitus sensitivi motus, non pœna peccati sunt, sed hominis quà animalis effectus. Cujus signum est, quòd hujusmodi motus in brutis reperiuntur, in quibus utique mali non sunt, sed merè naturales, & à Deo naturæ authore procedunt.

Respondeo, quod licèt homo animalis simul sit, & rationalis; ratio tamen in ipso sibi naturaliter principatum vindicat: unde licèt appetitus sensitivus conveniens homini, quà animali, bona sensibilia naturaliter concupiscat; ipsi tamen ut appetitui rationali subjecto non est naturale sensibilia contra ordinem rationis concupiscere, ut antea expressissimè nos docuit S. Thom. idque naturalis ordo necessariò exigit, ut inferiora superioribus subdita sint. Quod egregiè explicat August. *lib. 2. de Genesi cont. Manich. cap. 11.* exemplo mulieris, quæ viro naturâ subjecta est: *Ad hujus rei exemplum*, inquit, *fœmina facta est, quam rerum ordo subjugat viro, ut quod in duobus hominibus evidens apparet, id est in masculo & fœmina, etiam in uno homine considerari possit: ut appetitum animæ, per quem de membris corporis operamur, habeat mens interior, tanquam virilis ratio subjugatum, & justa lege modum imponat adjutorio suo, sicut vir debet fœminam regere, nec eam permittere dominari in virum. Quod ubi contingit, perversa, & misera est domus.*

Ex quo manifestum oritur discrimen inter appetitum sensitivum hominis, & bruti, quia in bruto sola est sensitiva pars, nulla rationalis; unde cùm in sensibilia toto impetu fertur, nulli superiori adversatur. At in homine duplex est appetitus, sensitivus, & rationalis; & ille isti obtemperare naturaliter debet, ut in interiori republica sit pax, quæ est tranquillitas ordinis; ibi autem non ordo, sed horror inhabitat, ubi pars inferior superiori principatur. *Hac libido*, inquit Augustinus omnia Adversariorum argumenta præoccupans, lib. 4. cont. Jul. cap. 5. *ideo malum non est in belluis, quoniam non repugnat rationi, quâ carent.* Ex quo discrimine humanæ naturæ præcellentiam deducit incomparabilis Doctor *lib. 1. de pec. orig. cap. 40*, his aureis verbis: *Pecori comparatur homo per vitium, non per naturam; non pecoris vitio, sed naturæ. Tanta namque excellentia non est in comparatione pecoris homo, ut vitium hominis natura sit pecoris.*

Quintus peccati effectus: Difficultas recti, & torpor appetitus irascibilis.

Sequitur hic effectus ex præcedenti; cùm enim appetitus toto impetu sensibilia concupiscat, non potest nisi ægrè in spiritalia, & divina contendere; difficilè namque ardua conscendit, & sursum vehitur, qui ad inferiora multiplici pondere inclinatur.

Unde

Unde August. *lib. 3. de lib. arbit.* & *serm. 105. de tempore*, ait; *Non est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas. Noli ergo amare impedimentum, si non vis invenire tormentum. Quod amas in terra, impedimentum est, viscus est pennarum spiritualium, hoc est virtutum, quibus volatur ad Deum.* Capi non vis, & viscum amas? Nunquid non caperis, quia dulciter caperis? Quanto magis te delectat, tanto magis strangulat.

Difficultas ergo recti ex concupiscentia oritur, sed peccatorum actualium frequentiâ immensùm augetur, quia ut rectè docet idem Pater, ex peccatis suis sibi unusquisque restem texit; vinculis namque peccatorum quisque constringitur, quibus se olim constrictum lugebat Augustinus, suspirans ligatus non ferro alieno, sed ferrea voluntate. Sicut autem ferro, & catenis onustus ægrè admodum incedit, sic propriis peccatorum vinculis illigatus jacet paralyticus, nec bonum vult, vel si vult, non benè vult, ibi deficiens ubi inceperat.

Hinc etiam voluntatem languor tantus invadit, ut voluntas natîvâ domina, suam sibi auferat libertatem, & famulabus suis dura, & simul voluntaria necessitate ancilletur. Nam dum servitur libidini, fit consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas. Hanc voluntatis infirmitatem sibimet compedes injicientem, & motum in divina præpedientem, sic præclarè explicat Bernardus lib. de grat. & lib. arbit. *Peccato factum est, ut corpus quod corrumpitur, aggravet animam, non mole, sed amore: nam quod anima per se jam surgere non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato, ac vitioso amore languescens, & jacens amorem justitiæ non admittit. Ita nescio quo pravo, & miro modo, ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit, ut necessitas cùm voluntaria sit, excusare voluntatem non valeat, nec voluntas cùm sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc voluntaria, favorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens, unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare ulla ratione queat.* Qualia autem, & quanta est illa infirmitas, quæ non alio premitur impedimento, quàm voluntariæ cujusdam servitutis, pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis?

Sextus peccati effectus: Mors, & alia vitæ hujus ærumna.

Ita docet Apostolus Rom. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Et cap. 6. *Stipendia peccati mors.* Et cap. 8. *Corpus mortuum est propter peccatum.* Eandem veritatem vetus quoque Testamentum apertè significat Sapient. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem; sed invidiâ diaboli mors intravit in mundum.* Et Eccles. 25. *A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur.*

Porrò hanc Catholicam assertionem variis in locis contra Pelagianos probat Augustinus, quia creatura intellectualis innocens, sub justo, & omnipotente Deo misera esse non potest. Unde serm. 139. de Temp. *Malorum*, inquit, *omnium nostrorum causa peccatum est, non enim sine causa mala ista homines patiuntur. Justus est Deus omnipotens, non ista pateremur, si non mereremur.* Et *lib. 3. de lib. arb. cap. 18. Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur: si autem injusta est, quoniam pœnam esse nemo ambigit, injusto aliquo dominante imposita est.* Hinc variis in locis idem Doctor sanctus peccatum originale parvulis nascentibus inesse demonstrat. Legendus est *serm. 14. de verbis Apostoli*, ubi sic fatur: *Hic defende justitiam Dei, quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum invenitur omninò peccatum? Responde si potes, sed rationem affer. Sub justo Deo*, addit generatim lib. 1. operis jam perfecti, *miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest.* Et lib. 2. de civit. c. 21. *Quoad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatum, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot & tantis malis plena testatur.* Et cap. 14. *Deo cuncta, quæ fecit, administrante, & summam potestatem, summamque habente justitiam, nunquam profectò in has miserias decidisses, nisi nimis grande peccatum in homine primo, de quo exorti sunt cæteri, præcessisset.* Quam doctrinam non solùm ratione, quæ innocentem miserum esse vetat, confirmat, sed etiam præclaris Scripturæ testimoniis illustrat, potissimùm verò ex illo Sap. 10. *Cùm ergo sis justus, justè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tua virtute; virtus enim tua justitiæ initium est. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos.* Ubi Spiritus sanctus eam esse indolem Dei asserit, quæ nunquam miseriam sine culpa inferat, & hominem ad imaginem, & similitudinem suam formatum cum reverentia disponat: non esset autem cum reverentia de homine disponere, ipsum immeritis onerare miseriis.

Hanc etiam Christianam doctrinam confirmat, illustratque D. Augustinus ipsorum infidelium omni fidei luce destitutorum testimoniis, qui ipsa veritate coacti, persuasique, nullam justè infligi posse absque peccato pœnam, & aliunde nihil de peccato originali, sive scientes, sive credentes, dicere maluerunt animas nostras ob quædam in superiori vita, antequam corpori unirentur patrata scelera, in corpora fuisse immissas, quàm tot mala in Deum bonum & justum refundere. Sed operæpretium est audire Augustinum lib. 4. cont. Jul. cap. ult. *Hujus evidentia miseria Gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis, sive scientes, sive credentes compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum causa nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus eo supplicio, quo Etrusci prædones captos affligere consueverunt, tanquam vivos cum mortuis esse conjunctos.*

Id ipsum illustrat Doctor sanctissimus *libro eodem, cap. 12.* dicto Tullii, qui *lib. 3. de Republica*, ut à miseriis, quas patimur, Deum vendicet, illas naturæ, quam idcirco novercam vocat, adscribit, quia non poterat sibi suadere Deum bonum peræquè ac justum hominem condere voluisse corpore nudo, fragili, & infirmo, animo verò anxio ad molestias, humili ad timorem, molli ad labores, prono ad libidines. *Rem vidit*, ait Augustinus, *causam nescivit: latebat eum cur esset grave jugum super filios Adam, quia sacris literis non eruditus ignorabat originale peccatum.* Quam Ciceronis, cæterorumque Philosophorum doctrinam conferens cum Juliani sententia, quæ tot miseriis hominem sine peccato subjiciebat, sic ait: *Nonne qui ista senserunt, multò quàm tu meliùs, grave jugum super filios Adam, & Dei potentiam, justitiamque viderunt; etiamsi gratiam, quæ per Mediatorem liberandis hominibus concessa est, non viderunt?*

Hac etiam evidenti veritatis luce compulsi aliî hæretici in varias sententias, vel potiùs sententiarum monstra abierunt, quàm ut Deum pœnarum sine culpa inflictorem assererent. Hinc hæretici illi, quos Tertullianus Materiarios appellat, tot mala in materiam refuderunt. Hinc Manichæi, cùm bonum Deum ab omni prorsus injustitia vendicare vellent,

Unde August. *lib.3. de lib.arbit.* & *serm.105. de tempore*, ait; *Non est in carendo difficultas, nisi cùm est in habendo cupiditas. Noli ergo amare impedimentum, si non vis invenire tormentum. Quod amas in terra, impedimentum est, viscus est pennarum spiritualium, hoc est virtutum, quibus volatur ad Deum.* Capi non vis, & viscum amas? Nunquid non caperis, quia dulciter caperis? Quanto magis te delectat, tanto magis strangulat.

Difficultas ergo recti ex concupiscentia oritur, sed peccatorum actualium frequentiâ immensùm augetur, quia ut rectè docet idem Pater, ex peccatis suis sibi unusquisque testem texit; vinculis namque peccatorum quisque constringitur, quibus se olim constrictum lugebat Augustinus, suspirans ligatus non ferro alieno, sed ferrea voluntate. Sicut autem ferro, & catenis onustus ægrè admodum incedit, sic propriis peccatorum vinculis illigatus jacet paralyticus, nec bonum vult, vel si vult, non benè vult, ibi deficiens ubi inceperat.

Hinc etiam voluntatem languor tantus invadit, ut voluntas naturâ domina, suam sibi auferat libertatem, & famulabus suis dura, & simul voluntaria necessitate ancilletur. Nam dum servitur libidini, fit consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, fit necessitas. Hanc voluntatis infirmitatem sibimet compedes injicientem, & motum in divina præpedientem, sic præclarè explicat Bernardus lib. de grat. & lib. arbit. *Peccato factum est, ut corpus quod corrumpitur, aggravet animam, non mole, sed amore: nam quod anima per se jam surgere non potest, qua per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato, ac vitioso amore languescens, & jacens amorem justitiæ non admittit. Ita nescio quo pravo, & miro modo, ipsa sibi voluntas peccato quidem in deterius mutata necessitatem facit, ut necessitas cùm voluntaria sit, excusare voluntatem non valeat, nec voluntas cùm sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc voluntaria, favorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens, unde sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare ulla ratione queat.* Qualis autem, & quanta est illa infirmitas, quæ non alio premitur impedimento, quàm voluntariæ cujusdam servitutis, pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis?

Sextus peccati effectus: Mors, & alia vitæ hujus ærumnæ.

Ita docet Apostolus Rom.5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors.* Et cap.6. *Stipendia peccati mors.* Et cap.8. *Corpus mortuum est propter peccatum.* Eandem veritatem vetus quoque Testamentum apertè significat Sapient.2. *Deus creavit hominem inexterminabilem; sed invidiâ diaboli mors intravit in mundum.* Et Eccles.25. *A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur.*

Porrò hanc Catholicam assertionem variis in locis contra Pelagianos probat Augustinus, quia creatura intellectualis innocens, sub justo, & omnipotente Deo misera esse non potest. Unde serm.139. de Temp. *Malorum*, inquit, *omnium nostrorum causa peccatum est, non enim sine causa mala ista homines patiuntur. Justus est Deus omnipotens, non ista pateremur, si non mereremur.* Et *lib.3. de lib. arb. cap.18. Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur: si autem injusta est, quoniam pœnam esse nemo ambigit, injusto aliquo donante imposita est.* Hinc variis in locis idem Doctor sanctus peccatum originale parvulis nascentibus inesse demonstrat. Legendus est *serm.14. de verbis Apostoli*, ubi sic fatur: *Hic defende justitiam Dei, quare vel parva pœna infligitur innocenti, in quo nullum invenitur omninò peccatum? Responde si potes, sed rationem affer. Sub justo Deo*, addit generatim lib.1. operis jam perfecti, *miser esse quisquam, nisi mereatur, non potest.* Et lib.2. de civit. c.21. *Quoad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatum, hæc ipsa vita, si vita dicenda est, tot & tantis malis plena testatur.* Et cap.14. *Deo cuncta, quæ fecit, administrante, & summam potestatem, summamque habente justitiam, nunquam profectò in has miserias decidisset, nisi nimis grande peccatum in homine primo, de quo exorti sunt cæteri, præcessisset.* Quam doctrinam non solùm ratione, quæ innocentem miserum esse vetat, confirmat, sed etiam præclaris Scripturæ testimoniis illustrat, potissimùm verò ex illo Sap.10. *Cùm ergo sis justus, justè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas a tua virtute; virtus enim tua justitiæ initium est. Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate judicas, & cum magna reverentia disponis nos.* Ubi Spiritus sanctus eam esse indolem Dei asserit, quæ nunquam miseriam sine culpa inferat, & hominem ad imaginem, & similitudinem suam formatum cum reverentia disponat: non esset autem cum reverentia de homine disponere, ipsum immeritis onerare miseriis.

Hanc etiam Christianam doctrinam confirmat, illustratque D. Augustinus ipsorum infidelium omni fidei luce destitutorum testimoniis, qui ipsa veritate coacti, persuasique, nullam justè infligi posse absque peccato pœnam, & aliunde nihil de peccato originali, sive scientes, sive credentes, dicere maluerunt animas nostras ob quædam in superiori vita, antequam corpori unirentur patrata scelera, in corpora fuisse immissas, quàm tot mala in Deum bonum & justum refundere. Sed operæpretium est audire Augustinum lib.4. cont. Jul. cap. ult. *Hujus evidentia miseriæ Gentium Philosophos nihil de peccato primi hominis, sive scientes, sive credentes compulit dicere, ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum causa nos esse natos, & animos nostros corruptibilibus corporibus eo supplicio, quo Etrusci prædones captos affligere consueverunt, tanquam vivos cum mortuis esse conjunctos.*

Id ipsum illustrat Doctor sanctissimus *libro eodem, cap.12.* dicto Tullii, qui *lib.3. de Republica*, ut à miseriis, quas patimur, Deum vendicet, illas naturæ, quam idcirco novercam vocat, adscribit, quia non poterat sibi suadere Deum bonum pariterquè ac justum hominem condere voluisse corpore nudo, fragili, & infirmo, animo verò anxio ad molestias, humili ad timorem, molli ad labores, prono ad libidines. *Rem vidit*, ait Augustinus, *causam nescivit: latebat eum cur esset grave jugum super filios Adam, quia sacris literis non eruditus ignorabat originale peccatum.* Quam Ciceronis, cæterorumque Philosophorum doctrinam conferens cum Juliani sententia, quæ tot miseriis hominem sine peccato subjiciebat, sic ait: *Nonne qui ista senserunt, multò quàm tu meliùs, grave jugum super filios Adam, & Dei potentiam, justitiamque viderunt; etiamsi gratiam, quæ per Mediatorem liberandis hominibus concessa est, non viderunt?*

Hac etiam evidenti veritatis luce compulsi alii hæretici in varias sententias, vel potiùs sententiarum monstra abierunt, quàm ut Deum pœnarum sine culpa inflictorem assererent. Hinc hæretici illi, quos Tertullianus Materiarios appellat, tot mala in materiam refuderunt. Hinc Manichæi, cùm bonum Deum ab omni prorsus injustitia vendicare vellent,

ſcilicet, & gratiæ, quo homo ad ſanctè vivendum perficitur, & juvatur; quæ refulgentia, ut loquitur D. Thomas, ſeu fulgor, eſt effectus formalis divini luminis gratiâ ſuâ animam illuſtrantis & perfundentis; & cùm effectus formalis ſit ipſa forma communicata, nitor gratiæ, & ipſa gratia idem ſunt. Tertiò oritur nitor, & decor animæ, imò & ipſius gratiæ, & charitatis ex actibus elicitis, quibus interior decor exteriùs apparens magis ſplendeſcit. Ergo ex peccato ut ſic oritur privatio rectitudinis, & conformitatis ad rationem & legem æternam, & opus pravum, dictum, factum, vel concupitum contra legem: conſe[illegible] poſt actum peccati macula, & turpitudo, rati[illegible]s homo dicitur habitualiter malus, & peccator: ex peccato mortali, quo læditur, & contemnitur amicitia Dei, conſequitur privatio nitoris gratiæ, ſubindeque macula, & fœditas, quæ eſt eſſentialiter macula, ratione cujus homo dicitur Dei inimicus. Ex peccato verò veniali oritur privatio pulchritudinis in actibus charitatis promptè elicitis relucentis, ac proinde macula venialis, ratione cujus juſtus dicitur torpens, & languidus.

Quod autem omnes illæ privationes ut ſint maculæ, debeant importare ordinem ad ſuam cauſam, id eſt connotare peccatum, manifeſtum eſt. Quia ut macula illa habeat rationem culpæ, debet eſſe moralis, & voluntaria. Ergo neceſſarium importat ordinem ad actum voluntatis, à quo fuit cauſata. Et hinc oritur diverſitas macularum, quibus propter peccatorum varietatem homo ſordeſcit; diverſa enim peccata diverſas maculas inducunt, & veluti incurrunt. *Et eſt ſimile*, inquit D. Thomas q. 86. art. 1. ad 3. *de umbra, quæ eſt privatio luminis ex objecto alicujus corporis, & ſecundùm diverſitatem corporum objectorum diſtinguuntur umbræ.* Unde etiam fit, omnes maculas non eſſe æquales, quia inæqualia peccata ſupponunt, quæ majus, vel minus obſtaculum ponunt. Ex quibus ſolutum manet præcipuum aliter opinantium fundamentum, inde petitum, quod cùm privatio gratiæ ſit indiviſibilis, ſit ejuſdem ſpeciei, ſit unica in quolibet; ſequeretur omnes à peccato illatas maculas eſſe ejuſdem ſpeciei, eſſe æquales, & in uno peccatore, etiam poſt multa ſcelera eſſe unicam. Sed hæc omnia, aliaque ſimilia contrita manent, quia macula peccati non utcumque privationem gratiæ connotat, ſed in ordine ad cauſam talis privationis, quæ eſt peccatum.

Denique totam iſtam noſtram ſententiam quoad triplicem ejus partem placet verbis S. Doctoris illuſtrare, quæ habet in art. 3. hujus quæſt. & in 4. diſtinct. 16. quæſt. 2. art. 2. quæſt. 1. ad 1. *Anima hominis duplicem habet nitorem, unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis, per quam dirigitur in ſuis actibus; alium verò ex refulgentia divini luminis, ſcilicet ſapientiæ, & gratiæ, per quam etiam homo perficitur ad benè, & decenter agendum. Macula autem,* addit loco memorato Sententiarum, *poteſt eſſe dupliciter: uno modo per privationem pulchritudinis, & ſic ex veniali non manet aliqua macula, quia non tollit gratiam, quæ eſt animæ decor: alio modo per hoc, quod pulchritudo, quæ eſt gratia, impeditur ne exteriùs appareat, ſicut per pulverem pulchritudo faciei fœdatur; & talis macula eſt in veniali, quia impeditur decor gratiæ, ne actibus exteriùs oſtendatur.*

Dices: Si quis in puris naturalibus, ſeu in ſtatu naturæ poſitus graviter peccaret, incideret utique in peccatum mortale, unde & contraheret maculam ab illo peccato indivulſam: ſed non haberet privationem gratiæ, privatio namque eſt carentia formæ debitæ, & gratia non eſt debita naturæ puræ: ergo macula peccati mortalis non eſt in privatione gratiæ ſita.

Reſpondeo, gratiam in nullo ſtatu eſſe ſimpliciter homini debitam, cùm gratia ſit ſemper collata gratis, ſubindeque omni debito oppoſita. Sed homo in omni ſtatu, etiam naturæ puræ, eſt capax gratiæ, habetque ad illam à Deo recipiendam aptitudinem; per peccatum verò grave habituale non retractatum capacitati illi, & aptitudini ponit objectaculum, quia ſeipſum poſitivè incapacem, poſitivè ineptum efficit divinæ gratiæ ſuſcipiendæ, quandiu peccati non pœnitet. Unde etiam in illo ſtatu homo, tametſi gratiâ nudus, per peccatum in privationem gratiæ incideret, cujus antea negativam duntaxat carentiam haberet; quia oſtium clauderet gratiæ, quod erat antè apertum: id eſt non privaret ſe gratia, quam non habebat; ſed privaret ſe capacitate non impeditâ recipiendi gratiam, hoc ipſo quod Dei inimicus peccando evaderet. Addunt alii, quod licèt tunc peccatum hominem gratiâ non privaret, hoc tamen eſſet per accidens, quia illam in ſubjecto non inveniret, à quo illam per ſe ſummovere natum eſt: ſicut macula, quæ peccatori per nova peccata advenit, non privat quidem ipſum gratiâ, quâ ſpoliatus eſt, ſed ipſum eâ privare nata eſt, ſi haberet. Hæc autem ſuppoſitis ſupponendis de poſſibilitate naturæ puræ dicta ſunt.

Dices iterum: Nonne facilius eſſet, & expeditius dicere, peccatum mortale in ſtatu naturæ puræ futurum alterius rationis, quàm ſit modò, & conſtitutum iri per privationem ſubjectionis, ſeu converſionis habitualis in Deum ut ultimum finem naturalem. Ergo in privatione gratiæ, quæ in ſtatu naturæ puræ non daretur, macula non conſiſtit. Ita philoſophantur quidam recentiores Thomiſtæ, quibus favet noſter Gonet *diſput. 8. de peccatis, artic.* 3. in priore ad quartam objectionem reſponſione.

Reſpondeo, nequaquam id poſſe dici; tum quia, ut antea diximus, eſſentia peccati mortalis, quà mortalis, eſt læſio divinæ gratiæ, amicitiæ, & charitatis. Ergo macula ex illo peccato conſurgens, eſt privatio illius gratiæ, amicitiæ, & charitatis, quam licèt in ſtatu naturæ puræ non haberet homo, eſſet tamen illius capax, & per peccatum mortale capacitatem illam obſtrueret, & obſeraret. Tum quia per peccatum mortale homo eam maculam contraheret, quæ in ſola poſſet juſtificatione abſtergi, cùm juſtificatio ſit remiſſio peccatorum: non poſſet verò tunc juſtificari, niſi per gratiæ infuſionem, quia non eſt alia aſſignabilis juſtificationis forma: ergo macula injuſtitiæ habitualis in privatione gratiæ, quæ in juſtificatione infunditur, ſita eſt.

Dices tertiò cum Scoto & Durando: Veriſimilius eſt, maculam peccati nihil eſſe aliud, quàm reatum pœnæ æternæ, ſeu relationem ordinationis ad pœnam ex actu peccati conſequutam. Nam in humanis, qui in alium peccat, nihil aliud per offenſam ſuam contrahit, quàm reatum, deputationem, & obligationem ad perſonam.

Reſpondeo, nequaquam in hujuſmodi ordinatione ad pœnam conſiſtere poſſe eſſentiam maculæ peccati; tum quia ordinatio ad pœnam, ſive activè ſumpta ex parte Dei pro ſua juſtitia pœnam decernentis, ſive paſſivè ſumpta pro ſubjectione ad pœnam, eſt conformis ordini divinæ ſapientiæ, & æquitatis, ſubindeque bona eſt, Deo placet, & à Deo eſt; juſtum enim eſt, ut peccatis addicatur, eiſque ſubjaceat, qui peccatorum deliciis indulſit: macula autem ex peccato relicta, nec à Deo eſt, nec illi placere poteſt. Tum quia etiamſi Deus ſtatuiſſet nullam peccantibus inferre pœnam, adhuc tamen patrato

peccato

peccato homo esset maculatus, & peccator: nam damnati quotidianis peccatis licèt in novas pœnas non incidant, novas tamen contrahunt sordes: & etiam in justificatione, deletâ per gratiam maculâ, remanet reatus pœnæ, quæ licèt mereteur in temporalem, hoc tamen non ex natura rei, sed ex misericordia oritur Dei, qui reum cujusvis peccati mortalis etiam justificatum æternis posset addicere pœnis, ut injuriam infinitam resarciret.

Si dicas, reatum, seu ordinem ad pœnam, esse condignitatem, seu meritum pœnæ actum peccati consequutum, quæ condignitas non est à Deo, Deus enim non facit hominem pœnâ dignum; unde etiamsi Deus nullam infligeret peccatori pœnam constituisset, peccator tamen ob patratum scelus pœna dignus esset, sicut justus ob bona opera dignus est, cui merces rependatur. Si, inquam, hæc dicas, adhuc non satisfacis; etenim non ideo aliquis est peccato fordidus, & maculatus, quia dignus est pœna; sed idcirco pœna dignus est, quia peccati maculâ inficitur. Et idem ferè accidit in humanis; qui enim offendit Regem, primò amicitiam ejus dissolvit, quæ si esset intrinseca homini, sicut est amicitia Dei per gratiam diffusa, peccatum in Regem causaret maculam intrinsecam, eo modo, quo privatio potest esse intrinseca: sed quia amicitia Regis in favore duntaxat extrinseco consistit, peccatum in Regem maculam moralem, & civilem solummodò causat, ratione cujus homo ille dicitur inimicus Regis, eique exosus; & quia talis est, dignus est etiam qui puniatur. Ex quibus responsum manet exemplo in objectione ab humanis petito. Ex illis etiam confutata manet Vasquesii sententia existimantis peccatum habituale, seu maculam, esse duntaxat denominationem extrinsecam à præterito peccati actu moralitet, donec per pœnitentiam retractetur, perseverante petitam; confutata, inquam manet, quia macula est aliquid intrinsecum, & permanens, sicut nitor gratiæ, quo privat: unde sicut nitor gratiæ non est denominatio petita ab actu amoris Dei; ita macula non est sola denominatio petita ab actu peccati, sed est privatio intrinsecè suo modo afficiens animam, sicut tenebræ afficiunt aërem, & mors corpus.

Dices ultimò cum Lorca & Martines: Macula peccati importat aliquid positivum, nempe conversionem habitualem ad bonum commutabile, cui tanquam ultimo fini adhæret, & habitualiter mancipatur, quæ sanè grandis est animi turpitudo: illa autem conversio importat aliquid positivum, sicut aversio aliquid privativum, ut ex ipsis terminis videtur esse per se notum: Ergo peccatum habituale non per solam gratiæ privationem, sed etiam per aliquid positivum, conversionem nimirum habitualem ad bonum commutabile constituitur.

Respondeo hanc sententiam non videri S. Thomæ menti consentaneam; expressè enim *q.86.art.1. ad 3.* affirmat S. Doctor, *maculam non esse aliquid positivè in anima, sed significare privationem quandam nitoris animæ in ordine ad suam causam, quæ est peccatum.* Et ratio est, quia licèt post peccatum mortale voluntas maneat in bonum commutabile habitualiter conversa, tamen hæc habitualis conversio in finem ultimum pravum non ab habitu ex actu peccati relicto proficiscitur, sed est ipsamet perversæ voluntatis inclinatio, quæ bono proprio tanquam ultimo fini permanenter adhæret: voluntas autem in proprium bonum absque illius habitus adventitii accessione satis inclinatur; cùm enim voluntas sit essentialiter inclinatio, vel in nullum, vel in proprium bonum propendet, præsertim cùm bonum proprium nihil habeat voluntatis facultatem excedens. Postquam ergo voluntas per peccatum mortale nefariè proprium bonum in ultimum finem elegit, ipsi manet habitualiter mancipata, ipsi servit, ipsi omnes affectus subjicit. Quare illa conversio positiva est inclinatio voluntatis privatæ charitate, & perversè in proprio bono, tanquam ultimo fine sistentis.

Ad majorem horum claritatem, & variorum S. Thomæ locorum in speciem pugnantium, & reverà concordium intellectum, observandum est, quod cùm habitus producuntur per actus, per actum peccati mortalis, etiam primi producitur, vel saltem inchoatur habitus, qui nondum habet statum, & conditionem habitus, sed dispositionis: nam ut ait D. Thomas in 4. dist. 18. q. 1. art. 2. *Ex peccato non remanet positivè aliquid in anima, nisi dispositio, vel habitus, quæ consequuntur peccatum ex parte actus, ex quo aliquid ponit.* Si non remanet positivè aliquid aliud, illud certè manet, imprimiturque à positiva tendentia, quam peccatum actuale, vel de materiali, vel de formali importat. Si ergo Marrioes nihil aliud velit, quàm ex peccato actuali relinqui, vel inchoari pravum aliquem habitum, sicut ex actu virtutis producitur, vel inchoatur habitus virtutis, à vero non abherrat, nec D. Thomæ dissentit, qui non solùm passim docet, actus sive bonos, sive pravos habitum ingenerare, sed specialiter *q. 28. de verit. art. 6.* ait: *Culpa aliquid ponit, & non solam absentiam gratiæ.* Sed in hoc à veritate recedit, quod in illo positivo essentiam maculæ constituat; licèt enim ex privatis habitibus non parum sordescat homo interior, in illis tamen turpitudo, & essentialis macula non consistit: tum quia macula peccati est in essentia animæ Dei inimicæ, Deo exosæ, Deo propter fœditatem invisæ, & ingratæ: habitus autem pravi potentias inficiunt, & deturpant. Tum quia pravi habitus per contrarios actus expelluntur, & à fortiori dispositiones, quæ sunt facilè mobiles; & tamen etiam destructis pravis dispositionibus tandiu remanet macula, quandiu non infunditur gratia: *non enim potest intelligi remissio culpæ, si non adest infusio gratiæ,* ut S. Thomas *q. 113. art. 2.* docet. Tum demùm, quia in justificatione peccati labes eluitur, & obliteratur; & tamen non expunguntur pravæ dispositiones, tametsi sint in via corruptionis. Ergo in privatione nitoris gratiæ macula animæ; in privatione splendoris virtutum infusarum macula facultatum primò, & essentialiter consistit.

Instabis in favorem Vasques: Per id homo maculatur, per quod voluntas unitur, & veluti permiscetur creaturis; sicut sordidatur tunc argentum cùm stanno conjungitur. Atqui homo non permiscetur creaturis, nisi per amorem, quo velutì amplexatur stercora: Ergo in actu peccati essentialis macula consistit, & eo transacto in denominatione ab illo actu non retractato perma.

Respondeo certum esse, actum peccati multis obsolescere, & squallere sordibus, cùm sit actualis à Deo recessus, & vilissimarum creaturarum amplexus. Unde præclarè observat S. Doctor *q.86. art. 1. ad 2.* illud inter actus intellectus & voluntatis interesse discrimen, quod intellectus etiam dum speculatur vitia, & sordida, non vilescit, nec sordidatur, quia trahit res ad se, & dat illis esse intelligibile & elevatum. At verò voluntas amore fertur & trahitur ad res, in ipsasque transformatur; unde & earum sordibus inficitur, sicut earum nobilitate perficitur, juxta illud ex Augustino decantatum: *Si terram amas, terra es; si Deum amas, audeo dicere, Deus es.* Sed audiamus Angelicum Præceptorem: *Actio intellectus perficitur secundùm quod res intelligibiles sunt in intellectu per modum ipsius intellectus; & ideo intellectus ex eis non inficitur,*

inficitur, sed magis perficitur. Sed actus voluntatis consistit in motu ad ipsas res, ita quod amor rei amatæ animam conglutinat; & ex hoc anima maculatur, quando inordinatè inhæret, secundùm illud Ozeæ 9. Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Sed malè inde infertur, peccatum habituale, & maculam ex peccato consequutam, esse duntaxat denominationem extrinsecam ab actu perverso petitam; sicut malè inferretur, nitorem, & pulchritudinem animæ esse duntaxat denominationem desumptam ab actu conversionis in Deum, in quo utique eximius decor invenitur: quare sicut præter decorem bonorum operum inest animæ splendor gratiæ & virtutum; ita præter fœditatem actuum permanet habitualis animæ turpitudo in privatione gratiæ sita.

Octavus peccati effectus: Infamia.

Peccatum, & peccatores comitari dedecus, & infamiam, ipsa natura docet, quæ propterea, ut docet Tertullianus *in Apologet.* omne malum pudore, & timore perfudit, ita ut nec ipsi perversi malum quod patrant, defendere pro bono audeant; unde & qui malè agunt, lucem fugiunt, latère gestiunt, trepidant deprehensi, negant accusati, & convicti non sibi attribuunt, sed naturæ, vel fato, vel astris. Et ratio est, quia sicut gloria est clara alicujus cum laude notitia, ita infamia est alicujus cum vituperio notitia. Porrò quemadmodum honor, & gloria virtutem sicut umbra corpus indivulsè comitatur, ita vitium contemptus. Nam ea facilè contemnimus, quæ vilipendimus; peccatorem autem non solùm minimi habent Deus & Justi, sed etiam odio habent, & execrantur; nam etsi nihil eorum odit Deus, quæ fecit, odio tamen illi est impius, & impietas ejus, atque abominabile Domino cor pravum. Et meritò vilescit homo, fitque despicabilis, dum à creaturæ rationalis dignitate desciscens in brutalem transit ignobilitatem; homo autem cùm in honore esset, non intellexit, sed peccando comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis. Vilis est conditio servi; at qui facit peccatum, servus est peccati, dum carni animus servit, fitque rerum corruptibilium mancipium, quibus debuerat ingenitæ dignitatis privilegio principari. Quare sicut boni hominis justi mores suavissimum afflant odorem, juxta illud: *Christi bonus odor sumus*; & illud iterum: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis*; ita graveolentem, intolerandumque fœtorem fundunt peccatores, juxta illud præclarum, & celebre Anselmi pronuntiatum lib. de similitud. cap. 190. *Si hinc peccati putorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò uni illorum deberem immergi, priùs me in infernum mergerem, quàm peccatum in me immitterem; mallemque purus à peccato in gehennam intrare, quàm peccati sorde pollutus cœlorum regna tenere.*

Hinc intelliges quo sensu verum sit illud axioma, quo tantoperè nonnulli abutuntur: *Honor vitâ potior, & carior est.* Si enim intelligatur de honore mundano, vel si honos consideretur quatenus est bonum ejus, qui dicitur honorari, nec ad Dei gloriam, Ecclesiæ, proximique utilitatem refertur, falsa prorsus est illa sententia: minimum est enim, & ferè nullum bonum, quod in alienis fallacium hominum judiciis, non in ipso, cujus bonum dicitur, positum est: unde & illud bonum primò quærere, & propter se desiderare, mera ambitio, putida vanitas est; & de illo gaudere, levitas cordis. Si verò bonum illud intelligitur de honore à virtute indivulso, qui ad Dei gloriam propagandam, proximique utilitatem procreandam totus refertur, juxta illud: *Sic luceant opera vestra bona, ut glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est*; tunc verum habet prædicta maxima sensum, ita ut amittenda sit potiùs vita, quàm aliquid committatur, unde aliqua nostro honori labes aspergatur. Sic generosè Seneca: *Major sum, & ad majora natus, quàm ut sim mancipium corporis mei.* Sic heroïcè de sacris Martyribus una: *Malo mori, quàm fœdari.* Sic intrepidè Christiani athletæ mori potiùs, & dira quævis tormenta pati, quàm in negatæ Christi fidei, vel alicujus criminis suspicionem venire elegerunt; quia gloriosa mors ignavæ, turpique vitæ longè est anteponenda. Hinc Sancti non solùm malum, sed etiam speciem mali fugiunt, bonique nominis curam habent; nec aperta solùm mala fugiunt, sed etiam quæ probabiliter fingi possunt, mala devitant, ut fraternæ utilitati consulentes, ea non faciant in oculis infirmorum, quibus mali velent suam perversitatem, vel justorum infuscent serenam simplicitatem.

Nonus peccati effectus: Nova peccata.

Ratio est, quia qui non habet cor in Deo firmatum, sed ab eo potiùs aversum, & ad creaturas conversum, illud procul dubio frequenter data occasione eliget, quod est suo fini accommodatum, suæque propensioni consentaneum: inclinatio autem voluntatis per peccatum corruptæ ad peccatum propendet: unde si non semper, saltem sæpè malos fructus proferet arbor mala. Hinc Gregorius docet, peccatum pœnitentiâ non deletum, suo pondere in aliud trahere. Hinc Chrysostomus peccatorem comparat navi malo, velis, & clavo destitutæ, quæ non quò vult nauta, sed quò turbinum, & tempestatis impetus propellit, fertur. Maximè quia voluntas ab æterno, & incommutabili bono aversa, & ad commutabilia, & caduca conversa, præter ingenitam creatæ libertati inconstantiam, longè majorem acquirit instabilitatem; amor enim transformans amantem in amatum, refundit etiam objecti conditiones, & proprietates in eum, qui amat: unde ex objecti variabilitate non nisi mutationem haurit voluntas; & quia objectum, quod amat, vicissitudini obnoxium est, ideo pro illius mutatione voluntas mutatur, & in tot peccata ruit, in quot ipsam trahit creaturæ nutantis affectus. Unde & Propheta *Thren.* 1. rectè intulit, *peccatum peccavit Ierusalem, ideo instabilis facta est.*

Hæc deploranda peccatorum ex se invicem pullulantium consequutio præcipuum est divini in peccatores odii signum; unde propter infanda peccata nonnullos tradidisse Deum in desideria cordis eorum, & in passiones ignominiæ, & in reprobum sensum, Apostolus *Rom.* 1. attestatur. Peccatoribus etiam induratis iniquitatem super iniquitatem imprecatur David: *Appone*, inquit Psam. 68. *iniquitatem super iniquitatem eorum.* Quare gravissima peccati pœna est permissio ulterioris peccati, eorumque subtractio auxiliorum, à quibus homo desertus traditur voluntati suæ, sibi ipsi permittitur, ut sine freno omnibus sese dedat iniquitatis obscœnitatibus.

Notat tamen D. Thomas *quæst.* 87. *art.* 1. ex ea doctrina non sequi, peccatum habere rationem pœnæ, non quia pœna repugnat voluntati, culpa autem est semper voluntaria; imò si non sit voluntaria, desinit esse culpa. Tum quia Deus pœnæ author est, ut per eam injurias sibi illatas ulciscatur, & de hostibus suis justam vindictam sumat. At Deus non

est

est causa peccati, nec malitiæ illius: ergo peccatum in se spectatum rationem pœnæ habere nequit. Dico *peccatum in se spectatum*, id est sub ratione malitiæ, & inordinationis: nam cæteroquin prout habet adjunctum mœrorem, remorsum conscientiæ, afflictionem spiritus, aliaque admixta dispendia, tunc utique rationem pœnæ habere potest, quin & indivulsam secum pœnam fert, juxta tritum illud Augustini: *Jussisti Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus pœna sit sibi.* Et illud Senecæ: *Scelus in scelere supplicium est.*

Dices hanc rationem è D. Thoma depromptam, non esse efficacem, quia multa sunt, quæ possunt habere rationem pœnæ, tametsi sint voluntaria; nam carnis maceratio sponte assumpta pœna est, per eamque Deo satisfacimus; & tamen est voluntaria, utpote liberè electa. Peccatum etiam habituale personale, seu macula peccati, est voluntaria, utpote à libero voluntatis actu proficiscens; & tamen habet rationem pœnæ, cùm nos privet bono gratiæ sanctificantis: ergo non obstante, quod peccatum actuale sit voluntarium, poterit nihilominus habere rationem pœnæ, cùm privet actum rectitudine, & honestate morali illi inesse nata.

Respondeo sapienter advertisse D. Thomam in 2. distinct. 36. quæst. 1. artic. 3. *Contingere idem esse culpam, & pœnam; non tamen secundùm eandem rationem, quia omnis pœna, in quantum pœna est, voluntati contraria invenitur.* Quod & repetit S. Doctor *quæst.* 1. *de malo, artic.* 4. *ad* 1. dicens: *Idem secundùm diversa potest esse culpa, & pœna; non tamen secundùm idem.* Igitur licèt culpa secundùm rationem culpæ voluntariæ non sit pœna; tamen secundùm aliam rationem potest juxta D. Thomam habere rationem pœnæ. Unde venanda est, & investiganda illa ratio, sub qua peccatum potest habere rationem pœnæ: & duplex, ni fallor, potest afferri. Prima est ratio lapsus ut provenientis ex subtractione divini auxilii; & sub hac consideratione habet rationem pœnæ, potestque à Deo infligi in pœnam voluntatis deficientis priùs in genere causæ materialis volentis deficere, quàm Deus subtrahat auxilium: illa ergo prolapsio, quâ à Deo, & à seipsa cadit creatura rationalis, & in brutalem labat vilitatem, pœna est. Altera ratio pœnæ, quæ in actu peccati invenitur, est privatio physica rectitudinis debitæ, & consonantiæ ad regulas morum; nam sicut grande hominis malum est carere gratiâ subjiciente hominem Deo, & participium divinæ naturæ conferente; ita homo gravem jacturam patitur, dum morali actuum honestate, & rectitudine caret; cùm illa rectitudo sit actibus intrinseca, & homo non mediocrem hauriat ab actibus suis perfectionem. Itaque privatio rectitudinis, in qua secundùm nos essentialiter consistit peccatum, potest considerari & ut est voluntaria, seu prout suo modo à voluntate deficiente procedit, & ut actui voluntario annexa est, & hoc modo non est pœna, sed culpa: potest etiam considerari ut est remotio, & expulsio gratiæ, & rectitudinis sibi debitæ; & tunc est pœna: cujus signum est, quod illam sequi ex actu nollet peccator appetens soli satisfacere libidini, quam vellet, si posset salvâ Dei amicitiâ, & honestate morali implere. Remotio ergo bonitatis actualis pœna est, non à Deo, sed ab ipso peccatore volente nolente sibi inflicta, ut in seipso inveniat flagellum suum rebellis adversùs Deum, sitque sibi bellum, sibi tortor, sibi tormentum, qui pacem noluit habere cum Deo.

Decimus peccati effectus: Reatus pœnæ.

Irrutiles, ô homo, licèt aut splendore nobilitatis, aut fastigio potestatis, semper tibi spina proxima est, si tibi culpa non sit aliena, inquit Ambros. *lib.* 3. *hexaëm. cap.* 11. Et certè nunquam à pœna vacat culpa, quia pœna peccato debetur; exigit namque ordo divinæ justitiæ unicuique quod suum est tribuentis, ut sicut bonis operibus præmium statuitur, ita & pro criminibus plectendis pœnæ decernantur. Tum quia justum est, ut qui perversa voluntate amisit quod amare debuit, amittat cum dolore quod amavit, tantumque detur peccatori tormentorum & luctus, quantum se glorificavit. Tum quia ut præclarissimè discurrit S. Thomas 1. 2. *quæst.* 91. *art.* 1. naturaliter videmus id, quod contra aliquid insurgit, ab eo detrimentum pati, cui voluit bellum, vel detrimentum inferre. Hinc videmus unum contrarium ab alio obsessum, vehementiùs agere, & adversarii impetum efficaciùs repellere, ut in antiperistasi manifestum est. Porrò homo peccans contra triplicem ordinem insurgit: nam & rationi, cui voluntas subditur, adversatur; & leges humanas, quibus subjectus est, contemnit; & divino regimini, à quo omnia gubernantur, se subtrahit. Ergo æquissimum est, ut à Principe illius ordinis, contra quem rebellat, cujusque imperium detrectat perduellis deprimatur, conteratur, conculcetur, triplicemque pœnam subeat, à ratione remorsum conscientiam corrodentem; à Principe temporali temporalem multam; à Deo sempiternam, & aliquando temporalem. Hunc autem divinæ providentiæ ordinem fugere nequeunt peccatores, quia ut ait August. epist. 120. *Non efficis anima perversè utens creaturis, ut ordinationem effugiat Creatoris; quoniam si illa malè utitur bonis, ille benè utitur etiam malis: ac per hoc illa perversè bonis utendo fit mala, ille ordinatè etiam malis utendo permanet bonus: qui enim injustè se ordinat in peccatis, justè ordinatur in pœnis.* Hìc tractandum esset de reatu pœnæ æternæ, quem peccatum mortale per se inducit; sed de illo, aliisque affinibus, uti commodiùs, ita & opportuniùs agemus in fine Theologiæ, ubi omnia ad futuram vitam spectantia simul complectemur. In hoc etiam tractatu disputari solet, tum an Adamus potuerit primò peccare venialiter, tum an veniale possit esse cum solo originali? Cujus resolutio ex ea quæstione pendet, an homo in primo instanti usus rationis teneatur se ad Deum convertere. Sed primum dubium quando agemus de statu justitiæ originalis decidetur, de posteriori verò dum de præcepto charitatis sermonem habebimus, de quo tractatu sequenti pluribus agemus.

Reflexio.

Vide Christiane, quales per peccatum evadamus. Ita planè denigratur super carbones facies peccantis dum per peccatum impressam animæ ejus divinæ faciei imaginem delet, comparatusque jumentis ferinam faciem induit, bestiis bestialior, ratione vigens, ratione non utens. Ergo tales cùm simus, tamque miseri evaserimus, quid superest, nisi ut humiliati sub potenti manu Dei, & ad nihilum miserè redacti, mentis, cordisque profunda demissione ante eum procidamus, qui ex nihilo magna facere, suscitare à terra inopes, erigere de stercore pauperes potest, & amat. *Descendite, ut ascendatis*, ait Augustinus lib. 4. confess. capite 12. *& ascendatis in Deum; cecidistis enim ascendendo contra Deum.* Itaque post enumeratos, perspectosque peccati effectus, tot

calamita

calamitatum radicem unam pro virili evellamus. Peccatum, inquam, execremur malorum fontem, malorum summum, & summam. Illud solùm time, sine quo nihil obest, quocum nihil prodest. Peccatum pestis est corrumpens animum, venenum est omnes inficiens virtutes, incendium est omnia devastans, mors est spiritalem extinguens vitam, infamia est omnem decolorans gloriam, jactura est bona cuncta exterminans; & tamen monstrum illud amatores invenit, & adoratores. Monstrum, inquam, suâ sævitiâ omnia devastans, suo felle castis mentis deliciis amaritudinem concilians, suis discordiis honestas dissolvens amicitias, prudentiam infatuans, lumen rationis obscurans, cor obdurans, libertatem captivans: quandoque, ut Chrysostomus ait, verus est infernus, quem peccator in corde circumfert, passionibus veluti dæmonibus torquentibus vexatus, concupiscentiis tanquam insidiis adustus, inveteratis consuetudinibus veluti vinculis alligatus, conscientiæ remorsu quasi verme non moriturо corrosus, Dei oblivione veluti magno firmato chaos à Deo sejunctus, divinorum ignorantiâ veluti offusis tenebris coopertus, & resurgendi sine speciali gratia impossibilitate miseræ æternitati similis.

Hæc cùm ita sint, Lector Christiane, *cave ne aliquando peccato consentias*. Tob.4. Malum illud detestare, cujus infinitam malitiam solus Deus comprehendit; maculam illam defle infinitis creaturarum lacrymis minimè abstergendam, sed solo Hominis-Dei cruore eluendam. Offensam illam formida, quâ Deus contemnitur, perfectiones immensæ flocci fiunt, Filius ipse Dei, teste Apostolo, conculcatur. Ergo qui diligitis Dominum, odite malum, quo contristatur Spiritus sanctus, *Ephes*.4. quo molesti estis Deo meo, & affligitur Spiritus sanctus ejus, *Isai*.7.*&* 63. quo & ipse, quantum in peccatore est, Deus perimitur. *Quomodo possum hoc facere?* aiebat castissimus Joseph impurissimæ dominæ suæ. At quomodo possumus nos hoc facere, quo supremi Domini & Patris potentia arctatur; sapientia Filii, & ab eo statutus ordo pervertitur; bonitas Spiritus sancti ingratitudine compensatur? Quomodo possumus hoc facere, quo operibus creationis abutimur, quo quantùm possumus, œconomiam redemptionis evertimus; quo Spiritui gratiæ contumeliam facimus, quove quæ tota pro nobis Trinitas perfecit, destruere molimur. Quomodo possumus hoc facere, quo nedum gratias Christi expugnamus, opes ejus despicimus, sacramenta polluimus, Salvatorem persequimur, sed ipsum rursus in nobismetipsis crucifigimus Filium Dei? Quomodo possumus hoc facere, propter quod a Deo deserimur, spernimur, odio habemur, à sanctis Angelis derelinquimur, & dæmonum servituti mancipamur? Quomodo possumus hoc facere, quod ut Chrysostomus occinere non desistebat, *una est res pertimescenda peccatum*; quo nimirum & bonis animi spoliamur, acquisita perdimus, acquirenda impedimus, promissa obtinere nequimus; quo interiùs excedimur, postque contrarii nobis simus nobismetipsis graves. *Nam cuiquam cum malo bene esse non potest; quisquis autem malus est, malè secum est*, quo & in tempore plectimur, & æternis suppliciis reservamur.

Væ ergo genti peccatrici, populo gravi iniquitate; væ nobis, quia peccavimus; væ deterius, si peccemus. Quia malum est, & amarum reliquisse nos Dominum, & non esse timorem Dei apud nos. Verùm quia in hac valle plorationis à peccatis abstinere omninò non possumus, ex jacturis infirmitatis lucrum reportemus humilitatis, ut omnia nobis in bonum cooperentur: & quia in multis offendimus omnes, inde simus mansuetiores ad correptionem, patientiores ad laborem, ardendentiores ad amorem, sagaciores ad cautelam, humiliores pro conscientia, acceptiores pro verecundia, ad obediendum paratiores, ad gratiarum actionem devotiores ac solicitiores; & sanctos imitemur, qui ut ait Magnus Gregorius: *Vnde iniquitatis stimulos passi sunt, inde pietatis lucra mercantur*. Verùm quia id infirmæ naturæ superat vires, ad gratiam divinam tomo sequenti exponendam confugiamus; ut sicut nos de medicamento vulnus non rarò facimus, dum virtutum dona in vitiorum usum retorquemus: sic faciat Deus de vulnere medicamentum, vitiorum mala assumens in artem virtutum.



LIBER VIII.

De Deo primo Motore, & de Gratia ipsius.

PRÆLOQVIVM.



FATIGATOS superiori libro ex attento vitiorum intuitu & horrore oculos tuos, Lector patientissime, nedum reficiet, sed & demulcebit amœnissima divinæ gratiæ contemplatio. Quid enim eâ materie gratius, vel acceptius esse potest, quâ Deo grati, acceptique efficimur, & ut ait Augustinus epist. 105. *Quid debet esse jucundius, vel infirmis gratiâ, quâ sanantur; vel pigris gratiâ, quâ excitantur; vel nolentibus gratiâ, quâ juvantur?* Quare commendabilior est hæc materies, quàm ut aliqua laudis accessione egeat, quæ innato splendore per se lucet, per se placet, per se omnium lepôrum venustate induitur, denique quæ gratia est, ipsa nimirum animæ pulchritudo. Unde quod veteri proverbio passim jactatur, vino vendibili suspensâ hederâ nihil opus esse, id si ad gra-

tiam peculiari ratione transferamus nullus, opinor, jure improbabit. Cùm enim res per se præclaræ fucata pigmenta non quærant, profectò alienum, mutuatumque colorem non desiderat gratia, cujus nativus decor ultrò incurrit in oculos, & omnium animos singulari dignitati suæ ingenitæ granditate perstringit.

Verùm sicut non sine spinis rosa vernat, sic difficultatum innumeris stimulis, & aculeis vallata & obsepta est elegantia gratiæ; quia nimirum magis amari avet, quàm disputatione tractari: ideoque dum simplicium animis lucem, cordibus suavitatem infundit, curiosos majestatis suæ, mysteriorumque suorum scrutatores gloriâ opprimit. Quamobrem ad hanc penetrandam arcanorum gratiæ altitudinem, ad hanc abyssum dimetiendam, ad ejus inscrutabilia perscrutanda, non me expectatio tua (Lector) impingat. Agnosco modulum meum, sentire etiam mihi videor modulum tuum: altius est hoc secretum incrementis meis, & fortius verbis meis. Libenter cum Augustino *lib. 21. contra Faustum*, scripserim: *Occultum est, altum est, inaccessibile secretum ab humana cogitatione seclusum est, quemadmodum Deus & justificet pium, & damnet impium. Quantò convenientius, quantò accommodatius est modulo nostro expavescere illic, ubi Paulus expavit, & exclamare: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! Quantò melius est admirari, quod investigare non sufficis?*

Quare non nisi verecundè hanc materiam aggredior, timens cum Gregorio 3 *part. Pastor. cap.*5. ne animum ultra vires trahens meum, *dum plus quàm valet tenditur, mentis chorda rumpatur.* Quid igitur faciam, qui quod implere non posse me sentio, Theologorum de gratia differentium consuetudini negare non audeo. Super onerariam navem rudis vector imponor (phrasi utor Hieronymi *epist.*49.) & qui necdum scalmum, id est minorem cymbam in lacu rexi, maris credor fragoribus: nunc mihi evanescentibus terris, cœlum undique, & undique pontus: nunc unda tenebris inhorrescit, & cæca nocte nimborum spumei fluctus canescunt. At longè periculosior judiciorum divinæ gratiæ abyssus multa, & asperioribus anfractibus cingitur. Verùm quia in Dei rebus non possibilitas inspici debet, sed animus, nec eum verba possunt deficere, qui credit in Verbo, quia etiam charitas omnia potest, Spiritu sancto cursum promovente, & divinæ ipsius gratiæ omnipotentissima potestate, sine qua nihil prorsus boni facere, & quâ confortante, omnia possumus, & opitulante; necnon eorum Doctorum luce, quos nobis in gratiæ doctrina duces, ac normas Pontifices, & Ecclesia tota præstituerunt, Augustinum intelligo, & Aquinatem, divinæ gratiæ arcana resignare tentabimus, ut postquam superiori tomo exaggeravimus peccati morbum, in præsenti laudemus & Medicum, adhibeamus & medicinam. Vidisti, Lector, altera præcedentis tomi parte infirmitatem tuam, utinam in hoc volumine accipias sanitatem; accipies autem, si velis; dabit autem gratia, ut benè velis. Piè Augustinus in Psalm.101. *Sanabit te, opus est ut sanari velis: sanat omninò ille quemlibet languidum, sed non sanat invitum. Quid autem in te beatius, quàm ut tanquam in manu tua vitam, sic habeas in voluntate sanitatem tuam.* Nec enim gratia bonam voluntatem, voluntatisque libertatem tollit, sed dat, ut præclarè dixit August. epist.107. *Si verè volumus defendere liberum arbitrium, non oppugnemus unde fit liberum. Nam qui oppugnat gratiam, quâ nostrum ad declinandum à malo, & faciendum bonum liberatur arbitrium, ipse arbitrium suum adhuc vult esse captivum.*

Ordo, & œconomia hujus Tractatus.

Angelicus Doctor existentiam, necessitatem, essentiam, divisiones, & effectus gratiæ quæstione 109. & sequentibus expositurus, triplici principio perpetuò volvitur unde omnia doctrinæ suæ consectaria derivat. Primum est, indispensabilis creaturæ cujusvis ad agendum à Deo primo motore dependentia; unde infert, continenti divinæ virtutis influxu hominem indigere, quo causa secunda primæ in agendo subordinetur. Secundum principium est naturæ humanæ primi peccati granditate vulneratæ infirmitas; unde colligit indigere opitulatione & gratia medicinali hominem infirmum, quâ & infirmitas curetur, & debilitas roboretur, & languida agendi tarditas excitetur. Tertium principium est, operum supernaturalium dignitas, & difficultas. Cùm enim homo ad finem supernaturalem conditus sit & evectus, ei operationes supernaturales elicere incumbit, ut finem inter & media justa proportio servetur: non potest autem sine supernaturali gratia supernaturaliter agere natura, sicut nec ad cœlum avis sine pennis convolare.

Ex hoc triplici Angelico principio inferiùs statuendo commodam totius hujusce materiei

terici partitionem elicimus. Unde & primùm agemus de Deo primo motore, & creaturæ intellectualis ab eodem in omni statu dependentia: deinde de Deo adjuvante infirmitatem nostram tum ad verum dignoscendum, tum ad bonum prosequendum, à maloque declinandum, atque in incepta justitia perseverandum dissertemus. Tertiò de Deo sanctificante, & per gratiam habitualem supernaturalem justificante sermonem habebimus. Et quia gratia illa justificans est principium omnis meriti nostri, de Deo meritorum authore, & merita nostra remunerante quarto loco disputabimus. Vt autem omnibus palam fiat, Angelicam & Augustinianam, quam toto decursu exponemus, doctrinam à quinque celebribus propositionibus damnatis tantum distare quantum distat ortus ob occidente, appendicem non inutilem subnectemus, qua & consensionem doctrinæ nostræ cum constitutione Innocentii X. demonstrabimus, propositionum damnatarum falsitatem omni genere argumentorum evincemus, & Pontificiæ censuræ æquitatem propugnabimus. Dissertationem porrò præambulam in commendationem Sanctorum Augustini, & Thomæ in finem hujus libri rejicimus.



DISSERTATIO I.

De generali primi motoris influxu, & creaturæ intellectualis ab eodem in omni statu dependentia.



NON abs re tractationem de præmotionibus divinis præmittimus in limine tractatus de gratia. Etsi enim stricto nomine gratiæ aliquid supernaturale intelligendum veniat, tamen sub eo nomine generale primi motoris auxilium non semel S.Doctor comprehendit. Probaturus enim necessitatem gratiæ *tota q.*109. & nominatim *art.*9. ostensurus hominem, etiam justum, indigere gratia ad rectè agendum, id ostendit *primò quidem* (verba sunt ejus) *ratione generali, propter hoc quod sicut suprà dictum est, nulla res creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ.* Quod & priùs docuerat in 2. *dist.*8. *q.*1. *art.*1. *ad* 5. his verbis: *Nihil boni potest homo facere sine gratia Dei, secundùm quod intelligitur gratia ipse Deus gratis dans, eo quòd ipse est principium omnis boni, non tantùm in hominibus, sed etiam in aliis creaturis.* Et licèt motio illa juxta exigentiam naturæ conferatur, quandantenus tamen gratia dici potest, sicut & donum creationis: quod ut ait Augustinus epist.95. *Quadam non improbanda ratione dicitur gratia Dei, quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.*

Quorum omnium ulterior ratio est, quia ut benè observat Joannes à S.Thoma, nomen gratiæ vel à nomine *gratus*, vel ab adverbio *gratis*, derivari potest. A nomine *gratus* gratia dicitur acceptabilitas alicujus, unde illud: *Si inveni gratiam in conspectu Regis*, Esther 5. id est, si tibi accepta sum. Et hoc modo sæpe accipitur gratia pro pulchritudine, & venustate, qua aliquis gratiosus redditur, & amabilis, juxta illud: *Diffusa est gratia in labiis tuis.* Ab illa etiam radice proficiscitur nomen gratiæ sanctificantis, quia eâ perfusi, Deo grati & accepti sumus. Ab adverbio *gratis*, originatur nomen gratiæ, prout significat quodcumque donum, seu beneficium liberaliter collatum. Inde etiam derivatur gratitudo, seu gratiarum actio, que est consessio beneficii ab alio dati. Et quia Deus non solùm in ordine supernaturali, sed etiam in ordine naturali beneficus est, ideo ad dona naturalia, præsertim verò ad motionem Dei nomen gratiæ extenditur, quia per motionem illam homo regitur, & dirigitur in finem, quæ directio cùm multa specialia beneficia, & singulares non raro divinæ providentiæ effectus importet, gratiæ nomine insignitur. Utut sit, quia sicut gratia supponit naturam, ita adjutorium divinæ gratiæ motionis generalis, & concursus generalis modum imitatur, convenienter illius in omni statu necessitatem supponimus, & prælibamus. Maximè quia sub illo etiam titulo de gratia Christi multa dicemus, quæ (si quid aliud) ad Theologicum pertinet institutum, & nomen gratiæ sibi præcipuo jure vindicat. Sed priùs operæpretium est varios naturæ humanæ status considerare, quàm ut cujuslibet indigentiam, & motionis divinæ in unoquoque necessitatem demonstremus.

CAPUT I.

De variis naturæ humanæ statibus.

STatus, ut colligitur ex doctrina S. Thomæ 2. 2. q.188. est dispositio homini conveniens cum immobilitate & firmitate. Sic in actionibus humanis dicitur negotium habere aliquem statum, quando aliquam sortitur consistentiæ firmitatem. Vnde ait Paulus 1. Cor.15. *Stabiles estote, & immobiles.* Et Greg. Magnus *hom.*21. super Ezechiel. *Lapis quadratus, & quasi ex omni latere statum habet, qui casum in aliqua permutatione non habet.* Pulchrè etiam, & solidè observat D. Thomas laudatus, quod apud sapientes, nec divitiæ, nec dignitates, nec aliud quidpiam simile, quod inconstantiis fortunæ vicissitudini obnoxium est, statum ullum obtinere potest, defectu firmitatis ad statum necessariæ: unde aiebat Seneca, *Non est tuum fortuna quod fecit tuum.*

Porrò ad hanc status immobilitatem requiritur obligatio, quia cùm homo ratione liberi arbitrii in utramque partem pensilis, flexibilis admodum sit, ideoque de illo dicat Job: *Homo natus de muliere nunquam in eodem statu permanet*; ut in modo vivendi, agendique quandam assequatur immobilitatem, perpetua debet in aliquo statu lege firmari. Sic status sæcularis ex lege naturali honestâ potitur libertate: status Religionis ex voto solenni immobilitatem sibi vendicat: status clericalis immobilitate donatur ex sacrorum Ordinum characterem indelebilem imprimentium natura, ex Deique lege divinis ministeriis Clericos addicente. Idem observare est in omnibus aliis statibus, matrimonii, viduitatis, virginitatis, quibus quædam leges perpetuitatem saltem moralem accersunt. Ex quibus etiam apparet discrimen, quod inter officium, gradum, & statum intercedit.

intercedit : officium enim est deputatio ad aliquid operandum ; gradus est alicujus praeminentia dignitatis; status verò est conditio de se immobilis. Cum quibus stat, tria hæc in eodem non infrequenter inveniri : nam Episcopus, & officio Judicis, Prædicatoris, ac Pastoris fungitur, & Ecclesiæ principatur, & in supremo perfectionis acquisitæ statu positus est. Hoc fundamento præsupposito, primò exponemus varios humanæ naturæ status, deinde speciales circa ipsos difficultates expediemus.

Speculatio I.

Septem naturæ humanæ status proponuntur, & explicantur.

PRimus est status naturæ puræ, qui dicitur purus, non solùm quia careret impuritate peccati, sed quia excluderet omnia dona gratuita, quibus homo illo in statu nudus esset. Uno verbo, natura pura est conditio naturæ humanæ sine peccato, & sine gratia. Porrò in illo statu miseriis illis omnibus subjaceret homo, quas in hac ærumnosa vita experimur. Et quamvis qui illius status possibilitatem admittunt, frequenter censeant hominem in illo statu experturum concupiscentiæ rebellionem, seu carnis, & spiritus repugnantiam; probabiliùs tamen cum Magistro Herrera oppositum sustinemus, quia ut priore hujus libri parte operosè satis monstravimus, & ex Angelico Doctore evicimus, *concupiscentia quæ transcendit limites rationis, inest homini contra naturam.* In statu autem naturæ puræ nihil homini contra naturam inesset, cùm in illo crearetur homo cum illis dotibus, quæ essent naturæ consentaneæ. Sed ne actum agamus, vide libri superioris part. 2. differt. 3. circa quantum peccati effectum.

Secundus est status naturæ integræ, in quo homo præter naturales dotes tali esset vigore præditus, ut illis, quibus subjacemus ærumnis ea natura humana ultrò consequentibus minimè subderetur; unde nec morbis, nec morti, nec aliis miseriis esset obnoxius. Hoc enim exigeret donum integritatis, ut homo nulli alterationi, nulli etiam corporali corruptioni subditus esset. In illo etiam statu & scientiis naturalibus, & virtutum moralium per accidens infusarum supellectile homo esset instructus, alioquin integram naturæ perfectionem non haberet. Scio Caietanum, Serram, Gonetum, & plures recentiores velle, statum istum superaddere duntaxat statui naturæ puræ consonantiam appetitus superioris cum inferiore, unde perfecta in interiori homine pax resultaret, & concordia. Verùm quia, ut diximus, etiam in statu naturæ puræ appetitus inferior perfectè subjiceretur, ejusque rebellio non posset inesse homini, nisi à peccato, quia ut docet D. Thomas, est contra naturam, subindeque nequit esse ab auctore naturæ; & quia, ut aliàs citatus Augustinus dicebat, tantæ dignitatis est homo, ut vitium hominis natura sit pecudis : ideirco præfata differentia non subsistit.

Nec obest nobis Bulla Pii V. & Gregorii XIII. ut objicit Gonet, quia licèt in ea hæc Baii propositio damnetur : *Falsa est Doctorum sententia, primum hominem potuisse à Deo creari, & institui sine justitia naturali*; nihil tamen inde contra nos : tum quia per justitiam naturalem non intellexere Pontifices subjectionem appetitus ad rationem, sed vel virtutes per accidens infusas, sine quibus potuit utique homo creari; vel dona justitiæ originalis, quæ vocatur justitia naturalis, quia eam Deus in exordio cum natura protoparenti largitus est, condens naturam, & largiens gratiam. Adde (quod hac vice pro omnibus observari à te diligentissimè velim) declarasse Pium V. plures ex Baianis propositionibus esse veras & catholicas, & ab Augustino totidem verbis quandoque decerptas; eas tamen omnes suam Sanctitatem reprobasse, vel ob censuræ atrocitatem, vel ob authoris supercilium, vel ob pravam earum interpretationem. Ut enim videre est in propositione modò relata, Michaël Baius quasi esset orbis magister, & dux verbi, omnes Doctores tanquam falsidicos ex tripode pronuntiat, sibique soli veritatem eximiam asserit : *Falsa est*, inquit, *Doctorum sententia*; quasi dicat, mihi soli veritas paruit, quia non sum sicut cæteri hominum. Hoc supercilium damnat Ecclesiæ Hierarcha. Quod si contendas te per donum integritatis naturam integram constituens, intelligere solùm carentiam interni conflictus carnis adversus spiritum, facies quæstionem de nomine, & naturam integram appellabis, quod ego ad naturam puram pertinere contendo.

De statu justitiæ originalis, & utrum compateretur peccata venialia.

Tertius est status justitiæ originalis, de quo diffusè *tom. 1. & lib. 4.* disseruimus, ubi ostendimus, Justitiam originalem dono naturalis integritatis adjicere gratiam sanctificantem, interensissimam illam quidem, ratione cujus non solùm ratio Deo perfectè subjiciebatur, sed voluntas rationi, voluntati appetitus sensitivus, & corpus ipsum consentiebant: ex plenitudine enim, & ubertate gratiæ animam Deo subjicientis redundabat in vires inferiores effusio spiritus; unde & intra in illis docilitas in omnem pro arbitrio rationis partem flexibilis sequebatur. Hanc gratiam comitabatur innumerabilium prærogativarum apparatus, de quibus eodem loci, *differt. 5. c. 2. specul. 2.* satis superque diximus. Ex quibus patet, statum naturæ integræ, & statum justitiæ originalis distingui per modum includentis & inclusi, quia iste præter integritatem naturalem, gratiam, aliaque dona supernaturalia importabat. Nec tationi status repugnat brevitas illius fortunatæ conditionis, quia per se, & ex natura sua stabilis erat, & permanens.

Cætera quæ ad illum statum fortunatissimum spectant, loco citato discussimus : unum tamen est, quod ibi omisimus, nec amplius differre debemus; utrum nimirum homo in statu justitiæ originalis posset peccare venialiter, incurrendo in culpam, quæ esset levis, vel ex genere suo, sive ex propria materia & objecto, ut verbum otiosum; vel ex parvitate materiæ, ut furtum exiguum; vel ex subreptione, sive imperfecta deliberatione. Affirmat absolutè Scotus, & alii antiqui Theologi consentiunt; distinguit Durandus de peccatis plenè deliberatis, & de imperfectè deliberatis, illa contingere potuisse existimans, secus ista. Thomistæ verò cum suo præceptore omnia omninò cujusvis rationis peccata ab illo beatissimo statu eliminant. Quia si, teste Augustino *lib. 14. de civit. c. 10.* in statu innocentiæ nulla poterat esse miseria, nulla tristitia, nulla pœna, à fortiori beatus ille status peccatum veniale excludebat, quod utique est magna miseria, tristitiam invehens, & reatum pœnæ inducens. Præsertim quia ea frequentatis peccatorum venialium ictibus non potuisset non generari habitus pravus lenè, facilè, & suaviter operandi difficultatem injiciens, & promptum in Deum motum retardans : quod utique felicitati illius status è diametro repugnasset. Illi ergo sententiæ subscribendum est.

Ratio verò fundamentalis est: Quandiu homo erat in statu innocentiæ, immobili in bono firmitate vigebat; justitia namque originalis ex propria, & & characteristica proprietate, sicut vires inferiores voluntati, & voluntatem rationi subjiciebat, ita rationem Deo authori supernaturali plenè subdebat. Ergo nulla tunc erat rima, per quam veniale posset irrare peccatum. Probatur consequentia: Peccata venialia ex subreptione oriuntur ex motibus indeliberatis voluntatem prævenientibus; illius tamen negligentiam, vel tepiditatem supponentibus: peccata verò venialis deliberata ex voluntate non perfectè rationi subjecta, vel ex ratione Deo non plenè subdita proficiscuntur: Ergo ubi erat plena bjectio inferiorum ad superiora, perfecta partium hominis harmonia, & consonantia, nullum prorsus poterat obvenire peccatum veniale. Talis autem erat status innocentiæ, ut supponimus ex dictis secundo libro, nec inficiari possunt qui terminos penetrant, & status illius essentiam non ignorant: Ergo status ille peccati venialis prorsus incapax erat.

Illustratur hæc veritas præclara S.Thomæ doctrinâ, quam habet *opusc.* 2. *cap.* 186. Homo, inquit, in sui conditione totaliter institutus fuit à Deo, ut corpus omninò esset animæ subjectum; rursùmque inter partes animæ, inferiores vires rationi absque repugnantia subjicerentur, ipsa verò ratio Deo esset subjecta. Porò ex hoc, quod corpus erat animæ subjectum, nulla in homine passio poterat accidere, quæ eximio animæ in corpus dominio repugnaret, unde nec mora, nec infirmitas ulla in homine locum habebat. Ex subjectione verò inferiorum virium ad rationem imperturbata serenæ mentis ttanquillitas in homine sentiebatur, quia ratio nullis internarum passionum motibus interrupta, felicissimâ pace potitur. Ex hoc autem, quod voluntas hominis Deo suo erat plenè consona & subjecta, omnia in Deum, tanquam ultimum finem referebat; in qua jugi relatione primarius justitiæ originalis effectus positus est, unde alii veluti è fonte manabant: ratio enim Deo subdita cætera sibi subjiciebat, inferioresque facultates in officio continebat, & Deo serviens regnabat. Ergo quandiu duravit illa catenata subjectio, illa concordia, illa ordinis tranquillitas, nullum potuit veniale contingere peccatum: tandin autem duravit hæc consonantia, quandiu fuit status justitiæ originalis in hujusmodi harmonia situs. Ergo in statu justitiæ originalis nullum poterat peccatum veniale committi.

Quæ ratio benè penetrata non solùm convincit contra Scotum, hominem in statu illô fuisse incapacem peccati venialis, sed etiam demonstrat contra Suarem, Vasquem, aliosque, hujusmodi impeccabilitatem habuisse hominem non solùm ex speciali Dei protegentis providentia, sed etiam ex vi, & efficacia justitiæ originalis, atque ex intrinseca illius status conditione. Etenim sicut intrinseca illius status perfectio omnem peccati venialis culpam ab appetitu arcebat, ita & à ratione, quæ tunc non minùs Deo obsequebatur, quàm rationi appetitus obtemperaret, cùm inferioris ad superiorem appetitum, & rationem obedientia ex subjectione rationis ad Deum veluti rivus è fonte proflueret. Ergo ex propriis, & intraneis justitiæ originalis dotibus non poterat Adamus, stante justitiâ illâ, peccare venialiter; quia aliàs essentialem justitiæ originalis ordinem destruxisset, & non destruxisset; destruxisset, subordinationem ad Deum incurvando; non destruxisset, in statu justitiæ originalis perseverando. Fateor tamen, potuisse tunc hominem peccata venialia absolutè admittere amissione, & jacturâ justitiæ originalis per peccatum mortale; unde nec erat in hoc etiam genere simpliciter impeccabilis, sicut sunt Beati. In summa, poterat homo justitiam originalem perdere, sed ea stante nullam poterat inordinationem voluntariè admittere. Unde non poterat minùs malum, nisi majori prælecto eligere; sicut non poterat eligere pœnam, nisi priùs culpam elegisset. Quare non est cur mitentur adversarii, & suspicientes inquirant, quomodo poterat homo mentiri cum juramento, & non sine juramento? Quænam esset illa major difficultas in proferendo verbo otioso, quàm in blasphemia? Hæc enim, & alia similia occupata manent, & ex inconsideratione illius status dubia illa oriuntur; quia cùm nullam inordinationem pateretur, non poterat homo tunc ullam inordinationem velle, nisi priùs voluerit status illius exinanitionem: nec poterat ratio circa media perverti, stante rectò in finem ordine, quia tunc voluntas ad media non nisi prout stabant sub ordine finis, ferri poterat.

De aliis quatuor statibus.

Quartus status est naturæ lapsæ, seu peccati, in quod protoparens incidit, & totam propaginem maculavit. De peccato Adami dissertatione 5. libri 4. satis egimus, necnon de peccato originali supià in hoc tomo, dissertatione 2. toto capite secundo. Illud porrò notandum, quod licèt peccatum sit contra naturam, & peccatum originale per Baptismum, & actuale per pœnitentiam deleantur; attamen rectè dicitur, dari statum naturæ lapsæ: tum quia post restitutam in Baptismo gratiam, semper manet infectio, & corruptio peccati, seu fomes peccati, qui & à peccato est, & ad peccatum inclinat. Tum quia per peccatum de se homo sit servus peccati, & diaboli; peccati quidem, quo frequentato ligatur quadantenus homo, non ferro alieno, ut ait Augustinus, sed ferrea voluntate; unde inducitur dura peccandi necessitas, quia peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere in aliud trahit. Diaboli etiam servus efficitur peccator, quia à quo quis victus est, ejus & servus est; unde diabolus dicitur princeps mundi hujus, quia sub ejus tyrannico jugo captivi peccatores manent.

Quintus est status naturæ sub lege Mosis, quâ homo offusus per peccatum tenebris, in ignorantia sepultus, ipsas etiam naturales veritates ignorans, à Deo eruditus est, qui summa dignatione sui notitiam impertiens, non solùm stultas de divinitate opinationes revulsit, sed etiam homines variis circa mores erroribus distractos, & concupiscentiæ tenebris occæcatos lege datâ ad veritatis viam revocavit. Ut autem hujus legis necessitas omnibus innotesceret, sivit justus Deus, cujus judicia abyssus multa, homines per bis mille, & amplius annos variis aberrationibus, & incredibilibus deliramentis suæ cæcitatis apertum experimentum capere. Unde D.Thomas *lect.*7. *in c.*3. *epist. ad Galat.* ait: *Deus reliquit homines absque doctrina legis tempore legis naturæ; in quo dum in errores inciderunt, convicta est eorum superbia de defectu scientiæ.* Status hic usque ad Christum Dominum perduravit.

Sextus est status gratiæ, seu legis novæ à Christo cordibus impressæ, non in litera, sed in spiritu consistente. Nam ut August. *lib. de Spir. & lit. c.*25. ait: *Apparet distantia veteris, & novi Testamenti, quòd lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribitur; ut quod ibi forinsecus terret, hic delectet intrinsecus; ibique fiat prævaricator per occidentem literam, hic dilector per vivificantem spiritum.* Unde nihil proderat, sed magis oberat notitia legis, voluntas, & concupiscent à

piſcentiâ per gratiam non ſanatâ, quia niſi deſit divinæ gratiæ opitulatio, in vetitum niti ſolemus. Unde *eodem lib. cap.4.* ait Auguſtinus: *Lex, quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum, ſicut aqua impetus, ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cujus molem cùm evicerit, majori cumulo præcipitatus, violentiùs per prona provolvitur. Neſcio quo enim modo hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit jucundius, dum vetatur.*

Idcirco vocatur hic ſtatus, *conditio libertatis*, non quòd liceat facere quodcumque libuerit, ſed quia gratia præceptorum nos facit dilectores, ut quod foris per legem terrebat, intus per amorem delectet: maximè quia gratia excludit peccati nefandam ſervitutem; nam ut ait Auguſt. *Ad juſtè faciendum liber non erit, niſi à peccato liberatus, juſtitiæ cœperit eſſe ſervus.* Appellatur etiam *ſtatus naturæ reparatæ*; tum quia per eam *clementiſſimus, & prudentiſſimus artifex, quod quaſſatum fuerat, non confregit, ſed utilius omninò refecit*, ut proſequitur Bern. *in ſerm. ſuper c.12. Apocal.* Tum quia per legem incepit quidem reparatio naturæ notitiâ veritatis, ſed non fuit integrata reſtauratio ob peccatum perverſæ voluntatis. Unde Auguſt. in Pſalm.83. *Data eſt lex, ut ægrum de morbo convinceret, qui ſibi ſanus videbatur; ut peccata demonſtrarentur, non ut auferrentur. Lex minabatur* (addit *tract.3. in Ioan.*) *non opitulabatur; jubebat, non ſanabat; languorem oſtendebat, non auferebat, ſed præparabat medico venturo cum gratia, & veritate. Non ad domandam ſuperbiam* (ſubjungit *ſerm. 18. in Ioan.*) *ſed ad denudandam data eſt lex: non ad liberandos ægrotos, ſed ad convincendos ſuperbos.*

Hinc porrò obſervandum, ſtatum gratiæ ſubdividi in ſtatum Chriſtianæ vitæ, & Chriſtianæ perfectionis: in priori tenetur homo Decalogi præcepta, & Evangelii leges fideliter ſervare; in poſteriori nedum præcepta, ſed etiam conſilia homo cuſtodit. Status autem perfectionis ſubſecatur in ſtatum Epiſcopalem, qui eſt conditio perfectionis acquiſitæ; & in ſtatum Regularem, qui eſt conditio perfectionis acquirendæ; qui ſtatus in varios Religioſos Ordines diſtribuitur. De quibus omnibus hic operosè diſputare, nec locus iſte exigit, nec per otium vacat.

Septimus ſtatus eſt futuræ vitæ, qui & in duplicem ſecatur; unus eſt ſtatus gloriæ, alter ſtatus pœnæ; de priori non pauca diximus, tum libro primo, dum de viſione beata; tum libro 5. dum de Deo ultimo fine; tum plura dicemus libro ultimo, ubi quæ ad futuram vitam, ſive beatam, ſive miſeram ſpectant, complectemur.

Circa omnes præfatos ſtatus variæ occurrunt difficultates, partim inſinuatæ, & expeditæ; partim alibi diſcuſſæ, vel diſcutiendæ: duplex tamen ſicut celebrior, ita opportunior diligenter tractanda eſt. Prima, an ſit poſſibilis ſtatus naturæ puræ; altera, an ſint minores vires in natura lapſa ad benè moraliter operandum, quàm fuiſſent in ſtatu naturæ puræ, ſi in illo conditus homo fuiſſet. Utramque ſequentibus ſpeculationibus reſolvemus.

Reflexio.

Tot, ut vidimus, habuit homo ſtatus, imò nullum habuit humana natura ſtatum in tot conditiones mutata, cùm ſtatus immobilitatem exigat, & firmitatem, unde & de homine verè dictum eſt: *Quaſi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut umbra, & nunquam in eodem ſtatu permanet.* Unde tanta hominis mutatio, levitas tanta, inſtabilitas continua, ita ut is ſit genuinus hominis ſtatus nullum habere ſtatum, firmitatem nullam, conſtantiam nullam? Ne mirere, peccato verum & incommutabile bonum dereliquit, bonis caducis & fugitivè labentibus homo adhæſit: quid ergo mirum, ſi mutabilibus amore devinctus, nunquam mentem fixam obtinear, ſed omni locorum, omni temporum varietate in diverſa jactetur, & quâ datâ portâ ruat? Quid mirum, ſi contra biformes fortunæ eventus, uniformi mentis conſtantia non militet præmunitus? Quid mirum, ſi bonum opus ſuſcipere, agere, implere nunc ſcit, nunc neſcit; nunc delectatur, nunc tædet; modò vult, modò non vult; modò proponit ſibi bonum quod velit, deinde in eo, quod propoſuit, non perſeverat, ſed tranſilit; nec tantùm mutatur, ſed redit, & in ea reſilit, & revolvitur, quæ damnavit? Benè Seneca: *Non poteſt idem placere, niſi rectum.* Sed meliùs Auguſtinus: *Tantò magis delectat opus bonum, quantò magis diligitur Deus ſummum, atque incommutabile bonum, in quo, & à quo, & per quem bona ſunt omnia: & à quo averti, cadere; in quem converti, reſurgere; in quo manere, conſiſtere eſt.*

Ergo mentis ſtabilem firmitatem non peregrinatione longa acquires, non locorum varietatibus comparabis, non emes auro, in deliciis non invenies. Vaſtum licèt trajeceris mare, nec itinera proderunt, nec juvabit novitas terrarum, ſi te ſequantur quocumque perveneris vitia; quin mutatione locorum, & de alio in alium tranſitu, frequentique migratione, non ſolùm animum non continebis, ſed magis, magiſque jactabis, divides, diſſipabis. In Deo ſolo pacem, firmitatemque reperies: Deum autem ubique invenies. Fruſtra ergo huc, illuc vadis gyrovagus, cùm benè vivere omni loco poſitum ſit, & Deus cordis noſtri centrum maneat, non nobiſcum modò, ſed & intra nos; ſuperior per potentiam, inferior per ſuſtentationem; exterior per magnitudinem, interior per ſubtilitatem; ſurſum tegens, deorſum continens; extra circundans, intus penetrans.

Ut verum, & quantùm in hac vita poſſibile eſt beatam ſtabilitatem tibi adſciſcas, cordis, animi, corporiſque ſolitudinem ama, nec unquam poteris animum continere tuum, niſi primùm corporis fugam ſiſtas. Pulchrè & piè de more Bernardus ad fratres de Monte Dei: *Cum quo Deus eſt, nunquam minus ſolus eſt, quàm cùm ſolus; tunc enim liberè fruitur gaudio ſuo. Tunc ipſe ſuus eſt ſibi ad fruendum Deo in ſe, & ſe in Deo. Tunc in luce veritatis, in ſereno mundi cordis ultrò patet ſibi pura conſcientia, & liberè ſe infundit affecta de Deo memoria; & vel illuminatur intellectus, & bono ſuo fruitur affectus, vel ſeipſum deflet humanæ fragilitatis defectus. Propter hoc ſecundùm formam propoſiti veſtri habitantes in cœlis potiùs quàm in cellis, excluſo à vobis toto ſæculo, totos vos incluſiſtis cum Deo. Cella ſiqu idem, & cœli habitatio cognatæ ſunt; quia ſicut cœlum & cella ad invicem videntur habere aliquam cognationem nominis, ſic & pietatis: à celando enim cœlum, & cella nomen habere videntur; & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis; quod geritur in cœlis, hoc & in cellis. Quidnam eſt hoc? Vacare Deo, frui Deo, in quo inchoata felicitas, firma ſtabilitas, proindeque vera ſtatus ratio poſita eſt.*

Specu

Speculatio II.

Status naturæ puræ eſt quidem de potentia Dei abſoluta & extraordinaria poſſibilis; non tamen conveniens, ſubindeque nec poſſibilis de potentia ordinaria.

Hac ſpeculatione mediam viam, & ut crediderimus, tutiorem tenemus inter Authorum ſtatum naturæ puræ omnimodis repugnantem exiſtimantium dexteram, quam omni cum rigore ſequitur Janſenius; & eorum adverſariorum ſiniſtram, qui ſtatum illum de potentia etiam ordinaria poſſibilem eſſe ſtatuunt. Hac media via inceſſit D. Thomas, ſtatum illum & eſſe abſolutè poſſibilem, & non eſſe reapſe convenientem, ſubindeque nec de potentia ordinaria, ſeu ut ipſe loquitur, ordinata poſſibilem affirmans. In primis poſſibilitatem abſolutam illius ſtatus apertè declarat: *Poterat Deus à principio, quando hominem condidit, etiam alium hominem ex limo terræ formare, quem in conditione ſuæ naturæ relinqueret, ut ſcilicet mortalis, & paſſibilis eſſet, & pugnam concupiſcentiæ ad rationem ſentiens: in quo nihil humanæ naturæ derogaretur, quia hoc ex principiis naturæ conſequitur. Non tamen iſte defectus in eo rationem culpæ, aut pœnæ habuiſſet, quia non per voluntatem iſte defectus cauſatus eſſet.* Quo in loco loquutum fuiſſe S. Doctorem de potentia abſoluta, & ſupremo Dei dominio, patet ex eodem Angelico Præceptore 4. *cont. Gent. cap.* 52. ubi doctrinam aliàs in ſententiis à ſe juniore traditam ſic ſenior, & in doctrina conſummatior ſui interpres exponit, & noſtram ſecundam ſpeculationis partem clariſſimè docet.

Placet integrum D. Thomæ locum, tametſi longiuſculum, in medium proferre: *Cùm Deus*, inquit, *humanorum actuum ſic curam gerat, ut bonis operibus præmium, & malis pœnam retribuat, ut in ſuperioribus eſt oſtenſum, ex ipſa pœna poſſumus certificari de culpa. Patitur autem communiter humanum genus diverſas pœnas, & corporales, & ſpirituales. Inter corporales potiſſima eſt mors, ad quam omnes aliæ tendunt, & ordinantur, ſcilicet fames, ſitis, & alia hujuſmodi. Inter ſpirituales autem eſt potiſſima debilitas rationis, ex qua contingit, quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus beſtiales omninò ſuperare non poteſt, ſed multoties obnubilatur ab eis.*

Poſſet tamen aliquis dicere, hujuſmodi defectus, tam corporales, quàm ſpirituales, non eſſe pœnales, ſed naturales defectus ex neceſſitate materiæ conſequentes. Neceſſe eſt enim corpus humanum, cùm ſit ex contrariis compoſitum, corruptibile eſſe, & ſenſibilem appetitum in ea, quæ ſunt ſecundum ſenſum delectabilia, moveri, quæ interdum ſunt contraria rationi: & intellectum poſſibilem, cùm ſit in potentia ad omnia intelligibilia, nullum eorum habens in actu, ſed ex ſenſibus natum ea acquirere, difficulter ad ſcientiam veritatis attingere, & de facili propter phantaſmata à vero deviare.

Sed tamen ſi quis rectè conſideret, ſatis probabiliter poterit æſtimare, divinâ providentiâ ſuppoſitâ, quæ ſingulis perfectionibus propria perfectibilia coaptavit, quod Deus ſuperiorem naturam inferiori ad hoc conjunxit, ut ei dominaretur; & ſi quod hujus dominii impedimentum ex defectu naturæ contingeret, ejus ſpeciali, & ſupernaturali beneficio tolleretur, ut ſcilicet cùm anima rationalis ſit altioris naturæ, quàm corpus, tali conditione credatur corpori eſſe conjuncta, quod in corpore aliquid eſſe non poſſit contrarium animæ, per quam corpus vivit. Et ſimiliter ſi ratio in homine appetitui ſenſuali conjungitur, & aliis ſenſitivis potentiis, quod ratio à ſenſitivis potentiis non impediatur, ſed magis eis dominetur.: : : Sic igitur hujuſmodi defectus, quamvis naturales homini videantur, abſolutè conſiderando humanam naturam ex parte ejus, quod eſt in ea inferius; tamen conſiderando divinam providentiam, & dignitatem ſuperioris partis humanæ naturæ, ſatis probabiliter probari poteſt, hujuſmodi defectus eſſe pœnales, & ſic colligi poteſt humanum genus peccato aliquo originaliter eſſe infectum.

Vides Angelicum Doctorem utrumque docere, & ſtatum illum eſſe poſſibilem, ſi ut ait loco citato Sentent. Deus *hominem ſuæ naturæ relinqueret*, eumque inclinationi materiæ ſecundùm ſe ſpectatæ permitteret: quod ad dominium ſuum demonſtrandum, aliaſque rationes partim notas, partim latentes, poſſe Deum abſolutè facere docet. Verùm quia Deus hominem *non relinquit*, ideo de potentia ordinaria, id eſt, *divina providentiâ ſuppoſitâ, quæ ſingulis perfectionibus propria perfectibilia coaptat*, talis ſtatus poſſibilis non eſt. Hanc S. Doctoris mentem optimè aſſequutus eſt noſter Thomas Leonardy Profeſſor Lovanienſis *lib.* 1. *de prima hominis inſtitutione, cap.* 1. *pag.* 2. his verbis: *Notandum, quod quamvis creare hominem in puris naturalibus ſubſit divinæ potentiæ, nullique alteri ejus attributo repugnet; minus tamen deceat ſuavem Dei providentiam, quâ ſecundùm legem ordinariam creaturas adminiſtrat, & quâ ſingulis perfectionibus propria perfectibilia præparat.: : : Quod ſi attentè perpendatur, clarè apparebit, quod Deus ex ſe nunquam crearet hominem in ſtatu purè naturali, in quo ſcilicet morti, & fami, & ſiti; aliiſque miſeriis, ac morbo concupiſcentiæ eſſet obnoxius.* Et pagina 10. *Itaque quia minùs conſonum eſt divinæ ſapientiæ, & bonitati creare hominem cum iſtiuſmodi defectibus, idcirco rationabiliter concludi poteſt, quod Deus ex ſe nunquam hominem iis ſubditum crearet, quodque conſequenter non ita creetur, niſi ob peccatum.*

Hæc paulò fuſiùs proferre operæpretium duxi, ut omnibus palam eſſet, quàm immeritò quidam recentiores, quos ſequitur P. Gonet, noſtram ſententiam eo titulo, quòd Janſeniana ſit, reprobent. Nam præterquam quod aliquam ſententiam eo titulo, quòd Janſenio probata fuerit, abominari, ſignum eſt animi præjudiciis pleni, & occupati, cùm exceptis quinque propoſitionibus ab Eccleſia damnatis multa ab illo ſcripta eſſe non ſolùm probabilia, ſed etiam laudibus digna nemo cordatus negaverit: ſed præter hoc, inquam, ſi Janſenium, ut par erat, in fonte legiſſent, advertere utique potuiſſent, Authorem illum omnimodam ſtatus illius poſſibilitatem inficiari, & velle implicare contradictionem, hominem poſſe in illo ſine peccato condi: vidiſſent Janſenium *lib.* 1. *de ſtatu naturæ puræ, cap.* 5. conari *omnem poſſibilitatem ſtatus puræ naturæ funditus evertere.* Quia aliàs, ut *cap.* 16. & 17. ait, *caſus hominis ita Creatori eſſet imputandus, ut non foret culpa cadentis creaturæ, ſed inſtituentis Dei. Unde Deo, non creaturæ imputari deberet perverſitas ejus, & quidquid ſcelerum ex illa creata voluntatis inſtitutione naſceretur; quæ quidem eſſent materialiter ſcelera creaturæ, vera tamen ſcelera Dei.* Et *lib.* 2. *cap.* 14. expreſsè affirmat, *nullo modo à Deo creante puram naturam conferri poſſe creaturæ, ſtatumque illum eſſe Deo injurioſum, & impoſſibilem.* Et *lib.* 3. *cap.* 13. 15. & 21. ait: *Deo per ſtatum puræ naturæ adſcribitur crudelitas improbata in Manichæis. Crudelitatem vel etiam injuſtitiam ſpirat, innocentem animam nulli peccato obnoxiam immeritò ad tantas miſerias,*

quantas commentitius natura pura status implicat, *condemnare*. Denique sic concludit: *Deus quantumvis absoluta potestatis*, *vitaque & mortis dominus sit*, *creatura rationali innocenti nullam omninò pœnam*, *quantumvis exiguam*, *sine injustitia inferre potest*. Exscribendus esset totus Jansenius, sed hæc pauca ex ipso retuli, ut cônstet illum omnimodam status illius impossibilitatem asseruisse, sicut impossibile est, Deum esse injustum, & crudelem.

Angelica D. Thomæ sententia probationes.

Sed jam ad probationem nostræ positionis veniamus, & ut claré procedamus, prior pars primùm probanda est, posterior deinde stabilienda. Probatur igitur, statum naturæ puræ esse absoluté possibilem, primò authoritate Augustini, unde sententiam nostram quoad utramque partem evidentissimè deprompsimus. Et quidem statum illum esse de potentia Dei possibilem, & potuisse illum à Deo sine injustitia condi, expresse tradit S.Pater *in Psalm.* 70. his verbis: *Multùm movet Dei amor*, *& timor: timor Dei*, *quia justus est; amor*, *quia misericors est. Quis enim ei diceret*, *Quid fecisti? si damnaret justum. Quanta ergo misericordia ejus*, *ut justificet injustum.* Ubi apertè docet Augustinus, Deum absque injustitiæ labe posse justum damnare, id est ob occultas inscrutabilium judiciorum suorum causas gratia eum privare, & gloria tanquam beneficiis absoluté indebitis. Sed quia aliqui recentiores arbitrantur in illum Augustini textum corruptionem aliquam irrepsisse, existimantes legendum esse: *Quis enim ei diceret*, *Quid fecisti? si damnaret injustum.* Quam responsionem eò sinceriorem, & solidiorem putant, quò nec aliam sibi deesse aiunt ad illum locum elavandum, dicendo Deum non posse accusari, etiamsi justos damnaret, non quidem quandiu justi sunt, sed permittendo eos à justitia excidere subtractione gratiæ actualis ad perseverandum necessariæ. Ut hæc responsio, ejusdemque responsionis confirmatio confutentur, proferenda sunt Augustini lòca, quæ nulli corruptioni, nulli interpretationi aditum ullum præbent.

Quid autem expressius, planius, vel apertius afferri potest eo testimonio, quod habetur *lib.* 3. *de libero arb. cap.* 12. per hæc verba: *Ignorantia & difficultas*, *si naturalis est*, *inde incipit anima proficere*, *& ad cognitionem*, *& requiem*, *donec in ea perficiatur vita beata*, *promoveri.* : : : *Si ignorantia veri*, *& difficultas recti naturalis est homini*, *unde incipiat in sapientia*, *quietisque beatitudinem surgere*, *nullus hanc ex initio naturali rectè arguit. Sed si proficere noluerit*, *aut à profectu retrorsum relabi voluerit*, *jure*, *meritoque pœnas luet. Creator verò ejus ubique laudatur. Non enim propterea malam creavit*, *quia nondum tanta est*, *quanta ut proficiendo esse posset*, *accepit.* Quod ibi pluribus rationibus, & exemplis confirmat. Nec potest dici, sanctissimum Doctorem hanc sententiam in juventute protulisse, sed eam in senectute correxisse. Non potest, inquam, dici; quia eandem doctrinam inculcat *lib.* 1. *retract. cap.* 9. his verbis: *Ad miseriam justa damnationis pertinet ignorantia & difficultas*, *quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis sua*, *nec ab isto malo*, *nisi Dei gratiâ quisquam liberatur. Quam miseriam Pelagiani nolunt ex justa damnatione descendere*, *negantes originale peccatum; quamvis ignorantia*, *& difficultas*, *etiamsi essent hominis primordia naturalia*, *nec sic culpandus Deus*, *sed laudandus esset*, *sicut in eodem tertio libro disputavimus.* Quæ verba adeo perspicua sunt, ut ponderatione non egeant. Quod verò ait Jansenius, possibilitatem naturæ puræ crudelitatem Manichæorum sapere, manifestè repugnat Augustino, nedum juveni, sed seni, & morti proximo; nam *libro de bona persever. cap.* 9. sic formaliter loquitur: *Etiamsi verum esset*, *quod dicunt Pelagiani*, *ignorantiam*, *& difficultatem*, *sine quibus nullus homo nascitur*, *primordia*, *non supplicia esse naturæ; vincerentur tamen Manichæi*, *qui volunt duas*, *boni scilicet*, *& mali esse naturas.* Quibus etiam verbis occupatur, & præcluditur aliud effugium Jansenii aientis, ignorantiam, & difficultatem dupliciter dici naturalem: primò quatenus naturæ secundùm se spectatæ conveniunt: secundò quatenus à nativitate in nos transfusæ sunt ex carne Adami peccato vitiatâ, absque ullo tamen peccati reatu; hocque secundo sensu velle Augustinum ignorantiam, & difficultatem posse dici primordia naturalia. Sed hæc responsio ex relatis Augustini verbis sponte sua, nullo impellente corruit; siquidem certum est, Pelagianos ignorantiam, & difficultatem primo, & non secundo modo naturales esse, fuisse arbitratos, id est nullum omninò supposuisse peccatum, sed peccato omni præsuppositas fuisse.

Dices: Ex illis locis nihil pro naturæ puræ statu admittendo posse colligi, cùm in eodem loco Augustinus ad salvandam Dei justitiam concedat adultis ignorantiam & miseriam patientibus auxilia necessaria, tum ad ea mala superanda, tum ad virtutem exercendam, tum ad beatitudinem animæ & corporis per illud virtutis exercitium compensationis titulo assequendam, ut patet à capite 19. ad 22. At nihil horum in statu naturæ puræ, qualem possibilem comminiscimur, reperitetur; siquidem in illo nec auxilium gratiæ, nec ordo ad beatitudinem supernaturalem invenitentur. Ergo perperam ex celebri illo libri tertii de libero arbitrio testimonio possibilitatem status naturæ puræ conjicimus.

Confirmatur, & augetur difficultas. D. Augustinus ut salvet justitiam Dei in parvulis sine rationis usu morientibus, concedit aliquam retributionem ex parte Dei, ut miseriæ, quas in hac ærumnosa vita passi sunt, compensentur; sic enim ait cap. 23. *Quis ergo novit, quid ipsis parvulis in secreto judiciorum suorum bonæ compensationis reservet Deus*, *qui quanquam nihil rectè fecerint*, *tamen nec peccantes aliquid ista perpessi sunt.* At licèt D. Augustinus, quanvis quod dixerat de adultis in præfato libro de libero arbitrio, confirmet in operibus contra Pelagianos editis; attamen quod de parvulis sine Baptismo morientibus dixerat, retractat *epist.* 2. *ad Hieronymum*, his verbis: *Tantorum malorum*, *qua fiunt in parvulis*, *causa justa dicatur. Nempe cùm majores ista patiuntur*, *solemus dicere*, *aut sicut in Iob merita examinari*, *aut sicut in Herode peccata puniri. Sed hoc in majoribus. De parvulis autem quid respondeamus*, *edissere*, *si pœnis tantis nulla in eis sunt punienda peccata. Nam utique nulla est in illis ætatibus examinanda justitia.* : : : *Ego quidem non de ingeniis*, *sed saltem de pœnis parvulorum*, *quas in hac vita patiuntur*, *dixi aliquid in libris illis de libero arbitrio*, *quod quale sit*, *& cur mihi in ista*, *quam habemus in manibus*, *quæstione* (quomodo nimirum salvanda sit contra Pelagianos justitia Dei) *non sufficiat*, *intimabo.* Ibidemque subjungit, defensionem illam in libro de libero arbitrio traditam, nec validam esse, nec firmam; quia licèt hoc meritò dici possit de his, qui pro Christi nomine, vel religione passi sunt, vel sacramento Christi imbuti sunt, ut possit eis pro illis malis, quæ hîc in diversis afflictionibus pertulerunt, compensatio ista præstari; id pariter de parvulis responderi non potest, qui post gravissimos cruciatus sine sacramento Christianæ societatis exspirant. *Nam*, inquit, *quæ circa eos compensatio cogitanda est*, *quibus insuper & damnatio præparata est.* Quod alibi sæpe repetit Augustinus, præsertim

lib. 6.

lib. 6. cont. Iulian. cap. 21. sic : *Vos negantes originale peccatum, profectò aut cogimini dicere Deum vel invalidum, vel injustum, sub cujus potestate imago ejus in parvulis sine ullo proprii, vel originalis peccati merito tantis affligitur malis ; non enim per hæc exercetur virtus, quod rectè de bonis hominibus majoribus dicitur, in quibus rationis est usus.* Sed in statu naturæ puræ, qualem fabricamus possibilem, parvuli iis subjacerent miseriis, quibus etiamnum obnoxii sunt : ergo in illis ex Augustino non salvaretur justitia Dei, ac proinde quod S.Doctor libro tertio de libero arbitrio dixerat, favere nobis non potest.

Respondeo, invictè ex illis locis probari possibilitatem absolutam status naturæ puræ, in quo etiam posset homo cum auxilio illi statui connaturali, & miserias patiendo virtutem exercere, & hujusmodi exercitio ad qualemcunque & imperfectam beatitudinem pervenire. Quare non solùm cum injustitia, sed etiam justissimis causis posset supremus Dominus illud exercitium homini etiam ante peccatum imponere. Unde Augustinus *cap. 20.* sic ait : *Si ergo altera (anima) talis esse cœpit, non solùm ante peccatum, sed ante omnem vitam suam, qualis alia post vitam culpabilem facta est, non parvum bonum habet unde conditori suo gratias agat ; quia ipse ortus ejus, & inchoatio quovis perfecto corpore est melior. Non enim mediocria bona sunt non solùm quod anima est, sed etiam quod facultatem habet, ut adjuvante Creatore seipsam excolat, & pio studio possit omnes acquirere, & capere virtutes, per quas & à difficultate cruciante, & ab ignorantia cæcante liberetur. Quod si ita est, non erit nascentibus animis ignorantia, & difficultas supplicium peccati, sed proficiendi admonitio, & perfectionis exordium.* Hæc autem omnia, ut patet, in statu naturæ puræ contingere possent : ergo absolutè status ille ex Augustino possibilis est absque ulla ex parte Dei injustitia.

Ad confirmationem dico, nullatenus S. Doctorem eam doctrinam retractasse, cùm eam potiùs in libro retractationum, loco à nobis laudato inculcet, & contra Pelagianos valere affirmet. Ad epistolam 28. respondeo, etiam in ea absolutam status naturæ possibilitatem clarè significare Augustinum ; nam quærentibus, quare Deus creet in parvulis animas, quos novit citò morituros ? Respondet, vel hac morte prematurâ peccata parentum convinci, aut flagellari ; vel certè hoc ad concentum, & decorem universi Deum referre : quæ ratio in statu naturæ puræ locum haberet, si Deus absolutè illum condere voluisset. Verba Augustini sunt hæc : *Non enim frustra per Prophetam, qui hæc divinitus inspirata didicerat, dictum est de Deo, Qui profert numerosè sæculum* (habetur Isaiæ 40. in editione Septuaginta.) *Unde musica, id est scientia, sensusque benè modulandi, ad admonitionem magnæ rei, etiam mortalibus rationales habentibus animas Dei largitate concessa est. Unde si homo faciendi carminis artifex novit quas quibus moras vocibus tribuat, ut illud quod canitur, decedentibus ac succedentibus sonis pulcherrimè currat ac transeat ; quantò magis Deus, cujus sapientia, per quam fecit omnia, longè omnibus artibus præferenda est, nullo in naturis nascentibus, & occidentibus temporum spatia, quæ tanquam syllaba ac verba ad particulas hujus sæculi pertinent, in hoc labentium rerum tanquam mirabili cantico vel breviùs, vel productiùs, quàm modulatio præcognita & præfinita deposcit, præterire permittit. Hoc cùm etiam de arboris folio dixerim, & de nostrorum numero capillorum, quantò magis de hominis ortu, & occasu, cujus temporalis vita breviùs, productiùsque non tenditur, quàm Deus dispositor temporum novit universitati moderaminis consonare.*

Vides quomodo possit Deus mortem vel propter peccatum, vel propter alias sui regiminis universalissimi causas, de potentia saltem absoluta inferre. Porrò meritò illud, quod libro de libero arbitrio dixerat, ex parte revocat, nimirum parvulos ob miserias in hac vita latas aliquâ ratione post mortem compensatum iri : hoc, inquam, solùm retractat, & variis rationum molitionibus ibi refellit ; quia nimirum non solùm non munerari, sed etiam damnari parvulorum sine baptismo decedentium animas, & *Sancta Scriptura, & sancta est testis Ecclesia.* Unde in illa epistola petit solùm à Hieronymo originem animarum, & quomodo si animæ singulis corporibus novæ creentur, justè damnari possint, supposito nimirum ordinario Dei cursu, qui nullam pœnam infligit, nec de potentia ordinaria infligere æternam potest sine prævio peccati merito. Per quod patet responsio ad auctoritatem ex libro sexto contra Iulianum petitam, quia ibi solùm ordinariæ Dei providentiæ per Scripturas nobis notæ cursum considerat, ut in probatione secundæ partis magis constabit.

Ratio fundamentalis hujus partis sumitur ex communissima gratiæ notione, quæ in sua essentiali ratione aliquid gratuitum gratis à Deo, liberaliterque concessum significat. Sane si Pelagii dogma ideo toti Ecclesiæ horrori, & indignationi fuit, quia gratiam voluit secundùm merita nostra dari, & eo ipso gratiam evacuavit, & exinanivit usque ad fundamentum in ea, quòd eam liberi arbitrii bono usui debitam esse pronuntiavit ; quantò magis gratiam omnem convellit, qui eam ita naturæ debitam esse pronuntiat, ut non possit eam Deus sine injustitia denegare ? Itáne non licebit Deo, quod voluerit facere ? Itáne poterit figulus luti aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facere ; Deus de potentia absoluta non poterit ? Absit, absurdum est, iniquum est, Deo & gratiæ essentiæ contrarium. At Deus injustus non est, dum denegat quod non debet : ergo etiamsi de potentia absoluta hominem sine gratia conderet, injustitiæ labem minimè contraheret. Ergo in quocumque statu creatura cùm serva sit, *nutu tantùm, & voluntate Patris ad supernaturalia elevatur*, ut *lib. 1. in Ioan.* loquitur Cyrill. Alexand. Ergo absolutè potuit Deus talem creare hominem, qualis nunc nascitur (peccato tantùm excepto) id est destitutum justitiâ originali, & gratiâ sanctificante ; subindeque naturæ humanæ exaltatio in consortium divinæ naturæ indebita fuit primo homini, nec naturalis dicenda est, sed supernaturalis, ut contra Michaëlem Baium S.Pius V. (à paucis diebus albo Sanctorum inscriptus) Gregorius XIII. & Urbanus VIII. pronuntiarunt. Ergo homo fit gratiâ filius, non naturâ ; non nativitate, sed assumptione, & adoptione, ut Patres omnes, & Theologi clamant. Ergo *gratia Dei magna ibi erat, ubi terrenum, & animale corpus bestialem libidinem non habebat ; & posse non mori præstabatur Adamo de ligno vitæ, non de constitutione naturæ ; mortalisque homo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris*, ut totidem verbis *lib. 4. cont. Iul. cap. 17. & lib. 2. de Genesi ad lit. cap. 15.* affirmat Augustinus. Quis autem credat, Deum ita in conferendis suis beneficiis alligari, ut liber non sit, & ea non possit supremus Dominus denegare.

Status naturæ puræ non est conveniens, nec de potentia ordinaria possibilis.

Hanc secundam nostræ speculationis partem probant variæ Augustini & Doctoris Angelici rationes, quæ quia præclaræ sunt, ad variasque Theologiæ materias illustrandas idoneæ, aliqua eas accuratione expendemus.

Prima

Prima ratio sic formatur: Non est conveniens ut homo ita in statu producatur, in quo suam perfectam beatitudinem, quam naturaliter appetit, obtinere non posset, aliàs frustra beatitudinis appetitum hominibus Deus inseruisset, si illam acquirere nunquam possent: non est autem conveniens, vel consueto providentiæ & potentiæ Dei ordinariæ cursui consentaneum, ut naturalis appetitus sit perpetuò inanis, & in perpetuo violentiæ statu constitutus. Atqui in statu naturæ puræ homo beatitudinem suam perfectam, quam naturaliter concupiscit, assequi non posset; talis namque beatitudo in clara Dei visione sita est, ut *libro 5. dissert. 5. c. 1. specul. 2.* duplici ratione D. Thomæ demonstravimus, ad quam utique visionem status naturæ puræ pervenire nequaquam posset, cùm status ille omnem gratiam, & à fortiori visionem beatam, quæ est gratia consummata, excludat: ergo status naturæ puræ non est conveniens, nec possibilis de potentia Dei ordinata. Major est per se nota, cùm potentia Dei ordinata omnia ad suos fines proportionatis mediis veluti manuducat. Minor verò probatur à D. Thoma: tum quia solus Deus clarè visus est optimum hominis bonum, cujus & homo capax est, & quod amittere invitus non potest: tum quia insitum est homini Dei videndi desiderium, quod frustraneum esse non potest, quia illud nobis indidit sapientissimus conditor, & justissimus ordinator, ut ait August. *lib. 19. de civit. cap. 13.*

Hanc duplicem rationem Angelici Doctoris ex Augustino depromptam illustravimus, & ab instantiis modernorum nonnullorum etiam Thomistarum, nimis hac in parte molinizantium vindicavimus. Sed quia tam fœcunda materies exhauriri nunquam valet, pauca tum ad doctrinæ ibi à nobis traditæ defensionem, tum ad totius hujus difficultatis lucem non parum conferentia adjiciam. Sciendum ergo, beatitudinem, seu bonum, quod naturaliter omnes appetunt, & propter quod omnia appetunt, in illo duntaxat bono esse sitam, ex cujus assequutione fit homo beatus; cùm illam non appetat, nisi ut beatus fit: bonum autem, ex cujus assequutione, & fruitione homo beatus efficitur, non est nisi Deus clarè, & intuitivè videndus, *quia tam magnum bonum est creatura rationalis*, inquit D. Augustinus *lib. de nat. boni, cap. 7.* ut *nullum sit bonum, quo beata sit, nisi Deus.* Ergo solus Deus clarè visus est unum, & verum hominis bonum, ad quod tamen in statu naturæ puræ nunquam perveniret.

Sciendum rursus, appetitum naturalem, utpote à Deo insitum, ordinatum esse; nam quæ à Deo sunt, ordinata sunt, & omnia in numero, pondere, & mensura fecit Deus, attingens à fine ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. Ergo etiam appetitus beatitudinis, quem S. Thomas post Augustinum millies naturalem appellat, ordinatus etiam est: atqui esset inordinatus, si ad Deum, ut in se est, possidendum non inclinaret; vel si bonum in communi, vel aliquid aliud appeteret extra Deum; tunc enim contingit perversitas dilectionis, cùm homo aut diligit quod non est diligendum, aut non diligit quod est diligendum, aut ampliùs diligit quod minùs est diligendum, aut æquè diligit quod vel minùs, vel ampliùs diligendum est, aut minùs, vel ampliùs, quod æquè diligendum est, ut prosequitur August. *lib. 1. de doctr. Christ. c. 27.* Ut ergo appetitus naturalis beatitudinis sit ordinatus, ad Deum, ut in se est, inclinet necesse est; neque enim ad aliquid aliud Deus referendus est, quoniam quod ad aliud refertur, inferius eo est, ad quod refertur, ut ratiocinatur Idem Augustinus *lib. 83. qq. quæst. 50.* Ergo in statu naturæ puræ appetitus Deum semper quæreret, & nunquam inveniret, subindeque in perpetuo statu violento permaneret.

Sciendum tertiò, omnem inquieti animi affectionem, & mœrorem proficisci ex amore alicujus boni, quo privatur; quia ut frequenter inculcat Augustinus, non esset in carendo difficultas, nisi esset rei, quâ caremus, habendæ cupiditas. *Quidquid enim amamus, & non habemus*, inquit in Psalm. 37. *necesse est ut doleamus.* Atqui creatura intellectualis quousque Deo bono suo clarè viso perfruatur, inquieta est, & misera, ut experientiâ & intimo naturæ sensu nullis peccatis non immerso ignorato compertum est. Unde præclaræ illæ, & tritæ Augustini voces *lib. 1. confess. cap. 1. & lib. 6. cap. 16.* sic: *Fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset, se aliquid melius habituram. Versa, & reversa in tergum, & in latera, & ventrem; dura sunt omnia, & tu solus requies. Cum anima Deo delectatur*, addit epist. 109. cap. 10. *ibi veram, certam, æternam invenit requiem, quam in aliis quærebat, nec inveniebat.* Ergo status naturæ puræ foret status perpetuæ inquietudinis, & miseriæ, qui utique status conveniens non est, nec de potentia Dei ordinaria, nisi præsuppositâ culpâ, possibilis.

Hanc doctrinam 1. *part. quæst.* 12. à se traditam luculenter confirmat Præceptor Angelicus *lib. 3. cont. Gent. cap. 6.* sex egregiis rationibus, ut omnibus constaret, hanc esse suam mentem, non obiter vel per transennam, sed fusè, & ex professo traditam, & inculcatam. Prima ejus ratio sic procedit: Omne quod est imperfectum in aliqua specie, desiderat consequi perfectionem illius speciei; qui enim habet opinionem de re aliqua, quæ imperfecta illius rei est notitia, ex hoc ipso incitatur ad desiderandam illius rei scientiam: at cognitio, quam de Deo habent creaturæ intellectuales non cognoscentes substantiam ejus, imperfecta est: ergo in ea non quiescit desiderium creaturæ intellectualis, *sed incitatur magis ad divinam substantiam videndam.* Secundam rationem petit ex eo, quod ex cognitione effectuum incitatur desiderium ad cognoscendam causam; nec desiderium eorum quiescit, nisi cognitis effectuum substantiis, *ipsam etiam Dei substantiam videant.* Tertia ratio est confirmatio præcedentis, quia nimirum videntes naturaliter quia est aliquid, scire desiderant quid est ipsum; quod est intelligere ejus substantiam. *Non igitur quietatur naturale desiderium in cognitione Dei, quâ scitur de ipso solùm quia est.* Quartam rationem deducit ex vastitate, & universitate intellectus nostri, cujus desiderium nihil finitum quietare potest: *Quod exinde ostenditur, quod intellectus quilibet infinito dato, aliquid ultra molitur apprehendere; non igitur intellectus substantia separata quiescit per hoc, quod cognoscit substantias creatas quantumcunque eminentes, sed adhuc naturali desiderio tendit ad intelligendam substantiam, quæ est altitudinis infinitæ.* Quinta ratio est, quia intellectus, sicut appetit scientiam, ita desiderat pellere nescientiam: ergo cùm cognoscat Deum esse supra omne, quod à se per species cognoscitur, cognoscit etiam substantiam Dei esse sibi ignotam. *Tendit igitur naturale ipsorum desiderium ad intelligendam divinam substantiam.* Ultimam rationem desumit ex eo, quod quantò aliquid est fini propinquius, eo majori desiderio tendit ad finem: unde videmus, quod motus naturalis corporum in fine intenditur: intellectus autem substantiarum separatarum propinquiores sunt divinæ cognitioni, quàm noster intellectus: intensiùs igitur desiderant Dei cognitionem, quàm nos: *Nos autem*

quantum

quantumcunque sciamus Deum, non quiescimus desiderio, sed adhuc desideramus Deum per essentiam cognoscere: multò igitur magis substantiæ separatæ hoc naturaliter desiderant. Et *cap.51.* sic concludit: *Cùm impossibile sit naturale desiderium esse inane, necesse est dicere, quod possibile est substantiam Dei videri per intellectum, & à substantiis intellectualibus separatis, & animabus nostris.* In statu autem naturæ puræ tale desiderium esset inane, utpote nunquam explebile. Ergo status ille non est de potentia Dei ordinata possibilis.

Mirum est quot subterfugiis tam aperta Angelici nostri Doctoris sententia, tot rationum longè præstantissimarum momentis stabilita eludatur. Alii volunt hoc statutum à D. Thoma animi nostri desiderium revelationem affectuum gratiæ, & gloriæ supponere. Sed hæc responsio repugnat textui, cùm S. Doctor affirmet, substantias separatas ad Dei substantiam videndam incitari cognitione, quam habent de Deo per suas essentias, & per illos effectus, ex quibus homines philosophari cœperunt. Maximè quia S.Doctor probat Gentilibus, desiderium illud omnibus omninò inesse hominibus. Manifestum est autem, non omni intellectui innotescere effectus gratiæ, & gloriæ. Alii volunt S.Doctorem velle intellectum naturaliter appetere videre Deum, ut est prima causa, non prout est summum bonum. Sed hæc etiam distinctio repugnat literæ S. Thomæ, qui ideo vult creaturam appetere videre substantiam primæ causæ, ut in ea inveniat summum bonum; maximè quia intuitiva cognitio primæ causæ est beatitudo formalis, id est possessio, & assequutio summi boni, ut *lib.6.* demonstravimus. Ergo appetere videre substantiam primæ causæ, & appetere videre summum bonum, idem est.

Alii communiùs respondent, S. Doctorem velle, hominem appetere beatitudinem, & Dei visionem appetitu elicito, non quidem absoluto, & efficaci, sed inefficaci, & conditionato; si nimirum possibile esset creaturam Deum intuitivè videre. Sed hæc solutio nihilo magis textui & intento sancti Præceptoris congruit. Etenim S. Thomas toto illo cap.50. probat possibilitatem visionis ex illo appetitu; ex appetitu autem elicito inefficaci, & conditionato non concluditur possibilitas rei appetitæ, cùm hujusmodi appetitus sæpiùs in impossibilia feratur. Ergo illa responsio omnes S. Doctoris probationes enervat, & ad nihilum redigit.

Dices: D. Thomas pluribus aliis in locis docet, hominem quidem beatitudinem secundùm rationem communem beatitudinis appetere, non tamen secundùm rationem specialem, quantum ad id, in quo beatitudo consistit, quia sic non omnes cognoscunt beatitudinem, quia nesciunt cui rei communis ratio beatitudinis conveniat. Ita docet 1. 2. *q.* 5. *art.* 8. Idem repetit *in 4. dist.49. q.3.* his verbis: *Quamvis ex naturali inclinatione voluntas habeat, ut in beatitudinem feratur secundùm communem rationem, tamen quod feratur in beatitudinem talem vel talem, hoc non est ex inclinatione naturæ, sed per directionem rationis, quæ adinvenit in hoc, vel in illo summum bonum hominis constare.* Et apertiùs *q. 22. de verit.* sic habet: *Homini inditus est appetitus ultimi finis sui in communi, ut scilicet appetat naturaliter se esse completum in bonitate: sed in quo ista completio consistat, utrum in virtutibus, vel scientiis, vel delectabilibus, vel hujusmodi aliis, non est ei determinatum à natura. Quando ergo ex propria ratione adjutus divinâ gratiâ appetit aliquod speciale bonum ut suam beatitudinem, in quo verè sua beatitudo consistit, tunc meretur, non ex hoc, quod appetit beatitudinem, quam naturaliter appetit; sed ex hoc, quod appetit hoc speciale, quod non naturaliter appetit, ut visionem Dei, in qua tantùm secundùm rei veritatem sua beatitudo consistit.* Ergo in Deum in particulari non fertur naturaliter hominis appetitus, sed in solam beatitudinem in communi.

Respondeo hæc omnia facilè conciliari; cùm enim post S. Doctorem dicimus, hominem naturaliter appetere videre substantiam Dei, supponimus hominem vel per demonstrationem, vel alio quovis modò Dei notitiam assequutum fuisse; nihil enim juxta commune & certum axioma est volitum, quin præcognitum; supposita autem vera Dei cognitione, quam habent, vel habere possunt omnes homines, & quæ in substantiis separatis, de quibus specialiter disputat Angelicus Doctor locis à nobis memoratis, excellentior est, voluntas in illum videndum naturaliter, id est connaturaliter fertur; quia cùm summum bonum in quocumque tandem repertum necessariò appetat, supposita cognitione summum bonum in solo Deo reperiri persuadente, naturaliter voluntas Deum videre appetit, ut in eo illud inveniat, quod tantopere concupiscit.

His ad pleniorem lucem addi potest, quod cùm summi, & cumulati boni notione nihil aliud reverà præter ipsum Deum possit intelligi; hoc ipso quod voluntas fertur in summum bonum, convincitur etiam in actu exercito appetere possidere Deum, tametsi in actu signato & explicitè de Deo non cogitet intellectus. Quorum radix est, quia licèt ratio summi boni, & beatitudinis, quam naturaliter appetimus, non distinguatur realiter à Deo, distinguitur tamen secundùm rationis considerationem, ratione cujus distinctionis &c. in Deum naturaliter fertur voluntas, prout Deus est commune bonum; & à Deo recedit voluntas, dum extra illum bonum & ultimum finem quærit; imò & sibi contradicit, mentiturque iniquitas sibi, quia Deum extra Deum, sub diversa tamen rationis apprehensione quærit. Hanc peccatricis voluntatis contradictionem, & totam istam materiam, non tam Angelicè, quàm divinè explicat S.Thomas tum 1. 2. *q.5. art.8.* tum 1. *p.q.60. art.5.* Nam priori loco probaturus omnem hominem beatitudinem appetere, sibi secundo loco objiciens hoc argumentum, quod visionem Dei, in qua vera beatitudo sita est, non solùm omnes non appetunt, sed impossibilem esse aliqui opinantur, sic respondet: *Ad secundum dicendum, quod cùm voluntas sequatur apprehensionem intellectus, seu rationis, sicut contingit quod aliquid est idem secundùm rem, quod tamen est diversum secundùm rationis considerationem; ita contingit quod aliquid est idem secundùm rem, & tamen uno modo appetitur, alio modo non appetitur. Beatitudo ergo potest considerari sub ratione finalis boni & perfecti, quæ est communis ratio beatitudinis: & sic naturaliter, & ex necessitate voluntas in illud tendit, ut dictum est. Potest etiam considerari secundùm alias speciales considerationes, vel ex parte ipsius operationis, vel ex parte potentiæ operativæ, vel ex parte objecti; & sic non ex necessitate voluntas tendit in ipsam.* Posteriori verò loco in responsione ad 4. & 5. ait: *Quod Deus secundùm quod est universale bonum, à quo dependet omne bonum naturale, diligitur naturali dilectione ab unoquoque. Et cùm in Deo sit unum & idem ejus substantia, & bonum commune, omnes qui vident ipsam Dei essentiam, eodem motu dilectionis moventur in ipsam Dei essentiam, prout est ab aliis distincta, & secundùm quod est quoddam bonum commune. Et quia in quantum est bonum commune naturaliter amatur ab omnibus, quicumque videt eam per essentiam, impossibile est, quin diligat ipsum. Sed illi, qui non vident essentiam ejus, cognoscunt illum per aliquos particulares effectus, qui interdum voluntati*

eorum

eorum contrariantur; & sic dicuntur hoc modo odio habere Deum, cùm in quantum est bonum commune omnium, unumquodque naturaliter plus diligat Deum, quàm seipsum.

Vides igitur, Deum, ejusque visionem, & possessionem sub ratione communi beatitudinis ab omnibus naturaliter appeti, etiam ab odio habentibus Deum, & ab ipsis quoque Deum ignorantibus, & negantibus; quia amare bonum perfectum & beatitudinem, est amare id quod reverà Deus est, licèt in Deo non apprehendatur. Verè ergo dixit D.Thomas, homines non appetere naturaliter specialem rationem beatitudinis, sed communem, quia eam ratio à Deo distinguit. Sic etiam nos aliàs diximus, Angelicam voluntatem necessariò quidem, & actu amare beatitudinem, & à natura etiam inclinari ad Deum amandum; malitiâ tamen beatitudinem à Deo præscindere, subindeque amorem Dei, ut Deus est, esse in Angelis liberum quoad exercitium, & non manere in dæmonibus, qui universale bonum amantes, falsò illum extra Deum quærunt, quia ut docet D. Thomas 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 1. ad 2. *illa quæ pertinent ad motum, vel quæ sequuntur motum, non semper insunt;* sed solùm quando sunt in certa dispositione, & nullum adest impedimentum. Et idem dicendum est de impiis, & Atheis, quod eleganter expressit Boëtius lib.3. consol. prosa 2. *Hominum animus, etsi caligante memoria, tamen summum bonum repetit, sed velut ebrius domum quo tramite revertatur ignorat.* In quantum appetunt summum bonum mali, non errant, imò Deum ipsum tacitè amant, juxta illud Augustini lib.1. solil. cap.1. *Deus, quem amat omne quod amare potest, sive sciens, sive nesciens.* Sed in quantum nefanda præcisione summum bonum in Deo non ponunt, errant, & Deum odio habent. Unde mira est in peccatoribus pugna; nam summum bonum, qui solus Deus est, volunt, & omninò nolle non possunt, nescio qua, sed bona constrictione naturæ, ut ait Augustinus; & tamen summum bonum deserunt, dum à Deo recedunt, dum viles creaturas diligunt sicut diligendus est Deus, id est *amore fervente, & permansorio*, ut loquitur Augustinus, quo nimirum in creatura permanent, sicut esset in solo Deo permanendum. Unde & beatitudinem volunt, & beatitudinem nolunt, quia beatam vitam appetunt, & eam ubi invenitur, non quærunt: unde nihil mirum si non adipiscuntur quod volunt, id est beatam vitam; id enim, cui comes est, & sine quo eâ nemo dignus est, nemoque assequitur, rectè scilicet vivere, non ibidem volunt. Unde etiam errant impii, & non errant; in quantum appetunt beatam vitam, non errant: in quantum verò eam non tenent vitæ viam, quæ ad beatitudinem ducit, profectò errant. *Error enim est cùm sequimur aliquid, quod non ad id ducit, quò volumus pervenire*, inquit Augustinus *de liber. arb. cap.*9.

Alia naturæ puræ inconvenientia.

Secunda ratio ad probandum, statum naturæ puræ non esse convenientem, talis est: In statu naturæ puræ homo miseriis, pœnis, & ærumnis, atque etiam morti subjaceret, imò & secundùm omnes ferè recentiores, excepto Estio, & Herrera, pugnam concupiscentiæ cum ratione sentiret: at hic status non est conveniens, nec de potentia Dei ordinata possibilis; quia ut suprà, dum de effectibus peccati, fusè ostendimus, enumeratæ miseriæ sunt unius peccati effectus, & sub justo Deo secundùm solitum agendi modum, & suavem providentiæ ordinariæ cursum operante, nemo innocens miser esse potest, præsertim miseriâ perpetuâ, & quæ non ordinatur ad obtinendum finem supernaturalem, qui in statu naturæ puræ nullus esset. Ergo status ille non est conveniens, nec de potentia Dei ordinata possibilis. Plura ad locupletandam illam rationem addi possent, nisi ea loco citato de effectibus peccatorum fusè occupassemus.

Dices: Si hæc ratio aliquid probaret, concluderet etiam creaturam intellectualem non posse de potentia ordinaria creari sine visione intuitiva, & possessione ipsius Dei, cùm creatura intellectualis miser sit, si Deo, ad quem naturaliter ordinatur, non fruatur. Et tamen Angeli in via absque Dei visione creati sunt: Ergo ratio illa nihil evincit.

Respondeo, quod si creatura intellectualis eo in statu produceretur, in quo nunquam posset frui Deo, miser perfectò esset, & æternùm miserabilis; ac proinde ille status de potentia Dei ordinata repugnat. Cæterùm quod per aliquod instans, vel tempus creatura intellectualis Deo non fruatur, ut ad illum obtinendum possit meritis pervenire, non solùm non repugnat, sed maximè conveniens est. Et ratio inconcussa hujus veritatis est, quia licèt Deus, ut in se est visus, sit finis noster naturalis, non est tamen ejus consequutio, & adeptio naturalis, sed eminentia illius per t ut ipsum non nisi auxilio gratiæ, & meritis supernaturalibus assequamur. Vide M.Sot. *in* 4.*dist.*49. *art.* 1. *concl.* 1. ubi postquam probavit homini inesse naturalem appetitum ad illam veram beatitudinem, quæ in Dei visione consistit, quia nemo est mortalium cujuscumque religionis, aut sectæ, qui interrogatus, an cupiat Deum videre, non respondeat, se id percupere; ait tamen, quod consequutio illius finis non est nobis naturalis, quia aliud est habere inclinationem, aliud habere vim videndi Deum. *Nos autem concedimus*, verba sunt ejus, *naturam nostram adeò esse sublimem, ut ad illum finem naturaliter inclinetur, quem non nisi per auxilium Dei* (& similiter per merita ex auxilio provenientia) *assequi possumus.* Illum autem in statu naturæ puræ nunquam homo assequeretur.

Tertia ratio ostendens, statum naturæ puræ non esse convenientem, sic procedit. Non est de potentia ordinata possibilis ille status, in quo non esset possibilis post mortem resurrectio mortuorum, ut peregregiis rationibus demonstrat S. Doctor *lib.* 4. *contra Gent. cap.*79. tum quia animæ hominum sunt immortales, remanentque post corpora à corporibus absolutæ: manifestum est verò, quod anima corpori naturaliter unitur, cùm sit secundùm suam essentiam corporis forma: *Est igitur contra naturam animæ absque corpore esse; nihil autem, quod est contra naturam, potest esse perpetuum: non igitur perpetuò erit anima absque corpore.* Tum quia naturale hominis desiderium ad felicitatem tendit: sed hanc non potest consequi anima, nisi iteratò corpori conjungatur, *quia felicitas ultima est felicis perfectio; cuicumque igitur deest aliquid ad perfectionem, nondum habet felicitatem perfectam, quia nondum ejus desiderium totaliter quietatur; omne enim imperfectum perfectionem consequi naturaliter cupit: anima autem à corpore separata est aliquo modo imperfecta, sicut omnis pars extra suum totum existens: non igitur homo potest ultimam felicitatem consequi, nisi anima iteratò corpori conjungatur.* Tum demùm, quia juxta potentiæ Dei ordinatæ, ejusque providentiæ leges, peccantibus pœna, benè agentibus præmium debetur, non solùm secundùm animam, sed etiam secundùm corpus; cùm homines non solùm anima, sed etiam corpore benè, vel malè agant: *Igitur est ponere iteratam animæ ad corpus conjunctionem, ut homo in corpore, & anima præmiari, & puniri possit.* Unde quod aliqui, quos sequitur Gonetos,

dicunt

dicunt ſtatum ſeparationis eſſe connaturalem animæ, ſicut ſtatum unionis, S. Thomæ verbis, & rationibus apertiſſimè repugnat.

Atqui in ſtatu naturæ puræ non eſſet poſſibilis reſurrectio mortuorum, utpote cùm ſit ſupernaturalis, excedens omnes vires naturæ, in qua à privatione ad habitum non datur regreſſus: ſtatus autem naturæ puræ omnia ſupernaturalia excludit. Tum quia ſi tunc contingeret reſurrectio, vel eſſet reditus ad ſtatum naturæ puræ, vel tranſitus ad naturam integram. Si primum, non tam eſſet reſurrectio, quàm novæ mortis inchoatio, & miſera imitatio phœnicis è ſuo tumulo reſurgentis, iterum perituri. Si ſecundum: ergo ille ſtatus haberet ſaltem in termino aliquid ſupernaturale, ſubindeque deſtrueretur ſtatus naturæ puræ, ſeu nudæ, quod intendimus. Ergo ſtatus naturæ puræ non eſt de potentia Dei ordinata poſſibilis.

Quarta ratio: Ille ſtatus non eſt conveniens, nec de potentia Dei poſſibilis, in quo homo beatitudinem aſſequi non poſſet, cùm ad eam obtinendam totus naturæ impetus tendat, ut innumeris rationibus confirmat S. Thomas. Atqui in ſtatu naturæ puræ non poſſet homo eſſe beatus; tum quia beatitudo miſeriam, deceptionem, difficultatem, peccatumque excludit, quæ omnia naturæ puræ ſtatus compateretur. Tum quia in illo ſtatu iis miſeriis eſſet homo obnoxius, ſub quibus nos gemimus. At Angelicus Doctor fortiſſimis rationibus à nobis libro de Deo ultimo fine ponderatis demonſtrat, nullatenus in hac vita poſſe felicitatem obtineri. Ergo ſtatus ille non ſolùm non eſt de potentia Dei ordinata poſſibilis, ſed illi potentiæ planè repugnans.

Denique, omiſſis aliis rationibus, ultimam piis hominibus non ingratiorem futuram rationem ſic formo. Ille ſtatus non eſt conveniens, nec de potentia Dei ordinaria poſſibilis, in quo Deum non poſſet homo diligere ſuper omnia; vita enim ſine amore Dei, mors eſt & infernus; miſeria quippe miſeriarum eſt non amare Deum: unde, ut aliàs, ſi benè memini, ex Anſelmo diximus, ſatius eſſet in inferno cum amore Dei commorari, quàm in paradiſo ſine amore Dei. Miſerrimus namque eſſet ille ſtatus, in quo non poſſemus Deum vera religione colere. At Deus, teſte Auguſtino epiſt. 120. *Non colitur niſi amando.* Tum quia Deum amandum eſſe, *clamat intus innata, & non ignota rationi juſtitia, cui nos totos eſſe, & cui totum debere non ignoramus*, ut ait D. Bernardus *lib. de dilig. Deo.* Unde ſtatus, in quo homo non poteſt diligere Deum, rectæ naturæ juxta providentiam Dei ordinariam conſtitutæ planè repugnat. Atqui in ſtatu naturæ puræ, qualem adverſarii poſſibilem de potentia ordinata comminiſcuntur, homo nec Deum efficaciter ſuper omnia diligere, nec alia peccata mortalia vitare, nec præcepta legis implere, nec graves tentationes ſuperare ſine gratiæ ſupernaturalis adjutorio ſtatui illi indebito, imò & ſtatus illius deſtructivo poſſet; quia ſecundùm quod impugnamus adverſarios, eædem forent in ſtatu naturæ puræ vires, quæ ſunt in ſtatu naturæ lapſæ, in quo utique ſine gratia ſupernaturali præfata officia implere nequaquam poſſumus. Ergo ſtatus naturæ puræ nec eſt conveniens, nec de potentia Dei ordinata poſſibilis. Unde patet, quod ſi Anſelmo data fuiſſet optio, potiùs infernum ſine culpa, quàm ſtatum naturæ puræ culpæ obnoxium elegiſſet.

Quidquid contra hanc ſecundam partem objiciunt recentiores, & poſt ipſos Antijanſenius, Gonet, & alii, probat ſolùm priorem partem ſpeculationis, nimirum ſtatum naturæ puræ eſſe de potentia Dei abſoluta poſſibilem, ſicut eadem potentiâ poteſt Deus corpus grave ſurſum, leve deorſum retinere; ſicut auxilium ſufficiens poteſt de potentia abſoluta denegare, & gratiam Sanctis gratis datam abſolutè ſubtrahere; quia ſupremus Dominus & omnia poteſt, & multis rationibus juſtiſſimis, tametſi nobis latentibus, poteſt; quæ tamen juxta potentiam ordinatam nobis in Scripturis, & Patribus ſignificatam non poteſt. Porrò, quod homines in ſtatu quovis ſint naturâ, & adoptione tantùm filii, ad hæreditatem ex dignatione vocati; quod dona ſupernaturalia recipiantur ſolùm in potentia obedientiali creaturæ; quod gratia gratis detur, & nullum ſupponat debitum, & alia ſimilia, probant ſolùm ſtatum naturæ puræ non involvere contradictionem; non verò poſſe à Deo produci potentiâ juxta ſolitas juſtitiæ, bonitatis & ſapientiæ leges ordinatâ.

REFLEXIO.

Ideo potiſſimùm naturæ puræ ſtatum de potentia ordinaria repugnantem diximus, quia in illo Deum diligere, Deo adhærere creatura rationalis, imago Dei, ad Deum facta, æternitatis candidata minimè poſſet. Ergo ad illam nuditatem dejicitur, multumque deprimitur, qui perpetuis cogitationis, & affectus motibus in Deum non fertur, illique non inhiat, cui adhærere bonum, cui ſervire regale, cui uniri beatum eſt. Sed quàm deploranda ſit eorum cæcitas, qui ut beati ſint, à Deo, qui ſolus bonus eſt, & bonum noſtrum, recedunt, nemo non videt. *Fornicatur anima cùm avertitur abs te*, inquit Auguſtinus lib. 2. confeſſ. cap. 6. Deum alloquens, *& quærit extra te ea, quæ liquida, & pura non invenit, niſi cùm redit ad te.* Væ nobis miſeris, qui temporalium rerum amore detinemur, qui tanquam prima extrema ſectamur, diligentes vanitatem, quærentes mendacium, proſequentes umbras, & inſanias falſas; qui denique beatam vitam quærimus, ſed ibi non eſt ubi quærimus, nec ad illam per ea quæ quærimus, pervenimus, juxta illud Auguſtini ſerm. 141. de tempore: *Bonam rem quæris, ſed terra iſta non eſt regio ejus, quam quæris. Quid quæris? Beatam vitam, ſed non eſt hîc.* Igitur in hoc ſtatu, quandiu peregrinamur à Domino, & Deum ex parte cognoſcimus, toto illum amore diligamus, qui ſine aliquo amore nec eſſe, nec vivere poſſumus; quia ut *lib. de ſubſt. dilectionis*, Auguſtinus, vel alius quiſpiam ait: *Vita cordis amor eſt, & idcirco omninò impoſſibile eſt, ut ſine amore ſit cor, quod vivere cupit.* Unde & Fulgentius lib. 1. ad Monim. *Voluntas creaturæ*, inquit, *ſine qualicumque amore non poteſt eſſe, nec ſic poteſt diligere ut amorem ſuum non velit ad aliquid religare.*

Sed in Deum feramur propter Deum, ut amor noſter ſit purus, & caſtus, non perverſus, atque diſtortus. Unde Auguſt. *lib. 6. muſica, cap. 11.* ait: *Non inhæreamus inferioribus quàm nos ſumus, noſque ipſos inter illa, quæ infra nos ſunt; & illa, quæ ſupra nos ſunt, ita Deo & Domino noſtro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, ſolis autem ſuperioribus delectemur. Tanto enim nobis melius eſt*, addit epiſt. 52. *quanto magis in illum imus, quo nihil melius eſt: imus autem non ambulando, ſed amando. Ad eum ergo, qui ubique præſens eſt, & ubique totus, non pedibus ire licet, ſed moribus.*

Speculatio III.

Homo in statu naturæ lapsæ longè est debilior ad bonum morale operandum, longéque pronior ad malum perpetrandum, quàm fuisset in statu naturæ puræ.

QUanvis juxta sententiam superiori speculatione stabilitam status naturæ puræ non sit de potentia ordinaria possibilis; quia tamen non est absolutè impossibilis, ideo in præsenti comparamus vires illius status cum viribus hominis lapsi, ut magis deinde divinæ gratiæ necessitas his præjactis fundamentis demonstretur. Porrò nostram sententiam asserentem, minores esse vires hominis lapsi, & peccato fordidati, non solùm docent Alvares, & Lemos in manuscriptis de gratia; sed ita verum esse pronuntiant, ut naturæ per peccatum in naturalibus vulneratæ infirmitas fundamentum unum, & basis una sit, cui tota Augustini de gratia medicinali doctrina superstructa sit, quæ proinde convulso illo fundamento, concidat necesse est.

Hanc autem nostram sententiam graphicè nobis repræsentat Veritas in illa parabola hominis descendentis à Jerusalem in Jericô, qui ut habetur *Luc.* 10. incidens in latrones, non solùm spoliatus fuit, sed & plagis impositis vulneratus, semivivusque relictus. Per quem hominem intelligunt Patres Adamum è paradiso per culpam descendentem, & in dæmones (qui meritò latrones dicuntur, tùm animas Deo mille titulis debitas furentur, & suo dominio iniquissimè subjiciant) incidentem, quo funestissimo lapsu, & gratuitis spoliatum, & in naturalibus sauciatum, collisum, confractum, & graviter vulneratum affirmant Patres; ideoque & homo lapsus semivivus dicitur, quia libertas, tametsi non sit per peccatum extincta, adeo tamen est debilitata, ut ad benè operandum parum, vel nihil valeat, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Hine est, quod universa Sanctorum vox naturæ humanæ ad benè operandum difficultatem, & infirmitatem deplorat, à Deoque sanari illam orat, quia propriâ experientiâ convicta sentit omne caput esse languidum, omne cor mœrens, à planta pedis usque ad verticem non esse sanitatem, sed vulnus, sed livurem, sed plagam tumentem. Unde clamat cum Propheta *Psalm.* 40. *Sana animam meam, quia peccavi tibi.* Id autem non orarent Sancti, nisi se vulneratos esse sentirent. *Quid sanatur si nihil est vulneratum, nihil sanciatum, nihil debilitatum, atque vitiatum?* inquit Augustinus in illum Psalmum, cui affine est illud Salvatoris Matth. 9. *Non est opus valentibus medico, sed malè habentibus; non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Hinc Chrysost. *hom.* 30. *ad Popul. Antioch.* comparat peccatorem infirmo, qui non tantùm molestos febris æstus perpetitur, sed etiam sanatus debilior permanet, & imbecillior. Hinc Concilium Arausicanum II. *can.* 1. sic pronuntiat: *Si quis per offensam prævaricationis Adæ non totum, id est secundùm corpus, & animam, in deterius dicit hominem commutatum, sed anima libertate illæsa durante, corpus tantummodò corruptioni credit obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ dicenti Ezech.* 18. *Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Et Rom.* 6. *Nescitis quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ejus, cui obeditis. Et* 2. *Pet.* 2. *A quo quis superatur, ejus & servus efficitur.* Hinc denique Tridentinum *sess.* 5. *de peccato originali*, affirmat & definit, primum hominem transgressione mandati Dei nedum sanctitatem, & justitiam amisisse, incurrisseque per offensam hujusmodi iram, & indignationem Dei; sed etiam *totum Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus & animam in deterius commutatum fuisse.*

Ratio verò hujus doctrinæ multiplex afferri potest. Et primò, suppositâ nostra sententiâ, dum de effectibus peccatorum stabilitâ, quâ monstravimus, in statu naturæ puræ non futuram concupiscentiæ cum ratione pugnam, seu rebellionem, res decisa manet. Cùm enim constet, hac internâ hominis pugnâ vires voluntaris non parùm imminui, tum quia omne agens agendo repatitur, pugnando fatigatur; tum quia ob intimam facultatum sympathiam, & colligationem, voluntatem secum rapit concupiscibilis libido; voluntatem verò tædio afficit irascibilis difficultas: ergo si in statu naturæ puræ nulla esset partis inferioris cum superiore inordinata lucta, quia ut ex D. Thoma aliàs vidimus, talis rebellio est contra naturam, manifestum est, minores esse hujus status, in quo illud viget quotidianum certamen, vires ad benè moraliter operandum, quàm fuissent in statu naturæ puræ. Atqui illam concupiscentiæ pugnam, seu legem carnis legi mentis repugnantem, & captivantem nos sub lege peccati, non experietur homo in statu naturæ puræ, ut alibi demonstratum supponimus. Ergo in misero naturæ lapsæ statu minores sunt ad bene moraliter, & honestè operandum vires, quàm fuissent in statu naturæ puræ.

Secunda ratio ab hoc principio independens, & in adversariorum sententia convincens, est hujusmodi: Homo in statu naturæ lapsæ est aversus à Deo ultimo fine, non solùm supernaturali, sed etiam naturali; cùm enim Adamus peccato suo nedum legem supernaturalem, sed etiam naturalem violaverit, consequenter totam suam progeniem à Deo authore naturali avertit, quam quidem aversionem nun haberet homo in statu naturæ puræ, cùm in eo nullum esset peccatum. Atqui ille, qui ab ultimo fine est aversus, minores habet ad benè moraliter operandum vires, quàm ille, qui non est aversus, quia efficacia, & vires voluntatis ad tendendum in media sumuntur ex amore, & conversione ad finem, qui se habet in agibilibus sicut primum principium in speculabilibus: patet verò, eum qui caret fixo principiorum assensu, & multò magis qui circa principia errando à veritate aversus est, minùs esse habilem, minoresque habere vires ad conclusiones ex principiis derivandas. Ergo similiter homo lapsus, qui ab ultimo totius humanæ vitæ fine Deo aversus est, minores habet ad bene operandum vires, quàm habuisset in statu naturæ puræ, in quo nulla fuisset ab ultimo fine aversio.

Nec satisfacit responsio adversariorum aientium, hominem in statu naturæ lapsæ non esse aversum à Deo aversione positivâ, sed privativâ illius conversionis, non quæ esset in statu naturæ puræ, sed quæ esset in statu justitiæ originalis. Non, inquam, satisfacit, quia aversio à Deo, quæ est in statu naturæ lapsæ, etsi sit primariò privatio conversionis ad Deum ut authorem supernaturalem, à justitia originali causatæ; est tamen secundariò, & indirectè privatio conversionis ad Deum ut authorem naturalem, quem offendimus etiam dum præcepta supernaturalia violamus; indè omnia omninò peccata sunt contra naturam rationalem; quæ quidem privatio non esset in statu naturæ puræ, in quo cùm nullum esset peccatum, nulla esset à Deo aversio, nulla ordinis ad ultimum finem privatio: ergo cùm vires morales voluntatis desumantur à fine, minores sunt vires status naturæ lapsæ

lapsæ, in quo homo à fine naturali aversus est, & ordine ad illum privatus.

Confirmatur efficaciùs : Etsi homo in statu naturæ puræ non esset positivè conversus ad Deum, tamen nullum haberet intrinsecum impedimentum, ratione cujus conversio ad Deum ut authorem naturalem esset sibi ex vi sui status impossibilis, sed potiùs posset vel cum concursu generali, vel speciali auxilio statui illi attemperato in Deum urgente præcepto se convertere, & in illum ut finem naturalem se, suaque omnia referre; quo utique finis præintenti amore non parum roboratur virtus voluntatis ad media honesta eligenda, quia intentio finis in mediorum electionem sponte sua diffunditur, & vigor electionis ex efficacia intentionis totus derivatur; nec qui vult ardenter, & efficaciter finem, media remissè, & tepidè quærit, sed ad ea potiùs necessitatur. Atqui in statu naturæ lapsæ homo habet intrinsecum impedimentum, quod propriis viribus auferre non potest, & quo durante non potest ad Deum ut authorem naturalem se convertere; nam habet peccatum originale, quod non est denominatio merè extrinseca, sed intrinseca macula, quæ non potest nisi per gratiam sanctificantem omnes naturæ vires possibiles excedentem abstergi; quâ durante maculâ non potest homo se ad Deum convertere, nec ex amore Dei ultimi finis se ad opera virtutis elicienda accingere. Ergo in statu naturæ lapsæ sunt minores vires ad benè moraliter operandum, quàm fuissent in statu naturæ puræ. Hanc rationem tangit D. Thomas *in 2. dist. 30. q. 1. art. 1. ad 3.* dicens : *Homo per peccatum factus est minus habilis, & magis distans à finis consequutione, & propter hoc etiam homo gratuitis spoliatus, dicitur in naturalibus vulneratus.*

Argumenta Suaris & Gonetl oppositum sententium, quibus hanc responsionem impugnant, probant solùm inclinationem naturalem hominis ad bonum honestum, non imminutam esse physicè, & quoad entitatem per peccatum, quod ultrò fatemur, cùm substantia animæ, ejusque facultates incorruptibiles sint; sed non probant, inclinationem illam non esse moraliter imminutam, appositione scilicet ingentis impedimenti, quod tota natura lapsa propriis viribus auferre nequit, quódve in natura pura non fuisset.

Tertia ratio nostræ assertionis sic formatur : In statu naturæ lapsæ actus amoris Dei, etiam ut authoris naturalis, superat omnes naturæ vires, ut concors Theologorum sententia fert, & infrà demonstravimus. Atqui in statu naturæ puræ potuisset homo cum solo concursu generali Deum saltem ut naturæ authorem super omnia diligere; tum quia ad Deum diligendum teneretur homo in statu naturæ puræ, nec ad impossibile teneretur; nec possibilitas illa à gratia obveniret, cùm ille status omnem gratiam excludat, & nemo jure naturali ad aliquid obligetur, quod naturaliter implere non possit, nisi perfectio naturalis corrupta sit, vel infirmata; natura autem pura sana esset. Tum quia ideò secundùm D. Thomam *quæst.* 109. t. 2. *artic.* 3. homo in statu naturæ lapsæ indiget gratiâ ad diligendum Deum, quia in hoc statu est per peccatum inclinatus ad bonum privatum, qui est ultimus finis peccatoris. At in statu naturæ puræ nulla esset culpa detorquens creaturam rationalem ad bonum privatum : ergo in statu naturæ puræ posset homo Deum tanquam ultimum finem suum diligere, & in illum omnia sua referre; nec ad hoc ullam sentiret repugnantiam, sed innatā propensionem, quæ cùm non esset frustra, posset in actum cum concursu Dei generali prorumpere, cùm actus primus in actum secundum sponte feratur, imò & vim patiatur, dum ne prorumpat, impeditur. Ergo

longè minores sunt in statu naturæ lapsæ vires ad bene moraliter operandum (directio enim Dei est principium totius vitæ moralis, & honestæ) quàm fuissent in statu naturæ puræ.

Ultima ratio talis est : Status naturæ lapsæ non est sine frequenti lapsu in peccata actualia; quia vel remittitur peccatū originale per gratiam, & tunc desinit status naturæ lapsæ, & est status naturæ reparatæ; vel non remittitur, & tunc necessariò supponitur peccatum actuale mortale, cùm homo usu rationis præditus teneatur se convertere in Deum; & si convertatur, justificatur, à peccatoque mundatur; si non convertatur, hoc ipso in peccatum mortale incurrit. Ergo per se status naturæ lapsæ infert peccatum actuale. Atqui per peccata actualia imminui vires liberi arbitrii ad bene moraliter operandum, fatentur ipsi adversarii, & probat S. Thomas *q. 85. art. 1.* quia *per actus malos fit quædam inclinatio ad similes actus. Et quia inclinatio ad bonum virtutis*, addit *art. 3. in unoquoque diminuitur per peccatum actuale, etiam ista sunt quatuor vulnera ex aliis peccatis consequentia, in quantum scilicet per peccatum & ratio hebetatur præcipuè in agendis, & voluntas induratur ad bonum, & major difficultas benè agendi accrescit, & concupiscentia magis exardescit.* Ergo statum naturæ puræ per se concomitantur minores vires. Nec dicas, minores illas vires procedere à peccatis actualibus; nam cùm status ille peccata actualia per se inferat in sui permanentia, quæ est de ratione status, permanentiam enim in natura lapsa innumera comitantur peccata actualia; consequens est, illi statui, ut status est, per se annexas esse minores vires : quod de statu naturæ puræ dici nequit, cùm in illo posset homo benè operari, nec esset à Deo aversus, nec in bonum proprium ultimò conversus. Uno verbo, non haberet impedimentum, & jugum grave peccati originalis, quod filiis Adam impositum est.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò, S. Thomas *q. 85. art. 1. & 3.* ponit discrimen inter peccatum originale, & actuale, quòd per originale privatur homo justitiâ originali, per actuale verò diminuitur inclinatio ad bonum rationis. Ergo in statu naturæ lapsæ non sunt minores vires ad benè moraliter operandum, quàm fuissent in statu naturæ puræ.

Respondeo in primis, falsum esse S. Doctorem discrimen illud ita statuere, sicut asserit arguens; quamvis enim D. Thomas doceat, ibi peccato originali auferri justitiam originalē, & peccato actuali diminui inclinationem ad bonum rationis; non ita tamen illa peccata comparat, ut affirmet unum effectum causari ab uno peccato cum exclusione alterius effectus; nam & peccatum actuale Adami non solùm diminuit inclinationem ad bonum, sed etiam privavit justitia originali; & similiter originale non solùm privat justitia, & integritate originali, sed etiam inclinationem ad bonum minuit hoc ipso, quod frænum, & habenas concupiscentiæ laxavit. Quamobrem S. Doctor primarium utriusque peccati effectum considerat; & verum est, quod originale, quà originale, privat justitia primigenia; actuale verò, quà actuale, per generationem pravi habitus, quem causat, minuere inclinationem rationis : quanvis utrumque peccatum, ut peccatum est & aversio à Deo, & justitiam originalem auferat, etiam actuale, si illam invenit, & inclinationem ad bonum minuat hoc ipso, quod ab ultimo fine avertit, unde sumuntur vires ad benè moraliter operandum.

His adde primò, S. Doctorem velle, peccato actuali minui vires passivè, & physicè, in generatione minimum novi habitus; quia, inquit, *actus humanus fit quædam inclinatio ad similes actus*; quod per peccatum originale, secundùm communiorem sententiam non fit: cum quo stat, peccato originali imminui vires moraliter, appositione nimirum gravis impedimenti moralis, aversione nimirum ab ultimo fine, ex cujus intensione tota electionis efficacia promanat. Unde in nostra sententia stat discrimen illud inter peccatum originale, & actuale à D. Thoma insinuatum. Adde secundò, quod cùm status naturæ lapsæ, & peccato originali inquinatæ, non sit status, id est, diu non duret, nisi innumeris peccatis actualibus sordescat, hoc ipso, quod adversarii cum D. Thoma fatentur, hominem in statu peccati actualis minorem propensionem, majoremque habere difficultatem ad bonum honestum; consequenter fateantur necesse est, statum naturæ lapsæ minoribus instrui ad benè agendum viribus, quàm instructus fuisset status naturæ puræ.

Objicies secundò: Ex removente prohibens non sequitur major aut minor effectus naturalis, quàm ex natura ipsa sequatur; sicut lapis remoto prohibente non velociùs movetur, quàm si fuisset à propria duntaxat gravitate permotus. Atqui peccatum originale se habet solùm ut removens prohibens in ordine ad motus inordinatos voluntatis, vel appetitus, quatenus abstulit justitiam originalem, quæ erat velut frænum, & retinaculum potentiarum inordinatos motus compescens. Ergo ex peccato originali nulla consequuta est ad benè moraliter operandum debilitas.

Respondeo in primis, argumentum istud in nostra sententia cum Estio, & Herrera contendente, hominem in statu naturæ puræ nullam perpessurum appetitus rebellionem, omni prorsus carere vi, ut patet. Cæterùm abstrahendo ab illa sententia, dicendum est, peccatum originale non solùm removere justitiam originalem, sed etiam apponere impedimentum morale, quod non esset in statu naturæ puræ; quia per illud avertimur à Deo, etiam ut authore naturali: quod esse grande impedimentum fatetur ipse Gonetus *disp. 1. de necessitate gratiæ, art. 4. §. 5.* ubi expressè ait, quod licèt in peccato originali non sit positiva conversio ad creaturam, bene tamen ei inest privativa aversio à Deo, etiam ut authore naturæ: quæ aversio non potest non esse maximum dilectionis Dei ut authoris naturæ impedimentum: quæ doctrina, quomodo cohæret cum his, quæ de viribus naturæ lapsæ docet, ipse viderit.

Objicies tertiò: Homo per peccatum originale non fuit factus deterioris conditionis quantùm ad corpus, quàm fuisset in statu naturæ puræ; corpus enim peccato originali non magis corruptibile, magisque infirmum evasit, sed solà fuit immortalitate, & impassibilitate privatum. Ergo nec etiam deterioris est conditionis homo quantum ad animam, ejusque facultates, quæ proinde non minùs sunt ad benè moraliter agendum expeditæ; justitia namque originalis idem proportione servatâ animæ conferebat, quod corpori præstabat; unde ex ejus ablatione eadem, & non majora animæ incommoda acciderunt, quibus & corpus subjectum fuit.

Respondeo permittendo antecedens, quod vel negatur, vel in dubium vocatur ab iis, qui volunt in pœnam peccati Adami, & corpus humanum, & universam creaturam corporalem majoribus subesse ærumnis, quàm in statu naturæ puræ subjacuisset, ut tot, quas experimur, pœnis Deo læso fiat satis. Sicut enim reus non solùm de gradu dejicitur, de bonorumque possessione depellitur, sed etiam flagellatur, pœnisque corporalibus maceratur; ita æquum fuit, ut humanum corpus, mundusque totus Creatoris offensam pœnarum tolerantiâ lueret, divinumque jus læsum resarciret, atque etiam ut inde primi peccati strages, & generalis in omnes grassata corruptio appareret: nam ut ait Prosper lib. cont. Collat. cap. 2. *Patet culpa, ubi non latet pœna; & societas peccati convincitur de communione supplicii.*

Sed permisso antecedente, negamus consequentiam; tum quia subjectum peccati originalis est anima, non corpus; unde non mirum, animam in deterius peccato originali immutari, tametsi deterior non evadat corporis conditio. Tum etiam, quia deterior animæ, ejusque facultatum, qualem admittimus, conditio non est aliquid physicum, sed morale duntaxat impedimentum ab aversione à fine ultimo proficiscens; cujus impedimenti corpus capax non est, cùm ad ipsum non pertineat respicere finem; nec ejus motus dicuntur morales, nisi denominatione extrinseca ab internis animi motibus desumpta. Certè sicut per justificationem anima perficitur, tametsi corpus in melius non mutetur; ita per peccatum originale anima in pejorem statum adducitur, quamvis corpus in deteriorem conditionem non prolabatur.

REFLEXIO.

Naturæ lapsæ vulnera, & circumstantes nos ærumnas nullus, nisi insensibilis, vel insensatus, non sentit. Quid ergo nobis, & tot modis mulctatis, multis vulneribus sauciis, semivivisque relictis opus est facto? Vires nostræ quàm sint debiles experti, cœlestis Medici opem jugiter imploremus; & naturæ nostræ debilitatem ingenuè fassi, nullam aliam recipiendæ salutis viam esse credamus: ad Deum de profundis clamemus, abyssum misericordiæ invocet miseriæ abyssus, secundo nos permittamus Adamo, qui primi lethalia vulnera curet, innocentiam reparet, pristinam restituat sanitatem.

Hic unus sit miseriarum, quibus undique premimur, fructus salutaris, infirmitatis confessio, & divinæ opitulationis jugis, humilisque precatio, ut benè expendit Augustinus in illud Psalm. 76. *In die tribulationis meæ Deum exquisivi, & non sum deceptus.* Ille enim feliciter tribulatione exercetur, qui tribulatione instigante Deum quærit, quem in prosperitate neglexerat; imitaturque Prodigum jam sapientem, qui deputatus porcis, sentiens quàm miserum sit, amarum quàm sit quietis paternæ beatitudinem perdidisse, in se reversus, qui à se antè recesserat, cùm recessit à patre; à seque migrarat, & ab homine totus transierat in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus, famis ærumnâ revocatur, quem saturitas expulerat; & calamitas illi patrem dedit sapere, cui copia abstulerat sentire genitorem; unde & dicit: *Surgam, & ibo ad patrem.* Infirmitas ergo gradus fuit, quo ad alta penderet, conscendere ad virtutes, ad ipsum cœpit pietatis authorem totus aliger pervolare.

Qui sic infirmitatibus utitur, talis profectò in tribulationibus cum Apostolo gloriari potest, quia virtus in infirmitate perficitur. Sed lubet audire Augustinum loco mox laudato sic scribentem: *In die tribulationis meæ Deum exquisivi. Quis es, qui hoc facis? In die tribulationis tuæ vide quid exquiras. Si carcer facit tribulationem, exire de carcere exquiris: si fames facit tribulationem, saturitatem exquiris: si febris facit tribulationem, sanitatem exquiris: si damna faciunt tribulationem, lucrum exquiris: si peregrinatio facit tribulationem, civitatem tuæ carnis*

carnis exquiris. Et quid cuncta commemorem, aut quomodo cuncta commemorem? Vis esse transiliens? In die tribulationis tuæ Deum exquire, non per Deum aliud, sed ex tribulatione Deum, ut ad hoc Deus removeat tribulationem, ut securus inhæreas Deo.

Igitur agnosce infirmitatem tuam, si veram cupis invenire salutem; & quia humiliatio tua in medio tui est, assuesce habitare in te, si vis ascendere supra te; ab exterioribus ad interiora redi, ut ab interioribus ad superiora conscendas, & ad ipsum clama, ne cesses, qui sanat omnes infirmitates tuas; sed clama humiliter, clama verecundè. Humiliter quidem, quia ut docet Gregorius lib. 2. Moral. cap. 29. *Ille veram Deo orationem exhibet, qui semetipsum, quia pulvis sit, humiliter videt, qui sibi nihil virtutis tribuit, qui bona quæ agit, esse de misericordia conditoris agnoscit.* Verecundè verò, quia ut monet D. Ambrosius libro 1. de Officiis, cap. 18. *In ipsa quoque oratione nostra multùm verecundia placet, multùm conciliat gratia apud Deum nostrum. Nonne hæc prætulit Publicanum, & commendavit eum, qui nec oculos audebat ad cœlum levare?*

CAPUT II.

Hominis à Deo primo Motore in omni statu dependentia suadetur.

SI miser tantùm esset homo, foret utique miserabilis, compassionem magis movens, quàm indignationem. Hoc verò quis ferre possit, hominem miserum in sua paupertate superbire, & miseriam confiteri suam detrectare? Non ab omni sanitatis spe continuò dejectus est, qui infirmus est; sed tunc morbus est penitus deploratus, vel cùm ignoratur infirmitas, vel etiamsi cognoscatur, amatur; quia & quod ignorat medicina, non curat; & illud à se averti non deprecatur infirmos, quod diligit, vel delectat. Ut igitur & mala nostra cognoscamus, & cognitis divinâ opitulante gratiâ medeamur, explicandum est quanta sit hominis à Deo in omni statu dependentia, quantáve ejus motionis necessitas, quam triplici titulo exigi demonstrabimus, & ratione subordinationis causæ secundæ ad primam, & ratione speciali infirmitatis naturæ lapsæ, & ratione difficultatis operum supernaturalium, quæ à nobis agenda sunt. Primum quidem in hoc capite: secundum, & tertium exponemus dissertatione sequenti.

SPECULATIO I.

Motio Dei ad benè agendum homini in omni statu necessaria est ratione dependentiæ, & subordinationis causæ secundæ ad primam: unde si concursus Dei sit prævius, & prædeterminativus, talis etiam erat in statu innocentiæ.

NOn intendimus in hac speculatione, nec in hujus tractatus serie materiam de Auxiliis post tot iteratas Summorum Pontificum prohibitiones vel leviter quidem attingere. Quare de motione agimus universim, sive illa ab intrinseco, & prout ab omnipotentia Dei descendit, efficax sit; sive ab extrinseco, à consensu nimirum liberæ voluntatis gratiam determinantis, per scientiam mediam præviso efficaciam sortiatur. Unde in secunda hujus speculationis parte non determinamus absolutè, dari non solùm concursum simultaneum, sed etiam prævium; sed conditionatè duntaxat procedimus, asserimusque, quod si subordinatio, & dependentia creaturæ, & causæ secundæ à prima exigat talem concursum, non minùs est ex illo capite necessaria præmotio, & prædeterminatio in statu naturæ innocentis, quàm in statu naturæ lapsæ, quanvis in isto, titulo infirmitatis specialiter exigatur. Hoc præmisso,

Probatur prima pars hujus speculationis, affirmans hominem in omni statu ad bene agendum indigere motione, & gratia primi motoris. In primis hanc veritatem expressè tradit Augustinus *lib. de corrept. & grat. cap. 27.* sic: *Ut in eo bono permaneret* (Adamus) *egebat adjutorio gratiæ, sine quo id omninò non posset.* Et in *Enchiridio ad Laur. cap. 107.* sic apertè loquitur Doctor sanctissimus: *Factus est homo rectus, ut & manere in ea rectitudine posset non sine adjutorio divino, & suo fieri perversus arbitrio. Etsi peccatum* (ut dixerat *cap. 106.*) *in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitiæ retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi præparatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.* Quod & epistola 106. inculcat idem Pater his verbis: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua condita est, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret; cùm sine gratia Dei*, ut ibidem dicitur, *salutem non posset custodire, quam accepit.* Hinc est, quod eadem epistola docet idem S. Doctor, hominem cum totis liberi arbitrii viribus creatum veraciter dicere cum Propheta: *Fortitudinem meam ad te custodiam.* Quia ille, qui putavit se posse sine illius adjutorio custodire quod dedit, profectus in longinquam regionem, & vivens prodigè, cuncta consumpsit: unde eo solùm servante, & adjuvante non perdimus, quod eodem largiente suscepimus.

Rationes hujus Catholicæ veritatis stabiliendæ ergò innumeræ proferri possunt; solidiores perstringam. Prima est, quia in omni statu pendet homo à Deo, non solùm ut sit, sed etiam ut benè agat; cùm sicut esse creaturæ est expressio entis à se, ita actio creaturæ sit participatio divinæ actualitatis, & virtutis, & actionis: omne autem ens participatum, ab ente per essentiam dependere, & ea ratione dependere, sub qua participat, solus ille inficias ibit, qui terminos non intellexerit, vel communissimas Philosophiæ notiones ignoraverit. Ergo à Deo prima causa, primoque motore pendet omnis causæ secundæ motus, cùm ea solùm ratione Deus primus motor dici possit, & debeat. Hanc rationem tradit Augustinus in Psalm. 58. *Totum quidquid sum, de misericordia tua est. Fecisti ut essem, & non tu fecisti ut bonus essem? Dedisti mihi ut sim, & potuit alius mihi dare, ut bonus sim? Si tu mihi dedisti ut sim, & alius mihi dedit ut bonus sim, melior est ille qui mihi dedit ut bonus sim, quàm ille qui mihi dedit ut sim. Porrò quia nemo te potentior, nemo te in misericordia largior, à quo accepi ut essem, ab illo accepi ut bonus essem: Deus meus, misericordia mea.* Quam rationem in bonis etiam Angelis habere locum fusè demonstrat idem Augustinus *lib. 12. de civit. cap. 9.*

Secunda ratio multas alias virtualiter complectens est hujusmodi: Nisi creatura in quovis statu à primi motoris gratuito impulsu pendeat, præcipua corruant Divinitatis attributa necessum est. In primis scientiæ Dei certitudo non consistet; si enim futura libertatis opera à Deo movente non pendeant, quomodo illa poterit certò cognoscere, quorum eventus non à se, sed à bilancis, & non determinatæ voluntatis nutu proficiscuntur? Providentia etiam Dei pariter

concidet; nam in sui dispositione falli poterit, si aliquid efficiatur, quod non à se fortiter, & juxta suaviter disponente procedat. Omnipotentia etiam Dei infirma evadet, & impotens, periclitabiturque, ut loquitur Augustinus *in Enchir. cap.*39. ipsum confessionis nostræ initium, quo nos in Deum patrem omnipotentem credere confitemur, si aliqua voluit facere Deus, & non fecit; & quod indignius est, ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Ratio etiam primæ causæ, primique principii facilè corruerer, atque subinde ultimi finis pretiosissimum monile penitus destruetur, cùm ad primum agens pertineat omnium secundorum agentium motus efficere, ad ultimum finem omnia in se referre, & juxta suæ propositum voluntatis ordinare. Denique ipsa nominis subordinatio id exigit. Etenim cùm duæ causæ concurrunt, nisi fortuitò, & casu coagant, vel unam ab alia moveri, & determinari necesse est, vel utramque ab aliqua tertia. Atqui Deum, & hominem ad agendum ab alia tertia causa moveri, nullus etiam per somnium hactenus deliravit: ergo vel Deus à causa secunda movebitur, sicque ordine horrendum in modum præpostero evadet causa secunda primus motor, quod impium est cogitare; vel à Deo causa secunda movebitur, ut ambo deinde effectum eundem coefficiant.

Has rationes impliciè tangit D. Thomas *libro 3. cont. Gent. cap.*89. ubi impugnat sententiam eorum qui ponebant, Deum causare in nobis virtutem ut velimus, non autem facere ut velimus. *Quibus*, inquit, *resistitur evidenter authoritatibus sacræ Scripturæ. Dicitur enim Isaia 26. Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine: unde non solùm virtutem volendi à Deo habemus, sed etiam operationem. Præterea hoc ipsum, quod Salomon dicit: Quocumque voluerit, vertet illud; ostendit divinam causalitatem non solùm ad potentiam voluntatis extendi, sed etiam ad actum ipsius.* Quod & ibidem aliis rationibus confirmat. Plura etiam ad eam doctrinam firmandam argumenta statim proferemus.

Probatur secunda pars.

Secunda pars, quæ asserit, quod si concursus Dei sit in hoc statu prævius, & non tantùm simultaneus, talis etiam admittendus est necessarius pro statu innocentiæ, est contra Cornelium Jansenium Iprensem Episcopum, contendentem hanc esse capitalem differentiam inter gratiam & motionem status innocentiæ, & gratiam medicinalem naturæ lapsæ necessitatam, quòd prior ita moveret liberum arbitrium, ut ejus determinationem expectaret, ab ejusque ubi efficaciam totam suam sortiretur: posterior verò ita moveat voluntatem, ut consensum infallibiliter inferat. Unde infert, gratiam efficacem ad omnes naturæ humanæ status dilatatam totum medicinalis Christi gratiæ fundamentum subvertere, dum gratiæ necessitas non ex vulnere voluntatis, sed naturali ejus indifferentia, & omnium causarum subordinatione suspenditur. Præcipuum ejus fundamentum doctrinæ ab Augustino in libro de correptione & gratia stabilitæ haud parvo veri colore innititur.

Non intendo, ut dixi, & iterùm moneo, quæstionem de efficacia auxiliorum discutere: id solùm impræsentiarum contendo, quod supposito quod detur motio Dei prædeterminans in hoc statu, perperàm illius necessitatem ad omnem statum non dilatabimus, cùm potissima authoritatum, rationumque momenta ab Augustino, & D. Thoma deprompta, vel nihil prorsus probent, vel ejus pro omni statu necessitatem astruant. Quare non rem ipsam determinare aveo, sed consonantiam doctrinæ Thomisticæ demonstrare in præsenti satago; id est, an sit necessaria motio prædeterminans, Pontificias constitutiones reveritus, non definio; sed inquiro utrum ex suppositione vera, aut falsa, quod rationes astruentes physicam præmotionem efficaces sint (& eas in principiis Jansenii efficaces esse patebit) eædem etiam convincant pro statu innocentiæ.

Probatur expendendo rationes Augustini. Ideo Augustinus probat Pelagianis, gratiam esse efficacem (undecumque tandem efficacia proveniat) quia ut ait *lib.*4. *ad Bonif. cap.*9. oramus pro repugnantibus & oppugnantibus, & petimus ut fiant ex nolentibus volentes, & ex repugnantibus consentientes; ac proinde sequitur consensum esse divinæ gratiæ donum, quia alioquin *inaniter & perfunctoriè potius, quàm veraciter Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam ipsi fidei contrarias hominum voluntates. Prorsus non oramus, sed orare nos fingimus, si hos ipsos, non illum credimus facere quod oramus, si petimus quod credimus in nostra potestate.* Certè nihil est apud Augustinum frequentius, nihil inculcatius, quàm quod ficta, & irrisoria petitio est, cùm id à Deo petitur, quod ipsum dare non creditur: sicut irrisoria pariter est gratiarum actio, si ob hoc gratiæ aguntur Deo, quod non donavit ipse, nec fecit. Atqui Adamus tenebatur invocare Deum non solùm ut posset, sed etiam ut benè vellet: tum quia id certum esse communissimus pietatis sensus inspirat: tum quia per se absurdum, ne quid gravius dicam, est asserere, nullam fuisse in statu innocentiæ orationis necessitatem: nulla autem esset in illo statu orandi necessitas in principiis Jansenii; neque enim Adamus debebat pro gratia sufficienti orare, quam habebat; *quid enim stultius* (ut argumentatur Augustinus *lib. de nat. & grat. cap.*18.) *quàm orare quod habes in tua potestate?* Non debebat etiam gratiam efficacem à Deo rogare, à quo non proficiscebatur efficacitas, ab usu liberæ voluntatis duntaxat oritura. Tum quia Deus poterat Adamo gratiam impartiri, ne caderet: *Quis enim audeat dicere, aut credere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse?* ait August. *lib.* 14. *de Civit. cap.*17. Ergo illam poterat invocare gratiam; imò ideo peccavit, quia non oravit, nec ad Deum pro illa obtinenda gratia confugit, ut docet D. Thomas 1.*p.q.*94. *art.*4. *ad* 5. Ergo ex Augustini principiis de efficacitate divinæ motionis in utroque naturæ innocentis, & lapsæ statu peræque judicandum est.

Secundò: Ideo Augustinus probat necessitatem gratiæ christianæ, quia bona voluntas est donum Dei, quod Deus non solùm potens est præscire, sed etiam facere ubi voluerit, quando voluerit, & quoties voluerit, ut patet ex libro *de prædest. Sanct. cap.*10. *lib. de grat. & libero arb. cap.*21. *epistola* 107. *ad Vitalem*, & aliis passim locis. Atqui non solùm potestas, sed etiam bona Adami voluntas erat donum Dei, ut liquet ex omnibus illis testimoniis, quæ in priori hujus speculationis parte in medium produximus, quibus adde illud ex lib.14. de Civit.cap.11. *Bona voluntas est opus Dei; cum ea quippe ab eo factus est homo.* Et rationem assignat ab infirmitate naturæ lapsæ prorsus independentem *libro* 12. *cap.*9. cùm de Sanctis Angelis viatoribus sic scribit: *Si non potuerunt seipsos facere meliores quàm eos ille fecerat, profectò & bonam voluntatem, quâ meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent.* Ergo juxta Augustini doctrinam non minor est necessitas gratuitæ Dei præmotionis in statu naturæ integræ, quàm sit in statu naturæ lapsæ, licet in isto plu-

ribus

ribus sit titulis necessaria auxilii divini opitulatio.

Tertiò probat Augustinus gratiæ, quam propugnabat, necessitatem, quia inscrutabilis est hæc quæstio, nec per liberum arbitrium solvi potest, quare unum trahat, & alium gratia non trahat, cùm tamen ad Filium nemo possit venire, nisi Pater traxerit illum. *Si quis me interroget*, inquit lib. de Spirit. & lit. cap.33. *cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur, illi autem non? duo solùm occurrunt, quæ respondere mihi placeat: O altitudo divitiarum! Et, Nunquid iniquitas apud Deum? Cui hæc responsio non placet, quærat Augustino doctiores, sed caveat ne inveniat præsumptores.* Cui succinens Prosper in responsione ad objectionem 14. Vincentianam, ait: *Cur Deus illum retineat, illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum investigare; cùm scire sufficiat, & ab illo esse quod statur, & ab illo non esse quod ruitur.* Atqui similiter idem Augustinus explicaturus, quare bonis Angelis stantibus, mali, & post ipsos Protoparentes ceciderint, ad inscrutabilem divinorum judiciorum abyssum, tanquam tutissimum asylum confugit lib. 11. *de Genes. ad lit. cap.*10. dicens: *Sed possit etiam ipsorum* (cadentium Angelorum) *voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens est. Posset planè. Cur ergo non fecit? Quia noluit. Cur noluerit? Penes ipsum est.* Quod si aliquam interdum hujus lapsus rationem affert, ea est, ut in hominis casu appareret, quid posset liberum arbitrium sine adjutorio Dei: quod quidem liberum arbitrium, ut ait libro de corrept. & grat. cap.11. *ad malum sufficit, ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Unde *tract. de cant. novo, cap.*8. inquit: *Quid valeat liberum arbitrium non adjutum, in ipso Adam demonstratum est: ad malum sufficit sibi; ab bonum non nisi adjuvetur à Deo.* Ergo in sententia Augustini eadem gratiâ indiget homo ad benè agendum in omni statu.

Quartò necessitatem à se defensæ gratiæ astruit Augustinus, quia totum Deo tribuendum, & in nullo gloriandum est, nec potest se quispiam ab alio discernere. Ita enim ratiocinatur lib. de Prædest. Sanct. cap.3. *Non sic pius, atque humilis Doctor ille sapiebat, Cyprianum beatissimum loquor, qui dixit, in nullo gloriandum, quando nostrum nihil sit. Quod ut ostenderet adhibuit Apostolum testem dicentem, Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Quod repetit libro de dono persev. cap.6. & 13. his piissimis verbis: *Nos volumus, sed in nobis Deus operatur & velle. Nos operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere: hoc est piū, hoc est verum, ut sit humilis, & submissa confessio, & detur totum Deo. Tutiores vivimus, si totum damus Deo: non autem nos illi ex parte, & nobis ex parte committamus.* Atqui illa ratio æquè urget pro statu innocentiæ Angelorum & Adami; nam discretionem bonorum Angelorum à malis Deo attribuit Augustinus *lib.*11. *de civit.cap.*19. Et rationem affert *lib.*12. *cap.*9. & *in Psalm.* 70. ubi: *Absit*, inquit, *ut meliores à seipsis, quàm à Deo facti sint. Tibi debent quod vivunt, tibi debent, quod justè vivunt.* Cui consonat illud Bernardi *lib. de grat. & lib arb.* ibi: *Dictu ipso nefas videtur, Deo quod minus, nobis quod excellentius sit, attribuere.* Nec ad salvandum, discretionem bonorum Angelorum à malis à Deo esse, quidpiam producit Jansenius, quod non possit à defensoribus scientiæ mediæ ad hanc infirmandam Augustini rationem afferri. Ergo juxta Augustini doctrinam non minùs est gratiæ Dei præmotio in statu integritatis, quàm in statu corruptionis necessaria. Et in omni statu verum est dicere: Non est volentis, neque currentis sed miserentis Dei, ut totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam, ut *in Enchirid. cap.*32. fusè prosequitur Augustinus.

Quintò sic argumentor: Illa doctrina non est Augustino consentanea, quæ innumera, eaque præcipua Augustinianæ doctrinæ principia evertit, & ab imis fundamentis subruit, nisi velimus Augustinum perpetuæ doctrinarum inconsequentiæ insimulare. Atqui præfata Jansenii doctrina Augustini principia innumera non solùm susque deque miscet, & confundit, sed etiam prorsus convellit. Etenim ut toto primo Theologiæ tomo demonstravimus, Deus creaturas possibiles in essentia sua tanquam in causa, futura absoluta in decreto absoluto, conditionata in conditionato cognoscit; ita ut asserente Augustino, Deus non cognoscat futura, nisi prædestinando; ita ut juxta eundem Patrem scientia visionis sit causa rerum, nec ideo Deus cognoscat futura, quia futura sunt; sed ideo futura sint, quia Deus novit, quia nimirum Deus non potest videre nisi opera sua. Hinc scientiam mediam, seu conditionatorum futurorum notitiam antecedentem decretum, sibi à Prospero & Hilario propositam repudiavit, & ut ait D. Thomas alibi citatus, reprobavit, eamque à se olim in libro de quæstionibus Paganorum tantisper insinuatam rejecit, dicens ea à se ibi obiter dicta absque præjudicio latentis Dei consilii, & propositi, quod tunc examinandum non erat, intelligi oportere; quia, inquit, prædestinatione Deus cuncta præscivit, & futura fecit ea prædestinando. Unde hanc regulam tradit, quod quando apud Dei tractatores de vocatione justorum & bonis operibus sermo habetur, præscire idem est, ac prædestinare. Ex quibus S. Pater infert, providentiam Dei esse certam, non solùm certitudine præscientiæ, sed etiam causalitatis; & prædestinationem, seu propositum miserendi, bona merita prævisa non supponere, sed inferre. Atqui illa principia vel nihil probant, vel convincunt in omni statu necessariam Dei præmoventis prædeterminationem; vel si non probant de omni statu, nihil pro statu naturæ lapsæ concludunt. Ergo doctrina Jansenii non est Augustino consentanea. Minor est manifesta, si termini penetrentur: major verò est libro primo omni genere argumentorum, clarissimis potissimè Augustini testimoniis persuasa.

His argumentis, & aliis pluribus, quæ fusè, & juxta eruditè Estius & Gonetus prosequuntur, unum addam singulare, quod in illis, nec alio, quem sciam, Authore invenies: Si motio prædeterminans, & gratia per se efficax requiratur solùm, ut vult Jansenius, propter naturæ lapsæ corruptionem, & infirmitatem, sequitur quod ubi non est illa infirmitas, illaque corruptio ex peccato originali derivata, nulla ibi est hujusmodi gratiæ per se efficacis necessitas; sequitur etiam, quod si aliquis non haberet infirmitatem ad benè moraliter operandum, nec concupiscentiam effrenem, nec peccatum originale, quod illi daretur tantùm gratia sufficiens, auxilium sine quo, & adjutorium possibilitatis; sequitur præterea, quod illius bona opera per scientiam mediam antevertentem propositum Dei præsciret; sequitur insuper, alio modo esse philosophandum de ipsius prædestinatione, quæ non causaret bona opera, sed ea explorata per præscientiam supponeret; atque adeò totam suam ex prævisis meritis efficaciam sortiretur. Hæ omnes illationes sunt manifestæ, si enim ratio unica, & totalis, unde efficaciæ gratiæ necessitas depromatur, sit infirmitas naturæ, profectò ubi non erit talis infirmitas, talis difficultas, talis concupiscentia

centiæ corruptio, talis denique peccati originalis infectio, ibi etiam nulla erit gratiæ per se efficacis necessitas sanandæ infirmitati deserviens.

Atqui in Christo nullum fuit peccatum originale, nullus peccati fomes, nulla benè operandi interna difficultas, & secundùm piissimam sententiam, Beatissima Virgo ab illa culpa primigenia fuit immunis; saltem secundùm omnes, fomes peccati & in utero matris ligatus fuit, & in conceptione Verbi Divini penitus extinctus, ut cum S. Thoma in nostra Mariologia, dissert. ultima libri de Incarnatione demonstrabimus. Ergo neque Christo, neque sanctissimæ Deiparæ necessaria fuit gratia per se efficax. Ergo bona opera Christi, & Deiparæ Deus per scientiam mediam exploravit, & futuram oblatæ gratiæ determinationem non in omnipotentissima Dei potestate, neque in decreto, sed in bono liberi eorum arbitrii usu præscivit: ergo in illis non fuit auxilium quo, seu actionis: ergo Christum, & Matrem ejus ad gloriam, imò illum ad unionem hypostaticam, istam ad immensam Maternitatis dignitatem ea prævisis meritis elegit, & prædestinavit: & consequenter in Christo non fuit gratia Christi, quam Augustinus tot annorum curriculo propugnavit. Hæ consequutiones positis Jansenii principiis ita sunt evidentes, ut sponte sua sine discursus circuitu fluant; cùm juxta Adversarium pro statu sanitatis distincta sit gratia, distinctum decretum, distincta præscientia, distincta prædestinatio, ut omnis in his controversiis non penitus ignarus compertum habet. Atqui consequentia illa non solùm à veritate aliena sunt, ut libro de Deo-Homine, *dissert.3. cap.1. specul.2.* demonstramus; sed etiam Augustino capitaliter adversantur, qui non semel probaturus Semipelagianis, gratiam conferre bona opera, non sequi; esse bonæ voluntatis non pedissequam, sed causam; prædestinationem ad gratiam, & gloriam esse gratuitam, id probat exemplo Christi, *cujus nativitatem bona opera sequuta sunt, non bona opera meruerunt*, ut ait *lib. de corrept. & grat. cap.11.* Quam rationem validè urget *libro de prædest. Sanct. c.17.* ibi: *Est præclarissimum*, inquit, *lumen prædestinationis, & gratiæ ipse Salvator Christus Iesus.* Quæ ratio nihil concluderet, si alia sit gratiæ ratio, alia prædestinationis forma nobis, & pro Christo servata.

Verùm enim verò, quid opus est argumentorum serie, ut Augustini mentem ex ejus principiis colligamus, postquam seipsum S. Doctor significantissimis verbis interpretatus est? In primis necessitatem divinæ præmotionis pro omni statu, pro omnibusque causis, tam necessariis, quàm liberis disertè expressit *lib.3. de Trinit. cap.4.* sic: *Voluntas Dei*, inquit, *est prima, & summa causa omnium corporalium specierum, atque motionum.* Ut autem non respondeas S. Doctorem loqui tantùm de causis corporalibus, non autem de motionibus spiritalibus, audi quid dicat *lib. 83. qq. quæst.21.* absque limitatione pronuntians: *Omnium quæ sunt, author est Deus, quia in quantum sunt, bona sunt.* Imò specialiter agens de libero voluntatis motu, sic apertissimè loquitur *lib. de grat. & lib. arbit. cap.20.* *Scriptura divina, si diligenter inspiciatur ostendit, non solùm bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, & à se factas bonas, in actus bonos, & in æternam dirigit vitam; verùm etiam illas, quæ conservant sæculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quò voluerit, quando voluerit, faciat inclinare.* Et *cap.21.* sic prosequitur: *Agit omnipotens in cordibus hominum etiam motum voluntatis eorum, ut per eos agat quidquid agere voluerit, qui omninò injustè aliquid velle non novit.* Quod *libro de corrept. & grat.* confirmat exemplo electionis Saülis, quam profectam fuisse ait *ab omnipotentissima Dei humanorum cordium quò voluerit inclinandorum potestate.* Confirmat etiam exemplo eorum, qui David in Regem elegerunt; quos, inquit, *adduxit Deus, ut Regem constituerent. Et quomodo adduxit? Nunquid corporalibus ullis vinculis alligavit? Intus egit, corda tenuit, corda movit, eosque voluntatibus eorum, quas ipse in illis operatus est, traxit.* Quorum omnium rationem non ex eorum cordis corruptione, sed ex supremo Dei dominio deducit, dicens: *Cùm voluerit Deus Reges in terra constituere, magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Quæ omnia ad generalis præmotionis necessitatem stabiliendam adeò clara sunt, ut nihil illis clarius afferri possit, nisi istud fortè brevissimum, & juxtà nervosissimum dictum ex *lib.5. de Genes. ad lit.* desumptum: *Movet itaque Deus occultâ potentiâ universam creaturam.* Et istud alterum *ex lib.1. retract. cap. 9.* ibi: *Quia omnia bona, & magna, & media, & minima ex Deo sunt, sequitur ut ex Deo sit etiam bonus usus liberæ voluntatis.*

Quæ omnia, tametsi universalissima, & ad omnem statum dilatata testimonia, nullâ possint tergiversatione eludi, & ad statum naturæ lapsæ coarctari; attamen ut omnis præcludatur effugii locus, ostendo Augustinum ad statum integritatis Sanctorum Angelorum & Protoparentum descendisse, in eisque necessariam fuisse aliam gratiam ab ea, quâ instructi erant, distinctam. Id autem apertè statuit Doctor sanctissimus *lib.12. de Civit. c.9.* his verbis: *Unde sine bona voluntate, hoc est Dei amore, nunquam Sanctos Angelos fuisse credendum est. Isti autem qui cùm boni creati essent, tamen mali sunt, malâ propriâ voluntate aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi qui in eadem perstiterunt; aut si utrique boni æqualiter creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde nunquam se casuros certissimi fierent, pervenerunt.* Ergo manifestè admittit Augustinus majus auxilium, & amplius adjutorium in bonis Angelis, qui perstiterunt, quàm in illis, qui in culpam prolapsi sunt: quod amplius adjutorium non potest esse nisi gratia efficax, cùm sufficientem omnes abundè recepissent.

Huic testimonio tres responsiones adhibent adversarii. Prima est, quia licèt Angeli perseverantes acceperint gratiam efficacem, tamen illa non erat eis necessaria; sicut licet Apostoli fuerint in gratia confirmati, hæc tamen confirmatio non erat necessaria, ut peccata mortalia vitarent, ad quod gratia per se efficax sufficiebat. Secunda responsio est, quod majus illud adjutorium explicari facilè potest de gratia sufficienti uberiori, & ampliori, cùm etiam D. Thom. fateatur, majorem gratiam habitualem perfectioribus Angelis juxta perfectiorem naturæ suæ gradum fuisse concessam. Tertia responsio vult, per illud majus adjutorium intelligi scientiam certam de suæ beatitudinis perpetuitate, quam boni Angeli in præmium suæ perseverantiæ receperunt.

Sed limpidissimus Augustini locus has omnes effutias discutit. Prima quidem responsio difficultati succumbit, dum Angelorum perseverantiam gratiæ per se efficaci tribuit; ad illius enim stabiliendam necessitatem hoc nobis sufficit, ut sine ea non perseverent quicumque perseverant, & absque ea nullus perseveret, tametsi facultatem habeat perseverandi. Nec obest exemplum confirmationis in gratia, quia confirmatio illa sine gratia per se efficaci non est, cùm importet copiosam gratiæ habitualis plenitudinem cum speciali jure habendi auxilium per se efficax, quotiescumque peccati mortalis culpa vitanda est.

Secunda

Secunda verò responsio seipsam intermit; si enim juxta ibi allegatam D. Thomæ doctrinam major habitualis gratia perfectioribus Angelis juxta naturalis perfectionis proportionem in creatione data sit, major etiam data fuit actualis dilectio bonæ voluntatis, in qua Angeli conditi sunt, cùm gratiæ justificantis intensio voluntatis conatui in adultis respondeat: in qua habituali gratia, & dilectione gratiam status innocentiæ constituit Jansenius, aliique ejus doctrinæ sectatores. Ergo perfectiores Angeli perfectius auxilium sufficiens habuerunt; siquidem majori gratia, majorique dilectione in primo creationis instanti præditi sunt; & tamen Angelorum perfectissimi, ipse etiam cœlestis Hierarchiæ Princeps Lucifer in peccatum ceciderunt. Ergo illi lapsi sunt, qui majori auxilio sufficienti instructi sunt, ac proinde majus illud auxilium, quod in his, qui ad beatitudinem pervenerunt, admirur Augustinus, de majori auxilio sufficienti explicari nequaquam potest.

Tertia denique responsio manifestam Augustini textui vim facit; cùm enim præmium perseverantiæ sit ipsa beatitudinis plenitudo, & certissima beatitudinis securitas, ad quam per solam perseverantiam pervenimus; planè relinquitur, majus illud auxilium, quo Angeli Sancti ampliùs adjuti ad beatitudinem pervenerunt, non esse ipsam beatitudinem, vel beatitudinis securitatem in beatitudine acceptam, sed donum perseverantiæ, quo ad beatitudinem pervenerunt; non enim per illam certam felicitatis æternæ scientiam, per quam intellectualis creatura de sua felicitate æterna certa, & secura est, ad beatitudinem pervenitur, sed tunc solùm securitas illa habetur, cùm ad beatitudinem perventum est. Certè licèt (ut occupetur tacita instantia) in doctrina Augustini ipsa beatitudo possit dici adjutorium quo quis beatus efficitur: *Beatitudo*, inquit lib. de corrept. & grat. cap. 12. *quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus; adjutorium est enim non solùm sine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur*: attamen certa beatitudinis scientia, & securitas nequit dici adjutorium, quo ad beatitudinem pervenitur, cùm non nisi post adeptam beatitudinem habeatur, sitque non medium ad beatitudinem, sed corollarium beatitudinis jam possessæ.

Hanc esse Augustini mentem non solùm ex plano de Civitate loco hactenus expenso eruo, sed etiam ex libro de correptione & gratia, in quo potissimùm nobis adversari videtur; sic enim *cap.* 10. habet Doctor Sanctissimus: *Diaboli verò & Angeli ejus, etsi beati erant antequam caderent* (beatitudine scilicet naturali) *& se in miseriam casuros esse nesciebant; erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, si per liberum arbitrium in veritate stetissent, donec istam summa beatitudinis plenitudinem, tanquam premium ipsius permansionis acciperent, id est, ut magnâ per Spiritum sanctum datâ abundantiâ charitatis Dei, cadere ulteriùs non possent* (in statu viæ) *& hoc de se certissimè nossent* (nimirum in statu termini, & beatitudinis consummatæ.) Quibus in verbis S. Doctor tradit in primis, beatitudinis plenitudinem esse præmium permansionis, seu perseverantiæ: ergo per solam perseverantiam ad beatitudinem pervenimus. Ergo si Sancti Angeli ampliùs adjuti ad beatitudinem pervenerunt, illud adjutorium debet intelligi de auxilio ad perseverandum necessario, & ipsam perseverantiam donante. Deinde docet Augustinus, illud quo Sancti Angeli ad beatitudinem pervenerunt, quodque diabolo & angelis ejus defuit, fuisse magnam per Spiritum sanctum datam abundantiam charitatis, quâ cadere ulteriùs non possent: illa autem abundantia charitatis, quæ dat ulteriùs non cadere, vel est gratia efficax, vel effectus illius, nisi de nomine contendere velimus. Ergo perseverantia SS. Angelorum fuit effectus gratiæ per se efficacis. Quod & de primo homine docet *in Enchirid. cap.* 106. his verbis: *Homo in paradiso ad se occidendum relinquendo justitiam idoneus erat per voluntatem; ut autem ab eo teneretur via justitiæ, parum erat velle, nisi ille qui eum fecerat, adjuvaret.* Plura ad eandem veritatem confirmandam Augustini testimonia reflexione sequenti referemus.

Reflexio.

In omni statu necessaria est gratia: ergo fuit semper, est, & erit necessaria oratio, quâ cum Deo loquentes universa cordis nostri desideria in conspectu ejus effundamus. Per gratiam & stant qui non cadunt, & qui elisi sunt, eriguntur: ergo sine intermissione orandum est, ne deserat nos qui fecit nos, cõfisique viribus nostris inveniamus miserias nostras, funestâque experientiâ probemus, sine ipso nihil posse nos facere, quem tenemur jugiter invocare. Certè si primus homo virtutibus omnibus instructus, & gratiarum cœlestium muneribus opimus *sic erat institutus, ut si de adjutorio Dei fideret, bonus homo malum Angelum vinceret*, ut ait August. *lib.* 14. *de civit. cap.* 27. addens, quod *& ipsum fidere de adjutorio Dei non quidem posset sine adjutorio Dei*: si cœli, id est Angeli ipsi, Domino indigent, & ut ait idem Pater in Psalmum 32. *Verbo Domini cœli*, idest Angeli, *solidati sunt, non à se sibi solidamentum fuerunt, nec ipsi cœli firmitatem propriam sibi præstiterunt. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Non habuerunt aliquid ex se, & tanquam supplementum à Domino perceperunt; Spiritu enim oris ejus non pars, sed omnis virtus eorum.* Si in ipsis integris creaturis intellectualibus ad singulos pietatis actus necessarium erat adjutorium, quia ut *conc.* 2. *in Psalm.* 70. ait idem Doctor Sanctissimus: *In altis Angeli sunt, & tibi debent quod sunt; tibi debent, quod vivunt; tibi debent, quod justè vivunt; tibi debent, quod beatè vivunt. Potestatem & justitiam tuam usquequò? Usque in altissima, quæ fecisti magnalia, ne putes hominem solum pertinere ad gratiam Dei. Quid erat Angelus antequam fieret? Quid est Angelus, si deserat qui creavit?* Si, inquam, hæc ita sint, opus est planè, ut illius adjutorium indesinenter imploremus, ad illumque nos convertamus, à quo creati sumus. *Homo enim*, ut loco ultimùm citato ait August. *recedendo frigescit, accedendo fervescit; recedendo tenebrescit, accedendo clarescit: à quo enim habet ut sit, apud illum habet ut ei benè sit. Ergo quisquis vult esse similis Deo, ad illum stet, fortitudinemque suam sicut scriptum est, ad illum custodiat, non ab illo recedat. Et cohærendo signetur quasi ex annulo cera; illi affixus habeat imaginem ejus: faciens quod dictum est, Mihi autem adhærere Deo bonum est, verè custodit similitudinem, & imaginem, ad quam factus est. Porrò autem, si perversè voluerit imitari Deum, ut quomodo Deus non habet a quo formetur, non habet à quo regatur; sic ipse velit sua potestate uti, ut quomodo Deus, nullo formante, nullo regente vivat, quid restat nisi ut recedens ab ejus calore tepescat, recedens a veritate vanescat, recedens ab eo quod summè, atque incomparabiliter est, in deterius mutatus deficiat.*

Totam hanc doctrinam, atque ex ea derivatam orationis necessitatem tradit apertè Gelasius Papa *epist.* 5. ad omnes Episcopos per Picenum, contra Pelagianam hæresim, his verbis: *Ecce sine divino suffragio, quod in illa beatitudine positus* (Adamus) nunquam

nunquam legitur expetiisse, non solum homini naturale bonum prodesse non potuit, non solum non effecit beatum; sed eum hoc solo confidis, atque ad ejus non revertitur largitorem, & beatitudinem potiùs amisit, & malorum omnium sumpsit exordium. Quod & gravissimis verbis in dictis adversus Palagianam hæresim, quæ habentur *tom.2. Concil.* inculcat idem Pontifex : *Si in ipsis primis hominibus, dum sua nimirum felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes non orando (quod usique nusquam fecisse referuntur) nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent, suppliciter implorando, incolumes constare nequiverunt; quanto magis post prævaricationis ruinam, in quam malâ sui confidentiâ Creatorem nullatenus inquirendo lethaliter inciderunt, absque divino munere, suis viribus, vel agri stare non possunt, sine quo nec integri persistere valuerunt.* Quaniâ ergo orationis instantiâ in valle prolationis, ut dona Dei in nobis intemerata durent, petere debemus, memores illius Augustini veridicæ sententiæ, quam habet in Psalm.93. *Noli putare, quia potes à te refici : à te deficere potes, tu teipsum reficere non potes : ille reficit qui te fecit.*

Speculatio II.

Confirmatâ ex Discipulis S. Augustini eadem veritate, explicatur perdifficilis ex libro de correptione & gratia depromptus locus.

AD confirmandum statutam hactenus doctrinam, & Augustini mentem perspiciendam, argumentum conficio meo quidem judicio verisimillimum, hoc modo : Non est credibile, discipulos Augustini, aliósve posteriores Patres acerrimos Augustinianæ doctrinæ defensores, & propugnatores intrepidos, totius Augustini doctrinæ basim & fundamentum concutere voluisse, quale putat Jansenius esse discrimen à se statutum inter gratiam medicinalem, & gratiam integritatis, in hoc consistens, quod hæc subjiciebatur usui libertatis, nec dabat agere, sed posse duntaxat; ista libertatem subjiciat, faciatque indeclinabiliter operari. Atqui præstantissimi Augustini discipuli, aliique Patres posteriores Augustini admiratores, discrimen illud nequaquam agnoverunt, sed apertè repudiarunt: ergo discrimen illud non est ad mentem Augustini. Major videtur perspicua, quia discipuli illi, & Patres sunt Fulgentius, Patres Concilii Arausicani secundi, Gregorius Magnus, Bernardus, & Doctor Angelicus, qui Augustini de gratia doctrinam religiosissimè sectati sunt. Nam vel illi sacri Doctores, & Patres Augustini mentem non intellexerunt, vel intellectam deseruerunt. Primum dici nequit absque injuria tot Ecclesiæ luminum non ferenda; secundum verò est à veritate alienissimum, cùm eorum nonnulli Augustini defensionem susceperint, ut Fulgentius, & Patres Arausicani, qui etiam definitiones suas ex libris Augustini conflarunt; alii pressis ab Augustino vestigiis indivulsè adhæserint, ut Gregorius, Bernardus, & præcipuè S. Thomas, de quo ipse Jansenius sic fatur lib. procemiali, cap. 22. *Quidquid vera Theologia in Scholastica S. Thomæ consistetur, usque ad ipsorum articulorum fundamenta ex Augustino ita mutuatum est, ut quemadmodum novum Testamentum nihil aliud est, nisi vetus revelatum, & Augustini doctrina de gratia Dei nihil præter fidei principia in suas deducta conclusiones : ita S. Thomæ Summa, ubi Theologiam tradit, pro magna parte nihil sit aliud, nisi Augustinus contractus, certaque proportione naturalibus principiis alligatus.*

Minor ergo propositio probanda superest, proferendo eorum Patrum clarissima testimonia. Sic autem habet Fulgentius *lib. 2. ad Trasimundum Regem, cap. 2. sub finem*, loquens de Angelis : *Cùm verò quadam pars ejus* (universitatis nimirum Angelicæ) *de cœlestis beatitudinis culmine in imam, perpetuamque cernitur devoluta miseriam, profectò cognoscitur universi cunctos opprimi potuisse ruina consortio, nisi quos vellet, à casu pravitatis virtus illa defenderet, quæ sola naturaliter mutari, depravarive non potest. Ipsa igitur* (ut pergit cap. sequenti) *etiam homini reparando fuit necessaria; quia non alia stantem Angelum à ruina potuit custodire, nisi ipsa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata; in hoc, ut surgeret; in illo, ne caderet : in illo, ne vulneraretur; in isto, ut sanaretur : ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sivit; illius esca, istius medicina.* Quæ verba sunt adeo plana, ut ponderatione non egeant.

Idem docent Patres Concilii Arausicani *can. 19.* his verbis quæ ex Augustino *epist. 106.* desumpserunt : *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam Creatore suo non adjuvante servaret : unde cùm sine gratia Dei salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine gratia Dei poterit reparare, quod perdidit?* Ubi apertè traditur, hominem rectum ea victricis gratiæ efficacitate eguisse, ne laberetur, quæ lapso necessaria est, ut reparetur. Quod exponi nequit vel de gratia habituali, quam habebat homo integer, quamve non habet lapsus; tum quia comparatio esset omninò disparata, ut consideranti patet; tum quia nova gratia habitualis non erat homini integro ad perseverandum necessaria; tum quia de illa non erat inter Catholicos Arausicanos Patres, & Semipelagianos controversia. Quæ etiam rationes probant non posse exponi locum illum de gratia merè sufficiente.

Subscribit Gregorius Magnus *homil. 14. in Ezech.* sic : *Unigenitus Patris*, inquit, *qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus redemptio hominum; illis fortitudo, ne cadant; nobis adjutorium, ut surgamus.* Quod & repetit *lib. 25. Moral. cap. 8.*

Astipulatur Bernardus *serm. 22. in Cant.* his verbis: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo ne laberetur; sic illum de captivitate eruens, sic istum de captivitate defendens: & hac ratione æquè utrique cõmunis redemptio, solvens illum, & servans istum.* Vide etiã ipsum initio *libri de dilig. Deo, & serm. in festivit. omn. Sanct.*

Denique Angelici Doctoris in hac quæstione sententia apertior est, quàm ut de ea dubitare liceat. Cùm enim S. Præceptor ubique, & constanter necessitatem divinæ præmotionis non solùm ob vulneratæ naturæ nostræ debilitatem, sed etiam ob indispensabilem cujusvis causæ secundæ à prima in agendo dependentiam, & subordinationem exigat, planè relinquitur, hominem in statu naturæ integræ per se efficaci ad singulos actus motione eguisse. *Manifestum est*, inquit 1. 2. q. 109. art. 1. *quod sicut motus omnes corporales reducuntur in motum cœlestis corporis, sicut in primum movens corporale : ita omnes motus, tam corporales, quàm spirituales, reducuntur in primum movens simpliciter, quod est Deus. Et ideo quantumcunque natura aliqua corporalis, vel spiritualis perfecta ponatur, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur à Deo.* Quod omnibus ejusdem quæstionis articulis repetit, sed specialiter *artic. 9.* his verbis : *In statu naturæ corruptæ homo etiam in gratia existens indiget prædicta motione, propter duo. Primò quidem ratione generali, propter quod nulla res creata*

creata potest in quemcunque actum prodire, nisi virtute motionis divinæ: secundò ratione speciali, propter conditionem status humanæ naturæ; quæ quidem licèt per gratiam sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem. Ergo eadem motionis efficaciâ, qua indigemus ratione corruptionis, eguisset etiam homo integer ratione subordinationis. Idem convincunt tum ea quæ habet S.Doctor 1.p.q.105. tum omnia illa infinita testimonia, quibus Thomistæ ex eo physicam præmotionem ostendunt; tum principia illa apud D. Thomam frequentissima, & ubivis obvia de scientia Dei causa rerum, de efficacia voluntatis, & providentiæ Dei, de primi Motoris dotibus, & alia sexcenta, quæ à naturæ corruptione sunt independentia.

Objicitur perdifficilis Augustini locus.

Plura opponunt recentiores D.Augustini discipuli communis Magistri testimonia; sed palmare illud existimant, & decretorium, quod è libro de correptione & gratia depromunt, quia ex illo genuinam Augustini mentem discernendam censent, ubi S. Doctor totam hanc materiam non obiter, ut alibi, sed ex professo, & fusè explicavit à capite 10. ad 13. *Ipsa adjutoria*, inquit cap.12. *distinguenda sunt: aliud est adjutorium, sine quo aliquid non fit; & aliud est adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cùm affuerint alimenta, eis fit, ut vivat qui mori voluerit. Ergo adjutorium alimentorum est sine quo non fit, non quo fit ut vivamus. At verò beatitudo, quam non habet homo, cùm data fuerit, continuò fit beatus: adjutorium est enim, non solùm sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur. Quapropter hoc adjutorium, & quo fit est, & sine quo non fit; quia & si data fuerit homini beatitudo, continuò fit beatus; & si data nunquam fuerit, nunquam erit. Alimenta verò non consequenter faciunt ut homo vivat, sed tamen sine illis non potest vivere. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc verò Sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantùm tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solùm ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verùm etiam ut per hoc donum non nisi perseverantes sint.*

Hæc Augustinus, quibus non obscurè discrimen gratiæ integritatis à gratia statui naturæ lapsæ necessaria in hoc constituit, quod auxilium primæ gratiæ sit adjutorium, sine quo non possumus perseverare, sed perseverantiam non dat; auxilium verò lapsis necessarium sit adjutorium quo ipsa perseverantia donatur. Quod utriusque gratiæ discrimen explicarat idem S.Doctor cap. 11. præcedenti, his verbis: *Istam gratiam non habuit homo primus, quâ nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset, & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono: quod adjutorium si homo per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus; sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret, si vellet, non quo fieret ut vellet. Hæc prima est gratia, quæ data est primo Adam; sed hac potentior est in secundo Adam. Prima est enim, qua fit ut habeat homo justitiam, si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluptatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat. ::: Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa quippe eum fecerat, qui fecerat eum rectum. Dederat & adjutorium, sine quo in ea non posset permanere, si vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Posset ergo in eo permanere si vellet, quia non deerat adjutorium, per quod posset, & sine quo non posset perseveranter bonum tenere, quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, quâ illis certissimum sit semper se in illa esse mansuros. Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini quamprimùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique suâ culpâ cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est.*

Exscribenda essent tria illa integra capita præfati libri, in quibus Augustinus discrimen illud, quod inter utriusque status gratiam intercedit, prosequitur, in eoque ponit, ut in statu innocentiæ actualis perseverantia non erat opus gratiæ, sicut nunc, sed tantùm posse perseverare, quia in statu innocentiæ arbitrium *ita liberum erat, ut velle benè posset, & malè. Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti* (scilicet liberi arbitrii sani) *futura erat*, ut ait ibidem S.Pater.

Nec ad illa elevanda testimonia satisfacit responsio quorundam recentiorum, cui ita confidit Noster Gonetus, ut nullam se in illis locis invenire difficultatem dicat, quæ non possit ex attenta capitum illorum lectione dissolvi; quia nimirum, inquiunt, non loquitur Augustinus de quacumque gratia status innocentiæ, sed de ea tantùm, quæ Angelis & Protoparentibus lapsis concessa fuerat, quæ utique fuit non auxilium quo perseverarunt, seu efficax; sed auxilium sine quo non possumus perseverare, seu sufficiens. Non, inquam, satisfacit; quia non solùm Augustinus comparat gratiam & auxilium datum lapsis angelis & hominibus cum gratiæ adjutorio dato Sanctis hujus status, sed etiam gratiam datam bonis Angelis, quâ solâ perseveraverunt; eamque à gratia Sanctorum hujus status distinguit, quòd illa dabat posse, non verò actu perseverare, quod erat arbitrio libertatis seipsam determinaturæ relictum; ista verò det non solùm posse, sed etiam agere. Imò in illud discrimen explicandum, tanquam in unicum capitum illorum scopum collimat Augustinus; nam *Angelis malis per liberum arbitrium cadentibus, per idem liberum arbitrium boni steterunt, quod tunc ita liberum erat, ut benè velle posset, & malè*, ut ex Augustino mox dicebamus. Unde *cap.* 10. hæc verba habet S. Doctor, quæ responsionem adductam penitus jugulant: *Quapropter saluberrimè confitemur, quod rectissimè credimus, Deum, Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura esse præscivit, & scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bona facere, quàm mala esse non sinere; sic ordinasse Angelorum, & hominum vitam, ut in ea priùs ostenderet quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium. Denique Angeli quidam, quorum Princeps est qui dicitur*

Diabolus

Diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refuga facti sunt: refugientes tamen ejus bonitatem, quâ beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autem (in his verbis totus hujus testimonii nervus situs est) *per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt.* Quod & inculcat Doctor Sanctus *lib. de dono persev. cap. 7.* his verbis: *Qui non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantùm valuerit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.*

Augetur vis argumenti, repræsentatâ accuratâ Augustiniani libri synopsi.

Gratulor sanè eorum felicitati, qui nullam hisce in testimoniis difficultatem experiuntur, nec minorem eâ illorum bonam fortunam esse reor, qui nec frigus hyeme, nec ardores solis inter ipsos urentis caniculæ dies persentiunt. Cùm enim ibi apertè profiteatur Augustinus, Deum *sic ordinasse Angelorum, hominumque vitam, ut in ea ostenderet, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium*; manifestum est eò loci indagare Augustinum characteristicam adjutorii gratiæ utriusque status differentiam, ut hac inquisitione & vires liberi arbitrii sani, & omnipotentissimam gratiæ medicinalis vim declararet; ipsaque verba clariùs id loquuntur, quàm si essent solaribus radiis delineata; & aliquid eis addere, decerpsisse est.

Ad cujus majorem claritatem, & absolutam convictionem operæpretium duxi scopum totius libri de correptione & gratia, & duodecim priorum capitum synopsin oculis Lectorum objicere, ut hujus difficultatis vis, & Augustini mens in splendore suo toto patescat.

Cùm Monasterium Valentini nonnullâ fuisset dissensione turbatum occasione divinæ gratiæ ad bona opera necessariæ, asserente nonnullo, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit, sed pro illo, ut faciat, tantummodò esse orandum; gravem hunc errorem confutaturus Augustinus supponit *cap. 1.* catholicam de gratia Dei doctrinam, quâ credimus Dei adjutorio adjuvari nos, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, *quod nullus potest sine Spiritu gratiæ, quæ si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat, & occidat.* Imò addit, tantam esse gratiæ necessitatem, ut neque ad gratiam ipsam confugere possimus, nisi cùm à Domino gressus hominis diriguntur. *Ac per hoc & desiderare auxilium gratiæ, initium gratiæ est.* Addit insuper, hanc gratiam non excludere liberum arbitrium, quod ad bonum & malum faciendum, confitendum est nos habere, *sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

Capite secundo ejusdem gratiæ ad singulos actus necessitatem prosequitur S. Doctor, atque talem esse, *sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo, & amando, sive agendo faciunt bonum; non solùm ut monstrante ipsa quid faciendum sit, sciant; verumetiam, ut præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.* Deinde generali responsione occupat Adversariorum objectionem & querelam, asserens quod si illi queruli, & rixosi, qui non corripi, sed pro se tantùm orari volunt, essent veri filii Dei, intelligerent se spiritu Dei agi, ut quod agendum est, agant, & cùm egerint, gratias agant: quando autem non agunt, sive omninò non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent, accipiant, dilectionem nimirum, & delectationem justitiæ, eamque suavitatem, quam largitur Dominus, ut terra nostra det fructum suum: quia sicut nihil habent, quod non acceperint; ita nihil habebunt, quod non accepturi sint.

Capite tertio proponit Adversariorum querelam, dicentium: Præcipiant tantùm nobis quid facere debeamus, qui nobis præsunt, & ut faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant, & arguant si non fecerimus. Cui respondet Augustinus, omnia illa esse facienda, quia Apostoli & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant si non fierent, & orabant ut fierent. Quod probat exemplo Pauli, qui 1. *Cor.* 16. præcipiebat, ut haberetur charitas: 1. *Cor.* 6. corripiebat, quia non habebatur charitas: 1. *Thess.* 3. orabat, ut abundaret charitas. Unde concludit: *O homo, in præceptione cognosce quid debeas habere; in correptione cognosce, tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere.*

Capite quarto incipit urgere argumentum Adversariorum hoc modo: Quomodo meo vitio non habetur, quod non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omninò aliud unde tale, ac tantum munus habeatur? Rectè ergo corriperer, si gratiam meâ culpâ non haberem, hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem; vel si dante illo, accipere noluissem. Cùm ergo & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia videa me ejus præcepta facere nolle; & non potiùs ipsum rogas, ut in me operetur & velle?

Capite quinto huic objectioni respondet, utilem nihilominus esse correptionem, quâ demonstrantur vitia, causaturque utilis dolor, quo medicum quæramus, ut cùm deformes nos videmus, reformatorem desideremus, eique supplicemus, ne in illa remaneamus fœditate. *Dolor quippe ille, quo sibi displicet quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majorem orationis affectum; ut Deo miserante incremento charitatis adjutus desinat agere pudenda & dolenda, & agat laudanda atque gratanda. Hæc est correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor pro peccatorum diversitate salubritèr adhibetur; & tunc est salubris, quando supremus medicus respicit. Tunc correptione proficit homo, cùm miseretur, atque adjuvat, qui facis quos voluerit etiam sine correptione proficere. Sed quare isti sic, illi aliter diversis, & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse debere, non figuli.*

Capite sexto urget iterum instantiam Adversariorum in hoc consistentem, injustè accusari, reprehendi, corripique illos, qui non faciunt quod præceptum est, quia obedientiæ munus non acceperunt, nec illud sibi dare potuerunt. Cui respondet Augustinus, hujusmodi obloquutores vel nondum esse justificatos, vel esse justificatos. Si non regenerati, neque justificati sunt, carent illi quidem gratiâ, sed in pœnam peccati primi hominis, quem fecit Deus rectum ab initio; *ac per hoc prima pravitas, quâ Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitùs fecit, suâ malâ voluntate decidens pravus effectus est.* Nec obest, quod illa pravitas communis sit omnibus, quia ut subdit: *Imò corripiatur in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusquam non est, quod ab ea nullus immunis est.* ::: Corri-

piatur

piatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, si tamen qui corripitur filius est promissionis. Quod si aliquando justificati sunt, & in malam vitam perversa voluntate relapsi, certè non possunt dicere, Gratiam non accepimus, qui acceptam gratiam malo suo amiserunt arbitrio.

Contra eam doctrinam proponit eodem capite Augustinus replicam Adversariorum sic insistentium: Verum quidem est, nos accepisse gratiam, quâ justificati sumus, antequam relaberemur in culpam; sed quòd relapsi sumus, argui justè non possumus, quia etsi accepimus fidem per dilectionem operantem & justificantem, perseverantiam tamen non accepimus. *An quisquam dicere audebit, istam perseverantiam non esse donum Dei, & hoc tam magnum bonum ita esse nostrum, ut quisquis id habuerit, non possit ei Apostolus dicere: Quid enim habes, quod non accepisti; quoniam hoc sic habet, ut non acceperit?* Cui objectioni ut respondeat, præmittit in eodem capite Augustinus, fatendum esse perseverantiam in bono magnum esse Dei munus; nam pro ea rogavit Dominus, dum *Luc.* 22. pro Petro rogavit, ut non deficeret fides ejus, quæ profectò si homini ab homine esset, petenda à Deo non esset. Unde & Paulus perseverantiam à Deo donandam Philippensibus *cap.* 1. promittit: *Confidens hoc ipsum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu.* Quod ibidem aliis Scripturarum testimoniis, necnon egregio Cypriani loco confirmat.

Capite septimo respondet prædictæ instantiæ, asseritque, etiam non perseverantes justè corripiendos esse, quia ex bona in malam vitam suâ voluntate mutati sunt. Quod ex eo confirmat, quia si à damnatione, quæ facta est per Adam, non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audivisse Evangelium, quanto minùs se liberabunt, qui dicturi sunt, Perseverantiam non accepimus. *Ac per hoc, & qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito, in melius commutati perseverantiam non acceperunt; & qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est in eum credere noluerunt (quoniam ipse dixit: Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit à Patre meo;) & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possunt lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Quod totum illustrat fusa expositione illius Apostolici dicti: *Quis te discernit,* &c. Deinde verò idipsum confirmat doctrinâ gratuitæ Sanctorum electionis.

Capite octavo hanc de gratuita electione doctrinam applicat perseverantiæ, & respondet instantiæ præfatæ recurrendo ad judicia Dei. *Si a me quæratur,* inquit, *cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, quâ Christianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Id confirmat multis obstupendorum Dei judiciorum exemplis, quæ ad naturalia, & ad supernaturalia dilatat, & sic concludit: *Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum; & in cujus potestate est, quandiu quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terram? Sicut ergo coguntur fateri* (Adversarii contra quos disputat, & quorum instantiæ occurrit) *donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam antequam ex bono mutetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundùm Scripturas fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur,* *sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum.*

Capite nono prosequitur eandem materiam, ostenditque illos duntaxat esse veros Dei filios, & discipulos, qui usque ad finem perseverant, talesque esse qui secundùm propositum vocati sunt. Ex quo sic infert: *Appellamus ergo eos & electos Christi discipulos, & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus: sed tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur. Si autem perseverantiam non habent, id est in eo quod cœperunt esse, non manent, non verè appellantur quod appellantur, & non sunt; apud eum enim hoc non sunt, cui notum est quod futuri sunt, id est, ex bonis mali. Propter hoc Apostolus cùm dixisset, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usque in finem non permanere, mox addidit: His qui secundùm propositum vocati sunt.* Quod ibidem fusè prosequitur, variis testimoniis, & exemplis demonstrans gratuitæ electionis infallibilem certitudinem; additque tantùm abesse, inde sequi abstinendum esse à correptione, quod potiùs inde fit, eam esse cum charitate adhibendam, quia si prædestinatus est qui corripitur, fini prædestinationis deserviet utilitas correptionis. *Nemo ergo dicat, non esse corripiendum qui exorbitat de via justa, sed ei reditum, & perseverantiam à Domino tantùm esse poscendam. Nemo prudens, & fidelis hoc dicat. Si enim secundùm propositum vocatus est iste, procul dubio illi etiam, quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrum autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit, nescit, faciat ipse cum charitate, quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum, facturo Deo misericordiam, aut judicium. Misericordiam quidem, si à massa perditionis ille, qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, & non est inter vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ, quæ præparavit Deus in gloriam. Iudicium verò, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus.*

His novem capitibus vim objectionis, variasque ejus instantias contrivit Augustinus, utique diverso ab eo, quo assertores scientiæ mediæ utuntur modo, sicut advertere potuit Lector eruditus. Sed ut ad rem veniamus, summa Augustinianæ doctrinæ hæc est, ideo corripiendos esse malos quia sua voluntate peccant; ideo verò arguendos, quòd malè velint, tametsi perseverantiæ donum non accipiant, quia justo Dei judicio careant eo dono, quia nimirum justi, etsi occultis de causis, prædestinati non sunt, nec à massa corruptionis discreti. Hac in responsione sistit Augustinus, quia in ea quiescere debet Christianus. Sed quia humana subtilitas inde disputandi ansam arripit, ubi christiana docilitas & humilitas credit, adorat, conticescit; hinc statim ultrò se offert objectio, quia nimirum etsi illa doctrina locum habeat in statu corruptionis, in quo degimus; tamen locum habere nequit in statu innocentiæ, quia etsi perseverantiæ donum non accipiant præsciti, quia non sunt à massa corruptionis discreti, quare Adamus, & Angeli, qui ceciderunt, dono perseverantiæ caruerunt, quod propter nullum præcedens peccatum potuit denegari, nec ob aliquam præcedentem massam, unde discreti non sint, reprobari?

Hanc difficillimam replicam sibi proponit Doctor Sanctissimus, & juxtà oculatissimus caput 10. *Hinc exoritur alia quæstio* (id est ex his, quæ hactenus totis novem capitibus à me tradita sunt, sponte nascitur) *non sanè contemnenda, sed in adjutorio Domini, in cujus manu sunt nos & sermones nostri, aggredienda,*

dienda, atque solvenda. Quæritur enim à nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus qui certè sine ullo vitio factus est rectus. Et paucis interjectis: *Sed illud magis quærendum, operosiusque tractandum est, quomodo respondeamus eis, qui dicunt: Si in illa rectitudine, in qua sine vitio factus est, habuit perseverantiam, proculdubio perseveravit in ea; & si perseveravit, utique non peccavit, nec illam suam rectitudinem, Deumque deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, Veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam; & si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim & accepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porrò si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratia largitate. Nondum quippe erat in genere humano perditionis massa antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata.*

Ecce argumentum in tota sua vi, & ad extremum usque difficultatis paulatim perductum. Quid autem ad illud respondet Augustinus? Certè nihil aliud, quàm gratiæ discrimen illud allatum superiùs, nimirum culpandum fuisse Adamum, quia cum auxilio sibi dato poterat perseverare, & per liberum arbitrium stare, adjutorio illo si benè usus fuisset. *Quia verò*, inquit, *per liberum arbitrium Deum deseruit, judicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita tota cum illo peccaverat, damnaretur.*

Capite undecimo prosequitur eandem disparitatem. *Quid ergo*, inquit, *Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem.* In quo verò sit dispar, fusè explicat, & addit: *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset; & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Tale quippe erat adjutorium quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet.* Et in hoc ait gratiam illam Adami differre à gratia Christi in hoc statu necessaria, quia *hæc tantò major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur ut velis.* Idem prosequitur usque ad finem capitis, & toto sequenti capite 12. ubi discrimen adjutorii *quo*, & *sine quo* ex professo interpretatur; præcipua verba inter objiciendum retulimus, nec ea iterum rescribere opus est.

Ex his ergo distinctè, articulatéque propositis evincitur, mentem Augustini, ut videtur, non attigisse, qui volunt S. Patrem non comparasse omnem gratiam adjutricem status innocentiæ cum gratia Salvatoris, sed solùm adjutorium datum illi ad perseverandum; quod utique fuit tantùm *sine quo*, sive sufficiens; non *quo*, sive efficax. Sed oppositum demonstrat genuinus, germanus, & naturalis duodecim priorum capitum contextus. Nam cùm *cap.* 10. 11. *&* 12. extendat Augustinus objectionem de injustitia correctionis, si perseverantia sit donum Dei; extendat, inquam, ad statum innocentiæ, illamque non aliter solvat, quàm afferendo rationem disparitatis gratiæ ad utrumque statum necessariæ, in hoc positæ, quod licèt nos egeamus adjutorio, quo infirmitas voluntatis humanæ indeclinabiliter, & insuperabiliter agatur; tamen eo Adamus non egebat, quia licèt non posset perseverare sine gratia, illa tamen gratia libero sanæ voluntatis libertatis arbitrio permittebatur: cùm, inquam, Augustinus illam objectionem non aliter solvat, manifestum est, censuisse ipsum omnem gratiam status innocentiæ fuisse duntaxat sufficientem, aliàs inanis esset disparitas, & instantia de correctione non solùm æquè, sed magis in statu innocentiæ urgeret, in quo nulla præcedit corrupta massa, propter quam possit gratia efficax denegari: & tamen Augustinus per allatam à se disparitatem objectionem evertisse se credit, cùm illam solam afferat, quâ illam solvat; & ita afferat, ut in ea victoriæ suæ gloriam, & intricatissimæ quæstionis lucem constituat.

Vera Augustini explicatio.

Non possum aliquid adversùm veritatem, sed pro veritate, quâ vinci gloriosum est, quâ dum vincimur, victores sumus; quia si nos vincit veritas, sumus nos victores erroris. Itaque non possum inficiari Augustinum tribus præfatis capitulis comparare gratiam utriusque status, & afferre discrimina adjutoriorum ad illos status per se necessariorum. Verùm quomodo cum hac doctrina, cum illo discrimine clarissimè per tria integra capita ab Augustino explicata, nostra de necessitate præmotionis in omni statu sententia salva consistat, explicare quidem hoc opus, hic labor est; sed cum adjutorio Dei, in cujus manu sunt nos, & sermones nostri, & Augustini ipsius luce difficultas aggredienda est, atque solvenda.

Dicendum ergo, Augustinum comparare gratiam per se ad utrumque statum, sanum, vel corruptum necessariam ex propriis, ut ita dicam, meritis utriusque status, & attenta conditione hominis sani, & infirmi. Et in hoc sensu verum est, quod licèt homo lapsus, & infirmus ob perpetuam rebellis concupiscentiæ pugnam indigeat invictissimo adjutorio, ne inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua volũtas ipsa succumbat: attamen in statu innocentiæ sano, & integro, tali adjutorio per se non indigebat, sed ex vi illius status gratiam duntaxat sufficientem sibi necessariam exigebat, quâ stante cum solo concursu generali (qui utrum esset prævius, vel tantùm simultaneus, non disputat ibi Augustinus, sed alibi examinandum relinquit, vel à se traditum supponit, vel ut philosophicum, & ad satisfaciendum propositæ difficultati inutile prætermittit) poterat perseverare, si vellet, eadem facilitate, quâ poterat ambulare; quia sicut facultatem progressivam sanam, & incolumem in creatione à Deo acceperat, ita & voluntatem Deo adhærentem, robustam, virtutibus omnibus, & viribus ad operandum in ordine supernaturali instructissimam sortitus erat.

Ad cujus majorem elucidationem considerandum est, Augustinum in omnibus suis de gratia Christi libris disputare contra Pelagianos, vel Pelagianorum reliquias, qui hæretici infirmatam esse per peccatum originale naturam humanam pernegabant, ideoque gratiam necessariam esse inficiabantur. Augustinus contrà oppositum fundamentum perpetuò urget, nempe naturam, & libertatem ad benè agendum peccato sauciatam, & penè ad nihilum redactam; cui fundamento oppositam Pelagianismo conclusionem de necessitate gratiæ continenter superstruit. Unde in omnibus suis libris necessitatem, efficaciam, vim, victoriam, & triumphos gratiæ ex infirmitate naturæ colligit: & quamvis interdum alia principia gratiæ efficacis, nimirum divinæ scientiæ & voluntatis causalitatem, & omnipotentissimam potestatem, supremum Dei in omnes causas, etiam liberas, dominium,

dominium, scientiæ mediæ sibi propositæ impossibilitatem, aliaque hujusmodi doctrinæ suæ capita insinuet; attamen totum suæ causæ præsidium, totam divinæ gratiæ victricis necessitatem firmissimam in infirmitate naturæ à Pelagianis negata, & à Massiliensibus tandem confessa ponit. Quid ergo mirum, si gratiam efficacem neget statui sano necessariam, cùm ejus efficaciam in vi medicinali collocet, quæ utique benè valentibus non est necessaria?

Hanc Augustini interpretationem ex illis capitibus, in quibus tota difficultatis summa posita est, eruere licet; sic enim habet *cap.* 11. ubi gratiam hujus status, qualis sit, exponit. *Ille in bonis erat* (loquitur de Adamo) *quæ bonitate sui conditoris acceperat. Neque enim illa bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus nullum prorsus patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: Libera nos à malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit; istos à reatu & hereditario, & proprio, illius Agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominū nostrum. Quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nulla tali reipsa à seipso adversus seipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco suâ secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc, veruntamen potentiore gratia indigent isti.*

Idem prosequitur capite duodecimo his verbis: *Major quippe libertas est necessaria adversus tot, & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam, & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. Isti autem non dico terrente mundo, sed sæviente, ne starent, steterunt in fide, cùm videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicturus; isti quæ accepturi fuerant, non viderent. Unde hoc, nisi donante illo, à quo misericordiam consequuti sunt, ut fideles essent; à quo acceperunt spiritum, non timoris, quo persequentibus cederent; sed virtutis, & charitatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent? Illi ergo sine peccato ullo data est, cum qua conditus est, voluntas libera, & eam fecit servire peccato: horum verò cùm fuisset voluntas serva peccati, liberata est per illum, qui dixit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, ut quanvis quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla subrepant, propter quæ dicant quotidie: Dimitte nobis debita nostra; non tamen ultrà serviant peccato, quod est ad mortem.*

Denique caput sic concludit: *Tantùm Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet: & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideo quanvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quanvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippe permisit, atque dimisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.*

Vides eatenus Augustinum velle nos egere gratiâ invictissimâ, indeclinabili, victrici, & per se efficaci, quia voluntas nostra peccato infirmata, & vi concupiscentiæ corruptæ illecta absque hujusmodi fortissimo adjutorio deficeret: verè ergo infert hominem non eguisse hujusmodi adjutorio sanante infirmitatem, compellente tarditatem & languorem, molliente difficultatem, vincente mundi amores, terrores, errores, ac superante cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia; non eguisse, inquam, titulo infirmitatis, corruptionis, & debilitatis: an verò alio, nimirum subordinationis titulo eguerit, ibi non disputat, nec ad Adversariorum sedandam querelam necessarium erat, quia absolutè verum erat hominem in statu innocentiæ non indiguisse auxilio, quo actu perseveraret, sicut eo eget voluntas hominis infirmi; ita ut si per possibile, vel impossibile non esset auxilium illud *quo* necessarium ratione subordinationis, illud integritas primi hominis minimè desideraret; & tamen eo egeret homo infirmus, tametsi ratione subordinationis causæ secundæ ad primam non exigeretur.

Idque possumus aliquo exemplo ex doctrina Augustini petito illustrare, ex quo apparebit Augustinum ea interdum tradere, quæ alii alibi disputanda supponunt; sed iis esse contentum, quæ ad præsentem difficultatem solvendam sufficiunt. Sic in opusculo contra Porphyrium de sex quæstionibus Paganorum edito, quod habetur *epist.*49. Ethnicis importunè quærentibus, cur Christus post tam longa tempora venerit, hoc eis brevitatis gratiâ respondit, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri. Et tamen idem S. Doctor *lib. de prædest. Sanct. cap.* 9. ait se id dixisse absque præjudicio latentis consilii Dei, quia nimirum quod ibi dixerat, *convincendæ Paganorum infidelitati sufficere videbatur. Proinde quod dixi*, addit, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Sed quia si ita diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosiùs, & laboriosiùs disputari, visum mihi est, quod tunc satis erat, breviter esse dicendum; excepta, ut dixi, altitudine sapientiæ, & scientiæ Dei, & sine præjudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed aliàs opportuniùs disputandum putavi.*

Similiter ergo in proposito dicimus, intendisse duntaxat Augustinū triplici illo capite memorato ea tradere quæ convincendæ Pelagianorum, & Monachorum Adrumetinorum instantiæ sufficere videbantur; nec Lectorem voluit facere intentum ad ea requirenda, quæ nunc occasione generalis causarum secundarum

Diabolus, per liberum arbitrium à Domino Deo refuga facti sunt: refugientes tamen ejus bonitatem, quâ beati fuerunt, non potuerunt ejus effugere judicium, per quod miserrimi effecti sunt. Cæteri autem (in his verbis totus hujus testimonii nervus situs est) *per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt.* Quod & inculcat Doctor Sanctus *lib. de dono persev. cap. 7.* his verbis: *Qui non infertur in tentationem, non discedit à Deo. Non est hoc omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt; fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præstantia quantùm valuerit in Angelis, qui diabolo cum suis cadente, in veritate steterunt, & ad securitatem perpetuam non cadendi, in qua nunc eos esse certissimi sumus, pervenire meruerunt. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.*

Augetur vis argumenti, repræsentatâ accuratâ Augustiniani libri synopsi.

Gratulor sanè eorum felicitati, qui nullam hisce in testimoniis difficultatem experiuntur, nec minorem eâ illorum bonam fortunam esse reor, qui nec frigus hyeme, nec ardores solis inter ipsos urentis caniculæ dies persentiunt. Cùm enim ibi apertè profiteatur Augustinus, Deum *sic ordinasse Angelorum, hominumque vitam, ut in ea ostenderet, quid posset liberum arbitrium, deinde quid posset sua gratia beneficium*; manifestum est eò loci indagare Augustinum characteristicam adjutorii gratiæ utriusque status differentiam, ut hac inquisitione & vires liberi arbitrii sani, & omnipotentissimam gratiæ medicinalis vim declararet; ipsaque verba clariùs id loquuntur, quàm si essent solaribus radiis delineata; & aliquid eis addere, decerpsisse est.

Ad cujus majorem claritatem, & absolutam convictionem operæpretium duxi scopum totius libri de correptione & gratia, & duodecim priorum capitum synopsin oculis Lectorum objicere, ut hujus difficultatis vis, & Augustini mens in sp'e idote suo toto patescat.

Cùm Monasterium Valentini nonnullâ fuisset dissensione turbatum occasione divinæ gratiæ ad bona opera necessariæ, asserente nonnullo, neminem corripiendum, si Dei præcepta non facit, sed pro illo, ut faciat, tantummodò esse orandum; gravem hunc errorem confutaturus Augustinus supponit *cap. 1.* catholicam de gratia Dei doctrinam, quâ credimus Dei adjutorio adjuvari nos, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, *quod nullus potest sine Spiritu gratia, quæ si desit, ad hoc lex adest, ut reos faciat, & occidat.* Imò addit, tantam esse gratiæ necessitatem, ut neque ad gratiam ipsam consurgere possimus, nisi cùm à Domino gressus hominis dirigantur. *Ac per hoc & desiderare auxilium gratia, initium gratia est.* Addit insuper, hanc gratiam non excludere liberum arbitrium, quod ad bonum & malum faciendum, confitendum est nos habere, *sed in malo faciendo liber est quisque justitiæ servusque peccati; in bono autem liber esse nullus potest nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis.*

Capite secundo ejusdem gratiæ ad singulos actus necessitatem prosequitur S. Doctor, atque talem esse, *sine qua nullum prorsus sive cogitando, sive volendo, & amando, sive agendo faciunt bonum; non solùm ut monstrante ipsa quid faciendum sit, sciant; verùmetiam, ut præstante ipsa faciant cum dilectione quod sciunt.* Deinde generali responsione occupat Adversariorum objectionem & querelam, asserens quod si illi queruli, & rixosi, qui non corripi, sed pro se tantùm orari volunt, essent veri filii Dei, intelligerent se spiritu Dei agi, ut quod agendum est, agant, & cùm egerint, gratias agant: quando autem non agunt, sive omninò non faciendo, sive non ex charitate faciendo, orent ut quod nondum habent; accipiant, dilectionem nimirum, & delectationem justitiæ, eamque suavitatem, quam largitur Dominus, ut terra nostra det fructum suum: quia sicut nihil habent, quod non acceperint; ita nihil habebunt, quod non accepturi sint.

Capite tertio proponit Adversariorum querelam, dicentium: Præcipiant tantùm nobis quid facere debeamus, qui nobis præsunt, & ut faciamus orent pro nobis, non autem nos corripiant, & arguant si non fecerimus. Cui respondet Augustinus, omnia illa esse facienda, quia Apostoli & præcipiebant quæ fierent, & corripiebant si non fierent, & orabant ut fierent. Quod probat exemplo Pauli, qui 1. *Cor. 16.* præcipiebat, ut haberetur charitas: 1. *Cor. 6.* corripiebat, quia non habebatur charitas: 1. *Thess. 3.* orabat, ut abundaret charitas. Unde concludit: *O homo, in præceptione cognosce quid debeas habere; in correptione cognosce, tuo te vitio non habere; in oratione cognosce, unde accipias quod vis habere.*

Capite quarto incipit urgere argumentum Adversariorum hoc modo: Quomodo meo vitio non habeam, quod non accepi ab illo, à quo nisi detur, non est omninò alius unde tale, ac tantum munus habeatur? Rectè ergo corriperer, si gratiam meâ culpâ non haberem, hoc est, si eam possem mihi dare, vel sumere ipse, nec facerem; vel si dante illo, accipere noluissem. Cùm ergo & ipsa voluntas à Domino præparetur, cur me corripis, quia videa me ejus præcepta facere nolle; & non potiùs ipsum rogas, ut in me operetur & velle?

Capite quinto huic objectioni respondet, utilem nihilominus esse correptionem, quâ demonstrantur vitia, causaturque utilis dolor, quo medicum quæramus, ut cùm deformes nos videmus, reformatorem desideremus, eique supplicemus, ne in illa remaneamus fœditate. *Dolor quippe ille, quo sibi displicet quando sentit correptionis aculeum, excitat eum in majorem orationis affectum; ut Deo miserante incremento charitatis adjutus desinat agere pudenda & delenda, & agat laudanda atque gratanda. Hæc est correptionis utilitas, quæ nunc major, nunc minor pro peccatorum diversitate salubriter adhibetur; & tunc est salubris, quando supremus medicus respicit. Tunc correptione proficit homo, cùm miseretur, atque adjuvat, qui facit quos voluerit etiam sine correptione proficere. Sed quare isti sic, illi aliter diversis, & innumerabilibus modis vocentur, ut reformentur, absit ut dicamus judicium luti esse debere, non figuli.*

Capite sexto urget iterum instantiam Adversariorum in hoc consistentem, injustè accusari, reprehendi, corripique illos, qui non faciunt quod præceptum est, quia obedientiæ munus non acceperunt, nec illud sibi dare potuerunt. Cui respondet Augustinus, hujusmodi obloquutores vel nondum esse justificatos, vel esse justificatos. Si non regenerati, neque justificati sunt, carent illi quidem gratiâ, sed in pœnam peccati primi hominis, quem fecit Deus rectum ab initio; *ac per hoc prima pravitas, quâ Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in qua eum Deus primitùs fecit, suâ malâ voluntate decidens pravus effectus est.* Nec obest, quod illa pravitas communis sit omnibus, quia ut subdit: *Imò corripiatur in singulis, quod est omnium. Non enim propterea cujusquam non est, quod ab ea nullus immunis est.* Corripiatur

piatur ergo origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur, si tamen qui corripitur filius est promissionis. Quod si aliquando justificati sunt, & in malam vitam perversa voluntate relapsi, certè non possunt dicere, Gratiam non accepimus, qui acceptam gratiam malo suo amiserunt arbitrio.

Contra eam doctrinam proponit eodem capite Augustinus replicam Adversariorum sic insistentium: Verum quidem est, nos accepisse gratiam, quâ justificati sumus, antequam relaberemur in culpam; sed quòd relapsi sumus, argui justè non possumus, quia etsi accepimus fidem per dilectionem operantem & justificantem, perseverantiam tamen non accepimus. *An quisquam dicere audebit, istam perseverantiam non esse donum Dei, & hoc tam magnum bonum ita esse nostrum, ut quisquis id habuerit, non possit ei Apostolus dicere: Quid enim habes, quod non accepisti; quoniam hoc sic habet, ut non acceperit?* Cui objectioni ut respondeat, præmittit in eodem capite Augustinus, fatendum esse perseverantiam in bono magnum esse Dei munus; nam pro ea rogavit Dominus, dum *Luc.* 22. pro Petro rogavit, ut non deficeret fides ejus, quæ profectò si homini ab homine esset, petenda à Deo non esset. Unde & Paulus perseverantiam à Deo donandam Philippensibus *cap.* 1. promittit: *Confidens hoc ipsum, quoniam qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Iesu.* Quod ibidem aliis Scripturarum testimoniis, necnon egregio Cypriani loco confirmat.

Capite septimo respondet prædictæ instantiæ, asseritque, etiam non perseverantes justè corripiendos esse, quia ex bona in malam vitam suâ voluntate mutati sunt. Quod ex eo confirmat, quia si à damnatione, quæ facta est per Adam, non se liberabunt, qui poterunt dicere, non se audivisse Evangelium, quanto minùs se liberabunt, qui dicturi sunt, Perseverantiam non accepimus. *Ac per hoc, & qui Evangelium non audierunt, & qui eo audito, in melius commutati perseverantiam non acceperunt; & qui Evangelio audito venire ad Christum, hoc est in eum credere noluerunt (quoniam ipse dixit: Nemo venit ad me, nisi ei datum fuerit à Patre meo;) & qui per ætatem parvulam nec credere potuerunt, sed ab originali noxa solo possunt lavacro regenerationis absolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt, non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem.* Quod totum illustrat fusa expositione illius Apostolici dicti: *Quis te discernit,* &c. Deinde verò idipsum confirmat doctrinâ gratuitæ Sanctorum electionis.

Capite octavo hanc de gratuita electione doctrinam applicat perseverantiæ, & respondet instantiæ præfatæ recurrendo ad judicia Dei. *Si à me quæratur,* inquit, *cur eis Deus perseverantiam non dederit, quibus eam, quâ Christianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum, audio dicentem Apostolum: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo?* Id confirmat multis obstupendorum Dei judiciorum exemplis, quæ ad naturalia, & ad supernaturalia dilatat, & sic concludit: *Cur igitur hoc tam magnum beneficium aliis dat, aliis non dat Deus, apud quem non est iniquitas, nec acceptio personarum; & in cujus potestate est, quandiu quisque in hac vita maneat, quæ tentatio dicta est super terram? Sicut ergo coguntur fateri* (Adversarii contra quos disputat, & quorum instantiæ occurrit) *donum Dei esse, ut finiat homo vitam istam antequam ex bono mutetur in malum; cur autem aliis donetur, aliis non donetur, ignorant: ita donum Dei esse in bono perseverantiam secundùm Scripturas fateantur nobiscum; & cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum.*

Capite nono prosequitur eandem materiam, ostenditque illos dumtaxat esse veros Dei filios, & discipulos, qui usque ad finem perseverant, talesque esse qui secundùm propositum vocati sunt. Ex quo sic infert: *Appellamus ergo eos & electos Christi discipulos, & Dei filios, quia sic appellandi sunt, quos regeneratos piè vivere cernimus: sed tunc verè sunt quod appellantur, si manserint in eo, propter quod sic appellantur. Si autem perseverantiam non habent, id est in eo quod cœperunt esse, non manent, non verè appellantur quod appellantur, & non sunt; apud eum enim hoc non sunt, cui notum est quod futuri sunt, id est, ex bonis mali. Propter hoc Apostolus cùm dixisset, Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, sciens nonnullos diligere Deum, & in eo bono usque in finem non permanere, mox addidit: His qui secundùm propositum vocati sunt.* Quod ibidem fusè prosequitur, variis testimoniis, & exemplis demonstrans gratuitæ electionis infallibilem certitudinem; additque tantùm abesse, inde sequi abstinendum esse à correptione, quod potiùs inde fit, eam esse cum charitate adhibendam, quia si prædestinatus est qui corripitur, fini prædestinationis deserviet utilitas correptionis. *Nemo ergo dicat, non esse corripiendum qui exorbitat de via justa, sed ei reditum, & perseverantiam à Domino tantùm esse poscendam. Nemo prudens, & fidelis hoc dicat. Si enim secundùm propositum vocatus est iste, procul dubio illi etiam, quòd corripitur, Deus cooperatur in bonum. Utrum autem sic sit vocatus, quoniam qui corripit, nescit, faciat ipse cum charitate, quod scit esse faciendum: scit enim talem corripiendum, facturo Deo misericordiam, aut judicium. Misericordiam quidem, si à massa perditionis ille, qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, & non est inter vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ, quæ præparavit Deus in gloriam. Iudicium verò, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus.*

His novem capitibus vim objectionis, variasque ejus instantias contrivit Augustinus, utique diverso ab eo, quo assertores scientiæ mediæ utuntur modo, sicut advertere potuit Lector eruditus. Sed ut ad rem veniamus, summa Augustinianæ doctrinæ hæc est, ideo corripiendos esse malos quia sua voluntate peccant; ideo verò arguendos, quòd malè velint, tametsi perseverantiæ donum non accipiant, quia justo Dei judicio carent eo dono, quia nimirum justi, etsi occultis de causis, prædestinati non sunt, nec à massa corruptionis discreti. Hac in responsione sistit Augustinus, quia in ea quiescere debet Christianus. Sed quia humana subtilitas inde disputandi ansam arripit, ubi christiana docilitas & humilitas credit, adorat, conticescit; hinc statim ultrò se offert objectio, quia nimirum etsi illa doctrina locum habeat in statu corruptionis, in quo degimus; tamen locum habere nequit in statu innocentiæ, quia etsi perseverantiæ donum non accipiant præsciti, quia non sunt à massa corruptionis discreti, quare Adamus, & Angeli, qui ceciderunt, dono perseverantiæ caruerunt, quod propter nullum præcedens peccatum potuit denegari, nec ob aliquam præcedentem massam, unde discreti non sunt, reprobari?

Hanc difficillimam replicam sibi proponit Doctor Sanctissimus, & juxtà oculatissimus capite 10. *Hinc exoritur alia quæstio* (id est ex his, quæ hactenus totis novem capitibus à me tradita sunt, sponte nascitur) *non sanè contemnenda, sed in adjutorio Domini, in cujus manu sunt nos & sermones nostri, aggre-*

dienda, atque solvenda. Quæritur enim à nobis, quantum attinet ad hoc donum Dei, quod est perseverare usque in finem, quid de ipso primo homine sentiamus qui certè sine ullo vitio factus est rectus. Et paucis interjectis: *Sed illud magis quærendum, operosiusque tractandum est, quomodo respondeamus eis, qui dicunt: Si in illa rectitudine, in qua sine vitio factus est, habuit perseverantiam, proculdubio perseveravit in ea; & si perseveravit, utique non peccavit, nec illam suam rectitudinem, Deumque deseruit. Eum autem peccasse, & desertorem boni fuisse, Veritas clamat. Non ergo habuit in illo bono perseverantiam; & si non habuit, non utique accepit. Quomodo enim & acepisset perseverantiam, & non perseverasset? Porrò si propterea non habuit, quia non accepit, quid ipse non perseverando peccavit, qui perseverantiam non accepit? Neque enim dici potest, ideo non accepisse, quia non est discretus à massa perditionis gratia largitate. Nondum quippe erat in genere humano perditionis massa antequam peccasset, ex quo tracta est origo vitiata.*

Ecce argumentum in tota sua vi, & ad extremum usque difficultatis paulatim perductum. Quid autem ad illud respondet Augustinus? Certè nihil aliud, quàm gratiæ discrimen illud allatum superiùs, nimirum culpandum fuisse Adamum, quia cum auxilio sibi dato poterat perseverare, & per liberum arbitrium stare, adjutorio illo si benè usus fuisset. *Quia verò*, inquit, *per liberum arbitrium Deum deseruit, judicium Dei expertus est, ut cum tota sua stirpe, quæ in illo adhuc posita tota cum illo peccaverat, damnaretur.*

Capite undecimo prosequitur eandem disparitatem. *Quid ergo*, inquit, *Adam non habuit Dei gratiam? Imò verò habuit magnam, sed disparem.* In quo verò sit dispar, fusè explicat, & addit: *Istam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet esse malus; sed sanè habuit, in qua si permanere vellet, nunquam malus esset; & sine qua etiam cum libero arbitrio bonus esse non posset, sed eam tamen per liberum arbitrium deserere posset. Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quam reliquit in ejus libero arbitrio. Tale quippe erat adjutorium quod desereret cùm vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret ut vellet.* Et in hoc ait gratiam illam Adami differre à gratia Christi in hoc statu necessaria, quia *hæc tantò major est, ut parum sit homini per illam reparare perditam libertatem, parum sit denique non posse sine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, si velit, nisi etiam efficiatur ut velit.* Idem prosequitur usque ad finem capitis, & toto sequenti capite 12. ubi discrimen adjutorii *quo*, & *sine quo* ex professo interpretatur; præcipua verba inter objiciendum retulimus, nec ea iterum rescribere opus est.

Ex his ergo distinctè, dearticulatéque propositis evincitur, mentem Augustini, ut videtur, non attigisse, qui volunt S. Patrem non comparasse omnem gratiam adjutricem status innocentiæ cum gratia Salvatoris, sed solùm adjutorium datum illi ad perseverandum; quod utique fuit tantùm *sine quo*, sive sufficiens; non *quo*, sive efficax. Sed oppositum demonstrat genuinus, germanus, & naturalis duodecim priorum capitum contextus. Nam cùm *cap. 10. 11. & 12.* extendat Augustinus objectionem de injustitia correctionis, si perseverantia sit donum Dei; extendat, inquam, ad statum innocentiæ, illamque non aliter solvat, quàm afferendo rationem disparitatis gratiæ ad utrumque statum necessariæ, in hoc positæ, quod licèt nos egeamus adjutorio, quo infirmitas voluntatis humanæ indeclinabiliter, & insuperabiliter agatur; tamen eo Adamus non egebat, quia licèt non posset perseverare sine gratia, illa tamen gratia libero sanæ voluntatis libertatis arbitrio permittebatur: cùm, inquam, Augustinus illam objectionem non aliter solvat, manifestum est, censuisse ipsum omnem gratiam status innocentiæ fuisse duntaxat sufficientem, alias inanis esset disparitas, & instantia de correctione non solùm æquè, sed magis in statu innocentiæ urgeret, in quo nulla præcedit corrupta massa, propter quam possit gratia efficax denegari: & tamen Augustinus per allatam à se disparitatem objectionem evertisse se credit, cùm illam solam afferat, quâ illam solvat; & ita afferat, ut in ea victoriæ suæ gloriam, & intricatissimæ quæstionis lucem constituat.

Vera Augustini explicatio.

Non possum aliquid adversùm veritatem, sed pro veritate, quâ vinci gloriosum est, quâ dum vincimur, victores sumus; quia si nos vincit veritas, sumus nos victores erroris. Itaque non possum inficiari Augustinum tribus præfatis capitulis comparare gratiam utriusque status, & afferre discrimina adjutoriorum ad illos status per se necessariorum. Verùm quomodo cum hac doctrina, cum illo discrimine clarissimè per tria integra capita ab Augustino explicata, nostra de necessitate præmotionis in omni statu sententia salva consistat, explicare quidem hoc opus, hic labor est; sed cum adjutorio Dei, in cujus manu sunt nos, & sermones nostri, & Augustini ipsius luce difficultas aggredienda est, atque solvenda.

Dicendum ergo, Augustinum comparare gratiam per se ad utrumque statum, sanum, vel corruptum necessariam ex propriis, ut ita dicam, meritis utriusque status, & attenta conditione hominis sani, & infirmi. Et in hoc sensu verum est, quod licèt homo lapsus, & infirmus ob perpetuam rebellis concupiscentiæ pugnam indigeat invictissimo adjutorio, ne inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumbat: attamen in statu innocentiæ sano, & integro, tali adjutorio per se non indigebat, sed ex vi illius status gratiam duntaxat sufficientem sibi necessariam exigebat, quâ stante cum solo concursu generali (qui utrum esset prævius, vel tantùm simultaneus, non disputat ibi Augustinus, sed alibi examinandum relinquit, vel à se traditum supponit, vel ut philosophicum, & ad satisfaciendum propositæ difficultati inutile prætermittit) poterat perseverare, si vellet, eadem facilitate, quâ poterat ambulare; quia sicut facultatem progressivam sanam, & incolumem in creatione à Deo acceperat, ita & voluntatem Deo adhærentem, robustam, virtutibus omnibus, & viribus ad operandum in ordine supernaturali instructissimam sortitus erat.

Ad cujus majorem elucidationem considerandum est, Augustinum in omnibus suis de gratia Christi libris disputare contra Pelagianos, vel Pelagianorum reliquias, qui hæretici infirmatam esse per peccatum originale naturam humanam pernegabant, ideoque gratiam necessariam esse inficiabantur. Augustinus contrà oppositum fundamentum perpetuò urget, nempe naturam, & libertatem ad benè agendum peccato sauciatam, & penè ad nihilum redactam; cui fundamento oppositam Pelagianismo conclusionem de necessitate gratiæ continenter superstruit. Unde in omnibus suis libris necessitatem, efficaciam, vim, victoriam, & triumphos gratiæ ex infirmitate naturæ colligit: & quamvis interdum alia principia gratiæ efficacis, nimirum divinæ scientiæ & voluntatis causalitatem, & omnipotentissimam potestatem, supremum Dei in omnes causas, etiam liberas

dominium,

dominium, scientiæ mediæ sibi propositæ impossibilitatem, aliaque hujusmodi doctrinæ suæ capita insinuet; attamen totum suæ causæ præsidium, totam divinæ gratiæ victricis necessitatem firmissimam in infirmitate naturæ à Pelagianis negata, & à Massiliensibus tandem confessa ponit. Quid ergo mirum, si gratiam efficacem neget statui sano necessariam, cùm ejus efficaciam in vi medicinali collocet, quæ utique benè valentibus non est necessaria?

Hanc Augustini interpretationem ex illis capitibus, in quibus tota difficultatis summa posita est, eruere licet; sic enim habet *cap.* 11. ubi gratiam hujus status, qualis sit, exponit. *Ille in bonis erat* (loquitur de Adamo) *quæ bonitate sui conditoris acceperat. Neque enim illa bona & ille suis meritis comparaverat, in quibus nullum prorsus patiebatur malum. Sancti verò in hac vita, ad quos pertinet liberationis hæc gratia, in malis sunt, ex quibus clamant ad Deum: Libera nos à malo. Ille in illis bonis Christi morte non eguit; istos à reatu & hæreditario, & proprio, illius Agni sanguis absolvit. Ille non opus habebat eo adjutorio, quod implorant isti cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Quoniam in tis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: atque in tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nulla tali reipsa à seipso adversus seipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco suâ secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim lætiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti.*

Idem prosequitur capite duodecimo his verbis: *Major quippe libertas est necessaria adversus tot, & tantas tentationes, quæ in paradiso non fuerunt, dono perseverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. Hoc Sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam, & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperium libero usus arbitrio, non stetit in tanta felicitate, in tanta non peccandi facilitate. Isti autem non dico terrente mundo, sed sæviente, ne starent, steterunt in fide, cùm videret ille bona præsentia, quæ fuerat relicturus; isti quæ accepturi fuerant, non viderent. Vnde hoc, nisi donante illo, à quo misericordiam consequuti sunt, ut fideles essent; à quo acceperunt spiritum, non timoris, quo persequentibus cederent; sed virtutis, & charitatis, & continentiæ, quo cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia superarent? Illi ergo sine peccato ullo data est, tum quæ conditus est, voluntas libera, & eam fecit servire peccato: horum verò cùm fuisset voluntas serva peccati, liberata est per illum, qui dixit: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis. Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, ut quanvis quamdiu hic vivunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisque nonnulla subrepant, propter quæ dicant quotidie: Dimitte nobis debita nostra; non tamen ultrà serviant peccato, quod est ad mortem.*

Denique caput sic concludit: *Tantum Spiritu sancto accenditur voluntas eorum, ut ideò possint, quia sic volunt; ideo sic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam si in tanta infirmitate vitæ hujus, in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent, inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet: & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideo quanvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur. Ita factum est, ut voluntas hominis invalida, & imbecilla in bono adhuc parvo perseveraret per virtutem Dei, cùm & voluntas primi hominis fortis, & sana in bono ampliore non perseveraverit, habens virtutem liberi arbitrii, quamvis non defuturo adjutorio Dei, sine quo non posset perseverare, si vellet; non tamen tali, quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortissimo quippe permisit, atque dimisit facere quod vellet; infirmis servavit, ut ipso donante, quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.*

Vides eatenus Augustinum velle nos egere gratiâ invictissimâ, indeclinabili, victrici, & per se efficaci, quia voluntas nostra peccato infirmata, & vi concupiscentiæ corruptæ illecta absque hujusmodi fortissimo adjutorio deficeret: verè ergo infert hominem non eguisse hujusmodi adjutorio sanante infirmitatem, compellente tarditatem & languorem, molliente difficultatem, vincente mundi amores, terrores, errores, ac superante cuncta minantia, cuncta invitantia, cuncta cruciantia; non eguisse, inquam, titulo infirmitatis, corruptionis, & debilitatis: an verò alio, nimirum subordinationis titulo eguerit, ibi non disputat, nec ad Adversariorum sedandam querelam necessarium erat, quia absolutè verum erat hominem in statu innocentiæ non indiguisse auxilio, quo actu perseveraret, sicut eo eget voluntas hominis infirmi; ita ut si per possibile, vel impossibile non esset auxilium illud *quo* necessarium ratione subordinationis, illud integritas primi hominis minimè desideraret; & tamen eo egeret homo infirmus, tametsi ratione subordinationis causæ secundæ ad primam non exigeretur.

Idque possumus aliquo exemplo ex doctrina Augustini petitu illustrare, ex quo apparebit Augustinum ea interdum tradere, quæ alii alibi disputanda supponunt; sed iis esse contentum, quæ ad præsentem difficultatem solvendam sufficiunt. Sic in opusculo contra Porphyrium de sex quæstionibus Paganorum edito, quod habetur *epist.* 49. Ethnicis importunè quærentibus, cur Christus post tam longa tempora venerit, hoc eis brevitatis gratiâ respondit, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse qui in eum fuerant credituri. Et tamen idem S. Doctor *lib. de prædest. Sanct. cap.* 9. ait se id dixisse absque præjudicio latentis consilii Dei, quia nimirum quod ibi dixerat, *convincendæ Paganorum infidelitati sufficere videbatur. Proinde quod dixi*, addit, *tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri; posset etiam sic dici, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & ubi sciebat esse qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Sed quia si ita diceretur, lectorem faceret intentum ad ea requirenda, quæ nunc ex admonitione Pelagiani erroris necesse est copiosiùs, & laboriosiùs disputari, visum mihi est, quod tunc satis erat, breviter esse dicendum; excepta, ut dixi, altitudine sapientiæ, & scientiæ Dei, & sine præjudicio aliarum causarum, de quibus non tunc, sed alias opportuniùs disputandum putavi.*

Similiter ergo in proposito dicimus, intendisse duntaxat Augustinū triplici illo capite memorato ea tradere quæ convincendæ Pelagianorum, & Monachorum Adrumetinorum instantiæ sufficere videbantur; nec Lectorem voluit facere intentum ad ea requirenda, quæ nunc occasione generalis causarum se-

eundarum

cundarum subordinationis, & à prima dependentiæ necesse est copiosiùs, & laboriosiùs disputari.

Reflexio.

Humilientur miseri, si non potuerunt stare felices. Si boni Angeli, ut Augustinus *lib. 12. de Civit. cap. 9.* ait, *non potuerunt seipsos facere meliores, quam eos ille fecerat, quo nemo melius quidquam facit, profectò & bonam voluntatem, quâ meliores essent, nisi operante adjutorio Creatoris, habere non possent.* Quid à se, vel in se sperare potest pulvis, & cinis, homo vanitati similis, universa vanitas, & nudus, & miser, & miserabilis? Si disjectus est dives superbus, quia sibi fidit, se discernere voluit, aliquid habere voluit quod non acceperit, & habendo gloriari; non tolerabunt pauper elatus, qui non vult ponere Deum adjutorem suum, vultque gratiam pedisequam esse naturæ, non dominam.

Usqueadeò verum est, indiguisse Angelum novo ad perseverandum, distinctoque ab eo, quod in creatione acceperat, adjutorio, ut graves Theologi in hoc ejus peccatum constituant, quod ad gloriam sine speciali gratiæ auxilio se perventurum crediderit Lucifer Pelagianorum pater. Cujus subtilissimæ sapientiæ nefandum virus in homine primo extitisse non obscurè indicat August. *lib. 11. de Genes. ad lit. cap. 5.* his verbis: *Nec arbitrandum est, quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quadam elatio comprimenda, ut per humiliationem peccati, quàm de se falsò præsumpserit, disceret. Verissimè quippe dictum est: Ante ruinam exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Et hujus fortè hominis vox est in Psalmo: Ego dixi, in abundantia mea non movebor in æternum. Deinde jam expertus quid mali habeat superba præsumptio propriæ potestatis, & quid boni adjutorium gratiæ Dei: Domine, inquit, in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, avertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus.*

Vide igitur quàm sit periculosum sibi bonæ voluntatis adscribere laudem. Et certè si piaculum est formatam Deo authori denegare voluntatem, perinde iniquum est eidem eam non tribuere reformatam. *Nam si nobis libera quidem voluntas ex Deo est, quæ adhuc potest esse bona, vel mala; bona verò voluntas ex nobis est, melius est id, quod à nobis, quàm quod ab illo est. Quod si absurdissimè dicitur, oportet fateantur* (Pelagiani) *etiam bonam voluntatem nos divinitus adipisci*, ut *lib. de pecc. mer. & remiss. cap. 18.* discurrit Augustinus.

Totum itaque Deo reddamus, qui totum à Deo accepimus: non reddendo perdimus; reddendo, non solùm non perdimus, sed augemus. Quàm præclarè Augustinus epist. 34. *Benignus exactor est Deus, non egenus; & qui non crescit ex redditis, sed in se crescere facit redditores. Huic ergo, quod non redditur, perditur; quod autem redditur, reddenti additur: imò verò in eo, quod redditur, ipse reddens servatur. Deo namque seipsum debet homo, eique reddendus est, ut beatus sit, à quo accepit ut sit.*

Si homo etiam in statu innocentiæ constitutus nihil omninò sine Dei gratia potuisset, nec ejus liberum arbitrium divinæ gratiæ adjutorio destitutum quidquam, nisi ad peccandum, valuisset; imò non solùm benè vivere non potuisset, sed ne quidem de adjutorio Dei potuisset confidere, nisi prævenienti adjutorio roboratus, ut tam frequenter docet Augustinus: næ tu, mi Lector, certè & ego valde cæci sumus, nobis si aliquid asseramus, divinum si adjutorium continuis precibus, & lamentis non imploremus: Hanc utilissimam humilitatis doctrinam totius Christianæ pietatis basim docet nos idem Doctor gratiæ *serm. 9. de verb. Apostol. & hom. 4.* Quæ testimonia, propter doctrinæ, & pietatis, quam spirant, cohærentiam simul, ante oculos tuos expando: *Qui fecit nos & homines, & salvos; nam si ille nos fecit homines, nos autem ipsi nos fecimus salvos, aliquid illo melius fecimus: melius est enim salvus homo, quàm quilibet homo. Si ergo Deus te facit hominem, & tu te fecisti bonum hominem, quod tu fecisti, melius est. Noli te extollere super Deum, subde te, Deum adora: ipse fecit nos, & non ipsi nos. Vade nunc, & ventila divitias tuas: jacta te, & dic, Dives sum. Quàm dives! Si volo, justus sum; si volo, non justus sum: in potestate habeo justum esse, & justum non esse. Non audis in Psalmo: Qui confidunt in virtute sua? Ergo Deus tibi carnem, Deus tibi sensum, Deus tibi animam, Deus tibi mentem, Deus tibi intelligentiam dedit: tu das tibi ipsi justitiam? Quid est caro, qui sunt sensus, quid est intelligentia sine justitia? Nonne omnia ista, si justitiâ careant, ad pœnam valebunt? Ergo tam dives es, ut cùm Deus tibi dederit inferiora, des tibi potiora? Male dives! exinaniende dives! Si tamen habes, quod te dixisti habere, quid habes quod non accepisti?*

Speculatio III.

Sanctitas divinæ motionis defenditur, eamque in concursu ad opera peccati illibatum permanere monstratur.

HÆc est præcipua, quam nostræ de generali Dei præmotione ad omnes status dilatata sententiæ creare solent, invidia & fortior objectio, quomodo nimirum absque præjudicio divinæ sanctitatis possit Deus ad omnes omninò actus, quorum plures malos esse, & per se turpes certissimum est, causam secundam applicare, indifferentem determinare, suspensam propellere? Quomodo stante hac sententiâ, non dicetur Deus prima peccati causa, cujus nedum est cooperator, sed præoperator, & prædeterminator? Quomodo non peræquè malitiæ ac bonitatis author dicendus erit, ad utrumque actum, bonum & malum non minori, nec minùs robusta motione inclinans? Quomodo tandem justè punire possit æquissimus judex ea patrantes opera, ad quæ insuperabili, indeclinabili, & ineluctabili motione adacti sunt? Et tamen hæc omnia consequentia Catholicus refugit sensus, refugit communissima pietatis notio, & communissima de Dei bonitate æstimatio. Ergo reprobandum est antecedens, unde tam nefaria consectaria derivantur, ne divinæ sanctitatis fama deteratur.

Nec soli scientiæ mediæ assertores hac de causa prædeterminationi maledicunt, & omnibus diris devovendam illam arbitrantur; sed inde etiam Jansenius, ejusque sectatores validissima, uti rentur, argumenta depromunt, quibus distinctionem auxilii status integritatis, & corruptionis confirment, astruantque gratiam per se efficacem, seu auxilium *quo*, & operis, non nisi propter naturæ sauciatæ debilitatem, & concupiscentiæ effrenis castigandam, vincendamque libidinem desiderari. Etenim si gratia per se efficax ad perseverandi voluntatem in statu naturæ integræ necessaria fuisset, Adamo & Angelis defuisset aliquod auxilium necessarium, nempe gratia per se efficax, qua utique caruerunt. Atqui auxilium aliquod necessarium, ex cujus defectu legis divinæ prævaricatio, & æterna damnatio sequantur, creaturæ intellectuali, priusquam rea foret, deesse non potuit, quia juxta veridicam Augustini doctrinam, à Deo summè bono, summéque justo deseri creatura non potest priusquam id per peccatum mereatur; quia ut *libro 3.*

de

de liber. arbitr. cap. 16. præclarè ait: *Ex eo quod non accepit, nullus reus est; ex eo verò, quod non facit quod debet, justè reus est: debet autem, si accepit & voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem.*

Nec satisfacit, inquiunt, communis solutio Thomistarum aientium, tum hominibus innocentibus, tum Angelis lapsis non defuisse quandam etant in via sufficientissimam ad perseverandum facultatem, tametsi gratia per se efficaci caruerint, quia hæc non ad posse perseverare, sed ad actu perseverare desideratur. Non satisfacit, inquiunt: tum quia omnia ad agendum auxilia sufficientissima solus ille habere dicendus est, cui nihil eorum deest, quæ ad agendum omninò necessaria sunt; hæc enim auxilii ad agendum sufficientissimi communissima notio est, & idea omnibus insita. Nam ut lepidè ait author epistolarum provincialium, id demùm sufficit, à quo nihil abest necessarium. Hæc germana vis istius vocis. Gratia quæ aliam requirit, non sufficit. Verbum enim *sufficiens*, ita omnes interpretantur, & eodem omnes sensu accipiunt. Mulieres omnes, hoc est totius orbis dimidia pars, aulici, ac militares viri, magistratus, ac tota turba forensis, mercatores, opifices, plebeii, ad extremum universi homines id demùm sufficiens appellant, in quo insunt omnia necessaria ad agendum.

Tum quia (& augetur vis difficultatis) non solùm Adamus, & Angeli lapsi caruerunt gratiâ per se efficaci ad benè agendum, & perseverandum necessaria; sed insuper cùm malè agendo peccaverunt, ad actum malum per efficacissimam Dei operationem applicati sunt: quæ certè tam dura, tamque austera sententia iis non videtur consentanea, quæ de statu innocentiæ passim affirmat Augustinus docens *lib.* 1. *retract. cap.* 15. primum hominem habuisse *ab opere malo abstinendi summam potestatem. Preceptum Dei*, addit lib. 14. de civit. cap. 12. *tanto majore injustitiâ violatum est, quantò faciliore posset observantia custodiri.* Porrò quæ summa potestas, quæ tanta fuit in Adamo à peccato abstinendi facilitas, si gratia per se efficax illi ad perseverandi voluntatem fuit necessaria, & illi defuit ante omnem culpam, & si insuper ad ipsum positivum peccati actum voluntas ejus efficaciter à Deo applicata & prædeterminata esse supponitur? Quomodo, vel qua ratione peccatum cavere potuit, à quo nullo prorsus pacto pendebat vel gratiam ad illud cavendum indispensabiliter necessariam obtinere, vel ad actum positivum malum efficaciter à Deo non applicari?

Præmittuntur quæ apud Catholicos omnes sunt in confesso.

Sed antequam has pro virili parte difficultates, quæ ut infrà patebit, omnium sunt sententiarum crux communis, expediamus, operæpretium est catholica priùs fundamenta jacere, quàm ut accuratam, & nobis probabiliorem explicandi hujus nodi methodum proferamus.

Supponendum ergo primò, certum esse de fide, Deum non esse authorem, & causam peccati, ut contra Lutheri, Calvinique blasphemias sacra Tridentina Synodus *sess.* 6. *can.* 6. his verbis pronuntiavit: *Si quis dixerit, mala opera ita ut bona Deum operari, non permittendo solùm, sed etiam propriè, & per se, adeò ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema sit.* Hanc etiam Novatorum impietatem non solùm execrantur Patres, sed etiam validissimis argumentis conterunt. *Illius rei Deus non est author*, ait S. Fulgentius lib. 1. ad Monimum, cap. 19. *cujus est ultor.* Patet autem, Deum esse criminum vltorem, & severissimam de peccatis vindictam sumere. Similem rationem urget Augustinus in Psal. 11. 91. *Non potest fieri*, inquit, *ut puniat Deus quod fecit.* Et lib. 83. qq. q. 3. *Nullo*, inquit, *sapiente authore aliquis deterior fit.* Sed Deus quovis homine sapientior est, & per peccatum deterior evadit peccans: ergo Deo authore non fit peccatum. Et certè ut agnovit ipse Plato *lib.* 2. *de Republ.* Deus secum pugnaret, si malum efficeret, qui est summum bonum, & sibi contradiceret, si ea fieri vellet, quæ suis legibus vetavit.

Hujus etiam impietatis horror adeò castissimas Patrum Ecclesiæ mentes perculit, ut non dubitarint asserere, ejusdem impietatis esse Deum negare, & Deum authorem scelerum confiteri. *Stultus, & verè à sensu alienus est*, inquit Basilius hom. Quod Deus non sit author malorum, *qui dixerit, Non est Deus. Similis item huic est, nec quicquam in stultitia differt, qui Deum malorum causam esse dicit: si enim malorum est causa, non bonus est; si non bonus, nec Deus.* Adstipulatur August. in Ps. 52. *Non est Deus, nisi cui displicet iniquitas. Cùm dicis in corde tuo, Favet iniquitatibus meis Deus, nihil aliud dicis, quàm non est Deus.* Et ipse Seneca *epist.* 123. id ipsum vidit, quod occæcati peccatorum nebulis Lutherus, & Calvinus non videtunt. *Quid interest*, inquit, *utrum Deos neges, an infames?* Hinc Tertull. *in Scorpiaco, capite* 7. hanc impietatem appellat *spurcum blasphemiæ afflatum de haretico ore fœtentem.*

Loca Scripturæ proferre supervacaneum est, cùm oculos Dei ita mundos asserant sacræ Paginæ *Abacuch* 1. ut respicere ad iniquitatem non possint: *Mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris.* In omnibus etiam penè utriusque Testamenti versibus divina sanctitas, horror scelerum, indignatio in sceleratos, perpetua conversionis, & fugiendorum peccatorum etiam minorum admonitio inculcantur. Unde patet quàm sit abominabilis doctrina Calvini *lib.* 1. *instit. c.* 23. *n.* 3. dicentis: *Deum esse authorem criminis, se centies confiteri.* Et *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 2. affirmat Deum non solùm generali motione, unde creaturæ omnes ut sustinentur, ita efficaciam quidvis agendi ducunt, sed *speciali* motione ad scelera permovere, *qua*, inquit, *in unoquoque facinore apparet.*

Et quamvis, ut loquitur Augustinus, valeat ad seipsam persuadendam ipsa evidentia, valeat ad Christianos à tam flagitioso pronuntiato avertendos ipsa tam horrendi dogmatis ultrò se ingerens fœditas, quam si depositis præjudiciis intueri dignarentur Calvinistæ nostri, non despero fore, ut ipsos quoque suæ doctrinæ, & sui Calvini pudeat; attamen præter adductas, è Patribusque depromptas rationes, non desunt aliæ solidissimæ, quibus flagitiosa doctrina profligetur, etiamsi communissimus pietatis sensus intimis illam execrationibus non prosequeretur. Etenim ut discurrit D. Thomas 1. 2. *q.* 79. *art.* 1. omne peccatum est recessus ab ordine qui est in Deum sicut in finem; Deus autem non potest aliquid avertere à se, qui potiùs, ut ait Dionysius, omnia inclinat, & convertit ad seipsum. Quod si peccatum in se Deus referre nequeat, profectò peccatum est extra adæquatum divinæ omnipotentiæ objectum, cùm non magis, nec ulteriùs sese possit primi principii protendere causalitas, quàm finis universalitas, & amplitudo: quia omne agens agit propter finem: ergo planè repugnat Deum esse causam, & authorem peccati. Multò verò magis repugnat Deum ut authorem specialem concurrere ad peccatum positivè tentando, vel iniquitatem inspirando, vel dæmonibuss præcipiendo ut homines ad peccata inducant; quia concursus ille moralis

ipsam iniquitatem quærit, nec potest à peccati fordibus ulla ratione, ulla prævisione, ulla intentione abstergi. Et sanè qua justitiæ specie posset Deus delicta plectere, vel corrigere, si divina voluntate, suasu, consilio, præceptoque peccata patrarentur?

Nec obest quod dixit Deus 2. Reg. 12. *Ego suscito super te malum de domo tua.* Et cap. 16. *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* Nam hæc, & similia intelligi possunt, & debent vel de malo pœnæ, non culpæ; vel de permissu, non de affectione; vel tandem quia in uno, & eodem opere perversi hominis sæpè invenitur non solùm actio nefanda sceleratì, sed passio, & patientia boni, quæ ex parte sufferentis bona est, proindeque à Deo bonorum omnium largitore; & ideo opus illud Deo asseritur, non quà perversum est, sed prout in patiente sanctum est. Sic passio Christi à Deo, & sacrilegis Judæis sub diversa ratione processit, juxta illud Act. 2. *Hunc definito concilio, & præscientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis.* Et cap. 4. *Convenerunt Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël facere qua manus tua, & concilium tuum decreverunt fieri.*

Quare nec Deus propriè excæcat, nec decipit, nec corda hominum in odium convertit, ut in superficie literæ multa Scripturarum testimonia significare videntur, quorum germanus sensus est, quod quia amoto Dei lumine, non nisi caligo in mente; recedente divinæ suavitatis spiritu, non nisi duities in corde consequitur; & cessante Dei dirigentis manuductione, in obliquitatem vita nostra torquetur: ideo excæcare, & indurare Deus dicitur, non infundendo malitiam, sed non infundendo misericordiam; sicut qui lucem auferret, qui columnam, quâ fertur ædificium, subrueret, ille oculos obtenebrare, & iste ædificium deturbare, soloque exæquare diceretur. Secundò eatenus prædictæ excæcationis, obdurationisque pœnæ Deo attribuuntur, quatenus ad exequenda inscrutabilia judiciorum suorum consilia, sathanæ menti tenebras offundere, appetitum corrumpere, cor indutare permittit, & sic facere quadantenus dicitur, quorum faciendorum licentiam impartitur. Denique occæcare, indurareque Deus dicitur, quia lumen, gratiamque offert, ex cujus repulsa magis cæcatur animus, magisque duratur. Quod elegantissimè q. 10. *ad Hedigium*, hac imagine declarat Hieronymus: Sicut unus est Solis calor, qui pro inæquali subjectorum dispositione alia liquefacit, alia indurat; alia solvit, alia stringit; & ceram liquat, & lutum siccat, cùm una sit natura utriusque caloris: ita Deus uno, eodemque lumine malè affectum excæcare dicitur, benè institutum illuminare, eodemque beneficio indurare illum, hunc mollire. Videlicet miraculis eisdem editis tenerescere Israël, obdurescere Pharao cœpit; eadem doctrinæ luce Apostoli vident, Pharisæi cæci facti sunt: quoniam divina lux per se quidem ad illuminandum funditur, sed per occasionem tamen in eo cæcitatem efficit, qui lippos habet oculus; in eo duritiem, qui pravo affectus est corde. Nam palato non sano pœna est panis, qui sano est suavis; & oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis.

Illud etiam impræsentiarum observandum est, non esse mirum, si Calvinus & hæreticorum hujus temporis omnium antesignanus Lutherus in assertionibus, *assert.* 36. in tam execrandam blasphemiam proruperint; cùm enim bonorum operum necessitatem è medio sustulerint, sceleribus impunitatem, effusissimasque habenas permiserint, non mirandum est, si Deum criminum authorem pronuntiarint, qui vo'uerunt habere excusationes ad excusandum in peccatis. Detestata est olim Ecclesia Simonem Magum, qui jubebat legis minas non pertimescere, ut referunt Theodoret. *lib.* 1. *de hæret. fab. cap.* 1. & Irenæus *lib.* 1. *cap.* 20. & 30. Detestata est quoque Aëtium Principem Anomæorum, qui Anomæi, quasi exleges vocati sunt, quia contendebat, Deum non curare quid quisque agat, dummodo fidem custodiat, ut refert Epiphanius *hæresi* 76. & August. *lib. de hæres. cap.* 54. Sed veteribus hæreticis impietatis palmam præripit post hominum memoriam impudentissimus Lutherus, qui non solùm præfatam hæresim ex orco suscitavit, sed etiam scribere non erubuit, non solùm non obesse mala opera, sed obesse etiam bona, sola scelera prodesse. Sic serm. de piscatura Petri: *Quantò scelerarior es*, inquit, *tantò citiùs Deus gratiam infundit.* Et *sermone in illud*, Sic Deus dilexit mundum: *Ego tibi dico*, inquit, *quia angusta est via, oportet te fieri tenuem, si vis per eam transire.* Verùm quomodo tenuem fieri velit Christus discipulum suum, sic explicat Doctor admodum mysticus, his quæ subjungit verbis: *Cæterùm qui operibus onerati sunt, sicut conchilibus videmus onustos S. Iacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare.* O stuporem non tam hominis quàm belluæ! Non tam belluæ brutalitatem, quàm dæmonis ex adipe prodeuntem iniquitatem! Sed quis non logeat tam infernalem Prophetam tot habere sectatores, & gregales? Nonne de illo justiùs, quàm de Epicuro illud Lactantii *lib.* 3. *cap.* 17. usurpare licet: *Archipirata quispiam vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohortaretur, quo alio sermone uti posset, quam ut eadem diceret, quæ dixit Lutherus!* Sed mirum id nemini videri debet, si vitæ desertoris, & apostatæ adeò nefanda respondeat doctrina; nam juxta proverbium: *Habent similem labra lactucam, & dignum est patellâ operculum.*

Supponendum est secundò, rationes omnes, quibus probari solet, Deum cum omnibus causis ad agendum concurrere, vel etiam eas ad agendum prædeterminare, si quid probent, concludere etiam, Deum totam actus peccati, quà ens & actus est, entitatem efficere. Rationes enim generales divini concursus petuntur ex subordinatione causæ secundæ à prima, ex dependentia entis per participationem ab ente per essentiam, quæ æquè, ut patet, militant pro entitate actus peccati. Rationes autem prædeterminationis in summa sunt hæ. Tum etiam, quia illam exigit ratio primæ causæ, quæ est in Deo; si autem concursus divinus determinetur à causa secunda, Deus non erit prima causa illius determinationis actualis, nec proinde omnis entis. Tum quia sine præmotione non potest tolli intrinseca causæ secundæ indifferentia, saltem quoad individuum; nisi enim aliquid intrinsecum determinans ad actionem adveniat, causa semper in indifferentia permanebit. Tum quia inintelligibilis omninò est duarum causarum, duorumque concursuum indifferentium conjunctio sine aliquo prævio recepto in causa secunda; nam conjunctio ad agendum præcedit naturâ actionem, cùm causæ conjunguntur ut agant: Ergo per aliquid reale conjunguntur, quod sit prius naturâ actione; & hoc nomine præmotionis intelligimus. Quæ omnia, aliaque eam admittendam esse convincunt, nisi pedisequam naturæ, non dominam motionem Dei confingamus, asseramusque servire creaturæ Creatorem, Deum homini. Patet autem, has rationes peræquè de materiali peccati convincere, cùm respectu illius Deus sit prima causa, respectu illius causa secunda sit indifferens, saltem quoad individuum, & denique ad illud efficiendum debeant Deus, voluntasque humana conjungi.

Explicatur

Explicatur tandem, & dissolvitur difficultatis nodus.

His suppositis operæpretium est difficultatem istam operosè, & si fieri potest, solidè, & simul dilucidè explanare. Illud tamen credendum non est, difficultatem istam esse Thomistis singularem; communis enim etiam est assertoribus scientiæ mediæ nodus iste. Tum quia per concursum simultaneum quidquid in scelere entitatis est, efficit Deus. Tum quia Deus prudens, & volens concursum suum præbet, unde non potest dici ad peccata invitus trahi. Tum quia non minùs divinam bonitatem dedecere videtur, cùm cernit causam secundam in malum tendere, lapsum ejus sequi, & veluti in societatem coire flagitii. Tum quia Deus per scientiam mediam videt infinitas possibiles circumstantias, in quibus peccator benè operaturus esset, si in eis positus fuisset; & hoc non obstante in illis collocavit eum Deus temporis, loci, personarumque conditionibus, in quibus eum certissimè lapsurum præscivit: nonne igitur Deus censebitur causa peccati, quod utique poterat impedire? Quâ specie veritatis dicent adversarii, Deum præter intentionem ad peccatum concurrere, qui advertenter in illis posuit peccatorem circumstantiis, in quibus futurum lapsum prævidit; in illis non posuit, in quibus cum omni sanctimonia vixisset? Certè judex, qui puellam duceret in lupanar, in quo eam à lenonibus constuprandam sciret, eamque deinde capite plecteret, vix apud cordatos præter intentionem egisse crederetur; & qui aliquem in turrem dirigeret, unde præcipitem agendum sciret; vel in sylvam manuduceret, in qua spoliandum, jugulandumque prænosceret, non solùm permissiva, sed etiam tam tristium eventuum positiva causa jure, meritoque haberetur. Ergo velint nolint, ad inscrutabilia Dei judicia confugiant assertores scientiæ mediæ necessum est. Tum demùm, quia in eorum sententia, non solùm Deus erit causa physica actus peccari, sed etiam causa moralis ejusdem: sicut enim circumstantiæ moraliter ad peccatum movent, ita qui sciens & prudens aliquem in illo circumstantiarum ordine ponit, in quo prævidet secutura peccata, profectò peccatorum causa censetur, utpote qui petram scandali apponit & offensionis. Nec dicere valent, ita se gerere Deum, ut jura libertatis integra servet; nam cùm Deus in alia circumstantiarum serie peccatorem collocare potuisset, ubi piè, justéque vixisset; non minùs Deus jura libertatis servasset, si eum inibi constituisset.

Quanvis autem hæc ita sint, fateor vim præsentis difficultatis in sententia Thomistarum per prædeterminationem magis apparere, quia per præmotionem Deus non solùm causa est actus, sed etiam est causa quod voluntas actum illum velit, efficiatque. Maximè quia præmotio physica est fortior, & vehementior quàm moralis, cùm ista affectu sæpe sæpiùs careat, illa nunquam: unde si causa moralis influat in peccatum, illud de physica à fortiori dicendum videtur.

Ut autem his communibus difficultatibus fiat satis, sciendum est, nostram de constitutivo formalis peccati sententiam suprà *tom.*1. *lib.* 6. *dissert.*2. stabilitam, non parùm ad præsentem difficultatem molliendam opitulari. Cùm enim juxta ibi dicta, peccatum formaliter in privatione debitæ rectitudinis positum sit, facilè intelligitur Deum, tametsi causa sit entitatis, non esse tamen authorem peccati; quia privatio & deformitas non entitatem solam consequitur, sed ab illa, prout est à causa secunda regulis morum subjecta, derivatur: è qua sanè difficultate vix, ac ne vix quidem se expediunt positivæ malitiæ assertores; inintelligibile quippe est, causam entitatis non esse causam iniquitatis, si malitiæ iniquitas sit de formali aliquid positivum.

Verùm quia sententia in aliquo positivo peccatum constituens valde communis est, ibidemque suam ei probabilitatem asseruimus; ideo aliquid ampliùs investigandum est, quod universaliùs, & simul pleniùs satisfaciat, præsertim quia in quocumque peccatum situm esse dicatur, semper remanet hæc spina non parum pungens, quomodo excusari non possit peccator, quem Deus ad entitatem actus, cui annexa malitia est, infallibiliter permovet, etiam antequam peccaverit, ut in primo Adami peccato contigit, cujus motionem ad primum inobedientiæ actum applicantem nulla culpa præcessit.

Quare ut profundiùs, & simul suaviùs rem totam exponamus, aliquid aliud tradendum est, quo Deo non possit culpa vel mediatè, vel immediatè ascribi; quove omni voluntatis excusationi aditus præcludatur. Id autem, ni fallor, expeditè, & solidè conficiemus, si consideremus, quod sicut Deus in ratione efficiendi est prima causa ab alia quavis independens, & à qua omnes aliæ pendent; ita voluntas in ratione deficiendi est causa prima, sub qua ratione non dependet à Deo, sed potiùs concursum Dei obliquat, & detorquet, facitque, ut ait Scriptura, servire Deum iniquitatibus suis. Itaque & Deus tanquam prima causa efficiens prædeterminat tanquam universalis motor voluntatem ad rationem boni, quod in omnibus actibus voluntas quærit; & dum Deus ad illam bonitatem quærendam permovet, motionem illam inflectit prima causa deficiens, seu voluntas, ad malum perquirendum, seu ad bonum contra regulam rationis amandum. Cùm enim voluntas sit inclinatio hominis, necesse est ut in bonum sibi conveniens semper tendat, & beatitatem, vel beatitatis radium aliquem in actibus etiam nefandissimis quærat, tametsi non inveniat. Quare verò concursum Dei sic intorqueat, & incurvet, non est alia causa, nisi quia voluntas sibi permissa ita vult, & in genere deficiendi ipsa est primum principium ab alio independens.

Ad cujus evidentiam recolendum est quod aliàs libro sexto, *dissert.*2. *cap.*2. *pag.*496. diximus, privationem rectitudinis, in qua formalem peccati rationem sitam esse ostendimus, se habere ad actum humanum non solùm consequenter, quatenus resultare intelligitur ex actu tendente in objectum dissonum; sed etiam concomitanter, & consequenter: concomitanter quidem, quia actus non solùm elicitur ut privetur, sed etiam elicitur ut debito fine privatus: antecedenter verò, quia ille idem actus, qui tendit ad objectum commutabile, priùs à bono incommutabili & rectitudine rationis recessit. Unde sicut corruptio in genere causæ materialis, & dispositivæ præcedit generationem; & recessus à termino à quo accessum ad terminum ad quem in aliquo priori antecedit: ita voluntas priùs recedit à Deo, quàm amplexetur objectum abominabile; priùs bono incommutabili terga vertit, quàm bonum commutabile respiciat; facitque peccator duo mala, derelinquit nimirum fontem aquæ vitæ, & fodit sibi cisternas dissipatas. *Nemo quærat*, inquit Augustinus ibi laudatus, *causam efficientem humanæ pravitatis; non enim est efficiens, sed deficiens, quia nec illa affectio est, sed defectio.* Quia ergo voluntas dum peccat, & efficit, & deficit; quatenus efficit, applicatur à Deo; quatenus deficit, applicat concursum Dei. Non secus ac anima dum tibiam curvam permovet, motione sua

tibiam applicat; tibia tamen motionem animæ incurvat, & ut ita dicam, applicat ad claudicationem.

Præ oculis ergo semper habendum est, in opere malo efficiendo duo prima principia concurrere, & Deum, & voluntatem, in suo genere, & in sua linea independentia: entitatis primum principium Deus est, obliquitatis, & deformitatis primum principium voluntas, quæ nullo alio indiget, ut principium actuale operationis constituatur, quàm seipsâ. In illo ergo priori, antequam pariat iniquitatem, constituitur primum principium actuale operationis deficientis per voluntarium à lege recessum, seu non subjectionem ad superiorem; ab illo ergo principio sic accincto, sic parato, quid aliud prosiliet quàm culpa? Quid ergo mirum, si Deum ad concurrendum ad materiale peccati pertrahit, quia primum principium efficiens primi deficientis libertatem tametsi possit gratiâ suâ victrici flectere, illam tamen sæpè sinit juxta suæ defectibilis libertatis jura operari.

Ex his opinor difficultates omnes absque negotio solutum iri; nam nec Deo tribuitur authori culpa, cujus primum principium voluntas est; nec in præmotionem divinam refundetur operatio, si actionem primi principii efficientis in genere causæ materialis præcedere defectionem primi principii deficientis intelligamus. Frustra etiam ad excusandas excusationes in peccatis divinæ motionis insuperabilem potestatem voluntas allegabit: tum quia divina motio per se ad bonum tantùm movet, nec actum malum, nisi detorta operatur: tum quia priùs naturâ voluntas vult à Deo recedere, quàm actum physicum, cui annexa turpitudo est, operetur: onde priùs se movet ad formale, quàm à Deo moveatur ad materiale; & movendo se per recessum, Deum pertrahit, & veluti cogit, ut ipsam moveat ad accessum. Ex quibus in forma omnibus difficultatibus facilè, ni me mea fallat opinio, lector ingeniosus occurret. Cætera apud Philosophos, quibus istam agitare quæstionem his temporibus soleone est, inveniet si eos consulat.

Illud etiam diligenter observari aveo, quod licèt licèt sententia de prædeterminatione ad actus naturales, atque etiam ad materiale peccati, tanquam probabilior à Thomistis eligatur; non ita tamen ab illis traditur, ut ex præmotione ad actus naturales, vel ad materiale peccati pendeat veritas illa cardinalis de gratia per se efficaci ad actus supernaturales, & meritorios salutis necessaria. Generalem quippe prædeterminationem admittunt duntaxat Thomistæ ut probabilem secundùm rationem naturalem, & non ut necessariò cum fide catholica connexam. Gratiam verò per se efficacem tenent ut conclusionem theologicam ab Augustino, & Aquinate clarissimè traditam, & post articulos fidei omni exceptione majorem, in proxima & veluti ultima dispositione definibilem. Unde etiamsi nulla ad actus merè naturales, vel morales physica prædeterminatio admitteretur, eam tamen in ordine supernaturali ad rectè, christianéque vivendum admittendam contendimus, generalemque præmotionem ideò solùm astruimus, ut per eam ad gratiam per se efficacem ubei ùs, fortiusque stabiliendam viam muniamus, ad eamque propugnandam serviat etiam Philosophia. Quare gratiæ per se efficacis assertionem unicè quærimus, unicè intendimus. Unde, ut optimè Alvares *lib. 3. de auxiliis, disp. 24. n. 17.* observavit, Thomistarum nonnulli Deum præmovere ad actum peccati, etiam ut actus est, inficiati sunt, quanvis ad unum omnes gratiæ victricis, & per se efficacis omnipotentissimam potestatem à prævisione scientiæ mediæ independentem constantissimè asseverent; & de illa processit olim coram Clemente VIII. & durat adhuc Patres Societatis inter, & Dominicanos disputatio.

Hæc observare operæpretium in hujus dissertationis coronide duxi, quia quamplurimos adverti adversarios hac arte Thomisticæ de gratia sententiæ invidiam accersere, quòd nostra sententia Deum malorum actuum faciat præmotorem. Sed ut dixi, de præmotione generali non est principalis, sed tantùm accessoria disputatio. Gratiam per se, & ab omnipotentia Dei efficacem Prædicatorum Ordinis tutelæ summo Dei beneficio concreditam propugnamus, hanc à Theologiæ Angelo Præceptore nostro D. Thoma ad nos transmissam pro virili defendimus; pro illa coram Clemente, & Paulo Catholicæ Ecclesiæ Præsulibus Thomas de Lemos, Didacus Alvares, aliique non mediocris eruditionis, & pietatis cum laude certarunt; hanc veluti cœleste, sacrumque depositum Scholæ nostræ commissum, ut in sacri Ordinis perpetuitate perpetuos habeat prædicatores, & interritos defensores, custodimus; hanc à Deo quotidianis precibus, & votis enixè postulamus, quam speratum Patriarchæ, quam prædixerunt Prophetæ, quam è vulneribus suis effudit Christus, quam Paulus docuit, quam Augustinus illustravit; hanc, quâ solâ egemus, oobis concedat Deus benedictus in sæcula. Ad hanc gratiam omni genere argumentorum stabiliendam integram dissertationem in duo capita, & in sex speculationes, methodo nobis familiari dissectam paraveramus, ubi ex theologicis decem locis latissimè patentibus rationes deprompseramus multitudine varias, doctrinæ ecclesiasticæ ubertate refertas: sed quia melior est obedientia, quàm victima; & de ligno vetito edere piaculum est, eam idcirco supprimendam censuimus, ne à debita Romanis Pontificibus hujus quæstionis tractationem vetantibus obedientia vel latum unguem discedamus.

Reflexio.

Non est quod impius se in suorum patratione flagitiorum excuset; desinet enim quisque de Dei motione conqueri, vel de Dei gratia, quòd ipsum deserat, obmurmurare, si defectionem suam intelligat se mereri. Observat Augustinus *lib. 2. de Genesi ad Manich.* nihil esse tam familiare peccantibus, quàm tribuere Deo velle undecumque accusantur. Immò illum esse superbiæ humanæ characterem, confirmat lib. de nat. & grat. c. 25. *Procliviores sumus*, inquit, *quærere potius quid contra ea respondeamus, quæ nostro objiciuntur errori, quàm intendere quàm sint salubria, ut careamus errore.* Perperam concursum Dei accusas, quem ad peccatum inflectis. Nemo te facit malum, nisi tu ipse; nooenim naturâ, sed liberè peccando malus factus es. Audi Deum *Psalm. 49.* ineptas causationes tuas objurgantem, & dicentem tibi: *Hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè, quod ero tui similis.* Quasi dicat, ut ibi expendit Augustinus, à vindicta supersedi, severitatem meam distuli, patientiam tibi prolongavi, pœnitentiam tuam diu expectavi: Ergòne quia tua mala placent tibi, placere credis & mihi? Me quia non pateris ultorem, vis habere participem, & tanquam corruptum judicem prædæ socium. His peccatoris excusationibus non minuitur culpa, sed immensùm augetur. Quod probat Magnus Gregorius *lib. 22. Moral. cap. 9.* exemplo Protoparentum, qui *adhibere sibimet defensionis solatia, quàm confessionis elegerunt. Cùmque excusare peccatum voluerit vir per mulierem, mulier per serpentem, auxerunt culpam, quam tueri conati sunt: obliquè Adam*

Adam Dominum tangens, quòd ipse peccati eorum author extiterit, qui mulierem fecit; & Eva culpam ad Dominum referens, qui serpentem in paradiso posuisset.

Ergo non excusatione, sed confessione, sed pœnitentiâ peccata nostra diluamus. Timemus quidem confiteri judici homini, & ideirco excusamus, ne fortè confessum puniat. Deo scelera nostra fateri, & apud illum accusare ne dubitemus, quia si nos dijudicamus, non dijudicabimur, efficimusque Deum confitendo propitium, quem negando non facimus nescium. Solâ punitivâ satisfactione peccata delemus, quæ ascitis excusationum coloribus aggravamus. Rectè Augustinus in Psalm. 58. *Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem, quasi blandiens peccatis, aut non eradicans peccata. Prorsus aut punis, aut punit. Vis non puniat? Puni tu.* Nullus ergo de Deo, nullus de divina gratia, nullus de concursu Dei conqueratur; justificatur enim Deus in sermonibus suis, & vincitur cùm judicatur. Ne accuses Deum, sed opponentem se Deo accuses libertatem tuam. Quis es tu involvens sententias sermonibus imperitis? Qualis tu, qui litem Deo moveas, vel intendas? Crede mihi, si quid in te boni advertetis, totum Deo tribue, ne glorieris: mala uni tibi tua ascribe, ut humilieris: gratiam advoca non contentione, sed oratione: ora gemitu voluntatis, ut impetres donum facilitatis; & ut os tuum obstruatur, audi Bernardum dicentem tibi: *Multi queruntur deesse sibi gratiam; sed multò justiùs gratia quereretur deesse sibi permultos.*



DISSERTATIO I.

De Deo infirmitatem nostram tum ad dignoscendum verum, tum ad operandum bonum per gratiam adjuvante: & quid, ac quotuplex sit illa gratia.



Uta ut docet Augustinus *lib. de grat. Christ. cap. 24.* operatur Deus in cordibus hominum internâ & occultâ potestate, non solùm veras revelationes, id est veritatis notitiam intus affulgentem, sed etiam bonas voluntates; quia nimirum post universalem peccati originalis stragem & ratio nostra caligat, & voluntas torpet; illa tetrris offusis tenebris approbat falsa pro veris, ista concupiscentiæ illecta illecebris eligit mala pro bonis: ideo qua ratione humanæ gratiæ egeamus, & illustremur ad cognoscendas veritates, quomodo ea adjuvemur ad veritatem cognitam ad praxim reducendam, priori capite explicamus, acturi in posteriori de ejusdem gratiæ essentia, & multiplici divisione.

CAPUT I.

Divina gratiæ infirmitatem humanam adjuvantis necessitas stabilitur.

Effectus gratiæ est veritas in mente, & amor in corde; ideo in præsenti veritatis notitiam cum operis bonitate conjungimus, quia ad hoc tendit divina gratia, ut intellectum illustret, & affectum ad bene agendum inflammet. Unde August. *lib. de grat. Christi, cap. 13.* ait: *Hæc gratia, si doctrina dicenda est, certè sic dicatur, ut altiùs, & interiùs eam Deus cum ineffabili suavitate credatur infundere; ita ut non ostendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatem.* Et lib. de spiritu & lit. cap. 3. sic: *Nos dicimus, humanam voluntatem sic divinitus adjuvari, ut præter quod creatus est homo in libero arbitrio, præter doctrinam, quâ ei præcipitur quemadmodum vivere debeat, suscipiat Spiritum sanctum* (vel saltem ejus motionem) *quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius, & incommutabilis boni; & cùm id quod agendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet, & ametur, non agitur, non suscipitur, non benè vivitur.* Prius autem agimus de vero, & bono ordinis naturalis, ut magis infirmitatis humanæ debilitas innotescat: ex quibus in fine capitis necessitas gratiæ ad verum, bonumque supernaturale colligetur, & sine negotio suadebitur.

SPECULATIO I.

Ad cognoscendas naturales veritates, non quidem gratiâ supernaturali, sed tamen auxilio Dei moventis, & illustrantis indigemus.

Hanc assertionem cum omnibus suis partibus apertè tradit, & probat Doctor Angelicus q. 109. art. 1. ubi sic formaliter ait: *Non solùm à Deo est omnis motio, sicut à primo movente, sed etiam ab ipso est omnis formalis perfectio sicut à primo actu. Sic igitur actio intellectus, & cujuscumque entis creati dependet à Deo in quantum ad duo: uno modo in quantum ab ipso habet perfectionem, sive formam, per quam agit; alio modo in quantum ab ipso movetur ad agendum.* Ubi perspicuè admittit S. Doctor necessitatem auxilii Dei moventis ad cognoscendas veritates naturales; addit tamen, ad eas dignoscendas non esse per se necessarium lumen fidei, vel aliud supernaturale, quia veritates naturales non sunt extra sphæram objecti connaturalis intellectus, ut statim expendendo ejus rationem ponderabimus. Idem repetit ad primum, his verbis: *Dicendum, quod omne verum, à quocumque dicatur, est à Spiritu sancto, sicut ab infundente naturale lumen, & movente ad intelligendum, & loquendum veritatem; non autem sicut ab inhabitante per gratiam gratum facientem, vel sicut largiente aliquod habituale donum naturæ superadditum.* Quod inculcat responsione ad 3. *Semper*, inquit, *indigemus divino auxilio ad cogitandum quodcumque, in quantum ipsum movet intellectum ad agendum.* Et in argumento *Sed contrà*, illud August. retract. cap. 14. *Non approbo quod in oratione dixi: Deus qui non nisi mundos verum scire voluisti. Respondêri enim potest, multos etiam non mundos multa scire vera.* Illud, inquam, testimonium ita interpretatur, ut Augustinus solam gratiam habitualem excluserit, quâ homo mundus efficitur, secundùm illud Psal. 50. *Cor mundum crea in me Deus.*

Ratio primæ partis est, quia ut ait D. Thomas; *Unaquæque forma indita à Deo rebus creatis habet efficaciam respectu alicujus actus determinati, in quem potest secundùm suam proprietatem; ultrà autem non potest nisi per aliquam formam superadditam, sicut aqua non potest calefacere nisi calefacta ab igne. Sic igitur intellectus humanus habet aliquam formam, scilicet ipsum intelligibile lumen, quod est de se sufficiens ad quædam intelligibilia cognoscenda, ad ea scilicet in quorum notitiam per sensibilia possumus devenire. Altiora verò* intelligibili

intelligibilia intellectus humanus cognoscere non potest, nisi fortiori lumine perficiatur, sicut lumine fidei, vel prophetiæ, quod dicitur lumen gratiæ, in quantum est naturæ superadditum. Quæ ratio sic ad formam reducitur: Quælibet facultas potest sine aliquo supernaturali sibi addito in illud ferri, quod continetur intra sphæram sui objecti proportionati. Atqui veritates naturales continentur intra sphæram objecti proportionati intellectus, cùm in illarum notitiam per sensibilia studio, meditatione, & speculatione deveniamus. Ergo non est opus gratiâ supernaturali ad veritates naturales dignoscendas.

Hanc etiam veritatem supponere videtur Scriptura quæ *Sap.* 13. docet, à magnitudine speciei & creaturæ posse cognoscibiliter Creatorem videri: & *Rom.* 1. invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspici. Supponit etiam Augustinus, dum *lib.* 1. *ad Simplician. q.* 2. affirmat, Deum nec intuitu melioris ingenii, nec ratione cognitionum, vel doctrinæ, quas sibi quis studio comparavit, nec propter opera ex objecto honesta gratiam suam impartiri. *Non habeo*, inquit, *quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen hujus electionis aliqua cogitatione pramittor, nisi vel majus ingenium, vel minora peccata, vel utrumque: addamus etiam, si placet, honestas, utilesque doctrinas. Quisquis ergo fuerit nimis peccatis irretitus, atque maculatus (nam nullis quis potest?) & acer ingenio, & liberalibus artibus expolitus, eligendus videtur ad gratiam. Sed cùm hoc statuero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, ut confundat fortia; & stulta mundi, ut confundat sapientes, ut eum intuens, & pudore correptus ego irrideam multos, & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam peccatoribus oratores.*

Denique hanc primam partem convincit nedum experientia, quâ compertum est, Gentiles non paucos lumine naturali ductos, nec supernaturali luce illustratos multas veritates cùm speculativas, tum morales agnovisse; sed etiam id persuadet, tum Patrum, tum Theologorum omnium praxis, quâ plures demonstrationes de Deo, de virtutibus, aliasque è ratione duntaxat naturali petitas adversus infideles, vel impius urgent, quas subinde ab ipsis lumine naturali penetratum iri supponunt.

Dices: His rationibus probaretur, posse sine gratia supernaturali hominem cogitationes cordium, vel futura contingentia viribus naturalibus cognoscere, cùm illa sint objecta naturalia, ac proinde intra sphæram objecti naturalis intellectus comprehensa. Ergo adducta D. Thomæ ratio non convincit.

Respondeo, id minimè sequi: ad cujus evidentiam considerandum est, cogitationes naturales bifariam dividi; quædam enim sunt naturales ex parte objecti & medii simul, in quorum nimirum notitiam devenimus per medium aliquod sensibile, vel saltem è sensibus remotè expressum; cùm teste Philosopho, omnis nostra cognitio à sensibus ortum habeat, & intelligentem ad phantasmata respicere oporteat: aliæ cognitiones sunt naturales ex parte objecti duntaxat, quod nimirum in seipso nihil habet cognitionem merè naturalem excedens; nullum tamen suest nobis medium sensibile, vel à sensibus subministratum, per quod in illius objecti cognitionem perveniamus; & hujusmodi sunt cogitationes cordium, & futura contingentia, propter rationes in tractatu de Angelis adductas: inde non mirum, si ad ea cognoscenda revelatione supernaturali opus sit.

Secunda pars affirmans hominem indigere auxilio Dei ad cognoscendas veritates ordinis naturalis, apertè traditur à D. Thoma *art.* 1. asserente, hominem indigere auxilio Dei moventis ad cognoscendas quascumque veritates, non verò gratiâ habituali, vel lumine supernaturali fidei, vel prophetiæ: quæ exceptio cùm firmet regulam, sicut homo non indiget gratia habituali, vel lumine supernaturali ad dignoscendas veritates naturales; ita ad easdem sine errore percipiendas auxilio speciali indigere intellectum humanum fatendum est. Unde *lib.* 4. *contra Gent. cap.* 52. pœnis originalis culpæ annumerat vulnus ignorantiæ intellectus, cùm speculativi, tum practici, dicens: *Inter spirituales pœnas potissima est debilitas rationis, ex qua contingit, quod homo difficulter pervenit ad veri cognitionem, & de facili labitur in errorem, & appetitus bestiales omninò superare potest, sed multoties obnubilatur ab eis.*

Ratio verò est, quia licèt hanc, vel illam veritatem in particulari seorsim sumptam, & divisim ab aliis possit homo cum solo concursu generali cognoscere; tamen in statu naturæ lapsæ plures cognoscere, quin in errorem incidat, non potest: ergo ad veritates naturales dignoscendas opus est auxilio Dei moventis speciali. Consequentia patet; sicut enim rectè concludimus, hominem indigere speciali Dei opitulantis auxilio ad vitanda peccata mortalia, quia licèt ratione libertatis possit quodlibet in particulari vitare, non continget tamen, quin illiciente concupiscentia in aliquod non cadat, nisi speciali Dei auxilio adjuvetur: ita rectè inferimus, intellectum speciali Dei illustrantis auxilio egere, si plures veritates naturales absque permixtione erroris in statu naturæ lapsæ sine Dei dirigentis speciali auxilio cognoscere nequeat, tametsi quamlibet ordinis naturalis veritatem in se spectatam solo cum generali concursu Dei cognoscere valeat.

Antecedens verò, in quo solo est difficultas, probatur: tum quia experientiâ compertum est, ipsa splendidiora Gentium, seu Philosophorum lumina sibi relicta sæpissimè caligasse; & ut benè notavit Doctor Angelicus, inde convenientiam fidei stabiliens, veritates naturales non pauci, & illi pauci non nisi post longum tempus, & adhuc post illud longum tempus, non nisi cum admixtione multorum errorum assequuti sunt. Ergo ut multi, & per breve tempus, & sine permixtione errorum veritates naturales assequantur, convenienter quidem fides, sed necessariò Dei adjuvantis motio specialis exigetur. Tum quia intellectus est potentia indifferens ad verum & falsum, ad hoc objectum potiùs quàm ad illud: ergo ut hîc, & nunc non cadat in errorem, nec verisimilibus falsitatibus decipiatur, singularis auxilii beneficio opus est, cùm in hoc statu proclivis sit falsa pro veris approbare. Tum quia pro veritatis assequutione, pro errorumque fuga divinum lumen invocamus, pro veritatibus notis gratias agimus, pro occultis oramus: nihil autem apud Augustinû inculcatius, quàm quod oratio est clarissima gratiæ, sin supernaturalis, certè naturalis auxilii specialis testificatio; nam pro concursu generali non oramus, nec illud petimus, quod in nostra est potestate. *Non fallamus homines*, inquit Augustinus epist. 107. *nam Deum fallere non valemus. Non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non ipsum facere credimus, quod oramus. Non gratiam Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.* Nec obest si dicas, ideo nos pro veri assequutione orare, & gratias agere, quia assequutio veritatis aliquid habet contingentiæ, & fallibilitatis, sicut propter eandem rationem oramus pro pluvia, vel serenitate obtinenda. Non obest, inquam: tum quia sufficit, quod assequutio veri sit contingens, & fallibilis, ut ad ejus assequutionem specialis luminis directione egeamus:

tum

tum quia poſt corruptionem primi peccati, & ob perpetuas concupiſcentiæ nebulas, non ſolùm aſſequutio veritatis eſt fallibilis, ſed etiam difficilis; quia ut ait Scriptura Geneſ.6. *Cogitatio hominis intenta eſt ad malum.* Et Sap.9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* Unde ad eam ſine permixtione erroris obtinendam ſpeciali auxilio opus eſt.

Hac divini luminis ſemitas noſtras, ne ceſpitemus, continenter dirigentis, & tenebras diſſipantis neceſſitate adeo perſuaſus erat Doctor noſter Angelicus, ut quanvis eſſet ingenio, memoria, & judicio ad miraculum fermè inſtructus, nunquam tamen ſe lectioni, aut ſcriptioni dedit, niſi poſt orationem; unde & precandi formulam, quam ſtudiis ſuis præmittebat, poſteris reliquit, in qua ſic orat: *Creator ineffabilis, qui verus fons luminis, & ſapientiæ diceris, infunde ſuper intellectus mei tenebras radium tuæ claritatis, duplicem à me removens privationem & tenebras, peccatum ſcilicet & ignorantiam. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem*, &c. Quam quidem veritatem ab Auguſtino Magiſtro ſuo didiſcerat, apud quem *lib.*10. *Confeſſ. cap.*5. legerat: *Quod de me ſcio, te mihi lucente ſcio.* Unde & *cap.*6. addit, quod ſi Deus miſertus fuerit, cœlum & terra ſurdis loquuntur laudes Dei. Legerat *lib.*2. *de peccat. merit. & remiſſ. cap.*5. quod *ſicut corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab eadem luce clauſus averſuſque diſcedat, ut autem videat, adjuvatur ab ea, neque hoc omninò, niſi illa adjuverit, poteſt: ita Deus qui lux eſt hominis interioris, adjuvat noſtræ mentis obtutum*, ut (addit libro contra epiſt. fundam. cap.2.) *ex quantulacumque parte poſſit intelligi.* Legerat quod variis locis repetit Auguſtinus, Deo, non mentis noſtræ ſtudio tribuendum eſſe verum omne quod loquimur: Magiſtrum hominis verum, non hominem eſſe, ſed Deum, ſeu æternam, & incommutabilem veritatis lucem, intus lucentem, intus coruſcantem, ut quid verum, falſumve ſit, dignoſcere valeamus: Peccatum ſuperbiæ, propter quod Philoſophorum primores in deſideria cordis ſui traditi ſunt, in eo fuiſſe poſitum, quod Dei cognitionem ſe fuiſſe naturaliter, id eſt ſolis intellectus viribus aſſequutos arbitrarentur: Veros Chriſtianos publicis Eccleſiæ precibus admoneri, veritatis cognitionem à Deo ſolo eſſe petendam, ut & aperiat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat. Denique Platonicos hac de cauſa cæteris eſſe Philoſophis anteponendos, quòd ad intelligendam veritatem intellectum noſtrum divinitus adjuvandum eſſe docuerunt, & ut *lib.*8. *de Civit. cap.*7. ait: *Lumen mentium eſſe dixerunt ad diſcenda omnia eundem ipſum Deum, à quo facta ſunt omnia.* Hæc, inquam, & alia multa legerat D. Thomas; & ideo ad praxim tam accuratè reducebat.

Quod ſi veritates ſpeculativas ſine ullius permixtione erroris dignoſcendas divini auxilii naturalis ſpeciali luce indigeat intellectus humanus ignorantiâ poſt primi parentis lapſum vulneratus, multò magis ad veritates morales intelligendas, eaſque à falſis veritatis fucatæ coloribus illitis diſcernendas. Nam cùm omnes Theologi poſt D. Thomam fateantur, luctuoſo primi parentis peccato non ſolùm corpus eſſe vitiatum, ſed magnam funeſti vulneris partem in animo impreſſam fuiſſe, non video quomodo hanc labem intellectus participaverit, vel quomodo ſit primi peccati granditate cæcata, vel obſcurata mens, ut Patres conclamant, ſi mens ad veritatis intelligentiam non obtorpeat. Imò ſuſtinere nullatenus quiſquam poteſt, voluntatem fuiſſe à ſummo bono averſam, & in creaturarum, ſuique ipſius amorem defluxiſſe, quin intellectum in veritatibus moralibus diſcernendis, ſeu in recto de bonis, maliſque rebus judicio ſæpiſſimè ceſpitare fateatur. Cùm enim ex corruptione appetitus ſenſitivi, & voluntatis infirmæ languore tenebræ exoriantur, quibus obſcuratus animus ea facilè probat, quæ voluntas malè diligit; inde fit ut in regulis morum dignoſcendis intellectus offuſis ex concupiſcentia potiſſimùm infuſcetur, quia ut aliàs non ſemel obſervavimus, rectum de moralibus judicium appetitum rectum requirit, & talis unuſquiſque eſt, ut ait Philoſophus, qualis & finis videtur ei. Unde Auguſtinus *lib.de vera & falſa pœnit.* verdicè ſcripſit: *Non poteſt ſentire quæ lucis ſunt tenebroſa voluntas.* Et tract.25. in Joan. *Tenebræ metuendæ ſunt, non oculorum; & ſi oculorum, non exteriorum, ſed internorum, unde diſcernitur non album, & nigrum; ſed juſtum, & injuſtum.* Vide etiam eundem Patrem in illud Pſal.57. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Ubi ait, quod ignis eſt concupiſcentia, quæ facit ut Sol juſtitiæ videri nequeat. Et in illud Pſal.35. *Non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.* Ubi ait, non poſſe Deum proponere ante conſpectum ſuum eos, ante quorum conſpectum non eſt niſi ſæculum.

Et certè ad hanc veritatem comprobandam ipſa experientia ſatis, ſuperque ſufficit; nam præterquam quod innumeras cernimus eſſe nationes, in quibus patet, quàm ſibi relicta ratio ad mali, bonive cognitionem parum valeat; præterquam quod per bis mille, & amplius annos ſivit Deus homines infinitis aberrationibus ſuæ cæcitatis experimentum capere, *ut convinceretur eorum ſuperbia de defectu ſcientiæ*, ſicut obſervat S. Thomas *in cap.*3. *epiſt. ad Gal. lect.*7. præter illa, inquam, præjudicia convincentia, quis dubitandi locus ſupereſſe poteſt, poſtquam ſpectante, & lugente univerſo Orbe Chriſtiano, intra ipſum catholicæ veritatis ſinum ſub umbone probabilitatis fruticare vidimus infelicem, & amplam perverſorum dogmatum ſegetem latiùs proculdubio graſſaturam niſi eam Alexander VII. veluti cauterii uſtione cohibuiſſet? Non vacat ea iterum repetere, quæ aliàs dum de probabilitate, fuſiſſimè adduximus; nec eorum doctrinæ flagitiorum catalogum texere, quæ probabilitas opinioſa invexit: ſed illud impræſentiarum urgeo, nihil ad noſtram de neceſſitate divini auxilii ad rectum de moribus judicium habendum ſententiam confirmandam eſſe efficacius, quàm incredibilis novitiatum opinionum numerus, adſquas refellendas ſufficit communis ſenſus, & quibus ſuditis tota Eccleſia cohorruit, illaſque Summus Pontifex pertæſus, publicis cenſuris proſequutus eſt. Poſt adeò portentoſa laxiſſimæ doctrinæ flagitia, quis credat volaticam ſine gratia duce rationem poſſe ſibi ab erroribus temperare? Initium veræ ſapientiæ eſt ſapientiæ ſuæ diffidere, & in moralibus præſertim conſiliis humanæ rationi peccatorum & concupiſcentiæ nebulis obſcuratæ parum credere, ſed divinum lumen jugi oratione invocare, mentis argutias, & probabilitatis colores in obſequium fidei captivare, & ad incorruptos Eccleſiæ, & Sanctorum de moribus ſenſus opinationes ſuas exigere. Utinam ignorantiæ, & tenebrarum noſtrarum, & fœditatis noſtræ rectè convinceremur, quia ut Auguſtinus nomine Dei unicuique noſtrûm *in Pſalm.*4. ſuggerit: *Si videres te, & diſpliceres tibi, & placeres mihi; quia te verò non vides, placuiſti tibi, diſplicebis & mihi, & tibi; mihi cùm judicaberis; tibi cùm ardebis: videbis tunc fœ[d]itatem tuam, non ut corrigas, ſed ut erubeſcas.* Plura Patrum teſtimonia longè præclariſſima in proximè futura reflexione referemus.

Solutio

tum quia poſt corruptionem primi peccati, & ob perpetuas concupiſcentiæ nebulas, non ſolùm aſſequutio veritatis eſt fallibilis, ſed etiam difficilis; quia ut ait Scriptura Geneſ.6. *Cogitatio hominis intenta eſt ad malum.* Et Sap.9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ.* Unde ad eam ſine permixtione erroris obtinendam ſpeciali auxilio opus eſt.

Hac divini luminis ſemitas noſtras, ne ceſpitemus, continenter dirigentis, & tenebras diſſipantis neceſſitate adeo perſuaſus erat Doctor noſter Angelicus, ut quanvis eſſet iogenio, memoria, & judicio ad miraculum fermè inſtructus, nunquam tamen ſe lectioni, aut ſcriptioni dedit, niſi poſt orationem; unde & precandi formulam, quam ſtudiis ſuis præmittebat, poſteris reliquit, in qua ſic orat: *Creator ineffabilis, qui verus fons luminis, & ſapientiæ diceris, infunde ſuper intellectus mei tenebras radium tuæ claritatis, duplicem à me removens privationem & tenebras, peccatum ſcilicet & ignorantiam. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatem*, &c. Quam quidem veritatem ab Auguſtino Magiſtro ſuo didiſcerat, apud quem *lib.*10. *Confeſſ. cap.*5. legerat: *Quod de me ſcio, te mihi lucente ſcio.* Unde & *cap.*6. addit, quod ſi Deus miſertus fuerit, cœlum & terra ſurdis loquuntur laudes Dei. Legerat *lib.*2. *de peccat. merit. & remiſſ. cap.*5. quod *ſicut corporis oculus non adjuvatur à luce, ut ab eadem luce clauſus averſuſque diſcedat, ut autem videat, adjuvatur ab ea, neque hoc omninò, niſi illa adjuverit, poteſt: ita Deus qui lux eſt hominis interioris, adjuvat noſtræ mentis obtutum, ut* (addit libro contra epiſt. fundam. cap.2.) *ex quantulacumque parte poſſit intelligi.* Legerat quod variis locis repetit Auguſtinus, Deo, non mentis noſtræ ſtudio tribuendum eſſe verum omne quod loquimur: Magiſtrum hominis verum, non hominem eſſe, ſed Deum, ſeu æternam, & incommutabilem veritatis lucem, intus lucentem, intus coruſcantem, ut quid verum, falſumve ſit, dignoſcere valeamus: Peccatum ſuperbiæ, propter quod Philoſophorum primores in deſideria cordis ſui traditi ſunt, in eo fuiſſe poſitum, quod Dei cognitionem ſe fuiſſe naturaliter, id eſt ſolis intellectus viribus aſſequutos arbitrarentur: Veros Chriſtianos publicis Eccleſiæ precibus admoneri, veritatis cognitionem à Deo ſolo eſſe petendam, ut & aperiat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat. Denique Platonicos hac de cauſa cæteris eſſe Philoſophis anteponendos, quòd ad intelligendam veritatem intellectum noſtrum divinitus adjuvandum eſſe docuerunt, & ut *lib.*8. *de Civit. cap.*7. ait: *Lumen mentium eſſe dixerunt ad diſcenda omnia eundem ipſum Deum, à quo facta ſunt omnia.* Hæc, inquam, & alia multa legerat D. Thomas; & ideo ad praxim tam accuratè reducebat.

Quod ſi veritates ſpeculativas ſine ullius permixtione erroris dignoſcendas divini auxilii naturalis ſpeciali luce indigeat intellectus humanus ignorantiâ poſt primi parentis lapſum vulneratus, multò magis ad veritates morales intelligendas, eaſque à falſis veritatis fucatæ coloribus illitis diſcernendas. Nam cùm omnes Theologi poſt D. Thomam fateantur, luctuoſo primi parentis peccato non ſolùm corpus eſſe vitiatum, ſed magnam funeſti vulneris partem in animo impreſſam fuiſſe, non video quomodo hanc labem intellectus participaverit, vel quomodo ſit primi peccati granditate cæcata, vel obſcurata mens, ut Patres conclamant, ſi mens ad veritatis intelligentiam non obtorpeat. Imò ſuſtinere nullatenus quiſquam poteſt, voluntatem fuiſſe à ſummo bono averſam, & in creaturarum, ſuique ipſius amorem deſfluxiſſe, quin intellectum in veritatibus moralibus diſcernendis, ſeu in recto de bonis, maliſque rebus judicio ſæpiſſimè ceſpitare fateatur. Cùm enim ex corruptione appetitus ſenſitivi, & voluntatis infirmæ languore tenebræ exoriantur, quibus obſcuratus animus ea facile probat, quæ voluntas malè diligit; inde fit ut in regulis morum dignoſcendis intellectus offuſis ex concupiſcentia potiſſimùm infuſcetur, quia ut aliàs non ſemel obſervavimus, rectum de moralibus judicium appetitum rectum requirit, & talis unuſquiſque eſt, ut ait Philoſophus, qualis & finis videtur ei. Unde Auguſtinus *lib. de vera & falſa pœnit.* veridicè ſcripſit: *Non poteſt ſentire quæ lucis ſunt tenebroſa voluntas.* Et tract.25. in Joan. *Tenebræ metuendæ ſunt, non oculorum; & ſi oculorum, non exteriorum, ſed internorum, unde diſcernitur non album, & nigrum; ſed juſtum, & injuſtum.* Vide etiam eundem Patrem in illud Pſal.57. *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* Ubi ait, quod ignis eſt concupiſcentia, quæ facit ut Sol juſtitiæ videri nequeat. Et in illud Pſal.35. *Non propoſuerunt Deum ante conſpectum ſuum.* Ubi ait, non poſſe Deum proponere ante conſpectum ſuum eos, ante quorum conſpectum non eſt niſi ſæculum.

Et certè ad hanc veritatem comprobandam ipſa experientia ſatis, ſuperque ſufficit; nam præterquam quod innumeras cernimus eſſe nationes, in quibus patet, quàm ſibi relicta ratio ad mali, boniſve cognitionem parum valeat; præterquam quod per bis mille, & amplius annos ſivit Deus homines infinitis aberrationibus ſuæ cæcitatis experimentum capere, *ut convinceretur eorum ſuperbia de defectu ſcientiæ*, ſicut obſervat S. Thomas *in cap.*3. *epiſt. ad Gal. lect.*7. præter illa, inquam, præjudicia convincentia, quis dubitandi locus ſupereſſe poteſt, poſtquam ſpectante, & lugente univerſo Orbe Chriſtiano, intra ipſum catholicæ veritatis ſinum ſub umbone probabilitatis fruticare vidimus infelicem, & amplam perverſorum dogmatum ſegetem latiùs proculdubio graſſaturam niſi eam Alexander VII. veluti cauterii uſtione cohibuiſſet? Non vacat ea iterum repetere, quæ aliàs dum de probabilitate, fuſiſſimè adduximus; nec eorum doctrinæ flagitiorum catalogum texere, quæ probabilitas opinioſa invexit: ſed illud impræſentiarum urgeo, nihil ad noſtram de neceſſitate divini auxilii ad rectum de moribus judicium habendum ſententiam confirmandam eſſe efficacius, quàm incredibilis novitiatum opinionum numerus, ad quas refellendas ſufficit communis ſenſus, & quibus auditis tota Eccleſia cohorruit, illaſque Summus Pontifex pertæſus, publicis cenſuris proſequutus eſt. Poſt adeò portentoſa laxiſſimæ doctrinæ flagitia, quis credat volaticam ſine gratia duce rationem poſſe ſibi ab erroribus temperare? Initium veræ ſapientiæ eſt ſapientiæ ſuæ diffidere, & in moralibus præſertim conſiliis humanæ rationi peccatorum & concupiſcentiæ nebulis obſcuratæ parum credere, ſed divinum lumen jugi oratione invocare, mentis argutias, & probabilitatis colores in obſequium fidei captivare, & ad incorruptos Eccleſiæ, & Sanctorum de moribus ſenſus opinationes ſuas exigere. Vtinam ignorantiæ, & tenebrarum noſtrarum, & fœditatis noſtræ rectè convinceremur, quia ut Auguſtinus nomine Dei unicuique noſtrûm *in Pſalm.*4. ſuggerit: *Si videres te, & diſpliceres tibi, & placeres mihi; quia te verò non vides, placuiſti tibi, diſplicebis & mihi, & tibi; mihi cùm judicaberis; tibi cùm ardebis: videbis tunc fœditatem tuam, non ut corrigas, ſed ut erubeſcas.* Plura Patrum teſtimonia longè præclariſſima in proximè futura reflexione referemus.

Solutio

Solutio objectionum.

Sed objicies ex D. Thoma q. 109. art. 1. *Intellectus non indiget ad cognoscendum veritatem in omnibus novâ illustratione superadditâ naturali illustrationi, sed in quibusdam quæ excedunt naturalem cognitionem.* Ergo ad veritates naturales dignoscendas non indiget homo auxilio speciali, sed solùm concursu generali.

Respondeo S. Doctorem manifestum esse suæ sententiæ interpretem; excludit namque verbis præfatis auxilium dumtaxat supernaturale, vel gratiam habitualem, quam utique necessariam ad veritates naturales habendas non asserimus. Cæterùm ibidem necessitatem auxilii divinæ gratiæ, id est gratis dati, admittit his luculentissimis verbis: *Ad cognitionem cujuscumque veri homo indiget auxilio divino, ut intellectus à Deo moveatur ad suum actum.*

Instabis: Intellectus non debet esse deterioris conditionis, quàm sint aliæ formæ naturales, cùm sit illis perfectior: Sed aliæ formæ naturales cum solo concursu generali efficiunt actus suos, nec ullius egent specialis adjutorii additamento. Ergo idem de intellectu à fortiori dicendum est; perfectior siquidem forma, sicut est magis ab imperfectione materiæ remotior, ita est ad agendum efficacior; ac proinde si calor potest cum concursu generali calefacere, oculus videre, auris sonos audire: ita intellectus quascumque veritates naturales speculatione assequi facilè quit.

Respondeo hoc argumento, vel potiùs sophismate probatum iri, voluntatem etiam posse quodcumque bonum honestum operari, nec ullo egere specialis auxilii adjumento, cùm non sit forma deterioris conditionis, cùm sit perfectioris activitatis, quàm sint formæ naturales, quæ solo concursu generali adjutæ in suos actus prorumpunt. Et tamen omnes Catholici necessitatem auxilii ad singulos actus bonos, saltem difficiles, contra Pelagianos confitentur: unde patet argumentum factum à veritate aberrare. Dicendum ergo, intellectum non esse deterioris conditionis, tum quia quamlibet veritatem in particulari cognoscere, quemlibet errorem vitare viribus naturalibus potest, tametsi diu ab errore abstinere non possit: tum quia divini luminis capax est, quo perfusus veritates spirituales & æternas agnoscere valet. Non est autem deterioris, sed longè melioris conditionis, qui potest perfectiorem actum elicere, tametsi cum auxilio alterius, quàm qui sine auxilio non potest nisi actus inferioris, & longè imperfectioris ordinis operari, ut docet D. Thomas id confirmans præclaro è sanitate petito exemplo, aliàs relatum *tom. 1. dissert. 5. cap. 5. spec. 1.* vide ibi *pag.* 182. *&* 183.

Nec est simile quod dicitur de potentiis, vel formis naturalibus, calore, visu, auditu; est enim latum, & ferè toto cœlo discrimen: tum quia formæ naturales non sunt ullo vulnere sauciatæ, sicut intellectus manet vulnere ignorantiæ læsus; unde tam sæpè falsa pro veris approbat. Unde monebat Salvator Luc. 6. *Vide ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Quod potissimùm in moralibus contingit; nam ut dicitur Proverb. 16. *Est via quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem.* Cujus præclaram, & multis experimentis, heu nimium in hoc probabilitatis sæculo comprobatam rationem affert S. Ambrosius in Psalm. 118. vers. 105. *Multæ foveæ, multi scopuli in istius sæculi caligine non videntur: ubi putas solidum esse vel siccum, ibi lubricum est.* Alludit ad ignes fatuos, qui nos sæpius in præcipitia ducunt: sic ratio sæpè verisimilibus malesuadæ probabilitatis coloribus in errorem adducit, nisi sit lucerna pedibus nostris verbum Dei, & lumen semitis nostris. Tum quia multæ sunt veritates naturales morales, quarum judicium non à sola intellectus perspicacia, sed etiam ab appetitu recto pendet, ut toties diximus, & variis rationibus tomis superioribus communivimus: unde nisi divini luminis splendor effulgeat concupiscentiæ tenebras dispellens, mundansque affectum, à vero sæpe sæpius ratio discedet. Unde præclarè Augustinus: *Quod vis videre, mundum est, & immundum est unde vis videre. Prius ergo cogita de corde mundando.*

Alia adversariorum argumenta, quibus probant, lumen intellectus speculativi, vel practici non esse extinctum, nec funditus deletum conscientiæ & synteresos motum, cùm sit signatum super nos lumen vultus divini, ratione cujus gentes quæ legem non habent, sunt sibi lex, habentque opus legis scriptum in cordibus suis; hæc, inquam, argumenta nihil contra nos efficiunt, cùm fateamur intellectum posse aliquas veritates per aliquod breve tempus admixtione multorum errorum agnoscere, sed non omnes; imò nec plures, nec nisi post longum tempus, & cum multorum permixtione errorum, ut frequenter dicit S. Thomas, attingere valet.

Reflexio.

Domine, ut videam, da mihi intellectum, ut discam mandata tua: Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam: Intellectum da mihi, & vivam. Ita rogabat cæcus, ita oculatus rogabat Propheta Regius, & quidem ambo prudentissimè; ille ut videret, iste ut benè videret, averterenturque oculi ipsius, ne viderent vanitatem. Incipiebat cæcus benè videre, dum lumen à Christo petebat: perdiderat David lumen, quod habebat, nisi à Deo donatum, donandumque veritatis intellectum crederet, quia ut præclarè *in Psal. 118. vers. 73.* Augustinus: *Non parvi est intellectus enim nosse, à quo poscendus est intellectus.*

Hac veritate persuasus Paulus: *Non sumus,* inquiebat 2. Corinth. 3. *sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.* Hinc tenebrarum menti nostræ post primum peccatum offusatum conscius divinum lumen continuis precibus ab eo, à quo omne donum desursum descendit, flagitabat. *Non cessamus,* inquit Coloss. 1. *pro vobis orantes & postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia, & intellectu spirituali; ut ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, & crescentes in scientia Dei.* Hinc Ecclesia, quàm obscurata, & quasi cæcata sit humanæ mentis intelligentia probè sciens, divinum lumen reveretur, & sancti Spiritus ducatum continenter in omnibus fermè orationibus suis postulat, ut nimirum rationis inconstantiam felicissimis divinæ veritatis & legis vinculis ab opinandi libertate compescat. Quidni similiter & tu orabis, dicesque cum Propheta: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua?* cùm teste Augustino *tract. 3. in Ioan.* unde deprompsit Concilium Arausicanum cau. 9. *Nemo habet de suo, nisi mendacium & peccatum: si quid autem habet homo veritatis, atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus sitire in hac eremo?* Quidni iterum, iterumve gemitibus inenarrabilibus exorabis, ut faciem suam illuminet super servum suum Deus, id est, ut exponit Augustinus, ut suam manifestet subveniendo & opitulando præsentiam. Si non vis errare, agnosce te multiplici obnoxium esse errori, quia ut præclarè dixit Ambrosius in Psalm. 118. versu 176. *Non perit qui*

agnoscit

gnoſcit errorem. Si non vis errare, illum invoca, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & cum Auguſtino *in ſolil. c.* 13. ſic precare: *O lux, quæ illuminat omnia, ſimul, ſimel, & ſemper abſorbe me in charitatis abyſſum, ut videam undique te in te, & cuncta ſub te.* Pro tuis etiam conſcientiæ rectoribus, atque pro paſtoribus tuis frequentes preces funde, ne cæcus ducatis à cæcis, illudque contingat quod Mag. Gregor. 3. *p. Paſt. cap.* 1. formidat his verbis: *Paſtorum ſæpe imperitia meritis congruit ſubditorum, qui quanvis lumen ſcientiæ, ſuâ culpâ exigente, non habeant, diſtricto tamen Dei judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam, qui ſequuntur, offendant.*

Speculatio II.

Nullum prorſus etiam moralis ordinis bonum velle vel efficere abſque ſpeciali Dei adjuvantis gratia in ſtatu naturæ lapſæ homo poteſt; quæ quidem gratia licèt fidem communiter præſupponat, non tamen neceſſariò, & multò minùs gratiam habitualem, vel charitatem.

Hæc poſitio, quæ ni fallor germaniſſimam B. Auguſtini mentem exprimit, media eſt inter extremas Authorum ſententias. Quidam enim ad quodvis honeſtatis opus gratiæ habitualis influxum, & charitatis imperium deſiderarunt, ut Michaël Baius: Janſenius influxum ſaltem fidei chriſtianæ neceſſariò exigit: alii ad opera bona moralia concurſum Dei duntaxat generalem neceſſarium eſſe contendunt, ut Suares, & diſcipuli Molinæ, quos ſequitur noſter Baptiſta Gonet *diſput.* 7. *art.* 3. §. 5. à quibus extremis ſententiis cum Auguſtino, & Doctore Angelico, veteribuſque Thomiſtis noſtra aſſertione recedimus, quæ per ſingulas partes probanda eſt.

Prima pars, Dei adjuvantis gratiam ad benè moraliter operandum requirens, non tam videtur veritas theologica, quàm communiſſima chriſtianæ pietatis notio, quæ ſicut ad opera quævis bona Dei adjutorium rogat, ita neceſſarium veluti ſponte ſua credit, & in communi etiam loquendi modo paſſim fatetur, & meritò. Poſtquam enim Veritas tam luculenter dixit, Joan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*; poſtquam veritatis Apoſtolus ipſam quoque cognitionem boni, quæ omnis honeſtatis initium eſt, donum Dei eſſe pronuntiavit: *Non ſumus*, inquit 2. Cor. 3. *ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt*; quis eſt ille tam ſubtilis Dialecticus, qui aliquid inveniat, ubi Veritas nihil eſſe definivit? Bonum honeſtum morale nonne eſt aliquid? Utique aliquid eſt, cùm bonum ſit proprietas entis, & bonitati entis adjiciat etiam bonitatem virtutis & honeſtatis. Ergo ſi bonum illud ſine Chriſto eſt, non verè dixit Veritas, *ſine me nihil poteſtis facere.* Quem locum ponderans Auguſtinus *tract.* 81. *in Joan.* veridicè inquit: *Sive ergo parum, ſive multum ſine illo fieri non poteſt, ſine quo nihil fieri poteſt.*

Huic veritati adſtipulantur Summi Pontifices. In primis Zozimus in epiſtola quam ſcripſit ad totius orbis Epiſcopos, hæc habet: *Quod ergo tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, cauſiſque, cogitationibuſque, & motibus adjutor & protector orandus eſt; ſuperbum eſt enim, ut quidquam ſibi humana natura præſumat.* Atqui ſi homo poſſet opera moraliter bona ſine Dei adjuvantis gratia exercere, daretur utique tempus, quo Dei non egeremus auxilio, nec in omnibus actibus, cauſis, cogitationibus, & motibus Deus eſſet orandus; & quidquam, imò multùm poſſet ſibi humana natura præſumere, ut per ſe patet. Ergo ex mente illius Summi Pontificis nullum prorſus opus bonum morale ſine gratiæ adjuvantis auxilio velle, vel perficere homo poteſt.

Idem docet, & inculcat Cœleſtinus I. in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, unde hæc ſelectiora teſtimonia depromere brevitatis gratiâ ſat erit. Sic ait cap. 7. *Nemo niſi per Chriſtum libero benè utitur arbitrio.* Et cap. 8. *Omnia ſtudia, & omnia opera ac merita Sanctorum ad Dei gloriam, laudemque referenda ſunt, quia nemo ei placet, niſi ex eo quod ipſe donaverit.* Ne autem crederent Pontificem loqui duntaxat de operibus ordinis ſupernaturalis, addit cap. 9. *Ita Deus in cordibus hominum, atque in ipſo libero operatur arbitrio, ut ſancta cogitatio, omniſque motus bonus voluntatis ex Deo ſit, quia per illum aliquid boni poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.* Et cap. 10. *Utrumque donum Dei eſt, & ſcire quod facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Atqui per bona opera moralia homo benè utitur libero arbitrio; per illa etiam quadantenus homo placet Deo, cui omne bonum placet; quod enim juſtis hominibus placet, Deo qui juſtitia eſt, diſplicere non poteſt: opus etiam honeſtum non fit ſine ſancta cogitatione, & motu bono: illud etiam dum exerceemus, & ſcimus quid facere debeamus, & diligimus ut faciamus. Ergo ut per bonum opus morale velimus, vel faciamus, Dei adjuvantis gratiâ opus eſt.

Plurima alia poſſem in medium proferre Summorum Pontificum teſtimonia, ut Felicis IV. in capitulis ad Arauſicanum Concilium tranſmiſſis: Bonifacii II. in epiſtola, quâ præfatum Concilium Arauſicanum ſecundum confirmat. Brevitatis tamen gratiâ ea miſſa facio, hoc duntaxat Magni Gregorii *hom.* 9. *in Ezechielem*, oraculo contentus: *Sciendum quod mala noſtra ſolummodò noſtra ſunt, bona autem noſtra ex omnipotentia Dei ſunt & noſtra; quia ipſe aſpirando nos prævenit ut velimus, qui adjuvando ſubſequitur ne inaniter velimus, ſed poſſimus implere quod volumus.*

Eandem veritatem ſacra Concilia ſuo calculo comprobarunt, præſertim Carthaginenſe *canone* 4. à Cœleſtino verbis ſuprà relatis memoratum, & Arauſicanum ſecundum *can.* 9. his verbis: *Divini muneris eſt, & cùm rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate & injuſtitia continemus; quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiſcum ut operemur, operatur.* Et canone 22. illa Auguſtini verba ſpeculatione præcedenti relata conſecrat: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum; ſi quid autem habet homo veritatis atque juſtitiæ, ab illo fonte eſt, quem debemus ſitire in hac eremo.* Et can. 2. *Multa in homine bona fiunt, quæ non facit homo; nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præſtet ut faciat homo.* Quæ etiam verba ex Auguſtino *lib.* 2. *ad Bonifac. cap.* 9. deprompta ſunt. Denique variis in Conciliis definitum eſt, *gratiam Dei neceſſariam eſſe ad ſingulos actus.* Quod & ipſe Pelagius, ut Auguſtinus refert, in Concilio Palæſtino fateri coactus eſt.

Dies me citiùs deficeret, ſi ſingula, quæ ex Auguſtino proferri poſſunt, teſtimonia producerem, ſelectiora duntaxat recenſebo. *Lib.* 32. *de peccat. merit. cap.* 18. poſtquam dixit, voluntatem non poſſe inter bonum & malum mediam conſiſtere, ſed bonam in omnibus actibus eſſe, vel malam; bonam, ſi juſtitiam diligit; malam, ſi non diligit, ſic concludit: *Voluntas aut bona eſt, aut mala, & utique malam*

non habemus ex Deo; restat ut bonam voluntatem habeamus ex Deo. Ne autem quis dicat S. Doctorem velle duntaxat bonam voluntatem esse ex Deu nt concurrente, non verò ut per gratiam opitulante, hoc effugium præclusit Doctor sanctissimus capite 17. ejusdem libri, his verbis: *Cùm voluntate humana gratiâ adjuvante divinâ, sine peccato in hac vita possit esse homo, cur non sit, possem facillimè, ac verissimè respondere, quia homines nolunt: sed si ex me quæritur, quare nolint, imus in longum. Veruntamen hoc sine prajudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam. Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet an justum sit, sive quia non delectat. Tanto enim quidquam vehementiùs volumus, quanto certiùs quàm bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentiùs. Ignorantia igitur, & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, qua hominum adjuvat voluntates.* Quod & repetit S. Augustinus lib. de Spirit. & lit. cap. 3. *Neque liberum arbitrium quidquam nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via; & cùm id quod agendum, & quo nitendum est, cœperit non latere, nisi etiam delectet & ametur, non agitur, non suscipitur, non benè vivitur: ut autem non lateat, gratia Dei est; & ut delectet, gratia Dei est.*

Item lib. 1. ad Bonifac. cap. 3. *Nec potest homo boni aliquid velle, nisi adjuvetur ab eo, qui malum non potest velle, hoc est gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Quod & lib. de corrept. & grat. c. 11. inculcat his verbis: *Liberum arbitrium ad malum sufficit, ad bonum autem nihil est, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono.* Augustinum sequuntur ejus discipuli Prosper, Fulgentius, & alii postea adducendi, qui usqueadeò hac in parte Augustino adhæserunt, ut etiam influxum fidei ad operis honestatem desiderasse videantur. Unum jam producam Bernardum acerrimum Augustini de gratia sententiæ ubique sectatorem. Sic habet serm. 1. de Annunt. *Certum est ad suam originem universa, quantum in eis est tendere, & in eam semper esse partem procliviora: sic & nos, qui de nihilo creati sumus, constat quia si nobis ipsis relinquimur, in peccatum semper, quod nihil est, labimur.* D. etiam Thomas apertissimè huic doctrinæ suffragatur; nam articulo secundo explicans quænam bona opera possit homo per virtutem suæ naturæ efficere, ait ea posse sine auxilio gratiæ elicere, quæ ad naturæ commoditatem, vel externam Reipublicæ commoditatem ordinantur, putà *ædificare domos, & plantare vineas.* Porrò ad opera virtutis & honestatis moralis omninò auxilium gratiæ exigit in statu naturæ corruptæ, 2. 2. q. 136. art. 3. ad 2. *Bonum politica virtutis*, inquit, *commensuratum est natura humana, & ideo absque auxilio gratiæ gratum facientis potest voluntas humana in illud tendere, licet non absque auxilio gratiæ Dei.* Dicere verò S. Doctorem loqui ibi de concursu duntaxat generali, est manifeste textui contradicere, & vim clarissimis verbis inferre, cùm Doctor Angelicus seipsum interpretetur dicens, se per gratiam non intelligere gratiam gratum facientem, sed auxilium gratiæ: concursus autem generalis non est auxilium gratiæ, seu non est membrum dividens gratiam ut sic, quæ secatur in gratum facientem, & auxiliantem. Quam doctrinam repetit q. 14. *de verit. art. 14.* his luculentissimis verbis: *Si gratiam Dei velimus dicere non aliquod habituale donum, sed ipsam misericordiam Dei, per quam interius motum mentis operatur, sic nec ullum bonum homo potest facere sine gratia Dei.* Nomine autem misericordiæ non intelligitur concursus generalis, sed gratia specialis. Quamvis enim in omni opere Dei, etiam creationis, reluceat Dei misericordia, juxta illud Psalm. 24. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas*, quod præclatè explicat S. Thomas 1. p. q. 21. art. 1. attamen cùm de auxilio divino est sermo, nomen misericordiæ non attribuit Doctor accuratissimus nisi auxilio gratiæ præservantis à miseria peccati, ratione cujus auxilii Deus cujus vult miseretur; aliàs si auxilium gratiæ Dei diceretur misericordia, propter illam generalissimam rationem ex 1. parte, q. 21. citata deductam, posset etiam dici, Deum ex justitia adjuvare hominem ad bonum, quia in omni opere, sicut misericordia, ita & justitia invenitur. Quare locum præfatum quæstionis de Veritate per illam generalem doctrinam 1. partis, q. 21. interpretari, est doctrina S. Thomæ abuti.

Innumeras adducunt rationes Theologi nostræ sententiæ defensores, quæ vel nimium, vel non satis probant. Illud tamen fatendum, rationes pro præcedenti speculatione stabilienda allatas præsenti assertioni non parum favere. Etenim non minùs ad bonum agendum gratiam Dei rogamus, quàm ad veritates dignoscendas, quin & multò magis; nam omnes actiones nostras divina gratia aspirante præveniri, & ad justitiam, nedum perficiendam, & opere complendam, sed etiam optandam divinitus adjuvari universa petit Ecclesia, quæ & pro singulis bonis factis operibus gratias agit. Nihil autem in Augustini doctrina fundatius, quàm orationem, gratiarumque actionem divinæ esse gratiæ clarissimam significationem. Pro concursu autem generali Ecclesia tam jugiter, & continenter non orat. Quamvis enim Ecclesia interdum pro bonis naturalibus, pluviâ, fructibus, sanitate, aliisque hujusmodi obtinendis preces fundat, eas tamen duntaxat orationes frequentat quando vel ob aëris inclementiam, vel corporis infirmitatem compellitur, citra quas occasiones temporalia illa non tam studiosè petit Ecclesia solius æternitatis candidata. Verùm actus bonos, pietatis opera, spiritum cogitandi quæ recta sunt, rationabilia meditandi, bona dictis exequendi & factis, bona nutriendi, & pietatis studia quæ sunt munera custodiendi, in omnibus fermè collectis Ecclesia exorat.

Non potest autem dici, Ecclesiam bona opera moralia, prout duntaxat conducunt ad salutem postulare: non potest, inquam, dici; tum quia sic facilè omnia enervarentur Augustini argumenta ex oratione petita, & in promptu fuisset responsio, quâ Pelagiani omnia illa adversùm se molimina eludere absque negotio potuissent, dicendo Ecclesiam gratiam Christi non nisi ad merendum vitam æternam postulare; vel quia concursus Dei est aliquid coutingens & fallibile, ideo illum sicut pluviam postulamus. Ergo illa adversariorum solutione Augustiniana doctrina ab imis subruitur fundamentis, nec quidquam adversarii proferunt, quod non libentissimè Pelagiani arripuissent. Tum quia omnia pietatis opera nulla peccati labe sordidata, tametsi naturalia sint, nec proximè conducant ad salutem, remotè tamen ad illam disponunt, quatenus removent impedimenta salutis: Ergo si illa possit homo ex viribus naturæ operari, vincent Semipelagiani, qui nihil aliud volebant, quàm dari in nobis bona salutis initia, non utique supernaturalia (non enim erant sic stupidi viri, quorum eximiam sapientiam laudat Prosper in sua ad Augustinum epistola,) sed naturalia, putà desiderium conversionis, amorem honestatis, & alia facilia. Quin etiam in hoc Semipelagianus error videtur esse rationi confirmior Adversariorum sententiâ (absit verbo injuria, non enim Adversariorum sententiam

censurâ

censurâ afficere intendo, sed vim consequentiæ urgeo,) quòd cùm utrique hominem lapsum per vires solius liberi arbitrii absque ulla Dei opitulantis gratia posse aliqua bona opera efficere contestentur, Adversarii tamen nolunt ea conducere ad salutem, nec placere Deo, nec esse initia, quæ Deus veluti ansas apprehendat. Cùm enim Deus talis sit, ut egregiè opusculo de moribus divinis ait D. Thomas, *cui omne bonum placet*, quidni ei placebit bonum opus honestum, labisque purum? Et sicut aliàs dicebamus, si bona est argumentatio Prosperi contra Collatorem: *Neque enim ullius meriti haberi potest petentis fides, quærentis pietas, pulsantis industria*; cur similiter dicere non licebit: Nullius meriti esse non potest bonum opus honestum, bonus usus liberi arbitrii ex naturæ viribus proficiscens, atque illa bonæ voluntatis initia sese per opera facilia explicantis repudiare nequit Deus, cui omne bonum pergratum est.

Ratio fundamentalis hujus asserti sic formatur. Voluntas hominis in statu naturæ lapsæ nedum est ad bonum & malum indifferens, sed etiam magis est ad malum, quàm ad bonum propensa, ratione cujus propensionis non solùm non curant homines peccatum fugere, sed etiam peccati miseria delectantur, seu ut eleganter ait Prosper cap.33. de ingratis, *tantùm nacet error, ut juvet errare, & veteris contagia morbi tam blandè abrepunt, ut qua languetur, ametur.* Sed potissimùm amor sui ita omnia in se reflectit, ut semper quæ sua sunt vel apertè, vel latenter quærat, ut meritò dixerit Joannes, quidquid est in mundo, aut esse concupiscentiam carnis, aut concupiscentiam oculorum, aut superbiam vitæ. Ergo ut honestum, quà honestum est, purè & propter Deum, sin formaliter, certè virtualiter, uti tenetur diligat, opus est gratiâ inclinante, cordis affectus erigente, & amorem honesti castum inseminante. Antecedens est evidens, nec ab ullo, ut reor, Christiano negari potest. Consequentia verò probatur. Tum quia voluntas eodem modo prosequitur objectum, quo afficitur circa illud, id est dominanti propensioni semper obsequitur, quo sensu dixit Augustinus: *Quod enim magis nos delectet, secundùm illud operemur necesse est.* Quod utique non de necessitate absoluta, sed de necessitate infallibilitatis verum est, ut sit sensus quod licet voluntas possit majoribus suis inclinationibus obsistere, nunquam tamen obsistet, quia nunquam obsistere volet, quomodo enim non volet quod magis amat? Ergo cùm in statu naturæ lapsæ voluntas suapte propensione magis feratur in utilia, delectabilia, & in bonum proprium, quàm in bonum honestum & divinum, semper in exercitio opera etiam ex officio bona in se reflectet, & reflectendo inficiet, nec ad Deum referet, nisi indito à gratia honesti, Deique amore reformetur. Tum quia, juxta Philosophorum receptissimam sententiam, quam ipse Gonet *tract. de actibus human. disp.9. art.3.* fusè defendit, licèt voluntas possit respuere, & sæpe respuat id, quod intellectus judicat speculativè melius, si minus bonum, minusque amabile convenientius hîc & nunc appareat; attamen illud quod per judicium practicum hîc & nunc apprehenditur, melius saltem apparenter voluntatem ad se rapit; quia cùm voluntas sit potentia cæca, ductum judicii sequitur, ac proinde cùm intellectus non judicet minus bonum esse præferendum convenientiori, nec plures illecebras detegat in bono minùs convenienti, quas voluntati alliciendæ offerat, consequens est, voluntatem licèt possit minus bonum repudiare, nunquam tamen repudiare, donec in objecto, quod apparet minùs conveniens, incipiat relucere major bonitas, quæ alliciat & inescet appetitum. Atqui in statu corruptionis, in quo degimus, bonum sensibile & delectabile, bonumque proprium apparent voluntati corruptæ convenientiora; voluntas enim à summo bono aversa in creaturarum, suique ipsius amorem deflexit: intellectus etiam practicus offusis sibi ex concupiscentia tenebris, bonum proprium hîc & nunc semper judicat convenientius, ut speculatione præcedenti demonstratum fuit: ergo ut præponderet amor honestatis, alia debet cordi nostro affecto per gratiam indi, ut bonum morale absque ulla peccati sorde operemur.

Hanc rationem ubique Patres urgent, dum asserunt, concupiscentiam inficere omnia nostra opera, quantumvis ex officio, objectoque bona, dum inculcant profectum spiritalem in diminutione cupiditatis immoui, dum amor Dei crescit. *Proficimus in hac vita*, inquit Augustinus, *deficiente cupiditate, crescente charitate; perficiemur in altera cupiditate extincta, charitate completa.* Hinc viri sancti ad mortem tanquam ad finem peccatorum, & concupiscentiæ exterminium tantoperè suspirant, & ut loquitur Magnus Augustinus, *patienter vivunt, & delectabiliter moriuntur; & non amant vitam, sed tolerant.* Quia nimirum amor sui, sive cupiditas, omnia etiam bona in se refert, & referendo sordidat, dum quæ sua sunt quærit, non quæ Jesu Christi. *Duo amores sunt* (inquit Magnus Leo serm.9. de jejun.7. mensis,) *ex quibus prodeunt omnes voluntates ita diversa qualitatibus, sicut dividuntur authoribus. Rationabilis etenim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi: in dilectione Dei nulla nimia, in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia.* Quia ergo quotiescumque homo agit, ex amore mundi, vel ex amore Dei, sin perfecto, certè imperfecto agit, proculdubio ut benè agat, ut non peccet, ut ex amore Dei cupiditatem vincente agat, gratiâ Dei eget, quia natura sibi relicta non nisi propter se, amore sui, amore mundi, amore cupiditatis agere potest, ac proinde licèt à peccato abstinere possit, peccat tamen, quia peccare magis amat: quod egregiè explicat S. Prosper *cap.27. de ingratis.*

—— Manet ergo voluntas
Semper amans aliquid, quò se ferat, & labyrintho
Fallitur, ambages dubiarum ingressa viarum.
Vana cupit, vanis tumet, & timet, omnimodaque
Mobilitate ruens in vulnera vulnere surgit.

Quos versus sic gallicè eximius Poëta Gallicus expressit:

Ainsi la volanté dans ses tours & retours
Parte de tantes parts ses differens amours;
Et comme en un Dedale errante & vagabande
Va d'abjet en abjet par les faux biens du monde.
Vaine dans ses frayeurs, vaine dans ses desirs,
Vaine dans son orgueil, vaine dans ses plaisirs:
Elle tombe, en tombant sa superbe foiblesse
S'éleve encor sans cesse, & sans cesse se blesse.

Hinc Sancti, & inter Sanctos lumina sanctitatis ipsos etiam verentur pietatis affectus, quia cùm ab actibus veræ charitatis in hujus vitæ caligine internosci non possint, timent ne conatus humani ab amore sui oriantur, ac proinde vitiosi sint; quia etsi motus ab amore proprio proficiscentes longè & ferè immensùm minùs mali sint quàm scelera illa, quibus impii se dedunt; mali tamen sunt, quia *quod absque vel minima peccata non est, purum bonum minimè est*, ut dixit alicubi Bernardus. *Sancti viri*, inquit Magnus Gregorius lib. 5. Moral. cap.6. *cùm mala superant, sua etiam benè gesta formidant, ne cùm bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera labes putredi-*

nis sub boni specie lateat coloris: *sciunt enim quia corruptionis adhuc pondere gravati dijudicare bona subtiliter nesciunt, & cum ante oculos extremi examinis regulam deducant, hæc ipsa in se nonnunquam & quæ approbant metuunt, & tota quidem mente interna desiderant; sed tamen de incertitudine operum trepidi, quò gradiuntur ignorant.* Hanc etiam latentis concupiscentiæ fraudem gemebundus deplorat Augustinus lib. 10. confess. c. 37. *Multùm vereor occulta mea quæ norunt oculi tui, mei autem non. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum.* Quia à capite 28. usque ad finem illius libri per quindecim capita hujus vitæ, in qua nihil securum est, miseriam deplorat Doctor sanctissimus, quia in hac tam immensa sylva plena insidiarum & periculorum, post innumera præcisa virgulta iniquitatis, & nova germinant, & putata repullulant. Nam contendunt mœrores mali cum gaudiis bonis, & ex qua parte stet victima nescimus, quia non sumus concupiscentiæ visco expediti. In cibo etiam moderato insidiatur nobis laqueus concupiscentiæ; & cùm salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut obtentu salutis obumbret negotium voluptatis. In aliis etiam operibus vana delectatio nos fallit, sunt enim & istæ plangendæ tenebræ, in quibus nos latet facultas nostra, quæ in nobis est; & nemo securus esse debet in ista vita, quæ tota tentatio nominatur. Sed quid dicam de concupiscentia oculorum, seu curiositate cognoscendi multipliciùs periculosa? Quid de superbia & laudis amore? Quid de φιλαυτία? Vide ibi Augustinum præfata omnia plangentem, & tandem concludentem: *In his omnibus, atque hujusmodi periculis, & laboribus vides tremorem cordis mei.* Si ergo Sancti illi divino lumine pleni, & abundantiam divinæ suavitatis eructantes opera sua sanctiora verentur, ne à latente concupiscentia (quæ ut benè dixit S. Franciscus Salesius, est primum vivens, & ultimum moriens) inficiantur, quis credat opera non à gratiæ auxilio orta esse bona? cùm testante universa Catholica Ecclesia, sine Spiritu sancto non modò nihil bonum sit, sed plane nihil innoxium: *Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium.*

Fides ad bona opera communiter, non tamen indispensabiliter, & essentialiter est necessaria.

Secunda pars affirmans, fidem esse ad bona opera communiter & ordinariè necessariam, evidentissimè traditur infinitis in locis Augustini, quibus brevitatis gratiâ omissis, illa longè manifestissima verba proferre sat erit, quæ *lib. 4. contra Iulian. cap. 3. & sequentibus* habet, quia ibi materiem istam ex professo pertractans, quidquid dici præclarissimè potest, exhausit; quidquid ab Adversariis responderi valet, occupavit. *Noveris itaque* (inquit) *non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium autem est, quod faciendum est. Cùm itaque facit homo aliquid ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et quia statim responderi poslet, homines etiam sine fide posse operari bona ex officio propter bonum finem, nempe honestatem, tametsi ea propter Deum non efficiant, sic contrà arguit Augustinus: *Absit ut virtutes veræ cuiquam serviant, nisi illi, vel propter illum, cui dicimus: Deus virtutum converte nos. Proinde virtutes, quæ carnalibus delectationibus, vel quibusque commodis & emolumentis temporalibus serviunt, veræ prorsus esse non possunt. Quæ autem nulli rei servire volunt, nec ipsæ veræ sunt; veræ quippe virtutes Deo serviunt in hominibus, à quo donantur hominibus; Deo serviunt in Angelis, à quo donantur & Angelis.* Quod totum sic exemplo illustrat: *Possunt aliqua bona fieri non benè facientibus, à quibus fiunt; bonum est enim ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti: sed ille qui hoc facit, si amando gloriam hominum magis quàm Dei facit, non benè bonum facit, quia non bonus facit, quod non bona voluntate facit. Absit enim ut sit, vel dicatur voluntas bona, quæ in aliis, vel in seipsa, non in Domino gloriatur.* Quare censet, infideles etiam illos, qui bona aliqua fecisse perhibentur, eo ipso peccare, quòd opera illa per se laudabilia ad Deum non referunt; cum quibus stat, longè minùs peccare, qui in operibus per se honestis se exercent, quàm qui flagitiosis duntaxat operam dant. Unde minùs Fabricius quàm Catilina peccavit, minùsque punietur, non quia Fabricius bonus fuerit, bonaque benè fecerit, sed quia Catilina peior fuit; *non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimùm deviando*, addit ibidem Augustinus.

Ratio autem hujus partis traditur ibidem ab Augustino, quia quidquid homo facit, ex amore alicujus finis ultimi facit, cùm finis ultimus se habeat in operabilibus sicut primum principium in speculabilibus, juxta maximam à S. Thoma tam crebrò inculcatam. Ergo cùm infidelis agit, vel agit ex fine infidelitatis, putà ex amore falsæ divinitatis; vel sistit in fine operis, putà in honestate misericordiæ: quidquid autem facit, peccatum ordinariè non effugiet. Et quidem si ex fine infidelitatis, atque ex amore falsæ divinitatis operatur, manifestum est ipsum in peccatum prolabi; nam sicut falsum Deum adorare, ita & propter illum operari, illique actionum per se honestarum thus adolere impium est & sacrilegum. Si autem infidelis in fine operis sistit, peccatum non fugit: tum quia virtualiter ordinat omnia opera in præintentum infidelitatis suæ finem; intentio enim finis tandiu moraliter perseverat, quandiu per actum oppositum non revocatur: tum quia etsi opera bona in finem illum pravum virtualiter non referat, sicut non refert justus peccata venialia in Deum, quia sicut ista sunt præter verum Deum, ita fortassis illa præter Deum falsum; attamen voluntas eo ipso, quod in operis honestate civili sistit, peccat peccato omissionis, opus suum in Deum verum minimè referendo, quia ut docet August. infinitis in locis, *omnia bona hominis in summum bonum referenda sunt.* Imò *lib. 19. de civit. c. 25.* asserit, quod *virtutes dum propter se appetuntur, superbæ vitia sunt.* Unde tunc in illo opere contingit mixtura boni & mali, quam dum de moralitate, operosè exposuimus. Et in hoc sensu explicat Augustinus, omne quod non est ex fide peccatum esse, quia qui non agit ex fide, non solet de bonis operibus in Domino gloriari. *Prorsus*, inquit, *operire nudum, in quantum non est ex fide, peccatum est, non quia per seipsum factum, quod est nudum operire, peccatum est, sed de tali opere non in Domino gloriari, solus impius negat esse peccatum.*

Magistrum Augustinum sequuntur celeberrimi Discipuli, ejusque rationem confirmant, tum Fulgentius lib. 1. de verit. prædest. capite 18. *Priusquàm accipiat* (voluntas hominis) *fidem, punitionem per seipsam potest mereri, non fidem; omne enim quod non est ex fide, peccatum est, & sine fide impossibile est placere Deo: qui autem Deo non placet, sine dubio displicet; & qui Deo displicet, non eum mitigat, sed potiùs exacerbat.* Et lib. 2. cap. 5. *Deo non placemus, nisi volumus;*

sed

sed ab ipso nobis tribuitur ut velimus, à quo nisi voluntas hominis mutetur ut bona sit, aut semper appetit malum, aut nunquam appetit bonum: ac sic dum in rebus bonis rectum ordinem non tenet, Deo vero, & bono nullatenus placet. Tum Venerabilis Beda in cap. 14. epist. ad Rom. *Omnis infidelium vita peccatum est, & nihil bonum sine summo bono; ubi enim deest cognitio æterna, & incommutabilis veritatis, falsa virtus est etiam in optimis moribus.* Tum S. Prudentius *adversus Ioannem Scotum cap.4.* tum Lupus Servatus *lib. de tribus quæstionibus, q.1.* tum Lupus Ferrariensis *in collectaneo, quæst.2.* Sed omnium limpidissimè S. Rhemigius, & Ecclesia Lugdunensis lib. de tribus epist. cap. 22. *Verè mortua sunt omnia opera infidelium, non solùm quando apertè vitiis, & peccatis serviunt, sed etiam quando naturali bono, in quantum omnipotens Creator tribuit, instigati, vel naturali lege commoniti, quadam bona opera, & velut quasdam virtutes habere, atque exercere videntur; quia fidem Dei & Christi ejus vel ignorantes, vel odio habentes, aut etiam persequentes, quod ex illa fide non operantur, omninò nec bonum opus, nec vera virtus esse potest, quæ non procedit ex radice veritatis & bonitatis. Dum enim illa ipsa, quæ secundùm homines videntur esse bona opera, nequaquam vera fide ad Dominum referuntur, quem ignorant, nec propter eum agunt, sed propter aut quandam honestatem, quâ inter homines magni videntur, vel propter cupiditatem alicujus commodi temporalis, ipsa impietate infidelitatis, ipsa inflatione elationis, ipsa perversitate cupiditatis ita immunda, & inquinata sunt omnia, ut apud Deum non virtutes, sed vitia judicentur.* Et in lib. de tenend. veritate Script. cap. 10. *Habent itaque omnes homines, etiam qui alieni sunt à Christo, liberum arbitrium, sed tale quale isti Patres ostendunt, id est in prævaricatione Adæ infirmatum, naturali possibilitate & innocentia spoliatum, sine Christo nullo bono usui aptum. Habent naturaliter insitum arbitrium voluntatis, ut eodem arbitrio possint velle mala, possint velle etiam quadam bona, sed humana affectione ad humanam societatem, atque honestatem pertinentia, quæ eadem humana affectione, vel propter aliqua temporalia commoda appetuntur, vel propter ipsam solummodò vitæ honestatem: sed hujusmodi humana bona, quæ humana affectio potest velle, potest etiam nonnunquam agere humana natura: cùm propter temporalia bona appetuntur, sine dubio cupiditates sunt; cùm propter solam vitæ honestatem, sine dubio inflata, & elata sunt.* Quæ verba adeò plana sunt ut expensione obscurari potiùs quàm elucidari possint.

Denique D. Prosper multis in locis divini Præceptoris mentem expressit. Videri potest *epist. ad Ruffinum, cap.7.* & *libr. de vocat. Gent. cap.6. & 7.* ubi expresse ait: *Etiamsi in bonis moribus homo agat, malè adhuc vivit, si non in Dei gloriam vivit. Sine cultu Dei, etiam quod virtus videtur esse, peccatum est, nec placere ullus Deo sine Deo potest: qui verò Deo non placet, cui nisi sibi, & diabolo placet?* Et *carmine de ingratis, cap.16.* sic modulatissimè pangit:

Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam.

Nec potest responderi, Augustinum, eiusque sanctos discipulos laudatos accepisse nomen peccati in lata, & minùs propriè dicta significatione, nimirum pro actu ad vitam æternam sterili, & in malo vitiatæ conscientiæ statu elicito. Non potest, inquam, hoc effugio tot testimoniorum splendor obscurari: tum quia Patres recensiti ad eam quam astruunt sententiam confirmandam, Paulinum illud usurpant, *Omne quod non est fide, peccatum est;* unde in eodem sensu nomen peccati accipiunt, in quo nomen illud Apostolus accepit. Nemo autem hactenus dubitavit, nomen peccati in stricta acceptione fuisse usurpatum. Licèt enim dissentiant Interpretes in explicanda illa particula (quod non est ex fide) aliis per fidem conscientiam intelligentibus, aliis veram fidem sine qua impossibile est placere Deo, significari cum Augustino volentibus, aliis de conscientia quam dirigit fides, cum S. Thoma ubique Augustino indivulsè adhærente accipientibus; concors tamen sententia peccatum propriè dictum intellexisse Apostolum credit, & patet ex verbis præcedentibus, ubi agit Paulus de actione manducandi contra conscientiam fide directam facta, quam utique peccatum esse actuale nemo ambigit. Tum quia Julianus, contra quem disputabat Augustinus, minimè inficiabatur opera illa fieri in statu vitioso; quin oppositum asseveranter significabat, dicens opera illa esse sterilia: Ergo aliquid aliud prætendit Augustinus. Legesis S. Doctorem in fonte, & veritate coactus fatebere, voluisse illum omnia illa quæ ab infidelibus fiunt speciosæ pietatis opera, vel pravæ intentionis labe, vel rectæ saltem ordinationis privatione sordere; ita ut vel nihil unquam ab Augustino perspicuè dictum credendum sit, si hac in parte tenebras in ejus doctrina per se nitentissima comminiscamur. De mente S. Thomæ posteà patebit.

Tertia pars quæ asserit, fidem nihilominus non esse essentialiter, & indispensabiliter ad bona opera necessariam, suadetur tum ratione, tum ex doctrina Augustini. Ex ratione quidem; nam ideo infideles ordinariè peccant, quia vel opera sua ex officio bona in pravum infidelitatis suæ finem referunt, vel saltem in verum finem Deum, quem ignorant, referre omittunt: atqui per auxilium divinæ gratiæ, sicut verum Deum cognoscere possunt, ita in illum opus bonum quod eliciunt, referre; eadem quippe auxiliante gratiâ, quâ Creatorem cognoscunt, possunt etiam in ejus obsequium opus per se honestum referre; & tamen nondum habent fidem. Ergo etiamsi ad quodvis bonum opus requiratur gratiæ Dei opitulantis adjutorium, non tamen fidei christianæ lux. Unde hæretici etiamsi infideles sint, utpote, fidem infusam, & christianam minimè habentes, cum auxilio Dei moventis aliquod opus honestùm in Deum, vel Christum, quem fide humana credunt, tam beoè referre possunt, quàm Pagani referunt in idolum. Accedit, quod ideo ex Augustino & Patribus recensitis infideles omnia opera sua etiam ex objecto bona inficiunt, quia cupiditate movente ea efficere solent: atqui motum cupiditatis corrigere potest auxilium gratiæ moventis, & in Creatoris honorem referentis opus, quod homo sibi relictus in finem creatum, vel in se ordinare proclivis est: ergo ante fidem per gratiam Dei actualem infideles posse aliquod bonum morale operari perspicuum est. Præsertim quia cupiditatis motus non sola reformat fides, cùm multi sint fideles variis in scelerum maculis inquinati: ergo illud in eis auxilium gratiæ operatur; ergo idem operari potest auxilium gratiæ in infidelibus Christi fide carentibus, Deum tamen verum, seu primum rerum principium lumine naturali divinitus adjuti cognoscentibus. Quamobrem Augustinus, ideo peccata ait esse infidelium opera, quia non ex amore Dei, sed ex amore sui; non ex amore Creatoris, sed ex amore naturæ proficiscuntur: amor autem creaturæ peræquè, imò sæpè intensiùs viget in peccatore fideli, quàm in infideli: ergo amorem illum auxilium gratiæ adjuvantis erigit, nec ad hoc necessariò exigitur fides, quæ sola talem sine gratia non

confert rectitudinem voluntati. Quod si contendas, Augustinum non accipere fidem strictè pro cognitione supernaturali Deo secreta sua per Ecclesiam revelanti credente, sed pro cognitione veri Dei, itaut per infidelem intelligat hominem non cognoscentem, nec adorantem verum Deum lumine naturali ex creaturis cognoscibilem, & per fidem cognitum, sed servientem idolis, seu falsis divinitatibus; tunc ultrò fateor omnia hujus infidelis opera esse semper peccata, vel commissionis dum mala agit, vel bona propter idolum; aut saltem operationis, dum opera per se bona in verum Deum nec formaliter, nec virtualiter refert. Cùm enim hominem non minùs quàm cæteras creaturas Deus propter semetipsum creavit, iniquum est, hominem non omnia opera sua in verum Deum, supremum Dominum, ultimum finem ordinare.

Hanc totam nostram resolutionem perspicuè tradit S.Thomas 2. 2. *q.*10. *art.*4. ubi postquam ostendit, infideles non posse elicere ullum opus meritorium vitæ æternæ, quia carent gratiâ quæ est principium meriti, sic addit: *Tamen bona opera, ad quæ sufficit bonum naturæ, aliqualiter operari possunt; unde non oportet, quod in omni opere suo peccent. Sed quandocumque aliquod opus operantur ex infidelitate, tunc peccant.* Vides ex ejus mente opera infidelium non esse necessariò peccata, nisi quando operantur ex infidelitate; tunc autem operantur ex infidelitate, vel quando opera sua in falsum Deum referunt, vel in verum Deum referre omittunt. Nihil autem vetat, quin Deus infideli notitiam veri Dei per ea quæ facta sunt cogniti, impertiatur ante fidem; nihil vetat quin voluntas Deum cognoscentis aliquid in Deum sic cognitum cum adjutorio gratiæ referat. Neque enim infidelis necessitatur ad hoc, ut omnia sua opera in finem infidelitatis referat. *Sicut enim habens fidem*, inquit D. Thomas memoratus, *potest aliquod peccatum committere in actu, quem non refert ad fidei finem, vel venialiter, vel etiam mortaliter peccando: ita etiam infidelis potest aliquem actum bonum facere in eo, quod non refert ad finem infidelitatis.* Quam rationem tradiderat ipse Augustinus *lib. de spiritu & lit. cap.*28. his verbis: *Sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi invenitur.*

Atque ex his etiam mens Augustini elucescit, nihil enim aliud intendit Doctor sanctissimus, quàm opera sine fidei adjutorio facta, esse ordinariè & regulariter peccata, imò & semper, nisi speciali gratiâ infideles adjuventur, quia infideles quà tales, non agunt nisi ex regula infidelitatis & erroris sui; vel saltem in verum Deum opera sua referre, & in Domino gloriari prætermittunt. Unde loco citato contra Julianum, ideò ait operire nudum, tametsi sit opus ex officio & objecto bonum & laudabile, in infideli tamen obscurari nigredine peccati, quia de tali opere non in Domino gloriatur, id est illud ad Dei gloriam non refert. Et certè ut manifestum fit Doctores influxum fidei ad quodcumque bonum essentialiter desiderantes, mentem Augustini capite illo tertio libri quarti contra Julianum expressam non esse plenè assequutos, observa Augustinum ea ibi proferre, quæ nisi aliquo lenimento temperentur, probant omnia peccatoris etiam fidelis opera esse peccata; Augustinus enim non qualemcunque fidem ad bonum opus exigit, sed fidem, quæ per dilectionem operatur, quæ utique in peccatore Christiano minimè invenitur. Verba Augustini sunt hæc: *Disce eum, qui non facit opera bona intentione fidei bonæ, hoc est ejus quæ per dilectionem operatur, totum quasi corpus illud quod velut membris operibus constat, tenebrosum esse, hoc est plenum nigredine peccatorum.* Idem docet sexcentis aliis locis, præsertim libro de grat. Christi, cap. 26. *Quid boni faceremus, nisi diligeremus? aut quomodo bonum non facimus, si diligamus? Etsi enim Dei mandatum videtur aliquando a diligentibus, sed à timentibus fieri; tamen ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur, quia omne quod non est ex fide, peccatum est.* Vides Augustinum illud Apostolicum, *omne quod non est ex fide, peccatum est*, de fide per charitatem operante intelligere; & tamen adversarii non influxum charitatis, sed solius fidei ad bonum opus necessariò exigunt. Ergo aliquo tenentur Augustinum interpretamento explicare.

Quare vera Augustini mens est, opera quævis sine auxilio gratiæ facta esse peccata, sive in infidelibus, sive in fidelibus; quia opera in Deum non ordinata proculdubio peccata sunt; quem ordinem ad Deum sola auxilii divini cupiditatem reformantis gratia confert. Et quia infideles opera sua ad Deum verum referre non solent, quippe qui verum Deum non norunt, proculdubio opera infidelium sunt ordinariè peccata; non tamen opera fidelis peccatoris, qui licèt charitate perfecta Deum super omnia ex toto corde diligente careat, habet tamen fidem quâ illustratus, & auxilio Dei lumini fidei connaturaliter correspondente roboratus, in Deum nondum summè dilectum opus referre potest, & sic boni sunt omnes pii motus justificationem præcedentes, tametsi non à charitate perfecta proficiscentes. Quia tamen nihil vetat, Deum infideli Creatoris notitiam impertiri, nihil etiam vetat in illum infideles opera sua aliquando saltem referre; relinquitur opera infidelium non esse necessariò peccata, etiamsi fides non influat. Unde Augustinus *lib. citato de spiritu & littera*, postquam dixit multa infidelium opera esse ex officio non solùm non vituperanda, sed etiam meritò, rectéque laudanda, subjungit: *Quanquam si discutiatur quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ justitia debitam laudem, defensionémve mereantur.* Si vix inveniuntur, ergo aliquando inveniri cum adjutorio gratiæ possunt. Dicere autem Augustinum ibi non ex propria, fixaque sententia loqui, sed per modum disputantis, ut quidam doctus recentior putat, est Patres prout volumus interpretari, in omnemque sensum opportunè importunè flectere.

In probanda ultima speculationis parte immorandum non est; si enim fides non necessariò exigitur ad operis rectitudinem, multò minùs gratiæ, & charitatis influxus desideratur, aliàs omnia peccatorum opera essent scelera, etiam pii illi motus justificationem præcedentes: quod Tridentinum *sess.*6. *can.*7. damnat. Et ratio est clara, quia homo peccator, seu in peccato mortali constitutus, potest cum Dei adjutorio opus bonum ex objecto & fine operari ex objecto quidem, quia ut rectè ait D. Thomas suprà relatus *ad* 3. per peccatum etiam infidelitatis *non corrumpitur totaliter ratio naturalis, quin remaneat aliqua veri cognitio, per quam facere possunt aliquod opus de genere bonorum.* Quod & antea docuerat Augustinus libro præfato *de spiritu & litera*, his verbis: *Quia non usqueadeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint, unde meritò dici possit etiam in ipsa impietate vita sua facere aliqua legis, vel sapere.* Ipsâ etiam experientiâ compertum est, nullum adeò esse nefandum, à quo lumen vultus divini signati super nos, & inextinguibilis honestatis amor voluntati inseminatus aliqua pietatis naturalis, justi-

tiæ

tiæ, misericordiæ & religionis opera non extorqueat; & quanvis illa per se laudabilia officia cupiditas in se reflectere soleat, quia ut benè canit Prosper c.17. *Arbitrium per devia lapsum claudicat, & cæcis conatibus, inque ligatis motus inest, non error* (practicus) *abest*. Attamen Deo adjuvante in honorem Creatoris quadantenus referre opera honesta peccatores possunt; quod auxilium licèt Deus denegare possit, & sæpe deneget, conferre tamen potest: imò & interdum conferre conveniens est, cùm remanentibus illis divinæ imaginis lineamentis, superstiti illi honestatis amori tametsi nunquam debeantur, interdum tamen respondent auxilia, quibus voluntas aliquo saltem imperfecto æternæ justitiæ, honestatis, & bonitatis amore inescetur.

Solvuntur objectiones.

Contra primam partem speculationis objiciunt primò Lessius, Tannerus, & post illos noster Gonetus nimis hac in parte Molinæ discipulis adhærens; objiciunt, inquam, varias authoritates, tum illum Apostoli locum Rom. 2. *Gentesque legem non habent naturaliter ea quæ legis sunt, faciunt*; idest, per virtutem naturæ, solo rationis naturalis dictamine prælucente opera legis exequuntur: ergo sine gratia Dei. Tum varia Augustini testimonia, quibus S. Doctor affirmat, multa infidelium opera justè, meritoque laudari; additque, ideo illa ab eis fuisse effecta, quia terrenorum affectuum labe non omninò deteritur impressa mentibus nostris divinitatis imago. Tum quædam, pauca tamen, & valde jejuna D. Thomæ verba, ubi asserit, hominem in statu naturæ corruptæ posse *per virtutem sua natura aliquod bonum agere*, ut tradit *q. 109. art. 2.* Tum quædam Conciliorum oracula magnâ vi detorta, putà illud Tridentini *sess.6. can.1. Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humana natura vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Iesum Christum gratia posse justificari coram Deo, anathema sit.* Quibus verbis indicatur aliqua bona opera per naturæ vires absque Christi gratia effici posse. Denique magis speciosè proferunt Bullam B. Pii V. & Gregorii XIII. inter alias propositiones Michaëlis Baii istas damnantium: *Cum Pelagio sentiunt qui textum Apostoli ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* Item, *Liberum arbitrium sine gratia & Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit.* Quibus verbis, inquit Gonetus, expressè damnatur nostra sententia; quod confirmat authoritate Lessii & Tanneri constanter asserentium nostram doctrinam non esse tutam, utpote ab his Ecclesiæ Catholicæ capitibus disertè proscriptam. Sic illi contra intentionem Pontificis seipsum manifestissimè declarantis novos articulos fidei pro libito fingentes & diffingentes liberaliter exsculpunt; an satis sobriè, posteà videbimus.

Respondeo his paucis testimoniorum explicatu facillimorum moliminibus non elevari posse, vel concuti firmissimam sententiæ nostræ veritatem tot Scripturarum, Patrum, Conciliorum, Summorumque Pontificum clarissimis sententiis communitam, nec ullo verisimilitudinis colore obtendi posse, Beatissimum Pium V. in Schola D.Thomæ enutritum, ac proinde Augustini amantem, & Pontificem antiquitatis adeò tenacem voluisse putam putam Augustinianorum dogmatum medullam erroris insimulare. Sed age singula ventilemus authoritatum momenta.

Ad primam ex Apostoli loco depromptam abundè respondimus in materia de Fide, ubi locum illum intelligendum diximus vel de gentibus ad fidem conversis, & per naturam gratiâ reformatam operantibus, ut Augustinus censuit, cujus mentem S. Thomas pluribus locis, nominatim verò in commentario illius loci approbavit; & planè viro Thomista indignum est Augustinianam illam explicationem Angelici Doctoris calculo probatam inter damnatas Baii propositiones collocare, præsertim cùm Pii V. constitutio tot evidentissimis modis possit, intemerata manente Augustini expositione, explicari, ut postea clarebit. Dicuntur autem gentes illæ, tametsi conversæ, legem non habere, vel quia nondum erat scripta lex Christi, vel quia lex Christi in spiritu potissimùm sita est, non in litera, sicut lex Mosis. Secundò diximus, locum illum Apostolicum, si intelligatur de gentibus fidei lumine nondum illustratis (ut intelligi posse cum nostro Angelico Magistro non abnuimus,) ita interpretandum esse, ut ly *naturaliter*, non opponatur gratiæ, sed legi, quasi dicat Paulus: Non est vobis gloriandum, ô Judæi, quòd legem Moysis accepetitis, quia gentes quæ legem illam non habent, naturaliter, idest sine auxilio illius legis, faciunt opera legis. Ubi ut doctissimus Estius observavit, illud *naturaliter*, in sensu literali, opponitur tantùm legi, non gratiæ, ut sit sensus, Gentes naturaliter, id est in statu naturæ lege destitutæ permanentes, opera legis naturalis faciunt; sed sicut mandata legis scriptæ observare nequibant Judæi sine gratia Dei, nisi cum Pelagio totam gratiæ opitulationem ad legem forinsecus sonantem reducamus; ita sine Dei adjuvantis gratia gentes legem naturalem scriptam in cordibus suis nequaquam observabant. Et certè si locus ille Apostolicus secundùm mentem adversariorum veniret intelligendus, proculdubio probaret, quod ipsi non admittent, nimirum ad servandam legem naturalem, ad operaque pia & justa, quæ lex illa præscribit, toto vitæ decursu peragenda, sufficere legem naturalem, cùm gentes quæ legem non habent, naturaliter, id est ut ipsi fingunt, per naturæ vires, ea quæ legis sunt, faciant. Ergo juxta illos hoc uno verbo Apostolus gratiæ in illa epistola, cujus unicus scopus est gratiam Christi, ejusque necessitatem, potestatem, & gloriam stabilire, totam Christianæ gratiæ necessitatem ab imis fundamentis subruisset. Quid enim opus est gratiâ Redemptoris, si gentes quæ legem non habent, naturaliter, id est solius naturæ viribus, ea quæ legis sunt faciunt? Vide etiam S.Thomam *q.109. art.4. ad 1.*

Ad Augustinum respondeo S. Doctorem non negasse opera ex officio bona, sed pravarum circumstantiarum maculis sordidata ab infidelibus posse fieri; opus autem ex integra causa bonum ab illis, & sine auxilio gratiæ effici posse, nunquam dixit Augustinus, cùm & in illis paucis locis, quæ referunt adversarii, & continentiam Polemonis, & Schismaticorum pro Christo morientium patientiam, & aliorum pudicitiam conjugalem, donum Dei apertissimè dixerit. Quod tamen ipsemet Augustinus sic interpretatur *lib. 1. de nupt. & concup. cap. 3.* his verbis: *Quid ergo dicimus, quando & in quibusdam impiis invenitur pudicitia conjugalis? Utrum eo peccare dicendi sunt, quòd dono Dei malè utantur, non id referentes ad cultum ejus, à quo acceperunt? An fortè nec dona Dei putanda sunt ista, quando hæc infideles agunt, secundùm Apostoli sententiam dicentis: Omne quod non est ex fide, peccatum est? Quis audeat dicere donum Dei esse peccatum?* Unde juxta Augustinum hæc opera per se eximia in infidelibus regulariter non sunt

sine peccato, sed sit aliquando sine peccato fiant, proculdubio non sine auxilio Dei fiunt. Unde nihil unquam contra nos producent ex Augustino adversarii; quia etsi eis concedamus aliquando opera bona ab infidelibus fieri (quod possibile cum Dei auxilio esse non inficiati sumus suprà) nunquam tamen aliquid in Augustino invenient, quo significetur, illa sine ope specialis Dei adjutorii esse peracta.

Dices: Ex Augustino *lib.5. de Civit. cap.15.* à Romanis multa præclarè gesta sunt, quibus & merces reddita est, amplum nimirum orbis imperium in virtutum civilium remunerationem. At Romanis non concedebatur specialis gratia ad virtutes illas civiles exercendas: ergo sine gratia possunt multa virtutum opera fieri.

Respondeo ægrè adversarios probaturos Romanis, saltem quibusdam, nunquam Deum auxilium gratiæ, non quidem gratum facientis, sed moventis fuisse impertitum, cùm ipsi omnibus & singulis & semper auxilium sufficiens nedum offerri, sed etiam conferri contestentur. Sed utut sit, ad has angustias minimè nos reducit argumentum frigidissimum. Tum quia idem Augustinus eodem loci illa Romanorum gesta præclara, peccata esse pronuntiat: *Ista*, inquit, *laudis aviditas, & cupido gloriæ multa illa miranda fecit, laudabilia scilicet, atque gloriosa secundùm hominum æstimationem: amore itaque primitus libertatis, pòst etiam dominationis, & cupiditate laudis, & gloriæ multa magna fecerunt. Sanius autem videt*, ut ait cap. 13. *qui & amorem laudis vitium esse cognoscit. Huic igitur cupiditati*, addit cap. 14. *melius resistitur sine dubitatione, quàm ceditur.* Tum quia merces non est reddita Romanis in præmium veræ virtutis, sed in commendationem operum ex officio honestorum. Tum quia eatenus dicitur Romanis merces reddita, quia quod ambibant, obtinuerunt, eo sensu quo Veritas dixit, hypocritas recipere mercedem suam, non quòd opera hypocritarum, quæ faciunt ut glorificentur ab hominibus, mercedem ullam promereantur, sed quia gloriam quam unicè hypocritæ intendunt, consequuntur: intentioni ergo respondet merces quæsita per iniquitatem, non retributa per justitiam. Videsis eundem S. Doctorum cap. 18. ejusdem libri. Tum demùm quia licèt laudis cupido vitiosa sit, non tamen adeo probrosa sicut cætera vitia; & quia illâ cupiditate valde humanâ cætera vitia longè deteriora Romani presserunt, & etiam aliquatenus virtutum civilium honestate permoti sunt; ideò præmium temporale sortiti sunt, quod Deus operibus malis, aliquo tamen honestatis radio permixtis indulgere solet, ut pater in obstetricibus Ægyptiorum, quarum egregiam in pueros Hebræorum pietatem remuneratus est, eisque ædificavit domos, id est, ut Augustinus, & Theodoretus interpretantur, earum res familiares auxit, & locupletavit.

Ad D. Thomam dico patere ex ipso contextu expositionem; quis enim negaverit homines aliquod opus ex objecto viriliter bonum, quale est *ædificare domos, & plantare vineas* (quæ sunt ipsa accuratissimi Doctoris exempla) sine speciali gratiæ adjutorio effici posse? Nec contra hoc quicquam efficit Gonetus, dum ait S. Thomam velle hominem posse plantare vineas, & ædificare domos ex deliberatione, tanquam bonum proportionatum naturæ. Nihil, inquam, efficit; quia etsi homo plantando vineas deliberet, & ædificando domos intendat facere aliquid proportionatum naturæ & urbanitatis decori, hoc nihil aliud probat, quàm dari opera bona ex fine operis, quod in moralibus est idem cum objecto; sed ut finem operis in Deum, prout tenetur operans referat, gratiâ opus est. Itaque concedit solùm D. Thomas, posse dari sine gratia bonos architectos, & bonos vinitores, sed non bonos justos. Alia quæ ex D. Thoma proferri possunt, vel suum secum interpretamentum vehunt, vel certè adversariis obsunt magis, quàm prosint: unde patet eorum sententiam esse à probationibus è S.Thoma petitis destitutissimam.

Ad testimonium ex sacro Tridentino Concilio petitum respondeo, identidem mihi excidere, dum verba objecta relego, quo pacto illa ad suam sententiam detorquere adversarii possint. In his quidem cerno, opera quævis nihil ad justificationem valere: sed bona opera per solas naturæ vires, vel per legis doctrinam fieri, sancta Synodus nusquam dixit, cùm & ipsum sacrum timorem, qui est initium, quique ante justificationem haberi potest, donum esse Spiritus sancti, nondum quidem inhabitantis, sed moventis, disertissimè definiat.

Ad constitutionem B. Pii V. Prædicatoriæ familiæ & Thomisticæ Scholæ immortalis ornamenti respondeo observandum, certum mihi videri, adversarios Bullam illam vel in fonte non legisse, vel certè illam minimè expendisse. Etenim ut superiori dissertatione, *cap.3. specul.1.* explicantes statum naturæ integræ observavimus, idem B. Pontifex in fine ejusdem Constitutionis apertissimè declaravit plures è Baianis propositionibus posse legitimum & catholicum pati sensum, easdemque plures fuisse ex Augustino totidem verbis deprompias; eas tamen omnes suam Sanctitatem proscribere vel ob censuræ à Baio sepeadditæ atrocitatem, vel ob pravum earundem intelligentiam. Cùm ergo manifestum sit, locum Apostolicum, *Gentes quæ legem non habent, &c.* intelligi ab Augustino & Aquinate de gentibus ad fidem conversis, ut ipsemet Gonetus *disp.1. art.3.§.5.* confitetur, relinquitur illam Baii propositionem, quæ nobis primo loco objicitur, esse de numero illarum, quas sua Sanctitas bonum habere posse sensum, & in illo à censura immunes esse declaravit, eique duntaxat subjacere voluit, quatenus vel nimiam censuræ acrioris severitatem continent, vel in pravum sensum à Michaële Baio detorquebantur. Itaque prima propositio jure damnatur, quia omnem aliam expositionem loci Apostoli vocat Pelagianam: *Cum Pelagio sentiunt*, inquit Baius, *qui textum Apostoli intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.* Nam quod locus possit intelligi de gentibus nondum fidei gratiam habentibus, quæ legem naturalem, non tamen sine auxilio Dei observant, tradunt multi Doctores, qui Pelagiani non sunt, sed Pelagii errores detestantur. Sed utut sit, manifestum est, primam propositionem nostram sententiam nedum non ferire, sed neqvidem tangere. Nos enim non illos dicimus cum Pelagio sentire, qui textum Apostoli de gentibus fidei gratiam non habentibus exponunt; sed illos duntaxat cum Pelagio sentire dicimus, qui legem naturalem sine Dei gratia observari posse, particulâ illâ, *naturaliter*, quæ habetur in textu Apostoli, abutentes affirmant.

Secunda etiam propositio in sensu Baii falsa est, nimirum: *Liberum arbitrium sine gratia & Dei adjutorio non nisi ad peccandum valet.* Sensus autem Baii est, liberum arbitrium indigere gratia sanctificante, & charitate, ut benè agat: quod evidenter ex aliis propositionibus in ea Bulla recensitis colligitur, quæ tales sunt: *Omne quod agit peccator; vel servus peccati, peccatum est.* Censet ergo Baius, requiri ad hoc ut opus non sit peccatum, quod operans non sit peccator, seu quod habeat gratiam sanctificantem.

Item

Item: *Distinctio duplicis justitiæ, alterius quæ fit per spiritum charitatis inhabitantem, alterius quæ fit ex inspiratione Spiritus Sancti, similiter rejicitur.* Vides ergo manifestè Baium nullum opus bonum esse voluisse, nisi à gratia sanctificante profectum; siquidem justitiam ab inspiratione Spiritus sancti excitatam, ab inhabitante distinctam rejecit. Ergo cùm dixit liberum arbitrium sine gratia & adjutorio Dei nihil valere nisi ad peccandum, per gratiam, perque adjutorium justitiam inhabitantem, sine qua nihil bonum esse posse vult, intellexit. Idem clarissimè colligitur ex altera ejusdem Michaëlis propositione, quæ sic habet: *Illa distinctio duplicis vivificationis, alterius quâ vivificatur peccator dum ei pœnitentia & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur; alterius quâ vivificatur qui verè justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est.* Si autem nulla sit inchoatio vivificationis & pietatis, nullaque sit gratia, quæ non vivificet formaliter, planum est ad evitandum in omni actione peccatum opus esse gratia sanctificante, in qua vita formalis animæ sita est. Qui Baii sensus non solùm falsus, sed hæreticus est; ex eo enim sequitur, dispositiones quibus peccator ad justificationem manuducitur, esse peccata; quod in Novatoribus nostris sacra Tridentina Synodus damnavit.

Ex his etiam patet responsio ad tertiam propositionem; cùm enim Baius nullam aliam veram gratiam agnoscat præter sanctificantem, seu habitualem, quidquid ex gratia sanctificante non proficiscitur, ex solis naturæ viribus ortum habere consequenter credidit; unde cùm dixit: *Cum Pelagio sapit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex natura solis viribus ortum ducit, agnoscit;* idem est ac si dixisset: Cum Pelagio sentit, qui sine gratia sanctificante bonum aliquod opus agnoscit; qui utique sensus damnandus est. Accedit, quod propositio illa per se prolata falsa est; cùm enim ex naturæ viribus possit homo bonum ex officio opus efficere, imò & finem operis honesti sibi præstituere, falsum est absolutè, nullum dari bonum naturale, seu ex solis naturæ viribus ortum; opus enim ex objecto & fine operis bonum, tametsi bonum purum non sit, si ultimi finis veri circumstantia desit, bonum tamen est, cùm actus ficet ab objectis speciem, ita & denominationem sortiantur; unde actus respiciens objectum bonum bonus est, & talis jure nominatur.

His omnibus addi potest, responsiones hactenus datas ipsi Bullæ interpunctioni inniti, quæ adversariis magis placet; sic enim præfatæ Bullæ censuram legunt: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore & proprio verborum sensu hæreticas, erroneas, suspectas, temerarias, scandalosas, & in pias aures offensionem immittentes respectivè damnamus, circumscribimus, abolemus.* Juxta quam interpunctionem præfatæ propositiones in suorum duntaxat authorum sensu proscriptæ sunt, qui damnatorum authorum sensus ex aliis propositionibus à nobis adductis patet. Manifestum est autem, unam, eandemque propositionem in uno sensu hæreticam, in alio esse orthodoxam, ut probat Augustinus *lib. de hæres.* exemplo Coluthianorum & Florianorum, quorum illi damnati sunt, quòd dicerent Deum non facere mala; isti etiam proscripti, quia è contrario Deum creare mala pronuntiabant. Porrò amborum sensus divinis eloquiis resistebat; ut enim ibi Augustinus docet, creat Deus mala pœnas justissimas irrogando, quod Coluthus non videbat; non autem malis naturas & substantias creando, uti Florinus errabat. Sic etiam teste Athanasio *lib. de Synodis*, Paulus Samosatenus in Concilio Antiocheno secundo damnatus est, quòd diceret Christum esse consubstantialem Patri, quia vocem consubstantialis corporaliter accipiebat; & in Nicæno Concilio generali proscriptus est Arrius, eo quòd Filium non esse Patri consubstantialem blasphemarit, quia vocem consubstantialis pro divinæ identitate substantiæ, quam Filio Dei denegabat, accipiebat; & utrumque Concilium benè pro subjecta materia definivit, & reapse inter se Patres illi consenserunt, quia sensum hæreticum sub æquivocis vocibus latentem detexerunt, verumque & orthodoxum retinuerunt. Hæc, inquam, dicta sunt juxta interpunctionem ab adversariis adhibitam, secundùm quam solus Baii sensus vel per se patens, vel ex aliarum propositionum collatione elicitus damnatur. Cæterùm non omnes illam interpunctionem probant; testantur enim se legisse Bullas Romæ typis reverendæ Cameræ Apostolicæ editas, in quibus per modum unius integræ clausulæ sic censuram restringentis legitur: *Quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint in rigore & proprio verborum sensu, hæreticas,* &c. Juxta quam lectionem certum esset, aliquas earum aliquo pacto sustineri posse.

Addi secundò potest, ex terminis ipsius censuræ liquidò constare, non omnes articulos ideo à Beato Pio V. & consequenter à Gregorio XIII. fuisse damnatos, quòd omnes sint falsi, vel hæretici, cùm articuli illi hæretici, erronei, suspecti, temerarii, scandalosi, & in pias aures offensionem immittentes respectivè dicantur. Unde colligere est nonnullos ex iis ideo duntaxat esse reprobatos, quòd iis quidam offenderentur, atque inter Theologos contentiosiùs quàm par erat hinc inde disputantes, turbandæ pacis & piæ quorundam teneritudinis occasio præberetur. Unde etiam P. Gabriel Vasques *in* 1. 2. *disput.* 189. *cap.* 12. ubi nostram sententiam post promulgatam Bullam fusè, nec minùs eruditè defendit, ex Cardinalibus Toleto & Bellarmino doctrinâ ac pietate magis quàm purpurâ eminentissimis testatur, nonnullas ex præfatis propositionibus ideò esse damnatas, quia nimia verborum acerbitate, quâ etiam hæreseos aliorum opiniones insimulat Baius, Summi Pontificis, vel Concilii œcumenici authoritatem sibi arrogans, prolatæ erant.

Addi ultimò potest, quod licèt nonnullæ ex illis propositionibus absque censuræ amatore prolatæ reperiantur, quæ aliquo pacto sustineri possint, tamen modus exprimendi Baianus typhum ubique & supercilium redolens, vel nudè prolatus multos jure potuit offendere. Unde potuit & debuit prudentissimus Pontifex eas propositiones reprehendere, quibus fidelium animi offendebantur, easque tandiu pro bono pacis prohibere, quandiu eis persistit offensa catholicorum hominum teneritudo. Sic controversiæ de auxiliis multifariam à Romanis Antistitibus vetitæ sunt, sapienter existimantibus à doctrinæ non necessariæ prædicatione supersedendum, cùm inde gravia scandala, & periculosæ perturbationes timentur. Sic etiam dum etiam Romæ conclusiones de scientia media, de prædestinatione, de aliisque affinibus materiis palam propugnari vetitum erat. Sic ubique, præsertim verò in Hispania, de Immaculato Virginis Deiparæ Conceptu disputare nefas est. Quia cùm in variis Christiani orbis locis, sed nominatim in Hispaniis quæstio illa, quæ olim pacificè, & solius veritatis inquisitione ventilabatur, acerbissimus sit disputationibus agitata, argumentis etiam non rarò dicteria, verborum acores, & fortassis alia graviora continentibus, sapientissimè Ecclesiæ Pastor, cujus est charitatem fovere, violatam filiorum concordiam restituere, & amarulenta animorum dissidia sedare, non semel eam prohibuit, rei tamen veritate indecisâ manente,

&

& prohibitâ alterutrius sententiæ censurâ, ne ea sententia, quæ B. Virginem negat immunem à peccato originali, publicè doceretur. Et quamvis illius sententiæ assertores doctrinam suam in Scripturis fundatam, & ut loquitur Cajetanus, requiescere in sinu Sanctorum contestentur; prudentissimè tamen Summus Pontifex propter anticipatas populorum opiniones, Hispanorum præsertim offensionem, opinantium B. Virginem cum peccato originali esse conceptam, silentium imposuit, certissimo hoc principio usus, in sententiis ferendis & traditionis Patrum summam rationem esse habendam, & simul fideles in schismatis discrimen non esse conjiciendos. Unde utrique parti opinandi quod probabilius visum fuerit, libertatem reliquit, ne extinguatur lucerna in Israël; & simul omnibus publica de hac controversia dissertatione interdixit. Si enim vera & definita dogmata crudè, ut ita dicam, proposita dum occasio sunt ruinæ infirmorum, prudenter silentio prætermittuntur, juxta illud: *Multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò*; unde in primitiva Ecclesia adorandæ Eucharistiæ mysterium ob ingentem, quam secum invehit difficultatem, quámve sine scandalo Capharnaïtæ olim audire non potuerunt; catechumenis, & multò magis infidelibus magna cum cautela occultabatur: quanto magis regula illa in assertionibus dubiis, & nondum clarè decisis locum habet.

Aliæ objectiones è ratione petitæ dissolvuntur. Examinatur præceptum omnia in Deum referendi.

Objiciunt præterea adversarii: Creatura rationalis per facultatem suæ naturæ potest cum concursu generali actum naturæ suæ consentaneam elicere, ne sit deterioris conditionis aliis creaturis, quæ actus sibi convenientes eliciunt, ut cùm ignis calefacit, sol illuminat, arbor fructus edit. Atqui actus honesti & boni sunt naturæ rationali consentanei, cùm sint regulis rationis conformes, sicut mali à ratione recedentes contra naturam esse dicuntur. Ergo opera moraliter bona, nullaque peccati labe sordidata potest creatura rationalis sine auxilio gratiæ efficere.

Respondeo hoc argumento probatum iri, posse etiam voluntatem absque Dei adjuvantis auxilio & totam legem servare, & à peccato abstinere, & tentationes superare, cùm hi actus sint naturæ rationali consentanei, sicut eorum oppositi rationi & naturæ repugnant; & tamen hoc adversarii, ne in superbiam Pelagianam incidant, non admittunt. Ergo nimis probat, subindeque nihil, hoc argumentum. Dicendum ergo, quod licèt creatura rationalis pura & sana possit bona opera cum solo concursu generali efficere, non tamen debilis & infirma, qualis est nostra in statu corruptionis: unde non nisi motus imperfectos intra sphæram vitæ civilis elicere potest, putà ædificare domos, plantare vineas, ut ait D. Thomas. Adde quod quia liberum arbitrium primi peccati granditate non extinctum, sed attenuatum duntaxat est & infirmatum, ideo non negamus, plura posse à voluntate effici opera ex objecto, officioque honesta, tametsi in illis gloriari in Domino sine Domini adjutorio non possit. Patet autem opus objectû bonum respiciens, tametsi rectâ ad Deum relatione carens, bonum esse, sed mixtum, nec purum, ut alias dum de moralitate, demonstratum est. Hic autem bonitatis moralis radius subobscurus, in actum ex objecto per se honesto refusus laudabilis est. Nam sacræ literæ, in quibus sicut non fallimur, ita ex eis non fallimus, multorum opera laudant, qui Deum verum non agnoverunt; quia opus per se honestum amabant, licèt non benè amare dicendi essent, qui de bonis operibus non in Domino gloriabantur. Sic legimus laudari Cyrum, & Darium Reges, quòd Templum Jerosolymitanum instaurari curarint, captivitatemque populi Judaici laxari mandaverint. Laudatus est etiam Assuerus Rex, quia exaltato Mardochæo, & Aman justâ vindictâ affecto, Judæos ab iniqua internecione liberavit. Commendatur etiam Nabuchodonosor, quòd cum perfido, perjuroque Sedecia loquutus sit judicium. Ninivitarum etiam pœnitentia, quâ temporalem vindictam averterunt; & Reginæ Austri diligentia, quæ audiendæ sapientiæ Salomonis gratiâ longinquam peregrinationem confecerat, ab ipsa Veritate probantur. Denique Actorum ultimo Barbarorum Apostolo Paulo, sociisque naufragis non modicam humanitatem præstantium hospitalitas celebratur. Porrò illis omnibus operibus ex objecto bonis, vel defuit semper ultimi finis debita circumstantia, vel si non defuit, actualis gratiæ beneficium fuit.

Dices: hoc ipso, quod voluntas non refert opus ex objecto bonum, putà eleemosynam, in finem pravum, sed in præcisa misericordiæ honestate sistit, tunc actus sponte sua ex se tendit in Deum totius honestatis fontem, & finem, saltem interpretativè, cùm per pravi finis appositionem à Deo minimè detorqueatur operis impetus in Deum, non secus ac lapis in centrum naturâ suâ proclivis. Ergo actus erit perfectè bonus sine auxilio gratiæ.

Respondeo, ad integram operis honestatem non sufficere ut objectum, & finis proximus honestate gaudeant, nisi etiam operans finem ultimum verum, in quem omnia opera sua formaliter, vel virtualiter referre tenetur, ut posteà dicemus, sibi præstituat, cùm de bono opere in Domino gloriari solus impius neget esse peccatum, ut ait Augustinus. Dum ergo quis honestatem operis amat, per hoc quidem non peccat, cùm rationi consonè agat: quòd virtutis honestatem in se reflectat, & in Deum referre omittat, sine peccato esse non potest. Adde quod sine gratiæ adjutorio vix, ac ne vix quidem virtutis honestas voluntatem in statu corruptionis primò & per se movere potest potentia consequenti, & in sensu composito; quia ut suprà ponderavimus, occultus sui amor cordi nostro invisceratus, etiam dum honesta amare sibi videtur, quæ sua sunt latenter quærit, & mentitur iniquitas sibi; id est, ut exponit Magnus Gregorius, *sæpe fit ut aliud in intimis intentio supprimat, & aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat.* Quare duplici de causa adjutorium gratiæ necessarium est, & ut objecti honestas sincerè ametur, & ut in Deum referatur. Maximè quia cùm juxta principia Augustini amor castus justitiæ, honestatis, & veritatis, sit amor ipse Dei, tam non possumus honestatem benè, seu purè sine gratia diligere, quàm non possumus diligere Deum; quod certum esse fatentur ii contra quos agimus. Principium autem prædictum tradit Augustinus lib. 2. de lib. arbitr. cap. 19. *Neque*, inquit, *prudentiâ cujusquam fit prudens alius, aut fortis fortitudine, aut temperans temperantiâ, aut justus justitiâ hominis alterius quisquam efficitur; sed coaptando animum illis incommutabilibus regulis, luminibusque virtutum, quæ incorporaliter vivunt in ipsa veritate, sapientiaque communi, quibus & ille coaptavit, & fixit animum quem istis virtutibus præditum sibi ad imitandum proposuit.* Quam justitiam & veritatem *intus apud nos, vel potiùs supra nos in ipsa veritate conspici* à nobis testatur idem Pater *lib. 1. de Trinit. cap. 9.* Unde subdit: *In Deo concipimus incommutabilem formam justitiæ, secundùm quam hominem vivere oportere judicamus.*

carnis. Quod & repetit ſerm. 17. de verb. Apoſt. cap. 3. *Interrogo, utrum ames juſtitiam? Dominus autem juſtitia eſt, non enim tibi fingere debes Deum quaſi idolum.*

Urgebis e Gratis, & ſine fundamento dicimus, teneri nos omnia ad Deum tanquam ultimum finem ſemper referre, ſaltem virtualiter; nonne enim ſatis, ſuperque creaturæ rationalis officio ſatisfacimus, ſi opus propter finem proximum de ſe honeſtum efficiamus, cùm tunc rationi conſonè agamus?

Reſpondeo hanc quæſtionem tractari ſolere à Theologis Moralibus, vel in tractatu de peccatis, ubi quæritur an homo poſſit primò peccare venialiter? cujus occaſione inquirunt, num homo in primo rationis exordio, ſin phyſico, certè morali, in Deum converti teneatur? vel in materia de charitate, ubi præceptum dilectionis Dei examinatur. Sed dabit veniam Lector optimus oblivioni meæ; poſtquam enim de præcepto Fidei & Spei multa ſatis in ſuperiori libro tradidi, à primo & magno mandato pertractando ſuperſedere decreveram, & ferè hujus argumenti diſputatio è memoria exciderat, quæ utinam nunquam abſit à corde. Nec mirare, Lector; ad credendum enim difficilia, ad ſperandum ardua præceptis Theologorum ſtudio exponendis, incolcandiſque opus eſt. At verò ad Deum amandum quid opus eſt lege? cùm amorem illum natura ſuggerat, ratio ſuadeat, authoritas evincat, in ejuſque inculcationem univerſæ divinorum eloquiorum ſententiæ totæ quantæ conſpirent. *Clamat*, inquit Doctor Mellifluus lib. de dilig. Deo, *intus innata, & non ignota rationi juſtitia, diligendum eſſe illum, cujus nos totos eſſe, & cui totum debere non ignoramus.* Et ideò, ut obſervat S. Thomas, de hoc præcepto in Decalogo non fit mentio hoc nomine, quòd evidentius ſit.

Sanè non credebam de hocce dilectionis divinæ præcepto diſputatum iri unquam apud Chriſtianos, cujus diſputatio apud Gentiles non omninò occæcatos ſacrilega meritò haberetur. Non credebam inventum unquam iri Theologos magnum iſtud præceptum ſublimitatibus incondītis ad nihilum redactu-ros; præceptum, inquam, quod ſi Scripturarum omnium compendium, Prophetarum votum, Evangelii ſummam, Chriſtianiſmi animam, perfectionis regulam, cunctarum formam virtutum, unum incarnati Verbi ſcopum, legis finem, ſolidæ pietatis principium ſimul & coronamentum dixeris, à veritate non aberrabis.

Enimverò quis credet in illas extremæ calamitatis extremas tenebras prolapſuram unquam humani ingenii non omninò extinctam lucem, ut amoris divini, & in Deum omnia referendi neceſſitatem negaret, quo ſine virtutes in vitia degenerant, externa legis impletio in hypocriſin convertitur, & ſuaviſſima filiorum Dei lex in graviſſimum ſervorum jugum commutatur. Hæc non credebam, nec credere poteram, & vix oculis meis credo, dum apud quoſdam lego, Chriſtiano ſufficere virtutes paganas, nullo ad Deum ordine conſecratas; imò & Chriſtianum poſſe per totum vitæ curriculum creaturis frui (creatis enim rebus fruitur qui eis non utitur propter Deum) & amorem divinum, ejuſque praxim ad mortem uſque tuto poſſe procraſtinari, & ab illo etiam in articulo mortis eximi beneficio attritionis Sacramento conjunctæ; his artibus contra ſacri Tridentini mentem & Summorum Pontificum decreta ſuo loco referenda omnem Dei amorem in lege amaroris exterminantes.

Quis tam vecors, tam ſine corde, tam cordis indiguus his aſſertionibus divini amoris inimicis credat? Quis tam cæcus, ut non videat, quod ſicut in quolibet humanæ vitæ inſtituto finis primùm & ratione ſui quæritur, & impensè prædiligitur, ut cætera deinde eligantur, quæ in finem illum referantur: ita in humanæ, & præſertim Chriſtianæ vitæ œconomia, quæ pariter præſtantiſſima, atque ordinatiſſima eſt, priùs quærendus, priùs diligendus eſt totius humanæ vitæ finis, qui utique nec eſt, nec eſſe poteſt alius, quàm Deus ſummè amandus, ex cujus deinde amore cætera volumus & operamur: unde primùm illi adhærendum eſt, primumque parendum, ut ab illo honeſta vitæ primordia ducamus. Certè facilius, & tolerabilius eſt negare Deum, quàm illi ſemel agnito omnia offerri non debere affirmare. Unde graviter monet Sinnichius Academiæ Lovanienſis nullà unquam oblivione delendum decus, quod hoc præceptum tam apertum negantis *non procul ab Athiſmo diſtet aſſertio; immò multò facilius omnium hæreticorum & impiorum errores poterit propugnare.*

Ridiculus foret ille Dialecticus, qui contra omnes Logicæ, & communiſſimæ rationis leges concluſiones vellet ſine ullo præmiſſarum prævio aſſenſu derivare. At longè abſurdior eſt Theologus, qui opera abſque ullo prævio in Deum amore immaculata eſſe pronunciat; cùm ſicut ſe habet primum principium in ſpeculabilibus, ita & ſe habeat finis ultimus in operabilibus. Certè nec Theologi nomine dignus eſt qui talia docet; ſi enim Theologia, ut aliàs diximus, & nomen ipſum ſonat, Deum ſolum quærit, & aliud quodvis objectum quàmlibet inſigne quidem inſpicere dedignatur, niſi in illo divinus quidam ordo, & veluti radius eniteat, & ideo objectum formale adæquatum Theologiæ non eſt aliud quàm Deus ſolus; quomodo ſuo nomini, & veræ Theologiæ non renuntiant, qui opus non in Deum ordinatum, bonum poſſe eſſe teſtantur? Deteſtantur omnes Orthodoxi nefandum illud impii Calvini dogma, quo ſolâ fide, ſine amore & operibus nos poſſe ſalvari blaſphemavit: ſed ſodes, nihilo deterior videtur aſſertio, quæ opera ſine amore Dei poſſe in ſalutem perducere credit; nam ſi fides ſine operibus mortua eſt, profectò opera ſine amore Dei non vivunt. Mitto argumenta ex præceptis charitatis petita; nam ſi in Deum verum credere, ſi in omnipotentem ſperare ſpecialibus præceptis jubemur; quidni ſummè amabilem ex præcepto charitatis amare teneamur? Anne Deus minùs bonus quàm verax, vel omnipotens? An minori jure pollet bonitas, quàm veritas, vel poteſtas? An ita imperfecta eſt charitas, ut nunquam cor vero affectu tangat, nec ullos animi motus, nulla ſtudia in Deum rapiat? Cur ergo Deus ſe *ex toto corde, tota anima, tota mente* diligi imperavit, ſi interiori affectu ferri in Deum minimè teneamur?

Nec dicas ſufficere ad implendum dilectionis amorem, ut quis contra eam nihil faciat, ſed cætera quæque præcepta obſervet; nam qui habet præcepta mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me, inquiebat Veritas. Non, inquam, id dicas; nam contra dilectionem facit qui nunquam diligit, peccatum enim omiſſionis contra legem eſt, cùm omne peccatum ſit contra legem æternam. Nec etiam alia præcepta cuſtodit, qui nullum unquam divini amoris affectum elicit; obſervatio enim externa ab interiori affectu ſejuncta judaicus ritus eſt, non chriſtianus, imò nec verè humanus, cùm potiſſima hominis pars non corpus ſit, ſed ſpiritus. Ergo qui externis tantùm officiis contentus eſt, non adorat in ſpiritu & veritate; labiis Deum honorat, cor autem ejus longè eſt à Deo, qui tamen ſe ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente præcipit diligi, quia totum cor hominis poſſidere avens, & in eo conſortem non patiens, *nullum à ſe rivulum duci extra patitur, cujus derivatione dilectio Dei minuatur*, ut Auguſt. *lib. de doctr. Chriſt.* tradit.

Nec

Nec dicas iterum, observationem legis, putà cultum parentum, subventionem pauperum, & aliorum prohibitorum fugam sine prævia Dei amandi intentione, sed alio laudabili, & moraliter honesto fine exercitam, esse amorem Dei effectivum, etsi non affectivum; qui enim aliqua bona intentione ita officii sui tenax est, & ita comparatus, ut malit ab omnibus suis desideriis, & emolumentis recedere, quàm præcepta sub mortali obligantia violare, diligere Deum censendus est. Non itaque id dicas; neque enim effectivè amat, qui nullatenus amat, quive nullum dilectionis affectum sentit. Certè non ideò dicitur amor effectivus, quia caret affectu; tam enim impossibile est dari amorem sine interno motu quàm albedinem sine colore, vel calorem sine qualitate, vel qualitatem sine accidente, vel accidens sine ente; sed eatenus dicitur effectivus, quia in affectu non sistit, sed in effectum transit, & externa officia eo animo imperat, ut in omnibus honorificetur, & ametur Deus. Amor verò dicitur affectivus, qui divinam bonitatem intus sapiens, gustat quoniam suavis est Dominus; qui interiori affectu fervens in Deum fertur, in externa verò opera non diffluit, vel quia deest occasio, vel facultas, non voluntas; vel ne externorum officiorum solicitudine erga plurima turbata unum necessarium interrumpatur, & optima pars, quam Maria in contemplatione elegit, deseratur. Sed de his vide quæ diximus circa amorem Christo debitum libro decimo de Deo conversante, *dissert.* 1. *cap.* 2. *specul.* 3. *per totam.*

Ex his sequitur, ex Dei amandi præcepto, quo Deum sincerè, & castè diligere jubemur, teneri homines omnia opera sua bona actu voluntatis referre in Deum; cùm enim Deus debeat amari ut ultimus finis, & summum bonum; ultimus verò finis omnem sibi voluntatis electionem subjiciat, cùm repugnet dari duos ultimos fines, ut fusè alibi demonstravimus, evidens est, debere homines omnes suas electiones, omnia opera deliberata in Deum ultimum finem vel formaliter per actum expressum, vel virtualiter per actum amoris præteritum, & moraliter donec retractetur perseverantem referre. Certè qui aliquod opus bonum elicit, & solùm bonitatem moralem quærit, in eaque quiescit, eâ etiam fruitur, vel saltem non utitur prout debet, cùm in Deum, quo solo fruendum est, non referat, ac proinde Deum ex toto corde non diligat. Nam ut ait August. suprà laudatus: *Hæc regula dilectionis divinitus constituta est: Diliges proximum tuum sicut teipsum; Deum verò ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in eum conferas, à quo habes ea ipsa, quæ confers. Cùm autem ait, toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re frui velit; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit.* Et libro 10. *de Civit. cap.* 4. postquam dixit ex amore Dei nomen, & vim suam religionem mutuari, quia nimirum dum bona propter Deum beatitudinis fontem, & omnis appetitionis finem eligimus, Deum quem negligentes amiseramus, veluti reeligentes amore recuperamus, sic ait: *Hoc bonum diligere in toto corde, in tota anima, & in tota virtute præcipimur; ad hoc bonum debemus & à quibus diligimur duci, & quos diligimus ducere. Sic complentur duo illa præcepta, in quibus tota lex pendet, & Prophetæ.* Porrò præcepta illa exigere ut omnia in Deum referamus, sic apertè, & formaliter docet verbis quæ statim adjungit: *Vt enim homo se diligere nosset, constitutus est ei finis, quò referret omnia quæ ageret.*

Hanc etiam doctrinam Angelicus Præceptor infinitis locis tradit, & superiùs indicatis rationibus confirmat. Sic enim habet 1. 2. quæst. 100. art. 10. *In hoc præcepto, Honora patrem, non includitur quod honoretur pater ex charitate, sed solùm quod honoretur pater: unde qui honorat patrem, licèt non habeat charitatem, non efficitur transgressor hujus præcepti, etsi sit transgressor præcepti, quod est de actu charitatis, propter quam transgressionem meretur pœnam.* Et in responsione ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod sub præcepto charitatis continetur ut diligatur Deus ex toto corde, ad quod pertinet, ut omnia referantur in Deum. Et ideo præceptum charitatis implere homo non potest, nisi etiam omnia referantur in Deum. Sic ergo qui honorat parentes, tenetur ex charitate honorare, non ex vi hujus præcepti, quod est, Honora parentes; sed ex vi hujus præcepti: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

Idem ex professo probat *tota quæst.* 44. 2. 2. quia ut ait *art.* 1. finis spiritualis vitæ est ut homo uniatur Deo; unde dicit Apostolus, quod *finis præcepti est charitas*: finis autem primò & per se intenditur, unde primò, & per se in Deum ferri tenemur, in alia verò propter Deum. Quare amor Dei præintenti se habet in vita humana, ut docet *art.* 2. sicut prima principia in scientiis speculativis. Ex quibus infert art. 4. *Quod cùm præcepta dentur de actibus virtutum, hoc modo aliquis actus cadit sub præcepto, secundùm quod est actus virtutis. Requiritur autem ad actum virtutis non solùm quod cadat super debitam materiam, sed etiam quod vestiatur debitis circumstantiis, quibus sit proportionatus tali materiæ. Deus autem est diligendus sicut finis ultimus, ad quem omnia sunt referenda, & ideo totalitas quædam fuit designanda circa præceptum de dilectione Dei.* Ergo ex D. Thoma, qui bonum opus ex fine proximo bono agit, quod ad Deum non refert, peccat; quia etsi eliciat actum, *qui cadit super debitam materiam, debitis tamen eum circumstantiis non vestit.* Hinc S. Thomas variis in locis in loco illo Apostolico 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*; verum præceptum agnoscit, quo tenemur & nos, & vitam nostram, & verba, atque opera nostra in Deum non quidem formaliter semper propter hujus status debilitatem, sed virtualiter referre. Quod eximiè explicat Doctor sanctissimus in disputatis quæstionibus, *quæst. de charitate, art.* 11. *ad* 2. his verbis: *Dicendum, quod omnia actu referre in Deum, non est possibile in hac vita, sicut non est possibile, quod semper de Deo cogitetur. Sed quod omnia referantur in Deum, hoc pertinet ad perfectionem charitatis, ad quam omnes tenentur. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod sicut in causis efficientibus virtus primæ causæ manet in omnibus causis sequentibus; ita etiam intentio principalis finis virtute manet in omnibus finibus secundariis. Vnde quicumque actu intendit aliquem finem secundarium, virtute intendit finem principalem: sicut Medicus dum colligit herbas, actu intendit conficere potionem, nihil fortassis de sanitate cogitans; virtualiter tamen intendit sanitatem, propter quam potionem dat. Sic igitur cùm aliquis se ordinat in Deum sicut in finem, in omnibus quæ propter seipsum facit, manet virtute intentio ultimi finis, qui Deus est. Vnde in omnibus mereri potest, si charitatem habeat. Hoc igitur modo Apostolus præcipit, quod omnia in Dei gloriam referantur.*

Cùm ergo S. Præceptor virtualem boni operis in Deum relationem ex præcepto necessariam exigat, manifestum est, teneri omnes aliquando actuali & formali affectu se & omnia sua sincerè in Deum referre; virtualis namque relatio formalem, & actualem præsupponit, quæ virtute manere dicitur, quia etsi actus cesset, manet tamen ejus impetus influens

in

in opus ; quidquid enim vi, & impulsu prioris intentionis fit, in finem priùs intentum virtute refertur, unde priorem intentionem vel involvit, vel certè supponit. *Aliud est referre habitualiter in Deum*, inquit D.Thomas mox relatus ad 3. *& aliud virtualiter. Habitualiter enim refert in Deum & qui nihil agit, nec qui actualiter aliquid intendit, ut dormiens. Sed virtualiter aliquid referre in Deum, est agentis propter finem ordinantis in Deum. Unde habitualiter referre in Deum non cadit sub præcepto ; sed virtualiter referre in Deum cadit sub præcepto charitatis, cùm hoc nihil aliud sit, quam habere Deum ultimum finem.* Ergo manifestè, imò insulsè, & crassè mentiuntur qui dicunt S. Thomam ejus fuisse sententiæ, habitum charitatis, non actum præcipi ; nullus enim unquam Theologiæ moralis error fuit, vel esse potest, qui capitaliùs S. Doctori adversetur. Et cùm tot locis à nobis citatis, aliisque innumeris brevitatis gratiâ omissis divini amoris necessitatem inculcaverit, & ex professo invictis rationibus stabiliverit, mirum est quosdam recentiores in doctrina D.Thomæ peregrinos, tam nefarii erroris fœditatem tanto Doctori asserere ausos esse, ejusque præsidio, quod per summam sibi vindicant injuriam, suam prolapsionem communire.

Nec obest, quod aliquoties S.Thomas dicat, præceptum dilectionis impleri per hoc, quod nihil contra sacram dilectionem cor hominis recipiat, vel nihil contra dilectionem Dei agat, vel se, & sua homo in Deum actu, vel habitu referat, ut 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 4. *ad* 2. & *art.* 6. & *opusc.* 18. *cap.* 5. legere est. Non obest, inquam, quia testimonia illa in fonte legenti manifestum erit verba S.Doctoris perversissimè ab ipsius mente detorqueri. Nihil enim aliud vult S. Doctor, quàm quod homo non tenetur actu, & semper elicere actus amoris, ut præceptum de diligendo ex toto corde Deo impleat ; quia ut illi totalitati, quæ amoris continuationem postulat, satisfaciat, debet solùm charitatis habitum perenniter conservare ; quod facit etiam qui venialiter peccat, etiamsi peccatum veniale nec formaliter, nec virtualiter in Deum referat. Et rationem S. Doctor adjungit, quâ suam mentem, & adversariorum imposturam evidentissimè detegit : *Quia* (inquit) *peccatum veniale non tollit habitum charitatis, sed solùm impedit charitatis usum.* Ergo vult solùm S. Thomas, præceptum diligendi ex toto corde Dei non obligare ad perpetuum dilectionis usum, & nunquam interruptum motum cordis in Deum ; quia ut loco suprà adducto *ex* 1. 2. *quæst.* 100. dixerat, præcepta licèt sint de actibus (quam propositionem millies repetit, ne suâ quis doctrinâ abuteretur, veluti futurum recentiorum abusum prævidens ;) tamen præcepta affirmativa non obligant ad semper. Unde tantùm abest ut nobis noceant testimonia illa ex 2.2. relata, quod potiùs in illis disertè & sine ambagibus affirmat S. Doctor, actum amoris Dei esse in præcepto. Et in eodem sensu loquitur opusculo citato, ubi idem præceptum Dei ex toto corde diligendi exponit, vultque quod licèt ad præceptum dilectionis implendum requiratur actus, quo ut ibidem ait, *quæcumque homo amat, in Deo amat, & universaliter suam omnem affectionem ad Dei dilectionem refert : unde dicebat Apostolus* 2. *Cor.* 5. *Sive enim mente excedimus Deo, sive sobrii sumus vobis ; charitas enim Christi urget nos. Et omnia in Deum refert sicut in finem, sicut Apostolus dicit* 1. *Cor.* 10. *Sive manducatis, vel bibitis, vel quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite ; quod quidem impletur cùm aliquis vitam suam ad Dei servitium ordinat, & per consequens omnia, quæ per seipsum agit, virtualiter ordinantur in Deum, nisi sint talia, quæ à Deo abducant, ut sunt peccata*, quæ omnia impleri sine actu impossibile est ; tamen ait ibidem S. Doctor, ad illum dilectionis modum *omnes ex necessitate præcepti obligari.* Cùm ergo dicit hominem ad diligendum ex toto corde Deum debere omnia *actu, vel habitu* in Deum referre, non excludit actum quem tam necessarium inculcat ; sed vult quod perennitas amoris actibus etiam venialibus interrupta perseveret in patria, & nullo peccato mortali extinguatur.

Vide quàm immanè distet neotericorum, & sacrorum Doctorum Theologia. Et certè satis mirari non possum de hac Dei amandi necessitate ullam unquam suboriri potuisse dubitationem, cùm juxta communissimam Theologiæ vocem, Deo solo, non autem ulla re creata frui licitum sit, quâ duntaxat utendum est ; nihilque aliud peccatum esse possit, quàm fruendis uti velle, atque utendis frui, ut August. *lib.* 83. *qq. quæst.* 30. docet : *Omnis humana perversio, quod etiam vitium vocatur, est fruendis uti velle, & utendis frui.* Frui autem est amore inhærere alicui rei propter seipsam : uti verò est id quod in usum venerit, ad id quod amas, obtinendum referre, ut idem S. Doctor *lib.* 1. *doct. Christ. cap.* 21. tradit. Porrò ut ibidem dicitur ; in omnibus rebus illæ tantùm sunt, quibus fruendum est, quas æternas, & incommutabiles dicimus ; cæteris autem non nisi utendum est, ut ad illarum perfruitionem pervenire possimus. Quid hac doctrinâ notius, & juxtà sacratius ; & tamen adeò constantem veritatem labefactant, qui volunt opus in Deum nec actu, nec virtute ab operante relatum ab omni peccato etiam veniali esse immune. Certè frustra laborant hi Authores, dum homines à Deo amando eximere volunt, cùm nec ipse Deus à sui amandi lege dispensare possit, ut diviné Augustinus pronuntiavit. *Jubet enim*, inquit lib. 1. de liber. arbit. cap. 5. 6. & 15. *æterna lex, avertere amorem à temporalibus, & eum mundatum convertere ad æterna. Quid illa lex, quæ summa ratio nominatur, quàm cui semper obtemperandum est ? Intelligo hanc æternam esse, atque incommutabilem legem ; neque enim ulla vis, nullus casus, ulla rerum labes unquam effecerit, ut justum non sit omnia esse ordinatissima.* Quamobrem his sacris Doctoribus, & ipsius etiam naturæ voci Dei amorem imperanti credamus, Lector optime, ne inhæreamus inferioribus, quàm nos sumus ; nosque ipsos inter illa quæ infra nos, & illa quæ supra nos sunt, ita Deo, & Domino nostro opitulante ordinemus, ut inferioribus non offendamur, solis autem superioribus delectemur. Nam ut incomparabilis Doctor *lib.* 6. *Musicæ, & epist.* 52. & alibi tradit : *Tanto nobis meliùs est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando ; quia ad eum qui ubique præsens est, & ubique totus, non pedibus ire licet, sed moribus ; non gressu, sed affectu.*

Ex his principiis cœlo & terrâ immobilioribus intulit D.Thomas 1. 2. *quæst.* 89. *art.* 6. & in aliis omnibus locis ibi in margine citatis, teneri creaturam rationalem in primo rationis diluculo ad Deum se convertere, illum ultimum finem agnoscere, & primitias amoris sui illi consecrare, quem ut aliàs vidimus, non potest invincibiliter ignorare. Nec nimis citò, ut quidam garrit, ad Deum amandum nos obligat Doctor Angelicus, qui probè noverat totum Deo tempus deberi, & omnia opera propter Deum esse vel formaliter, vel certè virtualiter efficienda : ordinatio autem virtualis actum formalem vel involvit, vel saltem præsupponit : ut ergo opera libera & humana ad Deum virtualiter, ut ad minus tenemur, referantur, debuit in prima rationis aurora effectus divini amoris elici, qui in cætera deinde opera

influat, & ad eum omnia dirigat, qui se toto corde diligi imperavit.

Et confirmatur. Præceptum convertendi se in Deum ut ultimum finem, ad quod inclinat lex naturalis, quod virtualiter continetur in primo Decalogi præcepto de colendo Deo (nam ut ait Augustin. Psal. 77. *Hoc colitur, quod diligitur; unde quia Deus rebus omnibus major, aut melior invenitur, plus omnibus diligendus est, ut colatur;*) quodve cum præcepto dilectionis Dei, quo totus Christianismus continetur, coincidit; hoc, inquam, præceptum aliquando obligat, id est aliquem actum elici illius conversionis imperat, cùm præcepta non dentur de habitibus, sed de actibus. Atqui si aliquo tempore obligat, nullum aliud tempus potiori jure assignari potest, quo urgeat illud mandatum, quàm primum discretionis momentum: Ergo tenetur homo ad Deum se in primo rationis diluculo convertere. Major & consequentia apertæ sunt: minor propositio sic probatur. Primum quod occurrit, vel occurrere saltem debet homini discretionem habenti, est ut ait D. Thomas, *deliberare de seipso*; imprudentissimus quippe est, qui se neglecto circa alia se occupat, assimilaturque viatori iter capessenti, nullâ præstitutâ peregrinationis metâ; vel nautæ, qui explicatis velis mari, scopulis, & tempestatibus se permittit, ignorans portum in quem appellat, in quemve se recipiat, cui procul dubio certum naufragium imminet. Et ratio est, quia cùm homo sit omnium quæ in mundo sunt finis, oportet quod amor aliorum supponat amorem sui; priùs enim debet intendi finis, quàm media eligantur: priùs ergo tenetur deliberare de se, quàm de aliis, quæ sunt extra se. Alioqui verò cùm homo non sit finis ultimus sui ipsius, sed respectu Dei se habeat ut medium, priùs tenetur semetipsum referre in Deum, quàm alia referat ad se; sicut priùs debent cognosci principia, quàm deducantur conclusiones, cùm juxta toties decantatum Philosophi pronuntiatum, sicut se habet primum principium in speculabilibus, ita ultimus finis in operabilibus. Ergo primus vitæ moralis gressus debet esse amor ultimi finis, scilicet Dei, à quo qui exerrat, ad omne sceleris præcipitium viam sternit.

Pro solutione instantiarum, quibus hujus immaculatæ doctrinæ candorem ipsi Senecæ non ignotum, affirmanti priùs deliberandum de fine vitæ, quàm de aliis, ne errent consilia nostra, veluti nebulis obscurare nituntur recentiores quidam, observa cum Caietano, quod licèt præceptum hoc à multis pueris non observetur, tum ob perversas inclinationes, quibus ab incunabulis serviunt; tum ob incuriosam hujus præsertim sæculi parentum desidiam, qui non curant pueros, uti tenentur, bonis exemplis imbuere, nec eis pias de Deo cogitationes immittere; attamen credit idem Cardinalis à multis bonæ indolis puerulis adimpleri hoc præceptum, illis præsertim qui ab ineunte ætate christianè educati, divinis assueti, & veluti innutriti, pietatem cum lacte sugunt: tum quia charitas non impedita proti mpit in actus: tum quia satis innuit D. Thomas, in illo rationis exordio immitti à Deo cogitationes pias, nisi è mali peccato divini luminis sese eff undentes radii repellantur. Cùm enim semel, & iterum dicat S. Doctor, quod *primum quod occurrit homini discretionem habenti, est deliberare de seipso*, indicat per hoc, in illo rationis crepusculo solem invisibilem, quis illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, immittere cogitationes deliberandi de se, quibus inimatur, & veluti promulgatur lex naturalis; cui legi obtemperans, *si ad debitum finem seipsum ordinaverit, per gratiam consequetur remissionem peccati originalis; si verò non ordinet seipsum ad debitum finem, secundum quod in illa ætate est capax discretionis, peccabit mortaliter, non faciens quod in se est.* Tum demùm, quia videmus multos pueros septennes, amore Dei ferventes, in pietatem proclives, offensam Dei formidare, quod sine aliquo Dei amore non faciunt; licèt enim de amore Dei in actu signato non cogitent, internum tamen sentiunt pondus, quo in divina feruntur. Et pueros nonnullos martyrium pro Christo perpessos fuisse constantissimum est.

Observent quæso hanc doctrinam longè probabilissimam parentes, observent Parochi, observent pædagogi, observent ludimagistri, ut tenerrimam ætatem divinis imbuant institutis, illique amorem ejus inspirent, qui parvulis dixit venire ad se. Ætas illa sicut innocentior, ita flexibilior, tractabilior, & in omnem partem paratior est: assimilatur tabulæ rudi & rasæ, ad omnem impressionem facili; ceræ molli, omnis figuræ capaci; materiæ primæ ad omnem formam indifferenti: Ergo ad omnem pietatem fingi potest, si benè educetur. Et sanè licèt daremus adversariis, non esse præceptum amoris primordia, & veluti cordis novalia primo principio & ultimo fini consecrandi; neminem tamen ita rusticum esse reor, qui nolit id saltem urbanitatem postulare; nam si pueri benè nati in diei exordio parentibus salutem dicunt, quid sin justius, certè honestius, quàm primo rationis lucentis mane priores cogitationes, priores curas, priora vota saltem per modum donarii, si nomen necessarii vectigalis reformides, Deo optimo, maximo, & cœlesti Patri offerre? quanvis in sententia S. Thomæ ex Augustini principiis necessarió consequuta obsequium illud justitia postulet. Si enim Rex in primis coronæ auspiciis, in ipso in regnum ingressu subditos professionis sacramento adigit, quid æquius quàm, ut ehentelare munus in ipso rationis, & vitæ humanæ limine coram summo Domino profiteamur? Ita planè justum est, ut in illo incipiat, proficiat, & finiatur vita mortalis, in æternam postea eo mmutanda, in qua non est heri & cras, sed hodie perpetuum visionis continentis, & nunquam intermissi amoris. Ad hanc vitam nos perducat ipse, qui est alpha & omega, principium & finis, quique custodit introitum, & exitum nostrum, Deus benedictus in sæcula.

Reflexio.

Non mirum, si bonum honestum sine Dei gratia effici posse plures affirment, cùm ut bonum sit, ad Deum minimè referendum esse contendant. Certè sicut bonum illud non invidemus, ita ad illud gratiam non esse necessariam libenter permittimus, ad quod operandum sufficit natura sibi relicta. Ad hujusmodi officia, vel potiùs virtutum simulachra gratia non influit, quæ sicut à Deo est, ita ad Deum jugiter movet, cùm sit fons aquæ vivæ salientis in vitam æternam, & ad locum unde exeunt flumina revertantur. At nos qui à Patribus didicimus, omne opus bonum, ut bonum sit, in Deum debere sin actu, certè virtute referri; ultrò & necessariò gratiæ ad singulos actus bonos necessitatem confitemur, quâ & in animum immittatur affectiva cognitio honestatis, & amor divinitatis; quâ homo justus, fortis, & prudens coaptet animum illis incommutabilibus regulis, luminibusque virtutum, à quibus qui recedit, injustus est; ad quas qui accedit, justus evadit.

Hæc cùm ita sint, Christiane Lector, non solùm gratiæ lumen, ut opera lucis eliciamus, continuis precibus invocare tenemur, sed pro bonis quæcumque ag mus,

agimus, continentes Deo persolvere gratias æquissimum est. Unde Divinus Apostolus, divinæ gratiæ prædicator egregius, gratiarum actionem ab oratione nunquam sejungit, sed indivulsam utriusque cohærentiam hominum animis penitiùs infigens, *Sine intermissione orate*, inquit 1.Thessal.5. *in omnibus gratias agite.* Et Colloss.4. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione.* Hinc est, ut monent Patres, ideo sæpe suam nobis gratiarum abundantiam Deum denegare, quia ingrati sumus, nec omnia in illum referimus, ut illi soli boni operis gloria tribuatur: unde magnum nobis malum ex magno bono detorquemus, dum gloriam Domini nostri servi nequam, imò fures, & latrones nobis usurpamus. *De magnis bonis mala oriri non minima solent*, ait S. Bernardus serm. 84. in Cant. *cùm facti eximii de bonis Domini, utimur donis tanquam non datis, nec damus gloriam Deo.* Orandum ergo est, & sine intermissione orandum, ut præveniat nos Deus in benedictionibus dulcedinis, & citò anticipent nos misericordiæ ejus, quia pauperes facti sumus nimis: verùm secundam gratiam gratiarum actione prævenire tenemur, si ingrati animi suspicionem, & notam depellere studeamus. *Disce*, monet idem Doctor Mellifluus serm.51. in Cant. *in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis: disce ad singula dona gratias agere. Diligenter inquit* (subauditur Sapiens Proverb.23.) *considera qua tibi apponuntur, ut nulla videlicet Dei dona debitâ gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non pusilla. Denique jubemur colligere fragmenta, ne pereant, id est nec minima beneficia oblivisci. Nunquid non perit quod donatur ingrato? Ingratitudo inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio, ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Ergo si gratiam amas, ingratitudinem fuge, de nulloque gloriare, quando nihil est nostrum.

Speculatio III.

Ex prajactis fundamentis necessitas gratiæ specialiter, & singulatim quibusdam consectariis derivatur.

Statuta semel divini adjutorii ad quævis opera bona necessitate, facilè, imò sponte fluunt quæ de necessitate ejusdem gratiæ ad vincendas tentationes, vitanda peccata, amandum Deum, servandam legem Angelicus noster Doctor toto quæstionis 109. decursu tradit, cujus doctrinæ medullam sequentibus consectariis exponemus.

Consectarium I.

Nulla sine gratia Dei superari tentatio potest.

Probatur: Omnis tentatio, seu impulsus provocans & solicitans ad malum, vel est extrinseca à dæmone suggerente, aut homine inducente, aut malo exemplo pertrahente immissa; vel est intrinseca, cùm nimirum caro concupiscit adversus spiritum, lex membrorum repugnat legi mentis, & appetitus inferior contra superiorem insurgit. Atqui nullam tentationem, sive intrinsecam, sive extrinsecam sine gratia vincere homo potest ex odio peccati, & amore recti. Tum quia nullum opus morale ex objecto & circumstantiis bonum, potest voluntas creata sine Dei gratia efficere; nulla autem tentatio sine bono opere vincitur, nisi cùm vitium vitio vincitur: quod non est tentationem vincere, sed mutare; non enim cupiditas cupiditate sanatur. Tum quia nulla est tentatio, quâ superatâ gratias Deo agere non debeamus, & pro qua superanda divinum auxilium implorare non debeamus, & dicere: *Et ne nos inducas in tentationem.* Unde veridicè à Psalmista cantatur Psalm.17. & Psalm.117. *In te eripiar à tentatione, & in Deo meo transgrediar murum. Impulsus eversus sum ut caderem, & Dominus suscepit me.* Tum quia ita docent Sacra Concilia: Arausicanum epistolâ synodicâ, quæ est 9. inter Augustinianas: *Istorum*, inquit loquens de Pelagianis, *sacrilegas disputationes necessariò sequitur, ut nec orare debeamus, ne intremus in tentationem. Si enim possibilitate naturæ & arbitrio voluntatis in potestate sunt constituta, quis non ea videat à Domino inaniter peti, & fallaciter orari, cùm orando poscuntur ea, quæ natura nostra jam ita condita sufficientibus viribus obtinentur; nec debuisse dicere Dominum Iesum, Vigilate, & orate; sed tantummodò: Vigilate, ne intretis in tentationem.* Idem ferè repetit Concilium Milevitanum in epistola etiam synodica inter Augustinianas 92. Nec minùs apertè Concilium Arausicanum II. necessitatem gratiæ ad quamcunque tentationem, sive gravem, sive levem docet *can.9.* & *can.14.* his verbis: *Divini muneris est cùm rectè cogitamus, & pedes nostros à falsitate, & injustitia continemus. Nullus miser de quantacumque miseria liberatur, nisi qui Dei misericordiâ prævenitur.*

Tum quia ita tradunt Summi Pontifices Innocentius I. in rescripto ad Concilium Carthaginense, his verbis: *Nisi magnis precibus gratia in nos implorata descendat, nequaquam terrena labis, & mundani corporis vincere conamur errores, cùm pares nos ad resistendum non liberum arbitrium, sed Dei solum facere possit auxilium. Quotidiana præstat ille remedia, sine quibus nullatenus vincere humanos poterimus errores; necesse est enim, ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur.* Idem docet Zozimus Papa in epist. ad universos orbis Episcopos: *Quod tempus intervenit, quo ejus non egeamus auxilio? In omnibus igitur actibus, causisque, cogitationibus, motibus adjutor & protector orandus est: superbum enim est, ut quidquam sibi humana natura præsumat.* Subscribit Papa Cœlestinus *epist. ad Episcopos Galliæ, cap.6.* his verbis: *Nemo etiam baptismatis gratiâ renovatus idoneus est ad superandas diaboli insidias, & ad vincendas carnis concupiscentias, nisi per quotidianum adjutorium Dei perseverantiam bona conversationis acceperit.* Astipulatur Bonifacius II. in epistola Arausicani Concilii confirmativa, necnon Magnus Gregorius *lib.9. Moral. cap.7.* asserens quod homo *dimissus sibi, cujuslibet tentationis aurâ raptatur.* Quod & repetit in expositione Psalmi tertii pœnitentialis, dicens: *Necessariò sequitur, ut omni tentationi sit subditus quicumque ab eo fuerit derelictus.*

Nec potest dici, summos illos Ecclesiæ Catholicæ Pastores loqui de tentationibus gravibus, ad quas auxilium Dei necessarium esse definiunt. Non, inquam, id potest dici. Tum quia universaliter de omni tentatione loquuntur, nec luculentas Conciliorum, Romanorumque Pontificum de jure definitiones licet pro humanæ rationis arbitratu exceptionibus novis, & à Patrum traditione desertis eludere. Tum quia ad vincendam *quamcunque peccati* in tentatione *miseriam, quotidianis remediis* nos indigere docent: levis autem tentatio est quædam miseria; quotidianum etiam remedium non est necessarium, nisi ad quotidianas tentationes, quæ utique non sunt quotidie in omnibus graves. Verba etiam Gregorii adducta planiora sunt, quàm ut ullo interpretamento

detorqueri possent. Tum demùm quia Patres, Pontifices, & nominatim laudatus Gregorius docent, Deum homines ad vincendas graves, & periculosas tentationes sæpe opitulari, & tamen ipsos levioribus succumbere, judiciis inscrutabilibus, sive ut humiliati totum Deo tribuant, & videant quod *magna prælia electis permittit Deus, quæ vincant; levia excitat, in quibus cadunt, at cadentes se facilè erigant, & eos fortia, in quibus victores steterunt, non extollant*, inquit *lib.* 5. *in Reg.* Hinc timendum monet *lib.* 2. *Moral. c.* 26. quia *sæpe quem tentationis certamen superare non valuit, sua deterius securitas stravit.*

Summis Pontificibus consentiunt Patres. Ambrosius in Psal. 41. *Quis est tam fortis, ut acquaquam in tentatione moveatur, nisi Dominus ei adjutor existat?* Chrysostomus hom. 34. in 1. ad Cor. *Sunt ergo*, inquit, *tentationes, quæ ferri non possunt. Et quæ hæ sunt? Omnes, ut semel dicam: posse enim ferri, situm est in Dei nutu.* Quantus verò sit in hac doctrina, & quàm totus Augustinus, nemo in ejus lectione peregrinus ignorat. Nam *libr. de grat. Christ. cap.* 27. asserit, quod nullo modo spiritui nequam sine Spiritus sancti adjutorio resistere possumus. Et *ferm.* 13. *de verb. Apost.* testatur, quod sine gratia, *non dico vincere, sed nec pugnare possumus. Quia nisi ille regat, cadis; nisi ille erigat, jaces.* Cætera missa facio, utpote infinita. Augustinum sequuntur Prosper cap. 35. contra Collatorem: *Quisquis*, inquit, *in tribulationi non deficit, ab illo se non dubitet adjuvari, ad quem quotidie corda universorum fidelium canunt: Ne nos inferas in tentationem.* Et Fulgentius epist. 4. cap. 4. *Nec est aliquando vita hujus tempus, in quo non hominibus muscipulam tendat inimicus, cujus laqueos nemo possit propriis viribus evadere.* Bernardus quoque ferm. in octavam Pasc. sic habet: *Quoties ergo tentationi resistis, quoties vincis malignum, noli propriis retribuere viribus, noli in te, sed magis in Domino gloriari.* Denique S. Thomas iisdem nixus principiis docet, etiam illum, qui jam consequutus est gratiam, non posse vitare peccatum, & vincere tentationes absque continuo Dei protegentis auxilio. *Licèt*, inquit 1. 2. quæst. 109. art. 9. *per gratiam humana natura sanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea infectio, & corruptio quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur ad Rom.* 7. *Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundùm quam, ut etiam dicitur Rom.* 8. *quid oremus sicut oportet, nescimus. Propter varios enim rerum eventus, & quia etiam nos ipsos non perfectè cognoscimus, non possumus ad plenum scire quid nobis expediat, secundùm illud Sap.* 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ nostræ. Et ideo necesse est nobis, ut à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia novit, & omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere: Et ne nos inducas in tentationem.* Idem etiam S. Doctor explicans 3. *p. quæst.* 41. tentationem Christi ducti in desertum à Spiritu, ut tentaretur à diabolo, docet tentationem non esse à nobis quærendam tanquam bonam, nisi instinctu Spiritus sancti, cujus auxilio vincitur tentatio.

Hinc Patres tam serio monent, quod licèt nostrum sit dare, vel negare consensum tentationi, & quod solummodò ne consenserimus, quoties restiterimus, toties coronabimur; attamen de nostra nobis fortitudine nullatenus esse præsumendum, sed ad ejus misericordiam tota humilitate currendum, qui etiam cadentes suscipit, si tamen ab humilitate suscipiantur; & in Altissimi esse adjutorio habitandum, atque in protectione Dei cœli commorandum; quia minimè decet esse securum hominem, qui secum portat laqueum suum: unde uni Dei adjutorio fidendum est, ut in hac vita, quæ meritò tota tentatio appellatur, quemadmodum undique bella, ita undique sint & præsidia. Hoc præceptum viris præsertim spiritualibus inculcandum docet Bernardus *ferm.* 1. *in Psalm.* Qui habitat: *Timeo, fratres, ne fortè etiam sit in nobis qui non habitet in adjutorio Dei altissimi, sed confidat in virtute sua, & in multitudine divitiarum suarum. Fortè enim ferverem habet aliquis, potens in vigiliis, in jejuniis, in labore, & cæteris hujusmodi; aut etiam multorum, ut sibi videtur, divitias meritorum longo tempore acquisivit, & in his confidens remissior est in timore Dei, facilè jam ad otiositates & curiositates perniciosa quadam securitate declinat, murmurat, detrahit, dijudicatque. Qui profectò si habitaret in adjutorio Dei, attenderet utique sibi, & timeret offendere quem sibi cognosceret adhuc tam necessarium esse. Tanto siquidem amplius timere Deum, & magis sollicitus esse deberet, quanto majora ejus munera jam percepit. Neque enim quæ habemus ab eo, servare, aut tenere possumus sine eo. ::: O si scires, quàm parum est quod habes, & hoc ipsum quam citò perdes, si non servaverit ille qui dedit! Hæc enim duo sunt, quæ valde sollicitos & subjectos Deo nos reddere possunt, ut non simus de his qui propterea non habitant in adjutorio Altissimi, quia non reputant illud sibi necessarium esse.* Et ferm. 6. *Leviter volat, leviter penetrat; sed dico tibi, non leve infligit vulnus, citò interficit. Nimirum sagitta hæc vana gloria est. Non est unde hæc impugnet pusillanimes, & remissos: qui fervemiores esse videntur, ipsi paveant, ipsi sibi caveant in hac parte; nihilominus adhuc solicitì non deserere scutum inexpugnabile veritatis. Quid enim aliud tam contrarium vanitati? Nec sanè huic opponenda sagitta secreta illa, & quodammodo intima veritatis exigimus* (putà altitudinem judiciorum Dei inscrutabilium, mysteria prædestinationis & gratiæ, charitatis & occultæ cupiditatis vix internoscendam similitudinem, & alia similia:) *seipsam noverit anima, de se teneat veritatem. Difficilè prorsus, ni fallor, homo verbis laudantium hominem in vita sua, adduci poterit altum sapere, si se intus ad lucem veritatis solicita consideratione discutiat. Nonne enim si propriam cogitat conditionem, dicturus est sibi: Quid superbis terra & cinis? Nonne si propriam consideret corruptionem, fateatur necesse est, quoniam non est in eo bonum? Sed & si fortè aliquid habere videtur, non inveniet, puto, quod respondeat Apostolo dicenti: Quid habes quod non accepisti? Et alibi: Qui stat, videat ne cadat.*

Huic tam ingenti locupletissimorum testium nubi nihil habent quod opponant adversarii, quàm Bullam Beati Pii V. adversùs Michaëlem Baium editam, in qua proscribitur hæc illius Authoris propositio: *Non solùm fures hi sunt & latrones, qui Christum viam & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicumque aliunde quàm per ipsum in viam justitiæ, hoc est ad aliquam justitiam, conscendi posse docent, aut tentationi ulli sine gratia ipsius adjutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* Verùm ut suprà notavimus, hoc qui objiciunt, Beati Pii constitutionem in fonte non legerunt; cùm enim plures propositiones Pontifex propter verborum asperitatem, ac censuræ acerbitatem condemnarit, nulla est quæ potuerit potiori illo jure damnari, cùm nulla sit acriori stylo prolata, utpote quæ adversarios suos fures vocat & latrones. Accedit quod cùm Baius gratiam duntaxat sanctificantem agnoscat, ut ex suprà dictis claret, manifestum est, nostrum toto cœlo distare sensum ab illo Michaëlis, cui omnis & una gratia sanctificans fuit. Demùm falsum est, hominem adjutorio destitutum necessariò illi tentationi succumbere, cùm sæpè peccatores unam cupiditatem alia superet, ut cùm Baius in

in filios amorem & pietatem vicit amor patriæ, laudumque immensa cupido: unde non necessitatur peccator ad illud peccatum, ad quod tentatione inducitur, tametsi nisi à Deo adjuvetur, dum unum superat, in aliud cadat, & ut canit Prosper aliàs laudatus, *in vulnera vulnere surgat.*

Alia objecta, quibus hoc consectarium impugnari potest, quia peræquè contra sequentia militant, ideò omnia simul in fine hujus speculationis refellemus.

Consectarium II.

Nequit homo in statu naturæ lapsæ Deum super omnia efficaciter sine gratia diligere.

Sequitur omninò ex dictis; si enim nullum opus bonum sine gratia efficere possumus, quantò minus elicere actum, qui est totius legis impletio? Sed insuper hæc veritas Catholica suadetur; tum primò, quia si Deum super omnia ex viribus naturæ diligere possemus, frustrà daretur in nobis charitas, quæ ut Scripturæ passim testantur, à Deo est, & diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Tum quia si possemus Deum super omnia ex viribus naturæ diligere, daretur in nobis initium salutis, & expectanda solùm foret aliqua formalitas à Deo, nempe modus supernaturalitatis, sicque tota charitatis dilectio non esset à Deo: quod impium esse negat Augustinus libro 2. ad Bonif. cap. 2. *Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo; sed si charitas ex Deo est, tota nobis ex Deo est: avertat enim Deus hanc amentiam, ut in ejus donis nos priores faciamus, posteriorem ipsum; quoniam misericordia ejus prævenit me.*

Tum tertiò, quia ita tradunt sacra Concilia, Carthaginense *can.* 4. ubi definitur, utrumque donum Dei esse, *& scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Arausicanum can. 25. *Prorsus donum Dei est diligere Deum.* Tridentin. sess. 6. cap. 6. & can. 3. *Si quis dixerit*, inquit, *sine præveniente Spiritus sancti inspiratione absque ejus adjutorio hominem posse diligere Deum sicut oportet, anathema sit.* Porrò qui diligit Deum super omnia, profectò Deum sicut oportet, diligit, cùm Deum diligat sicut Deus ipse præcepit. Nec potest ille amor tam bonus non esse meritorius, cùm in doctrina S. Thomæ *quæst.* 21. *art.* 2. & 3. lumini naturali nota, meritum sit proprietas bonitatis. Unde si ex viribus naturæ Deum super omnia diligere possumus, proculdubio gratiam Dei promereri poterimus; diligenti enim Deum super omnia gratiam suam denegare non potest Deus qui diligit diligentes se. Unde tam sæpe inculcat Augustinus, nihil esse steriliter bonum; & quod si datur in nobis bonum initium, datur etiam meritum, ut contra Semipelagianos *libro de prædest. SS.* prosequitur, inferens eos, velint nolint, in Pelagianum errorem assetentem gratiam secundùm merita nostra dari, incidere; quem tamen ipse Hæresiarcha in Concilio Diospoli celebrato, ne damnaretur, reprobavit. Maximè quia Augustinus in omnibus suis libris docet tunc opus esse meritorium, cùm opus bonum benè fit: quis autem dubitare potest, an cùm Deus diligitur super omnia, fiat opus bonum, & benè?

Tum quartò, quià ita docent Patres, sed potissimè Augustinus. Ad cujus majorem evidentiam considerandum est, nunquam fuisse controversiam inter Augustinum & Pelagianos, utrum Deus ut author supernaturalis possit per vires naturæ diligi; hoc enim nunquam somniare potuerunt Pelagiani in Philosophia versatissimi: solùm ergo volebant illi hæretici, posse nos viribus naturæ Deum toto corde, sine vitio, sine obliquitate sincerissimè diligere, quod à Deo esse, non ab hominis viribus, ita contendit S. Pater, ut non dubitet asserere, quod si amorem illum voluntatis viribus asseramus, *vicerunt Pelagiani*; si autem ex Deo proficisci teneamus, *vicimus Pelagianos*, ut *libr. de grat. & lib. arb. cap.* 18. legere est. Infinita testimonia passim obvia prætermitto; sufficiat istud ex serm. 15. de verb. Apost. cap. 11. *Deus non amatur nisi de Deo.* Et istud ex epist. 107. ad Vitalem: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus.* Accedit quod in via Augustini amor castus justitiæ & veritatis est amor ipse Dei, cùm Deus sit ipsa veritas, ipsaque justitia, ut præclaris ejusdem Patris testimoniis speculatione præcedenti ostendimus, quibus adde illud in Psalm. 61. *Cùm sis injustus, esse non potes justus, nisi convertendo te ad quandam justitiam (id est Deum) à qua si recedis, injustus es; ad quam si accedis, justus es.* In qua justitia veluti in speculo videri rectitudinem operum ex ea dirigendorum, egregiè tradit idem divinus Pater *serm.* 44. *de divers. cap.* 6. his verbis: *Justitia præsto est justè viventi; secundùm ejus regulam vivit quemadmodum justè vivat: & sicut justi benè vivendo eam videns, ita injusti malè vivendo eam non vident. Nam & ille justè vivit, cùm eam videt ut secundùm eam actus suos dirigat; quia nisi secundùm justitiæ regulam direxerit actus suos, in errorem iniquitatis impingitur.* Quid autem apud Augustinum frequentius, quàm justitiam non posse purè, & castè sine gratia diligi. *Dilectio justitiæ*, inquit lib. de Spiritu & lit. cap. 14. *non litera, sed spiritus donum est; cùm ipsa delectatio boni, quâ etiam non consentit ad malum, non timore pœnæ, sed amore justitiæ, hoc est enim condelectari, non nisi gratia deputanda sit*, addit lib. 1. *ad Bonif. cap.* 10. Quod confirmat lib. 3. de Civit. cap. 5. *Ut autem diligatur, & delectetur ipsa justitia, non nisi divina subvenit gratia.* Et lib. de correpț. & grat. cap. 2. *Quando id agunt sicut agendum est, id est cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus, accepisse se gaudeant.* Ergo Deum sine Dei gratia amare non possumus.

Et certè mirandum, vel potiùs dolendum est, de hac veritate Theologos Christianos dubitare posse, quæ Philosophos, teste Augustino, non latuit. Nam *lib.* 11. *de Civit. cap.* 25. laudat Augustinus Platonem, quòd castum Dei amorem à Deo nobis infundi dixerit: *Cui*, inquit, *neque naturarum omnium author, nisi Deus visus est; neque intelligentiæ dator, neque amoris, quo benè beateque vivatur, inspirator.* Cùm ergo manifestum sit Platonem non esse loquutum de amore Dei ut fide cogniti, vel de amore modum & dignitatem supernaturalis meriti habente, manifestum est, mentem Augustini esse, amorem Dei sincerum, quo Deum ut authorem naturæ prosequimur, esse Dei donum. Qua observatione omnes adversariorum cavillos facilè elides.

Augustinum sequuntur ejus discipuli Prosper & Aquinas: ille quidem *lib. cont. Collatorem, cap.* 30. & 31. ubi expressè affirmat, Dei dilectionem non nisi à Deo haberi; additque naturam humanam gratiâ destitutam esse veluti glaciali rigore torpentem. Iste verò articulo 3. præsentis quæstionis 109. specialem gratiam ad diligendum Deum, eamque majorem in statu naturæ lapsæ exigit.

Ratio theologica hujus consectarii sic potest formari. Amor Dei castè & super omnia dilecti est actus totius vitæ humanæ perfectissimus, totius divinæ legis complementum, & omnium hominis officiorum compendium: ergo actum illum elicere nequit natura corrupta sine gratiæ Dei adjutorio. Antecedens

non potest negari ab his, qui terminos intelligunt. Consequentia verò probatur: Tum quia actus perfectissimus vitæ moralis est ultimus naturæ sanæ conatus: ergo in illum nequit prorumpere natura debilis, corrupta, & sauciata. Tum quia cùm ille amor totius sit legis adimpletio, si possit voluntas corrupta illum tam defæcatum fructum edere, potest alia præcepta sine gratia Dei adimplere, ac subinde divini adjutorii necessitas funditus corruet. Maximè quia Deum super omnia castè, sincerè, efficaciterque diligenti facile est, imò & connaturale præcepta servare, tentationes superare: tum quia præcepta non benè servantur, nec rectè tentationes superantur, nisi cùm ab amore Dei procedit illa observantia, & ista victoria. Tum quia amor castus & efficax, ut tali nomine dignus sit, ab affectu ad effectum transit; alioquin non est bona voluntas, sed velleitas, non verus amor, sed phantasma, sed ludibrium, vel ad summum embryon amoris, de quo non disputamus. Nam ut aiunt Patres: *Probatio dilectionis exhibitio est operis. Charitas magna operatur, si est; si autem non operatur, non est.*

Respondent adversarii, præsertim Molina, quod licèt homo in statu naturæ lapsæ possit Deum ut authorem naturalem diligere, non tamen ad nihilum redigitur gratiæ necessitas, quia & ad Deum diu & permanenter diligendum, & ad amorem supernaturalem Deum ut beatificatorem respicientem desideratur. Etenim non quilibet amor Dei, etiam castus & efficax, æternæ vitæ meritorius existimandus est, sed ille duntaxat, qui ab homine gratiâ sanctificante ornato proficiscitur, vel ab amore Dei Authoris supernaturalis media charitate, vel saltem auxilio supernaturalis ordinis promanat. Quare licèt substantia actus dilectionis Dei super omnia possit à viribus voluntatis oriri, modum tamen supernaturalitatis, quo vitam æternam promeremur, à gratia sanctificante & charitate, vel ab auxilio actuali supernaturali in principio justificationis effluit. De amore autem supernaturali & meritorio vitæ æternæ Patres fuisse loquutos contestantur.

Verùm hæc responsio, quæ totam adversariorum doctrinæ summam complectitur, pluribus potest argumentis longè efficacissimis quoad utramque partem confutari. Prior quidem: tum quia non solùm ad perseveranter, seu permanenter Deum diligendum, sed ad ipsum casti amoris actum auxilium gratiæ necessarium esse Concilia, Patres, & Theologi hactenus docuerunt: ergo non solùm ad diu Deum amandum, sed ad eundem simpliciter simul, & efficaciter diligendum gratia necessaria est. Tum quia si viribus propriis potest voluntas efficacem amoris Dei super omnia actum elicere, poterit etiam sine gratiæ adjutorio in illo sese amore exercere; qui sanè exercitio actuum frequentia roborato Deum diu diligere poterit, & in casto amore sine gratia perseverare, cùm actus repetiti facilitatem impertiant facultati: ergo si propria voluntatis virtus ad Deum castè diligendum sufficit, ad eum perseveranter diligendum actuum iteratorum facilitate roborata potens erit. Ergo stante adversariorum doctrina, divini adjutorii necessitas funditus exinanitur. Maximè quia Pelagius damnatus est, quòd dixerit gratiam esse necessariam ad faciliùs, non autem ad simpliciter benè operandum: dicere autem voluntatem posse diligere Deum super omnia, non tamen diu, ob difficultates tentationum & perseverantiæ, est dicere gratiam non esse necessariam ad benè simpliciter operandum, sed tantùm ad faciliùs: ergo, &c.

Secunda etiam hujus responsionis pars haud ægriùs confutatur: tum quia si voluntatis vires sufficiunt, ut Deum lumine naturali notum castè diligat, eadem voluntas Deum authorem supernaturalem semel per fidem detectum & cognitum sine gratiæ adjutorio diligere super omnia poterit: nam quod Deus sit author supernaturalis, non addit difficultatem amori, sed potiùs facilitatem auget, & voluntatem ad diligendum magis, magisque allicit, cùm majorem objecti amabilitatem proponat. Si enim, v. g. sponsus futuram sponsam diligit, quia eam castam, divitem, & pulchram esse audivit, certè promptiùs & faciliùs eam diliget, cum certò cognoverit eam esse castiorem, ditiorem, & pulchriorem quàm audierat. Ita similiter si Deum animarum nostrarum sponsum suavissimum, lumine naturali notum castè diligimus, quia est boni naturalis principium, certè ad eum diligendum non deterrebimur, postquam per fidem certò cognoverimus, illum eundem bonorum omnium naturalium authorem, esse etiam supernaturalium largitorem benevolum, qui amantibus se ampliora, & lumini naturali incognita bona paravit. Ergo ad Deum authorem supernaturalem diligendum non erit necessarium ullius gratiæ à fide distinctæ adjutorium. Ergo peccator fidelis solo fidei lumine, quod per peccatum mortale, nisi sit infidelitatis crimen, non extinguitur, poterit Deum super omnia diligere, etiam ut authorem supernaturalem. Consequentiæ sunt perspicuæ; principia verò horrenda sunt, cùm totam divinorum adjutoriorum necessitatem ab imis fundamentis labefactent, ut etiam ex sequentibus consectariis liquidum erit; cùm non solùm peccatores fideles sine speciali gratia resurgere, sed nec Sancti ipsi sine Dei moventis adjutorio opera sanctitatis elicere, in eisque perseverare possint.

Tum quia distinguere in eodem actu substantiam actus à modo supernaturalitatis, veræ Philosophiæ repugnat, ut dum de lumine gloriæ *lib.* 1. disputabamus, observatum est. Et ratio breviter est, quia in actu amoris Dei authoris supernaturalis, & vitalitas est supernaturalis, & supernaturalitas est vitalis, cùm per illum actum vivat voluntas vita supernaturali, juxta illud, *Justus ex fide*, utique quæ per charitatem operatur, *vivit* in hoc mundo, visione Dei victurus in futuro, secundùm illud: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum.* Vitalitas autem actus est substantia actus voluntatis, cùm voluntas sit facultas vitalis: ergo distinguere substantiam à modo supernaturalitatis in amore Dei authoris supernaturalis, commentum est à ratione alienum. Quantum verò Thomisticæ doctrinæ hæc distinctio repugnet, nemo nescit: cùm enim in via D. Thomæ actus specificentur ab objectis formaliter inspectis, species, seu substantia actus respicientis objectum supernaturale erit entitativè supernaturalis. Quod si præter objectum supernaturale principium supernaturale requiras ad entitatis supernaturalitatem, ecce illud, nimirum gratiam, sive habitualem, sive actualem: neque enim à nuda voluntatis potentia, ut ipsemet fateris, sed ab ipsa per gratiam elevata amor supernaturalis proficiscitur. Ergo non est distinguenda substantia actus supernaturalitatis ab ipsa supernaturalitate.

Tum tertiò, quia difficultas, & meritum amoris Dei supernaturalis non oritur solùm ex eo, quod feratur circa objectum supernaturale, cùm apud omnes certum sit & exploratum, quod si quis actum amoris Dei beatificatoris & authoris supernaturalis inefficacem eliciat, complacentiam etiam de illo objecto percipiat, sed quæ propositum efficax Deo serviendi non includat, nec fundatur in exequutionem; talis profectò actum ex objecto supernaturalem eliceret, & tamen nihil merebitur. Difficultas ergo, & meritum

amoris

amoris supernaturalis in eo situm est, quod Deus castè, purè, & per seipsum diligatur, seu ut Augustinus in epistola ad Galatas declarat: *Ille justificatur apud Deum, qui eum gratis colit, non scilicet cupiditate appetendi aliquid ab ipso præter ipsum, aut timore amittendi.* De quo etiam amore sic scribit Bernardus serm. 83. in Cant. *Et quidem soli Deo honor & gloria; sed horum neutrum acceptabit Deus, si melle amoris condita non fuerint. Is per se sufficit, per se placet, & propter se. Ipse meritum, ipse præmium sibi est amor: præter se non requirit causam, non fructum. Fructus ejus usus ejus. Amo, quia amo; amo ut amem.* Dicant, sodes, adversarii, amor qui est hujusmodi, tametsi Dei ut authoris supernaturalis obliviscatur, nonne bonus, nonne sanctus, nonne meritorius est, cùm sit perfectionis apex, & sponsarum spiritualium, teste Bernardo, character? Hoc negare est lumini naturæ, & impressis omnibus æquitatis, & justitiæ notionibus communissimis renuntiare. Ergo si ex viribus naturæ absque gratia possumus amorem Dei authoris naturalis castum elicere, utique Deo, cui omne bonum placet, placebimus: ergo & Dei amorem promerebimur; durior enim esset Deus, si amantes se, & castè amantes, & ex toto corde amantes non redamaret. Ergo amor ille gratiam Dei merebitur, cùm amor Dei quem meretur, sit infundens & creans gratiam, ut docet D. Thomas, quia est semper efficax; gratia autem est semen gloriæ: ergo ex viribus naturalibus gloriam promereri voluntas creata poterit, & infirma.

Hinc non tam rationem, quàm per se notam demonstrationem prosequitur variis locis August. Cùm enim Pelagiani contendebant posse hominem Deum ex viribus naturæ diligere, non loquebantur de amore meritorio vitæ æternæ, seu regni cœlorum, ad illud enim meritum gratiam necessariam fatebantur; sed de amore qui defectu gratiæ sanctificantis esset sterilis ad vitam æternam consequendam. Augustinus verò contrà contendit, quod si voluntas satis sit valida, ut Deum castè & ex toto corde Philosophi diligant (qui utique Deum authorem supernaturalem non diligunt, sicut nec cognoscunt) vitam æternam non mereri non possint, quia hujusmodi amor veram justitiam efficit, omneque peccatum excludit, propter quod solum vita æterna denegatur. Libet Augustinum *lib. 4. cont. Julian. cap. 3.* audire: *Dici non potest quantum te fallat ista opinio quâ dixisti, omnes virtutes affectus esse, per quos aut fructuosè, aut steriliter boni sumus. Fieri autem non potest, ut steriliter boni simus; sed bonum non sumus, quidquid steriliter sumus; arbor enim bona bonos fructus facit. Absit autem ut Deus bonus, a quo securis paratur arboribus non facientibus fructum, excidat, & in ignem mittat arbores bonas. Quomodo igitur, obsecro, non aut jocaris in his disputationibus, aut deliras, qui sterilium fructus arborum laudas? qui utique aut nulli sunt, aut si meliùs sunt, laudandi non sunt; aut si fructus boni sunt, profectò arbores steriles non sunt; immò & bonæ sunt, quarum fructus boni sunt; & debent Deo placere, cui arbores bonæ non possunt nisi placere; falsumque erit quod scriptum est, Sine fide impossibile est placere Deo. Sed quid responsurus es, nisi vana? Ego, inquis, steriliter bonos dixi homines, qui non propter Deum faciendo bona quæ faciunt, non ab eo vitam consequuntur æternam. Justus ergo Deus & bonus bonos est in mortem missurus æternam? Piget jam dicere quàm multa sequantur insana talia sentientem, talia dicentem, talia scribentem, in talibus me, quòd similiter non desipiam, velut censoriè reprehendentem.*

Confirmatur: Ideo S. Augustinus Pelagianos, & Semipelagianos initium fidei, vel bonæ voluntatis viribus liberi arbitrii ascribentes reprehendit, quia si daretur hujusmodi initium, non possemus rationabiliter negare, gratiam secundùm merita nostra dari, quia bonus voluntatis conatus, ipsum etiam credendi & diligendi desiderium, sicut non bona, ita non meritoria esse non possunt. *In quo*, inquit lib. 4. cont. Jul. cap. 3. *vis hominem, sicut loqueris, ad aliquid laudabile generosi cordis stimulis excitari, in in hoc eum non vis in Domino, sed in libero arbitrio gloriari, ac sic priorem dare ut retribuatur illi, eoque modo gratia jam non sit gratia, quia non est gratuita.* Quod argumentum etiam urget lib. de prædest. SS. cap. 2. *Quis autem dicat eum qui jam cœpit credere, ab illo in quem credidit, nihil mereri? Unde fit, ut jam merenti cætera dicantur addi retributione divina, ac per hoc gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Videte si aliud agitur isto modo, nisi ut gratia Dei secundùm merita nostra detur quolibet modo, ac sic gratia jam non sit gratia: redditur namque hoc pacto debita, non donatur gratis.*

Denique quomodo hæc doctrina communi Patrum de infirmitate naturæ lapsæ sensui sit consentanea, planè non video; quomodo enim verum erit quod Augustinus *tract. 5. in Joan.* ait: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.* Et in Psalm. 137. *Meum si videris, damnas: tuum si videris, coronas.* Et serm. 13. de verbis Apost. cap. 11. *Agis quidem illo non adjuvante liberâ voluntate, sed malè: ad hoc idonea est voluntas tua, quæ vocatur libera, & malè agendo fit damnabilis ancilla.* Quomodo, inquam, hæc vera sunt, vel esse possunt, si Deum castè amare voluntas sine gratia potest, & si propriis viribus dilectionem Dei super omnia, quæ est totius legis impletio, elicere valet? Quomodo vera erunt præclara illa S. Prosperi carmina, quæ habet *libro de ingrat. capite 16. & 22.*

—— Deus ergo sepultos
Suscipit, & solvit peccati compede vinctos.
Ille obscuratis dat cordibus intellectum,
Ille ex injustis justos facit, indit amorem,
Quo redametur amans, & amor quem conserit ipse est.
Hunc itaque affectum, quo sumunt mortua vitam,
Quo tenebræ fiunt lumen, quo immunda nitescunt,
Quo stulti sapere incipiunt, ægrique valescunt,
Nemo alii dat, nemo sibi, non litera legis,
Nec naturalis sapientia, quæ semel acta
In præceps labi novit, consurgere nescit.
—— Submittite vela tumoris,
Nobiscumque humiles placido consistite portu:
Edite constanter naturæ vulnera victæ,
Exutam virtute animam, cæcataque cordis
Lumina, & in pœnam propriam jaculis superantis
Armatum arbitrium, nunquam consurgere posse,
Inque novos lapsus semper nitendo revolvi.
Cui sua sit laqueus sapientia, morsque subactum
Detineat, nisi vera salus ex munere Christi
Adsit, & oppressam dignetur gratia mentem.

Dices: Quid ergo sibi volunt sacra Concilia, dum post Augustinum aiunt, gratiam Dei esse necessariam ad diligendum Deum sicut oportet? Si enim ad Deum sicut oportet duntaxat diligendum necessaria est gratia, non aliam ob causam gratia exigitur, quàm ut ametur Deus sicut amare eum oportet, ut amor ille æternæ vitæ sit meritorius. Ergo amore minimè meritorio eum diligere possumus; duplicem enim Dei amorem, naturalem unum, & supernaturalem alterum admittendum esse, in via D. Thomæ certissimum est.

Respondeo admittendo distinctionem amoris naturalis & supernaturalis, petitam ex distinctione objecti, ita ut naturalis illa dicenda sit, quâ amatur

Deus intra ordinem naturæ spectatus; supernaturalis verò ea dicatur, quæ Deum ut authorem gratiæ respicit. *Prima*, ut ait D. Thomas 2. 2. q. 26. art.3. *super communicatione bonorum naturalium nobis à Deo facta fundatur, posterior verò super communicatione donorum gratiæ.* Cæterùm cum his stat, amorem Dei ex toto corde etiam ut authoris naturæ dilecti esse in hoc corruptionis statu supernaturalem ex parte principii, id est exigere principium supernaturale, & omnes naturæ vires superare. Ita tradit clarissimè D. Thomas, qui propterea statuit in statu naturæ lapsæ nullum dari posse amorem Dei super omnia dilecti merè naturalem, non solùm quia in hoc statu homo est ad finem supernaturalem elevatus, nec potest esse ad finem naturalem simul conversus, & à fine supernaturali aversus; hanc enim rationem (tametsi de se bonam) non adhibet S.Doctor, sed propter unam voluntatis lapsæ corruptionem, quia juxta ejus mentem, quam dum de viribus naturæ puræ disputabamus, sequuti sumus, homo in statu naturæ puræ, & multò magis in statu naturæ integræ cum generali Dei moventis concursu Deum diligere poterat: *Homo*, inquit hîc art.3. *in statu naturæ integræ non indigebat dono gratiæ bonis naturalibus superadditæ ad Deum super omnia naturaliter diligendum, licèt Dei ad hoc eum moventis auxilio indigeret. Sed in statu naturæ corruptæ indiget homo etiam ad hoc auxilio gratiæ naturam sanantis.* Ubi S. Præceptor eundem amorem vires naturæ lapsæ excedere asserit, quem docet non excedere vires naturæ integræ, imò nec vires naturæ puræ, ut in ejusdem articuli argumento *Sed contrà* tradit, nec illud refutat, ut solet quando argumentum *Sed contrà* conclusioni articuli repugnat, ut nemo in lectione D. Thomæ versatus ignorat. Atqui homo in statu naturæ integræ, & multò minùs in statu naturæ puræ Deum ut authorem gratiæ sine gratia, & charitate diligere non poterat, ut tradit ibidem S. Doctor ad 1. & rationem dat: *Natura enim*, inquit, *diligit Deum super omnia, prout est principium & finis naturalis: charitas autem secundùm quod est objectum beatitudinis, & secundùm quod homo habet quamdam societatem spiritualem cum Deo.* Ergo in statu naturæ lapsæ non solùm amor Dei ut est objectum beatitudinis, excedit naturæ vires, sed etiam amor Dei authoris naturalis; siquidem ex S. Doctore, ille amor est naturæ lapsæ viribus impossibilis, qui erat possibilis naturæ integræ vigori: homo autem integer ad Deum authorem gratiæ sine gratia diligendum ex eodem S. Thoma impar erat & invalidus.

Quamobrem ex admissa distinctione amoris Dei in naturalem & supernaturalem (quam bonam & commodam, non vanam, ut Baius dicebat, esse contendo; cùm ex ea naturæ integræ & lapsæ vires dignoscantur,) nihil contra nos effici potest, cùm juxta veridicam D. Thomæ sententiam, non solùm amor Dei beatificantis, sed amor Dei principii, si purus & castus sit, omnes naturæ lapsæ vires exsuperet. Dum ergo sacra Concilia dicunt, necessariam esse gratiam ad amorem Dei prout oportet eliciendum, illius distinctionis Dei ut beatificatoris, & ut primi principii, seu authoris naturalis & supernaturalis nullam rationem habuerunt; Pelagiani enim nunquam negarunt necessitatem gratiæ ad Deum ut beatificatorem promerendum; vel potiùs nunquam disputarunt, an amor Dei ut beatificatoris excedat naturæ vires; sed loquebantur de amore ipsis Philosophis gentilibus utique Deum glorificatorem non cognoscentibus possibili. Itaque Concilia verba illa, *sicut oportet*, in ipso Augustini, unde deprompta sunt, sensu intellexere. Manifestum est autem, verba illa nunquam adhibuisse Augustinum, ut amorem Dei castum naturæ corruptæ possibilem esse astrueret, ut ex superioribus liquet; sed ut amorem Dei castum à non casto secerneret, qui amor non castus, amor quidem Dei est, sed profectò non est sicut oportet: *Omnis præcepti finis est charitas*, inquit opportunè Augustinus in Enchir. c. 121. *id est ad charitatem referatur omne præceptum. Quod verò ita fit, vel timore pœnæ, vel aliqua intentione carnali, ut non referatur ad illam charitatem, quam diffundit Spiritus sanctus in cordibus nostris, nondum fit quemadmodum fieri oportet, quamvis fieri videatur.* Et *in Psalm.* 118. expendens versum illum: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua!* sic habet: *Hæc est illa suavitas, quam Deus dat, ut terra nostra det fructum suum, ut bonum verè benè, id est non mali carnalis formidine, sed boni spiritualis delectatione faciamus.* Tunc ergo amor Dei nondum est plenè & purè castus, cùm illi terrena aliqua cupiditas permiscetur; sæpe enim quæ benè agere nobis videmur, non sincerus Dei amor offert, sed occulta cupiditas inficit, ut sæpe dictum est.

Alia argumenta, quibus probari potest voluntatem hominis lapsi posse Deum viribus suis naturalibus diligere, quia æquè militant contra omnia hujus speculationis consectaria, in fine confutabimus.

Consectarium III.

Præcepta legis naturalis sine speciali Dei auxiliantis gratia servare homo in statu naturæ lapsæ non potest.

PRobatur: Duplex est præceptorum divinæ legis observatio, ut docet S. Thomas; alia quantum ad substantiam operum, prout scilicet homo fortia, justa, & alia virtutis opera exercet; alia observatio est secundùm substantiam simul & modum agendi, ut scilicet ex charitate fiant. Atqui neutro modo potest voluntas totam legem naturalem sine gratia servare; & quidem, quod non possit totam legis naturalis substantiam ex modo charitatis servare, seu quod idem est, quod nequeat integram legem ex amore Dei casto implere, patet ex dictis consectario superiori: quod autem nec ipsam operum præceptorum substantiam fideliter, & inviolabiliter sine gratiæ adjutorio servare possit voluntas in hoc corruptionis statu, variis argumentis suadetur contra Scotum & Durandum.

Tum ex Scriptura, in quibus lex dicitur infirma, imbecillis, & impotens ad justificandum, præceptorum observationem reddens difficiliorem, hominem sub peccato arctiùs concludens, ut Paulus præsertim inculcat. Specialiter verò Rom.7. sic habet: *Occasione acceptâ peccatum operatum est in me omnem concupiscentiam: sine lege peccatum in me mortuum erat, sed cùm venit mandatum, peccatum revixit. Peccatum occasione acceptâ per mandatum seduxit me, & per illud occidit.* Et *cap.*8. idem repetit. Quod confirmat 2. Cor.3. *Idoneos nos ministros novi Testamenti fecit, non literâ, sed spiritu; litera enim occidit, spiritus autem vivificat.* Et paulò pòst prædicationem legis veteris nuncupat *ministrationem mortis, & damnationis.* Item Galat.3. *Si data esset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia; sed conclusit Scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Denique *ad Hebr.*7. præcedens mandatum appellat *infirmum, & inutile.* Quorum verborum sensus non est, ut impii Novatores impiè interpretantur, observationem legis esse inutilem, imò & peccatum; sed

germanus ille ſenſus eſt, quem B. Auguſtinus *lib.* 1. *de peccat. merit. cap.* 13. tradit, quia nimirum *lex jubere tantùm, & non adjuvare poterat.* Et quia litera *occidit augendo concupiſcentiam, & iniquitatem prævaricatione amulando, niſi liberet gratia.* Ea namque eſt corruptæ, ſuperbæque voluntatis conditio, ut in prohibita promptiùs & ſuaviùs feratur libertatis amans, ſubjectionis impatiens; unde trui illi verſus: *Nitimur in vetitum, volumus, cupimuſque negata: Vxor amatori ſordet, amica placet.* Quod explicat Auguſtinus exemplo aquæ, cujus impetus vehementior fit obice poſito, & tandem evicto violentiùs per prona pervolvitur: ſic hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit jucundius dum vetatur. Igitur voluntas non poteſt ſine gratia impoſita ſibi legis mandata ſervare; ſi enim ad ejus obſervationem vires naturæ ſufficerent, utique lex erudiendo juvaret monſtrando voluntati quid puſſet. Hinc idem Auguſtinus relatus à Proſpero *ſenteut.* 44. ſic habet: *Lex data eſt, ut gratia quæreretur; gratia data eſt, ut lex impleretur: neque enim ſuo vitio non implebatur, ſed prudensia carnis; quod vitium per legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit.* Aſtipulatur Fulgentius libro de verit. prædeſt. cap. 20. *Lex ſine gratia oſtendere poteſt ægritudinem, non ſanare; vulnera monſtrat, medicamina non miniſtrat:* ut autem legis impleatur *præceptum, gratia miniſtrat auxilium; ac ſi lex revelat culpam, gratia confert indulgentiam: legis eſt igitur, quod peccata cognoſcimus, gratia quod vitamus.*

Eodem planè modo loquuntur ſacra Concilia, & Summi Pontifices. Etenim Concilium Carthaginenſe in epiſtola ſynodica ad Innocentium Papam, quæ eſt 90. inter Auguſtinianas, refert Pelagianos eſſe damnatos, quòd dixerint, *in eo Dei gratiam eſſe deputandam, quod talem hominis inſtituit, creavitque naturam, quæ per propriam voluntatem legem Dei poſſet complere, ſive naturaliter in corde ſcriptam, ſive literis datam.* Et in altero Concilio Carthaginenſi *can.* 4. definitur per gratiam nobis præſtari, *ut quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus.* Et *can.* 5. anathemate ferītur, qui aſſeruerit hominem ſine gratia poſſe implere divina mandata. Quam doctrinam Innocentius, Cœleſtinus, aliique Pontifices confirmarunt.

Auguſtini teſtimonia referre ſupervacaneum eſt; tum quia ſatis multa protulimus; tum quia hanc veritatem ex profeſſo multis in locis S. Doctor omnibus argumentis ſtabilit. Quid enim aliud toto de ſpiritu & littera libro, necnon integro de verbis Apoſtoli ſermone 13. intendit Auguſtinus, quàm ſine ſpiritu gratiæ legem non impleri, quia data eſt lex, ut inveniret ſe homo; non ut morbus ſanaretur, ſed ut prævaricatione morbo creſcente medicus quæreretur. Non poſſum tamen ſilentio præterire præclara iſta ex libro de gratia Chriſti, *cap.* 8. verba: *Vſque adeò aliud eſt lex, aliud eſt gratia, ut lex non ſolùm nihil poſſit, verùm etiam plurimùm obſit, niſi adjuvet gratia. Et hac oſtenditur legis utilitas, quoniam quos facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gratiam liberandos, & ut concupiſcentias malas ſuperent adjuvandos; jubet enim magis, quàm juvat; docet morbum eſſe, non ſanat; imò ab eo potiùs, quod non ſanatur, augetur.*

Ratio S. Thom. *art.* 2. 4. 8. *&* 9. petita ex infirmitate naturæ efficax eſt; nam homo qui legem ſervare tenetur, vel eſt juſtus, vel peccator. Si peccator, id eſt ſi in ſtatu peccati mortalis exiſtat, manifeſtum eſt, ipſum divinæ gratiæ adjutorio egere, ne in peccatum, in quod continuis immoderatarum paſſionum motibus incitatur, miſerè prolabatur; cùm enim viæ peccatorum, ut ait Pſalmographus *Pſal.* 34. ſint *tenebræ & lubricum, & Angelus Domini perſequens illos*, ſine dubio non infrequentiùs peccando cadunt, quàm offendere ſolent qui per lubrica in tenebris ambulant. Et hic eſt ſenſus verborum horum ſacrorum textuum, Eccleſ. 27. *Qui non timore Domini continuerit ſe, citò corruet domus ejus.* Et Thren. 1. *Peccatum peccavit Ieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt.* Et Iſaiæ 57. *Impii quaſi fervens mare, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.*

Etenim, ut ratiocinatur D. Thomas, antequam hominis ratio reparetur per gratiam juſtificantem, poteſt quidem homo ſingula peccata mortalia vitare, & per aliquod tempus, quia non eſt neceſſe quod continuò peccet in actu; ſed quod diu maneat abſque peccato mortali, eſſe non poteſt. *Quia ſicut rationi ſubdi debet inferior appetitus* (verba ſunt S. Thomæ) *ita etiam ratio ſubdi debet Deo, & in ipſo conſtituere finem ſuæ voluntatis: per finem autem oportet, quod regulentur omnes actus humani, ſicut per rationis judicium regulari debent motus inferioris appetitus. Sicut ergo inferiori appetitu non totaliter ſubjecto rationi non poteſt eſſe, quin contingant inordinati motus in appetitu ſenſitivo: ita etiam ratione hominis non exiſtente totaliter ſubjecta Deo, conſequens eſt, ut contingant multa inordinationes in ipſis actibus rationis. Cùm enim homo non habet cor ſuum firmatum in Deo, ut pro nullo bono conſequendo, vel malo vitando ab eo ſeparari vellet, occurrunt multa, propter quæ conſequenda vel vitanda homo recedit à Deo, contemnendo præcepta ipſius; & ita peccat mortaliter. Præcipuè quia in repentinis homo operatur ſecundùm finem præceptum, & ſecundùm habitum præexiſtentem; quamvis ex præmeditatione rationis homo poſſit aliquid agere præter ordinem finis præconcepti, & præter inclinationem habitus. Sed quia homo non poteſt ſemper eſſe in tali præmeditatione, non poteſt contingere, ut diu permaneat, quin operetur ſecundùm convenientiam voluntatis deordinatæ à Deo, niſi citò per gratiam ad debitum ordinem reparetur.* Quam doctrinam deprompſit Angelicus Doctor ex Patribus, Auguſtino *lib. de ſpirit. & lit. cap.* 26. & *lib. de catechiz. rudibus, cap. ult.* Gregorio 22. *Mor. c.* 12. ubi ait: *Peccatum, quod per pœnitentiam mox non deletur, ſuo pondere in aliud trahit.* Chryſoſtomo etiam *in cap.* 11. *Matth.* docente, quod quemadmodum fracto gubernaculo navis, non quò vult nauta vadit, ſed quò tempeſtas impellit; ita homo gratiâ deſtitutus in peccata præceps ruit. At peccata non committuntur, niſi dum præcepta divina violantur: Ergo non poteſt peccator præcepta divina ſine gratia ſervare.

Idem quoque de homine juſto facilè demonſtrari poteſt, non ſolùm ratione generali petita ex eo, quod nulla res creata poteſt in quemcunque actum prodire, niſi virtute motionis divinæ; ſed etiam ratione ſpeciali, inquit D. Thomas *art.* 4. id eſt, propter conditionem ſtatus naturæ humanæ. *Quæ quidem licèt per gratiam ſanetur quantum ad mentem, remanet tamen in ea corruptio, & infectio quantum ad carnem, per quam ſervit legi peccati, ut dicitur ad Rom.* 7. *Remanet etiam quædam obſcuritas in intellectu, ſecundùm quam, ut etiam dicitur Rom.* 8. *Quid oremus ſicut oportet, neſcimus. Propter varios enim rerum eventus, & quia etiam nos ipſos non perfectè cognoſcimus, non poſſumus ad plenum ſcire quid nobis expediat, ſecundùm illud Sap.* 9. *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ noſtræ. Et ideo neceſſe eſt nobis, ut à Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia novit, & omnia poteſt.*

Quæ ratio ſic poteſt ad formam reduci: Homo etiam juſtificatus, gratiâ actuali deſtitutus non poteſt omnia peccata mortalia vitare: ergo nec totam legem

legem fervare. Confequentia patet, cùm lex non nifi peccatis mortalibus violetur. Antecedens verò probatur. Tum quia, ut ait Auguft. lib. de nat. & grat. c.26. *Sicut oculus corporis etiam pleniffimè fanus nifi candore lucis adjutus non poteft cernere: fic homo pleniffimè juftificatus, nifi æterna luce juftitia divinitus adjuvetur, rectè non poteft vivere.* Tum quia in hujus vitæ periculis, urgente præfertim concupifcentiæ, quæ per gratiam non tollitur, motu, occurrunt variæ & graves tentationes, non folùm ab extrinfeco, fed etiam ab intrinfeco, quæ voluntatem debilem ad peccatum pertrahunt, quia nimirum voluntas majorem fequitur delectationem; trahit enim fua quemque voluptas, nifi vel gratia voluntatem proclivem retinear, vel majori, & puriori infufa delectatione, quæ à gratia inferitur, dominans cupiditas fuperetur: quam quidem cupiditatem voluntas tentata vincere quidem libertate fua poteft, nunquam tamen vincet, nifi divinitus in bonum inclinetur, & mutetur mentis affectio, quam ex cupiditate alliciente contrahit. Tum quia Jufti ad mandata divina fervanda auxilium Dei in quotidianis Ecclefiæ orationibus poftulant, & pro fervata lege gratias agunt. Hinc Araufïcanum Concil. can.10. fic habet: *Adjutorium Dei etiam renatis & fanctis femper eft implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poffint opere perdurare.* Tum quia ad illud auxilium faciliùs obtinendum hortantur Sancti, ut ad Sacramenta piè accedamus, quia gratia facramentalis jus quoddam importat habendi a Deo auxilia in neceffitatibus, & in tribulatione, ut fuo loco dicetur. Tum quia Jufti bonorum omnium fuorum, fugæ peccati, & obfervationis mandatorum gloriam Deo afcribunt, illudque Davidicum fincetè decantant: *Non nobis, Domine, non nobis, fed nomini tuo da gloriam.* Denique quia ex effectibus idem apparet; fæpè enim Juftos cadere finit Deus, ut fibi non tribuant quod ftent. Nam ut ait Auguftinus hom. 23. inter 50. *Agnofce gratiam ejus, cui debes & quod non admififti. Mihi debet ifte quod factum eft, & dimiffum vidifti; mihi debes & tu quod non admififti. Nullum eft enim peccatum quod facit homo, quod non poffit facere alter homo, fi defit rector à quo factus eft homo.* Quapropter idem Doctor fanctiffimus docet juftus debere gratias agere Deo, quòd à peccatis fervati fint. *Diligam te Domine*, inquit lib.2. Confeff. c.7. *& gratias agam, & confitebor nomini tuo: quoniam tanta dimififti mihi mala, & nefaria opera mea. Gratia tua deputo, & mifericordia tua, quod peccata mea tanquam glaciem folvifti. Gratia tua deputo & quæcumque non feci mala. Et omnia mihi dimiffa effe fateor, & quæ mea fponte feci mala, & quæ te duce non feci. Quis eft hominum, qui fuam cogitans infirmitatem, audet viribus fuis tribuere caftitatem, atque innocentiam fuam, ut minùs amet te, quafi ei minùs neceffaria fuerit mifericordia tua, quâ donas peccata converfis ad te. Qui enim vocatus à te fecutus eft vocem tuam, & vitavit ea, quæ me de meipfo recordantem & fatentem legit, non me derideat ab eo medico ægrum fanari, à quo fibi præftitum eft ut non ægrotaret, vel potiùs ut minùs ægrotaret. Et ideò tantundem, imò verò ampliùs diligat, quia per quem me videt tantis peccatorum meorum languoribus exui, per eum fe videt tantis peccatorum languoribus non implicari.*

Consectarium II.

Ad vitanda quævis peccata venialia requiritur præter gratiam fpeciale privilegium, foli Deiparæ Virgini eximium.

Sequitur planè ex dictis; cùm enim gratia, quæ communiter datur, five habitualis fit, five actualis, non tollat infirmitatem humanæ naturæ, quam in hoc ftatu fentimus, nec amorem Dei actualem femper infpiret, nec divinæ nos regulæ infallibiliter conjungat, nec corruptionem inferioris appetitus perfectè fanet, fit inde, quod licèt ratio motus appetitus fingulos poffit fua libertate & vigilia reprimere, *non tamen omnes*, inquit S. Thomas art. 8. *Quia dum uni refiftere nititur, fortaffis alius infurgit: & etiam quia ratio non poteft effe femper pervigil ad hujufmodi motus vitandos.* Hinc Tridentinum *feff.6. cap.11.* fic habet: *Licèt in hac mortali vita quantumvis fancti & jufti, in levia faltem & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea definunt effe jufti; nam juftorum illa vox eft & humilis & verax: Dimitte nobis debita noftra.*

Hanc doctrinam deprompfit facra Synodus ex Scripturis & Patribus. 3.Reg.8. *Non eft homo, qui non peccet.* Pfalm.31. *Remififti iniquitatem peccati mei: pro hac orabit ad te omnis* (non folum peccator, fed) *fanctus.* Pfalm.142. *Non intres in judicium cum fervo tuo, quia non juftificabitur in confpectu tuo omnis vivens.* 1. Joan.1. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipfi nos feducimus.* Sed Auguftino maximè placuit locus ille orationis Dominicæ: *Dimitte nobis debita noftra.* Quæ verba ponderans *lib. de natura & grat. c.25.* fic ait: *Parum attendit, cùm fit acutiffimus* (Pelagius) *non fruftra etiam juftos in oratione dicere: Dimitte nobis debita noftra; Dominumque Chriftum cùm eam orationem dicendo explicuiffet, veraciffimè fubdidiffe: Si enim dimiferitis peccata hominibus, dimittet vobis Pater vefter peccata veftra: per hoc enim quotidianum fpiritale quodammodo incenfum, quod ante Deum in altari cordis, quod furfum habere admonemur, infertur, etiamfi non hic vivatur fine peccato, dum fubinde veniâ deletur quod ignorantiâ, vel infirmitate committitur.* Idipfum docet Concilium Milevitanum cap.6. *Quifquis fic accipiendum putaverit, ut dicat propter humilitatem dici nos habere peccatum, non quod verè ita eft, anathema fit.*

Porrò Auguftinus hanc Catholicam veritatem non folùm docet, fed probat ex profeffo variis in locis, atque Pelagianorum objectiones efficaciter diffolvit. Sic *libro 2. de peccat. merit. c.7. & 8.* explicat illud Joannis: *Qui natus eft ex Deo, non peccat, fed nec peccare poteft, quia femen ejus in ipfo manet.* Quorum verborum fenfus eft, hominem qua parte renovatus eft, nec peccare, nec peccare poffe; fed quia per juftificationem non perfectè abfumitur vetuftas, ideò qua parte homo adhuc in vetuftate eft, peccatum habet: regeneratus quippe, & fimilis Deo eft, & diffimilis: fimilis per primitias fpiritus, diffimilis per reliquias vetuftatis: primo modo confiderari peccare non poffumus, fed pofteriori fæpe peccamus, donec tota fanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua ficut neceffe eft, permaneat beatè vivendi voluntas, ita ut fit etiam benè vivendi, & nunquam peccandi voluntaria, felixque neceffitas.

Id confirmat S. Pater *cap.10.* exemplo Noë, Daniel, & Job, quibus tam magnum juftitiæ Scriptura perhibet teftimonium, ut *Ezech.14.* dicatur: *Si fuerint*

rint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, & Iob, ipsi justitiâ suâ liberabunt animas suas. Et tamen tres istos non fuisse sine peccato, Scriptura ipsa testatur; nam & Noë ebrietatem refert, *Genes.* 9. & Daniel *cap.* 9. confitetur peccata sua: & Job seipsum peccatorem esse pronuntiat, *c.* 9. 13. 14. & aliis multis. Nec obest, quod variis ejusdem libri capitibus summis Job laudibus extollatur, dicaturque adeò justus, adeoque se ab omni opere malo abstinens, ut nullus esset ei similis super terram. Non itaque obest, quia ut ibidem Augustinus exponit, laudatur quidem Job tanquam excellens, sed non tanquam absque omni peccato. Imo ideò justus dicitur, quia licèt gravia peccata divinæ amicitiæ repugnantia non committeret, veraciter tamen, & humiliter venialia sua, & quotidiana peccata confitebatur.

Eodem ferè modo explicat idem Pater elogium Zachariæ & Elizabeth, de quibus *Luc.* 1. dicitur, *quod erant justi ante Deum ambo, incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini sine querela.* Quibus verbis eminens quidem eorum sanctitas designatur, sed minimè ab omni peccato veniali immunitas. Maximè quia eorum spectabilis vita talis erat, quam nullus huminum justè posset in accusationis & criminationis querelam vocare; & ideo ante Deum justi ambo dicabantur, quia probabilis, atque laudabilis eorum conversatio nullâ homines dissimulatione fallebat, sed ut apparebant hominibus, ita erant noti in oculis Dei. Non autem dictum est hoc secundùm perfectionem illam justitiæ, in qua verè, atque omni modo immaculati, perfectique vivamus. Ita totidem ferè verbis Augustinus *lib. de grat. Christi, c.* 48.

Ratio verò hujus veritatis ea est, quam tradit S. Doctor *art.* 8. Quia nimirum nequit homo omnes sensualitatis motus, unde peccata venialia proficiscuntur, reprimere: dum enim uni resistere nititur, sæpè consurgit alius; nec potest ratio ita esse pervigil, ut omnes illos impediat. Maximè quia concupiscentia fomes peccati, qui à peccato est, & ad peccatum jugiter inclinat, amor sui, & amor mundi cur nostrum semper sollicitant, motus nostros etiam pios inficiunt, dum obliquant: unde ut ait Bernardus, pedes qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradiuntur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plusquàm oporter cedat animus vel ad horam. Ergo sicut ex ulcere aperto, si non semper, saltem sæpè sanies fluit & pus; ita ex concupiscentiæ plagâ primi peccati granditate inflictâ peccati alicujus putredo & fœtor frequenter promanant. Peccatum enim primigenium, in quod cecidimus omnes, non in lutum solum, sed & super acervum lapidum non modò nos fœdavit, sed etiam vulneravit: unde *peccatum*, ut docet August. lib. de perf. just. c. 4. *sequuta est peccatum habendi dura necessitas, donec tota sanctur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in qua sicut necesse est permaneat beatè vivendi voluntas, ita ut sit etiam benè vivendi, & nunquam peccandi voluntaria, felixque necessitas.*

Quæ ratio S. Thomæ ex Patribus deprompta convincit, ni fallor, quod licèt nequeat justus sine speciali auxilio, imò nec sine privilegio singulari diu à peccatis venialibus importuna & continenti concupiscentiæ impugnatione tat'onem plenè deliberatam præveniente, & voluntatem sensim sine sensu in suas partes alliciente proficiscentibus abstinere; nihil tamen vetat, quin justus aliquis eximium præsertim sanctitatis gradum adeptus possit peccata venialia plenè deliberata, quæve non nisi ob materiæ levitatem venialia dicuntur, absque speciali privilegio cum auxiliis sibi quadantenus connaturaliter impertitis vitare. Ad cujus evidentiam considerandum est, quod licèt ordo gratiæ, ut nomen ipsum sonat, merè gratuitus sit, totusque ex divina voluntate pendeat, ac proinde liberè à Deo, cujus judicia abyssus multa, gubernetur; nihilominus tamen juxta ordinatam Dei authoris supernaturalis providentiam invenitur in eo usitatus quidam gratiæ cursus, à quo Deus raro, nec nisi nostrâ culpâ abscedit. Usitatus autem ille divinæ gratiæ modus in eo positus, ut pro ratione, & distinctione gratiæ, & sanctitatis habitualis gratias actuales nunc validiores & frequentiores, nunc infrequentiores & invalidiores largiatur: ad quem usitatum, & solitum agendi modum Deus non ita astringitur, quin interdum occultis judiciorum suorum judiciis homines non solùm in virtute non multùm adhuc progressos ad altiorem sanctitatem attollat, sed etiam occallentes peccatores emolliat, & ad eminentem sanctitatis gradum brevi provehat; sicut è contra eximiæ virtutis viros in peccata prolabi interdum sinat, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Cæterùm nos de usitato gratiæ cursu sermonem habemus. Igitur qui ad sublimem sanctitatis, & christianæ puritatis gradum pervenere, his veluti continenter auxilia Deus infundit, quibus cum Deo perenniter conjuncti, ad superna semper anhelant, in cœlis conversantur, mortalia floccifaciunt, humanis, terrenisque nec moti blandiriis, nec territi minis, tentationes nullo negotio superant, quibus alii succumbunt. Quamobrem licèt in illis excellenti sanctitate præditis sint quotidiana peccata, attamen peccata ex objecto venialia consultò, & prudenter, sin nunquam, certè rarò committunt. Queruntur illi quidem, & verè queruntur, multis sese & occultis insidiantis concupiscentiæ laqueis irretiri: ipsi etiam vel maximè sobrii gemunt se voluptati servire, dum servire valetudini sibi videntur: lamentantur etiam, se non ratò quæ sua sunt, non quæ JESU-CHRISTI quærere. Veruntamen viri illi pietate præstantes, quales erant Apostoli, Baptista, S. Joseph, &c. aliique primæ notæ Apostolici viri, vix ac ne vix quidem aliter quàm per ignorantiam, vel subreptionem peccant. Purissimæ namque animæ omne quo Deum offensum iri certò, & prudenter vident, continuò summo studio, summa diligentiâ, summâ cautione declinant.

Et ratio S. Thomæ est convincens: Ideò namque S. Præceptor probat, hominem quemlibet justum non posse venialia vitare peccata, quia ratio non potest continenter attendere, nec jugiter vigilare, *propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest (& ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii,) non autem omnes; quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit, & etiam quia ratio non potest semper esse pervigil ad hujusmodi motus vitandos.* Atqui defectus attentionis & vigilæ efficit peccata ex sola indeliberatione venialia, nec contingit in his, quæ talia sunt ex materiæ tenuitate prudenter admissa. Ergo viri sanctitate præstantes à venialibus deliberatis absque singulari privilegio, cum divinæ gratiæ auxiliis sibi concedi solitis & abstinere possunt, & diu interdum abstinent. Ex quibus sine negotio argumentis P. Gonet & aliorum oppositum sentientium occurres.

Secunda consectatii pars duas virtualiter includit. Prima ait, Beatissimam Virginem Deiparam ab hac peccandi veniali necessitate esse excipiendam; altera contendit, privilegium illud uni esse Deiparæ eximium, nec esse ulli alteri concessum. Primum ampliùs demonstrabimus in fine tractatus de Incar-

natione,

natione, dissertatione speciali, ubi pro modulo incomparabilis Matris dotes prosequemur: in præsenti solùm Concilii Tridentini decretum, quo *sess. 6. can. 23.* docet hunc esse contestantem Ecclesiæ Catholicæ sensum, proferemus. *Si quis*, inquit, *hominem semel justificatum dixerit posse in tota vita peccata omnia etiam venialia vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum in B. Virgine tenet Ecclesia, anathema sit.* Nec est ad audienda impia Calvini vox in suo pestifero Concilii Tridentini antidotho aientis, se tale Virginis privilegium ultrò crediturum cùm cœleste diploma protulerimus. Sed mentitur iniquitas sibi, diplomati enim cœlesti non crederet, qui Ecclesiæ, de qua Filius Patris cœlestis testimonium perhibuit, fidem negat: nihil ergo mirum si Matri Dei peccata afferit, qui sponsæ Dei Ecclesiæ errores ascribit. Patientur, si placet, nostri Novatores, ut Augustini judicium Calvini sententiæ præferamus. Sic autem habet S. Pater lib. de nat. & grat. c. 36. *Exceptâ Sanctâ Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, qua concipere ac parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum.* Sed de his plura loco memorato.

Quod verò Deipara sola inter puras creaturas fuerit à peccato veniali exempta, nec illa prærogativa sit in alios Sanctos quàmlibet insignes dilatanda, tradit idem S. Pater, ibidem subjungens: *Hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos & Sanctas, cùm hìc viverent, congregare possemus, & interrogare utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus? Nonne una voce clamassent: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Nec obest quod de B. Joanne Baptista canat Ecclesia, ipsum antra deserti teneris sub annis petivisse, ne levi famine vitam macularet. Non obest, inquam; tum quia illud de peccato veniali deliberato, quodve tale sit ex solius materiæ levitate, non verò ex subreptione, intelligi commodè potest; tum quia de peccato veniali in certa materia, putà vaniloquii, elogium illud interpretari possumus. Nam Sanctorum nonnullos à quadam peccati specie immunes dono speciali fuisse, ita ut nunquam contra aliquam virtutem in gradu heroïco divinitus sibi concessam, sive mortaliter, sive venialiter peccaverint, putà B. Iosephus contra castitatem, Apostoli contra fidem, juxta gratiarum divisiones, alii sic, alii verò sic, creditu piissimum est.

Contra statutam veritatem catholicam pauca è Scripturis deprompta testimonia Pelagius objiciebat, putà illud Matth. 5. *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est.* Talis autem, ac tantus perfectionis gradus, qui Patris cœlestis perfectionem æmulatur, procul dubio peccatum veniale excludit. Sed illud, aliaque hæretici Scripturis abutentis deliramenta validè confutat S. Augustinus *lib. 2. de peccat. merit. cap. 15.* Non enim perfectio divina imitanda proponitur quasi ex æquo exscribenda, sed tanquam exemplar, ad quod aspirare, & juxtà quod virtutes nostras reformare pro virili parte tenemur. Proponitur ergo nobis divina perfectio, non quam assequamur, sed quam piè proficientes, & peccata quotidiana plangentes, & spiritum nostrum scopentes accedamus. Alia argumenta è ratione petita in fine solvemus.

CONSECTARIUM V.

Perseverantia est speciale gratiæ donum, imò & gratiarum omnium corona.

Rectè monet Angelicus noster Præceptor, perseverantiam trifariàm accipi posse. Primò namque perseverantia significat habitum, per quem homo firmiter stat, nec à virtutum praxi per tristitias irruentes dimovetur: ùnde sicut continentia concupiscentias frenat, & delectationes moderatur, ita perseverantia mœroribus, tristitiæ, & tædio, quæ virtutum praxim non rarò comitantur, obsistit. Secundò accipitur perseverantia pro habituali dispositione, quâ quis firmum in bono perseverandi propositum experitur, quod propositum est gratiæ sanctificantis, virtutumque infusarum, atque acquisitarum fructus suavissimus. Tertiò denique, & magis strictè accipitur perseverantia pro ipsa perenni boni praxi & continuatione ad finem usque vitæ inclusivè perdurante, de qua sic habet August. lib. de don. persev. cap. 1. *Asserimus donum Dei esse perseverantiam, quâ usque in finem perseveratur in Christo: finem autem dico, quo vita ista finitur, in qua tantummodò periculum est, ne cadatur.* Hoc prælibato,

Veritatem hujus consectarii probat in primis Augustinus ex Scripturis. Psalm. 15. *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commovear.* Psalm. 65. *Non dedit in commotionem pedes meos.* Psalm. 69. *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ, & super filium hominis, quem confirmasti tibi, & non discedimus à te.* Ex quibus verbis sic infert Augustinus lib. de don. persev. cap. 7. *Manus ergo Dei est ista, non nostra, ut non discedamus ab eo.* Ponderat ibidem Augustinus illud Jerem. 32. *Timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant à me. Quod quid est aliud*, inquit S. Doctor, *quàm talis, ac tantus erit timor, quem dabo in cor eorum, ut mihi perseveranter adhæreant?* Expendit etiam illud Philip. 1. *Vobis donatum est pro Christo, non solùm ut in eum credatis; sed ut etiam pro illo patiamini. Horum quippe unum* (verba sunt Augustini) *pertinet ad initium, alterum ad finem; utrumque tamen est Dei donum, quia utrumque dictum est esse donatum: quod enim est initium verius Christiano, quàm credere in Christum? Quis finis melior est, quàm pati pro Christo?* Adducit etiam in ejusdem veritatis confirmationem, tum illud Rom. 14. *Domino suo stat, aut cadit; stabit autem, potens est enim Dominus statuere illum.* Tum illud 1. Petri 3. & 5. *Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet. Deus omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Iesu, modicùm passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque.*

Eandem veritatem tradunt sacra Concilia, tum Carthaginense *cap. 3.* definiens adjutorium Dei valere, ut peccata non committantur, ac proinde ut in cœpta justitia permaneamus. Tum Arausicanum II. cap. 9. *Divini muneris est cùm & rectè cogitamus, & pedes nostros à fallacitate, & injustitia continemus.* Et can. 10. *Adjutorium Dei etiam renatis, ac sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere perdurare.* Denique Tridentinum *sess. 6. cap. 13.* expressè docet perseverantiæ munus, de quo scriptum est, *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*, haberi non posse, *nisi ab eo qui potens est eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet; & eum qui cadit, restituere.* Et can. 22. sic pronuntiat: *Si quis dixerit, justificatum vel sine auxilio speciali Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse, anathema sit.*

Denique

Denique hanc fidem docent summi Pontifices, cæterique Ecclesiæ Patres, una voce dicentes, boni operis initium, progressum, & finem speciali Dei auxilio esse ascribendum; quia sicut Deo auxiliante vincimus, ita eo iterum non adjuvante vincimur; nec sumus ad superandas diaboli insidias, & evincendas concupiscentias satis idonei, nisi per quotidianum Dei adjutorium perseverantiam bonæ conversationis acceperimus.

Rationes autem hujus veritatis multæ à sacris Doctoribus proferuntur, quas breviter attingemus. In primis valdè urget Augustinus rationem ex orationibus & gratiarum actionibus Ecclesiæ petitam, quam unam abundè sufficere ait, nec opus esse ut operosas hac in re disputationes instituamus. Cùm enim Ecclesia quotidie oret, ut credentes perseverent, ut sint in fide stabiles, & in opere efficaces; ut congregata Deus restauret, & restaurata conservet; ut quæ sunt nutrita custodiat, denique aliis missis, ut det nobis Deus perseverantem in sua voluntate famulatum; planè relinquitur perseverantiam usque in finem nobis à Deo donari. Sed inter orationes eminere Dominicam, & præ cæteris veritatem istam in ea inculcari tradit idem Augustinus cap.7. *Si alia*, inquit, *documenta non essent, hæc Dominica nobis ad causam gratiæ, quam defendimus, sola sufficeret.* Hinc ibidem observat, in singulis fermè petitionibus, sin expressè, certè tacitè perseverantiam postulari: v.g. quando justus petit à Deo, *sanctificetur nomen tuum*, quid aliud petit & rogat, quàm ut qui in Baptismo sanctificatus est, in eo quod esse cœpit perseveret, atque in illis permaneat bonis, quæ se accepisse novit. Similiter cùm petit, *adveniat regnum tuum*, nihil aliud poscit, nisi ut in sibi data sanctitate perseveret; neque enim aliter ei veniet regnum Dei, nisi quia perseveraverit usque in finem. Item cùm rogat, *Fiat voluntas tua*, perseverantiam petit; cùm enim voluntas Dei jam facta sit in Sanctis, ut adhuc fiat non petunt, nisi ut in eo quod cœperunt perseverarent. Cùm enim in ea petitione optent non solùm ut homines ex infidelibus fiant fideles, quod ad bonum initium videtur pertinere, sed etiam ut justi in facienda voluntate Dei æquentur Angelis Dei, utique perseverantiam demonstrantur orare, quoniam nemo pervenit ad illam summam, quæ in regno est, beatitudinem, nisi in ea, quam in terra inchoavit, sanctimonia in finem usque perseveret. Sic etiam quando panem quotidianum & supersubstantialem petunt, nedum alimenta ut conserventur, sed etiam auxilia, quibus animus quotidie reficiatur, exorant; nedum corpus Christi petunt, à quo nolunt separari, sed ut in ea sanctitate permaneant petunt, quæ nullum crimen admittat, quo à Christo separari mereantur. Denique cùm dicunt Sancti, *Et ne nos inducas in tentationem*, perseverantiam etiam rogant; neque enim quisquam in proposito Christianitatis perseverare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur.

Secunda ratio S. Thomæ est hujusmodi. Omne quod est de se variabile, ad hoc ut figatur in uno, indiget auxilio alicujus moventis immobilis: homo autem variabilis est de bono in malum, & de malo in bonum: ad hoc igitur ut immobiliter perseveret in bono, indiget auxilio divino. Ad cujus pleniorem elucidationem considerandum est, gratiam in hoc viæ statu imperfectè ab homine justo participari, quia nimirù diffusa in viatores gratia nec Deo actuali amore semper eos conjungit, nec appetitum perfectè sanat, nec divinæ regulæ indefectibiliter animum connectit. Ergo præter gratiam habitualem necessarium est justo speciale divinæ opitulationis auxilium, ut voluntas quanvis infirma, non deficiat tamen, nec adversitate aliqua superetur. *Cùm liberum arbitrium de se sit vertibile* (verba sunt S.Thomæ 2. 2. q. 137. art.4.) *& hoc ei non tollatur per habitualem gratiam præsentis vitæ, non subest potestati liberi arbitrii etiam reparati, ut se immobiliter in bono statuat, licèt sit in potestate ejus, quod eligat; plerumque enim cadit in nostra potestate electio, sed non exequutio.* Quam solidissimam ratiocinationem ex Magistro suo Augustino deprompserat Doctor Angelicus; sic enim discurrit S. Pater lib. de corrept. & grat. cap. 12. *Si in tanta infirmitate vitæ hujus ipsis* (Sanctis) *relinqueretur voluntas, ut in adjutorio Dei sine quo perseverare non possunt, manerent si vellent, nec in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate suâ voluntas ipsa succumberet; & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent. Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur, & ideo quanvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.*

Tertia ratio est, quia si justi semel in gratia constituti non indigerent speciali dono, quo perseverantia ipsa donetur, discretio perseverantis à non perseverante in liberum arbitrium, in illiusque bonum usum refunderetur, Deoque sola perseverandi facultas, non verò ipse perseverantiæ fructus assereretur: Deo namque tanquam authori speciali illud solùm tribuitur, quod largitur; non largiretur autem in illa hypothesi ipsam perseverantiam Deus, sed unam duntaxat perseverandi potestatem. Consequens autem catholicus refugit sensus: tum quia illi repugnat Paulino oraculo 1. Cor.4. *Quis te discernit? Quid habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis?* Tum quia cùm actus sit consummatio potestatis, & perseverantia actualis ipsa perseverandi facultate potior, quod minus est bonum summo bono Deo, majus autem bonum voluntati creatæ adscriberetur, quo nihil iniquius. Tum quia perseverantia est specialis prædestinationis effectus, imò beneficiorum omnium prædestinatio concessorum, coronis. Ergo in gratuitam Dei voluntatem revocandum est, cùm prædestinatio sit gratuitum miserendi propositum, & gratuita etiam beneficiorum præparatio, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur, ut aliàs satis, superque demonstratum est. Objectiones in fine dissolvemus.

Consectarium VI.

Gratia adjutorium ad opera supernaturalia omninò desideratur.

NOn eget multis probationum momentis hujus consectarii veritas per se lucens; etenim si ad opera moraliter bona, si ad tentationes superandas, si ad observanda legis naturalis mandata divinæ auxilio gratiæ opus est, procul dubio ad opera supernaturalia, id est naturæ vires prætergressa desiderari gratiam fatendum est. Nec enim alia de causa supernaturalia dicta sunt, nisi quia omnem naturæ conatum excedunt, atque naturalis facultatis sphæram transiliunt. Denique omne illud, quod est ordinis supernaturalis, per se auxilium ejusdem ordinis exigit, ut debita causam inter & effectum, dispositionem inter & formam proportio servetur. Ergo omne opus, quod per se ad gratiam sanctificantem,

cantem, quæ eſt ordinis ſupernaturalis veluti ſubſtantia, manducit, ex auxilio ſupernaturali procedere neceſſe eſt. Unde Tridentinum *ſeſſ.6. can.3.* definit, omnia quæ conducunt ad hoc ut gratia juſtificationis conferatur, eſſe à prævenientе Spiritus ſancti inſpiratione.

Dices: Videtur quidem per ſe notum, opus entitativè ſupernaturale naturæ vires excedere; ſed quid vetat dicere, dari in natura initium operis ſupernaturalis, & juſtificationis, quatenus facienti quod in ſe eſt ex viribus naturæ, ex pacto & lege ſtatuta largitur Deus juſtificationis beneficium, ita ut per bona moralia ea fine honeſto elicita præparetur animus ad ea ſibi aſciſcenda auxilia quibus juſtificationis gratiam infallibiliter conſequetur.

Reſpondeo hanc doctrinam, quæ unum ex præcipuis Ludovici Molinæ ſententiæ capitibus continet, nulla nobis poſſe ratione probari. Tum quia in natura nullum eſſe quit juſtificationis initium, quod ſit primæ gratiæ conferendæ motivum: prima quippe gratia, ſi quæ ulla, gratis omninò donatur; unde ſecundùm omnes Theologos, licèt in dubium revocetur, an prædeſtinatio ad gloriam præviſa merita ſupponat, de prædeſtinatione tamen ad gratiam id in controverſiam vocare nefas eſt. Nam *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Iacob elegi, Eſau autem odio habui*, ut dicitur *Rom.*8. Tum quia multos ad gratiam peccatores evehit Deus, non ſeſe parantes, vel ad juſtificationem operum naturalium honeſtate viam ſternentes, ſed obices actu ponentes: imò interdum occulto judicio nonnullos brevi ad cumulum ſanctitatis ex ſentina iniquitatis extollit, alioſque minùs perverſos relinquit, & nonnunquam eximiæ pietatis Sanctos levibus ſuccumbere tentationibus ſinit, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Ergo obſtruatur omne os neceſſum eſt, nec in diſpoſitiones à libero arbitrio jactas refundi poteſt juſtificationis œconomia. Tum quia pactum illud dandi gratiam benè naturalibus viribus agenti, vel exigit totius legis naturalis obſervantiam, vel uno, aut altero bono opere naturali contentum eſt. Primum eſt impoſſibile, cùm nequeat homo ſine ſpeciali Dei gratia totam legem ſervare: ergo ſi requiritur totius legis cuſtodia, homo faciens ea viribus naturæ quod in ſe eſt, nunquam debitam diſpoſitionem obtinebit. Secundum verò eſt evidentiſſimè falſum, ſequitur enim ex eo, omnes quàmlibet perditos, juſtificationis gratiam conſequi oportere, cùm nullus adeò ſceleſtus reperiatur, qui bonum aliquod ea officina opus non efficiat. Veridicè enim Auguſtinus *lib. de ſpirit. & lit. cap.* 28. pronuntiavit: *Sicut non impediunt à vita æterna juſtum quædam peccata venialia, ſine quibus hæc vita non ducitur: ſic ad ſalutem æternam nihil proſunt impio aliqua bona opera, ſine quibus difficillimè vita cujuſlibet peſſimi hominis invenitur.* Ergo fictitium eſt illud pactum, cùm nequeat deſignari opus viribus voluntatis elicitum, cujus intuitu Deus gratiam juſtificationis largiatur. Et certè Chriſtus author gratiæ pactum illud non iniit, quin totus gratiæ ordo à fundamentis ſuffoditur, quo efficitur ut gratia non ſit gratia, utque gratia non detur gratis. Tum etiam, quia bonorum ille operum naturalium apparatus exigitur vel tanquam aliquid improportionatum, vel tanquam aliquid proportionatum ad gratiam; vel ut latiniùs loquar, illa naturalis honeſtatis apparatio ad obtinendam gratiam vel inæquabiliter diſponit, vel rigido, ſtrictoque jure eam promeretur. Secundum eſt putum putum Pelagianiſmi virus: primum verò eſt impertinens; ridiculè namque Deum ad gratiam largiendam aſtringi comminiſcimur propter opus ad gratiam conſequendam per ſe ineptum. Ergo omne opus ad acquirendam juſtificationem ordinatum, non voluntatis creatæ ſibi relictæ partus eſt, ſed auxilii Dei ſupernaturaliter moventis fructus, qui & voluntatem adjuvandam præparat, & adjuvat præparatam.

Ex quibus intelliges veritatem illius ſuppoſitionis, quam tradit S. Thomas *q.*14. *de verit.* art.11. ad 1. *Si quis in ſylvis nutritus ductum rationis ſequatur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè tenendum eſt, quod ei Deus per inſpirationem revelaret ea quæ ad credendum ſunt neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, ſicut miſit Petrum ad Cornelium.* Porrò ille ſic nutritus non ſequeretur ductum rationis ſine gratiæ adjutorio: non negamus autem, ſed ultrò fatemur, Deum ea certa lege dare gratiam, imò & gloriam facienti quod in ſe eſt ex viribus gratiæ, juxta illud Auguſt. lib.18. de Civit. *Deus naturarum omnium ſapientiſſimus conditor, & juſtiſſimus ordinator, qui terrenorum ornamentorum maximum inſtituit mortale genus humanum, dedit hominibus quædam bona huic vitæ congrua, eo pacto æquiſſimo, ut quicumque mortalis talibus bonis rectè uſus fuerit, accipiat ampliora atque meliora, ipſam ſcilicet immortalitatis pacem.*

Dices rurſum: Opera illa moraliter honeſta, quibus Deus in ſententia Molinæ ex pacto cum Chriſto inito juſtificationem ſpopondit, non ſunt accommodatæ ad gratiam diſpoſitiones veluti poſitivæ, ſed veluti negativæ, removentes impedimenta gratiæ, quam Deus unum ob peccatum denegat. Sublato ergo peccati objectaculo, gratiam Deus ex congruitate ſua in miſericordia fundata largitur.

Reſpondeo rationes ſuperiùs adductas omnes illas diſpoſitiones etiam negativas gratiam infallibiliter obtinentes refutare, cùm præſertim ſine gratia natura propriis viribus permiſſa, impedimenta peccati non remotura, ſed poſitura ſit, quin & voluntas ope gratiæ deſerta apponit iniquitatem ſuper iniquitatem, cùm legem ſine gratia ſervare non valeat. His omnibus adde S. Thomam *in cap.*12. *ad Hebr. lect.*3. ad illa verba, *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei*, ſibi objicientem, quod *ſi gratia non detur ex operibus, ſed tantùm ex hoc, quod aliquis non ponit obſtaculum: ergo habere gratiam dependet ex ſolo libero arbitrio, & non ex electione Dei, quod eſt error Pelagianus*; Reſpondere: *Dicendum, quod hoc ipſum, quod aliquis non ponit obſtaculum, ex gratia procedit.* Ergo diſpoſitio etiam negativa ad gratiam eſt gratiæ beneficium, nec in liberi arbitrii vires refundenda eſt. Et ratio eſt, quia quod cor ſit rectum, ſit carneum, ſit docile, nec divinæ gratiæ deſit, eſt gratiæ effectus & opus dexteræ Excelſi, non naturæ corruptæ, ut ex dictis hactenus ſatis, ſuperque liquet; alioquin daretur in nobis juſtificationis initium, & primitiva diſcretionis unius ab alio ratio à libero arbitrio gratiæ obicem non ponente peteretur. Ergo quidquid cum juſtificatione connexionem habet, non à natura, ſed à principio ſupernaturali proficiſcitur.

Dices tertiò. In actu ſupernaturali duo diſtingui poſſunt; ſubſtantia, ſeu entitas actus; & modus illius, nempe ſupernaturalitas: v. g. cùm aſſentior veritatibus revelatis, aſſenſus ille, utpote actus vitalis ab intellectu procedens, non poteſt non eſſe quoad ſpeciem, ſubindeque quoad entitatem naturalis; ex eo verò, quod aſſenſus ille vi præmotionis voluntatis in finem ſupernaturalem referatur, modum ſupernaturalitatis nanciſcitur: licèt ergo ad modum illum adventitium efficiendum gratia ſupernaturalis deſideretur, attamen ad ſubſtantiam actus

efficiendam

efficiendam sola sufficit virtutis naturalis efficacia, cùm effectus naturalis vires naturæ nequaquam excedat.

Respondeo doctrinam hocce in argumento contentam multoties fuisse à nobis refutatam, & posse ampliùs refelli: tum quia absolutè Scriptura, Concilia, & Patres tradunt actum fidei esse ex gratia. *Vobis*, inquit Doctor Gent. Philip. 1. *donatum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, sed etiam ut pro illo patiamini.* Utrumque ergo ad gratiam pertinet, & fides credentium, & tolerantia patientium, cùm utrumque dicatur esse donatum. Ephes. 1. *Gratiâ Dei estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est.* Joan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Venire autem ad Christum est in Christum credere; subjungit enim Veritas post verba præfata: *Omnis qui audivit à Patre, & didicit, venit ad me.* : : : *Sunt quidam ex vobis, qui non credunt, propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.* Hinc August. lib. de prædest. Sanct. cap. 8. *Quid est, ad me veniet, nisi credet in me? Ergo trahi à Patre ad Christum, & audire, ac discere, ut veniat ad Christum, nihil aliud est, quàm donum accipere à Patre, quo credat in Christum.* Certè si attestante Apostolo 2. Cor. 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est*, quomodo poterimus veritatibus supernaturalibus sine Dei gratia credere; cùm minus sit cogitare, quàm credere; cùm credere nihil aliud sit, quam cum assensu cogitare, cùm cogitet omnis qui credit, nec nisi cogitando credere possit. Si ipsemet Doctor Gentium veniam se dicat esse consequutum, 1. Cor. 2. *ut fidelis esset*, non quia fidelis erat, manifestum est fidei assensum non nisi Deo miserante obtineri. Idem docent sacra Concilia: Carthaginense can. 4. *Donum Dei est, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus.* Arausicanum can. 7. *Falluntur spiritu qui putant absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti homines posse per naturæ vigorem aliquid quod ad salutem pertineat, cogitare.* Et can. 9. definit, *divini esse muneris cùm & veritatem cogitamus.* Quod & docet Tridentinum *sess.* 6. ubi anathemate percellit asserentes, sine præveniente sancti Spiritus inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere posse.

Patres eandem veritatem contestantes refert Augustinus *lib. de don. persever. cap.* 17. ubi laudat illud Cypriani: *In nullo gloriandum quando nihil est nostrum.* Illud etiam Ambrosii: *Non est in potestate nostra cor nostrum, & nostra cogitationes. Deus quos dignatur, vocat; & quem vult, religiosum facit.* Illud itidem Nazianzeni: *Qui dedit credere, dabit & confiteri.*

Varias etiam profert sanctissimus Doctor rationes, quibus hanc veritatem stabilit. Tum ex necessitate orationis; nemo enim orat nisi ad consequendum quod non habet. Fideles autem orant pro fidelibus, ut ad fidem convertantur. *Inaniter, & perfunctoriè potiùs quàm veraciter pro eis, ut doctrina cui adversantur, credendo consentiant, Deo fundimus preces, si ad ejus non pertinet gratiam convertere ad fidem suam*, inquit August. epist. 107. *Inaniter etiam, & perfunctoriè potiùs quàm veraciter magnas cum exultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, si hoc in eis ipse non facit. Non fallamus homines, nam Deum fallere non valemus. Non oramus Deum, sed orare nos fingimus, si nos ipsos, non illum credimus facere quod oramus. Non gratias Deo agimus, sed nos agere fingimus, si unde illi gratias agimus, ipsum facere non putamus.*

Tum quia alii articulis fidei assentiuntur, alii non assentiuntur: illi quidem ex misericordia, isti ex justo Dei judicio. Quod autem nonnullis ex Dei misericordia convenit, aliis verò ex judicio Dei denegatur, ad gratiam Dei pertinet. Unde *lib. de prædest. Sanct. cap.* 6. ait: *Multi audiunt verbum veritatis, sed alii credunt, alii contradicunt: quis hoc neget? Quis hoc ignoret? Sed cùm aliis præparetur voluntas à Domino, aliis non præparetur voluntas à Domino, discernendum est utique quod veniat de misericordia ejus, quod de judicio.* Et cap. 8. *Fides igitur, & inchoata, & perfecta donum Dei est* (vides & assensum, & perfectionem assensus apertè indigitari per fidem inchoatam, & perfectam.) *Et hoc donum quibusdam dari, quibusdam dari omninò non dubitet, qui non vult manifestissimis sacris literis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes esse in condemnationem sine dubio justissimam; ita ut nulla Dei esset justa reprehensio, etiamsi nullus inde liberaretur. Unde constat, magnam esse gratiam, quod plurimi liberantur, & quid sibi deberetur, in iis qui non liberantur, agnoscant; & qui gloriantur, non in suis meritis, quæ paria vident esse damnatis, sed in Domino glorientur.*

Tum quia si substantia, & entitas assensus fidei è viribus naturæ proficiscatur, daretur in nobis initium salutis; ille enim assensus, tam bonus, tamque utilis non potest non juvare ad salutem: unde in negotio salutis primas daremus voluntati, & componentes cum Deo, partem fidei nobis vindicaremus, & partem Deo relinqueremus; & quod indignum est, primam partem, nempe entitatem actus, nobis; sequentem, nimirum modum accidentalem, Deo tribueremus, & in eo quod dicimus esse amborum, priores nos, posteriorem Deum faceremus. Quam rationem prosequitur August. *de prædest. Sanct. cap.* 2.

Tum quia si substantia & entitas actus fidei è solius naturæ viribus procedat, id est si intellectus possit assentiri mysteriis tam arduis & excelsis, qualia sunt supernaturalia, poterit etiam voluntas assensum illum in finem supernaturalem semel cognitum & creditum ordinare, imò connaturaliter ordinabit, cùm motus voluntatis cognitioni intellectus accommodetur: ergo si ad entitatem assensus non sit necessaria gratia supernaturalis, nec etiam necessaria erit ad modum illum supernaturalem ex ordine ad finem supernaturalem enatum. Unde omnis gratiæ necessitas prorsus de medio tolletur; postquam enim difficiliora viribus naturæ asseruimus, frustra ad faciliora influxum gratiæ desideramus: postquam initium salutis, nempe entitatem assensus vires naturales non excedere diximus, perperam progressum salutis eas prætergredi comminiscimur. Discursus est Augustini *de prædest. Sanct. cap.* 2. his verbis: *Cùm autem non totum tribuatur homini, ut qui sibi potuit instituere quod non habebat, ipse quod instituit augeat, omninò non video!*

Tum quia in hoc est magna adversariorum hallucinatio, quod velint entitatem assensus fidei non esse supernaturalem, in quo vehementer decipiuntur; supernaturalitas quippe actus ex objecto formali, & ex motivo assensus petenda est: entitas autem assensus fidei Christianæ, & objectum supernaturale respicit, nimirum articulos fidei, & motivo supernaturali illis assentitur; captivat enim intellectum in obsequium fidei, propter unam Dei revelantis authoritatem, Ecclesiâ proponente notam, miraculis firmatam, Martyrum sanguine propagatam, & Doctorum consensione vallatam, superædificatam super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, aliia

denique illustratam credibilitatis argumentis, de quibus tam sæpe sermonem instituimus. Quamobrem entitas actus fidei supernaturalis est, & naturæ totius vires excedit: & quamvis procedat à potentia naturali, & vitali, nimirum intellectu, hoc tamen ejus supernaturalitati obesse non potest, quia facultas naturalis actum fidei non nisi mediante habitu, vel auxilio supernaturali elicit: actus autem conditionem principii proximi sapit, unde & visio beata à lumine gloriæ proficiscens, & amor castus à charitate fluens, & actus fidei ab habitu, vel ab auxilio transeunte promanans supernaturalem entitatem habent, cùm per illos vivat homo vita spirituali, & divina; justus enim ea fide vivit, & qui non diligit, manet in morte; & hæc est vita æterna, cognoscere Deum verum, & quem misit Jesum Christum. Hinc Bernardus *lib. de grat. & lib. arb.* totum quod est in actu supernatuli, à gratia proficisci sic egregiè declarat: *Quid igitur agit, ait, liberum arbitrium? Breviter respondeo, salvatur. Tolle liberum arbitrium, non est quod salvetur: tolle gratiam, non erit unde salvetur. Opus hoc sine duobus effici potest; uno, à quo fit; altero, in quo fit. Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt. Totum quidem hoc, totum illa, sed ut totum in illo, ita totum ex illa.*

Instabis: Assensus ille, quem intellectus præbet veritatibus revelatis, obtinetur ea vi signorum credibilitatis, quibus permota voluntas movet intellectum, ut mysteriis quæ credantur dignissimis assentiatur: atqui signa credibilitatis vi intellectus naturali penetrantur: ergo vis naturalis satis potens est ad assensum illum eliciendum.

Respondeo concurrentibus etiam præclaris illis, & luminosis Christianæ Religionis argumentis, desiderari insuper divinæ gratiæ opitulationem; nisi enim Deus intus luceat, intus moveat, intus coruscet, & ut loquitur Concilium Arausicanum can. 7. *in consentiendo suavitatem infundat*, frustra prædicator forinsecus tonabit, frustra & miracula patrabit. Nam Judæi visis signis occalluere, nec ad fidem, vel pœnitentiam tantis Christi virtutibus permoveri potuerunt. *Percurrat Apostolus orbem, prædicet, hortetur, plantet, riget, increpet, instet: ut tamen his studiis auditor permoveatur, non Doctor, neque Discipulus, sed gratia sola efficit*, canebat olim laudatus Prosper. Præclara in hujus veritatis confirmationem Augustini testimonia suprà retulimus, quibus illud adjunge ea libro de prædest Sanct. cap. 8. *Cùm Evangelium prædicatur, quidam audiunt, quidam credunt: sed qui credunt prædicatore extrinsecus intonante, intus à Patre audiunt, atque discunt; qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque discunt: hoc est, illis datur ut credant, illis non datur; quia nemo, inquit, venit ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum.*

Urgebis: Illa motio si sit supernaturalis, supponit judicium supernaturale, cùm nihil sit volitum quin præcognitum, & ignoti sit nulla cupido. Atqui nullum judicium supernaturale præcedere potest piam illam voluntatis motionem unde fidei actus proficiscitur, cùm fides sit vitæ supernaturalis initium: Ergo motio illa vi naturalis virtutis ante fidem habetur; quidquid enim præcedit piam motionem, fidem ipsam antevertit, cùm fides motionem illam præsupponat.

Respondeo, motionem, & effectum voluntatis præveniri non solùm propositione articulorum & credibilitatis eorumdem, sed etiam judicio interno, mediante auxilio supernaturali elicito, quo intellectus practicè judicat objecta proposita esse credibilia; tale judicium sequitur motio, & affectus voluntatis divinitus permotæ, & gustantis divina; quem affectum fides deinde, seu assensus perfectus comitatur: in divinis enim priùs gustamus, postea videmus, juxta illud Propheticum, *Gustate, & videte*; & illud, *Nisi credideritis, non intelligetis*; non quòd voluntas priùs velit quàm cognoscat ratio, sed quia veritatibus cognitis, & propositis non assentitur intellectus, nisi voluntatis divina sapientis affectu permotus.

Insistes: Hæreticus multis articulis assentitur etiam supernaturalibus, nec tamen gratiam supernaturalem habet, quâ ad assentiendum permoveatur: ergo assensus non à gratia supernaturali, sed à naturalis facultatis viribus procedit.

Respondeo, facultatem naturalem in objectum supernaturale materialiter sumptum posse motivo naturali ferri; sic hæretici aliquos articulos supernaturales fide humana recipiunt, alios de humano arbitratu rejiciunt; ideoque in ipsis nullus assensus supernaturalis invenitur, sed merè naturalis, non è pia voluntatis motione, sed ex pertinacia, & propria electione profectus; unde in eis fides non est, sed fidei larva; non aurum, sed aurichalcum.

Posset difficultatem aliquam facessere authoritas S. Thomæ 2. 2. q. 71. art. 2. ad 3. dicentis: *Aliquid est supra naturam hominis, vel quantum ad substantiam actus, ut miracula facere, & cognoscere occulta divina sapientia; alia quantum ad modum actus, non quantum ad substantiam ipsius, ut diligere Deum, & eum cognoscere in speculo creaturarum.* Ubi subindicare videtur, dilectionem Dei esse supra naturam hominis, subindeque supernaturalem quantum ad modum actus, non quantum ad substantiam ipsius. Verùm præmissis variis Interpretum expositionibus, ea solùm contentus ero, quam textus ipse subindicat. Loquitur nimirum Doctor Sanctus de amore Dei naturali, cognitioni Dei in speculo creaturarum correspondenti, qui quoad substantiam vires naturæ non superat, sed ejus potiùs inclinationi est admodum consentaneus; tametsi quoad modum, nempe ut sit efficax, ut sit super omnia, ut omnia Deo etiam ingruentibus tentationum difficultatibus subjiciat; quoad modum, inquam, illum naturæ vires exsuperet.

CONSECTARIUM VII.

Objectionum, quæ contra hactenus statuta proponi solent, confutatio.

TOtum objectionum momentum ad duo, aut tria capita revocatur, quibus omnia, & singula statuta consectaria peræquè impugnantur. Etenim si gratia & ad vincendas tentationes, & ad diligendum Deum, & ad servanda legis præcepta, & ad non peccandum, seu mortaliter, seu venialiter, & ad perseverandum desideretur; ægrè intelligi potest quomodo vel libertas arbitrii salva consistat, cùm non sit ad illa prædicta prompta & expedita? Quomodo imputari potest sive officiorum omissio, sive præceptorum transgressio, si gratia desit, sine qua nec benè agere, nec à peccato possumus abstinere? Denique si non minùs justis quàm impiis necessaria sit divinæ gratiæ opitulatio, istis ut convertantur, illis ut in data sanctitate permaneant, perperam boni dicentur validiores, sed omnes peræquè erunt invalidi, cùm utrique eùm adest gratia, benè agant; cùm desit, malè operentur. Ergo nihil juvat in virtute procedere, cùm eadem semper infirmitas, cui semper gratiæ adminicula necessaria sunt, perseveret.

Verùm hæc argumenta variis Theologiæ nostræ

loci

locis contrita sunt, ibi præsertim ubi de efficacibus divinæ voluntatis decretis tomo primo lato calamo disputavimus. Quare ut ab iisdem cantilenis recantandis, & importunis infinitarum tricarum nodis liberemur, solida quædam principia stabiliemus, quorum splendore suppositarum, & aliarum sine fine fruticantium replicarum offuciæ discutientur.

Sciendum itaque primò, libertatem in statu naturæ corruptæ permanere quidem, sed infirmam; ut enim ait Bernardus, cecidimus omnes in Adamo simul in lutum, & super acervum lapidum: unde nedum coinquinari sumus originali culpa, *sed & collisi, & confracti, & in omnibus viribus graviter vulnerati.* Voluntas ergo nedum spoliata gratuitis, sed in naturalibus vulnerata, semivivaque relicta, libertatem quidem retinet, sed debilem & sauciam: quid ergo mirum, si adjutorio Dei egeat, quo infirmitas adjuvetur? Permanet ergo potentia physica boni malique capax, sed in malum prona, ad bonum autem non satis comparata, nisi adjuvetur ab omnipotenti bono. Porrò auxilium illud gratiæ, ut ex Augustino docet Angelicus Doctor, quibuscumque datur, misericorditer datur; quibus autem non datur, ex justitia non datur in pœnam præcedentis peccati, saltem originalis. Nec propterea ad impossibilia nos Deus astringit, quia ut *art.4. ad 2.* & alibi pluries docet idem D. Thomas: *Illud quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omninò impossibile, secundùm illud Philosophi in 3. Ethic. Quæ per amicos possumus, aliqualiter nos possumus.* Quod quidem auxilium quia est in manu amici, omnibus Deus offert, illudque conferret, nisi alicujus peccati obex intercederet. Deus enim gratiam nisi ex culpa non denegat, jubendoque admonet facere quod possis, petere quod non possis. Hinc Augustinus *lib. de grat. & lib. arbit. cap.16.* ait; *Ideò jubet Deus aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat quod lex imperat.* Nec est simile de homine, cui tibiæ amputatæ sunt, qui incedendi vim habere dici non potest, tametsi per miraculum ambulandi facultatem recipere queat. Non est, inquam, simile; quia miraculum illud tibiarum restitutivum, juxta solitum divinæ providentiæ cursum omnibus non offertur; secus verò gratia, quæ nullum prorsus deserit, nisi priùs ipsa deseratur. Ex quibus facilè secundæ instantiæ occurres, quomodo nimirum justè etiam carenti auxilio culpa imputetur. Sed de his alibi fusissimè diximus.

Sciendum secundò, alio etiam modo explicari commodè posse, quomodo voluntas & liberè mala patret, & imputabiliter patret; modo, inquam, in via S. Thomæ solidissimo, ex duplici capite petito. Primum est, quod voluntas potest opera saltem ex objecto indifferentia efficere, subindeque minora gratiæ impedimenta ponere: unde habent semper homines quid agant, ne malè agant. Possunt etiam opera ex objecto moraliter bona, tametsi aliquâ semper circumstantiâ sordidata elicere, quæ dum faciunt minùs mali sunt, minusque Deo reluctantem voluntatem custodiunt. Qua de causa etsi ad gratiam sese disponere nequeunt, possunt tamen minora impedimenta apponere, subindeque ad Dei lumen quandocumque affulserit accipiendum se reddere quadantenus paratiores, vel certè minùs imparatos; debent enim, ut Augustinus tradit, facere timore pœnæ, qui nondum possunt amore justitiæ. Secundus explicandi modus, longéque planissimus in hoc situs est, quod possit voluntas etiam infirma, quodlibet peccatum, sive mortale, sive veniale vitare, quanquam omnia simul, nec diu vitare queat. Scio contra hoc fieri solere argumenta calculatoria, ex partibus ad totum, ex unitatibus ad numerum, à sensu diviso ad compositum. Verùm hujusmodi sophismatum inanitas sponte abibit in fumum, si consideretur in moralibus, & etiam in exercitio facultatum naturalium usum & continuationem grandem invehere difficultatem. Sicut ergo absurdissimè argumentaretur, qui contenderet hominem infirmum mille posse decurrere passus, quia & illum, & illum seorsim sine labore passum peragere potest; qui suadere vellet posse stomachum debilem viginti quatuor horas à cibo abstinere, quia in qualibet designabili à cibo potest sine difficultate sibi temperare: ita nihilo minùs ridiculus habendus esset qui credit voluntatem infirmam quodlibet peccatum vitare valentem, posse etiam omnia collectivè effugere; in vita enim morali continuatio est difficultas difficultatum, quia eâ fatigatur cor humanum alioquin infirmum. Ut ergo firmetur arbitrii instabilitas, ut sanetur infirmitas, ut roboretur imbecillitas, ut leniatur fastidium, cœlestis gratiæ virtute, & suavitate opus est, quâ dilatatum cor viam mandatorum fortiter currat & alacriter. Quamobrem, ut benè observat sapientissimus Magister Joannes à S. Thoma, in his argumentis calculatoriis debet fieri inductio hoc pacto. Potest hunc actum, & illum, & illum elicere, & diu, & continenter elicere, & difficultates actuum praxim impedientes superare: ergo potest totam legem implere. Et tunc falsum est antecedens.

Sed dices: Esto hæc vera sint pro impiis, sed cur tamen gratiæ necessitatem ad justos ipsos dilatamus? Quid in eis operatur gratia sanctificans? Quid virtutum infusarum innumerabilis honestas? Quid donorum Spiritus sancti beatissima copia, si insuper continenti Dei adjutorio justus indigeat?

Respondeo hac instantia contineri tertiam suprà positam difficultatem, ad cujus elucidationem

Sciendum tertiò, quod ut aliàs observavimus, quanvis ordo gratiæ totus ex divina voluntate pendeat, cujus consilia inscrutabilia humili obsequio adoranda, non temeraria disquisitione scrutanda sunt; attamen datur quidam consuetus, & usitatus gratiæ cursus, quem Deus servare assolet. In hoc autem consistit Dei supernaturalis authoris consueta agendi ratio, ut pro modo & gradu sanctificantis & habitualis gratiæ distinctas etiam gratias actuales connaturaliter impertiatur: suavis namque Dei providentia juxta exigentiam, & inclinationem formarum concursum exhibet suum, subindeque gratiæ sanctificanti, virtutibus infusis, donis Spiritus sancti auxilia proportionata ministrat; sicut etiam distinctis Sacramentis devotè susceptis distincta auxilia correspondere alibi dicemus, dum gratiam sacramentalem suo loco interpretabimur. Multùm ergo juvat in gratia procedere, & ire de virtute in virtutem; non solùm quia habitualis infirmitas sanatur, & concupiscentiæ æstus temperatur; sed etiam quia pro distinctione gradus sanctitatis distincta etiam auxilia conferuntur; & sicut animæ minùs provectæ minoribus gratiæ actualis auxiliis fruuntur, subindeque tentationibus faciliùs succumbunt, & frequentiùs: ita magis provectæ, & altiorem sanctitatis gradum adeptæ actuales gratias & fortiores habent, & crebriores. Itaque omnes Justi beneficio gratiæ sanctificantis & vitare peccata, & servare præcepta legis possunt. Quo sensu dixit Angelicus Doctor 3. p. q. 62. art 6. ad 3. *Minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ.* Quia nimirum gratia sanctificans, virtutesque illi annexæ dant posse in actu primo, quod quibusdam auxiliis actualibus roborari solet. Sed insuper verum est, vires Justorum esse inæquales,

inæquales, & quia gratiæ sanctificantis gradus inæqualis est, & quia distinctæ illis gratiæ actuales correspondent.

Instes: Perperam dicimus, Sanctorum alios aliis esse validiores, cùm utrique gratia efficaci egeant, quæ ut ait S. Prosper, hominem cùm salvat, causis anceps non suspenditur ullis, quia nimirum est omnipotens, & ut Augustinus *lib. de prædest. Sanct. cap.* 8. dixit: *hæc gratia cùm cordibus hominum divina largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut duritia cordis primitus auferatur.* Ergo vir quàmlibet emeritæ virtutis, non minùs erit invalidus, quàm minùs sanctitate provectus, cùm sine gratia efficaci nec ille benè agat, nec cum gratia efficaci ipse benè agere omittat.

Respondeo, vires magis, minusve Justi semper esse inæquales: tum quia vires se tenent ex parte actus primi; unde eo homo rectè validior dicitur, quo facultates habet ad agendum expeditiores, promptiores, & proniores; quam quidem pronitatem, promptitudinem, & expeditam facilitatem habitus causant. Tum quia juxta suavem, & usitatum divinæ providentiæ supernaturalis cursum majoribus donis habitualibus instructo validiora & crebriora auxilia impertitur, sicut accedenti religiosè ad Sacramenta specialiora, id est efficacia, in necessitate, in opportunitatibus, in tribulatione auxilia confert.

Scio alios aliter hunc nodum explicare dicentes, gratiam efficacem dupliciter spectari posse, vel in se separatim, vel cum divina voluntate conjunctam: priori modo considerata non solùm dissentiendi potentiam non aufert, sed etiam illa eadem, quæ levi eum cupiditate pugnans victrix fieret, auctâ deinde & acriùs inflammatâ cupiditate, veluti ingruente fluctu superatur. Unde consequitur, ut qui levem tentationem gratiâ victrici superavit, ampliori, validiorique superetur. Posteriori autem modo considerata, prout nimirum est instrumentum cum omnipotenti Dei voluntate, cui nullum resistere arbitrium potest, potentiâ saltem consequenti conjunctum, tunc suum semper sortitur effectum, quem proposuit Deus; quia voluntas illa omnipotens pro gravitate tentationis & validiorem inspirat suavitatem, & alimenta, seu incitamenta cupiditatis subtrahit. Unde semper verum est, voluntatem divinam separari ab humana non posse; verum item est, gratiam à Dei voluntatis omnipotentia suam efficaciam derivare; verum etiam est quod ait Augustinus, Deum aliâ de causa omnipotentem non vocari, nisi quia quidquid vult potest, nec voluntate cujuspiam creata voluntatis omnipotentis impeditur effectus.

Ab illo loquendi, explicandique modo non abhorrent quidam Thomistæ recentes, qui addunt modum illum à præstanti in paucis Thomista Gonzale traditum esse; illique tantò lubentiùs subscribunt, quantò ad intricatissimas difficultates resolvendas facilior videtur & planior. Si enim gratia efficax in se seorsim à divina voluntate spectata variè affectis animis collata hos convertat, illos non convertat pro diverso malitiæ & cupiditatis gradu; quamvis nunquam contingat, ut animis similiter affectis eadem illapsa gratia hunc convertat, illum non convertat; si, inquam, hæc ita sint, & argumenta è libertate petita facilè diluemus, cùm entitati gratiæ secundùm se consideratæ interdum resistatur; & victricem gratiæ vim servabimus incolumem, cùm gratia illum semper sortiatur effectum, quem voluntas Dei definivit, cui proinde conjuncta effectum suum infallibiliter consequetur, juxta celebre illud S. Thomæ pronuntiatum 1. 2. q. 112. art. 3. *Potest ea*, id est præparatio ad gratiam, *considerari secundùm quod est à Deo movente; & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non potest.*

Verùm modus ille dicendi, tametsi reverà à Ludovici Molinæ, & sequacium sententia discreper distinctione illa gratiæ bifariam spectatæ; attamen modus loquendi non solùm est phrasi Molinistarum consentaneus, & ferè conterminus, atque ab avita Scholæ nostræ sententiendi, loquendique formula alienus, sed etiam ipsam Molinæ sententiam nimis imitatur. Si enim gratia efficax secundùm se spectata juxta malitiæ voluntatis gradum suum sortiatur effectum, ita ut quæ quatuor iniquitatis gradus exsuperat, à quinque superetur, quid favorabilius desiderare poterunt Molinistæ etiam mitiores, qui gratiæ efficaciatem ab eventu derivant? Itaque perperam gratia illa efficax dicitur, quæ omnem concupiscentiam, & resistentiam non vincit; omnipotens enim gratia, quæ hominem salvat, causis anceps non suspenditur ullis, ei tempus agendi semper adest, quæ gesta velit; non moribus illi fit mora, ut cecinit Prosper *cap.* 14. *de ingratis*: certè apud Augustinum illa sola gratia efficax est, & jure dicitur, quæ est exequutio omnipotentissimæ voluntatis, unde illam à voluntate Dei sejungere est novum gratiæ efficacis commentum effingere in Augustino peregrinum. Audi quomodo S. Pater loquatur de gratia efficaci lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. *Certum est nos velle dum volumus, sed ille facit ut velimus: certum est nos facere cùm facimus, sed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficacissimas voluntati.* Vires porrò efficacissimæ omnem concupiscentiam flectunt. Et *lib. de corrept. & grat. cap.* 12. ait: *Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur.* Ergo gratia efficax in se spectata, à divina voluntate seorsim sumi non potest, cùm illi semper annexus sit effectus. Unde gratia, quæ concupiscentiam non vincit, est tantùm Thomisticè sensu sufficiens, quia licèt posse agere in actu primo tradat, actum tamen secundum non infert; quod si non infert, efficax dici nequaquam potest.

Sciendum quartò pro solutione eorum, quæ diximus de dilectione Dei, præ oculis habendum esse, dilectionem ad quam gratiam exigimus, esse & efficacem, & super omnia: efficacem quidem, quia non debet esse simplex & sterilis summi boni complacentia; voluntati enim connaturale est, imò necessarium bonum tam amabile cognitum amore complacentiæ prosequi: super omnia verò, ita ut non solùm voluntas nihil tali bono præferat, sed etiam omnia illi, tanquam ultimo fini, verè & sincerè subjiciat. Hunc autem amorem esse opus gratiæ, nemo dubitare quit; quomodo enim voluntas esset ita contra omnem naturæ instantiam firmata, appetitus rebellis domina, tentationum hunc amorem præpedientium, vel aggredientium victrix, nisi Dei adjutorio roboretur? Sanè opus tantæ sanctitatis naturæ iosimæ vires excedat necessum est. Hinc August. *lib. de grat. & lib. arb. cap.* 18. ait: *Unde est in hominibus charitas Dei & proximi, nisi ex ipso Deo? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani: si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* His adde, quod licèt Deus sit objectum naturale cordis humani, fecit enim nos Deus ad se, & inquietum est cor nostrum donec in ipso requiescat; imaginem quippe Dei quidquid Deo minus est, nunquam implebit: attamen objectum illud naturaliter appetibile, imò & appetitum, non

non est naturaliter assequibile, sed per gratiam, ut superiori dissertatione satis diximus.

Sciendum quintò pro solutione eorum, quæ de necessitate gratiæ ad observationem legis statuimus, legem posse impleri vel quoad substantiam, vel quoad modum: quoad substantiam, si fiat opus præceptum, putà cultus parentum, subventio pauperis: quoad modum verò, si fiat ex inclinatione virtutis, pura nimirum intentione, vera electione; vel ex imperio charitatis, & principio meriti; vel modo firmo, & stabili: substantia quidem actus naturalis sine gratia sæpè elicitur, sed veræ virtutis modus à gratia proficiscitur. Porrò actus naturalis sine modo virtutis ad nihilum valet ultrà, nisi ut respuatur à Deo, qui ut ait Magnus Gregorius, *non quantum quærit, sed ex quanto*; & ut P. Granatensis addit, *non tam verba quærit, quàm adverbia.* Nec obest, quod homo retinet semper potentiam physicam, ut possit benè bonum operari. Non, inquam, obest; quia ex culpa sua non retinet potentiam moralem, eo ipso quod ab amore veri finis aversus est. Cùm enim finis ultimus sit principium vitæ moralis, qui à vero fine aversus est, in pravum conversus, procul dubio potentia morali caret, imò & moraliter mortuus est, cùm extinctum in eo sit primum honestæ vitæ principium, non minùs ad honestam vitam necessarium, quàm motus cordis ad functiones vitæ animalis obeundas.

Sciendum sextò, ad ea quæ contra donum perseverantiæ objici possunt refellenda, justis gratiâ sanctificanti, & pretiosa virtutum supellectile instructis auxilii adhuc continentis perennitatem desiderari, non solùm ad graves vincendas tentationes, non solùm propter operum supernaturalium eminentiam, non solùm propter perseverantiæ fastidia & tædia; sed etiam propter fomitis æstus in justificatis etiam ad agonem jugiter erumpentes, unde consequitur rebellio appetitus, debilitas rationis, infirmitas voluntatis. Quare si momento hominem deserat Deus, necesse est, ut sicut eo adjuvante stetit, ita eo iterum non adjuvante cadat. Habet quidem justus, quandiu gratiâ adornatur, jus ad gloriam; sed quod gratia sua sibi perenniter conservetur, nullum jus habet, aut meritum.

Dices: Virtuti perseverantiæ infusæ titulo connaturalitatis debetur auxilium ad perseverandum, sicut virtuti eleemosynæ auxilium ad erogandum, virtuti charitatis auxilium ad amandum; quælibet namque virtus sicut in proprium actum sponte sua proclivis est, ita concursum Dei ad illum eliciendum connaturaliter postulat. Ergo supervacaneum est speciale perseverantiæ donum à gratia sanctificante, & auxiliis eam comitantibus distinctum.

Respondeo: In statu quidem illo fortunato, in quo pars inferior superiori, superior Deo plenè subjiciebatur, non indiguisset homo speciali perseverantiæ dono, sed satis & abundè perseverantia per gratiam sanctificantem, virtutes & auxilia eis correspondentia (quæ tamen ratione subordinationis per se efficacia fuissent) haberi potuisset: in isto tamen corruptionis statu ignorantia veri, difficultate recti prægravato specialissimum perseverantiæ donum desiderat, nec ad hoc sufficit virtus perseverantiæ infusæ, nec auxilium ei respondens, quia rebellionem concupiscentiæ minimè extinguunt. *Ille* (Adamus) *non opus habebat eo adjutorio, quod implorant Sancti cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, atque in tali certamine laborantes ac periclitantes dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille verò nulla rixa à seipso adversus seipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* Itaque per habitum perseverantiæ infusæ infunditur quidem inclinatio ad perseverandum, & per auxilia ei correspondentia elicitur perseverandi propositum ad justificationem omninò necessarium, sed minimè perseverantia ipsa connaturalitatis titulo donatur; quia habitu illo non tollitur concupiscentia, nec ligatur, cui si Deus nos permittat, à bono perseverandi proposito dimovebimur. Unde Sancti perseverantiæ donum sine intermissione à Deo postulant, quia sola coronat opus, & in Christianis non sola quæruntur initia, sed finis. Hinc, ut ait Bernardus, absque perseverantia nec qui pugnat victoriam, nec victor palmam consequitur. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo.

Porrò auxilium ad perseverandum plura complectitur: in primis singularem importat divini numinis protectionem, quâ occasiones peccati, & tentationes, sin removentur planè, certè ita temperantur, ut omnia cooperentur in bonum his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Deinde vigorem affert specialem, quo & tentationibus resistitur, & ad benè operandum fortiter & juxtà suaviter cor hominis inclinatur. Præterea protectionis prædictæ continuationem & jugem auxiliorum necessariorum influxum includit. Ex quibus constat, perseverantiam esse quandoque donum Dei extrinsecum, ut cùm quis post justificationem moritur; tunc enim conjunctio gratiæ cum morte, qui est characteristicus perseverantiæ fructus, non est donum internum, sed effectus specialis providentiæ, quâ mors quam vitæ constat esse contrariam, ut Augustinus ait, instrumentum fit, per quod transitur ad vitam. Et de hac gratia intelligitur locus ille Sapient. 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum illius, aut fictio deciperet animam ejus.* Interdum verò dona interna perseverantia infert, ut cùm in articulo mortis vel tentationes vincendæ sunt, vel bona opera exercenda. Quamobrem præclarè Augustinus observavit, in negotio perseverantiæ catenam connecti egregiam, & verè auream, quâ Sancti ad superna trahuntur. Prima ejus annulus fides est, ex qua totius oritur salutis initium; fidem nutrit spes habitans in adjutorio Altissimi, & in protectione Dei cœli commorans; spem dilectio perficit, qui enim non diligit, manet in morte; & frustra æterna bona sperat, qui ea non amat terrenis adhærens; dilectionem demonstrant opera, probatio namque dilectionis exhibitio est operis; opera coronat perseverantia, quâ quis tenet quod habet, quæve sola informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, ad portum ducit navigantem; cui beata æternitas redditur, & simul hominem reddit æternitati. In cassum namque bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur; quia & frustra velociter currit, qui priusquam ad metas veniat, deficit, ut Magnus Gregorius *lib. 1. Moral.* prosequitur.

Hanc finalis perseverantiæ gratiam continuis sine intermissione orationibus flagitare debemus; donum enim Dei est, & non ex nobis. *De perseverantiæ munere*, ait Tridentinum sess. 6. cap. 13. *nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur. Ex duobus parvulis* (inquit Augustinus lib. de bono persever. cap. 9.) *originali peccato pariter obstrictis, cur iste assumatur, ille relinquatur: & ex duobus ætate jam grandibus impiis, cur iste ita vocetur, ut vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, ut vocantem sequatur, inscrutabilia sunt judicia*

Dei. : : : *Quanam est tandem ista discretio? Patent libri Dei, non avertamus aspectum; clamat Scriptura divina, adhibeamus auditum. Non erant ex eis, quia non erant secundum propositum vocati, non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, non erant in eo sortem consequnti, non erant prædestinati secundum propositum ejus qui universa operatur: nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.* Ergo qui stat, caveat ne cadat, & illum jugiter invocet, qui & cadentes erigit, & stantes confirmat, & confirmatos coronat.

Sciendum demùm, præ oculis semper habendas esse has duas veritates catholicas, quæ inter oppositas disputantium Theologorum contentiones salvæ semper consistunt & incolumes, ominirum & gratiam internam esse ad implenda officia necessariam, & simul officia illa nunquam esse obsetvatu impossibilia; quia quantumquamquanta sit scelesti hominis perversitas, quandiu tamen viatoris statum degit, & liberum arbitrium retinet, tametsi infirmum; & per gratiam sanari quit, quæ nullum deserit, nisi deserta. Unde ait S. Prosper in responsione ad 7. objectionem Vincent. *Multorum hominum talis est malitia, qualis est dæmonum: sed hoc inter malos homines distat & dæmones, quòd hominibus etiam valdè malis superest, si Deus misereatur, reconciliatio; dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio.* Ex quibus patet, nunquam hominem ad peccandum necessitari, & quia semper liberè agit, & quia voluntaria gratiæ obstacula ponit, & quia frequentiâ peccatorum sibi ipsi compedes facit & vincula, quibus sceleris consuetudo fit necessitas blandiendo premens, premendo blandiens. *Nescio quo pravo & miro modo* (ait Bernard. serm. 81. in Cant.) *ipsa sibi voluntas peccate in deterius mutata necessitatem facit, ut nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; nec voluntas, cùm sit illecta, excludere necessitatem.* Cui præluserat Augustinus lib. de profect. just. cap. 4. *per arbitrii libertatem factum est, ut esset homo cum peccate; sed jam pœnalis vitiositas subsequuta ex libertate fecit necessitatem; unde ad Deum fides clamat: De necessitatibus meis educ me, sub quibus positi vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus volumus, nec valemus implere. Unde et dicit gratulans justus: Salvasti de necessitatibus animam meam.*

REFLEXIO.

Si gratiæ adjutorium tantoperè necessarium est, malis ut boni sint, bonis ut meliores sint, melioribus ut perfecti sint, perfectis ut perseverantes sint, omnibus ut bona faciant & benè, illam solam quæramus, illam gemitibus inenarrabilibus postulemus quæ sola est quâ egemus. Sed gratiarum fonti & authori totos nos potissimùm permittamus, ut nos vivificet gratiâ, qui nos sanguine redemit: quomodo enim denegabit gratiam habentibus fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, qui voluit mori ut viveremus, servire ut regnaremus, exulare *ut repatriaremur* (phrasis est Bernardi *serm.2.de Ascens.*) & usque ad servilissima opera inclinari, ut constitueret nos super omnia opera sua? Postquam sanguis divinus factus est pretium nostrum, habemus unde gratiam emamus: postquam sanguis Christi lavacrum nostrum evasit, habemus unde dealbemus stolas in sanguine Agni. Heu! quàm amandus rubor, quàm efficax, quàm salubris, qui dealbandi non caret effectu! Certè sicut nihil est ad mortem, quod non Christi morte salvetur; ita nihil est tam pretiosum, quod non Christi cruoris valore obtineatur.

Hanc veritatem dulciorem super mel & favum inculcat Augustinus *in Psalm.* 40. & 66. & 85. & 93. & 103. & *in serm.* 5. *ad Fratres.* Tot gemmas uno obtutu visendas oculis Lectoris objicio, quibus omnes diffidentiæ offuciás vir justus excutiat. *Filius Dei pro nobis mortuus est, securus esto accepturum te vitam ipsius, qui pignus habet mortem ipsius. Quam vitam sibi servat justificato, qui suam mortem donavit & impio? Quàm certà, & quàm firmâ promissione servat justis vitam suam, qui donavit injustis mortem suam? Impium te quæsivit, ut redimeret; redemptum deseret, ut perdat? Mala vestra pertuli, bona mea non reddam? Fons vitæ mortuus est propter nos, negabit vitam suam, qui pro nobis erogavit mortem suam?*

Ad omnia, fateor, pietatis officia gratiæ adjutorium desideramus, quia plenè, & veraciter confitenda est gratia Dei; nec ejus plenitudinem videtur agnoscere, qui aliquod ei subtrahit opus honestatis, dicente Prospero epist. ad Demetriadem, cap. 7. *Gratia Dei nisi tota suscipitur, tota repellitur: sicut enim alienus est à numero fidelium, & sorte Sanctorum, qui in aliquo à catholica veritate dissentit, ita extra gratiam efficitur, qui aliquid de ejus plenitudine diffitetur.* Anne propterea torpori, & injuriæ indulgendum? Absit. Sed contrà omni potiùs studio laborandum, & sine intermissione orandum, & gratia sic petenda, & tantùm petenda, quomodo & quantùm res tanta petenda est; ità tamen, ut qui benè agunt, non in se, sed in Domino glorientur. Ideò enim, ut Augustinus tradit, quisque nostrùm bonum opus suscipere, agere, implere nunc scit, nunc nescit; nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis, sed divini muneris esse, vel quod scit, vel quod delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanetur. Illi ergo nos permittamus, qui prior dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis; qui dona sua magis avet effundere, quàm nos recipere cupiamus; quem nemo diligit, nisi prævenus; nemo amittit, nisi sponte deceptus; nemo possidet, nisi beatus.

CAPUT II.

Quid sit Christi gratia adjutorium, exponitur.

Stabilitâ divinæ gratiæ necessitate, investigare operæpretium est, quid & qualis sit eximia illa Christi gratia, cujus opitulationem tantoperè, tamque meritò commendamus. Ut autem dilucidè in resignando tanto mysterio procedamus, præmittenda primùm est multiplex gratiæ divisio apud Patres & Theologos frequentata, ut inter tot gratiarum nomina margaritam quam quærimus, discernere valeamus. Deinde varii circa gratiam Christi errores referendi sunt; illud enim meritò ad gratiam Christi putabimus pertinere, quod hæretici gratiæ Christianæ hostes ab Ecclesia proscripti fateri detrectarunt. Demùm ex his quid sit, & in quo sita sit divinæ gratiæ opitulatio deducemus, & ea quæ de divina motione schola Angelica docet, servatâ proportione, & iis quæ S. Sedes Apostolica ventilari vetat, prætermissis, gratiæ Christi explicandæ accommodabimus.

Speci

Speculatio I.

Multiplex gratiæ divisio exponitur, & nonnullæ controversiæ dirimuntur.

Recolendum ex dictis initio hujus tractatus, varias in Scripturis legi gratiæ nominis acceptiones. Interdum namque usurpatur ad significandum decorem & venustatem. Proverb. ultimo: *Fallax gratia, & vana est pulchritudo.* Interdum accipitur pro gratitudine, seu ut loquitur S.Thom. pro recompensatione beneficii gratis dati. 2. Reg. 2. *Retribuet vobis Dominus misericordiam & veritatem; sed & ego reddam gratiam.* Interdum sumitur pro acceptabilitate, quâ aliquis est alteri gratus, ejusque complacentiam demeretur. Geneseos 39. *Invenit Ioseph gratiam coram Domino suo.* Interdum accipitur pro gratuito divinæ voluntatis favore. Rom. 4. *Fides reputatur ad justitiam secundum propositum gratiæ Dei.* Et iterum: *Vt secundùm gratiam firma sit promissio.* Et rursum: *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* In hoc etiam sensu dixit Angelicus noster Doctor 3. p. quæst. 86. *Gratia Dei causat bonitatem in homine grato, eo quòd bona voluntas Dei, quæ nomine gratiæ intelligitur, est causa omnis boni creati.* Interdum significat misericordiam, seu propositum miserendi. Psalm. 93. *Misericordia tua, Domine, adjuvabit me.* Interdum ex parte subjecti accipitur pro dono quovis gratis, & sine præviis meritis collato, sive donum illud sit naturale gratuita Dei voluntate donatum, sive supernaturale à Deo ad vitam æternam consequendam per se ordinatum; sive donum illud sit externum, ut gratia prædicationis, exempli, miraculorum; sive internum, quo homo totus ad christianæ pietatis officia cietur.

Sciendum secundò, gratiam supernaturalem dividi in gratis datam, & gratum facientem. Prior per se non conducit ad sanctificationem, & salutem ejus cui datur; per eam tamen unus saluti alterius cooperatur. Ejusmodi est gratia sanitatum, donum linguarum, miraculorum, prophetiæ, &c. quæ dona idcircò ministris suis impertitur Deus, ut per ea in divina reducantur, qui signa illa intuentur. Posterior ad salutem recipientis per se refertur, nec solummodò gratis datur, quod unicuique gratiæ commune est; sed etiam personam Deo acceptam efficit, & amicam. Porrò nulla adest necessaria, immò nec ordinaria connexio inter gratiam gratis datam, & gratiam gratum facientem. Tum quia gratia gratis data interdum impiis, & reprobis conceditur; unde nonnullis in judicio dicturis, *Domine, Domine nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* respondebit Veritas, ut habetur Matth. 7. *Nunquam novi vos* (notitiâ approbationis) *discedite à me qui operamini iniquitatem.* Tum quia gratia gratis data non confertur etiam Sanctis per modum habitus, sed per modum impressionis transeuntis. *Quia Spiritus sanctus* (inquit Magnus Gregorius hom. 9. super Ezechielem) *in Sanctorum cordibus juxta quasdam virtutes semper permanet, juxta quasdam verò recessurus venit, & venturus recedit: in fide etenim, & spe, atque charitate, & in bonis aliis, sine quibus ad cælestem patriam non potest veniri, sicut est humilitas, justitia, atque misericordia, perfectorum corda non deserit: in prophetiæ verò virtute, doctrinæ facundia, miraculorum exhibitione electis suis adest, aliquando se subtrahit.* Quod si quis interdum aliqua specialiori dote, vel ut aiunt, talento præfulget, nequaquam inde gloriari debet, sed confundi & timere, ne Deus Præceptorem illum imitetur, qui virgas quibus discipulum affecit & emendavit, in ignem deinde arsuras projicit ut inanes. Ministris namque malis Deus bonus utitur ad electorum salutem, ministros eosdem Deus justus posteà puniturus. Unde rectè monebat Veritas Luc. 10. *In hoc nolite gaudere, quia Spiritus vobis subjiciuntur. Ne putarent,* ut exponit Augustinus, *in talibus factis majora bona esse, quàm in operibus justitiæ, quibus æterna vita comparatur.*

Sciendum tertiò, gratiam gratis datam dividi in novem species, quas recenset Apostolus 1. Cor. 12. *Aliis,* inquit, *per spiritum datur sermo sapientiæ, aliis autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum; alteri fides in eodem spiritu, aliis gratia sanitatum in uno spiritu, aliis operatio virtutum, aliis prophetia, aliis discretio spirituum, aliis genera linguarum, aliis interpretatio sermonum.* Cujus divisionis rationes profundè desumit S. Doctor ex ipsa gratiæ gratis datæ notione. Gratia namque gratis data ad juvandos alios, ut salventur, per se ordinatur: tot ergo gratias gratis datas convenienter admittimus, quot desiderari possunt ad rectè saluti alienæ cooperandum. Ut autem minister Christi conversioni, & saluti animarum inserviat, pollere debet primò plenitudine cognitionis divinorum, ut alios illuminet, erudiat, excutiatque errorum tenebras convertendis animabus offusas: quam cognitionis abundantiam obtinet gratiâ fidei, quâ divinis firmiùs credit, eaque veluti intelligit, seu intus legit nitentiori fidei radio illustratus; gratiâ sapientiæ, quâ divina in altissimis causis doctus à Domino intelligit; gratiâ scientiæ, quâ divinos effectus percipit in causis immediatis, ut cœlestia exponere, illustrare, & adversus contradicentes defendere valeat. Deinde exigitur ut minister Christi doctrinam, quâ imbuitur, quâve alios imbuere vult, sequentibus signis veluti sigillis magni Regis confirmet, quod utique præstat vel sanando infirmos gratiâ sanitatum, vel potentiam Christi, cui conciliare fidem & amorem hominum satagit, demonstrando operatione virtutum; vel futura prædicendo dono prophetiæ, vel arcana cordis detegendo discretione spirituum. Tunc enim Dei digitus operari jure creditur, cùm ea nomine Dei facit, vel cognoscit homo, quæ sola Dei potentiâ effici, solâ Dei sapientiâ cognosci possunt. Denique ut minister Christi fidem, quâ perfunditur, quámve miraculis firmat, convenienter proponat, & ad varias nationes dilatet, necesse est, vel ut varias linguas, seu idiomata intelligat, vel saltem ut in proprio idiomate loquens ab aliis audiatur; quod habuerunt Apostoli, aliique Apostolici viri gratiâ linguarum: necesse est etiam, ut minister varia, & difficilia Scripturarum testimonia interpretetur, quæ populis prædicet, utque convenienter verbum Dei proponat; & quantum ad hoc ponitur interpretatio sermonum. Scio aliquos recentiores contendere divisionem illam Apostolicam non esse adæquatam, quia alia sunt dona Dei, quibus homo saluti proximi inservit, putà character, jurisdictio, prælatio, &c. Sed in his vitilitigationibus non vacat immorari, maximè quia objectiuncularum hujusmodi levitatem citò occupabis, si consideres Apostolum distinxisse gratias gratis datas à ministrationibus & operationibus, ad quas reduci possunt, quas illi recentiores ad gratias pertinere malè opinantur. Deinde ad gratiam gratis datam satis non est, ut donum collatum utilitati alterius cedat, sed præterea opus est, ut à Deo immediatè, & non per homines conferatur, nec sit in libera hominis facultate gratiam illam sibi asciscere. Characterem autem, & jurisdictionem Deus per Episcopos ministris largitur; ministris, inquam, volentibus, nec opus est speciali Dei irruentis impressione.

Sciendum quartò, gratiam dividi in habitualem, & actualem. Gratia habitualis est donum Dei permanens, quo homo intrinsecè justificatur, fitque Deo acceptus & amicus, de qua latè dissertatione sequenti disputabimus. Gratia actualis est auxilium Dei, quo ad fidem, & pietatem permovemur, de quo sic ait Posper lib. 2 de vocat. Gent. cap. 26. *Gratia Dei in omnibus justificationibus principaliter eminet, suadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corque ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo.*

Sciendum quintò, gratiam actualem subdividi in operantem & cooperantem. Per primam, ut ait August. *lib. de liber. arbitr. cap.* 17. Deus ut velimus operatur incipiens; per secundam volentibus cooperatur perficiens. *Vt ergo velimus*, inquit, *sine nobis operatur; cùm autem volumus, & sic volumus ut faciamus, nobiscum cooperatur: ita sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cùm volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus.* De priori dicitur Philip. 1. *Deus est qui operatur in nobis velle & perficere.* De posteriori loquitur Apost. 1. Corinth. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum.* De utraque verò sic habet Magnus Gregorius lib. 26. Moral. cap. 11. *Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio bonum quod jam appetimus, agat nobiscum.* Porrò gratia dicitur operans, quatenus applicat intellectum ad pias cogitationes, & voluntatem ad sanctas affectiones: dicitur verò cooperans, quatenus cum intellectu & voluntate applicatis producit vel piam cogitationem, vel sanctam affectionem. Tunc enim gratia dicitur operans, quando facultas est per eam ita mota, ut non sit movens; tunc verò dicitur gratia cooperans, quando per eam voluntas & movetur, & sese movet. Atqui ad applicationem præfatam voluntas non se movet, sed movetur; ad piam verò cogitationem, affectionem, & operationem, & à Deo movetur, & ipsa se movet. Ergo gratia dicitur operans, quatenus applicat facultates: dicitur verò cooperans, quatenus cum facultatibus applicatis bonum opus coëfficit.

Gratia autem operans, & cooperans variis solent nominibus insigniri. In primis enim gratia operans dicitur subsequens: dicitur quidem præveniens, quia gratia operans omnem pium cogitatum & affectum antevertit, juxta illud Psalm. 48. *Misericordia ejus præveniet me:* & illud Bernardi lib. de grat. & lib. arb. *Sanè ipsi nos prævenire nequaquam possumus; qui enim bonum neminem invenit, neminem salvat quem non prævenit.* Gratia autem cooperans dicitur subsequens, quia applicationem ad opus sequitur productio illius; nolentem enim prævenit Deus, ut velit; & volentem subsequitur, ne frustra velit; prævenit inspirando bonam voluntatem, subsequitur operando boni operis facultatem; prævenit impium, ut fiat justus; subsequitur justum, ne fiat impius; prævenit elisum ut surgat, subsequitur elevatum ne cadat; prævenit ut vocet, subsequitur ut vocatus respondeat; prævenit ut justus sanctiùs vivat, subsequitur ut semper cum Deo vivat.

Iterum gratia operans dicitur excitans, cooperans verò adjuvans nominatur: excitans illa dicitur, quia peccatorem præveniens, ipsum movet ut abjiciat opera tenebrarum, induatque arma lucis; adjuvans verò hæc appellatur, quia ad pium opus efficiendum animum semel excitatum opitulatur; per excitantem vocat Deus, clamat, rumpit surditatem, coruscat, splendet, fugat cæcitatem, flagrat, ungit, & infundit suavitatem; per adjuvantem excitatus homo incipit anhelare Deo suo, gustare, & esurire, & sitire, atque illa diligere à quibus antea abhorrebat: sine excitante conatus nostri nulli sunt, sine adjuvante cassi sunt; sine excitante non ducimur, sine adjuvante non sequimur: illa reducit, ista manuducit in via, & ad terminum beatitatis perducit.

Circa has divisiones duo observanda sunt. Primum est, divisiones illas posse quadantenus gratiæ habituali accommodari; gratia namque dicitur operans, quando mens nostra est mota, & non movens; dicitur verò cooperans, quando mens nostra & movet, & movetur. Atqui gratia habitualis & animam sanctificat in genere causæ formalis, quem effectum sola gratia efficit; & simul gratia illa est principium operis meritorii, quod à gratia simul & libero arbitrio proficiscitur. Ergo gratia habitualis operans & cooperans vera quadam ratione dici potest. Dici etiam potest præveniens & subsequens ratione diversorum effectuum, quorum unus alium consequitur. V. g. quatenus dat esse supernaturale, dicitur prævenire seipsam ut moventem ad bonam voluntatem, operationem, & perseverantiam.

Secundum quod observetur dignum, est gratiam etiam interiorem vocari à D. Thom. *initio quæst.* 109. principium exterius humanarum operationum, non quod intus non luceat, intus non moveat, intus non coruscet, sed quia à principio exteriori Deo descendit, nec nobis ex viribus libertatis innascitur. Ut ergo S. Doctor sacrilegam Stoïcorum, & Pelagianorum vocem confunderet, qui omne hominis bonum, omnesque spiritales divitias, quibus ad benè vivendum instruimur, ex proprio voluntatis fundo suboriri impiè comminiscebantur, in fronte hujus tractationis gratiam, quâ & verum purè cognoscimus, & bonum castè diligimus, exterius humanarum actionum principium Præceptor accuratissimus appellavit, ut ostenderet omne donum de sursum esse, descendens à Patre luminum; simulque primo verbo veluti fulmine errores eorum contereret, qui naturæ, vel Philosophiæ, vel propriæ industriæ, vel voluntatis viribus operis boni laudem afferunt, quive propterea divinum nunquam invocant auxilium, Ægyptios aratores imitantes, qui nunquam cœlum respiciunt, quia non de rore cœli, vel aëris imbribus, sed à Nili inundatione fœcundæ terræ pinguedinem præstolantur.

Sciendum sextò, gratiam rursum dividi in gratiam Dei, & gratiam Christi. Gratia Dei dicitur non præcisè quia à solo Deo est; sic enim omnis gratia à Deo orta, gratia Dei dici potest, & debet; sed ita nominatur, quia à Deo, & non per Christum, & intuitu meritorum ejus confertur. Talis fuit gratia sanctis Angelis, & Protoparentibus in statu innocentiæ collata. Gratia Christi est gratia interna per Christum, seu intuitu meritorum vitæ, operum, passionis, & mortis Redemptoris collata. Hanc gratiam mirè commendant Scripturæ & Traditio; quia, inquiunt, eâ Christiani sumus, eâ liberum arbitrium peccato captivatum fit liberum, quia à carnalis concupiscentiæ dominatu liberatur. Gratia Dei alio nomine vocatur gratia sanitatis, quia homini in statu innocentiæ & sanitatis collata fuit; gratia verò Christi vocatur gratia medicinalis, quia per eam ab infirmitate peccati liberamur. De hoc adjutorio medicinali sic habet Augustinus de corrept. & grat. cap. 12. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur; & ideò quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Et in Enchirid. cap. 116. *Quamvis sine gratia nec tunc* (id est in statu innocentiæ) *ullum meritum esse potuisset; quia etsi peccatum in solo libero arbitrio erat constitutum, non tamen justitia retinenda*

nanda sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium revereretur. : : : Sed post illam ruinam major est misericordia Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum est à servituto, cui dominatur cum morte peccatum; nec omninò per seipsum, sed per solam Dei gratiam, quæ in fide Christi posita est, liberatur; ut voluntas ista, sicut scriptum est, à Domino præparetur, quâ cætera Dei munera capiantur, per quæ veniatur ad regnum æternum. Itaque gratia Christi medicinalis perfecta ea est, quâ efficitur ut homo rectè velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligatur, ut carnis appetitum contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat; quâ non tantùm benè agendi possibilitas, sed etiam benè, & efficaciter operandi voluntas donatur, quâ fortiter, & suaviter, invictissimè simul, & libertimè voluntas ita vult bonum, ut illud deserere nolit. Sed de hoc amplius statim.

Sciendum septimò, gratiam Christi dividi in sufficientem & efficacem: sufficiens est illa, quæ dat posse operari; efficax verò est quæ cum operatione, quam infert, semper conjungitur. Hanc divisionem limpidissimè expressit Cyrillus *in lib. de adorat.* his verbis: *Tantam benignitatem nobis exhibet universorum Salvator Deus, ut efficaci subsidio adjuvet, secundùm quod scriptum est: Apprehendisti manum dexteram meam, & in consilio tuo deduxisti me. Nam quoniam hominis natura non valde generosa est, neque satis idonea, ut malum effugere queat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, & duplex concedere beneficium videtur, persuadens admonitionibus ut subsidium inveniamus, & fortius illud præstans, quàm ut malum præsens & violentum prævalere possit.* Primam vocat August. *lib. de gratia Christi*, adjutorium possibilitatis, & *lib. de corrept. & grat.* adjutorium sine quo non possumus; secundam verò appellat gratiam actionis, & adjutorium quo aliquid fit. Adjutorium *sine quo* comparat alimentis, sine quibus nequit homo vivere, cum quibus tamen non continuò vivit, qui mori volens eis uti noluerit: adjutorium verò *quo* comparat beatitudini, quâ ut data fuerit, homo continuò fit beatus.

Porrò per gratiam sufficientem non solùm intelligimus gratiam exteriorem, qua Deus omnes nationes ad cognoscendum se, atque metuendum, creaturarum significationibus admonet: *Ut*, inquit S. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 4. *in paginis elementorum, ac voluminibus temporum communis & publica divinæ institutionis doctrina legeretur.* Quæ gratia exterior quadantenus sufficiens dici potest, quia ut ait idem Prosper cap. 15. ejusdem libri: *Adhibita est semper universis hominibus quædam supernæ mensura doctrinæ, quæ etsi parcioris, occultiorisque gratiæ fuit, sufficit tamen, sicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad testimonium.* Non intelligimus etiam solam gratiam habitualem, quæ vero sensu sufficiens dici potest; per eam enim, & virtutes infusas ipsi annexas homo redditur potens supernaturaliter operari, & in hoc sensu veridicè pronunciavit Doctor Sanctus 1. 2. quæst. 106. art. 2. ad 2. *Lex nova quantum est de se, sufficiens auxilium dat ad non peccandum.* Ubi per auxilium sufficiens intelligit gratiam habitualem, ut patet tum ex titulo articuli, ubi quærit, *utrum lex nova justificet.* Tum ex scopo, in quem collimat S. Doctor; intendit enim probare legem novam justificare, quia ad eam principaliter pertinet gratia habitualis, seu justificans. Tum ex intento objectionis arguentis non pertinere ad legem novam justificare, sed potiùs iram operari; quandoquidem majori pœna dignus est qui post datam legem novam peccat. Cui argumento S. Thomas respondet, gratiam novi Testamenti, habitualem nimirum, de qua in toto corpore articuli, iram non operari, quia etsi majori pœna dignus sit qui post acceptam gratiam novi Testamenti peccaverit, utpote majoribus beneficiis ingratus; attamen lex nova dans gratiam dat etiam auxilium sufficiens ad non peccandum. Qua etiam ratione *quæst.* 109. *art.* 9. gratiam habitualem appellat auxilium ad benè vivendum, & ad non peccandum. *Dicendum*, inquit, *quod homo ad rectè vivendum dupliciter auxilio Dei indiget; uno quidem modo quantum ad aliquod habituale donum, per quod natura humana corrupta sanetur, & etiam sanata elevetur ad operanda opera meritoria vitæ æternæ, &c.* Ubi vides, gratiam habitualem disertè auxilium ad benè operandum à S. Doctore appellari.

Non solùm, inquam, illa per gratiam sufficientem intelligimus, sed etiam gratiam actualem interiorem, qua Deus & intellectum illustrat, & voluntatem ciet ad conversionem, quam tamen non infert, nisi adsit gratia efficax. Hanc Augustinus gratiam parvam appellat, quia parva & imperfecta desideria, ac imbecillem voluntatem parit. Et quanvis respectu hujusmodi imperfectorum semivolentis hominis desideriorum efficax meritò dici possit, tamen respectu principalis effectus, conversionis nimirum perfectæ, sufficiens solummodò est, quia etsi ad conversionem illam eliciendam vires det, subindeque per illam se convertere homo possit; non tamen conversionem ipsam efficit, unde nec homo se convertere potens se convertere non vult. De hoc auxilio satis clarè loquitur S. Thomas 1. 2. *quæst.* 112. *art.* 2. *ad* 2. his verbis: *Contingit quandoque, quod Deus movet hominem ad aliquod bonum, non tamen perfectum, & talis præparatio præcedit gratiam; sed quandoque statim perfectè movet ipsum ad bonum, & subitò gratiam homo suscipit.* Vides S. Doctorem agnoscere auxilium, quo homo movetur ad actus imperfectos, & præparatur ad perfectos.

Per gratiam verò efficacem intelligimus eam, quæ voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntati, quæ à nullo duro corde respuitur, quia ideò tribuitur, ut duritia cordis per eam primitus auferatur, quâ operatur in nobis Deus velle & perficere pro bona voluntate, quâ hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam; quâ certissimè liberantur quicumque liberantur, quâ aufert Deus cor lapideum, & dans carneum facit ut in præceptis ejus ambulemus, & judicia ejus custodiamus; quâ prævenit Deus hominis voluntatem bonam, nec eam cujusquam invenit in corde, sed facit; quæ non est communis bonis & malis, sed bonos discernit à malis, ut in nullo quis glorietur, sed totum detur Deo; qua profunditatem illius quæstionis, quam secundùm admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, solvimus, non per liberi arbitrii velle & nolle.

Dices, immeritò primum hujus divisionis membrum gratiam sufficientem appellari, cùm reapse non sufficiat, sed efficax insuper desideretur; quod enim est verè sufficiens, omnia necessaria complectitur: ergo qui gratiam sufficientem prædictam sine efficaci habet, obtinet gratiam quæ sufficit, & non sufficit; quæ verbo sufficit, re non sufficit, quia per nos habet gratiam, quæ satis sit, nec tamen habet gratiæ quod satis sit. *Illud queror*, inquit Montaltius *epist.* 2. alloquens Dominicanos recentes, *vos istud non apertè, & apud populum prædicare, sufficientis gratiæ nomine eam à vobis intelligi, quæ non sufficit. Vocabulorum, quibus fides exprimitur, vulgarem sensum in alienum commutatis. Gravis culpa, nisi præmoneatis, cùm omnibus gratiam sufficientem adesse dicitis, hoc vos intelligi velle, non adesse illis gratiam, quæ reipsa sufficiat. Hoc verbulum cæteri omnes eodem sensu accipiunt,*

accipiunt. Exoriuntur novi Themistæ, qui pervulgatas notiones revellant. Mulieres omnes, hoc est totius orbis dimidia pars; aulici, ac militares viri; Magistratus, ac tota turba forensis; mercatores, opifices, plebeii, ad extremum præter Dominicanos universi homines id domum sufficiens appellant, in quo sunt omnia necessaria ad agendum.

Respondeo, quod quia in omni natura, præsertim intellectuali distinguimus esse, posse, & operari, convenienter in ordine supernaturali admittimus gratiam, quæ det esse; & hæc est gratia sanctificans, quâ consortio divinæ naturæ dignamur; & aliam quæ det posse, & hæc est gratia sufficiens, seu gratia possibilitatis, seu auxilium sine quo; & aliam quæ det operari, & hæc est gratia efficax, seu auxilium quo. Convenienter autem gratiam quæ dat posse, tametsi non inferat actum, sufficiens nominatur; sufficientia enim ex parte potentiæ se tenet, quæ tunc dicitur sufficienter instructa quando habet expeditam facultatem ut possit, nec illi aliud deest ut agat, nisi velle: homini autem habenti auxilium sufficiens sola deest bona voluntas, ut benè agat, quanvis gratia efficax eam conferat: ergo sine gratia efficaci voluntas vites habet sufficientes, verè potest, sed non vult: fieret autem perfecta justitia, ut ait August. si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Certè licèt D. Augustinus *libro de gratia Christi*, & *libro de correptione & gratia*, præter auxilium possibilitatis, & auxilium sine quo admittat insuper auxilium actionis, & auxilium quo; tamen auxilium sine quo, quod sufficiens esse ibidem docet, minimè rejicit, quanvis præter illud aliud requirat. Unde non debet dici auxilium sufficiens, cùm det vites quibus sola deest bona voluntas. Nec propterea pervulgatas omnium hominum notiones revellimus; ubique namque rerratum illud sufficiens homini dicitur, præter quod nihil exigitur, nisi ut velit; ille v.g. cibus sufficiens dicitur, præter quem alius non exigitur, sed sola expectatur hominis comedentis & dentes applicantis voluntas; illa pecunia dicitur sufficiens, quâ homo ære alieno gravatus debita solvere potest, nec aliud requiritur, nisi ut numeret. Ergo quia homini gratia sufficienti prævento sola deest bona voluntas, verè gratia illa dicitur sufficiens, inter quam & actionem sola efficax voluntas interest, nec ulla ulterior exigitur gratia ut possit, sed ut velit. *Hoc autem*, inquit August. lib. 2. retract. cap. 7. & lib. de spirit. & lit. c. 31. & lib. 5. de civit. cap. 10. *quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit.* Quod si iterum contendas, nos malè loqui, vel abuti terminis, respondebo cum Augustino lib. 1. contra Cresconium, cap. 13. *Cùm res ipsa intelligitur, minùs laborandum est, quid eam hominibus vocare placuerit.*

Quæres primò, utrum Deus omnibus auxilia sufficientia conferat?

Respondeo primò, Deum illa omnibus offerre, ut sit verum illud Eccles. 15. *Ne dicas, per Deum abest.* Et ratio est, quia cùm Deus sincerè velit omnium salutem, & pro omnibus mortuus sit, & omnes ad se vocet, & Sacramenta pro omnibus instituerit, omnibus etiam media ad salutem sufficientia offert. Unde August. lib. 3. de lib. arb. cap. 19. *Nulli homini*, inquit, *ablatum est scire utiliter quærere quod inutiliter ignorat, & humiliter confiteri imbecillitatem suam; & quærenti, & confitenti subvenit ille, qui nec errat dum sublevat, nec laborat.* Et posteà: *Cùm verò ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem adversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam quòd penitus ignoras, sed quòd negligis quærere quod ignoras: neque illud quòd vulnerata membra non colligis, sed quòd volentem sanare contemnis.* Et quanvis, ut verum fatear, Augustinus librum illum ante Episcopatum, quo tempore nondum erat plenè mysteria gratiæ doctus, scripserit, attamen locum illum repetit Augustinus Episcopus *lib. de nat. & grat. cap. 67.* addens se eò loci gratiam Dei non evacuasse, sine qua natura humana jam contenebrata, atque vitiata illuminari non potest, atque sanari. Unde nec locum illum libro ullo rettactationum revocat, quanvis se ad alios libros, quos contra Pelagianorum novitates ex professo edidit, remittat. Utor sit, certum est in via S. Augustini, & D. Thomæ, Deum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, nec est qui se abscondat à calore ejus; Deum, inquam, lumen suum omnibus offerre, qui non illud tenebrarum amore repellunt. Divina namque lux creaturis intellectualibus continenter circumfusa nullum a se unquam defectum patitur, nisi priùs deserat semper omnibus se impertit, semper radios suos immittit, nisi voluntaria cæcitate clausos invenerit oculos cordis; unde nullus est, quem Deus intellectui, & voluntati intin è præsens interdum non moveat, ad eum illuminandum, & movendum semper paratus, si se ipse à creaturarum amore abstraheret. Quamobrem quod circumfusæ luci oculos non aperiat, quod divinum auxilium impetrandum, si imploraretur, non imploret, ex vitio hominis est.

Respondeo secundò, auxilium illud omnibus oblatum non omnibus actu conferri, adultis quidem in pœnam peccati actualis, parvulis in pœnam peccati originalis. Ita docet Aug. epist. 107. ad Vitalem: *Scimus*, inquit, *gratiam Dei non omnibus hominibus dari. Scimus eis, quibus datur misericordia Dei, gratuitam dari. Scimus eos, quibus non datur, justo Dei judicio non dari.* Hanc suam sententiam demonstrat Augustinus exemplo parvulorum, qui sine Baptismo decedunt, qui tamen unicum est medium parvulis sufficiens ad salutem. Quam rationem urget *lib. de dono persever. cap. 12.* quia plerumque festinantibus parentibus, & ministris ad conferendum parvulo Baptismum paratis & anxiis, prius moritur. Sanè quodnam auxilium sufficiens habebant parvuli in utero materno obeuntes, nemo prudens dicere potest. Ex quo infert August. *lib. 4. contra Julian. cap. 3.* Quod cùm Deus non sit benevolentior sceleratissimis & impiissimis hominibus, quàm puerulis innocentibus, si Deus istis in pœnam peccati originalis denegat auxilia sufficientia, à fortiori illis in pœnam voluntariæ obdurationis auxilia sufficientia interdum subtrahit. Hoc argumentum ita convincens credidit S. Pater, ut Pelagianos alloquens dicat: *Vobis ora obstruunt, & linguas premunt, qui loqui nondum valent.*

Idem appatet in infidelibus, quibus non proponuntur mysteria credenda, unde non habent auxilium sufficiens ad fidem; quomodo enim credere in eum possunt, de quo nihil audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Accedit dari secundùm D. Thomam multos infideles negativè, id est tales, in quibus infidelitas non sit peccatum, ut patet 2. 2. *quæst. 10. art. 1.* Si autem infideles haberent auxilium sufficiens ad credendum, profectò eorum infidelitas non esset negativa & innoxia, sed privativa & culpabilis. Idem appatet in amentibus, qui post peccatum mortale ante pœnitentiam in amentiam lapsi sunt, quibus procul dubio nullum adest auxilium internum ad saltem sufficiens, quod tale esse nequit quando homo usu rationis caret. Idem patet in obduratis

duratis & excæcatis, quos ut ait Propheta, tradidit *Deus voluntati eorum*; quos ut addit Apostolus, *tradidit Deus in reprobum sensum*; quos ut ait Eccles. cap. 7. *Deus despexit*, & in quorum interitu Deus ridet. Id claret exemplo scelesti Antiochi preces ad Deum fundentis, à quo non erat misericordiam impetraturus. Et rationem dat Augustinus *serm. de verbis Domini*, quia justum est, ut cùm vult, non possit peccator, qui quando potuit, noluit, ideoque per malum velle meritò perdit bonum posse. Unde D. Thomas *lib. 3. contra Gentes*, postquam *cap. 159.* docuit quod *Deus quantum est de se, paratus est omnibus dare gratiam, vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: capite tamen 162. addit obduratos non solùm infusione gratiæ, sed etiam exteriori custodiâ carere. Unde August. *in Psalm. 147.* ait: *Ecce deserit peccatorem, ecce non vocat, ecce non aperit sensum, ecce non infundit gratiam.*

Denique cùm gratia sufficiens sit motio quædam ad pias cogitationes & sanctas affectiones animum ciens, & aliunde manifestâ experientiâ compertum sit, impios nec sacris inspirationibus semper illustrari, nec piis semper motibus agi, nec conscientiæ stimulis angi, cùm potiùs lætentur cùm malè fecerint, & exultent in rebus pessimis; consequens est, obduratos non semper excitare auxilia sufficientia, sicut nec pias cogitationes, quæ cùm sint in nobis, & à nobis, non possent non sentiri à nobis si adessent. Admittere enim cogitationes, de quibus non cogitemus, seu quæ non sint menti conspicuæ, commentum est per se absurdum, & in dissertatione de probabilitate satis à nobis explosum. Ergo non omnibus auxilia sufficientia actu conferuntur, juxta illud frequenter ab Augustino usurpatum: *Communis est omnibus natura, non gratia*; & illud Fulgentii lib. 3. de verit. prædest. cap. 20. *Non omnibus autem istam gratiam dari, & quibus datur, non omnibus aqualiter dari, quisquis piè quarit, eloquiorum attestatione cognoscit.* Et illud etiam Prosperi carmine de ingratis, *capite 11.*

—— Dic unde probes quod gratia Christi
Nullum omninò hominem de cunctis, qui generantur
Prætereat cui non regnum, vitamque beatam
Impertire velit? (voluntate infestente auxilia sufficientia.)
Sed tamen hac aliquâ si vis ratione tueri,
Et credi tam stulta cupis.

Dices: Concilium Senonense in decreto fidei docet, gratiam semper esse in promptu, & ne momentum quidem præterire, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset. Concilium item Coloniense *in Enchirid. de Sacramento Pœnitent. cap. 16.* ait: *Deus adeò vult omnes homines salvos fieri, ut nemini quantumlibet scelerato gratiam suam subtrahat.* Denique D. Thomas *3. part. quæst. 86. art. 1.* docet erroneum esse dicere, dari aliquod peccatum, de quo homo pœnitere non possit: non potest autem homo pœnitere sine gratia sufficiente.

Respondeo hæc omnia priorem duntaxat nostram responsionem confirmare, offerre nimirum Deum optimum maximum omnibus quàmlibet obduratis auxilia sufficientia, paratum visitare eos per viscera misericordiæ suæ: stat ergo semper Deus ad ostium, quia lux Dei menti nostræ semper circumfusa est; & pulsat sæpè, imò semper pulsare paratus est, nisi pecator esset rebellis lumini, nisi diceret, *Scientiam viarum tuarum nolo*; nisi clauderet ostium cordis, & confortaret seras portarum suarum. Nulli etiam scelerato gratiam subtrahit sponte sua, sed iteratis occallentis animi peccatis coactus. Deinde hæc testimonia intelliguntur moraliter, non mathematicè, id est non singulis instantibus physicis Deus sceleratis pias cogitationes immittit, ut experientiâ liquet, sed frequenter. Possunt etiam hæc verba intelligi non solùm de inspirationibus, & excitationibus internis, sed etiam de externis vocationibus, quibus vel per seipsum, vel per creaturas gloriam Dei jugiter enarrantes peccatores excitat Deus. Denique P. Thomas de Lemos in Congregatione de Auxiliis demonstravit, Concilium Provinciale Senonense à septem Episcopis celebratum, nunquam fuisse ab Apostolica Sede approbatum, sine cujus approbatione Concilia Provincialia non esse regulam fidei, omnes Theologi confitentur.

Ad D. Thomam dico, hominem posse quandiu est in statu viæ, salvari, converti, & de quovis peccato pœnitere; quia & semper retinet arbitrium vertibile & flexibile in bonum, & Deus gratiam, quam offert conferre potest. Interdum tamen per sua peccata homo potentiam sibi ipsi adimit pœnitendi, quia dum consuetudini non resistit, duram sibi imponit peccandi necessitatem blandiendo prementem, & premendo blandientem. Unde contingit ipsum divinis monitis non afflari, quia cùm in profundum venerit, contemnit; & insanabilis fit morbus postquam redditus est insensibilis. *Invenit ergo se ligatum*, ait August. in Psalm. 106. *difficultatibus cupiditatum, & non potest viam propter compedes ambulare: inclusum se sentit difficultate vitiorum, & tanquam muro impossibilitatis erecto, portisque clausis, quà evadat, ut rectè vivat, non invenit.* Certè si peccatum quodvis mortale privet nos jure ad vitam æternam, quidni peccata mortalia toties iterata obduratum jure habendi auxilia sufficientia privabunt? Nec propterea à peccato excusabitur, quia hanc peccandi necessitatem, & desertionem sibi ipsi peccandi consuetudine accersere voluit. Hanc ipsam doctrinam tradit Doctor Angelicus *lib. 3. cont. Gent. cap. 160.* his verbis: *Quamvis illi, qui in peccato sunt, vitare non possint per propriam potestatem, quin impedimentum gratiæ præstent, vel ponant, nisi auxilio gratia præveniantur; nihilominus tamen hoc eis imputatur ad culpam, quia hic defectus ex culpa precedente in eis relinquitur: sicut ebrius ab homicidio non excusatur quod per ebrietatem committit, quam suâ culpâ incurrit.*

Quæres secundò, utrum justis denegentur interdum auxilia sufficientia?

Respondeo, si per auxilium sufficiens intelligamus pias cogitationes & sacras affectiones, experientiâ ipsâ satis constare justos ordinatios non semper his motibus agi, subindeque nec ista auxilia sufficientia semper habere. Paucissimæ enim sunt illæ animæ, quæ ad altum illum sanctitatis gradum pervenerint, in quo perenni cum Deo conjunctione fruantur, ad superna desideriis semper tendant, & in cœlis assidua cogitatione conversentur. Patet ergo justos ordinatios pios motus in se semper non experiri, subindeque nec his auxiliis semper excitari.

Quod si per auxilium sufficiens intelligantur vires sufficientes ad benè agendum, quibus sæpe sæpiùs correspondent piæ illustrationes, & sacri motus; dicendum est, justis nunquam deesse auxilium sufficiens quandiu in justitia perseverant. Quia nimirum beneficio gratiæ sanctificantis quâ ornantur, & beatissimâ virtutum infusarum copiâ, quâ instruuntur, quibus gratiæ actuales juxta usitatum providentiæ Dei cursum respondent, veram habent justi, & expeditam benè agendi vitandique peccari facultatem,

ratione cuius præcepta Dei sunt eis proximè possibilia, nec à Deo deseruntur, nisi Deum priùs ipsi deseruerint.

Scio in contrarium objici quædam Patrum testimonia, putà Chrysostomi *hom.72. in Ioan.* & *hom.31. in epist.ad Hebr.* dicentis: *Casus Petri non frigiditate, sed superni auxilii derelictu contigit, ut sciret quod absque Deo nihil potest fieri.* Idem tradit Augustinus serm. 124. de tempore: *Quid est homo sine gratia Dei, nisi quod fuit Petrus cùm negavit Christum? Et ideo B. Petrum Paulatim Dominus subdeseruit, ut in illo totum hominum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratia prævalere.*

Verùm hæc, & alia testimonia absque negotio de gratia efficaci explicari possunt, quæ Petro tunc defuit, & interdum justis deest, nimirum dum in peccata lethalia prolabuntur. Neque enim semper justis adest prædominans ille boni amor, seu magna illa & plena Dei diligendi voluntas à gratia efficaci proficiscens, ut docet Augustinus lib.2. de peccat.merit.& remiss.cap.19. *Nos autem*, inquit, *quantùm concessum est, sapiamus, & intelligamus, si possumus, Dominum Deum bonum ideo etiam Sanctis suis alicujus operis justitiam aliquando non tribuere, vel certam scientiam, vel victricem delectationem, ut cognoscant nec à seipsis, sed ab illo sibi esse lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum; & suavitatem, quâ det fructum suum terra eorum. Idcircò enim Sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardiùs sanat, ut in his eos minùs, quàm implenda ex omni parte justitia sufficit, delectet bonum, sive cùm latet, sive cùm etiam manifestum est, ut quantùm pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens.* Hinc tantoperè hortatur Sanctos omnes idem Pater, ut in timore & tremore salutem operantes, jugiter Deum rogent, ut det quod jubet, atque inspiratâ gratiæ suavitate per Spiritum Sanctum faciat plus delectare quod præcipit, quàm delectat quod impedit; hoc est quodcumque bonum temporale, cujus delectatione peccamus. Nec hoc fateri detrectabit, qui consideraverit donum perseverantiæ justis ipsis necessarium, juxta Tridentini sacra decreta non posse sub meritum cadere, & quibusdam concedi, aliis denegari. Similiter ergo Deus pro ratione inscrutabilium judiciorum suorum gratiam efficacem quibusdam pro bona voluntate confert, aliis pro sua justitia denegat. *Mirandum est quidem*, inquit August. lib. de correpț.& grat.cap.8. *multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam; cùm filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertitâ gratiâ suâ faciat filios suos. Quis hoc non vehementissimè stupeat? Hic si à me quæratur* (dixerat paulò superiùs) *cur eis Deus perseverantiam non dederit quibus eam, quâ christianè viverent, dilectionem dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed agnoscens modulum meum audio dicentem Apostolum: O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Et: O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inscrutabilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!*

Quanvis autem in judiciorum divinorum abysso multa humilis quiescere debeat Christianus, non desunt tamen rationes hujus gratiæ efficacis denegationis. Prima est peccatum actuale mortale, quo sicut privamur jure ad gloriam, ita à fortiori jure ad gratiam spoliamur. Secunda causa in justis est negligentia, tepor, & benè vivendi incuria, juxta illud Apocalypseos 16. *Vtinam calidus esses, aut frigidus, sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Tertia est superbia & nimia præsumptio; nam ut ait Bernard. serm.54. in Cant. *argumentum superbiæ privatio est gratiæ.* Solet enim Deus humiles exaltare, superbos confundere; istis resistere, illis gratiam largiri. Quarta est ingratitudo; illos enim sinit Deus cadere, qui Deo non tribuunt quod stant, nec de acceptis beneficiis Deo gratias agere sunt soliciti. Hinc præclarè Bernardus *serm. contra vitium ingratitudinis*, sic ait: *Benè siquidem orasse, obsecrasse, postulasse leguntur, qui levaverunt vocem dicentes: Iesu fili David miserere nobis. Sed defuit eis quarta, quam adjecit Apostolus, gratiarum actio, quando nec redierunt, nec egerunt gratias Deo. Multos quoque videmus usque hodie satis importunè petentes, quod sibi deesse cognoverint; sed paucos admodum novimus, qui dignas super acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec reprehensibile quod instanter petimus, sed planè petitioni negat affectum, quòd invenimur ingrati. Et fortè hoc etiam clementiæ esse videtur, ingratis negare quod postulant, ne contingat nobis, ut tantò graviùs de ingratitudine judicemur, quantò magis accumulatis beneficiis ingrati probabimur extitisse. Ergo misericordiæ res est, in hac parte subtrahere misericordiam; quemadmodum iræ & indignationis, misericordiam exhibere, eam sanè de qua per Prophetam ipse Pater misericordiarum loquitur, dicens: Misereamur impio, & non discet facere justitiam.*

Alias etiam hujus mysterii rationes adducit Augustinus, tum ut divinæ gratiæ independentia, & pura misericordia eluceat; si enim gratia omnibus deberetur, jam non ex gratia, sed ex justitia liberaremur. Ad contundendas etiam Pelagianorum querelas confugit sæpè Augustinus ad peccatum originale, quod est causa sufficiens denegationis gratiæ. Unde *lib. de correpț. & grat.* Monachis Adrumetinis importunè queritantibus, & ægrè ferentibus corripi non perseverantes, quibus donum perseverantiæ defuit, & postulantibus quare defuit, respondet Doctor sanctissimus: *Quia*, inquit, *non sunt ab illa conspersione discreti, quam constat esse damnatam, euntibus omnibus ex uno in condemnationem. Qui perseveraturi non sunt, ac sic à fide Christiana, & conversatione lapsuri sunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat, proculdubio nec in illo tempore, quo benè, piéque vivunt, in isto prædestinatorum numero computandi sunt. Non enim sunt à massa illa perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti, & ideò nec secundùm propositum vocati, ac per hoc nec electi.* Aliam rationem hujus denegationis tangemus reflexione sequenti.

Quæres ultimò, undenam gratia Christi suam efficaciam sortiatur, num ab omnipotentia Dei, num ab eventu, num à consensu per scientiam mediam præviso?

Respondeo hîc præcipuam Theologiæ speculativæ quæstionem proponi, cui pro merito tractandæ nec una dissertatio sufficeret. Multa equidem paratam Thomisticæ de efficaci & prædeterminante gratia sententiæ stabiliendæ, adornandæque, sed innata Dominicanis omnibus erga Sedem Apostolicam hanc controversiam, controversiæque resolutionem typis mandari non semel prohibentem reverentia, & exosculata obedientia conceptum sermonem continere præcipit, & assertionem celeberrimam Prædicatorum Ordini concreditam, à Paulo, Augustino, Aquinate ad nos transmissam, à Dominicanis etiam Clemente VIII. & Paulo V. Ecclesiæ Catholicæ Hierarchis tanta gloria propugnatam silentio prætermitto, quia melior est obedientia quàm victima, & ipsius etiam gratiæ genio consentaneum est amare non rixas, sed pacem, non publicas dissensiones, sed secretum; magisque avet intus sentiri, intus lucere, intus infundere

suavita

suavitatem, quàm foras erumpere, & inter amaras disputantium controversias ventilari.

Et sanè prudentissimè Apostolicæ Sedis Antistites hac quæstione examinanda Theologis omnibus interdixerunt. Cùm enim ex hac controversia plura scandala orta sint, & periculosæ inde perturbationes timeantur, censuerunt Christi Vicarii ab hujus doctrinæ promulgatione supersedendum, ad cujus defensionem sufficiunt & libri hactenus editi, & disputationes intra scholarum umbras celebratæ, liberéque celebrandæ. Si enim Veritas multa habebat discipulis dicere, quæ tunc non poterant ipsi portare; multa etiam, præsertim in penitissimis divinæ gratiæ mysteriis esse Summi Pontifices arbitrati sunt, quæ vel ob rei difficultatem, vel hominum infirmitatem & teneritudinem, vel disputantium æstus propalari non debent. Quare hoc silentio gratiæ victricis defensionem & tutelam Ordo noster non abjicit, qui tot ei defensores aluit, & etiamnum instruit; neque hoc nobis commissum cœleste depositum, in cujus defensionem omnis Dominicanus miles est, deserimus; sed Pastoris gregis jussum præstolamur, ut rationales Domini canes in hujus gratiæ hostes latremus.

Reflexio.

Ex tam multiplici gratiæ nobis necessariæ divisione vidisti, Lector, quòd non est fructus bonus qui de gratiæ radice non surgat, & quod nihil restat liberandis nisi gratia liberantis. Ergo perpetuo continentis orationis desiderio impetra quod lex imperat; quia sicut nec diu vivit qui aërem nequit attrahere, ita nec benè vivit, qui spiritum gratiæ non accipit, nec quodammodo semper bibit de fonte lucis æternæ, ut loquitur Augustinus. Ergo non solùm peccatores, sed nec ipsi etiam justi suæ se fortitudini credant, sed cauta humilitate divinum sibi precando ejus asciscant auxilium, à quo accipimus victoriam concupiscentiæ, ne voluntate pertrahamur; à quo etiam robur patientiæ mutuamur, ne dolore frangamur. Itaque si *scienter pii* sumus, & *piè scientes*, ut loquitur August. *epist*.107. rogemus eum qui intimo nostro intimior est, ut intus in corde legem ponat nobis spiritu suo, ut eam non tanquam servi amore metuamus, sed ut filii dilectione casta timeamus. Ideo enim tam sæpe ventilamus nos in omnem ventum (phrasis est Ecclesiastici *cap*.5.) nec firmi sumus in via Domini, nec in veritate sensus nostri, quia totum illi non asserimus, à quo omne bonum desursum est. Hinc tam crebrò contingit illud, quod tam vehementer singulis quibusque timendum monet Bernardus serm.3. in Psalm.90. *Et si pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse paulatim ingerit apostasiam cordis*; quia gratiæ recessum non timemus, & donum illud, quod divinus Apostolus Ephes.1. *Sacramentum voluntatis Dei* noncupat, ad libitum nobis nostrum dari comminiscimur, & *libertatem Dei facientes servitutem*, ut in Apologet. ait Tertull. gratiam Dei humanæ subjicimus arbitrio voluntatis. Nec illud tam veridicè ab Augustino pronuntiatum advertimus: *Multos impedit à firmitate præsumptio firmitatis. Nemo erit à Deo firmus, nisi qui se à seipso sentit infirmum.* Quam utique infirmitatem nec tollit ætas, nec usus: etsi enim qui in virtute exercitati senuerunt, minores quidem hostes habent, sed tamen habent. Fatigati interdum sunt hostes per ætatem atque laborem, sed tamen etiam fatigati non cessant qualibuscumque motibus infestare senectutis quietem. Velint, nolint, habent concupiscentias. Titillant, blandiuntur, stimulant, infestant, surgere volunt, quibus & interdum succumbunt. Quid causæ est? Ne dubites in causa esse superbiam, etiamsi non appareat: nunquid enim Deus, qui humilibus dat gratiam, humili auferet datam? Ille solus vincit, qui ex parte sua vigilans totum se Deo permittit; neque enim quidquam timere potest homo in sinu Dei positus, si de illo nolit cadere; & quidquid ei acciderit, ad salutem valebit, non ad perniciem: si verò deseritur ope gratiæ, relinquetur in infirmitate naturæ. *Parum est mihi voluntas mea*, ait August. in Psalm.118. vers.35. *nisi in eo quod volui, me ipse deducat.* Immò nec benè volumus, nisi voluntas à Domino præparetur; nec Dei adjutorium ad bene volendum necessarium esse satis credimus, nisi mentem aperiat qui amorem inspirat: hæc enim uni sauciatæ naturæ plaga altissimè impressa illa quidem, ut ne quidem oculos mentis in altum attollere, & miseriam suam agnoscere à divino deserta lumine queat; *Nec jam captivos oculos extollere in altum sponte potest*, inquit Prosper *cap*.40. *de ingrat.* quoniam hoc etiam spoliante tyranno perdidit, ut quanto *jaceat sub vulnere norit.*

Hanc doctrinam viris potissimùm spiritalibus commendandam docent Patres, ut ex una parte virtutis studium non relinquant, ex alia verò certissimè sibi persuadeant, solâ gratiæ vi idoneos fieri, & accendi hominum animos ad rectè vivendum. Nihil ergo periculosius, quàm vitam in speciem sanctam, austeram, pœnitentem, & bonorum ex officio operum feracem edere, & hæc viribus propriis ascribere. Hoc præceptum eleganter tradit Prosper *cap*.37. *carminis de ingratis*, sequentibus versibus, quibus alios in eodem carmine sparsos ad tam necessariam humilitatis basim stabiliendam subnectemus:

— Licèt in cruce vitam
Ducant, & jugi affligant sua corpora morte,
Abstineant opibus, sint casti, sintque benigni,
Terrenisque, ferant animum super astra, relictis:
Si tamen hæc propriâ virtute capessere quemquam
Posse putant, sive ut dignus labor iste juvari,
Ingenium meruisse aiunt bona vera petentis:
Crescere quo cupiunt, minuuntur; proficiendo
Deficiunt, surgendo cadunt, currendo recedunt.
Unde etenim vani frustra splendescere quærunt,
Inde obscurantur: quoniam sua laudis amore,
Non quæ sunt Christi quærunt, nec fit Deus illis
Principium: & capiti non dant in corpore regnum.
Non horum templo est Christus petra fundamentum,
Sed super instabilem arbitrii nutantis arenam
Assurgunt, fœda lapsuri mole tumoris.
Et tamen in sanctos animum cùm intendimus actus,
Cùm desideriis carnis mens casta repugnat,
Cùm tentatori non cedimus, & per acerbas
Vexati pœnas illæso corde manemus,
Libertate agimus, sed libertate redempta,
Cui Deus est rector, summoque ex lumine lumen:
Vita, salus, virtus, sapientia gratia Christi est,
Quâ currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat,
Credit, sperat, amat, mundatur, justificatur.
Si quid enim recti gerimus, Domine, auxiliante
Te gerimus, tu corda moves, tu vota petentis,
Quæ dare vis, tribuis, servans largita, creansque
De meritis merita, & cumulans tua dona coronis.

Quos versus è Latina in Gallicam linguam sic eximius Poëta transtulit:

Que ces maîtres hautains poussez par un faux zele
Affligent tous leurs sens, domptent leur chair rebelle;
Qu'ils vivent sur la croix, qu'ils soient chastes & doux,
Qu'ils haïssent les biens qui sont cheris de tous,
Et qu'étant embrasez par de plus nobles flames,
Ils portent jusqu'au Ciel leurs genereuses ames:
S'ils croyent qu'en quelque homme un état si parfait

Puiſſe du libre arbitre eſtre l'illuſtre effet;
Ou que leur propre ardeur la grace ait meritée,
Se rendant par ſes ſoins digne d'eſtre aſſiſtée;
Leur ame en cet état recule en s'avançant,
En voulant monter tombe, & perd en amaſſant.
Comme elle ſuit l'attrait d'une lueur trompeuſe,
Sa lumiere l'offuſque & la rend tenebreuſe :
Parce que ſon amour croiſſant de plus en plus
Cherche ſon propre honneur, non celuy de Ieſus.
La vertu n'eſt en eux qu'humaine, & non divine,
Puis qu'elle n'a que l'homme, & non Dieu pour racine;
Et nous faiſant agir par nos propres efforts,
Ils raviſſent au chef l'empire ſur le corps.
Ils ne bâtiſſent point ſur l'immobile pierre;
Le temple de leur cœur eſt un temple de terre,
Qui par eux ſeuls bâti ſur le ſable mouvant
De leur eſprit volage & muable à tout vent,
Aprés s'eſtre élevé dans leur orgueil extréme
Tombe de tout ſon poids, & ſe briſe luy méme.
Nous ſçavons toutefois que lors que dans nos ames
Vn vif amour agit par de plus vives flames,
Lors que le chaſte cœur par de ſaints mouvemens
Combat la douce amorce, & le charme des ſens;
Lors que nous repouſſons par un ferme courage
Du lion rugiſſant les efforts & la rage;
Et que l'ardente Foy plus forte que l'Enfer
Souffre ſans s'ébranler & la flame & le fer :
C'eſt par la liberté que noſtre ame eſt conduite,
Mais cette liberté par la grace eſt produite.
Elle a Dieu pour ſon guide, & toute ſa clarté
de ce Soleil ſupréme eſt un jour emprunté.
Et ſous un ſi grand Roy librement aſſervie,
Puiſe en luy ſon ſalut, ſa ſageſſe, & ſa vie.
C'eſt par luy qu'elle court avec un ſaint plaiſir,
Qu'elle reſſent l'ardeur d'un celeſte deſir;
Qu'elle eſt ſage en ſon choix, en ſes maux patiente,
Invincible en la guerre, en la paix vigilante;
Qu'elle eſt & juſte & pure, & voit de jour en jour
Croiſtre en elle la Foy, l'Eſperance, & l'Amour.
Grand Dieu quoy que s'oppoſe une erreur temeraire,
Si l'homme fait du bien, toy ſeul le luy fais faire!
Ton eſprit penetrant dans les replis du cœur
Pouſſe la volonté vers ſon divin Moteur:
Ta bonté nous donnant ce que tu nous commandes,
Pour accomplir nos vœux forme encor nos demandes.
Tu conſerves tes dons par ton puiſſant ſecours,
Tu fais noſtre merite, & l'augmentes toûjours;
& dans ce dernier prix qui tout autre ſurpaſſe,
Couronnant nos travaux, tu couronnes ta grace.



DISSERTATIO III.

HISTORICA.

Varii circa gratiam errores recenſentur : Pelagianorum potiſſimè, & Semipelagianorum hiſtoria texitur.

QUANTÆ quantæ ſunt Theologorum Catholicorum de gratia Chriſti diſſenſiones, concors tamen eorum omnium ſententia fert, ſupernaturalem & internam Salvatoris gratiam eſſe ad chriſtianè vivendum neceſſariam, eamque ad initium cujuſlibet boni operis, etiam fidei, orationis, & pii deſiderii exigi. Contra hanc orthodoxam veritatem multipliciter erratum fuit.

Antiquiores circa gratiam errores.

Antiquiſſimus, & mundi creationi fermè coævus de gratia error contigit in cœlo. Ut enim in tractatu de Angelis, *diſſert.4.cap.2. ſpecul.2.* annotavimus, primum Luciferi peccatum ſuperbia fuit, quatenus ſummum bonum & in ſeipſo, & per ſeipſum, propriaſque vires obtinere, ſpreto Dei auxilio, ſuperbiſſimè præſumpſit, juxta illud Bernardi ibi laudati, *Qui ſedere præſumpſit, ſeipſo voluit eſſe contentus.* Et in hoc ſenſu appetivit ſimilis eſſe Altiſſimo, dum ſibi ſufficere, divinoque auxilio non egere practicè credidit. Unde fatuus libertatis amor, & gratiæ divinæ contemptus angelicæ ruinæ cauſa fuit. Id ipſum præclarè tradidit Magnus Gregor. *lib.34. Moral. cap.18.* ubi applicans diabolo illud Job 41. *Factus eſt ut nullum timeret*, ſic habet : *Sua perverſitate talis factus eſt, ut nullum timeret, ei quippe à quo conditus fuerat, ſubeſſe deſpexit : celſus eſſet ſi participatione vera celſitudinis contentus fuiſſet; ſed dum privatam celſitudinem ſuperbè appetiit, jure perdidit participatam; relicto enim eo cui debuit inhærere principio, ſuum ſibi appetiit quodammodo eſſe principium : relicto eo qui ei verè ſufficere poterat, ſe ſibi ſufficere poſſe judicavit; & tantò magis infra ſe cecidit, quantò magis ſe contra gloriam ſui Conditoris erexit. Nam quem exaltabat libera ſervitus, dejecit captiva libertas.*

Obſervavimus etiam eodem tomo, *diſſert.5. cap.2. ſpecul. 3.* Adamum non ſolùm Protoparentem, ſed etiam Protopelagianum extitiſſe, quatenus divinam independentiam æmulans voluit eſſe ſua regula, ſibique per propriam virtutem divinitatis imitationem aſciſcere. Unde Auguſt. ibi relatus ait, ipſum voluiſſe rapere, & veluti furari Divinitatem, & magis frui potentiâ ſuâ, quàm Dei. Quod confirmat idem Pater *lib.2. de Geneſi contra Manich.* ubi explicans illum ſerpentinæ tentationis ſibilum. *Eritis ſicut Dii*, ait : *Hoc eſt ergo, quod perſuaſum eſt, ut ſuam poteſtatem nimis amarent, & cum Deo eſſe pares vellent; ſed amiſerunt quod acceperant, dum id quod non acceperant, uſurpare voluerunt : non enim accepit humana natura, ut per ſuam poteſtatem Deo non regente beata ſit.* Id etiam antea tradiderat Cyprianus ſerm. de jejunio & tent. Chriſti : *Adamum*, inquit, *in Paradiſo pulſavit & ſtravit, cùm ſubjectionem quam Deo debebat, faſtidiens, appetiit dominatum. Huic malo reſiſtere nos Salvator edocuit, ut ſoli Deo ſubjectus ſit homo quantumcunque profecerit, ut qui vocatus eſt ſuperiùs, neſciat ſe ſublimem, & per omnia agnoſcat conditio conditorem, gratia largitorem.* Denique idem non obſcurè indicat Proſper carmine de ingratis, *cap.43.*

Hoc patribus primis mortis ſator inſinuatus
Conſilio eſt, hac arte omnes proſtravit in uno,
Dum ſuadet maliò præſtantius eſſe, quod ipſis
Non tribuente licèt Domino, ſponderet habendum
Prudens libertas, vetitoque inſtructa cupido.

Hac de cauſa obſervant Docti, idcirco adeò plauſibilem, & naturæ corruptæ conſentaneam eſſe Pelagianam hæreſim, imò & omnes naturali fermè inſtinctu, niſi fide corrigantur, eſſe Pelagianos, quia nimirum inviſceratæ nobis, & ab Adamo in poſteros omnes transfuſæ ſuperbiæ, quæ eſt cordis humani primum vivens, & ultimum moriens, omninò adulatur.

Contra gratiam armatunt ſe deinde Judæi carnales, quæ Dei ſunt non percipientes, ſed arbitrantes per ſolam à Moſe latam legem juſtificari ſe poſſe; adverſus quos totis ad Romanos & Galatas epiſtolis prædicator gratiæ Paulus diviniſſimè ſcripſit. Horum errorem initio naſcentis Eccleſiæ ſequutus eſt

Simon

Simon Magus, ex efficacia divinæ voluntatis eversionem liberi arbitrii ineptissimè inferens, ut S. Clemens *lib. 3. recognit.* refert. Sequuti sunt etiam Basilides, Valentinus, & Marcion, qui referente S. Clemente Alexandrino *lib. 5. stromatum*, fidem, opera & salutem naturæ viribus ascribebant.

Illos divinæ gratiæ hostes sectatus est Origenes infinitarum hæreseon parens. Hic enim, ut refert S. Thomas 3. *cont. Gent. c. 89. & lib. 3. periarchôn*, docuit in tantum Deum dare nobis velle, & proficere, in quantum nobis dedit virtutem volendi, non autem sic, quod faciat nos velle hoc, aut illud. Et Hieronym. *epist. ad Ctesiphontem*, errorem Pelagii Origenis doctrinæ ramusculum appellavit. Hunc tamen errorem nec in Oriente, nec in aliis anterioribus hæreticis operosè refutare Patres, vel gravioribus tunc occupati negotiis non potuerunt, vel certè hæresim sponte labantem & in fumum abeuntem ex professo evertere noluerunt.

Hæresis Pelagiana, ejusque varii status.

Hæresim divinæ gratiæ destructricem, vel extinctam planè, vel certè sopitam suscitavit Pelagius natione Britannus, seu Anglus; Anglia enim magna Britannia dicitur, ut distinguatur à Britannia minori, quæ est una è Galliæ florentissimis provinciis; unde etiam vocatur à Hieronymo Scotus. Fuit autem professione Monachus, ut constat ex Augustino *libr. de gestis Pelagii*, qui etiam ejus ingenii acumen, facundiam non vulgarem, & circumspectionem de rebus obscuris cunctanter potiùs quàm fidenter loquentem variis in locis, sed nominatim *lib. 3. de peccat. merit. cap.* 10. laudat. Et certè ingenium ipsius non solùm epistola ad Demetriadem, eloquentiæ nitore præstans, sed etiam commentarii in Epistolam ad Romanos, & varia operum ejus fragmenta apud Augustinum refellentem sparsa demonstrant. Quibus non adversatur Hieronymus, tametsi illum non semel indoctum, & loquendi imperitum pronuntiet; loquitur enim Hieronymus de profunda Theologiæ & Scripturarum scientia, & solido ac nervoso loquendi stylo, non figurarum flores, sed veritatis fructus fundente; quæ dotes Pelagio deerant.

Mores etiam hujus Hæresiarchæ in foro saltem externo, ut loquuntur, fuisse spectabiles testatur idem Augustinus, qui *lib. 3. de peccat. merit. & remiss. cap.* 1. & 3. illum virum bonum, virum egregiè christianum, virum sanctum, & non parvo profectu christianum appellat. Contendunt tamen alii Augustinum ob sparsum duntaxat sanctitatis illius larvatæ rumorem hujusmodi elogia panxisse; quia, inquiunt, S. Isidorus Pelusiota sanctitate, doctrina, & Chrysostomi discipulatu celebris, post exploratos attentiùs Pelagii mores, illum ait fuisse vagabundum, ex alio monasterio ad aliud subinde migrantem, omniumque mensas perscrutantem: *Quamobrem*, addit, *si tibi carnium nidor, atque obsoniorum condimentum cura est, iis qui magistratus gerunt potiùs blandire, atque urbium caminos vestiga; neque enim homines Eremitæ facultates eas habent, ut te quemadmodum tibi gratum est excipere valeant.* Et sanè mirum non est; doctrina namque gratiæ Christi inimica prudentiæ carnis adulatur; gratia quippe Christi è cruce, è vulneribusque Redemptoris effluxa amorem etiam crucis inspirat: unde gratiæ hostis fuit simul ventris amicus, & malè blandas carnis delicias effusè quærens.

Ut autem Pelagius errorem suum faciliùs disseminaret, totum causæ suæ robur in astutia & calliditate posuit. Simulavit enim se velle impiam Manichæorum hæresim confutare, in quinque capitibus turpiter errantem. Primò asserebant Manichæi carnem nostram esse malam, & quia ad malum inclinat, à principio malo processisse. Secundò volebant nuptias esse malas, quia & cum libidine exercentur, & prolem edunt peccato sordentem. Tertiò legem veterem justificare impotentem, tanquam malam reprobabant. Quartò liberum arbitrium ad malum necessitatum, & fatali vi adactum contendebant. Quintò Patres veteris Testamenti, tanquam insignes peccatores traducebant. Hos quinque errores non veritatis catholicæ luce, sed novis erroribus emendare Pelagius perperam conatus est. Unde carnem voluit ita esse puram, ut nulla etiam originali labe esset infecta. Nuptias ita bonas esse asseruit, ut nec pudenda sit libido, nec ullatenus deturpata proles. Legem ita perfectam esse sancivit, ut sine gratia justificare posse definiverit. Liberum arbitrium ita sanum esse pronunciavit, ut nullo opitulantis gratiæ adjutorio egeat. Sanctos denique ita perfectos fuisse prædicavit, ut nulla omninò peccati macula inumbrarentur. *Pelagius* (inquit Augustin. lib. cont. duas epist. Pelag. cap. 9.) *quinque rerum obtendit obstacula, in quibus dogmata inimica gratiæ, & catholicæ fidei delitescant, scilicet in laude creaturæ, laude nuptiarum, laude legis, laude liberi arbitrii, laude Sanctorum.* Qui sanè quinque errores satis connexi sunt, si enim nulla sit peccati originalis infectio per nuptias propagata, si liberum arbitrium sit ita sanum & robustum, ut sola detegente bonum & malum lege, illud amplecti, istud fugere valeat, inutilis prorsus erit divinæ gratiæ opitulatio.

Sed quia apud Christianos per se horrendum erat gratiam Christi omnem excludere, quam omnes novi Testamenti paginæ, & ferè voces, ac syllabæ inculcant, studuit vaferrimus hæreticus errorem suum variis verborum involucris, captiosisque velaminibus obtegere, unde & varios decursu temporis status hæc hæresis nacta est.

Primus status erat merè philosophicus & paganus, in quo volebat hominem per solas arbitrii vires peccata fugere, virtutes comparare, legemque servare posse. Unde dicebat Pelagius in epist. ad Demetriadem: *Spirituales divitias nullus tibi præter te conferre poterit. In his ergo jure laudanda es, in his meritò cæteris præferenda es, quæ nisi ex te & in te esse non possunt.* Et ideò in naturæ laudes tantoperè diffluebat, sic laudans Creatorem, ut superfluum convinceretur dicere Salvatorem; sic Deo, quia nos creavit, gratus, ut eidem esset, quia nos sanavit, ingratus. Hunc errorem è Philosophorum Stoicorum sibi unicè fidentium fœtidissimis paludibus hauserat, qui in se non solùm virtutes, sed etiam summum bonum invenire, imò & cum Deo de felicitate contendere per summam ignorantiam & majorem superbiam præsumebant, ut passim apud Senecam videre est, qui & plus Philosophiæ homines debere, quàm Deo, quia majus beneficium est bona vita, quàm vita, *epist.* 90. insolentissimè effutiit.

Secundus status talis fuit, in quo gratiam verbo tenus admittere incepit. Cùm enim sibi Christianorum omnium odium conciliasset, quòd gratiam negarat, liberum arbitrium gratis à Deo datum gratiam appellare cœpit, ut hoc inanissimo fuco, & ut ait Augustinus, acumine vitreo, quod quasi lucet vanitate, sed frangitur veritate, declinaret invidiam. Hic status larvatus, & nominalis meritò vocari potest.

Tertius status dici potest Judaïsmus, in quo cùm urgerentur Pelagiani, quomodo impia, & non ferenda voce præsumerent omnem Christi opem abjicere,

addiderunt, ut refert August. *lib. de fpirit. & lit.cap.2.* ideo fine operatione gratiæ nos juftos effe non poffe, quia legem dedit Deus, quia doctrinam instituit, quia bona præcepta mandavit. Sed quia Judaïco illi pronuntiato fponte fe illud Apoftolicum Gal.2. oraculum objiciebat: *Si per legem juftitia, gratis Chriftus mortuus eft*; ideo legi exemplum Chrifti addebant, qui bonâ nobis vitâ fuâ præluxit, ut videre eft *lib. de grat. Chrifti, cap.* 40. & 41. Admittebant etiam in eo ftatu gratiam remiffivam peccati, quatenus ut docet August. *cap.*2. ejufdem libri, memoria retinentes, & reminifcentes dimiffa nobis effe peccata, non peccemus ulteriùs, adjuti non aliqua fubministratione virtutis, feu viribus propriæ voluntatis, quid fibi remiffione peccatorum præftitum fuerit per actus fingulos recordantis. An autem Pelagius admiferit, vel negaverit gratiam habitualem, quâ remittuntur peccata, poftà dicemus.

Quartus ftatus eft veluti femichriftianifmus, in quo gratiam interiorem cœpit agnofcere, & intellectum illuftrantem, & intellectum excitantem. *Adjuvat nos Deus*, inquit Pelagius apud August. lib. de grat.Chrifti,cap.7. *per revelationem & doctrinam, dum cordis noftri oculos aperit, dum futura demonftrat, dum diaboli pandit infidias, dum nos multiformi, & ineffabili dono gratia cœleftis illuminat. Operatur in nobis,* addit cap.11. *velle quod bonum eft, velle quod fanctum eft, dum nos terrenis cupiditatibus deditos, mutorum more animalium tantummodò præfentia diligentes, futura gloria magnitudine, & præmiorum folicitatione faccendit; dum revelatione fapientia in defiderium Dei ftupentem fufcitat voluntatem, dum nobis fuadet omne quod bonum eft.* Quare in illo ftatu folam illa gratiam negavit, quæ fpiritum & virtutem infundit, quæ ex nolentibus volentes facit, quæ infirmam voluntatem fanat, tardam ad agendum applicat, & ut canit Profper: *Non hoc confilio tantùm, hortataque benigno fuadens atque docens, quafi normam legis haberet gratia; fed mutans intus mentem, atque reformans, vafque novum ex fracto fingens virtute creandi.* Unde veridicè intulit Auguftinus *libro citato*, quod in his omnibus non receffit Pelagius à commendatione legis, atque doctrinæ, cùm ad doctrinam pertineat fuadere omne quod bonum eft; & ideo infuper vult idem Pater *cap.* 19. & 24. Deum non folùm nobis oftendere veritatem, fed etiam impertire charitatem, & interna, atque occulta, mirabili & ineffabili poteftate operari Deum in cordibus hominum non folùm veras revelationes, fed etiam bonas voluntates.

Ex quibus fequitur, Pelagium in illo ftatu admififfe auxilium fufficiens, quidquid in contrarium contendat Baptifta Gonet. Et ratio eft manifefta multipliciter. Tum quia per auxilium purè fufficiens nihil aliud intelligunt, vel intellexerunt unquam Thomiftæ, quàm gratiam interiorem, quâ illuftratur intellectus, & excitatur affectus; imperfectè tamen, quia ipfum operatio non confequitur. Atqui Pelagius internas illuftrationes, & excitationes admifit, ut fatetur ipfe P. Gonet. Ergo. Tum quia auxilium fufficiens eft illud, quod dat poffe benè operari. Atqui evidentiffimum eft, Pelagium in hoc ftatu auxilium poffibilitatis, feu quod dat nobis poffe, admififfe, ut difertè tradit August. *lib.de grat.Chrifti,cap.3.* ubi hæc Pelagii verba refert: *Cùm tria fint, poffe juftum effe, velle juftum effe, & reipfa juftum effe; primum iftorum trium, quod fcilicet poffumus juftè vivere, effe Dei, qui poffibilitatem illam dedit nobis gratuito, juvatque modis fuprà explicatis* (fcilicet lege, exemplo Chrifti, illuftratione, & excitatione) *reliqua duo noftra effe, quia ad rectè volendum, & agendum nullo indigemus ejus auxilio, neque Deus nos adjuvat ut velimus, & agamus; fed folùm ut velle & agere poffimus. Scire quippe debemus*, addit August.cap.5. *quod nec voluntatem noftram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, fed folam poffibilitatem voluntatis, atque operis. : : : Et ideò non adjuvet Deus ut velimus, non adjuvet ut agamus, fed tantummodò adjuvet, ut velle & agere valeamus.* Ergo Pelagius auxilium fufficiens, feu quod poffe velle, & poffe agere dat, agnovit; folum auxilium efficax, feu voluntatis & actionis repudiavit.

Nec dicas cum P. Gonet, auxilium fufficiens reddere hominem perfectè & completè potentem ad actus fupernaturales per vim aliquam phyficè moventem, feu motionem virtuofam, feu ut loquitur Auguftinus, fubminiftrationem fpiritus aut virtutis, quâ voluntas phyficè immutetur, & fiat potens elicere hos actus. Unde, inquit, qui gratiam moraliter tantùm prævenientem admittunt, & phyficè præmoventem repudiant, auxilium fufficiens de medio tollunt.

Non, inquam, id dicas: in multis enim peccat hoc argumentum: tum quia licèt ad illas illuftrationes, & excitationes requiratur motio Dei, & miniftratio aliqua virtutis; tamen qui femel admiferit dari illas illuftrationes, & motiones, verum auxilium fufficiens confitetur; an verò ad illas producendas requiratur qualitas fluens, vel motio virtuofa, vel fufficiat decretum Dei immediatè movens, eft quæftio philofophica alibi examinanda, fed quæ non eft ad propofitum; ficut fi quis concederet, dari in nobis intellectionem, dubitaret tamen de neceffitate fpeciei impreffæ, vel expreffæ, fruftrà accufaretur negatæ intellectionis, quia de modo producendæ intellectionis dubitat. Et magis ad rem Nazarius nofter cenfet, Deum phyficè prædeterminare caufas fecundas immediatè per feipfum, & per fuum decretum efficax, abfque immiffione phyficæ entitatis: & Gonzales gratiam efficacem in actu indeliberato, victrici illo quidem & promovente indeclinabiliter voluntatem, non verò in aliqua entitate modali fluente, vel motione accidentali fitam effe vult. Ergóne Nazarius, vel Gonzales negatæ prædeterminationis accufabuntur? Abfit, quia prævium Dei, & efficacem influxum admittunt, rationem peculiari illud modo ad efficaciam impertinente exponant. Similiter Pelagius admifit gratiam poffibilitatis, quæ apud nos appellatur auxilium fufficiens; an verò illa fit motio, vel qualitas, non dixit, nec in mentem venit, nec Auguftinus defideravit. Quod verò additur, non poffe admitti auxilium fufficiens, nifi admittatur prædeterminans, eft perfpicuè falfum; multi enim auxilio fufficienti ad converfionem cientur, qui ad illam auxilio efficaci non perveniunt. Quod fi dicas auxilium fufficiens effe efficax refpectu actus imperfecti, verum dicis, fed nihil ad rem; quia qui auxilium fufficiens admittunt, non negant effe efficax refpectu actus imperfecti, quem efficit.

Quares primò, utrum in illo ftatu Pelagius concurfum fimultaneum negaverit?

Refpondeo nunquam negaffe illum, quin & de illo nullam unquam controverfiam extitiffe. Neque enim de hoc reprehenderunt unquam Pelagium Concilia, vel ipfemet Auguftinus. Nec obeft, quod Hieronymus *epift. ad Ctefiphontem, & dialogo* 1. *adverf.Pelagian.* inducit Pelagium dicentem: *Si voluero curvare digitum, movere manum, ambulare, ftare, federe, fcribere, fputa jacere, femper auxilium Dei mei neceffarium erit?* Non obeft, inquam, quia de actionibus illis non agit Hieronymus, ut præcisè funt actus naturales,

fed

ſed ut ſunt actus morales & deliberati, de quibus ratio reddenda eſt, ad quos ut benè, & ſine peccato fiant, indigemus auxilio gratiæ neceſſario ad ſingulos actus. Unde Hieronymus priori loco ſic habet: *Audi ingrate, imò ſacrilege, Apoſtolum prædicantem: Sive manducatis, ſive bibitis, ſive aliud quid agitis, omnia in nomine Domini agite. Injuriam tibi fieri putas, & deſtrui arbitrii libertatem, ſi ad Deum ſemper authorem recurras, ſi illius ex voluntate pendeas, & dicas: Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos. Non eſt in homine via ejus, & à Domino greſſus ejus dirigentur.* Quæ teſtimonia manifeſtè intelliguntur de gratia propriè dicta, non de naturali concurſu ſimultaneo.

Quæres ſecundò, utrum Pelagiani gratiam habitualem inficiati ſint, & de illa fuerit præcipua Auguſtini cum Pelagianis controverſia?

Reſpondeo primò, certum eſſe contra P. Suarem, Pelagium gratiam habitualem ſanctificantem non negaſſe. Tum quia Pelagius de hoc nunquam fuit accuſatus. Tum quia admittebat Baptiſma parvulis eſſe neceſſarium, ut conſequerentur regnum cœlorum, ad quod naturæ viribus non poſſe pervenire fatebatur, ut patet per Auguſt. *lib. 2. de peccat. origin. cap. 5.* verba Celeſtii referentem: Baptiſmus ergo ſecundùm Pelagianos donum aliquod ſupernaturale addebat. Unde Julianus apud Auguſtinum *lib. 1. contra ipſum, cap. 6.* ait: *Hac de cauſa etiam infantes baptizamus, cùm non ſint coinquinati peccato, ut eis detur, vel addatur ſanctitas, juſtitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Chriſti, ut ejus membra ſint.* Et ne dicatur Julianum per illam ſanctitatem à Baptiſmate parvulis conceſſam intelligere tantùm externam Dei benevolentiam, & favorem nihil intus producentem, audiendus eſt idem Julianus apud eundem Auguſtinum *lib. 1. operis jam perfecti*, ſic loquens: *Hanc gratiam locupletem ſpiritualibus donis credimus, & multis opimam muneribus, ac reverendam virtutibus.* Tum quia Pelagius admiſit gratiam neceſſariam pro remiſſione peccatorum, ut patet ex Auguſt. *de natura & grat. c. 18.* qui & *lib. de grat. Chriſti, cap. 37.* ait, talem gratiam juſtificantem admiſiſſe Pelagium, quâ *natura in melius inſtauratur*: non inſtauratur autem natura per externum duntaxat favorem, ſed per internam renovationem. Quin ad eam gratiam impetrandam admittebat neceſſitatem orationis, ut clarè docet Auguſt. *lib. de nat. & grat. cap. 18.* quanvis in hoc erraret, quod fidem & orationem gratiam habitualem impetrantem ex viribus eſſe naturæ contenderet: *Poſſunt quidem* (de Pelagianis loquitur Auguſt. epiſt. 105. *dicere remiſſionem peccatorum eſſe gratiam quæ nullis præcedentibus meritis datur; quid enim boni meriti habere poſſunt peccatores? Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat. Neque enim nullum eſt meritum fidei, quâ fide ille dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori.* Ubi non reprehenditur Pelagius, quòd gratiam remiſſivam peccati, qualem admittit Eccleſia, non agnoſceret, ſed quòd ad illam meritum aliquod præviæ voluntatis exigeret. Denique idem apparet, quia Catholici Epiſcopi ad obſcuriſſimas Pelagii æquivocationes, quibus errorem ſuum obvolvebat, diſpellendas illud tandem petierunt, ut fateretur gratiam Dei ad ſingulos actus bonos dari. Ergo non de habituali, ſed de actuali gratia litigabat. Unde in Concilio Milevitano *can. 3.* damnatus fuit, quia gratiam Dei, quâ juſtificamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, valere ſolùm ad remiſſionem peccatorum commiſſorum, *non verò ad adjutorium, quo non committantur*, affirmabat.

Reſpondeo ſecundò, hinc liquidò apparere falſitatem ſententiæ cujuſdam anonymi Pariſienſis Congregationis Oratorii, qui contra ejuſdem venerabilis Congregationis communem mentem libro, quem *Memoires ſur la Grace*, ſeu Commentarii de gratia, gallicè ſcripſit, conatur oſtendere, gratiam Chriſti, pro qua tot annis adverſùs Pelagianos certavit Auguſtinus, non eſſe gratiam actualem, ſed gratiam duntaxat juſtificantem, diffuſam in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, olim Adamo collatam, pueris in Baptiſmo reſtitutam, quâ ſanamur, quave filii Dei, membra Chriſti, templa Spiritus ſancti nominamur, & ſumus.

Verùm præter dicta in ſuperiori reſponſione, quibus hæc opinio ſatis, ſuperque confutata eſt, innumera poſſunt addi ex Auguſtini principiis evidentiſſima argumenta. Tum quia Auguſtinus ipſis etiam juſtificatis, ſubindeque gratiâ habituali ornatis affirmat neceſſarium eſſe divinæ gratiæ adjutorium, quo bona agant, peccata devitent, tentationes ſuperent, & in cœpta juſtitia perſeverent, illudque humiliter à Deo petere tenentur. Ergo præter gratiam habitualem, adhuc actualem effectricem bonæ voluntatis Auguſtinus requirebat. Tum quia gratia Chriſti ad benè volendum, agendumque neceſſaria, de qua erat Auguſtinum inter & Pelagianos diſceptatio, eſt gratia quæ nullis præcedentibus meritis, nullâ præviâ diſpoſitione datur, cùm ipſa ſit meriti, & congruæ cujuſvis diſpoſitionis principium. *Nec iſta eſſet gratia* inquit epiſt. 105. *ſi non daretur gratuita, ſed debita redderetur.* At gratia habitualis, quâ fit remiſſio peccatorum, dari poteſt præcedentibus quibuſdam meritis, & diſpoſitionibus, actibus nimirum fidei, ſpei, dilectionis juſtificationem præcedentibus, unde ibidem ait Auguſt. *Sed nec ipſa remiſſio peccatorum ſine aliquo merito eſt, ſi fides hanc impetrat; neque enim nullum eſt meritum fidei, quâ fide ille dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit juſtificatus meritò fidelis humiliatus, quoniam qui ſe humiliat exaltabitur.*

Tum quia licèt per charitatem habitualem liberemur à ſtatu, & reatu peccati mortalis, quo juri ac poteſtati diaboli mancipamur, nequaquam tamen per eam expedimur à jugo concupiſcentiæ, ſeu delectationis malæ, quo ita liberum noſtrum premitur arbitrium, ut illud per ſolas naturæ vires excutere minimè valeamus, niſi cœleſti actualis delectationis infuſione prava illa illicientis concupiſcentiæ delectatio ſuperetur. Non ſuperatur autem per ſolam gratiam habitualem, quia cum illa concupiſcentia in juſtis manens ad agonem quotidie luctatur; ſub illa autem concupiſcentiæ ſervitute voluntatem etiam juſti indigere divini adjutorii opitulatione, millies inculcat Auguſtinus, nec veriſimiliter negare poterit qui ejus opera à limine ſalutaverit.

Nec poteſt dici, ſufficientem habere ad benè agendum libertatem, qui gratia ſanctificante inſtruitur. Non poteſt, inquam, dici; quia cùm gratia habitualis concupiſcentiam non extinguat, manet ſemper & ignorantia veri, & difficultas recti, & ſæpe contingit ſub dominante cupiditate ſervitus. *Nec libera voluntas dicenda eſt*, inquit Auguſt. epiſt. 114. *quamdiu eſt vincientibus cupiditatibus ſubdita.* Verùm quidem eſt, per gratiam & charitatem habitualem hominem juſtificari, vivificari, roborari, ſpiritum adoptionis accipere, ſanari, liberari: verùm ad illam juſtificationem, robur, ſanitatem, &c. inchoanda, firmanda, & perficienda neceſſaria eſt gratia actualis

quod ex eo folo patere poteft, quod homines antequam gratia fanctificante juftificentur, poffunt operari, & de facto operantur quædam bona opera, quibus ad juftificationis beneficium fefe difponunt, ut cùm orando, gemendo, timendo, pœnitendo, Deumque tanquam juftitiæ fontem fitire & diligere incipiendo, à concupifcentiæ captivitate incipiunt liberari. Hæc autem pia voluntatis initia cùm non fint effectus naturæ, ut contra Pelagianos oftendit Auguftinus, funt profectò dona Dei per Chriftum, feu per ejus gratiam collata; & tamen nondum habent gratia fanctificans, fed ad eam per hujufmodi actus homo manuducitur. Ergo gratia Chrifti, quam ad omnia initia bonæ voluntatis defideravit Auguftinus, eft quid ab habituali gratia diftinctum. Denique quid in Auguftino fundatius, quàm charitatem habitualem in Baptifmo receptam, quantumcunque vigorem tenato invehat, non fufficere tamen folam ad bonum faciendum, malumque vitandum, cùm ipfi renati legem carnis adversùs legem fpiritus quotidie militantem fentientes, tametfi fint gratiâ habituali & infufarum virtutum fupellectile inftructi, teneantur tamen jugibus ad Deum precibus benè agendi, peccatique vitandi gratiam poftulare, & ad ipfum continenter clamare: *Et ne nos inducas in tentationem.*

Ex quibus facilè omnibus hujus Authoris fundamentis abfque negotio occurres, quæ ex variis gratiæ & charitatis habitualis elogiis deprompta funt. Sed ex dictis liquet, hæc nihil obeffe neceffitati gratiæ Chrifti actuali, quâ ad habitualem difponimur, quâ & habitualis contra concupifcentiæ impetum confervatur. Unde quæ de gratia habituali dicuntur, de actuali, & vice versâ dici à Patribus potuerunt, quia una ad aliam difponit, una per aliam defenditur, perficitur, & firmatur.

Illud porrò in eo Authore videtur intolerandum, quod velit D. Thomam apertè renitentem in fuam fententiam vi trahere, cùm S. Doctor verbis nitidiffimis, & Solis radiis clarioribus utramque gratiam diftinxerit, & eam diftinctionem innumeris locis ita inculcarit, ut meritò damnari poffim, fi ad tam luculentam falfitatem revincendam quædam S. Doctoris teftimonia in medium producam. Verùm quia in vitium vitio fæpe coarctamur alieno, hæc pauca exfcribo: *Dicendum*, inquit quæft. 111. art.2. *quod ficut fuprà dictum eft* (in omnibus ferè articulis quæft. 109. & q. 110. *gratia dupliciter poteft intelligi; uno modo divinum auxilium, quo nos movet ad benè volendum & agendum; alio modo habituale donum nobis divinitus inditum. Utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur per operantem, & cooperantem.* Quod iterum repetit in eodem articulo. Et *quæft.* 112. *art.*2. ait: *Dicendum, quod ficut fuprà dictum eft, gratia dicitur dupliciter, quandoque quidem ipfum habituale donum Dei, quandoque autem auxilium Dei moventis animam ad bonum.* Sed pudet in re clariffima immorari.

Denique ut fuprà diximus, Concilia, & Auguftinus non folùm impiis, fed etiam juftis auxilium gratiæ ad fingulos actus bonos exigebant; quod auxilium juftis interdum deeffe dixerunt, unde in peccatum incidentes jacturam gratiæ fanctificantis faciebant. Ergo de gratia actuali cum Pelagianis potiffimè contendebant. Confequentia eft clara, cùm boni actus ante gratiam juftificantem fiant, & mali actus, faltem veniales, à juftificatis eliciantur: ergo gratia ad fingulos actus bonos neceffaria non eft habitualis. Antecedens fic illuftrat S. Auguftinus *lib.*2. *de peccat. merit. cap.* 19. fic: *Deus fanctis fuis aliquando operis jufti aliquando non tribuit vel certam fcientiam, vel victricem delectationem, ut cognofcant non à feipfis, fed ab ipfo fibi effe lucem, quâ illuminantur tenebræ eorum; & fuavitatem, quâ det fructum fuum terra eorum. Hoc ab illo effe deprecandum ejus gratiâ didicimus, cùm antea lateret; ejus gratiâ dileximus, dum antea non delectaret.* Hinc tam fæpe repetit, fine re Deum juftos cadere, ne facilitatem in omnibus affequuti tuum putent effe quod Dei eft; &c. ideò relinquit Deus Sanctis concupifcentiæ conflictum, ut ad gratiæ confugiant adjutorium; in fanis etiam relinquit infirmitates, quia agit judicio fuo, nec fanandi ordinem accipit ab ægroto; vultque eos fentire difficultatem, ut facilitatem precibus impetrare perfiftant. Ad hoc confirmandum tam crebrò Petri adducit exemplum, cui charitas habitualis non deerat quando dicebat: *Animam meam pro te ponam.* Sed tentatione vires ejus interrogante, probafis eft Auguftini, cognovit non inflari debere fe inanitate jactantiæ, fed unius folidari gratiæ firmitate. *Beatiffimus Apoftolus Petrus*, inquit Auguftinus lib.2. de origine animæ, c.17. *volebat pro Domino animam ponere. Planè volebat, neque enim Deum id pollicendo fallebat, fed quantas vires haberet, voluntas ipfa nefciebat. Proinde vir tantus, qui Filium Dei effe cognoverat, fe latebat. Scimus nos itaque aliquid velle, vel nolle; fed voluntas noftra etiam cùm bona eft, quantum valeat, quantum vires habeat, quibus tentationibus cedat, quibus non cedat, fi nos non fallimus, nefcimus.* At Petro non deerat gratia habitualis, cujus minimus gradus omnes tentationes vincere poteft, ut ait D.Thomas, & tam fæpe repetit author, quem impugnamus. Ergo illi deerat gratia actualis, qua carens culpâ fuâ cecidit; quam habens è culpa furrexit.

Hæc dicta fufficiant contra præfati Authoris novitatem, quâ dum & fcientiam mediam rejicit, & gratiam per fe efficacem, feu prædeterminantem abominatur, difficultates difficultatibus addit, nodumque magis implicat, quem inftituerat explicare. Hoc certè dolendum, quod doctrinæ celebris Congregationis fuæ, quam in fuis cunis ab uberibus Cardinalis Berullii gratiæ per fe efficacis (ut ab uno tefte oculato accepi) tenaciffimi fuxerat, defertor extiterit. Hoc unum tamen fine injuftitia prætermittere non poffum, quo Authoris illius ab avita doctrina defectio quadantenus compenfatur. Tantâ nimirum in fuis novellis cogitationibus ftatuendis modeftiâ utitur, tantâ in fuis affertionibus confirmandis humilitate, & facro pudore, tantâ in Authores quos refellit, reverentiâ & obfervantiâ nitet, ut fua pietate neceffitatem gratiæ actualis demonftraverit; adeò non tam enim moderationem non folùm natura, fed nec ipfa gratia habitualis fola fufficeret. Cùm enim videamus juftos moderari animi limites pro domo fua, id eft pro ea, quam defendunt fententia, non rarò tranfilire, procul dubio gratia prædeterminante actus Author ille fuit etiam dum contra gratiam illam tantâ temperantiâ fcripfit.

Quæres tertiò, utrum in illo ftatu Pelagiani gratiam operis, qua facit benè velle, & benè agere, tandem admiferint?

Refpondeo probabilius effe, Pelagianos poft ubique damnatum Pelagium de fua pertinacia aliquid remittentes, veram Chrifti gratiam non quidem ad initium, fed ad perfectionem boni operis fecundùm merita hominum dari, eamque non ad fimpliciter, fed ad faciliùs operandum conferri admittere. Colligitur hæc refponfio ex Auguftino, tum *lib. de grat. Chrifti*,

Christi, *c.*23. ubi fatetur Augustious admisisse tandem Pelagium sæpe damnatum, *magnum adjutorium divinæ gratiæ, ut cor nostrum, quò voluerit Deus, ipse declinet. Sed hoc tam magnum adjutorium* (ecce quomodo gratiæ adjurotium Pelagius adulterabat) *sicut iste desipit, tunc meremur, cùm sine ullo adjutorio non nisi de arbitrii libertate ad Dominum currimus, ab eo nos regi cupimus, voluntatem nostram ex ejus voluntate suspendimus, eique adhærendo jugiter unus cum illo efficimur spiritus. Hæc scilicet tam ingentia bona non nisi arbitrii secundùm istam efficimus libertate, ut his præcedentibus meritis sic ejus gratiam consequamur, ut cor nostrum quò voluerit Deus, ipse declinet.* Vides initia quidem bonæ voluntatis, benè vivendi cupidines, sanctæ orationis desideria à libero quidem arbitrio proficisci, sed his semel jactis sementibus, Deum voluntatem suæ gratiæ adjutorio regere, & illam quò voluerit, declinare. Nec obest, quod in sequentibus hujus libri capitibus contendere videatur Pelagius, nec bonam voluntatem, nec actionem, sed solam possibilitatem divinitus adjuvari. Non obest, inquam, quia dum Pelagius in ultimo statu solam possibilitatem dixit adjuvari, non voluntatem, vel actionem, loquebatur de possibilitate ad initium fidei & bonæ voluntatis, quam volebat internis illuminationibus, & excitationibus moralibus adjuvari; ipsum verò initium fidei, ipsam primam bonam voluntatem, primamque actionem, quibus gratiam nos promereri dicebat, non adjuvari, id est non esse dona gratiæ Christi, sed à sola possibilitatis gratia, id est, sufficiente & dante posse, promanare. Addi potest in eo sensu Pelagium verè negasse gratiæ Christi necessitatem, quod licèt omninò necessariam voluerit esse possibilitatis gratiam, tamen gratiam voluntatis, & operis ad faciliùs duntaxat necessariam esse contendebat. Justè ergo Pelagio improperat Augustinus ipsum & seipsum, & alios fallere, quia dum gratiam operis admisisse se fingit, eam hoc ipso necessariam non esse velle convincitur, quòd ad meliùs duntaxat, & faciliùs necessariam esse pronuntiat.

Id ipsum apertiùs colligitur ex verbis Augustini *serm.* 13. *de verb. Apost.* ubi fatetur S. Doctor, Pelagianos anathematibus tandem permotos, veram gratiam fuisse confessos, & ideircò Deum benedicendum, quòd ad id quod verè rectum est, pervenerint. In hoc tamen veritatem assequutam ex parte corrupisse monet, quòd veram gratiam tandem admissam, ad faciliùs duntaxat voluerint esse necessariam. Verba Augustini sunt hæc: *Coarctati sunt aliquando gratiam confiteri, & benedicimus Deum, quia vel hoc aliquando dixerunt: accedendo enim proficere potuerunt, & ad id quod verè rectum est, pervenire. Iam verò dicunt adjutricem esse gratiam Dei ad faciliùs faciendum. Ista sunt verba eorum. Ad hoc dedit, inquiunt, Deus gratiam suam hominibus, ut quod facere jubentur per liberum arbitrium, faciliùs implere possint per gratiam. Velo faciliùs, remo difficiliùs; tamen & remo itur. Iumento faciliùs, pedibus difficiliùs; sed tamen & pedibus pervenitur.*

Idem etiam elatè significat Aug. lib. 2. ad Bonifac. cap. 8. *Isti* (Pelagianos appellat) *volunt in homine ab ipso homine incipere cupiditatem boni, ut hujus cœpti meritum etiam perficiendi gratia consequatur.* Sed luculentiùs lib. de grat. & lib. arbitr. cap. 19. *Cùm fuerint convicti, non defensores, sed inflatores, & præcipitatores liberi arbitrii, quia neque scientia divinæ legis, neque natura, neque sola remissio peccatorum est illa gratia, quæ per Iesum Christum Dominum nostrum datur, sed ipsa facit ut lex impleatur, ut natura liberetur, nec peccatum dominetur. Cùm ergo in his convicti fuerint, ad hoc se convertunt, ut quomodocunque conentur ostendere, gratiam Dei secundùm merita nostra dari. Dicunt enim, etsi non datur secundùm merita bonorum operum, quia per ipsam benè operamur; tamen secundùm merita bonæ voluntatis datur, quia bona voluntas, inquiunt, præcedit orantis, quam præcessit voluntas credentis, ut secundùm hæc merita gratia sequatur exaudientis Dei.* His verbis nihil planius, nihil evidentius. Ex eis enim elatet, Pelagianos tandem convictos, & Conciliorum, ac Romanæ Sedis definitionibus oppressos, confessus fuisse, non solùm scientiam legis, & remissionem peccatorum ad gratiam pertinere, sed per gratiam etiam fieri, ut lex impleatur, ut natura liberetur, & ne peccatum dominetur, qui sunt characteristici gratiæ Christi effectus.

Denique, ut alia omittam, quando Augustinus librum de dono perseverantiæ scripsit, tunc proculdubio ad ultimum Pelagiani statum pervenerant, cùm librum illum contra Semipelagianos Massilienses scripserit Augustinus è Pelagianorum extinctorum cineribus redivivos. Atqui in eo libro errores Pelagianorum à se devictorum scribens, ad tria eos tantùm capita reducit: *Tria sunt*, inquit c. 2. *quæ maximè adversus Pelagianos Catholica defendit Ecclesia, quorum est unum, gratiam Dei non secundùm merita nostra dari, quoniam Dei dona sunt, & Dei etiam gratia conferuntur merita universa justorum. Alterum est, in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium est, obnoxium nasci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obstrictum, nisi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione solvatur.* Vides cum Pelagianis in ultimo suæ hæreseos statu non fuisse litem de essentia gratiæ Christi, seu quid per illam intelligendum foret, sed totam controversiam ad hoc tandem fuisse devolutam, an gratia Christi secundùm merita nostra detur.

Nec obsunt conjecturæ P. Goner oppositum sentientis, quarum primam colligit ex libro de gratia Christi: sed illam inter statuendam nostram responsionem occupavimus. Quibus adde, quod quia Pelagius gratiam Christi ad perfectionem operis non nisi invitus admisit, ideo eam verbis ambiguis interdum exprimebat: de quo idem ibi conqueritur Augustinus. Secundam conjecturam deducit ex libro de hæresibus, quem Augustinus in fine vitæ scripsit, unde & imperfectum morte præventus reliquit. Ibi autem S. Doctor affirmat Pelagium quàmlibet varium, versicolorem, & multiformem, in eo semper perstitisse, quod omnem gratiam in lege atque doctrina constituerit. *Illam Dei gratiam, sine qua nihil boni possumus facere non esse dicunt* (de Pelagianis loquitur) *nisi in libero arbitrio, quod nullis suis præcedentibus meritis ab illo accepit nostra natura: ad hoc tantùm existimantes ipsum adjuvantem per suam legem atque doctrinam, ut discamus quæ facere, atque sperare debeamus; non autem ad hoc per donum Spiritus sancti, ut quæ didicerimus facienda, faciamus; ut scilicet cùm sit Dei donum scientia, quæ sine charite inflat, non sit Dei donum ipsa charitas, quæ ut scientia non inflet, ædificat.* Verùm hæc conjectura nihilo melior, sed longè infirmior est. Tum quia facilè dici posset, Augustinum ibi solùm primum Pelagianæ hæreseos statum descripsisse, nec esse mirum, si in libro, quem non complevit, non omnes hujus hæreseos status discripserit. Et certè id fateri tenetur ipse Goner, qui credit Pelagianos præter legem atque doctrinam internas etiam illuminationes & excitationes admisisse. Ergo aliquo interpreramento objectum nobis à se Augustini locum exponere debet. Tum quia meritò totam Pelagii gratiam ad legem & liberum arbitrium Augustinus reduxit; si coim gratia Christi secundùm

merita

merita liberi arbitrii lege Dei informati datur, profectò in liberum arbitrium, & legem tota Christi gratia velut in radicem refunderetur. Unde à suo, quem deserere voluit errore, nunquam Pelagius recessit: verè enim observavit D. Prosper *cap. 8. de ingratis*, id hæresis Pelagianæ proprium esse, quod varii illius errores naturali quadam colligatione ita inter se contexti, atque aliis ex aliis nexi sunt, ut si unicum admiseris, in cæteros omnes devolvare. Quod & advertisse Præsules Ecclesiæ ait, perspectum notumque tenentes, *quod nefanda hæreseos summa exiguâ sub parte tegatur, de qua pleua mali labes renovetur, & omne commenti corpus per singula membra resurgat.* Verùm enim verò, quid opus est conjecturis, vel excogitatis explicationum subterfugiis, postquam seipsum Augustinus limpidissimè interpretatus est, in eodemque libro quartum Pelagianæ hæreseos statum non prætermisit? Sic enim habet lib. de hæresibus, hæresi 88. *Denique Pelagius à fratribus increpatus, quòd nihil tribueret adjutorio gratiæ Dei, correptioni eorum hactenus cessit, ut non eam libero arbitrio præponeret, sed infideli calliditate supponeret, dicens ad hoc eam dari hominibus, ut quæ facere per liberum jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam.* Vides Pelagianos increpatos à suis primis statibus, commendatione scilicet liberi arbitrii, & legis recessisse, & correctioni cedentes veram gratiam admisisse, sed in hoc veram doctrinam adulterasse, quòd gratiam Christi libero arbitrio supposuerint, id est eam juxta prævia libertatis merita dari voluerint.

Damnatio Pelagii.

Errores & damnationem Pelagii compendiosè describit S. Prosper *part. 1. carminis de ingratis*, ubi ait, quod coluber ille Britannus ducebat in primis moriturum hominem, etiamsi non peccasset: Nullum esse peccatum originis: peccatumque Adami imitatione, non propagatione posteris nocuisse: Posse hominem, si velit, ad virtutis culmen ascendere, ad hocque voluntatem satis virium habere, sive per rationem ac legem naturalem, sive per legem scriptam: Gratiam verò Christi his omnibus addi, quatenus omnibus offertur sacer Baptismatis fons, quo adultorum peccata levantur, quodve parvulis vero vitio carentibus confertur, ut quos Deus fecit creando bonos, faciat adoptando meliores, & naturæ bonum adjecto honore illustretur. Denique neminem donorum Dei exsortem nasci, eaque unumquemque capere prout sua voluntate promeretur.

Hæc dogmata fortiter Ecclesia rejecit, in iisque detegendis omnium per totum orbem Patrum pia cura enituit. Pestem subeuntem *prima recidit Sedes Roma Petri* per Innocentium I. anno 417. & postmodùm per Zozimum anno 418. Porrò Romam in hoc negotio Primam dicit Prosper, vel quia priùs tempore errores illos proscripsit, vel quia in iis proscribendis studio, solicitudine, zelo, & primæ Sedis authoritate primas habuit. Qui primam tempore intelligunt, decreta Conciliorum Africanorum, Carthaginensis, & Milevitani ab Innocentii Apostolicis Constitutionibus non sejungunt, sed ex omnibus iis unam Pelagii damnationem conflant. Qui verò ly *primam*, authoritate & solicitudine interpretantur, damnationem utramque sejungunt.

Eosdem errores anathemate perculit Concilium Palæstinum Diospoli congregatum anno 415. in quo Pelagius ne damnaretur, errores suos damnavit. Et tamen damnationem istam post Romanam refert Prosper, quod argumento est, per *primam*, authoritatis & Sedis primatum intellexisse. Hoc Concilium benignum, lene, & nimium tolerans malos appellat Prosper, quin & Hieronymus Synodum illam *miserabilem*, epist. 79. vocat, eo quòd Patres Latinum idioma non callentes, Pelagium latinè æquivocationibus accusationes eludentem Catholicum pronunciarint; quamvis, ut benè notat Augustinus, non hæresis est absoluta, sed homo hæresim negans.

Sub idem tempus S. Hieronymus Bethlei hospes, Hebræo simul & Græco, Latinoque venustus eloquio, morum exemplar, mundique Magister, Pelagianos errores præclaris libris dissecuit. Ab Attico etiam Constantinopoleos Archiepiscopo repulsam passi sunt Pelagiani, ab Epheso quoque ejecti, atque è Sicilia pulsi inimici crucis Christi, orbem peragrantes, ut alicubi tutam pestilentiæ cathedram invenirent. Sed in iis hæreticis debellandis Africanorum potissimùm Præsulum cura & ardor emicuit in Concilio Carthaginensi, & in Milevitano, quorum decreta in plenario totius Africæ Concilio sub Zozimo papa renovata sunt. Eorumdem etiam decretorum authoritatem Imperator Honorius secutus legem in Pelagianos anno 418. tulit. Porrò in illo generali Africæ Concilio, cui dux Aurelius Carthaginensis, & ingenium Augustinus erat, non ulla vi, vel solius authoritatis pondere oppressi sunt Pelagiani, sed omni accuratione & diligentiâ eorum errores, errorumque fundamenta in examen vocata sunt, & ut canit Prosper *capite 3. de ingratis:*

—— Discussæ artes, virusque retectum est
Hæretici sensus; nullumque omninò relictum
Docta fides quod non dissolveret argumentum.
Condita sunt, & scripta manent, quæ de cataractis
Æterni fontis fluxere, undante meatu,
Et tercentenis Procerum sunt edita linguis.

Post Conciliorum & Sanctæ Sedis sacra judicia extincta fuere dissidia saltem ad tempus. Nam ut ait August. serm. 2. de verb. Apost. capite 10. *De hac causa duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam, unde etiam rescripta venerunt. Causa finita est: utinam aliquando finiatur error.* Cæterùm mortuo Innocentio, Zozimum successorem circumvenire Celestius & Pelagius conati sunt, suam in omnibus Apostolicæ Sedis judicio & censuræ sententiam supponentes. Quibus credens, vel potiùs compatiens, eosque ad pœnitentiam revocare studens Zozimus, ad Africanos Episcopos scripsit, Celestii obedientiam exhibuit, non tamen eum à vinculis excommunicationis, quibus per Innocentium innodatus fuerat, antè absolvendum censere se ait, quàm ad se Africani Episcopi rescripsissent. Hunc fuisse Summi Pontificis animum declarat Augustinus *lib. de peccat. orig. cap. 6.* his verbis: *Sensum suum aperire Pelagius vel timuit, vel erubuit, quem discipulus ejus palam sine ullius obscuritatis ambagibus apud Sedem Apostolicam profiteri non timuit, nec erubuit. Sed multùm misericors memoratæ Sedis Antistes, ubi eum vidit ferri tanta præsumptione præcipitem, tanquam furentem, donec si posset fieri, resipisceret, maluit eum sensim suis interrogationibus, & illius responsionibus colligare, quàm districta feriendo sententia in illud abruptum, quò jam propendere videbatur, impellere.* Et cap. sequenti: *Hanc ejus præloquutionem Venerabilis Papa Zozimus ferens, agit cum homine, quem falsæ doctrinæ ventus inflaverat, ut ea quæ illi à Diacono Paulino fuerant objecta damnaret, atque ut Sedis Apostolicæ literis, quæ à Sanctæ memoriæ suo prædecessore manaverant, præberet assensum. At ille noluit quidem Diaconi objecta damnare, sed Beati Papæ Innocentii literis non est ausus obsistere; imò se omnia, quæ Sedes illa damnaret, damnaturum esse promisit;*

misit; atque ita velut phreneticus, ut requiesceret, tanquam leniter fotus, à vinculis tamen excommunicationis nondum creditus est esse solvendus, sed interposito duorum mensium tempore, donec rescriberetur ex Africa, resipiscendi ei locus sub quadam medicinali sententiæ lenitate concessus est. Cujus etiam Apostolicæ Sedis clementiæ aliam rationem addit idem Augustinus *libro* 2. *ad Bonifacium*, *cap.* 3. his verbis: *In homine acerrimi ingenii* (qualis erat Celestius, de quo loquitur,) *qui profectò si corrigeretur, plurimis profuisset, voluntas emendationis, non falsitas dogmatis approbata est.* : : : *Quidquid lenius actum est cum Celestio, servata duntaxat antiquissima Fidei firmitate, correctionis fuit clementissima, non approbatio exitiosissima pravitatis.*

Delatis autem in Africam Zozimi literis, contristati Patres Summum Pontificem obtestati sunt, ut in pristino statu omnia relinqueret; quibus iterum respondet Zozimus, de nimia objecta sibi credulitate se purgans. Concilium deinde 24. Episcoporum apud Carthaginem cogitur, à quo iterum Pelagius, Celestiusque damnantur, Innocentii sententiæ standum pronuntiatur, Celestius verò in speciali errores suos damnare compellitur. Quod totum dilucidè tandem agnoscens Zozimus, Celestii fraudibus retectis, mansuetudinem sibi solitam, & Apostolicæ Sedi innatam coactus deposuit, & renitentem Celestium, atque ea quæ sibi à Paulino objecta fuerant, damnare detrectantem Apostolico fulmine contrivit, damnationisque sententiam ad totius orbis Episcopos misit, quam & Synodus Carthaginensis nondum dissoluta gratulanda & festiva recepit.

Jugulato Celestii errore, in Augustinum tumore, arrogentiâ, & conviciis plenissimis libris insurrexit Julianus, qui etiam epistolis Romam, & in Orientem missis, Augustinum suæ hæreseos triumphatorem, atque eo nomine sibi invisum inhonorare conatus est, sed frustrà. Sanctissimus enim Papa Bonifacius tunc Ecclesiæ clavo astans, inimicos Augustini, eosdemque hostes gratiæ Dei non solùm Apostolicis, sed etiam Regiis comprimebat edictis; & quanvis ipse esset doctissimus, adversùs libros tamen Pelagianorum scribere noluit, sed Augustini maluit divina responsa postulare. Juliani epistolas confutavit Augustinus quatuor ad Bonifacium libris: Juliani verò libros, quibus Augustini de nuptiis opus impugnabat, sex aliis elobotarissimis libris in Julianum inscriptis Augustinus confutavit. Octo alios Julianus libros adversùs secundum de nuptiis Augustini librum scripsit, quorum priores quinque Alipius Romæ exscripsit, & ad Augustinum misit, quos quinque aliis libris in opere jam perfecto Augustinus evertit.

Reflexio.

Fateamur itaque adversùs hæreticos cum Ecclesia Catholica magnam divinæ gratiæ misericordiam, & multitudinem miserationum ejus, quibus & mundana Deus desideria pellit, & humanos convertit affectus; quibus Sanctos nos facit affectio sancta, & ipsa gemina, timor Domini sanctus, & sanctus amor, quibus quadruplex nobis, teste Bernardo, confertur effectus, *immissio amaritudinis*, ut terrena displiceant; *subtractio opportunitatis*, ne nos occasio impellat; *virtus resistendi*, cùm tentatio instat; *sanitas affectionis*, quæ opera cuncta sanctificat. Hanc nedum fateamur, sed jugiter imploremus, quæ facit voluntarios, nec salvat invitus, quæ dum de malo mutat voluntatem in bonum, transfert, non aufert libertatem; quæ sanat, cùm immutat affectum; quæ roborat, ut perducat ad actum; quæ servat, ne sentiat defectum; quæ nociva propellit, aut vincit, profutura accersit; quæ ad bona opera dulciter permovet, & fortiter applicat; ex qua denique perenniter fluunt consilia pietatis, hortamenta interna sanctitatis, desideria æternitatis, allectamenta honestatis, splendores veritatis, inspirationes perfectionis, amores divinitatis. Felix qui eâ luce videt, eo gustu sapit, eo ardore flagrat, eo odore fragat, eo duce regitur, eâ voce pulsatur, ejusque motibus velut quibusdam brachiis suis comprehendit, amplectitur, stringit, cœlestemque sponsum tenet, & ait: *Tenui eum, nec dimittam.* Felices filii Dei, qui ita spiritu Dei aguntur, ut etiam spiritu suo quibusdam motibus humanis non deficiant ad seipsos, ne peccent; sed ita aguntur, ut quod agendum est, agant; & cùm egerint, illi à quo aguntur, gratias agant. *Aguntur enim ut agant*, inquit August. de corrept. & grat. cap. 2. *non ut nihil agant: & ad hoc eis ostenditur quid agere debeant, ut quando id agunt sicut agendum est, id est cum dilectione & delectatione justitiæ, suavitatem quam dedit Dominus, accepisse se gaudeant.* Igitur cum fide Catholica veram Dei gratiam confiteamur, quæ non secundùm merita nostra datur, sed dat merita ipse cùm datur; quæ prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujusquam invenit in corde, sed facit; quæ ante omnia bona opera misericorditer nos præveniens, etsi nihil in nobis boni invenerit, ipsa nos facit bonos, aversos convertens, conversos justificans, justificatos instruens munere bonæ voluntatis, & facultate bonæ operationis, simul & bonam donans voluntatem, & efficiens boni operis facultatem; quâ denique perceptâ, ruptis difficultatis vinculis & diligimus quod jubetur, & facimus quod diligimus, & in eo quod benè facimus, permanemus.

Prosequutio ejusdem dissertationis, de hæresi Semipelagiana, ejusque sectatoribus.

Extincta in Pelagianis hæresis in Semipelagianis reviviscere cœpit, quorum doctrina non solùm libero arbitrio favere visa est, sed etiam eorum vita spectabilis multos specie fallente decepit; veris enim sæpe subeunt falsa, & sine discrimine cæco fronte placent, quæ sine latent, ut dixit Prosper carmine sæpe citato, *cap.*4.

Porrò Semipelagianorum errores ad duo capita reducit eorum subtilissimus indagator S. Prosper parte secunda carminis de ingratis. Primum est, omnibus indifferenter hominibus gratiam Dei ita offerri, ut nullo specialiori affectu electos Deus prosequatur. Alterum est, liberum arbitrium in causa esse, cur unus gratiam amplectatur, alter respuat; unus perseveret, alter non perseveret; quia gratiæ opem ex viribus liberi arbitrii comparare sibi quisque potest; si autem non comparet, ideo est, quia neglexit, cùm ex primigeniæ integritatis reliquiis satis virium in natura residuum fuerit ad opem Dei desiderandam, postulandamque. Primum caput de gratia omnibus eadem voluntate oblata, ita ut non major electis, quàm reprobis conferatur, refellit tum exemplo eorum infidelium, qui de fidei mysteriis nihil unquam audierunt, qui dubio procul nec gratiæ, nec salutis participes esse poterre: tum hac ratione, quia si Deus omnes peræquè homines non solùm voluntate antecedente, sed etiam consequente salvos esse vellet, omnes utique salvarentur, cùm haud dubiè impleatur quidquid Omnipotens voluntate consequenti peroptat. Secundum verò caput confutat, tum quia omnis nostra bona voluntas à gratia proficiscitur; à gratia, inquam, non consilio

consilio tantùm, hortatuque benigno docente & suadente, sed mutante intus mentem, & faciente indeclinabiliter ut velit. Tum quia ante gratiam, quæ velle & operari in nobis efficit, nemo potest seipsum ad gratiam præparare, quoniam fides, quæ prima datur, per quam cætera impetrantur, gratuitum Dei donum est, quod sub meritum cadere nequaquam potest. Tum quia virtute gratiæ omni tempore conversa sunt pessima corda, quibus nihil rectæ voluntatis unquam insederat: *Recole innumerabile vulgus retrò senum & juvenum, qui cæca turpiter usi libertate animi per cultus dæmoniorum, per magicas artes, per amorem rapta tenendi, per stupra, per cædes vitam duxere nefandam. Et tamen incumbente obitu, jam limite in ipso extremi status, miserantem noctè remota cognovere Deum, purgatorisque lavacri munere, nulla mali linquentes signa prioris, exempti mundo mutarunt tartara cœlo. Quæ merita hîc numeras? Si præcedentia cernas, impia; si quæris pòst addita, nulla fuerunt.*

Obsarvat etiam idem Prosper, Semipelagianos, quanvis alta Pelagianæ hæreseus capita detestari præ se ferrent, reapse tamen ipsa admittere, & cum damnatis hæreticis pacem inire. Etenim si bonus affectos, & pium voluntatis initium voluntatis viribus asseratur, frustrà dicitur primigenii peccati labe natura læsa: si dona gratiæ sint ita proposita, ut nullus non possit ad illa suâ libertate pervenire, procul dubio ex *fonte volendi*, ut loquitur Prosper, profluet salus, quod est in putum putum Pelagianismum ire. Unde infert ex iis, quæ contra Pelagianos definita sunt, Semipelagianos etiam evidentissimè confutari. Quin & Semipelagianorum Ecclesiæ dogmatom approbationem fictam esse tradit, quia plenitudinem gratiæ non admittebant, nec volebant gratiam efficere, ut ipsa fides incipiat, ut radices agat, ut germinet, ut crescat, ut maturescat, ut ad finem usque perseveret, ne lolium, & tribuli, & vanæ dominentur avenæ, ne ventus frangat, torrens trahat, æstus adurat. Dum enim contendebant vocanti, & hortanti Deo ita hominem propria libertate assentiri, ut ejus conatum Deus sequatur, procul dubio hoc dogmate gratiam Christi evertebant, quam pulsare tantùm, & non aperire cordis januam volebant. Quia hoc pacto non gratia, sed liberum arbitrium bonam voluntatem agit: veluti cùm quis auditis, vel lectis quæ placent, aut displicent, variè commovetur, tunc animi affectus non his quæ audit, vel legit ascribi debent, sed libero arbitrio pro suo nutu huc illuc torquente se, & flectente: unde exoritur secreta cordis in aula nunc amor, aut odium, nunc spes, metus, ira, dolorque. Ergo in Pelagianos recidunt Semipelagiani, nec veram Christi gratiam confitentur, quæ flectit voluntatem quò vult omnipotenti virtute, quam nullum remoratur obstaculum, quæ nullis anceps causis suspenditur, quæ merita non invenit, sed facit; quæ ne quidem desiderari potest, nisi cùm ipsa se desiderari facit. Est enim cunctis dux venientibus ad se, perque ipsam nisi curratur, non itur ad ipsam. Ergo ad iter per iter ferimur, sine lumine lumen nemo videt, vitam sine vita inquirere mors est.

Parte tertia sui poëmatis argumenta Semipelagianorum S. Prosper refellit, & eorum querelas propulsat, quas ad duas potissimùm revocabant. Prima erat, tolli liberum arbitrium, pietatisque studium & industriam removeri; imò nec vitiis pœnam deberi, aut præmia virtuti, si vel natura peccato corrupta mala velle sine gratia necesse habeat; & si eâ opus sit gratiâ, quæ det velle & currere, ut homo benè agat. Cui objectioni respondet Prosper primùm, illud argumentum à Pelagianis illos fuisse mutuatos. Secundò ait, hac objectione fidem peccati originalis deleti: primum enim peccatum ad nos transfusum non solùm corpus deturpat, sed voluntatem sauciat, nosque concupiscentiæ dominantis jugo subdit, à qua semper in malum rapimur, tametsi non nisi volentes consentiamus; quia libero arbitrio non ex toto quidem deleto, sed infirmato, manet voluntas libera, sed non bona; & quócumque fertur, ruit & labitur. A qua servitute voluntatem sola Christi liberat gratia, quæ fructui arboris vitæ similis languidam mentem sola reficere, ac renovare idonea est. Hac gratia pristinum honorem, libertatem scilicet in Adamo amissam recuperamos: illâ fit in nobis bonorum omnium meritorum principium, quæ eo magis crescunt, quo illam humiliùs accipimus, & largitori sua dona gratiarum actione reddimus. Denique ut convincat gratiam non dari secundùm humanæ voluntatis studia, sed secundùm beneplacitum, quibus vult Deus eam gratis largiri, affert Prosper exemplum parvulorum à baptismo mox hinc migrantium, infinitis aliis non percepto baptismate pereuntibus, meritis tamen paribus, seu potiùs utrobique nullis. Nec potest salus eorum qui baptizantur, parentum meritis ascribi, cùm videamus multos ortos è sanctis parentibus, nullo suorum studio salvari potuisse, & alios expositos ob turpia crimina matrum, de stercore ferri ad fontem Baptismi, & inde ad cœlum migrare. Quod maximè patere ait in geminis, quorum alter interdum baptizatur, dum alius sine Baptismo moritur, solâ eos Christi gratiâ discernente.

Secundum Semipelagiani argumentum ex eo petebant, quod nisi gratia peræquè omnibus detur, & alicui gratia efficax denegetur, reos non fore peccati, quos gratia neglexerit, utpote quibus benè gerandi non data fuerit virtus. Cui objectioni respondet, ab eis tantùm proponi debere hoc argumentum, qui peccatum originale non agnoscunt. Cùm enim authore Apostolo, per unius delictum in condemnationem justissimam universa hominum massa defluxerit, eoque solo peccato rei nascantur omnes homines, ac digni morte, etiamsi nulla ei propria scelera adjicerentur; profectò nemo queri potest se Dei gratiâ non liberari, quæ jure potuit neminem liberare. Abhorret enim à ratione, ut qui sola Dei benignitate liberati sunt, eum accusent, quòd non omnibus pariter reis eandem benignitatem præstiterit. Hinc monet justos, & pro collatis sibi donis Dei gratias agere, & consideratione justæ infidelium & peccatorum derelictionis excitari ad impetrandam eis humili prece liberationem & misericordiam, quam utique peccatores ipsi non quærunt, qui & miseriâ suâ delectantur. Monet etiam, non esse curiosè scrutandum, cur ex toto humano genere pars una eligatur, alterâ rejectâ, licèt eadem causa omnes implicet: tum quia id ignorare non obest; sicut non oberat olim nescire, omnes gentes ad fidem fore vocandas, totumque per orbem donandum esse, quod spes tunc parvæ plebis habebat: sicut etiam non obest ignorare quando mundus finietur: sicut quoque non obest nescire, quæ sit causa tantæ varietatis in genere humano, ut cùm eadem sit in omnibus natura ab uno limo producta, unus tamen regnet, alter serviat; unus decore & viribus etiam in senectute floreat, alter turpe corpus habeat & debile; unus præclaro ingenio & ad præclaras artes comparato vigeat, alter tarditate & hebetudine ferè brutescat; unus nec licito calore incitetur ad generandum, alter insanum nequeat frenare libidinis furorem, unde concludit:

His, & mille modis semen variantibus unum
Impariles subeunt distincta exordia formas.
Nec tamen hac inter tam compugnantia quisquam
Arguit authorem, qui secum continet hujus

Legem

Legem operis, dum judicio placita explicat aequo,
Et rerum causas obscurat justa potestas,
Si terrenum igitur figmentum, addictaque morti
Progenies ita dissimili producitur ortu:
Quid mirum si consilii super omnia magni,
Arcanum latet? : : :
Non ergo instamus clausis, nec operta procaci
Urgemus curâ, satis est opera Omnipotentis
Cernere, & authorem cunctorum nosse bonorum,
Quo sine nihil rectum mens inchoat.

Parte quarta ejusdem carminis comparat Prosper doctrinam Semipelagianorum cum Pelagiana hæresi, additque Semipelagianos verbo tenus Pelagium reprobare, subtilissimum illius hæreseos venenum retinentes. Imò in hoc Pelagianis deteriores eos esse vult, quia Pelagius quâmlibet vafer, nullo melle suæ hæresis pocula prælivit, ideoque dum errores suos initio minùs obtexit, plerosque deterruit ipsa dogmatum deformitas. At Semipelagiani tetriores errores damnantes periculosiùs fallunt, dum aiunt naturam suis viribus relictam, ad verum bonum ferri posse, ad Deum tendere, & Sanctos multa recti assuetudine firmos posse dæmonis oppugnationes propriis viribus frangere; imò & Deum utiliter justos suos interdum deserere, ut illis sibi dimissis, detur merendi locus, quasi originali peccato læsa natura non fuerit. Et tamen fides Catholica ideò primi parentis vulnere sauciatam humanam naturam docet, ut ne quidem oculos mentis sponte possit in Deum sine Deo tollere, nec miseriam suam agnoscere; quoniam hoc spoliante tyranno perdidit, ut quanto jaceat sub vulnere norit.

Nec obest, inquit, quod aliquid nobis ex pristini status reliquiis supersit; non obest, inquam: tum quia illæ reliquiæ ad temporalem demùm vitam pertinent, non ad acquirendam æternam, nec ad virtutis adjumentum, cùm potiùs hinc superbiendi materiam natura corrupta arripiat. Tum quia si per superstites illas reliquias posset homo suo vigore, ad salutem sibi viam sternere, gratis Christus mortuus fuisset. Ut ergo homo captivus, & miser, qualis sit agnoscat, quo carcere clausus, quóve morbo obsessus; ut videat quanta sit humani generis ruina, consideret Verbi Dei humilitatem, quâ homo, & miser fieri dignatus est; attendat quomodo virtus infirmata, sapientia ludificata, gloria obscurata fuerit; quomodo justitia iniquitati, clementia sævitiæ, & tormentis innocentia subjecta fuerit, ut unius insontis mors fieret reorum vita. Deus! qualis morbus, cui eripiendo non nisi morte medici succurri potuit?

Non obest etiam si dicatur, Sanctis obtinendæ coronæ causam auferri, nisi in eis reperiantur bona, quæ proprio ipsorum arbitrio accepta referri possint. Non obest, inquam; quia hæc tumida doctrina, dum falsas virtutes quærit, verâ justitiâ, & Deo homines spoliat. Vera etenim Christianorum gloria, & benè operandi, subindeque merendi spes non in fœni flore caduco, sed in Christo est; *Christus enim tua justitia est, quo te duce oportet currere, ne cursus Christo sine sit vagus error. Sicut enim palmes nullos valet edere fructus non in vite manens, quæ de radice ministra succum agat in frondes, & musto compleat uvas; sic infæcundi virtutum, & fruge carentes perpetui cibus ignis erunt; qui vitæ relicta audent effusa de libertate comarum fidere, ne Christi sint ubertate feraces.*

Hæc de Semipelagianis in communi tradit Prosper: verùm eorum errores in speciali meliùs dignoscemus, si sectatorum hujus hæresis doctrinæ capita sigillatim referamus.

Monachi Adrumetini.

Cùm Florus Adrumetini Monasterii Monachus celebrem Augustini epistolam 105. in Monasterium detulisset, putaverunt nonnulli numero quinque Augustinianâ de gratia doctrinâ ita gratiam Christi commendari, ut everso libero voluntatis arbitrio nulla esset hominibus in futuro judicio reddenda secundùm opera sua retributio. Hinc turbatum Monasterium, ex eoque discedentes Crasconius, & Felix Augustinum instruendi conveniunt, quos Sanctus Doctor à se eruditos ad Monasterium remisit cum epistolis & libro de gratia & libero arbitrio, ad sedandas turbationes peridoneis. His Adrumetum delatis pace ingenti gavisi sunt, sed non diuturna; nonnemo enim Monachorum concordiam libertatis cum gratia intelligere non valens, neminem corripiendum esse dixit, si præcepta Dei non facit, sed tantummodò ut faciat, pro illo esse orandum. Hujus commentitiæ consequentiæ evertendæ causâ eximium edidit Augustinus de correptione & gratia librum, quo nec gratiam removere correptionis necessitatem, nec correptionem excludere gratiæ opitulationem demonstravit.

Isti Monachi inter Semipelagianos annumerari possunt, quia non accusantur negasse peccati originalis, vel aliarum Pelagii hæreseon, sed tantùm adversùs efficacem Christi gratiam eos murmurasse legitur; quæ difficultas, ut patebit, una fuit, quæ Semipelagianismum excitavit, & fovit.

Vitalis.

Primus qui exertè Semipelagianismum docuit, Vitalis fuit, qui ut ex 107. ad ipsum scripta epistola claret, existimabat initium rectæ in Deum fidei, & bonæ voluntatis non Dei donum esse, sed à nobis proficisci; cætera autem religiosæ vitæ bona Deum per gratiam suam jam ex fide petentibus, quærentibus, pulsantibus donare consentiebat. Adversùs hunc errorem auream illam epistolam scripsit Augustinus, & quidem fortunatissimè; nam & ab errore Vitalem revocavit, & Semipelagianismum in Africa nascentem eradicavit.

Massilienses.

Occasione libri de correptione & gratia Presbyteri Massilienses conturbati, expressiùs Semipelagianismum docuerunt, qui & Semipelagiani simpliciter dicti sunt, quia ad initium salutis sufficere naturam, nec opus esse gratiâ Christi, ex professo tradiderunt. Hos ad Augustinum tanquam specialem Fidei Patronum, & gratiæ divinæ defensorem deferendos censuerunt Prosper & Hilarius Arelatensis Episcopus; eoque magis, quod cùm clari essent, & egregii in omni virtutum studio, magnaque esset de probitatis illorum contemplatione reverentia, verendum erat ne alios ad se pertraherent. Illos servos Christi appellat Prosper, & Augustinianæ adversùs Pelagium doctrinæ amantes; sed librum de correptione & gratia non solùm durum, sed etiam Patrum opinioni, & Ecclesiastico sensui, in iis potissimùm, quæ de vocatione electorum secundùm Dei propositum, & de indeclinabili gratiæ virtute disputarat, contrarium arbitrati sunt. Eorum dogmata sic nobis describit Sanctus Prosper.

Primò licèt admitterent omnem hominem Adamo peccante peccasse, & neminem per opera sua, sed per Dei gratiam regeneratione salvari; attamen universis hominibus propitiationem, quæ est in sacramento sanguinis Christi, æquali voluntate esse

propositam, nec specialiori affectu Deum electos prosequi asserebant, sed potiùs eos in regnum suum prædestinasse, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hac vita bono fine excessuros esse præviderit.

Secundò inde colligebant doctrinam Augustini de gratuita prædestinatione esse rejiciendam, contendentes neminem ante Augustinum eum Apostoli ad Romanos epistolæ sensum dedisse, quem ille dederat; imò & doctrinam illam ædificationi audientium esse contrariam, & etiam, si vera esset, minimè esse prædicandam. Hinc nolebant certum esse prædestinatorum numerum, sed posse minui, vel augeri, ne locum apud infideles & negligentes cohortationum incitamenta non habeant.

Tertiò volebant hominem ad gratiam, quæ est in Christo, per naturalem facultatem pervenire, quia scilicet bono naturæ benè usus est. Et quia statim se offerebat instantia parvulorum nullum voluntatis usum habentium, quorum alii ad gratiam Baptismi vocantur, alii non vocantur; respondebant confugiendum esse ad scientiam conditionatam futurorum, tales nimirum perdi, talesque salvari, quales futuros illos in annis majoribus, si ad adultam pervenissent ætatem, scientia divina præviderit. Idem servatâ proportione dicebant de adultis, quorum nonnullis prædicatur Evangelium, aliis non prædicatur; cujus dispensationis discrimen non in Dei beneplacitum, sed in fidem & opera conditionatè præscita referebant, dicentes *dispensasse Deum tempora & ministeria prædicationis, juxta quod prævidebat aliquos credituros, & exorturam esse bonarum credulitatem voluntatum.*

Quartò affirmabant, gratiam Dei voluntati humanæ subditam esse, subindeque illam esse comitem, non præviam humanarum voluntatum, quas tamen secundùm suam phantasiam ab ea volebant esse præventas. Porrò non singulos à gratia ideirco renovari aiebant, quia prænoscebantur, quod non vellent renovari. Unde cùm duo sint, quæ humanam salutem operentur, Dei scilicet gratia, & hominis obedientia, priorem esse volebant obedientiam quàm gratiam, ut initium salutis ex eo qui salvatur, non ex eo credendum sit stare, qui salvat; & voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, non gratia sibi humanam subjiciat voluntatem. Quam eorum doctrinam sic etiam Prosper *cap. 10. de ingratis*, describit:

Gratia quâ Christi populi sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc ascribitis illi,
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens, studeat communem afferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum:
Sed proprio quemque arbitrio parere vocanti,
Judicioque suo motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ non se subtrahat ulli;
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.

Eadem Semipelagianorum dogmata describit Hilarius in sua ad Augustinum epistola, ubi expressè tradit primò negasse eos, dari à Deo hominibus credendi voluntatem: secundò remansisse aliquas in homine post peccatum originale reliquias vigoris, qui prædicatione posset, & correptione excitari: tertiò sufficere quidem neminem sibi ad bonum opus incipiendum, vel perficiendum; sufficere tamen quemque sibi, ut velit sanari, quia velle sanari inter opera minimè computabant: quartò perseverantiam etiam usque in finem non donari à Deo, sed donum perseverantiæ posse nos emereri, & datum amittere. Unde eam Augustini divisionem, quâ gratiam partitus fuerat in eam sine qua Adam perseverare non poterat, & in eam quâ electis nunc perseverantia ipsa donatur, vehementer reprehendebant, & molestè ferebant, eaque quandam hominibus desperationem exhiberi contestabantur. Quare volebant solùm in hoc nos ab Adamo distare, ut hunc integris viribus voluntatis juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat; nos verò amissis, & perditis viribus credentes tantùm non solùm erigat prostratos, verùm etiam suffulciat ambulantes.

Joannis Cassiani, Fausti Rhegiensis, & Gennadii errores.

Unus è præcipuis Augustinianæ doctrinæ adversariis fuit Joannes Cassianus ex Diacono S. Joannis Chrysostomi factus Presbyter Massiliensis. Ejus doctrinæ summam paucis exponam.

Primò volebat hominem posse per semetipsum bonum velle; quam bonam voluntatem veluti emicantem scintillam confovet Deus, suaque inspiratione confortat; quia nihil, inquit, prodest sanitatis gratiam concupisse, nisi Dominus, qui vitæ ipsius usum tribuit, etiam vigorem incolumitatis impertiat. Videatur collatio 13. *cap.* 7. 8. & 12.

Secundò asserebat, ex sola facultate liberi arbitrii posse hominem habere charitatem, & superare graves tentationes, & ideò totum non esse ita Deo tribuendum, quin aliqua laus, & industria libero arbitrio servanda sit. Videatur collatio prædicta, *cap.* 14.

Tertiò volebat, non posse quidem hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, habere tamen eum à semetipso desiderium sanitatis; quia homini ex naturalibus conanti facere quod in se est, gratia datur, quâ Deus bonos naturæ conatus dirigit & incitat ad salutem. Hos tamen conatus non esse meritorios gratiæ volebat, sed potiùs occasiones & veluti ansas, quas Deus apprehendebat. Videatur ibidem, *cap.* 8. & 11.

Cassiani errores sequutus est Faustus Rhegiensis duobus de gratia, & libero arbitrio libris; & quanquam eo in opere gratiam Dei astruere videatur, eam tamen evertere nititur. Nam non solùm cum Massiliensium vulgo vult superesse nonnullas in homine primævæ integritatis reliquias, per quas sit initium salutis esse à nobis tanquam ex nobis, & facienti quod in se est ex viribus naturæ, Deum conferre gratiam; sed insuper in Pelagianismum labens gratiam ad progressum in justitia faciendum purè externam esse pronuntiavit. Nam *lib.* 2. *cap.* 6. Abel divinis placuisse conspectibus per insitum à Deo generaliter bonum, id est per propriæ voluntatis affectum scripsit. Quod de aliis Patriarchis in sequentibus docet, ubi & legem Mosis gratiam secundam, sicut legem naturæ gratiam primam appellat. Deinde hæc verba Psalmi 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, &c.* quæ Patres de vera gratia interpretantur, de gratia externa ille exponit lib. 1. cap. 11. *Nunquid aliter ædificat & custodit Ecclesiam quàm per labores & officia Sacerdotum, per ministeria, & exempla Sanctorum, per Apostolorum virtutes, & Martyrum mores?* Quin verba illa Salvatoris: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum*, quæ de vera gratia unanimis Catholicorum sensus intelligit, sic ille *capite* 17. exponit: *Quid est attrahere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, nisi increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri?*

Cassianum, & Faustum laudat eorum sectator Gennadius libro suo de viris illustribus, in quo & Prosperum Cassiano, & Hieronymum Ruffino iniquissimè postponit. Qua de causa Gennadii, sicut & Fausti

libros

libros Gelasius Papa canone *Sancta Romana Ecclesia*, inter apocryphos numeravit. Fateor tamen præfatos tres Authores à viris gravissimis excusari; Cassianum quidem, quia nondum erat ab Ecclesia proscripta Semipelagianorum doctrina, quam post rescriptum Cœlestini Papæ revocasse ferunt, curâ præsertim Sixti Cœlestini successoris; unde ei postea contra Nestorianos scribendi provinciam Leo Magnus demandavit; unde in provincia Provinciæ inter Sanctos habetur, ut apud Sanctum Maximum, dum ibi commorarer, accepi. Faustum verò, quia licèt contra ipsum & S. Fulgentius in Africa, & Avitus Viennensis in Gallia scripserint, eum tamen ab hæresibus suis resipuisse ferunt, unde & in Regiensi Diœcesi ut Sanctus coli solet. Idem de Gennadio affirmat Baronius, quem à Papa Gelasio ad veram fidem revocatum, & ad Episcopatum deinde Massiliensem assumptum fuisse narrat.

Porrò Semipelagianismus non solùm à Cœlestino Papa instantiâ Prosperi, sed etiam ab Arausicano secundo Concilio sub Felice III. celebrato, & à Bonifacio II. Felicis successore confirmato damnatus est. Scio aliquos Severum Sulpitium, Vincentium Lirinensem, imò & Joannem Chrysostomum Semipelagianis accensere. Verùm id ægrè crediderim; licèt enim Severus Sulpitius à Massiliensibus nonnihil deceptus fuerit, tamen post Cœlestini rescriptum sensui Catholico adhæsisse constans est, ut apud Guibertum Abbatem apologiâ pro Severo editâ videre est. De Vincentio Lirinensi id minùs crediderim, cùm in aureo, & nunquam satis laudato suo contra prophanas novitates opusculo non solùm Pelagium detestetur, sed & Cœlestini rescriptum adversùs Semipelagianos latum profundâ reverentiâ laudet.

Cæterùm hunc errorem Magno Chrysostomo affingere nullus sine calumnia potest; quidquid enim conetur Vasques carpendorum Patrum avidus, nunquam tamen vim verborum istorum elevabit, quibus vir ille divinus, & Orientis Augustinus Semipelagianismum nondum natum prævidit, & præfocavit hom. de Adam & Eva: *Omnium bonorum affectuum atque operum, & omnium studiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei ad Deum tenditur, Deum profiteamur authorem; & non dubitemus ab ipsius gratia omnia hominis bona provenire, per quam etiam fit, ut aliquid boni & velle incipiamus & facere.* Quid iis verbis limpidius, vel Semipelagianismo adversantius? Profectò benè de Chrysostomo Vasques meritus est; nam in materia de visione, statum gloriæ à Chrysostomo destructum, & in materia de auxiliis, statum gratiæ ab eodem esse deletum comminiscitur. Quis tantam de Ecclesiæ Patribus, & Patrum Patriarchis, & Patriarcharum lumine Chrysostomo, & ipso reluctante, ac calumniam occupante, obloquendi licentiam ferat?

Quæres primò, utrum Semipelagiani dum vellent initium salutis esse à nobis, omnem excluderent gratiam internæ necessitatem?

Respondeo, Semipelagianos eam solam gratiam Christi rejecisse, quæ nocere libertati, inducere necessitatem, inutilem efficere correptionem illis videbatur, quale erat *auxilium quo*, ab Augustino libro de correptione & gratia traditum, & explicatum. Gratia autem moraliter duntaxat excitans, usum & determinationem voluntatis expectans præfata inconvenientia non parit.

Veritas autem nostræ responsionis colligitur: tum quia Prosper in epistola ad Augustinum ait, Semipelagianos velle gratiam *comitem, non praviam meritorum*, à qua tamen *non negant voluntates secundùm suam phantasiam*, id est in aliquo sensu *esse præventas*. In nullo autem sensu voluntas potest à gratia præveniri, nisi per illuminationem, & excitationem moralem. Nec potest dici, gratiam illam desiderasse Massilienses ad opera perfecta, non ad initium fidei. Non potest, inquam, dici; nam in eodem contextu ait Prosper se loqui de præscientia, *secundùm quam gratia vocantis operatur*, quæ utique gratia prima est, & pia initia præcedens.

Tum secundò, quia Semipelagiani non magis excluserunt gratiæ adjutorium ad inchoandum bonum in homine lapso, quàm in homine sano; cùm enim in homine lapso admitterent tantùm reliquias sanitatis Adami, non potuerunt existimare hominem læsum minoribus egere auxiliis, quàm egeret homo illæsus; majoremque inesse virtutem reliquiis naturalis possibilitatis, quàm ipsi naturali possibilitati integræ, & completæ. Atqui Massilienses, vel Semipelagianorum ullus nunquam dixerunt, hominem in primæva sua integritate constitutum non egere gratiæ internæ auxilio, sed cum Catholicis semper senserunt, Adamum ita potuisse bonum operari, ut tamen auxilio sine quo semper egeret. Unde in epistola S.Hilarii refertur, ipsos divisionem gratiæ in gratiam primi hominis, & hominis lapsi eatenus molestè tulisse, non quòd existimarent gratiâ Adamum non egere, sed quatenus credebant, stante Augustini doctrinâ de gratia & auxilio *quo* ad perseverandum homini lapso necessario, desperationem hominibus exhiberi. Ergo Semipelagiani internum gratiæ, & auxilii sine quo influxum non excluserunt.

Tum tertiò, quia Semipelagiani eodem modo dicebant initium fidei esse ex nobis, & ex natura, quo perseverantiam finalem, ut patet ex literis Prosperi & Hilarii, & ex Augustino libro de dono persev. cap. 17. *Hi initium fidei*, inquit, *& usque in finem perseverantiam sic in nostra constituunt potestate, ut Dei dona esse non putent, neque ad hæc habenda atque retinenda Deum operari nostras cogitationes & voluntates.* Atqui Semipelagiani nunquam excluserunt auxilium interius sine quo ad perseverandum; nam in statu innocentiæ auxilium illud ad perseverandum desiderabant, *ut illum integris viribus juvaret gratia volentem, sine qua perseverare non poterat*, inquit Hilarius Semipelagianorum mentem referens. Non erant autem sic stolidi viri, quorum eruditionem & pietatem & famam commendat Prosper, ut crederent reliquias primævæ integritatis esse post ipsum peccati naufragium ipsa integritate validiores.

Confirmatur hoc argumentum: Ex Augustino *de dono perseverant. cap. 7.* si homo esset adhuc in sua primæva integritate, vera esset Semipelagianorum sententia; sed quia attenuata est, viriatque natura, ait illam esse falsam. *Non est hoc* (loquitur de dono perseverantiæ) *omninò in viribus liberi arbitrii, quales nunc sunt: fuerat in homine antequam caderet. Post casum autem hominis non nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo accedat ad eum; neque nisi ad gratiam suam voluit pertinere, ut homo non recedat ab eo.* Vult ergo Augustinus veram fuisse Semipelagianorum sententiam in statu innocentiæ, in quo poterat homo ad Deum accedere, & à Deo non recedere per naturalem possibilitatem. Atqui quod dicebant Semipelagiani de homine lapso, non poterat esse verum de homine innocente, nisi admitterent aliquod interioris gratiæ auxilium sine quo, quod utique

utique homini integro necessarium fuit. Ergo Semipelagiani auxilium interius sine quo in statu naturæ lapsæ non rejiciebant, quo ad Deum accedamus per initium fidei, & à Deo non recedamus per perseverantiam.

Tum quartò, quia ipsi Semipelagiani, & Semipelagianismi acerrimi defensores gratiam illam interiorem illuminationis & excitationis ad pia initia se admittere declararunt. Nam Gennadius lib. de Ecclesiast. dogmat. cap. 21. *Manet utique*, inquit, *ad quærendam salutem arbitrii libertas, id est rationalis voluntas, sed admonente priùs Deo, & invitante ad salutem, ut vel eligat, vel sequatur, vel agat occasione salutis, hoc est inspiratione Dei. ::: Initium ergo salutis nostræ Deo miserante habemus; ut acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est; ut adipiscamur quod acquiescendo admonitioni cupimus, divini est muneris.* Id ipsum æquè apertè tradit Cassianus *collat.* 3. *cap.* 3. 4. 12. & *coll.* 13. *cap.* 3. ubi ait ex Deo esse vocationem, Deum esse principium bonarum cogitationum, quibus *nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ rectè cupimus, tribuit peragendi.* Hac inspiratione ait *dormientes excitari voluntates ad desiderium æternæ vitæ, ac salutis*; & nos *ea provocatos ad viam salutis accurrere.* Illas tamen inspirationes ita se habere docet, *ut nostrum sit ipsis vel enixiùs, vel remissiùs famulari.* Ipse etiam Vitalis Semipelagianorum præcursor, qui tam acriter contendebat fidem esse in nobis à nobis, fidem non esse donum Dei, sed esse ex nostra voluntate, quam nobis in nostro corde non est operatus Deus, ut patet ex epistola 107. Augustini: ille, inquam, Vitalis gratiæ interioris moralem excitationem non excludebat; nam in eadem epistola aiebat, *hominem posse Dei suasione præcedente, consequente consensione, libertate naturali credere.* Denique ipse Augustinus ante Episcopatum suum Semipelagianorum sententiæ adhærens, ut *lib. de Prædestin. Sanct. cap.* 3. Doctor humillimus confitetur, nunquam tamen credidit hominem in naturæ reliquiis potuisse sine gratia, quod in integritate naturæ non poterat; nunquam enim talem errorem retractavit vir ad revocanda & corrigenda sua opera totus fictus & comparatus. Sed non est opus conjecturis, quando res ipsa loquitur. Augustinus in libro de beata vita, quem adhuc catechumenus scripsit, expressè motionem excitationis internæ ad initia pietatis requirit his verbis: *Admonitio quædam est, quæ nobiscum agit, ut Deum recordemur, ut eum quæramus, ut eum pulso omni fastidio sitiamus, de ipso ad nos fonte veritatis emanat, hoc interioribus luminibus nostris jubar sol ille secretus infundit.* Recordari autem Deum, quærere Deum, sitire Deum, pia sunt voluntatis initia.

Dices primò: Semipelagiani admittebant initium fidei esse à nobis, non esse donum Dei, nec illud Deum in cordibus nostris operari: Ergo gratiam interiorem ad illud initium non admittebant.

Respondeo, hinc potius sumi argumentum pro nostra sententia. Nam non est quod dicantur Semipelagiani eam gratiam ad initium fidei exclusisse, quâ admissâ semper stat, fidem esse à nobis, & non esse donum Dei: atqui admissâ gratiâ interiori, qualem habuit Adam in statu integritatis, stat fidem esse à nobis, & non esse donum Dei; nam admissâ illius gratiæ necessitate, nihilominus dixit Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 11. *perseverare, vel non perseverare, in hominis relinqui arbitrio.* Quod & repetit libris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ, ubi ait, *perseverare esse in viribus liberi arbitrii.* Quod autem relinquitur libero arbitrio, quod est in viribus liberi arbitrii, à nobis nec speciale Dei donum censetur. Et ratio est clara, quia licèt inspiratio, & excitatio interna sit donum Dei, determinatio tamen, applicatio, & bonus usus excitationis illius à libero expectatur arbitrio, nec usum illum inspiratio illa operatur.

Instabis: Ex Prospero Massilienses volebant hominem per naturalem virtutem, & facultatem posse ad gratiam, quâ in Christo renascimur, pervenire petendo, quærendo, pulsando; *ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introeat, quia bono naturæ benè usus, ut ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Ergo Semipelagiani in nuda natura omni gratiæ auxilio carente initium fidei, & meriti collocarunt.

Respondeo hoc argumento convictos Franciscum à S. Augustino Minoritam, & nostrum Baptistam Gonetum, fateri quod licèt aliqui Semipelagiani gratiam indifferentem liberi arbitrii determinationem expectantem ad initium fidei admiserint, aliqui tamen omnem prorsus gratiam ab initio fidei & meriti removerunt, & in purum Pelagianismum hac in parte relapsi sunt. Verùm etsi non sine fundamento illud inter ipsos Semipelagianos schisma asseritur, attamen argumentum factum non solùm evidenter solvi potest, sed etiam ex eo nostra sententia mage, magisque firmari. Etenim juxta tritum Augustini, Patrum, Summorum Pontificum, ac sacrorum Conciliorum loquendi modum, per phrases istas, *Bonum opus est ab homine, fit per liberum arbitrium, per naturalem virtutem, & facultatem,* non excluditur quodlibet gratiæ interioris auxilium, quia non excluditur *auxilium sine quo,* sed duntaxat *auxilium quo.* Nam August. *lib. de natur. & grat. cap.* 43. licèt non neget auxilium sine quo Adamo fuisse necessarium, tamen Adamum *liberi arbitrii ad justè vivendum potestate* viguisse ait. Et *lib. de corrept. & grat. cap.* 10. ait Sanctos Angelos *per ipsum liberum arbitrium in veritate stetisse.* Quod idem docet Prosper *lib. contra Collatorem, cap.* 18. & Fulgentius *lib. de incarn. & grat. cap.* 22. Hinc Cœlestinus Papa *epist. ad Episcopos Galliæ, cap.* 4. definit, *in prævaricatione Adæ omnes homines naturalem possibilitatem perdidisse.* Quæ naturalis possibilitas nihil aliud esse potest, quàm potestas recta cogitandi, volendi, & agendi, quæ auxilium sine quo minimè in Adamo excludebat. Quâ observatione omnia adversariorum argumenta absque negotio dissolves.

Urgebis: Ex eodem Prospero iidem Semipelagiani volebant, priorem esse hominum obedientiam, quàm gratiam: ergo omne excludebant interioris gratiæ auxilium.

Respondeo hoc etiam argumento probari potiùs nostram sententiam; manifestum est enim, obedientiam illam supponere necessariò aliam gratiam priorem, cui obediatur, ratione cujus obedientiæ alia ulterior gratia ad bona, & perfecta opera concedatur. Impossibile enim est reddi obedientiam, nisi alicui priùs naturâ præcipienti obtemperetur: Ergo obedientia, quæ præcedit gratiam donantem bona opera, supponit internam gratiam, cui obediat, & cujus merito plenius auxilium, seu auxilium quo concedatur, beneficio cujus non solùm erigantur prostrati, sed etiam suffulciantur ambulantes. Uno verbo, ut omnia objecta occupentur, per omnia illa testimonia, quæ nobis objicere possunt adversarii, nunquam evincent Semipelagianos excludere voluisse *auxilium sine quo,* sed unum duntaxat auxilium quo, auxilium medicinale, auxilium curationis, auxilium liberantis, auxilium quod facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati. Negando enim illud

auxilium,

auxilium, & admittendo solum auxilium sine quo, expectans bonum libertatis usum, verè & consequenter dixerunt, naturam posse propriis viribus velle sanati, quærere medicum, homines priores dare Deo, ut retribuatur eis, hominem quasi componere cum Deo, ut partem fidei sibi vendicet, atque illi partem relinquat, & quod est iniquius, primam tollat homo, sequentem det Deo; & in eo quod dicit amborum, priorem se faciat, posteriorem Deum. Hæc enim duplici de causa deducebant, & quia bonum usum & determinationem libertati asserebant, & quia illis initiis meritum gratiæ ulterioris ascribebant. Illud porrò Augustinus in hoc præsertim statu donum Dei non existimat, quod *auxilium quo* non operatur. Idque ex contextu Augustini advertet facillimè Lector eruditus.

Dices secundò, nostram responsionem adversari celebri & solenni Innocentii X. & Alexandri VII. Summorum Pontificum constitutioni, in qua hæc propositio ut falsa, & hæretica damnatur: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: sed in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare.* Ergo Semipelagiani ad initium fidei gratiam interiorem non admiserunt.

Respondeo jure merito propositionem illam à Summis Ecclesiæ Capitibus fuisse proscriptam; tum quia cùm complexa sit & bimembris, ut sit falsa & hæretica, sat erit alterum membrum falsitate & hæresi fœdere. Porrò in hoc non potuerunt esse Semipelagiani hæretici, quod dixerint gratiæ interiori, & prævenienti posse hominem resistere, vel obtemperare; cùm secundùm fidem certum sit, hominem posse gratiæ cuilibet resistere, vel obtemperare: unde qui oppositum dicit, & falsidicus est, & hæreticus. Tum quia prævenientem singulos actus gratiam, qualem requirebant Augustinus & Concilia, nunquam Semipelagiani admiserunt; nam per necessariam ad singulos actus gratiam intelligebant Augustinus auxilium quo. Ergo falsum est, Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ, qualem Augustinus exigebat, quæve simpliciter gratia præveniens singulos actus dicitur, necessitatem. Addunt aliqui, quod licèt veri Semipelagiani gratiam sine qua non tepudiarent, tamen eorum aliqui in Pelagianismum relapsi sunt, ut patet ex istis Prosperi verbis: *Quidam horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant, ut aliam gratiam non admittant, quàm legem atque doctrinam*, ut ibi S.Prosper describit. Quæ responsio difficultatem evacuat; si enim aliqui Semipelagiani initium fidei, & bonæ voluntatis in mera natura ab omni gratia deserta collocarint, profectò indefinita propositio æquivalens universali, quâ dicitur Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, falsa est.

Quæri hîc solet, quid sit gratia Christi, gratia operis, auxilium *quo*, an motio, an qualitas, an actus vitalis indeliberatus? Sed hæc quæstio non nisi iis suppositis, vel huc asportatis, quæ de concursu Dei, de præmotione physica disputari solent, commodè resolvi potest, quæ omnia Philosophi operosè discutere solent. Illud solùm Theologo advertendum impræsentiarum est, duas esse Theologorum etiam Thomistarum hac in re probabiles sententias. Prima est Gonzalis 1. *part. disputat.* 58. *sect.* 3. Cutielis *tract. de grat. actuali*, *dubitat.* 2. §. 6. asserentium gratiam actualem esse actum indeliberatum, quia Patres, & Concilia dicunt, gratiam esse vocationem, delectationem, inspirationem, dilectionem, suavitatem, attactum internum. Unde Augustinus lib. 2. de peccat. merit. & remiss. cap. 17. *Ideò*, inquit, *non faciunt homines, quia vel latet an justum est, vel quia non delectat.* Et cap. 19. *Cum ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam, perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quàm ut aperiat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat.*

Alvares verò, & Joannes à S. Thoma fatentur quidem, ex gratia sequi semper actus illos indeliberatos, quibus homo sentit se vocari, allici, gustare divina, condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem; ad illos tamen actus, qui non solùm sunt, & fiunt in nobis, sed etiam à nobis, prærequirunt aliquam motionem, vel qualitatis transeuntis impressionem; tum quia Angeli & Christus Dominus non habuerunt unquam actus indeliberatos, & tamen gratia actuali ad singulos actus permoti sunt: tum quia ut intellectus & voluntas hos actus indeliberatos eliciant, aliquo additamento indigent, quo ad illos producendos roborentur, & applicentur. Utut sit, mallem sentire gratiæ interioris suctionem, quàm scire ejus definitionem; illam tibi opto, Lector optime, dum istam apertè tradere non valeo. Hanc doctrinam non benè exponunt humani Magistri, nam meliùs explicat oratio, quàm lectio; illamque experiere, si delectationem peccati justitiæ delectatione vincas, quia regnant spirituales fructus in homine, in quo peccata non regnant.

REFLEXIO.

Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum. Gratiam ad initium, gratiam perseverantiæ ad exitum postulabat S. Propheta, quam Semipelagiani respuebant, Catholici fatentur, qui se & præventos agnoscunt, & provehi sentiunt, & sperant perficiendos, dantque Deo gloriam, qui gratis prævenit, excitavit, initiavit, & Deo juvante de cætero ita vivunt, quo se probent & perceptis beneficiis non ingratos, & percipiendis idoneos. Hanc gratiam, ut docet Bernardus *lib. de grat. & lib. arb.* quotidie petimus in oratione, cùm dicimus Deo: *Adveniat regnum tuum. Regnum hoc nedum ex toto pervenit in nos; quotidie tamen paulatim advenit, sensimque in dies magis ac magis dilatat terminos suos, in his dumtaxat, quorum per Dei adjutorium interior homo renovatur de die in diem.*

Ergo à Deo omnem gratiam ad quodvis opus, sive incipiendum, sive prosequendum, sive perficiendum speremus, & postulemus. Nam ut eodem libro tradit Bernardus, velle bonum profectus est, velle malum defectus, velle simpliciter, ipsum est quod proficit, vel deficit. Porrò ipsum ut esset, creans gratia fecit; ut proficiat, salvans gratia facit; ut deficiat, ipsum se dejicit. Liberum arbitrium nos facit volentes, gratia benevolos: ex ipso nobis est velle, ex ipsa bonum velle: à Deo velle accepimus in conditione naturæ, velle bonum accepimus in visitatione gratiæ; in creatione quadamtenus sumus nostri in liberam voluntatem; in recreatione Dei efficimur per bonam voluntatem, ut simus initium aliquod creaturæ ejus, quoniam expedit profectò nobis magis omninò non fuisse, quàm nostros permanere; nam sicut libera voluntas nos facit nostros, ita mala diaboli, bona Dei.

Itaque voluntas humana, quæ post peccatum maner libera, etsi misera, quæ nec jacens valet per se surgere, nec stans in melius quit sine Deo proficere, ad necessariam sibi confugiat Dei virtutem, & Dei sapientiam Christum, qui ex eo, quod sapientia est, verum ei sapere infundat, & ex eo quod virtus est, perfe-

ctum posse testitur. Et certè ad quem potiùs, quàm ad Christum confugiemus, qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ Patris, & deformem reformabit, & debilem confortabit, & splendore suo tenebras fugabit, & virtute sua tyraonidem dæmonum conculcabit. Ipse forma est, cui conformandi sumus, quia ut pristinam recipiamus formam, ex illa reformandi sumus, ex qua sumus & formati. *Verùm cujus ad talia provocamur exemplo*, inquit laudatus Bernardus, *indigemus & auxilio, quo ipsi videlicet per ipsam* (formam) *conformemur, & in eandem imaginem transformemur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Ergo si à Domini spiritu, jam non à libero arbitrio. ::: Deus autem Rex noster ante sæcula cùm operatus est salutem in medio terræ, dona sua, quæ dedit hominibus, in merita divisit, & præmia, ut & præsentia per liberam possessionem nostra interim fierent merita, & futura per gratuitam sponsionem expectaremus, imò expeteremus ut debita. ::: Dei sunt proculdubio munera tam nostra opera, quàm ejus præmia: & qui fecit se debitorem in illis, fecit & nos promeritores ex his.*

Hæc cùm ita sint, caveamus in primis, ne cùm mala in nobis cernimus, nostræ voluntati attribuamus, quæ infirma de virtute in virtutem, & perfectionis culmen ascendere sine Dei gratia non valet, quæve sibi relicta, de vitio in vitium suo pondere devoluta ruit in præceps, prægravata nimirum non solùm lege peccati originaliter membris insiti, verùm & consuetudine terrenæ inhabitationis usualiter affectionibus inolita. Totum ergo gratiæ asseramus, quæ liberum excitat arbitrium, cum seminat cogitatum; sanat cùm immutat affectum; roborat, ut perducat ad actum; servat, ne sentiat defectum. Sed propterea negotio salutis ne segnes indormiamus; ad hoc enim gratia præveniens est, ut voluntas sibi cooperetur, ita quòd à sola gratia cœptum est, pariter ab utroque perficiatur. Non sunt ergo deserenda jejunia, vigiliæ, continentia, operaque misericordiæ, cæteraque virtutum exercitia, per quæ utique constat interiorem hominem nostrum renovari de die in diem, dum & intentio terrenis incurvata curis, de imis paulatim ad superna resurgit, & affectio circa cordis desideria languens, sensim in amorem spiritus convalescit; & memoria veterum operum turpitudine sordens, novis, bonisque actibus candidata in dies hilarescit. In his interior renovatio consistit, rectitudine scilicet intentionis, puritate affectionis, recordatione bonæ operationis. Verùm hæc cùm certum sit divino in nobis actitari spiritu, Dei sunt munera; quia verò cum nostræ voluntatis assensu, nostra merita. Bonis igitur operibus insistamus, quæ spei seminaria, charitatis incentiva, gratiæ germina, prædestinationis indicia, futuræ felicitatis præsagia sunt, & ut divinè dixit Bernardus: *Via regni, non causa regnandi.*



APPENDIX
UNICA.
Ad dissertationem præcedentem de Prædestinatianis.



Nihil invidiosius sententiæ Thomistarum opponunt adversarii, quàm nostram de prædestinatione & gratia sententiam dudum in Prædestinatianis quinto sæculo damnatam, à Wiclefo recoctam, demùm à Lutheranis & Calvinianis è cineribus impurissimis suscitatam. Suas hoc pacto arbitrantur speciosis coloribus oblinire doctrinas, & Pelagianismi, vel Semipelagianismi objectam sibi consensionem recriminando depellere, si adeò nefandis nominibus sententiam nostram apud imperitos infament, & teterrimam ei assertioni notam inurant, quam alioquin benè sciunt non solùm totius traditionis, sed clarissima potissimùm Augustini & Aquinatis luce evasisse illustrissimam. Verùm his objectiuncularum nebulis Angelicam doctrinam, quam infuscare moliuntur, splendidiorem invitos effecisse invictè demonstraverimus, si confictos illos Prædestinatianos, veros esse Augustini discipulos & defensores, à Semipelagianis diverxatos, & atræ hæreseos insimulatos, hac appendice convincamus, qui alibi verorum Prædestinatianorum, id est Lutheranorum & Calvinianorum immanem à nostris sensibus, & penè infinitis intervallis dissitam dissonantiam ostendimus.

§. I.

Nulli fuerunt quinto sæculo Prædestinatiani hæretici, sed eo nomine S. Augustini Discipuli à Semipelagianis calumniosè traducti sunt.

Probatur: Si extitissent quinto sæculo Prædestinatiani hæretici, illorum alicubi Augustinus meminisset, illosve Patres illo tempore Ecclesiam totis viribus defendentes, & cujusvis erroris impatientes confutassent; nam nihil eorum, quæ ad prædestinationis & gratiæ tractationem accuratissimam desiderari possunt, in Augustino, Patribusque Augustinianæ doctrinæ sectatoribus desideratur. Maximè quia Hincmarus Rhemensis Episcopus, præcipuus hujus prædestinatianæ historiæ, vel potiùs fabulæ architectus, non alios Prædestinatianos agnoscit quàm quos à B. Augustino confutatos ait: *Necessarium duximus*, inquit Hincmarus de prædestin. cap. 15. *alligare in quatuor fasciculis, ad comburendum zizania, quæ in dominici tritici medio prisci seminarunt Prædestinatiani, quos Augustinus, & Prosper suis scriptis sufficientissimè revicerunt.*

Atqui neque Augustinus, sive in libro de hæresibus, sive in tam multis de gratia libris, sive illis operibus, quæ sub finem vitæ in defensione divinæ gratiæ perseverans, ut ait S. Prosper, scripsit, de Prædestinatianorum hæresi mentionem facit, neque SS. Prosper, Hilarius, Fulgentius, Petrus Diaconus, Author libri hypognosticôn, inter opera Augustini tomo septimo recensiti, hanc hæresim impugnarunt, vel illius tantisper meminerunt; sed contra solos Pelagianos, Pelagianorumque reliquias fortissimè pugnarunt, ut in operibus eorum non omninò cæcutientibus claret: Ergo nulli unquam fuerunt hæretici Prædestinatiani.

Dices: Non est verisimile, Bernardum de Lutemburgo opere suo de hæresibus hanc hæresim confinxisse, cùm ea solùm de illa referat, quæ in chronico Sigeberti habentur, ut Alphonsus à Castro verbo *Prædestinatio*, tradit; ex quo etiam exscripsit Cardinalis Baronius quæ posteris fide Sigeberti reliquit.

Respondeo ita esse, sed hinc potiùs validiùs commentum Prædestinatianæ hæreseos convelli. Etenim Sigebertus hanc fabellam ex solis Semipelagianorum libris deprompsit; nullus enim ante Hincmarum de hac hæresi sermonem texuit, qui non fuerit Pelagianismi, vel Semipelagianismi fuligine tinctus. Nullibi quippe hæresis hæc reprehenditur, nisi apud authorem

rem nuper Prædestinatum dictum, apud Tyronem Prosperum in chronico, apud Faustum Massiliensem, & Rhegiensem Episcopum, apud Gennadium, & apud Ennodium Ticinensem. Atqui omnes illi Authores suspectissimæ fidei sunt. Prædestinatus quidem Author Eutychete antiquior, quia ut omni legenti patet, liber purum putum Pelagianismum spirat, & innumeris aliis scatet erroribus, & nominatim pagina 212. peccatum originale inficiatur, additque hanc impietatem esse à Prædestinatianis inventam. O historiæ Prædestinatianæ testem locupletem! Tyro Prosper item, qui eo libro Cassianum laudat, & ab Augustino talem hæresim sumpsisse exordium inverecundè effutit. Arnobius etiam junior suam cum Pelagio consensionem in Psalmum 50. ubi dari peccatum originale pernegat, satis superque prodit. Faustum porrò Rhegiensem fuisse Semipelagianorum antesignanum nemo nescit. Gennadium quoque à Semipelagianis stetisse, libro de dogmatibus Ecclesiasticis, & altero de viris illustribus opere satis ipsemet ostendit, cùm ibi Cassiano, Faustoque laudatis, Augustinum, Hieronymum & Prosperum accuset. Idem de Ennodio Ticinensi, viro alioquin insigni, judicium feret, qui epistolam ejus decimamnonam, ubi Pelagianos tuetur errores, attentè legerit. Nec Ennodii testimonium adversariorum causam multùm juvat, cùm ibi non sectam solam Prædestinatianam, sed unum duntaxat hominem reprehendat, qui asserebat, *in una tantùm parte, quæ deterior est, eligendi datam esse licentiam.* At quis hæreticis pro domo sua certantibus prudenter credat? Quis hæreticorum artes ignorat, supposititios errores & libros Catholicis declinandæ invidiæ gratiâ asserere solitos? Absit ut illis fidem habeamus, qui fidem Deo, & Ecclesiæ detrectant. Absit ut illis assentiamur, qui nimio errorum suorum studio præpediti, variisque præjudiciis occupati, neque jus, neque æquum atque bonum sciunt, sed ut elegans Poëta ait: *Melius, pejus, prosit, obsit, nihil vident, nisi quod lubet.* Nemo ignorat hæreticos ipsarum Scripturarum corruptores à veritate desertos totam in mendacio ponere spem suam, uti Magnus Gregor. ait *lib.* 11. *Moral. cap.* 13. illud Job 3. expendens: *Nunquid indiget Deus vestro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* ubi sic habet: *Deus mendacio non eget, quia veritas fulciri non quærit auxilio falsitatis. Hæretici autem, quia ea quæ pravè de Deo intelligunt, ex veritate tueri non possunt, quasi ad approbandum radium luminis, umbras falsitatis requirunt.*

Sed inquies: Quid causæ fuit, cur Semipelagiani hanc Prædestinatianorum hæresim finxerint, si nunquam fuit in rerum natura? Quid inde compendii reportabant, quo causa ipsorum hac arte promoveretur?

Respondeo, magnum ex hac calumnia lucrum Semipelagianos expectasse; cùm enim in causa prædestinationis & gratiæ christianæ Catholicos, id est Augustini discipulos, vincere niterentur, collatam in se novæ hæreseos suspicionem graviori & horribiliori accusatione propellebant, contendebantque Augustini defensores, quos Prædestinatianos nominabant, fatalem necessitatem inducere, & omnibus invisam & exosam Manichæorum hæresim suscitare. Volebant ergo esse victores, *non ut veritas*, juxta consilium Augustini in quadam epistola, *vincat errorem, sed error errorem, & quod pejus est, major minorem.* Sic olim, ut alibi observatum est, Eutychiani Catholicos distinctas in Christo naturas propugnantes, tanquam Nestorianos traducebant. Nestoriani verò contra Cyrillum unitatis personæ Christi acerrimum cum Ecclesia Catholica defensorem, Appollinaristam appellabant. Vide quæ diximus *tom.* 1. *dissert.* 12. *pag.* 618.

Et ut liquidò constet, Semipelagianos unius Augustinianæ doctrinæ fidos sectatores hujus nefandæ hæreseos, insimulasse, atque adeò dilucidè, & invictè confirmetur sententia nostra, sciendum illa eadem, in quibus Prædestinatianæ hæreseos virus ponebant, doctrinæ capita fuisse antè Augustino, Prospero, aliisque intrepidis Augustini discipulis objectata. Etenim apud memoratum Gennadium primum accusationis caput est, quod juxta prætensos illos Prædestinatianos, Deus *non omnes homines creavit, ut omnes salvarentur, sed ut multitudine hominum ornetur mundus.* Atqui illam eandem propositionem Prospero & Augustini discipulis Galli objectione 13. opposuere his verbis: *Quidam homines non ob hoc à Deo creati sunt, ut vitam adipiscantur æternam, sed ut habitum tantummodò sæculi præsentis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum.* Cui objecto sic B. Prosper respondet: *Universos homines non ignoramus à Deo sigillatim creari, & de hac universitate alios damnandos cum diabolo, alios regnaturos esse cum Christo. Quod ergo etiam hi creantur, qui æternæ vitæ participes non erunt, nulla est culpa Creatoris, qui naturæ author est, non vitii, quod natura contraxit. Ornari autem etiam talium conditione mundi hujus varietatem quis non intelligat, qui videat studiis, & operibus quorumdam impiorum tot commoda vitæ præsentis instructa in inventione artium, in extructione urbium, in constitutione legum, in confœderatione populorum?* Quod confirmat deinde ex ipsa Religione Christiana, quæ multùm ex impiorum persecutione incrementum suscepit, ut patet exemplo Christi, qui magno Judæorum scelere redemit orbem terrarum; tum Apostolorum tolerantiâ inter persequentium fremitus triumphantium; tum innumerabilium Martyrum palmis, quibus de crudelissima infidelium sævitia felix est collata victoria; adducitque illud Apostoli Philip. 1. *In nullo teneamini ab adversariis, quæ est illis causa perditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo.* Tum hæreticorum novitatibus, quorum errores Deus in Ecclesia contra Ecclesiam permittit exsurgere, non utique eos creans aut fovens, sed per ipsos diligentiam filiorum suorum ad inquisitionem & custodiam veritatis exercens, dicente 1. Corinth. 11. Apostolo: *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant in vobis.* Monet porrò fideles ad tenebras impiorum, & ad illuminationem filiorum respicientes, ut gratias Deo agentes fiant ex collatis sibi beneficiis ferventiores, in ruinaque pereuntium discant, *in quæ mala per liberum arbitrium ruerent, nisi eis per Dominum nostrum Iesum Christum Dei gratia subvenisset.* Et versùs finem libri sic habet: *Neque quàmlibet innumerabilis multitudo impiorum indecora est mundo, aut inutilis Dei regno; cùm etiam per ipsorum veniat propaginem regeneranda generatio, & in eis tolerandis ac diligendis populus Dei fiat illustrior, ducens bonitatem & patientiam ab illo qui pluit super justos & injustos, & solem suum oriri facit super bonos & malos.*

Secundò aiebant Prædestinatianos illos à se excogitatos velle, non omnes à Deo *eâ voluntate vocari, ut vocem ejus omnes sequantur.* Verùm enim verò illud ipsum Prospero *objectione* 5. Galli opposuere his verbis: *Qui vocati sunt, non æqualiter sunt vocati, sed alii ut crederent, alii ut non crederent.* Cui sic satisfacit Prosper: *Si vocatio in Evangelii tantùm prædicatione intelligatur, non veraciter dicitur, quod aliis atque aliis, aliter atque aliter prædicetur; cùm unus sit Deus, una fides, una regeneratio, una promissio. Si autem ad effectum plantationis & rigationis aspicitur, aliud actum est cum eis, quorum exteriores aures corporali*

voce pulsata sunt; aliud in eis, quorum interiorem sensum Deus aperuit, & in quorum corde posuit fidei fundamentum, dilectionisque fervorem. Quosdam autem ideò vocatos dicere, ut non crederent, nimis absurdum est; quasi vocatio eis causa infidelitatis extiterit, & prædicatio fidei fecerit infideles.

Tertiò accusabant Prædestinatianos illos imaginarios, quòd vellent *non omnes, qui vocante Deo obediunt inspirationi ipsius, accipere in bono exequendo perseverantiam.* At illud quoque Prospero objectione 7. à Gallis his verbis oppositum fuit: *Quod Deus quibusdam filiis suis, quos regeneraverit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non det perseverantiam, quia non sunt à massa perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione discreti.* Ad quam difficultatem sic respondet Prosper: *Ex regeneratis in Christo Iesu quosdam relicta fide, & piis moribus apostatare à Deo, & impiam vitam in sua aversione finire, multis (quod dolendum est) probatur exemplis. Sed horum lapsum Deo ascribere immodicæ pravitatis est, quasi ruinæ ipsorum impulsor, atque author sit, quia illos ruituros propria ipsorum voluntate præscivit, & ob hoc à filiis perditionis nulla prædestinatione discrevit. : : : Non est calumniandum Deo, quare istis non dederit quod aliis dedit; sed confitendum est, & misericorditer eum dedisse quod dedit, & justè non dedisse quod non dedit: ne quemadmodum ex libero arbitrio oritur causa labendi, ita ex ipso videatur & standi; cùm illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex munere.*

Denique, aliis omissis, præcipuum accusationis caput erat, quod Prædestinatiani illi ideales vellent, *Deum impios prædestinare ad malum, sicut justos ad bonum.* Sed hæc erat ipsa prima Gallorum objectio his verbis: *Quod ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate homines ad peccata compulsi cogantur in mortem.* Cui sic respondet Prosper: *Prædestinationem Dei nullus Catholicus negat, fatalem autem necessitatem multi etiam non Christiani refutant. Peccatum ergo ad mortem trahit, sed ad peccandum neminem Deus cogit. Quisquis igitur*, addit in fine libri, *ex prædestinatione Dei velut fatali necessitate homines in peccata compulsos cogi dicit in mortem, non est Catholicus. Nullo enim modo prædestinatio iniquos facit, neque cujusquam omninò est causa peccati.*

Iisdem difficultatibus respondet idem Prosper in altero libro de capitulis objectionum Vincentianarum, ut legenti perspicuum est. Ex quibus clarissimum est, sicut ex alio ejusdem Prosperi ad excerpta Genuensia, & contra Collatorem libro manifestum, Semipelagianos falsis, & absurdis consequentiis hæresim Prædestinatianam fuisse fabricatos, & ibi hæresim posuisse, quod ex Augustino, Augustinique discipulis frivolis sophismatis deducebant. Cùm igitur Gennadius, aliique Prædestinatianorum confictores nihil illis opponant, quàm quod Prospero, aliisque orthodoxis Augustinianæ doctrinæ sectatoribus oppositum fuit, planè relinquitur, Prædestinatianos illos nihil ab Augustini Catholicis discipulis interesse.

Nec mirum si Augustini discipulorum famæ hi obtrectatores detrahere præsumpserint, cùm nec Magistri nomini pepercerint. Conqueritur enim Augustinus *lib. 1. contra Julian.* inter varias contumelias, & verba maledica, sibi potissimùm consensionem cum Manichæis Iulianum opposuisse. *Ostendam*, inquit cap. 1. *quantis, & qualibus Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus nomine Manichæorum intolerabilem facere non cuncteris injuriam, & cùm me appetis, in quos tela sacrilega jaculeris.* Et cap. 3. *Sed tu, qui tam crebrò nobis Manichæorum nomen opponis, quos & quales viros, & quantos fidei Catholicæ defensores tam execrabili crimination appetere audeas, si evigilas, intuere.* Et cap. 4. *Quid nomen dilaniare niteris meum, & Ambrosium facis tacito ejus nomine Manichæum? Cernis nempe cum quibus tua maledicta sustineam: cernis cum quibus mihi sit causa communis, quam nulla consideratione sobria pulsare calumniis, & expugnare conaris! Cernis quàm tibi perniciosum sit tam horribile crimen objicere talibus, & quàm mihi gloriosum sit quodlibet crimen audire cum talibus.*

Testatur etiam D. Prosper in prologo responsionis ad capitula Gallorum, quosdam doctrinam Augustini, quam contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrii deceptores per multos annos apostolicè asseruit, litterisque mandavit, non intelligendo, aut intelligi eam nolendo reprehendisse, & quæ in Augustini libris damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis publicasse. In prologo etiam libri responsionis ad objectiones Vincentianas asserit quosdam christianæ, ac fraternæ charitatis oblitos discipulorum Augustini existimationem lædere studuisse. *Contexunt enim*, inquit, *& qualibus possunt sententiis comprehendunt ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda & ingerenda multis publicè, privatimque circumferunt, asserentes talia esse in nostro sensu, qualia diabolico continentur indiculo.* Et capite 1. libri contra Collatorem affirmat, Cassianum, aliosque, quorum nec ordo in Ecclesia, nec ingenia despicienda erant, contendisse gratiam Dei, quâ Christiani sumus, ab Augustino non esse rectè defensam; libros ejus contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumniis impetere non quievisse, & illam suis morsibus doctrinam laniasse, quæ novorum hæreticorum commenta disjecerat, & diabolicum tumorem Pelagianæ elationis eliserat.

Igitur homines illi, qui inductæ fatalitatis, necessarii ad malum impulsus asserti, prædestinationis ad æternam damnationem invectæ accusati sunt, non alii fuere unquam, quàm fideles Augustinianæ doctrinæ discipuli, quibus per consequentias inanes talia commenta affingebant, *asserentes*, inquit Prosper laudatus in præfat. ad object. Vincentianas, *talia esse in nostro sensu, qualia diabolico continentur indiculo*, quæ subdit falsò in discipulos Augustini ad excitandam invidiam fuisse jactata. Ergo tantùm abest, ideò credendum esse, fuisse sub illa tempora hæreticos Prædestinatianos, quia quædam nonnullis horrenda capitula objecta sunt, quin potiùs nullos fuisse Prædestinatianos certissimè tenendum est, cùm illi quibus objecta sunt, acerrimi fuerint Catholicæ veritatis assertores. Neque enim, ut benè monet Prosper in prologo ad capitula Gallorum, hanc persuasionem temerè quis debet recipere, *& talem putare sensum scriptis Catholici inesse Doctoris, qualem eum, qui frustrà calumniantur, ostentant.*

§. II.

Objectorum confutatione sententia nostra magis firmatur, magisque exploditur Prædestinatianæ hæreseos commentum.

Objicies 1. Prædestinatianorum primordia in Africa in Monachis Adrumetinis ab Augustino deprehensa sunt. Etenim teste Augustino *epist. 46. ad Valentinum*, turbatum est nonnulla dissensione Monasterium, *eò quòd quidam in illo sic gratiam Dei prædicant, ut negent hominis liberum arbitrium; & quod est gravius dicant, quod in die judicii non sit redditurus unicuique juxta opera ejus.* Atqui per hæresim Prædestinatianam nihil aliud intelligunt qui

eam

eam extitiſſe aiunt : Ergo Prædeſtinariana hæreſis verè tempore Auguſtini, tametſi non ſub eo nomine, incepit.

Reſpondeo monaſterium Adrumetinum magis Semipelagianæ, quàm Prædeſtinatianæ hæreſeos ſuſpicione laboraſſe. Etenim poſt acceptam B. Auguſtini epiſtolam 105. ad Sixtum Romanæ Eccleſiæ Preſbyterum, & deinde Summum Pontificem, in duas partes monaſterium diviſum eſt, aliis Semipelagiano ſpiritu adactis, vel certè ignorantiâ excæcatis, exiſtimantibus ſtante illa gratiæ victricis neceſſitate, quam epiſtola illa tam nervosè Auguſtinus propugnat, humanum tolli arbitrium; & hi erant numero quinque, ut ex epiſtola Valentini ad Auguſtinum inter Auguſtinianas 256. patet: alii contra epiſtolæ Auguſtini doctrinam in toto ſuo rigore recipientes, efficaciam divinæ gratiæ, tanquam humanæ libertati minimè officientem confitebantur. Hos inter præcipuus erat Florus, qui ut ait idem Valentinus, fuit aliorum quinque, qui in ipſum ſæviebant, quòd epiſtolam Auguſtini detuliſſet, furore conturbatus. In hac contentione duo Monachi Creſconius & Felix ad Auguſtinum profecti ſunt, qui Auguſtino expoſuerunt Florum & ſequaces ita gratiam prædicare, ut negent hominis liberum arbitrium, & quod in die judicii non ſit Deus redditurus unicuique juxta opera ejus.

Itaque Auguſtinus in epiſtolâ citata ad Valentinum, accuſantium fide nixus monachos hortatur, ut neque negent Dei gratiam, neque liberum arbitrium ſic defendant, ut à Dei gratia ſeparent: quia *ſi non eſt Dei gratia, quomodo ſalvat mundum? Si non eſt liberum arbitrium, quomodo judicat mundum?* Porrò Auguſtinus accuſationi aliorum ægrè credens, & doli, vel ignorantiæ aliquid ſuſpicatus, rogat Valentinum, ut ipſum, à quo dicunt Monachos fuiſſe turbatos, ad ſe mittat: *Aut enim non intelligit librum meum, aut fortè ipſe non intelligitur, quando difficillimam quæſtionem, & paucis intelligibilem ſolvere, atque enodare conatur.* Durante eodem diſſidio ſcripſit Auguſtinus librum de gratia & libero arbitrio, quia Falſorum fratrum accuſationibus perſuaſus exiſtimabat, Florum & ſequaces ſic gratiam Dei defendere, ut negarent liberum arbitrium. Quos libros cum pluribus ſcriptis aliis ad Valentinum tranſmiſit.

His peractis Florus cum aliis Fratribus ad Auguſtinum pergit. Qui ejus innocentiam illicò pernovit, tum ex epiſtolis Valentini, in quibus ſic habetur: *Servi tui Flori hæc fides eſt Pater* (id eſt illa met, quam Auguſtinus libris ad Monaſterium miſſis expreſſerat) *non ſicut Fratres illi ſunt loquuti.* Tum ore ipſius Flori doctrinæ ejus puritatem agnovit, unde & magnificum de illo teſtimonium perhibuit lib. de corrept. & grat. c. 1. *Liberum arbitrium & ad bonum, & ad malè faciendum confitendum eſt nos habere; ſed in malo faciendo liber eſt quiſque juſtitiæ, ſervuſque peccati; in bono autem liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit liberatus. Hanc fidem, quæ ſine dubio vera, & Prophetica, & Apoſtolica fides eſt, etiam in fratre noſtro Floro inveniſſe me gaudeo: unde hi potiùs corrigendi ſunt, quos quidem propitio Deo correctos eſſe jam exiſtimo, qui eum non intelligebant.* Hac de cauſa ſcripſit Auguſtinus aureum, & divinum illud opus de correptione & gratia, non hæreſim Prædeſtinatianam confutaturus, ſed contra eos acturus, qui Pelagiana elatione inflati, inanem eſſe correptionem, & deleri liberum arbitrium ex confeſſione chriſtianæ gratiæ, perverſis inanium conſequutionum ſophiſmatis inferebant, ut ipſemet Auguſt. *libro 2. retract. cap. ultimo, & penultimo*, ubi de libro de gratia & libero arbitrio, & de altero de correptione & gratia agit, luculentiſſimè teſtatur. Ibi namque ait ſe libros illos ſcripſiſſe, *propter eos, qui cùm defenditur Dei gratia, putantes negari liberum arbitrium, ſic ipſi defendunt liberum arbitrium, ut negent Dei gratiam.* Ex quibus omnibus claret, non aliquam fuiſſe temporibus Auguſtini Prædeſtinarianam hæreſim, ſed Prædeſtinatianæ hæreſeos commentum à Semipelagianis ad declinandam invidiam excogitatum fuiſſe, ut in ſe collatam hæreſis notam in orthodoxos hæreticorum genio transferrent. Unde infantiitè dixit Tyro Proſper, ab Auguſtino Prædeſtinatianos ſumpſiſſe primordia.

Objicies ſecundò: Adverſus emergentes Prædeſtinatianos Auguſtini opem implorarunt Proſper & Hilarius. Ergo Prædeſtinarianorum hæreſis reverà extitit.

Reſpondeo hoc argumentum jejunè, & ſine probatione à P. Jacobo Sirmondo proponi, ſed eo potiùs invictè aſtrui ſententiam noſtram, demonſtratu facillimum eſt. Omni enim epiſtolas Proſperi & Hilarii legenti perſpicuum eſt, geminum illum Auguſtini diſcipulum adversùs unos Semipelagianos communis Magiſtri opem imploraſſe. Etenim, teſte Hilario in ſua epiſtola, Auguſtini lucem invocarunt Maſſilienſes, qui perlecto de correptione & gratia libro, & illo potiſſimùm capite, in quo dicitur: *Nunc Sanctis in Regnum per gratiam prædeſtinatis non tale* (quale fuit in Adamo) *adjutorium perſeverantiæ detur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.* His, inquam, perlectis indignati ſunt: *His verbis Sanctitatis tuæ ita moventur, ut dicant, deſperationem quandam hominibus adhiberi.* Idem fuſiùs teſtatur Proſper, aſſerens ex doctrina Auguſt. de propoſito, decreto, & prædeſtinatione, in quibus Deus cuncta præſcivit, atque ex gratiæ operantis & præoperantis aſſertione ſubinferri, & lapſis curam reſurgendi adimi, & ſanctis occaſionem teporis afferri; eo quòd in utramque partem ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ullâ induſtriâ poſſit intrare, neque electus ullâ negligentiâ poſſit excidere. *Removeri itaque omnium induſtriam, tollique virtutes, ſi Dei conſtitutio humanas præveniat voluntates; & ſub hoc Prædeſtinationis nomine fatalem quandam induci neceſſitatem, aut diverſarum naturarum dici Dominum conditorem, ſi nemo aliud poſſit eſſe, quàm factus ſit.* Deinde ſic compendiosè illorum, adverſus quos Auguſtini patroni fidei, ut vocat, implorat auxilium, ſenſum, mentemque exponit: *Atque ut breviùs ac pleniùs quod opinantur, exponam quidquid in libro hoc* (de corrept. & gratia) *ex contradicentium ſenſu Sanctitas tua ſibi oppoſuit; quidquid etiam in libris contra Julianum ab ipſo ſub hac quæſtione objectum potentiſſimè debellaſti, hoc totum ab iſtis ſanctis* (id eſt Maſſilienſibus Presbyteris, ſpecie ſanctitatis ſpectabilibus) *intentioſiſſimè conclamatur. Et cùm contra eos ſcripta Beatitudinis tuæ validiſſimis, & innumeris teſtimoniis divinarum Scripturarum inſtructa proferimus, ac ſecundùm formam diſputationum tuarum aliquid etiam ipſi, quo concludantur, aſtruimus, obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt.*

Has, & alias Semipelagianorum querelas tota epiſtola expandit Proſper, quam ſic concludit: *Adde eruditionem humilibus, adde increpationem ſuperbis: neceſſarium & utile eſt, etiam quæ ſcripta ſunt ſcribere, ne leve exiſtimetur quod non frequenter arguitur. Sanum enim putant eſſe quod non dolet, nec vulnus ſuperinducta cute ſentiunt; ſed intelligant perventurum ad ſectionem, quod habuerit perſeverantem tumorem.* Ecce quid per illos intelligendum ſit, adversùm quos Proſper Auguſtini opem implorat: ii certè Maſſi-

lienſes

ienses fuere, superbi Semipelagiani, Pelagianorum reliquiæ. Sed quid ad hæc Augustinus integris de prædestinatione Sanctorum, & de dono perseverantiæ libris, quibus Prospero, Hilarioque respondet? Numquam Prædestinatianam hæresim confutat? Numquam ejus duritiei Massilienses insimulat? Numquam ab eis negari liberum arbitrium, & homines in malum prædestinari vel capite ullo docuit, vel verbulo obiter indigitavit? Minimè gentium. Qua ergo fronte potuit Hincmarus tantâ asseverantiâ, tantâ confidentiâ pronuntiare, Massilienses ipsos fuisse Prædestinatianos, cùm in extremam eos potiùs sententiam deflexisse, & quod Prædestinatianæ hæreseos nomine intelligitur, Augustino per consequutiones asseruisse luce meridiana clarius sit? Vidit hunc intolerabilem Hincmari ducis alioquin sui errorem P. Sirmondus, & corrigere conatus est, Massilienses inquiens, propter oppositam Prædestinatianorum hæresim sese Augustini de absoluta prædestinatione sententiæ opposuisse. Sed cur, sodes, Augustinus nihil adversus Prædestinatianos turbationis confictos authores agit, & contra solos turbatos omnibus gemini operis molíminibus pugnat? Patet porrò quàm falsum sit Massilienses à Prædestinatianis fuisse interturbatos, cùm manifestissimis Hilarii & Prosperi relatis testimoniis, una turbationis occasio fuerit librorum Augustini, & nominatim operis de correptione & gratia lectio? Egit quidem de prædestinatione Augustinus: illius indeclinabilem, & ab ulla præscientia independentem omnipotentissimam potestatem propugnavit. Ergóne propereà contra Prædestinatianos disputavit, ut Sirmondus concludit? Absona planè consequutio, legitima verò hæc est: Ergo egit contra Pelagianorum reliquias suam de prædestinatione sententiam infamantes. Et quomodo egit? Retractavítne quod libro de correptione & gratia docuerat, vel aliquo tandem temperamento mollivit, ut à prætensa Prædestinatianorum sententia se discerneret? Non mollivit, non inflexit, sed astruxit fortiùs, firmavitque validiùs. *Hæc est immobilis* (inquit lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 17. & 18. & de dono perseverant. cap. 18. *veritas prædestinationis & gratiæ. Quis hæc audiat diligenter, & intelligenter, & audeat de hac, quam defendimus, tam clara veritate dubitare? Hoc scio, neminem contra istam prædestinationem, quam secundùm Scripturas sanctas defendimus, tam clara veritate dubitare.*

Objicies tertiò: Prædestinatiani à Cœlestino Papa, Prospero & Hilario suggerentibus, per epistolam ad Episcopus Galliæ damnati, & repressi sunt, sic enim habet: *Filii nostri præsentes Prosper, & Hilarius, quorum apud Deum nostrum solicitudo laudanda est, tantùm nescio quibus Presbyteris illic licere, qui dissensioni Ecclesiarum student, sunt apud nos prosequuti, ut indisciplinatas quæstiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adversantia veritati: sed vestræ dilectioni justiùs imputamus, quando illi supra vos habeant copiam disputandi. Ergo corripiantur hujusmodi. Desinat, si rei sunt, incessere novitas vetustatem; desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare.* Per istas autem indisciplinatas quæstiones, per istam novitatem vetustatem incessentem, & per eam inquietudinem Ecclesiarum turbantem quietem, Prædestinatianorum hæresim Pontifex intellexit, qui authorem suæ doctrinæ Augustinum vulgò jactabant, & confictis libris mentiebantur. Quod & confirmare Photius 54. suæ Bibliothecæ capite videtur, his verbis: *Mortuo S. Augustino cœperant quidam ex Clero impium dogma statuere, ac de Augustino malè loqui, eumque insectari, quasi liberi arbitrii interitum induxisset. Verùm Cœlestinus Pontifex & pro sancto viro, & contra hæresis incentores scribens ad Episcopos hujus regionis, nascentem errorem compescuit.* Quæ verba non de Pelagianis, quorum novus hoc tempore error non erat, sed de Prædestinatianis omninò intelligenda sunt.

Respondeo hoc argumento magis sententiam nostram illustrari. Manifestum quippe est, non Prædestinatianos, sed unos Semipelagianos fuisse à Romano Antistite repressos. Neque enim alios reprimere Pontifici unquam in mentem venit, quàm eos, de quibus apud sanctam Sedem Prosper & Hilarius conquesti sunt. At luce clarius est, Hilarium & Prosperum de solis Pelagianorum reliquiis fuisse conquestos. Nam de illis conquesti sunt, qui in Augustinum malevoli tanti Patris famæ detrahebant; unde de illis loquens Cœlestinus ait, eos nisi *etiam quiescentium fratrum memoriam exsufflare*, præsertim Augustini, quem *nunquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit.* At ficti illi Prædestinatiani non solùm Augustini memoriam non lacerabant, ejusque scripta opprobriis lacessebant, sed potius, ut Sirmondus ipse ait, *authorem sibi Augustinum & vulgò jactabant, & confictis libris mentiebantur.* Sed quinam sint, de quibus conquestus sit, Prosper ipse probat, ne conjecturis agamus: *Per hunc virum* (Papam Cœlestinum intelligit) *intra Gallias illis ipsis, qui sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas, quando consultantium actione suscepta, & librorum, qui errantibus displicebant, pietate laudata, quid oporteret de eorum authoritate sentiri, sancto manifestavit eloquio, evidenter pronuntians, quantùm sibi istius præsumptionis novitas displiceret, qua auderet quicquam adversus Magistros insolenter insurgere, & indisciplinatâ calumniâ prædicationi veritatis obstrepere. Augustinum, inquiens, sanctæ recordationis virum pro vita sua, atque pro meritis in nostra semper communione habuimus. Contra istam sacratissimi testimonii dignitatem, contra istam clarissimæ laudationis tubam audet quisquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ, sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere? Ut scilicet, quia in epistola Papæ, librorum pro quibus actum est, non expressus est titulus, hinc eos appareat non probatos, & istam in S. Augustinum laudationem pro anteriorum scriptorum meritis fuisse collatam. Maneat planè, maneat ista conditio, ut horum librorum novitas reprobata videatur, si in eadem causa ejusdem viri dissensit antiquitas: & ut inutile, aut incongruum judicetur, quod ab his, quæ contra Pelagianos condidit, dissonans invenitur.* Hoc testimonio quid planius, quid luculentius? Constat enim eos Cœlestinum repressisse, qui scripta Augustini reprehendebant. Constat eis maleloquentiæ libertatem ademisse, qui adversus talem Magistrum insolenter insurgebant. Constat Pontificem eorum Augustini librorum pietatem commendasse, qui errantibus displicebant. Constat hujusmodi errantium errores ab his dissonare, quæ contra Pelagianos Augustinus condidit. At illos fuisse Semipelagianos nemo unquam Theologorum dubitavit, nemo cordatus dubitare potest. Ergo illi, qui per Cœlestinum repressi sunt, non Prædestinatiani, sed Semipelagiani fuerunt.

Hac de causa Prosper illos, de quibus conqueritur, passim Pelagianorum reliquias, Juliani imitatores, Pelagiani seminis germina, pestiferæ radicis fructus, occultos lupos Pelagianismum sub latebris propagantes appellat. *En cujus dogmata sint Magistri* (inquit lib. contra Collatorem, cap. 3 t. & cap. ultimo) *qui ut catholicarum mentium castitatem gratiæ defensoribus calumniando corrumpant, præcipuum nostro tempore in doctrina Ecclesiastica virum rabido ore*

discerpunt

discerpunt, creduntque se omnia authoritatum munimina posse convellere, si hanc pastoralis speculæ validissimam turrim crebra Pelagiani arietis illisione pulsaverint. Sed congruenter isti non desunt partibus suis. Dignum quippe est, ut quorum sequuntur sententiam, imitentur insaniam: nec enim alia possunt dicere, quàm quæ damnatorum querelis, & procacissimis Iuliani sunt vulgata conviciis. Paria sunt unius seminis germina, & quod latebat in radicibus, manifestatur in fructibus. : : : Ne hypocritarum obtineatur insidiis, confidimus Domini protectione præstandum, ut quod operatus est in Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Cælestino, operetur & in Sixto: & in custodia dominici gregis hæc sit pars gloriæ huic reservata Pastori, ut sicut illi lupos abegere manifestos, ita hic depellat occultos.

Ad testimonium Photii respondeo ibi etiam manifestè loqui de Semipelagianis, qui soli de Augustino malè loquebantur, soli eum insectabantur, quasi liberi arbitrii interitum induxisset. Neque enim Prædestinatiani Augustinum conviciis incessissent, quòd liberi arbitrii interitum induxisset; sed hinc potiùs amplioribus eum fuissent laudibus prosequuti, quòd suum hac assertione firmasset errorem. Quod verò addit Sirmondus, testimonia illa de Pelagianis intelligi neutiquam posse, quorum non novus, sed pervetustus error erat; hæc, inquam, conjectura argumento ipsius nihilo melior est. Etsi enim novus non esset Pelagianorum error, novæ tamen erant Semipelagianorum querelæ, nova, & noviter inventa præscientia illa eventuum exploratrix, cui constitutio divina innireretur; nova Pelagianæ hæreseos lenimenta, novæ latebræ, novæ occultorum luporum insidiæ, novus denique explicandi modus, quanvis reapse in illis Pelagianæ perversitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutriebatur, dum principium salutis malè in homine locabatur, ut Prosper in sua ad Augustinum epistola præmonuit.

Objicies quartò. Hæresis Prædestinatiana in Concilio Arausicano II. & in Valentino III. proscripta est; sic enim habet Arausicanum Concilium canone 15. *Aliquos verò ad malum divina potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum detestatione illis anathema dicimus.* Idem eodem modo præstitit Valentinum. Ergo hæresis Prædestinatiana aliquandiu grassata est.

Respondeo, Concilium Arausicanum II. Præside S. Cæsario Arelatensi Episcopo, perfectæ gratiæ intrepido defensore, anno Christi 519. celebratum esse, non ad damnandam imaginariam Prædestinatianorum hæresim, sed ad profligandas, exstirpandasque Pelagianorum reliquias, nonquam graviori vulnere eo, quod ab hac Synodo inflictum est, percussas. In hac enim Synodo à Bonifacio Papa anno 531. Apostolica authoritate confirmata, cœlestis Augustini de prædestinatione & gratia doctrina consecrata est, ipsa Augustini verba in canones redacta sunt, factaque sunt fulmina, quibus adversariorum, & tanti Magistri obtrectatorum capita contrita sunt. Sed contra Prædestinatianos nequaquam Synodos coacta est, sed contra illos duntaxat, qui ut invisam redderent Discipulorum Augustini, id est Catholicorum doctrinam, eam calumniis infamabant. Cujus evidentissimo argumento est, quod Patres ab hac horrenda blasphemia (Deum scilicet prædestinare ad malum) sese contestantur immunes: non essent autem soliciti errorem illum è se amoliri, nisi sibi, tanquam veritatis christianæ defensoribus fuisset impositus: amoliuntur autem, dum dicunt, *aliquos ad malum divinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam si qui sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus. Si qui sunt:* Ergo nullos certos tales tantæ blasphemiæ sectatores Synodus agnoscebat. Quod idem de Concilio eodem vrborum tenore loquuto dicendum est.

Objicies quintò: Hæresim Prædestinatianam proscripserunt Concilium Arelatense XXX. Episcoporum, & Lugdunense. Ergo Prædestinatiana hæresis non est commentum à Semipelagianis confictum.

Respondeo, quod sicut hæresis Prædestinatiana à Semipelagianis olim conficta est, ut invidiam adversariis, quasi Manichæismum saperent, concitarent: ita ficta Concilia comminiscebantur pravæ illæ reliquiæ, ut Pseudosynodos veris Synodis, quibus opprimebantur, opponerent. Hac fingendi arte excelluit Faustus, quem S. Isidorus lib. de viris illustribus, cap. 14. *virum profundæ calliditatis*, appellat; quémve Cardinalis Baronius *versipellem vulpeculam* nuncupavit.

Rationes autem, quibus convincitur, Concilium ullum Catholicum nunquam Arelatis, vel Lugduni esse ad hoc coactum, sunt primò, quia nullus Historicus Orthodoxus, nullus posteriorum sæculorum Pater, nullus alicujus nominis Theologus, præter suspectissimæ fidei Hincmarum & Faustum Semipelagianarum partium caput, Conciliorum illorum vel tenuissimam unquam egere memoriam. Quin Gennadius neutrius Concilii, nec ipse Hincmarus Concilii Lugdunensis recordatus est. Secundò, nulla extant hujuscemodi Conciliorum acta ab Ecclesia recepta, & inter vera Concilia recensita. Tertiò, sicut senum castissimam Susannam accusantium impietas contradicentibus sibi utriusque testimoniis revicta est; sic nec Hincmaro, nec Fausto credendum, quorum ille Concilium Arelatense sub Cœlestino Papa celebratum esse ait, Faustus verò longè posteà coactum affirmat. Accedit, incredibilem esse Authorum de tempore celebrationis Arelatensis Concilii istius varietatem; nam Hincmaro jussu Cœlestini coactum fuisse post annum 432. placet, Fausto & aliis sub Leontio circa annum 475. celebratum visum est. Baronio circa annum 490. Binio anno 524. Hiberto sub Auxanio non ante annum 545. Tertiò: Nulla unquam Catholica Concilia fuerunt, neque esse potuerunt, in quibus hæretica Fausti doctrina probata sit; Concilia enim in Spiritu Sancto Congregata, ab Ecclesia præsertim recepta, manifestos errores firmare nonquam solent, nunquam possunt. Testatur autem Faustus de seipso testimonium perhibens, nec timens laudem propriam proprio in ore sordescere, Opera sua ab Arelatensi Synodo probata, jussu Concilii Lugdunensis ad comprimendos novos emergentes errores esse adaucta, imò & sibi de prædestinatione & gratia disputandi & scribendi à Concilio commissam esse provinciam vanissimè effutit. Quartò Pseudo-Arelatense Concilium epistolam Fausti ad Lucidum purum putum Semipelagianismum spirantem, & omnes adversus Augustinum, ejusque discipulos recantatas querelas hominum importunissimi & perfectæ gratiæ defensoribus infensissimi occinit. Ibidem etiam dicitur Lucidi ad Faustum Patrum calculo probata epistola, ubi & Fausti doctrinam nefariam adorat, & de mysteriis prædestinationis & gratiæ, à Catholicis absonè, ad Semipelagianos consonè edisserit; imò ibi apertè ait: *Damno illum qui dicit ab Adam usque ad Christum nullos ex gentibus per primam Dei gratiam, id est per legem naturæ, in adventum Christi fuisse salvatos.* Quæ propositio merum Pelagianismum etiam in primo hæresis statu exprimit. Cùm ergo à sacrosancta Romana Ecclesia clavo Navis Petri astante Gelasio, Fausti opera

opera proscripta sint, vel nunquam hujusmodi Concilia extitisse, nisi tantùm objectivè in intellectu, sicut entia rationis solent, sine dubitatione credendum; vel conventicula iniquitatis, synagogas sathanæ ex Pelagianorum coactis simul reliquiis sese contra Ecclesiam armantibus conflata fuisse, nullus negare potest orthodoxus. Unde & sapientissimus Baronius Fausti mendaciis non adhibendam esse fidem, ad annum 490. verissimè pronuntiat.

Dices cum P. Sirmondo: Etiamsi Faustus Semipelagianus fuerit, non tamen continuò in re historica fides illi detrectanda est; nam inter Ecclesiasticæ historiæ Scriptores fidem omnem non abrogamus Eusebio Cæsareensi, nec Socrati, nec Sozomeno, propterea quod ille Arrianus fuerit, hi verò Novatiani. Ergo nec Faustus, nec Prædestinati Author propterea in re historica rejiciendi veniunt, quia Semipelagianarum hæreseon fuligine tincti sunt.

Respondeo hinc potiùs sententiam nostram roborari. Nam tametsi hæreticis Historicis in his, quæ ad ipsorum hæresim non pertinent, fides aliqua haberi possit, in his tamen quæ hæresim, quam sectati sunt, quoquo modo concernunt, fidem omnem abrogamus. Et ut in exemplis à Patre Sirmondo memoratis insistamus, quis nescit Eusebio in his, quæ ad Arianos spectant, Ecclesiam nullatenus assentiri? qua de causa historia Eusebii à Gelasio Papa in Concilio Romano inter apocrypha numerata est, ut refertur Canone *Sancta Romana*, *dist.* 15. Eandem ob rationem historiam Sozomeni, teste Magno Gregorio *libro* 7. *regist. epist.* 31. Ecclesia Romana nunquam recepit. *Ipsam* (Sozomeni) *historiam*, inquit, *Sedes Apostolica recipere recusat, quoniam multa mentitur, & Theodorum Mopsuestia nimiùm laudat, atque usque ad diem obitus sui magnum Doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Restat ergo, ut si quis illam historiam recipit, Synodo, quæ pia memoria Justiniani temporibus de tribus capitulis facta est, contradicat; qui verò contradicere non valet, necesse est ut repellat.* Multoties etiam observavit Baronius Hæreticorum in his quæ sectæ suæ opitulantur, fidem esse suspectam. Videsis *tomo* 5. *ad annum* 439.

Illud etiam à nonnullis eruditè observatum est, quod sicut veritas Religionis Catholicæ eximia est, & veluti ejusdem tessera: sic hæretica perfidia ex patre mendacii diabolo, qui fuit mendax ab initio, enata uni veritati, uni dolo innixa est. Sed inter hæreses, quibus hactenus afflictata Ecclesia est, nullam Pelagiana & Semipelagiana mendaciorum præsidia quæsivisse magis, avidiùs arripuisse constantissimum est. Cùm enim gratia & veritas per Jesum Christum facta sit, inimici gratiæ continui sunt veritatis hostes. Hinc Pelagium sub mendacii, & æquivocationum latebris latuisse diu, & Patrum sententias declinasse, alibi ostensum fuit. Hinc Augustinus versutas Celestii & Juliani fraudes sæpe deplorat. Hinc Pelagianorum sequaces non paucos Pelagianorum authorum libros Gregorii Nysseni, Ambrosii, & Augustini operibus, quò nefandarum hæreseon venenum inscii propinaretur, tacitis nominibus inseruisse libro de Scriptoribus Ecclesiasticis Cardinalis Bellarminus admonuit. Hinc tria volumina Pelagianis hæresibus scatentia Sixto Papæ Pelagianorum hosti professo asseruisse, Baronius *tom.* 5. *ad ann.* 440. observavit. Hinc notas in epistolas Pauli Pelagianis doctrinis depravatas, Gelasio Pontifici Pelagianorum, & Semipelagianorum acerrimo hosti, ut tam glorioso nomine errores obtruderent suos, attribuisse Cassiodorus *lib. de divinis lectionibus*, *cap.* 8. commemorat. Hinc acta Concilii Ephesini, quibus Nestoriana cum Pelagiana hydra rescissa est, corrupisse Pelagianos, Magnus Gregorius *lib.* 5. *Regist. epist.* 14. & *lib.* 6. *epist.* 31. & *lib.* 7. *epist.* 48. lamentatur. Hinc Cassianus Pelagianis erroribus innutritus, Palagianæ consequutione vel more doctrinæ, *quandoque licitum esse mentiri, quandoque mendacium fieri salubre, quosdam etiam per mendacium justificari, & alios per veritatis assertionem peccatum perpetuæ mortis incurrere*, collat. 17. cap. 17. scribere non erubuit. Hinc denique Faustus Semipelagianorum primicerius, Deo ipsi, id est veritati per essentiam, pium ausus est ascribere mendacium *lib.* 2. *de lib. arbitr. cap. ultimo*, his spurciloquiis: *Optat judex misericors cœlestis decreta consilii pio immutare mendacio, si reus medicinam festinet adhibere peccato.* Quid ergo mirum, si hanc doctrinam ad praxim deduxerint pro domo sua, quò labantem hæreseos suæ causam his artibus sua ethica justificatis juvarent? Quid à mendacii defensoribus sperari potest, aut debet, nisi mendacium? Unde Prosper in præfatione responsionis ad capitula Gallorum, & ad objectiones Vincentianas, refert Semipelagianos opera sua opplevisse commentis, *contexuisse* etiam eos *ineptissimarum quarundam blasphemiarum prodigiosa mendacia, eaque ostendenda, & ingerenda multis publicè, privatimque circumtulisse.* His ergo consuetis similis nequitiæ malis artibus, gratuitæ post Augustinum prædestinationis assertores Prædestinatos, vel Prædestinatianos appellarunt; perfectæ gratiæ intrepidos defensores, tanquam fati invectores traduxerunt, fictas Synodos fabricati sunt, fictas prædestinatianæ hæreseos à Pontificibus latas censuras comminisci tutum, ex proabili sibi sententia mendacio veniam dante arbitrati sunt.

§. III.

Prædestinatiana hæresis nequaquam fuit in Gallia per Gotteschalcum renovata.

TRecentis amplius annis, inquit P. Sirmondus, conticuerat in Gallia Prædestinatorum hæresis, cùm iterum Caroli Calvi sæculo excitata est à Gotteschalco Monacho & Presbytero, binis à Rabano epistolis confutato, unâ ad Nothingum Veronensem Episcopum, alterâ ad Everardum ejusdem oræ Comitem; ab Episcopis deinde Germaniæ in Concilio Moguntino anno 848. ubi ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum remissus est, proscripto; & in Synodo apud Carisiacum postea à 12. Episcopis habita iterum audito & damnato, ubi & Gotteschalco silentium impositum est, quia sui veneni poculo non paucos inebriaverat, & in erroris insaniam, ut ait Rabanus *epist. ad Hincmarum*, verterat. Errores autem Gotteschalci duo erant præcipuè, quorum alter prædestinationem ipsam spectabat, alter arbitrii libertatem: prædestinatos quippe ad interitum reprobos Gotteschalcus, & necessitatem malè agendi impiis impositam asserebat, quia postquam primus homo libero arbitrio cecidit, neminem nostrûm ad benè agendum, sed tantùm ad malè agendum libero posse uti arbitrio affirmabat. Atqui hæc mera est Prædestinatianorum hæresis. Ergo Prædestinatianam hæresim Gotteschalcus instauravit.

Ut validè hæc objectio confutetur, ex eaque potiùs nostra sententia confirmetur, nonnihil de Gotteschalcana historia omninò præmittendum est. Gotteschalcus natione Germanus, professione Monachus fuit Ordinis S. Benedicti in cœnobio Orbacensi, diœcesis Suessionensis. Ibi sacris literis operam non impigram dedit, libros sanctorum Patrum, Augustini potissimùm opera, teste Walafrido Strabone *carmine*

ad

ad Gotteſchalcum, & Lupo Ferratienſi *epiſt.30.* ſedula lectione revolvit. Ad ſacrum deinde Preſbyteratus Ordinem à Rigboldo Rhemorum Chorepiſcopo quadragenarius promotus eſt, & circa annum 847. Romam Principum Apoſtolorum liminum pietate tunc temporis frequenti, viſitandorum gratiâ profectus eſt. Peractis Religioſæ peregrinationis votis, in Galliam revertitur, ſed apud Comitem Evetardum ob ſpectabilem pietatis & eruditionis famam diutiùs commorari compulſus eſt. Inter has moras cum Nothingo Veronenſi (vel ut aliis placet, Vercellenſi vel Brixienſi) Epiſcopo operosè de prædeſtinatione juxta mentem Auguſtini diſputavit. Gotteſchalci doctrinam improbans Nothingus, eum apud Rabanum Archiepiſcopum Moguntinum literis accuſavit, quem unà rogavit, ut aliquo opuſculo Gotteſchalcanam ſententiam confutaret. Nothiogo morem geſſit Rabanus; nam & Gotteſchalcum in epiſtola ad Nothingum refellere conatus eſt, & Everardum aliis literis monuit, ut Gotteſchalcum domo ſua expellat, ni eum ab errore revocaret. Conſilium porrò Rabani improbavit Eccleſia Lugdunenſis *libro de tribus epiſtolis*, ad tertiam, quia aſſumpſerat non neceſſariam, nec ullatenus ad rem, de qua quærebatur, diſputationem: Utrùm nimirum impios ad impietatem Deus prædeſtinarit, *quod nullus omninò moderno tempore dicere, vel dixiſſe invenitur.* Etenim Gotteſchalcus illud duntaxat dixerat, ad pœnam duntaxat impios propter mala merita Deum prædeſtinaſſe, ut ex ejuſdem Gotteſchalci confeſſione patet, cujus fragmentum Hincmarus *cap. 5. libri de prædeſt.* refert.

Ob illas adverſum ſe concitatas turbas in Germaniam natale ſolum Gotteſchalcus anno 848. ſeceſſit. Cùm autem Moguntiæ circa Kalendas Octobres, Concilium, vel potiùs conventus Regius à Ludovico Germaniæ Rege indictus celebraretur, fidei ſuæ libellum Rabano Comitiorum illorum Præſidi obtulit Gotteſchalcus, qui eo in cœtu damnatus eſt, quaſi ex ejus doctrina malos ad peccatum compelli ſequeretur; & ad Hincmarum Rhemenſem Archiepiſcopum recludendus remiſſus eſt.

Suſceptum Gotteſchalcum Hincmarus audivit ſæpiùs privatim, ut ipſemet ad Rabanum reſcripſit. Verùm in hac cauſa, quæ Germanos ſolicitos habuit & anxios, quamvis ut aiebat Lupus Ferrarienſis epiſt. ad Regem Carolum, *pauci capiunt, licèt multi ventilent*; in hac, inquam, cauſa judex conſidere volens, ad conventum Cariſiacum, Caroli Regis pro negotiis regni coactum venire juſſus eſt Gotteſchalcus. Illis Comitiis intereſſe Roraldus Sueſſionenſis Epiſcopus, & naturalis Gotteſchalci judex noluit, quòd Gotteſchalcum, & in Gotteſchalco opprimi vetitatem, teſte Flodoardo *libro 3. hiſtoriæ Rhemenſis*, pati non poſſet.

Porrò in illis duodecim Epiſcoporum pro civilibus Regis negotiis coactorum comitiis Gotteſchalcus damnatus eſt, tum quòd ſacroſanctum Sacerdotalis miniſterii officium irregulariter à Chorepiſcopo uſurpaſſet; tum quòd eo officio in cunctis moribus, ac pravis actibus, atque perverſis doctrinis abuſus fuiſſet; tum quòd & Eccleſiaſtica, & civilia negotia contra propoſitum & nomen Monachi conturbare contemnens, jura Eccleſiaſtica præſumpſiſſet. Propter quæ capitaexauthoratus, ac penitus interdictus, & duriſſimis verberibus caſtigatus, & in carcerem Altumvillarenſem Rhemenſis diœceſis reclusus eſt. Hunc ſententiam, ſententiæque exequutionem *inauditum irreligioſitatis & crudelitatis exemplum*, Eccleſia Lugdunenſis *libro de tribus epiſt. ad primam*, appellavit. De illa etiam tyrannica in carcere detentione ſic eadem Eccleſia loquuta eſt: *Illa ejuſmodi miſerandi hominis tam longa & inhumana in ergaſtulum per tot annos damnatio, aliqua, ut credimus, compaſſionis benignitate, & conſolatione fuerat temperanda, vel etiam removenda.*

Iniquitas autem ſententiæ clarè innoteſcit; tum quia morum pravitatis, & nimiæ civilium negotiorum curæ, vel miniſterii ſui abuſus nunquam à ſuis Superioribus, nunquam à proprio Epiſcopo accuſatus eſt. Et certè cùm Roraldus Sueſſionum Epiſcopus, & legitimus Gotteſchalci paſtor ejuſdem ordinationem à Chorepiſcopo more illius temporis factam ratam haberet, non potuerunt alii ipſo abſente irritam facere. Tum quia oppreſſo Gotteſchalco accurrerunt viri Catholici. Rattamnus enim Corbeienſis Monachus epiſtolâ ad amicum miſſâ Hincmari libellum ad recluſos editum confutavit. Et Prudentius Tricaſſinus Epiſcopus Gotteſchalci doctrinam confirmaturus, ad Hincmarum Rhemenſem, & Pardulum Laudunenſem Epiſcopos ſcripſit, quos & hortatur, ut doctrinam Beatiſſimi Patris Auguſtini ipſorum Pontificatus tempore impugnari non permittant: *Quippe nullus Doctorum abſtruſa Scripturarum ſcrupuloſius rimatus, diligentius exquiſierit, veriùs invenerit, veraciùs protulerit, luculentiùs enodaverit, fideliùs tenuerit, robuſtiùs defenderit, effuſius diſſeminaverit.* Et Lupus Servatus Presbyter Moguntinus præclaro de tribus quæſtionibus libro Gotteſchalci ſententiam non minori zelo defendit. Et alter Lupus Abbas Ferrarienſis epiſtola ad Carolum Regem, Gotteſchalcum ab errore vindicavit, dum præfati Prudentii doctrinam confirmavit. Et Eccleſia Lugdunenſis Gotteſchalci de prædeſtinatione doctrinam nullâ cenſurâ innitendam oſtendit, tum libro de tribus epiſtolis, epiſtola ſcilicet Hincmari ad Amolononem, Parduli Laudunenſis ad eundem, & Rabani ad Nothingum; tum celebri opere *de tenenda veritate Scripturæ*, ubi Hincmari quatuor capitula Cariſiaci cum quibuſdam Epiſcopis anno 854. edita, & à Rege ſubſcripta reprobat: & Concilium Valentinum III. anno 855. Epiſcoporum trium Provinciarum, Lugdunenſis, Viennenſis, Arelatis, ubi & quatuor capitula Cariſiaca acerbis cenſuris proſcripta, & alia quatuor illis oppoſita edita ſunt, & Joannis Scoti, qui contra Prudentium Gotteſchalci defenſorem juſſu, vel conſilio Hincmari ſcripſerat, liber reprobatus eſt: & Concilium Lingonienſe anno 859. trium prædictarum provinciarum Epiſcopis conſtans, ubi Synodi Valentinæ decreta firmata ſunt. Quæ duo Concilia Eccleſia ut vera, legitima, & in Spiritu ſancto congregata ſemper agnovit, utpote à Nicolao Romano Pontifice approbata, ut in Annalibus Bertinianis his verbis habetur: *Nicolaus Pontifex Romanus de gratia Dei & libero arbitrio, de veritate gemina prædeſtinationis, & ſanguine Chriſti, ut pro omnibus credentibus fuſus ſit, fideliter confirmat, & catholicè decernit.* Qui Summus Pontifex Hincmarum ad ſe ſemel & iterum adverſus Gotteſchalcum ſcribentem contempſit, ſed juſſit Gotteſchalci cauſam à Legatis ſuis judicari.

Noverat enim oculariſſimus Chriſti Vicarius, non alia Gotteſchalco opponi, quàm quæ dudum intrepidis Auguſtini diſcipulis, gratuitæ prædeſtinationis, & perfectæ gratiæ defenſoribus, à Pelagianorum reliquiis per calumniam, & inanes conſequutiones objecta fuerant; ejuſque doctrinam in proprio authoris ſenſu, & ab Hincmari calumniis vindicatam, fuiſſe ſæpe & ſacrorum Conciliorum canonibus, & Apoſtolicæ Sedis diplomatis adſtructam. Noverat ex utraque Gotteſchalci fidei profeſſione docuiſſe eum, non uti imponebat Hincmarus, Deum impios præ-

ftinaffe ad culpam (nullus enim id dixerat, nec dixiffe invenitur, ut ait Ecclefia Lugdunenfis memorata;) fed Deum æterno fuo, juftoque judicio prædeftinaffe, feu decreviffe eos inferni fupplicio puniendos, quos veraciter omninò proprio vitio impios, & iniquos futuros, & in fuis impietatibus, atque iniquitatibus perfeveraturos præfcivit. Quod & Hincmarus veritate coactus *lib. de Prædeft. cap.* 15. agnovit his verbis: *Dicunt Gottefchalcus, & ejus affines, Prædeftinavit Deus reprobos ad interitum, non ad peccatum.* Noverat non negaffe Gottefchalcum, Deum velle omnium falutem, & Chriftum pro omnibus mortuum effe; fed id juxta expofitiones Auguftini fuiffe interpretatum, folumque contendiffe, Deum fpeciali dilectione electos profequi, fpeciali ratione eorum falutem velle, nec effe æqualem, vagam & indifferentem, uti Semipelagiani docebant, omnium peræquè falvandorum voluntatem. Noverat Hincmarum, & fequaces non amore veritatis, fed tricis, & cavillis Gottefchalcum impetiviffe; cùm & in illo propofitionem hanc Catholicam, *Te Trina Deitas*, ab Ecclefia Romana in folemnibus officiis receptam carperent. Noverat nõu dixiffe, nec unquam voluiffe eum dicere, liberum arbitrium ad malum, uti calumniabatur Hincmarus, neceffitari, fed hominem fine gratia boni nihil poffe. Teftatur enim Ecclefia Lugdunenfis laudata *lib. de trib. epift. ad primam*, hoc genus erroris (fcilicet hominem non poffe uti libero arbitrio nifi ad malum) *nec apud hæreticos, nec apud quemquam Catholicorum fe cognoviffe, vel audiviffe: ita ut etiam de ifto* (Gottefchalco) *nobis hoc incredibile videatur.* Unde libro de veritate Scripturæ fic concludit: *Videtur nobis fine dubio, quod illa quæ de divina prædeftinatione dixit, juxta regulam catholicæ fidei vera fint, & à veridicis Patribus manifeftiffimè confirmata, nec ab ullo penitus noftrûm, qui Catholicus haberi vult, refpuenda, five damnanda. Et ideo in hac re dolemus, non hunc miferabilem* (Gottefchalcum) *fed Ecclefiafticam veritatem effe damnatam.* Unde paffim eadem Ecclefia ait, *in omnibus Gottefchalci fenfibus & veram omninò, & falubrem intelligentiam effe: eum Beatiffimi Auguftini ab omni femper Ecclefia venerabiliter recepti, & ufque in finem fæculi recipiendi fenfum fuiffe fequutum. Cujus veridicum fenfum non oportuit fub perfona alicujus hominis à Catholicis Dei Sacerdotibus condemnari, ne jam non ifte, qui errare putatur, fed ille potiùs, cujus authoritatem fequitur, hæreticus effe judicetur.* Ex quibus omnibus liquidò conftat, Gottefchalcum non Prædeftinatianæ hærefeos inftauratorem, & multò minùs fautorem; fed Auguftinianæ, Catholicæque doctrinæ ftrenuiffimum defenforem, pro juftitia, pro veritate, pro gratia perfequutionem paffum, & patiendo immortuum.

Reflexio.

Ex his, quæ tota hac appendice demonftravimus gemina ad componendos mores confectaria derivare eft. Primum: Si tot, & tanta hærefeon portenta non folùm Gottefchalco ab Hincmaro, fed etiam veris Auguftini difcipulis à Faufto, & ipfi quoque Auguftino à Semipelagianis, nihil tamen probationis præter manifeftas calumnias afferentibus, collata funt, vide quàm periculofum fit temerè de aliis judicare, malè de aliis loqui, illumque nocentem, vel hæreticum afferere, nifi quem nocentem, quemve hæreticum certò perfpexerimus. Vide quo in falutis difcrimine & illi verfentur, qui tam faciles mendaciis, & calumniis aures præbent. Vide tandem quàm luxurians, quàm ferpens fit maledicentiæ crimen, quàmve fingularis fit contagio fceleris hujus ab uno profecti, latiffimè manantis, quod & viventibus, & mortuis officit, & non folùm maledicum, fed & audientem, & omnes ad quos pervenerit, interimit. *Ferit charitatem in omnibus, qui fe audiunt lingua maledica*, inquit Bernardus ferm. 24. in Cant. *& quantum in fe eft, necat funditus, & extinguit. Non folùm autem, fed & in abfentibus univerfis, ad quos volans verbum, per eos qui præfentes funt, venire contigerit, ut brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens fermo tabe malitiæ hujus inficere poffit.*

Secundùm, nec minoris momenti confectarium eft, cavendum omninò à vitis, etiam pietatis fpeciem habentibus, dum ad ftabiliendam hærefim, quam fectantur, viris Catholicis hærefis notam tecriminando inurunt. Nam & Semipelagiani tam fpectabili doctrina, tam præftanti in fpeciem pietate præditi erant, ut de illis in fua ad Auguftinum epiftola hæc Profper literis commendatit: *Ad authoritatem talia fentientium non fumus pares, quia multùm nos & meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper fummo Sacerdotii honore fupereminent: nec facilè quifquam præter paucos perfectæ gratiæ intrepidos amatores, tantis fuperiorum difputationibus aufus eft contraire: ex quo non folùm his, qui eos audiunt, verùm etiam ipfis, qui audiuntur, cum dignitatibus crevit periculum, dum & multos reverentia eorum aut inutili cohibet filentio, aut incuriofo ducit affenfu: & faluberrimum ipfis videtur, quod penè nullius contradictione reprehenditur.*

Gravius veritati ab fpeciofis piis, quàm ab apertis impiis difpendium imminet. Unde in iis audiendis, in eorumque libris lectitandis, tefte Gelafio *lib. de vinculo anathematis*, illud Apoftolicum 1. *Theffal.* 5. fervandum eft: *Omnia probate; quod bonum eft, tenete.* Claret id exemplo Faufti Rhegienfis, magna fanctimoniæ fpecie illuftris, qui ex Abbate in Epifcopum affumptus, nihil de antiqua Monafterii aufteritate remifit; & tefte Sidonio Apollinari lib. 9. epift. 7. *nihil ab Abbate mutatus, cum nova dignitatis obtentu rigorem veteris difciplinæ non relaxavit.* Jufto judicio accidere multis in libris docet Auguftinus, viros infignes, dum fibi hoc ipfum, quod in fe eminere cernunt, Deo ingrati non tribuunt, à regia veritatis via declinare. Quo fuperbiæ vitio à divinæ ftabilitate fubftantiæ repulfi *magni quidam viri ad idololatria dedecus deflexerunt*, inquit *lib. de fpirit. & lit. cap.* 11. Et *libro* 5. *cont. Iulian. cap.* 3. ait: *Quando fibi homo multùm placet, & de fua virtute confidit, fi traditur in defideria fuperbiæ fuæ, tanto ampliùs augetur hoc malum, quanto magis ei cupiditates cætera cefferint.* Et *ferm.* 13. *de verb. Apoft. cap.* 9. *&* 10. ait: *Ergone ad carnis actiones mortificandas de fpiritu tuo præfumas, & fuperbiâ pereas; & tibi fuperbo refiftatur, non humili gratia concedatur? Deus enim fuperbis refiftit, humilibus autem dat gratiam.:::: Dicturus eras: Hoc poteft voluntas mea, hoc poteft liberum arbitrium meum. Qua voluntas? Quod liberum arbitrium? Nifi ille regat, cadis; nifi erigat, jaces. Quomodo ergo fpiritu tuo, eum audias Apoftolum dicentem: Quotquot enim fpiritu Dei aguntur, hi filii funt Dei: tu te vis agere, à teipfo vis agi ad alliãnes carnis mortificandas? Quid tibi prodeft, quia non eris Epicureus, & eris Stoicus? Sive Epicureus eris, five Stoicus eris, inter filios Dei non eris.* Idem ipfum præclaris verfibus tradit Profper carmine de ingratis, *cap.* 37. Quas fuprà in hoc tractatu retulimus.

Id ipfum innumeris aliis exemplis confirmari, illuftrarique poteft. Quis nefcit fanctiffimis Monachis Ægyptus, ipfique totius fanctitatis archetypo, & eloquentiâ nulli fecundo Chryfoftomo, fpretâ ipfo fidei

fidei umbone à Theophilo Alexandrino innumeras clades obtigisse? Videsis recentem Chrysostomi vitam Gallico idiomate editam, omnium manibus exceptam, omnium ore laudatam, ubi stylus respondet argumento, id est vir aureus elegantiâ, eloquentiâ, & pietate super aurum & topazion pretiosa depingitur. Quia nimirum, ut benè in suo Commonitorio scripsit Vincentius Lirinensis, *in Ecclesia Dei tentatio est populi error Magistri, & tanto major tentatio, quanto ipse est doctior qui errat.* Quod confirmat exemplo Origenis & Tertulliani. Nemo enim penè est, qui Origenis tentationi valeat comparari, in quo plura adeo præclara, adeo singularia, adeo mira exstiterunt, ut inter initia habendam cunctis assertionibus ejus fidem quivis facilè judicaverit. Nam si vita facit authoritatem, magna illi industria, magna pudicitia, patientia, tolerantia: si genus, vel eruditio, quid eo nobilius, qui prim ùm in ea domo natus est, quæ est illustrata martyrio? Deinde pro Christo non solùm patre, sed omni quoque facultate privatus, tantùm inter sanctæ paupertatis profecit angustias, ut pro nomine dominicæ confessionis sæpiùs afflictus sit. Neque verò hæc in illo sola erant, quæ cuncta postea tentationi forent, sed tanta etiam vis ingenii tam profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes multùm, longéque superaret; tanta doctrinæ ac totius eruditionis magnifica copia, ut pauca forent divinæ, penè fortasse nulla humanæ Philosophiæ, quæ non penitus assequeretur. Eloquentia porrò ejus tam amœna fuit, tam læta, tam dulcis oratio, ut ex ore ipsius non tam verba, quàm mella fluxisse viderentur, quibus & persuasu difficilia disputandi viribus elimpidabat; & factu ardua, ut facillima viderentur, efficiebat; nec argumentorum tantummodò nexibus assertiones texebat suas, sed nemo unquam Doctorum fuit, qui pluribus divinæ legis exemplis uteretur. Tantæ doctrinæ plenitudini insignium discipulorum felicitas respondebat; innumeri enim ex sinu ejus Doctores, Sacerdotes, Confessores, & Martyres exierunt. Unde tanta illius apud omnes admiratio, tanta gloria, tanta gratia fuit, ut ad eum ex ultimis mundi partibus viri religiosissimi advolarent, quem ut Magistrum, & penè ut Prophetam venerabantur, illaque utebantur, teste præfato Vincentio, sententiâ, se cum Origene errare malle, quàm cum aliis vera sentire. Et tamen ille Origenes tantus, ac talis, qui tot unus scripsit, quot vix multi legendis libris sufficiant; tam capax, ut septem amanuensibus scripta dictaret; tam promptus, ut anno decimo octavo Scripturas interpretatus, utbi docendo tunc esset idoneus, cùm alii manum ferulæ nondum subducere potuerunt: ille, inquam, qui inter prima Christianæ Religionis decora reponeretur, nisi magnas dotes majoribus sordibus conspurcasset, dum suo ingenio plus justo indulsit, dum se cunctis plus sapere præsumpsit, consiliis quidem divinis ipse fervivit, multosque docens; sed tamen æquissimis Dei, Ecclesiæque judiciis proscriptus est malè scribens, quia Deus bonorum nostrorum non indigens, more pædagogi, qui virgis utitur, quas deinde post emendatum, extimitumque discipulum in ignem mittit, viros præstantes in electorum bonum cooperantes adhibet, sed collatis donis abutentes floccifacit, & in tenebras projicit exteriores.

Idem in Tertulliano Latinorum facilè Principe elatuit. Eo nullus doctior, nullus in divinis, atque humanis exercitatior extitit. Hujus oratio tanta rationum densitate conserta, tanto pondere firmata est, ut ad consensum sui quos suadere non potest, compellat: hujus quot penè verba, tot sententiæ; quot sententiæ, tot victoriæ. Sed heu! Ille idem Tertullianus, post debellatos Appelles, Praxeas, Hermogenes; post devictos Judæos, Gentiles, Gnosticos; post infidelium blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus velut quibusdam fulminibus eversas, quia catholici dogmatis, id est universalis, ac vetustæ fidei parum tenax fuit; quia Ecclesiæ Christi, quam initio defenderat, individuè non adhæsit; quia exsurgentes in Ecclesiam novellas Montani furias, & insana fanaticarum mulierum novitii dogmatis somnia veras esse prophetias asseveravit, fecit ad extremum, ut B. Hilarius *in cap. 5. Matth.* scripsit, ut *sequenti errore detraxerit scriptis probabilibus authoritatem.*

Non me latet pro Origene & Tertulliano multos apologias edidisse, nihil variâ Ecclesiæ in personas lata judicia veritos, quia in quæstionibus facti errare Ecclesiam posse nemo eruditus ignorat. Attamen etsi suam illis apologiis in mortuos charitatem demonstrarint, ambiguam tamen eorum fidem, incertamque proinde salutem liquerunt. Ex incerta porrò eorum salute certum hunc fructum eliciamus, magnos, speciosæ famæ, & singularis doctrinæ viros vix sibi peccare solis, sed alios ad se errando pertrahere, eòque periculosiùs, quo ipsi meliores habentur, ut solet ex optimo pessima esse corruptio. Facilè enim ipsis vel sagacissimis error placere incipit, cùm errori affectata, vel existimata errantis sanctimonia pretium addit.



DISSERTATIO IV.

De gratia habituali animam sanctificante, & justam reddente; & de merito Justorum.

PRÆCIPUUM divinæ gratiæ opus est justificatio impii, & animæ sanctificatio. *Neque enim*, ut ait Augustinus epist. 107. *gratia Dei justitiam in alicujus corde invenit, sed facit.* Et certè justitiam & sanctitatem nec sibi adsciscere valet, nec perditam ex seipso recuperare infirmus homo potest. *Crearis, sanatis, salvaris,* inquit lib. de grat. & lib. arb. Doctor Mellifluus: *quid horum tibi ex te, homo? Quid horum non impossibile libero arbitrio? Nec creare, qui non eras; nec justificare peccator, nec mortuus poteras teipsum resuscitare. Quid enim? Agnoscis creantis potentiam, salvantis gratiam, & sanantis ignoras justitiam? Propter hoc & David ingeminans: Non nobis, inquit, Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam, quòd utrumque à Deo solum, & justitia scilicet expectaret, & gloria.*

Et ratio est aperta. Etenim ut profundè de more argumentatur S. Thomas 1.2. q. 88. art. 1. peccatum mortale tollit principium vitæ moralis, sicut mors tollit principium vitæ animalis; principium enim vitæ moralis est finis animalis, unde voluntas se movet ad media. Ergo remoto ordine ad finem, non remanet principium intrinsecum, quo reparetur ordinatio circa ea quæ sunt ad finem. At per peccatum mortale miser homo suicida extinguit ordinem ad finem ultimum verum, Deum scilicet: ergo post peccatum non potest à peccato resurgere, nec sibi mortuo vitam dare, sed potiùs à vitiis in vitia ruet, nisi peccata citò deleat pœnitentiâ. Vix ergo, ac ne vix quidem de gratia sanctificante agere possumus, quin de justificatione unà disputemus.

CAPUT I.

Gratiæ sanctificantis, & justificantis essentia, proprietates, & lepôres.

INnumeræ à Theologis de gratia & justificatione controversiæ excitantur, quibus splendidissima totius Theologiæ materies, & Christianismi gloria ac character infuscatur magis quàm illustretur. Nullas Theologo dignas, Deo annuente, prætermittemus; sed omnes ex ipsa gratiæ notione facili negotio deducemus, & penetratâ hujus divinæ qualitatis essentiâ, cæteras de sanctificatione, & justificatione quæstiones sponte sua fluxuras esse spondeo.

SPECULATIO I.

Gratia sanctificans est qualitas divinitus infusa, substantiam animæ immediatè afficiens, & formaliter exprimens naturam divinam, ut natura est, non verò ut est actus purus, & ens per essentiam.

HUic asserto confirmando innumera proferri possent sacrarum literarum, Patrumque testimonia, sed ea inter explicandam unamquamque partem, atque in sequentibus speculationibus referemus.

Explicantur itaque, & probantur singulæ partes. In primis ergo gratia sanctificans dicitur qualitas, realis scilicet & physica. Non enim audiendi sunt hujus temporis hæretici, qui putant peccata hominum nullâ internâ gratiæ infusione, sed unâ justitiæ Christi imputatione deleri, hominemque justum evadere, non quâ interiùs renovetur justitiâ, sed externâ Christi sanctitate; quâ veluti tegitur, & vestitur.

Verùm hunc errorem proscripsit sacra Tridentina Synodus *sess. 6. de justif. cap. 7.* ubi declarat unicam formalem causam justificationis hominum esse justitiam Dei, non quâ ipse justus est, sed quâ nos justos facit; *quâ videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non solùm reputamur, sed verè justi nominamur, & sumus, justitiam in nobis recipientes.* Hac de causa *cap. 11.* anathemate percurit dicentes, *homines justificari solâ imputatione justitiæ Christi, exclusâ gratiâ, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffunditur, atque illis inhæret; aut etiam gratiam, quâ justificamur, esse tantùm favorem Dei.* Eandem etiam ob causam paris anathematis fulmine percellit eos, qui ex eodem negatæ gratiæ interioris, & permanentis principio arbitrati sunt, peccata eorum, qui justificantur, nullâ verâ & physicâ mutatione deleri, sed solâ Christi justitiâ veluti amictu occultari. *Si quis dixerit*, inquit Concilium sess. 5. can. 5. *peccatum originale non verè tolli per gratiam Christi, sed tantùm radi, & non ampliùs imputari, anathema sit.*

Id ipsum satis apertè tradunt Scriptura & Patres iis omnibus locis, quibus tradunt gratiam, charitatem, & virtutes infusas esse *pretiosa dona*, 2. Petri 1. *Diffundi in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*, Rom 5. Esse id quo *mundantur peccata, & si fuerint sicut coccinum, quasi nix dealbantur*, Psalm. 50. Ezechielis 36. & Isaiæ 1. Quæ omnia probant gratiam justificantem esse aliquam entitatem, seu qualitatem realem, & non externam duntaxat denominationem, quæ non diffunditur in corde, nec causare potest effectus reales munditiei interioris. Maximè quia, ut ait Discipulus amoris, per gratiam & charitatem non solùm denominamur, sed reapse sumus filii Dei. *Videte*, inquit epist. 1. cap 3. *qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & simus.* Idem etiam convincunt illa omnia testimonia, quibus dicitur, per gratiam *cor mundum creari in nobis.* Psalm. 50. justos *creari in Christo Iesu.* Ephes. 2. esse *novas creaturas.* 2. Cor. 5. & Gal. 6. & *abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipere*, Rom. 5. Si autem per gratiam nihil in anima efficiatur, nova illa creatura erit ens rationis; licèt enim gratia secundùm probabiliorem sententiam, è nihilo subjecti non producatur, dicuntur tamen per eam homines spirituales creari, quia in novo esse constituuntur ex nihilo, id est nullis præcedentibus meritis. Et certè nihil mirum, si Calvinistæ nostri totum gratiæ statum, quo Christianismus cônstat, ad denominationes, nihilumque redegerint, postquam divinissimum Eucharistiæ sacramentum contra apertissima veritatis verba ad inanes figuras, ad tropos, & ut novissimè addit Minister Claudius satis notus, & alibi confutandus, ad mysticas inundationes, id est ad nugas, fabulas, & mera exerrantis imaginationis deliramenta revocent. Quid est hoc, quæso? quid est hoc, nisi Religionem, quam foris destructis omnibus cæremoniis vastarunt, delere intus, & exinanire usque ad fundamentum in ea? Sed sinamus gentem illam mentem suam pascere chimæris, nos ad solida progrediamur, solida quæramus, & cum Augustino lib. de spirit. & lit. cap. 37. dicamus: *Charitas diffunditur in cordibus nostris, non quâ nos ipse diligit, sed quâ nos facit dilectores suos; sicut justitia Dei ita dicta est, quâ justi ejus munere efficimur.* E lib. 1. contra duas epistol. Pelagian. cap. 13. *Dicimus*, inquit, *baptisma omnium dare indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, neque radices peccatorum in mala parte teneri, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata.*

Ratio verò est, quia per gratiam justificantem homo fit objectum divinæ dilectionis, cùm ut nomen ipsum sonat, per ipsam fit Deo gratus: per illam etiam evehitur homo ad ordinem supernaturalem, in quo possit divina agere, & pati; ideo namque dicitur homo per gratiam novæ legis in Baptismo regenerari, quia novum esse sortitur, & in novitate vitæ ambulare tenetur, id est supernaturales actiones elicere, quibus beatam visionem omnes naturæ creatæ, aut possibilis vires excedentem consequatur. Atqui dum homo fit objectum divinæ dilectionis, necessariò alicujus realis doni infusione mutatur; neque enim sterilis est divina dilectio, vel objectum amoris sui in subjecto, sicut creatus amor, supponit, sed facit, infundens, ut loquitur S. Thomas, & creans bonitatem in rebus. Principium etiam operum supernaturalium non minùs reale esse debet, quàm principium operationum naturalium; nec minùs permanens, ut in hoc ordine homo connaturaliter, suaviter, & expeditè valeat operari; non enim deterioris debet esse conditionis ordo gratiæ, quàm naturæ. Ergo gratia est aliquid reale in animam infusum, quo & speciale divinæ dilectionis objectum evadimus, & ad implenda supernaturalia vitæ christianæ officia instruimur; quóve filii Dei adoptivi, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati, divinæ filiationis signatam similitudinem recipiunt. *Hoc enim plus habet*, ut docet S. Thomas 3. part. quæst. 23. art. 1. *adoptatio divina, quàm humana, quia Deus hominem, quem adoptat, idoneum facit per gratiæ munus ad hæreditatem cœlestem percipiendam:*

hemo

homo autem non facit idoneum eum, quem adoptat, sed potius eum jam idoneum eligit adoptando.

Confirmatur, & illustratur: Deus per gratiam est speciali modo in anima justi, tanquam objectum, quo anima casta interiùs fruitur & pascitur, juxta illud à Veritate prolatum oraculum: *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ita ut si per impossibile Deus non esset immensus, & in Empyreo duntaxat commoraretur, sedem sibi solitam, quàmlibet sibi gratam, desereret, ut ad justum sibi gratiorem transmigraret, ut alibi dum de divinis missionibus, demonstravimus. At Deus, sicut ibi non est ubi nihil producit, quâ de causâ testantur Patres aliàs producti, Deum ante orbem conditum fuisse sibi mundum, locum, & omnia, in se solo habitasse, quia præter ipsum nihil erat; ita Deus non est speciali modo præsens, nisi ut aliquod speciale donum secum invehat; Deus namque, utpote à rebus omnibus absolutus & independens, non adest rebus, nisi quatenus illas à se dependentes facit, sibi unit, & omnia portat verbo virtutis suæ. Ergo sicut ideo Deus dicitur præsens singulari modo in Christo, quia subsistentiam Verbi sacræ humanitati verè, realiter, & ut loquitur Apostolus, corporaliter communicat; sicut Deus est speciali ratione in Beatis, quia illos lumine gloriæ realiter perfundit, quo Deum ut in se est, intuentur; sicut est in omnibus rebus generali præsentia, quia ab ipso omnia recipiunt esse, & operationem: ita non est speciali modo Deus Sanctis illapsus, nisi quia aliquod supernaturale donum illis largitur, quod gratiam dicimus sanctificantem. Quæ omnia illi fundatissimo principio innituntur: Deus rebus præsens non est, eas nisi ut perficiat, subindeque cùm sit quadruplex perficiendi genus, nempe quo creat & conservat, quo sanctificat justum, quo beat comprehensorem, quo sacram humanitatem ad esse personale evehit; hinc planè colligitur, totam mundi universitatem quadruplici ordine constare, naturæ, gratiæ, gloriæ, & unionis hypostaticæ, quadruplici Dei præsentiæ rerum omnium operatrici correspondente.

Argumenta Calvinistarum è detortis quibusdam Scripturæ locis deprompta nullius momenti sunt. Quod enim sacræ literæ beatos illos dicant, quorum tecta sunt peccata, quibus non imputantur scelera, & operiuntur omnia peccata eorum, dissimulanturque propter pœnitentiam, non propterea peccata manere volunt externâ duntaxat indulgentiâ tecta, & veluti inducta. Nam in iisdem locis non solùm peccata tegi, sed reapse remitti expressissimè dicitur: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates*, inquit Psalmographus Psam. 31. *& quorum tecta sunt peccata. Remisisti iniquitatem plebis tuæ*, addit Psalm. 84. *operuisti omnia peccata eorum.* Ubi & peccata tegi simul, & remitti dicuntur, quia ut rectè ibidem exponit Augustinus, non eatenus in justificato cooperiuntur peccata, quasi ibi sint, & vivant; cœlestis enim medicus tegit & curat. Itaque sicut lumen dicitur tegere tenebras aëris, quas suâ præsentiâ fugat; sicut cataplasma à perito medico vulneri adhibitum pus simul tegit, & exprimit, plagamque persanat: sic divinæ gratiæ lumen peccatorum caliginem operire dicitur, dum animam cœlesti claritate illustrat, & pharmacum divini medici non solùm infirmitates tegit, sed sanat; quia non venit tegere quod patebat, sed sanare quod perierat.

Nec hæc nostra doctrina eminentiæ justitiæ, & plenitudini satisfactionis, & sanctitatis Christi derogare credenda est, ut hæretici garriunt. Nonne enim justitiæ & meritis Christi gloriosius & honorificentius est, si virtute illorum non solùm manentia peccata velentur, sed prorsus deleantur, ita ut teste Isaia cap. 1. *Si fuerint rubra velut vermiculus, quasi lana alba erunt?* Quid ad gloriam vulnerum Christi defendendam, evehendamque splendidius, vel magnificentius dici potest, quàm ex illis pretiosa illa dona affluenter derivari, quibus filii Dei & nominamur, & sumus, consortesque divinæ naturæ evadimus?

Est ergo Christus justitia nostra, virtus nostra, sanctificatio nostra, quin spes, gloria, amor, vita, & resurrectio nostra; sed quid inde, vel quid tum? Si Apostolus omnibus omnia factus est, quia in omnium sese fundebat affectus, quidni Christus erit nobis omnia, à quo, per quem, & in quo habemus omnia? Ipse ergo justitia nostra est, qui pro nobis satisfecit, vimque satisfaciendi bonis nostris operibus suâ gratiâ impertit. Nostra est justitia Christi eo modo, quo lux Solis nostra est, nempe ut causa universalis, cujus vis major, minorve recipitur pro eo ut subjectum magis, minusve disponitur, pro eoque ut causæ adjuvantes majus, minusve opis ferunt ad effectum. Sicut enim in natura causa prima secundas non excludit, sed eas in consortium suæ operationis vocat; ita in his quæ supra naturam sunt, Christo ita vim principalem tribuimus, ut causas adjuvantes, & proximas Christo cooperantes non negemus. Eo enim vis & potestas Salvatoris præclariùs eminet, quo hominem sibi magis similem efficit, illique largitur non modò ut sit, sed ut causa etiam sit per gratiam suam, cujus continenti influxu semper eget.

Gratia divinitus infunditur.

Secunda speculationis pars causam gratiæ effectricem tradit, & usque adeò veram esse contendunt post Angelicum Doctorem nostri Thomistæ, ut credant implicare contradictionem, dari ullam aliam à Deo causam, quæ possit gratiam per modum causæ principalis producere. Et rationum momenta ad hunc discursum compendiosè revocantur. Gratia habitualis, ut posteà dicemus, est formalis naturæ divinæ participatio, quâ sancti constituuntur filii Dei, evaduntque objectum Deo gratum, & dilectum; quâ ad illos mittitur Spiritus sanctus, totaque ipsa Trinitas animæ sanctæ illabitur. Unde tam frequenter Scriptura monet, quod gratia est *semen Dei*, 1. Joan. 3. & quod *voluntate genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus*, ut dicitur Jacob. 1. Quæ generatio spiritualis, quâ fit nova creatura, à divina, eademque gratuita voluntate proficiscitur; unde & attribuitur Spiritui sancto, qui per voluntatem intra Deum procedit, juxta illud: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Atqui repugnat participationem divinæ naturæ, quæ omnem aliam excedit, produci nisi ab habente talem naturam, cùm nullum agens principaliter producere possit, nisi solam naturam propriam, in qua sibi assimilare effectum conatur; repugnat aliquid fieri Deo gratum & dilectum, nisi per Dei voluntatem & dilectionem; repugnat aliquem fieri filium Dei, nisi Deo adoptante, & volente spiritalem hominem generare, in illumque semen spiritale, quod est gratia, emittere: sicut semen naturale non potest ab alio semine semel producto derivari, & propagari, sed necessariò debet à causa principali effluere, cui terminus productus assimilatur; repugnat Spiritum sanctum ab ulla creatura posse mitti, solus namque Deus potest personam divinam mittere, juxta illud Augustini lib. 15. de Trinit. cap. 10. *Quomodo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum?* Denique repugnat Sanctissimam Trinitatem ab

ab ulla posse creatura donari, & in cor humanum speciali præsentiâ transfundi. Ergo gratiam sanctificantem ab ulla creatura principaliter produci impossibile est, & ut ait S. Thomas lib. 4. cont. Gent. c. 17. *Adoptare in filios Dei non potest esse opus alterius, nisi Dei.* Verè ergo diximus, gratiam esse qualitatem divinitus infusam. Quod & Scripturæ attestantur, Rom. 15. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum.* Psalm. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Job 14. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es?* Unde Trident. *sess. 6. cap. 7.* docet causam justificationis *efficientem esse Deum misericordem; meritoriam autem, dilectissimum unigenitum suum Dominum nostrum Iesum Christum.*

Dices: Homo justus quotidie producit actus supernaturales fidei, spei, charitatis; quidni ergo gratiam sanctificantem producere poterit, gratiâ præsertim abundantiori ornatus? Cur potiùs unum effectum supernaturalem, quàm alium efficere potest? Quæ disparitas?

Respondeo hominem gratiâ habituali instructum, vel auxilio actuali roboratum, posse in actus supernaturales prorumpere, illosque per modum causæ principalis producere; quia supposito principio supernaturali, potentiam habet quadantenus connaturalem ad eliciendos actus, qui cùm sint vitales, non possunt ab intellectu, & voluntate non procedere per modum agentis præcipui. At verò gratia habitualis nullam in subjecto potentiam connaturalem supponit, sed solam obedientialem, quæ nulli agenti creato, sed soli Deo subjicitur. Potest ergo homo habens gratiam elicere actus supernaturales, quorum habet in se connaturale principium; sed nequit gratiam in aliud subjectum propagare, quia non potest nisi potentiam naturalem illius operari. *Gratia,* inquit profundè de more Angelicus Præceptor q. 27. de verit. art. 3. *est quadam perfectio elevans animam ad quoddam esse supernaturale; nullus autem effectus supernaturalis potest esse ab aliqua creatura, duplicè ratione. Primò quidem, quia ejus solius est rem ultra statum naturæ promovere, cujus est gradus naturæ statuere & limitare; quod solius Dei constat esse. Secundò, quia nulla virtus creata agit, nisi præsuppositâ potentiâ materiæ: potentia autem naturalis creaturæ non se extendit ultra perfectiones naturales; unde nullam supernaturalem operationem aliqua creatura efficere potest,* (id est quæ in subjecto nullum habeat principium connaturale; nam operationes supernaturales justus elicit, supposito habitu supernaturali;) *& inde est, quod miracula solâ virtute divinâ agente fiunt, quamvis ad miraculi operationem aliqua creatura cooperetur, vel orando, vel qualitercumque aliter ministerium adhibendo: & propter hoc nulla creatura effectivè gratiam causare potest.* Quomodo autem Christus Dominus sit causa gratiæ, in materia de Incarnatione operosiùs exponemus.

Gratia est formalis naturæ divinæ participatio, & quomodo?

Hæc tertia pars eo accuratiùs explicanda est quo veritatem continet, quæ totius Christianismi medulla est & gloria, ac fermè infinitam declarat Christiani dignitatem, quâ nedum animalibus, sed & Angelis in ordine naturali constitutis immensùm antecellimus; quâ filiorum Dei juribus donamur, quâ ad sanctitatem Protoparentis peccato amissam reditum obtinemus post repulsam Angelorum; quâ à jugo legis in libertatem filiorum Dei asserimur, ab exilio ad patriam revocamur, ab umbra figurarum ad lucem rerum migramus, & post spem bonorum, eorum usurâ, & beatissimâ copiâ potimur.

Hanc autem veritatem, quia summi momenti est, eamque continenter noctu, & interdiu animo versare debet Christianus, clarissimè, & significantissimè Scriptura tradidit: *Per quem* (inquit Princeps Apostolorum loquens c. 1. suæ epist. 2. de Deo nostro, & Salvatore JESU-CHRISTO,) *maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Ergo per gratiam nobis promissam, & per Christum donatam consortes efficimur divinæ naturæ. Nec majori ponderatione indiget locus tam luculentus. Eandem veritatem ubique sonant creberrima illa testimonia, quibus dicitur justos per gratiam generari, renasci, & filios Dei reverà constitui; cùm enim generatio sit naturæ communicatio, cùm nativitas sit naturæ receptio, cùm filius ille solus dicendus sit, qui naturam parentis exprimit & propagat, procul dubio justos divinæ naturæ participatione gaudere credendum est, quos semel creatos sacræ literæ, & à Deo iterum gigni, & ex Deo natos, & filios Dei tam asseveranter, & juxtà frequenter tradunt. *Voluntariè enim genuit nos,* inquit Jacobus cap. 1. *verbo veritatis, ut simus initium aliquod creaturæ ejus:* id est, gratuitâ suâ dilectione sanctos spiritualiter genuit verâ naturæ suæ communicatione; verbum quippe veritatis fictam similitudinem non imprimit, ut sint primitiæ creaturarum, vel ut habeant in se initium operum supernaturalium, quæ debet elicere nova creatura, in qua ratione principii operum supernaturalium, & divinorum consistit naturæ divinæ participatio, ut posteà clarebit. *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum,* inquit D. Petrus cap. 1. suæ primæ. Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.* Illud idem eleganter exprimit dialogus ille eximius Christum inter & Nicodemum initus, Joan. 3. *Amen, amen dico tibi,* inquit Veritas Nicodemo magisterio Christi applaudenti, *nisi quis renatus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Ecce mysterium novæ in Christo per gratiam nativitatis, quâ jus regni Dei videndi adipiscimur; cùm enim hac iterata nativitate filii Dei constituamur, utique & hæredes regni evadimus. Obstupescens ad tam reconditum arcanum Nicodemus: *Quomodo,* inquit, *potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire, & renasci?* Spiritalem generationem carnaliter intelligebat vir Judaïcis ritibus innutritus, cujus falsum intellectum removere volens Salvator respondit: *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Quibus verbis non solùm secundæ istius generationis necessitatem inculcat, sed etiam Sacramentum, quo spiritaliter gignimur, exponit; in Baptismate enim spiritalem illam nativitatem tota Trinitas operatur. Deinde verò Salvator explicaturus interioris hominis generationem opus esse Spiritus sancti, & spiritalitatem divinam, in qua consistit natura divina, Sanctis hac nativitate communicari, subdit: *Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Non mireris, quia dixi tibi: Oportet vos nasci denuò: Spiritus ubi vult spirat, & vocem ejus audis; sed nescis unde veniat, aut quò vadat: sic est omnis, qui natus est ex spiritu.* Quasi diceret: Si vis intelligere mysterium hujus per gratiam nativitatis, attende principium ejus; sicut enim generans carnaliter carnem producit, quia naturæ suæ similitudinem imprimit & profundit quantùm potest: ita Spiritus,

qui

qui eſt hujus generationis parens, ſpiritalitatem novis ſuis creaturis impertit, & eatenus filios procreat, quatenus infuſione gratiæ homines efficit ſpiritales, ſpiritalitatem divinam non quidem ex æquo, ſed participativè exſeribentes. Nec ſcrutari decet hæc inſcrutabilia myſteria, quæ intus magis ſentiuntur dum vocem ejus audimus, quàm verbis ſenſibilibus explicentur. In quibus autem, & quomodo hæc operetur Spiritus ſanctus, noli examinare, ſi non vis errare; quia Spiritus ubi vult ſpirat, & operatur omnia, & ſingula prout vult. Denique per gratiam juſtos verè filios Dei fieri, tam clarum eſt in ſacris paginis, quàm quod clariſſimum. 1. Joan. 3. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus.* Rom. 8. *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus.*

A Patribus recenſendis ſuperſedeo, quid enim apud illos frequentiùs, inculcatiùs, & elegantiùs exprimitur divinâ illâ per gratiam generatione, quâ nos divinam ſimilitudinem exprimere aiunt? Sed circa hæc inter explicandos cœleſtes gratiæ lepôres plura è Patribus referemus. Non poſſum tamen illud Cyrilli *lib. 2. Theſauri, cap. 1.* miſſum facere: *Eandem operationem connaturaliter habentes, neceſſe eſt eſſe ejuſdem natura.* Plura in ſequentibus dicturi ſumus.

Ratio verò hujus tertiæ partis ad hanc formam reducitur. Per naturam divinam illam perfectionem primitivam, & fontalem intelligimus, quæ eſt noſtro concipiendi modo radix divinorum attributorum, & principium divinarum operationum; per naturam quippe rerum nihil unquam hactenus Philoſophi intellexerunt, quàm gradum illum uniuſcujuſque rei, unde proprietates manant, & operationes fluunt: unde trita eſt illa Philoſophi definitio: *Natura eſt principium motus & quietis ejus in quo eſt, &c.* Atqui gratia ſanctificans perfectionem illam primitivam, & fontalem, quæ in Deo cum fundamento concipitur, imitatur; ſicut enim Deus per ſuam naturam, ſeu ſpiritalitatem eſt radix divinorum attributorum, habetque inclinationem (quæ tamen in Deo Deus eſt) ad ſeipſum intuitivè videndum, ſeipſum amore beatifico amandum, omniaque extra ſe propter ſeipſum operandum: ita homo ſpiritalis per gratiam ſanctificantem regeneratus propendet in Deum intuitivè videndum, in ipſum amore beato diligendum, omnia propter unum Deum operandum; eſt etiam radix charitatis, virtutumque infuſarum, quæ ſunt divinarum perfectionum imagines, gratiam per modum proprietatis conſequentes. Ergo gratia ſanctificans eſt participatio divinæ naturæ, quà natura eſt, ſeu per modum virtutis tendentis in Deum, ut in ſe eſt.

Confirmatur profundiùs, & explicatur limpidiùs. Varios effectus gratiæ ſanctificanti Patres, & Theologi aſſerunt, gratia namque primò mundat à peccato: 2. Deo gratum hominem efficit, & objectum ſpecialis dilectionis: 3. hominem interiùs rectificat, renovat, & inſtaurat obliteratam ab Adami culpa ſimilitudinem menti inſculptam: 4. hominem Dei dilectorem ſin actu, certè poteſtate, & inclinatione reddit: 5. actus ſupernaturales fidei, ſpei, dilectionis, aliarumque infuſarum virtutum à juſto elici exigit: 6. Dei filium adoptivum conſtituit: 7. jus ad hæreditatem cœleſtem eidem filio adoptivo largitur: 8. totam Trinitatem animæ ſanctæ illapſam, & intimè præſentem facit: denique hominem ſupra puram naturam creatam & creabilem evehit. Quæ omnia poſſemus iis egregiis Scripturarum, Patrumque teſtimoniis illuſtrare, quibus integra concio locupletari poſſet, ſed facilè & ferè ad manum occurrent Lectori exercitato. Atqui omnes illi effectus ſunt veluti appendices, & corollaria participationis divinæ naturæ; ideo namque gratia cor mundat, gratum Deo reddit, rectificat, quia eſt naturæ divinæ participatio & ſimilitudo, quæ peccatorum ſordes non compatitur, & divinam dilectionem conciliat; ideò gratia in Deum, ut in ſe eſt, tendit, actuſque ſupernaturales exigit, quia eſt participatio naturæ divinæ; actus enim divini, & propenſiones divinæ, non niſi à natura divina ſaltem participata proficiſcuntur; cùm operari ſequatur eſſe, & inclinatio naturæ reſpondeat. Ergo eſſentia gratiæ ſanctificantis in hoc ſita eſt, quod ſit formalis naturæ divinæ participatio.

Dices: Quomodo gratia formaliter exprimere poteſt naturam divinam prorſus inimitabilem, & omnia creata & creabilia immensùm excedentem? Quomodo quod eſt Deo proprium, poteſt juſtis communicari? quid tam Deo proprium, quàm natura ipſius.

Reſpondeo, triplicem poſſe in Deo diſtingui perfectionum veluti gradum, quo conſtat quidquid ad Dei eſſentiam & attributa pertinet. Nam cum fundamento in re concipimus primò perfectiones Deo & creaturis communes; ſicut enim Deus ſubſiſtit, vivit, & intelligit, ita creaturæ ſecundùm ſuæ naturæ conditionem competit ſubſiſtere, vivere, & intelligere. Secundò concipimus in Deo perfectiones ita ipſi proprias, ut ſint divinitatis characteres, putà eſſe Deum, eſſe ens à ſe, actum purum, eſſe Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum; quæ cùm Deum ab aliis diſtinguant, prorſus implicat aliis communicari. Tertiò quædam perfectiones in Deo ſunt Deo quidem propriæ, ſed tamen per gratiam communicabiles beneficio gratuito & indebito, quales ſunt eſſe principium operationum divinarum, habere inclinationem ad Deum videndum, ipſum amare, propter ipſum operari, omni genere officiorum, & virtutum actibus Deum promereri, & tandem fruitione poſſidere: ſicut ergo juſtus imitatur operationes divinas, ita exigit virtutes divinas; virtutes autem divinæ ſupponunt eſſentiam, ſaltem participativè divinam, cùm proprietates conditionem eſſentiæ ſapiant, & veluti ſugant. Ergo natura, & perfectiones divinæ per gratiam & virtutes participantur. Ratio autem, cur hujus tertii generis perfectiones ſint imitabiles, eſt quia conveniunt Deo ut enti ſpiritali, & intelligenti, cui quà tali convenit naturaliter ſe videre, ſe amare, & ſui fruitione beari. Quod autem convenit naturaliter Deo quà ſpirituali & intelligenti, competere per gratiam poteſt naturæ intelligenti creatæ, quæ ratione intellectus habet amplitudinem quadantenus infinitam, ratione cujus eſt Dei amandi, videndique capax, imò ſolo Deo beari poteſt; ad imaginem quippe Dei facta, cæteris occupari, fatigarique poteſt, impleri non poteſt. Ut ergo cor humanum ad Deum factum, quodve inquietum eſt donec in ipſo quieſcat, Deum caſtè amet, Deum videat, & archetypo ſuo uniatur, iis virtutibus indiget, quibus divinas operationes eliciat, divinas virtutes exprimat, divinam conſequenter naturam imitetur. Licèt enim naturam divinam ſecundùm rationes Deo proprias, & Deo eſſentiales imitari impoſſibile ſit, illam tamen modo dicto exprimere non modò impoſſibile non eſt, ſed planè conveniens naturæ intellectuali creatæ, & bonitati divinæ conſentaneum.

Ex quibus dilucidè, ni fallor, intelliges quàm verè in ultima ſpeculationis parte dixerimus, gratiam eſſe quidem divinæ naturæ, ut natura eſt, participationem; ſecus ut eſt actus purus, & ens per eſſentiam. Cùm enim ratio actus puri & entis per eſſentiam ſit ipſius divinitatis character, & propria veluti differentia, Deoque conveniat prout à creaturis etiam ſupernaturalibus diſtinguitur, procul dubio imparticipabilis

pabilis eſt. Imitatur quidem gratia naturam, quæ eſt actus purus, & ens per eſſentiam; ſed naturæ illius puritatem, & eſſendi plenitudinem formaliter exprimere non poteſt.

Nec valet quorumdam recentiorum evaſio aientium, quod cùm participare ſit partim accipere, & partim relinquere; ſufficit, inquiunt, ut gratia naturam divinam, quà actus purus eſt, participet, quod rationem inclinationis & tendentiæ in Deum exprimat, tametſi actus puritatem non imitetur. Verùm enimverò hæc ſubtilitas ſponte abit in fumum, & merâ nominis æquivocatione laborat: ſi enim gratia id participat, quod relinquit, modò aliquid aſſumat, profectò omnia quæ in Deo ſunt, participat; quia aliquid Dei exprimit, cætera dum relinquit. Ad formalem quippe participationem, ſeu imitationem, & expreſſionem formalis convenientia, & veluti exſcriptio, ſaltem analoga, quâ participans participati dotes delineet, deſideratur: hac de cauſa ſapientia, juſtitia, miſericordia, amor, cæteræque perfectiones ſimpliciter ſimplices, licèt ſint in Deo actus puri, & infiniti, participari tamen formaliter poſſunt, quia conceptum earum formalem Deus in creaturas effundit, retentâ ſibi actus puritate, & infinitate. At conceptum formalem actus puri Deus non communicat, ſed totum ſervat ſibi; unde tam repugnat rationem actus puri à gratia formaliter participari, quàm repugnet ens ab alio fieri ens à ſe, & creaturam evadere creatorem. In ſumma, id gratia non exprimit, quod relinquit; id ſolùm exprimit, quod repræſentat, quodve in ſe relucet. Rationem actus puri relinquit, ſolam rationem inclinationis ſupernaturalis, & principii radicalis operationum divinarum repræſentat. Ergo naturam divinam quà natura eſt, non verò ut eſt actus purus & ens per eſſentiam, imitatur & exprimit: per participationem autem nihil aliud intelligimus, quàm expreſſionem, & imitationem, niſi velimus de nomine cavillari, & ſophiſmatis chartas implere.

Ex his etiam intelliges, quare repugnet dari ſpeciem divinam eſſentiam quidditativè, ut aiunt, repræſentantem, & intellectum beatum informantem, quæ Deum ut in ſe eſt, videat; tametſi non repugnet, ſed reapſe detur gratia divinam naturam formaliter exprimens. Ratio namque diſcriminis, unde variis difficultatum inſtantiis occurres, hæc eſt; quia ſpecies quidditativa Deum intuitivè, & ſicuti eſt, videndum exhibens, eſſentiam Dei, actus puritatem, eſſendi plenitudinem, infinitatem, cæteraque Deo propria deberet exprimere, ut ea viſenda poſſet objicere; quin ipſa actus purus, ipſa ens à ſe, ipſa infinita, & ipſa infinitas in eſſe intelligibili eſſe deberet, cùm ſpecies ſit ipſummet objectum in ordine intelligibili, & veluti intelligibilitas illius. At enim quid repugnantius, quàm dari intelligibilitatem, quæ ſit actus purus, & infinitus, ipſaque infinitas, ipſa independentia, ipſa omnipotentia; dari, inquam, extra Deum, & non ſit Deus? At verò gratia ſanctificans eatenus eſt formalis Dei participatio, quatenus virtus eſt, hominem ad Deum evehens, ad operanda, patiendaque divina attollens, & ad fruendum Deo inclinans.

Dices iterum: Niſi gratia eſſet participatio divinæ naturæ, non ſolùm ut natura eſt, ſed etiam ut eſt actus purus infinitus, non foret entitativè ſupernaturalis: etenim ſupernaturalitas creata eſt imitatio divinæ; divina autem ſupernaturalitas in hoc conſiſtit, quod excedat omnem naturam creatam & creabilem; excedit verò illam, non in hoc, quod exiſtat, vivat, aut intelligat, cùm eas dotes in creaturas effuderit; ſed in modo habendi illas, qui modus eſt actus puritas, & infinitas omnem eliminans imperfectionis umbram. Unde Deum eſſe ens ſupernaturale, eſt eſſe ens à ſe, actum purum, infinitum; quod nulli unquam creaturæ communicari poteſt: ergo ut gratia verè ſupernaturalis ſit, verèque dicatur, infinitatem illam, puritatem illam, illimitationem illam debet exſcribere, vel ſaltem adumbrare, ut ſit imaginem inter & archetypum juſta conſonantia.

Reſpondeo Deum eſſe quidem ſupernaturalem, quà actus purus, infinitus, & illimitatus eſt; ſed hæc ſupernaturalitas, cùm ſit diſtinctivus divinitatis character, quo à creaturis etiam ſupernaturalibus diſcernitur, nullâ poteſt in creaturas ratione transfundi, & ab eis exprimi, vel exſcribi. Verùm enim verò, ut ſuprà monuimus, habet Deus alias dotes ſupernaturales ſibi ſimpliciter proprias, & attentis præciſis creaturæ cujuſvis juribus incommunicabiles; ſed tamen ex gratuita Dei miſericordia communicari natas, quales ſunt ratio principii operationum divinarum, radix virtutum infuſarum, in quibus divina attributa reſplendeant, inclinatio proxima & connaturalis ad Deum caſtè amandum, claréque videndum.

Ex quibus ſine negotio intelliges id, quo ſuos tantoperè torquent, marcetantque animos Theologi non pauci, in quo nimirum ſupernaturalitas ſita ſit, cùm divina, tum humana: facilè enim reſponderi quit, ſupernaturalitatem divinam eſſe divinarum perfectionum eminentiam, quæ vel omnimodis incommunicabilis eſt, vel certè non niſi ſpeciali præcipuæ & indebitæ dilectionis effuſione communicabilis; ſupernaturalitatem verò creatam eſſe expreſſionem divinæ perfectionis gratuitâ duntaxat voluntate communicabilis. Et quia perfectionem illam creatura ulla exprimere nequit, quatenus eſſe poteſt radix divinarum virtutum & operationum, in Deumque caſto amore & clara viſione poſſidendum tendit; ideo non pauci Thomiſtæ ſupernaturalitatem creatam in habitudine ad Deum, tanquam in finem, objectumque connaturale collocarunt. Verùm ſi res penitiùs introſpiciatur, citò, ni meus me fallat animus, apparebit, habitudinem illam in Deum expreſſionem præfatam ſupponere, in eaque fundari. Ideo namque gratia eſt virtutum infuſarum radix, operationum cœleſtium principium & fons aquæ ſalientis in vitam æternam, quia naturam divinam, ut natura eſt, imitatur: ſicut ideo fides primæ veritati, & veracitati immobiliter adhæret, quia divinæ certitudinis radius eſt; ideo ſpes in Deum videndum anhelat, ideo charitas in Deum propter ſe diligendum propendet, quia divinæ ſunt voluntatis imitationes, & ſpecula: ergo expreſſio naturæ divinæ gratiæ ſupernaturalitatem primitus conſtituit, tametſi infinitatem, actus puritatem, & illimitationem entis à ſe non imitetur.

Sed inquies: Multæ ſunt virtutes ſupernaturales & infuſæ, quæ nihil divinum formaliter exprimunt; quid enim humilitas, quid modeſtia, quid ſacer timor, quid eutrapelia ex Deo exſcribunt? Ergo in illa divinæ perfectionis expreſſione ſupernaturalitas creata nequaquam conſiſtit.

Reſpondeo virtutes infuſas eſſe divinæ virtutis, divinæque operationis imitationes. Etenim quanvis eæ quæ morales dicuntur, circa objecta humana negotientur, modo tamen divino circa illa occupantur: ut enim aliàs dum de virtutibus infuſis diximus, aliter comedit homo civilis, aliter Chriſtianus, aliter quoque uterque abſtinet; alia ſunt chriſtianæ humilitatis & modeſtiæ documenta, alia philoſophica de iiſdem virtutibus inſtituta; aliter miles pug-

nat

nat sub Rege, aliter martyr pro Christo; aliter ludis indulget homo urbanus, aliter civis Sanctorum & domesticus fidei. Et in hoc divinam virtutem, & operationem æmulatur nova creatura, quæ more Dei licèt multa in humanis peragat, omnia tamen juxta præscriptas ab Evangelio arctæ viæ semitas, in Deum refundit, nec solùm quæ facta sunt, vel quomodo facta sunt, sed propter quid facta sunt, juxta consilium Betoardi, omnia transiens attendit. Certè eo ipso, quod virtutes morales infusæ charitati per se annexæ, per se subordinatæ sunt, continenti reginæ suæ motu in eum feruntur, propter quem in exterioribus circa plurima solicitæ occupantur. Uni quidem necessario, scilicet Deo, nec continenter, nec immediatè adhærent, ut theologicæ virtutes; sed nihilominus Deum in omnibus quærunt tamen, quia charitati ancillantes, fioi charitati proinde serviunt. Dir uæ ergo operationis modum imitantur, quia dum Deo serviunt in hominibus, illi motem gerunt, qui omnia in suam gloriam refert, omnia enim propter semetipsum operatus est Dominus.

Instabis: Ex gratia oritur inclinatio in Deum ut infinitum, & ut est ens per essentiam, habetque essendi plenitudioem: atqui quod habet inclinationem in aliquam naturam, præhabere illam debet, & eo modo præhabere, quo in illam inclinatur. Ergo gratia Deum ut est actus purus, & ens à se, imitatur. Confirmat idipsum P. Gonet oppositum sentiens, quia operationes connaturales non competunt connaturaliter nisi habenti naturam, quæ est radix hujuscemodi inclinationum: sed visio beata est operario conveniens Deo, ut est infinitus, & ens per essentiam. Ergo gratia non potest habere inclinationem in illam visionem, nisi sit participatio naturæ divinæ, quà est actus purus & infinitus. Certè gratiæ non deberetur connaturaliter species infinita, scilicet essentia divina, nisi esset ens infinitum participatum.

Respondeo, hæc argumenta nimis probare; si enim gratia sit expressio actus puri, quia propendet in actum purum videndum, frustrà dicunt puritatem actus, & infinitatem in sua participatione relinquere; sed potiùs tenentur adversatii dicere eam exprimere, quod tamen est à veritate, & ab adversariorum sententia prorsus alienum. Itaque eadem solutione omnibus illis argumentis & aliis innumeris fit satis, dicendo gratiam habere inclinationem in Deum ens infinitum, sed finito modo participandum, finitoque modo videndum: licèt autem visio infinita & comprehensiva sit operatio naturæ infinitæ, non tamen visio intuitiva finita; unde sequitur quidem gratiam esse participationem naturæ infinitæ, sed ut natura est, non prout infinita. Sicut charitas, quæ potest augeri in infinitum, est participatio charitatis quæ est infinita, sed non infinitatis ejus; cujus signum est, quod potest gratia & charitas major esse, & major in infinitum.

Reflexio.

Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Reminiscere, quod erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen & regnum, inquit opportunè Magnus Leo *serm. 1. de nativit.* Quæ sint officia tua, quámve personam tibi imposuerit, Lector Christiane, gratia quâ salvaris, si menti tuæ jugiter obversetur, citò perspicies quâ tibi vitâ vivendum sit, qui tibi per gratiam tantùm antecellis, quantum brutis præstas per naturam. Nosce teipsum, inquiebant Philosophi, ut semper hominem agas, semper ratione ducaris, semper ex regulis prudenter operere. Nosce teipsum, addit Religio, ut semper Christianum agas, id est hominem jam divinum, in cœlis conversantem, ex fide viventem, quæ sursum sunt sapientem, quæ sursum sunt quærentem, non quæ super terram. Illud præ oculis semper, & præ manibus habeto, quid fides jubeat, quid præcipiat Evangelium, quid à te exigat Christiani nominis dignitudo? O deplorandam Christianorum Christianissimi ignorationem! ô facinus animadvertendum. Hoccine credibile est, aut memorabile, tanta vecordia hujus ævi Christianis et sit, ut ad bona detrimenti propria, atque ex immensis Christianismi commodis sua comparent incommoda, & augeant crimina? Tantam rem negligenter inspici quis non indignè ferat, ubi nihil est loci segnitiei, neque socordiæ? Quid est, si non hoc sacrilegium est? Natura quantumcumque conetur, quàmlibet vires exerat, nunquam tamen servitutis ei gradum prætergredi fas erit, nunquam ad amicitiam Dei transmittet: & quod naturæ impossibile factum est, hoc homini immerito, indigno, ingrato, supra merita & vota largitur gratia, quæ facit filios Deo charos, Deoque plenos, quos familiari amore prosequitur, singulari providentia tutatur, amoris legibus regit, intimiori dignatur præsentiâ; & hæc nemo recogitat corde. Sed si tanta tibi contulit Deus, putasne minora à te exacturum, ut reddas? Credisne tua non esse graviora peccata.

Speculatio II.

Corollaria derivantur, quibus natura gratiæ sanctificantis magis clarescit.

PRæjactis superiori speculatione fundamentis adstruere sine negotio possumus, & moliri quidquid ad sanctificationis, & justificationis œconomiam explicandam, illustrandamque Theologi conferunt.

Corollarium I.

Perfectio Gratiæ.

SEquitur ergo primò, gratiam esse omni ente merè naturali, creato & creabili, etiam quavis substantiâ perfectiorem. Quia perfectionis creatæ mensura una Deus est, cujus bonitatis pelagus immensum creaturæ imitantur; & quo magis, minusve ad eum accedunt, eo perfectiores, vel imperfectiores censentur. Nulla autem creatura possibilis intra limites merè naturales occlusa tantum accedit ad Deum, quantum gratia, quæ ejus naturam formaliter exprimit. Gratia igitur creaturis omnibus, etiam substantiis dignitate antecellit. Unde D. Thomas 2. 2. q... art 3. ad 1. ait: *Accidens quod causatur ex participatione alicujus superioris naturæ, est dignius subjecto, in quantum est similitudo superioris naturæ, sicut lux diaphano.* Ad quorum pleniorem claritatem considerandum est, gratiam dupliciter spectari posse: primò ut est quoddam accidens creatum, & qualitas afficiens animam; secundò secundùm suam specificam rationem, prout est participatio divinæ naturæ, hominem ad supernaturalem ordinem, & divinum evehens, in Deumque prout in se est, attingendum propendens. Gratia priori modo spectata utique est substantiâ quantum ad modum essendi imperfectior; perfectiùs siquidem est in se, & per se subsistere, quàm in alio existere. At posteriori modo considerata, tanto substantia præstat, quanto ordo supernaturalis naturali antecellit. Et quia quantitas perfectionis rei non ex accidentatio

dentario essendi modo, sed ex ipsa rei natura & specie venanda est, planum est, gratiam quidem esse secundùm quid substantiâ imperfectiorem; simpliciter tamen perfectiorem esse, indubitatum est. Et hoc est, quod intendit D. Thomas *in 1. dist. 17. quæst. 1. art. 2. ad 3.* ubi scripsit, quod *simpliciter anima est melior charitate, & quodlibet subjectum suo accidente; sed secundùm quid est è converso.* Quod idem S. Doctor 2.2. citata ad 3. sui interpres exponit, dicens id esse verum, non quoad essentiam & secundùm rationem speciei, sed secundùm modum essendi. Unde S. Præceptor *quæst. 11. art. 9. ad 2.* ait: *Bonum gratiæ unius majus est quàm bonum naturæ totius universi.* Unde infert, justificationem esse maximum Dei opus ex parte rei factæ, tametsi creatio sit opus ex modo faciendi majus, quia è nihilo res educit.

Nec obest si objicias cum Marco Serra oppositum sentiente, quodlibet contentum sub genere essentialiter perfectiori esse essentialiter perfectius contento sub genere imperfectiori: genus autem substantiæ esse essentialiter perfectius genere accidentis, sub quo continentur qualitates supernaturales. Non, inquam, obest; tum quia cùm genus sit quoddam ens potentiale, ut aiunt, non continet actu, sed potentiâ differentias suas; unde non est inconveniens, quod unum genus perfectius determinetur per speciem imperfectiorem illâ, quæ contrahit genus imperfectius; sicut materia (cui genus comparari assolet) potest formâ perfectiori adornari, tametsi ipsa materia longè imperfectior existat, ut patet in materia sublunari, quæ à cœlesti perfectione tantum distat, quantum cœlum à terra; & tamen sublunaris innumerarum formarum viventium varietate, ipsa etiam anima rationali perficitur; viventium porrò minima formâ cœlesti, utpote inanimatâ, immensùm præstat. Tum quia licèt Maxima illa, *Contentum sub genere perfectiori simpliciter perfectius est contento sub genere imperfectiori*, vera foret in his, quæ sunt ejusdem ordinis; fallit tamen in his, quæ ratione differentiæ ordine distant: & quia gratia sanctificans ratione differentiæ est ordinis divini, cui nullus alius conferri quit, nihil mirum si gratia substantiam naturalem ordine inferiorem, dignitate & perfectione vincat.

Nec obest, si iterum objicias, rationibus nostris probatum iri, Deum ut authorem naturalem, qualis ratione cognoscitur, esse gratiâ, virtutibusque supernaturalibus imperfectiorem, cùm sub hac ratione sit ordinis naturalis. Et tamen id per se videtur absurdum, cùm Deus etiam ut author naturalis sit actus purus, ens infinitum, nullisque perfectionis limitibus clausum. Ergo rationes nostræ æquivocatione laborant. Non, inquam, id etiam obest; quia licèt lumine naturali ens supernaturale in particulari minimè cognoscamus, illud tamen veluti tacitè, & implicitè cognoscimus, Deoque asserimus, quatenus scimus ipsum omnem perfectionem creatam & creabilem infinitis, nobisque ignotis intervallis superare; id autem hoc ipso scimus, quo agnoscimus ipsum esse talem, quo nihil majus esse, vel excogitari potest.

Corollarium II.

Gratia sanctificans per se ita peccatum expellit, ut repugnet utrumque in eodem subjecto sociari.

Prima pars perspicua est; cùm enim gratia sit participatio divinæ naturæ, subindeque rectitudinis, puritatis, & sanctitatis divinæ, personam reddens Deo gratam & acceptam, justum Dei amicum & filium constituens, Deumque illabi, & animam præsentiâ intimiori, & familiariori cohonestare quadamtenus compellens, apertè consequitur gratiâ expelli peccatum, quod est privatio gratiæ, quóve homo Deo exosus, Dei inimicus, diaboli filius, à Deo diffitus efficitur. Ergo gratia per se expellit peccatum, juxta illud 2. Cor. 6. *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras?* Illud etiam Tridentini sess. 5. can. 5. *Si quis per* Jesu Christi *Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti neget, aut etiam asserat non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, anathema sit.*

Dices: Ad delendum, remittendumque peccatum, præter gratiæ infusionem requiritur favor, amorque divinus condonans injuriam: ergo si infusâ gratiâ favor ille, amor ille denegetur, nondum remissa erit offensa.

Respondeo implicare in terminis, Deum alicui infundere gratiam, & non simul condonare injuriam; cùm enim gratia sit divinæ dilectionis effectus, non potest non à Deo pacato & amico procedere: quid namque magis impossibile, quàm Deum præcipuum favoris sui pignus impartiri, & favorem suum unà denegare? Non inficior, ad remittenda peccata favorem divinum desiderari, sed favorem illum à gratiæ infusione posse divelli, tam inintelligibile est, quàm esse effectum causæ sine influxu causæ, & lucem à Sole fluere sine illuminatione Solis. In ipsa ergo infusione gratiæ peccati remittendi voluntas includitur, ad idque Deus necessitatur, ex suppositione tamen suæ gratuitæ voluntatis.

Hæ rationes benè penetratæ convincunt etiam secundam partem corollarii contra Suarem: nullâ enim potestate fieri quit hominem simul esse à Deo aversum, & conversum ad Deum; amicum, & inimicum; à Deo dilectum, & simul odio habitum. Sed per quodvis peccatum mortale homo est aversus à Deo, inimicus Dei, ab eoque odio habitus: *Odisti enim omnes, qui operantur iniquitatem; & odio est Deo impius & impietas ejus:* per gratiam verò homo est ad Deum conversus, amicus Dei, ab eoque dilectus; in hoc enim consistit primarius gratiæ effectus, ut nomen ipsum sonat. Ergo repugnat in eodem subjecto gratiam cum peccato sociari, non minùs quàm repugnet lumen & tenebras aërem simul afficere: est enim macula peccati, *privatio conjunctionis ad divinum lumen*, ut ait D. Thomas 1. 2. *quæst.* 86. *art.* 1. *ad* 1. & in materia de peccatis ostendimus. Cui consonat Augustinus lib. 8. de Genesi ad lit. cap. 12. *Homo Deo sibi præsente illuminatur, absente autem continuò tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione disceditur.*

Hæc rationum momenta non obscurè insinuant Scriptura & Patres. Cùm enim dicitur 1. Joan. 3. *Omnis qui in eo manet, non peccat. Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est; in hoc manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli.* Cùm, inquam, hoc dicitur, quid aliud S. Apostolus intendit, quàm tamdiu hominem nec peccare actu, nec peccare posse, nec peccato infici ullo possibile esse, quamdiu semen illud divinum, quod est gratia, quâ spiritaliter renascitur, in eo manet. Idem etiam sibi volunt Patres, dum docent, peccatum esse mortem animæ, vitæque spiritalis interitum, ut videre est apud August. *in Psalm.* 9. & Nazianzenum *orat.* 19. Sicut enim repugnat vitam & mortem in eodem simul subjecto inveniri; ita hominem eundem gratiam unà & peccatum in se unita, æternæque mortis reum, &

simul

simul æternæ vita dignum existere, prorsus contradictionem implicat.

Nec potest tolli tam manifesta, tamque oculis sese ingerens contradictio recurrendo ad varios effectus gratiæ & peccati, quos Suares pro suo arbitratu fabricatur, aliosque erigit in primarios, alios instituit secundarios, ut per miraculum gratia cum peccato societur. Non potest, inquam, tolli his subterfugiorum tricis ultrò occurrens contradictio, facileque omnes distinctiones Suaris occupabis & dissipabis hoc argumento: Effectus primarius peccati est avertere hominem à Deo, vel ut vult Suares, facere hominem Deo inimicum; effectus verò primarius gratiæ sanctificantis est reddere hominem Deo gratum per participationem naturæ divinæ, quam importat; & facere Deo amicum, tum ratione sui, est enim gratia congruum divinæ dilectionis objectum; tum ratione charitatis, à qua vel non distinguitur, vel quam essentialiter exigit. At illi effectus sunt magis repugnantes, quàm dies & nox, mors & vita, cæcitas & visus. Ergo formæ unde effectus illi proveniunt, sociari nequaquam possunt. Accedit, quod licèt non negaverim, effectuum gratiæ & peccati alios primarios, alios secundarios existere; illos etiam licèt ad libitum Suaris disposuerim, nihil inde tamen efficiunt, quia effectus illi secundarii sunt proprietates inseparabiles, & ut aiunt convertibiles, & similes proprietatibus entis: implicat enim consortem naturæ divinæ non esse Deo gratum, illi amicum, & non habere internum jus ad gloriam hoc ipso, quod est filius: implicat etiam peccato mortali (quodcumque illud sit) sordescentem non esse à Deo aversum, Deo ingratum & exosum, & non habere reatum pœnæ æternæ. Quare ne putet Suares adulari omnipotentiæ Dei, & potestati miraculorum ejus, dum ei gratiam cum peccato sociandi asserit potestatem. Potentiam suam parcendo, miserendo, peccata per gratiam delendo, non peccatum cum gratia conjungendo manifestat. Absit, & procul absit potestas illa amica sordium, quæ scelera in justo conservet. Aliáne non suppetunt media, quibus Omnipotis virtus infinita clareat. Absurdum est, & planè indignum. Cùm enim etiam secundùm adversarios gratia naturâ suâ peccati maculam depellat & discutiat, hunc ejus effectum impediet Deus, conservabitque miraculo peccatum, ut author specialis, in quem proinde iniquitas refundetur non solùm ut permittentem, sed efficaciter volentem & causantem; quod indignum est, & falsum: cùm enim voluntas creata non habeat vim conservandi, conjungendique cum gratia peccati, nihil faciet divina promissio, nisi adsit efficax, imò & miraculosa divinæ voluntatis operatio.

Dices: Concilia & Patres non semel affirmant, peccatum antecedere gratiæ subtractionem, attestante Tridentino *sess. 6. cap. 11.* Deum suâ gratiâ semel justificatos non deserere, nisi ab eis priùs deseratur; & Basilio hom. 21. de diversis, *peccatum præcedere gratiæ carentiam.* Et ratio est, tum quia gratia per peccatum ab anima pellitur, tanquam per obstaculum divini luminis influxui positum: ergo priùs contingit peccatum, quàm gratia subtrahatur; sicut priùs Soli illuminanti ponitur obex, quàm Sol radios emittere, & emissos conservare desinat. Tum quia gratia per peccatum demeritoriè expellitur, id est peccatum unum motivum est, quo divina impulsa justitia talem pœnam de peccatore sumit, gratiæ nimirum subtractionem: unde priùs videt culpæ consummationem, quàm gratiam subtrahat, cùm pœnam ante culpam non infligat. His positis sic subsumitur: Non tenetur Deus propter obstaculum peccati subtrahere lumen gratiæ, quod liberè influit, liberéque conservat; non tenetur etiam Deus pœnam infligere merenti, sed pro sua indulgentia potest illi condonare: ergo etsi peccatum gratiæ natura sua opponatur, etsi subtractionem illius promereatur, divinitus poterit peccatum cum gratia in eodem subjecto sociari.

Respondeo actum peccati præcedere natura gratiæ subtractionem, eam tamen eodem temporis instanti inferre, quia & hominem à Deo avertit, & animam conspurcat, & mortem animæ consciscit. Supposito ergo, quod Deus permittat hominem in peccatum prolabi, in eoque permanere, vult etiam gratiam subtrahere; quia velle nequit eodem instanti vivere hominem, & mori; à se recedere, & sibi uniri; mundum esse, & simul inquinatum. Liberè ergo gratiam infundit, liberè peccare homines sinit; sed si alterum vult, alterum non vult, nec velle potest, quia nequit pugnantia velle. Similiter pœnam Deus liberè infligit; sed si pœnam subtractionis gratiæ non imponit, & gratiam potiùs in subjecto conservet, peccati maculam subintrare non sinet, vel præexistentem expellet. Porrò si peccator in peccandi voluntate permaneat, pœnam subtractionis necessariò imponet Deus; implicat enim, Deum amicum suum illum efficere, qui constanter vult ejus esse inimicus, quia gratiam invitis non dat, sed volentes ex invitis reddit. Nec propterea absoluta Deo imponitur necessitas, sed conditionalis à propria voluntate proficiscens; non enim gratiam subtrahit, nisi postquam lapsum in peccatum liberâ voluntate permisit.

Instabis: Actus non expellit necessariò habitum oppositum; actus unus intemperantiæ, v.g. acquisitum multo labore temperantiæ habitum non corrumpit: ergo nec actus peccati gratiam momento expellere necessariò debet, præsertim quia actus peccati est in voluntate, gratia in substantia animæ; nec malitia actus in privatione gratiæ, sed in carentia rectitudinis sibi debitæ sita est.

Respondeo actus, & habitus oppositi tunc impossibilem esse societatem, quando ex ea prædicata contradictoria consequuntur, qualia ex simultanea gratiæ, & peccati existentia contingere demonstratum est; quid enim magis implicantius, quàm esse objectum dilectionis, & simul odii divini; habere jus ad hæreditatem patriæ, & reatum æterni supplicii; Deo servire, & mammonæ; filium esse Dei, & diaboli? Qui effectus æquè proficiscuntur à gratia habituali & actu peccati, quàm ab eadem gratia & habitu perverso actibus peccandi generato. Quorum omnium ratio est, quia esse inimicum Dei non sequitur actum, vel habitum, quia actus, vel habitus est, sed quia est culpa mortalis, mortem spiritalem animæ inferens, subindeque Deo, ejusque gratia essentialiter privans; in hoc quippe lethiferi peccati malitia, & gravitas sita est.

Addunt aliqui, nec ineruditè, habitus, & virtutes naturales, vel acquisitos, à natura fluentes, vel actibus partos, uno actu contrario haud necessariò pelli; nam & habitus temperantiæ actum intemperantiæ compatitur, & gravitas lapidis motum sursum, seu actum levitatis vi sibi impressum sine sui destructione recipit. Cæterùm habitus infusus continenti Dei influxu indigens, actu opposito divino influxui obicem ponente illicò corrumpitur, non secus ac solis illuminatio posito opaci corporis objectaculo continuò cessat. Porrò ut hæc secunda responsio solida sit & inconcussa, priorem omninò supponit, non enim quivis actus habitui infuso oppositus habitum evellit, quia peccati venialis actus, quámlibet iterati, gratiam, habitusque infusos non exstirpant: quare sacrorum habituum vastatio, & funesta strages in culpam

culpam mortalem, quis mortalis est, singulatiter, præcisèque refunditur. Qua observatione innumeris objectionum instantiis, quas missas facio, occurres. Duo etiam additamenta instantiæ præsenti subnexa inde labascunt; quantumcunque enim actus in voluntate, gratia in substantia animæ insint, quantumvis malitia actus in privatione rectitudinis sita sit; quia tamen ex illo quà mortale peccatum est, sequitur mors animæ, odium Dei, reatus æternæ miseriæ, extinctio juris ad gloriam, gratiam convellat necesse est, unde contradictoriè oppositi effectus proficiscuntur.

COROLLARIUM III.

Una justificationis forma gratia sanctificans est, nec alia esse in illo statu potest.

HOc consectarium apertè docet Angelicus Doctor in præsenti articulo 2. ubi ait: *Non posset intelligi remissio culpæ, si non adesset infusio gratiæ.* Loqui autem S. Doctorem de gratia habituali, ex contextu patet, cùm sermonem habeat de gratia, quâ homo fit dignus vitâ æternâ. *Effectus*, inquit, *divinæ dilectionis, qui per peccatum tollitur, est gratia, quâ homo fit dignus vitâ æternâ.* Quod & repetit q. 28. *de verit. art. 2.* in corpore: *Nullo modo*, inquit, *remissio peccatorum sine gratia gratum faciente esse potest.* Nec debet restringi tam ampla & universalis doctrina ad statum quem degimus, ut credit noster Gonetus, arbitratus hominem quidem ad finem supernaturalem ordinatum non posse sine gratia justificari; hominem tamen in statu naturæ puræ constitutum sine gratiæ supernaturalis dono justificationem obtinere solo Dei favore posse. Non debet, inquam, ita arctari doctrina S. Thomæ, cùm ipsemet S. Præceptor hujusmodi limitationem occuparit, & his verbis jugularit: *Si à solo statu naturæ decidisset homo*, inquit q. 28. de verit. art. 2. ad 5. *nihilominus tamen ad expiationem infinitæ offensæ donum divinæ gratiæ requireretur.* Dicere verò S. Thomam per donum divinæ gratiæ non intelligere gratiam, sed auxilium ordinis naturalis, tanto Doctori injurium est, & textui ipsi repugnans: injuriosum quidem, quia tam accurato Doctori non deerant verba, quibus auxilium ordinis naturalis exprimeret, quàm illud sub dono divinæ gratiæ confunderet: textui etiam repugnans, quod enim ad expiationem infinitæ offensæ requiratur donum divinæ gratiæ, probat eandem in omni omninò statu gratiam peræquè requiri.

Ratio corollarii habetur ex dictis, & sic breviter formatur: Tunc homo justificatur, cùm fit Deo gratus, Dei filius, Dei amicus; quod bonum dum illi advenit, purgantur peccata, delentur maculæ, & offusæ discutiuntur culparum tenebræ. Atqui homo non fit Deo gratus, nec Dei filius constituitur, nec Dei amicus evadit, nisi solo gratiæ sanctificantis dono; effectus namque formalis sine forma haberi nequit, cùm sit ipsamet forma communicata; sicut quis absente albedine albus esse, vel dici nequaquam potest. Ergo gratia una est justificationis forma, & ita una, ut alia esse nequeat: unde tam repugnat Deum sine gratia justificare, quàm parietem sine albedine dealbare, cadaver mortuum sine anima vivificare, miserum sine felicitate beare, aërem sine luce illuminare: uno verbo effectus formales sine formis, seu quod idem est, formas sine formis donare.

Dices primò cum Scoto & Suarez: Nunquid potest Deus peccatum favore suo plenariâ indulgentiâ condonare, obligationem ad pœnam æternam relaxare, peccatorum non recordari, injurias veniam dare, jus mortale ad gloriam mortaliter, id est sine doni physici impressione impertire, maculam etiam delere, hominem ad statum supernaturalem evectum ad statum naturæ puræ dejiciendo, vel transferendo, seu etiam à lege dispensando? Quidni poterit Deus quod potest homo liberalis, qui sic hostis sine istius physica mutatione pacatus?

Respondeo hæc omnia, & multò grandiora miracula quidem posse præstare Deum, & quotidie in justificatione impiorum præstare; sed tam præclari, tamque magnifici effectus, præcipuè dilectionis Dei effectus sunt; dilectionis, inquam, non affectivæ, sed effectivæ; non sterilis, sed fœcundæ; non otiosæ, sed efficacis; non supponentis, sed infundentis & creantis in objecto dilecto bonitatem. Neque enim mutatur voluntas divina mutatione sui, sed mutatione creaturæ; nec hominem de novo diligere solet, aut potest, nisi congruum ipsi impertiat suæ dilectionis pignus, quo specialis amoris objectum evadat. Perperam ergo voluntas hominis condonantis Dei justificantis voluntati comparatur, mutabilis immutabili, sterilis efficaci, supponentis objecti amabilitatem creanti illam. Porrò translatio illa, vel potiùs dejectio hominis ad statum naturæ puræ, ut homini condonetur injuria, lepida imaginatio est, quasi foret aptum levandæ peccati miseriæ remedium fit novæ miseriæ adjectio; quasi homo sic è gradu dimotus possit antea factum facere infectum, id est efficere, ut contra authorem supernaturalem non peccarit, subindeque ea macula non sordescat, quæ sit privatio gratiæ. Sed quid multis moror? cùm homo in nullo statu sine gratia justificari possit, etiam in statu naturæ puræ, in quo non nisi de potentia extraordinaria creari potest. *Licèt homo antequam peccet*, inquit S. Doctor art. 2. ad 1. *potuerit esse sine gratia, & sine culpa; tamen post tantùm non potest esse sine culpa, nisi gratiam habeat.*

Dices 2. cum Vasquez: Homo sine gratia per actum contritionis vel amoris justificatur; nam teste Augustino lib. 2. contra Cresconium, *à peccatis mundantur sacrificio cordis contriti.* Et Veritas ipsa apertè id significavit, dum de muliere peccatrice & pœnitente pronuntiavit, Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Ergo gratia non est sola justificationis forma.

Respondeo, quod cùm macula peccati sit privatio gratiæ habitualis voluntariè inducta, exigit quidem necessariò actum contritionis, quo voluntarium illud inquinamentum retractetur; sed insuper indispensabiliter exigitur gratia, ut privatio illa expellatur. Quare contritio, cæterique pii motus sunt quidem dispositiones ad justificationem necessariò desideratæ, sed non sunt ipsa justificationis forma; impetrant veniam & remissionem, sed non sunt ipsa remissio peccatorum; promittitur illis indulgentia, quia cor contritum & humiliatum Deus non despiciet, sed non sunt ipsa indulgentia. Gratiæ ergo est formaliter justificare, & gratiæ solius; imò justificatio non potest esse opus gratiæ sanctificantis, nisi sit opus solius, quia idem effectus formalis non potest à duplici forma proficisci; effectus enim formalis forma est ut communicata subjecto, unde nequit esse idem effectus, si non sit eadem forma. Porrò Scriptura & Patres amori, & pœnitentiæ justificandi vim, tanquam dispositionibus asserunt, non tanquam justificationis formis.

Dices 3. cum Marco Serra: Licèt juxta vim ordinariam sola gratia habitualis sit una justificationis forma, attamen per absolutam Dei potentiam actus contritionis & dilectionis posse esse formalem justificationis causam; quia elicito ab homine actu contritionis

tritionis, & dilectionis, nulla necessitate propellitur Deus, ut gratiam habitualem infundat, sed ab ea potest infundenda abstinere. At tunc homo justificaretur, fieretque Deo gratus; nam *omnis qui diligit, ex Deo est*, Joan. 4. Et *qui diligit me, diligetur à Patre meo*, Joan. 14. Et certè incredibile, & fermè inintelligibile est, hominem toto corde Deum sincerè diligere, & simul in peccato mortali Deo infensum permanere; Deo, inquam, qui diligentes se diligere, & sola se esse cordis casti dilectione contentum, tam crebrò asseverat.

Respondeo in causis formalibus non habere locum distinctionem potentiæ ordinariæ, & extraordinariæ; quia cùm effectus suos per solam sui communicationem præstent, non possunt supernaturaliter efficere quod nequeunt naturaliter operari; omne quippe adventitium si mutet entitatem, jam non erit eadem forma; si non mutet, immutatus erit etiam effectus, cùm effectus sit ipsa forma, & præterea nihil. Ergo si actus contritionis non sit naturaliter idonea justificationis forma, neque id vi ulla supernaturali consequetur. Et quia naturaliter, & essentialiter solam disponendi ad justificationem virtutem habet, quidquid illi divinitus adjiciatur, nunquam tamen forma justificationis evadet; maximè quia peccatum habituale est privatio gratiæ habitualis. Quandiu ergo ista aberit, tandiu illa aderit, donec adveniat gratia vel accidentalis, quæ est gratia sanctificans; vel substantialis, quæ est unio hypostatica. In casu ergo illo metaphysico & suavi Dei providentiæ repugnanti, quo Deus diligenti gratiam non infunderet, nondum justificaretur, sicut nondum ignitet lignum calidum ut octo, cui divinitus forma ignis denegaretur: diligeretur quidem à Deo dilectione disponente ad justificationem, sed non dilectione amicitiæ, quæ naturæ communionem vel supponit, vel certè infundit. Porrò cùm Scriptura ait, omnem qui diligit, ex Deo esse, loquitur de solito agendi cursu, quo dilectio à gratia indivulsa est; vel significat dilectionem à Dei auxilio specialiter permovente proficisci. De casu autem metaphysico, qui nunquam contigit, nunquam contingit, nunquam continget, sermonem non habet.

Dices 4. cum Baptista Gonet existimante hominem in statu naturæ puræ constitutum, & ad ordinem supernaturalem nequaquam evectum, posse sine intrinseco gratiæ habitualis dono justificari, postquam in peccatum mortale prolapsus est. Peccatum habituale hominis in natura pura constituti non est privatio gratiæ habitualis, sed solius rectitudinis naturalis & conversionis ad Deum, ut naturæ authorem: ergo non esset in illo statu opus gratia, sed unus sufficeret dilectionis, & contritionis naturalis actus, adjuncto extrinseco Dei favore rationem offensæ condonantis. Adde quod si ad remittenda status illius delicta, necessaria foret gratiæ habitualis infusio, permanente illo statu, impossibilis esset remissio peccatorum, quæ solâ gratiâ secundùm nos haberi potest; gratia verò statum naturæ puræ statim evehit, & unà extinguit: consequens autem non videtur verum, alioquin homo in illo statu permanens semper miser sine remedio, sine resurgendi spe, sine beatitudinis acquirendæ potestate existeret; ex quo ulteriùs sequeretur, statum illum esse impossibilem, cùm suavitati divinæ providentiæ repugnet hominem in statu illo condere, in quo irreparandæ miseriæ adigatur. Ergo sine gratia habituali solus contritionis naturalis actus peccato miseriæ in statu illo mederetur.

Respondeo, unam Dei gratiam unum esse peccati remedium, ne Christus gratis mortuus esse credatur, evacueturque crux Redemptoris, si in natura conveniens possit inveniri peccati medicina. Certè nihil opportunius, nihil auspicatius, nihil acceptius audient Pelagiani, quàm si ipsis dicatur, in naturæ thesauris consentaneum inveniri posse peccati remedium, & idoneam consequendæ beatitatis viam. Cùm enim ipsi contenderent, hominem in statu naturæ puræ conditum esse, ad adjuvandum, roborandumque causam suam, principium illud læti arripient, aientque gratiam omnem supernaturalem, & habitualem, & actualem ad melius dumtaxat desiderari, cùm possit homo naturalibus morbis naturali medicamine subvenire. Labascet ergo, & imis fundamentis subruetur tota Augustinianæ doctrinæ moles, uni illi fulcro innixa, uni principio superstructa: *Gratia liberatoris una est lapsis reparandis medicina.*

Instantiis porrò in contrarium non solùm responsione, sed etiam manifesta confutatione occurrit dudum ex Augustino S. Thomas. Etenim in omni statu (& sic priori argumento fit satis) macula peccati est essentialiter privatio gratiæ. Quia licèt in statu illo non esset gratia debita (sicut nunquam debita esse potest, ne gratia esse desinat;) natura tamen rationalis esset illius capax: quam sanè capacitatem peccati cujusvis mortalis macula enecat, & absumit quandiu ipsum peccatum manet, cùm nullâ potentiâ peccatum valeat cum gratia sociari: sufficit autem ad rationem privationis, ut sit carentia formæ in subjecto ad illam recipiendam apto. Ergo cùm per quodlibet peccatum mortale aptitudinem illam sibi homo adimat, planum est, peccatum in omni statu esse gratiæ privationem, cùm formam expellat, non quam jure homo exigat, sed cujus aptus sit. Ergo licèt homo antequam peccet, *potuerit esse sine gratia, & sine culpa* (verba sunt S. Thomæ suprà laudati, & sermonem habentis de statu naturæ puræ; nam in hoc naturæ lapsæ statu non potest homo esse sine culpa, & simul sine gratia, sed alterutrâ necessariò afficitur;) *tamen post peccatum non potest esse sine culpa, nisi gratiam habeat.*

Ad additamentum alibi, dum de peccatis, & de statu naturæ puræ disputabamus, satis superque respondimus, illudque ultrò libentesque admisimus, quod pro inconvenienti subinfertur; nimirum hominem in illo statu per se misero semel lapsum citra omnem remedii reparantis spem labi, tamdiuque casum illum speratum esse & insanabilem, quandiu non evehetur ad statum gratiæ, quâ solâ farciri peccati damna, solâ peccatum ipsum deleri potest. Unde etiam intulimus, statum illum esse de potentia ordinaria impossibilem, & suavitati divinæ providentiæ repugnare; nec alio modo esse possibilem, quàm eo ferè, quo potest Deus habenti gratiam charitatem auferre, habenti animam intellectum, aliasve vires potest adimere, videntis Deum concursum ad amorem potest negare; qui casus prorsus nec contigere unquam, nec contingunt, nec contingent aliquando.

Nec desunt momenta rationum, quibus hæc certissima veritas stabiliatur. Tum quia non est efficacior actus dilectionis & contritionis merè naturalis in statu naturæ puræ, quàm actus dilectionis & contritionis supernaturalis in statu naturæ lapsæ. Ergo si iste in statu naturæ lapsæ nequeat esse justificationis forma, nec ille in statu naturæ puræ. Tum quia quod est essentialiter dispositio ad effectum formalem alicujus formæ, nunquam, vel nusquam potest esse forma, ad cujus effectum disponit, sicut calor ad ignem in nullo statu potest esse forma ignis: sed actus contritionis ex sua essentiali ratione habet duntaxat esse dispositionem ad formam justificationis, cùm ex sua natura sit essentialiter fluens & transiens; forma verò justificans habeat esse ratum & permanens in

subjecto. Ergo impossibile est, actum contritionis esse in aliquo statu justificationis formam. Denique non potest homo justificari sine speciali Dei singulariter diligentis favore peccatum condonante, & injuriam remittente, quo Deus fiat offendenti pacatus; nondum enim remittitur injuria, quandiu offensi animus offendenti infensus est. Atqui singularis ille, & præcipuus Dei diligentis favor effectum permanentem peccatori imprimit, ratione cujus congruum evadat divinæ dilectionis objectum; cùm amor divinus à nullo bono creato inescetur, nullam bonitatem supponat, sed amando creet & infundat, ut tam frequenter Angelicus Doctor inculcat: illud verò permanens, quod Deus specialiter amando infundit, nec aliud esse, nec intelligi potest, quàm gratia, ut idem S. Præceptor suprà dicebat. Ergo una gratia in omni statu una est justificationis forma, nec alia esse potest. Nec satisfacit Gonetus dum ait, actum contritionis esse effectum sufficientem amoris Dei specialis in statu naturæ puræ. Non, inquam, satisfacit; tum quia actus nequit esse permanens divinæ dilectionis objectum, cùm sit essentialiter aliquid transiens. Tum quia simili modo dicent Vasques & Serra, actum contritionis supernaturalis esse sufficientem Dei supernaturaliter amantis effectum, corruentque illa omnia argumenta, quibus ipse Authores illos impugnat, ut consideranti perspicuum est. Alias hujus assertionis rationes produeit noster Joannes à S. Thoma *disp.* 17. *art.* 2. ubi nostræ sententiæ astipulatur, sed adductæ ex principiis S. Thomæ depromptæ, & ex ipsis adversariorum fundamentis erutæ planè sufficiunt.

COROLLARIUM IV.

Præclarus ad gratiam dispositionum apparatus exigitur, quæ quidem dispositiones etiam ultima, non à gratia habituali, sed ab auxilio actuali proficiscuntur.

EXplicantur, & probantur singula. In primis requiri dispositiones ad gratiam recipiendam, pios nimirum voluntatis motus à Deo per Christum præveniente gratiâ excitatos, de fide est. Disponuntur enim, ut docet Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 5. & 6. qui per peccatum à Deo aversi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando. *Disponuntur autem*, addit, *ad ipsam justitiam, dum excitati divinâ gratiâ, & adjuti, & fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse quæ divinitus revelata, & promissa sunt. ::: Et dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnem justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversùs peccata per odium aliquod, & detestationem.*

Ratio generalis est, quia sicut per gratiam habetur participatio divinæ naturæ, quâ homo amicus Dei constituitur: ita per peccatum homo fit voluntarius Dei hostis, participationem divinæ naturæ in se extinguens. Ergo ut homo justificetur, utque gratia infundatur, priùs naturâ exigitur, ut voluntariam gratiæ jacturam homo piis actibus voluntariè retractet; quid enim justius, quàm ut qui per inordinatos corruptæ voluntatis motus gratiam amisit, fontem vitæ dereliquit, foditque sibi cisternas dissipatas; per motum rursum actualem ad Deum se convertat, ad Deumque redeat, cui non loco, sed affectu proximi sumus, ut gratiam consequatur. Certè quandiu non erit hujusmodi retractatio, semper indispositum erit cor, semper imparatum, semper gratiæ adventui clausum; quia sicut nulla forma potest esse nisi in materia disposita, & multò minùs in indisposita recipi nequit; ita justificationis forma nunquam animam sanctificabit, nisi voluntariè positus peccati obex voluntariè auferatur. Atqui motus illi fidei, spei, dilectionis Dei, contritionis, detestationis peccati, ad infusionem gratiæ prærequisiti habent rationem veræ dispositionis ad gratiam, tum quia animam ad gratiam coaptant, tum quia sunt ordinis supernaturalis, tum quia ut sunt ab efficaci Dei moventis auxilio, infallibilem habent cum gratia connexionem. Ergo pii illi motus ad justificationem prærequisiti habent quidquid ad rationem veræ dispositionis desiderari solet.

Confirmatur idipsum, & explicatur amplius. Licèt non possit homo propriis naturæ viribus se ad gratiam præparare, cùm dispositio debeat esse ejusdem ordinis cum forma, & quidquid homo ex viribus naturæ conetur sit ordinis naturalis, gratia verò sit ordinis supernaturalis, unde & in Scripturis dicitur: *Præparatur voluntas à Domino*. Et iterum: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Attamen homo supernaturali Dei auxilio adjutus potest sese ad gratiam præparare, & in hoc sensu verum est illud Proverb. 16. *Hominis est animam præparare.* Illud itidem Matth. 25. *Dedit unicuique secundùm propriam virtutem*, id est, juxta conatum liberi arbitrii à Deo moti, & excitati. Et sanè illud pueros inter & adultos interest, quod in pueris gratia nullum exigit dispositionis apparatum, quia cùm non propria, sed capitis, id est Adami voluntate peccarint, ut gratiam recuperent in baptismo, sola sufficit secundi Adami, id est Salvatoris Christi Domini voluntas, ob cujus merita gratiâ donantur, quâ fuerant alterius voluntate privati; & quidquid nonnulli veteres, quidquid nonnulli moderni excogitent, quo volunt animam pueri ad gratiam apparari, merum commentum est, cùm gratia è potentia obedientiali animæ pueri educatur, quæ solâ agentis omnipotentis virtute paratur. Nec magis gratia exigit dispositionem in puero, quàm exigat id quod pro dispositione confingitur. At verò adulti propriis actibus gratiam amittunt, voluntariè à bono incommutabili ad commutabilia convertuntur, & stercora amplexati utendis fruuntur, fruendis utuntur, vel potiùs cordis perversitate abutuntur. Ut ergo in gratiam cum Deo redeant, ad ipsum debent propria cordis contriti & humiliati voluntate converti, qui ab ipso fuerant propriâ luxuriantis, & elati cordis voluntate aversi. Neque id solùm in pœnitentibus necessarium est, sed etiam in adultis, qui nullo præcedente peccato justificantur, ut in Angelis, & Adamo contigit; quia Deus nunquam dat gratiam suam nisi volentibus, nec diligit nisi diligentes se: ut ergo homines congruum reddat suæ specialis dilectionis objectum, priùs illos gratiâ suâ actuali reddit sui dilectores, facitque eos sitire justitiam priùs naturâ, quàm ut eam illis impertiatur. Sed de illis magis dum de pœnitentia.

Dices: Si hominis pœnitentis motus ad gratiam ex natura rei disponerent, homo esset causa efficiens principalis gratiæ; causa quippe ultimæ dispositionis physicæ ad formam est etiam causa formæ & compositi; sicut quia homo generans est causa principalis dispositionis ad animam rationalem, est etiam causa hominis geniti, tametsi anima rationalis à solo Deo creetur. Atqui nulla dari potest causa princi-

palis

palis gratiæ, ut suprà ostensum est. Ergo nulla quit dari physica ad gratiam dispositio.

Respondeo tunc solùm causam principalem dispositionum ad formam esse causam formæ, quando forma educitur de potentia naturali subjecti; si verò è potentia obedientiali educatur, vel è nihilo creetur, tunc agens creatum producens dispositiones nequaquam producit formam, sed ab alio producendam exigit; quia agens creatum in potentiam obedientialem soli Deo subditam agere nequit, & multò minùs creare. Idque exemplo in objectione allato claret; homo enim producens physicas ad introducendam animam rationalem dispositiones, non propterea animæ rationalis est causa præcipua; est tamen hominis geniti causa principalis, quia anima creata ex vi positarum à generante dispositionum materiæ præparatæ unitur. Gratia autem sanctificans, etsi non creetur nisi lato modo, quia ex nihilo meritorum infunditur (quo sensu intelliguntur Scripturæ aientes cor mundum creari, justos creari in Christo Jesu, esse novas creaturas, ut patet *Psalm.* 50. *Ephes.* 2. *&* *Gal.* 6. attamen non nisi de obedientiali animæ potentia educitur generatione spirituali, quâ filii Dei simus, & ex Deo nascimur.

His adde primò, pios voluntatis sese convertentis motus non esse physicas ad gratiam dispositiones, nisi prout ab auxilio supernaturali procedunt; unde licèt homo sub adjutorio gratiæ sit motuum illorum causa præcipua, non tamen est causa gratiæ justificantis, quæ ab eo solo producitur, à quo adjutoria gratiæ actualis proficiscuntur. Ita clarè indicat D. Thomas hîc, q. 112. art. 3. *Præparatio ad gratiam alio modo potest considerari secundùm quod est à Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis: quia intentio Dei deficere non potest, secundùm quod August. dicit in lib. de prædest. Sanct. quod per beneficia Dei certissimè liberantur quicumque liberantur. Unde si ex intentione Dei moventis est quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter illam consequitur, secundùm illud Ioan. 6. Omnis qui audit à Patre, & didicit, venit ad me.* Adde secundò, causam introducentem physicas dispositiones, esse etiam causam principalem formæ, quando ad introductionem istius nulla exigitur conditio ab alio agente pendens; at præter positas à pœnitente dispositiones opus est præterea Dei dignantis, & miserentis favore & benevolentia dispositiones acceptante. Nam ut dicitur Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Tit. 3. *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit.* Unde absolutè *Rom.* 3. dicimur *justificati gratis per gratiam ipsius.* Quibus verbis non excluditur cooperatio, & concursus liberi arbitrii ab auxilio divino præmoti, sed significatur solùm & auxilia divinâ misericordiâ dari, & etiam iis datis primam gratiam hominem non promereri. *Quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt* (ut sacrum Tridentinum Concil. *sess.* 6. *cap.* 8. docet) *sive fides, sive opera, ipsam justificationis formam promeretur.*

De dispositionibus sigillatim.

Sed de dispositionibus illis in speciali paucis agendum est. In primis requiritur fides; nam *sine fide impossibile est placere Deo*, ut dicitur *Hebr.* 10. Fide etiam ad Deum accedimus, juxta illud Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, &c.* Fide credimus vera esse quæ divinitus revelata & promissa sunt. Fide domus Dei fundatur, sicut spe erigitur, perficienda charitatis amore. Fide voluntas illustratur, eique finis supernaturalis ostenditur, ad quem si justificari avet, converti tenetur.

Sed ad justificationem sola, & otiosa fides non sufficit, quæ teste Beato Jacobo cap. 2. suæ epist. *sine operibus mortua est.* Nec obest, quod in Scripturis non semel dicatur, hominem justificari per fidem, justum ex fide vivere, qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvandum esse: non obest itaque; ea enim verba, ut Trident. *sess.* 6. *cap.* 8. docet, in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiæ Catholicæ consensus tenuit, & expressit: ut scilicet per fidem ideò justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.

Observant etiam Interpretes eruditi, Apostolum commendando fidem non excludere opera sanctitatis, quæ tam crebrò, tam seriò in omnibus epistolis tanquam omninò necessaria inculcat vir divinus; sed opera duntaxat legalia, seu legis Iudaïcæ cæremonias morte Christi abrogatas. Unde signanter *Rom.* 3. ait: *Arbitrabamur justificari hominem per fidem sine operibus legis*, non Decalogi, quæ naturalis est & indispensabilis; sed cæremonialis, & merè Judaicæ. Unde Hieronymus locum Apostolicum interpretatus, & confidentiam nostri temporis Calvinistarum, totam justificationem uni fidei justitiam Christi sibi etiam post infinita scelera sine ulla satisfactione applicanti asserentium prænoscens, sic nefarium errorem & omnium vitiorum caput jugulat: *Abutuntur quidem hoc loco ad destructionem operum justitiæ, solam fidem posse sufficere affirmantes, cùm tamen alibi dicat Apostolus: Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Id ipsum docent alii Patres alibi laudati. Tritum est illud August. serm. 237. *Attende ad ipsum fidei nomen; fides enim appellata est, quia fit quod dicitur: fac quod dicis, & fides est.* Succinit Bernardus: *Qui fidem tuam*, inquit, *ab actu dividis, fidem perimis tuam; fides enim sine operibus mortua est. Munus mortuum offers. Quæ hostia pacifica, ubi discordia? Non Deum placas, sed offendis discors tibi.*

Deinde igitur præter fidem desideratur motus spei; *nemo* enim, ut Ambrosius ait, *potest agere pœnitentiam, nisi qui speraverit indulgentiam.* Unde motum illum requirebat Salvator Matt. 10. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Requirebat Apostolus Rom. 8. *Spe salvi facti sumus.* Requirit & ratio; nam tantum justificationis bonum nemo adultus habet, nisi qui petit; nec petit, nisi qui obtinere à Deo per Christum confidit. Opus est etiam dilectione, quia universa delicta operit charitas, & Magdalenæ dimissa sunt peccata multa, quia multùm dilexit. Converti etiam ad se homines in toto corde postulat; quæ cordis conversio, & totalis conversio sine amore Dei nec esse, nec intelligi potest. Certè justificatio sine justitia hominis esse nequit, ut nomen ipsum indicat: at justitia sine charitate nulla est, quia prima justitiæ regula est Deo amorem reddere, quem debemus, tamdiuque homo injustus est, quandiu tributum tam justum non persolvit. *Charitas inchoata*, inquit August. lib. de nat. & grat. cap. ult. *inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.* Certè si, teste Apostolo, qui charitatem non habet, nihil est, quomodo qui charitatem non habet, justus esse potest? Nam qui justus est, utique aliquid est, non nihil. Unde etiam infert Bernardus serm. 27. in Cant. *Quantitas cujuscunque animæ æstimetur de mensura charitatis, quam habet, ut verbi gratiâ, quæ multùm habet charitatis, magna sit; quæ parum, parva; quæ verò nihil, nihil, dicente Apostolo, Si charitatem non habuero nihil sum.* Denique exigitur, ut justi-

ficandus post peccata actus contritionis, seu doloris ab amore Dei imperatos eliciat, quibus peccatum detestetur; pœnitere enim eum injuriæ Deo illatæ, & juris divini læsi oportet. Quomodo autem de Deo offenso dolebit, nisi ejus honorem amet? Quomodo injurias divinas lamentans planget, nisi bonum divinum diliget, quod tam audaci scelere attentavit? Quomodo rationem ultimi finis à Deo, quantum in ipso fuit, ablatam restituet, nisi illam amore reddat, ad illumque accedat affectu, qui solum sibi cor præberi concupiscit. Sed de his Deo benè vertente operosiùs in tractatu de pœnitentia disseremus, ubi etiam demonstrabimus, implicare contradictionem, posse adultum sine ullo liberi arbitrii motu justificari.

Pii voluntatis motus, justificationi prævii, nullatenus à gratia habituali, sed ab uno Dei moventis auxilio proficiscuntur.

Hanc ultimam speculationis partem subtiliorem magis quàm necessariam breviter cum Joanne à S. Thoma, Araujo, aliisque adversùs nonnullos Thomistas, quibus subscribit novissimè Baptista Gonetus, uti probabiliorem, & juxtà intelligibiliorem paucis defendimus, ut ad utiliora, minusve spinosa festinemus.

Hanc autem nostram sententiam ita disertè, ita luculenter tradunt Concilia, Patres, & post illos Angelicus Doctor, ut de eorum mente hac in parte dubitare sit tenebras in splendentis solis meridie comminisci. Quid enim apud Concilia & Patres inculcatius, quàm omnes pietatis motus justificationi prævios à præveniente & excitante Dei moventis auxilio proficisci, gratiamque secundùm liberi arbitrii à Deo moti dispositionem infundi? Certè Tridentinum *seß.6. cap.5. & can.3. 4. & cap.7.* omnem ad justificationem dispositionem in prævenientis gratiæ motionem refundit, & gratiæ habitualis in justificatione infusæ gradum libertatis conatui ab auxilio Dei præmoto respondere docet. *Vt qui per peccatum à Deo aversi erant*, inquit cap.5. *per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se, ad suam ipsorum justificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur.* D. etiam Augustinus dispositionem ad justitiam, non justitiæ infusæ, sed adjutorio Christi cor tangenti asserit. *Ideo quippe scriptum est, hominis est præparare cor*, inquit lib.1. cont. duas epist. Pelagian. cap.8. *quia homo præparat cor, non tamen sine adjutorio Dei, qui tangit cor.* Adjutorium autem quo Deus hominis se præparantis tangit cor, est gratia actualis, non habitualis.

Perpetuus etiam est in hac doctrina S. Thomas. *Conversio est*, inquit 1.p.q.62. art. 2. ad 3. *per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei ad se animam convertentis.* Si ad præparationem non exigitur gratia habitualis, profectò à gratia habituali non procedit præparatio; id enim maximè exigitur, sine quo res non fit. *Ad hoc quod præparet se homo ad susceptionem doni gratiæ habitualis, non oportet præsupponere aliquod aliud donum habituale in anima, quia sic procederetur in infinitum; sed oportet præsupponi aliquod auxilium gratuitum Dei interiùs animam moventis, sive inspirantis bonum propositum*, inquit *lib. 1. 2. q. 109. art.6.* Ergo dicere ultimam ad gratiam dispositionem ab auxilio Dei moventis non fluere, est manifestè S. Thomæ contradicere. *Quæcumque præparatio in homine esse potest*, ait q. 112. art. 2. *est ex auxilio Dei moventis animam ad bonum.* Si quæcumque præparatio possibilis in homine est ex auxilio Dei moventis: ergo & ultima dispositio ad gratiam justificantem. Sed si dubitas, ne S. Præceptor sub cujuscumque præparationis nomine ultimam dispositionem non intellexerit, euge ad id quod ait 3.p. q.89. art.1. ad 2. *Actus primus pœnitentiæ se habet ut ultima dispositio ad gratiam consequendam, alii verò sequentes actus pœnitentiæ procedunt jam ex gratia & virtutibus.* Vides S. Doctorem ibi discrimen illud inter actus ad justificationem disponentes, & justificationem consequentes statuere, quòd posteriores ex gratia habituali procedunt: ergo priores ex solo Dei moventis auxilio proficiscuntur.

Id ipsum apertè deducit Joannes à S. Thoma Angelicæ D. Thomæ doctrinæ callentiâ & penetratione nulli secundus, *ex q.28. de verit. art.8.* ubi S. Doctor ex professo impugnat sententiam affirmantem gratiam habitualem mediâ contritione causare remissionem peccatorum, quia gratia habitualis contritionem causaliter præcedit; hanc, inquam, sententiam sic impugnat: *Si gratia per actum contritionis & fidei formatæ causat remissionem culpæ, causabit eam per modum causæ efficientis, quod esse non potest. Nam causa effectivè destruens aliquid, priùs ponitur in esse, quàm id quod destruit, sit in non esse; non enim ageret in ejus destructionem, quod jam non est: unde sequeretur quod gratia priùs esset in anima, quàm culpa esset remissa, quod est impossibile: unde patet quod gratia non per aliquam operationem est causa remissionis culpæ, sed per informationem subjecti.* Vides manifestam adversæ sententiæ jugulationem. Nam oppositi Authores docent, peccatum à gratia habituali remitti mediis actibus pœnitentiæ à gratia habituali, non ab auxilio actuali profectis. Ratio etiam D. Thomæ in illo testimonio argumentoso inclusa periæquè adversariorum sententiam explodit, ac veterum Theologorum placitum, quod ibi S. Thomas confutat. Etenim si ideo non potest gratia efficienter destruere peccatum per contritionem, quia deberet priùs existere quàm peccatum remitteretur, profectò non minùs repugnat gratiam habitualem in suam ultimam dispositionem efficienter influere, cùm non minùs deberet existere ut dispositionem produceret, quàm ut peccatum aboleret.

Obscurant præclarissima testimonia adversarii distinctionibus inconditis, nec solùm inintelligibilibus, sed etiam solitæ S. Thomæ loquendi claritati injuriis. Quid enim in doctrina D. Thomæ peregrinum magis, quid ad dicendum obscurius, quid ad audiendum ingratius, quàm gratiam habitualem considerari posse, & in infundi, & ut infusam; & in fieri, & in facto esse; & ut habet esse fluens, & ut habet esse ratum, seu & ut emanat à Deo, & ut stat: priori ratione dispositiones efficere, posteriori eas sequi; sub primo munere præviam esse, sub secundo pedissequam; in primo rationis puncto communicari, in secundo recipi; primo modo habere rationem auxilii moventis, secundo rationem formæ stantis. Qui potest capere capiat, qui habet aures audiendi audiat. Verùm in hujusmodi tricis suâ satis implicatione ingratis explicandis, extricandisque non immorabor. Tum quia nedum gratia in facto esse, sed etiam in fieri considerata dispositionum præviarum apparatû exigit; non enim à Deo infunditur, nisi in subjectum præparatum: ergo non minùs repugnat dispositiones ad gratiam justificantem præparantes esse effectivè à gratia habituali ut est in fieri, quàm esse ab eadem ut est in facto esse; sicut enim gratia habitualis subjectum dispositum exigit ut fiet, ita & ut fiat. Tum quia hac distinctione incredibilis confusio, & æquivocatio asserinit D. Thomæ Doctorum omnium limpidissimo & accuratissimo. Cùm enim infinitis in locis dicat præparationem ad gratiam habitualem esse ab auxilio

Dei

Dei moventis, ſi per auxilium Dei moventis gratiam habitualem in fieri intellexit, gratiam actualem cum habituali millies confudit, quas tamen tam ſtudioſè diſtinguere ſolet. Certè ſi vera eſt adverſariorum ſententia, vix ac ne vix quidem refutari poterit illius recentioris confutata alibi ſententia, qui unam gratiam habitualem ab Auguſtino propugnatam contendit, unam ab Antiquitate inventam; omnia enim, quæ de vi, impulſu, & impreſſione divinorum auxiliorum SS. Auguſtinus & Thomas ediſſerunt, facilè ille de gratia habituali ut in fieri interpretabitur, vel alias nihilo meliores diſtinctiones comminiſcetur, ſi prout libet diſtinctiones confingere, & clariſſima teſtimonia ſubterfugiis eludere liceat.

Ratio fundamentalis eſt, quia gratia habitualis neceſſariò ſupponit diſpoſitiones effectas & productas, cùm non detur niſi ſubjecto diſpoſito, & quia per actus illos diſpoſitum eſt. Sed quod ſupponit diſpoſitiones effectas & productas, eas non efficit, nec producit, alioquin actum ageret, & prius eſſet res paranda, quàm præparatio; quod eſt inintelligibile. Non ſupponit autem eas productas ex viribus naturalibus liberi arbitrii: Ergo ſupponit eas productas ab homine auxilio Dei moventis adjuto, & prævento. Neque id ſolùm verum eſt de gratia in facto eſſe, ſed etiam de illa ut eſt in fieri, ut ſultus adverſariorum cavillus elidatur; quia non ſolùm gratia facta, & permanens exigit ſubjectum diſpoſitum, ſed etiam gratia non fit, nec infunditur, niſi quia ſubjectum diſpoſitum eſt: gratia enim non fit in aëre, vel in concavo lunæ, vel ſuſpenſa eſt ad oſtium animæ, ſed fit in ſubjecto, & ſubjecto diſpoſito per pios actus ab auxilio divino inſeminatos. Certè non eſt munus formæ præparare ſibi materiam, vel ſubjectum diſponere, ſed ſubjectum ab agente diſpoſitum afficere, & præparatum informare. Ergo gratia non diſpoſitiones efficit, ſed effectas ſupponit, ut ipſa diſpoſitionis nomenclatura per ſe indicat. Diſpoſitio enim ad formam recipiendam priùs naturâ effecta eſt, quàm forma recipiatur: quod ſi procedit effectivè à forma, formam exiſtentem utique præſupponit; forma autem accidentalis non præſupponitur exiſtens, niſi in ſubjecto recepta, cùm ejus eſſe ſit ineſſe: forma autem recepta diſpoſitione non eget ut recipiatur, ut patet.

Objicies primò authoritatem S. Thomæ *in 4 diſt. 17. q. 1 art. 4. q. 2.* ubi ſermonem habens de piis illis motibus, qui ad juſtificationem diſponunt, ſic habet: *Cùm iſti motus, qui ſunt in ipſa juſtificatione impii, ſint quaſi diſpoſitio ultima ad gratiæ ſuſceptionem, ſuo modo præcedunt quidem in via cauſæ materialis, ſed ſequuntur in via cauſæ formalis.* Et 1. 2. *quæſt.* 113. *art.* 8. *ad* 2. ait: *Diſpoſitio ſubjecti præcedit ſuſceptionem formæ ordine naturæ, ſequitur tamen actionem agentis, per quam etiam ipſum ſubjectum diſponitur; & ideò motus liberi naturæ ordine præcedunt conſequutionem gratiæ, ſequuntur autem gratiæ infuſionem.* Denique S. Doctor ad juſtificationem nullum præter gratiam habitualem auxilium videtur admittere. *Tota juſtificatio impii*, inquit art. 7. *originaliter conſiſtit in gratiæ infuſione, per eam enim & liberum arbitrium movetur, & culpa remittitur.* Ubi S. Doctor non loquitur de auxilio actuali, cùm per illud peccatum non remittatur.

Reſpondeo, his teſtimoniis nihil effici. Primum quidem nihil concludit; verum ſiquidem eſt, pios motus præcedere gratiam in genere cauſæ materialis (diſpoſitio enim reducitur ad cauſam materialem, quia materia non cauſat niſi ut diſpoſita) & ſequi gratiam in genere cauſæ formalis; nam gratia adveniens eas informat, perficit, & meritum ipſis confert. Quod verò diſpoſitiones gratiam in genere cauſæ efficientis ſequantur, nunquam, & nuſquam dixit. Secundum teſtimonium nihilo magis urget; non enim dixit D. Thomas, diſpoſitionem quæ præcedit ſuſceptionem formæ, ſequi actionem formæ, ſed ſequi actionem agentis; quo quidem nihil verius, ſed nihil contra nos infirmius: unde rectè infert S. Doctor, quod motus liberi arbitrii præcedit naturæ ordine gratiæ habitualis conſequutionem, ſequitur autem gratiæ actualis infuſionem. Tertium denique teſtimonium non eſt fortius; ibi enim loquitur S. Doctor de gratia actuali, & ciente ad pios motus: unde formaliter, & accuratè de more loquens, non dixit, in ea conſiſtere formaliter & eſſentialiter juſtificationem, & culpæ remiſſionem, ſed *originaliter*; quia origo & initium juſtificationis in auxilio prævenientis gratiæ poſitum eſt.

Objicies ſecundò: De ratione actus vitalis eſt ut procedat à principio proximo vitæ, ut conjuncto principio radicali, ut patet in omnibus actibus vitalibus, tam corporeis, quàm ſpiritalibus, qui procedunt à potentia conjuncta animæ: ſed actus contritionis & charitatis ſunt vitales vita ſupernaturali, nam juſtus ex fide per dilectionem operante vivit. Ergo procedunt ab habitibus charitatis & pœnitentiæ, ut conjunctis gratiæ ſanctificanti.

Reſpondeo hoc argumentum, cui multùm confidit Gonetus, manifeſtè Thomiſtarum doctrinâ confutari, qui una voce dicunt, habituum ſupernaturalium influxum auxilii actualis ſupernaturalis influxu poſſe ſuppleri. Sic Paulus Dei viſionem elicuit, non per habitum luminis gloriæ, ſed impreſſione luminis tranſeunter communicati. Et certè non minoris virtutis eſt auxilium ſupernaturale Dei moventis, quàm præmotio phyſica ordinis naturalis. Ergo ſicut iſta ad naturales actus ciet, quia etſi non ſit vitalis ut quod, ut aiunt, eſt tamen vitalis ut quo; ita illa ad actus ſupernaturales vitales poterit pariter permovere, quia nimirum divinæ omnipotentiæ & actionis imago eſt, & radius; quæ proinde omnium quæ in actu ſunt, & ſubſtantiam, & modum, & vitalitatem attingere valet; quia per ſe primò attingit rationem entis, & conſequenter omnes rationes & differentias entis pervadit, ut profundè alicubi docet D. Thomas. Itaque actus vitalis exigit quidem pro fundamento & principio radicali & proximo naturales facultates in eſſentia radicatas, putà animam & voluntatem; non tamen neceſſariò exigit habitum ſupernaturalem, ſed tantùm ad meliùs & connaturalius operandum. Et ratio horum omnium eſt, quia niſi ſupponatur in homine principium radicale & proximum vitæ naturalis, non ſe movebit homo ad actus ſuos, quia non habebit internum operationum principium; ut verò eliciat actus ſupernaturales, exigit duntaxat vim ſupernaturalem, quâ elevetur ut ſupernaturaliter efficiat: quod autem vis illa ſupernaturalis ſit habitus, vel motio, perinde eſt ad ſupernaturalitatem, quia per alterutram ſufficienter elevatur, ut ſupernaturaliter agat, tametſi habitus deſideretur, ut permanenter, & jugiter, & veluti connaturaliter operetur.

Inſtat Gonetus: Deus non poteſt ſupplere vices principii vitalis; unde ſi moveret corpus mortuum, motus ille non eſſet vitalis; quia abeſſet anima, quæ eſt principium motus. Hinc etiam fit, Angelos aſſumentes corpora non vitaliter operari, loqui, comedere, ambulare, quia deeſt anima, deſunt & facultates naturales motuum illorum operatrices. Hinc actus fidei, & ſpei informis non ſunt vitales (fides enim ſine operibus mortua eſt, & qui non diligit, manet in morte:) quia licèt procedant ab auxilio Dei moventis, abeſt tamen gratia, quæ mediis habitibus eſt principium radicale vitæ ſupernaturalis. Ergo ne-

cessarius, & indispensabilis est gratiæ habitualis influxus.

Respondeo, Deum non posse supplere vices principii vitalis naturalis, quia absente principio naturali vitæ, non erit principium se movens, quia non erit quod se moveat ab intrinseco; potest tamen habitus suppleri per auxilia, quia in ordine ad operandum id faciunt transeunter auxilia, quod præstant habitus permanenter. Quorum rationem fundamentalem paulò superiùs exposuimus. Ex quibus patet responsio ad duo priora exempla de corpore mortuo, & de corpore ab Angelis assumpto. Exemplum verò fidei & spei informis plus nobis prodest quàm obsit. Etsi enim actus illi non sint perfectè vitales, quia à gratia non proficiscuntur, nec sint meritorii vitæ æternæ, quia abest principium meriti, idoque dicuntur mortui, quia nihil conferunt ad salutem; attamen reapse vitales sunt, reapse supernaturales: vitales, quia in ipsis eliciendis homo se movet, nec merè passivè se habet: supernaturales etiam, quia & objectum supernaturale sub motivo supernaturali respiciunt, & omnes naturæ possibiles vires ac conatus excedunt. Ergo vitalitas supernaturalis nec necessariò, nec indispensabiliter principium radicale remotum, scilicet gratiam; vel proximum, scilicet habitus supponit. Ergo sicut actus fidei non exigit necessariò habitum fidei, ita nec actus contritionis habitum contritionis, seu pœnitentiæ; neque enim vis Dei moventis ad pœnitendum infirmior est vi, & auxilio ciente ad credendum.

Objicies tertiò: Actus contritionis, & dilectionis perfectæ ad justificationem ultimùm disponentes sunt inclinatio actualis ad bonum divinum, ut in se est: Atqui inclinatio ad bonum alicujus naturæ supponit naturam illam, saltem participatam, ut ab ea procedat. Ergo actus contritionis & dilectionis perfectæ gratiæ habitualis influxum præsupponunt.

Respondeo inclinationem actualem in bonum alicujus naturæ naturam illam præsupponere, quando permanenter, & connaturaliter fluit, secus si solùm transeunter per modum impetus eliciatur; tunc enim fatis est, quod ab auxilio fluente divinitus impresso, & habitus vices supplente proficiscatur, ut exemplo visionis Pauli, fidei informis, & aliorum piorum motuum claret. Adde inclinationem ad bonum alicujus naturæ vel supponere naturam, saltem participatam, vel certè ad eam habendam efficaciter conari: sicut calor ad ignem in lignum introductus non supponit naturam ignis in ligno, sed ad eam materiæ ligni asciscendam efficaciter confert. Itaque pii motus ad gratiam justificantem non habitam suspirant, habitam per modum proprietatis consequuntur, non eandem quidem numero, sed specie; sicut calor ad ignem disponens non idem numero procedit à forma ignis (nam eâ adveniente in sententia Aristotelis pereunt omnes funditus dispositiones, dantque resolutio usque ad materiam primam,) sed idem specie.

Objicies quartò: Actus meritorii vitæ æternæ supponunt gratiam habitualem, & ab ea effectivè procedunt; sola enim gratia est principium meriti, quia facit personam reddit acceptam. Atqui actus contritionis & charitatis ultimùm ad justificationem disponentes sunt meritorii vitæ æternæ, *non gratiæ quæ jam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur.* Et ratio esse potest, quia alioquin adultus extra Sacramentum justificatus, & statum post adeptam gratiam ante novos actus pietatis à gratia habituali profectos moriens gloriam sine meritis propriis obtineret; siquidem nullum actum à gratia habituali ortum in illa suppositione eliceret, quod est contra Ecclesiæ sen-

sum gloriam parvulis titulo hæreditatis, adultis verò titulo mercedis merita compensantis afferentem. Ergo dispositiones ad gratiam habitualem ab eadem effectivè fluunt.

Respondeo hoc argumento magis oppositam sententiam premi, quàm nostram. Etenim si pii motus ultimùm ad gratiam disponentes à gratia habituali effectivè procedunt, erunt meritorii primæ gratiæ, cùm illi nihil desse possit ad meritum gratiæ, sicut nec ad meritum gloriæ; maximè quia cùm secundùm adversarios illi actus sequantur gratiam in fieri, præcedant verò illam ut in facto esse, factum esse gratiæ utique merebuntur. Nec possunt adversarii ullam disparitatis rationem afferre, cur actus illi procedentes à gratia habituali, & eam ut in facto esse præcedentes, non mereantur factum esse gratiæ, sicut merentur gloriæ remunerationem. Nec possunt dicere, idcircò actus illos gratiam non mereri, quia gratia est in subjecto in eodem instanti reali; non, inquam, id potest dici, quia per bona opera justi merentur augmentum gratiæ, tametsi istud in eodem instanti consequantur. At repugnat, hominem posse mereri primam gratiam, cùm principium meriti non possit cadere sub meritum: unde justi *Rom.* 3. dicuntur *justificati gratis*; qua, ut ait Trid. sess. 6. c. 8. *Nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promerentur.* Ergo si dispositiones ad gratiam habitualem præparantes, à gratia habituali prout in fieri procedant, eamdem prout in facto esse merebuntur.

In forma ergo directè respondetur, actus ultimò ad justificationem disponentes mereri gloriam æternam, quia etsi à gratia habituali non proficiscantur, ab eadem tamen informantur, perficiuntur, & grati Deo redduntur; neque enim gratiæ productionem aliquo instanti reali antevertunt, sed solo naturæ, & rationis instanti. Deus porrò, qui non juxta nostras distinctionum & prioritatum naturæ ticas opera judicabit, sed quæcumque prout reapse sunt, appendet, opera & actus ab homine grato propter se castè elicita sicut non amare non potest, ita non remunerare nequit. Nec propterea ex nostra sententia sequitur, omnes hominis justi actus, sive naturales, sive supernaturales, esse vitæ æternæ meritorios, utpote cum gratia conjunctos. Non sequitur, inquam, quia ut actus sint meritorii præmii essentialis, debent vel à gratia habituali procedere, vel ab eadem speciali ratione informari, & si barbarè loqui licet, dignificari: actus autem merè naturales, vel supernaturales, à justo sine imperio charitatis eliciti, à gratia nullam hauriunt dignitatem, sed merè concomitanter se habent, sicut manducatio non est dignior in Rege quàm in plebeio; quia actio illa nullum ordinem, nullam rationem habet ad personam regiam quà regiam. At verò actus pii ad gratiam præparantes, cùm habeant rationem causæ materialis ad gratiam (id enim omnibus dispositionibus commune est ex parte materiæ se tenere) à gratia sanctificante speciali modo informantur, perficiuntur, adornantur, ad illamque specialem ordinem, habitudinem, & relationem important: quid ergo mirum, si actus illi, tametsi gratiæ habitualis prævii, ei tamen tam intimè uniti dignitatem à gratia hauriant, eique conjuncti hominem in suppositione facta mortem obeunti gloriam sempiternam comparent.

Insistes: Id ipsum contra nos urget, quod contra adversarios retorsimus argumentum. Nam si pii actus ad justificationem disponentes mereantur gloriam, quæ est gratia consummata, quidni merebuntur gratiam habitualem?

Respondeo esse disparitatem toto cœlo; pii namque,

que motus ad justificationem præparantes non merentur gloriam, nisi prout informantur à gratia; unde in instanti rationis, in quo nondum intelligitur gratia habitualis, eam non merentur, tametsi ad eam sub auxilio Dei disponant. At verò dum merentur gloriam, à gratia informantur, quæ est unum totius meriti principium. Alia argumenta merè philosophica congerunt adversarii, quibus nostram sententiam impediunt magis quàm enervent: sed his ambagibus animum tuum, mi Theologe, satis jam, superque fatigatum non gravabo magis; facilè enim infitiari est, quod adversarii pro principiis assumunt. Et omissis tot rationum instantium cavillis, ad justificationis gratiam suspiremus, quæ uno reali instanti ab omnipotenti Deo fit, qui nec eget tempore, nec tarda molimina scit, nec caussis anceps suspenditur ullis. Sed gratiam actualem, quâ ad tantum beneficium disponimur, jugiter postulemus. Hæc est, quæ mentem radiis illustrat, cor divini amoris igne inflammat, affectus immutat, dura emollit, rigida inflectit, aspera mitigat, frigida accendit, debilia roborat, vaga stabilit, stabilia confirmat.

Multa alia ex principio superiori speculatione stabilito inferri possent consectaria, quæ alibi in decursu Theologiæ pertractantur. Nonnulla etiam sponte fluentia operose non agitavimus, quia per se patent. Exempli gratiâ, planum est à gratia per modum proprietatis virtutes supernaturales manare; cùm enim gratia hoc ipso, quod sit participatio divinæ naturæ, habeat rationem, & gerat vices naturæ in ordine supernaturali, ei procul dubio titulo connaturalitatis virtutes debentur, quæ sint veluti illius facultates. Hinc etiam sequitur, gratiam à charitate distingui, quia inclinatio & virtus operativa naturæ à natura distinguitur, alioquin similiter dicam, virtutes omnes infusas cum gratia identificari: igitur cùm gratia det esse supernaturale, virtutes verò ad operandum sint institutæ, eas distingui fatendum est: sicut enim essentiam & virtutes in ordine naturali distingui Philosophia docet, ita gratiam à virtutibus distinguit solidior Theologia, quæ supernaturalia & naturalia perficere, non destruere docet. Sequitur demùm gratiam in essentia animæ recipi, quia ut ait D. Thomas, per gratiam regeneramur in filios Dei, cùm per eam natura divina participetur. Generatio autem priùs terminatur ad essentiam, quàm ad potentias: ergo priùs naturâ in essentia animæ recipitur gratia, quàm potentiis insint virtutes infusæ. De certitudine divinæ gratiæ agemus in fine.

Reflexio.

Hanc divinæ naturæ participationem, ex qua tot bona nobis patentia, & infinita nos latentia jugiter fluunt, jugiter animo versemus. Miremur quomodo creaturam tantoperè magnificet Deus, quomodo erga hominem apponat cor suum. *O pater misericordiarum*, exclamat Doctor Mellifluus serm. 5. in dedic. Eccl. *quid apponis erga nos cor tuum? Scio, scio: ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Quomodo ergo nihil sumus, si thesaurus tuus sumus?* Tantum profectò est generationis spiritualis beneficium, ut non solùm merita excedat & vota, sed etiam de ea ferè, ac de æterna dicere valeamus: *Generationem ejus quis enarrabit?* Fidem tamen tam plenæ solatii veritati ne detrectes. *Mente consurge*, inquit Magnus Chrysostomus hom. 2. in Matth. *nihilque humile suspiceris. Filius sempiterni Dei etiam filius David esse dignatus est, ut tibi servo patrem faceret ipsum Deum. Quod si ambigis de his quæ ad tuum spectant honorem, ab iis quæ illius sunt, etiam tua disce credere. Quantum consequi potest humana ratio, multò est difficilius Deum hominem fieri, quam hominem Dei filium consecrari. Cùm ergo audieris, quia filius Dei filius sit & David, & Abrahæ; dubitare jam desine, quod & tu, qui filius es Adæ, futurus sis filius Dei. Non enim ita se humiliasset, nisi nos esset exaltaturus. Natus est enim secundùm carnem, ut tu nascerere spiritu: natus est ex muliere, ut tu desineres filius esse mulieris.* O Christianismi insperatam, inauditamque dignitatem, quâ servus Dominum patrem vocare audet, judicem suum reus nuncupat genitorem! *Sed audemus*, inquit Chrysolog. serm. 70. *quia præsumptio dicentis non est, ubi authoritas est jubentis: ipse enim nos hodie dicere sic voluit, qui nos docuit sic orare. Et quid mirum si homines Dei consecravit in filios, quando se hominis dedit, & adoptavit in filium?* Proh scelus incuriosi generis humani Hominis-Dei sanguine redempti, tantam ad quam vocatur dignationem non attendentis, nec cogitantis in lege gratiæ illud ad literam Davidicum adimpleri, quod *Psalm.* 81. scripsit: *Ego dixi, Dii estis.* Ubi Augustinus: *Manifestum est*, inquit, *quia homines dicit Deos ex gratia sua deificatos, non de substantia sua natos; ille enim justificat, qui per semetipsum, non ex alio justus est; & ille deificat, qui per seipsum, non alterius participatione Deus est. Qui autem justificat, ipse deificat, quia justificando filios Dei facit; dedit enim potestatem filios Dei fieri.* Næ illud beneficium tam ingens, tamque, ut ita dicam, opprimens est, ut aliud nec cogitare liceat, nec eloqui.

Speculatio I.

Gratiæ sanctificantis lepores à Patribus delineati repræsentantur.

Ut autem illius gratiæ pulchritudine illiciatur, inescetúrque animus Christianus, placet præclaram à Patribus ductam picturam, variaque ipsius elogia ob oculos ponere, illamque rudi penicillo describere, quæ omni laude superior nunquam satis commendari potest.

Gratia sanctificans simpliciter & antonomasticè gratia dicitur, quia cæteræ quæque vel dispositiones ad illam sunt, vel fructus, vel illius ancillæ, vel certè tutelæ. Illâ filii Dei, fratres Christi, membra corporis ejus, organa Spiritus sancti, Templa Trinitatis, cives Sanctorum, domestici Dei, amici & familiares ejus, novæ creaturæ efficimur. Hæc est novi gratia Testamenti, quam prædixerunt Prophetæ, ad quam suspirarunt Patriarchæ, quam sanguine suo Redemptor obtinuit. Illâ è captivis liberi, è servis filii, è terrenis cœlestes reddimur. Per illam Christum induimus, in Christo vivimus, in Christo morimur, sepelimur, resurgimus, & in cœlestibus habitamus. Illa ignis est ille divinus, quem Christus venit mittere in terram, quáve eam voluit vehementer accendi: ignis, inquam, non comburens, sed illuminans, sed sanans, sed roborans, sed perficiens. Illâ sanantur infirmitates, diriguntur obliquitates, temperantur passiones, informantur inclinationes, complanantur difficultates humanæ, habilitantur impotentiæ. Hæc est cœlestis habitus, quo decoratur anima; sacra affectio, qua delectat justitia; sancta passio, qua in cœlum ferimur; pura radix, unde germinant fructus honoris & honestatis; arbor vitæ, qua vires reficimus, qua pascimur, & spiritus pinguedine saginamur. Et quemadmodum cor humanum fons perennis est vitæ, onde calor & spiritus in membra singula derivantur: sic Spiritus sanctus (qui

à Sancto Thoma *cor Ecclesiæ*, sicut Christus caput dicitur) per gratiam istam inhabitans sacrum ignem, & pios motus in animæ facultates, sanctas nimirum cogitationes, & flammantia desideria continanter effundit.

Hanc gratiam Deus Angelis, & protoparentibus contulerat, simul in eis & condens naturam, & largiens gratiam, ut eum amore casto diligerent, qui solus diligendus est; unde & Angelus divinæ *signaculum similitudinis*, homo *ad imaginem & similitudinem Dei* creatus dicitur. Verùm illam peccato deletam divinitatis similitudinem gratia restaurat, quâ in interiore homine renovato justitia scribitur, quam culpa deleverat. Eâ gentes ipsæ ad Christum conversæ naturaliter, id est spontè, suaviter, connaturaliter ea quæ legis sunt faciunt, ipsique sunt sibi lex: hoc enim agit Spiritus gratia, ut imaginem Dei, in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia. Vitio lex Dei est deleta de cordibus; ac per hoc vitio sanato, cùm illic scribitur, fiunt quæ legis sunt naturaliter; non quòd per naturam negata sit gratia, sed potiùs per gratiam reparata natura. Eâ Deus nos fingit, id est format, & creat, non ut homines, quod jam fecit; sed ut boni homines simus, ut simus in Christo Jesu nova creatura. Illâ non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati, bonam voluntatem divinitus adipiscimur, quam nemo habere potest, nisi nullis præcedentibus meritis acceperimus veram, hoc est gratuitam desuper gratiam. Semper enim in nobis est voluntas libera, sed non semper est bona: aut enim à justitia libera est, quando servit peccato, & tunc est mala; aut à peccato libera est, quando servit justitiæ, & tunc est bona: gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit ut sit homo bonæ voluntatis, qui priùs fuit voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cœpit, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implere divina mandata quæ voluerit, cùm valdè, perfectéque voluerit.

Per hanc gratiam in pristinam restituimur sanitatem, in quantum natura, quæ id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, sine ulla est omninò infirmitate peccati. Per gratiam enim, ut ait Augustinus, sanatio animæ à vitio peccati, per animæ sanitatem libertas arbitrii, per liberum arbitrium dilectio justitiæ, per justitiæ dilectionem legis operatio. Tunc autem erit plena justitia, quando plena sanitas; tunc plena sanitas, quando plena charitas; tunc plena charitas, quando videbimus eum sicuti est.

Hac gratiâ vivit animus peccato mortuus. Mors corporis est à spiritu deseri, mors animæ à Deo deseri: per gratiam autem ad animum redit Deus, qui vivificat mortuum dum justificat impium. Ad peccatum valet mors animæ, quam deseruit vita sua, hoc est Deus suus, quæ necesse est opera mortua faciat, donec Christi gratiâ reviviscat. *Sicut ut caro vivat*, inquit Fulgentius lib. de Incarn. & grat. cap. 24. *solius opus est animæ; ita quoque ut homo credat, solius opus est gratiæ. Et sicut caro nihil operari potest, si eam vivificare anima desinat; sic homo nihil benè velle potest, si ab eo gratiæ juvamen abscedat. Ut ergo caro vivere possit & operari, præsentis animæ vivificatione fulcitur: homo quoque ut bonum velit, aut faciat, gratia vivificantis subsidio jugiter adjuvatur.*

Per hanc gratiam suavis benè operandi facilitas infunditur, incipitque justus gravia Dei non esse sentire præcepta: perfecta animi charitas foras mittens timorem, facit præcepti sarcinam levem, non solùm non prementem onere ponderum, verùm etiam sublevantem vice pennarum. Tunc & ignorantiæ cæcitas pellitur, & injuriæ torpor excutitur, & difficultatis cruciatus temperatur. Tunc justus in spe filiorum Dei glorians non sub lege vivit, sed in lege Domini voluntas ejus; nec est ei lex posita, qui justitiam diligit æquitatis solius illiciis inescatus. Ut enim divine in epist. ad Galat. scripsit August. *In lege potiùs est justus quàm sub lege, quia non suâ vitâ vivit, cui coërcenda lex imponitur. Ut enim sic dicam, ipsam quodammodo legem vivit, qui cum dilectione justitiæ justè vivit. Ideò Paulo non erat lex imponenda, qui dicit: Vivo autem jam non ego, vivit verò in me Christus. Quis ergo audeat Christo legem imponere, qui vivit in Paulo.*

Hinc nascitur optanda animi libertas; ad justè namque faciendum liber non est, nisi qui à peccato liberatus justitiæ cœperit esse servus. Libero quidem arbitrio malè utens homo, & illud perdidit, & seipsum: sed ubi per gratiam Spiritus Dei advenerit, continuò libertas redditur, quia ubi spiritus Domini, ibi libertas. Perversis actibus, pravâ potissimùm consuetudine ita implicatur animus, ita constringitur, non ferro alieno, sed ferrea voluntate, ut in peccandi necessitatem præcipites agantur, qui perniciosa criminis dulcedine tenti, funes nequeunt rumpere, quos sibi peccando fabricati sunt. At postquam nos Filius hominis gratiâ liberavit, inde factus liberator unde Salvator, libertate agimus, sed libertate redempta, cui Deus est rector; non violatâ necessitate, sed infusâ suavitate, quâ per donum Spiritus Sancti justitiâ delectati pœnam literæ minantis evadimus, plusque placet quod præcipitur, quàm delectet quod prohibetur. Hac velut arrha gratuiti muneris inardescit homo inhærere Creatori, incipitque condelectari legi Dei secundùm interiorem hominem, etiamsi alia lex in membris legi mentis adversetur. Felix libertas tota in suavitate sita; quâ jejunia, vigiliæ, & quæ laboriosa videntur, in delicias spirituales vertuntur! *Nullo modo enim*, inquit August. lib. de bon. viduit. cap. 21. *sunt onerosi labores amantium, sed etiam ipsi delectant, sicut venantium, aucupantium, vindemiantium, piscantium, negotiantium, ludo aliquo sese oblectantium. Interest ergo quid ametur; nam in eo quod amatur, aut non laboratur; aut si laboratur, & labor amatur.*

Hæc gratia vel una virtus est, vel virtutes omnes habet à se indivulsas: nam gratiam comitatur flagrantissima, & luminosissima charitas: definitio autem brevis & vera virtutis ordo est amoris, *& virtus donatur vera per gratiam*, ait August. *lib. 4. cont. Iul. cap. 3.* Absit enim ut sit in aliquo vera virtus, nisi fuerit justus: absit autem ut sit justus verè, nisi vivat ex fide. Cui consonè S. Thomas *in disput. quæst. 14. art. 5. ad 5.* docet virtutes sine gratia & charitate posse dici *virtutes secundùm Philosophum, non secundùm Theologum.* Hinc nascitur fortitudo tolerans omnia propter eum qui amatur; hinc temperantia integrum præbens hominem ei qui amatur; hinc justitia soli amato serviens, & propterea unicuique quod suum est tribuens; hinc prudentia, ea quibus ad amandum Deum adjuvatur, ab eis, quibus impeditur, sagaciter seligens. Hæ virtutes, vel si mavis, una virtus, cujus primitias nunc habemus, unde jam filii Dei reipsa facti sumus, tunc consummabuntur quando Dominum virtutum facie ad faciem videntes, illum sine fine diligemus, magnáque per Spiritum sanctum collatâ abundantiâ charitatis cadere ulteriùs omninò non poterimus. *Una ibi*, inquit August. de agon. Christ. cap. 9. *& tota virtus est amare quod videas; & summa felicitas habere quod amas.*

Ib
i

Ibi enim beata vita in fonte ſuo bibitur, unde aſpergitur aliquid huic humanæ vitæ, ut in tentationibus hujus ſæculi temperanter, fortiter, juſtè, prudenterque vivatur.

Hinc etiam animi vigor intrepidus proficiſcitur. Per gratiam enim infirma, & anguſta mens, acceptâ gratiæ largioris abundantiâ, illud facile ſentit & ſuave, quod antea rebatur impoſſibile. Sic Apoſtoli puſilli antè & timidi, miſſo ad ſe promiſſu Spiritu ſancto, augeri ſibi gratiâ conſtantiam perceperunt, quæ omnem fortitudinem foras mitteret, & furorem perſequentium non timeret. Tunc cœperunt ardentiùs velle ac efficaciùs poſſe, & proficientes à præceptorum ſcientia ad tolerantiam paſſionum, ſub nulla jam tempeſtate trepidantes, fluctus ſæculi, & elationes mundi fide ſupergrediente calcarunt, & morte ipſâ contemptâ, gentibus Evangelium veritatis intulerunt. Quia nimirum informati gratiâ, virtute ex alto induti ſunt; Chriſtum ipſum Dei virtutem induerunt, id eſt divinas Chriſti virtutes perceperunt, qui humanas in ſe ſuſceperat infirmitates, ut præclarè exponit D. Thomas expendens illud Apoſtoli, *Chriſtum induiſtis*, in epiſtola ad Gal. *cap.* 3. *lect.* 9. his verbis: *Qui induitur aliqua veſte, protegitur ac contegitur eâ, & apparet ſub colore veſtis, colore proprio occultato. Eodem modo & qui induit Chriſtum, protegitur & contegitur à Chriſto Ieſu contra impugnationes & æſtus; & in eo nihil aliud apparet, niſi quæ Chriſti ſunt. Et ſicut lignum accenſum induitur igne & participat ejus virtutem; ita & qui Chriſti virtutes accipit, induitur Chriſto.*

Hinc deinde vita ſpiritualis à Sanctis tantoperè commendata derivatur. Quod enim ait Apoſtolus: *Scimus quia lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum*; ſatis oſtendit non poſſe impleri legem, niſi à ſpiritualibus, qui non fiunt niſi per gratiam. Fit autem homo ſpiritualis judicans omnia, & à nemine judicatus, quando intus Pater audit & docet, ut veniatur ad Filium, auferens cor lapideum, & dans cor carneum: cor aliud, juxta propheticum oraculum, & ſpiritum novum dans eis, id eſt cor cognoſcens, & aures audientes, ſeu donum obediendi, charitatem nimirum & gratiam, *quâ unâ Deo veraciter, & ſuaviter obeditur*, ut ait Auguſtinus. Tunc habet juſtus circumciſionem carnis, quæ eſt in ſpiritu, non litera, puram nimirum ab omni illicita concupiſcentia voluntatem. Tunc iterùm legem Dei ſentit in corde ſuo ſcriptam, quia in ſe experitur renovatum quod non omni modo deletum eſt per vetuſtatem. Præclarè de more Auguſtinus de Spirit. & lit. cap. 21. *Diſtat à vetere Teſtamentum novum, eo quòd per novum ſcribitur lex Dei in corde fidelium, quæ per vetus in tabulis ſcripta eſt. Nec iſtam inſcriptionem, quæ juſtificatio eſt, poterat efficere in Iudæis lex in tabulis ſcripta.* Succinit tanto magiſtro dignus diſcipulus Proſper lib. contra Collator. cap. 22. *In cordibus digito ſuo Deus, id eſt Spiritu ſancto ſcribit novum Teſtamentum, ut legis plenitudinem, & opera charitatis naturaliter exequantur, reformata ſcilicet, renovataque naturâ.* In hac ergo lege interiori conſiſtit vita ſpiritalis, quando nimirum quod forinſecus terret, delectat intrinſecus, & qui per occidentem literam fuerat prævaricator, per vivificantem ſpiritum dilector evadit. Cæterùm de vita ſpiritali & commendatione vitæ interioris abundè ſatis *tom.* 3. loquuti ſumus.

Hinc naſcitur ſapientia cœleſtis prudentiæ carnis adverſa, quam Deus ineffabili cum ſuavitate infundit, ita ut non oſtendat tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatem, ſimul donans & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere. Neque enim eſt alia, quæ vera ſit ſapientia, vel intelligentia creaturæ rationalis, niſi dilectio Creatoris; nec libero arbitrio hominis ulla poteſt gratiæ ſuffragari cognitio, niſi detur ipſius gratiæ ſpiritalis infuſio. *Habemus*, inquit Auguſt. lib. 11. de Civit. c. 17. *interioris hominis ſenſum, quo juſta & injuſta ſentimus. Ibi me & eſſe, & hoc noſſe certus ſum, & hoc amo, atque amare me ſimiliter certus ſum.* Hoc interiori ſenſu divina juſtos ſapere ibidem docet, dum ſe Deum amare ſentiunt: *Neque enim*, addit, *vir bonus meritò dicitur, qui ſcit quod bonum eſt, ſed qui diligit. Cur ergo & in nobis ipſis non & ipſum amorem nos amare ſentimus, quo amamus quidquid boni amamus? Eſt enim & amor quo amatur quod amandum non eſt, & ipſum amorem odit in ſe, qui illum diligit quo id amatur, quod amandum eſt. Poſſunt enim ambo eſſe in uno homine; & hoc bonum eſt homini, ut illo proficiente, quo benè vivimus, iſte deficiat, quo malè vivimus, donec ad perfectum ſanetur, & in bonum commutetur omne quo vivimus.*

Hinc quoque dimanat amabile illud pondus, quo in Deum jugiter ferimur, & dono Dei accenſi ſurſum vehimur, inardeſcimus, & imus. Nam ut ſemel & iterum divinus ſcripſit Auguſtinus: *Velut amores corporum momenta ſunt ponderum, ſive deorſum gravitate, ſive ſurſum levitate nitantur; ita etiam corpus pondere, ſicut animus amore fertur quòcumque fertur. Ponderibus ſuis aguntur omnia, loca ſua petunt. Minùs ordinata inquieta ſunt; ordinantur, & quieſcunt. Pondus meum amor meus, eò feror quòcumque feror*: lib. 11. de Civit. cap. 28. & lib. 13. confeſſ. cap. 9. Et quia pondere illo non ad ima rapimur, ſed ad ſuperna attollimur; ideò pondus illud pennas non ſemel appellat Auguſtinus, quibus ad Dominum volat animus, ut illi hæreat, cum quo unus ſpiritus efficitur. Bonum enim noſtrum nihil aliud eſt, quàm illi cohærere, cujus unius anima rationalis incorporeo, ſi dici poteſt, complexu veris impletur, fœcundaturque virtutibus.

Has divinæ gratiæ dotes è Patribus non tam depromptas, quàm exſcriptas ſi attentiùs conſideraſſet juratus Ordinis noſtri inimicus Petrus à Valle-Clauſa, non ſcripſiſſet Joannem Vincentium gratiæ venuſtate inebriatum in pangendis illius laudibus exceſſiſſe. Sed illud in primis advertere debuit, ebrietatem illam, quam ei per ludibrium improperat, à Patribus commendari, ſubindeque authorem illum, quem carpere voluit, à neſciente quid diceret Petro fuiſſe celebratum. *Quandiu ſumus in corpore*, inquit Auguſt. lib. de agone Chriſtiano, cap. 9. *guſtemus ſaltem quàm ſuavis eſt Dominus, qui dedit nobis pignus ſpiritum, in quo ſentiamus ejus dulcedinem, & deſideremus ipſum vitæ fontem, ubi ſobria ebrietate inundemur.*

Reflexio.

Hæc cùm ita ſint, ad illam ſuſpiremus gratiam, quæ (ut *tract. de Baptiſmo*, Catechiſmus Romanus poſt Tridentinum docet) *divina qualitas eſt in anima inhærens, ac veluti ſplendor quidam, ac lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores & ſplendidiores reddit.* Tam grande, tamque pretioſum bonum, quo ipſam Dei pulchritudinem induimus, peccati ſordibus anteponamus. Reſpondeamus generi, qui genus habemus à Deo; vivamus cœleſti munere decorati, patris ſimilitudinem moribus referamus, cujus naturam exprimimus; neque perdamus vitiis quod ſumus per gratiam conſequuti. Cùm ergo te caro ſolicitat, cùm te mundus pertentat, cùm te dæmon invadit, reſponde: Filius Dei ſum, æterno regno natus, paradiſi candidatus,

&

& à præcelſis filiorum Dei cogitationibus, ſanctoque ambitu noli degenerare. Juſtificatus acceptam gratiam ſerva, peccator ad illam totis viribus enitere, lachrymis ſuſpira, precibus contende: *Profluens* enim *largitor Spiritus*, ait Cyprianus epiſt.2. *nullis finibus premitur, nec coërcentibus clauſtris intra certa murorum ſpatia frenatur: manat jugiter, exuberat abundanter; noſtrum tantùm ſitiat pectus, & pateat; quantum illic fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.*

CAPUT II.

De merito Sanctorum.

GRatia non ſecus ac charitas magna operatur ſi eſt, illius naturam exprimit qui eſt actus purus, unde otii impatiens vires exerit, ut fructus ferat honoris & honeſtatis. Potiſſimus autem gratiæ fœtus meritum eſt præmii ſupernaturalis. Si enim omne naturalis ordinis opus honeſtum præmium aliquod promeretur, dicente D.Thoma 1. 2. *quæſt.* 21. *art.* 3. meritum eſſe proprietatem ab actu humano indivulſam, procul dubio opus ſanctum à gratia Dei proficiſcens, & imperio charitatis in Deum amore caſto relatum, non poteſt non eſſe dignum quod præmio ſupernaturali muneretur. Hanc nobis mercedem promiſit ipſe Salvator, eamque non denegaturum ſe vel exiguum aquæ frigidæ calicem danti, cum juramento ſpopondit, cujus verba cœlo etiam, terraque tranſeuntibus non præteribunt. *Gaudete*, inquit Veritas Matth. 5. *& exultate, quia merces veſtra copioſa eſt in cœlo.* Et cap. 10. *Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis calicem aquæ frigidæ, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Ne autem credas præmium illud eſſe aliquid temporale, vel intra naturalis ordinis ambitum incluſum, audi magnificam illam Abrahamo, & unà juſtis omnibus factam promiſſionem. *Ego*, inquit Geneſeos 17. *protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Infra ſe nihil habet Deus, quo ſanctum opus digna mercede muneretur: ſolus ipſe præmium meriti, qui eſt author merendi. O rem admiratione majorem! Bonorum noſtrorum non indiget Deus noſter. *Si juſtè egeris, quid donabis ei*, ut dicitur Job 35. *aut quid de manu tua accipiet?* Nihil Deo damus, qui totum à Deo accepimus; nihil illi compendii procreamus, qui ſibi ſufficientiſſimus eſt, & omne bonum; & tamen ſancti operis honeſtate vulnerari ſe ſinit, apponit erga hominem cor ſuum, & quos elegit ſine meritis, dat unde ornentur ex meritis. Quod incepit miſericordia, perficit juſtitia; & quos clementia invenit indignos ſe dum ſanctificat, invenit eos dignos ſe juſtitia dum coronat. *Miſericordia*, inquit Spiritus ſanctus Eccleſ. 16. *facit unicuique locum ſecundum meritum operum ſuorum.* Ut igitur chriſtianè poſſimus operari, ut Deum ipſum demereri valeamus, juxta illud Apoſtoli Hebr.13. *Beneficentiæ, & communionis nolite oblivisci; talibus enim hoſtiis promeretur Deus:* conditiones ad bonum chriſtiani operis meritum explicabimus primùm, deinde quid bonis operibus conſequamur, exponemus.

Scio modernos hujus temporis hæreticos meriti nomen execrari errore quidem ſatis conſequenti; cùm enim ipſi gratiam ſanctificantem evacuent, cùm eam ad denominationem extrinſecam, ad titulum ſine re, ad ens rationis, hoc eſt ad nihilum redigant; quid mirum ſi omne meritum è medio tollant, qui principium meriti, gratiam ſcilicet Salvatoris eliminarunt? Neque hæc noſtra, Catholicaque ſententia meritis Chriſti injuria eſt, ut garriunt Novatores, ſed honorifica magis, & glorioſa. Sicut enim in naturalibus nihil de primæ cauſæ virtute detrahimus, dum participatam, & Deo ſubordinatam agendi virtutem cauſis ſecundis aſſerimus: ita meritorum Chriſti infinitudo magis magiſque clareſcit, ſi hominibus vim merendi ipſa diffundat, ipſa ex plenitudine ſua impertiatur. Sanè vis, poteſtaſque Salvatoris eo præclariùs eminet, quo juſtis communicat non ſolùm ut juſti ſint, ſed etiam ut juſtè agant. Sed in hæreſi per ſe abſurda confutanda ſatis jam, & plus quàm ſatis morati ſumus, eam alibi, ſi res tulerit, operoſiùs confutaturi; ſed quæ polliciti ſumus, exequamur. Tu, Lector, æquo adeſto animo, teque oratum volo, tibi ut ſuadeas, iis quæ hoc capite è D.Thoma, Patribus, & Scripturis dicturi ſumus, nihil in tota fermè Theologia vel ad componendos mores utilius, vel ad erudiendos populos ſalutarius inveniri: & quia eum eſſe maximum quæſtum in animum induxi, quàm maximè ſervire tuis ſpiritualibus commodis; ideò pauca ſelegimus, quibus & eruditioni tuæ pro virili conſulerem, & pietati.

SPECULATIO I.

Septem ad Chriſtiani operis meritum conditiones deſiderantur, & ſigillatim explicantur.

QUia nihil eſt bono opere pretioſius, nihil mirum ſi plures ad illud rectè efficiendum conditiones deſiderantur.

Prima & ſecunda conditio: libertas operantis, & operis rectitudo.

Primò igitur ad meritum deſideratur agentis libertas. Unde dicitur 1. Cor. 9. *Si enim volens hoc ago, mercedem habeo.* Et Eccleſiaſticus cap. 31. docet, Deum ei collaturum bona ſua, qui liberè mandata ſervarit: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit: ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Hinc Patres inculcant, quod ubi neceſſitas, nec corona, nec damnatio eſt: nec meritum invenitur, ubi libertas non eſt. Vide ſuprà in appendice de quinque propoſitionibus; ubi hanc veritatem multimodis confirmavimus. Porrò cùm dicimus, ad meritum requiri libertatem, intelligimus de libertate non ſolùm habituali, ſed actuali motu voluntatis expreſſa. Unde declinando à malo nullus meretur, niſi per actum directum fugere malum, reſiſtere malo, repudiare malum ſincera voluntate proponat. Unde Patres ſpirituales tam crebrò, tam ſeriò, & juxta tam ſolidè hortantur, ut cuncta quæ agimus, & damna quæ patimur, & mala quæ cavemus, Deo ſingulis diebus actibus explicitis offeramus.

Secundò ad meritum requiritur rectitudo operis; dicitur enim Rom. 2. *Qui reddet unicuique ſecundùm opera ejus, iis quidem qui ſecundùm patientiam, boni operis gloriam.* Et Gal. 6. *Quæ ſeminaverit homo, hæc & metet; quoniam qui ſeminat in carne ſua, de carne & metet corruptionem; qui autem ſeminat in ſpiritu, de ſpiritu metet vitam æternam.* Et 2. Cor. 5. *Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque in ſuo corpore prout geſſit, ſive bonum, ſive malum.* Et ratio eſt aperta; meritum enim eſt proprietas honeſtatis, quæ convenit omni, & ſoli, & ſemper: ergo ubi deeſt operis honeſtas, deſit meritum

tum necesse est. Deoique opus meritorium debet esse Deo gratum; non enim munerabit, sed puniet opus exosum, & invisum sibi. Unde 1. *Joan.* 2. dicitur: *Fiduciam habeamus ad Deum, quoniam mandata ejus custodimus, & ea quæ sunt placita coram Deo, facimus.* Ubi significat Apostolus, se eatenus fiduciam obtinendæ salutis concipere, quatenus per gratiam Christi, quæ sunt coram Deo placita, se confidit operari. Manifestum est autem, opus quod non est bonum, nullatenus posse esse Deo gratum; *mundi enim sunt oculi ejus, & ad malum respicere non potest,* ut dicitur *Habacuc* 2. Ergo ut opus sit meritorium, bonum sit necessium est.

Et hoc ita verum est, ut siquando in sacris literis plures homines apud Deum actibus vitiosis meruisse reperiantur, ut patet in Nabuchudonosore, & in obstetricibus Judæorum, quod etiam de Romanis docet Augustinus; attamen in illis non perversam remuneravit Deus voluntatem, sed radium aliquem bonitatis actûs pravitati permixtum, ut alibi fusè dum de mixtura boni & mali disputabamus, monstratum est. Unde D. Thomas *q.* 114. *art.* 10. docet, *quod illæ retributiones dicuntur esse divinitus factæ secundum comparationem ad divinam motionem, non autem secundum respectum ad malitiam voluntatis.* Id est, quia in operibus illis aliquid boni malitiæ admixtum fuit, quod à divina motione proficiscebatur; ideo propter illud bonitatis tantillum, aliquid temporalis mercedis receperunt.

Tertia conditio: Status viatoris.

Tertiò requiritur ad meritum, ut homo sit in statu viæ, juxta illud Ecclesiastis 9. *Mortui non habent ultrà mercedem.* Et illud Ecclesiast. 11. *Ubi ceciderit lignum, ibi manebit.* Quibus significatur, nullum post hujus viæ & vitæ statum superesse merito locum. Unde Scriptura & Patres tantoperè monent, ut *dum tempus habemus operemur bonum ad omnes.* Gal. 6. Et Ecclesiastes cap. 9. *Quodcunque*, inquit, *facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Et Veritas Joan. 9. *Venit nox*, ait, *quando nemo potest operari. Frustrà enim sibi homo post hoc corpus promittit, quod in hoc corpore comparare neglexit*, inquit August. *sentent.* 172. apud Prosperum. Et serm. 102. de temp. *O homo, quare differs de die in diem, fortè habiturus hodie ultimum diem!* Et serm. 164. *Liceat mihi loqui, & dicere: Corrigant se qui tales sunt, dum vivunt, ne postea velint, & non possint.*

Et ratio est, quia meritum tendit ad præmium sicut ad terminum; omnis enim qui meretur, in agone est: ergo adepto præmio cessat meritum, sicut via assequuto termino finitur, & labor cessat obtentâ quiete, & pugna desinit reportatâ victoriâ. Hac de causa nec animæ justæ piacularibus flammis purgatæ, nec Sancti in cœlo apud Deum quidquam merentur: impetrare quidem aliquid à Deo orando possunt, mereri certè non possunt.

Quid autem dicendum sit de Enoch & Elia in Paradiso terrestri degentibus, & Antichristum, quem debellaturi, & extincturi sunt, præstolantibus, utrum mereantur, necne; vix ac ne vix quidem, nisi divinando definiri potest. Quis enim scit, vel scire potest, num singulis actibus habitum gratiæ & charitatis intendant? Num conditionibus mortalitatis exuti, pugnarumque expertes, extra merendi etiam aleam positi sint? Num divinam essentiam identidem videant? Num continua ecstasi à sensibus alieni electione & indifferentia ad meritum necessaria careant? Ne velimus esse apertum, quod Deus statuit esse occultum.

Quarta conditio: Bonum opus in obsequium munerantis cedat necesse est.

Hanc conditionem frequenter inculcat Veritas, dum monet, nullius valoris esse opera quàmlibet ardua, si in Dei obsequium minimè relata cupiditati serviant, vel auræ populari. Sic operantes recepisse mercedem suam, *Matth.* 6. attestatur, eosque ibidem tristes hypocritas appellat, quia mœrore simulato religiosum vultum populorum oculis mentiuntur. Væ miseris illis inani sese labore fatigantibus, captantibus ventum, jejunantibus ut videantur, ad ærumnas sempiternas temporali ærumna sternentibus viam, & specie pietatis geminantibus iniquitatem; simulata enim pietas duplex est iniquitas. Næ illi mali mercatores sunt, qui pro futili sanctitatis imagine, quam sectantur, fructum omnem promissionis divinæ leves obsequii sui ostentatores amittunt.

Ratio hujus conditionis est, quia qui meretur, respicit, expectatque à munerante præmium; ideoque studet illius benevolentiam demereri: sed nullus alterius animum sibi devincit, in seque propensum & liberalem reddit, nisi operibus in obsequium illius relatis, cujus promereri favorem ambit. Ergo nullus à Deo præmium expectare ullatenus potest, nisi bona quæ agit, in illius honorem & obsequium referantur, à quo bona cuncta procedunt. *Non vult enim disciplinæ cælestis magister irreligiosè agi, quod fieri pro religione præcipitur; nec patitur invocantium se laborem, quibus æternam parat mercedem, infructuose jactantiæ vitio deperire*, inquit S. Maximus *homil. in die Ciner.*

Dices: Meritum est proprietas honestatis: ergo actus est eo ipso meritorius, quo honestus: sed actus non desinit esse honestus, tametsi in alterius obsequium non cedat: ergo ad meritum operis honesti non exigitur, ut in alterius cedat obsequium, vel honorem.

Respondeo meritum esse proprietatem actus humani, non absolutam, sed relativam; quia cùm respiciat præmium ab alio conferendum, muneratori servire debet, à quo retributionem expectat; neque enim datur à Domino merces nisi laborantibus in vinea ipsius; nec merces jure exigitur, sed mera gratia petitur, nisi munerator quadantenus astringatur: at quâ lege, quave æquitate ad ea opera muneranda astringi potest, quæ in alterius obsequium operans devovit, nec remuneranti consecravit? Absit, absurdum est, iniquum est. Quare opera quæque in Dei obsequium non cedentia, vacua sunt, sterilia sunt, inania sunt. *Inane est enim, & vanum*, ait prælaudatus S. Maximus, *quidquid nullius ponderis, aut virtutis firmitate consistit. Inane est quod cum sæculo prætereunte deficiens, ad vitam non transit æternam.*

Quinta conditio: Operantis sanctitas.

Quintò nullum opus meritorium apud Deum esse potest, nisi ab homine sancto, id est per gratiam, & charitatem justificato proficiscatur. Hanc conditionem apertissimè tradit Apostolus 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam: & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos*

bus pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Vides sine charitate posse quidem esse fidem, aliaque opera per se laudabilia, sed non prodesse. Quid enim suo genere speciosius operibus misericordiæ? quid fide montes transferente illustrius? quid morte patienter tolerata gloriosius? Et tamen si desit sanctitas à charitate parta, si desit recta, bonaque voluntas Dei gloriam quærens, Deo frui avens propter Deum, nihil præclara illa officia conferunt ad salutem. *Ecce venitur ad passionem*, inquit August. serm. 50. de verb. Dom. cap. 2. *Ecce venitur & ad sanguinis effusionem, & ad corporum incensionem; & tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem, prosunt omnia; detrahe charitatem nihil prosunt cætera.*

Ratio ad hanc formam sic reducitur: Impossibile est id quod est mortuum, elicere opera vitæ, quandiu mortuum manet; impossibile est arborem malam bonos fructus edere, & corruptam radicem plantas germinare salutares, vel fontem venenosum puras scaturire aquas, cùm nemo det quod non habet? impossibile est personam Deo invisam, hominemque Deo inimicum opera illi accepta, & grata efficere, cùm priùs respiciat Deus offerentem quàm oblata; priùs cor inspiciat, deinde manus. *Respexit ad Abel*, inquit sacer textus Genes. cap. 4. *& ad munera ejus: ad Cain verò & ad munera illius non respexit.* Impossibile est addictum suppliciis sempiternis æternam beatitudinem sibi comparare, & carentem principio supernaturali præmium sibi supernaturale à Deo promereri, cùm inter causam & effectum, inter viam & terminum, inter medium & finem, inter dispositionem & formam, inter meritum & coronam proportionem esse necesse sit. Atqui homo gratiâ orbus, & in peccato mortali constitutus, spiritaliter mortuus est; qui enim non diligit, manet in morte, nec Deo vivit, qui sibi, qui mundo, qui carni vivit; est etiam arbor mala peccati malitiâ corrupta; est radix venenosa nedum in peccatis concepta, in sordibus nutrita, sed peccato etiam actuali infecta, & omnia inficiens, dum grandi perversitate peccator derelicto fonte aquæ vivæ, & fossis sibi cisternis dissipatis, judicium pervertit, affectus depravat, fruendis utitur, utendis fruitur, nec aliam agnoscit, quàm vitiatæ concupiscentiæ legem; est pariter Deo exosus, utpote qui contra omnipotentem bellare, Regem Regum è solio deturbare, & in ejus locum dæmonem capitalem divini numinis hostem sufficere molitus est; est denique addictus ignibus æternis, diabolo & Angelis ejus paratis, caretque omni principio supernaturali, gratiâ nimirum, quæ est fons aquæ salientis in vitam æternam. Ergo quandiu in misero illo degit statu, tandiu opera mortua, opera terebratum, opera ab omni merendi vi deserta elicit. Unde quàmlibet splendida ex objecto officia, quàmlibet ardua, & in speciem honesta, decora, composita, ornata fundat exteriùs, merito tamen vacua, inania, & fumo plena sunt, illis Sodomæ, & Gomorrhæ pomis haud dissimilia, quæ splendenti cortice solos cineres contegunt succo destitutos.

Dices: Ergo frustra peccator operibus ex objecto honestis operam navat, frustra eleemosynas erogat, preces fundit, jejunia frequentat, parentes colit & patriam, aliaque id genus agit, in eisque multiplicandis insudat, quæ nihil conferunt ad salutem.

Respondeo, peccatorem etiam in peccati lethalis statu misero permanentem, non debere ab operibus bonis desinere, ab ipsisque frequentandis cessare. Tum quia Deo bonorum operum praxim præcipienti in omni tenetur statu morem gerere. Tum quia piorum operum exercitio, & iteratorum actuum frequentiâ facilitatem sibi asciscit, quâ retentâ si justificati deinceps peccatorem contigerit, alacriùs remotis impedimentis viam mandatorum Dei curret. Tum quia licèt his operibus nequeat se peccator ad gratiam præparare, vel eam infallibiliter advocare, & multò minùs eam quavis ratione promereri, illi tamen minora objectacula ponit; unde fit recipiendo divino sese effundenti lumini sit aptior, certè minùs ineptus. Et fortassis à misericordia Dei ea impetrabit, quæ nunquam fuisset peccatis peccata addenti concessura. Denique bona illa peccatoris opera licèt plerumque vitiosa sint, utpote à radice cupiditatis & amoris sui, absente charitate profecta; attamen bonitatis ille radius ea objecto per se bono in actua derivatus, Deo non gratus esse non potest, cui omne bonum placet. Præsertim quia bonis operibus potest peccator fidelis ea fide, & auxilio gratiæ finem bonum præstituere, & tunc illa opera, tametsi non à perfecta charitate profecta, quandam apud Deum merendi vim obtinent; nam misericordes misericordiam consequentur, ut Veritas *Matth.* 8. promisit, & de superbo Divite ait August. *epist.* 89. quod si qui induebatur bysso & purpura pauperis ulcerosi misertus fuisset, mereretur & ipse misericordiam, id est impetrasset misericordiam, & magnam, quæ est justificatio; & parvam, scilicet bona temporalia, quæ saltem bonis operibus à peccatore factis Deus non denegat, qui nullum linquit sine mercede bonum.

Reflexio.

Si status viatoris unus sit ad merendum idoneus, quid tempus terimus tam pretiosum congregandis cœlestibus thesauris opportunum? Quid virtutibus comparandis non insudamus, quæ solæ sunt ambiendæ divitiæ, *& reverà pretiosus census animæ*, ut Cassiodorus *lib. de anima, cap.* 11. scripsit? Quid de gratia, quid de merito, quid de virtutibus tam multa dicimus, quæ sanctis operibus assequi, quàm laudibus prosequi satius foret? Sed magna est, inquies, in virtutis exercitatione difficultas, arcta est via, quâ ad ipsam aditur, confragosum iter & sentibus obsitum. At enim, sodes, nonne ubivis labor necessarius? Quid quæso in humanis sine labore paratur, cùm ipsi impii fatigatos se in via iniquitatis minimè diffiteantur? Considera agricolas victum quacumque ratione noctu, & interdiu quæritantes. Cerne mercatores semper & ubique manibus, pedibusque pro virili laborantes, & congregandis divitiis immorientes. Quos labores non suscipit mortalium pectora cogens auri sacra fames? Scrutatur intima, viscera terræ sulcat, venas aperit duras, & refractarias. Numnam fortassis laborat vanitas fastum pro numine colens, dum profunda maris penetrat, quæsitura unionum & lapillorum genera varia, vel saxis latentibus adnata, vel in ostreis recondita? Numquid laborant milites mundanæ litantes gloriæ? Nemo eorum algores, sudores, vigilias, dietas, plagas enumerare sufficiat. At fortè à labore immunes sunt voluptatii in libidinum cœno volutantes? Minimè gentium. Illi quidem tendunt ad gaudium, sed unde stabile consequantur ignorant. Quis eorum enumerem curas, solicitudines, timores, & vitii individuum comitem animi mœrorem? Si ergo nihil sine labore, & cura fit, ecqua in re meliùs impensiùs collocatumque, quàm in virtute comparanda laborem censebimus? Nobisne solis, quibus micanda vitæ æternæ præmia promittuntur, sine cura vivendum,

dum, unisque otio & somno indulgendum? Absit. Certè plano non aditur excelsum; non assequitur disciplinam bellicam, nisi quotidie exercitatus armis, quotidiano usu palæstræ durans membra, nutriens patientiam, laborem assuescens. *Iubet avaritia*, inquit August. in Psalm. 118. *ut mare transeas, & obtemperas: jubeo ego*, ait Dominus, *ut ante ostium tuum ex eo quod habes, des pauperi, & piger es ad faciendum ante te opus bonum.* Quid gravaris pati nunc ex remedio, quod non gravaris pati pro vitio; & ut Tertullianus loquitur, quid nauseas ad antidotum, qui hiasti ad venenum.

Si viatoris duntaxat tempus est ad merendum idoneum, fac dies pleni inveniantur in te; ne sis temporis prodigus, cujus unius avaritia honesta est; si pecuniam tuam ægrè aliis dividis, si prædia tua à nullo occupari pateris, tempus quod solum nostrum est, ne profundas; quod bonum est, sine mora, incunctanter, cum omni festinatione age, qui nihil pulchrius facere possis, quàm quod honorat Deum sine dilatione. Memento merendi tempus, quod otiosus consumpseris, rediturum numquam tibi. Memento temporis meliora prætervolare, deteriora succedere: quemadmodum, inquit Seneca *epist.* 108. ex amphora primùm quod est sincerissimum effluit, gravissimum quodque, turbidumque succedit; sic in ætate nostra, quod est optimum, primum est. Id exhauriri ab aliis negotiis ne patiamur, ut nobis fæcem reservemus. Ergo dum tempus habemus, persuadeamus nobis necesse est, nusquam nobis figendum esse pedem, ne ut Augustinus dixit, ubi dixerimus *Sufficit*, ibi hæreamus; ibique, ut ait Magnus Leo, incidamus in deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerimus appetitum. *Ergo nunc tempus acceptabile*, inquit Bernardus, *& aptum ad quærendum, in quo planè qui quærit, invenit; si tamen sicut oportet, quærit. Mirum est, mirum de te, homo miser, quod ad mala sis totus avidus, totus sapiens, totus solicitus; ad bona autem totus durus, totus piger, totus tepidus.*

SPECULATIO II.

Prosequutio ejusdem materiei: expenduntur duæ momentosa ad meritum conditiones, promissio Dei, & influxus charitatis.

NE præcedentis speculationis prolixitas foret onerosa, duas reliquas, easque potissimas ad meritum conditiones in hanc rejecimus, quas ordine exponemus.

Sexta conditio: Pactum & promissio Dei ordinantis opus bonum ad præmium.

Sextò præter gratiam sanctificantem diximus desiderari insuper promissionem Dei paciscentis, & opus in præmium ordinantis, atque acceptantis; nec sufficere voluntatem dandi gratiam, quæ est principium meriti. Ita luculenter tradunt Scripturæ, Concilia, & Patres. *Matth.* enim 20. non datur denarius diurnus (quo præmium beatitudinis bonis operibus promissum significari Patres passim docent,) nisi *conventione facta cum operariis.* Hinc Patres infrà referendi, & sacra Concilia opera justorum ex divina promissione sortiri rationem meriti asseverant, sine qua nullum potest meritum præmio comparari, vel æquari, ut videre est in Trident. *sess.* 6. *cap.* 16. & in Moguntinò *cap.* 8. *confessionis fidei.* Patres sequitur S. Thomas: *Meritum hominis apud Deum esse non potest*, inquit art. 1. hujus quæst. *nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis.* Et ad 3. *Deus non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum est ut sua ordinatio impleatur.*

Ratio est: Quantumcumque homo gratia habituali decoretur, ex eaque eliciat fructus honoris & honestatis, id est opera pietatis & virtutis, nunquam tamen ad ea opera muneranda obligari potest Deus, nisi sua semetipsum promissione obliget: tum quia obligatio stricta oriri nequit, nisi ex datis & acceptis; nemo enim tenetur reddere qui nihil accepit: Deus autem à nullo accepit; nam ut dicitur Rom. 10. *Quis prior dedit illi, & retribuetur ei.* Et Job 35. *Si justè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua recipiet?* Unde August. serm. 16. de verb. Apost. *Debitor factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod placuerit promittendo.* Tum quia obligatio inferioris est & dependentis; qui enim obligatur, utique debet; porrò qui debet, non est à creditore independens: dependentia autem, vel ipsa dependentiæ obumbratio procul à Deo est, qui cùm sit sua lex, suaque regula, nullâ potest obligatione astringi, quæ non à propria voluntate proficiscatur. Tum quia, ut optimè ait D. Thom. in 4. dist. 46. q. 1. art. 1. q. 1. *Beneficia Dei semper excedunt meritum creaturæ*; unde nisi præsupponatur divina promissio, non poterit unquam homo divina beneficia promereri. Hinc Apostolus Rom. 8. *Existimo*, inquit, *quod non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Et August. in Psalm. 93. *Ecce quantum pretium damus, quodammodo unam siliquam ad accipiendos thesauros sempiternos.* Hac de causa vita æterna gratia ab Apostolo *Rom.* 6. nominatur: *Quia*, ut optimè ait S. Fulgent. lib. 1. ad Monimum, cap. 10. *non solùm donis suis Deus sua dona reddit, sed quia tantum etiam ibi gratia divina retributionis exuberat, ut incomparabiliter, atque ineffabiliter omne meritum, quantumvis bonæ, & ex Deo datæ humanæ voluntatis, atque operationis excedat.* Et Tridentinum sess. 6. cap. 16. *Iustificatis hominibus, & benè operantibus proponenda est vita æterna tanquam gratia misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* Tum quia opera quæcumque bona innumeris Deo titulis debita sunt, eaque potest Deus variis nominibus exigere, quia Creator, quia supremus Dominus, quia ultimus omnium finis: ergo ad ea Deus remuneranda minimè tenetur, nec per ea jus sibi facit homo ad præmium, nisi divina promissio accedat. Ergo nulla sunt sine prævia Dei promissione merita. Cujus etiam signum est, quod ideo opera justorum in purgatorio existentium, & liberi Beatorum actus, quantumvis à charitate profecti, nihil tamen apud Deum merentur, quia licèt interno valore non careant, ea tamen ad præmium supremus Dominus non ordinavit.

Dices primò cum Vasque existimante quodlibet bonum opus à gratia proficiscens, & charitate informatum, esse eo ipso absque ulla Dei paciscentis conventione, vel sponsione æternæ vitæ meritorium: Meritum est proprietas honestatis, sicut demeritum proprietas iniquitatis: ergo actum bonum honestate supernaturali indivulse comitatur meritum præmii supernaturalis, sicut malitiam peccati

demeritum sequitur, seu meritum pœnæ, quæ peccanti absque ulla Dei pacifcentis ordinatione debetur.

Respondeo meritum, ut suprà dicebamus, esse honesti proprietatem, non absolutam, sed relativam, quæ non nisi positis omnibus conditionibus resultat, quæve una deficiente desinit; quia bonum ea integra causa, malum ea quocumque defectu. Una autem ex potissimis conditionibus ad merendum desideratis, est Dei pacifcentis ordinatio, sine qua nec Deus astringitur, nec immenso gloriæ pondere, beatæque vitæ, in qua cum Deo, & de Deo vivimus, ulla prorsus bona opera comparantur. An autem ad demeritum, vel potiùs ad meritum pœnæ Dei statuentis ordinatio desideretur, problema est; quia ex una parte peccata à damnatis quotidie patrata augmentum pœnæ non merentur, ut tradit D. Thomas 2.2.q. 13. art. 4. ad 2. non defectu malitiæ, quæ in inferis consummata est; sed defectu divinæ ordinationis, quæ nullum damnatorum scelenbus supplicium præfinivit. Ex alia verò parte, cùm peccator honorem alterius peccando lædat, dum suo nimirum ingenio indulget, offendentis mulctæ per se supponitur, donec violatum honorem resarciverit. Quod verò de quotidianis damnatorum peccatis pœnas Deus non sumat, nihil inde contra hoc efficitur; tum, quia excessu bonitatis, non toto rigore cum illis agit, qui sicut ultra condignum munerare solet, ita citra condignum castigate. Tum quia non videtur sufficiens ad demerendum in damnatis libertas, qui à gratia deserti, & pœnarum gravitate oppressi non tam peccatum eligunt, quàm extorquente desperati animi calamitate feruntur, & quà datâ portâ ruunt. Unde huic secundæ sententiæ subscribimus.

Dices secundò cum Mateo Serra & Baptista Goneto eastimantibus Dei ordinantis pactum vel promissionem extrinsecam non esse ad completam meriti rationem necessariam, sed sufficere intrinsecam Dei ordinationem in collatione gratiæ per modum principij meriti inclusam, & veluti imbibitam. Deus hoc ipso quod dat gratiam ut principium meriti, sufficienter ad bona nostra opera muneranda tenetur obligatione, quâ sibi fit debitor; quia enim gratiam liberè largitus est, liberè perseverantiam donat: aliunde verò non ita gratiam diffundit, quin onerosam laborandi, patiendique conditionem imponat. Ergo ad meritum non est absolutè necessaria extrinseca Dei pacifcentis promissio; sed sicut motus, & via sponte sua ad terminum tendunt, sicut medium per se ad finem manuducit; ita bonum opus à gratia proficiscens ex principiis intrinsecis, & absque ulla ordinatione gloriam per modum præmij & respicit, & meretur. Et ita docere videtur D. Thomas art. r.dum ait: *Meritum hominis apud Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis; ita scilicet, ut id homo consequatur à Deo per suam operationem quasi mercedem, ad quod Deus ei virtutem operandi deputavit.* Quibus verbis, ut Gonetus interpretatur, non aliam ad meritum ordinationem S. Doctor requirit, quàm quæ in collatione gratiæ, quæ est virtus supernaturaliter operandi, includitur.

Respondeo hanc sententiam à Vasquesij confutata assertione non nisi verbo tenus differre;nec aliis argumentis fulcitur, quàm quibus peræquè Vasquesij præfata doctrina stabilitur, ut consideranti per se patet. Nam vel adversarii per intrinsecam ordinationem in voluntate conferendæ gratiæ per modum principij meriti inclusæ, intelligunt promissionem præmij in collatione gratiæ in actu exercito semper includi, nec ab ea posse divelli; quia qui confert principium meriti, quæ gratia est, tacitè etiam, & implicitè præmium spondet omnibus operibus à principio illo profectis: vel intelligunt Deum conferendo gratiam justo, simul in actu signato, explicitè, & expressè decernere gratiam ut principium meriti conferre, operibusque ab ea profectis se obligare præmium justa distributione impartiri. Si primum dicant, in metam Vasquis sententiam prolabuntur, affirmantis in voluntate conferendæ gratiæ non posse non includi promissionem præmij, quia qui vult dare merendi principium, sese ad opera ex illo principio procedentia muneranda alligat, sitque sibi debitor obligatione è propria & libera voluntate, quâ gratiam gratis dedit, enata. Si secundum astruant, nostram sententiam confirmant, quæ meritum in nuda, & extrinseca Dei ordinatione nequaquam constituit, ut censuere Nominales solis titulis, solis nominibus, solis denominationibus extrinsecis contenti; sed utrumque exigit, & internam operis à gratia proficiscentis dignitatem, & externam Dei opus illud ad gloriam promerendam acceptantis sponsionem. Quia, ut sæpè diximus, non tenetur Deus opus illud munerare, quod sibi fexcentis alioquin titulis debitum est; nec ullum ei potest à creaturis obligationis jugum imponi, qui suâ solùm voluntate movetur, suâ solùm bonitate cietur, suâ solùm promissione astringitur, qui fidelis est in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, quive negare seipsum non potest.

Ad argumenta facta penè responsum manet. In collatione quippe gratiæ non essentialiter includitur voluntas opera munerandi, quæ à gratia prodeunt; nam nec opera justorum piacularibus ignibus purgatorum, nec Beatorum actus quidquam apud Deum merentur, tametsi à gratia, & à charitate efficiantur. Ergo præter opera quàmlibet laboriosa, præter passiones amore Dei toleratas, Dei requiritur pactum, sine quo nullum merendi jus nanciscimur, sed juxta Salvatoris mandatum, *Luc.* 17. indictum, cum fecerimus omnia quæ præcepta sunt nobis, humiliter, & verè dicimus: Servi inutiles sumus. Exempla autem viæ, & medij magis favent Vasquesio quàm adversariis; unde dicendum, illis non assimilari gratiam in ordine ad meritum, nisi supposita Dei ordinatione.

Ad authoritatem Sancti Thomæ respondeo, identidem excidere, qua ratione illâ possint uti adversum nos adversarij, cùm tam significanter eò loci dicat Sanctus Doctor: *Meritum hominis ad Deum esse non potest, nisi secundum præsuppositionem divinæ ordinationis.* Unde cùm subdit Sanctus Thomas, hominem eam consequi mercedem, ad quam Deus ei virtutem operandi deputavit, verissimum est; sed præsuppositâ semper divinâ ordinatione. Nec obest, si instes cum eodem Goneto, S. Præceptorem post verba relata subjungere: *Sicut res naturalis hoc consequitur per suos proprios motus & operationes, ad quod à Deo est ordinata.* Unde sicut res naturales moventur ad suos fines per collationem virtutum activarum absque ulla extrinseca ordinatione: ita justus per gratiam movetur ad finem supernaturalem, & per bona opera illum meretur. Non obest, inquam: tum quia nimis probat hæc instantia; si quid enim efficit, suadet nullam prorsus exigi Dei promittentis conventionem; & sententiam Vasquis, quàm rejicit Gonetus, astruit. Dicendum itaque, velle solùm Divum Thomam, quod sicut Deus rebus omnibus virtutes indit, quibus in finem moveantur, ad eumque tandem perveniant, ita etiam creaturis

ratio-

creaturis rationalibus gratias infundit, quibus ad Deum ferantur, ad ejusque fruitionem aspirent, & ad hoc duntaxat significandum eam comparationem adhibuit: ut verò illam mereantur, requiritur insuper divina promissio, sine qua propensionem quidem ad beatitudinem haberet, sed jus nullum habent, quia ut ad 3. ejusdem articuli ait idem S. Thomas: *Deus non efficitur simpliciter debitor nobis, sed sibi ipsi, in quantum debitum suum est, ut sua ordinatio impleatur.* Justus igitur per bona opera in Deum tendit, quia gratia est fons aquæ salientis in vitam æternam; sed eam non meretur nisi Deus promittat retributionem, quia meritum jus includit; jus autem homo non habet, nisi Deus præmium reddere teneatur; non tenetur autem Deus seclusâ promissione illud munerare, quod innumeris titulis quit exigere.

Quæri hìc assolet, utrum Deus præmia meritis retribuat ea strictâ justitia commutativa, aut distributiva; an verò ea fidelitate, & gratitudine. Verùm huic quæstioni satis, superque satisfactum manet ex iis, quæ primo Theologiæ libro de divina just tia dicta sunt, ubi fusè satis monstratum est, justitiam commutativam, utpote ab imperfectione inseparabilem, repugnare Deo, secus verò justitiam distributivam: unde ne tradita repetamus, ad hunc te locum, Lector remittimus, ut pernoscas quid in hacce controversia dicendum sit; piget enim cocta recoquere, versata teversare, ut aliqua pars laboris, & tædij minuatur mihi & tibi. Nonnulla tamen annotare operæpretium visum est, quibus nisi fallit me animus, haud parum lucis his, quæ olim dicta sunt accesserit.

Observato ergo primùm, Deum merita Sanctorum ex justitia munerare; ita enim confidebat divinus Apostolus 2. Timoth. 4. *Reposita est mihi*, inquiebat, *corona justitiis, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Non foret autem corona justitiæ, nisi Deus ea justitia redderet præmium, qui purâ misericordiâ largitus est gratiam. Quanvis enim supremus Dominus nulli sit debitor, nulli obligatus, suâ tamen promissione astringitur, jusque nobis dat apud se, non aliquid à nobis nun accepturus, sed quod promiserit impleturus. *Illo ergo modo*, inquit August. serm. 16. de verb. Apost. *possumus exigere Dominum nostrum, ut dicamus: Redde quod promisisti, quia fecimus quod jussisti.* Grandis planè, & prorsus suavis servi in lege Dei ambulantis fiducia & incredibile solatium, sibi debitum flagitare posse præmium, & jam debitum exigere quod merita excedit, & vota: *Ut antè susciperet gratiam*, ait idem August. *tract.* 3. *in Ioan.* præfata Pauli verba ponderans, *misericordem Patrem opus habebat; ut præmium gratiæ, justum judicem.* Gratis quidem nos Deus prævenit in benedictionibus dulcedinis; præventos gratis adjuvat, ut bene agant; adjutos gratis firmat, ut ne deficiant: post certamen tamen, cursumque coronam justitiæ reponit, quia ut ait Concilium Arausicanum II. cap. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia quæ non debetur, præcedit ut fiant. Datur unicuique gratia sine merito*, addit S. Prosper lib. 2. de vocat. gent. cap. 2. *unde tendat ad meritum; datur ante ullum laborem, unde quisque mercedem accipiat secundum suum laborem.* Nec propterea hæc justitia gratiam evacuat, quia eatenus Deus ex justitia munerat, quatenus ipse sibi sua promissione opera bona munerandi debitum imposuit: unde *Deus non efficitur simpliciter debitor nobis*, inquit S. Thomas art. 1. ad 3. *sed sibi ipsi, in quantum debitum est, ut sua ordinatio impleatur.* Atque adeò vera semper est Augustini maxima: *Deus dum coronat merita nostra, coronat & dona sua.* Vera itidem Tridentini. *sess.* 6. *cap.* 16. sententia: *Tanta est erga omnes homines bonitas Dei, ut eorum velit esse merita quæ sunt ipsius bona.*

Observato rursum, quod cùm Deus strictæ obligationis sit incapax, non potest præmia ex justitia commutativa retribuere, ut alibi demonstravimus: restat igitur, ut ex justitia distributiva præmia largiatur. Decet enim supremum gubernatorem Deum unicuique juxta meritorum proportionem ex ordinatione suæ sapientiæ, fidelitate promissionis, abundantia bonitatis præmia dispensare. Nec propterea fit nobis debitor, sed sibi, quatenus debitum est, ut suam ipse ordinationem impleat, qui eam liberrimè præfinivit.

Septima conditio: Influxus sin actualis, certè virtualis charitatis.

Hanc conditionem inficiantur Vasques & Suares: ille solâ habitus charitatis concomitantiâ contentus volt opus quodcumque bonum & à quavis virtute etiam acquisita elicitum esse vitæ æternæ meritorium, modò opus ab eo, qui est in gratia, fiat, etsi non ab ipsa gratia procedat; iste verò licet actibus virtutum acquisitarum vim promerendi vitam æternam absque influxu aliquo charitatis non concedat, totis tamen viribus contendit actus virtutum infusarum ab homine grato elicitos præmium supernaturale beatitudinis essentialis absque ullo sive actuali, sive virtuali charitatis influxu de condigno promereri. Nostram tamen sententiam Scriptura, Patres, & post illos S. Thomas non tam docent quàm supponunt, utpote ipsis communissimis christianæ pietatis notionibus prorsus consentaneam.

Etenim quid in Scripturis inculcatius, quàm ut omnia proptes Deum, omnia in nomine Domini, omnia propter gloriam Dei operemur, ut terò nimirum moneamur uni amori, vel certè operibus ex amore Dei elicitis meritum convenire, & præmium respondere. Hinc Apostolus 1. Cor. 10. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Observat etiam doctus Estius, quod cùm Apostolus 1. *Cor.* 13. dicit nihil prodesse homini, si charitatis expers omnia distribuat in pauperes, & corpus flammis tradat; loquitur de eo qui opera illa non ex amore Dei facit: quod ex eo patet, quod Apostolus ea charitatis encomia profert, ut Corinthios factionibus fessos ad Dei, & mutui amoris officia cohortetur; nec charitatem commeodat ea ex eo quod faciat filios Dei & hæredes regni; sed quia benigna & patiens omnia suffert, omnia credit, &c. ubi loquitur planè de charitate actuali.

Hinc veritas oculi simplicitatem, id est puri cordis Deum purè quærentis sinceram, & castam intentionem desiderat, Matth. 6. & Luc. 11. *Lucerna corporis tui est oculus tuus; si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus lucidum erit; si autem oculus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Ergo sicut sine casti cordis dilectione nihil prodest; ita diligenti, & propter Deum quodcumque, quâmlibet specie exile & leve operanti, nihil non prodest, quia etiam *quisquis potum dederit calicem aquæ in nomine meo, non perdet mercedem suam*, ut dicitur *Marci* 9. Hinc dilectioni, vel actionibus, aut passionibus ex amore proficiscentibus respondere præmium essentiale testantur Paulus & Jacobus. Ille 1. Cor. 2. *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ preparavit Deus iis, qui diligunt illum.* Iste verò cap. 1. suæ epistolæ Catholicæ: *Beatus vir qui suffert tentationem, quoniam*

niam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se.

Id ipsum docent Patres. *Mandatum*, inquit Augustinus lib. de spiritu & lit. cap. 14. *servari non potest, nisi fiat ex amore justitiæ: non enim fructus est bonus, qui de charitatis radice non surgit.* Ad quod firmandum illud Apostoli *Galat.* 5. profert: *In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.* Hac de causa mensuram christianæ justitiæ unam esse charitatem tradit idem Doctor sanctissimus *lib. de nat. & grat. cap.* 42. & *cap. ultimo*, his verbis: *Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia. Charitas inchoata, inchoata justitia est; charitas provecta, provecta justitia est; charitas perfecta, perfecta justitia est.* Sanè sicut nullum est, vel esse potest sine justitia meritum, nullum erit sine charitate opus præmii essentialis meritorium, cùm christiana justitia tota ex charitate pendeat, & à charitate ipsa christianæ justitiæ rationem sortiatur. Succinit Bernardus serm. 27. in Cant. *Quantitas cujuscumque animæ æstimetur de mensura charitatis, quam habet, ut verbi gratiâ quæ multùm habet charitatis, magna sit; quæ parùm, parva; quæ verò nihil, nihil: dicente Apostolo, si charitatem non habuero, nihil sum.* Si nihil æstimandum est, nisi de mensura charitatis, quid erit opus quàmlibet conspicuum à charitate nec formaliter, nec virtualiter imperatum? Nihil profectò erit, quia nihil de charitate habebit. Hinc Magnus Leo *serm.* 7. *Quadragesimæ*, expendens illud Veritatis oraculum *Matth.* 25. relatum: *Quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis*, sic habet: *Quid hoc opere fructuosius? Quid hac humanitate felicius? quæ utique laude sua fraudanda non esset, si propter ipsam naturæ communicationem juvando homini ab homine præberetur: sed quia quod non ex fidei procedit fonte ad præmia æterna non pervenit, alia est conditio operum cœlestium, alia terrenorum.* Ubi S. Pontifex ad opus cœleste, id est præmii cœlestis meritorium, exigit ut de fidei fonte procedat; fidei, inquam, non informis, & mortuæ, sed vivæ & per dilectionem operantis; nam ut ait idem S. Pater serm. 5. de jejunio 7. mensis, cap. 3. *Duo amores sunt, ex quibus duæ prodeunt voluntates, ita diversi qualitatibus, sicut dividuntur auctoribus. Rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi: in dilectione Dei nulla nimia; in amore mundi cuncta sunt noxia: & ideo æternis bonis inseparabiliter inhærendum, temporalibus verò transeunter utendum est; ut peregrinantibus nobis, & ad patriam redire properantibus, quidquid de prosperitatibus mundi hujus occurrerit, viaticum sit itineris, non illecebra mansionis.*

Ratio fundamentalis hujus veritatis ex his quæ circa quartam conditionem dicta sunt, liquidò consequitur. Fatentur omnes, opus nequaquam esse posse meritorium, nisi in obsequium remunerantis cedat; neque enim ab aliquo præmium operis exigere jure, sed ne quidem honestè possumus, cui factum opus non servit, nec ei saltem in eo efficiendo placere concupivimus. Quo, v.g. ne dicam jure, sed qua fronte servus à domino stipendium peteret & mercedem, qui nec domino laboravit, nec laborare unquam conatus est, nec conari voluit, aut cogitavit? Atqui non fit in obsequium Dei, quod in Deum non refertur; nec in Deum quidquam refertur sine imperio formali vel virtuali charitatis, quæ sola Deũ quærit, sola Deo placere appetit, sola Deo nos unit, sola ultimum humani cordis finem respicit. Et sanè quomodo potest dici opus in obsequium Dei cedere, quod propter Deum factum non est? quomodo verò propter Deum fieri quidquam sine charitate valet? Ergo sine influxu vel formali, vel certè virtuali charitatis nullum opus potest esse meritorium præmii essentialis, nec Deus inveniet unquam dignos se, qui non operantur propter se. *Vita æterna in Dei fruitione consistit; motus autem humanæ mentis ad fruitionem divini boni est proprius actus charitatis, per quem omnes actus aliarum virtutum ordinantur in hunc finem, secundùm quod aliæ virtutes imperantur à charitate. Et ideo meritum vitæ æternæ primariò pertinet ad charitatem, ad alias autem virtutes secundariò, secundùm quod earum actus à charitate imperantur*, inquit D. Thomas *quæst.* 114. *art.* 4. Et ut significaret S. Doctor se non modò de actibus virtutum acquisitarum, sed etiam de actibus virtutum infusarum sermonem habere, subjungit responsione ad 3. *Fidei actus non est meritorius, nisi fides per dilectionem operetur, ut dicitur ad Galat.* 5. *Similiter etiam actus patientiæ & fortitudinis non est meritorius, nisi aliquis ex charitate hæc operetur, secundùm illud* 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

Idem docet, variisque rationibus illustrat S. Doctor sexcentis aliis locis brevitatis ergo prætermittendis, in quibus etiam observat, quod ut aliquod opus referatur in Deum, non sufficit ordinatio habitualis, seu concomitantia operis cum habitu charitatis; tum quia ex hoc, quod est in habitu, nullus meretur; sed ex eo quod est, vel fuit in actu: tum quia alioquin venialia hominis justi peccata essent meritoria, utpote cum habitu charitatis sociata. Sicut autem ad meritum non sufficit ordinatio habitualis, ita non semper exigitur actualis, quæ non solùm hujus vitæ excedit facultatem, sed operi elaborando impedimento foret, *ut patet in exemplo, quod Avicenna ponit de artifice, qui si dum opus suum exercet, semper de regula artis cogitaret, multùm impediretur*, inquit D. Thomas *in* 2. *dist.* 38. *quæst.* 1. *ad* 4. Sufficit ergo, & requiritur ordinatio & influxus virtualis, qui virtute præcedentis intentionis perseverat. Et ad hoc *oportet*, inquit ibidem D. Thomas, *quod priùs fuerit cogitatio de fine, & quod ratio actiones sequentes in hunc finem ordinaverit; ita quod rectitudo illius ordinationis in actionibus salvetur.*

Omnes objectiones absque negotio occupabis, depellesque, si præ oculis habeas, nihil esse Deo, qui est præmium nostrum, dignum, nisi quod fit propter Deum. Etsi enim Scripturæ & Patres bonorum operum fructum à nobis exigant, etsi ad pios actus frequentandos hortentur, illisve præmia polliceantur magna nimis; etsi, ut monet Tridentinum sess. 6. cap. 16. *justificatis hominibus proponenda sint Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino*; etsi denique quibuslibet bonis operibus in sacris literis usque adeò tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Christus eum non esse sua mercede cariturum; attamen nisi opera in Deo fiant, nisi virtutes Deo serviant in hominibus, nisi mandata serventur ex amore justitiæ, dormient somnum suum viri divitiarum, nihilque invenient in manibus suis, quia Deus non quantùm attendit, sed ex quanto; nec tam censum æstimat, quàm affectum; nec pretium dati, sed affectus dantium facit opus dignum mercede. Subauditur ergo semper illa conditio, dum bona opera inculcantur, præcipiuntur, commendantur; quia reapse nec bona sunt, nisi respiciant summum, & æternum bonum.

Advertendum

Advertendum rursus, quod quia homo justus ex præcepto charitatis in actus amoris Dei identidem prorumpere tenetur & solet, quia ut alibi ex S. Thoma dictum est, præcepta non de habitibus, sed de actibus tradita sunt; ideo per iteratos illos synceri cordis affectus sanctificantur virtutum acquisitarum actus, quia officia per se honesta virtute in Deum refert, qui se Deo frequentatis amoris ardoribus, & ut loquitur Augustinus, sagittis acutis totum, & ex toto corde devovit. Hac de causa veridicè scripsit S. Doctor quæst. 2. de malo, art. 5. ad 7. *Habentibus charitatem omnis actus est meritorius, vel demeritorius*; quia si vitiosus est, vel alicujus circumstantiæ pravitate sordens, utique demeritorius est; si verò per se honestus sit, virtute præcedentis & repetitæ identidem intentionis ad Deum fertur, qui alunde suapte natura in Deum ferri natus est, & sponte proclivis, expectatque charitatis imperium, non secus ac paralyticus motum Angeli, & hominis impulsum in piscinam, *Ioan.* 5. præstolabatur. Videsis quæ superiùs de præcepto charitatis, dum de gratiæ ad singulos actus necessitate disputabamus, disseruimus, huic, ni me meus fallat animus, instituto non parum opportuna. Accedit, non dixisse D. Thomam, omnem actum in justo esse meritorium, vel demeritorium; meritorium, inquam, præmii essentialis: sufficit enim ex propria ratione actus virtutis infusæ, ut sit meritorius præmii accidentalis; præmium enim essentiale soli charitati per se respondet, aliis verò quatenus duntaxat ex charitatis radice formaliter, vel virtualiter surgunt. Neque enim numerositas operum, ut alicubi ex S. Augustino aiebat B. Vincentius Ferrerius, nec diuturnitas temporum, sed major charitas, majorque voluntas auget præmium, nimirum essentiale. Idem docet Hieronymus exponens parabolam talentorum: *Et illum*, inquit, *qui de quinque talentis decem fecerat, & qui de duobus quatuor, simili Dominus recepit gaudio, non considerans lucri magnitudinem, sed studii voluntatem*. Quod breviùs expressit Salvianus lib. 1. ad Ecclesiam Catholicam: *Oblata Deo, non pretio, sed affectu placent*. Relege olim dicta de commendatione vitæ interioris, necnon quæ de charitate, ejusque augmento fusè tradidimus.

Reflexio.

Si soli amori respondet præmium, quia convenit meritum, quid nunc agis, Lector? quid tempus teris, quod in amando Deo non impendis? Cedò, num Deus meretur amari, nuncubi Dei benignitatem sensisti in te claudi? Nunquid non te prior dilexit tantus & tantum, & gratis tantillum & talem? Ergo qui tenes Deum tuum vitæ tuæ non solùm gratuitum largitorem, largissimum administratorem, pium consolatorem, solicitum gubernatorem, sed insuper etiam copiosissimum Redemptorem, æternum conservatorem, ditatorem, glorificatorem, ob hæc beneficia abs te contemnitur, & huc nunc denique redeunt facta tua: Deus excluditur, mundus recipitur, præponitur creatura Creatori.

Si Deum non diligis merito suo, cur non diligis commodo tuo? Non enim sine præmio diligitur Deus, si tamen absque præmii intuitu castissimè diligatur. Charitas enim etsi, quia non quærit quæ sua sunt, mercenaria non sit, mercedis tamen vacua esse non potest, cui uni respondet tota merces, & eo major merces, quo citra mercedis spem diligimus. Itaque ad amorem illum suspiremus, qui per se sufficit, per se placet & propter se; ipse meritum, ipse præmium sibi est amor; præter se non requirit causam, non fructum; fructus ejus usus ejus: amat quia amat; amat ut amet. Quàm mellitè Bernardus serm. 83. in Cant. *Suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur. Infirmus est, qui fortè spe subtracta aut extinguitur, aut minuitur. Impurus est, qui & aliud cupit. Purus amor mercenarius non est. Purus amor de spe vires non sumit, nec tamen diffidentiæ damna sentit* .... *Esto quod honor Regis judicium diligat, sed sponsi amor, imò sponsus amor solam amoris vicem requirit, & fidem. Liceat proinde redamare dilectam. Quidni amet sponsa, & sponsa amoris? Quidni ametur amor? Meritò cunctis renuntians affectionibus aliis, soli & tota incumbit amori, qua ipsi respondere amori habet in redhibendo amore. Nam & cùm se totam effuderit in amorem, quantum est hoc ad illius fontis perenne profluvium?*

Hæc cùm ita sint, cum mundo præsens fac mente absens ut sis, à Deo ne absis; & si impuri Poëtæ verbis purè uti licet, dies, noctesque ames Deum, Deum desideres, Deum somnies, Deum expectes, de Deo cogites, Deum speres, Deo te oblectes, cum Deo totus sis; Dei fac sis postremò animus & cor, quando tu es Dei; illiusque amoris amore vive, qui amore amoris tui dignatus est mori.

Speculatio III.

Iusti de condigno vitam æternam promerentur: hinc ea quæ sub meritum cadunt, vel cadere possunt, ordine derivantur & recensentur.

SUpponenda est vulgaris, tritaque distinctio meriti; aliud namque dicitur meritum de condigno, quod cum præmio coæquationem per se habet, illudque jure exigit, nec potest cum justitia denegari; justitia, inquam, vel stricta & commutativa, ut contingit in humanis; vel distributiva, quæ Deo citra obligationis onus convenit, uni Dei promissioni, uni ejusdem fidelitati innixa. Alterum appellarunt meritum de congruo, quod nullam habet cum præmio æqualitatem, nullum mercedis exigendæ jus, sed convenientem duntaxat congruentiam & decentiam. Sic, ut alibi dicemus, veteres Patres jugibus precibus, suspiriis, & lacrymis incarnati Verbi immensum donum, & omnibus meritis justorum & votis immensùm antecellens de condigno utique non merebantur; tot tamen, tamque fervidis orationum instantiis flecti Deum misericordiarum contendebat, quia amicum exaudiri ab amico decorum est, & Deo præsertim fonti bonitatis convenientissimum. Hoc prælibato, quid actibus meritoriis consequi possimus, sigillatim sequentibus documentis exponemus.

Certum est itaque primò, hominem justum actibus christianis spiritu charitatis elicitis verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, uti definivit sacra Tridentina Synodus *sess. 6. can.* 32. Etsi enim opera justi, ut à libero arbitrio procedunt, præmii immensitatem non exæquent, eadem tamen opera, prout per Dei gratiam & meritum JESU-CHRISTI, cujus justus vivum membrum est, fiunt, digna sunt quæ præmium à Deo promissum de condigno, id est servata proportione, & æqualitate consequantur. Hoc enim ipso, quod à gratia & Spiritus sancti permoventis impulsu procedunt, per se ducunt ad gloriam cujus gratia semen est,

habens proinde cum fructu virtutis & proportionis æqualitatem. Nam quæ quis seminat, hæc & metet. *Gratia Spiritus sancti, quam in præsenti habemus*, inquit S. Thomas quæst. 114. art. 3. ad 3. *Etsi non sit æqualis gloria in actu, est tamen æqualis in virtute, sicut semen arborum, in quo est virtus ad totam arborem.* Hac de causa gratia dicitur Joan. 4. *Fons aquæ salientis in vitam æternam.* Salit autem per bona opera, quibus in Deum jugiter fertur. Appellatur etiam *pignus hæreditatis nostræ*, quia non minùs valet in ratione meriti, quàm hæreditas in ratione præmii, cùm utraque sit ordinis supernaturalis; una sit motus, altera quies; prima viæ, secunda terminus; illa medium, ista finis, non consumptionis, sed consummationis.

Dices cum Scoto affirmante, nullum actum bonum ex propriis, sibique intrinsecis vitam æternam de condigno promereri. Ad meritum requiritur gratuita Dei acceptatio, & liberalis divinæ voluntatis ordinatio; unde ut suprà dicebamus, eatenus Deus ex justitia præmium retribuit, quatenus æquum est, ut sua promissio impleatur. Ergo nulla est interna in operibus sanctis præmii essentialis condignitas, nullus valor æqualis, & ut loquitur Apostolus Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.*

Respondeo, ad meritum quidem quodcumque necessariò desiderari Dei ordinantis pactum, promissionem, & acceptationem; cæterùm æterna promissio internum supponit obsequii valorem, sicut pœnæ comminatio facinoris supplicio digni iniquitatem præsupponit. Itaque neque opera sine Dei acceptatione quidquam merentur, neque Deus nisi quæ digna sunt, opera acceptat, & supposita ordinatione non acceptare nequit, qui seipsum negare non potest. Et sic semper verum est, Deum nos *coronare in misericordia & miserationibus*, ut dicitur *Psalm.* 102., Verum itidem, Deum dare *gratiam pro gratia*, ut dicitur *Joan.* 1. & *Gratiam Dei esse vitam æternam*, ut habetur *Rom.* 6. Quia quod præmium Deus spoponderit, quod nobiscum pacisci dignatus sit, quod seipsum nostrum voluerit constituere debitorem, dignatio est dignationum, quam ut loquitur Bernardus, expressit amor dignitatis nescius, dignatione dives, de Deoque triumphans. Veridicè ergo scripsit Apostolus, non esse condignas passiones temporis ad futuram gloriam; tum quia gloria immensùm superat opera, prout à libero arbitrio nudè sumpto procedunt; sicut filius Regis primogenitus ex ignobili muliere in uxorem Regis assumpta natus, sceptro & corona prout à matre oriundus prorsus indignus est; quatenus tamen à regia stirpe natus, dignissimus est qui ad fastigium regale proveharur. Tum etiam, quia non comparat Apostolus merita gratiæ cum præmio, sed tempus passionis cum æternitate felicitatis, ut certantes fideles soletur, quasi dicat: quantaquanta sit tribulatio, quâ premimur, conferri tamen cum æternitate solatii quod speramus nequaquam potest; pœna enim, quæ guttatim per minutias transiens bibitur, sin nihil, certè parum est torrenti voluptatis æternæ, fonti vitæ, fluminis impetui, fluvio pacis, mari lætitiæ sempiternæ comparata. *Quod momentaneum est, & leve tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus operatur in nobis*, 2. Cor. 4.

Instabis: Illud non meremur de condigno, quod potest Deus sine injustitia denegare; denegare enim dignis id quo digni sunt, æquitas non sinit. Atqui Deus justis potest gloriam æternam sine injustitia denegare; illud namque sine alicujus injuria denegatur, quod merâ misericordiâ donatur; Sancti autem cum Propheta Regio misericordias Domini in æternum cantabunt, dicetque unusquisque: *Salvum me fecit, quoniam voluit me.* Ergo justi operibus sanctis vitam æternam de condigno non merentur.

Respondeo, Deum absolutè posse præmium bonis operibus denegare, qui ea poterat authoritate supremi Domini jure exigere; sed supposito pacto nobiscum inito, præmium ex justitia largitur, quia ut ait Augustinus lib. 3. cont. Jul. cap. 3. *Deus ipse, quod absit, non erit justus, si ad ejus regnum verus non admittitur justus.* Idque indigitat Apost. Hebr. 6. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.* Unde vita æterna Sanctis collata opus est misericordiæ, & unà effectus justitiæ; opus quidem misericordiæ, quia ex gratuita prædestinatione proficiscitur, & quia gratia sanctificans, quæ vitæ æternæ semen est, misericorditer datur. Est verò effectus justitiæ, quia condignis pietatis operibus ex Dei promissione tribuitur; & ideo à Patribus invenitur quandoque dictum, bonis operibus regnum cœlorum emi, paradisum venalem esse, cum labore requiem, cum paupertate regnum, cum dolore gaudium, cum utilitate gloriam, cum morte vitam commutari. Hinc Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 24. *Omnes qui viam Evangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes.* Itaque sicut in aliis operibus, ita in glorificatione Sanctorum verum esse probatur illud Psalmographi Psalm. 24. *Universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Illud etiam S. Leonis serm. 1. de jejun. 10. mensis: *In operibus Dei atque judiciis nihil vacat à veritate justitia, nihil à miseratione clementia.*

Insistes: Nihil pervulgatius, quàm Deum ultra condignum justorum operibus præmia rependere, & è contra iniquorum flagitia citra condignum castigare: Sed præmium, quod est ultra condignum, non cadit sub meritum de condigno: Ergo justi non merentur præmium cœleste de condigno.

Respondeo Deum ultra condignum duplici ratione munerare, tum quia ultra dignitatem actus seorsim spectati, ut à voluntate procedit, præmia largitur; tum quia probabilissimum est Deum Beatis gradum aliquem gloriæ gradus charitatis viæ excedentem pro sua infinita liberalitate impertiri, idque indicat Salvator Luc. 6. *Mensuram bonam, & confertam, & coagitatam, & superfluentem dabunt in sinum vestrum.* Id ipsum indigitat Hieronymus lib. 2. super Ezechielem: *In sanctis Deus excedit modum clementiæ.* Sed cum his stat justos gradus gloriæ gradibus gratiæ correspondentes de condigno promereri.

An verò Deus peccatores citra condignum puniat, inficiantur nonnulli, quos sequitur Sylvius: tum quia Apocal. 18. dicitur: *Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Tum quia *Matth.* 5. reus in carcerem mittitur, ibi puniendus, nec inde exiturus, *donec reddat novissimum quadrantem.* Tum quia Jacobi 2. dicitur, *Judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam*; id est, ita Deum immisericors, corde durus, & mente occallens in judicio semper severum, ut quemadmodum nullam ipse misericordiam in proximum fudit, ita nullam à Deo claudente viscera sua experietur. Tum quia non remittitur pœna, nisi tollatur & culpa: in inferis autem, ubi nulla remissio, nihil prorsus de pœna tollitur; nihil ergo de pœna donatur. Tum denique, quia omnis remissio pœnæ

Et

sit per meritum Christi; meritum autem Christi in damnatos nequaquam protenditur, ut in materia de incarnatione ostendi solet. Ergo nullam pœnam damnatis Deus remittit.

Oppositum tamen docet S. Thomas 1. p. q. 21. art. 4. ad 1. his verbis: *In damnatione reproborum apparet misericordia, non quidem totaliter relaxans, sed aliqualiter allevians, dum punit citra condignum.* Et certè id videtur exigere circumstantia illa generalis, omnia Dei opera concomitans, justitiæ scilicet, & misericordiæ indivisa & indivulsa manifestatio. Dicitur etiam Psal. 76. & Psal. 144. *Deum non continere in ira sua misericordias suas: Suavem esse Dominum universis, & miserationes ejus super omnia opera ejus.* Et sanè non videtur peccatum de condigno posse puniri; malitia enim ejus infinita, nullâ quit pœnâ fioitâ condignè plecti.

Ad auctoritates oppositas dicendum in primis, loca Scripturæ juxta præfinitam à Deo pœnam intelligenda fore, quæ tanta infligetur, quantum in deliciis peccator fuit, quia luxuriæ fluxui, & intensioni determinata Deus tormenta præscripsit, sed absolutè citra condignum; præscriptam tamen pœnam usque ad ultimum quadrantem, & sine misericordia luent, qui nulla misericordia in proximum permoti sunt.

Ad rationum momenta subjuncta dico, nullam in inferis contingere remissionem, quia præscriptam sine remissione pœnam subeunt, qui suppliciis illis addicti sunt. Quod autem in præscribenda pœna Deus misericors citra condignum punire non decreverit, non probat argumentum primum à rat one petitum: nec etiam secundum, quia eùm fateamur nullam pœnæ remissionem damnatis contingere, sed præfinitam sine remissione subire, non meritis Christi citra condignum puniuntur, quia à semel imposita pœna nunquam liberantur, sed unâ elementiâ Creatoris, in cujus omnibus & singulis operibus misericordia & veritas obviaverunt sibi; justitia, & pax se osculatæ sunt.

Persistes adhuc: Si ideo actus justi gloriam de condigno merentur, quia sunt ejusdem ordinis, & intensionis cum gloria, dici etiam poterit, actus charitatis & pœnitentiæ justificationem prioritate naturæ præcedentes primam gratiam sanctificantem promereri; actus enim illi, & verè supernaturales sunt, ad justificationis formam physicè disponentes, & à Spiritu sancto vero meritorum authore procedunt, & proportionem habent cum gratia, cujus quantitas eorum fervori respondet. Atqui his non obstantibus, actus illi quamlibet sancti & fervidi, primam gratiam non merentur, saltèm de condigno, ut cum D. Thoma quæst. 114. art. 5. docent omnes Theologi. Ergo justi operibus sanctis gloriam de condigno non merentur.

Respondeo constantissimum esse, hominem quibuslibet operibus primam gratiam, sive actualem, sive habitualem non posse mereri; non quidem actualem, ut contra Pelagianos toties definitum est, & declarat Tridentinum *sess. 6. c. 5.* ubi docet, *justificationis exordium in adultis à Deo per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, hoc est, ab ejus vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis vocantur.* Non possunt etiam justi primam gratiam habitualem promereri, quia gratia habitualis una est meriti origo, quia sola personam reddit acceptam, & Deo gratam: principium autem meriti non potest cadere sub meritum, quia effectus causam efficientem antevertere non potest: ergo totus ille, & tam præclarus dispositionum apparatus gratiam justificantem promereri nullo modo potest. Unde Sancti dicuntur ad Rom. 5. *Justificati gratis per gratiam ipsius. Quia*, ut interpretatur Tridentinum *sess. 6. cap.* .. Apostolica illa verba ponderans, *nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, ipsam justificationem gratiam promeretur.* Hac de causa nihil apud Patres inculcatius, quàm dari unicuique sine merito unde tendat ad meritum; & nullo præcedente bono merito hominem accipere donum, quo medio acquirat & meritum. Sufficiat hoc unum & alterum Augustini, & Magni Gregorii testimonium. Ille enim *libro de grat. & lib. arb. cap. 6.* sic habet: *Cui redderet coronam justus Index, si non donasset gratiam misericors Pater?* Iste verò *lib. 18. Moral. cap. 22.* ait: *Hominis meritum divina gratia non ut veniat invenit, sed postquam venerit, facit; atque ad indignam mentem veniens Deus, dignam sibi exhibet veniendo, & facit in ea meritum quod remuneret.*

Ad argumentum ergo dicendum, dispositiones ad justificationem præparantes esse quidem supernaturales, esse item ex impulsu Spiritus sancti, sed non procedere à persona grata. Sanctitatem porrò personæ ad meritum exigi, suprà monstravimus, quia priùs ad Abel respexit Deus, & deinde ad munera ejus, ut loquitur Scriptura. Unde in illo priori naturæ, quo dispositiones gratiam antevertere intelliguntur, nondum quidquam merentur, sed ad gratiam, unde oritur meritum, per se præparant, ex cujus deinde societate & concomitantia meritum ipsæ hauriunt: non ergo ante illam, sed per illam, & cum illa quidpiam apud Deum merentur.

Obsistes præterea: Dispositiones ad gratiam præparantes merentur primam gloriam, id est gradum gloriæ gratiæ habituali primùm infusæ correspondentem; cùm enim adultis non conferatur gloria, nisi propter actus meritorios, gloriæ gradus primæ gratiæ correspondens supponit aliquem actum; nullus autem actus est, quem possit supponere, nisi pios illos motus justificationem præparantes, & comitantes: sed quod meretur gloriam essentialem, potest mereri gratiam: ergo actus justificationem antevertentes gratiam promerentur; vel si gratiam non merentur, gloriam de condigno mereri nequaquam possunt.

Respondeo actus ad justificationem præparantes mereri gloriam, non ut sunt dispositiones ad gratiam, sed prout gratiâ, ad quam disponunt, in eodem instanti reali informantur. Unde non sequitur, quod gratiam mereantur, sed quod à gratia vim merendi hauriant, à qua totam mutuantur dignitatem. Quare piis illis motibus, eorumque fervori respondet gradus gloriæ, non prout gratiam justificationis præcedunt, sed prout ab eadem gratia eodem momento perficiuntur. Unde perperam colligitur, vel gratiam cadere sub meritum, vel gloriam non posse cadere sub meritum de condigno. *Præparatio hominis ad gratiam habendam*, inquit D. Thomas quæst. 112. art. 2. ad 1. *est simul cum infusione gratiæ; & talis operatio est quidem meritoria, sed non gratiæ quæ jam habetur, sed gloriæ quæ nondum habetur.* Hinc infertur, probabilius esse dispositiones præfatas gratiam sanctificantem de congruo non mereri, quia meritum congrui amicitiam supponit, eique innititur; motus autem illi ab amico non proficiscuntur, quia in nostra sententia superiùs stabilita, non à gratia habituali, sed ab auxilio Dei moventis procedunt. Lato tamen modo dici potest, dispositiones prædictas gratiam sanctificantem congruè mereri, quia eam exigunt, ad eam per se ducunt, eamque impetrant.

Unde D.Thomas *in 2. dist. 27. quæst. 1. art.4.* docet hominem actibus illis *quodammodo ex congruo gratiam mereri.* Et indicat August. epist. 105. *Neque ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetrat; neque enim nullum est meritum fidei.*

Insurges demùm: Justus operibus quamlibet sanctis non potest de condigno mereri perseverantiam, ut expressè docet D. Thomas *quæst.*114. *articulo* 9. Ergo nec gloriam de condigno mereri potest. Probatur consequentia; tum quia gloria non habetur sine perseverantia; tum quia gloria essentialis perseverantiâ longè nobilior est, & præstantior: quomodo autem merebitur majus qui minus mereri non potest?

Respondeo certissimum esse, justum non posse perseverantiam quibuslibet operibus promereri, cùm justis sæpe denegetur, & quibuscumque datur, misericorditer detur; quibus autem non datur, ex justitia non detur, quandoque patente, quandoque latente. Unde aliunde haberi non potest, ut sacra Tridentina Synodus docet, nisi ab eo, qui potens est eum qui stat, statuere ut perseveranter stet; & eum qui cadit restituere. Sed de dono perseverantiæ fusè satis disputavimus.

Ad argumentum ergo dicendum, grande interesse discrimen gloriam inter, & perseverantiæ donum; quia ut profundè ait loco in objectione laudato S. Doctor, in merito præ oculis semper habendum est id, quod se habet ex parte principii, & id quod se habet ex parte termini. Potiò quod se tenet ex parte termini, utique sub meritum cadere potest, cùm sit bravium ad quod meritum tendit; & scopus in quem collineat laborantis spes & labor: at verò quod se tenet ex parte principii, sub meritum cadere minimè potest, quia est causa meriti, & causa effectum antecedat necesse est. Gloria autem meritorum terminus est, unde eam meritis consequi possumus, imò ad eam primò & per se feruntur opera meritoria; unde ea sub meritum cadit. Et eadem est ratio de augmento gratiæ, quia ut ait D. Thomas, motio moventis, & meritum merentis non solùm ad ultimum motus terminum, sed etiam ad totum progressum in motu se extendunt. Ergo & gloriam, & augmentum gratiæ justificantis per se merentur opera sanctitatis. Cæterùm auxilia divina, & donum proinde perseverantiæ ex parte principii omninò se tenent; tum quia voluntatem principium sanctorum operum movent; tum quia, uti benè Caietanus observat, donum perseverantiæ importat concursum auxiliorum & protectionis divinæ, quo gratia sanctificans primùm infusa conservatur: sicut ergo prima productio gratiæ non potest cadere sub meritum, ita nec ejusdem conservatio, quæ non novam actionem, sed primitivæ actionis perennitatem importat, nec cum prima gratia, quæ est omnis meriti fons, in numero ponit.

Quinque brevissima consectaria derivantur.

Ex hactenus dictis elicere potes primò, justum operibus sanctis verè, propriè & strictè mereri de condigno vitam æternam, actibus verò intensis gratiæ & gloriæ augmentum promereri. Quia ut diximus, hæc ex parte termini se tenent, ad quem tota meritorum sanctimonia, supposito Dei pacto, contendit.

Elicitur secundò, justum nec primam gratiam, nec auxilia ad non peccandum, nec perseverantiam in bono posse mereri. Quia hæc omnia, ut expositum est, ex parte principii meriti, quod cadere nequit sub meritum, se tenent.

Elicitur tertiò, purum hominem non posse alteri primam gratiam de condigno promereri: tum quia justus operibus suis non habet jus in alios, vel pro aliis; gratia enim sanctificans ad proprii duntaxat subjecti perfectionem ordinatur. Tum quia Deus nullibi id spopondisse invenitur. Tum quia eximium Christi privilegium est, & pro peccatis alienis copiosa redemptione satisfacere, & in alios ex meritorum plenitudine gratiarum fluenta corrivare. Quia justi membra sunt, Christus caput; illi accipiunt coronas, iste dat; de fortitudine illorum nascuntur exempla patientiæ, de fortitudine istius profluunt dona justitiæ; illorum mors pretiosa, istius occisio redemptio mundi. Impetrant quidem quandoque justi peccantibus gratiam, quia ut ait Jacobus cap. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini; multùm enim valet deprecatio justi assidua.* Exorant interdum, flectuntque divinam clementiam orationes, gemitusque Sanctorum. Nam & astantium fide permotus paralytico remissionem peccatorum Christus spopondit, *Matth.* 9. *& Luc.* 5. & Sthephani orationi Paulum Deus largitus est, & filius lacrymarum S. Monicæ Augustinus perire non potuit, juxta Ambrosii vaticinium. Et in hoc etiam sensu prædestinationem meritis Sanctorum posse juvari, alibi dictum est.

Elicitur quartò, Justum non posse sibi reparationem post lapsum futurum promereri; tum quia, ut dictum est, auxilia divina non cadunt sub meritum humanum; tum quia sicut peccato mortali gratia extinguitur, ita merita penitus impediuntur; tum quia longè difficilius est lapsum resurgere, quàm stantem non cadere: si ergo justus non meruit ne laberetur, quomodo merebitur, ut lapsus resurgat? Tum quia lapsus non solùm nihil meretur, sed omni prorsus gratiâ indignus est, qui gratiam floccifecit.

Dices: Sancti piè orant, & precibus humillimis à Deo postulant, ut si pro infirmitate sua cadant, Dei misericordiâ reparentur: *Cum defecerit virtus mea,* inquiebat David Psalm. 70. *ne derelinquas me.* Sed inanis foret hæc oratio, nisi reparationem post lapsum mereretur. Ergo eam potest justus sanctis operibus promereri.

Respondeo, id petere quidem Sanctos, & interdum à Dei misericordia impetrare; sed mereri non posse, quia etsi dum id Deum rogant, amici sint; mereri tamen non possunt, nisi quod amicitiæ aliquo jure debetur: amico autem nullo jure debetur, ut si fiat inimicus, detur aliqua gratia, sed tantùm ut permanente amicitiâ bonis amplioribus augeatur. Quod si Deus orationum illarum durante amicitia fusarum aliquam rationem habeat, eisque quadantenus moveatur recordatus misericordiæ suæ, mera dignatio est, mera clementia quæcumque merita excedens & vota. Veridicè S. Thomas art. 7. quæst. 114. *Nullus potest sibi mereri reparationem post lapsum futurum, neque merito condigni, neque merito congrui.* Quam absolutam decisionem ex sacris literis deprompsit. Ezechiel. 18. & 36. *Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur. Si dixero justo, quod vita vivet, & confisus justitia sua fecerit iniquitatem, omnes justitiæ ejus oblivioni tradentur.* Nec adversatur Apostolus *Hebr.*6. dum ait: *Non injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam osten-*

distis

dictis in nomine ipsius. Nihil enim aliud Doctor Gentium intelligit, quàm opera per peccatum mortificata sincerâ pœnitentiâ reviviscere, quia ut alibi dicetur, permanent præterita merita in acceptatione divina, unde sublato peccati obice, suum sunt effectum sortitura. Quod verò præcedentium intuitu meritorum ad instaurandam gratiam Deus permoveatur, nunquam Paulus intellexit: merâ enim misericordiâ justificat impium, merâ pietate erigit lapsum, merâ miseratione prævenit inimicum, quem suppliciis jure poterat addicere sempiternis.

Instabis: Potest justus mereri de congruo alteri reparationem post lapsum, quidni idem sibi mereri poterit, cùm gratia adoptionis membrorum Christi magis ad subjecti perfectionem, quàm ad aliorum sanctificationem proclivis sit, magisque propriis, quàm alienis utilitatibus serviat?

Respondeo esse toto cœlo disparitatem, quia justus dum pro peccatore supplicat, utique Deo acceptus est; & cùm Dei impleat voluntatem, *congruum est secundùm amicitiæ proportionem, ut Deus impleat hominis voluntatem in salvatione alterius,* inquit D. Thom. *art.* 6. Exigunt enim leges amicitiæ, ut amicus amicum orantem exaudiat, nisi justis alioquin causis exorari non possit, vel fortè non deceat, aut expediat. Amicitia enim non imponit amico exaudiendi necessitatem, si justæ subsint repellendæ petitionis rationes: servitus quippe foret, non amicitia, si nunquam orans deberet pati repulsam; unde ita amicus orat, ita suam vult impleri voluntatem, ut amico qui rogatur, plenam relinquat libertatem; quia amici magis studet beneplacito obsequi, quàm eorum, pro quibus orat, utilitatibus inservire. Hinc observat August. *tract.* 101. *in Ioan.* exaudiri quidem Sanctos dum orant pro seipsis, aliis tamen sæpe non impetrare quod petunt, quia orationis Sanctorum peccatis impediunt efficaciam. *Exaudiuntur*, inquit, *omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur, vel pro amicis, vel inimicis suis, vel quibuslibet aliis, quia non utcumque dictum est, dabit; sed dabit vobis.* At verò justus, qui pro se reparationem lapsus futuri orat, peccando amicitiæ fœdera dissolvit, in eumque præceps statum ruit, in quo indignus est qui recipiat quod petivit. Unde si Deus præteritarum recordari precum dignetur, nullis meritis, sed unâ suâ misericordiâ permovetur.

Elicitur quintò, bona temporalia per se non cadere sub meritum; opera enim gratiæ, quæ est fons aquæ salientis in vitam æternam, quæ sursum sunt quærunt, quæ sursum sunt sapiunt, non quæ super terram: & sicut quo ex altiori loco aqua delabitur, eo altiùs ascendere nititur; sic gratia, quæ aqua est illa cœlestis à Christo Samaritanam alloquente tantopere commendata, à cœlo profluens corda in cœlum evehit unde manavit. Unde temporalia bona non appetit, quæ arbitratur ut stercora; mundana non quærit, quæ æquè eveniunt justo & impio, ut dicitur *Ecclesiast.* 9. cœlestia duntaxat, & supernaturalia concupiscit, morem gerens mandato Salvatoris: *Quærite primùm regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.*

Observat tamen S. Doctor *art.* 10. *quæst.* 114. quod *temporalia bona, prout sunt utilia ad opera virtutum, quibus perducimur ad vitam æternam, directè & simpliciter cadunt sub merito, sicut & augmentum gratiæ, & omnia alia, quibus homo ordinatur ad perveniendum in beatitudinem.* Hinc fit interdum Sanctos misericorditer non audiri, dum pro hujus necessitatibus vitæ supplicant; tum quia quid sit utilius infirmo, magis novit medicus, quàm ægrotus; tum quia non promittitur justo precum exitus optatus, nisi cùm petit in nomine Christi: *non autem petitur in nomine Salvatoris*, inquit August. tract. 102. in Joan. *quidquid petitur contra rationem salutis.* Ergo si exaudiri velimus, si Deum exorare aveamus, si nullam eupimus pati repulsam, cœlestia petamus, divina quæramus, pro æternis impetrandis pulsemus. Quia videlicet regnum cœlorum, ut Venerabilis Beda prosequitur, non otiosis & vacantibus, sed petentibus, quærentibus, & pulsantibus dandum, inveniendum, & aperiendum Veritas esse testatur. *Petenda est ergo*, inquit, *janua regni orando, quærenda rectè vivendo, pulsanda perseverando.* ::: *Unde necesse est, ut seduli sine intermissione oremus. Quæramus Dominum, & confirmemur; quæramus faciem ejus semper, pulsemus infatigabili desiderio æternæ beatitudinis, nec deficiamus prinsquam illo aperiente, de carcere mundi hujus eripi, ac portam mereamur patriæ cœlestis ingredi.*

De certitudine gratiæ, de signis sanctitatis, & perversitatis, & reprobationis agere prætermisimus, ne voluminis istius moles plus justo excresceret: illa igitur in finem Theologiæ sin opportuniùs, certè commodiùs rejicimus.

REFLEXIO.

Quid hic statis tota die otiosi? Cur vel nihil agitis, vel malè agitis, vel aliud agitis æternitatis candidati, regni cœlestis hæredes, hæc nescituri quæ seminastis? An nescitis regnum cœlorum simile esse negotiatori? Nunquid illud veritatis oraculum ponderastis: *Negotiamini dum venio?* Næ vos mali mercatores estis, qui noctem illam expectatis, in qua nemo potest operari. Si sapitis, si lumen oculorum vestrorum vobiscum est, si non defecit virtus vestra, cernite mercedem copiosam in cœlis, cernite repositam coronam justitiæ, cernite constitutam ab Imperatore nostro legem: *Quanto plus homo laborat, tanto plus mercedis acquirit.* Audite Apostolum 2. *Cor.* 6. affirmantem, relaturum unumquemque prout gessit in corpore, sive bonum, sive malum. Audite Ecclesiastis *cap.* 9. oraculum: *Mortui nihil noverunt amplius, nec habent ultra mercedem.* Audite & Hieronymi commentarium: *Mortui nihil valent ad id adjicere, quod semel secum tulere de vita.*

Hæc cùm ita sint, dum tempus habemus, operemur bonum, super fundamentum gratiæ Christi superædificemus aurum, argentum, lapides pretiosos, quia ut docet Apostolus 1. Cor. 3. *Si cujus opus manserit, quod superædificavit, mercedem accipiet: si cujus opus arserit, detrimentum patietur.* Ne frangamur laboribus, in pressuris, in persecutionibus, in virtutum praxi, in arcta salutis via animum ne despondeamus, quia totis licèt corporis, & animi conatibus desudemus, innumeris licèt tribulationum casibus exerceamur, momentaneum, & leve censendum est, quo æternitatem lucramur beatitatis. *Transit hora, transit & pœna*, inquit Bern. serm. 1. de diversis; *non sic merces ipsa laboris: nescit finem, manet tota simul, & manet in æternum. Lætet gloria, fratres mei*, addit serm. 17. in Psal. Qui habitat.: *absconditata nobis est in tribulatione in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc levi pondus sublime, & supra modum.*

Ne fingamus laborem in præcepto, quia ut optimè ait Chrysost. *hom.* 1. *de Zach.* in nobis est ut possimus; quia in nobis est, ut velimus. Accesemus voluntatem, non legem: immensam mercedem, si volumus, obtinemus. *Pro modica præbenda,* inquit

inquit vir ille divinus omnium manibus terendus Th. à Kempis, *magna curritur via, pro vita æterna vix pes à terra levatur.* Per mare, per terras, per infinitas difficultates mercator currit ad aurum, ambitiosus ad honorum fastigia, nec datur pervenire. Regnum cœlorum uno amore quærimus, uno amore meremur, uno amore consequimur; & quia amare Deum tædet, difficultates in ipsa amandi suavitate comminiscimur? Quàm veridicè Potentianus apud Augustinum lib. 8. Confessionum! *Quid quærimus? Cujus gratiâ militamus? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quàm ut amici Imperatoris simus? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum? Et quandiu istud erit? Amicus autem Dei* (hæres regni, cœlestis negotiator, mercator thesaurorum divinorum) *si voluero, ecce nunc sum.*

Macte ergo animo, Lector, qui infudit gratiam, ipse gloriam largietur; qui incepit, ipse perficiet; qui fudit sanguinem, divini non denegabit pretium cruoris; qui prævenit in benedictionibus dulcedinis, ipse comitabitur, ipse sequentur, ipse coronabit. Quid adhuc trepidas, quid hæres, quid fluctuas, quid vacillas? Tristem solabitur, infirmo medebitur, fatigatum reficiet, cadenti manum supponet. *Fidelis quisque*, inquit August. serm. 3. de Ascensione, *cùm jam tanta perceperit, per ea quæ cognoscit præterita, discat sperare promissa; ac Dei sui præteritam, præsentemque bonitatem quasi futurorum teneat cautionem.* Jam metendi tempus adest, calvam occasionem nanciscamur. Si deterrent certamina cùm jubentur, delectent præmia quæ promittuntur; quia si sudare jubet, magna promittit; si arcta præcipit, ineffabili victricis delectationis unctione observantiam condit. Et sicut nulla est tam facilis res, quin difficilis sit, quam invitus facias; sic nulla tam difficilis, quin facilis sit, quam lubens operere. Non est hic impendium, non est hic nisi in imaginatione labor; amare sat est, & in eo quod amatur, non laboratur; aut si laboratur, & labor amatur. Quàm piè B. Eucherius sua ad Valerianum epistola! *Amantes vitam hortamur ad vitam* (ambientibus gloriam divinos offerimus honores, quærentibus delitias sempiterna gaudia præmonstramus.) *Vera ratio est persuadendi, cùm id poscitur ut impetremus à vobis quod concupiscitis. Pro vita quam concupiscitis legatione apud vos fungimur; & sanè quam omnes exiguam amatis, insinuamus ut ametis æternam.*



DISSERTATIO V.

Defensio Innocentii X. Constitutionis adversus quinque propositiones lata. Ubi easdem propositiones à Sanctis Augustino & Aquinate dudum fuisse prædamnatas demonstratur.

INGENITA Dominicanis omnibus in Sanctam Sedem Apostolicam pietas & observantia, à parente suo B. Dominico filiis inseminata, à Sancto Thoma Doctore Angelico discipulis suis inspirata, à Summis Pontificibus innumeris beneficiis, quibus sibi familiam Prædicatoriam devinxerunt, aucta; ab infinitis hujus Ordinis alumnis verbo, scriptis, & fuso cruore propugnata; hæc, inquam, & alia præjudicia à Patrum nostrorum institutione & moribus vetant me esse degenerem, sed in ultrò alioquin properantem calcaria addunt, compelluntque, ut specimen aliquod piæ me feram sinceri illius & perpetui cultus, qui est veluti Dominicani Ordinis character. Ut igitur domesticâ disciplinâ institutum me probem, Innocentii X. constitutionem, & quinque propositionum censuram, quam tanquam de cœlo allatam totus Ordo eâ, quâ par est, reverentiâ excepit, defendendam aggredior; non quòd defensione egeat definitio à dignitate infra Deum summa promanans; sed ut omnibus clareat, quàm æquum fuerit Apostolicæ Sedis in hac causa judicium; tum ut materia de gratia, quæ in eisdem propositionibus continetur, ampliùs illustretur. Nec propterea præcepta ejusdem Sedis, tractationem de auxiliis publicis Scriptoribus interdicentia violamus; tum quia de auxiliis divinis, vel de eorum efficacia non disputabimus; tum potissimè, quia ipsemet Innocentius de iisdem propositionibus disserendi facultatem in sua constitutione impartitus est. Sic enim §.5. Bullæ Innocentianæ anno 1653. editæ habetur: *Mandamus igitur omnibus Christi fidelibus utriusque sexus, ne de prædictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quàm in hac præsenti nostra declaratione & definitione continetur.* Ergo è contra licitum est de prædicta propositionibus sentire, docere, prædicare secundùm quod in illa declaratione & definitione continetur. At enim ita sentiemus, ita docebimus, ita Deo bene vertente prædicabimus.

Censuræ porrò Pontificiæ tenor ejusmodi est. „ Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum „ nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, ut „ Ecclesia Dei nobis ea alto commissa, purgatis „ pravarum opinionum erroribus tutò militare, & „ tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus ac procellis, securè navigare, & ad optatum salutis portum pervenire „ possit: pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. „ Cardinalibus ad id specialiter sæpiùs congregatis „ à pluribus in Theologia Magistris easdem quinque propositiones, ut suprà nobis oblatas fecimus „ singillatim diligenter examinari, eorumque suffragia tum voce, tum scripto relata maturè considerav imus, eosdemque Magistros variis coram „ nobis actis Congregationibus, prolixè super „ eisdem, ac super earum qualibet differentes audivimus.

„ Cùm autem ab initio hujusmodi discussionis „ ad divinum implorandum auxilium multorum „ Christi fidelium preces, tum privatim, tum publicè indixissemus, postmodùm iteratis eisdem „ ferventiùs, ac per nos solicitè imploratâ Sancti „ Spiritus assistentiâ, tandem divino numine favente ad infrascriptam devenimus declarationem „ & definitionem.

„ Primam prædictarum propositionum: Aliqua „ Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundùm præsentes, quas habent vires „ sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua „ possibilia fiant: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Secundam: Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur: Hæreticam declaramus, „ & uti talem damnamus.

Tertiam

„ Tertiam : Ad metendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione : Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Quartam : Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei ; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare : Falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

„ Quintam : Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse : Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

§. I.

Prima propositio ab Innocentio Summo Antistite damnata, ab Augustino & Aquinate prædamnata fuit.

NOn debuit, nec potuit Sancta Sedes in censura Jansenianarum propositionem ab Augustino recedere, cujus doctrinam, ut infrà patebit, tot Sanctissimorum Pontificum oracula consecrarant. Declarant insuper tum Innocentius X. tum successor Alexander VII. se suis diplomatis nullum SS. Augustini & Thomæ de grana sensibus præjudicium inferre velle. Unde in Brevi ad Lovanienses ultima differtatione referendo, utriusque sacri Doctoris dogmata tutissima & inconcussa esse Alexander declaravit. In altero etiam Brevi Romæ die 29. Julii anni 1663. ad Episcopos Galliæ directo, doctrinam gratiæ per se efficacis approbavit. Quin & gratulatus est, quòd Gallorum Episcoporum operâ & studiis ii qui quinque propositiones in suo naturali sensu docere accusabantur, eas sincero corde & scriptis detestati, solum gratiæ per se efficacis sensum in quibusdam articulis ad Sedem Apostolicam per Illustrissimum Gilbertum Convenarum Episcopum transmissis expressum retinerent. *Is fuit*, inquit, *egregius sanè laborum vestrorum fructus, majoris scilicet & potioris partis ut multi, ilque cæterorum nomine primarii, exemplo vestro, consilio, & opera ad saniorem doctrinam inducti, eâ quâ par est, ut credimus, animi demissione sese paratissimos exhibuerint ad illa omnia præstanda quæ ipsis ab Apostolica Sede præscribentur.* Ipse etiam P. Annatus assertorum scientiæ mediæ hujus sæculi caput, & in rebus Theologicis acutè nitidéque scribendis nulli Societatis sine controversia secundus, quive Romæ Jansenianæ causæ interfuit, libro suo *de cavillis*, apertè, ingenuéque testatur, Innocentium nunquam Thomisticam de gratia efficaci doctrinam attentasse, sed eam tectam sartamque voluisse, his verbis : *Id in quo convenimus, sancivit Pontifex, id in quo dissidemus* (Thomistæ & Jesuitæ) *disputationi nostræ reliquit. Sed est, inquis, necessaria consequentia à positione illorum principiorum ad negationem gratiæ prædeterminantis. Respondeo hoc ipsum inter nos disputari, an scilicet necessaria sit illa consequentia? nobis videtur necessaria, illis non videtur. Viri meliùs sentiant, nondum densitum est. Vicerint illi qui suam sententiam meliùs probaverint, melinsque defenderint. Atque hoc est Pontificem attingere noluisse controversiam inter nos & Thomistas disputatam de gratia per seipsam efficaci.* Hoc præmisso,

Probatur primam propositionem ab Innocentio X. damnatam, fuisse ab Augustino prædamnatam. In primis præcepta Dei non esse impossibilia docet Augustinus *lib. de nat. & grat. cap.* 43. celebribus illis verbis, quæ sacra Tridentina Synodus *sess.* 6. *cap.* 11. exscripsit : *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Et libro de actis cum Felice Manichæo, cap. 17. *Qui servare legem non vult, in potestate ejus est, si velit ; non enim dixit, non potuerunt, sed noluerunt : hoc certè quod nolunt servare legem, sua voluntate nolunt.* Expressum etiam est illud ea sermone 191. de tempore : *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei à non singulis, sed ab omnibus in commune posse servari.* Et lib. de fide contra Manich. *Quis non clamet*, inquit, *stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est quod præcipitur facere ; & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?*

Quod autem gratia non desit justis, quâ præcepta possibilia fiant, via probatione eget ; cùm enim justi hoc ipso, quod justi sunt, gratiâ & virtutibus infusis instructi sint, quæ virtutes supernaturales, non uti naturales habitus, faciliùs duntaxat posse, sed simpliciter posse concedunt ; manifestè relinquitur, justis non deesse gratiam, quâ præceptâ possibilia reddantur. Non deesse porò gratiam ad implenda Dei mandata, nisi ex prævia hominum culpa, docet generatim Augustinus *lib. de grat. & lib. arbit. cap.* 4. his verbis : *Homo ergo gratiâ juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur.* Et tractat. 38. in Joannem : *Deus tuus ubique totus est ; si non ab illo facias casum, nunquam à te ipse facit occasum.* Et sermone 88. de tempore : *Fideliter ac firmiter credat Dilectio vestra, quia nunquam Deus priùs deserit hominem, nisi priùs ab homine deseratur.*

Augustinum sequutus est de more S. Thomas. Nam *in* 2. *dist.* 28. *art.* 3. in primo argumento *Sed contrà*, illud à Hieronymo dictum laudat : *Qui Deum dicit præcipere impossibilia, anathema sit.* Et in secundo argumento sic discurrit : *Deus non est magis crudelis quàm homo : sed homini imputatur ad crudelitatem, si obliget aliquem per præceptum ad id, quod implere non potest : ergo hoc de Deo nullo modo est æstimandum.* Verùm quia ut versati in lectione S. Thomæ satis notum, argumentum *Sed contrà*, Sancti Doctoris genuinam mentem non exprimit, quia ei aliquando respondet, ideo producenda in medium sunt luculenta testimonia, quibus propriam sententiam Angelicus Doctor ob oculos ponit.

Videatur ergo 1. 2. *quæst.* 100. *art.* 10. ubi sic scribit : *Non est impossibile hoc præceptum observare, quod est de actu charitatis ; quia homo potest se disponere ad charitatem habendam, & quando habuerit eam, potest eâ uti.* Porò quod ait S. Doctor, posse hominem se disponere ad charitatem, intelligendum est eum auxilio divinæ gratiæ : nec propterea præcepta impossibilia censenda sunt, quia ut idem Sanctus 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 4. ait : *Quod possumus cum auxilio divino, non est nobis omninò impossibile ; & quod cum amicis possumus, id posse censemur ;* amicus enim amico, nisi per illum steterit, auxilia necessaria non denegat. Idem apertiùs tradit quod

quodlibeto 1. art. 6. *Nullus*, inquit, *tenetur ad hoc, quod est supra vires suas, nisi per modum quo sit sibi possibile.* Et *quæst.* 24. *de verit. art.* 14. *ad* 1. sic habet: *Illud quod præcipit Deus, non est impossibile homini ad servandum.* Et in responsione ad secundum argumentum: *Rectè homo corripitur*, inquit, *qui præcepta non implet; quia ex ejus negligentia est quod gratiam non habet, per quam potest servare mandata.*

Quod verò justis non desit gratia, qua præcepta possibilia fiant, docet apertè 1. 2. *quæst.* 106. *art.* 2. *ad* 2. his verbis: *Lex nova* (quæ utique est gratia sanctificans, scripta in cordibus nostris, ut alibi diximus) *quantum est de se, auxilium dat ad non peccandum.* Et 1. part. quæst. 49. art. 2. *Deus non deficit ab agendo quod est necessarium ad salutem.* Quod ipsum inculcat quæst. 14. de verit. art. 11. ad 1. *Hoc ad divinam providentiam pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex ejus parte non impediatur.* Illa ergo propositio absolutè prolata, & in sensu suo naturali intellecta, *Justo deest gratia, quâ præcepta possibilia fiant*, luculentis S. Thomæ testimoniis adversatur. Constat ergo veridicè, & sanctis illis Doctoribus consonè pronuntiasse Pontificem, mandata Dei non esse justis impossibilia. Imò nulli reverà impossibilia sunt, quia ut dicitur Deut. 30. *Mandatum, quod ego tibi præcipio hodie, non supra te est.* Et teste Apostolo 1. Cor. 10. *Fidelis Deus qui non patitur vos tentari supra id quod potestis.* Ubi D. Thomas: *Non videretur fidelis Deus, si nos vocaret ad societatem filii Dei, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea per quæ ad eum pervenire possumus.*

§. II.

Gratiæ interiori posse resisti, ante Innocentium X. docuerant SS. Augustinus & Thomas.

Quamvis gratiæ efficaci nunquam de facto resistatur, hoc ipso enim, quod efficax est, semper eum effectu conjungitur, & bonam voluntatem, bonumque opus indeclinabiliter operatur; unde de illa dicit Augustinus lib. de Prædest. Sanct. cap. 8. *Hæc ita quæ gratia, quæ cordibus hominum divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde respuitur; ideo quippe tribuitur, ut duritia cordis primitus auferatur.* Attamen dari gratiam aliquam interiorem, cui aliquando resistamus, probat Augustinus ex illo Apostoli: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; unde infert, acceptâ illâ gratiâ inesse homini resistendi potestatem: *Hoc enim liberum hominis arbitrium exhortatur*, inquit lib. de grat. & lib. arb. cap. 5. *& in aliis, quibus dicit, Rogo vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis: ut quid enim eos rogat, si gratiam Dei sic susceperint, ut propriam perderent voluntatem.* Hac de causa in *Psal.* 63. comparat gratiam illam inefficacem pluviæ, quæ in agrum decidit, nec fructum ullum affert. *Quod plait*, inquit, *in agrum uberem dulce est, & quod pluit in agrum spinosum dulce est: nunquid pluviam accusas, quòd spinas generet? Nonne erit pluvia illa testis in judicio Dei, & dicet: Ego dulcis super omnia veni? Tu ergo quid proferas, vide; profers frumentum, spera horreum; profers spinas, ignem spera.* Hic lib. 83. *quæst. quæst.* 61. infert, eos qui Deo vocanti non obediunt, sibi debere tribuere quod non veniant; quia quod Deo vocanti resistunt, quodve non veniant, à propria voluntate proficiscitur. *Ad illam cœnam in Evangelio præparatam*, inquit, *nec omnes qui vocati sunt, venire voluerunt; nec illi qui venerunt, venire possent, nisi vocarentur. Itaque neque illi debent tribuere sibi qui venerunt; neque illi qui venire noluerunt, debent ulteri tribuere, sed tantùm sibi, quoniam ut venirent, in eorum erat potestate.*

Succinit S. Thomas 1. 2. quæst. 106. art. 2. ad 2. *Et ideo si quis post acceptam gratiam novi Testamenti peccaverit, maiori pœna est dignus, tanquam majoribus beneficiis ingratus, & auxilio sibi dato non utens.* Et quia per illud auxilium datum posset intelligi gratia habitualis, quæstio autem est, utrum interiori gratiæ actuali pios motus excitanti resistatur; ideo videndus est S. Doctor *lect.* 2. *in cap.* 1. *prioris ad Thessalon.* ubi sic loquitur: *Aliquis dicitur extinguere Spiritum in se, vel in alio, cùm alius aliquid boni ex fervore Spiritus sancti vult facere, vel etiam cùm aliquis bonus motus in ipso surgit, & ipse impedit. Act. 7. Vos semper Spiritui sancto resistitis.* Et *lect.* 1. *in cap.* 12. prioris ad Corinth. *Dicendum, inquit, quod quantum est ex Spiritu Dei homo non facit peccatum, sed magis retrahitur à peccato: potest tamen peccatum facere ex defectu voluntatis humanæ, quæ Spiritui Sancto resistit, secundùm illud Act. 7. Vos autem semper Spiritui sancto resistitis. Non enim per Spiritum sanctum inhabitantem tollitur facultas peccandi à libero arbitrio totaliter in vita præsenti.*

Neque huic veritati adversatur Chrysostomus homil. 72. *in Ioan.* ubi ait Petro justo contigisse casum *superni auxilii derelictu, ex eo quod Deus ipsum deseruerit*, ut addit *hom.* 51. *in epist. ad Hebr.* Non, inquam, adversatur, quia Petrum justum Deus justus non nisi ob præcedentem Petri præsumptionem, teste eodem Chrysostomo expendente illud, *animam meam pro te ponam*, deseruit, vel dereliquit. *Quid dicis, Petre? Te posse dicis:* (verba sunt ejus) *experientiâ tuâ cognosces nihil esse dilectionem tuam sine gratia divina. Præsumptio ergo erat in Petro, quod suis viribus moriturum se jactabat, meritoque postea desertus est à Deo urgente tentatione.* Unde universim *hom.* 16. *in cap.* 9. *epist. ad Hebr.* sic concludit: *Non possum; hoc enim est accusare Creatorem: si enim nos fecit impotentes, ac postea præcipiat, ipse accusandus esset. Quomodo ergo multi non possunt? Quia nolunt. Quomodo ergo multi nolunt? Præ desidia; nam si volunt, possunt.*

§. III.

Ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ, non solùm à coactione, sed etiam à necessitate libertatem SS. Augustinus & Thomas desiderarunt.

Antequam stabiliatur hæc propositio, quædam necessariò, ut veritas clareat, omninò præmittenda sunt, quæ observentur dignissima. Advertendum igitur primò, certissimum esse, liberum arbitrium etiam post lapsum superesse in natura humana; sacræ enim litteræ homini post lapsum diversarum rerum electionem tribuunt. Num. 30. *In arbitrio viri erit, sive faciat, sive non faciat.* Josue 24. *Optio vobis datur, eligite hodie quod vobis placet.* Imò universa Scriptura libertatem arbitrii prædicat, ut docet August. *lib. de grat. & lib. arb. cap.* 2.

Cum

Cùm enim omnium canonicorum Scriptorum scopus eò collimet, ut ad prosequutionem boni, fugamque mali præceptis, consiliis, exhortationibus homines stimuleotur, ubique supponunt, inesse homini & boni suscipiendi, & mali fugiendi libertatem. Adducunt etiam Theologi illud Eccles. 15. *Deus reliquit hominem in manu consilii sui, adjecit mandata & præcepta; si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi ignem & aquam, ad quod volueris, porriges manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Sed quia Patres, & præcipuè Augustinus locum illum de homine pro eo tempore, quo in paradiso ante peccatum versabatur, intelligunt; ideo in illo vim non facio.

Eandem veritatem nedum inculcant, sed & probant SS. Patres, quos diffusè refert Cardinalis Bellarminus *lib. 3. & 4. de grat. & libero arb.* Sufficient hæc selectiora testimonia. *Non possumus*, inquit Cyrillus lib. 4. in Ioan. capite 7. *secundum Ecclesiæ, veritatisque dogmata liberam potestatem hominis, quod liberum arbitrium appellatur, ullo modo negare. Vnicuique nostrûm*, inquit S. Hilarius in Psal. 2. *libertatem vitæ, sensumque permisit, non necessitatem in alterntrum affigens. Frustra blasphemas*, verba sunt Hieronymi in epist. ad Ctesiphontem, *& ignorantium auribus ingeris nos liberum arbitrium condemnare. Damnetur ille qui damnat.* Ab aliorum Patrum locis passim obviis tetercodis prudens supersedeo.

De mente porrò Augustini dubitari nequaquam potest, cùm plures de hoc argumento libros hujus veritatis astruendæ gratiâ ediderit. Et quia nullam calumniam passus est graviorem, quàm quod sub gratiæ obtentu liberum arbitrium de medio tolleret, & probrosissimum Manichæorum errorem renovaret, ut illam à se, & à Catholicorum, quam tuebatur, causa depelleret, iteratâ scripsit confessione, se non liberi esse arbitrii inficiatorem, sed gratiæ tantummodò defensorem. *Non ita ut loqueris*, inquit lib. 2. de nupt. *quicumque ista dixisti; non est ita. Non liberum negamus arbitrium, sed si vos Filius liberaverit, ait veritas, verè liberi eritis.* Et lib. 1. ad Bonif. cap. 2. *Quis nostrûm dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?*

Hanc catholicam veritatem probant Hieronymus *lib. 2. advers. Iovinian. cap. 2.* & Eusebius *lib. de præparatione Evangelica, cap. 5.* Quia ubi necessitas est, abestque libertas, nec damnatio, nec corona est. Vode jaceret omnis Philosophia, nulla esset virtutis laus, nullus laborum fructus, nulla justa improbis infligenda pœna, nulla studiis affectenda merces, si non libera voluntate, & nostra sponte susceptis laboribus, sed fatorum impellentium necessitate omnia fierent. Eandem verò probat D. Thomas, quia talis est appetendi modus qualis & cognoscendi, cùm in ignotum non feratur voluntas, & ductum, modumque rationis in omnibus sequatur: sed homo cognoscit contingentia esse ad finem suum adipiscendum indifferentia, unde de illis consulere solet: ergo ea liberè, & sine necessitate appetit.

Omnia testimonia Augustini, quæ moderni hæretici objiciunt, in quibusque ait nos liberum arbitrium primi peccati granditate amisisse, & libero arbitrio malè utentem hominem & se perdidisse, & ipsum; hæc, inquam, testimonia interpretatur ipsemet Augustinus de libero arbitrio, quo homo in statu innocentiæ vegeto illo & integro præditus erat. *Peccato Adæ*, inquit lib. 2. contra duas epist. Pelagianorum, c. 15. *liberum arbitrium de natura hominum periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo; ad bene autem, piéque vivendum non valere, nisi voluntas hominis Dei gratiâ fuerit liberata, & ad omne bonum actionis, cognitionis, sermonis adjuta.* Et cap. 2. *Libertas quidem periit per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit.*

Advertendum 2. libertatem voluntatis esse vim electivam mediorum, servato ordine finis. Est enim libertas voluntatis capacitas quædam & amplitudo, quæ potest in diversa ferri, facere hoc, & non facere; facere hoc, & oppositum ejus. Quæ capacitas universalitati naturæ intellectualis innixa est; cùm enim natura spiritualis intelligendo omnia fieri possit, omnia apprehendere, potest etiam de illis omnibus judicare, quædamque ut prosequenda, alia ut fugienda proponere voluntati, cui propterea convenit universalitas in appetendo, quia mediis cum indifferentia judicij sibi propositis arctari nequit, sed ad libitum eligere quit, vel repudiare. Sed hac de re dum de libertate Dei primo tomo disputavimus, tum inter agendum de libertate Christi, operosior instituetur tractatio.

Porrò hanc libertatem excludentem necessitatem, ad meritum exigi, manifestum videtur in Philosophia, quia meritum & demeritum sunt proprietates actus humani; actus autem necessarius non est humanus, cum ille solùm à Sancto Thoma 1. 2. *quæst.* 1. *art.* 1. & universo Doctorum choro dicatur humanus, qui ex voluntate deliberata procedit, id est qui ex deliberatione, & consilio rationis, ac electione voluntatis proficiscitur. Certè cùm inter merentem, & munerantem quidam contractus ineatur, vi cujus merens obsequium exhibet, munerans promissum præmium largitur, ad utrumque requiritur libertas à necessitate immunis, ille ut det, iste ut retribuat: quia nec verè dare censetur qui dominium ejus quod dat, non habet: non habet porrò dominium voluntas necessitate arctata, sed unios ratione indifferentiæ domina est, dare potens, vel non dare, unumque præ alio eligere valens. Denique actus ille nequaquam humanus vel moralis, subindeque merendi capax dicendus est, qui regulis morum subjici nequit; sicut opus nulla potest ratione artificiale dici, quod nullis regulis artis factum est, nullis subjici potest. Actus autem necessarij, quàmlibet spontanei, non diriguntur, nec dirigi quidem possunt regulis morum; regulæ quippe morum actum in extremum vergentem reducunt ad medium, illi finem præstituunt, modum componunt, circumstantias præscribunt, ad quas utique regulas exigi nequit actus necessarius, frustra namque adhibetur amussis actui inviolabili, & ad unum determinato.

Dices: In Christo Domino fuit meritum: At in Christo non fuit indifferentia, sed benè agendi necessitas, & peccandi impossibilitas: ergo libertas à necessitate non est ad meritum requisita.

Respondeo, quamvis verum esset totum quod in argumento assumitur, nihil tamen adversus Pontificiam constitutionem effici. Definit enim duntaxat Christi-Vicarius ad merendum, vel demerendum in statu naturæ lapsæ non sufficere libertatem à coactione, sed etiam libertatem à necessitate desiderari. Christus autem non fuit in statu naturæ lapsæ, cùm in eo nec originale, nec actuale peccatum unquam extiterit, vel esse potuerit. Adde hoc in argumento unum ex difficillimis universæ Theologiæ nodis tangi, quem aliquando tecum Deo benè vertente dissolvemus. Interim veluti in antecessum adverte cum Divo Thoma *quæst.* 22. *de veritate, art. 6.* quod cùm voluntas eatenus libera sit, quatenus necessitatem non habet, libertas vo-

luntatis trifariam considerari potest, & debet: primò in ordine ad actum, in quantum potest velle, vel non velle; secundò in ordine ad objectum, in quantum potest velle hoc, vel illud: tertiò in ordine ad finem, in quantum potest velle bonum & malum. Prima libertas dicitur contradictionis, quia circa agere & non agere versatur, opponiturque necessitati exercitii, quæ non sinit potentiam suspendere actum, qualis est in igne necessitas ad comburendum. Secunda libertas dicitur contrarietatis, quia facere unum, facere & oppositum potest, opponiturque necessitati specificationis, quæ licèt potentiam continenter agere non compellat, ad unum tamen modum agendi eam arctat, supposito quod agat: sicut voluntas non continuo in beatitudinem motu cietur; si tamen circa illam negotiari velit, non potest non amore illam prosequi, cujus desiderium naturâ insitum est. Tertia libertas dicitur imperfectionis, quia posse velle malum, facultasque peccandi, non libertas est, sed libertinitas; non ornamentum voluntatis, sed probrum; non pars vel perfectio libertatis, sed vitium & miseria creaturæ. Qua de re alibi non semel sermonem habuimus. Itaque in Christo non fuit hæc tertia libertas, qui fuit labis omnis purus, nec est de essentia libertatis, quæ ut dixi, est vis electiva mediorum, servato ordine finis: dum autem peccat voluntas, non ordinem ad finem servat, sed à vero fine recedit, quem turpiter quærit in mediis. Prima ergo, & secunda libertas in Christo fuit: poterat v. g. & velle mortem, & actum voluntatis illius suspendere; poterat velle mortem; & velle vitam, sed in omnibus retento ordine ad finem, ut suo loco, mutuatâ à S. Thoma majoris lucis abundantiâ elucidabimus.

Illud tamen adhuc observabimus, quod quia libertas in sua amplissima quàm latè patet acceptione, opponitur ligamini & coarctationi facultatis, tot possumus distinguere libertatis species vel gradus, quot sunt à diversis ligaminibus immunitates. Per ligamina autem illa voluntatem arctantia non intendimus violentiam ullam voluntati posse inferri, id enim apertè implicat; cùm enim coactio & violentia sit contra inclinationem, non potest actus voluntatis esse violentus, cùm sit ipsa volentis inclinatio: sed volumus duntaxat tunc ligari voluntatem, quando ea suppositum agere, vel pati vi fortioris agentis compellitur, quæ displicent voluntati; unde homo à lubentibus & placentibus ad invita quandoque restringitur nexibus inimicis: sic miseri remiges in triremibus, rei in carcere, furiosi in lecto inviti vinciuntur. Secundum ligamen est, cùm voluntas ipsa id facit quidem quod simpliciter vult, oppositum tamen lubentiùs vellet. Sic mercator ingruente impendentis mortis periculo, mavult quidem tempestate urgente merces projicere, quàm vitam discrimini committere; ægrè tamen projicit, quod impellente metu non potest retinere. Tertium ligamen sunt concupiscentiæ & passionum æstus voluntatem ad objecta sensibilia facilè pertrahentes, & gravi, sed malè suavi pondere inclinantes. Sic premitur, sic ligatur peccator, teste & experto Augustino, non ferro alieno, sed ferrea voluntate; quia pravæ dum consuetudini non resistitur, fit necessitas premendo blandiens, blandiendo premens, sibique compedes injicit voluntas à seipsa captiva, quos frangere non potest, quia non vult; seseque ut non velit, obfirmavit. Quartum ligamen est ignorantia, vel inconsideratio, vel spiritalis luminis tenuitas & angustia: sicut enim ex plenitudine luminis extenditur quodammodo capacitas appetitus, plura namque appetere quit qui plura novit; minusve dependet à mediis qui eorum insufficientiam, & contingentiam clariùs perspicit, profundiùs penetrat, & accuratiùs appendit: ita qui veritatem vel ignorat, vel non attendit, vel præjudiciis occupatus strictè considerat, in media velut impetu fertur, & qua data porta ruit. Sic peccatores comparati jumentis insipientibus, & similes facti illis, agenda non recogitantes corde, nec perpendentes quid liceat, quid deceat, quid expediat, in ea quæ magis arrident, brutorum more se præcipites agunt. Sic universim omnes homines in propriis negotiis, propriis philautiæ vinculis impediti cæcutiunt, & ut alicubi scripsit Terentius, ita comparata est hominum natura omnium, aliena meliùs ut videant & judicent, quàm sua; quia in re nostra aut gaudio sumus præpediti nimio, aut ægritudine; unde aliis sæpè plus sapimus, quàm nosmet nobis. In Christo nullum hujuscemodi ligamen reperire est; nulla ei vis ab hominibus inferebatur, qui hostes verbo uno prosternebat; nulla à Patre, cui eadem erant consilia, eædem consiliorum rationes. Nullo etiam metu vel casu arctabatur voluntas, cui omnis erat in cœlo & in terra donata potestas. Nullus in eo antecedens concupiscentiæ motus, in quo non erant passiones, sed propassiones, ut alibi exponemus, rationis judicium non ducentes, sed sequentes; non dominæ, sed ancillæ. Nulla demùm in eo ignorantiæ, inconsiderationis, vel obscurati luminis vel tenuissima nubecula, in quo omnes erant sapientiæ & scientiæ Dei thesauri absconditi, quive splendidissimis scientiæ beatæ, inditæ, & acquisitæ radiis omnia noverat, omniumque rationes penitissimè pervadebat. Ergo ad nulla media arctabatur independens à rebus Christi voluntas, sed in quæcumque liberè, expeditè, indifferenterque ferebatur, atque uni Deo adhærebat, cui servire regnare est, cui obsequi libertas est, à quo non posse divelli, felicitas est.

Probatur ex SS. Augustino, & Aquinate Pontificia censura.

His præmissis, ad stabiliendam tertiæ propositionis censuram, eamque SS. Augustini & Thomæ auctoritatum momentis muniendam transeamus. Et quidem in hoc statu superesse libertatem à necessitate, perspicuè tradit Augustinus de lib. arb. cap. 17. *Quis peccat*, inquit, *in eo quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem: caveri igitur potest.* Necessarium verò utique caveri non potest, ne non sit necessarium, sed contingens: nulla ergo est in homine ad peccandum necessitas libertatis inimica. *Voluntatis arbitrium dicitur*, pergit August. lib. de peccat. merit. & remiss. cap. 18. *quod huc, atque illuc flectitur. Dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi*, addit idem Pater lib. de Spiritu & liter. cap. 30. *Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit; si non vult, non facit.* Et lib. de nat. & grat. cap. 66. *Quacumque est ista causa voluntatis*, ait, *si non potest ei resisti, sine peccato creditur; si autem potest, non ei credatur, & non peccabitur? At fortè fallit incautum? Ergo caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, nulla ergo peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod caveri nullo modo potest? Peccatur autem, caveri igitur potest.* Ergo nullo quamlibet gravi concupiscentiæ deorsum trahentis pondere, nullâ quantumvis inescantium illecebrarum tentatione ad peccatum

necessita

necessitatur voluntas. Idem repetit Doctor Sanctissimus lib. de duabus animabus, cap. 22. *Quamobrem*, inquit, *illa anima quidquid faciunt, si naturâ, non voluntate faciant, id est si libero ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent, si denique iis abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccato earum teneri non possunt. Quid certius, quàm neminem vituperatione, suppliciove dignum esse, qui id non faciat, quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris Poëta.* Quod autem hæc à necessitate residua in nobis libertas sit ad merendum necessaria, expressit Augustinus tum *lib. cont. Fortunatum*, tum *lib. de vera Religione*, his verbis: *Animæ rationali, quæ est in homine, dedit Deus liberum arbitrium; sic enim posset habere meritum, si voluntate, non necessitate boni essemus. Cum ergo oporteat voluntate, non necessitate bonum esse, oportebat ut Deus daret homini liberum arbitrium. Tales servos suos Deus meliores judicavit, si ei servirent liberaliter; quod nullo modo fieri posset, si non voluntate, sed necessitate servirent.*

Astipulatur Doctor Angelicus: *Respondeo dicendum*, inquit quæst. de malo, *quod quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur; non enim omne necessarium est violentum. Hæc autem positio est hæretica; tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus; non enim videtur esse meritorium, nec demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit. Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones; quia non solùm contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia philosophiæ moralis.*

Eandem veritatem non solùm docet, sed validè confirmat idem S. Doctor 1. 2. quæst. 13. artic. 6. *Dicendum*, inquit, *quod homo non ex necessitate eligit; & hoc ideo, quia quod possibile est non esse, non necesse est esse: quod autem possibile sit non eligere, vel eligere, hujus ratio ex duplici hominis potestate accipi potest; potest enim homo velle, & non velle; potest etiam velle hoc, aut illud. Et ideo homo non ex necessitate, sed liberè eligit.* Cujus veritatis radicem tradit 1. *part. quæst.* 85. *art.* 1. quia homo agit judicio, quatenus per vim cognoscitivam judicat aliquid esse fugiendum vel prosequendum; & quia judicium rationis non est in operabilibus ex naturæ instinctu, sed quadam collatione procedit, ideo agit homo libero judicio, potestque in diversa ferri. Unde *quæst.* 24. *de verit. art.* 12. sic concludit: *Homo non erit liberi arbitrii, si vel ad bonum, vel ad malum ex necessitate impellitur. Quod esse inconveniens, & experimento, & Philosophorum doctrinis, & divinis authoritatibus probatur.*

Quomodo autem cum his stet gratiæ efficacis indeclinabilis, & ut loquitur Augustinus, omnipotentissima potestas, ex dictis tomo primo de concordia divinorum decretorum cum humana libertate, liquidò patet, nec propter debitam Romanis legibus observantiam tractatione de auxiliis interdicentibus, aliquid addam. Illud solùm præ oculis habendum, gratiam liberum arbitrium, quod ad Deum convertit, non auferre, sed transferre, non inferendo necessitatem, sed inspirando Dei dilectionem. *Inclinatio gratiæ*, ait S. Thomas 1. part. quæst. 62. art. 3. ad 2. *non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest eâ non uti, & peccare.* Quia nimirum gratia, quæ per Christi merita tribuitur, non solùm dat hominibus posse si velint, sed velle quod possunt; illi dissentire valent, quamvis ut non dissentire velint, eodem illo gratiæ dono perficitur. Quod aureis verbis expressit S. Cœlestinus Papa epist. ad Episc. Galliæ: *Quo utique auxilio & munere Dei non aufertur liberum arbitrium, sed liberatur; ut de tenebroso lucidum, de pravo rectum, de languido sanum, de imprudente sit providum.*

Dubia incidentia.

Occasione hujus propositionis quæri hîc nonnulla possunt, quæ quia alibi prætermisimus, paucis expedimus.

Quæres primò, utrum voluntas possit saltem per absolutam Dei potentiam necessitari?

Respondeo, absolutè necessitatem voluntati non repugnare; cùm enim voluntas sit natura quædam, non ei repugnant naturales motus ab intimis naturalis propensionis visceribus proficiscentes. Hac de causa & motus indeliberati sæpiùs insurgunt, & in beatitudinem, quam non amare non potest, naturali impetu voluntas fertur. Beati etiam Deum clarè visum omnibus amabilitatis illecebris vestitum non solùm non diligere non possunt, sed nec ab eo diligendo abstinere valent; quia voluntas infinito bono plena non habet ultrà quod quærat, nec potest in eo redamando amaritudinem sentire, vel tædium, cujus natura bonitas est universalis, quæ est objectum voluntatis. Sed de his alibi ex professo disputavimus.

Hoc nihilominus stante, dicendum est, voluntatem in hoc statu, quandiu objectum sibi cum indifferentia ab intellectu proponitur, non posse à Deo necessitari ulla motionis ullius efficaciâ. Quia cùm voluntas sit potentia cæca, in nullum ferri objectum potest, quod à ratione non proponatur; nec alio modo potest, quàm quo ab intellectu exhibetur. Ergo quandiu intellectus objectum aliquod indifferenter proponet, id est quandiu illud vel ut prosequendum, vel ut fugiendum exhibebit, quandiu motiva amoris & fugæ solicitâ collatione exponet, nunquam ab illo rapietur necessariò voluntas, quæ solo summo bono impletur, semperque manebit amplitudo appetitus rationalis, visque electiva mediorum, quandiu non deerit expedita & collativa agendorum consideratio.

Quæres secundò, utrum voluntas, vel creatura aliqua ullam possit à Deo pati violentiam?

Respondeo, nullam à Deo ut authore generali agente voluntati, vel ulli naturæ creatæ violentiam posse inferri. Quia ut *quæst.* 22. *de verit.* & alibi discurrit S. Doctor, quotiescumque supremus rerum moderator naturas creatas immutat vel movet, non earum inclinationibus renititur, sed facit ut præcedenti inclinationi nova succedat, primaque ablatâ, secunda permaneat. Quod hoc exemplo illustrat. Lapidi ratione suæ gravitatis inest inclinatio ad locum deorsum; hac inclinatione manente, si sursum projiciatur, erit violentia: si autem Deus auferat à lapide inclinationem gravitatis, & det ei inclinationem levitatis, tunc ferri sursum non erit ei violentum. Sic igitur supremus provisor nulli creaturæ vim infert, quia semper inclinationum & propensionum infusione cum eis agit, nec potest bellum illud dici violentum, in quo non nisi propensionibus & suavitatibus pugnatur. *Deus creator, & conditor omnium creaturarum nihil contra naturam facit; id enim est cuique naturale, quod ille facit, à quo est omnis numerus, motus & ordinatio*, inquit August. *libro* 26. *cont. Faustum.* An autem à Deo ut authore speciali inferri possit violentia voluntati, vel aliis

creaturis, diversi diversa sentiunt. Affirmativa tamen sententia mihi semper arrisit, & magis principiis S. Thomæ consentanea visa est. Ideo namque juxta D. Thomam & omnes alicujus notæ Theologos, Deus ut author rerum universalis nullam naturis rerum infert vim, quia dum ad aliquid eas movet, simul indit inclinationem ad illud, nec eas immutat, nisi *faciendo ut præcedenti inclinationi succedat alia inclinatio, ita quod prima auferatur, & secunda remaneat*, ut ait D. Thomas superiùs laudatus: Ergo si talem inclinationem Deus non inferat, ut non infert quando agit ut causa particularis, proculdubio homini vim inferet, si aliquid ei contra inclinationem voluntatis infligat; vim quoque creaturis cæteris injiciet, si iisdem inclinationibus manentibus motus eis imprimat repugnantes. *Sicut lapidi*, verba sunt S. Thomæ, *ratione suæ gravitatis inest inclinatio ad locum deorsum; hac autem inclinatione manente, si sursum projiciatur, erit violentia: si autem Deus auferat à lapide inclinationem gravitatis, & det ei inclinationem levitatis, tunc ferri sursum non erit ei violentum.* Quo exemplo nihil nec ad mentem S. Thomæ indagandam, nec nostram sententiam explicandam planius, vel luculentius esse potest.

Confirmatur, & occupantur omnes Salmanticensium & Goneti oppositum sentientium objectiones. Licèt libenter fatear cum SS. Augustino & Thoma, inesse rebus omnibus universalem inclinationem ad faciendum, recipiendumve quidquid in eis Author naturæ voluerit operari: attamen inclinatio illa non est activa, sed passiva, cùm sit ipsa potentia obedientialis, ut expressissimè docet idem Angelicus Magister *quæst. 1. de potent. art. 2. ad 1.* his verbis: *Omnes creaturæ quasi pro naturali habent quod à Deo in eis fit, & propter hoc in eis distinguitur potentia duplex, una naturalis ad proprias operationes & motus; alia quæ obedientia dicitur, ad ea quæ à Deo recipiunt.* At potentia obedientialis non est activa, sed passiva, ut omnes omninò Thomistæ contra Suarem uno ore affirmant. Ergo eatenus habent creaturæ inclinationem ad faciendum vel patiendum quidquid per eas & in eis voluerit Deus operari, quatenus possunt recipere virtutem superadditam, qua ad aliquid præternaturale, vel supernaturale inclinentur; in hoc enim potentia obedientiæ sita est. Sic natura intellectualis habet ad Deum super omnia amore casto diligendum, ad eundemque intuitivè videndum potentiam obedientialem, quia virtutes supernaturales gratiæ & luminis gloriæ recipere potest, quibus hujusmodi operationes vires naturæ excedentes elicere potest. Sic fluxus & refluxus maris (quo exemplo à S. Thoma adhibito abuti videntur adversarii) tametsi naturali aquæ motui contrarius, violentus tamen non est, quia fit ex impressione corporis cœlestis, quod dum aquam ad motum illum insolitum ciet, ei unà indit inclinationem in illum, quâ non minùs suaviter ab oceano refluit, quàm in ipsum naturalis propensionis pondere fluxerat. Sic magnes occultas in ferrum qualitates influit, quibus in eo receptis, ultrò sequitur. Sic in periculo vacui gravia ascendere, levia descendere cernimus, quia causæ superiores, vel in earum defectum causa prima, qualitatem vel permanenter, si opus est, vel transeunter impertit, quâ ad motus illos alioquin repugnantes fortiter & juxtà suaviter inclinantur. Qua de causa idem S. Doctor 2.2. *quæst. 2. art. 3.* creaturas motibus illis præternaturalibus actas non solùm non pati vim, sed speciali quadam ratione perfici & adornari docet. *Dicendum*, inquit, *quod in omnibus naturis ordinatis invenitur quod ad perfectionem naturæ inferioris duo concurrunt: unum quidem quod est secundùm proprium motum; aliud autem, quod est secundùm motum superioris naturæ: sicut aqua secundùm motum proprium movetur ad centrum, secundùm autem motum lunæ movetur circa centrum, secundùm fluxum & refluxum.*

Denique in hoc potissimùm sita est creaturæ intellectualis pœna sempiterna, quòd ejus inclinationibus inflexibilis Deus sensu obluctetur; eique igne instrumento ea imprimat, quibus æternùm resistit. Conantur miseri suppliciis æternis addicti exire de loco & centro tormentorum; ad felicitatem totis viribus anhelant qui non possunt perdere beatitudinis voluntatem, & quo magis nituntur, eo magis sibi obsistere sentiunt inflexibilis Judicis æquitatem. Tunc autem eos violentiam pati res ipsa indicat, & his elegantibus verbis declarat Bernardus lib. 5. de consid. cap. 12. *Quid iniquis voluntatibus tam contrarium & adversum, quam semper conari, impingere semper, & frustra? Væ universo quod obvium fortè offenderis cedere nescia rectitudo. Quid tam pœnale quam semper velle quod nunquam erit, & semper nolle quod nunquam non erit? In æternum non obtinebit quod vult, & quod non vult, in æternum nihilominus sustinebit. Quis hoc facit? Rectus Dominus Deus noster.*

§. IV.

Non potuerunt Semipelagiani esse hæretici, quòd vellent gratiam ad singulos actus necessariam esse talem, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

QUarta propositio ab Innocentio damnata, complexa est: priori parte ait Semipelagianos admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei; posteriori parte in hoc eorum hæresim constituit, quod voluerint gratiæ interiori posse voluntatem resistere, vel obtemperare. De prima, quæ est quæstio facti, & merè historica, nihil impræsentiarum agemus; tum quia de hæresi Semipelagiana supra *dissert. 3.* satis superque edisseruimus, & Pontificiæ censuræ veritatem astruximus; tum quia ad propositionis complexæ & absolutè damnatæ falsitatem sufficit alterutrum membrum à veritate esse alienum. In summa illud unum dicam, tantum abesse, ut Semipelagiani gratiam interiorem illam, qualem Augustinus desiderabat, ad singulos actus, & ad initium fidei admiserint, ut ad eam illis persuadendam integros de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseverantiæ libros scripserit. Quare posteriorem duntaxat partem modò confirmabimus, ostendemusque non solùm Semipelagianos ideò non errasse, quòd dixerint voluntatem posse interiori gratiæ resistere, vel obtemperare, ut potiùs hæreticum sit asserere hominem non posse cuicumque gratiæ resistere vel obtemperare. Licèt enim gratia efficax indeclinabiliter & inseparabiliter voluntatem ad agendum determinet, atque adeo voluntas nunquam illi actu dissentiat; illa tamen non tollit, sed potiùs perficit sibi dissentiendi potestatem. Unde cum quacunque gratia in statu etiam lapso semper remanet activa indifferentia voluntatis, & proxima & expedita dissentiendi resistendique facultas, tametsi nunquam illi voluntas dissentiat vel resistat, quia nunquam resistere vult quandiu in ea affectione permanet, quam ei cœlestis gratia inseminavit.

Probatur

Probatur primum ex Augustino lib. de bono perf. cap. 3. *Credere, vel non credere positum est in arbitrio voluntatis humanæ.* Quod certè intelligendum est supposita gratia, sine qua credere non possumus nisi valde remotè. Si ergo supposita gratia credere, vel non credere positum est in arbitrio voluntatis humanæ, proculdubio gratiæ inspiranti fidem possumus resistere, vel obtemperare. Et in Enchir. cap. 95. *Non se liberabunt qui dicturi sunt, Non accepimus perseverantiam; quoniam potest dici, O homo, in eo quod acceperas & tenueras, in eo perseverares si velles.* Sanè qui gratiâ semel acceptâ perseverat, si vult, utique expeditam habet gratiæ resistendi vel obtemperandi potestatem. Hinc tam sæpè asserit Augustinus, voluntatem non liberrare gratiam, sed gratiâ consequi libertatem, quia per gratiam non tollitur libera resistendi facultas, ut fidus Augustini discipulus Prosper *lib. 2. de vocat. Gent. cap. 28.* exponit: *Deus,* inquit, *ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturo ipsam mutabilitatem, qua potest nolle, non auferat.* Videsis tomo 1. dicta dum de decretis. Ea etiam quæ superioribus paragraphis ex Augustino retulimus, ad præsens omninò faciunt institutum.

Probatur idipsum ex S. Thoma, & omissis innumeris testimoniis sufficient hæc dua evidentissima, quia sole sunt clariora. Primum habet quodl. 1. art. 1. ad 1. *Deus*, inquit, *movet omnia secundùm modum eorum; & ideo divina motio à quibusdam participatur cum necessitate, à natura rationali cum libertate, propter hoc quod virtus rationalis se habet ad opposita; & ideo sic Deus movet mentem humanam ad bonum, quod potest huic motioni resistere.* Et 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4 sic eandem veritatem docet, & probat: *Quia voluntas est activum principium, non determinatum ad unum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam movet, quod non ex necessitate ad unum determinet, sed remanet motus ejus contingens.*

§. V.

Christum pro omnibus omninò hominibus, & non pro salute duntaxat prædestinatorum mortuum esse, veridicè post SS. Augustinum & Thomam Summus Pontifex pronuntiavit.

HAnc veritatem ex professo, *tomo primo, dissert. 9. cap. 1. pag. 381. & sequentibus*, confirmavimus, & rationum & authoritatum momentis, argumentisque in contrarium fecimus satis. Quamobrem selecta duntaxat hîc SS. August. & Thomæ testimonia proferemus. Sed priùs observatu necessarium est, quod stante doctrinâ gratuitæ prædestinationis, quæ maximam jure merito apud omnes Scholas Catholicas authoritatem obtinet, Deus solis electis salutem æternam absoluta voluntare dare decreverit, ex qua voluntate proficiscitur illa gratiarum & beneficiorum series, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur, quorum utique potissimum est finalis perseverantiæ donum. Hinc fit, Christum Dominum paternæ voluntati sibi notæ semper conformem, hoc decretum nec precibus, nec morte sua mutare voluisse: unde sequitur, Christum solis electis absolutè & efficaciter salutem æternam, & perseverantiæ donum promereri voluisse, quos sibi à Patre datos, & de manu sua à nemine raptum iri in Evangelio dixit. Veruntamen quia Deus voluntate antecedente omnium sincerè salutem vult, ex qua voluntate media omnibus offert, quibus possunt ad salutem pervenire; ideo Christus, cujus voluntas omni paternæ voluntati consona extitit, omnium etiam reproborum salutem sincerè voluit, & pro illis obtinendis mediis ad salutem sufficientibus mortem obivit, pretiumque obtulit nedum sufficiens, sed superabundans.

Probatur in primis ex Augustino hanc veritatem variis in locis luculentissimè exprimente. *Judicabit orbem terrarum in æquitate*, inquit in Psalm. 95. *Non partem, quia non partem emit: totum judicare habet, qui pro toto pretium dedit.* Si pro toto orbe terrarum, si pro omnibus quos judicaturus est, pretium Christus salvator omnium, maxime fidelium obtulit, profectò non pro salute duntaxat prædestinatorum, sed pro omnibus mortuus est. Unde ibidem ait: *Quæritis quid emerit? Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est: tanti quid valet? Quid nisi totus orbis. Quid nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut valde superbi sunt, qui dicunt aut illud tam parum esse, ut solos Afros emerit; aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum.* Et ne dicatur eatenus duntaxat secundùm Augustinum, Christum pretium illud pro toto orbe terrarum, pro omnibusque gentibus obtulisse, quatenus in toto orbe terrarum, in omnibusque gentibus electi sunt, pro quibus mortuus est; ne, inquam, id dicatur, audi Augustinum *lib. 6. cont. Julianum, cap. 4.* asserentem, pro illis omnibus mortuum esse, qui peccato originali obstricti sunt; expendens namque illud Apostolicum, *Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, sic habet: *Ex hoc probavit* (Apostolus) *omnes mortuos esse, quia pro omnibus mortuus est unus. Inculco, infercio recusanti, accipe, salubre est, nolo moriaris. Unus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt. Vide quia consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est.* Ubi cum Apostolo probat, omnes esse mortuos, quia pro omnibus mortuus est Christus. Qui discursus Apostolicus & Augustinianus nullius prorsus momenti esset, nisi pro omnibus omninò mortuus sit Servator.

Et ut omni æquivocationi & effugiis via præcludatur, atque clareat pro reprobis sanguinem à Christo fusum fuisse, apertè tradit Augustinus, pro reprobis & Christum orasse, & pro illis sanguinem obtulisse. Orasse quidem pro eis docet *serm. 4. de Sanctis*, his verbis: *Quando Christus in cruce pendens orabat, videbat & prævidebat omnes inimicos; sed multos ex illis amicos futuros prævidebat, & ideo omnibus veniam postulabat. Illi sæviebant, & ille orabat; illi dicebant Pilato: Crucifige; ille clamabat: Pater ignosce.* Obtulisse verò sanguinem pro eis, perspicuè tradit *lib. 2. de Symbolo ad catechumenos, cap. 8.* ubi Christum crucifixoribus suis sic loquentem inducit: *Videtis vulnera, quæ inflixistis; agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam & per vos, & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.* Quod & docuit *in Psalm.* 58. his verbis: *Ille* (Christus) *sic voluit mori, ut sanguine suo effusores ejusdem sanguinis redimeret.* Et de ipso Juda loquens in Psalm. 58. *Non agnovit*, inquit, *Judas pretium, quo ipse à Domino redemptus erat.* Denique secundùm Augustinum pro illis omnibus mortuus est Christus, qui spem salutis concipere possunt: spem autem virtutem theologicam inesse multis reprobis, etiam post gratiæ & charitatis naufragium, apud omnes Catholicos in confesso est. Verba Augustini dulciora super mel & favum, & suavissimam inspirantia consolationem, sunt hæc: *Tales arras accepimus, tenemus mortem Christi, tenemus sanguinem Christi. Erigat ergo se humana*

mana fragilitas; non defperet, non fe collidat, non fe avertat, non dicat: Non ero beatus. Quid tibi promifit Deus, ô homo mortalis? Quod victurus es in æternum. Non credis? Crede, crede: plus eft jam quod fecit, quam quod promifit. Quid fecit? Mortuus eft pro te. Quid promifit? Quod vives cum illo. Incredibilius eft, quod mortuus fit æternus, quàm quod in æternum vivat mortalis. Iam quod incredibilius eft, tenemus. Si propter homines mortuus eft Deus, non eft victurus homo cum Deo? Non eft victurus mortalis in æternum, propter quem mortuus eft qui vivit in æternum? Hæc Auguft. *in Pfalm.* 148.

Aftipulatur S.Thomas 3. p. quæft. 79. art.7. ad 2. *Dicendum*, inquit, *quod paffio Chrifti prodeft omnibus quantum ad fufficientiam.* Si prodeft omnibus quantum ad fufficientiam, profectò pro omnibus paffio Servatoris oblata eft. Et lect. 2. in cap. 2. prioris epift. ad Timoth. *Chriftus*, inquit, *eft propitiatio pro peccatis noftris, pro aliquibus* (electis nimirum) *efficaciter, fed pro omnibus fufficienter; quia pretium fanguinis ejus eft fufficiens ad falutem omnium.* Idem dilucidè tradit *in* 3. *dift.*20. *quæft.*1. *art.*2. *quæft.*1. *ad* 2. his verbis: *Dicendum quod hoc quod omnes homines non reparantur, non eft ex infufficientia medicinæ reparantis, cùm fit fufficiens quantum in fe eft ad reparandum omnes, qui naturam humanam habent, vel habere poffunt; fed ex defectu eorum qui reparationis effectum in feipfis impediunt.*

Non poteft autem dici, S. Doctorem velle Chriftum eatenus pro reprobis mortuum effe, non quòd falutem eorum voluerit, fed quatenus illis auxilia quædam fufficientia promeruit, & publicos gratiarum fontes, & canales in Sacramentis aperuerit. Non poteft, inquam, id dici. Hujufmodi etenim effugium occupavit S. Doctor *in cap.* 8. *prioris epiftolæ ad Corinth.* ibi enim illud Apoftoli exponens, *peribit infirmus in tua fcientia frater, pro quo Chriftus mortuus eft*; fic habet: *Peribit infirmus in tua fcientia frater, propter quem falvandum Chriftus mortuus eft.* Hac de caufa fitim Salvatoris, quam in cruce paffus eft, de fiti falutis omnium nafcente de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine charitatis, interpretatur *lect.* 3. *in cap.* 19. *Ioannis*, his verbis: *Per hoc quod dicit Sitio, oftenditur ejus ardens defiderium de falute generis humani.* 1. *Tim.* 2. *Vult omnes homines falvos fieri. Luc.* 19. *Venit filius hominis quærere, & falvum facere quod perierat. Vehemens autem defiderium confuevimus exprimere per fitim.*

Verùm contra hactenus dicta una fe offert non diffimulanda, fed accuratè explicanda difficultas; quia Janfenius nunquam aliud in his quinque propofitionibus intendit, nec intelligi voluit, quàm doctrinam gratiæ per fe efficacis, à Pontifice & Epifcopis intactæ, & à Catholicis Doctoribus palam & intrepidè propugnatæ; unde cùm dixit, juftis aliqua effe præcepta impoffibilia, non omnem poffibilitatem exclufit, fed illam quæ omnia ad piè agendum neceffaria complectitur: & quia jufti dum tentationibus fuccumbunt, in peccataque labuntur, gratia illa victrici carent, qua præfente nunquam vincimur; ideò ufitata Patribus loqutione dixit Janfenius, aliquando juftos præcepta Dei fervare non poffe, & deeffe illis gratiam qua poffunt, quia nimirum ejufmodi poteftatem non habent, quæ complectitur omnia ad agendum neceffaria, cùm gratiam efficacem ad operandum neceffariam non habeant, & tunc folùm perfectè poffe dicantur, cùm uberioribus illis & efficacibus auxiliis adjuvantur, fine quibus nunquam contingit, ut vel oremus ficut oportet, nifi cùm operantur ut oremus, nobifque interpellandi & gemendi infpirant affectum; nec ut Dei mandata fervemus, nifi cùm faciunt ut in ejus præceptis ambulemus; nec denique ut dæmonis tentationes fuperemus, nifi cùm nobis victoriam largiuntur. Cæterùm impoffibilitatem præceptorum à gratia habituali, & auxilio fufficienti Thomiftico, ultra quod requiratur aliud per fe efficax, proficifcentem non exclufit; cùm exertè proteftetur, de hujufmodi gratia fufficienti Thomiftarum non effe fuam controverfiam; quin & in propofitione damnata illam admittat, cùm jufti volentis & conantis, fed fuccumbentis motus fint illius gratiæ effectus.

Eundem in aliis propofitionibus fenfum unum quæfivit. Cùm enim dixit Janfenius gratiæ interiori nunquam refifti, de gratia per fe efficaci loquutus eft, cui nunquam ita refiftitur, ut effectu illo privetur, ad quem permovet voluntatem, juxta illud Ifaiæ: *Verbum quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, fed faciet quæcumque volui.* Illud item Salvatoris: *Omnis qui audit, dicit Veni.* Illud denique Auguftini: *Hæc itaque gratia, quæ cordibus hominum divina largitate tribuitur, à nullo duro corde refpuitur.* Similiter cùm dixit Janfenius, ad merendum, vel demerendum non requiri libertatem à neceffitate, voluit duntaxat non requiri libertatem à neceffitate infallibilitatis, quæ à gratia efficaci indivulfa eft. Cùm enim illa effectum fuum indeclinabiliter inferat, eo fenfu neceffitatem ab ea inferri docuit. Sicut ergo fine gratia efficaci non poffe homines mandata fervare dixit, quia tunc completiffimè dicimur poffe, quando voluntas fic præparatur per gratiam, ut velit: fic gratia illa præventos neceffariò agere fcripfit, quia omnibus neceffariis inftructi funt, cum quibus femper actio conjuncta eft.

Eodem modo cùm dixit Semipelagianos in hoc fuiffe hæreticos, quòd dixerint poffe homines gratiæ interiori refiftere vel obtemperare, non intendit negare omnem refiftendi vel obtemperandi poteftatem, fed eam duntaxat, quæ cum effectu conjuncta eft; id eft, noluit gratiam efficacem effe talem, cum qua de facto diffenfus componatur, & in hoc fenfu dixit, non poffe nos gratiæ refiftere. Nam cæteroquin gratias inefficaces, & auxilia Thomiftico fenfu fufficientia non negavit. Nec obeft, quod ea in negotio concordiæ libertatis humanæ, & gratiæ divinæ non adhibuerit: non obeft, inquam; tum quia nec ad eam recurrunt Silvius & Eftius, aut etiam Bellarminus, qui *lib.*6 *de grat. & lib. arbit.* omnibus actu conferri auxilia fufficientia inficiatur; nec SS. Auguftinus & Thomas (efto illa admiferint, de quo impræfentiarum non difputamus) ad illa inter confutandos Pelagianorum errores confugiffe leguntur. Tum quia fub ambiguo auxilii fufficientis nomine non mediocris latitat æquivocatio; alii enim per auxilium fufficiens illud intelligunt, ultra quod nihil à Deo expectatur, fed folus exigitur voluntatis determinantis, ipfumque applicantis ufus; alii per auxilium fufficiens illud interpretantur, quod refpectu actus principalis, ad quem tendit, inefficax quidem eft; nihilominus refpectu actus imperfecti, quem Deus operatur, ad quemve efficiendum decreto abfoluto divinæ voluntatis proximè & immediatè deftinatur, femper efficax eft; alii per auxilium fufficiens illud unum intelligunt, quod omnia ad agendum neceffaria, fubindeque gratiam per fe efficacem fine dubio ad pia opera neceffariam complectitur. Ne ergo Janfenius his fe nodis implicaret, auxilii fufficientis non meminit.

Denique

Denique dum Jansenius Christum pro salute omnium mortuum esse inficiatur, pro solisque prædestinatis sanguinem fudisse contendit, vult solùm non pro omnibus, sed tantùm pro electis efficaciter mortem obivisse Redemptorem; quia solùm uberiora illa auxilia promeruit, promererique voluit, sine quibus nemo etiam justus in accepta justitia perseverat, cùm cæteroquin reprobis media sufficientia obtinuerit. Ergo cùm sensus gratiæ per se efficacis à Jansenio unicè intentus, quemve pati possunt quinque propositiones memoratæ, sit orthodoxus, non potuit, nec debuit propter illas damnari.

Respondeo certissimum esse, gratiæ per se efficacis sensum esse catholicum & orthodoxum, nec illi constitutione sua præjudicium ullum inferre velle, vivo vocis oraculo Innocentius declaravit, confirmavit diplomatis suis Alexander VII. & ipse P. Annatus suprà citatus, hujusque causæ præcipuus actor, ac totius negotii testis ocularus non diffitetur. An illum duntaxat intenderit Iansenius, vel alium, non declaravit Innocentius, sed quinque propositiones in suo naturali, quem præ se ferunt sensu à Galliarum Episcopis sibi oblatas, suoque judicio suppositas hæreticas declaravit. An reapse enim illum gratiæ per se efficacis sensum obtenderit, est quæstio facti, de qua nihil Innocentius, solius juris determinatione contentus. Ipse tamen Alexander declarat propositiones in ipso Jansenii sensu fuisse damnatas; quæ decisio omni qua par est reverentia excipienda est, quia prudenter illum fuisse Iansenii sensum Pontifex arbitratus est, quem verba ipsa in suo naturali sensu indicant, cùm oratio sit mentis interpres, & interioris animi sensus manifestatio. Quin etsi ex alicujus Authoris contextu, vel collatis prolixi operis sententiis possit alius sensus erui, non tenentur Pontifices, non tenetur Ecclesia illa omnia inquirere, quia solis sacris literis, solis Sanctorum Patrum dictis hanc debet reverentiam, ut obscura & difficilia eorum verba, inquisitis reconditis eorum sensibus explicet, piisque interpretamentis exponat; alia verò filiorum suorum, vel quorumvis Authorum asserta, prout sonant, judicare, & si in naturali, & ultrò se ingerente sensu erronea sint, & à veritate aliena, ea sine cunctatione proscribere, sine distinctione damnare potest. Cùm ergo ille propositionum quinarius inveniatur regulis fidei adversus, & à Patribus & Conciliis prædamnatus, potuit & debuit ab Ecclesiæ Capitibus simpliciter censurâ inuri, & erroribus accenseri; nec tenebantur inquirere an in operis prolixi decursu solius gratiæ per se efficacis sensum Author intenderit: quia quemcunque sensum alibi prætenderit, satis est ut damnetur, quòd ea simpliciter affirmet, quæ in connaturali, & aperto sensu inveniuntur à fide aliena. An autem Ecclesia in exprimendis, discernendisque authoris sensibus possit errare, idem dicendum est, quod de quæstionibus facti dici solet, nimirum non esse necesse, omne Pontificum & Conciliorum judicium de quacumque re, etiam ex informatione factorum, & circumstantiarum pendente, sine delectu defendere; quia hoc non est Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ authoritatem fovere, sed labefactare, & hæreticorum ludibrio & sannis exponere. Neque enim adulatione nostra eget Petrus, Petrique successor; & prima Sedes veris cumulata prærogativis, falsis non indiget, ut posteà dicemus, & fusè, dum de summo Pontifice, dissertatione præambula libri tertii, *cap.* 2. *specul.* 2. *coroll.* 2. & 3. diximus.

REFLEXIO.

Si sancta Sedes Apostolica ad incorruptam Sanctorum Augustini & Thomæ amussim suas definitiones exigendas judicavit, quis constantem his sacris Doctoribus adhærendi voluntatem, pecuinum obsequium appellare cum Petro à Valle-Clausa præsumat? Certè si præscriptas ab utroque illo veritatis interprete metas Theologi religiosè custodirent, non tot luxuriantium ingeniorum, quibus puerorum more, ut Chrysostomus in prologo super Matth. ait, picta magis quàm solida placent; quive magis amœnitate foliorum conspergi gaudent, quàm fructuum ubertate nutriri, novitatibus sacra doctrina pateret. Quis nescit, nihil ad doctrinæ sanæ incorruptam firmitatem conferre magis, quàm si unus Magister eligatur, ab Ecclesia præsertim consecratus, à quo ne latum quidem unguem recedere liceat? Cùm teste Augustino *lib.* 2. *de serm. Domini in monte*, *cap.* 2. vehementer metuendum sit, ne studio altercandi, novaque invehendi quisque non videat quod à paucis videri potest. His temporibus, ut cum Tertulliano *lib. de anima*, *cap.* 2. loquar, latè quæruntur incerta, latiùs disputantur præsumpta: & quanta est probandi difficultas, tanta est operositas suadendi; cùm tamen Christianis paucis ad scientiam opus sit. *Nam & certa semper in paucis, & amplius illis quærere non licet, quàm quod invenire licet.* Observat Epiphanius *lib. de hæresibus*, *hæresi* 64. primitivæ Ecclesiæ puritatem illud conservasse illibatam, quòd paucos Authores, eosque probatos, concordes, & uniformes sequi daretur. *Valde pauci*, inquit, *expositores erant, cùm hi qui tunc erant, conarentur non delectare, sed juvare præsentes. Ex quo autem deinceps ad levitatem res devenit, ut omnibus liceat interpretari Scripturas, & omnes ad faciendum quidem bonum hebetati sunt opinione referti, jactantes se velut qui omnia cognoscere possint.* Si in naturalibus scientiis suum unaquæque Principem agnoscit, à quo discedere nefas sit; si Peripatetici Aristotelem, Academici Platonem, Rhetores Latini Tullium, Græci Demosthenem, Astrologi & Mathematici Ptolomeum & Euclidem ut Magistros venerantur, quidni in sacra Theologia, ubi de rebus gravissimis agitur, Doctoribus illis adhærebimus, quos sibi in controversiis duces & normas ipsi Pontifices, ipsa sacra Concilia præstituerunt? Quidni timebimus, ne unicuique nostrûm instabili proprii ingenii libertati relicto illud contingat, quod habetur Job 11. *Vir vanus in superbiam erigitur, & quasi pullum onagri se liberum natum putat?* Nemo ergo ægrè ferat, si D. Augustinum Theologiæ Principem, naturæ genium, gratiæ nutritium, Catholici orbis Magistrum, in quo pietas & scientia certant, & dubium quæ palmam ferat, cæteris omnibus anteponendum affirmemus; ejusque discipulo Aquinati, quòd Augustini doctrinam tutatus sit, eamque miro ordine exposuerit, id obsequii præstemus, omnemque emergentem de dogmatibus ac moribus quæstionem, ad illorum scripta exigamus, & si cum illis consenserint, retineamus, sin minùs abjiciamus? Sanè si teste Tertulliano, pluralitas numinum est nullitas numinum; ita quoque necesse est multitudinem in doctrina Principum aut Ducum id efficere, ut nullus sit Dux, Princeps nullus: ubi autem Princeps non est, ubi nullus regat Dux, contingat confusio, contingat prorsus disturbatio necesse est, quia regnum in seipso divisum desolabitur.

Post tot Apostolicæ Sedis judicia infrà referenda,

quibus Magistri Augustini, & Discipuli Aquinatis doctrina consectata est, merito utriusque sacri Doctoris sectator verè & intrepidè usurpaverit, quod Hieronymus *epist. ad Damasum*, scripsit: *Si hæc nostra confessio Apostolatus tui judicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitum, vel malevolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Absit ergo, absit prorsus, ut venerandam Augustinianæ doctrinæ canitiem novellis Authoribus, quibus una opinio dux & lux est, postponamus. Absit ut in rebus fidei, vel doctrinæ liberum unicuique sit habere pro voluntate sermonem. Absit ut adversùs antiquos veritatis Magistros insolenter insurgamus, & indisciplinato opinandi prurito prædicatoribus veritatis obstrepamus. Sed potiùs ut in causa Augustini Cœlestinus olim pronuntiavit, desinat novitas lacessere vetustatem, desinat Ecclesiarum quietem inquietudo turbare, quæ conatur sæpe naufragio mergere, quos intra portum stantes statio facit fida securos. Stantes super vias, juxta consilium Jeremiæ *cap. 6.* interrogemus de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulemus in ea, & inveniemus requiem animabus nostris. Sacrum depositum, jubente Apostolo 1. *Timoth. 6.* custodiamus, devitantes prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ. Illos suspectos habeamus, aut minùs tutos, qui putant sibi gloriam non mediocrem comparasse, si quid contra antiquos sapiant, & aliquid novi, ut periti videantur, inveniant; scriptum est enim Ecclesiastici 8. *Non te prætereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt à Patribus suis; quoniam ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum.* Unitatem sectemur, quâ sine veritas nulla consistit, cùm & omne quod est, ut Boëtius dixit, tandiu maneat, quandiu est unum; tuncque intereat, cùm dissolutum unum esse desierit. *Manifestum est*, inquit D. Thomas in caput 4. Dionysii de divin. nom. *quod circa unum non contingit nisi uno modo verum dicere, sed multipliciter à veritate errare contingit; & ideo illi, qui cognoscunt veritatem, conveniunt in una sententia; sed illi qui ignorant, dividuntur per diversos errores.* Felix ergo necessitas, quæ in meliora impellit, dum tutis nos Augustini & Aquinatis dogmatis astringit. Non est turpe nobis Doctoribus illis supponi, eisque submittere fasces, quos Deus & Mater Ecclesia super omnes extulit. Non confundamur eorum esse discipulos, quos agnoscit Ecclesia Magistros.



DISSERTATIO VI.

Cæterarum coronis.

Commendatio Sanctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis Doctoris Angelici.

Ac dissertatione gravissimas de gratia disputationes coronamus, unde exordiri debueramus. Cùm enim Sancti Augustinus & Aquinas Doctores sint, quos nobis in materia de gratia Ecclesia duces præstituit, ab illorum elogiis videbantur sumenda primordia, à quorum authoritate præcipua sententiarum scholæ nostræ munimenta deprompsimus. Verùm satius duximus doctrinam Augustino-Thomisticam in toto veluti splendore suo proponere, & eam tandem tantorum Doctorum nomine veluti sigillo obsignare.

Sed advertendum nobis prius est, ingentes illas de gratia difficultates, unde tot olim exorta, tot quotidie exoriuntur dissidia, non solùm è rerum ipsarum profunditate, sed etiam è variis sacrarum Scripturarum locis in speciem pugnantibus enasci, quæ dum suo quisque sensu interpretatur, ad illam, quæ magis arridet, sententiam detorquere solet. Quâ ergo methodo tot interminabiles quæstiones finire, tot excitatos pugnantium animorum æstus sopire licebit? Certè inter illas veritatis latentis tenebras, juxta consuetum Catholicorum morem, ad Ecclesiæ Orthodoxæ, Catholicæ, & Romanæ authoritatem confugiendum est, ad quam in omnibus de fide litibus verum Scripturæ sensum internoscere, & notum fidelibus aperire, apertumque credendum proponere & jubere spectat. Tunc porrò legitimum Scripturarum sensum Ecclesiam inquirere, & docere certissimum est, quando enatæ alicujus hæreseos occasione serio & accurato examine testimonia illa ponderat, quibus & hæreticorum novitates prophanas retundat, & difficultatibus ex aliis objectis locis occurrat, & antiquæ suæ fidei possessionem, & super fundamentum Apostolorum & Prophetarum stabilitam præscriptionem confirmet. Id autem præstat Ecclesia eorum ore, vel calamo, quos sibi pro tempore Deo providente eligit, tum ad mentem suam explicandam, cùm ad impiorum ora obturanda. Sic Ecclesia Athanasii ad confundendos Arianos nati, Leonis Magni divinæ Incarnationis œconomiæ vindicis, & aliorum suâ quaque ætate hæreticarum novitatum flagellorum sensus consecravit. Atqui testantibus Summis Ecclesiæ Capitibus infrà referendis, Augustinum ad Pelagianos, Semipelagianosque profligandos, ad confutandos verò omnes omninò hæreticorum & infidelium errores Aquinatem elegit Deus ex omni carne, & ut phrasi Ecclesiastici utar, dedit illis coràm præcepta & legem vitæ & disciplinæ docere, Iacob Testamentum suum, & judicia sua Israël.

Hunc igitur utrumque sacrum Doctorem, tanquam Ecclesiæ vocem & oraculum simul conjungimus, quia inter utrumque non tam similitudo, quàm identitas, & spiritûs ac pietatis intima velut transformatio invenitur. Etenim quamlibet varia sit in operibus suis gratia naturæ fœcunditate nihilo inferior; attamen in conformandis Sanctorum animis delectatur Deus, qui & eadem distinctis in vultibus lineamenta interdum describit. Omnibus quidem sæculis præstantes doctrina & pietate viros Ecclesiæ suæ providit Deus, qui sacrum Religionis depositum & fide sua custodierunt, & eruditione illustrarunt. Sed salvâ, quæ debetur, maximâ viris summis reverentiâ, id veridicè pronuntiaverim, præclara illa Ecclesiæ lumina, vel operum angustiis & brevitate, vel specialium sectatorum raritate & infrequentia quibusdam veluti limitibus circumscripta fuere. At in Augustinum & Thomam omnes universæ Theologiæ thesauros infudit Deus, quibus & arcanas Catholicæ fidei veritates elucidarunt, & mores omni castimoniâ informarunt, & veræ Theologiæ Magisterium sibi justissimè compararunt.

Scio equidem nonnulla inter utrumque sacrum Doctorem interesse discrimina; nam & totius vitæ tenor, & scribendi modus prorsus distincti fuere. Fuerunt enim Augustini initia erroribus ac vitiis

sordida;

sordida ; perpetuus autem S. Thomæ fidei & Sanctimoniæ candor nullo unquam nævo infuscatus. Scribendi etiam Augustini ratio soluta, vehemens, ornata, & in exponendis reconditioribus mysteriis Oratoris numeris omnibus absoluti munus implens, à stricta, simplici, & Scholastica S. Thomæ dictione immensùm ferè discrepans. Sed hæ veluti accidentales differentiæ præcipuam, & quasi essentialem utriusque consensionem demonstrant. Nam in Augustino semel converso, & novâ post baptismum creaturâ idem fidei zelus, idem charitatis ardor, earundem virtutum amor enituit, qui in S. Thoma sine eclipsi claruerunt. Pro Ecclesia uterque adversus Gentes, Judæos, Hæreticos peræquè laboravit; uterque divini amoris flammas peræquè expertus est; uterque orationi, contemplationi, sacrisque studiis peræquè vacavit; uterque humilitatis peræquè amans: Augustinus oamque flens ad presbyteratum promotus, Aquinas non sine lacrymis Doctoris gradui initiatus; ille resistebat, ne fieret Episcopus; iste ita restitit, ut plures Episcopatus oblatos repudiarit: ille opera retractavit, iste plures suas sententias correxit. Sub diverso etiam dictionis cortice, & scribendi methodo idem de veritate sensus, eadem circa mores doctrinæ castimonia, eadem ubique sententiæ, eadem mentis capacitas, idem acumen, eadem judicii acerrimi maturitas, eadem soliditas, iidem nervi, idem scriptoris semper sibi constantis ingenium. Denique sicut Augustini regulam in Dominicana familia Aquinas professus est, ut sanctos tanti Patris mores exprimeret; sic ejusdem doctrinæ germanum sensum ita ebibit, ut totidem, & individuæ Augustinani ingenii dotes in Aquinatem transmigrasse videantur.

Eadem etiam sors utrique obtigit; ambo enim infensissimos doctrinæ hostes & obtrectatores, ambo doctrinæ suæ intrepidos defensores, ambo Summos Pontifices protectores habuerunt. Non improbabit igitur æquus Lector, si utrumque Doctorem communi encomio celebrandum aggrediar, cui pietatis & doctrinæ spiritus non tam communis fuit, quàm idem. Id autem, ni fallor, solidè, fideque præstabimus, si sacri Doctoris tesseras & veros characteres utrique Sancto eximios afferamus, & juxta præclaram methodum à doctissimo Magistro Dominico Gravina initam singulas eximiæ doctrinæ notas decurramus.

Primum Elogium.

SS. Augustinus & Thomas antiquitatis, universitatis, & consensionis amantissimi.

PRima præstantis Ecclesiæ Doctoris nota est amor antiquitatis, odium novitatis, juxta illud Apostolicum 1. Timot. 6. *O Timothee, depositum custodi, devitans prophanas vocum novitates.* Hoc est, ut tam sæpe ex Lirinensi inculcavimus, quod tibi creditum est, non quod excogitasti; rem non ingenij, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non à te prolatam; in qua non author debes esse, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. Unde Magnus Gregorius 20. *Moral. cap.* 18. omnes hæreticos vocat juvenes. *Omnes heretici*, inquit, *ætati universalis Ecclesiæ comparati, juniores tempore congruè vocantur, quia ipsi ab ea, non ipsa autem egressa est ab illis; unde & per Joannem dicitur, A nobis exierunt, & ex nobis non sunt.* Hinc etiam Chrysologus omnes hæreses solâ suâ novitate explodi & revinci ait, loquens de Christi nativitate *serm.* 145. his verbis: *Humanæ leges intra triginta annos litigiosas omnes interimunt quæstiones; & Christus citra quingentos annos* (quanto minùs mille sexcentos) *nativitatis suæ causas præstat, orius sui lites patitur.*

Atqui Augustinus, & Aquinas fuerunt antiquitatis studiosissimi. Ille quidem, nam omnes hæreticos & schismaticos ab Ecclesiæ Catholicæ non interrupta serie, & antiqua consuetudine confundebat; unde & Pontificum Romanorum sibi post Petrum perenniter succedentium catalogum texendo, argumentum à possessione adversùs Manichæos libro contra epistolam Fundamenti urgebat, ut alibi operosissimè prosequuti sumus. Hinc etiam licèt antiquitatem errorum condemnet, quia Christus non dixit, *Ego sum consuetudo*, sed *Ego sum veritas*, & manifestæ veritati cedere debeat consuetudo; attamen hoc perpetuum Novatorum effugium conterit S. Doctor variis locis, nominatim *lib. 6. de Baptism. hæret. cap.* 77. quia dum fatentur antiquitatem pro nobis stare, & sibi favere veritatem non demonstrant, manifesti sacrilegii & schismatis reos se produnt. Maximè, quia si erroribus tota Ecclesia corrupta est, *de qua caverna isti sine originali veritate, & cum calumniæ calliditate procedunt? Si verò recta fuerat consuetudo, quia hic accipiebantur hæretici, relinquant furorem, fateantur errorem, veniant ad Ecclesiam, non ut retingantur sacramento Baptismatis, sed ut curentur à plaga concisionis.* Itaque voluit semper Augustinus consuetudinem quidem veritati innixam esse oportere, sed veritatem nunquam sine antiquitate consistere; à novitate abhorrere, & à vetustate inconcussam firmitudinem obtinere. *Hoc planè verum est, quia ratio & veritas consuetudini præponenda est, sed cùm consuetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmiùs retineri.*

Ejusdem etiam antiquitatis tenacissimus fuit S. Thomas, qui licèt ab infinitis dotibus celebrari possit, à servata tamen in docendo antiquorum doctrina, & explosa humanarum adinventionum novitate, cæteris Scriptoribus antecellit. Ornavit ille quidem innumeris compendiis Theologiam, adjecit gratiam, splendorem, ordinem, decorem, venustatem, gemmas sculpsit, suisque locis coaptavit; fidei depositum expolivit, sed nihil mutavit, trita vetustatis vestigia semper insectatus. Quid enim aliud sunt Aquinatis libri, quàm antiquæ fidei propugnatio, veterum Patrum apologia, & traditionum Apostolicarum fidelis observantia? Nunquam Doctor ille ad dexteram vel sinistram declinans proprios sensus obtrusit, nunquam Scripturarum explicationem ex suo ingenio petiit, nunquam divinæ legis præceptis exceptiones apposuit pro arbitrio; sed antiquum Ecclesiæ Catholicæ sensum ad nos traditione propagatum semper retinuit, Sanctorum Patrum dicta velut inextinctas quasdam, semperque lucentes faces semper sequutus est, ad Conciliorum decreta, ad incorruptibiles Ecclesiæ regulas, ad tritam Sanctorum viam omnes suas resolutiones exegit.

Hinc eximii Theologi Franciscus Sylvius, Gravina, & novissimè Vincentius Baronius S. Thomam Doctoris Communis illustri nomine decorarunt, quia illi veridicè illud accommodare licet, quod de Episcopo Musonio Basilius *epist.* 62. reliquit: *Custos fuit rituum paternorum, inimicus novandarum rerum, nihil de suo, nihil quod nova alicujus cogitationis inventum reciperet, attulit hic vir; sed juxta benedictionem Moysis ex ipsis arcanis cordis sui, ac bonis thesauris veterum, & quæ ante faciem*

juniorum

juniorum vetera essent, proferre novit. Hac sanè ratione in ipsis consortium, & coaqualium consiliis primo honore potitus est, non propter atatis prarogativam, sed quoniam omnes sapientia vetustate superabat. Prima ac penè una Sanctissimi Præceptoris cura fuit, quid Scriptura, quid consuetudo Ecclesiæ in omnibus, ut ipsemet alicubi ait, æmulanda; quid Patrum conspiratio de quaque re doceret, ut immobili illi fundamento doctrinam suam cœlestem astrueret. *Hinc*, inquit Vincentius Baronius laudatus *lib.* 1. suo apologetico, sect. 1. art. 2. §. 1. *Doctoris Communis nomen assequutus est, quia viam tritam Patrum calcavit semper, & fugit diverticula. Singularissimus quidem est Doctor, & multa recondita, & superioribus saculis ac Doctoribus occulta invenit: sed hoc Doctoris Communis titulo nulla ratione adversatur. Duo enim in quolibet Doctore distinguenda sunt, nempe sententia, & argumenta quibus propugnatur. Communissimus est Thomas sententiis, quia via regiâ incedit, duce Verbo Dei vestigia Patrum sequutus. Singularissimus est inventione argumentorum, à quibus nihil est periculi, si deficeret; plurimùm est laudis, si efficacia sint. Antequam bos ille mutus loqueretur, adivit, & consuluit oracula Scriptura, quibus exceptis mugire cœpit, habenas ingenio suo laxavit sine lapsus aut erroris periculo, quia securus erat via, quâ incedebat, trita Patrum, à qua ne latum quidem unguem permisit sibi recedere.*

Et sanè omninò suis principiis consentaneus fuit Doctor Angelicus, dum Patrum venerandæ antiquitati semper & indivulsè adhæsit. Etenim antiquitatis tesseram usque adeò veritati doctrinæ censuit necessariam, ut ipsi Evangelio etiam quando prædicari cœpit, non defuisse præclarè observaverit, exponens illud Apostoli, *Evangelium Dei quod antè promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis, de Filio suo, qui factus est ei de semine David, &c.* ubi ait: *Commendatur Evangelium ex antiquitate; quod fuit necessarium contra Paganos, qui Evangelio detrahebant, quasi post longa tempora subitò ejus pradicatio esset exorta. Et ad hoc exhibendum dicit: Quod antè promiserat per Prophetas suos. Quia licèt ex tempore certo pradicari inceperit, antè tamen pranuntiatum fuit divinitus.*

Atque ex his sponte sua fluunt duæ aliæ hujus elogii partes, nimirum Augustinum & Aquinatem fuisse doctrinæ universitatis, & consensionis peramantes; antiquitatem enim veræ doctrinæ comitatur & locorum universitas, & Patrum conspirantium concordia. Hoc enim verè catholicum jure merito credimus, quod semper, quod ubique, quod à Patribus idem edocentibus in Ecclesia traditum est. Porrò adeò fuit illius doctrinæ universitatis amans, ut nunquam fortiùs in Donatistas & Pelagianos argumentorum sagittas vibrarit, quàm dum illas ex illa pharetra, id est ex universitatis loco deprompsit; quia, inquit, quæcumque secta, quæ post propositum Evangelium in angulis sedet, concubina est, non matrona; & Catholica idcircò dicitur Ecclesia, quia ubique terrarum diffusa. *Quaritis quid emerit*, inquit in Psalm. 95. *Videte quid dederit, & invenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est. Tanti quid valet? Quid nisi totus orbis? Quid nisi omnes gentes? Valde ingrati sunt pretio suo, aut multùm superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parvum esse, ut solos Afros emerit; aut se tam magnos esse, pro quibus solis illud sit datum.* Et epist. 161. *Sicut de Ecclesia prophetatum est, per orbem terrarum diffusam videmus; arbitramur nos non debere dubitare de tam evidentissima completione sancta prophetia, quam Dominus in Evangelio confirmavit, & Apostoli, per quos eadem Ecclesia dilatata est, sicut & de illa pradictum erat. Nam & in capite sacrosancti Psalterii scriptum est de Filio Dei: Postula à me, & dabo tibi gentes hareditatem tuam, & possessionem tuam terminos terra.*

Hanc universitatem, cujus tantoperè amans fuit, doctrinæ suæ ascivit Augustinus, quia ut ait Cœlestinus Papa, *benè de eo omnes in commune senserunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Ejus doctrinam orbis Christianus amplexus est, literarius demiratus.* Idem discipulo Aquinati contigit; unde Clemens IV. Universitatis Tolosanæ Magistris præcepit, ut ejus *doctrinam tanquam catholicam & veridicam studeant ampliare.*

Idem etiam de consensione Patrum perspicuum est, & potest sic breviter formari argumentum. Consensionem Patrum sequimur, si in ipsa vetustate omnium, vel certè penè omnium Doctorum & Episcoporum definitiones, sententiasque sectemur, ita ut quidquid vel omnes, vel certè plures uno, eodemque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, velut quodam consentiente sibi Magistrorum consilio, accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Hinc præclarè Gregor. VII. *Videntes*, inquit, *ordinem Christiana Religionis multis iam labefactatum temporibus, & principales, ac proprias lucrandarum animarum causas diu prolapsas, & suadente diabolo conculcatas; concussi periculo, & manifesta perditione Dominici gregis, ad Sanctorum Patrum decreta, doctrinamque recurrimus, nihil novi, nihil adinventione nostra statuentes; sed primam, & unicam Ecclesiastica disciplina regulam, & tritam Sanctorum viam, relicto errore repetendam, & sectandam esse censuimus.*

Atqui SS. Augustinus & Thomas illius Patrum consensionis studiosissimi fuere; ille quidem, ut patet in libris contra Julianum, ubi hæreticum illum concordi Patrum sententia retundit. Eius longè præclarissimas hac de re sententias præambulâ dissertatione secundi voluminis in variis ad Novatores nostros reflexionibus protulimus. Videatur etiam *lib.* 2. *de peccatorum meritis & remiss.* ubi enumeratis Patrum simul conspirantium vocibus, ait: *Hac non ideò commemoravi, quasi disputatorum quorumlibet sententiis tanquam canonica authoritate nitamur, sed ut appareat, ab initio usque ad prasens tempus, quo ista novitas orta est, hanc de originali peccato Ecclesia fidem tantâ constantiâ custoditam.*

Sanctum verò Thomam in omni sententiarum suarum delectu Patrum consensionem sectatum fuisse, solus ille ignorat, qui opera ejus nec à limine salutavit; cùm enim inter infinitos articulos nullus fermè sit, qui non alicujus Patris, Augustini præsertim, Patrum sine controversia facilè Principis, authoritate fulciatur, meritò de illo dici quit quod de Angelo ad Danielem misso scribitur Danielis 10. *Vox sermonum ejus, vox multitudinis.* Quid enim aliud est Angelica S. Thomæ doctrina, quàm succus è sacris Doctoribus eliquatus, Patrum & Conciliorum medulla, & totius antiquitatis doctrinæ quinta essentia, & sacrum elixir. Unde eleganter Petrus Labbe canit in suis elogiis: *Mysteriorum compendium est Summa Thoma. Collegit in ea quidquid doceri potest, aut sciri. Inclusit Ambrosios, Hieronymos, Augustinos, Gregorios. Inclusit seipsum major seipso, & minor. Epitomen fecit aliena sapientia, & summam sua. Didicit omnes qui Thomam intelligit; nec totum Thomam intelligit, qui omnes didicit.*

SECUNDUM

Secundum Elogium.

SS. Augustinus & Thomas ab Apostolica Sede comprobati.

SEdis Apostolicæ approbatio est lapis lydius adulterinam à pura & legitima doctrina discernens. Petro etenim & successoribus fratrum in fide confirmandorum potestatem Christus contulit; cùm videamus & ipsum Doctorem Gentium magisterium Petri consuluisse, Jerosolymam venisse, apud eumque quindecim diebus mansisse, *ne fortè*, ut ipse ait, *in vacuum curreret, aut cucurrisset*; & Concilia œcumenica Romani Pontificis approbationem postulasse; & Augustinum, quæ in libris contra duas epistolas Pelagianorum scripsit, ad suam dirigere Sanctitatem, *non tam*, inquit, *defenda, quàm examinanda, ubi si fortè aliquid displiceat, emendanda constitui*; & Hieronymum à Romanæ Sedis fide se indivulsum prædicasse locis alibi citatis; & S. Bernardum *epist. ad Lugdunens.* eandem reverentiam profiteri: *Quæ dixi*, inquit, *absque præjudicio sanè dicta sint sanius sapientis: Romanæ præsertim Ecclesiæ authoritati atque examini totum hoc, sicut & cætera, quæ hujusmodi sunt, universa reservo; ipsius, si quid aliter sapio, paratus judicio emendare*; & Petrum Damianum hæc scribere: *Nos si quid erravimus, ad Petri magisterium corrigendi libenter accedimus, & retractationis opprobrium non veremur. Hæc est enim illa officina fabrilis, cui nimirum is, qui fabri filius dicebatur, filius præsidet: ad cujus regulam omnis meritò moneta reducitur, ad cujus rectitudinis lineam quidquid uspiam depravatum fuerit, reformatur*; D. denique Thomam, omissis aliis, in epistola Catenæ Aureæ præfixa, & Urbano IV. dicata, sic habere: *Suscipiat vestra Sanctitas præsens opus vestro discutiendum, corrigendumque judicio, vestræ solicitudinis obedientiæ meæ fructum, ut dum à vobis emanavit præceptum, & vobis reservetur finale judicium; ad locum enim unde exeunt flumina, revertuntur.*

Atqui Augustini, Aquinatisque doctrina à supremis Ecclesiæ Capitibus non tam approbata, quàm consecrata fuit. Mirum enim est, quot & quantis cœlestem Augustini doctrinam Summi Pontifices præconiis celebrarint. Etenim S. Innocentius I. in responsione ad Synodum Carthaginensem atque Milevitanam, quarum Augustinus anima, & ingenium fuit, ait nihil ab illis Conciliis prætermissum, nihil suppressum; illorum Patrum relationem Scripturarum relationibus esse plenam, nec aliquid quod ad causam possit proficere, prætermisse. Literas etiam utriusque Concilii ab Augustino scriptas, *plenas fidei* appellat, *totoque catholicæ religionis vigore firmatas.* Cœlestinus etiam Papa *in epist. ad Episcopos Galliæ*, sic Augustini scripta & doctrinam sua approbatione firmat, his verbis: *Augustinum sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis rumor aspersit, quem tantâ scientiâ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimus etiam à meis prædecessoribus haberetur. Benè ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote qui omnibus ubique cunctis amori fuerit & honori.* Cui eximiæ Augustini commendationi nihil addi potest præter observationem S. Prosperi lib. contra Collat. cap. 43. *Librorum*, inquit, *qui errantibus displicebant, pietate laudatâ, quid oporteat de eorum temeritate sentire, sancto manifestavit eloquio. Contra istam clarissimæ laudationis tubam, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audet quispiam malignæ interpretationis murmur emittere, & perspicuæ, sincerissimæque sententiæ nubem obliquæ impietatis obtendere.* Unde infert Cœlestinum validissimè compressisse Augustini contradictores, *qui piissimo disputatori obviare præsumunt, & tanquam necessarium modum excesserit, obloqui non verentur.*

Idem succedentes deinde Pontifices senserunt. Nam Hormisdas Papa epistola 70. ad Possessorem Africanum Episcopum ait, *de libero arbitrio & gratia Dei, quid Romana, hoc est Catholica sequatur & asseveret Ecclesia, in variis libris Beati Augustini, & maximè ad Hilarium & Prosperum posse cognosci.* Astipulatur Joannes II. in epistola 3. ad quosdam Senatores: *Augustini doctrinam secundùm prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & servat Ecclesia.*

Denique Clemens VIII. doctrinam Augustini dotem Ecclesiæ relictam esse dicebat, ad eamque velut ad amussim, exigendas esse de gratia controversias pronuntiabat. Unde in Congregationibus de Auxiliis, ita de Augustino loquutum fuisse referunt Dominus le Bussu Doctor Parisiensis, & P. Gibiusus: *Quamvis* (verba sunt Clementis) *nemini nisi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen impræsentiarum rationes, propter quas astringere statui totam hanc disputationem ad normam S. Augustini de gratia. Prima est, quod sit teste B. Prospero ferè initio libri contra Collatorem, viginti annorum spatio fac'es Ecclesia tadimicavit pro gratia contra Pelagianos, ut tandem Augustino duce vicerit; oportet etiam ut in causa simili eundem ducem cognoscamus & sequamur. Secunda est, quòd idem Sanctus nihil videatur prætermisisse eorum, quæ ad præsentes controversias pertinent; quandoquidem si agitur de necessitate gratiæ, eam describit, dicens esse necesse, ut nos præveniat, comitetur, & sequatur; si verò de vi, asserit vires efficacissimas præbere voluntati; si de effectu, testatur facere de non volente volentem; si de modo, asserit Deum id facere potentissimâ facilitate. Denique sic dissolvit objectiones, ut doceat liberum arbitrium non tantùm benè cum illa gratia cohærere, sed etiam fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum. Tertia tandem ratio est, quod cùm multi Pontifices prædecessores nostri doctrinæ D. Augustini de gratia tam acres fuerint assertores ac vindices, ut eam quasi hæreditario jure in Ecclesia relinqui voluerint, æquum non est, ut patiar, illam hac quasi hæreditate privari.*

Quantum verò Angelico Doctori S. Thomæ Summi Pontifices acclamarint, nullus enarrare sufficeret. Joannes XXII. in Bulla canonizationis expressè ait, illud in eo Psalmi impletum fuisse: *Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum suorum satiabitur terra.* Nemo etiam illud ignorat ejusdem Pontificis vivæ vocis oraculum: *Aliis opus non est ad Thomæ apotheosim miraculis; tot enim Sanctus vir miracula edidit, quot articulos scripsit.*

Urbanus IV. in diplomate ad Tolosanos: *Nos attendentes*, inquit, *quantâ à Deo scientiâ dotatus Ordinem Fratrum Prædicatorum, & universalem Ecclesiam illustraverit, ac B. Augustini vestigia insequens Ecclesiam eandem doctrinis & scientiis quamplurimis ornaverit, &c. Volumus, & tenore præsentium vobis injungimus, ut dicti B. Thomæ doctrinam tanquam catholicam & veridicam suscipiatis, eamque studeatis totis viribus ampliare.* In qua approbatione illud ponderandum est, Pontificem ex eo capite Aquinatem commendare, quòd Ecclesiam illustrarit; eatenus verò Ecclesiam illustrasse ait, quatenus Augustinum vestigiis prosequutus est; unde consequens est,

est, S. Thomam ideò consequutum esse Scholarum Magisterium, quia fidelis fuit Magni Augustini discipulus.

Non minora panxit Angelico Præceptori encomia Innocentius VI. in quodam sermone ab ipsis D. Thomæ adversariis recepto, ut apud Catharinum *lib. de Imm. Concept. pag.* 51. videre est. *Hujus Doctoris sapientia*, inquit, *præ cæteris* (*exceptâ canonicâ*) *habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum; ita ut nunquam qui eum tenuit, inveniatur à tramite veritatis deviasse; & qui eum impugnavit, semper fuit de veritate suspectus.*

Non minùs elegans est & luculenta B. Pii V. (novissimè in Beatorum numerum toto applaudente orbe Catholico relati,) laudatio. Sic enim habet in constitutione celeberrima anno 1567. edita, quâ, ringente licèt invidiâ, S. Thomam in oculis suis humilem, & Magisterium Parisiense, dum viveret, detrectantem, in Doctorem Ecclesiæ Catholicæ promovit. *Ex certissima Christiana regula doctrina Ecclesiam innumeris confutatis erroribus illustravit: & Dei providentiâ factum est, ut Doctoris Angelici doctrinâ, ex eo tempore quo cœlestibus ascriptus fuit, multæ deinceps exortæ hæreses confusæ, & convictæ dissiparentur; quod & antè sæpe, & liquidò nuper in S. Tridentini Concilii decretis apparuit.* Unde infert, *quod ejus meritis orbis terrarum à pestiferis quotidie erroribus liberatur.*

Ex qua approbatione ab universa Ecclesia Catholica, id est omnibus Episcopis, quos misit Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei, ab omnibus Universitatibus, à cunctis denique Ecclesiasticæ Hierarchiæ Ministris, nullo reclamante, sed universo Christiano orbe gratulante recepta effectum est, ut de S. Thoma tanquam de Ecclesiæ Doctore recitetur officium, & Missarum solennia celebrentur: nec potest absque temeritatis (ne aliquid gravius dicam) nota hujus Doctoris authoritas flocci fieri, vel simpliciter, absque aliquo saltem reverentiæ interpretamento negari. Etenim non minoris authoritatis est in Ecclesia Pius V. quàm Bonifacius VIII. nam si Romana Sedes facit authoritatem, ut nemo Catholicus inficiatur, eadem fuit utriusque Pontificis facultas, eadem pascendi pabulo doctrinæ Fideles cura commissa, ac proinde eadem Ecclesiæ Doctoratum viris doctrinâ & pietate præstantibus asserendi potestas. Si pietas authoritati pondus addit, Pii V. mores & sanctitatem, Bonifacii vivendi modo præstitisse nemo ignorat. Atqui post Bonifacii VIII. declarationem ab Ecclesia unanimi consensu receptam, quæ habetur *in cap. Gloriosus Deus, de reliquiis & veneratione Sanctorum*, ubi Doctoris Ecclesiæ titulum Augustino, Ambrosio, Hieronymo, & Magno Gregorio decernit, nullus Theologus citra immodestiæ & temeritatis damnandæ notam, horum Doctorum auctoritatem flocci facere, eamque simpliciter reprobare ex professo, & datâ operâ, omni nata & accepta occasione præsumeret: Ergo nullus pariter Catholicus Theologus S. Thomæ de Fide, & de Christianæ Ethicæ moribus sensus aspernari, confutare, & in confutando, ut quidam cum magnis digladiari viris soliti, delectari, & triumphare potest, vel debet.

Sed Clemens VIII. qui tantus fuit Magistri venerator, non minori discipulum Aquinatem honore prosequutus est; sic enim habet in Brevi ad Neapolitanos: *Proinde piè, prudenterque cogitatis de novo Civitati Patrono adsciscendo cive vestro, divinæ voluntatis Angelico interprete, vitæ sanctitate & miraculis claro Thoma Aquinate. Hic siquidem honor ejus virtutibus cum admirabili doctrina conjunctis jure optimo debetur. Ac doctrina quidem testis est ingens librorum numerus, quos ille brevissimo tempore in omni ferè disciplinarum genere, singulari ordine, ac mira perspicuitate, sine ullo prorsus errore conscripsit. In quibus conscribendis interdum Sanctos Apostolos Petrum & Paulum alloquentes, locosque illi quosque Dei jussu enarrantes habuit, & quos deinde conscriptos expressâ Christi voce comprobatos audivit.* Et in Brevi ad Proregem Neapolitanum; *Divino eloquio, ac cœlesti doctrinâ, miraculisque illustris meritò apud remotissimas nationes summâ Christiani nominis cum laude, atque Ecclesiæ utilitate celebratur.* Additque se eo ardentiori voluntate piis Neapolitanorum votis annuere, quo *nos ipsi Angelico huic Doctori, & nostro, & totius Christianæ Ecclesiæ nomine plurimùm debemus.* His amplissimis encomiis quid addi possit, non video. Postquam enim doctrina alicujus *admirabilis, sine ullo prorsus errore scripta, à Principibus Apostolorum alloquentibus inspirata, expressâ Christi voce comprobata, divina, cœlestis, & cui Christiana Religio plurimùm debeat*, ab Ecclesiæ Catholicæ Hierarcha pronunciata est, progredi ulteriùs non possunt præconia, nisi aliquid quæramus post omnia.

Quàm verò libenter hæc de S. Thoma testimonia perhibeant, testatur Paulus V. in Brevi 17 Decemb. anni 1607. edito, his verbis: *Splendidissimè Catholicæ fidei athleta B. Thomæ Aquinatis, cujus scriptorum clypeo Militans Ecclesia hæreticorum tela feliciter eludit, honorem & venerationem in dies magis, magisque augeri plurimùm in Domino gaudemus.* Ad quam sanè Apostolici throni Antistitis è S. Thomæ gloria auctâ lætitiam attendere deberent recentiores quidam invidi, qui quidquid ad laudem S. Thomæ confert nedum rident, sed & cavillis, fraude, sarcasmis, & omni atrociorum conviciorum genere arrodunt.

Denique novissimè diebus istis Sedes Apostolica in Alexandro VII. nobis loquuta est, quæ multifariam, multisque modis olim loquuta fuerat in Joanne, Innocentio, Urbano, aliisque antecessoribus. Sic enim habet in celeberrimo Brevi die septima Augusti anni 1660. edito, & ad Doctores Lovanienses directo: *De reliquo non dubitamus, quin vos pro singulari scientia, pietatisque studio sanam & incorruptam, qualem eæ Apostolicæ Sedis declarationes requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversùs Orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis; necnon præclarissimorum Ecclesiæ Catholicæ Doctorum Augustini, & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, ac impensè revereri velitis; quorum profectò Sanctissimorum virorum penes Catholicos universos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione planè non egent.* Quâ laudatione cætera prædecessorum præconia, quibus Augustinum & Aquinatem cœlum usque evexerunt, Alexander coronavit.

Corollarium momentosum adversùs nonnullos Augustini & Aquinatis obtrectatores.

Ex tam augustis Apostolicæ Sedis utriusque sacri Doctoris doctrinam consecrantis testimoniis colligere est, quid de quorundam novellorum Theologorum doctrina sentiendum sit, qui ut novas suas imaginationes libentiùs, faciliusque obtrudant, tot sigillis consignatas gemini hujus Doctoris sententias effreni prorsus licentiâ abjicere non verentur.

Quin

Quin eò quorumdam pervenit imprudentia, ut scriptitare non dubitarint, *Augustini vestigiis non esse insistendum, & miseram fore Ecclesiam, si Augustini placitis obstricta maneret.*

Quis ferat has Vasquesii 1. *part. disp.* 4°. & t. 2. *disp.* 132. *cap.* 3. & alibi prolatas voces: *Mihi*, inquit, *in hac parte non probatur D. Augustini doctrina, sed existimo aliter esse philosophandum. Unde temerè affirmabimus auxilium aliquibus negari. Ab Augustino & aliis, qui id docuerunt, petere possumus, undenam hujus voluntatis Dei certiores fuerint effecti. Loca enim Scripturæ nos facilè declarabimus.* Ibidem etiam satis insinuat, quod si ista D. Augustini sententia in Concilio Tridentino damnata non est, id ex sola Concilii modestia contigit. Id ipsum, acriùs tamen, testatur Petavius à Vincentio Baronio memoratus lib. 1. apologetico, pag. mihi 366. *Non pauca*, inquit Petavius, *neque contemnenda Augustini dogmata, vel Ecclesia universa, vel Theologorum, aut omnium, aut multorum, nec infimi subsellii judicio reprobari, & Concilium Tridentinum nonnullis necessariò additis fecisse catholica Augustini non pauca, quæ nec Catholica sunt, nec haberi Synodus ulla œcumenica voluit.* Sed omnes modestiæ limites transiluit Mariana, dum *lib.* 3. *de mort. cap.* 8. hæc non tam verba, quàm monstra edere non erubuit: *Quæ à Cassiano dicta sunt omnia de gratia & libero arbitrio, à viris eruditis nostrâ ætate defendi quasi pietati consona, neque deflexa à fidei regula sancta. Benè consultum esset triadi Patrum, Augustino, Fulgentio, & Prospero, si perinde Catholici haberentur, ac Cassianus, Faustus, aliique Massilienses.*

Dum hæc lego, & præclaris de Augustino sententiis à Pontificibus non minùs morum castimoniâ, quàm primæ Sedis dignitate sanctissimis latis confero, vix sum apud me præ dolore, vix continere possum sensum meum, fodicat mihi pectus, & lancinat animum tam horrendus Partes, & Partum Patrem ac Solem carpendi pruritus. Si Petrus à Valle-Clausa Dominicani Instituti hostis juratus quid simile in Syriacorum libris invenisset, quas tragœdias excitasset? Quot diatribis læsam Sanctorum reverentiam exaggerasset? Quid dixisset ad istam Molinæ modestiam, quam omnibus hominibus notam fecit in sua Concordia (unde tot discordiæ ortæ sunt) *ad quæst.* 23. *art.* 4. & 5. *disp.* 1. *membro* 6. dum dixit, *Augustinum sub quadam caligine constitutum veritatem non vidisse, quam Theologi recentiores invenerunt, hincque esse quod Scripturas adeò durè exposuerit.* Et membro ultimo inventa sua Augustino, ipsomet fatente, è diametro opposita vendirans, sic habet: *Quæ si data, explanataque semper fuissent, fortè neque Pelagiana hæresis fuisset exorta, neque Lutherani tam impudenter arbitrii nostri libertatem fuissent ausi negare, ostendentes cum divina gratia, præscientia & prædestinatione cohærere non posse: neque ex Augustini opinione, concertationibusque eum Pelagianis tot fideles fuissent turbati, ad Pelagianosque defecissent; facilèque reliquiæ illæ Pelagianorum in Gallia, quorum in epistolis Prosperi & Hilarii fit mentio, fuissent extinctæ.* Ubinam gentium sumus? Ubi, & à quibus, & adversùs quem tales voces fusæ? Nolite annunciare in Geth, neque in compitis Ascalonis. Verùm hæc convitia hominum in eximium gratiæ defensorem adeò procaciter insurgentium, utpote per se horrorem incutientia relinquamus, & Romanorum Pontificum luculentissimis suffragiis tutiùs adhæreamus, fideliusque obsequamur; quia dum Romanum Apostolici throni cœlum in favorem Augustini tonat, ranas tacere necesse est. Eum ergo semper ducem & Magistrum sequamur, cujus doctrinam Romana sequitur & servat Ecclesia, ut superiùs laudati Hierarchæ definiverunt.

Si contra Augustinum tam liberè posuerunt os suum, & calamum stilumque acuerunt, ne mireris si discipulo Aquinati innumeri maledixerint, quia non est discipulus super Magistrum; & si Patremfamilias Beelzebub dixerunt, quantò magis domesticos ejus? Verùm omnium, qui abhinc quatuor sæculis sacratissimam Aquinatis memoriam dilacerare, & doctrinam pessumdare moliti sunt, infensissimi, & juxtà debilissimi adversarii fuere Petrus à Valle-Clausa, & alter Petrus Alva; qui sicut cæteros omnes conviciandi libidine superarunt, ita uter utrum vincat, dubium reliquerunt. Prioris calumnias fortissimi Apologistæ contuderunt, & certè tæderet, quin & puderet tot nugarum, mendaciorum, falsationum, injuriarumque, quæ singulis libri sui de Syriacorum immonitate paginis, lineisque obtrudit. Pauca tamen alibi occasione librorum à Christo minimè scriptorum dicemus, eaque compendiosè refutabimus, quæ hîc sine cruce & fastidio Lectorum recensere vix, ac ne vix quidem possemus. Posteriorem non alloquar, quem mortuum audio, sed ejus operum editioni præfectum & mercatorem paucis non tam confutatione libri paradoxorum, quorum horror ultrò se oculis ingerit, conveniam, quàm fraterna correctione monebo. Neque enim ejus exerrationes recensere operæpretium duxi, ne portentorum tam absurdorum recensione Ecclesiam & Sanctos impiorum risui subjiciam, néve Franciscanam familiam, cujus veneratione nihil mihi antiquius, filii degeneris lapsibus ante hæc tempora inauditis dehonestem.

Itáne, ô Alvæ operum propalator, obstinatè operam das, ut mundum totum post D. Thomam abeuntem abstrahas? Itáne illum infensus servas, ut nullum tibi satis esse videatur solidum gaudium, nisi virum illum divinum orbi sub cœlo universo pervenerabilem inhonores? Quorsum eunt consilia tua, dum non tam odiu, quàm furore in D. Thomam Ecclesiæ Doctorem, sanctitate autem solidissima non orbi modò Catholico, sed omnibus qui nomen ejus norunt, spectabilem actus, opera illius venditas, & contra Ecclesiæ mandata exponis, qui fermè Europam expensis Minoritæ paupertati minimè consentaneis peragravit, ut tanto viro totius mundi conciliare contemptum conaretur. Tantíne apud illum fuit S. Thomam vilipendere, & floccifaciendum aliis, si posset, suadere, ut spreto vitæ regularis secessu, & solitudine pietatis matre, & eruditionis fomento; spretâ sanctissimi Instituti regula (quam alicubi de jure divino esse effutiit) minimi oboli dominio ac usu suis interdicente, & equitationem peccati mortalis pœna vetante, totam Europam erraticus, pecuniosus, & quasi esset veredariorum supremus præfectus, infinitis decursionibus inviseret. Post tot Magistri tui mentis tandiu in exteriora diffusæ divagationes revertere; revertere, quæso, revertere, ut tandem evacuatis tot in virum sanctum odiorum iniquissimorum præjudiciis, quibus exoculari animus, & extingui pietatis omnis sensus solet, cernere valeas quantùm, & quàm vehementer erraveris, dum Doctori omnium modestissimo, & de omnibus etiam infidelibus, quibuscum semper angelicâ modestiâ pugnavit, benemerito bellum atrocissimum indicens, vel supposititia esse quæ nomine ejus circumferuntur, vel falsata esse opera illi asserta mentiris; dum amplissima Hierarcharum Ecclesiæ testimonia ægrè ferens, ea à Dominicanis conficta, reclamantibus, & falsitatem tuam evidentissimè demonstrantibus ipsis Constitutionum Apostolicarum archetypis, totius orbis

oculis revincendus impudoratè affirmans. Rogo quis est iste tam amarus infensi cordis tui dolor, qui nec tempore, nec ratione, nec regione, nec peregrinationibus in Magistro curari potuit?

In te ergo reversus, in reformatum tui Ordinis monasterium (& sunt sanè innumera apud RR.PP. Recollectos, & alios Strictioris Observantiæ tenaces) concedens octo, vel saltem decem dies piis exercitiis operam dans, conscientiam tuam excutiens, recogitans annos tuos in amaritudine animæ tuæ, præteritæ vitæ tuæ actus recognoscens, tot Doctoris tui peregrinationum inanissimarum ab animo tuo rationem seriò reposcens, atque totam vitæ tuæ seriem ad Evangelium, ad regulam, quam professus es, ad vota tua, quæ distinxerunt labia tua exigens, vide quàm graviter, quàm crebrò contra omnia hominis Christiani, & Religiosi officia peccaveris. Apud quam enim nationem tam feram, tam barbaram mortuorum cineres & memoriam proscindere solenne fuit? In quo Evangelii capite, vel sacræ Traditionis documento legisti unquam, Sanctos ab Ecclesiæ capitibus, à Conciliis, ab Universitatum & Pastorum unanimi voce & applausu commendatos, tutò & licitè posse per summum ludibrium irrideri & traduci infrunitè? Denique ad quam regulæ amussim consilia tua aptare potuisti charitatis eversiva, reverentiam in Sanctos, observantiam in tot primæ notæ commendatores conculcantia? Sic Philosophus ullus docuit? Sic Christus præcepit? Sic Franciscus instituit? Sic Bonaventura, sic Bernardinus, sic Antonius Paduanus, sic Petrus de Alcantara, sic innumeri sanctissimi Patres tui unquam conversati sunt? Attende ergo, ô Mercator, ad petram unde excisus es, & cùm sis filius, fraterque Sanctorum, doleas in te obscuratum esse aurum, mutatum colorem optimum; & prima opera tua, ut Spiritus sanctus nonnulli in Apocalypsi imperabat, non facere, id est à primi tyrocinii, id est regularis novitiatus fervore jamdudum recessisse, est retrò aspexisse.

In hac spiritualium exercitiorum praxi (jam apud innumeros familiari, & saltem annua) sedebis solitarius in tecto; sedebis, inquam, juxta consilium Jeremiæ, & tacebis, levansque te supra te, majorem in solitudine, in lacrymis, in Scripturarum, Patrumque lectione experiere voluptatem, quàm in tot peregrinationum spiritum Religionis extinguentium varietate, & vanitate Magister tuus perceperit. In illius peramandi, tibique omninò necessarii secessus serenitate, affulgente divinæ gratiæ luce, & intercessionis suæ radios affundente Angelico Doctore, in inimicos pœnitentes præ charitate in Patria consummata propensiore, tandem aliquando veluti in speculo juventutis tuæ delicta cernes, & flebis. Videbis nihil esse Christiano, & potissimùm Franciscano indignius, quàm eas subonorandi alicujus Sancti gratiâ pecunias in orbe peragrando, & hac illac circumcursando profundere, quæ ad alterius canonizationem, seu apotheosin sufficerent, & redundarent.

In hujus etiam beatæ solitudinis, & solius beatitudinis pellucidissima crystallo apertissimè agnosces, quod si juxta Apostoli mandatum vir militans Deo sæcularibus se implicare negotiis non debet; si juxta Bernardi monitum, *sit Monachus quasi Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia, nec patrem sibi vocet super terram; imò sic se existimet, quasi ipse sit solus & Deus*: si juxta Bonaventuram epist. ad Provinciales, *inter causas cur splendor Ordinis obscuratur, Ordo exterius inficitur, & nitor conscientiarum interiùs defœdatur, occurrit multiplicatio familiaritatum*: profectò periclitatur salus, periclitatur pietas, periclitatur fama tua, nisi Thomam à Kempis attentè perlegas in dialogo Novitiorum, quorum societatem juxta Patrum spiritualium consilia inibis, ut primævum Religionis spiritum tot excursionibus sin extinctum, certè dissipatum instaures: *Euge*, inquit cap. 4. *tace, quiesce, abscondere, elongare, ama nesciri, disce mori. Luge præterita, sperne præsentia, meditare futura: hæc brevis regula remaneat in memoria tua, & docebit te vincere omnia terrena.* Si S. Thomæ nomen, quod fuit S. Bonaventuræ tuo tam sacrum, non foret tibi exosum, illud etiam præclarissimè ab Angelico Doctore scriptum *opusc. cont. impugn. Relig. cap. 2.* tibi libenter exhiberem: *Qui moritur alicui vitæ, ab illis operibus decidit, quæ tali vitæ congruunt: & qui vivere incipit aliquâ vitâ, illa opera tunc fiunt illi maximè convenientia, quæ illi vitæ competunt. Unde secundùm Dionysium, ante Baptismum, per quem homo divinam vitam accipit, non potest exercere divinas operationes, quia sicut ipse dicit, oportet primùm existere, deinde operari. Sed Religiosus per votum Religionis sæculo moritur, Deo vivens: ergo per hoc, quod Religiosus est, interdicuntur ei operationes sæculares, & negotia sæcularia; non autem actiones divinæ, quæ scilicet hominem in Deo viventem requirunt.*

Si ad illam te redigas, quæ Christianum & Religiosum decet, externam, internamque solitudinem; si aberrantes cogitationes colligas, si à tot occupationibus, quas etiam quantumvis specie utiles, Bernardus appellat maledictas, te subducas, ut in te tandem oculos retorqueas; dubio procul dicta Alvæ tui ejurabis, scripta revocabis, palinodiam canes, atque omnes librorum illius literas publicis lacrymis veluti lituris delebis. Si sacris his consiliis obsequare, non erit penitus deplorata, & extra omnem spem posita salus tua, graviter alioquin periclitatura, cùm non dimittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Etsi enim Angelici Doctoris famæ splendorem scriptiuncularum illarum nebulis minimè obscuraveris, quia nihil veritatem infringit mendacii impetus, sed illustrat potiùs; tibi tamen non defuit voluntas, sed facultas; & apud Deum, qui scrutator renes & corda, mens mali studii & impii voti, etiamsi effectum non invenerit cœpti operis, habebit tamen punitionem perversitatis.

Quanta, Deus bone, compendia! quot fructus charissime, ex illa corporis, animique solitarii quiete reportabis! Cernes te causam Immaculatæ Conceptionis alioquin argumentis probabilibus munitam, futilibus Alvæ ratiunculis prodidisse, labefactasse, & hæreticis ridendam præbuisse. Cernes nodos illos, quos indissolubiles pronuntiavit, nugas esse ineptissimas, & aranearum telas, quibus sententia per se splendida inumbratur. Cernes argumentum illud petitum à comparatione conceptus ventris Mariæ, & conceptus mentis D.Thomæ, unde infert deberi illi immunitatem à culpa, sicut isti asseritur à Thomistis immunitas ab errore; cernes, inquam, argumentum illud esse omnium præteritorum, præsentium, futurorum, & fortassis possibilium (saltem de potentia ordinaria) futilissimum; tum quia locus à comparatis diversi præsertim generis & ordinis, teste Aristotele, infirmissimus est; tum quia immunitas ab errore contra fidem S. Thomæ asseritur, secus immunitas à culpa, saltem veniali, quæ toto cœlo discrepant: tum quia D. Thomas immunitatem ab errore non nisi post exantlatos labores, post depulsam ignorantiæ caliginem, post plures retractationes, priorem utique ignorantiam supponentes, sibi comparavit.

Ergo

Ergo dum Marianum conceptum Sancti Thomæ intellectuali conceptui confert, ut illi immunitatem à culpa vindicet, causam Immaculatæ Cõceptionis prodit & planè prævaricatur; si enim valeret hæc puerilis comparatio, Beatissima Virgo immunitatem à culpa non nisi adultâ ætate, & postremis vitæ anuis consequuta fuisset, quod erroneum esse Catholici omnes confitentur. Certes quàm à communi sensu aliena sit hyperbole, *plusquam septuaginta millia ingenia Sanctorum Patrum, Summorum Pontificum, Expositorum, atque Concionatorum desudasse & scripsisse eâ de re solâ* (Immaculata Conceptione) *plures libros, tractatus, opuscula, quàm literas & apices habeat S. Thomas in suis septemdecim, aut viginti tribus tomis.* Hos libros, quibus continendis nec Ptolomæi, nec ulla capacissima bibliotheca præ loci angustia minimè sufficerent, ut inviseret, orbem peragravit; sed post tot itinera videbis Alvam Hispanum adagium implevisse, *de luengas vias luengas mentiras.*

A Sacerdote sæculari Theologo & Concionatore insigni non à multis annis audiuine accepi, se ultrò, & ut aiunt, manibus pedibusque Immaculatæ Deiparæ Conceptionis sententiæ variis rationum momentis mihi pergratissimis subscribere; unum tamen, inquiebat, mihi scrupulum, & de hac opinione dubitationem injicit, acervus nimirum falsitatum, mendaciorum, historiarum, fabellarum, visionum, quæ Alva, aliique id genus homines nobis liberalissimè venditarunt, quibus Ecclesiam suas pro pia sententia definitiones astruere, & immoliri velint. Nam & maculas in S. Bernardo post mortem apparente, & epistulam ad Lugdunenses retractante comminiscuntur; & Dominicanos multifariam, multisque modis vexatos interfectosque veluti in theatro repræsentant; & miracula ab Ecclesia Romana, vel alia inferiore non probata spargunt. Quàm indignum Theologo rem per se piam, per se gravem & seriam his quisquiliarum nugamentis, his anicularum somniis confirmare, aliis longè probatioribus argumentis prætermissis, quibus controversiæ nondum definitæ adjiceretur lux & robur! Quid ab Ecclesiæ Romanæ sensibus abhorrentius, quam falsa veris permiscere? Execratur Summus Pontifex, execratur prorsus malas artes; unde tanta illi, tam exquisita & accurata in quæstionibus definiendis, Sanctis canonizandis diligentia; quia non indiget mendacio veritas, non indiget Petrus, non indiget Petri Vicarius humanæ sapientiæ politicis inventis, sed Spiritus sancti infallibiliter assistentis auxilio, & immobilibus Christi promissis innititur Supremi Hierarchæ definitio. Si veritas Immaculatæ Conceptionis sententiæ adsit, illam non infringet Thomisticarum impetus rationum, veritatis luce discutiendarum & dispellendarum; si desit, illi eam non conciliabunt conjecturæ, & multò minùs historiæ Ecclesiæ Romanæ gravitati haud parum gratæ. Tutius ergo, & prudentius Romanæ Ecclesiæ judicium præstolemur, unam veritatem quæramus, controversias nostras hæreticorum sannis non exponamus, Ecclesiæ Spiritum æmulemur, qui violentiæ molimina in veritatis, quam quærit, gloriam vertit, illosque abominatur, quibus nullum, nisi in pudendis falsitatis remediis perfugium est. Quia petra super quam Ecclesia fundata est, Petrus est, fundamentum Petri Christus, Christus autem veritas est, quæ manet in æternum. Plura in sequentibus dicemus.

Tertium Elogium.

Augustinus & Aquinas à sacris Conciliis approbati.

Quia Concilia, seu Episcoporum conventus in Spiritu S. congregati, accedente præsertim supremi Pastoris Romani Pontificis approbatione, irrefragibili authoritate pollent, non mediocris adjicietur utrique nostro Doctori commendatio, si eorum doctrinam ab Ecclesiæ Pastoribus & Proceribus in sacris Conciliis probatam fuisse demonstraverimus. Res autem ita se habet. In primis enim Augustino à duobus Africæ Conciliis, Carthaginensi nimirum, & Milevitano scribendi de gratia Dei provincia demendata est, ut ipsemet S. Præsul ad populum Hipponensem his verbis testatur: *Curam Scripturarum mihi Fratres & Patres mei Coëpiscopi duobus Conciliis, Numidiæ & Carthaginis, imponere dignati sunt.* Unde Prosper poëmate de ingratis, *cap.* 3. affirmat, Augustinum fuisse eorum Conciliorum ingenium, in quibus impietas Pelagiana prostrata est, ut his præclarissimis verbis describit:

An alium in finem posset procedere Sanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Augustinus erat! Quem Christi gratia cornu
Uberiore rigans, nostro lumen dedit avo
Accensum vero de lumine. Nam cibus illi,
Et requies Deus est; omnisque voluptas
Unus amor Christi, unus Christi est honor illi.
Et dum nulla sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia, & in Sancto regnat sapientia Templo.
Istius ergo inter cunctos, qui de grege sancto
Insanas pepulere feras, industria major,
Majus opus totum præstantiùs imbuit orbem.
Nam quòcumque gradum convertit callidus hostis,
Quáque per ambages anceps iter egit opertas,
Hujus ab occursu est præventus, mille viarum
Insidiis aditum non reperientibus ullum.
Cumque feris rabies avidorum exclusa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes,
Ne mentes ullarum ovium corrumpere posset,
Nec dubia obliquis turbaret corda querelis,
Istius ore virifecit Deus. Istius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem,
Quæ mites, humilesque bibunt, campisque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Hanc Augustino à Conciliis commissam curam totus orbis Christianus Doctorum omnium Catholicorum hanc tanto viro causam credentium silentio confirmavit. Et quamvis Hieronymus dialogos adversùs Pelagium incepisset, cùm tamen profunda & cœlestia Augustini de gratia scripta perlegisset, sibi silentium imposuit, supersedendum arbitrans huic labori, *quia si nova*, inquit dialogo 3. cont. Pelag. *voluerimus dicere, à clarissimo ingenio* (Augustino scilicet) *occupata sunt meliora.* Hinc etiam sanctæ memoriæ Bonifacius Papa, ut S. Prosper in fine libri contra Collatorem narrat, *cùm esset doctissimus, adversùs libros tamen Pelagii B. Augustini responsa poscebat.*

Porrò impositâ sibi curâ tam egregiè perfunctus est Augustinus, tam apertè in Sanctorum veritate & fide latentem veritatem explicavit, tam dilucidè à tot, tantisque difficultatibus, quibus ante ipsum involuta erat, eam extricavit, ut posteriora deinde Concilia sua de quæstionibus judicia, & potissimùm de gratia canones ex Sancti Doctoris sententiis ad verbum formanda senserint. *Nunc*, inquit Concilium Florentinum sess. 7. *Sanctorum Docto-*

rum authoritates in medium afferamus, ac in primis Augustini illustrissimi Latinorum Doctoris, quem quinta Synodus consecravit. Idem etiam in novissima Tridentina Synodo claruit, in qua Patres in Spiritu sancto congregati in definitionibus suis adornandis non modò sensum, sed & Augustini verba exscripserunt. Hinc Cardinalis Bellarminus *lib. 2. de grat. cap. 11.* veridicè pronuntiavit, Augustini de gratia sententias non esse privatas Doctoris alicujus opiniones, sed *fidem Ecclesiæ Catholicæ dici debere.*

Quanti verò sacra Concilia Angelicam S. Thomæ doctrinam fecerint, testatur non solùm B. Pius V. supra laudatus, sed in ipso etiam Concilio Tridentino omnium experimentis compertum fuit. Etenim ut prosequitur Orator sacri Concilii in concione coram Augustissima Synodo habita: *Non potuit Doctor Sanctus Ecclesiasticis interesse Conciliis morte præventus: verùm ecce superstes, atque in æternum victurus nobis adest; bona spiritualis doctrinæ, thesauros hæreditario jure vobis delegavit. Nulla proinde ab ejus felici transitu Concilia sine sacro Doctore celebrata sunt. Vt enim de cæteris sileam, quod audivimus, quod vidimus, quod manibus nostris contrectavimus, quidni apertâ voce ad ejus laudem testamur? Vestra comitia perpendisse ex plurimo, eoque honorabili Doctorum cœtu, quotusquisque consultor accedit, qui D. Thomæ authoritate veluti splendente gemma suam scientiam non exornet? At in consultissimo Patrum recessu Doctor hic sententiam rogatus frequentissimè censet, ad quem ut ad lydium lapidem, si quid ambiguitatis, aut controversiæ fuerit exortum, communibus votis referendum existimetis; in certam judiciorum aleam non sit aditurus, quin secundùm eam sententia ferenda sit.* Nihil hoc testimonio fortius esse omnis sapiens convincetur, si hæc verba prolata fuisse consideret à teste oculato coram Patribus perorante, qui mendacii probrum in os injecissent, nisi comperta narrasset. Unde Cardinalis Baronius suis in Martyrologium notis: *Vix*, inquit de S. Thoma, *quisquam enarrare sufficeret, quot vir sanctissimus, atque eruditissimus Theologorum præconiis celebretur, quantumque illius illibata doctrina à SS. Patribus in sacro Tridentino Concilio fuerit acclamatum.* Hæc cùm ita sint, dicere liceat cum Gravina *lib. 2. sui Cherubin*: Ad illam scholam provoco, quæ fuit totius orbis florentissimum theatrum, Rerumpublicarum splendor, medulla Theologorum. Quot ibi Academiæ flores, quot linguæ, quot ingenia, quantus labor, quàm infinita lectio, quot virtutum & studiorum divinæ sacrarium illud veritatis impleverunt? At enim pelagus illud innatabile decidendarum quæstionum quo præsidio transvadatur, nisi nautico Augustino-Thomisticæ doctrinæ instrumento, quæ syrtes scopulosque vitandos edocebat, & ad veritatis stationes impellebat? Si absque talibus nauclerìs navigare nolebat tuta Concilii fides, certum timeant naufragium necesse est, qui spretis his ducibus pelago se committunt.

Tot præclarissimis, cogentibusque testimoniis, aliisque Pontificum oraculis nihil aliter respondet Alva, quàm risu, conviciis, perpetua & obstinata inficiatione; cùm enim non scripserit nisi ut mordeat, cùm honor & gloria D. Thomæ sit illi summum malum, aperta negare, propriis oculorum experimentis renuntiare, omnibus testibus locupletibus fidem detrectare, mentiri sine pudore, calumniari etiam convincendum, videntur illi pia opera & sancta; & quia in S. Thoma inhonorando posuit ultimum finem suum, quæcumque sibi ad id opportuna arripit. Dum de se, de B. Francisco, de Conceptione Immaculata loquitur, conjecturis & fabulis, tanquam articulis fidei nos credere vult, relictis aliis longè probabilioribus ad piam sententiam stabiliendam munimentis: dum de S. Thoma sermo est, ita in illum iniquus est, ut de indubitatis dubitare, perpetuâ traditione accepta repudiare, libros unanimi consensu illi assertos ei eripere, Pontificum & Conciliorum elogia mendacii arguere, & Thomistas ejus discipulos & defensores, falsarios, temerarios, sacrilegos existimare, nullo teste, nullo argumento, summo sibi arrogato jure præcipiat. O Petre! itáne tantus Doctor contemnitur abs te? aut itáne tandem idoneus tibi videtur esse, quem tam infrunitè lacessas? Itáne totus orbis literarius aptus tibi videtur esse, quem tam apertè fallas? Saltem accuratè & speciosè te gerere decebat, ut Deum timere, & Sanctos revereri certè videreris. Sed cum homine habente pondus & pondus, qui omnia suis affectibus consentanea avidissimè arripit, quive evidentiora negare gloriatur, non est disputandum; fraterna correptione, votis, & precibus nobis cum illo & similibus agendum duntaxat est. Faxit ergo Deus, ut omnipotentissimâ gratiæ potestate præventi, ô æmuli, qui in vobis perstrepunt affectus seponatis. Faxit, ut imposterum laudes vestras cum aliorum conviciis in operibus vestris non connectatis; ut nec alienæ Sanctorum gloriæ impatientes, nec vestræ avidi sitis: faxit ut causam Immaculatæ Conceptionis sanctiùs tractetis, fortiùs defendatis, modestiùs promoveatis: faxit ut non ita ulli vestrûm imposterum insanire liceat, ut scribatis, *doctrinam D. Thomæ aliqua sui parte erroneam meritò ab Vniversitate Parisiensi fuisse damnatam*, ut nodorum suorum libro, *fol.* 16. Alva effutiit. Proh Deum immortalem! quid est si non hæc blasphemia est? Hoccine est christianum dictum, aut ineptum? hoccine officium Religiosi & Sacerdotis? Faxit, ut à nativa sugillandi prurigine, & libidine obloquendi de viris illustribus vobis temperantes, imposterum evidentissimè falsa non asseratis, apertissimè vera non negetis, & D. Thomæ inhonorandi consuetudinem in naturam inductam exstirpetis, & pœnitentiâ plectatis salutari. Certè ut discursu Hilarii *lib. 6. de Trinit.* utar: Si alia fides quàm Romana sit vera, si inanis est obsignatio annuli piscatoris, si aliæ claves Regni cœlorum sint, si alia Ecclesia est futura, adversùs quam portæ inferi non prævalebunt, reprobam tunc fatebor Augustini, Aquinatisque doctrinam. Atqui illud sperare impium est: cedant ergo, & sponte cedant tot Pontificum oraculis adversarii, quia ut egregiè dixit Nazianzenus: *Satius est benè vinci, quàm reluctante spiritu vincere.*

Quartum Elogium.

Augustinus & Aquinas à Sanctis & doctis approbati.

Sicut uterque Sanctus Doctor antiquiores Patres summâ observantiâ veneratus est, ita posteriorum reverentiam justissimè promeruit: unde Augustinum fuisse toti orbi Christiano amori & venerationi; S. verò Thomæ amorem & venerationem in dies magis, magisque augeri Summi Pontifices attestati sunt.

In primis quoad Augustinum attinet, illi Patres & Doctores quivis posteriores detulerunt, assurrexerunt semper, & primas dederunt, existimantes nullum illi in esse eruditione secundum, cæterisque Doctoribus

ribus tantùm antecellere, quàm Doctores aliis præstant. Hinc Paulinus epistola inter Augustinianas 13. Augustinum *sal terræ, & lucernam dignè super candelabrum Ecclesiæ positam, & os ejus fistulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni* nominavit. Epistola verò 35. & 36. verba ipsius *dictata divinitus, & cœlestia* nuncupavit. Epist. 58. dixit *Domini tubam per ipsum intonare.* Quodvultdeus *epist.* 2. ait, *Dominum tribuisse Augustino divini fontis ubertatem.* Audax *epist.* 139. Augustini scripta flagitans, ipsum vocat *oraculum legis, sectatorem justitiæ, dispensatorem salutis æternæ.* Nectarius *epist.* 253. eum appellat *divinæ legis præsidium.* Hieronymus epist. 25. *Macte,* inquit de Augustino, *virtute in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ rursus fidei venerantur atque suspiciunt; & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur.* Consentius *epist.* 221. Augustinum appellat *doctrinæ Christianæ culmen, virum admirabilem, cui Deus serenissimo cordis obtutu cœlorum machinam penetrare concessit.* Unde ait B. Augustini Episcopi sententiâ fluctuantem fidei cymbam fuisse stabilitam. Volusianus *epist.* 2. Augustinum appellat *virum probitatis, justitiæque documentum, & quod legi deest, quidquid Augustinum contigerit ignorare.* Severus *epist.* 37. ait, *ipsius viscera esse perfusa lumine veritatis, & refulgentia veritate.* Macedonius *epist.* 51. ait opera Augustini *tantùm habere acuminis, scientiæ, sanctitatis, ut nihil suprà sit.* Beda *lib. de sex ætatibus, illum præeminentissimum Doctorem* nominavit.

Superfluum esset, & prolixius verborum præconia referre, quibus alij Patres Augustinum omni superiorem laude celebrarunt. Videri tamen potissimùm debet acerrimus ejus defensor Aquitaniæ nostræ immortale decus S. Prosper libro contra Collatorem, & ad capitula Gallorum, & in epistola ad Augustinum libro de prædestinatione Sanctorum præfixa, quâ ad Augustinum excubantem pro universis membris Christi adversùs hæreticarum doctrinarum insidias veritatis virtute pugnante, tanquam ad specialem fidei patronum Massiliensium errores detulit. *Quia,* inquit, *inter multa Dei dona, quibus illum abundantissimè Spiritus veritatis implevit, habet etiam hanc scientiæ & sapientiæ ex Dei charitate virtutem, ut non solùm hæresim Pelagianam adhuc in suis detruncationibus palpitantem, sed etiam multas priùs hæreses invicto verbi gladio debellaret.* Quantum verò S. Augustinus adversùs Pelagianos inimicos gratiæ Christi, & ut ait, liberi arbitrij deceptores apostolicè pugnarit, narrat idem Prosper *cap.* 1. *libri contra Collat.* his verbis: *Viginti ampliùs annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus viri ductu pugnat, & vincit: vincit dico, quia non patitur respirare quos vincit.*

Non minora panxit Augustino elogia S. Fulgentius *lib.* 2. *de verit. prædest. cap.* 18. sic: *Beatus Augustinus,* inquit, *indutus virtute ex alto abundantiùs illis omnibus* (id est Græcis & Latinis Patribus) *laboravit, non autem ipse, sed gratia Dei cum illo. Ipsius ministerio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus suis instructionem præbuit. Non solùm ipse de hoste victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem, si quando pravitas residuo ausu nefandum caput erigere niteretur, ostendit. Hunc legat omnis qui salutem æternam adipisci desiderat.*

Sed jam à Magistro ad discipulum transeamus. Quis porrò enarrare sufficiat Doctorum omnium, Universitatum, sacrarum Religionum, aliorumque omnium Ordinum præstantissimorum virorum suffragia, quibus Angelicam D. Thomæ doctrinam obsignarunt? Cùm nullus ferè Theologorum sit, qui tanti Doctoris nomen revereri, ejusque vel sententias, vel methodum, & ordinem sectari non præ se ferat, ejusque discipulatum sin ambiat, certè simuler. Nemo vult esse apertè Antithomista, ipsos etiam Scotistas vidi ægro animo in S. Thomam armari, quia omne malum pudore natura perfudit. Ipsi etiam vocant S. Thomam magistrum, qui nolunt ejus esse discipuli. De hac generali approbatione veridicè, & juxta eleganter Cardinalis Palavicinus in epistula ad Vincentium Pretum libro 7. de pœnitentiæ virtute & Sacramento præfixa, scripsit: *Divi Thomæ codices loquor, viri quo non tam Ordo tuus, quàm Christi Ecclesia, ipsumque humani generis nomen meritò glorietur. Sentio equidem in me tanti scriptoris pretium unà cum ætate, sed longè supra ætatis incrementa crevisse. : : : Præclarè mecum egit divina bonitas, quod me vocavit ad eam religiosam cohortem, quæ jubetur Angelici Doctoris Theologiam sequi; eam namque sequerer vel injussus, imò vix non sequerer vel prohibitus. : : : Quamvis tanta sit D. Thomæ & sectatorum frequentia, & laudatorum approbatio, utrumque tamen adeò infra merita mihi videri, ut inde communem humanæ perspicientiæ tenuitatem vel aspernari cogar, vel misereri.*

Tantus autem, & tam conspirans cordatorum omnium in S. Thomam amor, tanta doctrinæ ejus cum laude opinio ab illo proculdubio hominum cordibus inspiratur, qui facit concordiam in sublimibus. Et sanè æquissimum est, ut Doctor ille, qui omnibus retroactorum temporum Patribus, quin & Philosophis & doctis quibuslibet primas honoris causâ de cunctis benè meriturus concesserat, omnium etiam Doctorum laudes consequatur. Sicut ipse de suo nihil unquam docere voluit, sinas juxta consilium Augustini *in Psalm.* 103. inter medium montium pertransire aquas studens, id est doctrinæ aquas non suas habens & privatas, sed communes; medium enim commune est: ita omnium odii, livoris, & invidiæ præjudiciis non occupatorum suffragia promeruit, evasitque omnium Magister, qui omnium discipulum se esse perpetuò professus est. Quid justius, quàm ut illi idem honor deferatur, quem aliis detulit, atque ut in sapientiæ convivio, in quo præ summa humilitate novissimum locum delegerat, à cœlesti Patrefamilias ad primos accubitus sublimetur? Ita planè hæc Angelicæ humilitati debita corona.

Nec mirum si omnes docti post D. Thomam eant, cùm videant non solùm Ecclesiæ capita, sed universam Christi Ecclesiam & ejus doctrinæ suffragari, & illius etiam amore teneri. Sæpe sæpius publicam Ecclesiæ orationem, quam ad Deum in die S. Thomæ sacro fundit, animo revolvi, illudque potissimùm mirandum occurrit & attentum rapit, quod Ecclesia sub cœlo tota S. Thomæ doctrinæ intellectum deposcit. *Da nobis,* inquit, *& quæ docuit intellectu conspicere, & quæ egit imitatione complere.* Orationes Ecclesiæ tanti fecit Augustinus, ut ex iis necessitatem orationis inferat, quia nefas est orationes Ecclesiæ credere perfunctorias. Ecclesia porrò veritatem & charitatem in omnibus orationibus suis deposcit. Falsitatem Ecclesia vera à Deo vero postulare non potest. Vide ergo quanti ea doctrina facienda sit, pro qua intelligenda Deum solennibus suis in ritibus Ecclesia exorat. Nec dicas illud rogare Ecclesiam, ut verum in Aquinate discernat à falso: non, inquam, id dicas; nam idem posset Ecclesia de libris Gentilium postulare, in quorum stercoribus latère gemmas, & nonnullos veritatis radios erroribus

licèt obscuratos, intermicare constans est. Ergo dum Ecclesia pro Angelicæ doctrinæ intellectu deprecatur, vult doctos suos illi operam navare, ut intellectam populis tanquam spiritale pabulum ministrent; sentitque verum Scripturarum sensum, germanam orthodoxæ religionis fidem, & solidam catholicorum dogmatum defensionem ejus è libris securè hauriri, cujus intelligentiam enixè à Deo supplicat.

Verùm enimverò, quomodo Aquinatem de se tantoperè meritum filium sanctissimum non exaltaret mater Ecclesia, postquam à Christo, qui nec falli potest, nec fallere valet, ejus doctrina est commendata, & hac voce, *Benè scripsisti de me Thoma*, semel & iterum inaugurata est. Nam ut sciè scripsit ingeniosus & amœnus Petrus Labbe Societatis Theologus insignis: *Probat scripturam hominis qui character est Patris. Silete linguæ, ubi Deus laudator est. Fallere non potest qui laudatur, dum qui laudat non fallitur. Appellent alii Thomam Angelum Theologiæ: dicant Pontifices Summam tot miraculis constare quot titulis. Plus dicit una vox, Benè. Christus est Verbum Patris, Thomas adverbium Filii.* Aliquid non omninò absimile olim pangebam, dum tertiam partem interpretarer, his ferè verbis: Dum scriberet tertiam partem Aquinas, audivit: Benè scripsisti de me Thoma. Probavit scripta Thomæ sapientia Dei. Perfectiones Patris exhaurit Verbum unum; & elogia omnia exhausit Christus verbo uno. Verbum *Benè* omnes possibiles laudes complectitur. Omnia bona promittuntur, dum dicitur Justo, *Quoniam benè*; & omnia præconia asseruntur Thomæ, dum dicitur ei, *scripsisti benè*. Propositio indefinita æquivalet universali, & laus indefinita est infinita. Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Vidit Christus quæ Thomas scripserat, & erant valde benè. Post approbationem Dei creaturas non damnat nisi manes; post approbationem Christi doctrinam Thomæ reprobans est ferè Manichæus. Vera est laus, quam non tacet Deus. Veritas est quæ probat: veridicus ergo est qui probatur. Thomam laudat Christus in cruce moriens: inde extollit Thomam, ubi peperit Ecclesiam. Crux morientis fuit cathedra docentis & inaugurantis Thomam. Septem verba protulit olim Christus in cruce: octavum proferre voluit in laudem Thomæ. Adulari non solent morientes, vel obscurè loqui: & fallere, vel falli non potest Deus moriens, &c.

Certè dum Deus Moysi naturæ suæ constitutivum sciscitanti respondens, *Ego sum qui sum: & sic dicer, Qui est, misit me ad vos*; omnes perfectiones possibiles hac voce, *qui est*, conclusit; quia ut olim ex Bernardo diximus, quidquid de Deo dici potest, in hoc verbo instauratur, quod est *Est*; & si centum talia addas, non recessisti ab esse; si ea dixeris, nihil addidisti; si non dixeris, nihil minuisti. Similiter bonorum omnium cumulus justo promittitur hoc Isaiæ *cap.* 3. oraculo: *Dicite justo, quoniam benè*; quia totum spondet, qui nihil distinguit. Ita proportione servata, hoc verbo, *Scripsisti benè*, omnes boni Scriptoris dotes Servator complexus est; non enim benè scribit, qui non veridicè, qui non catholicè, qui non piè scribit. Neque enim indefinitum de operibus servi sui Aquinatis judicium Dominus protulisset, si erroribus hic illicque disseminatis sorderet. Intendit ergo hoc suo elogio à Summis Pontificibus probato, & ab Ecclesia recepto, utpote coram testibus locupletissimis distinctè prolato; intendit, inquam, angelicam Aquinatis doctrinam esse aliis anteponendam, ita ut in probabilibus sit probabilior, in philosophicis ad mysteria fidei defendenda aptior, in dubiis moralibus securior, in certis certior, in omnibus communior, ab erroris periculo remotior, sacris Scripturis, Ecclesiæ decretis, Patrum, Pontificumque oraculis consonantior. Sanè postquam Christus dixit Simoni, Lucæ 7. *Rectè judicasti*; & Samaritanæ, Joannis 4. *Benè dixisti*, nullus (ni fallor) Christianus tam petulans, tam effrons invenietur, qui nec illum rectè judicasse, nec istam benè dixisse affirmare præsumat. Ita illos pietatem cum fronte amisisse credendum, qui post iteratam Christi approbationem non solùm errores in D. Thoma comminiscuntur, sed qui virum talem infamandum avent, & totis moliminibus conantur. Non me latet quantum ab illis exemplis in Evangelio relatis distet narratio Christi Thomam consecrantis & laudantis; sed illud etiam scio, quod sicut exempla in Scriptura sacra relata despicere atheum sapit, vel infidelem; ita Ecclesiastica exempla ab Ecclesia probata, ab Hierarchis summis multimodis firmata respuere, & sine ratione, solo explendi in D. Thomam odii & livoris motivo, cordis duri impietatem redolet, atque hæreticam pravitatem.

Quia Deus vidit cuncta quæ fecerat esse valde bona, & de unoquoque in speciali pronuntiavit, quod esset bonum, inferunt Theologi cum S. Thoma 1. p. q. 25. art. 6. ad 3. *Quod universum suppositis istis rebus non potest esse melius, propter decentissimum ordinem his rebus attributum à Deo, in quo bonum universi consistit; quorum si unum aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis, sicut si una chorda plus debito intenderetur, corrumperetur citharæ melodia.* Unde in responsione ad 1. docet S. Præceptor, Deum posse facere aliquid melius, si ly *Melius*, sit nomen; qualibet enim re potest facere meliorem; secus si ly *Melius*, sit adverbium, & importet modum ex parte facientis; quia non potest Deus ex majori sapientia & bonitate operari. Ita similiter postquam Veritas de S. Thoma pronuntiavit, quod scripsit benè, potest quidem absolutè ab homine scribi meliùs, sed non de potentia ordinaria.

S. Augustinus expendens illud Davidicum, *Deus laudem meam ne tacueris*, ait: Patet veram esse laudem, quam non tacet Deus. Deus enim verax, omnis autem homo mendax. Quamvis ergo tot humanis elogiis de Aquinate tam magnificè prolatis falsum subesset, certè postquam Dominus locutus est, quis contradicat, quis caput non inclinet? Ergo dum cœlum tonat, ranæ taceant. Certè si non sumus sapientiores Patribus nostris, quantò minùs Sapientiâ Increatâ? Si in dubiis tutior pars est eligenda, nunquid tutior illa doctrina, quam divina firmat semel, iterum, & tertiò sententia? Dictitabat quidam adulator, malle se cum Platone errare, quàm cum aliis benè sentire. Quis igitur tam imprudens, ut malit cum aliquibus errare, quàm cum Christo benè sentire?

Illud etiam observandum, hanc suæ doctrinæ consecrationem excepisse S. Thomam ex imagine Christi morientis & crucifixi. Sicut enim in humanis testimonia morientium majorem, & ab omni falsi suspicione remotiorem fidem merentur, *cùm veræ voces tunc demùm pectore ab imo ejiciuntur*, ut ait Poëta: ita ea quæ Christus vel circa mortis tempus, vel in ara crucis protulit, simpliciter, & sine metaphora intelligi voluit. Unde contra Sacramentarios inferunt Catholici, semovendas esse figurarum umbras ab illis verbis, *hoc est corpus meum*, quæ Veritas pridie quàm pateretur in ultimo testamento expressit. Non dissimili modo, ut Christus omnem interpretandi elogii sui licentiam & subterfugium amoveret, illud eo in statu

&

& habitu proferre voluit, in quo plana sunt loquentium verba, nec glossarum interpretamentis obvia. Septem olim eructavit Christus in cruce verba bona, octavum proferre voluit, ut discipuli Thomæ doctrinam obsignaret. Doctoris lauream adeptus est Aquinas sub cruce, quæ ut ait Augustinus, cathedra est Magistri docentis. Fallere moriens homo non solet, Deus non potest. Ergo inimicos S. Thomæ falli, errare, & malè scribere necesse est.

Postquam Verbum Æternum loquutum est, nec Zoilos timet Doctor noster, nec adversantium impetus. Elimatiora & castigatiora sunt quæ docuit scripsitque, quàm ut morosorum obeliscos, vel asteriscos extimescant. Hæc si advertisset Petrus à Valle-Clausa, spissum calumniarum senticetum in S. Doctorem, quem objectum fatui amoris insulsissima fatuitate appellat, minimè struxisset. Non tentasset verbis ampullosis suis & obsoletis, affectatisque quibusdam vocum capediis, quas suis tuctat diatribis, pondus addere maledicentissimis sannis suis, & quasi sparso pulvere tantum Solem infuscare. Heu quàm felicius, & christianè magis illud temporis in his næniis acervandis impensi, utilioribus & saluti vicinioribus dedisset. Sed per me licet, hominis ad Dei judicium jamdiu vocati ossa quiescant. Et certè miseranda potiùs est quorundam hominum sors, quibus audacia congenita est, ut errent; & furia, cùm damnantur errores.

Dices: Innumeri fuerunt, & adhuc sunt, qui Augustino & Aquinati maledixerunt, & etiamnum maledicunt. Ergo non tam universalis est, qualem asserimus, utriusque hujus sacri Doctoris approbatio.

Respondeo fatendo, apud nonnullos malos hujus utriusque Sancti doctrinam malè audire. Testatur enim S. Prosper in præfatione ad objectiones Gallorum, eodem Augustini mortis anno quibusdam obtrectatoribus visum esse, ut quæ in libris ejus damnabilia reperisse jactabant, brevium capitulorum indiculis publicarent, talique commento & detestationem ejus, quem peterent, obtinerent; & ab his quæ infamassent, curam exterriti lectoris averterent. Quod & repetit Prosper ad Rufinum, ubi ait, adversarios Augustini occultis, sed non incognitis susurrationibus obloqui; & prout sibi noxias aliquorum aures, opportunasque repererint, scripta ejus, quibus error Pelagianorum impugnatur, infamare. Idem S. Thomæ contigisse notissimum est; sicut enim par fuit Augustini, & Aquinatis causa, amor nimirum veritatis; ita par fuit conditio. Mortuo Augustino quædam muscæ calumniarum spicula in Ecclesiæ Magistrum intorserunt, eique erroris notam inusserunt, qui errorum caligine occæcati erant: sed accurrerunt statim ab initio intrepidi discipuli, qui grassantem maledicentiæ luem scriptis suis veluti cauterii ustione cohibuerunt, tanti Magistri doctrinam eò clariorem efficientes, quo obscuriorem reddere malignitas & ignorantia satagerant. Theologiæ Solem Doctorem Angelicum, ejusque sese affundentem orbi splendorem ab ortu suo coruscantem ferre vespertiliones & noctuæ non potuerũt. Extiterunt enim, & extant adhuc homines inimici, zizaniarum superseminatores, qui totis viribus, incredibili conatu, vehementique studio laborarunt, & laborant, ut inveniant pilum in ovo, nodum in stupa, scopulos in plano, atomos in sole, maculas in cœlo: sed planè sicut perverso impetu, ita misero irritoque successu. Mirum est, ut qua magis Ecclesiæ Capita in extollendo utroque hoc sacro Doctore certatim student, nonnulli sollicitâ diligentiâ omnia quæ ab illis scripta sunt, in examen severissimum vocent morosissimi ut fastidiant, mordacissimi ut carpant. Mirum quomodo in tantam tam illustrium Doctorum authoritatem se tam tetricæ frontis armarit audacia, ut mensuras sensuum, pondera loquutionum, nervos quæstionum, & ferè verborum, ac syllabarum insidiosè superbissimi scrutatores eventilarint, magnum lucrum reputantes, si Ecclesiæ Catholicæ luminibus in suo genere sine controversia maximis, nullique secundis nævorum maculas, aut errorum caliginem affingant.

Quàm deploranda invidorum hominum conditio, quæ privatorum commodorum præjudiciis occupata, & aliorum gloriâ dolens, conatur ut tantorum Doctorum gloriam, quam Ecclesia Christi promoveri votis omnibus concupiscit, elevet, minuat, & angustet! Proh cæcitatem livoris! hæc amplissima Apostolicæ Sedis, Conciliorum, Universitatumque elogia, quibus super omne quod dicitur doctum, attolluntur Augustinus & Aquinas, quibúsve ad tantorum virorum amorem & venerationem permoveri deberent, simultatem augent & cordis acerbitatem; illi planè diviti epuloni non dissimiles, quem ut observat Chrysologus, magis Lazari torquebat felicitas, quàm propria calamitas divexabat: *Plus*, inquit, *cœlo incenditur quàm gehenna; plus felicitas Lazari, quàm gehenna torquet incendium.*

O hominum studia inania! ô tempora! ô mores! Augustinum & Aquinatem ipsi infideles veritate coacti venerati sunt, utrumque formidarunt à fide extorres, & utrumque Catholici pessumdabunt, & infamatum ibunt? Nonne in pace amaritudo amarissima obvenit nobis, dum non à Paganis, sed à domesticis fidei; non ab extraneis, sed à filiis & falsis fratribus columnæ illæ geminæ, quæ portant orbem Christianum, arietantur. Si ad illam se redigerent hi osores præjudiciorum vacuitatem, quæ cordatos decet, & magis Christianos, utique cernerent, non Augustinum vel Aquinatem, sed Ecclesiam exsibilandam, irridendamque hæreticis se præbere, quæ tot laudes effusissimè impendit & superimpendit, quas illi ad nihilum redigunt. Si enim nihil è tot encomiis eliciatur, quàm utrumque hunc Doctorem nulla hæresi formali, tametsi multiplici scatentem errore materiali, sordescere, quid speciale, vel singulare tot elogiorum apparatus effecit, quod de Scriptoribus infimis, sed orthodoxis, de calonibus, de lixis, & lanionibus dici non potuerit? Et sanè tùm Ecclesia, cùm Pontifices doctrinam SS. Augustini & Thomæ supergredi omnem laudem, ab omni errore, & erroris ipsius suspicione immunem inculcant, vel apud se sunt, seu advertunt quæ secum proloquuntur; vel quid dicant nesciunt, incogitanter loquuti. Si primum dicas: ergo Ecclesia, ergo Pontifices sunt magistri erroris, cùm nobis doctrinam fermentatam, & erroribus consputcatam, tanquam immaculatam proponant. Si hac consequutione perterritus, secundum, seu Pontifices, Ecclesiæ Pastores & supremos arbitros oscitanter, incuriosè, incogitanter ea protulisse dicas, ut viris illis adularentur, vide quò te abripiat impietas; nam non solùm Ecclesiam asylum ignorantiæ esse effutis, sed eam etiam adulationis, & acceptionis personarum ream peragis. Tantæne molis est Sanctos Augustinum & Thomam infamari, ut honor Ecclesiæ exponatur ludibrio, & sannis inimicorum ejus? Ideóne Sanctorum istorum depretiatio cordi esse debet, ut nihil non pertentandum, faciendum, fingendum, inveniendum, efficiendum sit, ut ubique inhonorentur.

Sed quid moror, & in istis bæreo amatoribus abstergendis? Horum Doctorum æmulos per eum, quo

Ecclesiam

Ecclesiam prosequuntur, amorem obsecro; quoniam Ecclesiæ approbantis suffragia impedire nequeunt, si id fieri quod vellent, non potest; velint id, quod possit. Pluribus supra, & forè quàm par est, doriùs cum Alva rem egi: hæsi fateor, & multa feci ut hoc ne facerem; dumque in dubio fuit animus, paullò momento huc illuc impulsus est, impedieruntque me cogitationum curæ multiplices, animum meum diversim trahentes. Sed dum Doctorum tantorum memoriam nobis commissam, & nostræ mandatam fidei lacerari ægrè ferrem, verba illa à me extorta sunt, cui cæteroquin placuit semper agendi ratio temperata: sed adeóne me ignavum putabunt Lectores, adeóne porrò ingratum, aut inhumanum, aut ferum, ut neque me gratitudo, nec in viros illos divinos amor, neque è tot injuriis enatus pudor commoveat, atque commoneat Augustino & Aquinati ut servem fidem. Unum hoc sciant adversarii, Thomistas & Augustini discipulos, non præ ignavia, sed præ modestia, & sæpè contemptu, Magistrorum suorum hostes aspernari. Hoc interim dico illis, ne temerè faciant; ut quiescant moneo, & obtestor; desinant quæso maledicere, malè facta, maléque scripta ne noscant sua, noscat & orbis. Uno avulso, non deficiet alter defensor interritus, qui quidvis, ubivis & faciliùs passus fuerit, quàm in hac causa tacere. Ita caveant, illud sibi non prædictum dicant.

Sed tu, mi Theologe, tot in viros Sanctos conviciis ne moveare. An nescis Christum Dominum positum fuisse in ruinam, & in signum cui contradiceretur? An ignoras viros sanctos & eruditos assimilari insulis, quæ circumstrepentibus fluctibus tundi possunt, frangi non possunt; mage magisque frangunt fluctus venientes, quàm frangantur ab eis? Certò scias Augustino-Thomisticam doctrinam iis ipsis, quibus attentatur, splendidiorem evasuram. Ne mirare; doctrina illa, ut aiebat Bellarminus suprà laudatus, non privatorum opinio dici debet, sed fides Ecclesiæ: Ecclesia autem, ut alicubi scripsit Magnus Leo, non minuitur persequutionibus, sed augetur; & semper dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur. Doctrina Augustino-Thomistica, ubi præsertim de gratia agitur, est succus è Pauli epistolis eliquatus. Paulus autem, ut observat Gregorius *lib. 31. Moral. cap. 15.* nullis persequutionis quàmlibet obstinatæ objectaculis potuit à veritatis prædicatione removeri; & dum extractus à civitate lapidatus est mortuus, ut legitur Actorum 24. alio die intra urbem illæsus prædicator invenitur. *O quàm fortis huic viro inest infirmitas!* inquit, *ô quàm victrix pœna! ô quàm dominatrix patientia! Ad arguendum repulsione provocatur; ad prædicandam salutem plagis erigitur; ad propellendam laboris lassitudinem pœnâ refovetur. Quæ ergo hunc adversitas superet, quem pœna fovet?* Idem de Paulo observat Chrysostomus *homil. 4. de laud. Pauli*, ubi ait, omnes gentes & potestates undique invidiæ igne succensas in Apostolum insurrexisse; qui tamen non modò obrutus non est, sed omnes etiam in partes transtulit veritatem. Cujus rationem affert proposito nostro peropportunam. *Talis est conditio erroris, ut nullo etiam sibi obsistente consenescat ac deficiat; talis autem est è diverso veritatis status, qui etiam multis impugnantibus suscitatur, & crescit.*

QUINTUM ELOGIUM.

In Augustino & Aquinate sex Catholici Doctoris dotes eminent, amor Ecclesiæ, zelus fidei, orationis frequentia, humilitatis studium, sanctitas morum, dogmatum castimonia ab omni corruptela & laxitate aliena.

In Ecclesiam amor, & fidei zelus.

AMor Ecclesiæ Doctoris Catholici tessera est: Ecclesiæ, inquam, quæ ut ait Augustinus, tabernaculum est, ad quod currendum est, dum diversæ hæreses, diversa schismata personant; & linguæ multæ contradicunt veritati doctrinæ. *Hanc autem Ecclesiam*, addit idem Pater epist. 50. *quæ non litigiosis opinionibus fingitur, sed divinis attestationibus comprobatur, propter quemlibet hominem relinquere debemus.* Amore autem Ecclesiæ flagrasse Augustinum, flagrasse & Aquinatem, solus ambigat qui labores & opera eorum ignorat. Nonne ex amore Ecclesiæ profecta sunt opera illa eximia, & tot lucubrationibus elaborata, quibus Gentiles, Judæos, Hæreticos, Atheos exarmarunt, demonstraruntque neque in confusione Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore schismaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærendam esse Religionem, ut *libro de vera Religione, cap. 16.* prosequitur Augustinus; sed apud eos solos, qui Christiani, Catholici, vel Orthodoxi nominantur, id est integritatis custodes, & recta sectantes? *Hæc enim Ecclesia Catholica per totum orbem valdè, latéque diffusa manibus errantibus utitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cùm vigilare voluerint. Utitur enim Gentibus ad materiam operationis suæ, hæreticis ad probationem doctrinæ suæ, schismaticis ad documentum stabilitatis suæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ.*

Sciunt hunc Augustini in Ecclesiam amorem Manichæi, Donatistæ, Pelagiani, cæterique, quorum ille blasphemias multis & magnis voluminum suorum molibus velut quibusdam fulminibus evertit. Splendent sanè omnes scriptoris eximii dotes in operibus Augustini; erat enim in omni literarum genere peritus, ingenio igneo, facili, copioso, facundo, suavi, & (quæ sermonis maxima est virtus) aperto, ut discernere nequeas utrum ornatior loquendo, an facilior explicando, an subtilior penetrando, an sublimior discurrendo, an potentior in persuadendo quisquam fuerit; onde à Leone IX. epist. 1. ad Michaëlem Constantinopolit. Patriarcham, *Noster Chrysostomus appellatur.* Sed sicut affusum omnibus liquoribus oleum omnes vincit, omnibus supernatat; sic amor Ecclesiæ ita in operibus Augustini eminet, ut cætera quæque ornamenta exsuperet. Tantùm enim Ecclesiæ detulit, ut Evangelio non credendum contendat, nisi Ecclesiæ commoveret authoritas; asseratque vel ipso Ecclesiæ Catholicæ nomine hæreticos omnes confusos iri. Idem pro Ecclesiæ authoritate ardor Aquinatem incessit, cùm ipsam Ecclesiæ consuetudinem in omnibus æmulandam, & Doctorum quorumcunque authoritati anteponendam disertissimè doceat. Unde sicut vitæ origo & finis est à corde, quod omnium primum incipit, & ultimum desinit vivere: ita S. Thomæ scribenti Ecclesiæ amor & fides cordis instar fuit; pro ea enim defendenda studiis operam dedit,

pro

pro ea item defendenda ad Concilium Lugdunense pergens mortuus est.

Ex amore Ecclesiæ ardens fidei tuendæ, propagandæque zelus exardescebat, quo succensi Augustinus, & Aquinas Philosophiam, & externas facultates in obsequium fidei, & Ecclesiæ gloriam captivarunt. De Augustino id observavit ipsemet S. Thomas 1. p. q. 84. art. 5. *Augustinus*, inquit, *qui doctrinis Platonicorum imbutus fuerat, si qua invenit fidei accommoda in eorum dictis, assumpsit; quæ verò invenit fidei nostræ adversa, in melius commutavit.* In quo etiam genere disputandi excelluit S. Thomas, unde Philosophorum Apostolus dictus est, quia Philosophos ab antiquis Patribus tanquam hæreticorum Patriarchas odio habitos fidei servire coëgit, & Philosophiam, inanemque fallaciam, à qua ne fideles deciperentur, Apostolus admonebat; & Dialecticam artificem stinēdi, & destruendi, versipellem in sententiis, coactam in conjecturis, duram in argumentis, operariam contentionum, tanquam ancillam vocavit ad arcem, ut Theologiæ ministraret.

Scio quidem nonnullos inde carpendi S. Thomæ ansam nancisci, quòd argumentis e ratione petitis plus justo addictus esse, & Philosophis plus nimio indulgere videatur; quis, addunt, si credo quod traditum est, quid opus est operosâ disputatione? Si non credo, nullis humanis rationibus persuadebor. Verùm hanc calumniam dum de locis Theologicis agebamus, occupavimus, ubi sicut eos, qui uni rationi fidunt Theologos, quive sive disputent, sive scribant, Scripturam sacram, Patrumque monumenta ne legisse quidem videntur, irridendos, contemnendosque diximus; quoniam veræ Theologiæ solidam effigiem nullam tenent, umbris utuntur, & sese in sophistica arte diu torquentes non sacram doctrinam, sed fumum persequuntur; ita illorum non minùs morositatem reprehendimus, qui ad argumenta è ratione petita aures occludunt, cupiuntque discipulos suos ab omni disputandi ratione sevocare. Imprudentissimè illi quidem. Rationem quippe repellere homines nec debent, nec verè possunt, nisi rationales esse desierint. Jacebit profectò Theologia, evadetque sancta rusticitas, quæ ut Hieronymus scripsit, quantum prodest vitæ merito, tantum simplicitate nocet, si adversariis non resistat: quomodo autem resistet, nisi rerum & divinarum, & humanarum ordinem, ac connexionem ratione teneat, verarum principia, causas, effecta, antecedentia, consequentia animo perlustret?

Nihil ergò D. Thomæ consiliis justius, nihil mitius, qui turpissimum quidem esse Theologo rebatur sine verbo Dei, sive scripto, sive Patrum traditione transmisso quidquam statuere; rationis tamen subsidia, & veluti auxiliares copias non despexit, sed fidei subjecit: & sicut gratia non tollit naturam, sed perficit; nec natura gratiam repellit, sed suscipit: ita post Augustinum D. Thomas omnes scientias advocavit, ex iis sententias deligeret, quæ essent ad fidei mysteria exponenda, propugnandaque aptiores. Unde in utriusque Doctoris operibus tanta micant acumina, tanta ingenii amplissimi specimina, tantus rationum splendor & varietas, ut optima quæque, splendidissimaque ingenia, quàmlibet acie mentis, & veri perspicientiâ polleant, semper puras, semper novas in illis lectitandis delicias experiri se verissimè fateantur.

Nec obest argumentum superiùs objectum, non egere nimirum fidelem operosâ disputatione, infidelem verò nullis humanis rationibus suaderi posse. Non obest, inquam, quia ut elegantissimè alicubi scripsit Theologorum sui sæculi sine controversia pulcherrimus Melchior Canos, si non credo, ratione adducor; si credo, confirmor; si repugno, confundor; ratione, inquam, non dominâ, sed administrâ; syllogismo non præsidente, sed subserviente. Non sunt argumenta theologica ab Augustino & Aquinate inventa arma Saulis, quæ pugilem Christi magis graven, quàm juvent; sunt potiùs gladius Goliath, quem cùm ipsi è manibus extorseris, suo illum gladio jugulas. Nunquid Christus in Evangelio, nunquid Apostoli in Epistolis suis multa è naturali ratione assumpserunt, & discursu intulerunt? Ergo hunc disserendi modum à Christo Domino profectum, ab Apostolis usurpatum, à sacris Doctoribus confirmatum solus respuat homo post hominum memoriam minùs homo Lutherus, qui rationem naturalem Christiano, Theologoque noxiam pronuntiavit, conscius errores suos absurdissimos citò deprehensum iri, si ratione librentur. Hinc in principio hujus, si superis placet, Reformationis, in Germania primùm, deinde in Gallia regnante Calvino furores & lani, qui novum Testamentum memoriæ mandarant, magni & præclari Theologi habebantur; ipsæque mulierculæ, quibus docendi munere Apostolus tam disertè interdixit, quoniam nonnullas Paulinarum epistolarum lacinias memoriter recitabant, doctiores quosvis ad disputandum provocabant. Sed nihil mirum, si secta quæ omnium hæreticorum fæces in unam fecit catinam confluere, quibus sectatores pasceret suos, bellum etiam rationi naturali indixerit, quàm tantoperè impietati suæ noverat adversari; inducturus enim Epicuri voluptates, & Mahumeris licentias effrenes Lutheranismus, debuit sicut illi, disciplinas & rationum momenta despicere, quæ benè intelligebat perversitati suæ esse contraria. Hoc illis defuisset iniquitatis complementum, si post ejuratam fidem non fuissent etiam à ratione & humanitate alieni: sed jam progredi ulteriùs nequit impietas, nisi aliquid quæramus post omnis.

Denique etsi S. Thomas philosophicis rationibus usus sit, modum tamen servavit & ordinem: Philosophiæ spatia pro ea, quâ pollebat, ingenii vi, brevissimo tempore decurrit, totum deinde tempus divinis studiis impertiens, quibus nos Christi religio consecravit. Philosophos primoribus, ut aiunt labris, degustavit, ut Ecclesiasticos postea libros diu, noctuque versaret. Philosophis non fruebatur, sed utebatur in augmentum fidei, & veritatis ornamentum, illud præ oculis habens à Clemente Alexandrino præclarissimè dictum: *Perspicuitas confert ad tradendam veritatem, & Dialectica ne prosternamur ab heresibus Et est quidem per se perfecta Servatoris doctrina, & nullius indiga, cùm sit Dei virtus, & sapientia: accedens autem Philosophia non veritatem facit potentiorem, sed debilem adversùs eam efficit sophisticam argumentationem: & propulsans dolosas adversùs veritatem insidias, vineæ est sepes & vallum. Et quæ est quidem ex fide veritas, tanquam panis necessaria est ad vivendum: quæ autem præcedit disciplina, est obsonio similis & bellariis. Desinente cœna, suavis est placentula.*

Orationis frequentia, & humilitatis studium in utroque Doctore splendentia.

Veridicè Magnus Gregorius *lib. 1. Moral. capite 32.* dixit: *Nulla est scientia, si utilitatem pietatis non habet; valde inutilis est pietas, si scientia discretione caret.* Porrò ut scientia pietate condiatur, oratione opus est, quâ & divina gustamus, & quæ sursum sunt, sapimus, & æternis inhiamus, & gratiam cordis dulcitem emollientem impetramus. Sine orationis praxi languet, tepescit, & tandem definet charitas; scientis autem

sine charitate vana est, obscura est, nec ædificat, sed inflat. Hinc Sancti diuturno silentio, instantibus supplicationibus, crebris gemitibus à Deo sapientiam postulant, qui dat omnibus affluenter; & ut Magnus Gregorius *lib. 1. in 1. cap. Reg.* ait: *Mens quæ ferventibus desideriis interna desiderat, dum terrena lætitia blandimentum respicit, instantibus gemitibus infundi sibi superna lucis amœnitatem expetit.* Hanc divinam lucem Catholici potissimùm Doctores continentibus precibus flagitant, ut sit lucerna pedibus eorum verbum Dei, ut in lumine vultus Dei ambulent, ut cum Christo dicere queant: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.*

Hac veritate pleni Augustinus & Aquinas orationi instabant, sine intermissione orabant, & continuæ meditationis intentione ad æterna suspirabant. Quia nimirum illud experientiâ noverat Augustinus, quod *epist. 112.* scriptum reliquit: *Qui didicerunt à Christo esse mites & humiles, plus cogitando & orando proficiunt.* De sancto etiam Thoma scriptum est: *Nunquam se scriptioni, aut lectioni dedit, nisi post orationem.*

Sed quia oratio sine humilitate nihil efficit, solaque humiliantis se deprecatio nubes penetrat, ideò tantâ doctrinæ sacræ abundantiâ repleti sunt Augustinus & Thomas, quia humilitate præcelluerunt. Germanus cœlestis doctrinæ character humilitas est, quam *in 1. lib. Reg.* Magnus Gregorius observat: *Spiritus sanctus quo majori luce virtutum electorum corda irradiat, eo & abundantiore dono humilitatis ditat. Lumen intelligentiæ humilitas aperit* (addit lib. 25. Moral. cap. 11.) *superbia abscondit; nam secretum quoddam pietas est, & tanto minùs ad illud animus pervenit, quanto magis intumescit, quia eo ipso foras repellitur, quo insaniùs inflatur. Humilitas* (inquit Chrysost. hom. 39. in cap. 15. Matth.) *virtus est, & sublimioris Philosophiæ mater, & origo. Propterea Christus Dominus, dum nobis divina traderet instituta, ab humilitate initium fecit. Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.*

Quàm profunda autem, quàm rata fuerit Augustini, & Aquinatis humilitas, nemo nescit. Illud autem admirationem rapit, viros illos tot dotibus ornatos, tantâ ingenii vi, tantâ doctrinæ copiâ instructos, tam altas humilitatis radices egisse, ut inferiùs descendere non possit. Quid illa judicii humilitate modestius, quâ Doctorum aquila Augustinus sensibus ita diffidebat suis, ut propriis opinionibus nolle alios unâ suâ authoritate permotos adhibere fidem sæpè sit contestatus: *Vos qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversùs eos, quorum malitiâ, vel imperitiâ, vel negligentiâ reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustrà laboratis, non bonam causam suscepistis, facilè in ea, me ipso judice, superamini.* Sententias suas ita corrigebat, ut libros retractationum ediderit; regimen suum, ad quod vi raptus fuerat, ita verebatur, ut in multis liquidam veritatem non cernens, solicitudinem suam Paulino suo his verbis explicarit epist. 250. *Quis vindicandi modus non solùm pro quantitate, vel qualitate culparum, verùm etiam pro quibusdam viribus animorum? quàm profundum, & latebrosum est? Ego in his quotidie peccare me fateor, & ignorare quando, quóve modo custodiam id, quod scriptum est: Peccantes coram omnibus argue, ut cæteri timorem habeant. Quis in his omnibus timor, mi Pauline, sancte homo Dei; quis tremor, quæ tenebræ? Nonne putamus de his esse dictum: Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.*

Judicii modestiæ & demissioni adjiciebat humilitatem cordis, quâ an possit esse major ægrè definiri potest. Amorem abjectionis & contemptus sui significantiùs testari non potuit, quàm dum delicta juventutis suæ, ignorantias, infirmitatesque suas publicâ confessione sæculis omnibus exposuit, & quidem libro elegantissimo, ut ad peccata sua frequentiùs legenda sermonis leporibus lectorum animos inescaret. Illud nimirum sanctissimo viro inerat alta mente repositum, quod *lib. de sanct. virginit. cap. 3.* scriptum ipsemet reliquit: *Sicut Demosthenes interrogatus, quid primùm observari deberet in præceptis eloquentiæ, quidve secundò, quid tertiò, semper respondit, pronuntiationem: sic si interroges, & quoties interrogares de præceptis christianæ religionis, nihil me aliud respondere, nisi humilitatem libet.*

Humilitas etiam Aquinatis non tam virtus, quàm prodigium virtutis fuit. Quid enim eo demissius, qui sepulto propriæ voluntatis arbitrio, totus è Superiorum nutu pendebat; qui quotidie à Deo postulare consueverat, ut regularis vitæ humilitatem posset ad mortem usque servare, qui ab Urbano IV. Romam vocatus adduci non potuit, ut honores acciperet, & Archiepiscopatum Neapolitanum deferente Clemente IV. recusavit; qui perfusus lacrymis Parisiensis Doctoris gradu initiatus est; qui Fratri converso dura sibi infirmo & ignoto nomine Superioris præcipienti obtemperavit; qui correctori mensæ accentum imperitè & intempestivè corrigenti obsequutus est, dignamque hanc Angelo vocem confratribus, cæcam nimis obedientiam improperantibus protulit: *Quid interest, an syllaba corripiatur, an producatur?* Obedientiæ autem, & humilitatis pretium est infinitum, quibus perficitur omnis Religio. Denique pergens ad Concilium Lugdunense, ubi erat cum D. Bonaventura ad Purpuram certissimè assumendus, mortem à Deo obtinuit, humilitatis statum, pro quo retinendo quotidie orabat, ne desereret, Christum imitatus qui ut ait Bernardus, ne perderet obedientiam & humilitatem, perdidit vitam. Nec illum extollebat rara illa sapientiæ supellex, quâ instruebatur, quia eam è Crucifixi pedibus hauserat: non est autem nota capiti, quæ fugitur è pedibus Salvatoris; nec scit esse superba, cujus objectum est Deus humiliatus.

Hanc tantorum Doctorum humilitatem in multis hujus sæculi sciolis & semidoctis desideramus, qui alios nec sine pertinacia & supercilio arguunt, nec ipsi sine iracundia refelli possunt; in quorum verbis, scriptisque proditur, ut alicubi Gregorius Magnus annotavit, quod cùm doceant, quasi in quodam sibi videntur sublimitatis culmine residere, eosque quos docent, ut longè infrà se positos, velut in imo respiciunt. Qui semper increpare appetunt, & plerumque increpando mentiuntur, ut sibi fingant hostes quos feriant. Quàm alienus ab hoc typho Aquinas Doctorum omnium modestissimus, & Augustino simillimus. Ad tantam utriusque Doctoris ingenerandam, fovendamque humilitatem non parum conferebat divinæ gratiæ, & victricis auxilii ad singulos actus necessarii confessio, & convictio; quomodo enim potest exaltari cor illius; quomodo altum sapere quit, qui omnia opera sua veretur, num à gratia proficiscantur? qui nullum posse se bonum sine gratuiti adjutorii ope elicere certissimè credit; qui tentationem nullam Deo non adjuvante vincere posse convincitur; qui perseverantiæ donum nullis meritis obtineri, sed purâ Dei misericordiâ concedi, & animo censet, & corde sentit?

Hæc mirare, Lector, & imitare. Quod si te Sanctorum exempla non permovent, exemplo saltem Christi moveare; postquam enim exinanivit semetipsum Deus majestatis, quomodo apponet homo se ultrà magnificare super terram? *Hæc medicina hominum.*

inquit

inquit August. lib. de agon. Christ. cap. 11. *tanta est, quanta non potest cogitari, nam quæ superbia sanari potest, si humilitate Filii Dei non sanatur.* Sed huic potissimum virtuti operam date Theologus debet, quia divinarum veritatum notitiam salutarem sicut abscondit Pater sapientibus & prudentibus, ita revelat parvulis; nec requiescit Spiritus Sapientiæ, nisi super humiles, & trementes sermones Dei. Præclarè & piè de more Magnus Gregorius lib. 23. Moral. cap. 10. *Obstaculum veritatis est tumor mentis; quia dum inflat, obnubilat; quia quando scientiam videntur adipisci, quasi de quodam rerum cortice, non de secreta dulcedinis medulla pascuntur, micantibusque ingeniis sæpè exteriora tantummodò attingunt, sed interni gustus saporem ignorant, videlicet foris acuti, intus cæci sunt: neque id de Deo sentiunt, quod dulce interiùs sapiat, sed quod excussum exterius sonet; qui etsi secreta quædam intelligendo percipiunt, eorum dulcedinem experiri non possunt; & si noverunt quomodo sunt, ignorant quomodo sapiunt.*

Sanctitas morum Augustini, & Aquinatis.

Sæpe sæpius monuimus, scientiæ morum sanctimoniam non mediocriter opitulari; tum quia passionum moderatio, & purgatorum affectuum temperies nebulas removet & tenebras, quibus solet animus ex concupiscentiæ motibus infuscari. Unde pulchrè dixit Joan. Major in prologo lib. 4. Sentent. *Bonos esse sibi ipsis, & aliis perpendiculum vivendi & docendi.* Cui succinit illud Altissiodorensis effatum: *Melior omni arte certior.* Tum quia vitæ sanctimonia gratiam advocat ad cognoscendas veritates summoperè necessariam. Nam ut ait Augustinus epist. 32. *Quædam acutissima, & excellentissima ingenia tantò in majores errores ierunt, quantò præsidentiùs suis viribus cucurrerunt, nec simpliciter, ac veraciter Deum, ut viam sibi ostenderet, petiverunt.* Nec potest dici, hanc gratiam ad veritates duntaxat supernaturales, non humanas & naturales esse necessariam. Non, inquam, id potest dici, quia ut idem Augustinus epist. 155. observat: *Necesse est, ut aliter, quam oportet, humana æstimet, qui divina contemnit; nec hominem rectè diligere novit quisquis eum non diligit, qui hominem fecit.* Divina autem rectè æstimare & diligere nemo sine gratia potest. Unde contingit, multos corruptâ semel conscientiâ, scientiâ deinde æquissimo Dei judicio orbari. *Vult hypocrita,* inquit Magnus Gregor. lib. 15. Moral. cap. 9. *scire eloquia divina, nec tamen facere: vult doctè loqui, nec vivere. Pro eo quod non agit quæ novit, etiam hoc quod novit, amittit; ut quia scientia sua puram operationem non sociat, contemptâ puritate boni operis, & scientiam perdat.* Et lib. 11. cap. 9. ponderans illud Davidicum, *& ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque,* sic habet: *Perpendit namque, quod omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit. Qui ergo de ore suo non auferri petiit, quid aliud quàm gratiam bonæ operationis quæsivit? Ac si apertè diceret, à bono opere errare non me sinas, ne dum amitto ordinem benè vivendi, rectitudinem perdam loquendi. Et plerumque Doctor qui docere audet quod negligit agere, cùm desierit benè loqui quæ operari contempsit, docere subjectos incipit prava quæ agit, ut justo Omnipotentis judicio in bona causa nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recusat; quatenus cùm mens ejus terrenarum rerum amore incenditur, de terrenis rebus semper loquatur.*

Quodnam verò est, vel esse potest flumen ingenii, quæ tanta dicendi vis, tantaque copia, quæ ab Augustino semel ad Deum converso sanctissimè gesta non dicam exornare, sed enarrare facilè possit? Quis exprimat lamenta pœnitentiæ, contemptum mundi præ dulcedine Dei, divini amoris æstus, vitæ communis studium, & omnium virtutum praxim, quæ in isto filio lacrymarum eluxere? Nemo nescit, qui vitam ejus à Possidio adornatam, vel S. Doctoris confessiones legerit, cor viri sancti vulnerasse charitatem Christi, & gestasse verba ejus Augustinum in visceribus, quasi sagittas acutas, quibus suavissimè transfixus inhiabat ore cordis in superna fluenta fontis vitæ, vilescebatque mundus iste eum delectationibus suis. Nemo nescit, quo fervore familiam Canonicorum instituerit, quibuscum victu communi, eodemque cultu utens, cœpit vivere secundùm regulam sub Sanctis Apostolis constitutam. Nemo nescit, quomodo Augustino vi facto Episcopo nihil humilius fuit, nihil continentius; nam & lectum, vestiumque moderatum, vulgarem mensam sacra semper lectione, vel disputatione conditam, & à peste detractionis purgatam adhibebat; & bona sua ita effusè in pauperes erogabat, ut cùm non alia suppeterent, sacra ad miserorum sublevandam inopiam vasa frangeret, & dispensaret; & à mulierum contubernio, familiaritateque abhorruit, & nullum divini verbi prædicandi finem fecit. Denique sanctitas Augustini gratiæ divinæ operæpretium est. Et sanè congruebat, ut ejus vita esset gratiæ miraculum, cujus doctrina fuit gratiæ firmamentum. Sanctitatem morum illius omnipotenti virtute gratia formarat, ut propriis experimentis victricem delectationem percipiens, in se cerneret quid in aliis possit. Illum expedivit, purum fecit, terrenisque cupidinibus veritatis lucem repellentibus liberavit, ut peccatorum vinculis exsolutus, uni Deo serviens, unum in animo Deum habens, in gratiæ tutelam manus armaret, cujus se beneficiis ita obstrictum, & penè obrutum sentiebat, ut illud sentire onus nec posset, nec deberet.

Sanctitatem porrò, pietatem, animi, corporisque illibatum Angelici Doctoris candorem, virtutum omnium certatim micantium beatissimam copiam oculis tuis, Lector optime, non subjiciam, ne historiam texam. Eminentes ejus virtutes innumeri scriptores laudibus, tametsi inferioribus extulerunt. Illud unum ponderabo, unde cordis ejus mundities & castimonia evidentissimè constabit. Summè quidem commendatur Angelica S. Thomæ doctrina à Christi testimonio scripta ejus consecrante: sed non minùs, ut mihi quidem videtur, cordis simplicitas, & mentis innocentia Aquinatis ex ejus responsione dignoscitur. Petiit Christus quam pro tot vigiliis, & studiis, pro tot laboribus exantlatis optaret sibi rependi mercedem: *Non aliam,* inquit purissimus Aquinas, *nisi teipsum.* Quid causæ est, ô Thoma, cur omnem creatam mercedem refugias? Nonne fastidiosus es, aut delicatus nimis? Mercedem postulat Princeps Apostolorum, & post relicta omnia, id est retia, & ut Gregorius ait, *penè nihil,* sciscitatur: *Quid ergo erit nobis?* Mercedem etiam vir secundùm cor Dei Propheta Regius deposcebat, & inclinasse cor suum ad faciendas justificationes Dei in æternum propter retributionem affirmabat. Cur ergo tu mercedem respuis, qui & longè plura quàm Petrus reliquisti, nec Davide minùs ad faciendas justificationes Dei cor tuum inclinasti? O Aquinatis verè cor nobile, quod nulla deorsum humana traxit affectio! Datur quidem illi optio præmii, sed quid eligeret nisi Deum, qui noverat pretium Dei, noverat & bonorum operum dignitatem? Dilanientur, inquiebat, quan-

tùm voluerint homines variatum diversitate cupiditatum: eligant alii divitias, alii gloriam, alii voluptates, & partes sibi faciant de rebus humanis; ego autem cum Propheta canam: *Pars mea Deus*, non ad tempus pars mea, sed *pars mea Deus in æternum.* Aurum etsi semper habeo, quid habeo? Deum si semper habeam, summum bonum possidebo. Postquam seipsum mihi Deus promisit mercedem futuram magnam nimis, quid aliud sperare mihi, quid postulare licet, aut decet? Cor castum à Deo accepi, accepitum servabo. Teipsum quæro, mi Iesu, gratis te amo Deus, cordis mei, nec abs te præter te aliud præmium postulo; quia ut August. *in Psal.* 72. scripsit: *Qui aliud præmium petit à Deo, & propterea vult servire Deo, carius facit quod vult accipere, quàm ipsum à quo vult accipere. Nullum præmium Dei, nullum præter ipsum. Præmium Dei ipse Deus est: hoc amat, hoc diligit; si aliud dilexerit, non erit castus amor.*

Doctrina, & dogmatum castimonia ab omni corruptela & laxitate aliena, gemini Doctoris tessera.

Eloquia Domini eloquia casta, & lex Domini immaculata. Nihil comparandæ sacræ doctrinæ profusa voluptate, & vitæ mollitie magis adversum. Unde illud ortum adagium: *Venus furatur intellectum.* Certè si Scripturis, uti tenemur, fidem adhibeamus, non habitat sapientia in terra suaviter viventium, & soli mundo corde Deum videbunt. Hinc observant Patres, hæreticos omnes luxuriæ deditos esse & gulæ; virginitatem nemo apud eos amore Christi custodit, vexillum crucis, & prædicationis austeritatem, quibus idololatria destructa est, veneris & gutturis luxuria subvertere nituntur. *Nulla hæresis, nisi propter gulam, venereamque construitur,* inquit Hieronymus *in cap. 3. Ierem. & in cap. 16. Ezechiel.* dixit: *Nam asserunt nihil noxæ luxuriam, & cibis omnibus indifferenter utendum, qui ad hoc facti sunt, ut sumantur.*

Id verum probant hujus temporis hæretici Lutherani & Calvinistæ, qui & cœlibatui bellum indixerunt, & abstinentias, & jejunia perpetuâ traditione servata è medio sustulerunt: unde nihil mirum in tot eos errores abiisse, & tam miserè evanuisse in cogitationibus suis, qui obscurato libidinibus & mundanis deliciis insipiente eorum corde, mercedem quam oportuit, erroribus suis in semetipsis recipere debuerunt. Quàm deformata, quàm turpis hæc reformatio, quæ nisi concupiscentiæ astricta est, quàmve nisi licentiæ immoliti sunt Epicurei Patriarchæ! Et sanè transfundi solent in natos vitia parentum: qui ergo puritatem spirarent secta illa, quæ non laxaret vitiis habenas, quæ non tam ab hominibus, quàm porcis vel equis emissariis Luthero & Calvino profecta est, illo sacræ Deo virginis constupratore, isto ob præposteræ & infandæ Sodomæ libidinis scelus probroso stigmate inusto. Doleo vitiis ingenuis, & ad honestatem comparatos Calvinistas populares & Nostrates, quin & nonnullos secundùm carnem mihi cognatos, è tam putidis capitibus ortum ducere. Doleo Christianos Crucifixi discipulos & cultores, inimicos crucis Christi duces sequi, quorum Deus venter fuit, & finis interitus, & gloria in confusione ipsorum. Doleo filios Sanctorum extrà tutissimum Catholicæ fidei portum diversis hæresibus quati, & sese intra fidissimam stationem placidæ, ac bonæ matris nolle reduci, atque amaros illos, putidos illos, turbulentosque errorum cumulos nolle removere, ut possint deinceps vivæ & salientis aquæ fluenta potare. Desistite non Christiani, sed apostatæ, desistite tandem benè, quod didicistis tam perversè. Scire quod scitum est cunctis, quàm graviter, quàm severè, quàm vehementer in illos invehatur Beatus Apostolus, qui damnanda levitate nimium citò ab eo, qui eos vocaverat in gratiam Christi, translati fuerunt. An nescitis quàm vos strictè commoneat, & vestram apostasiam divino lumine prænoscens attestetur, futurum aliquando tempus (& nunc est) cùm sanam doctrinam non sustinentes ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, Christo Domino non servientes, sed suo ventri, semper discentes, & ad scientiam veritatis nunquam pervenientes; qui bonam conscientiam repellentes, circa fidem naufragaverunt, & ut alicubi ait Vincentius Lirinensis, *errores circumferunt venalitios?* Quo vocabulo alludit ad circumforaneos illos mercatores, qui quaquaversum merces suas vendidum eunt; quorum hæretici falsorum dogmatum, spurcitiarum præsertim nundinatores, persimiles sunt, qui urbes, pagos, montana, & plana penetrantes, adulterinam doctrinam suam vendendam exponunt.

Ah Deus! quàm à talibus spurcitiis abhorret cœlestis Augustini, Aquinatisque doctrina! Prorsus immaculata est Augustini doctrina, quæ non solùm illicita, & æternæ legi contraria reprobat, sed etiam officia per se licita unius creatæ voluptatis amore suscepta condemnat. Nonne propterea *lib. de nuptiis, & concupisc. cap.* 4. scribit: *Malè utitur qui bestialiter utitur, ut sit ejus intentio in voluptate libidinis, non in voluntate propaginis.* Hac enim de causa *lib.* 4. *contra Iul. cap.* 15. distinguit inter sentiendi vivacitatem, utilitatem, necessitatem, libidinem. Vivacitas sentiendi est quâ magis alius, alius minùs in ipsis corporalibus rebus pro earum modo atque natura, quod verum est percipit, atque id à falso magis, minusve discernit. Utilitas sentiendi est, per quam corpori, vitæque, quam gerimus, ad aliquid approbandum, vel improbandum, sumendum, vel rejiciendum, appetendumve consulimus. Necessitas sentiendi est quando sensibus nostris etiam quæ nolumus ingeruntur. Libido autem sentiendi est, quæ nos ad sentiendum sive consentientes mente, sive repugnantes appetitu carnalis voluptatis impellit. *Hæc est contraria dilectioni sapientiæ, hæc virtutis inimica. Hoc malo benè utuntur nuptiæ, cum conjuges procreant liberos per illam, nihilque faciunt propter illam.* Quantum verò formidatit Augustinus ineptias cibi voluptates, aliàs observavimus, & ex confessionibus ejus constat.

Angelicam etiam S. Thomæ doctrinæ puritatem agnoverunt Ecclesiæ Capita, à quibus pronuntiatum, eum sine ullo prorsus errore scripsisse. Nec mirum, tam puram fuisse mentis Aquinatis aciem, citò enim animam castam, & virgineo ultore splendidam radii penetrant Divinitatis. Nam ut ait Gregor. Magnus in lib. 5. Reg. cap. 14. *Quando mens hominis carnali delectatione deprimitur, ejus ita visus obtunditur, ut spiritualia bona cognoscere non mereatur, sed cùm in suis carnalibus infirmari incipit, paulatim in spiritualibus convalescit, ut superna proficiendo videantur, infima obliviscendo derelinquat.* Si mens, quæ carnalia paulatim domat, veritatis fulgore magis magisque perfunditur, quis, & qualis, quæso, erit mentis illius splendor, qui virginali corporis, animique munditie semper floruit? Talis porrò fuit Aquinas, qui post reportatam illam celebrem de multis

muliere ad labefactandam ejus castitatem armata victoriam, post repudiatas meretricis circumornatæ ut similitudo templi illecebras, post superatum igne ignem, seu inflammatam gehennæ in flamma puellam titione fugatam, singulari Dei dono libidinis deinde sensu omninò caruit. Si teste Ambrosio, errat mentis oculus, ubi errat affectus, & sæpe noxia dispicere quàm perniciosa sint, non licet, quia judicium interpellat affectus; incredibilis sine dubio fuit Aquinatis mentis intelligentia, cujus affectus castissimus, & rectissimus semper fuit. Inde tanta in explicandis difficillimis perspicuitas, quam nec brevitas obscurat, nec varietas confundit. Inde quatuor inter se implacabiliter pugnantia, ut eruditè observat Sixtus Senensis, indissolubili pacis fœdere conjunxit: copiam, brevitatem, facilitatem, & securitatem, quas nulli unquam literatum Professori vel ante, vel post contigit simul potuisse connectere.

Hanc perpetuam doctrinæ Augustini & Aquinatis puritatem comitatur horror laxitatis, & eorum nefandorum dogmatum damnatio, quæ in quibusdam recentiorum Casuistarum opusculis non sine Catholici nominis dedecore passim leguntur. Quæ sanè doctrinæ flagitia, everso vagæ probabilitatis principio, præoccupatâ proscriptione sacri isti Doctores profligarunt. Vagam autem Modernorum opinandi licentiam, & variatio variis hominum moribus de moribus decreta reprobasse Augustinum, reprobasse & Aquinatem ex aliàs dictis, dum de probabilitate, notissimum est. Unde Recentiores benè conscii vagam illam probabilitatem, unde omnia doctrinæ moralis flagitia fluxerunt, & majora, ni reprimatur, fluent, à Patribus, Augustino præsertim & Aquinate apertè damnari, & totius traditionis præsidiis deseri, in Patrum locum, Recentiorum turbam sufficerunt. Hinc crebrò apud Casuistas non ex Patrum decretis, sed ex recentium Theologorum legibus esse vivendum. Quia licèt quæ circa fidem emergunt difficultates, è Patribus, utpotè traditioni & doctrinæ Apostolicæ vicinioribus, dissolvendæ sint, in dirimendis tamen moralibus controversiis potiorem Doctorum recentiorum rationem esse habendam. Hinc novi Ethici vix alios in scriptis suis laudant, quàm modernos, Patrumque non meminerunt, nisi fortè ad fastum, vel ad ornatum libris, non firmamentum opinionibus suis conciliandum. Quasi non minùs ei periculi insit, qui à Patrum de fide sensibus recedit, quàm qui contra legem æternam tutiore opinione relictâ, probabilitatis obtentu peccat; vel non æquè periculosè erret homo in agendis, atque in credendis. Quasi multa non possint circa mysteria citra noxam ignorari, ipsa verò juris naturalis ignorantia peccatum non sit. Quasi demùm Patres toti ad conformandos mores intenti, nihil de moribus immensis in voluminibus scriptum reliquerint. Scilicet?

Scio hanc meam de probabilitate doctrinam à Patribus, & D. Thoma evidentissimè expressam, inculcatam, & rationum etiam momentis firmatam, quam in calce tomi tertii operosè exposuimus, nonnullis displicuisse, quibus certè placere si vellem, servus Christi non essem. Illud porrò iniquum, id in me illos reprehendere, quod non solùm Scholæ Thomisticæ primoribus Magistris probatum est, sed etiam quod ab eximiis sacræ Societatis Jesu Theologis Bellarmino, Comitulo, & novissimè Michaële Elizarda nitentissimis verbis traditum est. Hem tibi, Lector, aurea Cardinalis Bellarmini verba opusculo ad Episcopum Theanensem nepotem suum: *Si quis velit*, inquit, *in tuto salutem suam collocare, is omninò debet certam veritatem inquirere, & non respicere quid multi hoc tempore dicant, aut faciant: & si rei certitudo non possit ad liquidum apparere, debet omnino tutiorem partem sequi, & nullâ ratione, nullius imperio, nullâ utilitate temporali propositâ ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de summa rei, cùm de salute æterna tractatur; & facillimum est conscientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conscientiâ non remordente ad eum locum descendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.* Pauli porrò Comitoli mentem nemo ignoraverit, cui quæstionem 15. *lib.5. resp. Moral.* legere placuerit, ubi de tutiore opinione sequenda sententiam, Ethicæ Christianæ caput ad reliquas Christiani officii tractandas, dijudicandasque controversias pernecessarium meritò appellat. Addatque oppositam sententiam esse fœdam prolapsionem, quâ à ratione recedimus, veritatem contemnimus, exploratam, saltem ejus agnoscendæ vias obstruimus, æternæ legi contumeliam imponimus, sceleratos illos judices imitamur, qui contrariis testibus auditis, eorum testimonium sequi vellent, quod minùs verisimile appareret; eorum etiam imprudentiam sequimur, qui quod verisimiliùs malum est, eligunt, bono secùs prætermisso.

Hanc doctrinam illustrat eruditus Theologus tum Pontificium responsis, probabiliora semper, & saluti viciniora complexis; tum præclaro Joannis Majoris dicto: *Teneatur*, inquit, *pro doctrina, tanquam esset celte in silice sculpta, quod in via morum modus certior est tenendus.* Tum ex Conrado exponente genera, numerumque causarum, quamobrem unius potiùs, quàm alterius sententiam eligimus. Si nimirum Authores sanctiores ac castioris vitæ laude floruerint, quos rectiùs collineare, & minùs errare suprà, & alibi ostendimus, docuitque Philosophus 10. Ethic. cap.5. *Virtus*, inquit, *ac vir probus est uniuscujusque rei mensura.* Si Author in rebus certis ingenio non indulserit, si in veritate attingenda studiosiùs elaboraverit, si à studio partium alienus, unius veritatis cognoscendæ cupidine ductus ad disputandum descenderit. Meliùs enim ille judicat, ut Philosophus tradit, qui tanquam non adversarius omnes utrinque rationes oppositas audit. Idem docet S. Thomas *lib.12. Metaph. lect.9.* ubi ait in opinionibus seligendis exuenda esse præjudicia: *In eligendis opinionibus, vel repudiandis* (verba sunt ejus) *non debet homo duci amore, vel odio introducentis opinionem, sed magis ex certitudine veritatis. Ideo oportet amare utrosque, scilicet eos, quorum opinionem sequimur, & eos, quorum opinionem repudiamus: utrique studuerunt ad inquirendam veritatem, & nos in hoc adjuverunt. Sed tamen oportet nos suaderi à certioribus, id est sequi opinionem eorum, qui certiùs ad veritatem pervenerunt.*

Pergit Comitolus, illam esse sententiam anteponendam, quam plures secuti sunt, nisi in paucioribus plura insint ingenii, pietatis, & doctrinæ lumina. Consiliorum namque maturitas, & digestio multitudini sæpè præponitur: *Neque enim honestas, aut justitia*, ut Pius II. ad Ludovicum Galliarum Regem scripsit, *multitudine facilè suadetur, quæ variis affectibus agitata ad pejora frequenter inclinat.* Denique omissis aliis variis, quas recenset, causis, illi opinioni palmam esse contendit, quæ rationem consuetudini (sola universalis Ecclesiæ consuetudine except.) præponit; quia consuetudo in aliqua orbis parte obstetricantibus quibusdam semidoctis Casuistis nata & educata, nisi se ratione & veritate defendat, abusus est, & vetustas erroris. Dixi sola Universalis,

seu Romanæ Ecclesiæ consuetudine exceptâ, quia ut Augustinus *epist.* 118. docet: *Insanissimæ arrogantia est, existimare non rectè fieri, quod ab universa Ecclesia fit.*

Licèt autem ratio sit peculiari consuetudini præferenda, cavendum tamen est, ne ratio distorta fuerit, atque concupiscentiæ nebulis infuscata. Tunc autem perversa, corruptaque ratio jure meritò censetur, cùm sacris literis, œcumenicis Conciliis, Apostolicis traditionibus, Ecclesiæ Catholicæ consuetudini in omnibus æmulandæ, Romanorum Pontificum decretis, Sanctorum Patrum voci, Justorum praxi, Theologorum concordi conspirationi adversatur. Opus Patris Elizardi de recta morum doctrina hîc pro meritis laudare, ex eoque præclaras carpere gemmas non vacat, ne tractatum de gratia rebus moralibus impleam alibi differendis. Sed illud Deo benè favente, cùm fusiùs, tum opportuniùs laudabimus suo loco.

Sed quid multis moror? Non erubesco Evangelium, nec in hac parte quidpiam mihi timendum reor, postquam supremus Ecclesiæ Pastor mentem suam tam apertè in Congregatione generali, feria quinta, die 24. Septembris anni 1665. propalavit. Tenorem decreti hujusmodi uperæpretium duxi huc adducere: tum quia illud nostræ sententiæ apologiã meritò dixeris; tum quia purissimum Ecclesiæ Romanæ de moribus sensum verbis significantissimis declarat: tum quia cùm de casibus conscientiæ in hac nostra Theologia, nisi ratò non egerimus, quid in moralibus vitandum sit, compendiosè veluti in tabella perspicies in hoc decreto, quod si antidotum, & flagellum laxitatum dixeris, à veritate minimè aberrabis. Tum demùm, quia illud in tractatu de probabilitate, ne prolixior esset dissertatio, omiseramus.

„ Sanctissimus Dominus Noster audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari, partim noviter prodire; & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omninò ab evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina; & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura est christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis, quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verùs perverti contingeret; idem Sanctissimus Dominus noster ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via pro Pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earumdem opinionum examen pluribus in sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus seriò commisit. Qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulò incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati suæ sigillatim exposuerunt.

„ 1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis, ex vi præceptorum divinorum ad has virtutes pertinentium.

„ 2. Vir Equestris ad duellum provocatus, potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

„ 3. Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julii in Consistorio sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

„ 4. Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propterea incursa.

„ 5. Quamvis evidenter tibi constet, Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.

„ 6. Confessarius, qui in sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam posteà legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denuntiandus.

„ 7. Modus evadendi obligationem denuntiandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.

„ 8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post decretum Urbani VIII.

„ 9. Post decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retentâ.

„ 10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis idem stipendium accipere, & sacrificium unum offerre. Neque est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

„ 11. Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

„ 12. Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate.

„ 13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato.

„ 14. Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

„ 15. Pœnitens propriâ authoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

„ 16. Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere Confessarium simplicem Sacerdotem, non approbatum ab Ordinario.

„ 17. Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti non suppetere videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè, & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

„ 18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.

„ 19. Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

„ 20. Restitutio à Pio V. imposita beneficiariis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quòd sit pœna.

21. Habens

» 21. Habens capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si per alium recitet.

» 22. Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecuniâ interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

» 23. Frangens jejunium Ecclesiasticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu & inobedientia hoc faciat, putà quia non vult se subjicere præcepto.

» 24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

» 25. Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

» 26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

» 27. Si Liber sit alicujus junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem.

» 28. Populus non peccat, etiamsi ab ulla causa non recipiat legem à Principe promulgatam.

» Quibus peractis, dum similium propositionum examini cura & studium impenditur, interea idem Sanctissimus re maturè considerata statuit & decrevit prædictas propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimùm tanquam scandalosas esse damnandas, sicut eas damnat ac prohibet, itaut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publicè, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

» Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & interminatione divini judicii prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali & specialissima notâ dignis, ne prædictas opiniones, nec non aliquam ipsarum ad praxim deducant.

In alia deinde Congregatione generali habita 18. Martii 1666. coram eodem Sanctissimo, & Eminentissimis Cardinalibus in tota Republica Christiana adversùs hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à Sede Apostolica specialiter deputatis, editum est sequens decretum.

» Sanctissimus D. N. post latum decretum die 24. Septembris proximè elapsi, quo vigintiocto propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulò & accuratè usque ad hanc diem infrascriptis aliis quadragesimum quintum numerum implentibus per plures in sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos ac Reverendissimos DD. Cardinales adversùs hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia sigillatim super unaquaque ipsarum audivit.

» Propositio 29. In die jejunii, qui sæpiùs modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

» 30. Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

» 31. Excusantur absolutè à præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant; etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

» 32. Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in Quadragesima obliget.

» 33. Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antè Beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerit.

» 34. In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.

» 35. Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti & crastino.

» 36. Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum.

» 37. Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.

» 38. Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimùm, est consilium, non præceptum.

» 39. Illa particula, *quamprimùm*, intelligitur, cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.

» 40. Est probabilis opinio quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

» 41. Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgò *regalo*, dum deficiente illo nimis ægrè ageret vitam, & aliæ curæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

» 42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

» 43. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quàm per decem annos.

» 44. Quoad forum conscientiæ, reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

» 45. Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri usquedum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

» Quibus maturè pensatis, idem Sanctissimus statuit, &c. (omninò ut suprà.) Insuper districtè in virtute, &c. (etiam ut suprà.)

Ecce consectaria è vagæ probabilitatis fonte effluxa: ecce infelicem illam perversorum dogmatum segetem, quæ non paucis annitentibus modernis ad fidelium perniciem fruticarunt. Quando Parochi Rhotomagenses & Parisienses similes, aliasve propositiones ex libris Casuistarum excerptas, & syllabatim in eis inventas collegerunt, earumque damnationem ab Episcopis suis, quibus de fide, moribusque judicium jure divino concessum est, postularunt: quando easdem propositiones cum exemplaribus collatas Episcopi gravissimis decretis proscripserunt; continuò Probabilistæ propositionum quæsitores, collectores, & censores, vel falsidicos, vel præjudiciis suspectis occupatos esse dixerunt, aut certè Jansenismi impertinentissimè insimularunt. At post Apostolicæ Sedis oraculum, postquam Parochorum, Episcoporumque judiciis ipsius Summi Pontificis propositiones excerptas coram sacro Collegio tacti dolore cordis intrinsecus reprobantis authoritas accessit, ne mireris lector, si ad Augustini & Aquinatis inconcussa & tutissima dogmata ab his corruptelis immensùm

immensùm aliena exigendas esse resolutiones morales contendamus.

Reflexio per modum orationis.

Sed age, ad Augustinum & Aquinatem revertatur oratio, unde paululùm, tametsi mehercle non incommodè, digressa est. Tempus est, ut Sanctissimorum Doctorum elogiis vix probè incepto, & omni nostro conatu superiori finem imponamus, non quòd ullus deberet esse laudum terminus, sed quia id arbitramur apprimè in elogiis esse utile, ne quid nimis. Ipsorum ergo patrocinia pro virili exoremus, quorum nomina omnem supergredi laudem fatendum est.

Hem itaque, Doctores sanctissimi, per eam, quâ ad Deum valetis, gratiam vos obtestor, ut Scholam illam solenni sacramento doctrinæ vestræ defendendæ obstrictam continuâ protectione dignemini. Facite ut doctrina vestra Thomistarum tutelæ concredita, Dominicanis defensoribus non careat, quæ defensoribus carere non potest. Ne abs vobis hanc familiam segregetis, neu deseratis, quæ vos in Parentum dilexit loco, quæve vos solos semper fecit maximi, seu vobis morigera fuit in dogmatibus omnibus, vosque agnovit amicos, tutores, & Patres. Eximius sanè, & incredibilis erga familiam & Scholam nostram vestri pectoris amor ita nos beneficiis hactenus affecit, ita ardentioris dilectionis nexibus in dies devincit, ut toti in conferendis beneficiis impensi esse videamini: sed reciprocus est, Sanctissimi Patres, in vos, cœlestemque doctrinam vestram verorum Thomistarum amor, non simulatus, non qualiscumque, non perfunctorius, sed intimus, sed visceribus infixus, utpotè hæreditarius, & ab uberibus suctus: quod enim S. Dominicus Augustini filius, quod S. Thomas Augustini discipulus lac dulciter biberant, nobis propinatum gustamus suaviter, medullitùs tetigimus, ardenter prosequimur, intrepidè tuemur. Justum ergo est, Doctores incomparabiles, ut ingrata vobis non sit Schola illa, quæ non aliam gratiam spirat, quàm vestram. Justum est, ut si gratias vobis referre quantas debemus non possumus, habeamus tamen quantùm maximas. A vobis totum, si quid in nobis est, hausimus; in vos totum grati refundimus, ut ad locum unde exeunt flumina, revertantur. Quod si tenemur colligere fragmenta, ne pereant, hoc est, ut exponit Bernardus, ne minima quidem beneficia oblivisci, quid à nobis pertentandum juberet gratitudo, qui à vobis totum possidemus, cogitari quidem fortassis, vel desiderari potest; dici verò, multò minùs rependi, non potest.

Verùm quia immaculata, labisque pura doctrina vestra immaculatos quærit animos, labisque puros, nec eam capit nisi mens munda, illam nobis à Deo exorate gratiam salutarem, quæ non solùm expeditos animos avet, sed ipsa expedit, ac vilissimorum terræ commodorum amore liberat; puros noscit, & puros facit. Ita confore speramus. Sic vobis faventibus, intentatis ab adversariis nostris malis marinè occurremus; & defensæ doctrinæ vestræ gloriam nobis eximiam æternùm retinebimus, ut in sancti Ordinis perpetuitate perpetuos habeat custodes, prædicatores, & propagatores.



R. P. F.